



DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

ET

INSTRUCTIO CLEMENTINA

EX

ACTIS EJUSDEM COLLECTA

AB

ALOISIO GARDELLINI,

IN USUM CLERI COMMODIOREM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATA

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MUHLBAUER

CAEREMONIARII ETC. ECCLESIAE METROP. MONACENSIS.



TOMUS TERTIUS. PARS I.

E. — Sepulchrum.

MDCCCLXVI.

MONACHII.


LIBRARIÆ J. J. LENTNERIANÆ.

(E. Stahl.)

PARISIIS.

P. LETHIELLEUX,

Via vulgo Cassette, 23.



Index verborum Tomi III. Part. I.

R.

S.

Decreta authentica.

R.

S. RAPHAEL ARCHANGEL.

1) Antiphona.

Vd.: *Vesperae de ss. Angelis; Benedictio octava.*

Ad dubium PP. Benedict. Einsidln.: quando festum s. Raphaelis celebratur dominica tertia post Pascha, qualis sit dicenda antiphona in 1. et 2. noct.?

S. C. resp.: Antiphona 1. n. erit: *Multa Magnalia;* et in 2. n.: *Archangele Raphael;* in 3. n.: *Angelus Archangelus.* n. 4044 ad titul. XXI. dub. 4. die 5. Maii 1736.

2) Benedictio octava.

Vd.: *Bened. octava.*

3) Lectiones.

Ad relationem Benedictin. Einsidl.: dominica 3. p. Pascha in festo s. Raph. Arch. in 3. n. aliqua breviaria habent homiliam ex s. Augustino: „*Mirum non esse debet*" *etc.*, alia ex s. Joanne Chrysost. „*Cum vellet Deus*" *etc.* Quae homilia sit dicenda?

S. C. resp.: *Cum vellet Deus etc.* n. 4044 (dub. circa lection.) dub. 3. die 5. Maii 1736.

RASURA.

Benedict. XIII.

Nos Vicariis gen., Provincialibus et Conventualibus ac universis FFr. discalceatis Ord. et Congreg. s. Augustini Italiae, Germaniae, Hispaniae, Indiarum et Lusitaniae, ut uniformitatem in cantu Gregoriano, Rasura et Caputio rotundo servare teneantur, harum serie praecipimus et mandamns.

Datum Romae die 22. Jan. 1726.
(Bull. r. t. VIII. p. 491.)
Vd.: *Visit. Cleric. n.* 2.

Clemens PP. IV. Ministro et FFr. Ord. ss. Trinitatis et Captivorum.

In rasura ordinem s. Victoris sequantur clerici; laici vero barbas non radant, sed eas ad modum Templariorum vel conversorum Cisterciensium crescere permittant.

Die 7. Dec. 1267.
(Bull. r. t. III. p. 792. Ed. Aug. Taur.)

S. RAYMUNDUS ABB.

Pius PP. VII.

Nuper carissimi in Christo filii Nostri Caroli *Hispaniarum* regis catholici

nomine supplicatum Nobis fuit, ut pietati, qua is est incensus erga sanctum Raymundum Abbatem fundatorem ordinis militaris de Calatraga apellati, obsequentes, multo latius, quam adhuc factum sit, proferamus Officium proprium cum Missa in honorem ejus Sancti, quod quidem jam a S. R. C. die 21. Jan. 1602 adprobatum et concessum monachis Congregationis Cisterciensis fuerit, ac subinde ab eadem S. R. C. die 14. Feb. 1727 ad Romanum Ritum redactum atque annuente fel. rec. Bened. PP. XIII. praedecessore Nostro ad clerum civitatis et dioecesis Tirasonensis extensum, tenoris, qui sequitur:

Officium

S. Raymundi Abbatis

Regalis monasterii s. Mariae de Fitero et fundatoris ordinis de Calatrava.

Duplex.

Omnia de communi confessoris non Pontificis praeter ea, quae hic apponuntur:

In Hymno: *Iste Confessor,* dicatur: *Hac die laetus meruit supremos laudis honores.*

Oratio.

Deus, qui beato Raymundo Abbati praeliari praelia tua et fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dominum etc.

Lectiones I. Nocturni in quadragesima erunt:

Justus, si morte etc. de eodem communi; si vero transferatur post Pascha, erunt de scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Raymundus, Canonicus Ecclesiae Tirasonensis in regno Arragoniae, quo divina, procul a mundi strepitu, liberius contemplaretur, superno spiritu afflante, in solitudinem se recepit. Deinde cum Cisterciensium monachorum fama undequaque diffunderetur, illud amplexus est institutum ac longe lateque evulgata ejus vitae sanctimonia Abbas monasterii beatae Mariae de Fitero constitutus est. Postquam verbo et exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiosum exercitum fidelium collegit, Castrum de Furrungen et Calatravam a Mauris tuendam, de manu Sancti Castellae regis suscepit, ac peritia rei militaris mirabiliter pollens saracenos fugavit multasque urbes expugnavit. Novo et usque ad ea tempora inaudito exemplo Raymundus monachatui militiam conjunxit. Ordinem militarem de Calatrava nuncupatum et in tota Europa celeberimum ac a pluribus summis pontificibus approbatum instituit sub regula, legibus et visitatione Cisterciensium, ex quo alii ordines militares, de Alcantara, de Christo, de Avibus, de Montesia, de Monte Franco, de Monte Gaudio et de Fruxillo eidem religioni Cisterciensi subjecti prodierunt.

℟. Honestum fecit illum Dominus et custodivit eum ab inimicis et a seductoribus tutavit illum: et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei Et dedit etc.

Lectio V.

Haec fuere prima semina inclytae militiae, sub qua tot principes, tot duces, tot etiam aliae religiosae militiae profiterentur. Hujus novi ordinis milites quamdiu a praelio abstinebant, adamussim adservabant victum, vestitum, psalmodiam, contemplationem opus manuum, silentium vigiliasque ac denique mutuam quotidianorum defe-

ctuum proclamationem, ut nihil minus a monachis efficerent. Hinc praeceptum est communi assensu et deliberatione Capituli generalis Cisterciensis, ut illius ordinis milites essent filii monasterii Morimundi, utquė Abbas et domus eadem in eos jus illud filiationis haberet, quale in Morimundo noscitur habere Cistercium. Eidem militiae beatus Raymundus ultra ipsam Calatravae arcem et oppidum plura alia loca et castra acquisivit.

℟. Amavit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei et ornavit eum. Et ad portas paradisi etc.

Lectio VI.

Tandem vir sanctus utriusque militiae coelestis et terrenae supremus ductor post multas victorias partas de Saracenis, plures de daemone, post caputiatas galeas orbi inductas cunctis fidei inimicis formidabiles, post homines aptatos utriusque armis, qui, et ad sonitum buccinae leones et ad tympani ictum agni, illos in praelio, hos in claustris imitarentur, plenus dierum et virtutum anno salutis 1603 et 6 regiminis ordinis a se inchoati animam emisit, multis post mortem miraculis illustris. Sacrae ejus corporis exuviae Toletum translatae in monasterio montis Sion, auctoritate Pauli PP. secundi, literis datis die 14. mensis Martii anno 1468, super altaris aram ad epistolae cornu decenter collocatae fuerunt, additis a summo Pontifice indulgentiis iis qui eum locum devote visitaverint.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus et dixit ad eum: ingredere in requiem meam; quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi et pervenit ad coelestia regna. Quia te etc. Gloria patri etc. Quia te etc.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam cap. 3.

Lectio VII.

In illo tempore dicebat Joannes ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis in exhortatione ad milites templi.

Si percutere in gladio omnino fas non est christiano, cur ergo praeco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit et non potius omnem eis militiam interdixit? Sed securae dissipentur gentes, quae bella volunt, et abscindantur, qui nos conturbant. Exeratur gladius uterque fidelium in cervices inimicorum ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, quae est christianorum fides; re quando dicant gentes: ubi est Deus eorum? Porro imminente bello, intus fide, foris fero, non auro se muniant, quatenus armati et non ornati hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Deinde non turbulenti aut impetuosi et quasi ex levitate praecipites, sed consulte atque cum omni cautela et providentia se ipsos ordinantes et disponentes in aciem, juxta quod de patribus scriptum est: veri profecto Israelitae, procedunt ad bella pacifici.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est et de omni corde suo laudavit Dominum: ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo

et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat pro peccatis etc.

Lectio VIII.

At vero, ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent: nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? Irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant, nequaquam, etsi paucissimi, vel sacram barbariem vel numerosam multitudinem formidantes. Noverunt siquidem non de suis praesumere viribus, sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam, cui nimirum facile esse confidunt, juxta sententiam Machabei concludi multa in manu paucorum et non esse differentiam in conspectu Dei coeli, liberare in multis et in paucis, quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur et agnis mitiores et leonibus ferociores, ut paene dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos videlicet an milites, nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur nec monachi mansuetudo nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus et collegit a finibus terrae ministros ex fortissimis Israel, qui vere lectulum Salomonis vigilanter fideliterque custodiant omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.

℟. Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris; est vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes, etc. Gloria Patri etc. Et vos similes etc.

IX. Lectio

dicitur de homilia occurrenti et in laudibus commem. feriae.

Quod si contigerit hoc festum celebrari extra quadragesimam in die, in quo non occurrat festum simplex propriam lectionem habens, tunc dividatur octava lectio ab illis verbis:

Ita denique: quae cum sequentibus usque ad finem legentur pro nona lectione.

Missa dicitur: **Os justi** *de communi Abbatum praeter sequentia:*

Oratio.

Deus qui beato Raymundo Abbati praeliari praelia tua et fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dominum nostrum etc.

✝ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.*

In illo tempore dicebat Joannes ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae; jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Et interrogabant eum milites dicentes: Quid faciemus nos? et ait illis: neminem concutiatis neque calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris.

Caetera ut in dicto communi Abbatum.

Nos igitur Caroli regis adducti piis precibus, audito venerabili fratre Dominico Archiepiscopo Myrensi C. S. R. Secretario, ut quotannis in die 15. mensis Martii ab universo Clero saeculari et regulari utriusque sexus *cunctorum dominiorum eidem catholico regi subjectorum* supra descriptum Officium cum Missa recitari possit deinceps ritu duplici minore, auctoritate apostolica vigore praesentium benigne concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Dec. 1800.

(Bull. r. t. Contin. t. XI. p. 82.)

S. RAYMUNDUS NONNAT.

Ad dubium: Utrum Lectiones I. Noct. in festis s. Raymundi Nonnati et s. Stanislai Kostka sint de scriptura vel de communi?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„De scriptura occurrenti legendas esse."

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5180 ad 10.

Die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: An in Officio s. Raymundi Nonnati Conf. sub ritu dupl. min. persolvendo die 31. Aug. Lectiones I. Noct. esse omnino debeant de scriptura, quamvis vetera exemplaria habeant illas de communi, quarum initium: *Beatus vir?*

S. ipsa C. ... respondendum censuit:

„Legendas de scriptura."

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Martii 1851. n. 5157 ad 1.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4746.).

S. RAYMUNDUS DE PENNAFORT.

Lugdunen.

Sacerdos Petrus Favier alumnus societatis Mariae in civitate Lugdunen. S. R. C. sequens dubium proponit ejusque solutionem demisse efflagitat pro tranquillitate conscientiarum inter suae societatis alumnos, qui omnes Rom. Ritum sequuntur:

Quum Offic. s. Raymundi de Pennafort Conf. in proprio Kalendario fixe assignatum sit diei 28. Jan., quid agendum, dum, ob occurrentiam Septuag., festum SSmi Nom. Jesu reponendum sit ea ipsa die?

S. R. C. ... rescribendum censuit:

„Transferendum esse ulterius Officium s. Raymundi."

Atque ita scribere rata est et declarare. n. 5116 ad 1.

Die 11. Sept. 1847.

REBAPTIZANDI.

Vd.: *Baptism.* (Rebaptiz.)

RECITATIO OFFICII.

Vd.: *Officium* (recitatio); *Psallendi modus.*

RECONCILIATIO.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (reconcil.); *Reconciliatio Ecclesiae* (praecipue, decr. n. 4577 nota).

2) Coemeterii.

Vd.: *Benedictio rerum variarum; Reconciliatio Ecclesiae p. 10;* Profanatio.

3) Ecclesiae.

a) A quo facienda?

Vd.: *Dedicatio Eccles.* et *Benedictio Oratorii et Eccles.; Ecclesia polluta, Benedictio* (deleg., decr. n. 3407); *Pollutio;* Profanatio.

Ecclesiae *consecratae* et Coemeterii reconciliationem proprio Episcopo im-

pedito vel absente committendam esse alteri Episcopo. *Simplicem* vero benedictionem Ecclesiae vel Coemeterii *non consecrati* posse committi alicui Presbytero in dignitate ecclesiastica constituto. n. 371 die 9. Febr. 1608.

Quod si Ecclesia *non erit consecrata,* potest et debet lavari per Presbyterum aqua exorcizata, quae in dies benedicitur a Presbyteris; si autem Ecclesia *est consecrata,* non potest reconciliari nisi per Episcopum vel de commissione Papae aqua per Episcopum benedicta, quae fit cum cinere et vino per Episcopum tantum. n. 641 die 20. Junii 1626.

Ecclesia reconciliata etiam ab Episcopo non habente jurisdictionem in loco dicitur bene reconciliata. n. 1001 ad 3 die 19. Aug. 1634.

Provincialis Ordinis servorum cum *aqua a se ipso benedicta* reconciliavit Ecclesiam sui Ordinis ob sanguinis effusionem pollutam, ibique postea, ut prius, Officia recitata et Missae celebratae fuerunt.

S. C. resp.: Ecclesiam esse reconciliatam, sed in futurum abstinendos esse fratres in similibus. n. 1573 die 15. Dec. 1646.

Carpen.

Beatissimo Padre.

Il Canonico Bonaventura Bernardi Vicario Capitolare della Diocesi di Carpi nel Modenese, Oratore Umilissimo della Santità Vostra, con ogni venerazione rappresenta, qualmente essendo state di passaggio per quella Città le Truppe Austriache, han fatto la loro stazione in diverse Chiesi di quella Città, fra le quali tre consecrate. Vi hanno i Soldati dormito, vi hanno fatto fuoco, et in alcune hanno rotto gli Altari, e vi hanno in altre tenuto ancora dei cavalli, servendosene per ogni uso, come fa la Truppa.

Il Vicario pertanto Oratore ricorre ai piedi della Santità Vostra, acciò voglia degnarsi dargli le opportune istruzioni, e facoltà, onde poter benedire simili Chiese, e non ritardarsi a riaprirle per comodo dei Fedeli. Che etc.

Ex audientia Sanctissimi 3. Mart. 1821. SSmus Vicario Capitulari Oratori facultatem concedit, sive per se sive per alios Sacerdotes ab eo specialiter deputandos reconciliandi Ecclesias consecratas, de quibus in precibus, servato Ritu a Pontificali Romano praescripto adhibitaque aqua per Catholicum Episcopum benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario vel a Sacerdotibus per eum designandis reconciliari poterunt juxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero ad altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit enormis, mensa omnino renovanda et ab Episcopo consecranda erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno vel altero cornu. Reliqua autem altaria sacrato tantum lapide instructa, si lapis iste integer sit, violata minime censenda sunt, ac ubi primum reparationes, quibus indigeant, expletae fuerint, ad sacra mysteria peragenda apta erunt.

Caeterum Vicarius Orator in Ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat, eandemque privatc et absque populi concursu fieri curet." n. 4577 die 3. Mart. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ecclesiae semel consecratae, dummodo materialis fabrica ac praesertim parietes subsistant, etsi quocumque gravissimo crimine pollutae et violatae fuerint aut in profanum usum conversae, nova tamen consecratione non indigent. Interdictae utique sunt nec in iisdem sacra queunt celebrari mysteria, sed precibus et aspersionibus in Pontificalibus praescriptis debent

dumtaxat reconciliari. Eadem tenenda ratio quoad Oratoria minoresque Ecclesias, servata forma in Rituali Romano tradita, benedictas. Praeter Canonistas videri possunt collecta a *Baruffaldo ad Rituale Romanum tit. 73. et a Catalano in Commentariis cum ad idem Rituale tum ad Pontificale.* Quamquam vero reconciliatio Ecclesiae consecratae peragi nequeat nisi ab Episcopi loci Ordinario vel ab extraneo Episcopo de ejusdem mandato, nihilominus, urgentibus circumstantiis, Apostolica interveniente facultate, ab aliquo Sacerdote in ecclesiastica dignitate constituto fieri permittitur, eadem benedictione adhibita, qua utitur Episcopus, ut in Pontificali. (Vd. S. C. responsum *die 19. Maii 1607 in Placentina ad dub. 10.*)

Porro urgentes concurrebant causae in casu, de quo in precibus. Cum enim in civitate et dioecesi Carpensi plures essent Ecclesiae vel consecratae vel simpliciter benedictae, quae militaribus stationibus et excubiis profanatae ac violatae reconciliatione indigebant, et vacante Sede Episcopus non adesset, qui Pontificale praescriptum exequeretur, promptum praebere remedium opus erat ad exercitium Divini Cultus in iisdem restituendum; ideo SSmus D. N. benigne indulsit, ut reconciliatio peragi posset vel ab ipso Vicario Capitulari vel ab aliis Sacerdotibus, quos deputandi eidem potestatem fecit, addita conditione *adhibendi aquam ab aliquo Catholico Episcopo benedictam,* quae certe parari nequit a simplici Sacerdote, cum sacranda sit distinctis exorcismis et precibus a Pontificali praescriptis et commixtione nedum salis exorcizati verum etiam cineris et vini, juxta Text. cap. *Proposuisti, De consecrat. Ecclesiae et altaris.* Similis quasi casus habetur in *Argentina,* quamobrem Abbas Monasterii s. Mariae ad Schutteram petiit: *An ipse cum aqua benedicta ab aliquo Catholico Antistite supradictas Ecclesias benedicere et reconciliare per seipsum, quatenus indigeant, possit? Quatenus negative, supplicat pro facultate.*

Et S. C. *sub die 30. Mart. 1697* respondit: *Secretario cum SSmo pro facultate;* et S. S. *die 3. sequentis Aprilis facultatem benedicendi et reconciliandi supradictas Ecclesias, cum aqua tamen benedicta ab aliquo Episcopo Catholico et pro hac vice tantum benigne concessit.*

Non eadem servanda solemnitas est in reconciliandis Ecclesiis dumtaxat *benedictis;* et quoniam id non ad Ordinem (quemadmodum consecratio, ut declarat Gregorius IX. in cap. *Aqua, de consecrat. Ecclesiae et altaris*), sed ad jurisdictionem pertinet, ut potest Episcopus ad benedictionem explendam, simplicem Sacerdotem delegare, ita etiam et ad reconciliandam Ecclesiam violatam seu pollutam; ideo brevior minusque solemnis formula traditur in Rituali Romano et in aspersionibus non alia adhibenda aqua est quam lustralis. Clara haec sunt, neque in his explanandis immorandum ulterius est; sed quoniam, veluti exponebat Vicarius Capitularis, eo usque processerat militaris licentia, ut et altaria in aliquibus Ecclesiis fracta fuerint, hinc etiam huic malo erat occurrendum. Non enim siculi ad reconciliandam Ecclesiam, ita etiam ad altaria consecranda delegari congruit simplicem Sacerdotem, licet in potestate sit summi pastoris tale privilegium alicui concedere, quo sane fruuntur quorumdam insignium monasteriorum Abbates pro Ecclesiis sibi subjectis.

Nam etsi Episcopis nequeat accersiri ad hoc opus perficiendum, alii tamen non desunt modi, quibus suppleri potest defectus; praesertim vero

provisionali ac temporanea appositione Arae portatilis supra mensam execrati altaris. Ideo S. C. in dicta Placentina ad sequentia dubia: *An possit sacros lapides, nempe altaria portatilia a quocumque Catholico Antistite rite confecta, supradictis altaribus apponere, ut Sacrum ibidem licite peragi valeat? An in infrascriptis altaribus ... noviter constructis supradicta altaria portatilia apponere et deinde in eisdem licite Missa celebrari possit?* Respondit: *Affirmative ad formam Pontificalis Rom.*

Sed quia in supplici libello enunciatur tamen *in alcune hanno rotto gli altari,* quin constet de qualitate fracturae, ideo pro casuum diversitate sapienter in Rescripto est distinctione provisum. Non enim per quamlibet fracturam execratur altare fixum ex integra lapidea mensa inferiori structurae caemento unita, sed illa tantum, quae enormis est. Hic autem videtur sciscitandi locus: quaenam quantaque sit enormis lapidis fractura, ob quam execratur altare juxta text. *in cap.: Ad haec, et cap.: Quod in dubiis de consecrat. Ecclesiae vel altaris?* Id per nostrum rescriptum declaratur, ubi dicitur celebrari posse Missam in altari, *non obstante levi fractura in uno vel altero cornu.* Idem *Alexander III.*, qui in praefato cap.: *Quod in dubiis,* iterum consecrari jubet altare, cujus mensa semota fuerit vel enormiter fracta, per aliud rescriptum declarat, quid per dictionem *enormem* intelligat: nam consultus ab Archiepiscopo et Capitulo Bisuntino: num altare, cujus mensa *in sua extremitate modicam passa fuerat fracturam,* iterum consecrari deberet? respondendum duxit, quod *cum altaris tabula mota vel enormiter laesa non fuerit, ob casum praedictum nec Ecclesia nec altare debent denuo consecrari.* Ita in *cap.: Ligneis eod. tit.* Rescriptum igitur apprime convenit cum *Alexandri* responso, dum declarat, licere *super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno alterove cornu.* Erit autem enormis fractura, si tabula fuerit vel in duas vel in plures notabiles partes divisa, ac proinde continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat. Talis etiam erit vel res sit de altaribus fixis vel de Aris viatoriis, si divisa per fracturam aliqua sit ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerant adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum. Nam, etiamsi juxta obvium materialem sensum fractura enormis non sit, respective tamen enormis evadit, quia separatae sunt partes specialibus precibus, formulis, signis, actionibus consecratae. Atque ita intelligendum esse puto textum *in cap.: Ligneis:* quippe cum ageretur de modica fractura in extremitate tabulae fixae, jure credi poterat integram remansisse continuationem partium, quae cruce signatae fuerant cum aqua benedicta, sacrisque oleis linitae. Verbo dicam: Execrata erit tabula, si pars fracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis.

Quamvis vel agatur de altari fixo et stabili vel de altari portatili et viatoria, enormis fractura insuper erit, si parvus ille lapis confractus fuerit, qui sigillum continet et claudit repositorium reliquiarum, quod sepulcrum dicimus. Per verbum *sigillum,* quo utitur *Alexander III.* in praefato *cap.: Ad haec,* a s. Canonum interpretibus relatis *a Gonzalez ad idem caput* intelligitur *operimentum reliquiarum distinctum ab ipsomet lapide.* Verumtamen hoc in casu, velut etiam et in altero, in quo nedum fractus lapis sed etiam reliquiae fuerant amotae, peculiaribus concurrentibus circumstantiis aliquam indulgentiam adhiberi posse S. R. C. putavit. Cum enim Augustanus Antistes exposuisset,

haberi in dioecesi Augustae quamplurima milliaria altarium pollutorum sola violatione Sepulcrorum, ex quibus s. reliquiae extractae fuerunt etc. Quamobrem supplicavit *pro facultate illa reconciliandi sola repositione reliquiarum, iis tantum servatis caeremoniis, quae in Pontificali Romano praescribuntur.* Et S. C. respondit: *In hoc casu gratiam praedictam posse concedi, si SSmo placuerit.* Die 21. Apr. 1668 et *S. S. benigne annuit* die 1. seq. Maii, ubi notatum est, S. C. a regula non recessisse, sed in casu quamdam agnovisse necessitatem relaxandi et moderandi rigorem ejusdem regulae ob ingentem numerum altarium, quae abstractione reliquiarum fuerant violata et grave nimis fuisset onus impositum Episcopo, si demandasset S. C. tot altarium integram Consecrationem, quae tamen peragi oportebat, nisi Pontifex suprema sua auctoritate petitam facultatem indulsisset. Nihilominus injuncta fuit conditio ea adimplendi, quae praescripta sunt in Pontificali Romano, dum in Sepulcro reconduntur reliquiae et superimponitur lapis.

Ita etiam indultum fuit Card. Archiepiscopo Beneventano (qui postea ad Petri Cathedram evectus *Bened. XIII.* appellatus est) licet in casu omnino diverso. Nam cum ipse vellet quaedam altaria ex plaste constructa destruere eorumque ex marmore novam constructionem demandare, quaesivit declarari: *An integris cum sepulcris s. reliquiarum, intactis permanentibus mensis altarium praedictorum, posse procedi ad novam eorumdem consecrationem, omissis caeremoniis ad repositionem reliquiarum pertinentibus?* S. R. C. respondit sub die 26. Novb. 1696: *Detur Decretum in Augustana die 21. Apr. 1668 editum, dummodo non transeat in exemplum.* Quaeri hic posset: quinam fuerit sensus S. C. jubendi dari Decretum in Augustana?

Multis non est opus, ut id intelligamus. Siculi namque in *Augustana* integra altaria erant nec amotae tabulae fuerant a suis stipitibus, quae tamen violatae remanserant, subtractis e repositorio reliquiis, mandaverat, ut, aliis omissis, eae servarentur caeremoniae, quae ex Pontificali Romano adhibendae sunt, dum Episcopus in medio tabulae reliquias ponit et, superimposito lapide, Sepulcrum claudit: ita et in *Beneventana*, cum violatio consisteret in remotione integrae lapideae mensae, intacto permanente reliquiarum Sepulrco, satis visum est S. C. indulgere, ut repositis iisdem lapideis tabulis, super nova inferiori structura, id ab Episcopo praestandum dumtaxat foret, quod lapideam tabulam cum inferiori stipite quodammodo jungit atque connectit, ope unctionum in angulis inter mensam subjectumque stipitem, servata forma Pontificalis. Neque in hoc etiam casu congrua deerat indulgentiae ratio, cum non una tantum vel altera, sed *quatuordecim lapideae tabulae* alias consecratae, integris adhuc et intactis reliquiarum Sepulcris, collocandae essent super noviter extructis marmoreis stipitibus. Nihilominus additum consulto fuit: *Dummodo non transeat in exemplum:* ne per indulgentiam et dispensationem, in hoc singulari casu adhibitam, quis crederet infirmari regulam traditam *in cap.: Quod in dubiis*, qua declaratur, execrari altare fixum semel ac lapidea mensa ab inferiori stipite semota fuerit, etiamsi nihil omnino de sua integritate perdiderit. Haec breviter adnotanda duxi ad majorem tum praesentis rescripti tum aliorum Decretorum, quae circa eamdem rem versantur, elucidationem.

Clemens PP. III. Episcopo Saguntino.

Ecclesiis, quae sanguinis vel seminis sunt effusione pollutae, civitatis clericis

convocatis cum processione et aquae benedictae aspersione, prout in ordinario habetur adscriptum, poteris emundare.

Anno 1190.

(Bull. r. t. III. p. 76. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Reconciliatio Ecclesiae pollutae, si prius fuerat *consecrata*, non potest fieri ab alio quam ab Episcopo Dioecesano vel ex ejusdem assensu aut commissione ab alio Episcopo; non autem potest Episcopus Dioecesanus ad hoc delegare simplicem Sacerdotem, textu expresso in cap.: *Aqua* 9. de consec. Eccles., ibi: „Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cetero probibentes; non obstante consuetudine Provinciae Bracharensis (quae dicenda est potius corruptela) quia licet Episcopus committere valeat, quae jurisdictionis existunt, quae ordinis episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.“ Et quod Ecclesiae consecratae et Coemeterii reconciliatio non possit fieri nisi per Episcopum Dioecesanum vel per alium Episcopum de consensu ipsius et non per simplicem Sacerdotem, decrevit pluries S. R. C. et signanter in Placentina 19. Maii 1607, in Cameracensi 19. Febr. 1608 et in Aretin. 9. Apr. 1633. Ex privilegio seu commissione *Summi Pontificis* reconciliatio Ecclesiae pollutae potest fieri etiam a simplici Sacerdote. Est communis et habetur ex S. C. R., quae in Placentina 19. Maii 1607 decrevit, non posse simplicem Sacerdotem reconciliare Ecclesiam consecratam pollutam sine licentia Sedis Apostolicae. Et de facto ex privilegio a Leone Decimo concesso Generalibus, Provincialibus, Custodibus et Guardianis Fratrum minorum possunt ipsi aliique Praelati Regulares Ecclesias sibi subjectas quomodocumque violatas, etiam prius consecratas, reconciliare, aqua per ipsos benedicta, si Episcopus, qui illam benedicat, distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. Tale privilegium habetur in compendio privilegiorum Fratrum minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium ab *Alphonso de Casarub.* secundo edit. sub. verb.: *Benedicere* §. 4. et refert *Sayr.* de censur. lib. 5. cap. 16. n. 31. Immo *Rodriquez* tom. 1. qq. Regul. quaest. 19. art. 6., quem sequuntur *Barbosa* et alii, vult posse Regulares uti dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta, non solum quando Sedes ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suae absentiae vel abest per mortem, renunciationem, depositionem, exilium etc. Quaelibet dieta continet 20 milliaria Italica, juxta glossam in cap.: *Nonnulli* 28. de scriptis, verb.: *ultra duas dietas;* arg. l. 3. ff. de verbor. Significat., quam glossam sequitur *Barbos.* cum pluribus aliis ibi a se adductis.

Si Ecclesia polluta *non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta,* reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquae lustralis aspersionem cap.: Si Ecclesia 10. de consecrat. Eccles., ibi: *Si Ecclesia non consecrata cujuscumque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur*, et sic glossa communiter recepta ibi verb.: *Lavetur.* Neque requiritur, quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta: debet enim statim etiam irrequisito Episcopo a Rectore Ecclesiae vel alio Sacerdote aqua lustrali lavari seu reconciliari, ut praescribit cit: textus: *Aqua protinus exorcizata lavetur;* quod non posset *protinus* fieri,

si Episcopi licentia, benedictio aut auctoritas esset expectanda et exorcismus aquae per Episcopum esset faciendus, nec haberetur justus finis intentus a Canone: *Ne Divinae laudis organa suspendantur*, ut in cit. cap.: *Si Ecclesia*, recte advertunt Doctores. Aliter loquitur citatus Maraviglia leg. 384. Prud. Episcop.; juxta ipsum enim poterit etiam Ecclesia consecrata polluta ex permissione Episcopi aut illius Vicarii ablui aqua benedicta per simplicem Sacerdotem adhibitis ordinariis benedictionum precibus et postea poterunt intra eam divina Officia celebrari, sicuti prius, donec per Episcopum consecretur. Contra vero si Ecclesia tantum benedicta et non consecrata polluatur, sufficiat ordinaria quidem reconciliatio per simplicem Sacerdotem, sed ex mandato Episcopi, *ex c. fin. de consec. Eccles. juncta gloss.*

Coemeterium consecratur et reconciliatur eisdem modis et ab eisdem, a quibus consecratur et reconciliatur ipsa Ecclesia; arg. cap.: *Consuluisti 7. de Ecclesiae consecrat. etc.* S. Ecclesiam unic. eod. tit. in 6.

b) Ecclesiae a militibus profanatae.

Vd.: Decr. *Carpen. t. III. p. 6.*

Tolentin.

Quum Sacerdos Petrus Bonelli Canonicus Poenitentiarius Cath. Tolent. S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: Num Eccl. consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Rom. praescripta? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, respondendum censuit: „Ad cautelam esse reconciliandam."

N. 5077 die 27. Febr. 1847.

RECTOR

1) Chori.

Cf.: *Cantor; Directio chori; Hebdomadar.; Punctator; Psallendi modus.*

Neque Episcopum neque ejus Vicarium posse eligere alium in rectorem chori sub praetextu, quod chorus non recte gubernetur, absque expressa licentia Sedis Apostolicae. n. 761 die 7. Aug. 1628.

Directionem chori spectare ad primam Dignitatem neque alium in ea posse se ingerere, etiam quod chorus non recte gubernetur, sine speciali licentia Sedis Apostolicae. n. 776 die 20. Nov. 1628.

Directio chori in defectum cantoris ad digniorem chori spectare et pertinere, non autem ad Vicarium generalem. n. 1635 die 2. Mart. 1652.

Directionem chori, nisi cantoris Dignitas vel similis, cui hujusmodi praerogativa et munus incumbat, in ipsa Cathedrali existat, ad Archidiaconum primam Dignitatem pertinere. n. 1749 die 19. Dec. 1654.

Ad dubium Capituli Cusentini: an directio chori spectet Vicario vel primae Dignitati? S. C. resp.: *Servari consuetudinem.* n. 2237 ad 1 die 4. Aug. 1663.

In Cathedrali Reatis absente Dignitate in festis solemnibus intonare Officium spectare ad hebdomadarium. n. 2942 die 1. Mart. 1681.

Pertinet ad Praefectum chori corrigere defectus, qui committuntur in choro et prohibere, ne ibi deferantur chirotecae, legantur libri, Epistolae etc. n. 4358 ad 7 die 7. Dec. 1771.

2) Ecclesiae.

Cf.: *Sessio; Ecclesia filialis; Aspersorii porrectio Episcopo in Eccles. Colleg. et parochialib. etc.; Canonici Cath.* (Assist. Episcopo extra Cathedr.); *Missa* (licentia); *Paroch.*

(celebrans ... decr. de die 26. Apr. 1634; 31. Mart. 1703); *Residentia* (Sacerd. alior., decr. 5. Nov. 1620); *Orator. publ.*

Accedente Archiepiscopo ad aliquam parochialem suae dioecesis cum Canonicis suae Cathedr. digniorem locum deberi Canonicis Cathedr. immediate post Archiepiscopum, rectorem vero sedere debere post Canonicos vel e regione Sedis Archiepiscopalis in scamno, prout sedent Dignitates et Canonici. n. 948 ad 3 et 4 die 14. Febr. 1632.

Ad rectorem Ecclesiae simplicis intra fines alicujus parochiae existentis spectare functiones solemnes. n. 1275 die 6. Oct. 1640.

SS. REDEMPTOR.

1) Obligatio ad Off.

De Congregatione „SS. Redemptoris“ et de ejusdem Officio, vd.: *Calendar. Congregat. ss. Redempt.; Color Parament. in festo ss. Redempt. De Ordinandis Congreg. ss. Redempt.*, vd.: *Ordinatio* (Titulus).

Ad dubium: 1. an, qui ex apost. Indulto Officium recitant ss. Redempt. dominica 3. Julii sub ritu dupl. 2 cl. cum octava, teneantur illud iterum recitare die 23. Octobris?

2. An illud Officium ommittere debeant die 23. Oct., quum recitaverint dom. 3. Julii?

3. Utrum debeant illud ommittere eadem dom. 3. Julii et recitare die 23. Oct., quo ritu et an cum octava?

S. C. resp.: Officium ss. Redempt. fiat tantum decimo Calend. Novbr. ad formam nuperrimi decreti die 8. Maii currentis anni servato ritu et forma juxta priores particulares concessiones. n. 4663 die 17. Julii 1830.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Episcopus s. Crucis della Sierra in Indiis, quod ipse ad magis promovendam utriusque Cleri suae civitatis et dioecesis praedictae devotionem, quae jam viget erga ss. Redemptorem, Officium proprium et Missa ejusdem ss. Redemptoris jam favore civitatis Venetiarum adprobata pro die 20. Julii ad dictum clerum per Nos extendi summopere cupit, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictum exponentem Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum uterque Clerus dictae civitatis et dioeces. s. Crucis della Sierra in Indiis Officium proprium et Missam ss. Redemptoris jam pro civitate Venetiarum, ut praefertur, adprobat. pro die 20. Julii, ritu duplici secundae classis absque octava (demptis tamen a sexta lectione secundi nocturni sequentibus verbis: *Hanc igitur immensae largitatis etc.* usque ad finem) recitare et celebrare libere et licite possit ac valeat, licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 27. Mart. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 9. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Quum Venerabilis Frater Episcopus Pacensis, sicut exponi ipse Nobis nuper fecit, vehementer laboret, quo sibi crediti fideles majori in dies pietate colant unum mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, suasque spes omnes in eo collocent atque in ejus sanguine multo melius clamante quam Abel, Nobis propterea supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut

infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, quibus hoc studium ejus quam maxime probatur, ipsum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine humiliter porrectis inclinati, ut posthac ab universo Clero saeculari necnon a religiosis et monialibus utentibus calendario dioecesano civitatis et dioecesis Pacensis recitari possit quotannis in dominica 3. Julii ritu duplici 2. classis sine octava Officium cum Missa SSmi Redemptoris jam adprobat. pro civitate Venetiarum demptis tamen a sexta lectione verbis illis: *Hanc igitur immensae largitatis etc.* usque ad finem; atque etiam in una ex feriis sextis quadragesimae vel mensis Martii semel in perpetuum ab eodem Episcopo destinanda ritu duplici maj. Officium cum Missa itidem adprobatum pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi; dummodo in eadem feria sexta non occurrat Officium ritus duplicis, quo casu transferatur Officium pretiosissimi Sanguinis ad primum diem non impeditum juxta rubricas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 11. Septbr. 1795.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 566.)

2) Translatio.

De transl. Officii SS. Redemptoris, quando occurrit cum festo Patroni Dioecesis, vd.: *Patronus Dioecesis* (oblig. ad Offic., decr. n. 4842).

Ad dubium: Domin. 2. post Pascha fit Officium SS. Redemptoris et dom. 3. Patrocinii s. Joseph. Si in has dominicas incideret fest. s. Marci Evang., ss. Ap. Philippi et Jacobi vel Invent. ss. Crucis, quae sunt aequalis ritus, de quonam agendum? Et Officia dominicis affixa possuntne transferri?

S. C. resp.: Agendum de Officio occurrenti et Officia SS. Redemptoris et Patrocinii s. Joseph transferantur, quatenus in Indulto sit facta facultas. n. 4859 ad 12 die 3. Aug. 1839.

REDUCTIO

1) Festorum.

Vd.: *Festum* (abrogatio); *Vacatio ab operibus.*

Literae apostolicae in forma Brevis super observantia et reductione festorum pro utriusque Siciliae regno.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis Filiis Ordinariis et Capitulis Ecclesiarum vacantium regni utriusque Siciliae.

Pius PP. VII.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii salutem et apost. benedictionem.

Paternae charitati, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut dum spirituali populorum utilitati prospicimus, temporalibus eorum necessitatibus opportune ac salubriter pro temporum ac locorum ratione providere non recusemus. His igitur de causis propenso excepimus animo preces carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi regni utriusque Siciliae regis illustris, qui cum a dierum festorum, summa licet sapientia et magna cum animarum utilitate jam in Ecclesia institutorum, in suis citra et trans Pharum ditionibus numero sensim tractu temporis adaucto, non levia incommoda quoad subditorum suorum temporalia negotia, praesentium temporum inopia, prodire videat, eis pro suo in subjectos sibi populos studio consulere cupiens, a Nobis flagitavit, ut eosdem a nonnullorm festorum dierum praecepto solutos omnino esse,

iisque diebus laboriosis exercitationibus servilibusque operibus vacare posse, apostolica auctoritate Nostra indulgeamus. Itaque ejusdem regis votis, quantum in Domino possumus, obsequi ac populorum necessitatibus et conscientiae consulere volentes, Vobis, venerabiles Fratres ac dilecti Filii, comittimus et mandamus, ut in praefatis ditionibus, unusquisque in sua dioecesi, novam hanc de festis diebus ac de vigiliis observandis legem, in quam maturo consilio ac perpensis omnibus descendimus, auctoritate Nostra apostolica enunciet ac edicat. Retineantur nempe praeter universos dies dominicos per annum festa sequentia, videlicet: Circumcisionis D. N. J. Chr., Epiphaniae Domini, Purificationis B. V. M., Annunciationis ejusdem B. V. M., s. Joseph Patriarchae, Ascensionis Dom. in coelum, solemnitas Corporis Dom., festum s. Joannis Bapt., s. Apostol. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. in coelum, Nativitatis ejusdem B. V., Omnium Sanctorum, Conceptionis B. M. V., Nativitatis D. N. J. Chr. Pro Urbe vero Neapolis tantum retineantur festa s. Januarii *) et Antonii de Padua, ac pro Urbe Panormi festum s. Rosaliae Virginis. Festa autem Patronorum principalium singularum civitatum, oppidorum et locorum, quibus adjunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus, transferantur cum respectiva Officiorum et Missarum celebratione ad proximum diem dominicum, eoque impedito ad diem dominicum proxime sequentem. In praedictis igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae catholico instituto Christifideles Sacris adesse et a servilibus operibus abstinere omnino debebunt.

*) Vd.: *Patronus princip.* (transl., decr. n. 4453 ad 12).

Lex autem *jejunii* in ditionibus citra et trans Pharum praeter Quadragesimam et quatuor anni tempora observabitur in vigiliis Pentecostes, s. Joannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. V. M., festi Omnium Sanctorum, Nativitatis D. N. J. Chr., et in universa parte regni trans Pharum in vigilia Conceptionis B. M. V. In reliquis vero festis supra non recensitis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus et indulgemus, sed insuper eosdem Christifideles ab obligatione audiendi Missam in praedictis festis et in diebus praecedentibus seu vigiliis jejunandi (dummodo aliunde vel ratione Quadragesimae vel ratione quatuor temporum jejunium non praecipiatur), de apostolicae benignitatis dispensatione absolvimus et liberamus.

Sed quoniam, dum populorum conscientiae consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, Sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum ac solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari mandamus *). Sacrum vero *jejunium*, quod in praedictis vigiliis et aliis pariter per praesentem abrogatis habebatur, ***in singulas ferias VI. et Sabbata sacri Adventus transferendum*** ibidemque

*) Canonicis Cathedr. Bituntinae resp. S. C. ad dubium de his verbis: Dispositionem praefatam Brevis apostol. intelligendam esse etiam de chori servitio, ordine et directione ac propterea nihil innovandum esse expresse mandavit, sed tam quoad interessentiam quam quoad caeremonias et solemnitatem eumdem servandum ordinem in posterum, qui hucusque servari consuevit. n. 4556 die 18. Octbr. 1818. (Vd. infra decr. n. 4555 ad 1 et 2.)

quotannis servandum edicimus et constituimus.

Ut autem non solum Clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis Sacrosancto Missae Sacrificio ac divinis Officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus Ecclesias diebus tantum festis adeunt, ss. Apostolorum ac Martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent ac venerentur, volumus ac praecipimus, *ut die 29. Junii ultra praecipuam s. Petri et Pauli solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum et Martyrum memoria celebretur.* Quare die 29. Junii in Calendariis ecclesiast. ita festum inscribendum erit: „ss. Petri et Pauli et Commemoratio omnium ss. Apostolorum ac Martyrum“. ac tam in Officio quam in Missa addentur Commemorationes de Communi Apostolorum et de Cummuni plurimorum Martyrum.

Haec Nos, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, non minus spiritualem quam temporalem populorum istorum utilitatem intuentes sancienda esse judicavimus. Plurimum vero in solicitudine ac pastorali vigilantia vestra confidimus, vos sedulitate studioque vestro effecturos, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo major sit in populorum animis pietatis fervor ac devotio. Proinde vehementer cupimus et in Domino Vos hortamur, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, ut populos spirituali curae vestrae commissos diligenter edocendos curetis, quae ad justam legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore quaque spiritus humilitate adstare SSmo altaris Sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis Officiis, s. Concionibus et Christianae Doctrinae Institutionibus interesse debeant, et diligentissimam detis operam, ne per eos dies Christifidelium corda crapula et ebrietate et saecularibus cogitationibus graventur. Quae omnia a pastorali solicitudine Vestra Nobis maxime pollicentes in Pontificiae charitatis pignus apostolicam benedictionem Vobis, venerabiles Fratres ac dilecti Filii, vestraeque fidei commissis populis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1818. Pontificatus Nostri anno decimonono.

H. Card. Consalvus.

n. 4551.

Alterum Breve super eadem re.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis Filiis caeteris Ordinariis regni utriusque Siciliae.

Pius PP. VII.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii salutem et apost. benedictionem.

Per apostolicas in forma Brevis literas, quas dedimus hoc ipso anno die 10. Aprilis, precibus annuentes carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi regni utriusque Siciliae regis illustris et Pontificiae auctoritatis benignitate indulsimus quorumdam dierum festorum imminutionem, ut populi sub illius regimine degentes libere possint per eos dies servilibus operibus vacare, ad temporum, in quibus versamur. inopiam aliquo pacto sublevandam. Cum vero iis Nostris literis cautum fuisset, ut festa etiam Patronorum principalium *) singularum civitatum, oppidorum et locorum transferri debeant cum utroque praecepto in proximum diem dominicum, eoque impedito in diem dominicum proxime

*) Vd.: *Patronus* (translatio).

sequentem, postulationes complures ad Nos sunt perlatae, ut festa illa statis, ut in praeterito tempore, diebus celebrari possint, quin memoratae translationi locus fiat. Quae quidem preces nedum vota populorum ostendunt, qui eos ipsos dies majori caeremonia ac religione colere cupiunt, quos majorum pietas vel a priscis temporibus ob ingentia in se collata beneficia coelitibus statoribus sospitibusque suis dedicarat, verum ad eas etiam difficultates praecidendas conferre dignoscuntur, quae ex memorata translatione oriri possint, praesertim si festa illa vel Quadragesimae vel Adventus tempore aut anno exeunte occurrant. Quare hisce supplicationibus inclinati indulgemus, ut utriusque Siciliae Antistites, re prius cum suis Capitulis mature perpensa collatisque cum iisdem consiliis, rite ac recte possint festa Patronorum principalium cum utroque praecepto ad praefinitos dies, ut antea, per suarum dioecesium loca retinere, quoties ita in Domino magis expedire censuerint, inspectis populorum locorumque peculiaribus circumstantiis, ne praecipua, quae ad indultum reductionis et translationis dierum festorum Nos impulit causa, sublevandae nimirum inopiae, suo quandoque frustretur effectu, ea tamen lege, ut, quando res sit de Patronis dioecesium, praeceptum non protendatur ultra civitatem principalem vel ultra ea loca, quae, cum peculiari Patrono careant, festum Patroni dioecesis ex Rubricarum praescripto pari solemnitate celebrare tenentur *). Quod vero ad dioeceses, loca, quae indulto translationis utentur, si forte dubia quaestionesque oriantur (quemadmodum jam ex delatis ad Nos precibus orta esse comperimus), de octavis praesertim aliisque Officiis concurrentibus, eadem a C. S. R. diligenti subjicientur examini, ut, pro casuum diversitate, apostolica auctoritate Nostra opportune consulatur.

Non obstantibus memoratis in forma Brevis literis diei 10. Aprilis, quibus ad praemissorum dumtaxat effectum, illis alias in suo robore permansuris derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 15. Octbr. 1818. Pontificatus Nostri anno decimonono.

H. Card. Consalvus.

n. 4552.

Essendosi coll' ultima Costitutione dei 10. Aprile corrente anno ordinato, che le festi dei Santi Protettori principali de' Luoghi, alle quali era annesso l' obbligo di astenersi dalle opere servili, si trasferiscano con la respettiva celebrazione degli Ufficii e delle Messe al prossimo giorno di domenica, si domanda, se detta traslazione di Officio e Messa si debba intendere: *quoad solemnitatem tantum*, ovvero *ad literam*, cioè, si i Santi Patroni fissati nei giorni proprii nel Calendario, debbano fissarsi nei giorni di domenica. Questo importerebbe la riforma del Calendario. Potrebbero restare gli Officii e Messa nel giorno proprio, e poi nella domenica celebrarsi la Messa votiva, coi Vesperi, e il rimanente della Solennità Si chiede sudi ciò uno schiarimento.

Et S. R. C. declaravit: „Brevis dispositionem accipiendam esse ad literam, videlicet de perpetua translatione festi principalis Patroni, tam quoad Officium et Missam quam quoad extrinsecam solemnitatem, ad dominicam infra octavam, quae habenda erit

*) Vd.: *Patronus princip.* (translat., decr. n. 4553 ad 12).

ut dies propria, cum omnibus privilegiis et praerogativis, quibus gaudent festa Patronorum principalium."

Et ita etc. N. 4555 ad 1 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Tam clara est dispositio primi Brevis, ut dubitandi locum non relinquat. En verba indulti: ***Festa autem Patronorum principalium transferantur cum respectivis Officiorum et Missarum celebratione ad proximum diem dominicum.*** Lex igitur non solam extrinsecam solemnitatem transferendam esse jubet, verum etiam, quaeque ad ecclesiasticum ritum pertinent, peragi mandat. Clarius dicam, vigore indulti festum Patroni principalis celebrandum est in die dominico tamquam in propria sede tam quoad chorum quam quoad forum.

Quae igitur ratio excitandi dubium? Quodsi vota populi requirant, ne festum principalis Patroni amoveatur a sua sede, ac postulent, ut solemniter celebretur ut antea in die propria, poterit Ordinarius uti facultate ei concessa ***in posteriori Brevi diei 15. Oct. labentis anni,*** servatis tamen conditionibus in illo praescriptis. Quae vero in Calendario contingere poterit singulis annis variatio, non est causa sufficiens declinandi a dispositione ***primi Brevis.*** Eoque magis, quia variatio hujusmodi tanta non est, quae magnam inferat vel perturbationem vel confusionem in Calendario. Nonne multo plures variationes sunt, quae singulis annis fieri debent ob diversum occursum festorum mobilium? —

„Li Canonici di queste Collegiate erano obligati a convenire tuti nei Vesperi e Messe cantate, anche nelle feste di un sol precetto, come degli Apostoli etc. Essendosi ora dette feste coll' ultima concessione soppresse nel regno di Napoli; si domanda, se siano esonerati dal detto obbligo; tanto più, che il canto è stato istituito per il populo, il quale non convenendo in dette feste, perchè soppresse, pare che, soppresse le feste, sia stato soppresso anche il canto.

Et S. R. C. declaravit: „Quoad chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas nihil omnino innovandum, relate ad festa, in quibus populus solutus est a praecepto audiendi Sacrum, et cantus institutus est ad Deum honorandum, non ad populum alliciendum; quoad vero festa Patronorum, perpetuo ad diem dominicum translata cum Missa et Officio, translata etiam censetur solemnitas chori."

Et ita etc. N. 4555 ad 2 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Nec item video, cur hoc dubium excitetur. Clara est primi Brevis dispositio: *Sanctorum et solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri sicut prius et in quacumque Ecclesia celebrari mandamus.* Et jure quidem; nam potissima ratio, qua SSmus Dom. N. reductionem festorum pro utriusque Siciliae regno clementer indulsit, ea fuit, ut populorum conscientiae consuleret, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae provideret, quae ratio non valet quoad Ecclesiarum onera et chori servitium, nec indultum datum est ad Clericorum commodum. Silentio potius tegenda est, quam excutienda futilis illa ratio, quod cantus intercipiendus sit, quia populus, festis sublatis, in Ecclesiam frequens non convenit. Numquid enim cantus in sacris peragendis Officiis inductus est pro adventante populo, et non potius ad honorandum Deum hymnis et canticis?

Sublata equidem sunt festa ad succurrendum populorum ac eorum praesertim, qui ex industria vivunt, egestati et necessitatibus; sed non ideo cessare debent Sacerdotes, Levitae et Clerici, qui ad chorale onus tenentur vel Ecclesiarum servitio sunt addicti, a ecclesiast. Officiis, quae cum cantu aut ex instituto aut ex consuetudine aut ratione festi, quod celebratur, aut ex alia quacumque causa peragi solent.

Feretrana.

Rme D. uti Frater.

Preces amplitudinis Tuae, quibus referebas oppida et loca istius dioecesis ex parte posita intra limites reipublicae olim Cisalpinae ex parte intra limites reipublicae Romanae, pro quibus ad preces respectivi gubernii varia ab hac s. apostolica Sede indulta fuerunt quoad festorum reductionem et jejuniorum observantiam, nunc autem quoniam differentia istiusmodi intra eamdem dioecesim multis incommodis locum praebet, proptereaque ut opportune provideretur summopere expetebas, adeo ut vel una pars alteri cederet quoad eamdem observantiam juxta placitum ejusdem s. Sedis ad uniformitatem obtinendam, licet Summo Pontifici directae fuissent, ad rem facilius et plenius maturo cum examine assequendam a subscripto Secretario in S. R. C. Ordinaria relatae fuerunt.

Et S. eadem C. ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, omnibus mature examinatis accurateque libratis, amplitudini Tuae scribendum edixit: ad mentem; mens autem est, ut, quoniam de perspecta Tua fide et integritate plurimum in Domino confidit, examinatis pariter omnibus, pro Tuo arbitrio et prudentia adeo res componas, ut unum vel alterum modum ex concessis a sede apostolica quoad festorum et jejuniorum observantiam praecipias in universa hac dioecesi Feretrana servandum, quo facilius in Domino judicaveris assequuturum eamdem observantiam et uniformitatem.

Et diu felix et incolumis vivas.

Amplitudinis Tuae, Romae 8. Aug. 1835. N. 4759.

Feretrana.

L' attual Vescovo di Monte Feltri con benigno Rescritto della S. Congreg. de' Riti del giorno 8. prossimo passato Agosto venne autorizzato a togliere la differenza delle feste e vigilie, che ha luogo in quella dioecesi nata dalla diversità de' Dominii, cui la medesima era soggetta, allorchè dalla santa sede fu concessa la riduzione, rimettendo all' arbitrio del Vescovo Oratore l' adottare l' uno o l' altro metodo. Come più gradito alla popolazione avrebbe desiderato uniformarsi all' uso della porzione soggetta allora alla repubblica Romana. Incontrò però due difficoltà; per la prima, resterebbero cosi soppresse quattro feste di precetto, cioè la seconda di Pasqua, di Pentecoste, di Natale e l' ultimo dell' anno, cosa che dispiace a chi le osserva: per la seconda le vigilie dell' Avvento rimarrebbero dispensate dalla stretta osservanza, mentre nella sudetta porzione di dioecesi si gode l' indulto di poter far uso delle Uova e Latticini, quando nell' ultra parte sono vigilie totalmente chiuse. Rendendole tali per tutta la dioecesi, riuscirebbe disgustoso agli altri. A contentare ognuno bramerebbe essere abilitato ad uniformarsi pienamente all' uso vigente, ove comandava la repubblica Romana in quanto alle vigilie e cosi a ripristinare ancora quella di San Giovanni Battista, che ora non è di precetto in ogni luogo, et di lasciare, ove sono in vigore le

nominate quattro feste, col permesso anche di estenderle a tutta la dioecesi, che n'è già contenta. In tali maniera è totta ogni differenza, con reciproca soddisfazione, e perciò il Vescovo Oratore si dirigge all' Eminenza Loro Reverendissime, onde impetrarne l' opportuna autorizzazione. Che ec.

S. R. C. rescribendum censuit: De speciali gratia juxta preces. N. 4773 die 12, Martii 1836.

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Hildesiensi et Osnaburg. Administratori.

Allatae Nobis tuae sunt preces, ex quibus accepimus, uno eodemque festorum ordine istis dioecesibus Hildesiensi et Osnaburgiensi praescripto cum facultate quibusdam anni festis diebus opera servilia exercendi per apostolicas fel. rec. Pii VIII. praedecessoris Nostri literas annulo piscatoris obsignatas ac die 13. Aug. superioris anni editas, populi utriusque dioecesis commodum nondum satis consultum videri. Catholicorum enim Hannoveriani regni, qui agricultura fere omnino victitant, maxime interest ea transferri festa, quae tempore messis occurrunt, scilicet ista in regione mensibus Augusti ac Septembris. Et quoniam eo diplomate caetera B. M. V. per annum festa, excepta Assumptione, in dominicas vel proxime superiores vel insequentes translata sunt, ita et illud, quod in id temporis incidit, transferri oporteret. Praeterea quum rec. mem. Leo XII. pariter praedecessor Noster dioecesi Coloniensi similibus apostolicis literis datis die 2. Decembris anni 1828 indulserit, ut festa Nativitatis et Assumptionis B. M. V. in dominicas proximas transferrentur, itemque facultatem tribuerit, qua pauperes illius dioecesis singulis per annum festis, sacro audito, servilibus operibus possint vacare, exceptis tamen dominicis ac Nativitatis et Ascensionis Domini omniumque Sanctorum celebritatibus, ita tuis esset in votis eamdem omnino rationem a dioecesibus tuae curae commissis esse servandam praeter Purificationis, Annunciationis et Conceptionis B. M. V. festos dies, qui ex universo Ecclesiae more et instituto celebrabuntur. Id autem opportunum fieri existimas propterea, quod dioeceses Hannoveriani regni et Coloniensis vicinitatis nexu variisque negotiis arctissime inter se conjunguntur. Atque ut clare aperteque hujusmodi in re omnia se habeant, festorum ordinem, prout sequitur, Nobis exhibendum curasti.

I.

Dies, quibus occurrunt celebranda

1. Festum Circumcisionis.
2. Epiphaniae.
3. Festum Purificationis B. M. V.
4. Festum Annunciationis B. M. V.
5. Festum Paschatis.
6. Fer. 2. Paschatis.
7. Festum Ascensionis.
8. Festum Pentecostes.
9. Fer. 2. Pentecostes.
10. Solemnitas Corporis Christi.
11. Festum ss. Ap. Petri et Pauli.
12. Festum Omnium Sanctorum.
13. Festum Conceptionis B. M. V.
14. Festum Nativit. D. N. J. Chr.
15. Festum s. Stephani protom.

II.

Transferenda.

1. Festum Nativit. s. Joannis Bapt.
2. Festum Assumptionis B. M. V.
3. Festum Nativit. B. M. V.
4. Festum Dedicationis s. Michaelis Archangeli.
5. Festa ss. Patronorum Ecclesiarum, quibus in locis hucusque celebrata sunt.

6. Celebritatem pro incremento frugum in fer. 2. Pentecostes.

III.

Pro foro omnino abrogandum

Festum s. Martini Episcopi per provincias dioecesis Hildesiensis archidioecesi Moguntinae antehac subjectas hucusque solum celebratum.

IV.

Opera servilia pauperibus, qui diurno labore victum sibi comparant, sacro audito et divinis ante meridianis absolutis, festivis diebus omnibus permittenda, exceptis tamen:

1. Festo Nativitatis D. N. J. Chr.
2. Ascensionis.
3. Omnium Sanctorum, et denique
4. Diebus dominicis per annum.

Nos igitur, qui divinum cultum pro viribus promovere et augere debemus, iis omnibus, quae exposita sunt, mature perpensis, Hildesiensis et Osnaburgensis catholici gregis modo prospicere volentes, precibus votisque tuis benigne annuentes, auctoritate Nostra apostolica indulgemus, ut festum B. M. V. in coelum erectae, etsi vel maxime optaremus, ut die, quo ab universa Catholica Ecclesia agitur, celebraretur, tamen ad praecedentem vel ad subsequentem diem dominicum possit transferri, translata etiam vigilia cum jejunio ad sabbatum immediate praecedens, et publicata quotannis populo ex altari hujusmodi tum vigiliae tum festi translatione, et si fieri queat, etiam per edictum populum vel alio modo solemniori, facta semper mentione hujusce apostolici indulti. Deinde quantum ad opera servilia pauperioribus, juxta tuas preces, aliquibus diebus festis permittenda benigne concedimus, ut etiam in ss. Petri et Pauli apost. festo sarta tectaque consueta die 29. Junii celebratione, et sacrosancti Missae sacrificii assistendi obligatione, divinis antemeridianis absolutis, permitti pauperibus possint. Denique festum s. Martini Episcopi pro foro abrogamus, servatis tamen iis caeteris conditionibus, quae in commemorato apostolico Pii VII. indulto adjectae sunt et contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 22. Novbr. 1831.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 59.)

2) Missarum.

Cf.: *Stipendium* (praecipue decr. de die 23. Novbr. 1697 et decr. PP. Pii VIII.).

Districte prohibetur et interdicitur, ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis gener. vel alias quomodo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum aut post idem Concilium (Trident.) imposita aut in limine fundationis, sed pro iis omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apost. sedem recurratur, quae re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioqui reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

S. C. Conc. Trident. 21. Jun. 1625 approb. Urb. VIII. et Innoc. XII.

Si qui forsan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant, sub malitiosa vel irrationabili spe earundem condonationem vel reductionem a Sede apostol. vel compositionem obtinendi, Congr. Conc. tum eosdem tum quoscunque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones

ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis, praesertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint omnino habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragatur*, admitti consuevisse et solere; quapropter dicta Congr. tales intentiones seu spes, ut eleemosynarum sive in toto sive in parte versionem in aliam quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem, et quascunque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas illasque omnino reprobat, damnat et interdicit.

S. C. Conc. Trident. Die 23. Novbr. 1697.

Benedictus PP. XIII.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Prior Provincialis ac Fratres Provinciae Portugalliae Ordinis B. M. de Monte Carmelo antiquae Observantiae, quod Conventus ejusdem Provinciae non mediocri paupertate laborant, propterea quod redditus, quos possident, proveniunt ex Capellaniis antiquis et modernis in eorum Ecclesiis cum obligatione Missas solemniter et privatim pro illorum Fundatorum animabus quotidie celebrandi erectis, necnon ex simili onere Missarum ab aliquot Christifidelium Confraternitatibus in eisdem Ecclesiis ab immemorabili tempore institutis, ac ejusmodi reddituum pars aut adeo tenuis existit, ut eleemosynae manuali non respondeat vel tempore absumptis seu deperditis bonorum proprietatibus plane disperiit, ipsisque insuper exponentibus obligatio pro quolibet Religioso, quem ab humanis decedere pro tempore contigerit, juxta dicti Ordinis Constitutiones apostolica auctoritate confirmatas Missas, necnon illas, quas ternariorum vocant, celebrandi incumbit; unde fit, quod hi redditus, etiam proventibus, qui ex aliquot Capellaniis majoris eleemosynae nuncupatis percipiuntur, conjuncti congruae sustentationis Religiosorum Conventuum praefatorum, et maxime Conventus Ulyssiponensis, in quo supra 140 Fratres degunt, pares non sint, nec eorumdem Conventuum reaedificationi, Ecclesiarum reparationi, fabricae, paramentis aliisque expensis, quae pro Cultu divino ac divinorum Officiorum celebratione fieri debent, minime sufficiant, in primis in dicto Conventu Ulyssiponen., ubi in hanc Cultus ac Officiorum divinorum causam 4000 Cruciatorum monetae illarum partium, non computatis sumptibus paramentorum ordinariorum, quotannis insumuntur, prout ex libris Sacrarii dicti Conventus aperte colligi dicitur, quin expensae hujusmodi absque nota et fidelium scandalo ac ipsius Ordinis decore minui valeant; quoniam in regno Portugalliae divinas functiones splendide et magnifice peragere mos est. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti eo, quod redditus praefati tot tantisque expensis obnoxii sibi satis non sint, eleemosynas sibi per eosdem fideles in ultimis eorum voluntatibus relictas pro Missis in ipsorum exponentium Ecclesiis praesente cadavere vel alias canendis aut recitandis, quae Missae majoris eleemosynae esse consueverunt, accipiant, Missis vero Capellaniarum ac Confraternitatum praedictarum minoris eleemosynae et illarum, quarum proventus tempus imminuit seu absumpsit, ac pro Religiosis defunctis, et quas ternariorum vocant, celebrandis singulis annis quandoque satisfacere non possint, iidem exponentes, ut quotiescumque aliquis ex Conventibus supradictae Provinciae has Missas celebrare nequiverit, idem Con-

ventus unam Missam solemnem sive generalem cum anniversario et absolutione generali quolibet mense loco Missarum praefatarum celebrare valeat, concedi plurimum desiderent, prout dudum Fratribus Provinciae Baethicae ejusdem Ordinis B. M. de Monte Carmelo a fel. rec. Leone PP. X. Praedecessore Nostro concessum fuisse memoratur, Nobis propterea exponentes praefati humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur pro paternae, qua Regulares Ordines complectimur, charitatis affectu memoratae Provinciae illiusque Conventuum inopiam, quantum cum Domino possumus, levare cupientes eosdemque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsis modernis ac pro tempore existentibus Priori Provinciali ac Fratribus Provinciae et Ordinis praefatorum, ut, si propter paupertatem vel paucitatem Fratrum alicujus dictae Provinciae Conventus, illius Fratres Missas et divina Officia eis ratione Capellaniarum praedictarum incumbentia, per memoratas Confraternitates injuncta, minoris eleemosynae, et quarum proventus tempore notabiliter diminuti aut absumpti fuerint, vel pro Fratre defuncto juxta Constitutiones Ordinis praedicti, seu quae ternariorum vocant celebranda, minime celebrare poterunt, loco ac vice Missarum et divinorum Officiorum ejusmodi unam generalem et solemnem Missam cum anniversario et absolutione generali quolibet mense celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium, de specialis dono gratiae, *quae non transeat in exemplum*, concedimus et indulgemus, ipsum Conventum ac illius Fratres per Missae cum anniversario et absolutione generali quolibet mense celebrationem hujusmodi, ab onere et obligatione Missarum et divinorum Officiorum praefatorum auctoritate et tenore praedictis absolvimus et liberamus, eosque absolutos et liberos esse et fore declaramus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 14. Jan. 1727.

(Bull. r. t. XIII. p. 271.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Praepositus et Presbyteri saeculares Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii civitatis Bracharensis, quod ipsi ad caetera charitatis Officia, quae ex instituto ejusdem Congregationis exercent, adhibere sacr. missionum exercitia, praedicationem divini verbi in festis diebus, morientium tutelam, quos adeunt quandocumque vocati, lectionem denique publicam tum in rhetoricis ac philosophicis facultatibus tum etiam in gravioribus theologiae speculativae atque moralis disciplinis, ideoque haud pauci necessarii sunt ministri, qui nomen eorum Congregationi dantes hujusmodi exercitationibus alacri animo ad christianae societatis bonum praesto sint.

Verum exiguum patrimonium quique ex eo parvus redit census, insufficiens ad alimoniam Congregatorum reperitur, si considerentur Missarum onera, quae antiqui ejusdem Congregationis Alumni

susceperunt ac stipulatione contractuum ferre promiserunt; quibus si addantur infortunia temporis ac victualium caritas, haec omnia in unum collecta efficiunt, ut eorum domus aes alienum quotannis contrahere cogatur, ita ut aliquando eamdem Congregationem fore interituram non sine gravi spirituali damno timendum sit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut ad occurrendum hujusmodi malis reductionem Missarum, qualem fel. rec. Benedictus XIV. praedecessor Noster Fratribus Ord. SS. Trinitatis redemptionis captivorum regni Lusitaniae per suas in simili forma Brevis die 12. Mart. 1744 expeditas literas impertitus fuit, Nos quoque ipsis elargiri de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater Archiepiscope, seu discretioni tuae, fili Officialis, per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam reductionem quorumcumque onerum Missarum eidem Congregationi incumbentium in omnibus juxta formam praedictarum literarum Benedicti PP. XIV. nec exceptis iis, quae per contractum acceptata fuere, iisdem exponentibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis indulgeas, ita tamen, ut applicatio sacrificii specialiter fiat pro iis benefactoribus, quorum bona ab aliis secreta reperiri seu discerni possunt; generice autem seu collective quoad eas, quorum fundi commixti et confusi possidentur, et dummodo quoad futurum Missae non acceptentur, nisi recepto fundo sufficienti pro celebratione Missarum ad taxam eleemosynae perpetuae, et fundi Missarum onere gravati non alienentur, sub poenis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis.

Non obstantibus quorumcumque testatorum etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut quoniam iidem exponentes in scientiis tradendis operam suam utiliter impendunt, ipsos in Domino, tu venerabilis frater Archiepiscope, seu dilecte fili Officialis, horteris, et pro eo, quo in Deum amore flagrant, vehementer obsecres, ut discipulos suos caeterosque christianae doctrinae, dum illos erudiunt, et verbum Dei festis diebus annuntiant.

Datum Romae apud s. Petrum die 20. Aprilis 1787.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 40. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

VV. FF. Patriarchis, Archiepiscopis et Episc. Portugalliae et Algarbiorum.

Nuper pro parte carissimae in Christo filiae Mariae Franciscae reginae fidelissimae Nobis expositum fuit, plures in Portugalliae et Algarbiorum regnis supremo ejus dominio subjectis primogenituras et majoratus existere, adeo piis oneribus gravatos, ut vix ac ne vix quidem haereditariae vires pro adimplemento sufficiant. Opportunum igitur exoptans remedium Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitatibus vestris tamquam Nostris et apostolicae Sedis delegatis, quatenus tam grave ex variis testatorum relictis impositum sit onus, ut illis intra vires haereditarias cujuscumque majoratus seu primogeniturae nequeat satisfieri, semel extra Synodum statuendi, re diligenter perspecta, pro vestra conscientia

quidquid magis ad Dei honorem et Ecclesiarum utilitatem videritis expediri, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 6. Mart. 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 81.)

Pius PP. VI.

Cum Nobis expositum fuerit vigore cujusdam legis et nonnullarum conditionum intuitu bona primogenituris et majoratibus subjecta in regnis carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae reginae fidelissimae a piis oneribus declarata fuisse exempta, cumque in ipso sui regni exordio ipsa piissima fidelissima regina legem illam de medio tollere curaverit, Nobis demum supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur supplicationibus hujusmodi inclinati eamdemque carissimam in Christo filiam Nostram Mariam Franciscam reginam fidelissimam specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, nullitatem omnem, quae propter juris et facti defectus ex praedicta lege quomodolibet intervenerit, quousque lex ipsa, utcumque abusive viguit, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium sanamus et neminem ob onerum adimplementum vigore legis dictae suspensum in poenas a sacris omnibus aliisque ecclesiasticis Constitutionibus impositas, incurrisse declaramus.

Quoniam vero Nobis expositum fuit, quamplures revera primogenituras et majoratus in Portugalliae et Algarbiorum regnis extare, ultra vires haereditarias piis oneribus gravatos, adeo ut ipsorum onerum adimplementum facile neglectum censeri debeat, hinc, ut etiam pro futuro omne tollatur conscientiae scrupulum eidemque carissimae in Christo filiae Nostrae reginae fidelissimae suisque subditis nulla remaneat de onerum adimplemento dubietas, per alias Nostras in simili forma Brevis literas expeditas Patriarchae omnibusque Archiepiscopis et Episcopis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus auctoritate Nostra apostolica facultatem concedimus, ut semel extra Synodum juxta datam eis a Domino prudentiam et rerum circumstantias omnibus debite perpensis, tamquam Nostri et apost. Sedis delegati Missarum et quorumcumque piorum onerum quantitatem habita ratione ad majoratuum et primogeniturarum vires et redditus reducere et imminuere libere et licite possint ac valeant.

Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Petrum die 6. Martii 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 82.)

Pius PP. VIII.

Carissimus in Christo filius Noster Franciscus regni utriusque Siciliae rex illustris, quum probe noverit in Ecclesiis praesertim regalis ordinis Constantiniani appellatis quaedam exstare pia legata Missarum, quibus adimplendis adeo tenuis antiquitus attributa est eleemosyna, ut, impar quum illa in praesentiarum sit quotidiano Sacerdotum victui, non facile inveniantur Celebrantes, unde inexpleta non sine gravi animarum purgantium detrimento remaneant, suppliciter fel. rec. Leonem PP. XII. decessorem Nostrum exoravit, ut tanto mederi malo quam citius vellet, tributa omnibus praesulibus Ordinariis memorati regni facultate taxam sive eleemosynam Missarum in quacumque regalis praedicti

Constantiniani Ordinis Ecclesia celebrandarum ad tres usque nummos argenteos vulgo carlini Neapolitani augendi, reducto consequenter atque imminuto, servata proportione, earumdem Missarum numero; ast decessor Noster praedictus, qui super hujusmodi re VV. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Conc. Tridentini interpretes adhibuerat in Concilium, morte praeoccupatus votis ejusdem regis haud valuit satisfacere, a Nobis proinde iteratis precibus nomine ejusdem regis petitum fuit, ut praedictum eleemosynae augmentum Missarumque reductionem juxta preces auctoritate Nostra apost. in quibuscumque Constantiniani Ordinis praedicti Ecclesiis utriusque Siciliae regni sanciamus.

Nos itaque sollicitudinem et religionem ac pietatem ejusdem regis plurimi facientes haud gravate inducimur, ut ejusdem pio desiderio, quantum in Domino possumus, satisfaciamus, ac omnes proinde, quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et ecclesiast. Praesulibus ordinaria facultate praeditis, intra limites utriusque Siciliae regni existentibus auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium facultatem opportunam facimus, ut ipsi, cognita necessitate praedicta, pro eorum prudentia et conscientia eleemosynam Missarum et piorum legatorum quorumcumque in omnibus Ordinis Constantiniani praedicti Ecclesiis in propria dioecesi existentibus celebrandarum ad tres usque nummos argenteos vulgo carlini Neapolitani augere ac earumdem Missarum numerum, servata proportione, reducere libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat; ita tamen, ut hujusmodi eleemosynae augmentum Missarumque reductio perpetuo in dictis Ecclesiis tantum vigeant, nec ullo unquam tempore valeant immutari; utque pro oneribus sive legatis per eosdem ecclesiasticos Ordinarios ut supra reducendis, eorum semper defunctorum, qui legata hujusmodi pro suarum animarum salute ad pios reliquerunt usus, commemorationem fieri injungimus atque praecipimus.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumcumque lege fundationis etiam juramento confirmatione apostolica quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, quibus omnibus, singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficientes expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 28. Aprilis 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 10.)

3) Onerum Beneficiorum.

Vd.: *Reductio Missarum* (decr. Pii VI.); *Constitutio Urbani VIII.* in Bull. rom. t. V. p. 335.

REFERENDARIUS

signaturae rom. Praeced.

Extra Curiam roman. Referendariis uti Praelatis Papae et non Ecclesiae nulla intuitu Referendariatus praecedentia competit supra Rectores omnes et Praepositos necnon Canonicos Cathedralis, neque uti possunt habitu praelatitio, nisi alias fuerint Protonotarii apostolici. n. 1778 die 29. Jan. 1656.

De ejus celebratione Missae, vd.: *Protonot. apost.* (Missa privata).

REGIAE PERSONAE.

1) Ingressus in Presbyterium.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXVII. n. 3.

2) Thurificatio.

Vd.: *Laici* (Thurif.); *Mulier* (pax etc.); *Thurificatio.*

REGINA

1) Angelorum.

Ut Titularis, vd.: *Assumptio B. V. M. ut Titularis.*

2) Coeli laetare etc.

Non dicend. a Concionatore, vd.: *Salutatio angel.*

3) Sine Labe origin. etc.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (add. licita, decr. n. 5148).

REGULARES.

1) Adoratio SSmi in Orat. 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. IX. n. 16. 17.

2) Benedictionem papal. impert. facultas.

Cf.: *Bened. Papalis; Papalis Bened.*

Benedictus PP. XIV.

Exemplis Praedecessorum nostrorum adducti nonnullis familiis regularibus permisimus, ut fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesias visitarent et indictis operibus satisfacerent, indulgentiam plenar. consequerentur atque *Monasterii Praeses vel* alius Sacerdos a P. Provinciali designandus populo tunc temporis congregato SS. Pontificis nomine Benedictionem impertiret.

Nullus unquam ritus ad *hanc rem* peragendam praescriptus fuit, et deprehendimus quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse. Quippe simplex Sacerdos in medio altaris collocatus Ministris circumstantibus et s. indumentis ornatis trinam Benedictionem populo impertit et alia plura gerit, quae enumerare supervacaneum existimamus.

Equidem *Benedictio super populum* sol. est eamque in quacunque Orbis terrae parte Rom. PP. elargiri potest; Episcopus in sua dioecesi et *locis ipsius etiam exemptis;* Archiepiscopus *in sua Provincia et locis ejus exemptis.* Porro Abbatibus ejusdem Benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in Ecclesiis, quae ipsis plene subjiciuntur, modo tamen apost. privilegium ad id necessarium obtinuerint.

Quo sane uti nequeunt, *nisi postquam Sacrum sol. aut Vesperas in Ecclesia peregerint; nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet,* nisi id clare in eodem privilegio declaretur.

Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri juxta Can.: *Ministrare 26. quaest. 6. Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licebit*, quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est: *modo permitti* *); si etenim s. antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in *nostro Tractatu de Sacrificio Missae sect. 1. n. 382.* ac sect. 1. n. 391. Etsi siquidem in usu semper fuit, ut re divina peracta populus ab Ecclesia benedictione dimitteretur, quemadmodum in Can.: *Missas, de consecrat. dist. 4.* continetur, id tamen non a Sacerdote celebrante sed vel ab Episcopo, si praesens erat, vel eo absente ab Archipresbytero ejus jussu

---

*) Vd.: *Bened. sacerd.* (extra miss. et in missa).

praestabatur; quo sensu explicatur decretalis in cap.: *Officium*, de Officio Archipresbyteri, ubi inter Archipresb. munera recensetur: *Benedictiones presbyterales in Ecclesia dare.*

Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fecit benedictionem super populum in fine Missae effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset in *ritibus Landunensis Ecclesiae par. 3. p. 136 n. 9.: At cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incaepto sacro recedere nec jure queat populus ante benedictionem egredi, ex praecitata Agathensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet, sequitur, facultatem celebranti concessam esse, priv. illam benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire.*

In Can.: *Ecce ego, dist. 95.* haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum invidia diabolicae tentationis inflatus irascatur in templo, si Presbyteri interdum exhortentur plebem, si in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat Benedictionem, quae populo traditur a Sacerdote, qui rem divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est:* quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eundem textum s. Hieronymo non esse tribuendum, quod nonnulli falso putaverunt; sed incerto auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum benedictio in fine Missae inter benedictiones presbyterales jam haberetur ususque invaluisset, ut Sacerdos peracto Missae sacrificio populum benedictione *jure suo* dimittat, sive absit sive intersit Episcopus, *ea tamen statuta lege, ut si intersit et in sua sit dioecesi, ad eum prius se convertat eique caput inclinet veluti facultatem populo benedicendi postulans, quod ab eodem Sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim.*

Cum jam prospectum sit, quo tempore et loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem super populum ab ipso impertiri licite nisi *jure delegato.* Nostrum est omnino ritum praescribere.

Admoneatur populus de indulgentia a Sede ap. concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est Ecclesia, de hora denique, qua datur Bened. Pap.; admonitio haec fieri possit etiam schedis impressis et palam affixis, licet enim id a Clem. VIII. fuerit vetitum FFr. B. M. de Mercede Redempt. Captiv. et FFr. ss. Trinit. Redemptionis pariter Captiv. in communicatione Indulgentiarum et Orationum, visum tamen Nobis est id esse hypothesi inapplicabile, cum caeteris praetermissis praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, Confratres, non autem populum universum complectatur.

Postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur literae apost., quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem ap. super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronunciatur; populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur. *Post quae Sacerdos nullis circumadstantibus ministris stola et superpelliceo indutus ante altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret:*

℣. *Adjut. nost. in nom. D.*
℟. *Qui fecit coelum et terram.*
℣. *Salvum fac populum tuum Dom.*
℟. *Et benedic haereditati tuae.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Sp. t.*

Deinde stans dicit Orationem:

Oremus.

Omnip. et miseric. Deus, da nobis auxilium de sancto et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi, dexteram tuam super eum benignus extende ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Chr. D. N.

Postquam ad cornu Epistolae accedat et non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione unico videlicet signo Crucis benedicat proferens alta voce haec verba:

Bened. vos Omnip. Deus † Pater et Fil. et Sp. S.
℟. *Amen.*

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti; cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est*). Id nos etiam advertimus in *nostro tractatu de Sacrificio Missae sect. locis supracitatis.* In rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo.* Insuper *Caer. Ep.* trinam bened. ipsis solum tribuendam decernit, quod eadem Missalis rubrica confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Caerem. habetur.* Postremo Alexand. VII. decreto 27. Sept. 1659 tempora indicit ac recenset, quibus Abbates usu Pontif. praediti ritu solemni celebrantes trinam benedictionem impertire possunt; quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt. Quocirca non sine animi nostri voluptate Epistolam legimus encyclicam P. Gen. Coenib. Ord. Erem. s. Augustini, quibus in Nostris ap. literis potestas facta est dandi in certis anni festivitatibus benedictionem Pap., in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico signo Crucis more sacerdotali.

Hac itaque Epistola encyclica ritum statuimus, quo Bened. Papalis inposterum tribuetur, eumque notum facimus Ord. reg. Praesidibus, ut ipsum Regularibus sibi subjectis observandum indicant. Equidem Alexd. VII. usum Pontifical. Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate praescribens Ordinariis locorum facultatem concedit, ut, si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis ap. Delegati rem cognoscerent et censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. Nos praecipimus, ut de illis Regul., qui praescriptum a Nobis ritum benedictionis violaverint, Nos statim certiores efficiant et Nos facultatem bened. ejusdem tribuendae parere recusantibus auferemus et largiemur aliis, qui jussa nostra facere non detrectabunt.

Datum Romae 19. Mart. 1748.

(Bull. r. t. XVII. p. 225.)

Clemens PP. XIII.

Cum alias per nostras literas incipientes: *Inexhaustum**) *etc.* VV. FFr. Patriarchis, Primatibus, Archiep. et Episcopis duabus anni solemnitatibus nimirum Paschae Resurr. alioque festo sol. eorum arbitrio designando, Praelatis vero inferioribus usum Pontifica-

*) Meratus t. I. p. 243.

*) Vd.: *Papalis Benedictio.*

lium cum Territorio separato et Jurisdictione quasi episcopali habentibus semel in anno in uno ex diebus, in quibus eorum singulis Pontif. usus permittitur, nempe in praefato sol. die Pasch. Resurr., populo in Ecclesia congregato Romani Pontificis auctoritate et nomine sol. benedicendi cum elargitione plenariae Indulg. juxta ritum et formam tum traditam concesserimus, in iisdem literis facultates similes impertiendi Rom. Pontificis nomine ap. benedictionem aliquibus regularibus Ordinibus concessas praeservavimus, districte tamen dilectis filiis eorundem Ordinum Superioribus et Professoribus etiam speciale mentione dignis, facultate et indulto hujusmodi gaudentibus et qui in posterum gaudebunt, injunximus ac praecepimus, *ut, quibus diebus Episcopi facultate hujusmodi uterentur, ab elargienda praedicta sol. benedictione penitus abstinerent.*

Verum, cum ad Nos perlatum sit, ex quo in concessionibus illis Ordinibus factis minime fuit expresse praescriptum, regulares personas ad impertiendam supra populum benedictionem a propriis Superioribus designatas opportunam prius ab Archiep. vel Episcopo aut Praelato resp. loci illius licentiam exquirere debere, functiones hujusmodi absque Ordinariorum licentia et permissione, imo ipsis aperte dissentientibus, non semel sed pluries in anno atque etiam contra Nostrum expressum praeceptum iisdem diebus a praedictis locorum Praelatis peragantur, non sine gravi fidelium scandalo, a Regularibus peragi contigisse, quare, cum tolerari ubique non debeat ap. mandata a religiosis praecipue Viris negligi aut non servari, et omnino incongruum sit, sol. super populum et sacram peragi actionem ignaris vel dissentientibus Pastoribus, quibus ejusdem populi cura et solicitudo commissa est, hujusmodi non mediocri malo congrua remedia adhibere volentes, ut in posterum ap. Sedi et aliarum ecclesiarum Pastoribus debitus honor ac reverentia habeatur, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus ac declaramus: *Regulares Ordines etiam specialiter exprimendos, quibus facultas bened. elargiendi super populum a Rom. Pontificibus quomodocunque concessa et per Nos in dictis Nostris literis praeservata fuit, eorundem Ordinum personas regul. ad id designatas ac Superiores ipsos facultate et concessione hujusmodi resp. uti non posse sine scientia et permissione Episcopi dioec. aut Praelati loci ordinarii activam jurisdictionem in populum et Clerum habentis, ab ipsis quidem ante in scriptis impetranda, quam per publica edicta seu ennunciationes aut proclamationes populum de benedictione statuta die elargienda, ut se ad Sacr. Confessionis et Communionis ea die suscipienda disponat, certiorem faciant vel si edicta hujusmodi omitti contingat, triduo saltem ante ipsam diem benedictionis, eadem licentia et permissio in scriptis impetrari omnino debeat sub poena suspens. ab omni Officio et dignitate aliisque Nostro arbitrio inferendis.*

Non obstantibus quibuscunque ...
Datum Romae die 30. Aug. 1763.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 399 Ed. Rom. 1837.)

3) Cardinales.

(Habitus.)

Vd.: *Regul. Episcop.* (habitus.)

4) Clausura.

De clausura quorumcumque virorum regul., vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 3. Jan. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 60.)

De Regul. extra claustra degentibus, vd.: *Constitut. Bened. XIV.* de die 27. Maii 1746.

(Bull. r. t. XVII. p. 28.)

5) Episcopi.

a) Electio.

Cf.: *Episcop. Regul.*

Clemens PP. XIII.

Dil. filio Nobili Principi Montis Maurentiaci.

Acceptis secundis literis Tuis, quibus iterum postulasti, ut dilectus filius Chrysostomus Ordinis Carmelitici excalceatorum Episcopatus honore donaretur, doluimus iterum, quod obsistentibus canonicis sanctionibus votis Tuis obsecundare non liceat: non enim sat est ut quis ad talem tantumque gradum evehatur, quia vir probus et doctus sit et ecclesiastico praestimonio facile dotandus, nisi id ipsum vel Ecclesiae necessitas postulet vel magna utilitas suadeat, quemadmodum prioribus in literis Nostris latius perscripsimus: quamobrem cum ille perfectissimum vitae genus amplexus fuerit sacrisque praedicationibus diligenter incumbat, Tu vero eum singulari studio prosequaris, curandum est, ut in ea, in qua vocatus est, vocatione, sancte lubenterque permaneat.

Datum Romae apud s. Mariam maj. die 2. Jan. 1760.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 46. Ed. Rom. 1835.)

Pius PP. VI.

Cum Nos Ecclesiae Pechinensi in Indiis pastoris solatio ad praesens destitutae te, qui habitum per fratres ordinis Eremitarum s. Augustini excalceatorum nuncupatorum gestare solitum suscepisti et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti Regularem, ob tuorum exigentiam meritorum in Episcopum et pastorem te praeficere intendamus et sicut accepimus, in quartum votum per eosdem fratres emitti solitum de non acceptanda quacumque dignitate extra tuam religionem, nisi id tibi sub praecepto obedientiae a Romano Pontifice injungatur, juxta constitutiones ipsius ordinis auctoritate apostolica confirmatas emiseris ac juramentum ea super re praestiteris,

Nos sperantes te dictae Ecclesiae Pechinensi in Indiis, si illi in Episcopum praeficiaris, plurimum utilitatis allaturum teque proinde specialis favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tecum super quarto voto, ita ut, illo non obstante, te eidem Ecclesiae Pechinensi in Indiis in Episcopum et pastorem a Nobis praefici illique praesse libere et licite possis et valeas, tenore praesentium dispensamus votumque et juramentum hujusmodi tibi ad effectum praedictum relaxamus.

Datum Romae die 10. Julii 1778.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 19.)

b) Habitus.

Episcopus Regularis tenetur habitum suae religionis deferre. Cap.: *Clerici officia* 15. de vita et honest. Clericor.

ibi: „Pontifices autem in publico et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.“ Retento tamen colore habitus suae religionis potest se conformare cum Episcopis saecularibus in forma seu figura. *Donatus* prax. Regul. tom. 1. part. 2. tract. 6. quaest. 12. n. 8. in Rituali Romano reformato sub Clemente VIII. et sic modo servatur in praxi. Canonici autem Regulares s. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici saeculares in Episcopos creati. Leo X. Constit. 34. incip.: *Dudum.*

Episcopi ex ordinibus monasticis et mendicantibus assumpti habitum proprii Ordinis visibilem gestare debent. Benedictus XIV. Constit. incip.: *Biennium* §. 3., quae extat in supplemento tom. 3. sui Bullarii.

Id tamen non procedit quoad Canonicos Regulares et Clericos Regulares. *Idem ibid.* Sed recte observatur a Fratribus Professis Militiae Equestris s. Joannis Hierosolymitani. *Idem ibidem.*

Habitum suorum Ordinum debent deferre Regulares ad Cardinalatum assumpti. Greg. XIV. Constitut. incip.: *Sanctissimus,* Benedictus XIII. Constit. incip.: *Custodes.* Sic Episcopus Regularis tenetur portare habitum suae religionis: *Communis cum Henriq.* in summa lib. 10. cap. 32. §. 5. et cap. 33. in fine, *Valent.* 2. 2. disput. 10. quaest. 3. punct. 8., *Azor.* part. 1. lib. 12. cap. 7. quaest. 4., *Bartholomaeus* a s. Fausto in Thesauro religios. lib. 6. quaest. 199., *Barbosa* super Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 19. n. 38., *Lessius* de justitia lib. 2. cap. 40. dubit. 14. n. 113., *Petrus de Ledesma* in summa part. 2. tract. 32. cap. 3. ad fin. *Fr. Joan. a Cruce* de statu relig. 1. cap. 7. dubit. 4., *Sanch.* in praecepta decalogi tom. 2. lib. 6. n. 21. et ex multis probat *Rodrig.* Addition. ad summ. verb.: Episcopus, cap. 68. conclus. 6., maxime ex Concilio Lateranensi, et addens, Sixtum V. semper gestasse habitum regularem Ordinis, ut de facto vidimus etiam hisce nostris temporibus Benedictum XIII. semper eum gestasse, et citat Caeremoniale Papae Clementis VIII., ubi jubetur, quod Episcopus monachus non portet rocchettum, sed vestes coloris sui habitus Regularis cum birreto nigro et galero circumcirca fibrato viridis coloris. Et sic novissime statuit sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Benedictus XIII. cit. Constitut. incip.: *Custodes*, relata per extensum a *D. Urseya* tom. 6. part. 2. disceptat. 37. n. 6., ubi multa ad rem, quaeque etiam a nobis ad literam afferuntur infra.

Episcopi autem et Cardinales Regulares, quamvis sine causa habitum religionis deponant, non incidunt in excommunicationem latam a Bonifacio VIII. in cit. cap.: *Ut periculosa* 2.: Ne Clerici vel monachi in 6., quia Episcopi et Cardinales, licet teneantur deferre habitum suae religionis et certe peccarent, si talem habitum non deferrent, ut docet *Cardin. Petra* tom. 4. Comment. in Constit. 1. Eugenii IV. num. 22. et tom. 5. in Constitut. 9. Sixti IV. sub n. 17., tamen sunt extra religionem quoad vim coactivam, ita ut requiratur mentio specialis eorum et non possint venire sub nomine et turma Professorum, de quibus loquitur Bonifacius VIII. in cit. cap.: *Ut periculosa*, quotiescumque elevati fuerint ad dignitatem episcopalem, maxime quia cessat causa et ratio textus „ne vagentur Professi extra obedientiam Superiorum habitu dimisso“, quod non est verificabile in Regularibus Episcopis et Cardinalibus. *Passerin.* tom. 1. de statu homin quaest. 185. art. 8. n. 142., *Diana* part. 2. tract. 2. de dub. Regular. resolut. 50., *Cardin. Petra* tom. 5. Comment. in Constit. 9. Sixti IV. n. 17.,

Barbosa super Trident. sess. 25. de Regularib. cap. 19. n. 39., *Azorius* l. c. lib. 12. cap. 17. quaest. 4., *Sanchez* l. c. cap. 6. n. 23., *Bartholomaeus* a s. Festo l. c. quast. 200., *Tract. Emman.* tom. 2. quaest. 58. art. 3., *Sanctarell.* de Apostasia cap. 1. n. 15., *Bonacina* et alii passim contra Majol. de Irregular. lit. 2. cap. 1. n. 13., *Fulo Pacianus* consil. 132. n. 42. volum. 1., *Surd.* de aliment. tit. 8. privileg. 79. n. 10., *Henriq.* lib. 10. cap. 33. in fin. et alios existimantes Episcop. Regularem omittentem habitum et assumendo illam albam et candidam vestem, quae ab Episcopis exterius defertur, incurrere excommunicationem latam contra monachos deponentes proprium habitum in cit. cap.: *Ut periculosa* 2.: Ne Clerici vel monachi in 6. Habitu clericorum saecularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti. Leo X. Constitut. incip.: *Dudum.* Nunc autem quoad concernentia habitum et varia alia Episcoporum et Regularium attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII. quae, ut ab omnibus percipiatur, hic ad literam datur:

„*Custodes* super muros Jerusalem a Christo Domino constituti de omnibus sacrorum virorum ordinibus in eo, quo decet sanctiori disciplinae splendore, servandis magnam vigilantiam et solicitudinem gerere debemus; tum vero illud nobis incumbit, ut, qui e Regularium, monachorum et mendicantium institutis ad onus episcopale admoventur, majoris observantiae et virtutum specimine gregi sibi subjecto praeluceant, primaevique instituti, cui nomen dederunt, insignia more majorum perpetuo retineant non solum in monastica et regulari professione, sed etiam in specialibus indumentis inque rasili tonsura ad planitiem cutis quisque, ut sui Ordinis Regularis, monastici et mendicantes peculiaribus, signis, pridem solemni ritu vitam Deo consecraverat."

„Moerorem, quem jam dudum animo premimus, celare diutius non possumus nec debemus: quippe quem post nostram humilitatem ad summum apostolatum evectam, praesulum doctrina et pietate praestantium expostulationes auxerunt, nimirum quod nonnulli Episcopi ex Regularium, monachorum et mendicantium familiis assumpti reperiantur, qui brevioribus vestimentis pristinae suae professioni minime congruis, sed quibus tantum inferiores Clerici saeculares uti soleant, se in ipsa etiam civitatum frequentia palam spectandos peti non erubescant, laneasque tunicas a suorum Ordinum conditionibus praescriptas et eorumdem vitae sanctimonia quodammodo consecratas inducere detrectantes, etiam contra caeremoniales Episcoporum sanctiones, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris probatas, summa omnium admiratione vestes sericas praeferant, eo quoque impudentiae, sui status plane immemores, progressi, ut albas chirothecas ad ostentationem gerant, inque pontificalibus Ecclesiae functionibus, unde omnis arrogantiae typhus et fucus abesse debet, superpelliceum Episcopis monachis vel ex ordinibus mendicantium proprium abjicientes rocchettum Praesulum ex Clericis saecularibus assumptorum temere adhiberent; nec defuit, qui colores a suo instituto omnino abhorrentes in exterioribus vestibus jactare non dubitaverit. Haec quam dedeceant Episcopos, qui ex monachorum et mendicantium Regulis non sine spiritus apostolici afflatu conscriptis modestiam sacerdotalem nunquam ex suis animis obliterandam caeterasque virtutes aliis propinandas haurire debuissent, quosque in majori gradu, quo Spiritus Sanctus eos posuit, auctas retinere oporteret; non

jam nostris verbis dicemus, ne ipsi, qui Regulam Ordinis Fratrum Praedicatorum, quam professi fuimus et profitemur, quique onus Episcopale per totos quinquaginta annos substinens ejusdem nostri Ordinis sacros ritus disciplinamque, Deo juvante, in omnibus observare studuimus, ex privato affectu loqui videamur: sed suis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis in eorum locum longe dispari merito suffectis exempla, quae sectari debeamus, reliquerunt. Dicent Concilia ab iisdem probata, auctorum ecclesiasticorum, quos honoris causa Patres doctoresque appellamus, documenta memorabunt."

„Ut ergo a primis, hoc est a Romanis Pontificibus oriamur, inclytae recordat. Innocentius Papa III. Pennensem Episcopum Ordinis Cisterciensis olim Abbatem propterea graviter objurgavit, quod post acceptum Episcopatum »in sui Ordinis injuriam ageret in pluribus ut apostata et propriae conditionis oblitus picturata sella et chirothecis sericatis uteretur, amplo se galero coronaret et Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret, a quibus eum Pontificalis dignitatis susceptio non absolverat, sed earumdem onus ei magis auxerat.« Si ad Concil. statuta evolvenda hinc processerimus, nobis se offeret Canon 27. Concil. Oecumenici VIII. seu Constantinopolitan IV. decernens, illos, qui monasticam vitam amplexi Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema et amictum Monasticorum indumentorum et ipsam beatam vitam, nullamque habere potestatem deponendi jam dictum schema propter typhum et arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum. Postremo »Episcopum, qui monasticarum vestium schema deposuerit, corrigendum statuit.« Haec rata habuit Canon 16. Concil. Oecumenici XIII. sive Lateranensis IV. sub jam dicto Innocentio Papa III. definiens *Episcopos monachos deferre habitum monachalem.*"

„Hoc idem postea sanxit Synodus Londinensis ab Othobono S. R. E. Diacono Cardinali s. Hadriani et Apostolicae Sedis Legato celebrata, cujus Canon V. iis, qui de Monasteriis vel de Regularibus locis in Episcopos sunt assumpti vel de cetero assumentur, *suum deferre habitum regularem* speciatim indicit. De inconvenientia et dedecore habitus splendidi in Episcopis saecularibus, eoque magis in regularibus, extat Canon 16. Concil. Nicaeni II. Sed nostrorum temporum Regulares Episcopos instruentem audiamus Ferrandum Carthaginensis Ecclesiae Diaconum de B. Fulgentio Ruspensi Episcopo testantem, Episcopatum sine aliqua ambitione ab illo susceptum nec ita factum Episcopum, ut esse desisteret monachus: sed eum, accepta Pontificis dignitate professionis praeteritae servasse integritatem, nunquam pretiosa vestimenta quaesivisse, orario, sicuti Episcopi, nunquam usum, sed pelliceo cingulo, tamquam monachum. Nec vero soli Episcopi sed et ipsi Romani Pontifices eadem Religione se obstringi voluerunt. De magno enim Gregorio intelligimus, unacum ejus corpore inventum baltheum, qui speciem propositi Regularis, olim a s. Benedicto statuti, manifestaret. De Eugenio III. legimus »laneam tunicam carni ejus adhaesisse et diebus ac noctibus cuculla vestitum intus monachi habitum retinere, extra se Pontificem et moribus et vestibus exhibere consuevisse.« Denique Doctor Ecclesiae s. Thomas Aquinas, ob sanctioris Doctrinae exellentiam Angelici elogio cognominatus, cujus hodie festa recolimus, diserte docuit: »si quae sunt in regularibus observantiis, quae non impediant Pontificale Officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est con-

tinentia, paupertas et alia hujusmodi; ad hoc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae Religionis, qui est hujus obligationis signum."

„Haec in sacris receptisque Ecclesiae Codicibus de exteriori amictu et habitu Episcopi Regularis sancita reperimus, quae nostrates ejusdem disciplinae Episcopi sibi dicta meminerint. Rasilem capitis coronam in orbem expressam ad humilitatem docendum Regulae monasticae, Constitutiones, Usus et consuetudines statutis anni temporibus earumdem sacris alumnis renovandam praescribunt: quos postea Episcopalis charactere insignitos ea maxime distinguendos nemo in dubium vocaverit. Haec tamen, quae ex venerandis Ecclesiae monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, nisi eis occurratur, nobis ipsis spectantibus, in desuetudinem abire videantur, hac nostra Constitutione Apostolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes et revocantes statuimus atque sancimus, ut et monastico, regulari et mendicantium instituto ad Episcopalem seu quamcumque aliam dignitatem etiam S. R. E. Cardin. jam evecti et in posterum evehendi universis et singulis suae Regulae Officiis et obligationibus, quae Pontificale sive cujuscumque alterius dignitatis aut Cardinalatus Officium minime impediant, perpetuo subsint et proinde sui monastici Ordinis sive alterius Regulae mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque et ad cutis planitiem in summo vertice vel eo gyro et forma expressam coronam praeferant, quibus antea, cum intra eorumdem Regularium Ordinum clausta Deo militarent, ex solemni sua professione induere et coronam praeferre tenebantur, a cujus professionis obligationibus per munus Episcopale neutiquam absolvuntur aut nullo pacto eximuntur. Propterea hujusmodi Episcopis ex familiis Regularium, monachorum et mendicantium assumptis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut omnia et singula praesentibus literis nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contempserint vel neglexerint, eos poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda tamdiu innodatos esse declaramus, donec a contumacia resipiscentes ejusdem suspensionis relaxationem meruerint obtinere."

„Quia vero pastoralis nostrae sollicitudinis est non solum excubare pro optimo statu et conservatione regularis observantiae in religiosis viris, qui ex monasticis et mendicantibus institutis ad onus Episcopale assumuntur, sed etiam prospicere, ne illi, qui ex his caeterisque universis Religiosis Ordinibus ad ejusmodi gradum evecti Ecclesia sibi commissa postmodum se abdicaverint, ita vivant, ut qui eos primum in claustris monasteriorum, deinde in culmine episcopali conspexerant, quique ipsos demum curarum episcopalium oneri subductos visuri essent, eis objicere nullo modo possint, quod ideo ad Episcopatum irrepserint, ut hac via regularem observantiam deserentes extra sua claustra, quasi nullum unquam Religiosum Ordinem professi, vitam ducerent; haec animum nostrum, omnium quorumcumque Ordinum Regularium honoris amantissimum, permovent, ut Apostolica auctoritate approbemus, confirmemus et tanquam praesentibus inserta habeamus decreta duo ab antecessoribus nostris felicis recordationis Alex. VII. die 20. Julii anno 1662 et Clem. XI. die 11. Junii 1715 vulgata: quibus decretis Regulares ad transmarinos

Episcopatus sive Vicariatus Apostolicos translati vel etiam Ecclesiarum administratores aut visitatores creati, quotiescumque in locis et Ecclesiis sibi in Episcopalis dignitatis collatione adsignatis minime resederint vel Episcopatum dimiserint aut munere suo perfuncti seu quomodocumque a schismaticis vel infidelibus impeditis munus Episcopale exercere non possint, jubentur ad pristina suorum Ordinum claustra reverti cum reliquis confratribus suis sub eodem instituto religiosam vitam ibidem acturi."

„Hujusmodi autem Episcopis tam pio disciplinae regularis instinctu ad suos redeuntibus Apostolica largitate concedimus, ut in sua provincia quodcumque Ordinis sui coenobium et monasterium, ubi commode et religiose degere possint, sibi pro libitu eligant; ideoque volumus et praecipimus, ut illorum Praesides et Superiores Regulares congruas eis et honestas cellulas in coenobiis et monasteriis ab eisdem electis adsignent. Itaque monachis, mendicantibus et cujuscumque Ordinis Regularibus, qui onere episcopali sibi imposito deinceps quomodocumque etiam ultro se abdicaverint, praecipimus eosque monemus in Domino, ut ad suorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur, qua in re sanctitate et doctrina illustrium et magnorum Praesulum exempla eis imitanda proponimus, Coelestini Papae V. antecessoris nostri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani aliorumque ob virtutes Sacerdotales omnium saeculorum praeconiis maxime dignorum Antistitum, ut interim sileamus legationibus et muneribus clarum Ardicinum juniorem a Porta Aleriensem Episcopum et S. R. E. Presbyterum Card. tituli Pammachii, a felicis recordationis Innocentio Papa VIII. renunciatum. Is enim, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus vetus propositum in Sacrum Camaldulensium Eremum confugiendi resumere atque ultro executioni mandare sanctum existimavit. Ubi vero, quod minime credimus, iidem Regulares paternis nostris monitis aures accommodare noluerint, his nostris perpetuum robur habituris decernimus, volumus et praecipimus, ut monachi, mendicantes et cujuscumque alterius instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni qui Episcopatu sibi pridem collato quacumque de causa se in posterum abdicare permissi fuerint, claustra suae Religionis repetere omnino teneantur et debeant; iis tantum exceptis, qui a nobis sive a Romanis Pontificibus antecessoribus aut successoribus nostris obtinuissent vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra claustra sacro alicui muneri, quod cum vita claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra vel eorumdem antecessorum aut successorum nostrorum speciatim addicti: quod quidem munus respiciat servitium et obsequium nostrum vel successorum nostrorum sive hujus Sanctae Apostolicae Sedis. Eis autem vel eorum cuilibet, qui hanc Constit. violare tentaverint vel eam quomodocumque neglexerint, omni usu Pontificalium etiam cum facultate et permissione cujuscumque Episcopi exercendorum, penitus et undequaque interdicimus, sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a Divinis."

„Omnia vero et singula Romanorum Pontificum Decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, sententias regulas, Constit., Usus, Consuetudines, Statuta his nostris literis memorata, post maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa scientia, auctoritate nostra confirmamus innovamus et stabilimus inque plenario robore perpetuis futuris temporibus servanda

sancimus praesentesque semper validas fore, sicque et non aliter per quoscumque Judices semper judicari, interpretari et definiri debere statuimus. Quidquid autem secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus privilegiis, concessionibus, ordinationibus aliisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis declarationis, suspensionis, praecepti, decreti, interdicti et voluntatis infringere vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum."

„Datum Romae apud s. Petrum anno Dominicae Incarnationis 1726."

P. Card. Prodatarius.
F. Card. Oliverius.

Visa de Curia,
J. Archiepiscopus Ancyranus.
Lucas Martinettus.

Quod Canonici Regulares s. Augustini, in Episcopos promoti, utantur habitu, quo utuntur alii Clerici saeculares in Episcopos creati.

Leo Papa X. venerabili fratri Zachariae, Episcopo Sebastensi, Praelato nostro domestico.

§. 1. Dudum cum ad Eccl. Sebastensem a nobis, de venerabil. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, promotus esses in pastorem, dubitatum fuit a nonnullis, an tu qui Ordinem Canonicorum Regularium s. Augustini expresse professus eras, in habitu et coloribus praelatorum saecularium, de jure vel consuetudine permissis, incedere posses, prout incedebas: et cum quaestio hujusmodi ad nos perlata fuisset,

§. 2. Nos, causam ipsam mature terminare desiderantes, venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Albanensi, tunc tituli s. Priscae Presbytero Cardinali de Flisco nuncupato, vivae vocis oraculo commissimus, ut super his se diligenter informaret et demum nobis referret. Cum autem praefatus Nicolaus Episcopus nobis retulerit, de antiqua consuetudine in pluribus locis, etiam in Romana Curia, ubi Pontifex residet, receptum fuisse ut Canonici Regulares hujusmodi in Episcopos promoti, tam in capella nostra quam extra, utantur habitibus et coloribus, quibus utuntur alii Clerici saeculares in Episcopos promoti,

§. 3. Nos praeterea, juxta relationem nobis factam, ut praefertur, *fraternitati tuae vivae vocis oraculo concessimus ut habitus et colores, quos dicti Clerici saeculares in Episcopos promoti, tam in capella nostra quam extra gestant, gestare posses et ita etiam tenore praesentium auctoritate Apostolica de novo concedimus.*

§. 4. In contrarium non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 1. Sept. 1519.

(Bull. r. t. V. p. 729. Ed. Aug. Taur. 1860.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Episcopo Sandomiriensi.

Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, in regno Poloniae consuetudinem invaluisse, ut Episcopi, etiamsi in aliquo regulari ordine professionem emiserint, antequam ad Episcopatum essent electi, nihilominus apostolico eis suffragante indulto, eodem, quo alii Episcopi e Clero assumpti saeculari, in episcopalibus aliisque eorum propriis functionibus utuntur vestitu, ideoque te, qui in ordine minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupati pro-

fessionem emisisti regularem, memorato donari privilegio summopere exoptare humiliterque a Nobis exposcere, Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut, regulari professione in ordine praedicto a te emissa minime obstante, tua durante mora in regno praedicto, in posterum eodem vestitu, quo alii Episcopi in regno saeculari assumpti in praedictis functionibus utuntur, ac etiam rocchetto loco coltae in pontificalibus aliisque functionibus peragendis uti libere et licite possis et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 26. Sept. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 338.)

Vd.: *Vestis Episcopi; Episcop. regal.; Archiepisc. religios.*

c) Officium.

Episcopus Regularis tenetur recitare Officium juxta ritum suae dioecesis et non juxta ritum suae religionis. S. C. R. 11. Juni 1605. Episcopo tamen ex Ordine s. Francisci Minorum de Observantia assumpto conceditur, ut possit recitare tuta conscientia Officium Sanctorum Ordinis s. Francisci et celebrare eorum Missas, dummodo *privatim celebret in sua capella* dictis diebus Sanctorum Ordinis cum Missali Romano et Officium pariter recitet cum Breviario Romano. S. R. C. in Majoricen. 6. Dec. 1631. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suae religionis recitare Officium et in propriis Cathedralibus Missam celebrare et altare beatis praedictis erigere. S. R. C. 17. Aprilis 1660.

Vd.: *Episcopus regul.; Regul.* (Off.)

d) Redeuntes ad claustra Ordinis sui Officia et dignitates assumere non possunt.

Paulus Papa IV. ad perpetuam rei memoriam.

In sacra B. Petri Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati ad ea, per quae sub religionis jugo Domino famulantium quieti consulitur et ambitionis via praecluditur, diligenter intendimus et in his nostri pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, nonnulli Episcopi et Archiepiscopi diversorum Ordinum professores, dignitates et Officia, etiam superioritates nuncupata, suorum Ordinum ambientes, ad hoc, ut ad illa assumi eaque obtinere valerent, ab eorum Ecclesiis, quibus praeerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto, per Sedem Apostolicam absolvi procuraverint et ad claustra suorum Ordinum redeuntes se ad dignitates et Officia ac superioritates hujusmodi diversis modis et viis assumi eaque consequi satagerint et exinde quamplures dissensiones et contentiones ac religionis inobedientiae exortae fuerint et in dies exoriantur, in animarum suarum periculum et dictorum Ordinum opprobrium ac scandalum plurimorum,

§. 2. Nos, praemissis, prout ex debito pastoralis Officii tenemur, providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia volumus et apostolica auctoritate statuimus et *ordinamus quod nullus cujusvis Ordinis seu religionis professor, Episcopus seu Archiepiscopus, postquam munus consecrationis hujusmodi susceperit (etiam si a vinculo Ecclesiae, cui praeerat, per Sedem eamdem absolutus, eique, quod in suo Ordine remanere et ad dignitates ac Officia et superioritates*

hujusmodi assumi eaque obtinere posset, per Sedem eamdem seu illius auctoritate concessum foret), ad dignitates aut Officia seu superioritates hujusmodi, cujuscumque qualitatis existant et quovis nomine nuncupentur, eligi seu assequi aut obtinere nullatenus possit et ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat.

§. 3. Ac quaevis indulta, concessiones, *dispensationes et facultates ac aliae gratiae ei* tam a nobis et Sede praedicta, etiam per literas apostolicas, etiam in forma brevis vel alias ab ejus legatis seu nunciis aut majori poenitentiario nostro, quam a superioribus dictorum Ordinum ac quibusvis aliis, etiam ad id potestatem et auctoritatem habentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuscumque, etiam derogotoriarum derogatoriis, aliisque decretis, etiam motu et scientia similibus et desuper hactenus *concessa et in posterum concedenda, nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti sint et esse censeantur.*

§. 4. *Et si quis eum de caetero ad dignitates seu Officia aut superioritates hujusmodi scienter elegerit, jure eligendi perpetuo careat ac voce activa et passiva eo ipso privatus existat.* Revocantes, cassantes et annulantes omnia et singula indulta, concessiones, dispensationes, facultates et gratias hujusmodi, quorum tenoris, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, ac decernentes irritum etc.

§. 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum Ordinum, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis Episcopis et Archiepiscopis praedictis ac quibusvis alias concessis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod praesentium literarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicujus curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Julii 1559.

(Bull. r. t. VI. p. 565. Ed. Aug. Taur. 1860.)

6) Habitus.

a) Color et forma habitus diversorum Ordinum.

Habitus et color peculiaris fuit praescriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine regulari. *Passerin.* de statu hom. tom. 2. q. 187. art. 6. n. 13. et 17. et alii passim. Quam diversitatem habitus et praeceptum servandi formam illius juxta praescriptum in Constitut. procedere etiam quoad Moniales sub Regula approbata per Sedem Apostolicam viventes praecise resolvit S. C. Conc. 27. Apr. 1686 in Romana delationis habitus. Unde una Religio non debet nec potest assumere habitum alterius Religionis et ad hoc variae Religiones obtinuerunt expressa privilegia a S. Sede, ne eorum habitus ab aliis assumeretur; uti de PP. Praedicatoribus referunt Constit. Gregor. IV. et Innocentii IV. ambae incip.: *Quia confusio habitus*, Gregor. XI. incip.: *Virtute conspicuos,* Clem. VIII. et Alex. VII. ambae incip.: *Ex injuncto Nobis*, et Benedicti XIII. incip.: *Pretiosus in conspectu*, et de Minoribus Gregor. IX. Constitut. incip.: *Regularem vitam,* Clem. IV. Constiut. incip.: *Virtute conspicuos*, Urban. VIII. Constitut. incip.: *Cum sicut* et de mandato Innocent. XI. ad instantiam Pro-

curatorum Generalium Ordin. Minor. de Observantia et Reformator. et Capuccinor. S. C. E. et Regul. 21. Martii 1685 et novissime Benedicti XIII. Constit. incip.: *Alias emanarunt* edita a instantiam Procuratoris Ordinis Minorum de Observantia. Eodem privilegio gaudent omnes regulares Ordines, sive per speciales concessiones apostolicas sive per communicationem. *Rodriq.* q. 76. art. 1., *Portell.* dub. Regul. verb.: *Habitus* n. 6. et alii passim.

b) Deferendus non est a pueris.

Pueris quoque sexto aetatis suae anno expleto non licet neque possunt ex devotione habitum Religiosum deferre sed ipsum debent statim deponere, prout sub die 10. Januarii 1627 fuit rescriptum Neapoli Cardinali Boncompagno, ut per extensum refert *Lantusch.* Theatr. regul. verb.: *Habitus* n. 1.

c) Estne Deferendus patenter aut occulte?

Habitus Religionis debet patenter deferri non autem occulte. Nullus enim Religiosus de Jure communi potest habitum sui Ordinis dimittere, ut constat ex cap.: *Ut periculos.* a. 2.: Ne Clerici vel Monachi in 6., et ex Trident. sess. 29. de Regularibus cap. 19. in fin., ubi sic expresse habetur: „Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suae Religionis"; et sic docet *Navarr.* lib. 3. de Regul. consil. 51. n. 3. et consil. 53. n. 1., *Donat.* tom. 1. tract. 3. n. 3. et alii passim.

Potest autem Religiosus habitum occulte deferre, sed etiam deponere et alium inducere absque ulla culpa, dum transiturus est per loca Infidelium vel Haereticorum cum periculo vitae, aut ob metum servitutis, verborum vel alterius gravis incommodi et ut evadat incolumis, neque cognoscatur ab hostibus ipsum ad necem insectantibus et hujusmodi; arg. cap.: *Deus quaest.* 11. de vita, et honestate Clericor., sicuti ob similes rationabiles et justas causas potest Clericus occulte deferre suum habitum clericalem et alium induere, *Barbosa* in Clementin.: *Quoniam* 2. de vita et honestate Cleric., *Portell.* verb.: habitus §: Addit. n. 1., *Reiffenstuel* lib. 3. Decret. tit. 1. n. 112. et 117., *Bonacina* tom. 3. de Censuris disput. 3. qu. 6. punct. 6. n. 2., *Sanchez, Cajetan. Aragon.* et alii communiter post Glossam in cap.: *Clericus* 5. de vita et honestate Cleric. verb.: *Relaxaverint,* ubi id declarat exemplo Clerici, qui a Papa reprehensus, quod sine tonsura et habitu clericali Romam accessisset, sequentibus versiculis se excusavit:

Tutius ut peterem Laici sub immagine Romam,

Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

Vd.: *Regul.* (habitus — *mutatio.*)

d) Deferendus infra tempus Novitiatus.

Habitus non facit monachum sed Professio regularis, textu expresso in cap.: *Porrectum* 13. de Regularibus: cum monachum non faciat habitus, sed Professio regularis. Et est communis DD. sententia cum Glossa in citat. cap.: *Porrectum* v.: Non facit habitus. Ad hoc tamen, ut Professio regularis faciat verum monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre habitum monachalem seu regularem, aliter professio est invalida; Concil. Trid. cap. 15. sess. 25. de Regularibus; et sic tenent communiter Doctores et Gloss. in c. final. verbo: Habitus 17. qu. 2., in cap.: *Super eo de Regularibus,* ubi expresse dicit,

probationem debere fieri in habitu monachali, et cap.: *Statuimus*, de Regularibus; alioquin, inquit, non posset probare austeritatem monachalem, quae magna ex parte in vestibus consistit. Et quod in habitu saeculari nequeat fieri Novitiatus, expresse decrevit S. C. Epis. et Regul. in una Senogallien. 17. Apr. 1602 et in una Mediolan. 25. Oct. ejusdem anni 1602.

Habitus Novitiorum est triplex pro diversitate Religionum ac Constitutionum earum et consuetudinis, ut bene advertit Glossa communiter recepta *in Clement.: Eos, qui 2. de Regularibus verb.: Deinceps.* Primo enim: in aliquibus Religionibus est penitus indistinctus ab habitu Professorum, de quo in cap.: *Statuimus* 23. de Regularibus, et in cap.: *Is, qui 1. de Regularibus in 6.* Secundo: in nonnullis Religionibus est quidem distinctus, sed latenter seu non patenter, *ut, si habitus Professorum solet benedici, non habitus Novitiorum;* cit. cap.: *Statuimus* 23. de Regularibus, et citat. cap.: *Is, qui 1. de Regularibus in 6.* Tertio: in pluribus Religionibus est patenter et manifeste distinctus ab habitu Professorum; cap.: *Constitutionem 3. de Regularibus in 6.* v. gr., quia habitus Novitiorum est albus, Professorum vero niger, vel quia habet alia externa patentia signa, uti in mea Religione et Provincia, ubi ad Novitiorum habitus appenduntur petia ad distinctionem habitus Professorum. Deferre habitum *Novitiorum non est de essentia et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis*, sed sufficit deferre habitum Religionis seu professorum, quia, etsi de Jure communi canonico Novitatus debeat omnino et simpliciter fieri in habitu regulari, ut dicit Glossa in capit.: *Si quis* 3. caus. 16. quaest. 2. in verb.: Habitus, et habetur in cap. 1.: *Super eo*, de Regularibus, ibi: Religionis habitum susceperunt, et cap.: *Statuimus* 23. eod. tit., ibi: *Ante susceptum Religionis habitum;* nihilominus in citatis locis nihil in specie dicitur de habitu *Novitiorum*, sed tantum de habitu *Religionis*, qui aeque se extendit ad habitum Novitiorum et Professorum, etiamsi inter se reperiantur in aliqua Religione distincti. Quis enim diceret, quod in mea Religione et provincia habitus delatus per integrum annum Novitiatus, solum ex quo non habuerit appensa supradicta parvula petia, non sufficeret ad validitatem Professionis expressae, concurrentibus omnibus aliis requisitis? Tunc ex supradictis in pluribus Religionibus habitus Novitiorum est penitus indistinctus ab habitu Professorum, ut in specie de suo praeclarissimo Ordine Praedicatorum testatur doctissimus *Donatus* in praxi rerum Regular. tom. 2. tract. 10. qu. 23. n. 1. dicens, quod Novitiorum et Professorum est unus et idem omnino habitus, sola benedictione distinctus, et tamen validissimae sunt Professiones. Unde secundum Jura supracitata debet intelligi *Concilium Tridentin. in cap. 13. sess. 25. de Regularibus ibi:* „Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum (supple Religionis) in probatione steterit“, ut bene advertit *Suarez* tom. 3. de Religion. lib. 15. de ingressu cap. 14. n. 10., *Donatus* tom. 4. tract. 11. quaest. 4. n. 4., et patet ex eo, quia per Trid. l. c. non aufertur Professio tacita, quae incurritur per annalem probationem factam cum habitu Professorum; cap.: *Ad nostram* 8. de Regularibus et Clementin.: Eos qui 2. de Regularibus, et notat *Pellizar.* in tract. de Monialibus art. 2. sect. 2. qu. 13. n. 40., *Donatus* l. c. n. 4. et sic respondit S. C. C., ut refert Armendar. in addit. ad recopilat. legum Navarrae lib. 7. tit. 18. de Relig. n. 6., *Navarr.* in sua Lucerna Regul. verb.: Professio n. 24.

Hinc Novitius deferens per annum Religionis habitum completa integro anno probationis censetur tacite professus, si habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab habitu Professorum et aliunde concurrant aliae qualitates requisitae; *Clement.: Eos qui* 2. Regularibus per expressa verba infra adducenda; *Donatus* tom. 3. tract. 10. quaest. 22. num. 1. cum aliis infra citandis. Secus autem, si habitus Novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab habitu Professorum, nempe in colore, forma et scissura, prout in Ordine Minorum; habetur utriusque conclusionis decisio expressa in cit. *Clement.: Eos, qui* 2. de Regularibus, ibi: „Eos, qui deinceps in discretionis constituti aetate Novitiorum habitum in aliqua Religione per annum portaverint, hoc ipso Religionem illam decernimus esse professos, nisi hujusmodi habitus in colore, scissura vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu Professorum.“ Sic *Silvester* verb.: Relig. 3. quaest. 19. vers. 3. inducitur, *Navarr.* de Regular. consil. 41. n. 1. in edition., et comm. 4. eodem tit. num. 72 et 74., *Rodriq.* in compend. resol. 101. in fin., *Donat.* l. c. n. 2. et alii. Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem praecavendam; *Miranda* tom. 1. Manual. Praelat. qu. 24. art. 10. in fine, quia ipsummet signum, quod patenter defertur et quod a Professis distingit, est sufficientissima protestatio; Panormit. in cap.: *Ex parte,* et cap.: *Postulasti*, de Regularibus, *Donat.* l. c. n. 3. Nec nocent antiqua jura, quia censentur correcta per dict. *Clementin.: Eos, qui* 2. de Regular., *Donat.* l. c. n. 5. Immo *Silvester* l. c. dicit, quod talis delatio quantumcumque producta etiam ad centum annos nunquam talem Professionem inducet.

Novitio exeunti non est restituendus habitus Religionis sed illius pretium. Sic decisum fuisse a S. C. C. referunt *Navarius* in Lucerna Regular. verb.: Habitus n. 6., *Barb.* in sum. apostol. dec. eod. verb.: Habitus n. 9., *Lezana* in sum. qq. Regul. tom. 1. cap. 25. num. 38.

e) Deferendus est semper.

Religiosus tenetur semper portare habitum suae Religionis; colligitur ex cap.: *Sanctimonialis Virgo* 24. dist. 23., ibi: „In talibus vestibus applicetur, qualiter semper usura est Professioni et Sanctimoniae aptis“, et cap.: *Vidua* 15. 20. quaest. 1., ibi: Tunc accepta a Sacerdote apta Religionis Professioni veste, in quocumque loco consistens constanter ea utatur.“ Cum enim habitus sit signum protestativum propriae Religionis, adstringuntur Professi illum semper et in omni occasione portare, ex *Concilio Trid. sess. 14. cap. 6.* Verum ly semper debet intelligi moraliter, hoc est seclusis causis rationabilibus occultandi vel dimittendi habitum Religionis propriae, *Donat.* l. c. qu. 5. per totum. *An tamen Religiosus teneatur deferre proprium habitum etiam in lecto et dormire cum ipso sub culpa?* respondent Doctores, quod de jure communi non licet religioso Professo dormire sine habitu absque peccato nisi ab eo excusetur ex aliqua causa rationabili, ut colligitur expresse ex cap.: *Vidua* 15. causa 20. quaest. 1., ibi: „Seu in lectulo quiescens“, et cap.: *Sanctimonialis Virgo* 14. dist. 23. *An autem dormire sine habitu sit peccatum veniale seu mortale?* Relictis brevitatis gratia diversis Doctorum opinionibus, quorum aliqui volunt esse peccatum mortale, maxime si sit cum scandalo, respondeo cum sapientissimo *Donato* l. c. quaest. 10. n. 16., quod ad hoc dignoscendum unusquisque Religiosus debet attendere tenorem suae Regulae et particularium Constitutio-

num sui Ordinis. Quae si de hoc, quod quaeritur, nihil dicant, recurrendum est ad jus commune, nempe ad dict. cap.: *Vidua* 15. causa 20. quaest. 2., et cap.: *Sanctimonialis Virgo* 24. dist. 23., quae duo capitula, cum non sint praeceptiva sed consultiva, et inter consilium et praeceptum magni intersit, videtur dicendum, quod dormientes sine habitu, dempto contemptu et scandalo, non peccent ne quidem venialiter, etsi alias sint castigandi.

Cum quidam Canonicus Regularis Lateranensis obtinuisset Indultum apostolicum retinendi beneficium parochiale cum clausula servata forma Decreti Clementis X., dubitatum fuit primo: ***An teneatur deferre habitum regularem, tam in functionibus ecclesiasticis quam extra Ecclesiam?*** Et secundo: ***An eidem competat regressus seu reintegratio ad bona renunciata occasione Professionis regularis?*** Et S. C. C. in Firmana 23. Maii 1722 censuit ad *primum:* Ad mentem, ut servaretur solitum; ad *secundum:* Affirmative, quoad usum tantum. Sic refert Card. *Petra* tom. 5. comment. ad Const. 9. Sixti IV. sect. unic. sub num. 5.

f) Depositio.

Vd.: *Regul.* (habit. deferend. patenter etc.; mutatio).

Religiosus dimittens temere habitum suae Religionis est ipso facto excommunicatus, textu expresso in cap.: *Ut periculosa* 2.: Ne Clerici vel Monachi in 6., ibi: „Ut periculosa evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de caetero aliquis quamcumque Religionem tacite vel expresse professus in scholis vel alibi temere habitum Religionis suae dimittat, nec accedat ad quaevis studia literarum, nisi a suo Praelato cum Consilio sui Conventus vel majoris partis ejusdem sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa; si quis autem horum temerarius volenter extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.“ Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrendam hanc excommunicationem, cum sit animo vagandi et sine rationabili causa, secus si ex justa causa: *Barbosa* in dict. cap.: *Ut periculosa* num. 5., *Suarez* tom. 5. disp. 23. sect. 4. num. 27 et 29.; *Sanchez* in praecept. Decalogi tom. 2. libr. 6. c. 8. n. 51. et alii passim. Religiosus temere exiens e claustro cum habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat, cujus Ordinis sit Religiosus, incurrit dictam excommunicationem, quia, licet non dimittat habitum materialiter, dimittit tamen formaliter, in quantum est talis Religionis protestativus, et sine illo, sive dimisso sive abscondito, non cognositur quod sit hujus vel illius Religionis; *Bames* 2. 2. qu. 12. art. 1. qu. 3. dub. 2. concl. ultim., *Cajetan.* in Summ. verb.: Excommunicatio cap. 61., *Donat.* prax. rerum Regul. tom. 1. part. 2. tract. 6. qu. 8., *Navarr.* in Manual. cap. 27. n. 131., *Suarez* tom. 4. lib. 3. cap. 5. n. 12., *Rodriq.* tom. 1. qu. 30. art. 2., *Sanchez* l. c. cap. 8. n. 73.

Religiosus dimittens habitum temere, sed intra claustra, non incurrit dictam excommunicationem, quia ipsa incurritur ob dimissionem habitus factam ad finem libere vagandi, ut aperte habetur in principio ipsius Capit.: *Ut periculosa vagandi materia subtrahatur*, et cessante causa finali legis cessat legis dispositio; leg.: *Adigere §. 1. ff. de jure patronat.*, maxime si sit poenalis, ut est ista, de qua agitur, cum lex poenalis sit potius restringenda, quam amplianda; cap.: *Odia 15.*, et cap.: *In poenis* 49. de Regul. Juris in 6. Talis autem Religiosus in nostro casu, dum existit intra septa monasterii, ut sup-

ponitur, non potest dici, quod actu vagetur extra illud, adeoque non incurrit dictam poenam seu excommunicationem; *Donat.* l. c. quaest. 9. per tot., *Angelus* verbum: Excommunicatio 7. casu 27. et alii. Non incurrit dictam excommunicationem Religiosus, qui intra vel extra septa ex quadam levitate dimittit habitum suae Religionis, v. gr., ut quietius dormiat, melius studeat, expeditius currat aut saltet aut lapidem projiciat, ut habitum purget vel accommodet, ut se in balneo melius lavet, et hujusmodi, quia non censetur facta dimissio habitus ex contemptu legis; *Suarez* tom. 5. de censur. distr. 23. sect. 4. num. 29., *Donat.* l. c. quaest. 7. n. 2, *Sanchez* l. c. cap. 8. n. 55., *Sayrus* lib. 3. cap. 33. n. 13 et 14., *Barbosa* l. c. n. 6 et 8., et alii apud ipsum. Nec etiam dictam censuram incurrit, si habitum dimittat ad finem domestice manendi per totam diem in Camera vel alibi, dummodo saecularium conspectui non se exhibeat, quia talis dimissio habitus non dicitur facta ad finem vagandi; *Cajetan.* verb.: Excommunicatio cap. 61., *Donat.* l. c. quaest. 7. num. 3. et alii. Nec item incurritur dicta censura propter dimissionem habitus, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar vel ad aliquid turpius peragendum. *Sanchez* l. c. cap. 8. num. 56., *Donat.* l. c. quaest. 7. n. 3., *Barbosa* l. c. n. 9. et alii.

g) Habitus regularis non est deferendus a Clericis saecul. et viceversa.

Prohibitus est Clericis saecularibus habitus Regularium et Regularibus habitus Clericorum saecularium. Hinc in Concil. Aquisgrani anno 816 apud *Gonzalez* in cap.: *Intelleximus* n. 4. de stat. et qualit. habetur: „Reprehensibilem et ecclesiastica moderatione dignum apud plerosque Canonicos comperimus casum, eo quod contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis monachis utendum est, induant; cum utique illorum habitum usurpare non debeant, a quorum professione quodammodo distant, quia sicut eis incedens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimium inhoneste et valde indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant.“ *Cuculla* enim est talaris vestis, *Flocchus* dicta propria et distinctiva monachorum. Clement.: *Ne in agro, de statu monachorum*, *Gonzalez* in cit. cap.: *Intelleximus* 12. n. 4. de stat. et qualit., et cum aliis *Card. Petra* l. c. n. 14.

h) Mutatio.

Vd.: *Regul.* (habit. — depositio, deferend. etc.).

Ordinis Praedicatorum et s. Francisci fratribus apud infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire ac pecunias tractare valeant, indulgetur.

Honorius III. Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatoribus fratribusque Minoribus in regno Marochitana de mandato Sedis apostolicae commorantibus, salutem et apostol. benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum ad mandatum Sedis apostolicae voluntarie vos discrimini obtuleritis ob multorum salutem, provido usi consilio, interdum mutatis habitum, barbam nutritis et comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbarae feritatem, quae in christianis crudelius debacchatur, quam etiam ut prodesse pluribus et liberius visitare christianos in carceribus et locis aliis valeatis ad injun-

gendum eis poenitentiam, dandum salutis monita, exhibendum ecclesiastica Sacramenta. Cumque in terra illa gratis non possitis victualia invenire, pro eo, quod non panis sed pecunia consuevit ibidem pauperibus in subsidium erogari, urgens necessitas vos compellit charitative recipere, sed parce denarios expendere, et tantummodo propter cibum et vestes; unde cum haec sint contra vestri ordinis instituta, licet videatur vos ab iis excusare inevitabilis necessitas ac grandis et evidens utilitas aliorum, qui tamen cum Job veremini omnia vestra opera, districti examen Judicis recolentes, humiliter postulatis vestrae super his per Sedem apostolicam subveniri conscientiae atque famae. Cum igitur ex causa David coram Abimelech legatur habitum commutasse ac Dominum se innixisse in specie peregrini discipulis in Emmaus in fractione panis eis postmodum revelatum, qui etiam tam dictos pueros super eo, quod in necessitate comederant panes sanctos, quos eos contingere non licebat, quam Apostolos excusavit, dum ipsos Pharisaei arguerent, quod esurientes alienas non lotis fricantes spicas manibus comedebant,

Nos laudabile opus vestrum piumque propositum attendentes, vestris supplicationibus inclinati, super praedictis vobiscum in illis regionibus, quamdiu praescripta vos arctat necessitas et invitat utilitas, misericorditer dispensamus, dummodo tamen fraus non interveniat, sive dolus, vel sinceritatem vestram cupiditas non seducat.

Datum Laterani 16. Kalend. Aprilis. Pontificatus Nostri anno X.

Datum die 17. Martii 1226. Pontif. anno X.

(Bull. r. t. III. p. 417. Ed. Aug. Taur. 1858.)

7) Indulgentiae.

Vd.: *Indulg.* (Regul.).

8) Ingressus Sacerdotis saecul. in Ord. Regulares.

Vd.: *Constitutio Bened. XIV.* die 14. Jan. 1747. (Bull. r. t. XVII. p. 101.)

9) Obligatio processionibus interessendi.

Vd.: *Processio* (ad Episcop. novum etc.); *Processio general.; Processio* (obligatio Cleri etc.).

10) Officium.

Cf.: *Sancti; Calendar.; Breviar.; Translatio; Patronus; Dedicat. Eccles.* (Off. etc.); *Compatronus; Episcopus sanctus; Officium* (Obligatio ad quod?); *Officium particulare; Dies fixus; Regul. Episcopi* (Officium).

Possunt et debent recitare fratres Minores s. Francisci concessa Officia in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus etc. a toto Clero tam saeculari quam regulari in diebus fixis, ex. gr. de B. V. M. de Monte Carmelo die 16. Julii, de s. Rosa v. Limana die 30. Aug. etc., ubi concessio extenditur etiam ad Regulares. n. 3019 ad 2 die 20. Martii 1683.

In occurrentia dictorum Officiorum cum propriis Calendarii Ordinis servanda est rubrica de translatione festorum in dispari ritu vel dignitate. *Ibid.* ad 3.

Si vero sunt ejusdem ritus et dignitatis, praeferendum Officium, quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur. *Ibid.* ad 4.

Si aliqua ex dictis Officiis concessa sunt recitanda in diebus Dominicis (v. g. de B. V. M. de Mercede etc.) et aliqua ex dictis Dominicis impediantur aliquando ab alio Officio majoris ritus vel dignitatis, Officium ex concessis *in tali casu et anno debere omitti. Ibid.* ad 5.

Quando occurrit festum aliquod in dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares de eo debent Officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud, quod sit ejusdem cl., ritus et majoris dignitatis. S. R. C. 5. Maii 1736.

Bononien.

Quum ex literis apostolicis datis in forma Brevis apud S. Mariam Majorem 3. Idus Septembris anni 1740 a s. m. Benedicto PP. XIV. Fratres ac Moniales Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium dioecesis Bononien. ea sint in opinione se teneri in recitatione horarum canonicarum ad omnia et singula Officia propria ejusdem dioecesis; ad omnem ideo dubitationem repellendam conscientiamque sedandam humillime a SSmo D. N. Leone XII. Pontifice Maximo petierunt vel dispensationem ab hujusmodi obligatione vel saltem, ut nihil innovetur circa recitationem Officiorum dioecesis, juxta quod pene ab immemorabili servatum est.

Sanctitas Sua referente infrascripto S. R. C. Secretario benigne annuit, ut fratres et moniales Ordinis Minor. s. Francisci Conventualium, in Bononiensi dioecesi degentes, in posterum valeant observare S. R. C. generalia Decreta quoad Officia propria cujusque dioecesis, in qua Regulares morantur, juxta quod etiam sancitum fuit a s. m. Pio PP. VI. decreto 16. Dec. 1797 pro Fratribus ejusdem Ordinis Provinciae Bononien. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

N. 4608. Die 15. Mai 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Antiqui moris erat tam Bononiae ejusque dioecesi, quam in universa Provincia, ut Regulares utriusque sexus, iis minime exceptis, qui proprio Directorio et Breviario utuntur, praeter Officia Ordinis seu Congregationis necnon Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Patroni principalis de aliis etiam Sanctis dioecesis cum Officio et Missa memoriam facerent. Id sibi nedum licitum esse arbitrabantur, attenta consuetudine, quam immemorabilem dicunt, verum etiam ex praecepto teneri, postquam s. m. Pontifex Benedictus XIV., qui fuerat Bononiae Antistes, ad Petri Cathedram evectus, adjicere cogitavit Lectiones proprias Officiis Sanctorum, qui vel Episcopi Bononiae fuerant vel ad eamdem civitatem peculiari titulo spectabant, quas, opere absoluto, Bononiam misit, districte praecipiens et mandans, ut recitarentur *ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur*, ut ex literis in forma Brevis datis die 11. Septbr. 1740. Idipsum voluit quoad lectiones et orationem propriam in anniversaria die translationis capitis s. Petronii Episcopi et principalis Patroni civitatis Bononiae, necnon quoad Officium *b. Nicolai Albergati Cardinalis etc.* Inter autem Regulares, qui praefatum morem sequuti sunt, adnumerantur Religiosi Ordinis Conventualium s. Francisci. Verumtamen ad preces P. M. Joannis Bovi Commissarii generalis Provinciae Bononiae s. m. Pontifex Pius VI. mandavit, ut in posterum *ab omnibus coenobiis dictae Provinciae (Bononiensis) recitetur Officium juxta Calendarium proprium ipsius Ordinis, nullo alio adjecto Officio, nisi Patronorum principalium civitatum et locorum, in quibus ipsa coenobia sita sunt, et Dedicationum Ecclesiarum Cathedralium,* ut ex decreto S. R. C. die 16. Decbr. anno 1697. Orta hinc dubitatio est, num Patres Conventuales Provinciae Bononiensis huic obtemperare Decreto tenerentur, an potius possent, tuta conscientia, antiquum sequi morem seseque Calen-

dario dioecesano accomodare quoad illorum Sanctorum Officia, in quibus lectiones proprias *ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur*, districte recitari laudatus Pontifex Benedictus praeceperat. Nec dubitatio iniqua erat; quia in supplici libello porrecto a Commissario generali Conventualium Provinciae Bononiae nulla facta fuerat mentio jussionum praefati Pontificis Benedicti XIV., illorum praevaluit opinio, qui ab onere faciendi Officia propria de Sanctis Dioecesanis solutos se non esse censeant et iterum eadem Officia Directorio addiderunt anno 1804 usque ad annum 1820. Ab hujusmodi additione sistere dein opus fuit, quia supremus Conventualium Ordinis Moderator sub die 24. Martii 1820 districte praecepit, ut omnes uti deberent Calendario perpetuo a sa. mem. *Pio VII. die 4. Decembris 1819* approbato, juxta peculiares Ordinis regulas a Benedicto XIV. confirmatas: quamobrem in Calendario pro Conventualibus Provinciae Bononien. additum fuit monitum, quod *in posterum non liceret adjicere aliud quodcumque Officium, nisi Patroni praecipui dioecesis vel loci Dedicationis propriae Ecclesiae et Titularis, servata forma Decreti 16. Decbr. 1727.* Composita res videbatur, sed secus accidit: nonnulli namque in sententia perstabant, quod Decretum antedictum anni 1797 non afficeret, quia in eodem nulla mentio facta fuerat literarum et jussionum Benedicti XIV., neque propterea iisdem derogatum videbatur; idcirco in re satis dubia ad imponendum controversiae finem, ac ut, quid foret agendum in posterum, certo tandem innotesceret e re sua esse duxit admodum Rev. Pater Joannes Franciscus Barbieri ejusdem Ordinis alumnus et civitatis Bononiae coenobio adscriptus, cuncta documenta, quae disputationi causam dederant, in unum colligere et, reposito quolibet partium studio, supplici libello SSmum D. N. Leonem XII. Pont. Max. exorare, ut dignaretur definire vel per declarationem vel per dispensationem, ad quae dioecesana Officia praefati Conventuales dioecesis Bononiae teneantur. Et Sanctitas Sua, audita relatione Ei facta per Secretarium S. R. C., confirmando Decretum sa. mem. Pii VI. ita precibus annuit, ut ab iisdem fratribus et monialibus in Bononiensi dioecesi degentibus servanda in posterum essent generalia S. R. C. Decreta, quae jubent a Regularibus non alia recitanda esse dioecesana Officia, praeter illa Patroni principalis civitatis vel loci necnon Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

Facti series haec est, quam necesse erat exponere, quin forte ex praefato Decreto alia excitari controversia posset. Sciscitabitur aliquis, num idem Decretum extendi debeat etiam ad alios utriusque sexus Regulares, qui vel in civitate et dioecesi Bononiensi commorantur vel in eadem Provincia habent coenobia, quique se tueri posse arbitrantur aut antiquae consuetudinis ratione aut vigore apostolicarum literarum, quas utrique Clero Benedictus XIV. inscripsit. Mea quidem sententia extendi haud debere videtur, tum quia Decretum datum est ad petitionem dumtaxat fratrum et monialium Ordinis Minor. s. Francisci Conventualium dioecesis Bononiensis, tum etiam (opinari quis posset), quia Sanctitas Sua non praeceptum positivum imposuisse alicui videtur, cum verbum facultativum adhibuerit, *valeant.* Quamquam postrema haec ratio haud prodest, quia, licet facultativa sit distinctio: *valeant,* separatim a contextu accepta, praeceptiva evadit, si cum contextu consideretur. Concludit namque Decretum, *juxta quod etiam sancitum fuit a sa. mem. Pio Papa VI*

Decreto 16. Decembris 1797. Atqui in eodem Decreto praeceptum impositum est, cum legatur: *mandavit ut in posterum in omnibus coenobiis ejusdem Ordinis dictae Provinciae recitetur Officium juxta Calendarium proprium ipsius Ordinis, nullo alio adjecto Officio, nisi Patronorum principalium civitatum et locorum, in quibus ipsa coenobia sita sunt, et Dedicationum Ecclesiarum Cathedralium,* praeceptivum etiam evadit postremum Decretum, etiamsi in eodem facultativa dictio fuerit adhibita.

Verum, quaecunque sit intelligentia praefati Decreti, certum tamen est, idem non extendi ad alios Regulares ejusdem Provinciae, cum afficiat dumtaxat fratres et moniales Ordinis Conventualium. Quid igitur de aliis censendum est? Nollem hanc quaestionem attingere; nihilominus, quae mea sit opinio dicam paucis; sed in ea sustinenda non adlaborabo neque scrupulos excitare meus est animus, si alii secus censeant et fas sibi esse credant contrariam sequi. Discrimine arbitror opus esse. Vel Regulares proprium non habent Directorium et Dioecesano utuntur, vel proprio Ordinis Calendario in explendis Horis canonicis se conformare tenentur. Primos ad festa et officia dioecesana adstrictos esse non dubito, secus opinor de aliis, quin iisdem prosint vel consuetudo vel perperam acceptae Benedicti XIV. jussiones. Non consuetudo, quam non valere declaravit S. R. C. *in una Ordinis Minorum s. Francisci Reformatorum etc. die 11. Jan. 1755,* nam ad dubium secundum, quo petebatur: *An Patres praedictae Provinciae (s. Mariae de Arabida in regno Portugalliae) debeant vel possint continuare recitationem Officiorum specialium Calendarii dioecesis vel ab illa totaliter abstinere?* Respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et serventur Decreta S. C. et Constitutiones Ordinis;* non *Benedicti XIV.* jussiones, etsi namque literas ipse dederit *universo Clero saeculari et regulari civitatis et dioecesis Bononiensis ac in iisdem districte praeceperit ac mandaverit, ut lectiones proprias apostolica auctoritate approbatas recitare in posterum deberent omnes, qui ad Horas canonicas tenentur,* praeceptum tamen ad illos dumtaxat Regulares referendum esse videtur, qui Calendario dioecesano utuntur, non autem extendendum ad alios, qui habent Breviarium et Calendarium proprium Ordinis Congregationis et Instituti, cui juxta peculiares Constitutiones ab apostolica Sede approbatas omnino et adamussim conformare se debent. Nec aliam fuisse mentem sapientissimi Pontificis putandum est. Eum quippe latere non poterant incommoda, quae ex hujusmodi accessione proprio Ordinis Breviario utentibus obventura forent. In disponendis Calendariis mira oriretur perturbatio et confusio. Nedum commendanda verum etiam necessaria illa concordia cessaret in divinis laudibus persolvendis servanda ab idem Institutum profitentibus. Praeterea, multiplicatis Officiis, frequentiores essent translationes et deficientibus circa anni finem diebus liberis pro eorumdem repositione oriretur necessitas plura semiduplicia vel etiam duplicia de praecepto aut omittendi aut ad ritum simplicem reducendi. Id tam verum est, ut nonnunquam S. Congr. rogata fuerit, ut opportuno remedio provideret. Ita quoad Ordinem Minorum Capuccinorum, exponente Procuratore et Commissario generali, in *nonnullis sui Ordinis Provinciis, ob multitudinem Officiorum dioecesanorum pedetentim introductorum singulis quibusque annis plura Officia de praecepto, quae supersunt, ad Ritum*

plicem redigi necesse esse, S. C. sub die 27. Martii 1773 Officia dioecesana omittenda esse respondit et dandum Decretum in Portugallien. Ordinis Min. etc. a nobis supra relatum. Minores vero Ordinis s. Francisci de observantia Provinciae Gotolaunien. ob Officiorum redundantiam a S. Congreg. petere coacti fuerunt. *Ut abrogentur nonnulla festa secundaria Sanctorum Ordinis, ut festis Sanctorum tollerentur octavae, aliquibus tantum retentis, ut ad unam diem unirentur festa Dedicationum Ecclesiarum omnium Conventuum dictae Provinciae. Et S. C. sub die 19. Jun. 1773 abrogavit omnia festa secundaria et octavas, quibusdam tantum retentis.* Alia omitto, quibus idipsum possem confirmare.

Paucis rem absolvam. Ego quidem, ut supra dixi, Regularibus, qui proprium habent Breviarium et in coenobiis Provinciae Bononiensis commorantur, ut de Sanctis dioecesanis Officium faciant, opinor, haud prodesse consuetudinem aut dictiones, quae in apostolicis literis Benedicti XIV. continentur, videlicet: *Clero saeculari et regulari, omnibus qui ad Horas canonicas tenentur*, cum eaedem et aliae similes, mea quidem sententia, ad Regulares referendae sint, qui Breviario et Calendario dioecesano utuntur nec proprium habent. Nec tamen si aliqui censeant sub iisdem dictionibus omnes indiscriminatim comprehendi, non ita meae sententiae tenax adhaereo, ut eosdem in errore versari credam. Forte dubitari potest, num et quae vera sit dictionum intelligentia. Ast in dubio adeunda est S. R. C., quae dirimat quaestionem et, quod obscurum est, sua auctoritate declaret. Hoc usi sunt remedio Patres Ordinis Minorum Conventualium ad dubitationem repellendam conscientiamque sedandam, ut patet ex Decreto, cui hanc adnotationem adjicere opportunum duxi.

Ad dubium: Regulares, *utpote ejecti a suis coenobiis* in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam Parochi vel Vicarii variis Ecclesiis praefecti, pro Officio recitando Missaque celebranda an possint vel debeant recitare Officium et Missam celebrare juxta Calendarium dioecesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel juxta Regulare Calendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro populo celebrandam, ut in Calendar. dioecesis."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 5 die 23. Maii 1846.

Ad dubium 1.: An Religiosi utriusque sexus proprium Calendarium non habentes uti debeant Calendario dioecesano?

2. An oneri satisfaciant divini Officii persolvendi, si alio quam dioecesano Calendario utantur?

Emi et Rmi PP. respondendum censuerunt

Ad 1.: „Affirmative, additis Officiis peculiariter concessis Regularibus in illa dioec. commorantibus."

Ad 2.: „Provisum in praecedenti."
Atque ita servandum mandarunt.
N. 5125 die 22. Julii 1848.

Ad dubium 1.: Utrum Alumnus familiae Capuccinorum *iter faciens*, teneatur extra chorum ad Officium, quod recitatur in choro coenobii, a qua discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

2. Tempore Quadrag. divini verbi praecones commorantes extra coenobium tenenturne se conformare ordini divini Officii coenobii vicinioris vel ejus, ex quo decesserunt et ad quod redire post Pascha debent?

3. Eodem Quadrag. tempore, quando Officium fit feriale, cui adnexum est

Officium parvum B. V. M. vel psal. grad. aut poenitent.: haec additionalia anticiparine possint die praecedenti post completorium, si anticipetur divini Officii matutinum?

S. C. resp.

Ad 1.: „In itinere sequendum divini Officii ordinem coenobii, ex quo discessit; dum pervenit et manet in altero coenobio, etsi ad tempus, hujus ordinem Officii sequatur."

Ad 2.: „Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad provinciae calendarium sine ulla diversitate, pro omnibus quolibet anno extensum."

Ad 3.: „Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei."

Die 31. Aug. 1839 ***in Ord. Minor. s. Franc. Capuccin.***

Vd. ***infra decr. de die 14. Maii 1803.***

Superior gener. Ord. Praedicatorum ad hoc, ut a s. Sede obtineat pro toto Ordine novum Officium vel elevationem Officii jam habiti juxta rubricas §. XXXI. n. 2. Breviarii Ord. Praed., non indiget consensu Superiorum inferiorum ejusdem Ordinis vel Capituli generalis. n. 5023 ad 1 die 14. Junii 1845.

1. Obtento et acceptato a Superiore gen. novo Officio vel ritus elevatione, de quibus supra, an sit in facultate Superiorum inferiorum illa acceptare, vel necne?

2. An sequens Superior gen. respuere possit praedictum novum Officium vel ritus elevationem a suo Antecessore obtentam et acceptatam?

3. Supposito quod Superior gener. absque aliorum consensu possit a S. S. novum Officium vel elevationem ritus obtinere, et quod Successor Superior gen. ac Superiores inferiores nequeant praedictum novum Officium vel ritus elevationem respuere, quaeritur: an unusquisque pro adimplemento oneris divini Officii strictim adigatur praefatae concessioni se conformare?

Emi et Rmi PP. S. tuendis Ritibus praepositi respondendum censuerunt

Ad 1.: „Negative, sed teneri acceptare."

Ad 2.: „Non posse ad tramites praedicti Decreti diei 13. Jan. 1631."

Ad 3.: „Affirmative in omnibus."

Atque ita declarandum, rescribendum ac omnino in Ordine Praedicatorum servandum edixere. n. 5023 ad 2. 3. 4. die 14. Jun. 1845.

Vd.: *Immaculata Conceptio B. V. M.* (Officium, decr. n. 5051).

Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula.

Dum R. P. Vicario Provinciali Ordinis Minimorum s. Francisci de Paula innotuit ab hac S. R. C. usque ab anno 1831 pridie Idus Novbr. in una Marsorum ad dubium 50. definitum fuisse, quod Beneficiarii teneantur semper ad Officium propriae Ecclesiae et quod simplices Sacerdotes conformare se possint Officio loci, ubi morantur, subito ab ipsa S. C. exquirendum duxit, num Decretum istud afficiat etiam sui Ordinis Alumnos, sequentia duo dubia proponens pro debita solutione, nimirum:

1. An Regulares subditi uti valeant hujus Decreti privilegio recitando Officium et celebrando Missam Conventus vel Dioecesis, in quibus morantur, licet ad breve tempus, vel an teneantur ad Officium illius Conventus, a quo percipiunt victum et vestitum, ita ut reputentur veluti beneficiati?

2. An Generales et Provinciales, qui in quocumque Ordinis et Provinciae Conventu Superiores reputantur, recitare possint Officium Missamque celebrare Conventus vel Ecclesiae, in quibus ad breve tempus degunt?

Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in ordinario coetu ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit utrique dubio proposito respondendo: „Semper sequendum esse ordinem Officii juxta coenobium, in quo moram faciunt etsi ad tempus, quia ubique choro interesse tenentur."

Et ita rescripsit.

N. 5175 die 25. Septbr. 1852.

Ad dubium: An Regularis transiens ab uno ad alium Conventum parte anni jam transacta, sive ad tempus sive perpetuo ibi moraturus, durante ipso anno debeat in recitatione privata Officii divini extra chorum se conformare Calendario conventus, a quo discessit, an potius illius, in quo actualiter habitat, si propter festa dioecesana differant multoties Calendaria tam in festis occurrentibus quam in translatis?

S. C. resp.: In privata Officii recitatione extra chorum se conformantes Calendariis Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis horarum canonicarum.

Die 14. Maii 1803. *In una Ord. Carm. Lusit.*

Vd. supra decr. de die 31. Aug. 1839.

Ordinis Monachorum Cisterciensium.

Quum Rmus P. Procurator gen. Ord. Cistercien. iteratis humillimis precibus SSmum D. N. Pium IX. P. M. enixe rogarit, ut instar concessionis usque ab anno 1764 III. Non. Aug. factae Ordini s. Benedicti Congr. Olivetanae ac in sequentibus annis Camaldulensibus et Cassinensibus extensae de apostol. benignitate indulgere dignaretur omnibus et singulis personis Eccles. saecul. servitio Monasteriorum et Ecclesiarum ac Granciarum sui Ordinis addictis, nunc et pro tempore existentibus aliisque intra claustra eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus et cum Monachis conviventibus, ut donec et in servitio praedicto seu in convictu intra claustra cum Monachis perduraverint, si divinum Officium horasque canonicas recitare teneantur, absque ullo conscientiae scrupulo Officium divinum horasque canonicas juxta Ritum ipsius Ordinis Cisterc. seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi existunt seu servitio addicti reperiuntur, non solum in choro cum monachis, sed etiam si in choro uno cum aliis monachis minime praesentes sint, seorsim et separatim recitare possint et valeant. SS., referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit pro extensione supraenunciati Indulti, dummodo tamen Sacerdotes aliique eccles. Saeculares aliquo Beneficio speciale Officium requirente non sint provisi et consensu proprii Ordinarii sint muniti. n. 5052 die 28. Aug. 1846.

Ad dubium: An Decretum in una Ordinis Capuccinorum die 31. Aug. 1839 ad dub. 2. opponatur praescripto a Rubrica Ordinis n. 152. mandante ut Religiosus, quoties extra coenobia Ordinis diversatur, recitet Officium juxta Calendarium sui Conventus?

S. C. resp.: Negative, nam Decretum illud non respicit Alumnos Ordinis Observantium.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 6 die 16. Apr. 1853.

Ad dubium: Cum aliquoties contingat alteri novo Officio Nostratibus (Ordin. Minor. s. Francisci de Observ. in Provincia Bononiensi) concesso adsignari ab hac S. R. C. vel a Rmo P. Ordinis Generali diem in Calendario Ordinis liberam, et quidem sub hac ratione, quia libera est, nam, ut hic supponitur, dies ipsius natalitia non

est; quaeritur: an casu quo praefatum novum Officium inveniat in aliquibus Conventibus assignatam diem occupatam ab altero Officio inferioris ritus jam ibi fixe translato juxta Rubricas, debeat illud ipsum novum Officium huic praeferri utpote majoris ritus, licet nullum jus ad talem diem habeat praeter assignationem ut supra a Superioribus factam?

S. C. resp.: Affirmative, ut in Mechlinien. diei 7. Dec. 1844 ad dub. IV.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 3 die 16. Apr. 1853.

Ad dubium: An illi Monachi, qui quotidie pergunt ad s. Paulum divini Officii persolvendi causa, debeant recitare in Ecclesia s. Pauli Officium s. Callixti Titularis Ecclesiae hospitii?

S. C. resp.: Negative. Die 5. Oct. 1697 *in una Urbis* ad 2.

Ad dubium 1.: Quaeritur quid agendum sit, si idem Officium, quod concessum fuit Congregationi Clericorum Regul. s. Pauli Barnabit., indultum quoque fuit dioecesi, in qua moramur, sed pro alia die?

2. Quaeritur quid agendum sit, si pro eodem quidem die sed sub alio ritu idem Officium tum Congregationi nostrae tum dioecesi, in qua moramur, indultum fuit?

3. Quaeritur quid agendum sit, si quando Congregationi nostrae aliquod Officium de communi, dioecesi vero proprium concessum fuerit vel viceversa?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuerunt

Ad 1.: „In casu Clericos Regular. s. Pauli conformare se debere quoad diem Calendario dioecesano."

Ad 2 et 3.: „Clericos Regulares debere celebrare festum ritu altiori et Officio proprio respective; dummodo in concessione Officii proprii facta dioecesi Regulares explicite non excludantur."

N. 5230 die 29. Nov. 1856.

11) Ordinatio.

Vd.: *Ordinatio Regular*; *Ordinatio* (Titulus; tempus, decr. Pii VI.) vd.: *Constitutio Benedicti XIV.* die 27. Febr. 1747 (Bull. r. t. XVII. p. 106); *Votum Regular.* (Decr. de die 20. Jan. 1860).

12) Ordinario (tamquam Sedis ap. Delegato) subjecti.

Vd.: *Constit. Innoc. X.*: Ut in parvis etc. *de die 10. Febr. 1654* in Bullar. magn. rom. tom. V. pag. 487 (ed. Luxenburg. 1727) et: *Declarationes Alexdr. VII. ad hanc constit.* (ibidem tom. VI. p 5).

Ordinariis subjiciuntur in his, quae ad divinum Cultum necnon ad administr. SSrum aliaque Spiritualia spectant, vd.: Constitut. Pii IV. 16. Febr. 1564 (ibidem t. X. p. 138); *Constit. Gregorii XV.* 9. Febr. 1623 (ibidem p. 183); *Constit. Bened. XIII.* 27. Mart. 1726 (ibidem t, VIII. p. 495).

De jurisdictione Episcop. quoad Ecclesias paroch. Regularium et personas curam animarum Subditorum saecularium in eis exercentes, vd.: *Bullam Bened. XIV.* 6. Novbr. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 249); *Constitutio Clem. XIII.* de die 11. Decbr. 1758 (Bult. r. Contin. t. I. p. 72. Edit. Rom. 1835).

13) Praecedentia.

Vd.: *Processio* (Clerus regul.); *Processio* (Regularium); *Sepult.* (associatio): *Processio fun.* (facienda a Regul.).

14) Votum simpl. et sol.

Vd.: *Votum Regul.*

RELATIONES

super Statibus Ecclesiarum etc. ab Episcopis et aliis Praelatis inferioribus exhibendae.

Vd.: *Visitatio Liminum*; *Status Ecclesiar.*

Erectio Congregationis particularis nonnullorum romanae curiae Prae-

latorum Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum adjectae pro excipiendis examinandisque relationibus Episcoporum, Abbatum etc. super statibus earumdem Ecclesiarum.


Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Decet romanum Pontificem pro divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum, quae catholicae Ecclesiae utilia ac salubria sunt et sacris Canonibus et apostolicis Constitutionibus consona, constituere, sed evangelici patrisfamilias exemplo, pro cujusque ingenii et facultatem viribus, talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quae decreta sunt, executioni prospicere.

§. 1. Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. praedecessor noster per suas apostolicas literas, quarum initium est: „*Romanus Pontifex*", decrevit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus bb. Apostolorum Petri et Pauli limina personaliter ac per se ipsos visitaturos, legitimo autem impedimento detentos per certum nuntium id adimpleturos rationemque reddituros romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum pastorali Officio deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praeessent, Ecclesiarum statum quovis modo pertinentibus; et idem Sixtus praedecessor deinde per consimiles literas, quae incipiunt: „*Immensa*", Congregationi S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem postulata audirent, et quae per se possent, ex caritatis et justitiae norma expedirent, majora ad se suosque successores referrent. Nos vero necessariis ac legitimis de causis animam nostram moventibus per literas nostras nuper emanatas praefati Sixti praedecessoris literas de sacris visitandis bb. Apostolorum liminibus, et omnia in eis contenta confirmavimus atque innovavimus *), praecipientes praeterea et mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Praepositis aliisque quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insignitis, tam Regularibus quam Saecularibus, qui Monasteriis seu Ecclesiis, quae nullius nuncupantur, cum jurisdictione spirituali et territorio separato, quocumque jure et titulo praeficiuntur, ut antequam suorum Monasteriorum et respective Ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si praesentes Romae fuerint, si autem absentes, in manibus Nuntii vel Legati Sedis apostolicae seu alicujus catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi se juramento obstringant, sacras bb. Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos vel, legitime impeditos, per certum eorum Nuntium visitaturos et insuper certis praescriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum seu Ecclesiarum procuratione aliisque omnibus, quae ad ipsarum Ecclesiarum et Monasteriorum statum, ecclesiasticam Cleri et populi disciplinam, ad animarum salutem et ad divinum cultum et gloriam pertinent, prout in singulis ejusdem Sixti praedecessoris ac nostris respective literis praedictis, quarum integros tenores hic pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, in-

*) Vd.: *Visitatio Liminum etc.* (ab Abbatibus etc., Constit. Bened. XIV. 23. Nov et 15. Decbr. 1740).



notuit, venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius, quam optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento et nonnullorum querela, postulata, quae occasione visitationis sacrorum liminum fieri solent, audire et responsa praebere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quominus se in hanc urbem conferre possint, absentes vel Romae praesentes, debitae suarum Ecclesiarum relationis Officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum praedictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes necnon venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere et sollicitae literarum et responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhaerentes etiam exemplis SS. nostrorum Praedecessorum, e quibus beatum Damasum Praedecessorem nostrum in chartis ecclesiasticis juvisse et Orientis Occidentisque consultationibus respondisse de se b. Hieronymus affirmat, ex certa scientia et apostolicae potestatis nostrae plenitudine tenore praesentium perpetuo erigimus, instituimus et decernimus particularem Congregationem nonnullorum romanae curiae Praelatorum a nobis et romanis Pontificibus successoribus nostris pro tempore deputandorum, quorum munus et officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorumdem venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Praepositorum aliorumque tam saecularium quam regularium separatum territorium habentium et jurisdictionem quasi episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quae in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Cardinalium decretorum praedictorum interpretum vel Nobis directas et a Nobis ad praefatam Congregationem remissas diligenter inspicere omniaque in eis contenta in eorum Conventibus et particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis et perpensis, quae majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes praedictos, et deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis praedicta particularis Congregatio habita non fuerit, et romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur, ut, votis eorumdem Cardinalium et Praelatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus provinciis et terrarum orbis partibus ad Sedem apostolicam a primis Ecclesiae temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere et Episcoporum aliorumque praesulum postulatis et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

§. 3. Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum viri eligantur idonei, ideo Nos venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem et dilectos filios Magistros in utraque nostra signatura referendarios Antonium Mariam Erbam, Bartholomaeum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum in praedictae particularis Congregationis a Nobis, ut praefertur, erectae et institutae Praelatos earumdem tenore

praesentium deputamus, nominamus et constituimus; eosdem autem Praelatos a Nobis, ut spra, deputatos et a romano Pontifice pro tempore deputandos, praefatae Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentini Synodi decretorum interpretum apostolica auctoritate praedicta ita adjungimus et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tanquam membra capiti in praemissis obsequantur et in commisso sibi munere suffragentur; propptereaque Nos eorumdem Praelatorum particulari Congregationi Praefectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium tituli s. Stephani in monte Coeliò ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis praedictae Cardinalium decretorum Concilii interpretum pariter Praefectum, Secretarium vero venerabilem fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Praefecturae et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus et deputamus. Insuper quia opportunum et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam praebet, de rerum tractationibus in particularibus praedictorum Praelatorum Conventibus seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum praedictae Congregationis Cardinalis Praefectus eisdem fratribus Episcopis aliisque praesulibus supradictis eorumque potissimum postulatis diligentius ac commodius possit satisfacere, volumus et eadem apostolica ausctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Aeneas Silvius Picolomineus, qui nunc est et qui fuerit deinceps eidem Congregationi latinarum epistolarum hujusmodi a secretis, in eorumdem Praelatorum Conventibus et Congregationibus locum habere et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre possit et valeat.

§. 4. Non obstantibus quacunque contraria consuetudine, quam ad praemissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus et abolemus, et abrogatam et asolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 23. Novbr. 1740. (Bull. Bened. XIV. t. I. p. 24.)

RELIQUIAE.

1) In Altari rite ponendae.

Vd.: *Altare port.* (Execratio); *Consecratio altaris*; *Reliquiae* (impositio etc.); *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil., decr. n. 4742).

Rhedonen.

Reverendissime Domine uti Frater.

Gravissima quidem res est, quam amplitudinis Tuae literae datae 14. Kalendas Augusti vertentis anni enarrant, nimirum quamplurima altaria parochialium Ecclesiarum hujus Rhedonensis dioecesis ita a Praedecessoribus tuis fuisse consecrata, ut in ipsis ss. Martyrum Reliquiae vel penitus desiderentur vel, si appositae fuerunt, non tamen servatae sunt rituales hae caeremoniae, quae ab ecclesiasticis legibus sancitae reperiuntur. De hac ipsa re inter caetera negotia actum quum fuerit in Ordinariis S. R. Comitiis infrascripta die coadunatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serio perpendentes indulgeri omnino non posse, uti in votis erat amplitudini Tuae, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, nil statuendum censuerunt quin antea exposceretur oraculum Sanctissimi Domini Papae, ac propterea

rescripserunt: „Ad Dominum Secretarium cnm Sanctissimo.“ n. 4828 die 23. Septbr. 1837.

Suo itaque munere fungens subscriptus Secretarius SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. singula fideliter exposuit mentemque S. Congregationis aperuit. Ast quum SSmus Dominus praeceperit, ut ulterius per alterutrum ex apostol. Caeremoniarum Magistris conficeretur apposita Instructio pro Rmo Rhedonen. Episcopo, hac tandem habita et a Sanctitate Sua probata edixit, ut per particulares literas hujus S. Congregationis amplitudini Tuae injungeretur, ut ad tramites omnino ipsius Instructionis huic fasciculo insertae defectibus suppleat a Praedecessoribus tuis admissis in consecratione altarium, de quibus in precibus atque ita absque admiratione et scandalo ea qua par est sollicitudine et prudentia singula ordinet et componat.

Dum ita Sanctitatis Suae et S. Rit. Congregationis jussis obtempero mentemque aperio, ut singula exequutioni demandet, amplitudo Tua felix et incolumis vivat.

Romae die 6. Octbr. 1837.

Rmo Domino uti Fratri Episcopo Rhedonensi.

Tenor autem Instructionis adjectae est sequens:

Altare, super quo celebratur missa, vel fixum vel portatile, scilicet cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet, ac pro ipso altari portatili sive petra sacra praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro Reliquiae ss. Martyrum juxta verba Apocalyps: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Jesum Christum caput Martyrum ejusque membra juxta s. Augustini verba: „Convenienter autem et quasi quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.“ Ideo Sacerdos post confessionem osculans altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas, ut in altari sit sepulchrum Reliquiarum. Reliquiis enim non appositis et deficientibus superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut altare quodcumque vel immobile vel portatile evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset, ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem, ex hoc etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in altarium consecratione. Hinc si a caeteris ritibus observandis in nova altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes apostol., numquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic C. S. R. in Augustana 21. Apr. 1668 Episcopo supplicanti pro facultate reconciliandi plurima milliaria altarium execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant, cum sola repositione Reliquiarum iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in Pontificali Rom. praescribuntur, respondit: „In hoc casu gratiam petitam posse concedi“, quae a sa. mem. Clemente IX. concessa fuit.

Si itaque hoc sequi exemplum SSmo Domino placuerit, Rmus Episcopus Rhedonen. posset dispensari ab integra consecratione facienda omnium altarium, de quibus in precibus; attamen in eo quod respicit Reliquias, indulgeri nequit, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, quin caeremo-

niae serventur ad hunc ritum ordinatae. Ut igitur res procedat absque omissione vel violatione ritus constanter servati et absque strepitu vel scandalo, quod oriri posset, Episcopus secreto in suo privato Oratorio procedat ad consecrationem cum omnibus caeremoniis a Pontificali Rom. praescriptis petrarum cunctarum, in quibus Reliquiae desunt, vel quamvis appositae sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus, easque petras cum Reliquiarum sepulchris consecratas mittat ad parochos, qui easdem unicuique mensae aptare poterunt. Qua functione caute ac prudenter peracta nihil omnino admirationis vel scandali excitabitur, quum perpaucis patere queat. Ad hunc autem timorem vitandum Episcopi conscientiae et prudentiae relinquitur statuendum illud temporis spatium, quod necessarium putabit ad praedicta omnia sedulo perficienda.

Dum Rmus Episcopus s. Flori accepit S. R. C. et SSmi D. N. Pii PP. IX. voluntatem esse, ut loco expetitae sanationis quoad usum altarium, de quorum consecratione dubitabatur ob Reliquiarum deperitionem vel sigillorum deficientiam, consecrarentur altaria portatilia non parvo numero, paulatim substituenda iis, de quorum legitima consecratione non constaret, illico animadvertit Sacratissimi Principis mentem executioni demandari non posse absque notabili detrimento, siquidem in diario visitationum neque alibi mentio facta est altarium, quae per novam repositionem Reliquiarum vel sigillorum impressionem habilitata fuere, ut super ipsis sacrosanctum missae sacrificium litari valeret, ac proinde pro conscientiae tranquillitate jure omnia iterum essent altaria consecranda, vel quingentis Ecclesiis et Sacellis essent arae portatiles distribuendae, quorum neutrum exequi potest absque populi admiratione et Cleri dispendio. Ea propter iteratis precibus rogavit Sanctitatem Suam idem Episcopus s. Flori, ut de apostol. benignitate concedere dignaretur Indultum, cujus vigore, quocumque sanato defectu, super iisdem altaribus celebrari valeat; nam decursu temporis paulatim singulorum altarium sigilla destruentur ac tumuli effodientur et iterum altaria ipsa consecrabuntur. SS. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis aliisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, de speciali gratia in exemplum non afferenda benigne annuit pro petita sanatione, dummodo vero nullimodo erui valeat, neque ex attestationibus parochorum, altaria non fuisse denuo consecrata.

Contrariis obstantibus quibuscumque. n. 5053 die 25. Septbr. 1846.

2) Super altare collocandae.

Super altare aliquae reliquae aut tabernacula cum Sanctorum reliquiis congrue exponi possunt, quae quidem reliquiae disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra, dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur. *Caer. Ep.* l. I. c. XII. n. 12. vd.: *Reliqu.* (cor. SSmo etc.).

3) Antiquitas.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Vigilia, decr. n. 4742 *nota*).

4) Asservatio.

a) In Aedibus Laicorum.

In privatis aedibus aut apud laicos non habeantur reliquiae. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

Vd.: *Reliq.* (extr. e coemet. Romae).

Dedecet, quod SS. corpora et reliquiae MM., quorum zelotypus est Christus, et specialiter insignes collocentur et conserventur in domibus privatorum et apud laicos, cum sint

custodiendae et adorandae religiose in Ecclesiis. In alma Urbe non conceduntur s. corpora integra nec reliquiae insignes, nisi petentes deferant literas Ordinarii loci, a quo exponatur qualitas Ecclesiarum, in quibus debent collocari et decenter custodiri; excipiuntur tamen ab hac prohibitione magni principes et conspicui Ecclesiae Praelati, et ne pietas aliorum fidelium hisce omnino privetur s. thesauris, eis conceduntur reliquiae minus insignes.

Clem. XI. 19. Febr. 1704 in ejus Bulla: Partic.

Ad petitionem nobilis viri Gamesii de Amesua praesidentis Summariae Neapolis S. R. C. censuit, D. Gamesii pii ac praestantis viri supplicationi satisfieri posse, ita ut ei liceat SS. reliquias suae domi in aliquo loco decenti religiose asservare easque, cum voluerit, devote ac debita cum veneratione *etiam ad collum deferre.*

Die 25. Maii 1594 *in Neapol.* (77. Suppl.).

Leo PP. XII.

Dil. Fil. Ducissae Lucae.

Pietatis studium ac Dei cultus, quem cum lacte a majoribus et praesertim ab Augusta tua genitrice combibisti et quorum documenta aemularis, vestigia persequeris, te omnibus vel maxime commendant. Hinc quum tu quamprimum ab hac alma Urbe sis discessura opportunum existimamus aliqua te benevolentiae Nostrae significatione complecti tibique offerre reliquias Angelorum Reginae ac Theresiae virginis, quarum nomen refers, alteras ex ejus veste, alteras vero ex ejus ossibus depromptas. Mandavimus idcirco Episcopo Porphyriensi sacrarii apostolici praefecto, ut eadem sacra lipsana ex authenticis locis extracta riteque perspecta reponeret in aurea theca ovalis figurae, florum ramulo utrinque septa, caute decussato, et florea corona in vertice ornata in anteriori parte crystallo munita, arcte occulsa, serico funiculo coloris rubri colligata Nostroque obsignata sigillo; tibique facultatem facimus, qua et penes te servare, aliis donare et in qualibet Ecclesia sacello aut aedicula publica Christianorum veneratione exhibere utique valeas. Neque dubitare profecto possumus, quin tibi celsitudo regia hoc munus a Nobis oblatum gratum acceptumque sit, praesertim cum satis jam exploratum sit ac perspectum peculiari te prosequi obsequio tum Christi matrem, quae „formosa sicut pelles Salamonis, corde humilis, verbis gravis animique prudens . . . non in incerto divitiarum sed in prece pauperis spem posuit“, tum s. Theresiam electam Christi sponsam, quae et genere et pietate praeclara, divini amoris incendio conflagrans non modo suam sed publicam etiam salutem sollicita charitate curavit.

Datum Romae die 7. Apr. 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 53.)

b) Modus.

In clathris ferreis muniantur reliquiae. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

Ipsa corpora SS. sint involuta panno serico coloris apti ad Sanctum, cujus sunt ossa; *ibidem.*

Tabella aenea cum nomine Sancti includatur; *ibidem.*

Lampas ardeat assidue, nisi excuset egestas; *ibidem.*

In vasculis decoris collocentur *Conc. Prov. Mediol. 1.*

Vd.: *Visitatio Reliquiae*; *Reliqu.* (claves; in aedibus laicorum, decr. Leonis XII.).

Nullo modo probatur a S. Congregatione, ut SS. corpora reponantur in arca crystallina exponenda super altare, quemadmodum scribitur PP. Capuccinos

intendere, cum id a ritu et usu Ecclesiae alienum est, quae solet SS. corpora tenere sub terra vel intra altaria, supra quae ss. sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum altare marmoreum, intra quod prius rite cousecratum SS. corpora reponantur sic, ut illa collocentur distinctim intra tres arculas plumbeas, sin vero aliter videatur, intra unam, separatim tamen per intervalla. Ipsa autem involvantur sericis pannis coloris convenientis ordini eorum, puta confessorum vel martyrum; atque intra eandem capsam seu capsas ponatur lamina aenea cum literis bene sculptis continens Sanctorum nomina et tempus, quo isthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuerunt. Facienda praeterea erit tabula marmorea vel aenea et loco Ecclesiae conspicuo affigenda, per quam constet, intra ejusmodi altare esse corpus vel corpora ejusdem Sancti vel Sanctorum, qui illuc transferentur, addito exprese id factum de licentia SS. Sanctitatis. Poterunt autem per PP. aliquae Reliquiarum non admodum grandes reservari, ut hierothecis decentibus inclusae in eorundem Sanctorum festis aliisque solemnitatibus populo supra altare venerandae exponantur.

Ita resp. fuit nomine S. R. C a Card. Rusticuccio anno 1592 cuidam petitioni apud S. C. factae a PP. Capuccinis Neapol. civit. Ex Em. Lambertini (Bened. XIV.) de Canoniz. l. 4. p. 2. c. 25.

c) In Oratorio.

In Oratorio retineri possunt Reliquiae Sanctorum de licentia Episcop. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

d) In Oratorio Monialium.

Ad dubium: Moniales s. Catharinae terrae s. Gemini Ord. s. Clarae licentiam petierunt, retinendi corpus s. Antonini m. in oratorio, quod intra claustra monasterii constructum reperitur?

S. C. resp. inhaerendo decretis S. C. C., quibus cautum reperitur, ne asserventur Sanctorum reliquiae in monasteriis sed *in exteriori Ecclesia* — resp.: Negative. Die 17. Apr. 1660. *In Mornien.*

5) Authenticae pro consecr. altaris.

Episcopum posse uti reliquiis ex Urbe transmissis sine nominibus, si sint authenticae, in consecratione altarium absque alia denominatione.

n. 875 die 7. Sept. 1630.

Ad dubium: An authenticae reliquiae cum dubiis misci debeant? vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5162 resp. ad dub. 2).

6) Non authenticae.

Cf.: *Reliq.* (expos.); *Altare portat.* (execratio, decr. n. 5037); *Reliquiae* (veneratio, decr. de die 27. Sept. 1817; visitatio).

Exposito per Episcopum Anagninum reperisse absque ulla approbatione quasdam assertas reliquias Sacerdotis Melchisedech et partis loci, in quo asserebatur Christum consedisse tempore, quo orationem dominicalem composuerat, supplicavit pro facultate has reliquias publicae venerationi exponendi.

S. C. resp.: *Negative.* n. 3437 die 3. Aug. 1697.

De capite in effodiendis lapidibus Ecclesiae reperto, quod alicujus Sancti esse dicitur, S. R. C. mandavit: reponi in coemeterio absque ulla veneratione. n. 716 die 11. Dec. 1627.

Ad dubium: An permittenda sit ss. reliquiarum publica expositio venerationi fidelium, de quibus nullum authenticum documentum ostenditur nec immemorabilis vel saltem ante

Conc. Trident. expositio et veneratio probatur in publico?

S. C. resp.: Episcopus utatur jure suo juxta c. 2. §. in posterum: De Reliquiis et veneratione SSrum.

Die 21. Julii 1696 ad 4 in *Augustae Praet.*

7) Baptizatae.

Vd.: *Reliquiae* (incertis etc.; inventio: Constit. Bened. XIV. §. 3. etc.).

Ad dubium: an Patres Ecclesiae s. Josephi Ord. August. Ferrariae recitare possint Officium dupl. ss. Martyrum ratione reliquiarum, attento quod reliquiae sint baptizatae?

S. C. resp.: *Negative.* n. 2952 die 7. Junii 1681.

Pro ss. Patronis hujus civitatis venerantur ss. Nicander, Marcianus et Daria mm., quorum ossa creditur conquiescere subtus altare majus Ecclesiae PP. Capucc. et cum fuissent recognita per S. R. C. de anno 1683, quae proprium Officium concessit, et cum in visitatione perspexerit ipse Episcopus Orator, intus armarium sacristiae Ecclesiae ss. Annuntiationis conservari quasdam reliquias dictorum SSrum ab Urbe obtentas anno 1673, hinc petiit: An hae reliquiae baptizatae adorationibus fidelium exponi possint et processionaliter deferri, quidve de eis agendum sit?

S. C. resp.: Posse continuari ad formam decreti anni 1691*) etiam quoad processionem; salvo tamen eodem decreto quoad Off. et Missam.

Die 14. Mart. 1693 ad 7. *In Venafrana.*

8) Benedictio cum Reliquiis.

Vd.: *Bened. cum s. Reliquia; Reliquiae* (genuflexio); *Reliquiae s. Crucis.*

*) Vd. *Reliquiae insig.* (Off. decr. n. 3246.)

9) Claves.

Claves pro asservandis Reliquiis duae sint, penes Episcopum et Rectorem Ecclesiae; si Universitas, aut alii laici habere solent, addatur tertia.

Conc. Prov. Mediol. I.

Licet s. spineae coronae Domini ac sanctorum Reliquiae sub laicali dominio nullatenus contineri possint, tamen ejus honorarium detinendi unam ex tribus clavibus tabernaculi, in quo eadem religiosa eorundem Magistratus et populi munificentia perornatissime quam decenter asservantur Episcopi et Capituli arbitrio inde populi devotione exponendae et in supplicationibus deferendae, eo extendatur, ut nonnisi Magistratus deputato ad clavem deferendam praemonito ac praesente tabernaculum aperiatur et obseretur, nec extra tabernaculum eaedem Reliquiae detineantur nisi adstante deputato, cui cum sit honor detinendi clavem, sit etiam onus Reliquias ipsas custodiendi.

N. 2060 die 12. Junii 1660.

Letteren.

Cum in parochiali Ecclesia s. Mich. arch. oppidi Primontis Letteren. dioeces. orta fuerit controversia circa conservationem trium clavium Reliquiarum spinarum et sanguinis D. N. J. Chr., quae in eadem Ecclesia asservantur in quadam capella et Reliquiario ornato, quarum clavium unam tenere praetendit procurator fabricae ejusdem Ecclesiae, aliam universitas terrae Primontis et tertiam universitas terrae delle Franche, pro parte Episcopi supplicatum fuit ut declarare dignaretur S. C., ad quos dictarum clavium asservatio pertineat.

S. C. resp.: Unam ex tribus clavibus praedictis conservandam esse ab Episcopo, aliam a procuratore fabricae,

tertiam a Syndico universitatis terrae Primontis.

Die 8. Maii 1604. (Ex Analect. J. P. 1863.)

10) Corpori Obsessi admoveantur.

Vd.: *SS. Sacram.* (Delatio ad incendium etc., *Constit. Bened. XIV.* §. 15.)

11) S. Crucis.

a) Expositio, Benedictio et Veneratio.

Signum s. Crucis, quod servatur in Capella (Lauretana) occasione alicujus particularis processionis ab Episcopo indictae subministrari debet ad effectum illud exponendi in altari ss. Annunciationis, illudque processionaliter deferendi per civitatem et cum illo populum benedicendi.

Resol. a Bened. XIV. ad dub. 2. ex 33. (Bull. *ejusd.* t. II. Append. III.)

Cenomanen.

Dum Rmus Cenomanen. Ep. in id potissimum intendit, ut pastoralis sibi commissi muneris partes omnes expleat ea qua par est sedulitate ac vigilantia, reperit in universa sua dioecesi permultas vivificae Crucis Domini N. J. Chr. Reliquias, quae quamvis vix sensibiles sint, attamen in Crucibus vel argenteis vel deauratis occluduntur ac fidelium venerationi publice exponuntur ferme ut SSmum Sacramentum ac cum iisdem solemniter benedictio impertitur more pro benedictione SSmi Eucharistiae Sacramenti usitato, attamen praecipuis in hon. SSmae Crucis precibus adhibitis. Quae singula dum serio perpendit Ep. Orator ac juxta sancita a Sacrosancto Conc. Trident. sess. XXV. tit. *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum* in earumdem recognitione et approbatione invigilat, pro sua Dioecesi circa memoratarum Reliquiarum cultum certas indubiasque leges praefinire exoptat ab omnibus in re non exigui certe momenti religiose servandas. Hinc S. R. C. humillimis precibus adiens enixe rogavit, ut quidquid hac ipsa in re alias definitum fuit indigitare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Dentur Decreta super re edita,* ac proinde declararunt cum Reliquia SSmae Crucis benedicendum esse populum, dum ea reponi debet in custodia postquam processionaliter delata fuit aut publicae venerationi exposita, sicut decretum fuit in una Brixien. 17. Cal. Oct. 1736 ad dub. I. et successive in una dubiorum pridie Cal. Jun. 1817 ad dub. XII. illud etiam definitur, quod benedictio isthaec semper sit impertienda, etiamsi Sacerdos, qui functionem explet, non sit Canonicus, nam haec ipsa dubia proponebantur nomine Capituli unius Cath. Eccl.: in una vero Lucionen. X. Cal. Jul. 1835 ad dub. III. in actu talis benedictionis omnino interdicitur cantus cujuscumque versus vel precis, uti jamdiu cantus iste fuerat interdictus etiam in benedictione cum SSmo Sacramento in una Caputaquen. V. Id. Febr. 1762. Quoad autem hanc processionem cum vivificae Crucis Ligno S. R. C. 7. Cal. Sept. 1752 in una Gadicen. declaravit, licitum esse hanc Sacrosanctam Reliquiam capite detecto deferre etiam sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis, verum his tantum in locis, ubi adest immemorabilis consuetudo. Quod spectat vero ad incensationem Reliquiae SSmae Crucis, sancitum fuit in Brixiensi superius enunciata ad dub. II. et in Mutinen. diei 23. Sept. 1837 ad dub.

XIV. quaest. 1., hanc fieri debere a Sacerdote non genuflexo sed stante etiam fer. VI. in Parasceve; et in ipsa Brixien. ad dub. III. illud fuit etiam decretum, quod Capitulum et Clerus transeundo processionaliter ante altare, in quo SSmae Crucis Reliquia reconditur, haud genuflectere debeat. Verum si loco principe Reliquia SSmae Crucis super altare fuit exposita, tunc transeuntes ante illam, uti decretum fuit in una Varsalien. 9. Martii 1746, unico genu usque ad terram flexo venerari debent; diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita sit in custodia. Insuper in Missa coram SSmae Crucis Ligno palam exposito in eadem Lucionen. 10. Cal. Jun. 1835 ad dub. I. edicitur, Caeremonias omnino differre debere ab iis, quae adhiberi solent coram SSmo Sacramento publicae fidelium venerationi exposito; nam in casu coram Reliquia SSmae Crucis genuflectendum est tantum in accessu et recessu ab altari et quoties Sacerdos transit per medium altaris seu de latere ad latus ut in incensatione: atque ibidem ad dub. II. definitur, necesse non esse in hac expositione, ut qui in choro stant habeant caput detectum, quod omnino reperitur coram SSmo Sacramento palam exposito, neque, ut in transitu genuflectant utroque sed tantum unico genu. Quod si agatur de expositione Reliquiae SSmae Crucis feria VI. in Parasceve, S. C. in eadem Mutin. diei 23. Sept. 1837 declaravit, servandam esse vigentem consuetudinem tum quoad colorem pluvialis et veli humeralis in benedictione, tum quoad modum recitandi Orationem: *Respice quaesumus Domine*, a Sacerdote vel genuflexo vel stante, tum quoad admittendos fideles ad osculum hujus SSmae Reliquiae, tum demum quoad s. Ministros Diaconum nimirum et Subdiaconum accedentes ad adorationem SSmae Crucis: siquidem necesse non est, ut et ipsi calceamenta deponant. In Gen. tandem Decreto a S. R. C. pridie 9. Maii 1826 lato et a s. m. Leone Papa XII. confirmato 6. Cal. Jun. ejusdem anni, dum admittitur seu toleratur consuetudo deferendi in processionibus sub baldachino Reliquiam SSmae Crucis, id edicitur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in Reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, Decreti ipsius observantiam solertissime urgeant ac pro viribus adlaborent, ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem Theca Lignum SSmae Crucis occlusum permaneat.

Haec, quae a S. R. C. hucusque circa cultum et venerationem Reliquiarum SSmae Crucis Salvatoris Nostri Jesu decreta, stabilita vel per modum gen. regulae tradita fuere et communiter in Ecclesiis Urbis servantur, ad mentem S. ejusdem C. summatim communicantur Rmo Ep. Cenomanen., ut ea prae oculis habeat in efformanda pro sua Dioecesi regula in cultu et veneratione ipsius SSmae Crucis Reliquiae servanda.

Die 18. Febr. 1843 n. 4956.

Vd.: *Crux* (Reliquia); *Reliquia* (veneratio et usus); *Usus Pontific.* (decr. n. 4640 nota); *Reliquia ss. Crucis cor. SSmo exponi non debet*, vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 6.

b) In Cruce pectorali.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4640 nota.)

12) Deferendae non sunt una cum SSmo.

Vd.: *Process. ss. Corp. Chr.* (quae res etc.)

13) Deferentes.

Cf.: *Imago* (habitus deferent.); *Reliquiae* (processio); *Translatio Corpor. Sanctorum*; *Reliquiae* (Process., tecto vel det. cap.)

Exorta controversia inter Canonicos et Capellanos Collegiatae Camaioris S. C. decrevit: Reliquiarum delationem in casu, in quo requiruntur quatuor unitim, spectare ad Canonicos non paratos. n. 1678 ad 2 die 5. Julii 1653.

Jus deferendi Reliquias s. Crucis et spinae inter ipsum Archidiaconum et Diaconum Canonicorum Cathedr. Ascul. spectare ad digniorem. n. 2289 ad 4 die 30. Aug. 1664.

Gestatio Reliquiae s. Antonii de Padua per terram Nursiae spectat ad Religiosos s. Francisci. n. 3426 ad 2 die 27. Apr. 1697.

Licet ss. Reliquias ad collum deferre, vd.: *Reliquiae* (asservatio, Bulla Clem. XI. 19. Febr. 1704 nota).

14) Deferentium Habitus.

Vd.: *Pluviale in Process.*; *Processio* (oblig. Regul., decr. n. 3780).

Presbyterum deferentem Reliquias incedere debere detecto capite, *Episcopum* vero cum Mitra. n. 1115 ad 2 22. Jan. 1639; n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Cf.: *Pileolum.*

Reliquias sine bireto a Sacerdotibus quavis Dignitate fulgentibus deferendas esse. n. 1855 die 1. Dec. 1657.

... Nec non licere Canonicis Cath. Castellanetae et toto Clero et multo magis Episcopo procedere in processionibus extra Ecclesiam, etiamsi deferantur Reliquiae Sanctorum, cooperto capite. Illis vero, qui sacras Reliquias deferunt, non licere usum bireti. n. 2404 die 2. Apr. 1667.

Licere Sacerdoti Augustiniano deferenti Reliquias (Crucem cum s. Reliquiis) in omnibus processionibus, in quibus non intervenit Clerus saecularis, incedere cum *stola et pluviali* non autem cum stola tantum. n. 2733 ad 7 die 22. Junii 1675.

Canonico processionaliter cum alba, stola et pluviale incedenti necnon s. Reliquias gestanti non licet pluviale extra portam civitatis dimittere et absque illo inchoatam processionem ... perficere, non obstante antiqua consuetudine. n. 3570 die 31. Julii 1700.

Consuetudo deferendi Reliquiam ss. Crucis manibus opertis cum velo a spatulis pendente potest retineri. n. 4120 die 16. Sept. 1741.

15) Delatio ad Infirmos.

Ad aegrotos non portentur Reliquiae ss. *Prov. Conc. Mediol. 3.*

Neque radentur ossa, ut rasura detur cum potu infirmis.

Cong. Episc. 17. Dec. 1591.

16) Delatio propter Expos. et reposit.

Vd.: *Reliqu.* (expos.)

Deferantur Reliquiae ab induto cotta et stola vel etiam pluviali cum Hymnis in via et orationibus in fine opportunis. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

17) Distributio.

Vd.: *Reliqu.* (extract. e coemet. Romae.)

18) Episcopi jus circa eas.

Debet Episcopus recognoscere Reliquias Sanctorum et miracula. *Trident. sess. 25. de invoc. et ven. SS.*

Reliquiae SS. recognoscantur adhibitis piis viris; *idem loco cit.*

Scripta, tabulae, literae, monumenta, thecae, arcae, schedulae accurate recognoscantur, unde translatae et haec tuto asserventur in Archivio. *Prov. Conc. Mediol. 1.*

Ipsae Reliquiae cernantur, non eae tamen, quae sub altaribus, nisi judicio Episcopi; *ibidem.*

Scribantur in libro cum suis documentis asservando in Archivio Episcopali; *ibidem.*

Alii inferiores Episcopo id non possunt. *Barbos., de jure Eccles. l. 1. cap. 79. n. 4.*

Non potest Episcopus approbare Reliquias, etiam Sancti antiqui nondum canonizati, et eas publice colendas exponere. *Barbos. ibid. n. 10.*

Si vero sint Reliquiae canonizati, competit Episcopo approbatio illarum, possuntque exponi approbatae. *Azor. part. 2. l. 9. cap. 8. qu. 8.*

19) Expositio.

Vd.: *Reliquiae* (non auth.; veneratio etc.; baptizatae); *Imago* (expositio); *Crux* (s. Reliq.; expos.), *Reliquiae* (superimpon.; decr. n. 5033); *Palla in expos. s. Reliqu.; S. Spin. Corona* (decr. Pii VII.).

Expositio Reliquiarum raro et diebus tantum consuetis vel alias ob publicam causam fiat, ne cultus assiduitate tepescat. n. 2060 die 12. Junii 1660.

In omnibus Ecclesiis est licitum Reliquias exponere et Archipresbytero non competere jus privativum. n. 3231 die 2. Sept. 1690.

Prior . . . Congregationis s. Philippi N. Placent. potest facere expositionem Reliquiarum et Imaginum de licentia Episcopi. n. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714.

Confratribus s. Jacobi minor. licet exponere publicae adorationi Reliquiam ss. Crucis. n. 3914 ad 1 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: an publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri possint SSrum Reliquiae, de quarum identitate et authenticitate certo non constat, et an de ipsis Officium recitari valeat in Ecclesia, in qua asservantur?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, negative ad utramque partem. n. 4542 ad 8 die 30. Sept. 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Certum exploratumque est omnibus, Reliquias Sanctorum nec processionaliter deferri nec publicae venerationi exponi posse, nisi fuerint a loci Ordinario diligenter recognitae, adprobatae et, ne fraus fiat, ejusdem Ordinarii firmatae sigillis. Siquidem post textum in cap.: *Cum eo, de Reliqu. et Veneratione Sanctorum* Conc. Trid. decrevit jussitque, *nulla admittenda nova miracula nec Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et adprobante Episcopo,* sess. 25. de Invocat., Venerat. et Reliq. Sanctorum. Immo etiam Reliquiae a Romano Pontifice adprobatae recognoscendae sunt ab Episcopo loci Ordinario, priusquam venerationi exponantur; non quia denuo ab inferiori adprobandae, sed ut certo constet Romae fuisse adprobatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identitate, integritate fidelique custodia, omnisque removeatur piae fraudis dolique suspicio. Quamobrem Reliquiis, de quarum identitate certo non constet, ecclesiasticus cultus nullatenus est exhibendus. Multo minus de Sanctis, ad quos eaedem pertinere dicuntur, licebit festum peragere cum Officio et Missa. Servandae siquidem sunt conditiones Decreti generalis, quod praefigitur Breviario Rom. dat. *12. Aug. 1691* et a S. m. *Innocentio XII. sub die 19. Oct. ejusdem anni* probati et confirmati.

Si extat dubium: *an sint Sancti canonizati vel beatificati, non exponantur adorandae Reliquiae. Sanchez,* tom. 1. decal. lib. 2. cap. 43. n. 12. 29.

Ad dubium: Utrum publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri possint ss. Reliquiae, de quarum

identitate et authenticitate certo non constat?

S. C. resp.: Negative ad utramque partem.

Die 27. Sept. 1817.

In Null. Prov. Compost.

Reliquiae etiam non approbatae ad ornatum Crucis in Cruce collocatae possunt cum ea exponi, quasi accessorie. *Sanch. ut supra* n. 17.

Antiquae Reliquiae habendae sunt ea veneratione, qua hactenus sunt habitae. Decisum refert *Barbos.* de jure Eccles. l. 1. cap. 79. n. 12.

Corpora Sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub altari. Cong. Episcop. 10. Junii 1587.

Non exponantur Reliquiae nec etiam a Regularibus sine licentia Episcopi in scriptis, cum ejus approbatione. *Conc. Prov. Mediol. I.*

Neque passim exponantur, sed in festis solemnioribus et Sanctorum, quorum sunt Reliquiae; *ibidem.*

Nullo modo exponantur nudae nec sine luminibus; *ibidem.*

20) Extractio.

a) E Coemet. Romae.

Clemens PP. X.

I. Ex commissae Nobis curae pastoralis Officio providere volentes, ut ss. Martyrum corpora et Reliquiae pie ac decenter ac sine turpi quaestu ex hujus almae Urbis coemeteriis extrahantur, asservantur et distribuantur, tenore praesentium praecipimus, ut nemo ad extrahendas e coemeteriis praefatis Reliquias accedat, nisi ejus rei habeat facultatem scripto, quod (Casparis Card.) moderni seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus generalis sigillo munitum et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae effodiat, et ex aliquo coemeterio extrahat aliter, quam coram Sacerdote per d. Casparam Card. modernum seu pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et cognoscat locum, inscriptiones eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio VV. FFr. S. R. E. CC. Indulg. et s. Reliquiis proposita.

II. Qua omni recognitione facta statim singula corpora et cujuscunque martyris Reliquias seorsim in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in Palatio Nostro asservandas et a pro tempore existente Sacrarii ap. praefaecto vel ab alio per pro tempore existentem Vicarium designando, qui probatis moribus ac presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas*).

III. Haec autem martyrum corpora et Reliquiae ne distribuantur et publice ad cultum et venerationem exponantur, antequam per pro tempore existentem Vicarium vel alios, quibus haec cura demandata est, examinata et examinatae ac Rom. Pontificis vel memoratae Congreg. auctoritate approbata fuerint.

IV. Quoniam vero eadem s. corpora et *insignes* Reliquias, videlicet: *Caput, crus, brachium et eam corporis partem, in qua passus est martyr, si tamen integra est, nec in privatis aedibus neque apud laicos homines sed in Ecclesia religiose collocari et asservari par est*, ideo jubemus ea et eas nemini in posterum concedi, qui Ordinarii literas non afferat, quibus apud pro tempore existentem Vicarium commendetur Ecclesiae, pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat operae pretium esse petitis ss. Reliquiis

*) *Alia plura statuta de coemeteriis, in quibus ss. mm. corpora condita sunt,* vd. in Constit. Clem. XI. 19. Febr. 1704. (Bull. r. t. VIII. p. 246.)

Ecclesiam illam donari et ibi futurum, ut ea, qua decet, religione custodiantur et colantur.

V. Excipiendos tamen volumus magnos Principes et praecipuos Ecclesiae Praelatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne caeterorum quoque fidelium pietas hoc s. munere omnino privetur, ***minus insignes Reliquiae illis concedentur.***

VI. In omnibus autem modum servari jubemus, quoniam prae copia saepius accidit, ut sanctiora quaeque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est. *Conficiatur etiam liber*, in quo s. corpora et Reliquiae extractae adnotentur, tum nomina illorum, quibus Reliquiae ipsae distributae, et ecclesiarum, pro quibus impetratae fuerint. Porro, qui ornant et vendunt capsulas, thecas et vasa, quibus Reliquiae ss. includuntur, Reliquiis alia ne adscribant nomina, nisi quae a pro tempore existente Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetae aliisque poenis ejusdem Vicarii arbitrio infligendis. Atque ut omnis tollatur occasio turpis quaestus iis, quorum operam et ministerium in effodiendis et extrahendis s. corporibus idem pro tempore existens Vicarius adhibebit, de pecuniis et eleemosynis, quae piis operibus applicandae forent, et de mandato ipsius Vicarii accipient, quantum aequum fuerit pro expensis omnibus et juxta eorum mercedem.

VII. Postremo sub excommunicationis latae sententiae poena per transgressores ipso facto incurrenda districte prohibemus, ne in tradendis s. corporibus et Reliquiis et pro confectione literarum patentium desuper expediendarum, eorumque sigillo, aliquid etiam modicum ullo unquam praetextu etiam a sponte dantibus accipiatur.

VIII. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus . . .

Datum Romae 13. Jan. 1672.

(Bull. r. t. XI. p. 39.)

b) Licentia et modus.

Extractio Reliquiarum seu translatio corporum et Reliquiarum, si perpetuae tradita sunt Sepulturae, non potest fieri sine auctoritate Papae vel Sanctae Synodi. *Sylv. V.: Reliquiae SS. qu. 3.*

In Provincia Mediolanensi extractio prohibita a Gregorio XIII. moderata est a Sixto V., ut sufficiat licentia Episcopi, non Papae. Cong. Episcop. 16. Feb. 1588.

Reliquiarum detractio in elevatione corporum servorum Dei prohibetur sub poena suspensionis, interdicti et excommunicationis latae sententiae Papae reservatae. *Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 46. incip.: De Congregationis Venerabilium etc.*

Reliquiae quaecumque ex Assisiensi Basilica, sub poena excommunicationis Papae reservatae, excepto articulo mortis, aliisque gravibus poenis extrahi sine Pontificia dispensatione prohibentur. *Bened. XIV. in Const. incip.: Fidelis Dominus §. 13.*

Leo PP. XII.

V. Fr. Episcopo Calatayeronensi.

Quum, sicut Nobis nuper tui nomine ac Capituli tuae Cathedralis nec non senatus civitatis Calatayeronensis expositum fuit, Ecclesia, quae nunc Cathedralis honore decorata, sub titulo s. Juliani Episcopi ab exordio extitit fundationis, aliqua ejusdem sancti titularis Reliquia fidelium venerationi proponenda omnino careat, quumque

inter Sanctorum Reliquias, quae in Ecclesia fratrum Ordinis minorum s. Francisci Capuccinorum praedictae civitatis asservantur, ea, quam universa efflagitant vota, ita caute et religiose custodiatur, ut sine apostolica Nostra facultate ne minima quidem particula ex illa extrahi possit, cum per felicis recordationis Innocentium PP. X. praedecessorem Nostrum datis, prout asseritur, suis in simili forma brevis apostolicis literis sub censuris et poenis ecclesiasticis quibusdam Reliquiarum ex dicta Capuccinorum Ecclesia eductio fuerit interdicta; preces proinde vestro nomine Nobis oblatae ad id potissimum spectant, ut Nos aliquam ex dicta Reliquia s. Juliani partem extrahi posse sinamus,

Nos igitur, audito prius ministro generali dicti Ordinis, tuis votis benigne annuere ac praedictae civitatis fidelium devotionem in sanctum praedictum confovere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ut partem aliquam Reliquiarum dicti s. Juliani Episcopi ex illis, quae in dicta Ecclesia fratrum Capuccinorum asservantur, servatis servandis, hac tantum vice extrahere, sumptibus Capituli, si qui necessarii sint, et sic extractam ab Ecclesia praedicta ad Cathedralem Calatayeronensem apportare et Capitulo praefato tradere valeas, ita tamen, ut Capitulum et Canonici praedicti easdem Reliquias decenter collocare et collocari facere teneantur et pro hujusmodi effectu tibi necessarias et opportunas facultates auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 21. Febr. 1826. (Bull. r. Contin. t. XVI. p. 402.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Papiensi.

Literis pridie 9. Dec. ad Nos datis referebas, venerabilis frater, de arca marmorea, in qua corpus praestantissimi Ecclesiae doctoris s. Augustini asservatur, nuper tuis curis et studio ac opera Papientium cujusque Ordinis civium instaurata ac translata pie solemniterque ad novum sacellum in isto Cathedrali templo splendido opere exstructum. Addebas autem, tibi ad devotionem populi istius erga s. doctorem magis magisque excitandam intento consilium esse, ut capsulae interiori sacras illas exuvias continenti et jam pene dilapsae substituas aliam nobiliorem atque in anteriori parte crystallinam; cujus quidem rei perficiendae occasione optas insuper nonnihil sumere ex fragmentis ossium quodam peculiari saeculo clausis, quo illud in varias thecas rite dispertitum quibusdam dono tribuas, qui de aucta sacri corporis veneratione optime meriti sunt. Quum autem consilio et desiderio eidem tuo literae obstent Bened. XIII. gl. me. decessoris Nostri haec et similia de s. Augustini corpore sub poena excommunicationis eo ipso incurrenda prohibentes, suppliciter Nobis postulas, ut tibi benignam ad ea gerenda veniam tribuamus.

Nos itaque tuam istam pietatem summopere commendantes et propensa ad tua studia voluntatem Nostram libenter tibi hac oblata opportunitate confirmantes auctoritate Nostra apostolica concedimus et impertimur, ut idem s. Augustini corpus in memoratam novam capsulam transferre et ex praedictis sacrorum ossium fragmentis partem aliquam in peculiaribus thecis includendam, iis, qui bene de sacris iisdem exuviis meriti sunt, aliisque quibus tibi opportunum in Domino visum fuerit, donare libere ac licite valeas; scilicet pro hac vice dumtaxat atque ita, ut in re peragenda serves in omnibus instructionem jussu Nostro exaratam, ut moris est, a dilecto filio

magistro Virgilio Pescetelli fidei promotore, quam hisce literis inserendam mandavimus.

Instructio

Pro Rmo Episcopo Papiensi, ut sepulchrum, in quo sacrum corpus et aliae Reliquiae s. Augustini Episcopi et Ecclesiae doctoris servantur, aperiat et deinde in aliam arcam easdem Reliquias transferre possit et valeat nec non aliquas Reliquias dono dare liceat.

Quum sanctissimus Dominus Noster Gregoriis XVI. Pontifex Maximus Rmi Episcopi Papiensis postulationibus adhaerens eidem facultate impertierit, ut in capsulam nobiliorem anteriusque cristallinam corpus s. Augustini Episcopi Hypponensis et Ecclesiae doctoris inferat, quo publica devotio magis excitetur et ex fustulis ossium in sacculo clausis aliquot Reliquias pro hac tantum vice concedat nonnullis de restituto sancti doctoris cultu optime meritis, non obstante prohibitione a sanctae memoriae Benedicto XIII. facta in sua constitutione, quae incipit: *Ad summi Dei gloriam etc.* data apud s. Petrum 10. Calend. Oct. 1728, quae confirmata fuit a sanctae memoriae Pio PP. VI. in brevi sub annulo piscatoris die 3. Oct. 1786, mei muneris est, hanc brevem instructionem dare, ut omnia rite fiant.

Imprimis Rmus Episcopus sive eo legitime impedito ejus Vicarius gen. cum promotore fiscali suaeque curiae notario seu cancellario accedat ad Ecclesiam Cathedralem immo ad sacellum, ubi arca marmorea, in qua servantur ossa s. Augustini, veneratur et colitur; tunc significabit ex gratia Sanctissimi aperiendum esse hoc sepulcrum; poterit etiam ad id invitare aliquot ecclesiasticos viros aliosque sibi benevisos, ut huic actui praesentes sint, cum moderamine tamen. Namque actus debet esse secretus et secreto, immo etiam clausis januis et (si commode fieri possit) noctu est peragendus.

Antequam vero ad actum aperitionis perveniat, ex suo cancellario instrumentum seu instrumenta aperitionis urnae auctoritate Pii PP. VI. peractae necnon translationis in Ecclesiam Cathedralem sibi exhibere faciat Episcopus vel eo impedito Vicarius gen., ut diligenter recognoscere valeat arcam et signa, ne dubium ullum remaneat de corporis identitate.

Deinde a fabris murariis vel aliis ad hoc opus accitis extrahere faciat hanc urnam seu arcam et denuo vel primum signa recognoscat. Quum ad actum aperitionis devenerit Rmus Episcopus aut ejus Vicarius generalis, poenam excommunicationis latae sententiae summo Pontifici reservatam indicet contra quoscumque quidquam e sepulchro seu arca, linteaminibus aut hujusmodi auferentes vel quidquam in arcam praedictam inferentes etiam devotionis gratia.

Mox hanc urnam, si commode fieri possit, idem Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis asportari mandabit ad cubiculum aliquod Ecclesiae vel sacrario contiguum et praeparatum prius a Rmo Episcopo aut Vicario generali recognitum curando, ut ad illud ex ostio tantum aditus pateat et si ad fenestram vel fenestras crates ferrea non adsit, curet illam vel illas claudi ac sigillis obsignari posse. Urnam associabunt Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis, promotor fiscalis, notarius seu cancellarius aliique omnes, qui extractioni praefatae interfuere, ecclesiastici viri superpelliceo sint induti, intortitia accensa deferant et psalmos de Communi Confessorum Pontificum recitent una cum antiphona: *O doctor optime etc.* cum oratione hujus sancti doctoris, quam dicet Rmus Episcopus vel e clero

dignior, statim ac perventum fuerit ad cubiculum, ubi ossium extractio et repositio fieri debet.

Deposita urna in dicto loco praeparato illoque descripto, quatenus immediate vel ob tarditatem horae vel alia de causa ad illius aperitionem non sit deveniendum, claudetur cubiculum et in pluribus locis obsignabitur sigillis Rmi Episcopi, quod faciendum quoque est in fenestra seu fenestris, dummodo vel in illa vel in illis non habeatur ferrea crates: clausurae et obsignationis actus enuntiabitur a notario in instrumento hujus translationis, clavesque secum deferat et retineat notarius, idque toties fit, quoties re nondum perfecta abire cogatur ad idem rursus cubiculum accessurus.

Die autem sequenti aut alia designanda Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis una cum supradictis accedit ad praefatum cubiculum, factaque recognitione sigillorum in janua appositorum illisque integris et illaesis repertis aperiri illam mandabit, tunc eadem recognitio fiat sigillorum, si in fenestra aut fenestris apposita fuerint. Aperietur deinde arca, in qua reposita sunt ossa s. Augustini, reiterata prius comminatione excomunicationis, ut supra; mox conferetur vetus instrumentum aperitionis arcae cum his, quae ibi invenientur et distincte describentur ossa, praecordia, linteamnia, quibus teguntur et quidquid intus repertum fuerit.

Ossa aliaque ex arca eruta collocabunter super mensam aliquam ibidem decenter paratam et a pulvere aliisque sordibus recte purgata opera et ministerio alicujus idoneae personae specialiter designatae suo apte loco disponuntur et in nova arca nobiliori anteriusque crystallo ornato deponuntur. Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis aliquem anatomicae peritum seligat, ut describere possit, quae sint ossa aliaque in arca inventa, et opera alicujus personae ecclesiasticae vel alterius idoneae, assistente et opem ferente ecclesiastico viro, in nova arca haec ossa ita aptentur, ut magis devotio excitetur; ideoque nec fictitia effigies, vulgo maschera, nec alia apponantur, quibus plebs in errorem induci possit integrum et incorruptum adhuc servari hoc venerandum corpus.

Antequam haec nova arca signis claudatur, Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis aliquam ex frustulis ossium in sacculo positis partem nec maximam nec minimam extrahat, ut ex illis aliquot Reliquias conflet distribuendas illis, qui de restituto sancti doctoris cultu optime meriti sunt. Sed in literis patentibus seu authenticis harum Reliquiarum fiat mentio de hac speciali concessione nec non de prohibitione arcam iterum aperiendi.

Omnibus ita dispositis ad actus complementum arcam suis signis obsignabit Rmus Episcopus et die et hora sibi benevisa hanc arcam in Ecclesiam transferre in eodem modo, quo supra dictam fuit, ut publicae venerationi exponatur.

De omnibus et singulis ita peractis publicum instrumentum conficiatur, in quo omnia et singula diligentissime sint descripta, cujus exemplar ad S. R. C. mittere curabit Rmus Episcopus.

Caetera, si quae desiderari videantur, commendantur arbitrio, religioni et prudentiae Rmi Episcopi, de cujus doctrina, integritate et fide Sanctissimus Dominus Noster plurimum in Domino confidit.

V. Pescetelli fidei promotor.

G. Fatati S. R. C. Secret.

Haec concedimus ac indulgemus, praecipimus et mandamus non obstantibus praefatis Benedicti XIII. literis aliisque quibuslibet aliorum etiam praedecessorum Nostris interdictis caeteris-

que omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Febr. 1833.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 208.)

Vd. *Reliqu.* (inventio.)

21) Falsarum venditio.

Animadversio contra illos, qui falsas praeferentes Reliquias et literas nomine s. Antonii eleemosynas dolose a fidelibus extorquent.

Summarium.

Fraudes hujusmodi Reliquias adsportantium. — De his arcendis monendae gentes.

Honorius III. Episcopus servus servorum Dei venerabilib. fratribus Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum quod, sicut nobis relatum est, multoties a multis, imo, sicut jam pene universalis Ecclesia non ignorat, praetextu simulatae religionis, quin potius damnandae cupiditatis obtentu, quidam nomine s. Antonii quasdam regiones percurrunt, qui mendicantes ad opus pauperum eleemosynas seu verius ad luxum proprium extorquentes, praevaricando graviter quod oblata suspiciunt, sed gravius offendendo per causas, quibus simplices ad offerendum inducunt, dum falsa confingendo miracula et ignota ossa pro s. Reliquiis ostendendo, cum falsis literis non solummodo magnatum et regum, verum etiam apostolicis, et aliorum Ecclesiae praelatorum sese in stratis publicis obiiciunt peregrinis et locum, in quo s. Antonium asserunt requiescere, inaccessibilem pro latronum insidiis esse dicentes, praecipiunt oblationes eorum, quos deceptoria suffragiorum et orationum promissione solantur. Saepe vero mensam linteo coopertam exponunt et impositis super ea luridis manibus seu pedibus crematorum ad offerendum in ea, tamquam in re aliqua venerabili, devotionem credulorum alliciunt, misericordias Dei multas ex hoc ipso testantes, quod consumpti non sunt et patientiam ejus magnam esse probantes, quod de crematis hujusmodi divinae illudendo virtuti, ipsi ultionis ejus divino judicio non cremantur, ut de aliis abominationibus taceatur, quas circa praescriptam materiam committere referuntur. Quia igitur abusionis tantae flagitium et tantorum flagitiorum abusum nec volumns nec debemus ulterius sustinere, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus et districte praecipimus, quatenus per parochias vestras denunciare solemniter procuretis, ne quaestoribus hujuscemodi, qui proponunt talia vel ostendunt vel impertiantur, auditum vel beneficium largiantur, quin potius eos sicut fures et deceptores sacrilegos et blasphemos confundant et humilient universi. Proviso prudenter, ne dum viri sic pestiferi repelluntur, veris quaestoribus pietatis viscera praecludantur. Quia sic volumus eis auditum vel beneficium denegari, ne viris misericordiae fidelium eleemosynas ad opus pauperum beati Antonii cum humilitate ac veritate petentibus, pius favor et charitativa propter hoc subsidia subtrahuntur. Ea vero, quae nomine beati Antonii noveritis esse collata, consignari ejus Ecclesiae, prout convenit, faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescentes.

Datum Signiae, 2. Idus Julii, pontificatus nostri anno 7.

Dat. die 14. Julii 1223, pont. an. 7.

(Bull. r. t. III. p. 389. Ed. Aug. Taur. 1858.)

22) Genuflexio.

Si loco principe Reliquia ss. crucis super altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent, diversimode vero, sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia. n. 4187 ad 12 die 7. Maii 1746.

Vd.: *Crux* (Reliquia)*; Reliquia* (venerat. et usus; decr. n. 4956)*; Benedictio cum s. Reliquia; Missa cor. s. Cruce expos.*

Lucionen.

S. R. C. ad Quirinale hodierna die in Ordinario Coetu coadunata quum ab infrascripto Secretario acceperit, pro parte Magistri Caeremoniarum Rmi Episcopi Lucionen. requiri: an Reliquia SSmae Crucis D. N. J. Chr. fidelium venerationi exposita, iisdem Caeremoniis honorari debeat, quibus honoratur SSma Eucharistia pariter solemniter exposita, quumque compererit, alias et praesertim sub die 7. Maji 1746 sancitum fuisse, ut ante ipsum lignum Crucis genuflectatur unico genu et ut in thurificatione Sacerdos non genuflecteret, rescribendum censuit: „Dentur Decreta praesertim in Varsavien. diei 7. Maji 1746.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4785 die 27. Aug. 1836.

Ad dubium: An in exposit. Reliquiae s. Crucis in fer. VI. Parasc. Oratio: *Respice, quaesumus,* recitanda sit ante benedictionem a Sacerdote erecto vel genuflexo?

S. C. resp.: Servetur consuetudo. Die 23. Sept. 1837. *In Mutinen.*

23) Guttae ss. Sang. J. Chr. et Veli B. V. M.

Parochiali in Ecclesia s. Ambrosii Oppidi Valpolicella Dioecesis Veronen., decenti in theca, juxta appositam inscriptionem asservantur sequentes Reliquiae, nimirum: „Gutta Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, Velum B. M. V. eodem sanguine aspersum, Parva Crux de Cruce Salvatoris.“ Quoniam hae ex dono concessae sunt sub anno 1725, onus ex legato illi inest, quibusdam in diebus publicae venerationi Reliquias exponendi. Ritus autem ex tunc ea occasione servatur, ut scilicet, e loco custodiae ad altare SSmi Sacramenti asportata theca ponatur in throno et decantata solemni Missa celebrans utroque genu adoret, thurificet triplici ductu populumque uti cum Sacra Eucharistia benedicat reponatque in tabernaculo una cum SSmo Sacramento, ut Vespere idem servari possit. Rubricarum dispositionibus et Decreto S. R. C. anni 1736 iste usus contrarius apparuit Sacerdoti Francisco Negrini recensitae parochialis Archipresbytero Reliquiasque erectus thurificavit neque in tabernaculo amplius reposuit. Haec dissidiorum et controversiarum causa. Ad dissidia itaque componenda prudens Archipresbyter primo Rmum Episcopum dein S. R. C. adivit, ut super exposito ritu decernerent.

Et Sacra eadem Congregatio in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacta, exquisita prius sententia R. D. Aloysii Gardellini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris typis excusa, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Augustini Rivarola Ponentis, re mature diligenterque discussa, rescribendum censuit: „Juxta Votum Assessoris, *nimirum:* Citra approbationem Reliquiarum, scribatur Rmo Ordinario, juxta mentem.“ Mens autem est: ut permittat tantummodo illas venerationis et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. J. Chr., prudenter vero suaviterque per se vel

per alios discretos Sacerdotes curet, populum docere et erudire, ne scandalum patiatur ex praescripta indebiti cultus reformatione.

Et ita decrevit.

N. 4634 die 22. Septbr. 1827.

24) Impositio.

Vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5081, 5162); *Consecr. altaris execr.* (decr. n. 4636 *nota*); *Altare* (reconcil.); *Reconcil. Eccles.* (a quo facienda? t. III. p. 8); *Reliquiae* (in altari etc.).

Limburgen.

Redme Domine uti Frater.

Quum ad preces Amplitudinis Tuae haec Sancta ap. Sedes die 15. Jan. 1847 benigne concessit, ut in ista Limburgensi dioecesi super Aris, quae numero non exiguo ob opertam ss. Reliquiarum Confessionem, atque ut plurimum ob ipsas reliquias penitus dispersas veterem consecrationem amisisse dicebantur, missae Sacrificium offerri posset, donec in iisdem aris rite novae apponerentur Sanctorum Reliquiae, de germana hujus clausulae significatione ipsa Amplitudo Tua modo dubitans a SS. D. N. PP. Pio IX. enixis precibus postulavit, ut declarare dignaretur: *Utrum in casu nova consecratione altarium, de quibus agitur, opus sit an vero sola appositione novarum SS. Reliquiarum hujusmodi pro semper, ut apta ad celebrandum super iisdem SS. Sacrificium Missae sint habenda?*

Hujusmodi porro preces S. S. clementer accipiens ex speciali gratia indulgere dignata est, ut *Amplitudo Tua vel per se vel per alios etiam simplices Presbyteros hoc tantum* in casu ap. Sedis nomine delegandos authenticas Reliquias SSrum in aris, de quibus agitur, reponat iis tantum servatis caeremoniis, quae in Pontificale rom. praescribantur, dum in sepulchro reconduntur Reliquiae et superpositus lapis, scilicet ut ungatur s. chrysmate confessio seu sepulchrum et dicatur interim Oratio: *Consecretur et sanctificetur etc.*; postea vero reconditis Reliquiis et superposito ac firmato lapideo operculo dicatur Oratio: *Deus, qui ex omnium etc.* et nihil aliud.

Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Romae 12. Aug. 1858.

Amplitudinis Tuae
Uti Frater
C. Ep. Alban. Card. Patrizi
S. R. C. Praef.
H. Capalti Secr.

25) Incensatio.

Vd.: *Crux* (quomodo incensanda?); *De incensatione reliq. in process.* cf.: *Baldachinum reliquiar. etc.* (decr. n. 4570 et 4227); *Reliquiae* (guttae etc.; expositio; translatio).

Reliquiae *non expositae* neque a Diacono in *Missa* neque a Celebrante in Vesperis thurificandae sunt. *Expositae* vero non a Diacono in *Missa* sed a solo Celebrante, dummodo sint expositae in altari, ubi Missa cantatur; in *Vesperis* vero, dummodo sint expositae in altari chorali vel in altari Sancto, cujus sunt Reliquiae, dicato, dummodo tamen sint luminibus expositae. n. 2345 ad 2 die 31. (Julii) 1665.

Incensatio Reliquiar. in imaginibus Sanctorum impositarum vd.: *Imago Sancti cum Reliquiis etc.* (decr. n. 4153).

Si in altari fuerint Reliquiae seu Imagines Sanctorum, incensatur ter crux et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, Celebrans primum incensat eas, quae a dexteris sunt, id est a parte Evang. prope crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a

sinistris, id est a parte Epistolae, deinde prosequitur incensationem altaris, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiae vel Imagines.

Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 6.

Deferente Episcopo aliquam Reliquiam laudabile esse, si Religiosi, juxta quorum monasteria vel Ecclesias transitur, exeunt ipsamque Reliquiam etiam cum thurificatione venerantur, cogi tamen non posse.

N. 1609 die 21. Aug. 1649.

26) Incertis reliq. nomina imponuntur.

Vd.: *Reliquiae SS.* (inventio, Const. Benedicti XIV. §. 3. etc.); *Reliqu. baptizatae.*

Circa cultum et venerationem Reliquiarum incerti nominis quoad praeteritum nihil innovandum, quoad futurum, nullatenus baptizandas, quoad *Officium, si certa sit sanctitas, licet incertum nomen*, servetur decretum locale S. C. de Reliquia insigni, non expresse nomine particulari aliquo, ut nec in chartis aut thecis. Quoad *diem* respondendum particularibus casibus. n. 1483 die 19. Dec. 2643.

Cf.: *Reliquiae* (Officii recitatio; baptizatae).

27) Insignes.

a) Missa.

Ad dubium: An sacerdos satisfaciat oneri celebrandi Missam de uno s. martyre, cujus insignes et approbatae Reliquiae asservantur religiosissime et publico fidelium cultui expositae, sed de quo saltem nominatim Missam celebrare non licet, cum ejus nomen non legatur in martyrologio romano, si Sacerdos iste celebrat Missam de martyribus generatim et indistincte sumendo Missas communi plur. mm., suppressis nominibus quorumcumque martyrum in Orationibus?

S. C. resp.: Non licere praefatum onus suscipere sed servandum decretum S. C. 11. Aug. 1691 et pro satisfactione oneris jam suscepti celebrent Missam currentem cum applicatione Sacrificii ad mentem benefactoris.

n. 3751 ad 1 die 18. Sept. 1706.

Vd.: *Credo in Missa de Reliquiis insign.*

b) Octava festi.

Fratres Ord. s. Hieronymi Provinciae Toletanae nullius dioecesis possunt singulis annis die non impedita Officium duplex cum octava recitare de communi plur. mm. in honorem Sanctorum, quorum Reliquias in eorum Ecclesia et monasterio custodiunt et venerantur.

Die 1. Septbr. 1607. (Anal. J. P. 1863.)

c) Officium recitandum.

Insignis Reliquia Sancti, ratione cujus dici queat *Credo*, ea est, ratione cujus dupl. Officium recitare potest, scilicet de Sancto, cujus habetur caput, brachium, crus, ea pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva. Quodsi corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Missa recitari debet. n. 2363 ad 16 die 13. Febr. 1766.

Ad dubium: An pro Reliquia insigni possit fieri Officium dupl. juxta decretum, quando scilicet caput, brachium aut crus non sunt integra sed mutilata et partes demptae non sunt, ut conglutinari possint, et si pro Reliquia mutilata fieri possit Officium dupl.?

S. C. resp.: Servandum esse decr. S. C. ad unguem sub die 8. Aprilis 1628. n. 2612 die 3. Decbr. 1672.

De Sancto, cujus insign. Reliquia habetur, fieri potest Officium dupl. min. in ejus festo. S. R. C. 23. Nov. 1602.

Celebrari non potest per tot. civitatem vel dioecesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, festum cum Off., eo quod in loco adsit aliqua Reliquia, sed tantum ubi asservatur corpus aut ins. Reliquia et non alibi. S. R. C. *8. Apr. 1628.*

Ad dubium: An ratione ss. corporum vel insign. Reliquiarum, quae asservantur in *Cathedr.* vel in alia dioecesis Ecclesia, fieri possit Officium in tota dioecesi vel tantum in ea Ecclesia, in qua praedictae Reliquiae asservantur?

S. C. resp.: Quoad Officia ratione Reliquiarum serventur omnino decreta sub Urbano VIII. edita 8. Apr. 1628 et in Brev. rom. praefixa.

Die 23. Mart. 1771 ad 3. *In Bossanen.*

Possunt recitari Officia s. Flajani m. et s. Eugeniae v. m. et ss. Aemiliani et Aemilianae mm. ratione Reliquiarum insign., sed in *Cathedr.* tantum, ubi asservantur.

Die 23. Mart. 1771 ad 4 et 5. *In Bossanen.*

Ad dubium: An Episcopus possit statuere diem dominicam ad celebrandum festum alicujus s. martyris, de quo asservatur Reliquia insignis in Ecclesia?

S. C. resp.: Negative, immo neque posse de eo celebrare Off. et Missam in die ipsa martyrii vel obitus, nisi Reliquia sit de Sancto descripto in martyrol. rom. et constet de identitate Reliquiae ejusdem Sancti.

n. 2170 die 3. Jun. 1662; 3. Jun. 1617.

Ad dubium: An liceret sub ritu duplici recitare Officium Inventionis corporum s. Stephani protomartyris et ss. Placidi et Cornelii mm., de quibus insign. Reliquiae *in Cathedr.* Adiacen. asservantur?

S. C. resp.: Unum festum sub dup., intuitu Reliquiarum insignium, posse celebrari; ideoque *de s. Stephano* non licere die Inventionis celebrari festum sub duplici, quod jam dupl. celebratur die Martyrii. De ss. vero Placido et Cornelio licere, quatenus eorum dies Martyrii sub duplici celebrari non consuevisset et modo Reliquiae sint insignes ac de illarum identitate Ordinarius ipse non haesitet.

n. 1951 die 15. Febr. 1659.

Urbis et Orbis.

S. C. prohibuit et vetuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim etiam de cujuscunque Ordinarii auctoritate Missam vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia paroch. aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus aut insignis Reliquia.

n. 892 die 13. Jan. 1631.

Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod sit in loco ejus nomine Reliquia, *nisi in propria Ecclesia*, ubi est Reliquia. Conceditur Offic. dupl. min. pro Reliquia insigni et approbata. Reliquia insignis est corpus, caput, brachium, crus et pars, in qua passus est martyr, dummodo sit integra.

n. 2364 ad 2 et 3 die 13. Febr. 1666; n. 4355 ad 4 et 5 die 23. Mart. 1771; 12. Maii 1618.

Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis Reliquia alicujus Sancti, qui cum socio est in corpore Breviarii et uterque habet festi simplicis ritum, velut contingit in festo ss. Gervasii et Protasii, quorum duae lectiones vitam amborumque mortem enarrant. Dubitatur: an praed. duae lectiones legendae sint in Officio duplici illius, cujus Reliquia habetur, vel sumendae

sint de comm. illius martyris, et de socio facienda tantum sit commemor. absque 9. l.?

S. C. resp.: Si in hoc casu ll. disjungi commode possunt, legenda est illa de Sancto, cujus fit Officium dupl. propter Reliquiam insignem in 2. n. et erit 4. l., 5. et 6. sumendae sunt de communi; altera vero lectio poni poterit pro 9. l. in 3. n. tamquam de Sancto simplici, de quo fieri debet etiam comm. ad Laudes; si vero non possunt commode disjungi, utraque ponenda est in 2. n. pro 4. et 5. lect., et 6. legenda est de communi, et in hoc casu l. 9. pro festo simplici repetenda non est; fieri tamen debet de eo commemoratio. n. 2812 ad 2 die 16. Jan. 1677.

Prohibitio posita in Breviario §. 2 circa Officium Reliquiae insignis alicujus Sancti dicendum comprehendit Clericos tam saeculares quam regulares civitatis et dioecesis. n. 2844 ad 1 die 20. Nov. 1677.

Clerici, qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt tali Cathedrali, ubi est Reliquia insignis, possunt celebrare et recitare de tali Reliquia. n. 2844 ad 2 die 20. Nov. 1677.

Non licere recitare Officia de Sanctis intuitu insignium Reliquiarum, nisi constet de *identitate* earumdem, quae scilicet sint de corpore illorummet Sanctorum, de quibus ea die habetur mentio in Martyrologio rom. et non aliorum ejusdem nominis. n. 3041 die 20. Novbr. 1683; n. 3228 ad 2 die 2. Sept. 1690; n. 4542 ad 8 die 30. Sept. 1817.

Idem responsum fuit a S. C. ad dubium: An in Ecclesiis, in quibus asservantur Reliquiae insignes ss. mm., quorum nomina mutuata fuerunt ab illis, quod eorum propria ignorentur, recitari possit Officium de iisdem, in Oratione proferri nomen, quod illis impositum fuit? n. 3192 ad 3 die 30. Julii 1689.

Decretum Generale.

Cum S. R. C. innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii, sub praetextu decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630 et in Breviario rom. impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora aut Reliquiae insignes in ea asservantur. Emi eidem S. C. praepositi, eisdem abusibus evellendis praecipue intenti, inhaerendo Decretis alias in similibus editis declararunt: „Praedicta Officia Sanctorum ratione Corporis seu insignis Reliquiae recitanda intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis seu Reliquiae insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio romano descriptus; de caeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis aut quibus a s. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari et Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asserventur; quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium aliisque in Constitutione b. Pii V. contentis."

Die 11. Aug. 1691.

Et facta de praedictis Sanctissimo per Secretarium relatione Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit, ac, ut debitae exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse praecepit. n. 3246 *die 19. Oct. 1691.*

(Bull. r. t. VII. p. 307.)

Ipse Episcopus Venofranus in visitatione intus Armarium Sacristiae Ecclesiae Annuntiationis perspexit conservari quasdam Reliquias ss. mm. Nicandri, Marciani et Dariae, Patronorum Venafrani. Hae Reliquiae baptizatae adorationi fidelium exponi possint et processionaliter deferri, quidve de iis agendum sit?

S. C. resp.: Posse continuari ad formam decreti 1691 etiam quoad processionem, salvo tamen eodem decreto quoad Off. et Missam. n. 3306 ad 7 die 14. Martii 1693; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Si Officium et Missa celebrentur in *Cathedrali* propter insignem reliquiam, quae ibi asservatur, non posse celebrari per civitatem sed in *sola Cathedrali*. n. 3301 ad 11 die 10. Jan. 1693.

Non licuisse nec licitum esse recitare Officium intuitu Reliquiarum de Sanctis, qui non recensentur in Martyrologio rom. S. R. C. 6. Apr. 1658.

Non posse recitari Offic. de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyr. rom. Die 17. Apr. 1660; 21. Jan. 1662.

Ad dubium: An Cathedr. Collen., quae per 30 circiter annos recitavit Off. s. Aretinae v. et m. die 2. Junii eo, quod in ea asservatur Corpus, possit recitationem continuare? S. C. resp.: Doceant, an sit descripta in Martyrologio et de ejus identitate. n. 3477 ad 2 die 5. Julii 1698.

Capitulo Bituntino donatum est Corpus integrum s. Victoris m. una cum Authentica Emi et Rmi D. Card. Vicarii, asserentis extractum ex coemeterio Callisti, et cum S. R. C. non esse celebrandum Officium alicujus Sancti ratione reliquiae insignis, non constito de *Identitate* ejusdem, decreverit, declarari supplicavit: an possit celebrari Officium s. Vict. m. praedicti die 15. Decbr., cum in Martyrologio romano plures reperiantur Martyres ejusdem nominis et diversis diebus? S. C. resp.: *Negative.* n. 3777 ad 2 die 1. Oct. 1707.

Ad dubium: An coetui Parochorum et Beneficiatorum parochiarum civitatis Conchen. liceat continuare in recitatione Officiorum de Sanctis etiam alienigenis, quorum corpora seu notabiles reliquiae in Cathedrali asservantur? S. C. resp.: Affirmative. n. 4374 die 15. Mart. 1774.

Consuetudo 30 annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua asservatur ejus Corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio et de ejus identitate constet. S. R. C. 5. Julii 1698.

Posse Moniales, si reliquia est *insignis*, ut praesupponitur, celebrare Officium de S. Maria Cleopha sub ritu duplici in die ejusdem festivitatis. n. 175 die 23. Novbr. 1602.

Necessarium esse, ut Reliquia sit *insignis* ejus Sancti, de quo celebrari petunt Officium, *veluti Corpus integrum aut magna pars ejusdem aut Caput aut sit ex Sanctis approbatis et positis in Martyrologio* et tunc in illa Ecclesia tantum, ubi est Reliquia insignis, in die ejus festivitatis celebrari poterit Officium, servatis Rubricis Breviarii de translatione festorum, quatenus festum Sancti caderet in die alterius magnae festivitatis, quae non erit ommittenda pro festo particulari celebrando ratione Reliquiae insignis. n. 539 ad 1 die 3. Junii 1617.

Officium esse solum recitandum in Ecclesia, in qua insignis aliqua Reliquia existit et propter ea alias Ecclesias non debere se conformare cum Cathedrali. n. 552 ad 2 die 12. Mart. 1618; n. 2749 ad 4 die 28. Septbr. 1675.

Festum novem lectionum non pro omni Sancto habente Ecclesiam vel Corpus *in loco*, sed celebrandum esse dumtaxat in *Ecclesia titulari* vel *in qua* adest *insignis* Reliquia illius Sancti. n. 669 die 16. Jan. 1627.

Vetuit et prohibuit S. R. C. celebrari per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cujuscunque Ordinarii auctoritate, Missam vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia parochialis vel regularis vel abbatialis aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius sancti Ecclesia titulari seu ubi asservatur insignis Reliquia, et non alibi. n. 740 ad 2 die 8. Apr. 1628.

Quae omnia mandavit S. R. C. sub poenis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii et Missalis positis, quod scilicet *non satisfaciant muneri recitandi divini Officii*.
Ibidem ad 5.

Privilegium a S. M. Gregorio XIII. concessum (die 30. Decbr. 1573), ut possit fieri Officium in singulis Ecclesiis de Sanctis, quorum corpora vel reliquia notabilis essent intra dioecoesin, decreto S. C. in principio Breviarii apposito, quo prohibetur celebrari per totam civitatem vel dioecesim etiam de cujuscunque Ordinarii auctoritate festum cum Officio Sanctorum praeter Titularis et habentium Reliquiam insignem, non fuisse sublatum. n. 1470 ad 1 die 8. Aug. 1643.

Ad dubia: 1. An Fratribus Monasterii s. Laurentii Securialensis Officium dupl. cum octava singulis annis in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae habent, ex indulto recitantibus, liceat simul festa *particularia die propria* celebrare de Sanctis, quorum corpora vel *notabiles* Reliquias custodiunt?

2. An id ipsis liceat saltem, quia hucusque ad novissima tempora recitare consueverunt?

3. An insuper celebrare possint *festa particularia cum ritu dupl.* de Sanctis, quorum Reliquias *notabiles* servant?

4. An juxta Brev. rom. sub ritu *semid.* tantum vel *simpl.* celebrare deberent Sanctorum Officia, si illorum Reliquia in Ecclesia *insignis non exstaret?*

S. C. resp.

Ad 1.: Affirmative, si Reliquiae Sanctorum sunt *insignes* aut *notabiles* seu illa pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva ac legitime ab Ordinario approbata, et dummodo habeatur specialis concessio a Sede ap., quando iidemmet Sancti descripti *non sunt* in martyrologio rom.

Ad 2.: Affirmative de Sanctis ut in primo; de aliis autem affirmative, si eorum celebratio invecta sit ante Bullam s. Pii V. editam 7. Idus Julii 1568.

Ad 3.: De Sanctis, quorum habentur Reliquiae *insignes* sub ritu dupl. min., si vero *notabiles*, ritu semid. et etiam superiori, si a Sede ap. aut S. C. R. concessum sit.

Ad 4.: *Negative.* n. 4409 die 29. Mart. 1783.

In Ecclesia Cathedrali Majoricen., in qua asservatur Reliquia non insignis s. Rosaliae v., Officium non ut usque adhuc sub ritu dupl. sed sub ritu semid. recitandum esse. n. 3379 die 21. Jan. 1696.

Vd.: *Beati; Reliquiae* (Unio variar. reliquiar.)*; Festum ss. Reliquiarum* (transl.)*; S. Ursula* (Officium, decr. n. 4198).

d) Officium non recitandum.

Vd.: *Offic.* (oblig. ad quod, decr. n. 4985)*; Reliquia insignis* (Offic. recitandum, decr. n. 3777).

e) Quae est insignis?

Cf.: *Reliquia insignis* (Offic. recit.. decr. n. 2363, 2612, 2364, 539, 716, 4409; Asservatio).

Reliquia insignis est Corpus integrum aut magna pars ejusdem aut caput. n. 539 ad 1 die 3. Jnn. 1617.

Insignes Reliquias esse: Corpus, caput, brachium, crus aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinariis approbata. n. 740 ad 3 die 8. Apr. 1628.

Quae sit insignis Reliquia et quae quantitas cinerum Sanctorum sit insignis Reliquia, S. R. C. noluit aliquid firmare, sed secundum casuum contingentiam et qualitatem dabitur particulare responsum. n. 772 ad 12 die 28. Octbr. 1628.

Terra Patrignani adesse quoddam Os capitis s. Stephani protom.; interrogatur: an haberi possit pro Reliquia insigni? S. C. resp.: *Non posse.* n. 791 die 20. Dec. 1628.

Ad dubium: An Ossa foemoris alicujus Sancti sint Reliquiae insignes? S. C. resp.: Negative. n. 4600 (sine dato; esse videtur de die 12. Apr. 1823).

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Etsi praefatum Decretum a S. R. C. non prodierit, sed ab alia, quae instituta est super *Indulgentiis sacrisque Reliquiis,* proindeque respondet quaestionibus, quae nonnunquam circa easdem excitantur, nihilominus opportunum visum est illud nostrae Collectioni adjicere, quia connectitur cum aliis Decretis, quae ab eadem S. R. Congregatione evulgata fuerunt. Etenim non omnes quantumvis notabiles Reliquiae habendae et appellandae sunt insignes, itaut queat earumdem intuitu Festum cum Officio et Missa celebrari in Ecclesiis, ubi asservantur, sed illae dumtaxat hoc gaudent honore, quae speciatim et nominatim insignes declaratae sunt. Usque ab *anno 1617* sub *die 3. Junii* sancitum fuit ad effectum recitandi Officium et celebrandi Missam: *Necessarium esse, ut Reliquia sit insignis illius Sancti, de quo celebrare petunt Officium, veluti corpus integrum aut magna pars ejusdem aut caput.* Sed quoniam adhuc dubitari poterat, quid intelligendum esset per illud: *aut magna pars ejusdem,* magis id fuit expressum generali Decreto die 13. Jan. 1631, quo sancitum est: *Reliquias insignes esse caput, brachium, crus aut illam corporis partem, in qua passus est Martyr;* duplici tamen conditione adjecta: *dummodo sit integra et non parva et legitime ab Ordinario adprobata,* atque hujusmodi Decreta tanto cum rigore accipienda sunt, ut, quamvis os princeps cruris sit *tybia,* nihilominus S. C. declaravit sub die 3. Junii 1662, *solam tybiam sine fibula* non esse Reliquiam insignem. Siquidem juxta S. C. sensum, *crus,* ut insignibus adnumeretur, integrum esse debet, et quoniam duobus ossibus constat, si unum desit, membri perit integritas. *Os foemoris* utique majus est ac *tybia,* nec tamen ut insignis Reliquia habendum est, quamvis notabilis sit corporis pars, nec proinde Clero Ecclesiae, in qua asservatur, concedere poterit Ordinarius Officium et Missam, etiamsi de Reliquiae authenticitate plane constet, et sit Sancti ab Ecclesia adprobati. Si ratio quaeratur, cur nec foemora nec aliae notabiles corporis partes in Decreto non recensitae queant insignes appellari, facile erit eamdem invenire. Quia, si liceret, ob cunctas Reliquias magnitudine et integritate notabiles Officium institui, nunquam esset finis Officiorum et in nihilum prorsus abirent Officia

ferialia ac dominicalia, et sequerentur quaecumque alia incommoda, ad quae unice praecavenda S. R. C. nedum quibusdam dumtaxat potioribus partibus insignis qualitatem convenire declaraverat; verum etiam et alias conditiones adjecerat, videlicet, quod Reliquiae sint de Sanctis canonizatis et in Martyrologio romano descriptis, et concessio intelligatur coërcita ad solam Ecclesiam, in qua asservatur Reliquia. Quod si emolliendo Decreti rigorem declaratum fuisset *os foemoris* insignem esse Reliquiam, possent etiam ut tales haberi *scapulae* aliaeque omnes corporis partes, quae notabiles sunt, et ad aliquod peculiare Officium destinatae a supremo artifice et naturae conditore. Hinc, multiplicatis Reliquiis insignis qualitate donatis, ea etiam multiplicarentur incommoda, ad quae vitanda S. R. C. prudenti consilio quasdam potiores simul, et quoad usum notabiliores corporis partes distinguendas esse sanciverat, ut Sancti illi, quorum insignia, cum viverent, fuerunt membra, in iisdem honorarentur.

Duae Reliquiae in Cathedr. Patav. coluntur ut insignes sicque enunciantur in Kalendario, quorum una s. Sebastiani m. constat ex duabus partibus fortasse ejusdem ossis ex minoribus, quarum partes unciarum quatuor vix aequant mensuram; altera s. Laurentii levitae m. exhibet extremam partem sinistri pedis cum quatuor prioribus digitis carne superindutis, quae quidem Reliquia quaque versus considerata duarum unciarum non excedit mensuram. Quum enunciatae duae Reliquiae habeantur ut insignes a ducentis et ultra annis, Missis eorumdem SS. additur *Credo* ratione insignium Reliquiarum; quaeritur: num in invecta consuetudine perseverare liceat, etsi Reliquiae ipsae non praeseferant conditiones a Decretis requisitas, ut earumdem ratione ponatur in Missa *Credo?*

Emi vero ac Rmi tuendis Ritibus praepositi... rescribendum censuerunt: „Negative, quum non sint Reliquiae insignes."

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 die 7. Dec. 1844.

Tybia non est Reliquia insignis. n. 2170 die 3. Junii 1662.

Quoad insignitatem Reliquiarum SS. servandum esse decretum S. C. sub Urbano VIII. impressum in Breviario rom. n. 3410 ad 3 die 2. Apr. 1667; n. 2451 ad 2 die 15. Septbr. 1668; n. 4355 ad 3 die 23. Martii 1771.

Spinae de corona Domini J. Chr. inter Reliquias insignes computantur et speciali nota et cultu dignae sunt. S. R. C. 21. Jun. 1632.

28) Non insignes vel notabiles.

(Officium recitandum.)

Vd.: *Reliquiae insignes* (Offic. recitandum, decr. n. 4409).

Ad dubium: An in Ecclesia Cathedr. civitatis Majoricen., in qua asservatur Reliquia *non insignis* s. Rosaliae V. et de qua usque adhuc recitatum fuit Officium sub ritu dupl., licet in indulto idem recitandi alias obtento non exprimatur, sub quo ritu veniat recitandum, possit imposterum et debeat recitari sub ritu dupl. vel potius semid., cum ejusdem Sanctae Reliquia praefata non sit insignis?

S. C. resp.: Sub ritu semid. esse recitandum.

Die 21. Jan. 1696. *In Majoricen.*

Ad dubium: An Prior et fratres Monasterii s. Laurentii insuper (jam celebrato scilicet festo generali Reliquiarum) celebrari possint festa particularia cum ritu dupl. de Sanctis, quorum Reliquias notabiles servant?

S. C. resp.: De Sanctis, quorum habentur Reliquiae insignes sub ritu dupl. min., sin vero notabiles, ritu semid. et etiam superiori, si a Sede ap. aut a S. R. C. concessum sit.

Die 29. Mart. 1783 ad 3. *In Nullius s. Laurentii.*

29) Inventio.

SS. D. N. Benedicti PP. XIV. Epistola ad Capitulum et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis data occasione, qua s. Proci Mart. corpus repertum in s. Thrasonis coemeterio in eadem Ecclesia collocandum transmittitur.

Benedictus PP. XIV.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Jam dudum Nobis erat in animo unum aliquod Sancti corpus cum suo nomine proprio inventum mittere ad istam Nostram Metropolitanam Ecclesiam, inter caetera dona, quae ei largiri solemus quotannis, occasione solemnitatis s. Petri apostolorum principis, in cujus honorem eadem Ecclesia dedicata est.

§. 1. Non ignoramus, veneratione coli debere non solum cujuscumque Sancti corpus integrum, *sed quamlibet etiam partem a reliquo ejus corpore divisam:* „Haec est enim ss. Martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo"; ita loquitur s. Maximus serm. 55. inter sermones, qui olim s. Ambrosio adjudicabantur, ut videre est in operibus hujus s. Patris tom. 2. editionis Parisiensis anni 1690 pag. 466. Cum s. Maximo cohaeret s. Gregorius Nazianzenus, qui in suo carmine de Virtute juxta interpretationem Petavii lib. 14. de Incarnatione cap. 11. §. 3. ait:

Tanta porro est veritatis veneratio
Ut vel exiguus pulvis aut aliquod reliquiarum
Ossium vetustorum vel capillorum particula
Aut panniculi aut aspersi cruoris
Nota quaepiam, ad totius honorem aliquando sufficiant,
Et appellatione sanctae sunt reliquiae:
Cum certis locis attributa fuerint illa pro toto Martyre:
Eadem quippe vi praedita. O Miraculum!
Salutem enim affert etiam sola recordatio.

§. 2. Nobis constat praeterea, quod quotiescumque habentur indicia certa, corpus aliquod aut partem ipsius esse corpus, aut partem corporis alicujus Sancti, *licet hujus nomen lateat;* corpori tamen aut parti illi religiosus cultus debetur, qui caeteris Sanctorum Reliquiis praestari solet, ut late ostendimus in nostro opere de Canonizatione lib. 4. part. 2. cap. 27. editionis praesertim Patavinae, a Nobis, etiamsi assiduo gravissimarum occupationum pondere premeremur, plurimum locupletatae; qua editione, pro nunquam intermissa benevolentia vestra erga Nos laboresque Nostros, qualescumque, minime vos carere arbitramur.

§. 3. Ut vera sint, quae diximus, nemo tamen inficiabitur, multo praeclarius quid esse corpus integrum quam pars insignis ejusdem corporis, et multo majorem esse fidelium devotionem erga corpus alicujus Sancti, de cujus nomine proprio constet, quam alterius, cujus nomen ignoretur. Et propterea juxta veterem rom. Ecclesiae consuetudinem, Sanctorum corporibus, quorum nomen ignoratur, appellativum

nomen imponitur, ut recte ad rem Nostram, dum loquitur de consuetudine imponendi nomen appellativum corporibus Sanctorum, qui sine nomine inveniuntur, animadvertit eruditus Ferrandis in Disquisit. Reliq. lib. 1. c. 5.: „Minime superfluum est certa nomina incertis Sanctorum Reliquiis attribuere, quod experientia usuque quotidiano videamus, Fideles multo minori affectu, studio ac pietate affici et ferri erga divorum illorum exuvias, quorum nomina mortales latent, quam adversus eas, quae certis nominibus indigitantur; potentius enim Nobis nota et certa quam obscura ignota et incerta solent movere animos, ideoque major Dei gloriae atque coelitum cultus ac venerationis plerumque accessio fit"; praeter ea, quae collecta videre licet in Nostro supracitato opere editionis Patavinae lib. 4. part. 2. cap. 28.

§. 4. Hisce rationibus permoti corpus alicujus Sancti integrum cum proprio nomine invenire studuimus, illudque mittere ad vos, ut, quemadmodum significavimus, in Nostra Metropolitana Ecclesia collocaretur.

Atque ut id, quod in animo erat, consequeremur, necesse fuit Nostras perquisitiones ad ea venerabilia loca convertere, quae tantopere almam hanc urbem Romam illustrant: Loca, quae excavata olim et effossa a gentilibus, ut extraheretur arena communis et dicaearchea, ad extruenda magnifica illa aedificia, quorum adhuc apparent reliquiae, fuerunt postea decursu temporis a primis Christifidelibus sanctificata, qui illuc se ob persecutionum metum recipiebant, suos religiosos conventus ibi facturi, itaut ibidem sacrae etiam functiones a Summis Pontificibus perficerentur et ecclesiastica sepultura defuncti donarentur. *De coemeteriis loquimur seu catacumbis*, de quibus tam devote s. Hieronymus scribit, praeter alios quamplures Antiquitatis Scriptores a Nobis citatos in cap. 27. operis Nostri, quibus in editione Patavina Joannem Bottarium addidimus, Bibliothecae Vaticanae Custodem, et Nobis ab intimo sacello, qui tom. 1. Romae subterraneae catacumbarum modo explicatam originem feliciter detexit.

§. 5. Invento antem in catacumbis corpore integro cum nomine proprio, necesse fuit ultra procedere. Certum est enim, quod nulla sepeliebantur in catacumbis nisi Christianorum corpora, sed quod omnia Christianorum corpora ibi sepulta essent Sanctorum corpora, certum non est. *Propterea examinanda veniunt signa, quae in sepulchro erant*, ubi condebatur corpus integrum aut ejus pars, sive cum nomine proprio sive non. Nostri enim primitivae Ecclesiae Patres collocabant semper in Sanctorum sepulchris signa indicantia sanctitatem; ea vero nunquam collocabant in sepulchris illorum, quos uti Sanctos non habebunt.

Basnagio in suis operibus minime arridet sententia, quod in catacumbis non sepelirentur nisi Christianorum corpora. Sed illum egregio confutavit in suo opere de Monogrammate Christi Domini Capellanus Noster intimus Dominicus Georgius, cujus nomen claret in Republica literaria celeberrimum. Idem praestitit supra laudatus Bottarius, Basnagii sequacibus respondens. Nos vero, qui in prima editione operis nostri de Canonizatione conati sumus clare ostendere, quod soli Christifideles in catacumbis, de quibus loquimur, sepelirentur, summa animi Nostri voluptate in nupera editione Patavina addidimus ea pariter, quae duo praedicti Scriptores egregii animadvertant, eosque, uti par erat, nominavimus; abhorruimus namque semper semperque abhorrebimus a prava quorumdam consuetudine, qui ut suos faciant alienos labores indigno plagio tegunt

auctorem verum, cujus nomen postea nihilo tamen secius innotescit.

Datum Romae apud s. Mariam maj. die 20. Apr. 1745.

(Bull. Bened. XIV. App. ad t. IV. p. II.)

30) Lumina.

Vd.: *Lampas* (ante Imagines); *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil., decr. n. 4742 *nota*); *Reliquiae* (Incens., decr. n. 2345).

Ante s. Reliquias expositas lampas omnino continuo ardere debet et super altare saltem duo lumina ardeant, alias Reliquiae non exponantur. n. 3575 ad 9 die 22. Jan. 1701.

Ad dubium: Utrum thecae deauratae Sanctorum Reliquiis addictae ad altaris ornamentum inter candelabra collocatae et apertae singulis diebus sine lumine sic permanere possint?

Rescriptum prodiit: „Ante s. Lipsana exposita saltem duo lumina ex decretis collucere debere."

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5208 ad 18 die 12. Aug. 1854.

Si celebrandae sunt processiones pro translatione insign. Reliquiarum SS., lumina seu funalia accensa deferri magis convenit.

Caer. Ep. l. II. c. XXXII. n. 9.

31) SS. Martyrum.

Utrum in altari recondendae? vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil., decr. n. 4742 nota).

32) Ornatus.

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. dioec. Calagur., ut liberum sit Confessario et Abbatissae pro tempore nonnullas Sanctimoniales deputare ad Sanctorum Reliquias exornandas perpoliendasque,

S. C. . . . rescribendum censuit: „Adeant Episcopum."

N. 4715 ad 7 die 17. Aug. 1833.

33) Osculum.

Vd.: *Crux* (reliquia, osculum).

Potestne Sacerdos finita Missa in paramentis reliquias deosculandas praebere? vd.: *Cineres* (distrib. post missam, decr. n. 4707).

34) Processio.

a) A Dignit. facienda.

Delationem Reliquiae in processione solemni (absente Episcopo) spectare ad primam Dignitatem et ea impedita ad secundam ordine succesivo. n. 1316 die 20. Apr. 1641.

Capitulum et Canonicos, quando in processionibus deferuntur Reliquiae ad Ecclesias Regularium, terminata functione ac data benedictione per illas deferentem, teneri et cogendos esse expectare ipsum deferentem, donec sibi mutaverit habitum, asserta consuetudine in contrarium non obstante.

n. 2289 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Vd.: *Baldachinum in processione ss. Reliquiarum.*

In processione s. reliquiae insignis (brachii) s. Gaudentii Montis Alboti Senogall. dioeces. eam portare ad Priorem Ecclesiae regul. s. Francisci pertinere, *unde reliquia sumitur*, qui solus cum suis ministris paratis in ultimo loco incedat, caeteri vero fratres conventus cum sua cruce praecedant ante Clerum in loco debito juxta eorum consuetudinem et Presbyteri et Clerus saecularis sequantur post fratres et regulares et immediate ante reliquiam incedant.

Die 24. Sept. 1605. (Analect. J. P. 1863.)

Orta iterum controversia S. C. resp.: Prior conventus s. Francisci, ubi reliquia asservatur, illam portet usque ad portam Ecclesiae oppidii Montis Bodii et in porta illam consignet in manibus dignioris Curati ejusdem terrae, qui in processione dictam re-

liquiam per oppidum deferat et in reditu illam pariter consignet in manibus Prioris conventus s. Francisci in eadem porta Ecclesiae.

Die 19. Apr. 1608. *Ibid.*

Sed sub die 23. Jan. 1610 primum decretum anni 1605 est innovatum et secundum decret. anni 1608 est revocatum. *Ibid.*

b) Episcopus assistit.

Cf.: *Episcopus assis. process.; Reliquia* (veneratio etc).

In processione cum Reliquiis Episcopum debere *post* reliquias incedere. n. 1254 die 21. Aug. 1640.

Episcopus in processionibus cum Imaginibus et Reliquiis faciendis cum cappa et bireto incedens *post* Imaginem seu Reliquiam procedere debet, nisi adsit consuetudo in contrarium. n. 789 ad 2 die 20. Decbr. 1628.

Functiones in translatione Reliquiarum numerari inter functiones episcopales. n. 1696 ad 1 die 7. Mart. 1654.

Servandam esse consuetudinem Capituli Cathedr. Urban., incedendi in publicis processionibus post s. Imagines, dummodo Episcopus cum pluviali et mitra non incedat n. 3255 die 24. Nov. 1691.

c) Tecto vel detecto capite.

Cf.: *Processio* (tecto vel detecto capite); *Pileum; Baldachinum* (ss. Reliquiarum, decr. n. 4227).

Non licere Magistratui civitatis Cajetanae incedere capite cooperto, quando defert hastas baldachini in processionibus cum asportatione insignis Reliquiae signi ss. crucis et statuae et reliquiae brachii s. Erasmi protectoris civitatis. Ita servari mandavit S. C. etiam ab universo Clero et aliis saecularibus praedictas processiones comitantibus. n. 3169 die 25. Septbr. 1688; n. 3185 die 11. Junii 1689.

Magistratus in processionibus, in quibus non gestantur Reliquiae insignes, incedere potest capite cooperto ad instar Cleri. —

Magistratus, *baldachini hastas deferens* in processionibus, in quibus Reliquiae non portantur, sed aliqua statua vel figura alicujus Sancti, non potest cooperire caput, nec Presbyteri sub eodem baldachino incedentes. n. 3230 ad 2 et 3 die 2. Septbr. 1630.

Ad dubium: Archipresbyter insignis Collegiatae civitatis novae Firmanae dioecesis declarare postulavit: an liceat sacerdoti deferenti in process. Sanctorum Reliquias tecto capite incedere?

S. C. resp.: Negative, scilicet sine bireto eas a sacerdotibus quavis dignitate fulgentibus deferendas esse.

Die 1. Decbr. 1657. *In Firmana.*

d) Vetita.

Expositum fuit a Capitulo civitatis Dertusen., quod, cum flumen Iber Dertusen. praeterfluens nimis intumescit et in omnibus omnis generis fructibus et bonis detrimenta minitatur, ab immemorabili tempore servatum fuisse morem ad ejus ripam processionaliter accedere afferendo reliquiam s. Candidae, ejusdem civitatis Patronae, argenteae urnae ipsius s. Imaginem referenti inclusam eamque universo spectante populo in fluminis aquam intingere, ut Deus ejusdem Sanctae intercessione flumen inter ripam cohibere dignaretur. Synodalis Constitutio hujusmodi ritus omnino prohibet.

S. C. resp.: Servetur Constitutio Synodalis. n. 4350 die 11. Septbr. 1769.

Vd.: *Beati* (decr. n. 2002 ad 11); *Reliq.* (vener., decr. de die 27. Sept. 1817; baptizatae).

e) **Simul cum SS. Sacramento in processione deferendae non sunt Reliquiae.**

Vd.: *Processio Corp. Chr.* (Quae res etc.).

35) Repositio.

Vd.: *Altare* (reconcil.); *Reliquiae* (in altari); *Dedicatio Eccles.* (Vigil., decr. n. 4742 *nota*); Reliq. (Impositio).

Repositio Reliquiarum in sepulchro polluti altaris non potest fieri ab alio quam Episcopo. n. 1632 ad 3 die 2. Martii 1652.

36) Sine Reliquiis in altari potestne celebrari?

Vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5043, 5081, 5162); *Reliquiae* (Impos. ab Episcopo etc., decr. pro dioec. Limburg.); *Reliquiae* (in altari).

37) SS. Sanguinis J. Chr.

Vd.: *Reliquiae* (guttae etc.).

38) Coram SSmo expos.

Vd.: *Instructio Clement.* §. IV. n. 1—5; §. XXIV. n. 21 etc.; *Reliquiae* (superimp. tabern.); *Reliquiae* (veneratio et usus).

Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super altare, in quo reipsa SSmum publicae venerationi est expositum. n. 4119 ad 5 die 2. Septbr. 1741.

Ad dubium: An in Ecclesiis, ubi aliquod festum celebratur, cujus ratione Sancti Reliquiae sunt expositae, possit post vesperas festo durante exponi s. pyxis cum SSmo per breve temporis spatium ad recitandas nonnullas preces, quae cum benedictione SSmi absolvuntur, non remota eadem Reliquia?

S. R. C. resp.: Negative. n. 4831 die 19. Maii 1838.

39) Non superimponendae tabernaculo.

Cf.: *Reliquiae* (coram exp. SSmo); *Tabernaculum* (ornatus); *Imago Titularis ponenda in altari etc.* (decr. n. 4793 *nota*).

Ad dubium: An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias pictasque Imagines Tabernaculo, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra, videlicet: Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam omnino esse.

Et facta de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. responsa adprobavit confirmavitque atque, ut cunctis pateant, decretum generale desuper expediri typisque evulgari mandavit.

N. 4578 ad 6 die 21. Martii et 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Videri possunt, quae notata sunt ad §. 4. Clement. Instructionis *ibidem num. 1 et 2.* Si illicitum declaratum fuit a S. R. C. retinere vas florum ante tabernaculi ostiolum, in quo Crucifixi imago sculpta conspicitur (ita in una Congregationis Montis *Coronae 22. Jan. 1701*), multo magis illicitum erit superimponere tabernaculo, in quo asservatur SSmum Sacramentum, Reliquias aut Sanctorum imagines. Gavantus ad *rubr. Missal. tit. 22.* agens de *praeparatione et ornamentis altaris,* postquam notaverat: *Vasa quoque Reliquiarum exponi possunt hinc inde vel inter candelabra,* continuo addit: *qua in re cavendum illud erit, ne unquam supra locum Sacramenti . . . Reliquiarum vasa collocentur. Decet enim sedere Dominum supra servos suos.* Abusus nihilominus universaliter serpit, ut prae-

sertim in Sanctorum festis exponantur Reliquiae immediate supra tabernaculum et oritur praecipue in observantia regulae, quam tradit *Rituale romanum* tit. *de SSmo Eucharistiae Sacramento* §. *6.* videlicet: *Hoc autem tabernaculum conopaeo decenter opertum atque ab omni alia re vacuum in altari majori vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius aut decentius videatur, sit collocatum.* Nam si tabernaculum operiendum est conopaeo, haud poterit locum praestare superimponendis Reliquiis aut Imaginibus. *S. Carolus Borromaeus* eorum, quae pertinent ad divinum cultum, zelator eximius, de s. supellectilibus agens, nos edocet tabernaculi formam et ornatum: *Tabernaculum SSmae Eucharistiae polite elaboratum piis mysteriorum Passionis Christi imaginibus exsculptum esse debet, in summo adsit imago Christi resurgentis vel s. vulnera exhibentis . . . forma vel octangula seu sexangula vel quadrata vel rotunda . . . a fronte altaris summa procul collocatum:* apud Gavantum *ad rubr. Missalis part. 5. pag. 1339 editionis Romanae.* Non is ego sum, qui existimem tanto cum rigore regulam hanc esse accipiendam, ut necessario imminere debeat tabernaculo imago Christi resurgentis aut vulnera exhibentis; certum tamen est parvam Crucem in summitate esse collocandam, ad quam usque non pertingit crispatum conopaeum. Si servandum id est, haud supererit locus, ubi exponantur Reliquiae aut Imagines, praesertim quia, si conopaeo velandum est tabernaculum, ac in summitate rotundum sit oportet. Nec praetereundum est summam deberi reverentiam sacello, in quo asservatur Sacramentum; ideoque, ut notat Caeremoniale Episcoporum *lib. 1. cap. 12. num. 9.: Maxime decens esset, ut in altari, ubi SSmum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus servatum fuisse videmus.* Dum autem immediate supra tabernaculum, veluti in basi, exponuntur Imagines aut Reliquiae, actio committitur, quae laedit reverentiam debitam loco ad Sacramenti custodiam destinato. Praeterea jubet praefata Ritualis Rubrica, ut *tabernaculum sit ab omni re vacuum,* et S. C. Episc. sancivit 3. Maii 1693, ne s. olea vel Reliquiae aut alia quaeque in eo retineantur. *Haud enim decens est* (ut monet Cavalerius tom. 4. cap. 5. decret. 13. num.), *quod destinatum est in habitationem ipsius Dei, occupetur ab alia re, quae Deus non sit, nisi forte ad ipsius Dei vel SSmae Eucharistiae usum deserviat.* Nonne autem eadem habenda ratio quoad usum extrinsecum, quousque tabernaculum includit Sacramentum, ita ut ab eo arceri debeat quidquid ad ejusdem cultum, reverentiam et custodiam non pertinet? Quamobrem, ne fiat, quod maxime dedecet et sanctissimis Ecclesiae regulis adversatur, si velint exponi Imagines et Reliquiae Sanctorum, id fieri poterit in aliqua ex minoribus aris. Verumtamen non omnes Ecclesiae id commodum praestant, quamplurimae sunt etiam ex parochialibus, quae unicum habent altare. Quid inde? Breviter respondeo, si aptior non sit eas exponendi locus, quam immediate supra tabernaculum, longe melius est, Reliquiarum expositionem omittere, quam illud agere, quod minime decet. Si vero de Imaginibus sermo sit, non video, cur praeter tabulam effigiem referentem illius Sancti, in cujus nomen et memoriam altare dedicatum est, e fronte ad parietem appositam, alia minor, ut satisfiat pietati et devotione, in medio altaris collocetur, nec illo excepto, in quo asservatur Sacramentum. Mos

collocandi parvas hasce tabulas in medio altarium invectus recenter est, et ab antiqua probataque Ecclesiae consuetudine alienus. Ideo Rubrica agens de altaris thurificatione *part. 2. tit. 4. n. 5.* memorat dumtaxat Imagines et Reliquias, quae hinc inde inter candelabra sitae sunt et debent thurificari. Equidem non ignoro, difficillimum esse abrumpere morem, qui in Ecclesiis, praesertim Regularium, fere universalis evasit, apponendi in medio altaris minores hujusmodi Imagines. Ne oriantur scandala eumdem ecclesiastici Praesules tolerant; et hoc aequum est, congruit enim id permittere aliquando, quod minus decet, dummodo non sit illicitum; debitus tamen modus servandus est et consulendum, ne hujusmodi tabulae collocentur in altari, ubi SS. reconditur Eucharistia, et quatenus ibi sitae sint et nequeant omnino removeri et alio collocari sine pusillorum offensione, eum tamen locum teneant, ut a tabernaculo distent. Dixi a Praesulibus tolerari et merito dixi, unum appello Pontificem *Benedictum XIV.*, qui in Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos ditionis ecclesiasticae dat. 16. Jul. 1746: *de retinenda Crucifixi imagine palam et visibiliter exposita* plane demonstrat minorum harum tabularum usum recentem esse et potius tolerandum quam laudandum. Nam postquam initio dixerat: *in altaribus... praeter majorem tabulam, quae vel depictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen et memoriam altare consecratum est, adjungi coepit alia minor tabula, in qua vel coloribus exprimitur vel aere ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti etc.*, prosequitur, nolle usum hunc improbare, sed ea utitur loquendi formula, ut illum potius ferre, quam probare videatur, quippe concludit: *Illud monendum superest, eam nobis mentem haud esse, ut imagines Sanctorum, quae majori tabulae altaris superadditae sunt, de medio auferatis;* (sed cur haec non est ejus mens? attende rationem, quam adducit, videlicet) *cum fortasse defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam in vulgum disseminarent, vos nulla duci dicant religione in eum Sanctum, cujus imaginem fidelium venerationi subducitis.* Poteratne clarius sapientissimus et aeque religiosissimus Pontifex intimum sui animi sensum promere, quin apertis directisque verbis aperiret? Satis id est, addere nihilominus mihi liceat, cauto opus esse, et quatenus velint minores hae tabulae in medio altarium collocari, tres conditiones omnino servandas proponam.

Prima: ne privata auctoritate id fiat, sed Ordinarii intercedat adprobatio et licentia. Et quoniam pastoralis solicitudinis et vigilantiae praecipuum est munus ea curare, quae circa religionem et cultum versantur, ac diligenter studere, ne quid fiat a s. Ecclesiae legibus alienum vel iisdem minus aut non satis conforme, Episcopus, priusquam licentiam concedat, vel per seipsum cognoscat vel ab aliis prudentibus ecclesiasticis viris cognoscere faciat, quid et quomodo expressum in tabula sit. Etenim *cum domum Dei deceat Sanctitudo*, s. Trid. Syn. sess. 15. *de s. imaginibus*, statuit: *nemini licere, ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere vel ponendum curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit;* cavendum namque est, *ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur.* Sed id perquam facile accidere posset, si Ecclesiarum Rectorum aut Sacrarii Custodum in arbitrio relinquetur eas, quas maluerint minores tabulas, etsi

pias et devotas in altaribus collocare.

Secunda, quod Episcopus non permittat imagines a se adprobatas exponi in altaribus non praemissa earumdem benedictione, quae habetur cum in Pontificali tum in Rituali romano, quaeque, dum agitur de minoribus hisce tabulis, plerumque negligitur. Vide: *Acta Ecclesiae Mediolanensis ac praesertim Concilii Provinc. IV. tom. 1. pag. 100. col. 2. edit. Patavin. et collecta a Catalano in comment. ad Pontificale part. 2. tit. 15 et 16., et ad Rit. rom. tit. 8. cap. 27.*

Tertia tandem, ne in libertate et arbitrio relinquatur locus, in quo tabula erit collocanda, sed indulgens Episcopus, ut in altero ex altaris gradibus ponatur, simul jubeat, ut conspectum Crucis non impediat, quod expresse praecipit *Benedictus XIV. in laudata Epistola*, et procul distet a SSmi Sacramenti custodia, uti habetur in praesenti S. R. C. *responso.* Quod si aliis altaribus Ecclesia sit instructa, poterunt in his minores hae tabulae collocari, quin ulla ponatur in altari, ubi asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum.

S. Angeli in Vado.

Legis latae per gen. Decretum editum die 31. mense Martio anno 1821 bene conscius R. D. Paulus Antonius Marchi Canonicus Cathedr. s. Angeli in Vado, qua interdicitur apponi vel imagines vel reliquias Sanctorum super tabernaculum, ubi reconditur SSmum Eucharistiae Sacramentum, S. R. C. humillime supplicavit, ut saltem ante ejusdem tabernaculi ostiolum collocari possit alicujus *Sancti reliquia die, qua ejusdem festum recolitur*, maxime quum vigeat super hoc ipso immemorabilis consuetudo.

Et S. eadem C., omnibus attente consideratis ac praesertim Decreto in una Congreg. Montis Coronae edito die 22. mense Jan. anno 1701 ad dub. X., quo prohibetur collocare et retinere vel vas florum vel quid simile ante praedictum ostiolum tabernaculi, rescribendum censuit: „Non licere, et assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5033 die 6. Sept. 1845.

Ad dubium: Quum juxta Decretum S. R. C. pridie Kalendis Aprilis 1821 eliminanda sit consuetudo apponendi Sanctorum reliquias piasque imagines super tabernaculo, in quo SSmum Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum tabernaculum inserviat pro basi, quaeritur: an hoc Decretum valeat etiam pro Reliquiis s. Crucis vel alterius instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi?

Emi itaque ac Rmi PP. rescribendum censuerunt: „Affirmative.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 1 die 12. Martii 1836.

40) Tegumentum.

Tegumentum reliquiarum sit idem et ejusdem coloris, valoris et pretiositatis in tribus diebus Rogationum, a quocunque deferantur reliquiae, sive per Canonicos Cathedr. sive Collegiatae, et Episcopus omnino exequatur. n. 2690 die 14. Apr. 1674.

41) Translatio.

Ab uno loco ad alium reliqu. non transferantur sine justa causa et facultate scripta Episcopi. *Concil. Provinciale Mediol. 4.*

Translatio Reliquiarum insignium, judicio Episcopi, fiat cum solemni pompa et pio cultu; *ibid.;*

Fiat cum pridiana recognitione, compositione in arca, assignatione clavium et obsignatione; *ibid.*

Fiat cum apparatu viarum, sono campanarum in processione, missa solemni, concione et expositione in altari per diem integram cum debitis caeremoniis; *ibid.*

A Notario fiat instrumentum per acta singula; *ibid.*

Si jumento vel curru vehantur, decenter sternantur; *ibid.*

Quocumque iter fit, significatio pietatis, laetitiae in Clero et populo non desideretur; *ibid.*

Dies translationis, qua ultimo reponuntur, anniversario Officio divino de Sancto, cum licentia majorum, quotannis celebretur; *ibid.*

Carthusianorum Nullius.

Monachi Carthusiani s. Stephani in Bosio Nullius dioec. in Calabria, cum eorum Ecclesia restauratione et reparatione indigeret, praecipue autem altare majus, ubi est corpus s. Bruni, petierunt licentiam transferendi nonnullas alias dictae Ecclesiae reliquias Sanctorum a tabernaculo antiquo nimia vetustate collapso in novum eburneum ad hunc effectum decentius constructum.

S. C. resp.: Licentiam petitam posse concedi, dummodo translatio non fiat cum solemni processione extra Ecclesiam sed privatim intra Ecclesiam et cum interventu Episcopi Militen. seu alterius vicinioris et sine aliqua diminutione dictarum reliquiarum.

Die 24. Septbr. 1605. (Ex Analect. J. P. 1863.)

42) Unio variar. reliquiar. et Officium.

Vd.: *Reliquiae* (Officium etc.).

Cum in Calendario dioeces. Tuden. nonnulla inserta fuerint Officia Sanctorum, de quorum legitima concessione dubitari posset, et alia, quae recitantur, ratione Reliquiarum asservatarum in Ecclesia Cathedrali, ex quibus Reliquiis aliae insignes non sunt, aliae non pertinent ad Sanctos descriptos in Martyrologio romano, cumque hodiernus Rmus Episcop. Tuden. noscens hujusmodi Officia licite recitari non posse, ne memoria tamen eorumdem Sanctorum, de quibus festa adhuc celebrata erant, periret, statuerit, ut in die 3. mensis Octobris quotannis Officium cum Missa de communi plurimorum Martyrum in honorem praecipue eorum Sanctorum, quorum Reliquiae non insign. in dicta Cathedrali Ecclesia non extabant, recitaretur, modo ipse Rmus Episcopus de legitima auctoritate, qua id peregerit, anceps factus, pro suo erga ecclesiasticas leges observantiae studio ad S. R. C. accessit, ut sequens enodare dubiam dignaretur, videlicet: Num praedicta Unio sanctorum Martyrum, quorum Reliquiae non sunt insignes, de jure facta sit, cum non constet de facultate eorum Officia seorsim celebrandi, licet pie credatur, nec de die, in quo eorum festivitas sit assignanda? Et quatenus negative, supplicatur pro gratia ad eorum memoriam conservandam et memorandam.

Et S. eadem C. resp.: „Negative ad primam partem, pro gratia ad secundam, et ad mentem." Mens est: „Quod concessio Officii et Missae de sacris Reliquiis intelligatur de omnibus Reliquiis, quae in Cathedrali asservantur."

Et ita decrevit. n. 4495 ad 1 die 1. Septbr. 1804.

43) Usus vetitus.

Vd.: *Reliquiae* (Delatio ad infirm.; process. vetita).

Nullo modo licere sub praetextu cujusvis consuetudinis, immo verius

abusus, signum s. Crucis et Sanctorum Reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere.

N. 564 die 19. Jan. 1619.

44) Veneratio.

Vd.: *Reliq.* (expositio, incensatio); *Reliq. s. Crucis; Reliq. guttarum SS. Sang. J. Chr.; Reliquiae* (genufl., asserv., baptizatae, incerti nominis, inventio); *Constit. Clem. XI. diei 14. Oct. 1716* (Bull. r. t. VIII. p. 259)

Reliquiae Sanctorum in locis, in quibus coluntur, solent praestare validum praesidium ad arcendas calamitates et succurrendum necessitatibus. *Bened. XIV.* in Appendice ad tom. 4. sui Bullarii in Constitut. incip.: *Jamdudum* §. 19., ubi adducit exempla.

Reliquiae Sanctorum ut decenti loco statuantur, curae Episcoporum mandatum est a Concilio Tridentino. Idem ibidem Constitut. incip.: *Soror Imelda* §. 1.

Reliquiis Sanctorum utcumque exiguis et licet ignoretur nomen proprium Sancti, cujus sunt hujusmodi exuviae, cultus est exhibendus. Idem ibid. in d. Constit.: *Jamdudum* §. 1 et 2.

Major tamen est fidelium devotio erga integrum corpus alicujus Sancti, si praesertim de ejus proprio nomine constet. Idem ibid. §. 5.

Reliquiae puerorum, cum notis Martyrii repertae, cultum publicum in Ecclesia obtinuerunt. *Benedictus XIV.* Constit. incip.: *Beatus Andreas* §. 20., ubi ad id varia adducit exempla.

S. Paulus I. PP. Abbati Monasterii ss. Stephani M. et Sylvestri C.

Quoniam dum ipsi martyres Christi, contemptis humanae gloriae blandimentis, atque diversa tormentorum supplicia perpessi, pro Christi sunt nomine capite truncati et amici Dei effecti, omnino congruit, ut sicut eorum animae in coelestibus regnis cum angelis triumphant, ita et in terris quoque eorum sacratissima corpora *lucidissimis habitaculis collocata* optime ab omnibus venerentur Christianis, dum nimirum impensius pro suis cultoribus divinam non desistunt implorare omnipotentiam. Ipsorum quippe me sanctorum confero praesidiis, confidens eorum me suffragiis a peccatorum, qua premor, exui mole.

Die 4. Julii 761.

(Bull. r. t. I. p. 249. n. 3. Ed. Aug. Taur. 1857.)

45) Visitatio.

Si in visitatione adinveniantur Reliquiae antiquae, quae ob injuriam temporum seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluisse S. C. C. refert *Barbosa* in Summa, verbo: *Reliq. SS.* n. 3. et *de Off. et potest. Ep.* p. 3. alleg. 97. n. 11.

In Visitatione SS. Reliqu. inquirendum est:

An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deaurato et cristallo seu vitro integro contectis cum suis inscriptionibus?

An retineantur in armario ornato loco fixo sub sero et clavi cum Epigraphe: *Reliquiae Sanctorum?*

An adsit catalogus omnium Reliquiarum et an sint authenticae vel ignotae aut dubiae fidei?

An asportentur ad infirmos? si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accendantur lumina et si subtus altaria sunt deposita corpora integra SS., an retineatur lampas accensa?

Monacell. t. 1. in append. in fine; et t. 4. Suppl. ad 1. t. post n. 267.

S. REMIGIUS.

Officium s. Remigii Episcopi et confessoris concessum pro toto Orbe sub ritu semiduplici ad libitum die 1. Oct. in Basilica s. Cosmae et Damiani perpetuo impeditur infra octavam eorumdem sanctorum; ideo supplicatur, ei assignari tamquam propriam diem 30. ejusdem mensis Octobris.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Satis esse, ut Officium s. Remigii in casu, de quo agitur, celebretur sub ritu simplici."

N. 3901 ad 5 die 12. Junii 1717.

REPOSITIO.

1) Festorum.

Vd.: *Festum* (repos.).

2) SS. Sacramenti.

a) Missa.

Vd.: *Missa de SSmo* (in ejus expos. et repos.).

b) Modus.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. 20 etc.; XXXI. n. 12. 13.

Ad dubium: Utrum in die Octava Festi Corporis Christi Canonicus, qui SSmum Eucharistiae Sacramentum delaturus est in Processione, quae fit ad illud in tabernaculum reponendum, debeat aut possit super rocchettum assumere amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris? ut fert doctissimus Gavantus?

Rescriptum prodiit:

„Affirmative, seu teneri ad assumendum amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, comitantibus ministris."

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5208 ad 20 die 12. Aug. 1854.

c) Nocte.

SS. Sacrament. in Oratione 40 hh. nocte non est in tabernaculo recludendum.

Instructio Clem. §. XXXIII. n. 3. etc.

d) Oratio.

Vd.: *Te Deum* (oratio; decr. n. 5111).

REPRAESENTATIONES DEVOTAE RERUM PIARUM.

Vd.: *Theatrum in Eccles.*; *Process. ss. Corp. Chr.* (laici etc.; quae res circumferri etc.); *Process.* (laici); *Parasceve* (processio); *Vestes Religiosor. etc.*

Ad dubium: An in Ecclesiis fieri possint repraesentationes devotae rerum piarum, puta solemnitatum mysteriorum fidei, passionis domini, vitae alicujus sancti, etc.? *affirmant Barbosa* in cap.: *Cum decorem* n. 6., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 23. n. 20., *Cohell.* ad bull. bon. reg. cap. 40. n. 8., *Ursaya* num. 29. per text. in citat. Concil. Toletano 22. cap. 19., ibi: „Per hoc tamen honestas repraesentationes et devotas, quae populum ad devotionem movent, tam in praefatis diebus, quam in aliis non intendimus prohibere." Sicque tales repraesentationes, dicunt ipsi, conducunt homines potius ad compunctionem, quam ad lasciviam seu voluptatem. *Negant* autem *Monacell.* num. 107., *Romaguer.* ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 14. cap. 8. n. 9., *Nicolius* num. 27. verb.: Amplia, ubi sic expresse habet: Amplia, ut neque piae repraesentationes, puta passionis Domini vel Sanctorum, permittendae sint in Ecclesiis. Unde S. C. similes licentias concedere solet cum infrascriptis conditionibus:

I. Quod fiant extra Ecclesiam.

II. A Sacerdotibus vel Clericis aut aliis piis viris.

III. De die, non de nocte.

IV. Opus autem revisum et approbatum fuerit ab Ordinario, qui non permittat ibi apocrypha misceri.

V. Totumque fiat sine scandalo et cum aedificatione populorum. S. C. reg. in Reatina 20. Jan. 1579, in Nolana. 28. Apr., in Assisiensi 18. Mart. 1603. Quare, cum scandala timentur, debent prohiberi. S. C. in Viterbiensi 3. Apr. 1582. Et nullibi fieri sine licentia Episcopi; S. C. C. in una Bracharen. Ad conciliandas praedictas opiniones concludendum est, quod repraesentationes piae ac devotae possint quidem fieri in Ecclesiis, sed cum licentia et approbatione Episcopi. Secus autem non.

REQUIEM AETERN.

(Num cor. SSmo dicendum?)

Vd.: *Expos. SSmi pro Def.* (decr. n. 4645.) *De indulg., si dicitur:* Req. aet. *ad salutat. angelicam*, vd. *Indulg.* (Salut. angel.)

REQUIESCA(N)T.

1) In Missa et Absolutione.

Quando *absolutio* est pro uno defuncto, dicitur: Requies*cat*, pro pluribus in plurali; in *Missa* vero semper dicitur: Requies*cant*. n. 2858 die 22. Jan. 1678.

Cf.: *Ite Missa est* (decr. n. 4526).

Diaconus cantat: Requies*cant* in pace versus altare.

Caer. Ep. l. II. cap. XI. n. 9.

2) In Officio a Cantoribus cantatur.

Vd.: *Sepult. Cardinal.* (de ritu etc., ad finem.)

RES GRAVIS.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi; Instructio Clem.* §. 12. n. 19.

RESIDENTIA.

1) Archidiaconi.

Vd.: *Resid.* (Episcopi.)

Vici Aquen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Constructo jam processu in hac Curia Episcopali ad instantiam promotoris fiscalis contra Franciscum Ferrignum Archidiaconum illius Ecclesiae Cathedralis ex capite non residentiae per fere tredecim annos servatisque terminis a S. C. praescriptis in *cap. 12. sess. 24. de Ref.* Vicarius generalis sententiam privationis Archidiaconatus promulgavit adversus d. Ferrignum. Sed eodem recurrente ad hanc S. C. propositoque dubio: *An constet de legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur?* Responsum fuit: *Negative* sub die 14. Jan. 1708. Verum adhuc perseverante Ferigno in antiqua contumacia non residendi, Curia Episcopalis, ad instantiam sui promotoris fiscalis, novum processum construxit super illius diuturna absentia eumque personaliter citatum in civitate Neapolis, ubi publicam juris lecturam exercere dicitur, et non curantem comparere neque ad residentiam redire per novam sententiam Archidiaconatu privavit, ad cujus majorem comprobationem recursum habuit praedictus fiscalis ad hanc S. C., in qua bina infrascripta dubia procuratori in Curia ex adverso notificata, eoque monito proponuntur hodie EE. VV. ex actis exhibitis et in summar. dandis aliisque deducendis sapienter definienda:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 14. Jan. 1708?* Et qualenus in decisis;

II. *an constet de nova legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur, in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I.:* In decisis;

ad II.: Affirmative.

Die 3. Aug. 1709.

Tuden.

Postquam anno 1752 de Archidiaconatu nuncupato de Montes in Ecclesia Cathedrali Tudensi provisus fuit a Sancta Sede Franciscus Longorius, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat dispensationem a residentia ex causa postulationis in causa beatificationis servi Dei Joannis de Avila, obtinuitque dispensationem ad sex menses. Rediit inde anno 1754 aliis precibus, quibus narravit illi dignitati adjunctum non esse onus residentiae praecissae sed tantum causativae, ideoque Emi Patres audire voluerunt Tudensem Episcopum, indulta Longorio alia dispensatione ad quatuor menses veris existentibus narratis. Rescripsit Episcopus dignitatem illam esse praecise residentialem; praedecessores omnes Longorii resedisse, ultimis duobus exceptis, qui abfuerunt cum dispensatione ex causa infirmitatis. Nullam a Longorio absentiae justam causam proponi, ideoque ei non esse auscultandum. Haec epistola Episcopi, qua de causa ignoratur, Emis Patribus reddita non fuit. Longorius igitur novas obtulit preces prorogationem postulans ob moram Episcopi. His precibus rescriptum fuit: „Dentur novae literae et interim ad tres menses"; aliam inde prorogationem obtinuit ad quatuor menses amissis etc., qua transacta, cum adversa valetudine distineretur, aliam obtinuit ad quatuor menses. Cum vero interim Capitulo Tudensi instante injecta fuisset sequestratio redditibus Archidiaconatus, Longorius novas preces obtulit, quibus petebat, ut Capitulum compelleretur ad proponendas hujus sequestrationis rationes. Rescriptum his fuit die 18. Sept. anno 1758: Episcopo pro informatione et voto audito Capitulo eique praefixo termino ad deducenda jura sua in s. Congregatione.

Advenerunt novae literae ab Episcopo, quibus rem omnem narravit, sed Longorius questus est de attentatis, quod lite pendente sequestratio injecta fuisset, obtinuitque rescriptum: „Dentur novae literae revocato sequestro et interim Episcopus praefigat terminum Capitulo ad deducendum Jura sua in Sacra Congregatione." Venit igitur in jus Capitulum Tudense et causa omnis tribus capitibus collecta proponitur. Disputat Capitulum ex Tridentini dispositione dignitates annexum habere onus residentiae praecisae. Id nosci ex facto praedecessorum omnium; id ex ipsa absentia duorum, qui Longorium in ipsa dignitatis possessione praecesserunt. Abfuerunt enim cum dispensatione, quam non postulassent, si dignitas non fuisset residentialis. Hinc colligit Capitulum, teneri Archidiaconum integros, quos percepit, fructus restituere; nam de tertia eorum parte nulla esse potest disputatio, cum et Tridentini lege et decreto Sacri hujus tribunalis ita constitutum fuerit: de reliquis partibus, quia nullam habuerit Longorius justam causam, ex qua abesse posset.

Hos denique fructus ab eo restituendos ex eadem Tridentini lege fabricae Ecclesiae esse applicandos. Haec Capitulum. Ab Archidiacono Longorio nihil habuimus. Capita sunt:

I. An Dignitas Archidiaconatus de Montes Ecclesiae Cathedralis Tuden. sit residentialis, itaut Archidiaconus Longorius ad eamdem residentiam teneatur?

II. An et a qua die idem Archidiaconus teneatur restituere fructus perceptos?

III. An fructus tam percepti quam a die sequestri applicandi sint fabricae Ecclesiae in casu?

S. C. C. resp. *ad I.:* Affirmative;

ad II. et *III.:* Dilata et exhibeantur indulta una cum libello.

Die 1. Sept. et 24. Nov. 1759.

2) Archiepiscopi.

Vd : *Resid. Episcopi.*

3) Beneficiatorum.

a) Licentia absendi.

Ad dubium 1.: An Beneficiati abfuturi ab Ecclesia per octiduum et ultra teneantur indicare parocho, qui suppleat vices suas?

2.: An iidem Beneficiati ad longum tempus abfuturi teneantur exhibere consensum obtentum ab Ordinario?

3.: An de consensu interessentium absentes haberi possint pro praesentibus ad effectum consequendi distributiones sive, ut ajunt, praesentia?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quod eos, qui ex fundatione habent onus assistendi parocho vel residendi et amplius;

ad 2.: ut ad proximum et amplius;

ad 3.: servetur decretum Ordinarii et amplius.

Die 14. Mart. 1767.

b) Obligatio.

Vd.: *Resid. paroch.* (decr. die 29. Febr. 1712); *Resid. Capellani.*

Marsicana.

(Conc. Tr. cap. 11. sess. 25. De Refor.)

Autumantes Sacerdotes Joachim Arquatus et Silvester de Philippis beneficia, Canonicatus nuncupata, asserti annui proventus duc. 10., quae respective obtinent in Ecclesia parochiali terrae Capistrelli, nullo residentiae onere affecta esse, nuper in causa fuerunt, quod Communitas et homines jam d. Oppidi supplicem recursum ad SS. D. N. haberent precibus ad S. C. rejectis, quo Sanctitas Sua Ecclesiae servitio ab ipsis pessumdato prospicere dignaretur, utque tandem jam d. Beneficiati divinum pensum aliaque ecclesiastica munia praesentes obirent juxta praetensum antiquum morem. Profecto in hac eadem sententia consentit Episcopus, qui adversus praenominatos Joachim et Silvestrum non residentes sequestrum apposuit super eorundem Beneficiorum fructibus, potissimum quibusdam visitationum decretis innixus jam olim editis ab Episcopo Peretto de anno 1626 ejusque successore Episcopo Columna de anno 1636, in quibus sane sub expressa mulcta Abbati et Canonicis ejusdem Ecclesiae onus injungitur sacrum in aurora faciendi, tradendi pueris prima Christianae fidei rudimenta, statis horis saltem diebus festis divina Officia celebrandi et praesertim in visitatione praelaudati Episcopi Columnae saepedictis Canonicis inhibetur ne solemnitates alibi celebraturi accederent, propriae Ecclesiae servitium negligendo, sub unius ducati poena, ut latius ex Episcopi relatione aliisque juribus in summario exhibendis. Verum jam dictis duobus Praebendatis pro libertate eorum respective beneficiorum insistentibus atque proclamantibus, sequestrum non minus injuste quam nulliter relaxatum a Curia Episcopali fuisse absque praevia citatione, hinc concordatis inter Patres infrascriptis dubiis humiliter quaeritur ab EE. VV. sapienter declarari:

1. *An Beneficiati Terrae Capistrelli Canonici nuncupati teneantur residere? et quatenus affirmative;*

2. *An sequestrum relaxatum ab Ordinario super fructibus Beneficiorum sit validum vel potius revocandum veniat in casu?*

S. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quoad residentiam tantum pro servitio Ecclesiae ad formam decreti Episcopi;

ad 2.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam et amplius.

Die 25. Junii et 16. Julii 1712.

Provisus ab inferiori Collatore de beneficio personalem residentiam requirente compellendus est per Ordinarium ad residendum.

Declarat. S. C. C. Interpr. ad verba C. Tr.: *Residere cogantur etc.* (L. 6. cap. 2.; ed. *Gallemart.* 1616 p. 28.)

Salisburgen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Pene neglectum remanserat beneficium sub invocatione s. Leonardi in loco Puechach, adeo ut nulla ejusdem fundationis custodiretur memoria nullumque onerum ac proventuum documentum superesset; propterea jam de anno 1652 Archiepiscopus Salisburgensis pro sui munere idem beneficium restauravit ac iterum erexit, sibi ejusque successoribus reservato jure praesentandi Clericum saecularem pro tempore, qui adstrictus foret ter Missae sacrificium celebrare in qualibet hebdomada et festivis diebus ac insuper quolibet Sabbato in Arce Clingensi, *adeo ut beneficiatus,* (quemadmodum legitur in fundatione) *si imposterum ob indispositionem corporis aut aliis de causis praefatas Missas ipsemet celebrare non posset, is tamen easdem sine defectu ex proprio suo marsupio per alios suppleri et legi faciat.* Pro dote vero hujusce beneficii praeter domum beneficialem et hortulum jam dictus Archiepiscopus assignavit annuam summam florenorum supra 300 ex Ecclesiae s. Leonardi redditibus, qui pia fidelium liberalitate sensim adaucti fuere, uti fusius ex instrumento fundationis in summ. recensendo. Profecto septemdecim ab hinc annis beneficium hujusmodi obtinuit Bernardinus Pancherius, qui satis ejusdem oneribus perfungi pro certo habet per alium substitutum, sibi persuadens, quod nullo residentiae onere sit gravatus; hinc promotor fiscalis Curiae Archiepiscopalis Salisburgensis nuper recursum habuit ad hanc S. C., quatenus ipsa decernere dignaretur, jam dictum beneficium personalis residentiae onere esse affectum tum quia ex lege fundationis domus beneficialis assignatur, tum ex eo, quod in casu dumtaxat infirmitatis per alium supplere indulgeatur, ac tandem perspecta opimi ejusdem beneficii dote, et quidem idem promotor subtexuit, hujusmodi onus satis compertum jam dudum fuisse praelibato Pancherio, qui in actu collationis prae caeteris hanc declarationem emisit: *Bernardinus Pancherius comparet et ad factam eidem propositionem se judicialiter declaravit primo apud collatum sibi beneficium s. Leonardi in Puechach personaliter residere et eidem annexas functiones ipsemet peragere, secundo absque habita superiorum licentia ab eodem nequaquam abesse neque se absentare.* Reportata itaque Consistorii Archiepiscopalis informatione ac indicto competenti termino ipsi Pancherio, ut judicio S. C. sisteret, sub die 11. Junii ultimo elapsi, relatae fuerunt preces per summar. exindeque in ejusdem contumacia rescriptum prodiit: *Beneficium esse residentiale et ordinarius procedat ser. ser. contra beneficiatum.* Hinc sane excitatus saepedictus Bernardinus Pancherius enixe in praesenti contendit, quod nullo residendi onere praegravari possit, inspecto tenore erectionis beneficii, ex qua Clericum institui posse dicitur, caeteroquin vero subdit, fundatorem nil aliud cavisse, nisi quod Sacrificia omnino offerantur per substitutum, etiamsi rector morbo vexaretur, quodve nullius momenti haberi debeat asserta declaratio ex supposita causa

ab ipso in actu collationis extorta. Tandem Orator ipse prosequitur, quod alterius opera procul dubio uti potest in beneficii oneribus explendis juxta expressam fundationis indulgentiam, cum adversa prematur valetudine, quemadmodum ex documentis in summar. recensendis liquere asserit. Quapropter concordatis infrascriptis dubiis EE. VV. erit decernere:

1. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 21. praeteriti mensis Junii? et quatenus in decisis;*

2. *an modernus beneficiatus possit per alium supplere in casu?*

S. C. resp. *ad 1.:* In Decisis;

ad 2.: Doceat de legitimo impedimento coram Ordinario et amplius.

Die 21. Jan. et 4. Febr. 1713.

Beneficium seu Capellaniam censeri residentialem, quae adnexam habet servitium chori in Cathedr. vel Colleg. Ecclesia.

S. C. C. die 16. Nov. 1708 *Nepesina;* 5. Sept. 1710.

Quum beneficio simplici in *fundatione* onus esset adjectum, ut „Sacerdos ad illud electus et confirmatus teneatur et debeat in perpetuum de die ac nocte in Ecclesia cum Presbyteris et Canonicis interesse horis et divinis ac sol. Officiis, nisi justo et canonico impedimento fuerit impeditus", quamvis *nunquam* possessores *residentiam praestitissent,* nihilominus S. C. censuit: possessorem ad residentiam teneri neque ab ea esse dispensandum.

Die 14. Dec. 1833 *Mutinen.*

Capellaniam, cujus possessori onus sublevandi parochum et sacrificandi diebus festis singulis incumbere plures visitationes et ipsa consuetudo probant, non esse simplex beneficium sed residentiale.

S. C. C. die 13. Julii 1743 *Sublacen ad I.*

Fanen.

(Conc. Tr. cap. 4. 5. sess. 25. De Ref.)

Vigore notissimae Constitutionis, quae incipit *Instaurandae,* promulgatae a sa. me. Innocentio X. de anno 1652, suppressus fuit parvus Conventus s. Blasii de Brettino P. Eremitarum s. Augustini existen. intra fines parochiae Villae Ronchi Sambacci, cujus redditus a tunc temporis Episcopo cum Consilio Capituli mediante approbatione S. C. super statu Regularium fuerunt conversi in erectionem Capellaniae sub hac lege: Il Convento di s. Biagio di Brettino de' PP. Agostiniani fuori della Città tre miglia, d'entrada di scudi cento in circa, si può applicare per un Capellano perpetuo, che risiedi, ajuti it Parocho nella cura delle anime, celebri le feste di precetto, e di divozione, et anco fra settimana, secondo che li sarà prescritto dall' Ordinario, e con tal celebrazione sodisfacci gli obblighi, che vi saranno. Fuit exinde primo provisus de d. Capellania Franciscus Santolinus cum honoribus et oneribus ac obligationibus residendi in dicta Ecclesia in auxilium animarum parochiae ibique celebrandi singulis diebus festivis vel devotione et, quando in hebdomada non occurret aliquis dies festus, celebrandi etiam feria quarta et Sabbato, quemadmodum legitur in decreto provisionis. Ac pari modo cum obligatione personalis residentiae eam assecuti fuerunt alii Capellani successores.

Possidet modo Capellaniam Joseph Ferrinus, qui eam sibi impetravit ab Apostolica Sede ob non residentiam sui Antecessoris ab anno 1691, qui quidem de anno 1698 recursum habuit ad hanc S. C. pro exemptione ab obligatione residendi sub praetextu, quod ejus Praedecessores idem onus non adimpleverint. Verum rejectae fuerunt ejus preces, quemadmodum etiam eve-

rit in S. C. Ep., ad quam Ferrinus similem recursum habuerat; atqui de anno sequenti 1699 conquerente etiam parocho Villae Ronchi Sambacci destituti auxilio Ferrini institit in hac S. C. promotor fiscalis illius Curiae Episcopalis ad effectum cogendi Ferrinum ad residentiam et eadem S. C. stetit in decisis et hujusmodi causam amplius non proponi mandavit. Nuper vero de mense Januarii anni praeterlapsi 1710 novus advenit recursus nomine populi d. Villae Ronchi adversus Ferrinum non residentem et decreta S. C. eludentem; unde haec eadem S. C. injunxit Episcopo Fanen., quatenus juxta enunciata S. C. decreta procedere non omitteret. In vim cujus mandati idem Antistes praeceptum tulit adversus Ferrinum, ut statim se recipere deberet ad residentiam sui beneficii, ab eaque non deberet ullo sub praetextu vel quaesito colore unquam discedere, neque de die neque de nocte sine ejusdem Antistitis vel ejus Vicarii generalis in scriptis licentia sub poenis formalis carcerationis, amissionis beneficii aliarumque poenarum etiam ejus arbitrio infligendarum juxta dispositionem S. C. Trid., S. Canonum et Apostolicarum ac Synodalium Constitutionum. At vero postmodum Episcopus, firmo in reliquis relicto d. praecepto, illud moderatus fuit, licentiam scilicet impertiendo Ferrino bis tantum in hebdomada dumtaxat de die sese transferendi ad civitatem Fani, relicta tamen idonea persona pro coadjuvando parocho in exercitio curae et adimplendo missarum onere, sed de nocte se reciperet ad residentiam.

Ab hujusmodi praecepto gravatus Ferrinus recurrit ad hanc S. C. praetendens ad residentiam teneri nonnisi iis hebdomadae diebus, quibus est affixum sacrificium Missae. Quamobrem informare jussus idem Episcopus Fanen. latius praemissa comprobavit et in folio separato in summar. dando jura quaedam transmisit, quibus convincere adnititur Oratoris continuam residentiam. Quamobrem idem Orator ex deducendis humiliter exposcit ab EE. VV. declarationem:

An et quomodo Orator teneatur ad residentiam?

S. C. C. resp.: Teneri ad residentiam continuam prout de jure.

Die 24. Jan. 1711.

Vercellen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Extat in Cathedrali Ecclesia Vercellen. Collegium duodecim beneficiatorum, qui continuo tenentur Ecclesiae inservire cum cantu Gregoriano in diebus ferialibus et cum figurato in festivis et solemnibus.

Ad titulum horum beneficiorum, ob penuriam Presbyterorum, qui musicam callerent, fuerunt alias ad Sacros Ordines promoti Joannes Bapt. Baracca et Joannes Bapt. Bonadellus, qui paulo post, Ecclesia derelicta, ad alias se contulerunt regiones, primus enim, post lustratam sine habitu clericali totam bene Italiam, a biennio et ultra Venetiis residens. Theatris publicis operas suas locavit et alter post praestitam anno 1695 similem operam in Theatro Laudae abinde citra Patavii moratus est.

Ad consulendum detrimento servitii Ecclesiae et ad occurrendum scandalo publico Capitulum Cathedralis Ecclesiae Vercellen. declarari supplicavit, quod dicti absentes ex causa omnino illicita atque Ordini Sacerdotali injuriosa poenas incurrissent privationis beneficiorum, propositisque in hac S. C. die 15. Dec. 1696 binis sequentibus dubiis, primo: An esset locus privationi beneficiornm in casu? Et quatenus negative; secundo: An et qua poena esset procedendum contra hujusmodi beneficiatos? responsum

fuit: esse locum privationi ad formam Sacri Concilii et Sacrorum Canonum.

Ab anno 1696 usque in praesens multi alii casus contigerunt, in quibus beneficiati se ab Ecclesiae servitio fecerunt absentes; cumque a Capitulo novae preces fuerint huic S. C. exhibitae, in quibus petebatur, quod ad coercendam hanc beneficiatorum absentiam adversus absentes statim procedi posset ad poenam privationis, utpote adversus ipsos ipso jure in statuto impositam, nisi causa absentiae fuisset a Capitulo approbata, dictum fuit, quod causa proponeretur in folio citatis dictis beneficiatis.

Porro beneficiati Cathedralis Ecclesiae Vercellen. ultro admittunt, quod procedatur adversus absentes, sed ad formam Concilii et Sacrorum Canonum, juxta ea, quae fuerunt resoluta ab hac S. C. die 15. Dec. 1696, uti supra dictum fuit.

Absque eo, quod vindicare valeat locum adversus absentes poena privationis ipso jure inflicta, uti contenditur a Capitulo, quia Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de Refor.* praescripsit, quid in primo anno, quid in secundo et quid in tertio absentiae fieri debeat, quae trium annorum dilatio poenae privationis ipso jure incurrendae adversatur, tum quia statutum, ex quo haec poena desumitur, non fuit a Sede Apostolica confirmatum nec fuit unquam usu receptum nec beneficiati eidem subjecti dici possunt, ex quo facultas Canonicis concessa in erectione Collegii beneficiatorum auctoritatem importat ordinationes et statuta faciendi, quibus essent beneficiati subjecti, sed in his, quae directionem chori et divinorum Officiorum celebrationem respiciunt.

Capitulum e contra praemittit, quod intantum ab hac S. C. die 15. Dec. 1696 resolutum fuit, quod adversus beneficiatos absentes non procederetur ad privationem beneficiorum absolute et simpliciter, sed ad tramites tantum Sacri Concilii Tridentini et Sacrorum Canonum, in quantum non fuit S. C. expositum, quod in statuto inflicta erat beneficiatis poena privationis ipso jure in casu absentiae sine causa a Capitulo approbanda, asserendo, quod si praedicta statuti circumstantia fuisset exposita, S. C. respondisset, quod procederetur adversus absentes ad formam statuti, simili modo quo, cum in materia residentiae Canonicorum Vercellensium Episcopus decrevisset, eam esse peragendam ad formam Sacri Concilii Tridentini et non consuetudinis et statutorum, Sacra Congregatio die 2. Aug. 1670, cui antiqua consuetudo una cum statutis fuit exposita, respondit: Consuetudinem esse servandum ad formam statutorum.

Hoc praemisso Capitulum subdit debere esse locum privationi ipso jure adversus absentes, nisi absentiae causa fuerit a se approbata, cum id fuerit praescriptum in statuto condito anno 1586, et cum in erectione Collegii beneficiatorum, secuta anno 1581, fuerit ipsis demandatum in Bulla Apostolica, quod parerent constitutionibus, ordinationibus et statutis tam factis quam faciendis ab ipso Capitulo.

Nec Canonici putant id Sacro Concilio Tridentino adversari, tum quia valent statuta circa privationem ipso jure ob non residentiam, juxta *Abbatem in cap. Quoniam* §. *Porro n. 11. ut lite non contestatur,* ut multo magis, quando expectatio triennalis tantum abest, quod absentes coerceat, quod, experientia teste, constat, nihil ad dictum effectum prodesse; tum quia conciliaris dispositio, quae procedit in canonicis et beneficiatis, non videtur applicabilis hypothesi praesenti, in qua agitur de beneficiatis musicis, ex quorum absentia contingit, quod Ecclesia

caret musica; musica etenim seu cantus figuratus ex pluribus vocibus componitur et si aliquae desunt, musica haberi non potest, et tandem, quia statutum adeo laudabile esse videtur, ut apostolicam mereatur confirmationem, pro qua obtinenda Capitulum enixe supplicat.

Dignabuntur ergo EE. VV. decernere: *An et quomodo sit procedendum adversus beneficiatos non residentes in casu?*

S. C. C. resp.: Procedendum adversus non residentes ad tramites Concilii Tridentini et quoad beneficiatos in theatris canentibus Ordinarius nomine S. C. imponat poenam privationis eisdem.

Die 1. Oct. 1720.

Aquilana.

Bernardinus de Ludovicis in testamento, quod condidit anno 1707, jussit fundari in parochiali Ecclesia Villae Termini capellaniam cum eo Missarum onere, quod executoribus visum esset congruum. In ejusdem capellaniae dotem praeter alia bona assignavit suam domum, in qua capellanum voluit residere. Cum enim eamdem capellaniam primo loco destinasset Antonio Cerasolo, haec subjecit verba: „Sia obbligato a risedere in detta mia casa lasciata per detto effetto" — deindeque haec etiam addidit: „Soggiunge, che la casa, dove al presente, habita detto Don Bernardino, non si abbia a vendere, ne permutare per qualsivoglia causa, ma quella resti in benefizio di detto Don Antonio capellano ed in futurum per gl'altri capellani pro tempore, come anche le botti di vino, arche di grano, ed altri tavolini, sedie, ed altro, che in detta casa, e che li capellani in futurum non le possino vendere, nè impegnare, nè permutare, ma restino sempre per li futuri capellani."

Facta juxta normam a testatore praescriptam et ab ordinario approbatam fundatione capellaniae cum declaratione, quod a capellano celebrandae essent quatuor Missae unaquaque hebdomada, obtinuit praedictus Antonius Cerasolus eamdem capellaniam, cujus annui proventus constituunt summam ducatorum circiter quinque et sexaginta. Sed cum ipse nuper fuerit assecutus etiam beneficium parochiale in dioecesi Reatina, ii, ad quos pertinet juspatronatus capellaniae, existimantes eam propter injunctam residentiam in domo fundatoris esse incompatibilem cum beneficio parochiali, vi cujus alibi residere oportet Cerasolum, nominarunt alterum capellanum.

Huic autem nominationi reclamavit Cerasolus putans sibi licere utroque beneficio simul potiri. Inquit enim incompatibilitatem adstrui quidem non posse ex onere Missarum, quae celebrari debent in parochiali Ecclesia Villae Termini, cum non fuerit jussus capellanus celebrare per se ipsum, adeoque huic oneri recte satisfacere possit per alium, ut fuse firmatum fuit a Rot. decis. 825. coram Merlin, quam pluries amplexa fuit haec S. C., ac praesertim in Romana capellaniae 29. Aug. 1722, ut in lib. 72. decr. p. 415. Quamquam ex conjecturis suadentibus aliam fuisse mentem fundatoris, secundum ea, quae copiose tradit Fagnan. in cap. „ut Abbates", a n. 60. ad 89. de aetat. et qualit., contrarium definierit eadem S. C. in civitatis Plebis 15. Decemb. 1708 et 29. Martii 1710, et in Romana capellaniae 13. Martii 1709, et in Bononien. capellaniae 1. Junii ejusdem anni.

Itaque ubi capellaniae non inhaereat conditio celebrandi Missas in alia Ecclesia per se ipsum, incompatibilem eam non esse cum beneficio parochiali respondit haec S. C. in Novarien.

12. Dec. 1705 lib. 55. decret. p. 437, et in civitatis Castelli legatorum piorum 19. Maii 1708 lib. 58. decret. p. 177. Ex diverso autem non posse Ecclesiam parochialem retineri simul cum capellania exigente celebrationem Missarum per se ipsum in diversa Ecclesia, rescriptum est in Neapolitana capellaniarum 14. Apr. 1725 ad I. dub. lib. 75. decret. p. 171, et in Romana 17. Jan. 1728 lib. 78. decret. p. 1.

Quantum vero attinet ad alteram conditionem a fundatore adjectam de residendo in ejus domo, quam dixit in hunc finem ab eo relictam fuisse, contendit Cerasolus non inde effici capellaniam residentialem ideoque incompatibilem cum Ecclesia parochiali, nam Ecclesia, in qua fundata fuit capellania, non est collegiata nec injunctum fuit capellano ministerium ullum vel in ea Ecclesia vel in tali villa obeundum; ac propterea putat fundatorem eo solum fuisse animo, ut commodum hoc tribueret capellano in ea villa habitare volenti. Est enim certum, non fuisse a testatore impositam capellano legem, ut auxiliarem operam praestaret parocho nec ut in divinis Officiis inserviret Ecclesiae; quo quidem casu valde dubitari posset indictam esse etiam residendi legem, juxta terminos quaestionis, quam tractant Fagnan. in dict. cap. „Ut Abbates" a n. 89. ad fin. de aetat. et qualit., *Amostaz.* de caus. piis lib. 3. cap. 11. n. 41., *Piton.* de controv. patron. tom. 1. alleg. 27. et seq., *Rot.* decis. 399. et seq. coram Merlin.

Ad rem quoque facit resolutio, quam in quadam causa Casalen. olim prodisse ab hac S. C. refert *Garz.* de benef. part. 7. cap. 1. n. 87., inquiens, declaratum fuisse non requiri personalem residentiam in capellania, cujus in fundatione cavebatur, „*ut domus capellano aedificaretur, in qua habitaret et divinis serviret et nisi habitaret et serviret, posset amoveri et de alio provideri.*"

Non absimilis quaestio discussa fuit in Asten. capellaniae, in qua, licet testator, qui capellaniam fundari jusserat, nullam residentiae legem adjecisset, haeres tamen in ipsa fundatione his verbis caverat: „*Nominatus ad beneficium teneatur habere domicilium in oppido Villae novae et celebrare personaliter Missas sex qualibet hebdomada in capella B. M. V. gratiarum.*" — Proposito autem dubio ita concepto: „*An capellanus teneatur ad onus personalis residentiae et celebrationis per se ipsum*"? die 14. Febr. 1699 rescriptum fuit: Negative, ut in lib. 49. decret. p. 57. Sed non satis constat, cum S. C. ad ita definiendum adducta fuerit, ex quo forsan censuerit rationem non esse habendam oneris ab executore fundationis adjecti, quod testator minime praescripserat.

Pertinet etiam ad hujusmodi controversiam decisio sacrae Rotae edita in Gerunden. eleemosynae panis super residentia 3. Julii 1711 coram Card. Priolo. Quamvis enim fundator constituisset capellanum debere divinis Officiis in choro deservire et Missae sacrificium facere in certo altari necnon inhabitare domum assignatam ad stipem pauperibus largiendam, nihilominus determinatum fuit: non requiri personalem residentiam.

Caeterum circa articulum incompatibilitatis, de qua potissimum agitur in casu proposito, illud etiam est animadvertendum, quod ad inducendam incompatibilitatem non videtur satis esse conditio residentiae causativae, videlicet necessariae ad percipiendum emolumentum destinatum beneficiario residenti, sed annexam esse oportere residentiam „praecisam", qua non servata fiat locus amissioni tituli ac privationi, ut explicant *Hojed.* de

incompat. benefic. part. 1. cap. 17. n. 34., *Gonzal.* ad Regul. 8. Cancellar. Gloss. 15. n. 20 et seqq., *Panimoll.* decis. 31. annot. 1. n. 4. et seqq. Itaque in Ferrarien. capellaniae disceptato hoc dubio: „*An capellania, de qua agitur, sit praecise residentialis, ita ut sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali seu parochia*"? S. C. die 3. Martii 1703 respondit: Negative, ut in lib. 53. decr. p. 73. Similisque declaratio prodiit in alia Ferrarien. capellaniae 26. Martii 1707, ubi agebatur de capellania annexum habente onus assistendi singulis horis canonicis aliisque divinis Officiis in Ecclesia Cathedrali; propositoque dubio: „*An capellania, de qua agitur, sit residentialis praecise vel causative, itaut capellanus non residens sit illa privandus vel potius distributionibus*"? Rescriptum fuit: esse residentialem causative tantum —, ut in lib. 57. decret. p. 98.

Dicendum igitur erit:

1. *An beneficium seu capellania, de qua agitur, habeat onus residentiae et quomodo?*

2. *An praedictum beneficium sit incompatibile cum parochiali in casu?*

S. C. C. resp. *ad 1.:* Capellanum teneri residere ad formam testamenti; *ad 2.:* Provisum in primo.

Die 2. et 16. Maii 1733.

Auximana.

Testamento, quod condidit anno 1591, Angelus Bianchi fundari jussit capellaniam de jurepatronatus laicali ad altare s. Luciae in Ecclesia parochiali Terrae Appignani, cujus redditus nunc ascendunt ad annua scuta 40 circiter; voluitque, ut ad illam praesentaretur coram ordinario instituendus „unus Clericus laudabilis vitae, bonorum morum et idoneae literaturae ac bonae conditionis et famae, qui habeat et teneatur dictum altare officiare, regere et Divina celebrare temporibus et horis debitis, dicendo quatuor Missas in qualibet hebdomada in eo, videlicet diebus dominicis, die Lunae, Mercurii et Veneris et ulterius in diebus festivis solemnibus, effundendo preces pro Animabus ipsorum."

Et praeter onera praedicta capellano injuncta praecepit insuper testator, „quod hujusmodi Rector teneatur et obligatus sit residentiam et moram trahere in Terra Appignani suam domum praedictam habitando."


Demandatam autem residentiam nequaquam fecisse constat primum capellanum Alphonsum Bianchi de Terra Monticuli Camerinensis dioecesis, qui in aetate tredecim annorum fuerat ab ipso testatore nominatus, quique anno 1606 electus fuit Vicarius generalis Recineti idemque munus postea obivit in variis dioecesibus ac tandem anno 1631 Domum Congregationis Oratorii fundavit in eadem Terra Monticuli Patria sua, ubi diem clausit extremum anno 1645: oneribus capellaniae interim adimpletis per substitutum.

Et illius successor Bernard. Bianchi, qui eodem anno 1645, vix adepta capellaniae possessione, substitutum pariter deputavit, duo proposuit dubia in hac S. C., scilicet:

I. *An hujusmodi beneficium sit sacerdotale, itaut de illo provisus teneatur per se ipsum Missas celebrare et per substitutum non possit impleri?*

II. *An personaliter residere teneatur, itaut Emus Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint?*

Quibus die 13. Nov. 1649 responsum est ad I.: Beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale et posse per substitutum onera impleri;



ad II.: Emum Episcopum posse permittere, ut in lib. 19. dec. fol. 2.

Quocirca permittente Episcopo, ut fertur, idem Bernardinus semper inde abfuit a Terra Appignani, curam animarum exercens in Terra Montis Luponum. Et licet Sacerdos Lucoli, qui capellaniam possedit usque ad annum 1720, in domo testatoris permanserit, carens alia habitatione, ut narrat per epistolam Franciscus Xaverius Angelelli parochus et vicarius Foraneus Appignani, attamen Bernardinus Palmieri, qui illi successit, continuo resedit in Terra Monticuli, tamquam Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae ejusdem Oppidi. Et absens semper fuit etiam Franciscus Maria Frisciotti de civitate Nova Firmanae dioecesis ejusdem Palmieri successor: minimeque ad residendum in Terra Appignani unquam se contulit Antonius Maria Friscioti hodiernus capellanus post dictum Franciscum Mariam ejus fratrem electus, ut praeter Vicarium Foraneum antedictum deponit Sacerdos Caprara, qui eorumdem capellanorum vices explevit.

Cum vero hodiernus capellanus audivisset, quod Episcopus Auximanus meditaretur eum cogere ad residentiam, preces obtulit huic S. C., quibus postulabat declarari, capellaniam nequaquam esse residentialem, itaut capellanus de jure non teneatur ad residentiam et personale servitium sed abesse valeat et deservire per substitutum, nedum permittente Episcopo, juxta praemissum rescriptum anni 1649, verum etiam Episcopo renuente. Dudum itaque praefixo termino Promotori Fiscali ut, si quid censeret opponendum, deduceret in S.C., causa nunc proponitur.

Deputat autem Frisciotti capellanus, residentiam in sua capellania nec praecisam requiri nec causativam. Non praecisam: quia solum ad illam teneri, inquit, obtentores beneficiorum de jure residentialium, uti sunt Episcopi et parochi caeterique Praelati curam animarum habentes, de quibus loquitur *Concilium Tridentinum* in sess. 6. cap. 1., sess. 7. cap. 3., et sess. 23. cap. 1. de Reform. et san. mem. *Pius IV.* in Constitutione: *De salute Gregis* 10. §. 1. et 2. et in Constitutione: *In suprema* 91. §. 1., et *s. Pius V.* in Constitutione: *Cupientes* 65. §. 1. Bullarii *Cherubini* tom. 2., vel etiam Capitulares Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum juxta sanctionem ejusdem *Concilii Tridentini* in sess. 24. cap. 12. de Reform. et praefatae Constitutionis: *Cupientes* s. Pii V. At nequaquam hujus generis esse, putat, capellanias vel simplicia beneficia, quorum possessores de generali totius Orbis consuetudine minime tenentur ad residentiam, ut tradunt *Imol.* in cap. fin. n. 9. de Cleric. non resident., et *Azor* instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 8. quaest. 5. ad fin.; et licet praefata Constitutio s. Pii loqui videatur de quibuscumque beneficiatis, attamen intelligendam esse, defendit, de solis Curatis vel Capitularibus, non autem de simplicibus, juxta firmata per *Garz.* de benefic. par. 3. cap. 2. num. 9.

Minusque residentiam causativam requiri autumat, quum nulla praescripta sint onera personaliter adimplenda per capellanum, qui propterea residere non tenetur, sed potest onera adimplere per substitutum, juxta receptam opinionem *Lap.* allegat. 35. n. 4., et late tradunt *Fagnan.* in cap.: *Ut Abbates* n. 84. de aetat. et qualit. ordin., et *Barbos.* de Offic. et potest. Episc. alleg. 24. n. 43. et 44., et alleg. 53. n. 179.

Nec obstare censet, quod in limine fundationis praescribi valeat residentia etiam pro simplici capellania, ut pro-

bat *Gonzal.* ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 100., quia Bianchi Testator, praecipiendo residentiam, nec causam personalis servitii nec servitii addidit, nec poenam adjecit contraventori; ideoque tamquam nudum praeceptum posse impune sperni ejus voluntatem, ad *Text. in leg. Filius familias 117. §. Divi il. 2. ff. de leg. 1.*, cui adhaeret resolutio hujus S. C. in Casalen. relata per *Garz.* de benefic. par. 7. cap. 1. n. 87. et *Rota* in Gerunden. eleemosynae panis super residentia 3. Julii 1711 coram Card. Priolo. Et id ipsum in hac causa innuisse arbitratur eamdem S. C. anno 1649 rescribendo, quod Episcopus permittere posset implementum onerum per substitutum in absentia capellani, cum alioquin non esset in facultate Episcopi quidquam detrahere vel remittere ex oneribus valide injunctis in fundatione beneficiorum, ut praescribit Sacrum *Concilium Tridentinum* in sess. 25. cap. 5. de Reform. Atque demum omnem difficultatem submoveri, contendit, ex observantia tum proxima fundationi, tum novissima a quadraginta postremis annis.

Dispositio non absimilis concurrebat in una Aquilana capellaniae proposita in hac S. C. die 2. Maii 1733, in qua testator, nullo injuncto onere personaliter adimplendo per capellanum, solum praeceperat eidem, sia obligato risedere in detta mia Casa lasciata per detto effetto; cumque fuissent disputata duo dubia:

I. *An beneficium seu capellania, de qua agitur, habeat onus residentiae et quomodo?*

II. *An praedictum beneficium sit incompatibile cum parochiali in casu?* die 16. Maii ejusdem anni 1733 prodiit rescriptum

ad I.: Capellanum teneri residere ad formam testamenti;

ad II.: Provisum in primo.

Reproposita causa die 18. Julii ejusdem anni rescriptum fuit: In decisis et amplius, ut in lib. 83. decret. p. 198, 222 et 318.

Dignentur igitur EE. PP. perpendere, num pro exclusione oneris residendi urgeat in hypothesi observantia, quae non aderat in dicta Aquilana, ut ad tramites juris, etiam pro casu, quo Episcopus renuat uti facultate permittendi rectoris absentiam, definire valeant:

An rector beneficii s. Luciae Terrae Appignani personaliter residere ibidem teneatur seu potius per alium tale onus impleri possit?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem ad formam testamenti. In reliquis in decisis de anno 1649.

Die 17. Jan. 1761.

c) Non est Obligatio.

Obtinens beneficium, licet id sit titulus alicujus Sancti, dummodo sit *simplex,* non tenetur in eo residere nec eum ad residentiam potest cogere Episcopus.

Decisio S. C. C. Interpr. ad Conc. Tr. sess. 6. cap. 2. (Ed. Gallemart. 1616 p. 28.)

4) Canonici.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig. etc. Constit. Bened. XIV.).

a) Qui simul Episcopatum obtinet.

Leodien.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1., 12. sess. 24. De Ref.)

Cum de anno 1697 vacaverit Sedes episcopalis Namurcensis, extitit de ea provisus a s. m. Innocentio XII. Ferdinandus Maximilianus de Berlà Canonicus Praebendatus necnon Archidiaconus Campiniae nuncupat. Cathe-

dralis Ecclesiae Leodien. Ut autem novus provisus suum episcopale decus decentius tenere possit, idem Pontifex motu proprio eidem Indultum concessit retinendi ad decennium una cum Ecclesia Namurcensi Canonicatum et Archidiaconatum praedictos Ecclesiae Leodien. cum clausula: *non obstantibus etc.*, et cum altera clausula: *praeviso, quod Canonicatus et Praebenda et Archidiaconatus hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta*, prorogatum ad aliud decennium a SS. D. N. de anno 1707. Verum de mense Febr. 1710 Capitulum et Canonici Leodienses hortati sunt Episcopum ad residendum saltem per trimestrem in eorum Ecclesia, si lucrari vellet fructus tam Canonicatus quam Archidiaconatus. Viceversa Episcopus residens in sua Ecclesia Namurcen. autumat, sibi liberum non esse adire Leodium inter vigentes bellorum strepitus; qua de re recursum habuit ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis, quatenus hoc belli tempore dignetur eidem indulgere integros fructus Canonicatus et Archidiaconatus absque obligatione residentiae; hujusmodi simile Apostolicum Indultum eadem de causa difficultatis ad residendum obtinuerunt tres alii Canonici dictae Ecclesiae Leodien. impraesentiarum Namurci degentes; exhibuit se caeteroquin Orator necessarias visitationes obire in districtu sui Archidiaconatus.

Requisitus fuit desuper informare Nuntius Apost. Colonien., qui ad explorandam veritatem precum Oratoris audivit tam Capitulum Leodiense quam eundem Episcopum, quorum hinc inde objectiones nempe Capituli et responsiones Episcopi ad S. C. transmisit, prout in Summar. dabuntur. Retulit porro informans, se monuisse tam Capitulum, ut interim abstineat a quacumque innovatione, quam Episcopum, ut quamprimum visitet Archidiaconatum suum idque saltem quotannis peragat, quod ei liberum est, omnemque operam adhibeat, ut eodem belli tempore sibi permittatur adire Leodium ibique residentiam trimestrem agere, cum caeteroquin residentia sex mensium requisita per statuta Capituli Leodien. ad consequutionem omnium fructuum ab eo exigi non valeat, cum gravior sit obligatio residendi in Episcopatu, quin et vigore statutorum praesentes censentur Canonici Archidiaconi districtum suum visitantes pro tempore visitationis, alioquin inutile redderetur Apostolicum Indultum retinendi Praebendam et Archidiaconatum praefato Episcopo concessum ad sublevandam tenuitatem reddituum mensae Episcopalis Namurcensis. In altera vero relatione idem Nuntius transmisit documenta ostendentia Episcopum satisfecisse ejus adhortationibus indicendo visitationem propediem abeundam aliaque explevisse pro gubernio dicti Archidiaconatus ac diligentias continuasse, ut sibi Leodium adire fas sit, uti latius ex praefatis relationibus una cum praemissis aliis documentis in summar. exhibendis. Ex quibus Orator ipse deprecatur hodie EE. VV. decernere:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Pro gratia juxta modum ad biennium durante impedimento accedendi ad Ecclesiam, omissa tertia parte, quae accrescat interessentibus, et Episcopus curet interim removere dictum impedimentum necnon visitet Archidiaconatum.

Die 5. Sept. 1711.

Leodien.

(Infausta tempora.)

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1., 12. sess. 24. De Refor.)

Effusis precibus ad S. C. remissis Episcopus Namurcensis SS. D. N. benignitatem imploravit, quatenus vigentibus infaustis bellorum temporibus eidem indulgere dignaretur absque residendi onere integros fructus Canonicatus et Archidiaconatus, quos ex Apostolico Indulto obtinet in Ecclesia Leodiensi; idcirco in Congregatione die 5. Sept. 1711 proposito dubio: *An et quomodo Namurcensis Oratoris precibus sit annuendum?* responsum prodiit: *Pro gratia ad biennium, durante impedimento accedendi ad Ecclesiam, juxta modum,* videlicet omissa tertia parte fructuum, ita tamen ut curae esset Episcopi removere impedimentum, quo praepediebatur adire Leodium, ac visitationem Archidiaconatus expleret. Sub his insistente praelibato Episcopo pro declaratione, quod biennium hujusmodi computandum esset, ex quo bellorum strepitus invalescere coeperunt, sub die 5. Martii 1712 placuit EE. PP. respondere: *biennium currere a die recursus ad* S. *C., nempe a die 20. Sept. 1710.* Quapropter in Congregatione die 27. Augusti praelapsi anni jamjam labente hujusmodi biennali indulto iisdem perseverantibus obstaculi causis Orator ipse prorogationem ad annum obtinuit cum solitis clausulis. Nuper vero insurrexit Capitulum Ecclesiae Cathedralis Leodiensis, quod autumat, ejusmodi gratiam et consecutivam prorogationem, ut praefertur, ab Episcopo Namurcensi impetratam omnino corruere, tum quia nullibi constare asserit mox dictum Praesulem curam subinde adhibuisse pro obstaculi remotione, verum etiam cum praememoratum indultum retinendi simul Canonicatum et Archidiaconatum viribus careat, quo subreptitie et obreptitie tum expositum fuisse contendit, earum praebendarum fructus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem non excedere, cum caeteroqui iidem proventus adamussim summam pertingant similium ducatorum plusquam mille, quemadmodum ex documentis, quae in summario dabuntur, liquere autumat. Caeterum saepedictus Episcopus Namurcensis pluribus haec retundere conatur, prae caeteris contendens, nullum praetermisisse studium, quo liberum sibi esset adire Leodium. Hinc ex his aliisque, quae uberius utrinque adducuntur, non dedignentur EE. VV. sapienter resolvere consuetum dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis sub diebus 5. Sept. et 27. Aug. 1712 in casu etc.?

S. C. resp.: In decisis et amplius. Die 13. Maii 1713.

Canonicus Capuanus fuit per annum excusatus a residentia ex Cong. declaratione, dummodo eo tempore in loco viciniori habitaret et quod inimicitiae essent sine ejus culpa ortae. — Alius Canonicus Aretinus, qui fidejusserat de recedendo ab urbe, fuit a residentiae fidejussione durante similiter excusatus et inhibitum Ordinario, ne contra eum procederet.

Declarat. S. C. C. Interpr. ad verba C. Tr. sess. 6. cap. 2.: *Rationabilibus causis etc.* (Ed. Gallemart. 1616 p. 29.)

b) Canonici et Dignit.

I. Obligatio.

Vd.: *Resident. paroch.* (decr. diei 29. Febr. 1712); *Punctur.*

Ad dubium: An et quo tempore omnes Canonici teneantur residere in Plebe Insulae?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 3. Dec. 1712.

Quum in Canonicatus cujusdam institutione nulla residentiae facta fuisset mentio, controversia exinde orta.

S. C. resp.: Illius Canonicatus possessorem obnoxium esse residentiae legi ad tramites juris servata tamen consuetudine quoad servitium chori pro diebus solemnioribus, taxata ab Ordinario summa pro singulis fallentiis favore fabricae Ecclesiae applicandis.

Die 2. Junii 1838 *Pisana*.

Umbriaticen.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Umbriaticae sex constat Dignitatibus et septem Canonicis, nec tamen omnes Cathedrali serviunt. Inter Canonicos sunt quatuor, inter Dignitates primicerius est, qui nati in Oppido del Ciro in eo moram trahunt, nec ullum Cathedrali servitium praestant, vestigia prementes Episopi, qui in eodem Oppido residet et die solum festo s. Donati titularis Ecclesiae Cathedralis se confert Umbriaticum. Residentes itaque Canonici et Dignitates, adito Episcopo, postularunt, ut absentes ad residendum compelleret, sed absentes Sacratissimo Principi nostro preces obtulerunt, quibus postulabant Indultum, ut possent abesse, quia nullam habeant praebendam et emolumenta. Data hujusce rei cognitione amplissimis patribus auditus fuit Episcopus, qui refert plurima Sacri hujus tribunalis rescripta et synodi dioecesanae coactae anno 1729 sedente Episcopo Loyerio Constitutionem, quibus decretum est, ut nullis obstantibus excusationibus defectus emolumentorum, praebendae, insalubritatis aeris et similium compellerentur absentes ad residendum Umbriatici; at parte ex alia nullas esse dicit praebendas, nullas distributiones quotidianas, tenuem esse massam, ut hoc casu locus esse nequeat dispositioni Sacrorum Canonum de residentia, praesertim quia, cum hi absentes resideant in loco Episcopi, ubi est tribunal, ubi functiones Pontificales aguntur et divinis assistant, pro absentibus absolute haberi non possint; decreta synodi ex tolerantia Episcoporum exequutionem non habuisse; paucos esse Umbriatici naturales Sacerdotes eosque ad Canonicatus obtinendos minus aptos. Censet itaque futuris quidem vacationibus consuli posse praestito sive alienigenis sive dioecesanis Sacramento de residendo; absentes vero non esse ad residentiam compellendos, quia reperiri non posset, qui Sedes Canonicorum impleret. Contra haec, quae ab Episcopo scripta sunt, disputant residentes, qui, omnibus rejectis, postulant compelli Primicerium et quatuor Canonicos poena privationis: onus erit amplissimorum patrum ea, qua praestant, prudentia, decernere:

An et quibus poenis Primicerius et Canonici Ecclesiae Cathedralis Umbriaticen absentes cogendi sint ad residentiam in ipsa civitate Umbriatici in casu?

S. C. resp.: Affirmative et Episcopus cogat ad residendum praefixo termino duorum mensium sub poena privationis et certioret de exequutione.

Die 14. Sept. 1748.

Isernien.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Absente Martino de Marco Canonico hujus Cathedralis a residentia sui Canonicatus promotor fiscalis illius curiae Episcopalis sub die 8. Jan. 1703 institit coram Episcopo, ut procederetur contra d. Canonicum non residentem ad formam Sacrorum Canonum et

S. C. Tr. cap. 12. sess. 24. de Ref. Unde pluribus desuper examinatis testibus deponentibus de absentia dicti Canonici usque de mense Septembris 1702 eosque nescire fatentibus, ubinam is tunc reperiretur, ac pariter asseverantibus, praebendas illorum Canonicatuum tenuissimi redditus esse, quin et illam Canonici de Marco vix attingere carolenos quatuor, reliquis omnibus redditibus consistentibus in quotidianis distributionibus nonnisi praesentibus acquiri solitis, Episcopus ad reiteratam instantiam ejusdem promotoris fiscalis decrevit citationem hujusmodi R. D. Martinum de Marco Canonicum Cathedralis d. civitatis per trinas citationes ad valvas praedictae Cathedralis monendum fore ad residendum, assignato eidem termino dierum quindecim in qualibet citatione et ita etc. Ad tenorem hujus decreti expeditae fuerunt contra eundem literae citatoriales seu monitoriales per diversas dilationes quindecim dierum pro qualibet cum termino peremptorio. Ad personaliter redeundum ad residentiam sui Canonicatus alias termino praedicto elapso compareat ad videndum se Canonicatu praedicto ejusque praebenda ad formam S. C. Trid. privari attenta fructuum praebendae tenuitate et ex quo obventiones omnes Canonicatus praedicti in distributionibus quotidianis consistentes interessentibus accrescunt etc. iisque monitorialibus per cursorem executis per affixionem ad valvas Ecclesiae Cathedralis sub diebus nempe 18. Apr., 7. et 28. Maii praelibati anni 1704 incusatisque in singulis earum terminis, contumaciis adversus saepedictum Canonicum non comparentem, antedictus Episcopus praevia monitione ad sententiam pro die crastina, executa etiam ad valvas Cathedralis definitive sententiavit sub die 17. subsequentis mensis Decemb. 1704: Canonicum de Marco fore privandum, prout privavit canonicatu et praebenda, quam in ea Cathedrali obtinebat, uti fusius continetur in actis processus desuper fabricati, cujus exemplar authenticum fuit exhibitum et in summar. dabitur. Cumque exinde dictus Canonicatus sic vacans fuerit primo provisus in personam Petri de Augustino, qui dicitur illum resignasse, ac postmodum in personam Josephi Graeci, recurrit propterea tanquam gravatus dictus de Marco ad hanc S. C., tum quia in d. processu non fuit servata forma Sacri Concilii loco praeallegato, tum pariter ex defectu citationis personalis, quocirca citato promotore fiscali illius curiae Episcopalis, necnon, utroque proviso, fuerunt concordata infrascripta dubia, quae hodie instante de Marco et partibus ex adverso pluries monitis proponuntur EE. VV. ex deducendis sapienter deducenda:

1. *An privatio Canonicatus possessi a R. Martino de Marco facta ab Episcopo sustineatur?* Et quatenus negative;

2. *An R. Martinus sit ad illum reintegrandus, etiam quoad fructus praeteritas in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative;

ad 2.: Affirmative et quoad distributiones a die motae litis.

Die 22. Febr. 1710.

Castri Maris.

Quod attinet ad dubium, in quo disceptatur: num enunciatum edictum Episcopi, quo Canonicis et Dignitatibus Cathedralis Ecclesiae interdicitur, ne absque Episcopi licentia in scriptis a residentia discedant, sustineatur, duo in jure notanda occurrunt: alterum quod tam Canonici et Dignitates Cathedralium seu Collegiatarum Ecclesiarum quam caeteri omnes beneficiati residentiae onere obstricti neque-

unt, nisi impetrata Episcopi licentia, e loco, ubi canonicatum, dignitatem vel beneficium obtinent, abesse, juxta expressos textus in tot. tit. „de cleric. non. resid.", et tradunt *Fagnan.* in cap.: „relatum" n. 10. et seqq. eod. tit., *Ventrigl.* in praxi part. 1. annot. 19. §. 2. n. 19., *Barbos.* de can. cap. 24. n. 55.; alterum vero quod Episcopus huic juris sanctioni inhaerens non solum potest statuere, ne Canonici, Dignitates caeterique beneficia, quibus residendi onus inhaeret, obtinentes residentiam deserant, nisi facultate in scriptis ab ipso habita juxta resolutiones a S. C. editas in *Faracinen.* 19. Febr. 1628 lib. 13. decret. p. 405, et alias relatas in Larinen. decretorum synodalium 30. Aug. 1732 ad III., IV. et V. dub. lib. 82. decr. p. 414, verum etiam edicere, ne simplices Clerici Cathedralis vel alterius Ecclesiae servitio adscripti, eo inconsulto, extra dioecesim vagentur, secundum ea, quae notant communiter autores supra allegati et pluries rescripsit S. C. et signanter in *Anconitana* 14. Febr. 1609 lib. 11. decr. p. 43, in *Ferdonen.* anno 1621 lib. 12. decr. pag. 83, in cit. *Terracinen.* 19. Febr. 1628, in *Constantinopolitana* 1. Apr. 1628 lib. 23. decr. p. 424 ad II. et in *Melivitana* synodi 14. Junii 1707 lib. 57. decr. p. 205.

EE. VV. itaque dignabuntur decernere: An edictum Episcopi promulgatum prohibitionum discessus absque sua licentia in scriptis quoad Dignitates et Canonicos sustineatur?

S. C. C. resp.: Affirmative pro discessu pernoctandi extra dioecesim moderata tamen poena in ducatis duobus.

Die 13. Apr. et 4. Maii 1737.

Oveten.

Joannes Florez Scerra Canonicus Cathedralis Ecclesiae Ovetensis ob suam ingravescentem aetatem obtinuit, sibi ab Apostolica sede in perpetuum coadjutorem deputari Sacerdotem Franciscum Scerra; iste vero consentanee ad Apostolicas literas desuper expeditas sese obstrinxit quaecunque reficere damna, quae possent Joanni Josepho obvenire, si debitam ipse residentiam Ecclesiaeque servitium praestare negligeret.

Cum autem nuper contigerit, memoratum Franciscum Coadjutorem veluti cujusdam criminis in Ovetensi civitate admissi reum condemnatum fuisse ab Episcopo inserviendum spatio sex annorum uni ex hospitalibus civitatis Septensis, Joannes Josephus Canonicus Coadjutus animadvertens damnum sibi ex sexennali hac Coadjutoris absentia proventurum ascendere posse ad summam ducat. 3000 monetae illius regionis, ejusque refectioni haud satis esse omnia ejusdem Canonici Coadjutoris bona patrimonialia ad avertendum quodcunque suum detrimentum, paratus est toto praedicti sexennii intervallo chori Ecclesiaeque servitio per seipsum vacare. At quia Capitulum existimat, Joannem Josephum Canonicum Coadjutum, absente ex praemissa causa Francisco Coadjutore, non posse oneri residentiae supplere, minusque frui diebus vacationis seu recreationis, quos vocant „las dias de gracias", itidemque lucrari nequire quotidianas distributiones tempore, quo ipsum aliquando aegrotare contingat. Idcirco tam Canonicus praedictus quam Capitulum inter se convenere, ut ad tutam commodamque utrique parti obtinendam controversiae diremptionem sapientissimum Eminentiarum VV. oraculum super tribus dubiis mox describendis exposceretur.

Difficultatis Capitulo contra Canonicum Coadjutum excitatae occasionem praebet vetus illius Cathedralis con-

suetudo, juxta quam asseritur Canonicos coadjutos nedum minime teneri choro interesse Ecclesiaeque inservire, sed neque ad id cogi unquam posse a capitulo, tametsi in quibuscumque etiam solemnioribus festivitatibus ipsorum Coadjutores abessent, adeoque apud omnes obtinuisse, ut si coadjuti aliquando choro intersint, non ad explendum onus Canonicis injunctum sed ex peculiari sua devotione et libera tantum voluntate id agere censeantur. Praeterea dicitur quoque ibidem in more positum, ut dies vacationis seu recreationis superius enunciati Coadjutoribus dumtaxat concedantur in levamen assidui ac diuturni servitii, quod in actu suae admissionis ad Coadjutoriam sese obstringunt praestare.

His in facto notatis duo ad causae decisionem praestat in jure communiter recepta subjicere, alterum nempe, quod Canonicus coadjutus etiamsi ad differentiam Canonici jubilati non excusetur ab onere residendi in loco, ubi Canonicatum obtinet, secundum ea, quae tradunt *Gonzal.* ad reg. 8. cancel. gloss. 5. §. 9. n. 30., *Castropal.* tract. 13. dis. 1. de benef. punct. 9. n. 12., *Barbosa* lib. 1. jur. eccles. univers. cap. 15. n. 53., et lib. 3. cap. 10. n. 29., *Reiffenstuel* in jus can. lib. 3. tit. 6. §. 2. n. 35., et resolvit S. C. in *Carthaginen.* 1. Dec. 1618 lib. 11. Decr. pag. 223., immunis tamen omnino est a servitio chori et Ecclesiae, cui Coadjutor obstringitur incumbere, quemadmodum per text. in can.: „scripsit mihi“ 7. quaest. 1., et in cap.: „ex part.“ 5. de Clerico aegrot. docent *Piring.* in jus canonic. lib. 3. tit. 6. n. 16., et ibi *Reiffenstuel* §. 2. n. 48. At si velit per se ipsum choro interesse omnibusque ecclesiasticis functionibus canonicatui suo adnexis defungi, impediri non potest juxta ea, quae tradunt *Fagnan.* in cap.: „nulla“ de concess. praebendae, *Reiffenstuel* in jus canon. lib. 3. tit. 7. §. 2. n. 15., et constat ex rescripto S. C. in *Florentina* „praeeminentiarum“, ubi discusso dubio: *An Canonicus coadjutus possit per se ipsum explere functiones nuncupatas de hebdomada et de turno in casu?* die 9. Aprilis 1718 responsum fuit: *Affirmative et amplius*, ut in lib. 68. Decr. pag. 139; alterum vero, quod idem Canonicus coadjutus, si Coadjutore absente vel impedito choro intersit ecclesiaeque servitio vacet, gaudere debet omnibus vacationis et recreationis diebus, quibus Canonicus Coadjutor, si choro interfuisset, frueretur, *Navar.* de Cleric. aegrot. cons. 2. n. 6., et *Garz.* de benef. part. 4. cap. 5. n. 64.

Hae sunt, quae ad decisionem I. et II. ex dubiis infra describendis conferre videntur. Quod autem attinet ad articulum, qui in III. dubio decidendus proponitur, cum scilicet Canonicus coadjutus tempore, quo infirmitatis causa nequit choro interesse, quotidianas distributiones lucretur, si contingat, Coadjutorem absque legitima causa seu ex propria culpa a residentia abesse, operae pretium visum est, praeter ea, quae tradunt inter alios *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cap. 29. n. 44. et seq., *Monacell.* in formular. legal. for. eccl. part. 2. tit. 13. for. 2. n. 76., hic scribere resolutionem S. C. R. in *Patavina*, in qua ita rescriptum fuit: „Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat, punctatur tamen in ipsius Coadjutoris damnum“, uti testatur *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cit. cap. 29. n. 45. in fine, cui consonant plura hujus quoque supremi tribunalis rescripta, et signanter in causa, cui titulus: „dubia punctaturarum“ 31. Julii 1694

lib. 44. decr. pag. 359., et in *Asculana*, ubi ad dubium VIII. ita conceptum: „An debeantur (nempe distributiones quotidianae) Canonicis infirmis, si Coadjutores sani non interveniunt?" sub diem 5. Jun. 1706 responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 170.

Episcopus confirmans facti seriem superius descriptam memoransque enunciatam suae Cathedralis Ecclesiae consuetudinem in haec verba concludit: „Quapropter videtur mihi in casu praesenti (quidquid sit de aliis) Dom. Joannem Josephum Flores de Sierra coadjutum tempore poenalis servitii Dom. Francisci de Sierra Coadjutoris posse ac debere residere residendoque gaudere diebus vacationis, perinde ac si Coadjutorem non haberet potiorique jure habendum esse pro praesenti, sicut et caeteri, qui Coadjutores non habent, si dicto tempore durante aegrotet.

Partes itaque erunt EE. VV. deliberare:

I. *An durante tempore poenalis servitii et consequenter absentiae Canonici Francisci Sierra Coadjutoris residere valeat Joannes Joseph Flores Canonicus coadjutus? Et quatenus affirmative;*

II. *An residendo gaudere debeat diebus vacationis seu recreationis nuncupatis „las dias di gracias"?*

III. *An dicto tempore durante aegrotans dictus Joannes Canonicus coadjutus habendus sit pro praesente tempore infirmitatis et possit lucrari distributiones in casu?*

S. C. C. resp. ad I. et II.: Affirmative;

ad III.: Negative salvo jure agendi contra Coadjutorem pro relevatione.

Die 16. Maii et 6. Junii 1739.

Cum resolutioni III. dubii non acquiescat Joannes Joseph Canonicus coadjutus, rogantur Emi PP. novam illius disputationem aggredi.

Non ea impraesentiarum est quaestio de Canonico coadjuto, qui antea per se ipsum haud consueverit choro ecclesiaeque inservire. Si enim res eo loci esset, nequiret utique Canonicus Joannes Joseph tempore suae aegrotationis quotidianas distributiones lucrari, cum vulgatum in jure aeque ac receptum in praxi habeatur, Canonicis infirmis sive Coadjutorem habentibus sive illo destitutis quotidianas distributiones minime deberi, quoties ipsi, dum bona valetudine fruerentur, divinis Officiis interesse neglexerint, ad tradita per Geminian. in cap. unic. §. „qui vero" „de Cleric. non resid." in VI. num. 4., *Barbosa* ad Concil. sess. 24. cap. 12. n. 96., et ita resolutum fuit a S. C. in *Mantuana* 6. Febr. 1627 lib. 13. decr. pag. 197., et in *Asculana* 5. Jun. 1706, in qua proposito dubio: „An distributiones quotidianae debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere?" responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 149.

Pariter disceptatum hodie non est: an aegrotanti Canonico coadjuto quotidianae debeantur distributiones, si forte eodem tempore Coadjutor quoque morbo teneatur aut simili ex causa compellatur a residentia abesse, tunc enim quotidianis distributionibus privandum non esse Canonicum coadjutum communiter tradunt DD. et praesertim *Garzia* de benef. part. 4. cap. 5. n. 80 et 81., et *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cap. 29. n. 45., cum aliis, atque in his terminis loquuntur resolutiones S. C. editae in *Vicen.*, ubi sub diem 10. Maii 1625 responsum fuit: „Coadjutum infirmum, quamdiu Coadjutor ex suprascripta causa abfuerit, percipere debere fructus sui canonicatus et praebendae una cum distributionibus quotidianis

tam diurnis quam nocturnis, perinde ac si divinis Officiis per se vel Coadjutorem interesset", ut in lib. 12. decr. pag. 294. et seq., et in *Urbevetana* per *Barbos.* l. c. allegata sub hisce verbis: „Distributiones quotidianae debentur Canonico coadjuto, infirmo absente vel non serviente Coadjutore."

At hodiernae disputationis illud est thema, num Canonicus Coadjutorem habens et pridem assuetus per se ipsum chori Ecclesiaeque servitio incumbere, si aliquando infirmetur, debeat quotidianas distributiones lucrari, tametsi ejus Coadjutor non ex justa causa sed propria culpa coactus sit e loco residentiae abesse nequeatque proinde in sua Ecclesia divinis vacare Officiis?

Sane quaestionem hanc affirmative decidunt nonnulli Canonistae et signanter *Navarr.* de Cleric. aegrotan. cons. 2. n. 6., *Gonzal.* ad regul. 8. cancell. tom. 9 a. n. 116., *Garz.* de benefic. part. 2. cap. 3. n. 81 et seq., et *Castropal.* oper. moral. tom. 2. disput. 1. punct. 10. n. 9., ea innixi ratione, quod sicuti Canonicus Coadjutore carens quotidianas distributiones acquirit, si morbo aut alio justo impedimento detineatur, quominus possit divinis Officiis intervenire, juxta expressum textum in cap. unic. de Cler. non resid. in VI., ita Canonicus Coadjutore provisus, ne sit deterioris conditionis Canonico illum non habente, neve privilegium Coadjutoriae in ipsius odium ac detrimentum retorqueatur contra vulgatam regulam, de qua in cap.: „ad apostolicam" „de regular.", et in cap.: „quod ob gratiam" de reg. jur. in VI., quotidianas debeat distributiones lucrari, uti prae caeteris ratiocinatur *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. tit. 8. 9. n. 116. et seqq.

Verumtamen cum Coadjutoriae in beneficiis ecclesiast. cum futura successione juxta sacr. Trident. Concil. sess. 25. cap. 7. de ref. permittendae non sunt, nisi quando urgens necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas id postulet, proindeque Coadjutor in eum praesertim finem concedatur, ut vices Canonici ob ingravescentem aetatem justamve aliam ob causam choro Ecclesiaeque servitium praestare impediti sustineat, propterea ne finis hic frustraretur, si Coadjutore ex propria culpa in eo statu constituto, ut ipse nequeat assumpto oneri satisfacere, nihilominus deberet Coadjutus aegrotans distributiones quotidianas percipere, nullo licet Ecclesiae servitio praestito, perinde ac si Coadjutorem non haberet, contrarium statuisse videtur tam S. R. C. in quadam *Patavina* relata per *Garziam* in haec verba: „Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat, punctatur tamen in ipsius Coadjutoris damna", quam sacrum hoc tribunal in causa, cui titulus „dubia punctaturarum" 31. Jul. 1694 lib. 44. decr. pag. 359., necnon in *Asculana*, ubi, cum quaereretur sub dubio VIII.: *An debeantur distributiones quotidianae Canonicis infirmis, si Coadjutores sani non interveniunt?* sub die 5. Junii 1706 responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 170.

Quamvis autem *Garz.* loco supracitato ad resolutionem S. R. C. respondeat, „eam procedere (sunt illius verba), cum Coadjutus legitime impeditus ratione infirmitatis vel alias vult Coadjutorem suum nihilominus residere et pro eo deservire, quo casu, Coadjutore nolente residere, Coadjutus punctabitur ad damnum tamen ipsius Coadjutoris, qui est in culpa non residendo, et sic de suo solvere Co-

adjuto, quod amiserit, secus cum Coadjutus legitime impeditus non vult, quod resideat Coadjutor, qui sine ejus voluntate et consensu residere non potest, tunc enim lucrabitur Coadjutus, cum ipse sit legitime impeditus nec Coadjutor sit in culpa, ex quo non potest residere nisi de voluntate et consensu Coadjuti, et sic procedit praedicta resolutio", praestat tamen hic exscribere ea, quae post relatam hanc *Garziae* explicationem subjungit *Castropal.* tom. 2. disp. 1. punct. 10. n. 9. hisce verbis: „Verum haec distinctio mihi non probabitur, potius enim judicarem, mulctandum esse coadjutum impeditum nolentem, ut Coadjutor inserviat, quam volentem; quia nolens, ut inserviat, repugnat fini, ob quem est coadjutoria assignata, et inique procedit, ejusque voluntas habenda est pro non adjecta. At volens, ut inserviat, juri se conformat."

Praeterea ad rem pariter conferre videtur regula cum Canonico Coadjutorem habente servari consueta, nimirum ut is, qui ob servitium ultra quadraginta annos continuo et laudabiliter praestitum jubilationis indultum prius obtinuit, si postea Coadjutorem sibi dari impetret, obtento jubilationis indulto amplius non juvetur, sed punctaturis obnoxius maneat, quotiescunque nec ipse nec ejus Coadjutor inserviat, uti dudum firmavit Rota dec. 790. num. 14. coram Penia, et saepius respondit S. haec Congregatio, quae novissime posthabita prorsus ratione in contrarium adducta, quod coadjutoriae privilegium videretur in odium et damnum Canonici coadjuti retorqueri, discusso formiter in *Calaguritana* „jubilationis" inter caetera dubio: *An Josepho de Miranda ad obtinendam jubilationem obstet, quod jam habet Coadjutorem cum futura successione?* die 2. Maii 1733 rescripsit: Affirmative.

Causa, ob quam Franciscus Sierra Coadjutor nequit in civitate Ovetensi residere nullumque propterea ejus Cathedrali Ecclesiae servitium exhibere, latius indicata fuit in folio distributo sub diem 16. Maii superioris anni. Eo itaque resumpto perpensisque omnibus mox adnotatis grave non erit EE. PP. pronunciare:

An sit standum vel recedendum a decisis diei 6. Junii 1739 quoad III. dubium in casu?

S. C. C. resp.: In decisis et amplius. Die 16. et 30. Jan. 1740.

Moguntina.

Bernardus Broremdorffer praeter Canonicatum annui redditus scutorum 48, quem in Collegiata Ecclesia Morstadi jamdudum obtinet, alteram ex sex canonicalibus Praebendis Collegiatae Ecclesiae s. Leonardi civitatis Francofurti sub annum 1732 est assecutus; sed quia, praestito vix juramento *super vera, reali et non ficta residentia juxta tenorem statutorum Capituli*, ab eadem civitate Francofurti discessit rediitque ad aulam Comitissae Palatinae Hassiae Rheinfels, ut ibi Capellani et Consiliarii Aulici munere pridem suscepto fungeretur suamque impenderet operam in administranda allodiali haereditate defuncti Comitis Willelmi Landegravii Hassiae Rheinfels Viri dict. Comitissae, necnon in solvendo aere alieno, quod idem Comes Willelmus pro excitanda promovendaque catholica religione ac recuperanda quadam arce e manibus Acatholicorum contraxerat, Capitulum dictae Collegiatae s. Leonardi, detentis interim fructibus ejus Canonicatus, coepit illum urgere, ut ad residentiam reverteretur. At ipso ad archiepiscopalem Curiam Moguntinam reclamante Vicarius generalis sub die 10. Septbr. 1733 decrevit: „Canonicum Broremdorffer ob notorie deficientem con-

gruam ad personalem residentiam non teneri, sed solummodo ad frequentandum Capitula generalia, caeteras vero obligationes ac onera praebendae annexa deservire posse ac debere per idoneum Substitutum."

Hoc autem decretum impugnans Capitulum usque ab anno 1735 S. hanc Congregationem adivit, cumque super expositis in ejus precibus, quidquid ad rem faceret, auditis partibus, referre jussus fuerit Vicarius generalis, qui decretum illud ediderat, ob istius decessum postea secutum oportuit novas in eumdem finem literas dare moderno Officiali in ejus locum suffecto, a quo tandem acceptum est, portionem annuam Canonici et Praebendati in Ecclesia Collegiata s. Leonardi non excedere summam scutorum 56, hanc vero summam ob pretia rerum in civitate Francofurti tum civium tum exterorum mercaturae aliorumque negotiorum causa confluentium frequenti numero referta, longe quam in aliis Germaniae partibus cariora, congruae Beneficiarii sustentationi haud quaquam sufficere indeque contingere, ut praeter Canonicum Broremdorffer quinque reperiantur Canonici Ecclesiae s. Leonardi, qui alterum quoque Canonicatum in alia Collegiata Ecclesia personalem residentiam dubio procul requirentem una simul possideant.

Praeterea ab eodem Officiali Moguntino refertur, nullum in Ecclesia s. Leonardi a tempore, cujus initii memoria non extat, a Canonicis haberi chorum, exceptis dumtaxat tribus festis continuo sequentibus, videlicet s. Georgii, s. Leonardi Confessoris et Dedicationis Ecclesiae, Missarum autem onera iisdem Canonicis incumbentia in his sistere, quod unusquisque eorum teneatur quintadecima Hebdomada sive per se sive per substitutum Missam quotidianam privatam quacumque hora legere, dominicis vero aliisque festis diebus hora decima Sacrum canere, musicis hunc in finem conductis, tria tantum ibidem celebrari anniversaria, quorum occasione Canonicis praesentibus solvitur medius Florenus Rhenanus vix quartam Romani scuti partem attingens, et demum ex attestatione Cleri Moguntini constare, eam esse consuetudinem tam Ecclesiae Collegiatae s. Crucis quam alterius s. Mauritii, ut in iisdem Ecclesiis, in quibus continuus non habetur chorus, sed certis tantum diebus, nulla ad percipiendos praebendales fructus residentia postuletur, sed satis sit diebus illis chorus adesse.

His itaque praehabitis concludit memoratus Officialis Moguntinus Canonicum Broremdorffer in Aula Comitissae Palatinae commorantem bonum religionis et utilitatem Ecclesiae reipsa strenue promovere, cumque universi propemodum illius Subditi pessimis Lutheri atque Calvini erroribus sint irretiti, utile admodum ac ferme necessarium fore, ut apud eamdem Comitissam ejusque Aulam resideat Sacerdos aliquis catholicus, cujus opera consilioque d. Comitissa uti possit in causis religionis, ne reliquiae omnes fidei catholicae ibidem penitus extinguantur, adeoque censet, eumdem Canonicum ad onus residentiae non esse obstrictum, sed fructus omnes praebendales hoc nomine detentos eidem deberi a die captae possessionis restitui.

Quaestionem juris: an Canonici Collegiatae ex immemorabili consuetudine non residendi, sive ob redituum tenuitatem ab onere residentiae evadant immunes? late pertractant *Fagnan.* in cap.: „Cum omnes" n. 21., et seqq. de constitut. *Pignatell.* consult. 114. tom. 9., et luculenter Emus *Petra* in suis doctissimis Commentariis ad Constitut. 7. Innoc. IV. sect. 2. n. 28 et

29. tom 3. Iis itaque inspectis una cum aliis, quae de Indulto non residendi ex causa utilitatis religionis adnotata fuerunt in folio diei 1. Aug. 1739 in Colonien. Indulti, dignabuntur EE. PP. rescribere:

I. *An Canonicus Broremdorffer teneatur residere? Et quatenus negative;*

II. *An fructus canonicales et praebendales sint ei restituendi in casu?*

S. C. C. resp.

ad I.: Affirmative ad formam statutorum;

ad II.: Dilata et videatur particulariter.

Die 11. Martii et 15. Apr. 1741.

Alexander III. Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, B. Decano et Capitulo Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quae ad incrementum Ecclesiarum et venustatis spectant decorem, juxta Officii nostri debitum studiosius prosequi volumus et iis promptam curam et diligentiam adhibere optamus, quae ad vestrum et Ecclesiae vestrae cognoscimus pertinere profectum. Ex literis autem, quas nobis devotio vestra transmisit, evidenter accepimus, quod, quia quidam vestrum, alienis insistentes negotiis, raro Ecclesiae vestrae sui praesentiam exhibeant et caeteri eamdem licentiam absentandi se velint habere, communi consilio illos Canonicorum vestrorum Forinsecos ordinastis, qui per medietatem anni in Ecclesiae vestrae servitio assidui non fuerint, ita tamen, quod circa quatuor marcas argenti de praebenda sua annuatim recipiant, eis exceptis, qui in servitio nostro vel regis Francorum permanserint et hoc sub anathematis interpositione firmastis. Unde nos paci, quieti et utilitati vestrae, sicut diximus, paterna meditatione providere volentes, praescriptam institutionem, sicut a majori et saniori parte Capituli facta est, ratam et firmam habemus, et ne quorumlibet valeat praesumptione mutari, eam auctoritate apostol. confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et bb. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Die 22. Decbr. 1170.

(Bull. r. t. II. p. 746. Ed. Aug. Taur. 1859.)

II. Obligatio non est.

Caputaquen.

(Conc. Tr. c. 12. sess. 24. De ref.)

Jam pridem sacerdos Andreas Caputo collationem a SSmo D. N. obtinuit praebendae canonicalis in Cathedrali Caputaquen. cum solita clausula: „*volumus autem, quod infra duos menses ad personalem residentiam apud dictam Ecclesiam omnino tenearis, alioquin dictus Canonicatus et praebenda vacent eo ipso etc.*" Quoniam vero civitas Caputaquensis diruta penitus jacet nec Episcopus neque Canonici in Cathedrali residentiam faciunt ac praebenda ejusmodi fructum dumtaxat reddit duorum aut trium ducatorum monetae regni nullasque assignatas habet distributiones, hinc praelibatus Andreas Caputo supplex coram EE. PP. agit, quo decernatur, legitimam excusationem non residendi habere. Super hisce requisitus Episcopus Caputaquensis exposita comprobat ac potissimum civitatis omnimodum excidium, in qua tantum superesse, inquit, Cathedralem Ecclesiam, cui unicus dumtaxat Capellanus servitium praestat. Caeterum incolis

ac aedificiis, ut perhibetur, civitatis hujusmodi vestigium penitus destituitur, ex quo Dignitates ac Canonici in propriis laribus sparsim in dioecesi commorantur. Immunitatem hanc a residentia constabilitam videri idem relator subtexuit tum in constitutionibus synodalibus cum ex antiquis S. hujusce Congreg. decretis, contradicente promotore fiscali curiae episcopalis, ut perhibetur, editis, quae in summario dabuntur. Auditis itaque ministris Datariae apostol., qui oratorem ad EE. PP. confestum, quo utatur jure suo et S. Congr. arbitrio, remiserunt, EE. VV. sapienter dijudicabunt:

An Orator residere teneatur in casu?

S. C. C. resp.: Negative et quoad certos dies officiaturae servetur solitum.

Die 23. Junii 1714.

c) Canonici honorarii.

Vd.: *Resid. Canon. Monachor.*

d) Canonici infirmi.

Hyeracen.

P. N. Decanus Ecclesiae Cathedralis Hyeracensis, precibus oblatis huic Sacr. Congregationi, postulavit, ut ratione senectutis et malae valetudinis dispensaretur a servitio chori et Ecclesiae atque ab onere residentiae. Auditis de more Episcopus retulit, Oratorem in oppido Roccellae illius dioecesis natum die 20. Martii 1687, prae humorem, quibus abundat, acrimonia, juxta trium physicorum sibi exhibitum testimonium, in gravem incidisse hypochondriacam affectionem, et non infrequenti vomitu ac tussicula necnon mordaci herpete instar leprae in capite, brachiis et cruribus correptum, vigiliis quoque, vertigine et artuum debilitatione gravari, eidemque infensum esse rigidum ac salibus refertum aërem Hyeraci. Et Capitulum ab Episcopo interpellatum testatur, petitae dispensationis exemplum deesse in Ecclesia Hyeracensi, sed illi nihilominus assentitur, ratione servitii praestiti ab Oratore ejusque adversae valetudinis, dummodo, servatis Ecclesiae consuetudinibus, illi non tribuantur in absentia distributiones aliaque emolumenta solis praesentibus debita.

Sed Episcopus neque eorumdem physicorum judicio, uti pluribus exceptionibus obnoxio, neque Capituli sententiae adhaerens denegandum censuit absolutae vacationis et perpetuae absentiae indultum, ratione aut servitii aut adversae valetudinis. Nam ratione servitii, nisi illud sit quadragenarium et continuum ac laudabile, minime concedi solet absoluta dispensatio a residentia, sive indultum jubilationis ejusdem servitii contemplatione indulgeri consuetum, juxta regulam servatam a S. Congreg., praesertim in *Constantien.* jubilationis 4. Maii 1737 lib. 87. decr. pag. 146., eamque non mereri Oratorem putabat, cum in ipsis precibus S. Congregationi oblatis narraverit, Ecclesiae deservisse solis triginta octo annis, qui minime sufficiunt ad adstruendum requisitum quadragenarium servitium, ut innuit rescriptum S. C. in Stetina dispensationis in servitio chori 22. Mart. 1760 lib. 110. decr. pag. 120.

Neque insuper assiduum et laudabile videbatur Episcopo servitium ab Oratore praestitum. Cum Hyeracensis Cathedralis Canonici, intermisso quotidiano servitio de jure praestando, ad notata per *Fagnan. in cap.: „ad audientiam" n. 14. de Cler. non resid.*, coeperint Divinis Officiis interesse dudum per quartariam, mox per sextariam seu qualibet sexta hebdomada per turnum: contra S. C. Tridentini censuram in cap. 12. sess. 24. de Re-

format., qua tolerantur statuta vel consuetudines vacationum pro solis tribus mensibus continuis aut interpolatis, et contra Oraculum hujus S. Congregationis, cujus Amplissimi Patres a Hyeracensi Episcopo consulti, occasione visitationis Sacrorum Liminum die 23. Mart. 1753 responderunt: „Apostolicum illud Beneplacitum seu Rescriptum, quod jactant, inserviendi per sex classes in orbem, nullibi datum fuit invenire in Sacri hujus Magistratus Regestris; quamobrem nil aliud rescribere possumus, nisi servandum omnino Conc. Trident. praescriptum, ut videlicet nulla aut privilegii aut tenuitatis reddituum excusatione admissa Ecclesiae quotidie deserviant", ut in lib. 28. lit.: Visit. S. Lim. pag. 166. ter.

Et hanc morem inserviendi per sextariam, subjungebat, nec etiam accurate servari. Quia ex viginti quatuor Canonicis et Dignitatibus, quibus constat Capitulum Hyeracense, aliquando unus aliquando duo diebus feriatis choro intersunt cum Mansionariis. Atque Orator, ut pergit Episcopus, caeteris haud diligentior, vix per viginti dies Ecclesiae inservivit quatuor postremis annis, nec Episcopi hortationibus induci potuit anno 1760, ut Missae conventuali aut horis canonicis semel interesset eo etiam tempore, quo Sacrum quotidie peragebat in Cathedrali, et reliqua civitatis loca etiam remotiora et aspera fere semper circumibat; immo non servientium modo, sed residentiam ipsam frequenter deseruit, collatisque temporibus, diutius moratus est in oppido Rocellae patria sua quam in civitate Hyeraci.

Ratione autem adversae valetudinis Episcopus judicabat, eo minus dignum videri Oratorem perpetuo indulto, nedum ex provido motivo, ne reliqui Canonici exteri et aliquo morbo affecti hujusmodi exemplo excitarentur ad petendum simile indultum hactenus inusitatum in Ecclesia Hyeracensi, sed etiam ex defectu intrinsecae causae, tum quia plene deferendum non est medicorum testimonio de insalubritate aëris Hyeraci ob salinas particulas, cum inclementior ea de causa reputandus esset aër oppidi Roccellae prope mare siti, in quo statuit Orator suam moram perpetuo trahere, tum insuper, quia recensitae Oratoris affectiones adeo non recrudescunt toto anni tempore, ut impediant Oratoris egressum e domo et assistentiam divinis Officiis. Ut enim Infirmus excusetur a servitio chori, morbis requiritur adeo gravis, ut sine valetudinis pernicie et sine periculo majoris mali Beneficiatus nequeat Divinis interesse, ut notant *Anaclet.* in jus canon. iib. 3. tit. 4. §. 59. n. 193., et *Barbosa* de Canon. cap. 24. n. 28. et seq.; et quatenus morbus hujus naturae proponeretur, nedum esset rigorose probandus, ad quem effectum S. Congr. mandavit confici processum formalem coram Ordinario in *Osnabrugen.* 20. Sept. 1727 lib. 77. decr. pag. 577., sed etiam illo probato, indultum non aliter concedendum foret, nisi cum solita clausula: „durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris", ut rescripsit S. C. in *Aquilana* indulti 26. Junii 1745 lib. 95. decr. pag. 267., et in *Cremonen.* indulti 12. Jul. 1760 lib. 110. decr. p. 310.

Cum autem concluderet Episcopus his verbis: „Sum voti, indulgendum abesse a civitate tribus vel quatuor mensibus hyemalibus, arbitrio Episcopi, ex causa infirmitatis coram eodem approbandae, cum facultate prorogandi singulis annis, si necessitatis ratio postulaverit", ideo in Congregatione habita die 29. Augusti proxime praeteriti super precibus Oratoris rescriptum fuit: „Quoad jubilationem: Lectum; quo vero ad indultum abessendi

ex causa infirmitatis: Pro gratia ad quatuor menses hyemales tantum, arbitrio Episcopi et juxta ejus votum."

Sed non acquiescens edito rescripto Decanus N. postulavit, ut causa iterum discutienda proponeretur sub formali dubio. Et nunc supplicat pro concessione indulti absolutae dispensationis a residentia. Ad hunc autem effectum autumat non requiri quadragenarium, assiduum et laudabile servitium, quemadmodum necessarium est pro indulto jubilationis ex aequitate moribus recepta concedendo, quia Infirmi a servitio Ecclesiae eximuntur non ex liberali gratia, sed ex providentia Sacr. Canonum, ut in *cap. 1. de Cleric. aegrot.*, et in *cap. 1. de Cler. non resid. in 6.*, et tradunt *Fagnan.* in cap.: licet n. 136 et 146. de Praebend., *Garz.* de Benef. part. 3. cap. 2. n. 363., et san. mem. *Benedictus XIV.* in instit. ecclesiast. 107. §. 8. n. 46., et concordant rescripta hujus S. C. in *Eugubina* servitii chori 23. Aug. 1738 lib. 88. decr. p. 365., in *Aquilana* Indulti 26. Junii 1745 lib. 95. decr. pag. 267., in *Tranen.* distributionum 12. Sept. 1750 lib. 100. decr. pag. 362., et in *Caputaquen.* participationis 20. Nov. 1751 lib. 101. decr. pag. 513.

Et licet praecedens continuum et laudabile servitium requiri videatur etiam in Infirmo ad effectum lucrandi distributiones in statu infirmitatis, ut innuunt *Antonell.* de jur. et oneribus Cleric. lib. 2. part. 6. cap. ultim. sub num. 127., et san. mem. *Bened. XIV.* in d. instit. 107. num. 46., attamen contendit Orator vel de illo inquirendum non esse, cum ipse in actis capitularibus declaraverit: „Che in caso sarà dispensato, ne intende, ne pretende, ne vuole godere delle distribuzioni", vel satis verificatum videri eo ipso, quod juxta plurium testium assertionem unus fuit ex diligentioribus Canonicis chorum frequentantibus, more Ecclesiae consueto, usque dum valetudine praestitit, nec minus laudabile aut continuum dicendum esse opinatur servitium aliquando intermissum ex justa causa infirmitatis, ut tradit *Fagnan.* in d. cap.: licet n. 137. de Praebend.

Suam autem infirmitatem haud negari posse defendit, tum ratione grandaevae aetatis, quam agit, septuaginta quinque annorum, quae sola sufficeret, ut impotens diceretur ulterioris servitii, *ad textum in cap. 1. §.: Verum de Cler. aegrot. in 6.*, ubi tamen agitur de Coadjutore, non de indulto absentiae senibus concedendo, tum in insuper ratione corporalium affectionum, quibus vexatur et quae mitioris aëris exigunt afflatum, juxta medicorum attestationes Episcopo et huic S. C. exhibitas et in hac materia attendendas, *Passerin.* in cap.: unic. de Cler. non resid. regul. 5. num. 91. Et disserit, petitae dispensationi nihil officere qualitatem morbi haud impedientis egressum e domo, quia valetudinariis egressus hujusmodi permittitur in malarum affectionum levamen, ut notat *Garzia* de Benef. part. 3. cap. 2. num. 363., et quia in hoc casu urget necessitas mutandi aërem infensum Hyeraci, quod sufficit, ut aeger dispensetur a residentia, ut firmat *Moneta* de distrib. quotid. part. 2. quaest. 6. num. 10., minusque obesse arbitratur, quod oppidum Roccellae, in quo suam moram perpetuo trahere decrevit, situm sit prope mare, quia in eo ortum duxit et patrius aër cuique utilis est, ad tradita per *Zacch.* quaest.: Medico-Legat. lib. 5. tit. 4. quaest. 5. num. 11. et seq., immo utilior fuit etiam duobus Episcopis antecessoribus, qui in oppido Roccellae valetudinem Hyeraci amissam recuperarunt, ut referunt testes.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

An sit standum vel potius recedendum a decisis, ita ut sit annuendum absolutae dispensationi Decani N. a residentia in casu?

S. C. resp.: Quoad Jubilationem in decisis et amplius; quo vero ad indultum praevio recessu a decisis, pro dispensatione ad annum, durante infirmitate et onerata conscientia Oratoris.

Die 13. et 27. Mart. 1762.

e) Canonici Magistri Theolog.

(Conc. Tr. S. 6. c. 2.; S. 23. c. 1.)

Vd.: *Residentia Parochi et Magistri etc.; Resid. Archidiac.* (Vici Aquen).

Canonicum Ecclesiae Cathedr., cui munus incumbit legendi s. scripturam, teneri residere in Ecclesia Cathedr. et adimplere per se ipsum illa onera neque dispensari ab Officio residendi privilegio, tributo quibusdam universitatibus e. g. Lovaniensi a Martino V. et Clemente X. S. C. C. die 11. Septbr. 1734 *Leodien.*

Non fruitur indulto, quo fruuntur caeteri Canonici in Episcopi vel Ecclesiae servitio absentes.

S. C. C. die 16. Dec. 1634 *Pacen.;* 12. Dec. 1676 *Anagnin.;* 12. Septbr. 1702 *Vicen.*

Canonicus theolog. et Provicarius Ecclesiae cujusdam Cathedr., quum nomen dedisset Congregationi Oblatorum et in eo esset, ut tria vota simplicia profiteretur (in quibus tamen dispensationis a SS. Pontifice et Superiore gen. petendae locus est) supplicavit, ut illa munera sua retinere posset per substitutum. Licet vero in Ecclesia sit ministrorum inopia, tamen S. C. resp.: non esse dandam retentionem et quia per votorum illorum omissionem secundum Benedict. XIV. Constit. „Ex quo dilectus" beneficia non vacent ipso jure, post illam Episcopum procedere debere prout de jure (id est cogendum esse professum, ut beneficium residentiale libere dimittat).

Die 14. Dec. 1833 *Pinerol.*

Giennen.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 5. De Ref.)

Jam inde ab anno 1538 auctoritate intercedente san. mem. Pauli III. erecta comperitur academia sive universitas Beacen. sub auspiciis ven. magistri Joannis de Avila, quae licet pinguibus fuisset instructa redditibus, nihilominus temporum injuria imminutis proventibus, nunc a pristino decore non parum concidit, adeo ut vix reperiantur magistri, qui cum exiguo stipendio cathedras moderari velint. Restituendi itaque causa ejusmodi universitatem nuper expositae fuerunt supplices preces SSmo D. N. ad hanc S. C. remissae, quatenus benigne indulgere dignaretur, quod rector, lectores omnes, doctores, magistri, licentiati, bacchalaurei et studentes seu scholares in memorata academia pro tempore docentes et respective addiscentes, licite percipere possint omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, in quibuslibet Ecclesiis, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus et Officia in Cathedralibus, etiam metropolitanis post pontificales majores aut in Collegiatis Ecclesiis principales seu conventuales fuerint, perinde ac si personaliter residerent et re servirent praefatis Ecclesiis, ad quam residentiam et servitium per Ordinarios et Capitula cogi nequeant; idque privilegium expetitur ad instar alterius in summario exhibendi, ab Eugenio IV. concessi academiae Salamanticensi, cui isthaec universitas aggregata asseritur.

Remissis precibus pro consueta informatione Ordinario, sede episcopali vacante, idem ipse suas pariter adjicit pro gratia impetranda, summis laudibus universitatem hanc extollens, tam circa juventutis educationem in bonis artibus, quam circa morum correctionem, quo plures viri sanctitate et scientia conspicui prodierunt, sicque celebris ipsa academia in Lusitaniae regno praedicetur. Notulam stipendiorum, quae lectoribus tribuuntur, auctoritate secretarii confectam relator ipse transmittit, ut de eorum tenuitate legitime constet, quod pariter documentum in summario exponitur. Superest igitur, quod EE. VV. solita sapientia et prudentia ex latius adducendis definire dignentur:

An et quomodo hujusmodi precibus sit indulgendum?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 17. Nov. et 1. Dec. 1714.

Leodien.

Martinus V. P. M. rectori, magistris, doctoribus et discipulis celeberrimae universitatis Lovaniensis indulsit: „ut eorum singuli (statuto, consuetudine aut quovis eorum juramento haud obstante) fructus, redditus et proventus omnium et singulorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum saecularium et regularium cum cura et sine cura, quae etiam in quibuscumque Ecclesiis sive locis ad praesens obtinent ac illos pro tempore obtinere contigerit, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificalem majores aut in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, et qui ad ea consueverint per electionem assumi, quaecumque et qualiacunque extiterint, cum ea integritate, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, libere percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis sive locis ipsi personaliter residerent et ad residendum interim in eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant coarctari"; sunt ipsa verba Diplomatis, quod Eugenius IV. subinde confirmavit.

Postmodum Paulus V., praedicto indulto dumtaxat revocato quoad Beneficiatos curam animarum adnexam habentes, in majorem illius firmitatem sancivit: „eidem derogari nullatenus posse nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus ac urgens et sufficiens causa expressa et per trinas distinctas literas illarum tenorem continentes tribus distinctis vicibus cum trium mensium intervallo praedictae universitati legitime intimatae et insinuatae ac derogationes ipsae motu, scientia similibus factae fuerint, appareatque, Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, et aliter pro tempore factas derogationes nullius roboris vel momenti fore, et nemini suffragari ac pro infectis et non concessis haberi debere."

Et demum Clemens X. idem Indultum Lovaniensi academiae tributum et subinde a Clemente IX. suspensum in pristinum restituit, adjecta inter caeteras hac lege: „Praeterea abusum illum circa Beneficiorum praesertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino rescindere cupientes statuimus, ut nemo possit deinceps simul successive vigore privilegiorum sive facultate artium sive universitati hujusmodi concessorum plures canonicatus et praebendas aut plura beneficia curata vel canonicatum vel praebendam ac aliud beneficium curatum pacifice obtinere, si tamen aliquis post parochialem Ecclesiam vel canonicatum et praebendam tenuis redditus

annui vigore privilegiorum hujusmodi pacifice obtentam vel obtentos ob eminentiam doctrinae assumptus fuerit ad legendum aut regendum in aliquo paedagogio dictae universitatis aut ad aliam publicam academicam functionem, ex speciali gratia indulgemus, ut possit talis vigore privilegiorum praefatorum canonicatum et praebendam vel beneficium curatum obtinere, priori beneficio prius libere in manibus nostris seu Romani Pontificis dimisso, nisi dispensationem super illius retentione ab hac s. Sede obtinuerit."

Joannes Franciscus Stouppii magister in theologia necnon rector Lovaniensis academiae sub annum 1717 in Cathedrali Leodiensi quemdam assecutus est canonicatum, in cujus erectione praeter munus legendi sacram scripturam, quod ei addixit Sixtus V., cautum fuit: „quod nemo deinceps ad aliquam ex dictis sex praebendis presbyterialibus reciperetur nisi Sacerdos, aut qui intra annum ad Sacerdotium possit et juret promoveri, itemque juret continuam residentiam apud Ecclesiam facere et Officiis Sacerdotis ad altare majus personaliter in suis septimanis fungi, non obstante quavis quantumvis clausulata dispensatione in contrarium"; subindeque, capta ejusdem canonicatus possessione solemne emisit juramentum, se apud ejus Ecclesiam assiduam praestiturum residentiam seque Praeposituram, Decanatum aut Archidiaconatum dignitates haud obtenturum, ne a servitio Ecclesiae, quod sibi incumbit, impediretur, juxta eam juramenti formulam, quam statuta Ecclesiae praescribunt.

Verum quia idem Canonicus Stouppii, praestita vix prima residentia, anno 1721 Lovanium rediit ibique provisus primum fuit de canonicatu theologali in Collegiata Ecclesia s. Petri, deinde vero in eadem Ecclesia, praevia apostolica dispensatione, sub annum 1731 Decanatum, cui animarum cura adnexa est, obtinuit, nullam amplius in Ecclesia Leodiensi residentiam peregit, itidemque nonnulli alii Canonici residentiam in dicta Leodiensi Cathedrali prorsus negligebant; propterea Capitulum, quod pluries tam dictum Canonicum quam caeteros ad residentiam frustra evocaverat, ut tandem consuleret detrimento divini cultus atque servitii illius Ecclesiae, curavit impetrare a SSmo D. N. amplissimam constitutionem, in qua, redintegratis Ecclesiae statutis pluribusque confirmatis decretis, sancitum fuit, ut Canonici obtinentes aliquem ex illis sex canonicatibus, quos vocant presbyterales, deberent spatio sex mensium ad personalem residentiam in dicta Ecclesia sese conferre ibique sub poena privationis tituli ipso jure incurrenda munia eorum praebendis adnexa explere.

Saluberrimae huic Constitutioni haud acquiescens Canonicus Stouppii supplicem Sanctissimo porrexit libellum, quo postulavit, ut Sanctitas Sua supremo ejus oraculo definiret, se non comprehendi sub Constitutione a Capitulo Leodiensi nuperrime obtenta proindeque se non posse ad residentiam in Leodiensi Ecclesia adstringi. At remisso subinde praedicto supplici libello ad Sacram hanc Congregationem superiori anno excitatus fuit Officialis Leodiensis, qui in literis nuper datis confirmans hactenus exposita ita concludit: „Ut autem animi mei sensum (sicut mihi injungitur) aperiam, non possum non admittere, quin cultui divino et Ecclesiae decori plurimum expediat, si Canonici presbyterales juxta antiquam possessionem et observantiam Officia presbyteralia sibi incumbentia per se ipsos exerceant et in Ecclesia resideant non obstantibus quibuscunque."

Porro vis defensionis propositae a Canonico Stouppii posita est potissimum in dispositione tum sacrorum Canonum, ex quibus cautum habetur, magistros et scholares sacrae theologiae aut juris pontificii in publicis studiorum universitatibus exemptos esse ab onere residendi in eorum Ecclesiis atque potiri indulto percipiendi etiam in absentia quoscunque beneficiorum suorum proventus, cap.: *licet de praeben.*, cap.: *tuae de Cleric. non resident.*, cap.: *super specula*, et cap. ult.: *de Magistr.*, tum S. C. Trident. sess. 5. de Reform. cap. 1. ibi: „Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessa plene gaudeant", uti consentanee ad haec rescriptum fuit ab hac S. Congr. in Palentino Indulti 6. Dec. 1732 lib. 82. decr. pag. 580.

Nititur praeterea idem Canonicus amplissimis privilegiis supra enunciatis, quae Summi Pontifices Martinus V., Eugenius IV. et Paulus V. tribuerunt universitati Lovaniensi iisque derogatum non fuisse per Constitutionem a SSmo D. N. nuperrime editam, potissime praetendit, tum quia de hujusmodi privilegiis tametsi clausis in corpore juris communis et ex causa onerosa publicam utilitatem concernente concessis, in dicta Constitutione nulla expressa mentio habita fuit, tum quia in eadem Clementina Constitutione servata non fuit forma, quam pro legitima et valida eorumdem privilegiorum derogatione praescripsit Summus Pontifex Paulus V.

Postremo ad effugiendam vim cujuscumque legis oppositum afferendae adducit apostolicam dispensationem, quam nuper impetravit, retinendi nimirum canonicatum theologalem in Cathedrali Ecclesia Leodiensi, et alium similem canonicatum una cum decanatu in Collegiata Ecclesia s. Petri civitatis Lovanii; hinc enim arbitratur confici argumentum, quod Summus Pontifex, dispensando super beneficiorum incompatibilitate, dispensaverit etiam super onere residendi, itaut munitus ejusmodi dispensatione oneri suo satisfaciat, si in beneficio majori et digniori personaliter resideat et alteri per substitutum inserviat, ad textum in cap.: *Extirpandae* §.: Qui vero de Praebend., ibique *Abb.* num. 5., *Joannes Andr.* num. 6., *Joann. de Imola* num. 13., *Ancaran.* num. 7., *Hostien.* num. 15., *Innoc.* in cap.: *Cum jamdudum* n. 2. eod. tit., *Reiffenstuel* in jus Canon. lib. 1. tit. 2. §. 18. n. 451. et lib. 3. tit. 5. §. 9. num. 256., *Pirhing.* eod. loc. n. 198., *Schmalzgrueber* n. 149., *Garz.* de Benef. part. 12. cap. 2. n. 45. et n. 186., *Barbos.* ad Concil. sess. 5. cap. 1. n. 8., et ita rescripsit S. haec Congregatio in *Aquilana* 5. Aprilis et 19. Julii 1732 lib. 82. decr. pag. 333.

At e converso Capitulum praeter statuta Ecclesiae et novissimam regnantis Summi Pontificis Constitutionem opponit memoratam Bullam Clementis X. abusum circa Beneficiorum praesertim incompatibilium pluralitatem improbantem, ex qua contendit, quod Magistri itidemque scholares universitatis Lovaniensis plura obtinentes Beneficia incompatibilia nullo potiantur privilegio, quod eidem universitati fuerit tributum, subindeque vires in id pottissimum intendit, ut ostendat Pontificiam dispensationem, quam profert Canonicus Stouppii, irritam atque invalidam utpote ex multiplici capite obreptitie et subreptitie impetratam; et primo ex eo, quod idem Canonicus in supplici libello non expressit qualitatem Ecclesiae, ubi canonicatum seu praebendam theologalem obtinet; secundo, quia non exposuit, se ex

peculiari Ecclesiae statuto teneri in dicta Leodiensi Cathedrali residere eidemque Ecclesiae assiduum servitium praestare; tertio, quod reticuit legem a nonnullis Cardinalibus Legatis sic editam: „quod contra hujusmodi Ordinationem gratia nulli fieret etiam per quamcunque Dom. Papae vel ejus Legatorum indulgentiam, nisi Dom. Papa certificatus ad plenum de penuria Sacerdotum in Ecclesia Leodiensi plenam de ea et Cardinalis Praenestini Constitutione mentionem fecisset"; quarto, quod sub silentio praetermisit juramentum solemniter secundum Ecclesiae statuta emissum in actu, quo primam explevit residentiam; quinto demum, quia non exposuit, decanatui, quem obtinuit in Collegiata s. Petri civitatis Lovanii, adnexam esse animarum curam, et canonicatui, quem possidet in Cathedrali Leodiensi, esse injunctum ex Constitutione Sixti V. munus legendi sacr. scripturam juxta praescriptum S. C. Tridentini cap. 1. sess. 5. de Ref.

Caeterum, retento in facto, quod controversus canonicatus erectus fuerit ex statutis ejusdem Ecclesiae in presbyteralem cum onere assiduam residentiam et servitium Ecclesiae praestandi, necnon in praebendam theologalem ex Constitutione Sixti V., duo potissimum ponderanda sunt: Primo, quod, cum agatur de canonicatu requirente peculiari jure personalem residentiam et servitium Ecclesiae, non videatur sub amplissimis privilegiis universitatis Lovaniensis comprehensus, *Garz.* de benef. part. 3. cap. 2. num. 112., *modernus scriptor Lovaniensis* in jus Can. tom. 1. tit. 7. de Canonic. cap. 10. n. 10., Emus *Petra* ad Const. X. Bonifacii VIII. num. 20. in fin. tom. 3., itaut eumdem canonicatum obtinens, quantumvis in publica aliqua universitate doceat theologiam vel jus canonicum, ad praestandam residentiam in ejus Ecclesia revocari debeat, si in illius cultu et servitio detrimentum eadem Ecclesia patiatur, ut probant *Abb.* in cap.: *Super specula* n. 5. de Magistr., et in cap.: *Cum ad hoc de Cleric. non resid.* num. 1 et 2., *Card. Zabarella* n. 3., *Joan. Andr.* n. 1., *Hostien.* n. 2., *Butr.* num. 4., *Gonzal.* num. 2 et 4., *Fagnan.* num. 2. et per tot., citatus *author Lovaniensis* in jus Canonic. tom. 1. tit. 7. de Canonic. cap. 10. n. 10., *Pirhing.* lib. 5. decr. tit. 5. §. 2. n. 9.

Secundo, quod Canonicus obtinens praebendam theologalem ad continuam et praecisam residentiam arctatur, ut per semetipsum et non per substitutum publice legat et doceat sacram scripturam, etiamsi illius Antecessores eam docere nunquam consueverint, quemadmodum expresse statuit S. C. Trident. sess. 5. de Ref. cap. 1. ibi: „De caetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per se ipsas id munus explicare possint, conferantur et aliter facta provisio nulla sit et invalida", et ita pluries rescripsit Sacra haec Congregatio et signanter die 11. Decbr. 1621 ibi: „Congregatio Concilii censuit, eum, qui praebendam theologalem obtinet et si ejus Praedecessores nunquam legerint, teneri tamen et ab Episcopo cogi posse id munus per se ipsum explere"; in *Bellunen.* 27. Apr. 1630 lib. 14. decr. pag. 280., in *Liparen.* 10. Maii 1631 ad III. dub. lib. 14. decr. pag. 431., in *Casalen.* lectionis 12. Novbr. 1661; licet tamen in *Urgellen.* disceptato dubio: An Canonicus theolog. concionare possit etiam per alium in casu? die 1. et 15. Dec. 1725 rescriptum fuerit: Posse, petita licentia a Capitulo.

Hinc vero infertur, quod Canonicus obtinens praebendam theologal. neque

valeat assequi cathedram in universitate ejusdem civitatis, uti respondit S. Congreg. in *Pisana* 23. Maii 1648 lib. 18. decr. pag. 478 et seqq., quodque idem Canonicus non potiatur Indulto, quod frunntur caeteri Canonici in Episcopi vel Ecclesiae servitium absentes juxta textus expressos in cap.: *De caetero,* in cap.: *Ad audientiam,* et in cap.: *Ex parte,* ibi 2. de Cleric. non resident., rescripsit S. haec C. in *Pacen.* 16. Dec. 1634 lib. 15. decr. pag. 135., in *Vicen.* 12. Sept. 1702, in *Anagnina* 12. Dec. 1676, et novissime in *Conversana* Officiorum Capituli 24. Sept. et 19. Nov. 1729.

Et demum, quod Canonico praebendam theologalem obtinenti privilegia tributa iis, qui theologiam aut jus Pontificium docent in publicis universitatibus, non suffragentur, ut ab illius Ecclesia abesse valeat, communiter notant Canonistae in cap. fin. de Magistr., et praecipue *Abb.* sub n. 5., *Pirhing.* in jus Canon. lib. 5. tit. 5. num. 9. vers.: Notandum secundo, et in terminis *Mendo* de jure academ. lib. 2. qu. 23. n. 269., ubi in fine ita subdit: „Et ratio postulat, ne docere alibi tenent, qui ad docendum in propriis Ecclesiis designantur, atque ob id munus percipiunt emolumenta et praebendae eis, praemisso examine, ad id obeundum conceduntur, quae non aliter forent concedendae, nec ad eas promoverentur, si possent illico ipsas deserere et ad academiam Salamantinam docendi gratia migrare. Et quidem post Constitutionem Eugenianam ejusmodi praebendae sunt institutae vel auctae in Ecclesiis, in quibus non dabantur, decernente id Concilio Tridentino, cujus cura et conatus circa id fuisset inutilis, si Canonici eas praebendas habentes virtute Eugenianae Constitutionis possent in academia Salamantina docentes commorari.“

Num autem ea, quae hactenus fuerunt adnotata, aptentur praesenti hypothesi, ubi constat, Summos Pontifices Martinum V. et Eugenium IV. amplissima indulsisse privilegia quibuscumque Beneficiatis et Curatis docentibus theologiam et jus Pontificium in memorata universitate Lovaniensi, deinde vero Paulum V. in dicta ejus Constitutione post Concilium Tridentinum edita eadem privilegia abrogasse dumtaxat quoad eos, quibus animarum cura incumbit, judices erunt EE. VV., quibus definiendum proponitur:

An Canonicus Stouppii, attenta etiam novissima Constitutione SSmi D. N., teneatur residere in Ecclesia Cathedrali Leodiensi et adimplere per se ipsum onera sibi incumbentia in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 11. Sept. 1734.

Beatissime Pater. Sacerdos N. Canonicus in Ecclesia Cathedrali N. humillime exponit se fuisse ab Illmo et Rmo Episcopo renuntiatum theologum, non quidem mediante erectione praebendae theologalis et institutione canonica sed tamquam theologum amovibilem ad nutum Episcopi juxta usum, qui videtur invaluisse in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus Galliarum. Cum itaque Orator non sit verus Canonicus Theologus in sensu juris et insuper in ipsa Cathedrali quotannis habeantur praedicationes solemniores tempore Adventus et Quadragesimae, quae impediunt, ne ipse suo qualicumque Officio in eadem fungatur, humillime postulat facultatem apostolicam abessendi a residentia et choro cum privilegio lucrandi distributiones seu non amittendi punctaturas chorales, ad effectum ut vocatus a Rmo Antistite suo vel eo annuente ab aliis Ordinariis possit peragere easdem solemniores praedi-

cationes tempore Adventus et Quadragesimae in aliena Ecclesia. Quam quidem singularem facultatem Sanctitas Vestra concedere dignetur, attenta praesertim necessitate verbi Dei praedicandi in istis regionibus necnon defectu ministrorum ad opus Dei exercendum. Quod Deus etc.

Die 19. Jan. 1857 SSmus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii S. C. C., benigne commisit Episcopo N., ut, veris existentibus narratis ac dummodo chori servitium detrimentum non patiatur, pro suo arbitrio et conscientia oratori gratis indulgeat, ut enunciatis temporibus ex causa praemissa per decennium proximum tantum a sua residentia abesse possit et nihilominus fructus omnes sui canonicatus percipere valeat, amissis tantum distributionibus quotidianis quatenus ex praedicatione congruum emolumentum recipiat. Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent vel si redditus praebendae tertiam distributionum partem non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.

(Anal. J. P. 1857 p. 2720.)

f) Canonicorum Monachorum.

Vd.: *Resid. Canon. Paroch.*

Fulden.

Cum san. mem. Bened. XIV. datis 3. nonas Octobris anni 1752 apostol. literis abbatialem Ecclesiam Fuldensis Monasterii Ordinis s. Benedicti in Cathedralem ac Episcopalem erexerit et pro tempore existentes Monasterii Abbates declaraverit in veros Praesules et Episcopos, sollicitus de Regulari Capitulo iisdem assignando statuit, ut istud ad quatuordecim vel quindecim Monachis professis ejusdem Ordinis componeretur, videlicet ex Decano, prima atque unica post abbatialem Dignitate, cui perpetuo adnexa est praepositura s. Andreae prope Fuldam; ex octo Praepositis degentibus in octo monasteriis seu praeposituris ejusdem Ordinis a primo dicto tamen monasterio dependentibus, ac demum ex aliis quinque vel sex Monachis non praepositis, quorum unus apud dictum Decanum, reliqui vero cum ipsis Praepositis tanquam illorum Socii et Commensales respective commorarentur.

Ad hoc tamen, ut ipsi Ecclesiae in Episcopalem erectae splendidiori decore inserviretur, hanc residentiae legem dictis Capitularibus imposuit, „ut nimirum quinque ex octo Praepositis alternatim per integrum mensem quolibet anno, reliqui autem quatuor vel quinque Monachi Capitulares pro tempore existentes, hujusmodi etiam alternatim per integros sex menses (nisi aliter tam quoad octo Praepositos, quam alios Capitulares non Praepositos Monachos praefatos super residentia hujusmodi ab apostolica Sede dispositum fuerit) eorum respective residentiam apud eamdem Ecclesiam adimplere respective teneantur.“

Deprehendit Episcopus et Abbas Fuldensis hujusmodi residentiae normam pluribus ex capitibus detrimento esse Monasterio, Praeposito et domestico Regulari Ordini ac disciplinae. In sua idcirco sacr. Liminum visitatione anni 1765 preces obtulit Summo Pontifici, ut residendi tempus aliter definire et ad breviores terminos reducere dignaretur. Incommoda haec esse dicuntur, nimirum Praepositos haud parum distare ab Ecclesia Cathedrali. Quamvis enim eorum unus jactu dumtaxat lapidis distet, duo autem ex illis itinere unius tantum horae, duos tamen alios abesse 4 miliaribus germanicis, 56 italicis. Rursus plerasque Praepositura-

rum Ecclesias esse etiam parochiales, quas licet Praepositi per socium sui Ordinis rite approbatum administrent, iidem tamen Praepositi eorum, quae divinum cultum spectant, potiorem gerunt curam potioremque divinorum Officiorum partem in dictis suis Ecclesiis obire solent. Hinc necessario sequi, ait, ut diuturniori Praepositorum absentia divinus in iis Ecclesiis imminuatur cultus et animarum cura Praepositorum regimini concreditarum negligatur simul cum illa rei familiaris. Haec inspectis Praepositorum personis. Quoad Capitulares vero Praepositos, qui cum illis commorantur, observandum proponit, praescriptam residentiae legem plurimum afferre incommodi tum Capitularibus ipsis, Praepositis ac Praepositurarum Ecclesiis ob non modicam Cathedrali distantiam, et diuturnius absentiae tempus, tum Monasterio Fuldensi s. Salvatoris, in quod transfertur onus hospitii victusque iisdem Capitularibus praestandi, praeter non modicam perturbationem domestici Ordinis ac disciplinae, quae eodem in Monasterio Fuldensi servatur.

Subjungit autem, eo etiam non servato residentiae modo, qui in erectionis Bulla statuitur, semper tamen futuros Capitularium aliquos, qui Fuldensi in Monasterio resideant ac praesto sint ad quaecunque negotia, interdum etiam subitanea, quae sint capitulariter tranctanda. „Nam primum, inquit, Decanus Capituli continuo fere residet ac praesens est, quemadmodum et unus alterve ex Capitularibus non Praepositis, qui una cum Conventus Superiore praefato continuam faciunt residentiam. Deinde qui ex Praepositis sunt proximiores minusque distant, si quid extra ordinem emergat, facile possunt convocari. Ex vetustis praeterea Constitutionibus quatuor per annum vicibus, singulo nempe trimestri, omnes de Capitulo, nisi qui legitime impediatur, Fuldam solent ac tenentur convenire de rebus statum patriae publicum concernentibus potissimum tractaturi. At enim hic eorum Conventus paucorum solet esse dierum, quibus elapsis mox illi ad suas redeunt Praeposituras, ne quid in iis negligatur, quod vel ad Dei cultum vel ad rem pertinet familiarem. Atque hinc in aliquo vero sensu dici potest, Ecclesiam Cathedralem nunquam destitui Capitulo residente.“

Re a Summo Pontifice mandata S. huic Congregationi, haec Fuldensi Episcopo rescribens validissimis illum rationibus moveri significavit. Dubia tamen de modo, qui definiendus esset in eadem residentiae lege imminuenda, eidem commisit Episcopo, ut potiorem aliquam residendi formam locisque ac temporibus accommodatiorem inveniret inventamque ac accurate praescriptam ad S. Congregationem transmitteret.

Episcopus vero respondit, nullam omnino se invenire potuisse certam constantemque residentiae formam ac legem locis ac temporibus accommodatam, cum fieri possit, ut pro temporum circumstantiis, quae quidem esse non semper eaedem solent, attenta praesertim Capitularium illius Ecclesiae qualitate, diversitate locorumque, in quibus commorantur, distantia, quae circa residentiam statui uno tempore contingat, minus fortasse congruent pro alio. Sibi magis opportunum videri, ait, „conscientiae Episcopi et Abbatis pro tempore existentis rem hanc committere, qui siquidem modum residentiae tractu temporis fallere perspexerit, alium, quem in Domino expedire censuerit, valeat praefinire ac vel minuere limites residentiae vel etiam ampliare.“ Haec aliaque ad id spectantia plenissime intelligent EE. PP. ex circumferendo supplici libello Episcopi et Abbatis Fuldensis.

Datis iterum literis ad Coloniae Nuntium, ut iis, quorum intererat, auditis animi sui sententiam hac de re aperiret, Is omnibus mature recteque perpensis aequum sibi maxime videri respondit, ut precibus Episcopi et Abbatis deferatur ejusque prudenti relinquatur arbitrio atque conscientiae, residentiae modum locis temporibus accommodatiorem definire, ea tamen lege, ut aliqui ex Capitularibus semper resideant penes Ecclesiam Cathedralem et choro intersint, ne eadem Ecclesia Capitulo residente unquam destituatur. Exploratum est, pluribus ex causis fieri posse, ut residendi onus, quod Dignitatibus et Canonicis in Cathedrali Ecclesia alias incumberet, vel imminui possit vel penitus dispensari. Inter caeteras vero ea praecipue recensetur, quum Canonici addicti sunt animarum curae in locis a Cathedrali dissitis. Quidquid enim esset de jure antiquo, jure recentiori cautum est, ut qui una cum canonicatu parochialem obtinet Ecclesiam, residere teneatur in parochiali. In id plenissime quadrant *Concilii Tridentini verba sess. 22. cap. 3.*: „Quod si alicui ex praedictis Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, de jure seu consuetudine, jurisdictio, administratio vel Officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit ac ministraverit, tanquam praesens sit ac divinis intersit in Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur.“ Id praeterea disertis verbis mandavit s. Pius V. in sua Constitut. 65.: *Cupientes etc.* hac addita ratione: „Cum prima et praecipua debeat esse cura animarum“, *Fagnan.* in cap.: *Licet* de praebendis num. 67 et 121., *Gonzalez* in reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 268., *Bened. XIV.* Insitt. 107. §. 9., *Ceccoper.* leg. 2. tit. 11. n. 24. et seq. Id demum declaratum fuisse ab hac S. Congr. referunt *Garzia* de Benef. part. 3. cap. 2. num. 179., *Pasqualig.* decis. 465. n. 2., *Fagnan.* l. c., qui praeterea addit, proposito dubio: „An habens parochialem et canonicatum excludatur a servitio canonicatus?“ censuisse S. Congregationem: non excludi, dummodo omnibus diebus et horis prius debitis parochiali inservierit, ut nihil prorsus depereat debito servitio parochialis.

Quod sibi magis vindicat locum, quoties de iis agitur Canonicis seu Capitularibus, quos honorarios dicimus, qui scilicet neque ex Ordinis instituto neque ex lege fundationis neque ratione Praebendarum portionumve ad residendum compelluntur. Hi enim, qui Cathedralis stipendiis haud militant nullosque ex ea fructus percipiunt, ad residentiam cogi non possunt. S. C. in Veliterna 5. Julii 1727, *Lotter.* de re benef. quaest. 27. n. 30. lib. 3., *Seraphin.* decis. 1452. n. 2. et seq., *Scarfanton.* ad Ceccoper. lib. 1. tit. 14. n. 9 et 10. Eo vel magis cum sermo est de Cathedrali Ecclesia, cui Capitularibus et Canonicis deficientibus praesto sunt, qui ejus servitio sedulo incumbant divinisque persolvendis Officiis egregiam dent operam, ita ut divinus cultus ne minimum quidem detrimentum patiatur. Hac porro sub clausula Caurien. Episcopo indulsit S. Congregatio die 15. Octbr. 1580, ut longius vacationum tempus, quam Concilium Tridentinum sanxerat, Canonicis impertiretur „cum eo tamen, ut provideas, ne unquam servitio chori, qui Dignitates obtinent, Canonici et Portionarii pauciores absint eo numero, qui tibi sufficiens fuerit ad tuendum cultum divinum et Ecclesiae dignitatem, ut habetur apud *Garz.* loco cit. num. 413.“

Perpendendum est itaque: an haec locum habeant in Capitularibus Fuldensibus? Hi neque ex Ordinis instituto neque ex fundationis lege neque ratione distributionum ad residentiam adiguntur. Nihil commodi percipiunt a mensa Cathedralis Ecclesiae, sed ex Praepositurarum redditibus aluntur et vivunt. Sunt praeterea ex sui Ordinis instituto earumdem Praepositurarum servitio addicti ibique praesunt non rei tantum familiari, sed animarum potissimum curae divinoque itidem cultui tuendo augendoque. His demum procul a Cathedrali commorantibus divinus in ea cultus nullum patitur detrimentum, propterea quod praeter Novitios sex et quadraginta monachi professi in eadem Cathedrali Ecclesia horis diurnis pariter ac nocturnis ex primaevo instituto inserviunt choro et, quo decet, ordine ac decore divina peragunt Officia.

Animadvertendum et illud, Capitulorum instituendorum rationem non eam tantummodo fuisse, ut Canonici et Capitulares in divinis celebrandis Officiis occuparentur: verum etiam, ut suo consilio et opera Episcopis in Ecclesiae regimine opem ferrent. Disciplina haec ab antiquissimis est ducta temporibus. Quamvis enim nulla essent Cathedralium Ecclesiarum instituta Capitula, praeceptum tamen fuit in Concilio Carthaginensi IV. can. 22. „ut Episcopus sine consensu Clericorum suorum Clericos non ordinet, et can. 23., ut Episcopus nullus causam audiat absque consensu Clericorum suorum; alioqui irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum sententia confirmetur."

Institutis autem saeculorum progressu Cathedralibus Capitulis Ecclesiae regimini convenire judicatum est, ut Episcopi in Ecclesiae suae administratione Canonicorum Cathedralium opera et consilio uterentur; imo et in quibusdam ne sine eorum assensu procedere possent. Hinc Alexander III. cap.: *Novit de his quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli* hunc in modum scripsit ad Patriarcham Hierosolymitanum: „Novit plenius tuae discretionis prudentia, qualiter Tu et Fratres tui unum corpus sitis, ita quod Tu caput et illi membra esse probantur. Unde non decet, te, omissis membris, aliorum Consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati tuae et Sanctorum Patrum Constitutionibus contraire." Eadem rursus eidem rescribit cap. 4. eod. tit. Hinc etiam Conc. Trid. passim mandat Episcopis, ut in negotiis Ecclesiae definiendis consensum adhibeant vel Consilium Capituli, eamque ob causam sess. 22. cap. 12. de Reform. coetum Canonicorum merito vocari posse ait Ecclesiae Senatum.

Hinc etiam prae oculis habere praestat Cathedralem Ecclesiam esse minime posse sine Capitulo perpetuo in eadem residente. Ad Capitulum vero constituendum tres saltem Capitulares requiri, *leg. Neratius ff. de V. S. gloss. in clem. quod circa de elect., Navar. leg. 1. cons. 6. n. 1. de elect.* Fieri igitur nequit, ut in Cathedrali Ecclesia Capitulum residere censeatur, nisi tres saltem perpetuo in ea resideant Capitulares, qui praesto sint negotiis capitulariter pertractandis, interdum etiam subitaneis et quae nullam temporis moram patiantur.

His itaque serio perpensis dignabuntur EE. PP. suum prodere judicium:

An consulendum sit SS. pro moderatione residentiae in casu?

S. C. resp.: Dilata et scribatur Episcopo juxta instructionem non retardata interim exequutione Bullae Benedictinae.

Die 12. Nov. et 12. Dec. 1767.

g) Canonici Parochi.

Eum, qui habeat praebendam vel dignitatem, cui annexa sit alia paroch. Ecclesia, residere debere in loco Ecclesiae Collegiatae, ut majoris et dignioris, praesertim quum cum ipsa praebenda conjuncta sit cura animarum, quamvis parochia extra locum Ecclesiae Colleg. annexa plures habeat incolas.

S. C. C. die 19. Julii 1732 *Aquilana.*

Canonicum, cui ex indulto ap. Ecclesia paroch. in alia urbe dioecesis collata fuit cum facultate residendi alternatim in alterutra Ecclesia per sex menses, quum non resideret nec bis citatus ad parochiam rediisset, sed suspectum Episcopum allegasset, Episcopus deputato pro exercenda cura animarum vicario et pro fructibus eligendis oeconomo, rejecta quoque appellatione quoad effectum suspensivum, beneficio parochiali privatum declaravit et ad fructus a die ap. indulti perceptos restituendos condemnavit. Quum ille sub appellationis interpositae obtentu Vicarium ac oeconomum molestare non desisteret, res ad S. C. est delata, quae sententiam privationis sustinendam esse censuit.

Die 3. Dec. 1729 *Trident.* (Conc. Tr. sess. 6. cap. 2.; sess. 23. cap. 1.)

Tridentina.

(Conc. Tr. sess. 23. cap. 1. De Ref.)

Carolus Ferdinandus ex Comitibus de . . . . cum possideret canonicatum et praeposituram in Cathedrali Ecclesia Tridentina insimul cum parochiali Ecclesia Villae Langrinae ejusdem dioecesis, dispensationem apostolicam de voto hujus S. C. obtinuit, ut per sex menses cujuslibet anni abesse posset a residentia parochiae, relicto ibi idoneo Vicario pro cura animarum, dummodo tamen residentiam servaret quoad Canonicatum in dicta Cathedrali Tridentina.

Provisus deinde fuit a Sancta Sede de alio Canonicatu in Ecclesia Salisburgensi cum priorum retentione, ac indulta ei fuit in iisdem literis provisionis licentia abessendi per reliquos sex menses a supradicta Ecclesia parochiali.

Denunciato tamen de anno 1719 san. mem. Clementi XI., quod Canonicus praefatus praedictam parochiam omnino deseruerat ac numquam in ea resederit, habitaque insuper notitia de dicto voto seu decreto S. C., cum quo dispensatus fuit tantum a residentia per sex menses quolibet anno, idem Summus Pontifex cum ejus motu proprio expedito 5. Calendas Martii ejusdem anni revocavit dictum posterius indultum et mandavit, ut dictus Canonicus per sex menses cujuslibet anni tantum abesse posset a parochia ad formam rescripti hujus S. C., dummodo tamen resideret in prima dicta Ecclesia Tridentina et quoties supradictum rescriptum adamussim non adimpleverit, rescriptum ipsum nullum et revocatum pariter esse voluit.

Ut omnimodo executio eidem motui proprio daretur, transmissus fuit per organum secretariae status Episcopo Tridentino, eum admonendo de ejus pastorali debito revocandi Canonicum de . . . . ad residentiam utriusque Ecclesiae modo supra praescripto cum praefixione competentis termini duorum vel trium mensium; aliamque epistolam ipsi Comiti de Lodron directam cum annexo exemplo dicti motus proprii scribi etiam et transmitti voluit per Emum Pro-Datarium, qua certior reddebatur de mente Sanctissimi et quod ulterior terminus quam duorum vel trium mensium ad restituendum se residentiae non praefigeretur.

Munus sibi injunctum adimplevit Episcopus, transmisit enim ad Comitem Viennae tunc degentem, eidemque praesentari curavit die 26. Apr. 1719 coram notario et testibus praefatum motum proprium ac geminas epistolas Erum Cardinalium Secretarii Status et Pro - Datarii propriamque epistolam adjunxit, qua pastorali charitate illum ad residentiam revocabat cum praefixione termini trium mensium.

Adhuc tamen insordescente Comite, quinimmo se jactante, novum habuisse recursum ad Sanctam Sedem, Episcopus, ut tutius procederet, consulendum duxit Emum Secretarium et hanc Sac. Conc., quomodo se gerere deberet, et responso ab utroque accepto, ut eum cogeret ad residendum ad tramites dispositionis S. C. sess. 23. cap. 1. de Reform., sub die 22. Apr. 1720 eumdem personaliter citari curavit, quatenus intra terminum dierum sex ad parochiam se conferret et alia similis citatio repetita fuit sub die 7. Julii 1721.

Comes vero ad colorandam propriam contumaciam et effugiendum judicium Episcopi istum in suspectum allegavit, addens se multis litibus distractum residere non posse in dicta parochiali Ecclesia, maxime quia ibi decens habitatio non aderat nec id ratio suae valetudinis ferebat; at vero Episcopus his minime attentis ac utendo arbitrio sibi tributo a Sac. Conc. in sess. 23. cap. 1. de Reform. procedendi scilicet ab initio ad privationem beneficii, absque eo quod experiri prius teneretur alia remedia censurarum et subtractionis fructuum, ut contra Ugolinum ac antiquam opinionem Rotae decis. 27. coram Seraphin, de mente hujus S. C. tradunt *Garz.* de benef. in addit. ad partem 3. cap. 2. n. 139., *Barbos.* ad dictum cap. 1. n. 74. et *Fagnan.* in cap. ex suae n. 18. et 30. de Cleric. non resident., sub die 20. Sept. 1724 sententiam pronunciavit, qua comitem beneficio parochiali privatum eumdemque teneri ad restitutionem fructuum per ipsum perceptorum a die sibi intimati motus proprii Summi Pontificis declaravit ac deinde deputavit Vicarium pro exercitio Curae et Oeconomum pro collectione fructuum appellationemque desuper a Comite interpositam quoad effectum suspensivum rejecit eidemque inhibuit, ne se amplius ingereret in officio parochi nec impediret aut molestaret Vicarium deputatum sub poena excommunicationis.

Sed quia idem Comes sub obtentu appellationis interpositae tum ad tribunal Nuntiaturae, tum ad a A. C. turbare non destitit Vicarium in exercitio Curae ac Oeconomum in exactione fructuum, habito per promotorem fiscalem Curiae Episcopalis recursu ad auditorem Sanctissimi, iste causam remisit ad hanc S. C., cum facultate purgandi hinc inde praetensa attentata; quare resolvenda poponuntur EE. VV. sequentia dubia:

I. *An sententia privationis Ecclesiae Archipresbyteralis Villae Legarinae sustineatur in casu?*

II. *An constet de attentatis hinc inde et an et quomodo sint purganda in casu?*

S. C. C. resp. *ad I.:* Affirmative; *ad II.:* Provisum in primo.

Die 3. Sept. et 3. Dec. 1729.

Limburgen. Residentiae.

Episcopus Limburgensis supplici libello SSmo D. N. exhibito et S. C. remisso haec exponit: Vi bullae, quae incipit: *Provida solersque,* cum quatuor Canonicis hujus meae Cathedralis, primo nempe, tertio, quarto et quinto, qui simul parochi sunt ecclesiarum Limburgensis, Dietkirchensis, in Altavilla et in libera civitate Francofurtensi

ejusque territorio, super dictarum retentione paroeciarum apostolica auctoritate dispensatum fuerit, „cum hoc tamen, quod curae animarum paroeciarum hujusmodi per idoneos Vicarios ab Ordinario servatis servandis ad formam canonicarum sanctionum approbandos et instituendos opportune provideatur.“

„Ultimae huic laudatae Bullae sanctioni per longam annorum seriem satisfactum non est, ita ut dicti quatuor Canonici, deficiente omnino salario Vicariis eorum instituendis necessario, parochiarum canonicatibus suis unitarum sive incorporatarum administrationi operam dederint atque ideo a munere quod ceu Canonicis Ecclesiae Cathedralis Limburgensis necnon consiliariis Episcopi eisdem incumbit, abstracti extiterint, donec paucis ab hinc annis, uti Sanctitati tuae tunc retuli, petitionibus meis cedens Serenissimus Nassoviae Dux, modo utique tantum provisorio, salarium annuum 1600 florenorum, quo bini Canonicorum, primi et tertii, Vicarii sustentarentur, assignavit.“

„Quod ad quartum Canonicum spectat, nulli quidem parcam operae, ut et ipse, cum canonicatus, quocum parochia in Altavilla est conjunctus, quique modo vacat, denuo conferetur, Vicario et illic constituto, Limburgi sedem suam figat atque instar primi et tertii Canonici solis canonicatus sui Officiis occupetur, nec dubito quin conatus hac in re a me exercendus optatos sit secuturus effectus, praesertim si a S. Sede Apostolica benigne foveatur.“

„Majores autem ea, quam executioni laudatae Bullae quoad quintum Canonicum simul parochum Francofurtensem dare non omittam, opera offendet difficultates. At et hic spe erigor fore, ut, si Sanctitas Tua mea obsecundare dignabitur molimina, iisdem posthac non desit successus. Hisce enim a te, Beatissime Pater, humiliter peto, ut cum actuali nuper installato Canonico quinto, nempe Domino Eugenio Theodoro Tissen, eatenus dispensare digneris, ut, quemadmodum provisorio modo usque huc me jubente jam fecit, amplius per aliquod tempus, forte per annum unum, relaxata hic Limburgi residendi obligatione, Francofurti qua administrator parochiae ad s. Bartholomaeum morandi ipsi fiat facultas, donec scilicet et ipsi Vicarius, quem memorata Bulla praescribit, sufficiatur. Quod si literis dispensatoriis, quas enixe efflagito, eam dispensationis conditionem aperte significaveris, ut videlicet quantocius dictum Vicarium constitui vi Bullae incipientis: *Provida solersque etc.* omnino necesse sit, magno ea declaratio mihi erit usui, quo facilius Senatui Francofurtensi persuadeam, quod Dux Nassoviae quoad parochias Limburgensem et Dietkirchensem concessit, et ipsum quoad parochiam ad s. Bartholomaeum concedere debere, eam nimirum annuam pecuniae summam assignare, quae Vicario juxta Bullam superius memoratam pro dicta parochia constituendo sufficiat.“"

Quamvis Episcopi petitio juris sanctionibus manifesto adversetur et citatae Bullae dispositioni, attamen, cum praesto non sit aliud remedium, quo et residentiae legi, qua Canonicus obstringitur, satisfiat et parochiae una simul provideatur, excipienda benigno responso videretur, ita publicae necessitatis et utilitatis postulante ratione. Caeterum provisorie et temporanee cum praefato Canonico curato dispensandum exorat Episcopus, quousque nimirum salarium Vicario constituendum a civili gubernio assignetur, ceu cum caeteris Canonicis animarum curae praepositis factitatum est anteacto tempore, quum scilicet

Vicarii curati auxilio destituerentur. Quare etc. Sacra etc. resp.: *Pro gratia juxta petita ad annum.*

Die 24. Nov. 1860.

(Anal. J. P. 1864 p. 461.)

h) Canon. parochi, qui duab. parochiis praeest.

Vd.: *Resident. parochi* (qui duas etc.).

Aquilana.

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 6.; cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Binae sunt Ecclesiae eundem habentes titulum s. Pauli de Barete, altera nimirum antiquior extra civitatem Aquilae, altera recentior intra illam. Etenim post reaedificationem Aquilae civitatis aliquot familiae ab Oppido Baretis domicilium transtulerunt ad eandem Urbem, ubi constructa Ecclesia sub invocatione s. Pauli de Barete Archipresbyter dicti Oppidi sive Terrae Baretis penes ipsam novam Ecclesiam residere coepit cum exercitio curae animarum tam quoad populum dictae Terrae quam quoad familias, quae ex ea transtulerant sedem ad civitatem; indeque etiam orta fuit nuncupatio popolo dentro, e popolo fuori della Barete. Ecclesia autem illa intra civitatem est quoque Collegiata et praeter memoratum Archipresbyterum constat ex tribus Canonicis et pluribus capellanis, a quibus Divina Officia persolvuntur.

Anno 1697 Universitas dictae Terrae Baretis exposuit huic S. C. jam defecisse familias intra civitatem Aquilae antea existentes, quarum spirituali regimini providisse Archipresbyterum; ideoque postulavit, eum potius compelli ad residendum in antiqua parochiali Ecclesia Terrae Baretis, cui subjectae erant 1300 Animae. Itaque S. C. commisit Episcopo Aquilano, ut, si narrata niterentur veritate, cogeret Juris remediis Archipresbyterum ad residendum in dicta Ecclesia Terrae Baretis.

Archipresbyter tunc temporis erat Paschalis Martellus, qui in executionem illius decreti suam constituit residentiam in dicta Terra Baretis et sub annum 1701 obtinuit etiam per sententiam A. C. rejici instantiam Canonicorum Collegiatae Ecclesiae s. Pauli de Barete existentis intra civitatem Aquilae, qui contendebant non posse Archipresbyterum abesse ab hac Ecclesia et distributiones quotidianas in absentia percipere. Pronunciavit enim A. C. Martellum Archipresbyterum atque eos, qui deinceps in Archipresbyteratum succederent, residere ex vi memorati decreti hujus S. C. debere in Terra Baretis et nihilominus assequi distributiones promanantes ex Massa capitulari dictae Collegiatae Ecclesiae s. Pauli intra civitatem sitae, prout servatum hucusque fuit. Quinimo Archipresbyter emolumenta omnia etiam funeraria participare consuevit in duplo, licet absens a praedicta Collegiata et residens apud aliam Ecclesiam parochialem Terrae Baretis.

Animadvertendum praeterea est, quod (ut refert Episcopus) familiae, quae parochiali jure addictae sunt praefatae Ecclesiae Collegiatae, octo nunc sunt; et plures erant sub annum 1697, quo prodiit memorata hujus S. C. resolutio, quamvis tunc temporis nullas omnino extitisse asseveratum pro certo fuerit. Subjungit etiam Episcopus, Archipresbyterum Officio parochi perfungi debere in sex et vigenti personas, servitio ejusdem Collegiatae Ecclesiae adscriptas, Canonicos scilicet et Capellanos.

Existunt in eadem civitate Aquilae etiam aliae similes Collegiatae Ecclesiae, quibus unitae sunt parochiales Ecclesiae suburbicariae. Earum vero Archipresbyteri quibus imminet cura

Animarum partim intra partim extra civitatem, resident in civitate cum deputatione tamen Vicarii Curati in alia Ecclesia suburbicaria. Cumque anno 1580 Communitas Terrae Paganicae contenderet, Archipresbyterum Ecclesiae s. Mariae de Paganica (quae est una ex praedictis Collegiatis intra civitatem existentibus) residere debere non in ipsa civitate una cum suo Capitulo, sed in unita Ecclesia dictae Terrae Paganicae, testatur in suis literis Episcopus decrevisse hanc S. C. Archipresbyterum residere debere in civitate uti loco digniori. Et haec resolutio verisimiliter est illa quam commemorant *Garz.* de benef. par. 3. cap. 2. n. 179. sub 15. Resol., *Barbos.* de Offic. Paroc. par. 1. cap. 8. n. 10.

Recognosci etiam poterunt aliae resolutiones ejusdem S. C., quae habentur apud *Fagnan.* in cap.: Extirpandae a n. 30. ad 34. de Praeben., ex quibus colligi videtur, quod, si parochialis Ecclesia sit unita praepositurae vel alteri Dignitati curatae, residentia fieri debeat in praepositura tamquam digniori; si quae sint duae Ecclesiae parochiales invicem unitae, residendum sit in magis digna; si una fuerit extra et altera intra Urbem, residendum sit in ea, quae est intra.

Quantum vero attinet ad quaestionem, quae vertitur circa distributiones, cautum habetur in *Sac. Conc. Trident. sess. 22. cap. 3.*, quod, si alicui Dignitati in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia immineat cura animarum extra civitatem in dioecesi, is qui talem obtinet Dignitatem, pro tempore, quo in Ecclesia curata residet, perinde habeatur, ac si Divinis intersit in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata pro perceptione omnium fructuum ac etiam distributionum, in quas tertia pars fructuum divisa fuerit, nisi obstet statutum vel consuetudo aliquid amittendi.

At s. Pius V. in Constit. 65. sancivit eum, qui ex dispensatione apostolica retineat Ecclesiam parochialem cum Canonicatu vel Dignitate in alia Ecclesia, fructus omnes Canonicatus posse percipere, dum residet apud parochialem, non tamen distributiones quotidianas et alia, quae percipi non solent ab absentibus ex justa causa. Consonant itidem plura hujus S. C. decreta, quae referuntur apud *Garz.* de benefic. par. 3. cap. 2. n. 185. et seq., *Pignatell.* consult. 114. n. 59. et consult. 115. n. 35. tom. 9.

Quanam autem ratione conciliari possit dispositio S. Conc. Trid. cum Piana Constitutione, tradit *Monet.* de distr. quot. par. 2. quaest. 11. n. 69. et seq.

Denique in *Melevitana Divinorum Officiorum* proposito dubio: *An parochus, qui simul erat de Collegio beneficiatorum, impeditus ratione Curae, deberet haberi pro praesente ad effectum lucrandi distributiones?*

S. C. die 29. Jan. 1718 respondit: Negative.

Duo itaque, quae sequuntur, dubia erunt decidenda:

1. An Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae et parochialis s. Pauli Baretis intra civitatem teneatur residere in dicta Ecclesia sive potius in Ecclesia parochiali s. Pauli extra civitatem juxta decretum anni 1697? Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

2. An eidem Archipresbytero competant distributiones quotidianae perinde ac si interesset Divinis Officiis in dicta Ecclesia Collegiata intra civitatem in casu?

S. C. C. resp.: Affirmat. ad 1. part., negative ad 2.

Die 2. Junii 1731; 5. Apr. 1732.

Continuatio ejusdem causae Aquilan.

Huic resolutioni minime acquiescentes Archipresbyter et parochiani, qui suburbanae Ecclesiae subsunt et aegre ferunt Parochum a se abstrahi, modo eam revocari ad novi examinis trutinam flagitant.

Porro canonicae disciplinae instituta postulare videntur, quod Archipresbyter potius resideat suoque Officio consentaneas functiones obeat in Ecclesia Collegiata, quae intra civitatem existit, quam in suburbana Ecclesia, cum illa dignior sit atque praestantior. Rescripsit enim Innocentius III. in cap.: *Extirpandae. §.: Qui vero de Praebend.* his verbis: Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium sed per se ipsum illi deserviat, in ordine quem ipsius Ecclesiae cura requirit: nisi forte dignitati vel praebendae parochialis Ecclesiae sit annexa, in quo casu concedimus, ut, qui talem habet praebendam vel Dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum et perpetuum habeat Vicarium canonice institutum, qui (ut praedictum est) congruentem habeat de ipsius Ecclesiae proventibus portionem.

Quamvis autem in hypothesi hujus textus agi videatur de Ecclesia parochiali subjective et accessorie unita praebendae alterius Ecclesiae, cujus proinde membrum fuerat effecta, ut etiam explicat *Imol.* ibid. n. 8. et 9., *Ancharan.* n. 6., *Butr.* n. 5., *Fagnan.* n. 32.

Quae quidem conditio non congruit suburbanae Ecclesiae s. Pauli de Barete, quae non est subjective et accessorie unita Archipresbyteratui Collegiatae Ecclesiae intra civitatem existentis. Nihilominus alia urget ratio postulans Archipresbyteri residentiam in Ecclesia Collegiata, scilicet quia haec non solum est major ac dignior ob hujusmodi Collegialitatem, sed ipsa quoque est parochialis; proindeque cum lex residendi apud Ecclesiam suburbanam ex uno tantum titulo parochialis muneris dimanet, ad habendam tamen sedem in alia Ecclesia, quae intra civitatem est, rector gemino obstringitur vinculo, hoc est tamquam parochus et tamquam caput Collegii Divina Officia quotidie obeuntis in choro. Ergo cum ambae Ecclesiae, de quibus sermo est, sint parochiales et ratione hujus tituli sint pares ac parem residendi necessitatem imponant, praevalet tamen ac potior est illa, quae intra civitatem existit, quia collegialitatis honore aucta et Dignitate Archipresbyteratus insignita et servitium in choro obeundum exigens. Quamobrem in hac esse potius residendum quam in altera deducitur tum ex rescripto, quod ab hac S. C. prodiit anno 1580, ut in *lib. 2. decret. p. 170 et seqq.*, tum etiam ex decisione similis controversiae alias edita in causa *Abulen.*, cujus meminit. *Fagnan.* in d. cap.: *Extirpandae n. 31. de Praeben.*

At Communitas Castri Baretis respondet, praecipuam decidendi rationem sumendam esse a majori necessitate et utilitate animarum, quae pastoris curae commissae sunt. Si enim Archipresbyter resideat in Ecclesia existente intra civitatem, perexiguam administrabit parochiam; fungetur quippe Officio parochi in sex et viginti personas adscriptas servitio ejusdem Ecclesiae, itemque in alios fortasse triginta laicos, qui parochiali jure eidem Ecclesiae subjecti sunt. At vero suburbana parochia late patet; octo continet Villas non mediocri disjunctas intervallo et quadraginta supra mille capita complectitur. Plane igitur sequitur pastoris praesentiam, vigilantiam longe magis necessariam ac fru-

ctuosam fore in suburbana Ecclesia quam in altera Urbana.

Caeterum illud etiam est animadvertendum, quod in Ecclesia parochiali suburbana jam est constitutus Vicarius perpetuus, qui nunc auxiliariam operam praestat Archipresbytero, ac praeterea intra fines ejusdem suburbanae parochiae residet apud Ecclesiam s. Vito dedicatam capellanus adjutor parochi in Sacramentis administrandis.

His itaque iterum perpensis deliberandum erit:

1. *An sit standum vel recedendum a decisis die 5. Apr. proxime praeteriti?* Et quatenus recedendum,

2. *An Archipresbytero competant distributiones quotidianae, perinde ac si interesset Divinis Officiis in Ecclesia Collegiata in casu?*

S. C. C. resp.: In decisis; et amplius et ad mentem.

Die 19. Julii 1732.

5) Capellani.

Vd.: *Resid.* (Benef., Sacerdot. auxil.)

Amerina.

Cum in Castro Alviani Amerinae dioeceseos tanta sit inopia Sacerdotum, ut coactus fuerit Episcopus postulare atque obtinere facultatem, ut sacra, quae in Ecclesiis ejusdem Castri agenda erant, alibi agi possent, durante Sacerdotum inopia: hinc cum Ignatius Torretti, qui natus erat in eodem Castro et Romae in Pamphilio Collegio studiis operam dabat, postulasset clericali militiae adnumerari, Episcopus eum parochiali Ecclesiae Alviani adscripsit et literas dimissoriales ei dedit, expressa causa necessitatis ejusdem Ecclesiae, ut minores Ordines suscipere posset. Nominatus fuit Ignatius ad capellaniam manualem in Templo Divi Ignatii Urbis et impetravit ab hoc Sacro Tribunali ejus perpetuationem, ut ad hujus capellaniae titulum ad Sacros Ordines promoveretur, sicuti promotus fuit, repetita ab Episcopo in literis dimissoriis necessitate Ecclesiae parochialis Alviani. Sacerdos factus Ignatius post duos menses, quibus Alviani moram traxerat, veniam petiit ab Episcopo, ut Romam accederet; negavit Episcopus eique ore praecepit, ne discederet, indicta poena suspensionis ipso facto incurrendae. Discessit Ignatius Romamque repetiit Sacroque huic Tribunali preces hac de re obtulit; cum, ut fieri solet, epistola ad Episcopum data fuisset, dicitur ei redditam non fuisse; secundae epistolae respondit negans posse Ignatium Romae consistere sed teneri eum praecepto obtemperare et Alvianum repetere, quod ejus Ecclesiae servitio adscriptus sit, atque incidisse in poenas conciliares neque excusari posse sive colore capellaniae sive praetextu studiorum, quod et studia, quantum satis sit necessitatibus populi illius Castri, compleverit et capellaniae servire possit per substitutum. Causa nunc duobus collecta capitibus definienda proponitur.

Disputat Promotor Fiscalis a Tridentino post Calcedonense Concilium definitum fuisse, ut Clerici, qui pro necessitate aut utilitate Ecclesiae ordinati fuerint, ejusque servitio adscripti, sine expressa Episcopi venia discedere nequeant et, si locum inconsulto Episcopo deseruerint, Sacrorum exercitio interdicantur: confirmatum id Concilio Romano tit. 6. cap. 6., atque ita pluries ab hoc Sacro Tribunali judicatum fuisse contra eos, qui discedere voluerunt, ut in *Senogallien.* 19. Aug. 1579, in *Ducalis* 6. Sept. 1593, in *Ostunen.* 20. Jan. 1616, in *Anconitana* 14. Feb. 1609, in *Terraconen.* 9. Febr. 1621, atque alibi; neque audiendos esse adductos a *Barbos.* a Concil. sess. 23. cap. 16.

de Ref. et de Offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 21. n. 5. et 6., qui tradunt Clericos et Sacerdotes, qui non habent beneficium in titulum praecisam et personalem residentiam requirens, discedere posse et ire quo velint, neque Episcopos his literas dimissorias denegare posse, cum reprobentur a *Fagnan.* in cap. *Admonet* n. 15. et 37. de Renunciat., quia Clerici servitio alicujus Ecclesiae adscripti et pro ejusdem Ecclesiae necessitate seu utilitate ordinati habentur tamquam servi aut coloni glebae addicti, qui sine Domini venia fundum deserere nequeunt, neque discedere possunt ab Ecclesia et recedere ab obligatione cum ea contracta, ideoque potest Episcopus literas dimissorias eis negare, *Menoch.* de arbitrar. cas. 422. n. 3., *Garzia* de benef. par. 2. cap. 5. n. 102., *Antonell.* de jur. et oner. cleric. cap. 8. lib. 2. par. 6. n. 2. Ex his colligitur Ignatium Torrettum, qui servitio parochialis Ecclesiae Alviani adscriptus fuit et pro ejusdem Ecclesiae necessitate ordinatus, non posse ab ea discedere, invito Episcopo, praesertim eo veniam ex necessaria causa inopiae Sacerdotum denegante, et quia praecepto Episcopi non obtemperaverit, in poenam interdictionis sacrorum incidisse. Haec atque alia promotor fiscalis. Ab Ignatio nihil habuimus.

Duo sunt causae capita:

I. An Sacerdos Ignatius Torretti adscriptus servitio parochialis Ecclesiae Alviani et pro necessitate ejusdem Ecclesiae ad Sacros Ordines promotus titulo capellaniae obtentae in Ecclesia s. Ignatii Urbis sibi a S. C. perpetuatae potuerit contra formam praecepti Episcopi ab eadem Ecclesia discedere et valeat hic in Urbe permanere?

II. An et in poenas conciliares sibi intimatas inciderit in casu etc.?

S. C. resp. ad I.: Negative assignata congrua per Episcopum.

Ad II.: Consulat conscientiae suae.

Die 8. Maii 1756.

6) Cardinalium.

Vd.: *Resid. Episcop.* (Constit. Bened. XIV.: *Ad universae.*); *Rotulum.*

7) Causae absentiae.

Vd.: *Resid. paroch.* (tempus, licentia; Infirmitas); *Resid. Episcopi* (oblig., causae etc., Constit. Bened. XIV.; *Ad universae etc.*)

8) Causativa et praecisa.

Vd.: *Resident. praecisa et caus.*

Residentiam non *causativam* (scil. qua non servata sit locus omissioni emolumentorum beneficio residentiali destinatorum) sed *praecisam* (i. e. qua non servata sit locus omissioni tituli ac privationi) incompatibilitatem inducere.

S. C. C. die 3. Mart. 1703 *Ferrariens.* 27. Mart. 1707.

9) Coadjutorum Canonic.

Vd.: *Coadjut. Canon.* (resid.); *Residentia* (parochi, oblig.)

10) Commendatarii.

Commendatarii non tenentur residere, *Primo:* si monasteria carent omni prorsus cura et conventu. *Secundo:* vel si habeant tantum Jurisdictionem temporalem. *Tertio:* si vel cura animarum sacramentalis soli conventui incumbit, non autem personae commendatarii. *Quarto:* si vel Jurisdictionem spiritualem, quam ex concessione Sedis Apostolicae habent, non possint actu exercere, quia de facto prohibentur. *Quinto:* amplius licet Jurisdictionem

spiritualem exerceant, non ideo tam tenentur residere ex hoc Concilii decr. *sess. 23. cap. 1. §.: Eadem omnino,* quod licet exprimat de curatis et aliis quibuscumque beneficiis animarum curam habentibus, quae verba ad solam quoque Jurisdictionem spiritualem referri possent, cap. *Dudum* et cap. *Multae* et *extravag. Execrab.* d. c. Super eo, tamen intelligendum est, de sola cura animarum sacramentali et ideo, qui solam curam Jurisdictionis spiritualis habent, non comprehenduntur in decreto neque poenis in eo inflictis subjacent sed tantum poterunt cogi residere, prout ante Concilium tenebantur, ad terminos cap. *Dudum* in 6. et d. cap. *Super eo* et d. *extravag. Execrab.*, ad quod etiam jus vetus videtur Concilium alibi se retulisse. Si vero cura animarum sacramentalis seu monachorum seu personarum saecularium incumbit personis commendatariorum, tenebuntur residere ex decreto *Conc. sess. 23. cap. 1.*

Declar. S. C. C. Interp. ad verba Concilii Tr. sess. 6. cap. 2.: *In titul. et commendam etc.* (Ed. Gallemart. 1751 p. 81.)

11) Dispensatio.

a) Causae.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig., causae excus., Constit. Bened. XIV.).

b) Episcopi facultas.

Vd.: *Resid. Benef.* (Oblig. decr. die 14. Dec. 1833; 13. Julii 1743.)

Non datur facultas Ordinariis dispensandi a residentia ex quavis ratione per verba S. C. Tr. sess. 6. cap. 2.: *Expediens videbitur etc.*

Declarat. S. C. C. Interp. (Ed. Gallemart. 1616 p. 28.)

12) Episcopi.

a) Qui simul Canonicat. obtinet.

Vd.: *Resid. Canon.* (Qui simul Episcop. obtinet etc.)

b) Ad Cathedr. suam.

Vd.: *Resid. Episcopi* (Oblig., causae etc. Constit. Bened. XIV.; locus et modus.).

S. C. C. teste Pignatello Consult. Canonic. tom. 7. consult. 64. n. 15. et 16. ita censuit et declaravit his verbis: „Posito decreto Concilio Tridentini cap. 1. sess. 6. et cap. 1. sess. 23.: An Episcopi temporibus praescriptis in d. *cap. 1. sess. 23. vers. eosdem interim admonet etc.*, in Ecclesia sua residere teneantur, an vero satis sit, ut in *dioecesi* resideant? S. Cong. etc. articulo hujusmodi accurate discusso censuit: Episcopos temporibus, ut supra praescriptis, teneri in Ecclesia Cathedrali residere nec satis esse, ut in dioecesi resideant, ita ut aliter suae obligationi non satisfaciant, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent. Caeterum non incidere in poenas a Sancta Synodo Episcopis non residentibus inflictas, dummodo in dioecesi resideant." Eademque S. C. die 3. Sept. 1622 in una *Cassan.* censuit: Episcopum, si non accedat ad Cathedralem temporibus a Concil. praescriptis, licet male faciat, non tamen incidere in privationem fructuum impositam a d. Concil. contra non residentes. Apud *Nicolium* in Flosc. v.: *Episcopus* n. 39. Et in *Urgellen.* residentiae disceptato ad preces Capituli dubio. „An in casu, quo Episcopus non resideat in Cathedrali temporibus praescriptis a S. C. Tr., veniat puniendus, qua poena et a quibus in casibus?" sub die 5. Septb. 1705 rescriptum fuit: dilata et ad mentem, quae, ut inquit Scarfantonius ad Ceccoper. elucub. Canon. t. 3. addit. 17.

n. 7., ubi d. resolutionem refert, probabiliter fuit, Episcopum per literas monendum esse de sua obligatione ad formam ejusdem Concilii, non vero alicui poenae esse obnoxium. Ita in terminis in Thesaur. resolut. S. C. C. tom. 9. part. 2. p. 8 et seq.

Episcopum teneri saltem diebus a Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de Ref. praescriptis residere in Ecclesia Cath. ibique s. functiones explere.

S. C. C. die 13. Aug. 1650 *Valven;* 5. Sept. 1705 *Urgellen.;* 3. Sept. 1740 *Calagurit. et Calceaten.*

c) Extra civitatem episcopalem.

Aliphana.

Ob exiguum inhabitantium numerum et loci incommoditatem Episcopi Aliphani jam antea residere plerumque consueverunt in Oppido Pedemontis tribus vere passuum millibus a civitate Aliphi distante hancque porro residentiam firmius inibi fixerunt ab anno 1688, quo tempore vi ingentis Terraemotus civitas illa maximum passa fuit excidium et praesertim Ecclesia Cathedralis funditus eversa corruit. Constructa tamen eadem Ecclesia a fundamentis sumptibus Universitatis usque ab anno 1692 institum fuit in S. C. C., ut Canonici ejusdem Cathedralis, quibus per modum provisionis ad recitanda Divina Officia assignata fuerat loco Cathedralis altera ex Collegiatis Ecclesiis Oppidi Pedemontis, cogerentur redire ad officiandum in eadem Ecclesia Cathedrali jam constructa, hinc proposita causa sub die 24. Jan. 1705 fuit resolutum: esse cogendos praefatos Canonicos ad residentiam et officiaturam in d. Cathedrali. In hujus rescripti sequelam curavit Episcopus, ut Canonici proprio muneri satisfacerent residendo in eadem Cathedrali, ipse tamen eam dereliquit in maximum praejudicium cultus Divini, continuando suam residentiam fere semper in Oppido Pedemontis. Quapropter Capitulum recurrit ad hanc S. C., ut dignentur EE. PP. decernere, teneri Episcopum ad formam dispositionis Sacri Conc. Trid. cap. 1. sess. 23. de Ref. personalem residentiam facere in civitate Aliphana apud suam Cathedralem, saltem tempore Adventus, Quadragesimae aliisque solemnioribus; proindeque sequens dubium EE. VV. definiendum proponitur: *An et quomodo sit in praemissis consulendum?*

S. C. resp.: Dentur decreta s. Cong. Conc. hac in re edita et signanter sub die 24. Nov. 1622.

Die 29. Febr. 1712.

Stagnen.

Pluribus adductis rationibus in folio distributo in praeterita Cong. habita die 23. Dec. anno 1710 supplicavit Episcopus pro Indulto abessendi in mensibus Maji et sequentibus usque et per totum mensem Novembris quolibet anno a civitate Stagni, ita tamen, ut residentiam perageret in civitate Ragusina inde distante solummodo per 25 milliaria; cui petitioni Sac. Cong. annuit pro mensibus aestivis et autumnalibus, comprehensis conciliaribus ad triennium, et facta relatione SS. D. N., idem approbavit resolutionem pro anno exinde subsequenti, ita ut deberet quolibet anno praefati triennii denuo recurrere pro simili Indulto reportando. Cumque denuo recursum habuerit idem Episcopus ad eundem SS. pro habendo Indulto praefato sua vita durante, Sanctitas Sua remisit instantiam ad hanc S. C. quam hodie Orator humillime exorat cum libello novis juribus fulcito, pro concessione saepedicti Indulti sua vita naturali durante cum favorabili responso ad infrascrip-

tum dubium: *An et quomodo Oratoris precibus si annuendum?*

S. C. resp.: Gaudeat impetratis nempe ad quatuor menses comprehensis conciliaribus pro praesenti anno.

Die 29. Febr. 1712.

d) Extra suam Dioecesim.

I. Non licita.

Alerien.

(Conc. Tr. sess. 6.; sess. 23. cap. 1.)

Tota dioecesis Alerien. in Insula Corsicae bellorum calamitate devastata et natura ipsa inculta et efferata haud patitur, ut Episcopus tuto et commode in ea commorari valeat, nullumque locum habet, in quo clerus et populus congregari possit. Omnes fere Antecessores Episcopi, qui in ea domicilium figere aggressi sunt, in adversam valetudinem inciderunt. Regionis solitudo et gentis indoles asperrima praejudicium non modicum ac periculum maximum invehit dignitati et auctoritati Episcopali. His quippe ac aliis causis adductus san. mem. Pius V. suo motu proprio ac ex certa scientia bon. mem. Alexandro Paulio tunc Episcopo Alerien., ut extra praefatam Aler. dioecesim in Oppido nuncupato Della Bastia dioecesis Marianen. non procul a d. dioecesi Alerien. distante, ac ad justitiam administrandam et ad pericula evitanda ac Dignitatem tuendam opportuno, resideret et commoraretur, concessit et indulsit. In eoque Oppido, in quo ex antiqua consuetudine Tribunal Curiae Alerien. stare et exerceri consuevit, Pontifex praelaudatus eidem Episcopo Paulio Curiam et Tribunal Episcopale in spiritualibus et temporalibus instituendi, retinendi, functiones Ordinum jurisdictionemque in omnibus causis cujusvis licentia desuper minime requisita in suos proprios dioecesanos tantum, citra praejudicium caeterorum Episcoporum, caeteraque omnia perinde, ac si in propria dioecesi existeret, peragendi et exercendi facultatem et potestatem fecit. Cum autem hodie dioecesis praedicta Alerien. ex temporum injuriis subsequutis majoribus calamitatibus conflictetur, cum in ea deficiant medici et medicamenta, omnium rerum penuria versetur, continuae caedes committantur, ita ut quam durissima evaserit Episcopi residentia, idcirco modernus Episcopus Alerien. Raphael Raggius humiliter supplicavit SS. D. N. precibus ad hanc S. Cong. remissis pro gratia similis praememorati Indulti concessi a s. m. Pio V. Episcopo Paulio.

Requisitus informare Episc. Marianen. retulit Terram Campolaurei, in qua resident Episcopi Alerien., trigesimo a supradicto Oppido Bastiae distare milliario, distantiam vero, quae est ab ultimis finibus d. dioecesis ad dictum Oppidum Bastiae, minorem asserit quam a loco Campolaurei, ut ex notula, quam transmisit. Caeterum omnia recensita in precibus Oratoris veritate niti et eadem fere esse, quae narrata fuerunt in praemisso Brevi s. m. Pii V., asseveravit. Censuit itaque indulgendum petitioni ipsius Oratoris, dummodo tamen, quoties voluerit Jurisdictionem exercere, petat licentiam ab Ordinario Marianen, quemadmodum huic sensui inquit sese conformasse eumdem Alerien. Antistitem. Quapropter preces reiterat Orator coram EE. VV. cum sequenti dubio:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 29. Febr. 1712.

Quum Episcopus Gurcensis petiisset indultum, ut praeter tres menses a Conc. Trid. concessos per alios tres menses in praedio ab ipso cum aliis bonis empto in dioecesi Salisburgensi sito ei habitare liceret, quamvis prae-

dium illud dioecesi ejus conterminum esset et facillime se ex eo s. functionibus vacare posse affirmaret, S. C. resp.: Negative. Die 19. Febr. 1718.

II. Licita.

Delatae fuerunt preces ad Sac. Cong. Episc. et Regularium referentes Episcopum Campanien. et Satrianen. in provincia principatus citra regni Neapolis a pluribus annis Neapoli commorari in maximum praejudicium dioecesis derelictae, retinendo in illius gubernium Vicarium generalem civem ac juvenem, ac remissa Instantia quoad punctum residentiae ad hanc Sac. Cong., fuit requisita informatio secreta, ex qua elicitur Episcopum praedictum abfuisse et in praesenti abesse a sua dioecesi duobus circiter ab hinc annis moram faciendo in civitate Neapolis Podagrae et Chiragrae morbis affectum, ex quibus adjuncta gravi aetate impeditur, quominus a propria Domo discedere queat. Ex regestis Sac. Cong. nullum Indultum abessendi constat eidem Episcopo fuisse concessum. Quibus praemissis erit summae prudentiae et justitiae EE. PP. decernere:

An et quomodo in praedictis sit consulendum?

S. C. resp.: Ad mentem D. Secretario cum SSmo.

Die 29. Febr. 1712.

e) Episcopi dioecesium unitarum.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1. sess. 23.)

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 24.; cap. 2. 3. sess. 25. De Ref.)

Ad dubium: An et quomodo Episcopus Cariaten. teneatur residere in Cathedrali Geruntina?

S. C. C. resp.: Negative et Episcopus curet residere etiam in Ecclesia Geruntin. saltem in aliquibus diebus solemnioribus.

Die 2. Octbr. 1706, 11. Febr. et 18. Aug. 1708; 12. Febr. 1724.

Episcopum Castellanum *et* Hortanum in aliqua parte alterius ex dictis dioecesibus residentem suae obligationi satisfacere circa residentiam, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus resideat temporibus ab eodem Conc. Trid. praescriptis decreto cap. 1. sess. 23.

Die 18. Junii 1624.

Idipsum confirmavit die 13. Aug. 1650 in *Valven et Sulmen.*

Ad dubium: An Episcopus Viterb. et Tuscan. teneatur residere in civitate Tuscana per aliquod temporis spatium singulis annis?

S. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones Pontif. peragere in Ecclesia Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 4. *Viterb. et Tuscan.*

Ad dubium I.: An Episcopus teneatur saltem diebus praescriptis a S. C. Tr. sess. 23. de Ref. cap. 1. residere in alterutra ex cathedralibus ibique sacras functiones explere? Et quatenus affirmative;

II.: An et quibus poenis subjiciendus sit in casu non residentiae?

S. C. C. in *Calaguritana et Calceaten* die 3. Sept. 1740 censuit: teneri (ad residendum). Quod vero secundum dubium nihil respondit.

f) Locus et Modus.

Vd.: *Resid. Episcopi ad Cathedr.*

Episcopus habitare debet in Palatio Episcopali, non autem in domo Consanguineorum.

Die 8. Aprilis 1603 *Campaniae;* 26. Aug. 1616 *Montis alti.*

Multo minus habitare cum mulieribus. Die 15. Sept. 1618 *Messan.;* praesertim in Palatio episcopali, die 10. Nov. 1618, apud Nicolium in Flosculis verb.: *Episcopus* n. 82.

g) Obligatio, causae excusantes, poenae.

Dil. Fr. Episcopis per Gallias etc. constitutis.

Vigilius.

Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine fratris Auxanii (Vicarii Sedis ap.) et coëpiscopi nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci.

Die 21. Maii 545.

Auctoritate apost. mandamus, ut nullus sine praedicti (Vicarii apost.) formata ad longinquiora loca audeat proficisci. Anno 546.

Joannes VIII. PP. Episcopis Galliae.

Hoc vos praevidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine praefati fratris et coëpiscopi nostri Rostagni auctoritate tentet aliquo modo proficisci: scientes quia et praedecessorum nostrorum, qui vices suas ejus praedecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur praeterea, ut de Officio suo sit quisque vestrum sollicitus et qui promissam cupit patriae mercedem portionis accipere, commissum sibi gregem sollicitudine et oratione custodiat: ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet et sit in retributione poena pro munere.

Die 28. Apr. 878.

(Bull. r. t. I. p. 351. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Gregorius XI. Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Ecclesiarum omnium, quibus, disponente Domino, licet insufficientibus meritis, praesidemus, animum nostrum jugiter pungit et excitat, ut illarum occuramus dispendiis et, prout nobis ex alto conceditur, utilia procuremus.

§. 1. Sane considerantes attente, quod Ecclesiarum et monasteriorum praelati ac rectores ad hoc in eis sunt positi, ut in illis personaliter resideant et commissos eis greges pascant pabulo verbi Dei, divinis vacent et faciant vacare Officiis, errata corrigant, prava compescant, deformata reforment, gubernent temporalia bona ipsorum et pauperum usibus deputata aliaque incumbentia ipsis supportent onera et ministeria exequantur. Mirari admodum cogimur et dolore, quod nonnulli ex eis, non sine gravi Dei offensa, postposita verecundia, obauditis justis suorum lamentationibus subditorum, de damnisque suarum ecclesiarum multiplicibus, tam spiritualibus quam temporalibus, non curantes, sponsas suas tanto derelinquunt tempore, quod quasi viduae reputantur, Curiamque Romanam non pro ipsarum ecclesiarum necessitatibus aut notabilibus et veris utilitatibus sed exquisitis occasionibus frequentare praesumunt, ex quibus animarum pericula, pullulatio vitiorum, dissolutorum morum incorrectio, diminutio divini cultus, ecclesiasticorum aedificiorum ruina et lapsus rerum populorumque scandala aliaque mala plurima provenire noscuntur.

§. 2. Nos igitur tot et tantis malis et periculis congruis obviare remediis cupientes universos et singulos Patriarchas Archiepiscopos et Episcopos, Abbates, Electos, Priores, Decanos, Praepositos ac Archidiaconos quarumcumque ecclesiarum ac monasteriorum ac prioratuum aliosque majores in cathedralibus post pontificales et principales in collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, quocumque nomine

nuncupentur, tam saeculares quam regulares, necnon parochialium ecclesiarum rectores in Curia praedicta vel prope illam per duas dietas, non tamen in locis ecclesiarum et monasteriorum suorum morantes ad praesens, exceptis iis, quos ad nostra et Romanae Ecclesiae retinemus obsequia, per nos nominatim declarandis, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus eis districte praecipiendo mandantes, quatenus usque ad festum Resurrectionis Dominicae proxime secuturum recedant de Curia praelibata ad commissas eis Ecclesias, monasteria et prioratus, quamcito commode poterunt, profecturi et in eis facturi personalem residentiam, ut teneantur.

§. 3. Patriarchae vero, Episcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Praepositi, Archidiaconi aliique hujusmodi Dignitates majores et principales obtinentes, ac rectores parochialium ecclesiarum, qui ad praedictam Curiam venient in futurum vel in ea ad Ecclesias et monasteria seu Dignitates hujusmodi contigerit promoveri, in illa sine nostra vel alterius, quem ad hoc duxerimus deputandum, speciali licentia, de qua per nostras aut ejusdem per nos deputandi literas constet, ultra tres menses a die, qua eamdem Curiam intraverint seu promoti fuerint, numerandos, non audeant commorari, sed ad suas Ecclesias et monasteria revertantur et in eis etiam residentiam faciant, ut praefertur.

§. 4. Et ut obvietur fraudibus, ad praefatam Curiam absque dicta licentia non redeant infra annum a tempore recessus hujusmodi computandum. Si vero aliqui ex praedictis praetendant aliquam justam causam habere, propter quam in ipsa Curia habeant moram trahere ultra terminos supradictos, illam coram nobis vel eidem per nos ad hoc deputando infra ipsos terminos allegare ac nostrae vel ejusdem deputandi responsionis oraculum habere ac observare procurent.

§. 5. Alioquin omnes et singulos, qui, contra monitionem et mandatum nostra hujusmodi, in eadem Curia morari aut ad illam infra dictum annum redire, ut praefertur, praesumpserint, cujuscumque status, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi patriarchali, archiepiscopali aut episcopali praefulgeant Dignitate, non obstantibus quibuscumque licentiis, privilegiis seu indultis contrariis per nos vel quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices concessis eisdem, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus esset praesentibus specialis et expressa mentio facienda, quae per praesentes penitus revocamus, elapsis dictis terminis, excommunicationis sententiam incurrere volumus eo ipso, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant absque nostra vel successorum Romanorum Pontificum licentia speciali.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum mandati et voluntatis infringere etc.

Datum Avenione die 25. Januarii 1372.

(Bull. r. t. IV. p. 535. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Vd.: Bull. r. t. V. p. 269, quod continet decretum *Urbani VIII.* de residentia; decretum *Alexd. VII.* die 26. Julii 1662 (*Ibid.* t. VIII. p. 427); decretum *Clem. XI.* de die 17. Junii 1715 (*Ibid.* t. VIII. p. 426).

Benedictus PP. XIV.

Jam scitis, fratres, divino praecepto mandatum esse omnibus animarum pastoribus, oves suas agnoscere easque verbi divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum

omnium operum exemplo pascere, hisque ac caeteris pastoralis Officii muniis satifacere, ut par est, minime posse eos, qui gregi suo non invigilent neque assistant vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet et personalem in Ecclesia vestra vel dioecesi residentiam servetis, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus gen. Conciliorum decretis et constitutionibus PP. luculenter declaratum praescriptumque est.

Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres menses singulis annis pro libitu aut quacunque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam hujusmodi aequa requirat causa simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem judicem futurum esse eum, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, ideoque videte, ut causa talis vere sit, quae probari jure possit supremo huic pastorum principi, a quo ovium vobis creditorum sanguis est quantocius requirendus; in quo quidem judicio frustra pastor contenderet ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente se ac inscio, abductas devoraverit; nam si res penitus inspiciatur, satis opporet nullum prope malum aut scandalum in dioecesi sic destituta contingere, quod non sit ei adscribendum, cujus erat, subditos a recta semita deflectentes revocare monitis, alicere exemplis, voce confirmare, auctoritate et caritate continere. Porro quis etiam non intelligat, multo satius esse negotio alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra dioecesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi et gubernandi gregis ab eo per se non per administratores curari? Sint enimvero quantumvis idonei probatique ministri, non tamen eorum vocem sic solent audire oves ut vocem veri sui pastoris; nec vicariam illorum operam supplere satis vigilantiam atque operam ipsius Episcopi, cui peculiaris Spiritus s. gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

Epist. Bened. XIV. ad Episc.
Die 3. Dec. 1740.
(Bull. r. t. XVI. p. 4.)

Constitut. Leonis XII. de die 3. Maii 1824 (Collectio Gener. Archid. Monaco-Fris. I. 118).

Residentia in propriis dioecesibus Episcopis Hiberniae inculcatur.

Bened. PP. XIV.

Grave et permolestum Nobis accidit compertum habere, nonnullos Hiberniae Episcopos adeo muneris sui et animarum curae sibi commissarum esse oblitos, ut alter, ex quo jampridem Episcopale regimen susceperit, nunquam hactenus in dioecesi resederit, alter, transacto vix cum ovibus suis mense, Angliam, deinde Galliam, Belgium Germaniamque peragraverit, nonnulli vero semel in anno aestivo tempore, paucis quidem diebus, quasi relaxandi animi causa, ad Ecclesiam sibi traditam accedere consueverint. Hoc autem quanto Nos dolore confecerit, verbis explicare satis non possumus. Quid enim aliud ex tam absurda Episcoporum absentia cogitare possumus, nisi certam populorum calamitatem aeternamque animarum perniciem? Experientia quippe didicimus et oculis prope Nostris vidimus in ipsa Italia ecclesiasticam disciplinam, pietatem et mores in deterius ire, si quando Episcopum a Sede sua diutius abesse contigerit, quamquam in Italia non desint et parochi vigilantes et Ecclesiastici plurimi docti ac probi tam Saeculares quam Regulares, imo et Vicarius probitate vitae, scientia

usuque ecclesiasticarum rerum valde peritus, qui absentis Episcopi partes pro viribus expleat. Quid vero sperandum aut quid mali non metuendum, ubi summa Ecclesiasticorum paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos versari debent, et ab ipsis Magistratibus saepe religionis causa vexari solent?

§. 1. Non est autem, cur Nos in praesens novas leges aut poenas ad coërcendam ejusmodi licentiam statuamus, cum dubitare minime possimus, vos non ignorare, quam graviter stricteque per sacros Canones apostolicasque Constitutiones, tum maxime per Concilium Tridentinum Episcopis injungatur in Ecclesiis suis residere et oves sibi creditas nullo unquam tempore extra summam necessitatem deserere. Qua de re etiam nomine VV. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum nonnullos ex vobis admonitos fuisse certo scimus. Cui sane residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium a se Substitutum seu Vicarium Ecclesiam regunt, nisi forte ad breve tempus et gravi de causa id fieret.

§. 2. Neque vero opus esse censemus, viros doctos et sacrarum literarum apprime calentes, quales Vos estis, docere de differentia residendi, quam materialem et formalem vocant. Quis enim vestrum, Venerabiles Fratres, ignorat, tunc Episcopum materiali modo in Ecclesia sua residere, cum neque Verbum Dei voce et exemplo disseminat, neque a semita justitiae deflectentes revocat, neque periclitantibus opem et auxilium defert, neque demum adversus lupos rapaces, qui in vestimentis ovium saepe intrant ovile, ut rapiant et mactent, sedulo invigilat fortiterque se opponit? In qua sane vigilantia ac pastorali sollicitudine potissimum sita est vera et formalis residendi ratio. Alloquimur profecto viros theologos, humanarum divinarumque rerum scientissimos, qui probe intelligitis, curam et salutem animarum opus esse divinum et onus angelicis, ut ajunt, humeris formidandum, oves dominicas pascere, quarum de manibus vestris sanguinem summus pastor aliquando requiret, si quae forte vitio aut negligentia vestra perierit. Neque enim se quisquam excusatione tuebitur, quod illae se inscio aut absente substituti alicujus aut Vicarii oscitantia aberraverint. Unicuique enim vestrum singulatim ab oraculo divino districte denunciatur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Vobis igitur, non alteri, pascendi oves praeceptum datum est. Vobismet ipsis spiritualis animarum salus innititur, et vos illam suscepistis, de ipsis rationem reddituri. Proinde vobis non immerito tribuetur inopia Verbi Dei, Sacramentorum neglectus, corruptela morum et omnis eorum, qui ignorant et errant, miseranda pernicies.

§. 3. Nos itaque haec omnia non sine lacrymis considerantes hortamur vos et per amantissima Jesu Christi viscera, cujus vices in terris, licet immerentes, gerimus, obsecramus, ut animarum vestrarum non minus quam earum, quae fidei vestrae traditae sunt, miseratione moti, malis hisce tempestive occursatis, habentes prae oculis judicium illud durissimum, quod Princeps Pastorum faciet iis, qui Ecclesiae praesunt et populum suum salvum non faciunt. Ponite vobis ante oculos clarissima et quidem domestica tot sanctorum Episcoporum exempla, qui charitate pleni et de animarum salute, ultra quam dici possit, solliciti, Hiberniam catholicae fidei zelo illustrarunt eamque pietate et religione florentissimam effecerant.

§. 4. Memoria recolite s. Patritium, Hiberniae apostolum nuncupatum, quem s. Coelestinus Praedecessor Noster ad vos misit, cujus apostolicae legationis et praedicationis uberrimus fructus extitit, ut Hibernia antea idolorum cultrix, mox Sanctorum insula diceretur et esset.

§. 5. Recolite s. Malachiam Archiepiscopum Armachanum et Legatum apostolicum per universam Hiberniam ab Innocentio II. Praedecessore Nostro constitutum, cujus ingens animarum studium a s. Bernardo quasi coloribus expressum legimus: „Stetit Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis, monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat, circumiens civitatem perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed et foris rura et oppida nihilominus saepius percurrebat, ibat et erogabat vel ingratis coelestis tritici mensuram, nec vehebatur equo sed pedes ibat, et in hoc se virum apostolicum probans.“ Haec s. Bernardus.

§. 6. Sed et sinceriora percurrite s. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis acta, quem regio sanguine ortum Legatum apostolicum in Hiberniam Alexander III. Praedecessor Noster in Concilio Lateranensi III. selegit eique postea Honorius III. pariter Praedecessor Noster solemni ritu Sanctorum honores decrevit; atque inde facile intelligetis, quae quantaque pro grege suo vir apostolicus fecerit atque pertulerit.

§. 7. Quod si recensere voluerimus sanctissimos viros, Columbanum, Kilianum, Virgilium, Rumoldum, Gallum aliosque plures, qui ex Hibernia in alias provincias catholicam fidem invexerunt aut illam per martyrium effuso sanguine collustrarunt, plus nimio epistolae modum excederemus. Satis sit eos breviter indicasse, quo facilius in memoriam revocetis, quae fuerit majorum vestrorum religio ac pietas, quae quantaque dignitatis episcopalis sollicitudo, quae quidem illos gloriosos ac beatos effecit. Horum sane vestigiis ut vos, quantum fieri potest, insistatis, iterum in Domino rogamus et obtestamur.

§. 8. Confidimus autem plurimum, ut vos, non tam paternae hujus admonitionis Officio quam conscientiae vestrae stimulis excitati in dioecesibus vestris in posterum resideatis et gravissimum pascendi oves debitum serio accurateque persolvatis. Quod si vestrum quispiam vel ratione provectioris aetatis aut aegrae valetudinis impedimento se pastorali muneri revera imparem sentiat, is Coadjutorem sibi dari a Nobis petat Nobisque simul indicet, quem ipse idoneum ad illud munus fore judicaverit; nam statim ac erimus de ejus probitate, doctrina aliisque ad Episcopatum necessariis satis instructi, Coadjutorem haberi indulgebimus.

Apostolicam interim benedictionem Nostram paterno affectu vobis impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 15. Aug. 1741. Pontificatus Nostri anno primo.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 63.)

Benedictus PP. XIV.

Ad universae christianae reipublicae statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam et fidelium populorum salutem tam magni refert singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis praepositos, in ipsis Ecclesiis vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus Canonibus atque Decretis aut

apostolicae Sedis Constitutionibus et Sanctionibus tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta praetereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Trident. Synodus *sess. 6. cap. 1. de Reform.*, tum ea quae recol. mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. praescripsit in sua Constitutione data apud s. Petrum die 12. Decbr. anni 1634, quae incipit: *Sancta Synodus*, et in qua praecedentes aliorum romanorum Pontificum Pii IV., Greg. XIII. et Clementis VIII. leges et Constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas literas, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos de implendo hujusmodi residentiae onere identidem admonendos ab hac apost. Sede mitti consueverunt, ut patet ex Epistola jussu Ven. Servi Dei Innocentii PP XI. Praedecessoris quoque Nostri scripta die 5. Febr. anni 1678, item ex alia die 24. Dec. anni 1707 a fel. record. Clemente PP. XI. ad suum et apost. Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius regni Praesules ad residendum in propriis Ecclesiis et dioecesibus adigerentur, necnon ex ejusdem Clementis literis in forma Brevis datis die 25. Maii anni 1709 ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque dioeceses.

Neque porro Nos hac in re apostolici Officii Nostri partes desiderari permisimus. Vix enim insrutabili divinae providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem Praedecessorum Nostrorum morem in usum revocantes ad Ven. Fratres omnium per orbem Ecclesiarum Antistites apostolica scripta direximus, quibus inter caetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis peculiari studio iis inculcare et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia concreditis ipsi dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est in §. 4. Epistolae encyclicae die 3. Dec. anni 1740 a Nobis conscripta, quae in tomo I. Bullarii Nostri nuper vulgati num. II. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam acerbo animi Nostri dolore nonnunquam acceperimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc observando, nunc increpando, absentes quidem per literas, praesentes vero ipsa voce ad debitum residentiae Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes in Nostra et Cancellariae apostolicae regula, qua beneficia ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus, nimirum ut quamdiu ipsi apud Ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter residerent, de beneficiis hujusmodi ecclesiasticis, quae extra romanam curiam in Februarii aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositione apost. reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus, quo scilicet iidem Episcopi et majorum Ecclesiarum Praesules ampliorem potestatem in beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes hac etiam apost. Nostrae liberalitatis gratificatione illecti

ad personalem residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt et hujusmodi occasiones incidere, propter quas praevio rom. Pontificis assensu et approbatione liceat Episcopo a propria Ecclesia et dioecesi per aliquod definitum tempus abesse, *ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae residentiae reum constituit,* ideo et in Conciliis et in apost. Constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa tolerabilia temporum spatia providae statutae leges et regulae reperiuntur. *Et quidem justae ac legitimae absentiae causae* a praefata Tridentina Synodo citat. *cap. 1. sess. 23. non aliae agnitae fuerunt, quam christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia et evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas.* Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum Canonum sententia, *minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt et statim sunt reversuri, omnibus Ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duas aut tres ad summum menses, sive continuos sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari, eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis Cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis dioecesium suarum locis eos detinerent;* eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id *aequa ex causa fiat;* quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas aliaequae futiles causae penitus excluduntur.

Praefatus autem Praedecessor ad peculiares occurrentes casus descendens *Episcopis in curia promotis unum concessit mensem* (quem postea déclaratum fuit a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse), *quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent.* Sed quum in Concilio Rom. habito a fel. record. Bened. PP. XIII. Praedecessore pariter Nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, *idem Benedictus facultatem concessit Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali suo* et Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejusque districtu Vicario, *ut praefatum unius mensis terminum, juxta casuum contingentiam et causa cognita ad alios quadraginta dies, et non ultra, prorogare posset.*

Paeterea *Episcopis ad Sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus supradictus Urbanus Praedecessor indulsit, ut qui Ecclesiis citra montes et citra mare positis praesiderent, per quatuor, qui vero ultramarinis et ultramontanis Ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a residentia in suis respective Sedibus facienda hujusmodi visitationis gratia excusarentur.*

Cum vero idem Urbanus declarasset se per ea, quae in suis praefatis literis constituerat, *minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam,* hinc plures ortae quaestiones et varia condita sunt Decreta ab eodem Urbano ejusque Successoribus approbata; cujusmodi sunt, *non licere trimestrem absentiam praedictam conjungere sive cum eo tempore,* quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum visitationem eisdem

concessum fuit; *neque fas esse absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis, sicut etiam vetitum est praedictos menses conjungere cum eo anni tempore, quo propter aëris insalubritatem alicui Episcopo permittitur extra dioecesim duci contingat; denique ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra dioecesim duci contingat; denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coërcere*, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

Et quoniam Tridentina Synodus sub legibus de residentia hujusmodi ipsos etiam Sanctae Roman. Ecclesiae *Cardinales nominatim comprehendit*, praefatus Urbanus Praedecessor, advertens nonnnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui patriarchali seu metropolitanae aut episcopali Ecclesiae praepositus unum simul ex Episcopalibus Suburbicariis obtineret, constituit, *ut hujusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis non autem apud Episcopatus Suburbicarios residere tenerentur.*

Denique tam in praedicto Concilio quam in citata Urbani Constitutione contra Transgressores hujusmodi legum, quae ad residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt, quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori causarum curiae camerae apostolicae, verum biennio post totam hujus materiae cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc et pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario necnon ejusdem Pontificis Detario et Secretario Status ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac interpretationi et executioni Decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositarum. *Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut*, justis ex causis et cum consilio praedictorum Praelatorum, *concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis et dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta*, ut in ipsius Urbani literis datis die 1. Jan. anni 1636 distinctius praescribitur.

Hujus Congregationis Caput seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens, quemadmodum ejusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis, unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti Officio Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Trident. interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super residentia Episcoporum simul sustinuimus.

Quae sane Congregatio, ut ex illius Secretariae Regestis apparet, tam ipsius Urbani Praedecessoris temporibus quam aliis subsequentibus non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem. Praedecessore pariter Nostro Clemente PP. XI. in usum revocatum fuit et identidem peractum, Nobismetipsis praefatum Secretarii munus obeuntibus confectisque a Nobis et impressis foliis ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, quum *praeter causam canonicam ex-*

pressa quoque licentia romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria, excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concil. Episcopor. abscedentium conscientiae relinquat de aequitate causae judicium facere; hinc est, quod quaecumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per speciale Chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes hujusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur, quem sane morem a praedecessoribus Secretariis invectum Nos quoque servavimus.

Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam et decem apud Bononiensem Ecclesias regimini Nostro successive commissas assidue residendo transegimus, in Urbem reversi et ad apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus, Congregationis praefatae sessionis materia forsan deficiente non amplius frequentari comperimus neque porro chirographa aut folia signanda Nobis oblata fuerunt, sed facta Nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super executione et interpretatione Concilii et super residentia Episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus hujusmodi petitiones innitebantur, relatione, nostroque desuper accepto responso, opportuna singulis Decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam saepedictae Congregationis super residentia Episcoporum Praefecto, signari consueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus, visum est Nobis motu proprio et ex certa scientia, non solum pro debita, ut ajunt, actus solemnitate sed etiam pro ipsius rei subsistentia et pro maturiori examine causarum, quae ad hujusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas apostol. auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

Primum itaque relata superius Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decreta, *sess. 6. cap. 1., sess. 23. cap. 1. de Reform.* laudatasque rom. Pontificum Praedecessorum Nostrorum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. et Urbani pariter VIII. Constitutiones et Ordinationes necnon omnes et singulas, quas supra innuimus, resolutiones apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes, et tam Decretorum quam Constitutionum, Ordinationum et Resolutionum hujusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes et haberi volentes, illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes et confirmantes, omnia et singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat et pro tempore in posterum spectabit, attendi et in his omnibus, quae Nostris hisce literis non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus et in virtute sanctae obedientiae mandamus atque praecipimus, non obstantibus quibuscumque privilegiis aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse aut allegari contingat, motu ac scientia simili ac de praedictae apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine derogamus ac derogatum esse volumus et decernimus.

Secundo loco et consequenter ad praemissa adversus praedictarum legum et Constitutionum Transgressores *omnes et singulas poenas in eisdem Decretis et Constitutionibus latas et comminatas auctoritate quoque Nostra*

confirmamus et innovamus, amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento seu justis et rationabilibus causis cessantibus et absque expressa, ut praefertur, apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint, et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi hujusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur, ut in praedicto Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 1. de Reform.* statutum fuit; *incursus quoque in peccati mortalis reatum et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos nulla etiam praevia declaratione eosque erogandi in Ecclesiarum fabricas seu in subventionem pauperum ipsius loci*, quacumque conventione seu compositione pro hujusmodi fructibus male perceptis prohibita, ut in eodem Concilio *sess. 23. cap. 1.* praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV. Praedecessore *poenam amissionis facultatum testandi et disponendi*, si quae transgressoribus hujusmodi competere dignoscantur, *necnon inhabilitatis ad majores Dignitates et Ecclesias obtinendas*, quam praefatus quoque Praedecessor Clemens VIII. indixit, *per omnia confirmamus et innovamus.* Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, *ut iidem transgressores omnibus et singulis indultis et privilegiis, quae forsan ipsis, tamquam Pontificio solio assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur:* Decernentes, *sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa et expressa romani Pontificis licentia extra proprias dioeceses commorantur, sed eos etiam, qui hujusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint vel ea semel rite recteque obtenta praescriptos in eadem limites ac praefinitum tempus praetergressi fuerint.* Quod si nihilominus aliqui non minus canonica statuta quam propositas hujusmodi poenas contemnentes in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint, volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi juxta mentem ejusdem Concilii Tridentini, quod in citato *cap. 1. sess. 6.*, rom. Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis auctoritate in hujusmodi transgressores ad severiorem Sacr. Canonum normam animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super residentia Episcoporum ab Urbano PP. VIII. institutae exercitium atque sessiones resumantur, confirmantes ipsius praefecturae munus dilecto filio Nostro Joanni Antonio Tituli s. Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Nostro in Urbe ejusque districtu in spiritualibus Vicario ejusque in Officio Vicariatus hujusmodi Successoribus, sicut etiam Officium Secretarii ejusdem Congregationis dilecto filio Magistro Joseph Alexandro Furrietto ejusque Successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Trid. Interpretum Secretariis eosdemque statuentes in hujusmodi Congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere et suffragium ferre, quicumque ea officia et munera obtinent sive obtinebunt in posterum, quae in praecitatis Urbani Praedecessoris literis designantur. Praeterea quum minime expediat hujusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in tribunali praedicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiscalis ejusque in Officio

Successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata Congregatione, cui ipsum seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si Congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi et parvipendi posset, volumus atque statuimus, eandem tunc tantum cogendam habendamque esse, quum aut a Nobis sive a Successoribus Nostris rom. Pontificibus alicujus negocii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit aut hujusmodi etiam remissione cessante quoties de poenis superius constitutis adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem hujusmodi poenarum modus, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis seu Successoribus Nostris relatione approbataque Congregationis resolutione, ad hujusmodi poenarum executionem cum effectu procedatur, aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria dioecesi ratione alicujus muneris sive officii, cujus ea dicatur natura esse, ut apost. Indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim hujusmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo Nostraque et Successorum Nostrorum scientia et approbatione et mediante expeditione literarum apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro et romani Pontificis pro tempore existentis supplicum libellorum Secretario aliisque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam Congregationem super residentia Episcoporum omnino remittant, simulque prohibemus Nostro et Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevium, ne literarum apostolicarum super Indultis hujusmodi exempla Nobis aut Successoribus Nostris signanda ullatenus afferat, nisi authentica documenta tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto quam de apostolica approbatione et assensu consequenter emanatis eidem fuerint exhibita.

Quarto loco statuimus, ut folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis et spatio temporis, ad quod hujusmodi Indulta conceduntur, quae quidem folia a romano Pontifice subscripta in tabulario praedictae Congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quae per apostolicas literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus, sed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque post Pontificium assensum a Secretario requisitum et obtentum expediri debebunt per Decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae Congregationis Praefecto subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente signatura Pontificis super praedictis foliis, in quibus singulorum Indultorum tenores et causae a Secretario descriptae erunt, quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum hujusmodi Secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

Quinto loco, quoniam experiendo

cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra dioecesim *infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent*, nimirum: *aut necessitas assistendi personaliter alicui liti seu controversiae, in qua Ecclesiae aut Cleri sui vel etiam propriae familiae res agatur, quaequae in romana curia introducta sit vel alia in Urbe, in qua resideant majora tribunalia*, quorum ea de re judicium esse debeat, *aut corporalis aegritudo*, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra dioecesim conciliaribus mensibus utens morabatur, ita ut ad eandem dioecesim reverti nequeat, aut *adversa valetudo in ipsa dioecesi contracta*, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, Episcopum aërem et solum aliquantisper mutare, aut denique *malignitas aëris in dioecesi vigens*, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat. Et quoniam nec ulla ex praemissis causis absque expressa rom. Pontificis approbatione, quemdam ab onere residendi eximere potest, et nisi certis expressis circumstantiis iisque verificatis, difficile est ad hujusmodi approbationem rite recteque procedere, necessarium *Nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari mandamus atque praecipimus.*

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a dioecesi sibi concredita, ut judiciali controversiae, quae alibi vertitur, *per se ipsum intersit*, exprimere debebit in precibus tum locum sive urbem, in qua hujusmodi lis agitur, tum etiam: an ea pertineat ad ipsam Oratoris Ecclesiam seu Clerum vel potius ad ipsius familiam. *Et quidem si ad familiam pertineat*, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut *Orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis jam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur.* Si vero de ejus Ecclesiae vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt tum status litis ejusdemque gravitas tum causae, propter quas necessaria creditur in loco judicii Oratoris praesentia, tum etiam declarandum: an mensibus conciliaribus usus fuerit; et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in hujusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit (qua in re nec dolus nec fraus intercesserit), et alioquin ipsius instantia justa videatur, tantum illi temporis et non amplius ad commorandum extra dioecesim tribuatur, quantum judicatum fuerit necessarium esse ad causae defensores, advocatos et judices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos.

Si enim licentia abessendi a dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque dioeceses complurium annorum spatio suorum pastorum praesentia carerent.

Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae, dum vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam dioecesim sibi prohiberi, exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem et super ea testimonium medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitivum tempus concedi debebit adjecta quoque clausula: *si tamdiu infirmitas duraverit.*

Ab iis autem, *qui hujusmodi licentiam postulaverint, eo quod aëris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis*, quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui jurejurando testetur, utile ac necessarium Oratori esse, ut in aliam regionem atque aërem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum: an scilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit; si enim id nondum fecerit et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat, at si praedictos conciliares menses remoto omni dolo et fraude jam extra dioecesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter judicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aëris, quem in sua dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet, is videat etiam atque etiam quid agat; et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit aër; item: an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, ita ut nullus intra ejus tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo: an consiliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit Indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aëre tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt: Si autem hujusmodi Concilii Indulgentia jam usus fuerit, frustra novum Indultum praedicta de causa ab apost. Sede postulabit sibique imputare debebit, quod, quum sciret certo anni tempore in sua dioecesi aërem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae Indultis, quae ratione aëris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adjici volumus: *Dummodo intra diocesim aliquis locus non adsit, in quo aër salubris sit, in quo Episcopus commorai i possit.*

Sane praedictus Urbanus Praedecessor non praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui provincialibus Conciliis vel Congregationibus seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse *sive in aliis muneribus aut Reipublicae Officiis,* quae ipsorum Episcopatibus Ecclesiisque adjuncta sunt, ad certum tempus extra dioecesim occupari solent ac debent; *et his quidem in praecitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo ejusmodi Concilia, Congregationes et Assembleae peragentur exercitiumque muneris seu officii publici eorum Ecclesiis adjuncti actu duraverit, dummodo iis finitis recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese conferrent, cujus concessionis aequitatem Nos quoque agnoscentes eandem approbamus et confirmamus.* Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de *Episcopis, qui a residentiae suae loco discedunt pro processuum in causis Beatificationum aut Canonizationum compilatione, apost. auctoritate ipsis delegata,* necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

Expediuntur a Congregatione S. R. literae, quas vocant Remissiorales et Compulsoriales, quibus committitur, ut

supradicti processus auctoritate apost. conficiantur, aeque diriguntur tribus Episcopis aut Superioribus Praelatis cum clausula: *ut duo ad minus procedant.* Cumque in hujusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus construitur, fere contingit, e tribus, ad quos literae sunt directae, unum dumtaxat a residentia avocari. *Ubi itaque aliquis Episcopus Titularis Ecclesiae in partibus infidelium constitutae haberi possit, volumus eum in praefatis literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi.* Quod si tres omnino Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad hujusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, *ut literae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt dioecesi, in qua apostolicus processus conficiendus erit.* Quoniam vero non de re agitur, quae duabus tribusve hebdomadibus perfici queat, sed quae plurium saepe mensium aut etiam annorum operam requirit, volumus, ut Episcopi, qui ejusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a dioecesi, causam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra dioecesim commorantur. *In hujusmodi autem licentiis concedendis statuimus, ut conciliares menses semper comprehendantur, et praeter eos triginta dumtaxat dies,* si opus fuerit, adjiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est, et, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

Haec sunt, quae salubriter in Domino statuenda judicavimus, quaeque pro regula et norma in posterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis gravissimum, quod ipsis incumbit, residentiae officium exacte impleatur. Itaque dilecto Filio moderno praefatae Congregationis super eadem residentia Secretario ejusque Successoribus in perpetuum injugimus et in virtute sanctae obedientiae sub poenis contra obedientes mandatis apostolicis in re gravi praecipimus atque jubemus, ut supplices libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adjuncta, nullo modo recipiant multoque minus ad Pontificem referant. In Decretis autem, quae post Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum a Cardinali ejusdem Congregationis Praefecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermittant, illud etiam expresse cavendo, ut, quae concedentur *Indulta, a die datae ipsorum Decretorum decurrere intelligantur.*

Denique VV. Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint Decreti a S. Trid. Synodo editi *sess. 6. cap. 1. de Reformatione, quo jubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare.* Nostris quoque et apost. Sedis Nuntiis hoc idem demandamus et injungimus, ubi intra ipsorum Nuntiaturae districtum aliquis Episcopus seu Superior Praelatus existat, qui canonicas leges hac in parte violare dignoscatur.

Et quia Nobis relatum est, *nullibi frequentius praedictas leges ab Episcopis violari, quam in proximo Neapolitano regno* (neque vero id mirum

in tanto eorumdem numero), volumus atque statuimus, ut in Indultis absentiae, quae pro Episcopis praedicti regni in posterum expediri contingat, ad caeteras clausulas superius praescriptas haec etiam addatur: *ut obtenta licentia exhiberi debeat apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris et momenti habeatur.* Nos siquidem praedicto Nuntio earundem praesentium tenore committimus, ut hujusmodi licentias in acta sui tribunalis referi faciat itemque de causis, propter quas concessae fuerint, inquirat ac tempus in iis praefinitum observet ad hoc scilicet, ut et per eum resciri possit, si quid obreptum aut subreptum fuerit in precibus; et ipsum latere nequeat, si quis praescriptos sibi limites transgrediatur sive absque necessario apost. Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab Ecclesia et dioecesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, dioeceses suas deserunt, et non quidem in Urbem regni principem, ubi apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt ejusdem regni civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat, injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales suos atque Ministros, quos in omnibus dioecesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis dioecesibus recedunt, ut et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio marte se gerere praesumunt (dum vel absque praevia licentia, praeter tempus a Concilio indultum a suis dioecesibus absunt, vel si ob aliquem inopianatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, hujusmodi licentiam statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere et impetrare non curant), severiori sacr. Canonum et apostolicarum sanctionum censurae subjiciantur.

Caeterum intendimus sub praesentium literarum Nostrarum ordinatione et dispositione etiam ipsos Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praedictis ex concessione et dispensatione apostolica nunc praesunt et in futurum praeerunt, comprehendi ac comprehensos esse et fore.

Praesentes quoque literas omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio intentionisque Nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes seu habere praetendentes, et praesertim ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari aut ad terminos juris reduci vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti vel gratiae remedium impetrari nullo unquam tempore posse, sed semper perpetuoque valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, perinde ac si in Consistorio Nostro secreto et de eorundem Fratrum Nostrorum consilio et unanimi consensu emanassent.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, etiam in universalibus, generalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis vel edendis, necnon, quatenus opus sit,

de non tollendo jure quaesito aliisque cancellariae apostolicae regulis, statutis quoque, etiam diuturnis et immemorabilibus dictarum respective Ecclesiarum, necnon licentiis, privilegiis et indultis etiam apostolicis, eisdem Ecclesiis earumque Praesulibus quomodolibet hactenus concessis omnibusque et singulis aliis, quae praedictus Urbanus suarum literarum firmitati et executioni voluit non obstare caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Ordinationum, Constitutionum, Derogationum, Praeceptorum, Statutorum et Decretorum infringere seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. anno Incarnationis Dom. die 3. Sept. 1746.

(Ex dissertatione Ludovici Henry, juris can. licentiati. Lovanii 1863.):

Quid dicendum de Episcopis, qui hodie Senatores a Gubernio creantur vel renuntiantur membra congressus instructionis publicae? An possint absque licentia Summi Pontificis a suis Ecclesiis abesse, ut senatus vel congressus sessionibus intersint?

Ad solutionem hujus quaestionis sufficit attendere ad textus tum Concilii Tridentini tum Urbani VIII. Loquuntur enim de munere seu officio publico Episcopatibus adjuncto; quod non verificatur in munere Senatoris seu membri congressus, quale hodie in Galliae Episcopis confertur. Munus enim Senatoris, quo exornantur Cardinales, non eorum dioecesibus adnectitur, sed Dignitati cardinalitiae; Episcopi vero, qui congressus instructionis publicae membra sunt, id non debent privilegio Ecclesiarum, quibus praesunt, sed nominationi imperatoris personas ipsorum eligentis. Debent ergo praedicti Praesules, si praeter absentiam trium mensium, quam in adimplendis his functionibus sumere possunt, insuper aliam absentiam facere velint, a Romano Pontifice licentiam postulare et obtinere.

(Anal. J. P. 1864 p. 766.)

Vd. p. 160. 150.

h) Processus in non residentes.

Vd. p. 146 etc.

Causarum curiae camerae apostolicae generalis auditoris facultates procedendi contra Archiepiscopos, Episcopos caeterosque Praelatos in suis Ecclesiis et dioecesibus minime residentes.

Pius PP. V. motu proprio etc.

§. 1. Cum alias per felic. record. Pium IV. Praedecessorem Nostrum, juxta formam Conc. Trid. et aliarum bullarum emanatarum, tam ab ipso Pio Praedecessore Nostro quam aliis Romanis Pontificibus motu proprio, cujus tenores pro expressis haberi volumus, ex ipsius certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, fuerit mandatum dil. filio Alexandro Riario, Nostro et curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, ut omnes Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alias ecclesiasticas personas, cura animarum habentes non residentes, poenas in dicto Concilio et Bullis contentas incurrisse declararet, et ad illarum effectum executioni demandarentur per eumdem Alexandrum auditorem Nostrum.

§. 2. Et ut, ne de ejus jurisdictione in posterum dubitare contingat, denuo eidem auditori Nostro auctoritate Nostra committimus et mandamus quatenus statim, tam contra Episcopos quam Archiepiscopos et alios quos-

cumque praefatos, tam in Urbe quam alibi et ubique locorum existentes et in propriis dioecesibus non residentes, constito sibi quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, sola veritate inspecta et manu regia de inobedientia propria usque ad sententiam exclusive procedat.

§. 3. Et deinde Nobis referat, ut Nos in Consistorio Nostro secreto de Fratrum Nostrorum consilio, ut moris est, ad sententiam privationis et depositionis Praelatorum inobedientium hujusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus.

§. 4. Quo vero alios curam animarum habentes usque ad sententiam inclusive procedat et exequatur juxta formam et tenorem dicti Concilii et literarum Nostrarum praefatarum cum eisdem facultatibus, ut supra, et alia faciat et exequatur, prout in dictis literis sine Bullis continetur, cum potestate citandi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi a divinis, declarandi, interdicendi, aggravandi, reaggravandi, carcerandi et brachium saeculare decernendi, relaxandi et exequendi aliaque faciendi necessaria quomodolibet et opportuna.

§. 5. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 6. Et quod praesentis Nostri motus proprii sola signatura sufficiat ac ubique fidem faciat, in judicio et extra, regula contraria et aliis quibuscumque, quibus omnibus expresse derogamus, non obstantibus etc.

Datum die 10. Junii 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 464. Ed. Aug. Taur. 1862.)

i) Tempus.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig., causae etc., Constit. Bened. XIV.: *Ad universae* p. 144).

Apud Tridentinum sess. 23. cap. 1. ibi: „Eosdem (Episcopos) interim admonet et in Domino hortatur, ne ... dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Dom., Pentecostes, item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent."

Liceat insuper sequentia ex *Fagnano* adnotare: „In S. Congregatione super residentia Episcoporum habita in Quirinali die 17. Juli 1657, cui interfuerunt EE. Cardinales Ginettus, Meltius et Paulucius necnon R. P. D. Farnesius, Alterius, Gualterius, Ugulinus, de Vecchis Secretarius, et ego, proposita fuerunt ex ordine Sanctissimi infrascripta dubia, videlicet:

Cum S. Conc. Trid. *cap. 1. sess. 23.* de Reformat. permittat Episcopis, ut singulis annis, dummodo aequa ex causa et absque ullo Gregis detrimento fiat, abesse possint a sua dioecesi per duos aut ad summum tres menses, quaeritur:

Primo: an Episcopus possit jungere trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni, adeo ut licite abesse valeat a sua Ecclesia per menses Octobris, Novembris et Decembris anni v. g. 1657 et continuare absentiam per menses Januarii, Februarii et Martii 1658?

Secundo: an Episcopus in casibus, in quibus rationabilem causam habet non residendi, debeat uti mensibus per S. Concil. concessis et nonnisi ipsis consumptis, quatenus absentiae causa duret, licentiam petere non residendi, an vero primo licentiam petere et ad alios usus reservare bimestre aut trimestre tempus a Concilio concessum? Per Bullam s. m. Urbani VIII. super residentia Episcoporum incip.: *Sancta Synodus etc.* permittitur, ut Episcopi ad effectum visi-

tandi statutis terminis Sacra b. Apostolorum limina, abesse possint a suis Ecclesiis per certum tempus; hinc:

Tertio quaeritur: An Episcopus visitans Sacra limina in fine unius termini, v. g. in fine unius triennii, possit immediate in principio sequentis triennii iterum visitare ac proinde visitationum titulo abesse a sua Ecclesia per octo continuos menses?

Quarto quaeritur: An Episcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa semper se abstinuit, possit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, licet non adsit ulla causa ex approbatis ab eodem Sacro Concilio Tridentino?

S. C. resp. *ad primum:* Non posse, tum quia ejusmodi semestris absentia complectitur illius temporis spatium dominici Adventus et Quadragesimae, quo ne a sua quidem Cathedrali nedum a dioecesi Episcopo abesse licet, ut in Conc. Trid. d. *cap. 1. sess. 23. vers. eosdem interim admonet;* tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum *aliquantisper,* quo utitur Concil. in d. cap., dum ait: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse,* cum Concilium illud (spatium) restringat ad duos vel ad summum tres menses, et antiqui canones ad unum vel ad duos; et quatenus verificaretur illud *aliquantisper,* non tamen verificantur sequentia, videlicet, *quia statim reversuri sunt* (d. cap. 23. Trid.), nam qui abest per semestre tempus, utique non statim est reversurus, cum dictio *statim* regulariter significet modicum temporis intervallum...

Ad secundum: S. Congreg. consultius putavit, nihil generaliter respondere, sed ubi casus particulares acciderint, maturius deliberare.

Ad tertium: Episcopum, qui beat. Apostolorum limina visitavit, v. g. in fine unius triennii, nequaquam posse immediate in principio sequentis triennii iterum visitare ac proinde nec visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse.

Ad quartum: Non posse; quam Congregationis sententiam S. D. N. ad se relatam in omnibus approbavit.

Ita apud Fagnanum ad cap.: Qualiter, de Cleric. non resid. n. 40. et seqq.

Atque has resolutiones confirmavit quoque Benedictus XIV. in sua praed. Constitutione incip.: *ad Universae* §.: primum.

13) Formalis et materialis.

Vd.: *Resid. Episcop.* (oblig. etc., decr. Bened. XIV. ad Episcop. *Hiberniae*); *Resid. parochi* (personalis).

14) Generalium Ordinum.

Benedictus PP. IV.

Praecipua quaestio illa fuit: *Quaenam essent monasteria, in quibus Abbates generales seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent?*

Contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet, in quo Abbas generalis sive caput Ordinis manet, ibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut ejusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali jurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitria hujusmodi sedes, quae a sola Superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur.

Qua propter quum nobis compertum sit in aliquibus ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis ejusque curiae, in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam, quoties de ordinum hujusmodi Superioribus generalibus agatur, *eorum sedem ordinariam principalem ad effectum, de quo agitur, illam esse et censeri decernimus, quae ab ipsorum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur;* idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo quacunque de causa, Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

Quod si aliqui sint religiosi ordines seu Congregationes, quorum constitutionibus vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro ejusdem Generalis sede ordinaria principali ad effectum eximendi parochum ab Episcopi jurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet; *sed illud dumtaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis seu caput Ordinis initio generalatus elegerit pro sua stabili residentia et officialium seu ministrorum praedictorum.* Verum si, facta semel hujusmodi electione, eandem postmodum variare praesumpserit, *declaramus neque monasterium initio electum neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.*

Constit. diei 6. Nov. 1744.

(Bull. *Bened. XIV.* t. I. p. 432.)

15) Licentia absendi ab Episcopo petenda.

Vd.: *Resid. parochi* (absent.; licentia; tempus); *Resid. parochi* (oblig., decr. anni 1573 *Rhegien.*)

16) Parochi.

a) Absentia.

Cf.: *Residentia Canonicor. Parochor.; Residentia paroch.* (temp. absendi.)

(Conc. Tr. sess. 6. cap. 2.; sess. 23. cap. 1.)

Ad dubium: An parochi ab Ecclesiis suis abesse possint per duos menses sine licentia Episcopi?

S. C. C. resp.: Negative.

Mense Febr. 1573 (Ex l. I. p. 131 decr. rel. a Bened. XIV. Institut. XVII.)

Eodem modo, quum proponeretur, esse in Toletana dioecesi presbyteros, qui se per aliquod tempus absque Ordinarii licentia abesse posse putarent, eodem anno S. C. censuit: Non posse nisi causa cognita et probata ab Ordinario et ab eodem in scriptis obtenta licentia.

(Ex l. I. p. 202 decr. ap. ibidem.)

Solam distantiam loci etiam cum aequa causa discedendi non excusare parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas reperte se offerat, quae non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi, quo casu quamprimum de discessu et de necessitate Ordinarium certiorem faciendum, ut de causa cognoscere possit. Nec parochum habentem justam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres satisfacere suae conscien-

tiae, si petat licentiam jurans gravem se habere causam, quam non expediat manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet Episcopus non concedat. Similiter abesse non posse in casu, quo causam rationabilem expressit, quam vir aequus et bonus rationabilem judicaret, licet rigidus Praelatus minus aequam judicet et licentiam deneget, vel quia movetur suspicione, quod ficta sit, quum tamen sit vera, sed habere posse recursum ad superiorem. Nec posse per hebdomadem abesse non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario ab ipso Ordinario approbato. Nec esse liberum a culpa et a poena omissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgente necessitate ad curandam suam valetudinem morbo gravi instante recessit et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam, ut supra dictum est. Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam juxta formam jeusd. Concilii sess. 23. cap. 1. (Ex l. X. decr. p. 100 rel. a Bened. XIV. Instit. XVII.)

Ad dubium 1.: An rectores ecclesiarum paroch. a civitate distantium per 2, 3 aut 4 milliaria circiter possint sine expressa licentia Episcopi abesse a suis parochiis relicto ibidem Substituto ab eis deputato et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus festis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt revertentes illico ad civitatem?

2.: An parochi, qui nocturno caeteroquin tempore resident apud suas Ecclesias, possint celebrata summo mane Missa in dictis Ecclesiis se conferre ad civitatem et in ea diurno tempore totius vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas Ecclesias adsint eorum Substituti?

3.: An dicti parochi, qui caeteroquin diurno tempore resident apud suas Ecclesias, possint nocturno tempore totius vel majoris partis anni commorari in civitate, licet apud dictas Ecclesias adsint eorum Substituti?

S. C. C. resp. *ad 1., 2. et 3.:* Negative.

Die 10. Maii 1687 *Fulginat. (Rel. ab eodem Bened. XIV.)*

In casu absentiae parochi cum debita licentia deberi oeconomo (i. e. Vicario) provisionem in summa inter ipsos, parochum et oeconomum, concordanda, praevia tamen approbatione Episcopi quoad personam oeconomi.

S. C. C. die 15. Mart. 1738 *Suessana* ad 4.

b) Dispensatio.

Reatina.

Ad compescendam contumaciam et socordiam nonnullorum, qui parochiales Ecclesias sive Dignitates et Canonicatus in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ac alia beneficia personalem residentiam requirentia obtinent, quique eorum residentiae munus obliti, in Urbe et Romana Curia ultra tempus a Sac. Conc. Trid. et a Constitutionibus Apostolicis respective eis permissum moram trahere non verentur, emanavit edictum die 8. Martii 1710 de oraculo vivae vocis SS. D. N. ab Emo Urbis Vicario et quotannis publicari consuetum, in quo stricte injungitur tam Archiepiscopis, Episcopis atque Praelatis Superioribus quam supradictis parochis, dignitatibus, canonicis et beneficiatis residentiae obnoxiis, ut infra duodecim dierum spatium, ab eadem Urbe discedere et ad suas respective Ecclesias se conferre ibique personalem residentiam facere tenerentur eo tamen addito: *Et si*

aliquis praedictorum Canonicorum et Beneficiatorum, ut supra, lapso termino praedicto, per mensem discedere neglexerit, extunc fructus beneficiorum suorum non faciat suos, nec tuta conscientia etiam alia declaratione non sequuta illos sibi detinere possit, sed teneatur illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare aut ipso non erogante per Superiorem ecclesiasticum ad dictam erogationem faciendam compellatur.

Cumque nihilomnius magnus subinde in Urbe creverit eorundem beneficiatorum non residentium numerus, hinc ad relationem R. P. V. Gerentis SS. D. N. in sequelam praelibati edicti commisit huic S. Congr. super residentia Episcoporum, ut desuper adhiberetur opportunius remedium. Quapropter eadem S. Congr. sub die 10. Februarii 1710 mandavit praesignatum edictum fore renovandum bis in anno etiam contra regulares beneficiatos cum munere residendi, cum comminatione respective poenarum, ac inhibendum signaturae Justitiae, ut desuper manus non apponat, necnon quod in Indultis, quae expediri solent a S. C. C., abessendi ex causis legitimis addatur clausula isthaec: *Quod non suffragentur ad evitandas poenas contentas in edictis Emi Vicarii contra non residentes, nisi exhibeatur infra octo dies in Secretaria ejusdem Emi Vicarii, quae exhibitio adnotari debeat in libro particulari ad hunc effectum in eadem Secretaria retinendo, necnon in calce eorundem Indultorum gratis.*

Cum autem Jo. Paulus Colellus Canonicus Coadjutus Ecclesiae Cathedralis Reatinae, attentis infirmitatibus, quas patitur in gravi aetate annorum 75, petierit et sub die 30. Augusti obtinuerit a Sac. Cong. Conc. Indultum abessendi a locali residentia et commorandi in Urbe per sex menses, addita supra recensita clausula exhibendi praefatum Indultum in Secretaria d. Emi Vicarii, alias d. Oratori illud non suffragetur, ad evitandum poenas contentas in edicto memorato Emae Suae contra non residentes praefatum Indultum exhibuit in Episcopali Curia Reatina die 22. Aug. ejusdem anno 1711 et expeditionem ac executionem in solita forma reportavit. Verum quia Capitulum in repartitione distributionum, portionem sex mensium in primo Indulto contentorum solvere recusavit Oratori eamque inter alios Canonicos distribuit, ex quo praefatus Orator clausulam exhibitionis Indulti praedicti non adimpleverit. Hinc Orator ipse, qui ex incuria in hujusmodi omissionem incurrisse fatetur, recursum humiliter habuit ad hanc S. C., a qua prodiit tenor supradictae clausulae, credens caeteroquin casum hunc minime comprehendi sub praefato edicto, eoque magis quia tempore absentiae Oratoris, servitium Ecclesiae in nihilo fuit defraudatum ob interessentiam Coadjutoris; et quatenus comprehendatur, exoravit ipsi esse ex gratia indulgendum.

Praemissa omnia confirmavit Episcopus Reatinus informare requisitus ab hac Sac. Congr. ac censuit Oratorem de rigore juris fructus canonicales amisisse, quia in edicto Emi Vicarii inter alias poenas illa numeratur, quod beneficiati non faciant fructus suos eosque tuta conscientia detinere non posse; atqui distinguendo vacationem a servitio chori et absentiam a residentia locali putavit hujusmodi fructus non accrescere favore Canonicorum sed verius erogandos esse fabricae Ecclesiae vel pauperibus arbitrio Superioris, ut disponit praefatum edictum, cum Coadjutor Oratoris eo absente servitium chori nunquam neglexerit.

Quo vero ad petitam gratiam excusans Relator Oratorem in pluribus

tam respectu aetatis quam infirmitatis, quibus in praesentiarum itidem premitur, censuit ejusdem precibus annuendum.

Itaque contingit hodie, ut ab EE. VV. examinetur et resolventur haec dubia:

I. *An Orator de juris rigore propter neglectam Indulti exhibitionem amiserit fructus sui Canonicatus?*

II. *An praefati fructus Capitulo et aliis Canonicis accreverint?*

III. *An causae per Oratorem adductae sufficientes sint ad gratiam petitam consequendam in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad omnia tria: In casu, de quo agitur, esse restituendos fructus Canonico Colello.

Die 29. Febr. 1712.

c) Infirmitas et aetas num excuset?

In dubio: Utrum infirmitas excuset parochum a residentia? duo casus sunt distinguendi. Primus est, cum parochus absens extra locum beneficii in morbum incidit, et hoc primo casu manifestum est, eum non teneri redire ad residentiam et si procederetur contra eum, non fieret illi praejudicium.

Secundus casus est, cum parochus aegrotat in loco residentiae seu intra limites parochiae suae; et tunc S. C. C. declaravit, infirmitatem non excusare parochum a residentia. Sed si infirmitas sit curabilis et in loco parochialis non sit copia medicorum medicinarumque, posse ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor mensium parocho aegroto, ut curari possit in locis vicinioribus et commodioribus: interim tamen per ipsum Ordinarium deputato idoneo Vicario ad curam dictae parochialis, cum assignatione congruae portionis ex ipsius parochialis redditibus. Idem dicendum esset, si parochum infirmum ex medicorum consilio oporteret coelum mutare ad breve tempus vel ire ad balnea. Verum (nota) si abscederet sine licentia, non excusaretur. Nam proposito dubio: an sit liber a culpa et poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex urgenti admodum causa ad curandam valetudinem, morbo gravi instante, a parochiali recessit et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit, evidentiam causae satis esse? S. C. censuit: non esse liberum, nisi periculum fuisset in mora petendi licentiam. Haec *Fagnanus* ad cap.: *Clericos*, de Cleric. non resid. n. 9. et seqq.

Eademque S. Congr. declaravit, nec causa senectutis excusari parochos a residentia. *Fagn.* l. c. n. 16.

d) Licentiam absendi quis concedat?

Vd.: *Resid. parochi* (tempus absendi; absentia).

Parochis possunt Ordinarii, aliquibus justis de causis, juxta Conc. Trid. formam, licentiam concedere recedendi a parochiali ad aliquod tempus, modo ea utatur intra limites praescriptos a Consilio sess. 23. de Reform. cap. 1., quia facultas hujusmodi non fuit ipsis Ordinariis ablata per modum proprium s. Pii V. publicatum de mense Junii 1568 super residentia Canonicorum habentium parochiales. S. C. C. teste *Garcia* par. 3. de benef. cap. 2. n. 179. Et pro Ordinariis, qui talem licentiam concedere possunt, veniunt etiam Ordinarii Episcopo inferiores, ut Abbates et alii similes habentes Jurisdictionem et proprium territorium, sicuti et Capitulum Sede vacante. *Sanctarell.* variar. resolut. quaest. 5. n. 64., *Azorius* part. 2. lib. 6. cap. 10. quaest. 4., *Possevin.* de Offic. Curati cap. 1. n. 28. et 29., *Barbosa* de Offic.

et potestat. parochi par. 1. cap. 8. n. 73. et alii.

Ordinarii possunt concedere parochis licentiam abessendi ad bimestre tempus ob quamcumque justam causam, veluti recreationis aut visendi amicos et hujusmodi. *Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem causam.* Colligitur clare ex Conc. Trid. c. sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: „Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant." *Gracias* part. 3. de beneficiis cap. 1. n. 22., *Fagnan.* in cit. cap.: *Relatum* n. 21. et 29., *Barbosa* de Offic. et potest. parochi l. c. n. 58., 59. et seq., *Reiffenstuel* l. c. n. 77. et alii passim.

Graves autem causae, ob quas potest concedi parochis licentia abessendi ultra bimestre, sunt praecipue quatuor assignatae a Conc. Trid. l. c. scilicet: Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. *Barbosa* de Officio et potest. parochi l. c. a n. 45., *La Croix* lib. 3. part. 1. n. 747. et alii passim.

Christiana charitas intelligitur, cum quis abest ob proximorum utilitatem et ad adjuvandam aliquam Ecclesiam in magno periculo haeresis versantem, ad dirimendas lites, controversias et odia. Dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra ordinem caritatis. *Sanctarell.* variar. resolut. q. 2. n. 1., *Molfesius* in summa Theolog. moral. tract. 6. cap. 11. n. 29., *Azorius* part. 2. lib. 6. cap. 4., *Barbosa* de Offic. et potestat. parochi l. c. n. 47. et de Offic. et potestat. Episcopi part. 3. allegat. 53. n. 6. et in Conc. Trid. l. c. n. 7., *La Croix* l. c. n. 747.

Urgens necessitas intelligitur, cum quis abest ob morbum curandum vel propter aliquam persecutionem, bellum, hostium incursus, pestem saevientem, aëris intemperiem vel ob inimicitias, aut ob principis et populi furorem declinandum. Dummodo tamen non immineat detrimentum ovium in spiritualibus; nam si illud immineret, ex nulla causa posset abesse, quia bonus pastor animam suam pro ovibus ponit, ut habetur Joan. 10. Ita citati doctores et alii.

Debita obedientia intelligitur, cum quis abest ex mandato Papae vel ut occupetur in servitio Sedis Apostolicae et Reipublicae. Sic citati doctores et alii.

Evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas intelligitur, qum quis abest ad Synodum generalem vel provincialem aut dioecesanam rite et legitime vocatus. Vel cum quis abest pro tuendis juribus suae Ecclesiae aut pro obtinenda a Superiore reformatione in variis emergentibus vel ut, id exigente Reipublicae utilitate, fungatur legatione apud aliquem saecularem principem. Ita citati doctores et alii.

Parochis non licet causa studiorum a suis parochialibus Ecclesiis post Conc. Trident. abesse, nec Episcopus licentias ad id concedere potest, illaeque, si concessae fuerint, non suffragantur. S. C. C. sub die 8. Maii 1595 apud *Garz.* l. c. n. 1.

e) Locus resid.

Vd.: *Vicar foran.* (resid.)

Pontis Curvi.

In duas regiones dividitur Urbs Pontis Curvi, superior nuncupatur Civita, inferior Pastino; duabus viis aditur superior, altera commodiori, sed longiori, quae vocatur de Ferrari, altera breviori, sed difficiliori, quae dicitur de Gradini. In inferiori regione

Pastino duae sunt parochiales Ecclesiae, altera s. Blasii, altera s. Nicolai, Sacramentum tamen Sanctissimae Eucharistiae in sola parochiali s. Nicolai causa commoditatis utriusque parochiae retinetur. Parochus est s. Blasii Bernardinus Lucernarius, qui patrui sequutus exemplum domum incolit paternam sitam in extrema regione superiori Civita, qua parte imminet inferiori, itaut paucis passibus juxta mensurationem a Peritis factam distet a parochiali Ecclesia. Indixit tamen ei Episcopus, ut paternam domum desereret et intra parochiae suae limites habitaret. Venit ille ad hoc sacrum tribunal oblatis precibus, contendens episcopale decretum exequi non posse, quod nulla parochialis domus esset nullique essent parochiae limites. Auditus Episcopus respondit limites esse parochiae neque defuturam domum parochialem, si eam Lucernarius non alienasset, ne in illa habitare cogeretur, eamque ampliorem et commodiorem facile a parocho reddi potuisse uberibus parochiae redditibus, nisi magno parochianorum detrimento maluisset in propria domo habitare, ex qua praesto esse nequit nocturno praesertim tempore parochianis suis tum ob loci distantiam tum ob difficultatem viarum. Cum haec scripsisset Episcopus et precibus Lucernarii nullae adjunctae fuissent probationes, rescriptum iis fuit: Lectum quoad instantiam et scribatur Episcopo, ut, qua facultate alienaverit Orator domum parochialem, Sacrae referat Congregationi.

Post hoc rescriptum novas Lucernarius obtulit preces pluribus munitas probationibus, quibus veritatem eorum, quae asseruerat, et insubsistentiam eorum, quae narrabat Episcopus, comprobabat. His novis precibus rescriptum fuit: Expectetur relatio Episcopi: sed urgente promotore fiscali et contra negante Lucernario parochiam illam certos habere limites, decretum fuit: parochum teneri ad residentiam intra limites parochiales, quatenus tamen parochia habeat limites designatos. Advenit altera epistola Episcopi, in qua fatebatur domum illam, quam dixerat, parochialem episcopali auctoritate in emphyteusim concessam fuisse, sed sine ulla Ecclesiae utilitate. Cum res igitur ambigua videretur, satius visum fuit, ut judicio Eminentissimorum Patrum subjiceretur, causam describendo in folio. Promotor fiscalis narrat utrasque Urbis illius regiones immani intervallo distare: Viam breviorem de Gradini asperam et difficillimam, immo periculosam esse nocturno praesertim tempore. Contra Lucernarius probat utrasque regiones contiguas esse, nec, nisi brevissimo spatio ad ornatum civitatis relicto, divisas esse: Viam de Gradini facilem esse hominibus sarcinisque, sive die sive nocte. Promotor fiscalis, qui certos esse limites parochiae s. Blasii asserebat, agnoscit tandem non habere limites constitutos, sed tandem domos quinquaginta duas inter se dissitas commixtasque cum aliis domibus, quae alienis parochis subjectae sunt: substinet tamen parochiam s. Blasii, ut et aliam s. Nicolai circumscriptam limitibus dicendam esse, licet hae duae sint inter se consulae, quia utraque parochianos habeat in regione del Pastino, sicut aliae parochiae regionis di civita in ea regione parochianos habent, nullos in inferiori regione Pastino. Contra Lucernarius, qui parochos, quotquot hactenus fuerunt et praecipue cum Forenses essent, ubi eis libuit, habitasse probat, eos vero, qui cives erant, in patriis laribus sitis in superiori regione Civita, ut longe magis id ipsi concedendum sit, qui domum habet proximam Ecclesiae suae parochiali.

Contendit promotor fiscalis domum in emphyteusim datam anno 1736 cuidam Pignantio parochialem fuisse et non potuisse alienari sola Episcopi auctoritate, cui ignota fuerit qualitas parochialis, et sine beneplacito apostolico, atque ex his concludit cogendum esse parochum, ut intra parochiae suae fines resideat. Contra Lucernarius negat domum illam habitam umquam fuisse pro parochiali, cum numquam eam incoluerint antecedentes parochi neque incolere potuerint, cum et summe humilis et angustissima esset, itaut satius visum fuerit eam in emphyteusim concedere, ut aliquam ab ea perciperet parochia utilitatem: neque ampliari a parocho ex redditibus parochiae potuisse, qui tenues sint, neque putandum esse Episcopum auctoritatem suam praestitisse alienationi, si casa illa, non domus, parochialis fuisset. Videant igitur Emi Patres in his facti controversiis, qua ratione expediendum sit dubium:

An Abbati Curato Lucernarilio ceat habitare in Domo Paterna sita in regione Civita in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 20. Decbr. 1755 et 7. Febr. 1756.

f) Mutatio loci residentiae.

Tarracconen.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Clar. mem. Cardinalis Cervantes Archiepiscopus Tarraconensis, cum parochialis Ecclesia in Oppido de *Tamarit* jampridem erecta longe dissitos haberet limites, atque a locis nuncupatis *de la Riera et Virgilii,* ei subjectis medio flumine Gaja interscinderetur, adeout illius rector non posset spiritualibus populi necessitatibus prompte accurrere, sub annum 1573, ita postulantibus dictorum locorum Incolis, decrevit, ut nova Ecclesia una cum baptismali Fonte et Domo in Pago de la Riera utpote commodiore deberet construi, eaque erecta deputaretur Vicarius, qui ibidem residens animarum curam exerceret.

Ad tramites hujus decreti memoratus Vicarius, praevia nominatione dictorum Incolarum et consensu rectoris parochiae de Tamarit consuevit ab Archiepiscopo ad curam animarum in praefata nova Ecclesia exercendam deputari, eoque in Pago de la Riera residens spirituali animarum saluti incumbere; Rector vero Ecclesiae de Tamarit parochialem domum inhabitans Sacramenta hominibus commorantibus semper administravit caeteraque parochialia munia per se ipsum obivit.

Verum quia Praefecti communitatis ejusdem Oppidi de Tamarit Felicem Perez modernum parochum detrectantem ibi ob aëris intemperiem residere contendentemque, se posse, relicto apud parochialem Ecclesiam capellano, qui ejus vices quoad exercitium curae animarum suppleat, in loco de la Riera moram trahere, in judicium vocarunt coram Ordinario Tarraconensi et ab eo decretum obtinuere, quo tributa sibi fuit manutentio in possessione habendi parochum, qui parochialem domum inhabitando resideret in d. Villa de Tamarit, quique per se ipsum Sacramenta administrare teneretur, ac subinde sententiam huic decreto conformem a Sacrae Rotae Tribunali reportarunt, praevia Decisione, quae circumferetur; idcirco praefatus Felix Perez supplicem Sanctissimo Domino Nostro porrexit libellum, quo exponens, se usque ab anno 1729 ab Archiepiscopo Burgensi, qui tunc Tarraconensem Eccles. regebat, fuisse ab Ecclesia Rocchefortis ad d. parochialem translatum sub conditione, quod posset in loco de la Riera intra

limites suae parochiae existente residere, quin teneretur in Oppido de Tamarit aëris intemperie infecto commorari, ob hujus peculiaris circumstantiae momentum humillime petiit obtinuitque causae cognitionem, praevia illius avocatione a Sacrae Rotae Auditorio, ad supremum hunc consessum remitti.

Jussus itaque Archiepiscopus Burgensis Sac. Congreg. de statu hujus controversiae edocere literis suis sub mensem Aprilis mox elapsi anni datis retulit, se ab Ecclesia Roccafort ad saepedictam parochiam promovisse praefatum Felicem, ut haud vulgares ejus dotes remunerarentur, deindeque ita subdit: „At vero timui, non admissurum, si cogerem ibidem commorari; erat enim constans et longa experientia certissimum, illud caelum grave fore, siquidem fere singulis quibusque annis unus vel alter morbus suos Incolas infestabat, ita ut vel ipsorum non paucos compulerit etiam natale solum deserendo commigrare; quapropter durum admodum visum fuit mihi, si premerem rectores virtute, literis et prudentia praestantiores, ut ibi necessario essent, ubi hac quasi fatali necessitate, ita dixerim, mortem immaturam sibi prudenter timerent, praesertim cum ego ipse expertus fuissem, Marium Cortes, quem ex meritis eligi in illam Ecclesiam, intra annum e vivis excessisse, tametsi aetate et viribus vel robustissimus foret et non multum absimile accidit praedecessori ipsius viro doctori optime merito Laurentio Gaso; qui fere semper infirma valetudine vixit: His et aliis experientiis doctus quasi saevitiam judicavi novum rectorem Felicem Peres ad has aerumnas imo ad necem exponere, proptereaque rem ipsam flagitare, ut vel ex charitatis Officio mansionem aliam non ita calamitosam assignarem intra terminos tamen ipsius parochiae, quae diversis Oppidulis constat, ex quibus unum est Riera, quod nec duo tantum milliaria distat a Tamarit; illud assignavi, ut praesens rector morari posset ad tempus, videlicet durante aëris infirmitate; illius enim in primis caeli temperies benigna est, situs commodior, quippe qui in medio totius parochiae, incolae multo plures, recursus parochianorum Tamarit ad proprium parochum seu rectorem facilis, quandocumque illo opus habeant, praecipue cum apud illos perpetuo sit Vicarius, qui, si periculum aut necessitas urgeat, eis praesto subvenire possit, ut pro more faciunt aliae dioecesis Ecclesiae, cui Vicario fas erit a Tamarit exire, cum viderit saluti ejus nocere, ne in morbum incidat, ut reipsa inciderunt non pauci, qui hac de causa e periculo sibi iminenti evaserunt, quod, si opus fuerit, praesens rector instrumentis comprobabit."

E converso autem modernus Archiepiscopus Tarraconensis itidem hac de re auditus, in ea manens sententia, quod praedictus Felix teneatur in Oppido de Tamarit residere et Sacramenta Incolis ejusdem Oppidi per se ipsum administrare, pluribus argumentis in sua relatione expositis praefatum Oppidum ab impicta vitiosi aëris insalubritate vindicare satagit indeque concludit, haudquaquam licere illius Ecclesiae rectore ab onere in parochialibus aedibus commorandi sese eximere, neque sine magno animarum periculo permitti posse, ut parochi absentia Vicarii ministerio suppleatur.

Praeterea, quae ad rem late deducta fuerunt in memorata Decisione Rotalis, quaeque nomine praefatae communitatis iterum coram Sacra hac Congregatione proponentur, praestat referre nonnulla decreta ad controversiae decisionem pertinentia. In Ravennaten., cum a Vicario generali

quaesitum fuisset: num parochus teneretur in aedibus parochialis Ecclesiae seu intra limites parochiae residere et an ad restitutionem fructuum esset adstrictus parochus ille, qui nunquam sic resedit, licet eidem parochiali Ecclesiae in Divinis inservierit? Sacra Congr. censuit: „Non teneri, sed cogendum esse imposterum residere in Domo Ecclesiae vel, si Ecclesia eam non habet, in alia propinquiore intra limites parochiae", ut in lib. 2. decr. p. 110 et seqq.

In Nullius 6. Aprilis 1606 Sacra Congr. his verbis rescripsit ad 1.: „Hujusmodi rectorem debere habitare in aedibus parochialis Ecclesiae, si ipsa aedibus non careat." Ad 2.: „Si intra limites parochiae non tamen in aedibus parochialis Ecclesiae habitaverit, fructus tamen facere suos nec in aliam poenam incidere, quam eam, quae praecepto Episcopi ad inhabitandas illum parochiales aedes urgentis contineantur" ut in lib. 10. decret. p. 148.

In *s. Agathae Gothorum* 16. Martii 1641 Rescriptum prodiit in haec verba: *Intemperiem et insalubritatem aëris non excusare a residentia,* ut in lib. 16. decr. p. 206.

Saepius vero parochos ob aëris insalubritatem obtinuisse Indultum ad certum tempus non solum commorandi in aedibus non parochialibus, sed etiam residendi extra parochiam, relicto idoneo Vicario, qui illius nomine animarum curam exerceret, constat ex pluribus ejusdem Sac. Cong. Dec. et signanter in Turritana 7. Julii 1703 lib. 53. decr. pag. 325, in Algaren. 19. Aprilis 1704 lib. 54. decr. p. 179, in Lucana 6. Junii 1705 lib. 55. decr. p. 214 et 16. Maii 1716 lib. 66. decr. p. 231, in Bosanen 28. Martii 1716 lib. 66. decr. p. 166.

Partes igitur Eminentiarum VV. erunt statuere:

1. *An parochus Villae de Tamarit teneatur residere in aedibus parochialibus Villae et loci de Tamarit, non obstante asserta licentia Archiepiscopi antecessoris residendi in loco della Riera intra limites dictae parochiae? Et quatenus affirmative,*

2. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative; *ad 2.:* Attentis facti circumstantiis pro concessione Indulti ad Triennium et ad Mentem.

Die 28. Jan. et 24. Mart. 1736.

Vd.: ***Resid. Ep.*** (oblig. etc.)*;* ***Res. par.*** (temp. pest.)

g) Obligatio.

Vd.: *Resid. Ep.* (oblig.)

Propter deputationem Coadjutoris parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse a residentia.

M. A. S. Rector Ecclesiae paroch. s. Felicis Universitatis paganorum, licet habeat alios quatuor concuratos, tenetur ad residentiam ad formam S. C. Tr. sess. XXIII. cap. 1. (et sess. 24. cap. 12.) de Refor. Nucerina paganorum. Residentiae.

Die 19. Maii 1708.

De residentia rectorum ecclesiarum parochialium, quibuscumque indultis, etiam apostolicis, non obstantibus.

Pius PP. V. servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cupientes, pro nostri pastoralis Officii munere, christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere et parochialibus Ecclesiis ab earum parochis, prout tenentur, in divinis debite et laudabiliter deserviri, inhaerendo etiam decretis S. C. Trid.,

§. 1. Motu proprio et ex mera deliberatione certaque scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione omnes et singulos rectores pa-

rochialium ecclesiarum, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, in quibuscumque regnis, provinciis, civitatibus, dioecesibus ac aliis christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem Ecclesiam ac canonicatum aut dignitatem, etiam post Pontificalem majorem seu principalem, in quibusvis patriarchalibus aut metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris seu etiam a nobis hactenus quomodolibet impetratarum ac literarum apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac praesenti constitutione abolemus et revocamus, seu quocumque alio praetextu obtinent, cum prima et praecipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia parochiali et ibi in divinis deserviendum et debito eorum Officio fungendum omnino teneri et obligatos esse ac ad id per Episcopos et aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatos, sub sententiis et censuris ecclesiasticis ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium et aliorum quorumcumque beneficiorum poenis, quacumque appellatione remota, cogi et compelli posse et debere auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, praecipimus et ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesiis parochialibus omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam canonicatus sui vel dignitatis seu alterius cujuscumque beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus et aliis, quae ex justa causa absentes percipere non solent, lucrari volumus.

§. 2. Sicque per quoscumque judices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, interpretari, judicari et definiri debere; necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8. Julii 1568.

(Bull. r. t. VIII. p. 683. Ed. Aug. Taur. 1862.)

Gregorius PP. XVI.

(Dispensatio.)

V. Fr. Ep. Conchensi.

Exponendum Nobis curasti, te vel in tua dioecesi lustranda vel in aliis ecclesiasticis negotiis peragendis virorum opera indigere, qui morum gravitate, prudentiae ac doctrinae laude et religionis studio spectati opem tibi ferre possint. Cum autem eadem tua dioecesis Sacerdotum inopia laboret, ac propterea viros ejusmodi dotibus ornatos inter animarum curatores tantum reperire valeas, idcirco a Nobis postulasti, ut ex Nostra indulgentia potestatem tibi tribuere velimus, cujus vi, cum opus fuerit, parochos a residendi lege solvere valeas, quo tibi praesto esse possint.

Nos itaque tuis votis annuere volentes teque peculiari benevolentia complectentes hisce literis auctoritate Nostra apostolica tibi, venerabilis Frater, facultatem facimus atque impertimur, cujus vi, donec Conchensis Episcopus fueris, pro tua conscientia et arbitrio, prout necessitas postulabit, tuae dioeceseos parochos, quos magis idoneos existimaveris, ad tempus tantum a residendi lege solvas eorumque opera vel in dioecesi lustranda vel in aliis ecclesiasticis negotiis conficien-

dis licite et libere utaris, ullo absque parochialium eorum redituum detrimento. Id tamen ea lege concessum volumus, ut quo tempore parochos a propriis paroeciis abesse contigerit, earumdem parochialium ecclesiarum servitio omnino consulatur.

Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis atque in universalibus, provincialibus synodalibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon cujusque parochialis Ecclesiae etiam juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 10. Januarii 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 300.)

(Conc. Tr. cap. 2. sess. 6.; cap. 1. sess. 23. De Ref.)

Nucerina.

Postquam Matthaeus Angelus Scalfati Rector parochialis Ecclesiae s. Felicis hujus civitatis de Jurepatronatus laicali per plurium annorum spatium usque ab anno 1677, quo fuit de dicta parochiali provisus, summa sollicitudine et pietate animarum Curae incubuerit, a multis tamen abhinc annis, sumpto praetextu, quod dicta Cura sit habitualis quodque actualis exerceri debeat per quatuor alios concuratos, exindeque ipse non teneatur residere, a praefata Ecclesia abesse coepit et assiduam fere moram in civitate Neapolis usquemodo perduxit. Hinc Episcopus instante communitate laica antedictae civitatis decrevit appositionem oeconomi pro exercitio Curae animarum, a quo decreto, interposita appellatione ad A. C. per supradictum rectorem, ac recurrente contra ipsum eadem communitate ad hanc S. C., fuit ad eandem subinde causa remissa a R. P. auditore Sanctissimi.

Requisita autem desuper informatione Episcopi, idem post confirmatam ejusdem rectoris sedulitatem in anteactis annis in exercitio curae, constanter asserit eandem curam actu semper fuisse in rectoribus ejusdem Ecclesiae; et licet tempore procedente fuerint eidem adjuncti quatuor Coadjutores Curati, qui sustentantur partim ex redditibus ab ipsa rectoria dismembratis partim vero sumptibus d. communitatis propter excretum animarum numerum usque ad 4500, nihilominus subdit informans, neutiquam reperiri sive ex Indulto Apostolico sive ex consuetudine, fuisse nunquam d. curiam abdicatam a proprio rectore et totam translatam in dictos concuratos. Quapropter indubitanter censet modernum rectorem fore ad residentiam compellendum. Partibus itaque monitis superest, ut EE. VV. ex deducendis non graventur decidere bina infrascripta dubia concordata:

I. *An rector parochialis Ecclesiae s. Felicis universitatis paganorum teneatur ad residentiam ad formam S. C. Tr. sess. 23. cap. 1. de Ref. vel quomodo?*

II. *An decretum emanatum a Rmo Episcopo super appositione oeconomi pro exercitio curae animarum in absentia moderni rectoris a praefata Ecclesia sustineatur in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I.: Affirmative; ad II.: Affirmative et procedat ad formam Concilii et amplius.*

Die 19. Maii 1708.

Ad dubium: An, ubi est laicus, qui Clericos grammaticam doceat, si presbyter ad paroch. Eccles. a civitate duo miliaria non distantem deputetur, qui tamen suae parochiae diebus festis inservit, a residentia excusetur, de qua sess. 23. cap. 2. de Refor.?

S. C. C. censuit: *Non excusari. Decisio S. C. C. Interpr. ad Conc. Tr. cap. 1. sess. 5.* ad verba: *Grammaticam gratis docent.* (Ed. Gallemart. 1616 p. 23.)

Ad dubium: An si aliqua parochia *sub tanta coeli inclementia constituta sit,* ut nemo nisi indigena in eadem Sede absque vitae discrimine immorari possit, alibi degere rectori liceat?

S. C. C. resp.: Non posse. Si tamen rector infirmus esset et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari licentiam 3 vel 4 mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochiae. Anno 1573 *Rhegien.* (Ex l. I. decr. p. 51 rel. a Bened. XIV. Instit. XVII.)

Die 10. Sept. 1576 facta SS. relatione in Consistorio S. S. decrevit, scribendas simpliciter literas ad Card. s. Praxedis (i. e. s. Carolum Borrom.) quibus significatur: *Parochos tempore pestis* teneri omnio residere in suis Eccles. par., posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta baptismi et poenitentiae. (Rel. Bened. XIV. De Synodo dioec. XIII. 19.) *Aëris intemperiem* non excusare parochum a residentia.

Die 7. Julii 1646. (Ex l. XVIII. decr. p. 164 rel. a Bened. XIV. Instit. XVII.)

Nec aetatem senilem nec malam valetudinam excusare parochum a residentia personali. (Rel. ab *eodem ibidem* ex l. XVIII. decr. p. 329.)

Card. Episcopus Portuensis in relatione status suae Ecclesiae exposuit, parochos suae Ecclesiae ex immemor. consuetudine fere omnes, ut plurimum aestivo tempore, obtenta ab Ordinario licentia ac idoneo pro animarum cura Sacerdote deputato, ne cum majori parte incolarum parochiae ob veneficum aërem mortem subire cogantur, 4 mensibus a suis Ecclesiis abesse consuevisse.

Ad hoc S. C. resp.: Arbitrio Cardinalis Ep. ad decennium et in reliquis detur decretum ut in Algarensi.

Die 8. Aug. 1771.

Decretum Algarense.

Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis conciliaribus, arbitrio Episcopi, cum oblig. commorandi in locis parochiae proximioribus non infectis aëris intemperie, quatenus ex iis in occurrentibus solemnitatibus vel necessitatibus sine detrimento propriae valetudinis accedere possit orator ad consulendum parochianorum indigentiis, deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat et curam animarum ac Sacram. administrationem laudabiliter exerceat.

Quum parochus quidam petiisset ut a residentia eximeretur „*stante parvo munero familiarnm*“, cui vicinus pa-

rochus supplebit, S. C. C. resp.: Non annuendum.

Die 3. Oct. 1671.

(Ex l. XXVII. decr. p. 229 rel. a Bened. XIV. Institut. XVII.)

Calaritana.

Antiochus Ignatius Garau rector parochialis Ecclesiae locorum Senorbi et Arixi Calaritanae dioecesis preces obtulit Sacrae huic Congregationi, quibus postulabat, ut a residentiae onere dispensaretur mensibus aestivis ob insalubrem parochiae aërem suique corporis gracilitatem. Auditus de more Archiepiscopus retulit, tantam esse in eisdem locis coeli inclementiam, ut medicorum judicio nequeat Orator, corpore gracilis, ibi morari mensibus aestivis et autumnalibus sine evidenti vitae discrimine.

Sed censet Archiepiscopus aëris intemperiem non excusare parochum a residentia juxta sententiam hujus S. C., quam referunt *Fagnan.* in cap.: Clericos n. 36. in fin. de cleric. non resid., *Garz.* de benef. part. 3. cap. 2. n. 179. vers. quarto, et san. mem. *Bened. XIV.* instit. Eccles. 17. n. 14.

Quaerente porro Episcopo Regiensi: *utrum rector Ecclesiae parochialis posset alibi degere, si parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo, nisi indigena, in eadem Sede sine vitae discrimine immorari possit?* S. C. anno 1573 respondit: „*Non posse. Si tamen rector infirmus esset et in loco parochialis curari non posset defectu medicorum medicinarumve, tunc posse ab Ordinario dari licentiam trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa: posito interea ab ipso Ordinario in parochiali idoneo Vicario, cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochialis*", ut in lib. 1. decret. p. 52. Et rursus in una Nicien. 4. Augusti 1646 rescripsit: *Aëris intemperiem non excusare parochum a residentia,* ut in lib. 18. decr. p. 164.

Digna quoque coërcitione illi videtur licentia eorum, qui haud ignorantes vitium aëris, plus minus afficiens omnia fere dioecesis Oppida, parochias ultro appetunt et accipiunt: atque illarum opulentia vel deliciis civitatis, in qua studiis incubuerunt, molliores effecti, quam in patrio solo veriti non fuissent coeli inclementiam, eam adeo reformidant in parochiis, ut commendata animarum cura Presbyteris indigenis aestivos et autumnales traducant menses in cultiori Urbe, despectis locis finitimis purioris aëris, ubi morantes possent aliquando suas Oves sine periculo invisere.

Orator autem defendit, plurium doctorum non deesse sententiam, qui putant, aëris inclementiam parochos excusare a residentia, ut refert *Fagnan.* in d. cap.: Clericos n. 35. de cler. non resid., quorum forsan opinionem sequuti antecessores Archiepiscopi ipsi veniam parochis indulgebant, ut in civitate morari possent aestivo et autumnali tempore, juxta testimonium Viri Sacerdotis in Summario impresso circumferendum. Et contrariam hujus S. C. sententiam autumat procedere, ubi nullus inveniretur, qui curae animarum onus vellet assumere, cum tunc datum non esset parochis Gregem deserere, sed tenerentur: „dare animam suam pro Ovibus suis", vel intelligendam esse in eo sensu, ut parochi nequeant propria autoritate aut de licentia solius Episcopi abesse ultra tempus a Sac. Conc. permissum, non autem ut a Sancta Sede et ab hac Sac. Cong. indulgeri non debeat facultas longioris absentiae, cui legitimam praebet causam aëris intemperies, ut probant frequentissima decreta hujus Sac. Cong.,

tum priscis tum recentioribus temporibus singulis annis, cum sola limitatione indulti ad quatuor menses aestivos edita; licet hoc anno, ad consulendum exactiori curae animarum administrationi et ad excitandam parochorum sollicitudinem, parochis locorum ad alias Sardiniae dioeceses pertinentium, laethali aëris intemperie infectorum, dari coeperint hujusmodi indulta, juxta subjectam formam, de qua in una Algaren. 13. Martii proxime praeteriti hisce verbis: „Pro gratia ad quatuor menses aestivos currentis anni tantum, comprehensis conciliaribus, arbitrio Episcopi, cum obligatione commorandi in locis parochiae proximioribus non infectis aëris intemperie, quatenus ex eis in occurrentibus solemnitatibus vel necessitatibus, sine detrimento propriae valetudinis accedere possit Orator ad consulendum parochianorum indigentiis, deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat et curam animarum et Sacramentorum administrationem laudabiliter exerceat."

Erit itaque ab EE. VV. definiendum: *An liceat Antiocho Ignatio Garau parocho Oppidi de Senòrbi et Arixi tempore aestivo et autumnali ob aëris intemperiem discedere ab eisdem locis, subrogato tamen Vicario idoneo pro animarum cura, in casu?*

S. C. resp.: Negative et detur decretum ad formam Algaren.

Die 8. Maii 1762.

h) Intra parochiam.

Parochus non excusatur, quin intra parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus parochialis et sit magna aëris intemperies et retineat capellanum in parochia et ipse accedat singulis diebus festis. S. C. C. in *Sarzanen.* 13. Nov. 1627. Parochus cogendus est habitare in Domo Ecclesiae vel si Ecclesia eam non habet, in propinquiori intra limites parochiae. S. C. C. in *Fulginaten.* 19. Nov. 1718 et 13. Jan. 1720, in cujus casu nulla habita fuit ratio contrariae observantiae per annos 43, nec aetatis parochi, qui erat annor. 70. Quod si non habitaverit, tenetur ad restitutionem fructuum, de quibus in Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de Refor. Sic S. C. C. apud *Garciam.*

Parochus ex alio loco oriundus non potest propter intemperiem aëris extra parochiam habitare, quamvis in ea relinquat Vicarium approbatum. S. C. C. testibus *Zerola* in praxi Episcop. part. 1. verb.: *Residentia* §. 7., *Barbosa* de Off. et potest. parochi. part. 1. cap. 8. n. 13., *Armendar.* in addit. ad recopilat. legum Navarrae l. 2. t. 23., l. 2. §. 2. sub titulo: An parochi debeant residere? Nisi accedat Ordinarii consensus ex justa causa; ibid. n. 180.

Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis parochialibus; possunt tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis Sacramenta baptismi et poenitentiae, et si non residerent, contra eos procedendum est, servata forma cap. 1. in fine sess. 23. de Reform. S. C. C. in Mediolanen. 10. Oct. 1576 apud *Barbosam* l. c. in summa n. 16., *Bened. XIV. de Synod. dioeces.* lib. 13. cap. 19. §. 2. nov. edit.

Parochus absque legitima causa et licentia non residens in sua parochia praeter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis absentiae eum excuset, uti limitat *Fagnan.* in cit. cap.: *Relatum* 4. de Clericis non residentibus n. 41.) pro rata absentiae fructus non facit suos et eos restituere tenetur, sic expresse statuit Conc. Trid. cit. sess. 23. de Ref. cap. 1. §.: *Si quis autem*, ibi: „Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decr. disposi-

ionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellantur, ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque loco aut fabricae concessis."

Quae dispositio, licet loquatur de Episcopis, eadem tamen statim extenditur etiam ad parochos, ut expresse subjungit Concilium, ibi: „Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poenas de curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat et decernit."

Tolerari potest, quod parochus parochiae tenuis paucarum animarum non resideat in parochia, quousque per unionem alicujus simplicis beneficii vel alio modo suppleatur ejus congrua, dummodo accedat illuc ad celebrandum festis diebus, et quando vocabitur pro Sacramentorum administratione. S. Congr. Episcop. 10. Jan. 1579.

Si tamen id Episcopus nolit tolerare, parochus tenebitur obedire, ut patet ex sequenti decreto: Cum Episcopus Calliensis nuper edixerit, ut parochialium Ecclesiarum Rectores in suis Ecclesiis resideant, petit Curatus parochialis Ecclesiae s. Angeli: an et ipse teneatur residere, cum redditus Ecclesiae sint tenuissimi, ejus Antecessores supra hominum memoriam nunquam resederint, Ecclesia ipsa circiter duobus millibus passuum dumtaxat a civitate distet, et sex vel septem familias tantum habeat, neque ipsi parochiani quidquam curent de residentia pastoris. S. C. C. censuit: Oratorem non excusari a residentia ob causas superius expressas, ideoque oportere ipsum parere edicto Episcopi hac in re edito. Ita in terminis apud *Pignatellum* tom. 7. consult. canon. consult. 4. n. 18. Quod idem tradit *Schmalzgrueber* ad tit.: *de Cler. non resid.* n. 11.

Parochus debet residere in loco, ubi sita est Ecclesia paroch., etiamsi esset ei datus Coadjutor ratione infirmitatis. Die 19. Maii 1708. *Nucerina Paganor.*

i) Extra Paroch.

Vd.: *Resid. parochi* (int. paroch.; mutat. loci etc.; p. 165 decr. Greg. XVI.).

k) Parochi, qui duas in sua parochia habet Ecclesias paroch.

Vd.: *Resid. Canon. Par.* (qui duas etc.).

Spoletana.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 23. De ref.)

In Congregatione diei 22. Jun. 1668 supplex exposuit parochus Villae Lapidiae, quod priscis temporibus animarum curam ejus Antecessores obibant in asserta parochiali Ecclesia sub invocatione s. Michaelis archangeli; eadem vero collapsa abinde citra functiones parochiales exequi coeperunt in Ecclesia seu Oratorio, ut asserebat, confraternitatis s. Bernardi. Quoniam vero, fidelibus concurrentibus ad b. Virginis iconem in antiqua parochiali depictam, cum abundanti eleemosynarum copia, aedificium praememoratae Ecclesiae s. Michaelis in decore instauratum et mansiones contiguae decenter constructae fuerunt, praetensionem

idem parochus excitavit super jure exercendi animarum curam in Ecclesia noviter restaurata sive aedificata, habitandi domum annexam atque oblationes praelaudatae imagini elargitas ac in posterum exhibendas ministrandi. Reportata itaque diffusa Episcopi tum temporis relatione, quae modo in summario describitur, tria exposita fuerunt dubia ad enixas preces parochi tantum informantis, videlicet:

I. *An dicto parocho jus competat exercendi curam animarum caeterasque functiones parochiales in dicta Ecclesia s. Michaelis archangeli restaurata?*

II. *An eidem jus competat habitandi domum contiguam illiusque commoditate fruendi?*

III. *An eidem debeantur oblationes factae et faciendae praedictae imagini b. Mariae virginis?*

Super quibus responsum prodiit

Ad I. et II.: Affirmative; *ad III.:* dentur decreta.

Iterum vero isthaec controversia revocata fuit ad trutinam in S. Congregatione, ea tantum in folio addita notabili facti expositione, quod subinde partes transigere duxerunt, adeo ut parochus promiserit Sacramenta ministrare functionesque ecclesiasticas explere in Ecclesia s. Bernardini loco alterius s. archang. Michaelis a S. Congregatione contemplatae. Sub die igitur 26. Februarii anni 1695 partibus utrinque informantibus bina proposita fuere dubia:

I. An concordia facta inter modernum parochum et parochianos die 4. Junii 1689 sit observanda? Et quatenus negative;

II. An et in qua parte sit standum vel recedendum a decisis sub die 22. Junii 1686?

Dilataque resolutione sub die 12. Mart. tum subsequentis placuit EE. PP. respondere:

Ad I.: Negative et quatenus adsit necessitas, injungendum esse Episcopo, ut desuper provideat prout de jure.

Ad II.: In decisis.

Sub his parochus expeditionem hujus controversiae operam navans iterum Sacri Concessus sapiens imploravit oraculum super recensito III. dubio: „*An parocho debeantur oblationes factae et faciendae imagini b. Virginis?*“ asserens decreta, quae danda esse S. Congreg. censuit, nullatenus occurri in terminis oblationum factarum in ipsa Ecclesia parochiali citra titulum confraternitatis, quam ob rem declarari expresse supplicavit, administrationem sibi competere dictarum oblationum. Hinc in Congregatione diei 16. Apr. 1695 prodiit rescriptum: „*Spectare ad parochum cumulative cum Sanctesiis.*“ Sub his tum temporis Episcopus Spoletanus, facultatem assumens, quam sibi tradidisse asseruit S. Congregationem, providendi prout de jure, quatenus opus fuisset; accessu instituto auditisque utrinque partibus sententiam protulit, quod attenta insuperabili difficultate parochianorum recipiendi Sacramenta in Ecclesia s. Michaelis, itineris difficultate et locorum intercapedine, parochus teneatur sacr. synaxim necnon oleum sanctum in Ecclesia s. Bernardini retinere ac per se ipsum vel per unum ex Capellanis dictae Ecclesiae s. Michaelis omnibus diebus festis de praecepto in eadem Ecclesia s. Bernardini celebrare ibique doctrinam christianam exponere exceptis solemnioribus quibusdam expressis festivitatibus, in quibus parochiani incruento sacrificio interesse deberent in Ecclesia s. Michaelis ibique Sacramenta percipere; praeterea Parochus vel Capellanus habitare debeat vel saltem continuo pernoctare in aliqua domo, si quae sit, in dicta Ecclesia s. Bernardini, vel prope ipsam, dummodo communitas

dicti loci sufficientem praestet commoditatem expensis propriis. Quatenus Parochus haec omnia non per se ipsum sed per dictum Capellanum explere velit, idem Capellanus ratione servitii consequeretur emolumentum, quod tum recipiebat ab Ecclesia s. Michaelis ex eleemosynis, quae ibi colliguntur, et quatenus dictum emolumentum satis non sit, jus sibi idem praesul reservavit providendi; idem vero Capellanus diebus, quae non observantur ex praecepto, accedere deberet ad Ecclesiam s. Michaelis ibique sacerdotales operas impendere, quemadmodum latius ex documento, quod in summario dabitur. Huic sententiae partes minus acquieverunt, sed diu ejus executione neglecta subinde appellatione interposita ad A. C. litigium acriter instauratum fuit; tandem vero deducta controversia ad Sacr. Congregationem novaque impetrata audientia in plena Congregatione diei 1. Septbr. ultimo elapsi, impraesentiarum Sanctesii villae Lapidiae aliique litis consortes, late adductis juribus, recessum praestolantur a decisis sub die 22. Jun. 1686 et 12. Martii 1695, necnon sub die 16. Aprilis 1695 quoad Parochi jus exercendi functiones parochiales in Ecclesia s. Michaelis, et habitandi domum contiguam, necnon etiam administrandi cumulative praememoratas oblationes, eo sub obtentu, quod mox dictae Ecclesiae s. Michaelis nunquam animarum cura incubuit, vel certius quia jam inde a priscis temporibus ad Ecclesiam s. Bernardini translata fuit. Contendunt quoque Sanctesii, nullatenus posse Parochum munus suum exequi mediante dicto substituto, qui est unus ex Capellanis stipendiatis cum eleemosynis collectis in saepedicta Ecclesia s. Michaelis; eorum vero Capellanorum electionem ad se ipsos spectare subtexunt approbante Episcopo.

Consueta itaque super novis precibus requisita informatione, modernus Episcopus, caeteris admissis, contendit jam ab anno 1572 animarum curam Villae Lapidiae translatum fuisse ad Ecclesiam s. Bernardini cum consensu parochianorum et confraternitatis ibi erectae. Anno vero 1663 circiter fidelium concurrente munificâ pietate, restauratam sive noviter aedificatam fuisse, prosequitur, Ecclesiam s. Michaelis, quae temporum injuria corruerat, integra tamen permanente muri parte, in qua b. V. Icon. expressa comperiebatur, in eaque nova Ecclesia populum Villae Lapidiae tres deputasse Sanctesios pro eleemosynarum administratione, binis institutis Capellaniis cum annuo stipendio sc. 35 et cum onere missarum necnon confessiones excipiendi respective. Indubium propterea asserit Episcopus, quod Ecclesia s. Michaelis nunquam fuit parochialis nullumque in ea praeter modernum Curatum vel resedisse vel parochialia exercuisse nec ibi Sacramenta administrari debere subdit ob loci asperitatem sine gravi animarum dispendio. Ecclesiam vero s. Bernardini ab anno 1572 curatam fuisse et populo commodam cum domo parochiali idem relator asserit. Hinc censet cogendum esse Parochum, ut ibi residentiam faciat, neque teneri Capellanum s. Michaelis coadjutoris munus exhibere, ut latius ex relatione circumferenda. At moderno parocho exaggerante summo jure definitam jam fuisse hanc controversiam a S. Congregatione ac rite recteque provisum extitisse ab Episcopo praedecessore; superest, quod ex utrinque adducendis sapiens EE. VV. oraculum prodeat sub hisce concordatis dubiis:

I. An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum et secundum dubium sub die 22. Junii 1686 et 12. Mart. 1695 in casu etc.?

II. An et in qua Ecclesia ex praedictis Parochus teneatur residere seu potius possit residere in alterutra?

III. An Parochus teneatur retinere continuo Vicecuratum seu alium sacerdotem et Capellanum ad exercendam curam in Ecclesia s. Bernardini intus Villam Lapidiam ejus propriis sumptibus et expensis seu potius sit servanda sententia Episcopi?

IV. An sit standum vel recedendum a decisis quoad tertium dubium sub die 16. Apr. 1695?

V. An et ad quos spectet deputatio Capellanorum?

S. C. C. resp. *ad I.:* Recedendum a Decisis;

ad II.: In Ecclesia s. Bernardini;

ad III.: Satis provisum;

ad IV.: In Decisis;

ad V.: Audiatur Episcopus.

Die 13. Apr. et 16. Nov. 1715.

l) Parochi et Magistri Theolog.

Si Theologus (Magister s. Theologiae) habens praebendam, legitime obtineret parochialem, teneretur in ea residere, amissis distributionibus quotidianis et aliis emolumentis, quae tantum deservientibus dari solent, in officio autem arbitrio Ordinarii alium deputare debet assignato ei competenti solario.

Declaratio S. C. Tr. Interpret. ad cap. 1. sess. 5. De ref. (Edit. Gallemart.)

Canonicatum et magistralem praebendam obtinens cum parochiali, *si in ea, ut tenetur, resideat*, fructus canonicatus et praebendae percipere potest, ita tamen, ut quotidianas distributiones amittat atque alia praeterea, quas absentes justa de causa percipere non possunt. In praebenda autem magistrali idoneum virum sibi substituat, qui ex veteri instituto propositum sibi praebendae munus obeat s. Scripturae interpretandae.

Ibidem.

Theologus legens, quamdiu leget, pro residente habeatur et recipiat omnes fructus praeter distributiones quotidianas, praesupposito quod adsit massa grossa vel praebenda.

Ibid. p. 24.

Vd.: *Resid. Archid.* (Vice Aquen).

m) Personalis.

Vid.: *Resid. formalis et materialis.*

Parochus tenetur residere personaliter et non alio modo satisfacit muneri suo, etiamsi populo per alium aeque bene et forte melius serviatur. Unde Parochus non satisfacit praecepto residentiae suaeque conscientiae, si resideat quidem personaliter in parochiali, sed totam curam relinquat Capellano, nulla per se ipsum munia parochialia obeundo: *Barb.* de offic. et potestate Parochi part. 1. cap. 8. n. 41. cum aliis ibi citatis; *Possevin.* de offic. Curati cap. 1. n. 10., *Reiffenstuel* lib. 3. Decretal. tit. 4. §. 3. n. 85.; Parochi enim cogendi sunt ad subeunda per se ipsos et non substitutos ea munia, ad quae tenentur. Tolerandi autem, ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis Canonum et Decretorum Concilii permissum est eis, ut per Vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi. S. C. C. in una Nullius 3. Jul. 1591. Residere enim est Ecclesiae deservire per se ipsum; cap.: *Quia nonnulli* 3. et cap.: *Relatum* 4. de Clericis non residentibus. Unde in cap.: *Extirpandae* 30. de Praebend. §.: *Qui vero* expresse sic statuitur: Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium (Capellanum sive Cooperatorem) sed per se ipsum illi deserviat, in Ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit. Vide

Monacell. part. 1. tit. 16. formul. 2. num. 2.

n) Tempus absendi.

Vd.: *Resid. Par.* (licentia absendi; oblig., decr. Greg. XVI.).

Parochi non possunt abesse a suis parochiis, neque per duos menses ipsis a Concilio concessos, absque licentia Episcopi. *Barb.* in Summa apostolica decis. verb.: Parochus quoad residentiam n. 6., *Fagnan.* lib. 3. decretal. in cap.: *Relatum* 4. de Clericis non resident. n. 32., qui omnes referunt, S. C. Concilii censuisse, quod Parochi non possunt sic abesse per duos menses, immo nec per hebdomadam absque licentia Episcopi, quae, causa cognita, et in scriptis concedenda est. Et sic tenet etiam *Piasecius* part. 2. prax. Episcop. cap. 3. art. 3. n. 55., *Lessius* lib. 2. de justitia et jure cap. 34. dubitat. 29. n. 259., *Ugolin.* de offic. Episcop. cap. 14. §. 5. n. 2., *Barbosa* de offiic. et potest. Episcopi part. 3. alleg. 53. n. 96., et de offic. et potestate Parochi part. 6. cap. 8. n. 55. et super Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. n. 67. cum aliis ibi citatis contra *Navar.* in Manual. cap. 25. n. 121. et alios apud *Barbosam* locis citatis, existimantes in duobus mensibus a Concilio concessis posse Parochum ex justa causa abesse continue vel divisim sine licentia Episcopi. At veritas nostrae conclusionis clare patet ex verbis Concil. in cit. sess. 23. de reform. cap. 1., ubi dicit, quod, quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam et probatam per Episcopum, ibi: „Quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita et probata abesse contigerit ... discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant", quae verba satis clare indicant, etiam pro primo bimestri a Concilio concesso non posse abesse sine licentia Episcopi. Et idipsum declarasse S. C. Conc. ad cit. cap. 1. sess. 23. de reform. refert *Garc.* part. 3. de beneficiis cap. 2. n. 23. Aliamque talem declarationem refert idem *Garc.* part. 9. de beneficiis cap. 2. n. 295. asserens, quod cum Episcopus Abulensis de anno 1693 dictam S. Congregationem inter alia consuluisset: *An Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia, ex causa, quae sibi videtur justa?* Resp.: „Eos minime abesse posse absque amplitudinis tuae (sive Episcopi) licentia."

Immo ad hoc, ut Parochi possint etiam per bimestre a Concilio concessum abesse, non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta et in scriptis data. Ita *Abbas* in cap.: *Relatum* 4. de Clericis non resid. n. 5. et alii id desumentes ex verbis Concilii loc. cit. ibi: „*Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam etc.*", ex quibus patet, quod non sufficit licentiam illam dumtaxat peti, sed oportet, eam etiam concedi, et quidem in scriptis. Si autem Parocho postulanti Praelatus seu Episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad Superiorem Praelati seu Episcopi, et subsistente rationabili causa, posset idem Superior compellere Praelatum inferiorem ad eam licentiam concedendam, prout censuit S. C. C., ut refert ac tenet *Garc.* part. 3. de beneficiis cap. 2. n. 37. et seq. et alii.

Occurrente tamen causa aliqua gravi et necessaria subito abscedendi, quae tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem seu sit periculum in mora petendi et expectandi licentiam, tunc Parochus, relicto idoneo Vicario, discedere poterit absque praehabita licentia Ordinarii, quia necessitas non habet legem; cap.:

Quoniam 1. qu. 7., cap.: *Sicut 11.* dist. 1. de consecr., cap.: *Consilium* 2. de observ. jejunior., cap : *Omnes* 1. de Feriis, cap.: *Consuluisti* 3. de celebr. Missarum, cap.: *Quod non est licitum* 4. de Regul. Jur.; ita tamen, ut hujusmodi Parochus, quamprimum poterit, teneatur certiorare Ordinarium de tali suo discessu atque necessitate urgente, ut is de causa cognoscat et licentiam concedat, nisi sit brevi reversurus: *Abbas* l. c. n. 6., *Garcias* l. c. num. 34. et alii passim. Et sic declarasse S. C. C. referunt *Garcias* l. c. num. 34., *Barbosa* in Summa Apostol. decis. verb.: *Parochus quoad residentiam* num. 9.

Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua Ecclesia, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato. S. C. Concil. apud *Garciam* p. 3. de benef. cap. 2. num. 23. in tertia declarat., *Barbosa* de offic. et potest. Parochi num. 56. Immo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit Constitutio Episcopi prohibens Parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis Ecclesiis absint; tunc enim Parochi, etiam stante causa rationabili et constituto idoneo Vicario, non possunt ultra biduum abesse sine licentia Ordinarii. Valet enim Constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia, ut declaravit S. C. Conc. apud *Garc.* l. c. in n. 23. in 1. declaratione; *Barbos.* de offic. et potest. Parochi l. c. n. 57. Quinimmo potest Episcopus prohibere Parochis sub poena pecuniaria arbitraria, quae tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab Ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub poena excommunicationis latae sententiae. S. C. Conc. ad cit. sess. 23. cap. 1. de reform. testibus *Garc.* l. c. in Summa n. 7.; et sub poena pecuniaria esse permissum censuit eadem S. C. Conc. in Trevirensi 11. Febr. 1628 apud *Barb.* de offic. et potest. Paroch. part. 1. c. 8. n. 45. et apud alios.

o) Tempore pestis vel aeris insalubr.

Vd. p. 162: *Mutatio etc.*; p. 167. 168. 169.

Liceat Sequentia afferre ex Benedicto XIV.:

Illud ab omnibus indubitanter admittitur, quod quicumque curam gerit animarum ac residendi obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiae loco recedere, ut pestis periculum effugiat; ideoque saeviente licet peste et residere debet et residentiae non materialis tantum sed etiam formalis, ut inquiunt, onera adimplere, operando nimirum et laborando pro spiritualibus et corporalibus concreditae sibi plebis necessitatibus. Gravissima pestis Mediolanum invasit, dum s. Carolus Borromaeus illius civitatis Archiepiscopus sedebat. Cum autem Sanctus Praesul animo forte prospiceret, non neminem fore, qui parum aestimans incumbentem sibi animarum curam facile consilium coepisset, ut alium in suas vices substitueret seque a residentiae loco subtraheret, dubium hoc ad Congregationem Concilii definiendum detulit: num scilicet residere teneretur, qui curae praeerat animarum, quamvis urgeret periculum contrahendi pestem et ex illa occumbendi? Responsum autem fuit: residendi obligationem vel tum vigere eaque obstringi non modo Parochos sed et Episcopos, quibus Pontificia quoque Gregorii XIII. accessit approbatio. Unde post ejusmodi rescipta sive resolutiones aditus locusque amplius relinqui non potest eorum doctorum opinioni, qui affirmarunt et docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, a residentiae loco abscedere, modo Sacerdotem

idoneum adinveniat, qui accedente Episcopi licentia vices ejus adimpleat. *De Synod. dioec. lib. 13. cap. 19. num. 2.*

17) Praecisa et causativa.

Notabilis est divisio residentiae in praecisam et causativam. Illam adimpleri nequit per alium obligatque sub poena amissionis beneficii, haec vero potest per alium adimpleri solumque sub poena amissionis fructuum obligat. *Rigant.* in comment. ad Regul. 1. §. 8. n. 12., *Rot. in Monasterien.* parochialis 16. Febr. 1748 §. 5. coram illustriss. Migazzi.

Residentia praecisa non debet necessario esse continua, sed potest esse et discontinua. Dummodo enim non residenti poena amissionis beneficii sit imposita, residentia dicenda est praecisa, sive sit continua sive sit discontinua. *Leuren.* in for. Benef. part. 1. sect. 3. cap. 1. quaest. 363. per tot., *Garc.* de Benefic. part. 11. c. 5. n. 90., *Lotter.* de re Benefic. lib. 3. c. 27. n. 3., optime *Rot. in dict. Monasterien.* parochial. 16. Febr. 1749 §. 5. et seq. coram illustriss. Migazzi.

Ex quibus dignosci possit, utrum beneficio imposita sit residentia praecisa an residentia causativa, recte tradit *Rigant.* in comment. ad Regul. Cancellar. dict. Reg. 1. §. 8. a n. 16. ad plur. sequent., ubi illud notabile, quod poena amissionis fructuum a fundatore expressa in dubio tantum inducit residentiam causativam, non item si aliunde constet voluisse eum residentiae praecisae beneficium subjicere. Confer etiam *Rotam in Vicen.* Benefic. 5. Julii 1751 et plur. sequent. coram Rmo Corrado. Impetratio Beneficii, quod sit obnoxium oneri residentiae causativae, valida est, vel si nihil dictum sit de residentia vel si negatum sit habere ipsum onus residentiae; *Rota in Fanensi* Beneficii 23. Apr. 1735 §. 8. coram bon. memor. Peralta, in *Caesaraugustana* Beneficii 28. Junii 1745 §. 7. coram Rmo Molino, et in dict. Vic. Beneficii 5. Jul. 1751 §. 12. coram Rmo Corrado.

Insigne est discrimen, quod intercedit residentiam praecisam praescriptam ab Homine. In illa contra non residentes procedendum est modo ab ipso jure praescripto. In hac servandus haud est modus ille, sed qui per aliquod tempus non resederunt, privari Beneficiis possunt. *Hericourt.* oper. posthum. tom. 1. cons. 33. fere per tot. et signanter §.: A Pegard.

18) Sacerdotum aliorum.

Sacerdos quidam archidioecesis Firmanae ruralis ecclesiae, ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum quotidie asservatur, uti Aedituus addictus S. R. Congregationem supplex rogavit, ut declarare dignaretur dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: An Aedituus ruralis Ecclesiae, ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum semper asservatur, teneatur ibi residere, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium quotidie celebret, vel an possit per quinque aut sex dies quolibet mense abscedere, ut aliis obligationibus in alia ecclesia vacet. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunata respondendum censuit: „Teneri ad residentiam et quotidianam Missae celebrationem vel per se vel per alium sacerdotem."

n. 4700 die 16. Mart. 1833.

Ad dubium I.: Utrum *Coadjutores* omnes, quomodocunque sint capellaniae institutae, teneantur ad residentiam personalem eadem lege Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform., qua rectores ipsi parochialium tenentur?

II.: Utrum possit Episcopus et teneatur cogere ad residentiam illos etiam Coadjutores, quibus nulla expressa personalis residentiae obligatio injuncta est?

III.: Utrum possit Episcopus cum aliquo ex his Coadjutoribus dispensare super residentia?

S. C. C. resp. *ad I.:* Teneri; *ad II.:* Teneri cogere hos, sicut ipsos ecclesiae rectores; *ad III.:* Non posse prout nec rectoribus ipsis potest.

Die 5. Nov. 1620.

Ad dubium: Constitutis in binis ecclesiis paroch. s. Luciae et ss. Salvatoris Coadjutoribus pro exercitio curae animarum cum suppressione nonnullorum beneficiorum in S. C. exhibitum dub. fuit: An uterque in sua parochia respective residere teneatur?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 21. Aug. 1677.

Cf.: *Resid. parochi.* Vd.: *Edictum Clem. XI. die 18. Jun. 1701* (Bull. r. t. VIII. p. 290).

De eorum absentia a loco resid. vd.: *Resid. parochi* (absentia).

19) Sacerdotum auxiliat.

Nullius Terrae Fasani residentiae.

Servitio prioralis receptitiae Ecclesiae s. Joannis Bapt. Terrae Fasani adscripti reperiuntur Originarii omnes, qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, quorum quadraginta participantes nuncupati absque titulo collativo, et cum aequali emolumentorum participatione dominicis aliisque festis diebus Ecclesiae inservire, reliquis vero divisim in quatuor hebdomadas Missas perpetuas vel adventitias inibi ad certa altaria celebrare tenentur, concurrentibus etiam diebus festis ad sacras functiones caeteris Supernumerariis, qui juxta antianitatis ordinem in quocumque vacationis eventu inter participantes assumuntur. Veteri autem consuetudine ac peculiari lege a participantibus edita anno 1671 et a Vicario Generali subscripta cautum est, quod participantes ultra sex menses a residentia vel a servitio chori absentes a participatione excludantur, ne praejudicium aliquod Supernumerariis irrogetur; justam vero non interessentiae et absentiae causam allegantes, dummodo Missarum onera per alios adimpleant, frui valeant praebenda tantum, id est participatione stabilium et censuum, dempta tamen tertia parte eorundem censuum ac integre detractis tum funerum tum funeralium et Missarum cum cantu emolumentis.

Sacerdos Petrus Leonardus Loprete in participantium numerum anno 1729 adscriptus paulo post ex causa non servatae residentiae ab eo fuit expunctus; postmodum anno 1732 iterum obtinuit ad aliam portionem tunc vacantem admitti. Cum autem ipse denuo relicto propriae Ecclesiae servitio ad Urbem sese transtulisset, absque eo quod unquam de reditu cogitasset, hinc Capitulares diuturnae pertesi morae die 4. Julii 1759 coram Vicario Generali insteterunt, ut ei ad redeundum congruus assignaretur terminus, quo elapso ipsis fieret potestas alterum ex senioribus Supernumerariis subrogandi. Postulatio hujusmodi die 17. ejusdem mensis intimata fuit Loprete, praefixo termino triginta dierum ad comparendum; sed ipso in sua contumacia, etiam in termino prorogato ad totam diem 10. Apr. anni 1761, insordescente morasque nectente, etiam per expeditionem Monitorii coram A. C. super manutentione in jure ac possessione non residendi, delata est causa judicio Sacr. Congregatiois. Eaque nunc proponitur duobus collecta capitibus. Et disputant Capitulares, Sacerdotem Loprete ad residendum et

ad chori interessendum teneri, tum ex juris canonici dispositione tum ex antiqua consuetudine, tum etiam ex peculiari decreto capitulari anno 1671 ab Ordinario approbato, in quo delentur ab albo participantium non residentes ultra sex menses, cumque nulla rationabili impellente causa per plures annos a residentia vacaverit et adhuc vacet, inferunt locum esse expulsioni Loprete a consortio et subrogationi alterius ex Supernumerariis.

Quoad onus residentiae in his Ecclesiis receptitiis conferre videntur rescripta hujus S. Congregationis edita in *Asculana* participantium 18. Nov. 1662, in qua propositis dubiis:

I. An in dictis participantibus habeant locum poenae non residentium, tam in jure communi quam a Sacro Concilio inflictae?

II. An eisdem participantibus possit Episcopus permittere longiorem absentiam a residentia, quam in canonicatibus et in aliis collativis Beneficiis eam requirentibus, ex causa indulgere potest?

Responsum fuit ad I.: Habere locum; ad II.: Non posse, ut in lib. 23. decr. pag. 347.

Quo vero ad privationem non residentium similis quaestio proposita fuit in *Ugentina* participationis 9. Septbr. 1730, in qua, cum deletus fuisset a tabella participantium Presbyter post anni absentiam, disputata fuerunt dubia:

I. An sit locus manutentioni seu reintegrationi favore Donati Arnesii, etiam non obstante absentia, in participatione massae communis Ecclesiae parochialis Terrae Ruffani? et quatenus affirmative;

II. An et a qua die debeant eidem restitui portiones massae communis?

Causa non fuit decisa, cum S. Congregatio crediderit respondere: „Dilata et ad mentem", (lib. 80. decr. pag. 231.) quae fuit, ut scriberetur Episcopo viciniori pro nova informatione super qualitate servitii praestandi Ecclesiae receptitiae, et in hoc statu absque ulteriori progressu remanserit.

Dignabuntur igitur EE. VV. decernere:

I. An Sacerdos Loprete teneatur ad personalem residentiam in Ecclesia receptitia s. Joannis Baptistae Terrae Fasani? Et quatenus affirmative;

II. An attenta illius contumacia sit locus admissioni novi Presbyteri in locum dicti Loprete in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad utrumque. Die 16. et 30. Jan. 1762.

Vd.: *Resid.* (Benef., Capellan.).

20) Thesaurarii.

Ad dubium: An et quomodo thesaurarius Cathedralis Ostunen. cogi possit ad residentiam?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 7. et 28. Julii 1708 ad 1.

21) Vicarii a Capitulis Cath. vel Colleg. ad administr. paroch. remotam destinati.

Florentina.

(Conc. Tr. c. 7. sess. 7.; cap. 9. 16. sess. 25. De reform.)

Ecclesiae paroch. s. Mariae de Praetorio nuncupatae, quae a multo tempore unita fertur Capitulari Mensae Ecclesiae Colleg. s. Andreae Terrae Emporii, latente adhuc dictae unionis documento, deserviri consuevit quoad animarum curam a Vicario amovibili, qui est unus ex Capitularibus et d. Collegiatae a Capitulo deputatus cum approbatione Ordinarii, recepta ann. stipe scutorum octo, quae persolvuntur a Capitulo ac desumuntur a sextariis 31 frumenti, quos Emphytheutae primodictae Ecclesiae contribuunt ipsi Capitulo, necnon sextariorum undecim

frumenti contributorum a parochianis. Cumque d. Vicarius nonnisi diebus festis de praecepto solitus sit ad praefatam parochialem accedere, eo quod ob deficientiam congruae sustentationis suam residentiam faciat in praedicta Terra Emporii distante a parochiali duobus circiter milliaribus, interfluente Arno fluvio, hyberno tempore non leviter extumescente quin et interclusis per nocturnas horas ejusdem Terrae Januis, populus et Parochiani de Praetorio, qui hodie conflant numerum animarum 128, desiderantes habere Pastorem suis spiritualibus indigentiis propinquiorem redegerunt Ecclesiam parochialem jam dudum pene excisam in formam decentiorem, concinnata pariter sufficienti habitatione pro Parocho, atque ulterius ad congruam ipsius Parochi sustentationem, qui residentiam erit facturus in saepe dicta parochiali, Simon de Alexandro vir praedives ac nobilis exhibuit se de suis propriis bonis contribuere ann. scut. 50, dummodo tamen eidem ac suis haeredibus quibuscumque Juspatronatus in eadem Ecclesia parochiali reservetur, quod quidem autumat jam diu habuisse ex gentilitiis suis stemmatibus, quae affixa conspiciuntur in ejus janua et ara maxima. Hinc iidem parochiani humillimum habuerunt recursum ad hanc S. C. pro declaratione dissolutionis praetensae unionis et benigna praemissorum approbatione Archiepiscopus Florentinus desuper informare requisitus omnia praedicta confirmavit ac non obstante Capituli Collegiatae contradictione Oratorum precibus annuendum putat, dummodo tamen idem Capitulum nolit per se onus personalis debitae residentiae subire, cum caeteroquin informans maxime commiseretur illarum animarum detrimentum ex absentia pastoris hactenus exantlatum, earum quamplurimis dudum perfunctis sine Sacramentis et sine assistentia spirituali, uti fusius ex ejusdem relatione in summario danda. Partibus itaque hinc inde monitis, reliquum est, ut EE. PP. dignentur resolvere infrascripta dubia concordata:

I. *An sit locus dissolutioni unionis?*

II. *An admittenda sit dotatio, de qua agitur, cum reservatione Jurispatronatus in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Capitulum apponat Vicarium cum assignatione congruae taxandae ab Archiepiscopo, quippe Vicarius teneatur residere diu noctuque in parochia.

Die 13. Apr. 1709.

22) Vicarii Regularis.

Ad dubium: An liceat Monachis Vicariis deputatis in Ecclesiis paroch., quatenus sint unitae aut annexae Monasterio, residere in parochiis absque socio regulari?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 4. et 18. Maii 1715.

23) Vicariorum residentiae locus.

Firmana.

Parochialem Ecclesiam s. Stephani Terrae Montis Sancti anno 1754 Sacratissimus Princeps noster in insignem Collegiatam erexit, quae Praeposito, duodecim Canonicis et duobus Vicariis Curatis componeretur. Canonicis congruos redditus assignavit ex haereditate Petri Antonii Marefuschi, derogatis piis aliis operibus, quae in ejusdem testamento designatae fuerant: Praeposito, qui ante Collegiatae erectionem Plebanus erat, quem totius Capituli caput esse voluit, et cui habitualis tantum cura animarum relicta fuit, omnia et singula bona necnon quoscumque fructus, redditus et proventus tam certos quam incertos quomodolibet provenientes antea ad

dictam parochialem Ecclesiam s. Stephani spectantes attribuit cum onere tamen praestandi duobus Vicariis perpetuis, qui curam animarum dictae parochialis Ecclesiae exercere debent, annuam summam septuaginta ducatorum auri de camera et Juliorum quindecim monetae romanae inter ipsos praeter nonnulla emolumenta incerta eis obventura, aequaliter dividen. annis singulis unica seu pluribus solutionibus. Inter bona, quae ad parochialem Ecclesiam ante erectionem in Collegiatam spectabant, est domus Ecclesiae adnexa octo constans cubiculis, quam Praepositus pridem Plebanus habitat cum sua familia, quaeque illi vix satis est, licet sua pecunia eam et reparaverit et auxerit. Hanc nunc appetunt duo Vicarii Curati, non contenti ea, quam longe commodiorem ipsis comparavit Praepositus, quaeque passibus 162 distat ab Ecclesia. Licet enim eam habitaverint a die erectionis, contendunt tamen tradendam ipsis esse domum praeposituralem, quia ipsi curam habent animarum, non Praepositus, qui habitualem dumtaxat habet. Re delata ad hoc sacrum tribunal auditus fuit Archiepiscopus, qui secundum Vicarios respondit.

Disputat nunc Praepositus rem confici ex verbis, quae supra dedimus, Constitutionis SSmi Domini Nostri, qua omnia bona, quae ipsi domum habitent intra fines parochiae, quae non longe distat ab Ecclesia, quaeque amplior est praepositurali, quae dividi non potest cum Vicariis, hos frustra doctores allegare, qui docent domum parochialem a Parocho esse habitandam, cum id habeant de Parocho, qui talis sit actu et habitu, non de Vicariis. Haec atque alia Praepositus. A Vicariis nihil habuimus. Dubium est:

An Vicarii Curati s. Stephani Montis Sancti praeter summam in Bulla assignatam valeant etiam expetere habitationem in domo praepositurali, posthabita illa in viciniis assignata et actu ab eis inhabitata in casu?

S. C. resp.: Affirmative et ad mentem, et mens est, quod non amoto moderno Praeposito a domo parochiali assignetur Vicariis alia domus magis proxima approbanda ab Archiepiscopo.

Die 2. Apr. et 30. Julii 1757.

RESPONSORIUM.

1) Martyris.

Vd.: *Martyr* (Responsorium).

2) In Officio defunct.

Vd.: *Officium def.* (Resp., Dies).

3) Proprium.

Vd.: *Hymnus* (proprius, decr. n. 4044); *Haec est vera fraternitas.*

4) Repetitio.

Quando ad Matutinum duobus asteriscis est divisum Responsorium, e. g. post VIII. lect., quando fit de dom. per annum, item in festo Epiph. Dom. et in festo Concept. B. M. V., prima repetitio debet fieri a primo asterisco usque ad versum, non vero usque ad secundum asteriscum tantum, secunda vero repetitio, quae fit post v. *Gloria Patri*, non comprehendit nisi verba, quae habentur post secundum asteriscum, ut dicitur in Commentariis Merati et in aliis tractatibus liturgicis. Quaeritur: an hoc quoque observandum sit, quando in eodem responsorio plures habentur versus, ut in I. resp. dom. I. Adv. et in ultimo responsorio Officii defunctorum, quando dicuntur IX lect., ita ut in primo casu post vers.: *Quique terrigenae,* dici debeat: *Ite obviam ei, et dicite * Nuntia nobis, si tu es ipse: * Qui regnaturus es in populo Israel.* Et post versum:

Qui regis Israel, prima parte repetitionis omissa, dicatur: *Nuntia nobis si tu es ipse* * *Qui regnaturus es in populo Israel;* in secundo autem casu post versum: *Tremens factus sum ego etc.*, ponatur: *Quando coeli movendi sunt et terra:* * *Dum veneris judicare saeculum per ignem;* sicut non sufficiat repetitionem responsorii facere usque ad secundum vel tertium asteriscum tantum omittendo verba sequentia usque ad versum?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Prima vice integrum legendum responsorium post versum usque ad secundum asteriscum; post *Gloria Patri* a secundo asterisco ad finem, juxta alias decreta et ut notatur in Breviario.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad VII. die 7. Decbr. 1844.

Lauretana.

Sacerdos Archangelus Polidori Canonicus itemque Choro Praefectus Basilicae Lauretanae humillimis datis precibus enixe supplicavit, ut a S. Rit. Congregatione declaretur: utrum in responsoriis post lectiones, quando duplex apponitur asteriscus, dicto versu repetenda sint verba a primo asterisco ad versum usque, et post *Gloria Patri* repetitio incipere debeat a secundo asterisco ad versum usque, uti opinantur Cavalieri et Merati, vel utrum prima repetitio post versum prosequi debeat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti rubrica ad praxim redacta praescribit in responsoriis dominicae primae sacri Adventus et in responsorio: *Libera me Domine*, Officii defunctorum, uti fieri assolet in Ecclesiis Urbis, ac servandum praecipit Orator in Basilica Lauretana, cujus sanctionis veluti praxi conformis confirmationem exposcit. Hujusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta sub die habitis reque mature perpensa Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi hodiernam consuetudinem in choro Basilicae Lauretanae constitutam confirmarunt ac proinde rescribendum censuerunt: „Dividatur et recitetur responsorium prout in precibus.“ n. 4733 die 6. Sept. 1834.

REVERENDISSIMUS.

1) In benedictionibus.

Ad dubium: An Subdiaconus vel alius quicunque minister, qui inter missarum solemnia vel alio quovis casu petit benedictionem a Praelato pro incenso seu aqua, possit invertere ordinem pontif. rubricae, qua jubetur ut dicat: *Reverendissime Pater*, et dicere: *Serenissime Pater?*

S. C. resp.: Servetur Caer. Episcop. lib. 2. cap. 8. n. 4140 ad 1 die 11. Maii 1743.

Subdiaconus urceolum aquae parumper versus Episcopum elevans dicit: *Bened.*, *Pater Reverendissime* . . .

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 62.

Ministrante Diacono naviculam et dicente: *Bened.*, *Pater Reverendissime* imponit Episcopus incensum (ad Offertorium).

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 64.; l. I. c. XXIII. n. 1. 10.

Vd.: *Thus* (impositio); *Incensum* (impositio).

2) In Confessione.

Vox „*Reverendissime Pater*“ non dicitur in *Confessione* a Ministris et Assistentibus Episcopi, sed solum „*et tibi (te) Pater*.“

n. 133 ad 5 die 2. Sept. 1597.

Presbyter assist. ad dexteram Episcopi stans . . . dicet in Confessione: „*Tibi Pater*“ et „*Te Pater*“, profunde versus Episcopum caput inclinans.

Caer. Ep. l. I. c. VII. n. 3.

Ministri erga Episcopum: „*Tibi Pater*“ et „*Te Pater*“ . . . dicunt.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 31.

3) Non est Titulus Capituli.

Capitulum Cathedralis non est salutandum a Concionatore cum titulo: *Reverendissimi*, neque in absentia Episcopi. S. Congreg. Rit. in Capuana 23. Januarii 1700 in respons. ad III. apud *Monacell.* tom. 4. supplem. ad 1. tom. n. 20.

REVERENDUS.

Diaconus ministrans thus Canonico celebranti dicere debet: *Reverende Pater.*

n. 3516 ad 6 die 4. Apr. 1699.

Vd.: *Mansionarii* (Diac. etc., decr. n. 4458 ad 4); *Thus* (impos.); *Incensum* (impositio).

REVERENTIA.

1) Acolythorum in vesperis.

Vd.: *Vesperae* (ritus — Acolythi —).

2) Erga Altare.

Vd.: *Rever. erga Episcop.*

Accedens primum ad Ecclesiam sive capellam Pontifex genuflectit ante altare super faldistorium et capite detecto orat. Cardinales, Praelati et alii omnes tam Clerici quam Laici similiter primum intrantes genuflectunt in terram orantque. Pontifex surgens ab Oratione cum mitra veneratur altare caputque inclinando, antequam inde discedat. Cardinales quotiens vadunt versus altare vel ante illud transeunt, profunde caput inclinant altari. Alii omnes, tam Episcopi quam Clerici sive Laici transeuntes ante altare genuflectunt.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 329.

3) Inter Archiepiscopos et Episcopos.

Archiepiscopo reverentiam ut majori ab Episcopo deberi.

n. 561 die 13. Oct. 1618.

Vd.: *Praeses* (c. VII.); *Reverentia Episcopi.*

4) Inter Canonicos et Canonicorum erga Beneficiatos.

Urbis s. Petri.

In causa vertente inter Capitulum s. Petri ex una et Capitula s. Mariae Transtyberim et s. Laurentii in Damaso ex altera partibus de et super receptione dictorum duorum Capitulorum in processione solita celebrari in die festo s. Marci capitulariter accedentium una cum toto Urbis Clero ad Ecclesiam s. Petri

S. R. Congregatio die 15. Aprilis 1606 audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii, cui haec causa ab eadem S. Congregatione commissa fuerat, omnibusque rationibus hinc inde deductis mature perpensis et consideratis, de voto omnium et singulorum Illmorum et Rmorum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium, nemine eorum prorsus discrepante, decretum per modum provisionis alias in eadem causa ab eadem Congregatione factum sub die 19. Aprilis 1603 tamquam decretum hujus causae decisivum in perpetuum servandum esse censuit et declaravit, videlicet: Quod proxime dicta duo Capitula s. Mariae Transtyberim et s. Laurentii in Damaso illorumque Canonici Ecclesiam s. Petri ingredientes

Capitulum s. Petri et Canonicos illius detecto capite decenter salutare debeant ac vicissim Capitulum et Canonici s. Petri praedicta duo Capitula s. Mariae et s. Laurentii illorumque Canonicos, dum progrediuntur similiter detecto capite, et aliquantulum ab eorum sedibus assurgendo, resalutare et humaniter atque honorifice, prout ecclesiasticos decet viros, recipere debeant. Hoc autem addito, quod dicti Canonici s. Mariae et s. Laurentii transactis Canonicis s. Petri debeant etiam detecto capite salutare Beneficiatos et Clericos ejusdem Basilicae s. Petri, et ipsi Beneficiati et Clerici teneantur omnino assurgere et stantes detecto capite resalutare ipsos Canonicos s. Mariae et s. Laurentii. Et de hujus Congregationis S. R. sententia et opinione, facta relatione SSmo D. N. Paulo PP. V. in consistorio secreto per infrascriptum Cardinalem Comensem hac die infrascripta, Sanctitas Sua sententiam Congregationis approbavit, laudavit et omnino ac ad unguem exequi mandavit, non obstantibus quibuscumque, sub poenis et censuris arbitrio S. Congregationis imponendis. In quorum fidem praesentes per infrascriptum ejusdem Congregationis Secretarium fieri fecimus et manu nostra propria subscripsimus nostrique soliti sigilli impressione muniri jussimus.

Datum Romae in aedibus nostrae solitae habitationis die 17. Apr. 1606. *Pto. Episcopus Ostien. Card. Comen. J. P. Mucantius Secret. Congr.*

(Anal. J. P. 1863 p. 57 n. 205.)

5) Cardinalium.

a) Erga Card. celebrantem.

Cardinali celebranti in praesentia Papae neque fiunt genuflexiones ab aliquo, neque fit ei praegustatio sive credentia et similiter in omnibus aliis actibus publice coram Pontifice nemini isti duo actus reverentiales exhibentur, nisi tantum Romanorum Imperatori, si adesset in convivio cum Papa, non Regi, non Cardinali, non Principi quantumcumque Maximo. In absentia vero Pontificis Cardinali celebranti fiunt genuflexiones a Scutiferis, cum lavat manus, et a Capellanis, dum accipit et dum dimittit sandalia, et cum fimbrias tenent, et fit praegustatio. Et quoniam Cardinalis celebrans, absente Pontifice, cum e faldistorio vadit ad altare, cum mitra facit reverentiam Cardinalibus, caput illis inclinando, videtur valde consentaneum, et tunc Cardinales alii ei assurgant et in reverentia correspondeant.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 335.

b) Episcoporum erga Cardinales.

Quod aliqui ex Reverendissimis Dominis Cardinalibus permittant, ut audivi, Episcopos ante se loqui genuflexos et in mensa, dum manus lavant, similiter mantile ministrare, valde absurdum videtur, et quamvis saepe apud plerosque Rmos Dominos in conviviis fuerim, et ante et postquam inter Episcopos indignus sum, nunquam tamen id servari vidi. Adscribendum est hoc, pace illorum dixerim, ignaviae et vecordiae Praelatorum, qui talia faciunt, qui supremam in Ecclesia Dei episcopalem dignitatem non cognoscunt, sive eorumdem ambitioni atque adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucupentur, dignitati suae rationem non habentes eam serviliter deturpant. Cardinales autem, qui talia sive ex inadvertentia sive ex alia causa patiuntur, in charitate Dei obsecro, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant et cogitent, Summum Pontificem non alio titulo quam episcopali decorari, et cum is

publice et in re divina lavat manus, non Episcopus aliquis sed Capellanus suus Auditor Rotae mantile subministrat. Quod si forte aliquos mei similes tanto fastigio viderint, non personam sed sacrosanctam dignitatem in eis venerentur et opera illorum utantur in his verbis, quae dignitati utriusque congruunt. Decet tamen Episcopos in omnibus publice et privatc, quantum per dignitatem licet, Rmos Dominos Cardinales honorare et venerari, et eis pro viribus assistere, obsequi et inservire; nec minus convenit, Cardinales ipsos benigne suscipere Episcopos, et quos Summus Pontifex Fratres appellat, non ut servos sed ut Confratres honorare. In Capella, praesente Pontifice, nulla Cardinalibus per transeuntes ante illos fit reverentia, nisi per illos, qui dant incensum sive pacem, ut suo loco dicemus. Absente vero Pontifice, fit reverentia per transeuntes ante eos, caput inclinando tam per Celebrantem quam per alios ministros.

Catalan Caer. Eccles. rom. l. II. p. 337. Vd.: *Praeses.*

c) Erga Cardinales.

Rmi Domini Cardinales, qui bases et columnae sunt sacrosanctae rom. Ecclesiae et membra nobilissima mystici Corporis, merito ab omnibus et ubique venerandi sunt et maxime honorandi, ita tamen, quod sit differentia inter ipsorum et Summi Pontificis reverentiam.


De reverentiis, quae privatim fiunt Cardinalibus.

In aliis autem actibus tam domi quam alibi, etsi nonnulli dicant in curia romana genuflexiones Pontifici tantummodo deberi, ego autem arbitror, non esse absurdum, sed satis honestum, simplices laicos et Clericos non Praelatos in primo congressu ante Cardinales genuflectere, non tamen in palatio apostolico et minus praesente Pontifice; sed ad modestiam et benignitatem Cardinalis pertinet, et censeo, quod non dimittant illos diutius permanere genuflexos, et Clericos praesertim in sacerdotio aut aliqua dignitate ecclesiastica constitutos. Sed ut primum ante se genua flexerint, stare jubeant neque aliter eos audiant, quod a pluribus Rmis Patribus servari vidi domi. Cum Cardinales lavantur ante comestionem vel post, consueverunt omnes laici domestici genuflectere, alii caput detegere.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 333. 336.

d) Inter sese.

Cardinales inter sese et gestis et verbis et nutu summam exhibent reverentiam, stando, sedendo, eundo, equitando et in rebus omnibus alter alteri deferendo. Quando aliquis Cardinalium in praesentia Pontificis publice celebravit, si Papa discedat a capella, antequam Cardinalis deponet sacras vestes, tunc duo sui Ordinis Cardinales remanent in scamno suo illum expectantes, et cum ille, reassumpta cappa sua, a faldistorio discesserit, vadunt illi obviam, congratulantur de celebratione devote peracta et deducunt illum, ubi sunt alii Cardinales. Si autem Papa adhuc est in capella, ille, reassumpta cappa, vadit ad locum suum, et nullus Cardinalis illum expectat aut obviam vadit, neque per illos fit ei assistentia, praesente Pontifice. Fit autem ex eis assistentia, absente Pontifice, in principio et in fine ab aliis Praelatis domesticis suis aut particularibus amicis suis, et cum Cardinalis, absente Pontifice, est facturus Officium, semper, antequam incipiat, petit licentiam



per Caeremoniarium ab aliis Cardinalibus, et quoties ex faldistorio vadit ad altare, facit eis reverentiam, et illi aliquantulum ei assurgere debent.

Quando assurgunt Cardinales et Paelati in Capella.

Inter Sacra, si Episcopus aut Presbyter Cardinalis assistens assurgit aliquid acturus aut dicturus, duo Diaconi assistentes et similiter Episcopi assistentes assurgunt, alii autem Cardinales et Praelati non surgunt. Si vero aliquis ex aliis Cardinalibus surgit, omnes alii Cardinales et Praelati, qui sunt in Capella, surgunt praeter assistentes.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 332 — 333.

e) Erga Pontificem.


Vd.: *Reverr. SS. Pont.* (quae ei exhib.).

De solemni reverentia Cardinalium, quomodo et quando fiat.

Quotiescumque Pontifex paludatus et mitratus in publicum exit sive ad divinum Officium sive ad Consistorium, exhibetur ei solemnis reverentia a Cardinalibus in hunc modum. Postquam Pontifex in Sede sua aliquantulum quieverit sive in Capella sive in publico Consistorio, assistentibus sibi duobus Diaconibus hinc inde, Prior Episcoporum Cardinalium incipiens anteriorem cappae suae partem manibus elevans et caudam illius per terram trahens, versus Pontificem proficiscitur. Cum autem ante illius faciem ex opposito venit, firmans se et manibus extensis ab interiori parte cappam capiens, manus sic cappa involutas elevans, simul jungit ante pectus, et profunde ante Pontificem caput et humeros inclinat. Idem prius facit ante altare, si est in Capella; tum recta procedens ad Pontificem, manus ad pectus cum cappa tenens, ne illa gressum impediat, gradus solii pontificalis ascendit et Pontificis manum dextram sub auriphrygio pluvialis protensam osculatur. Deinde aliquantulum retrograde a Sede discedens, profunde iterum Pontifici se inclinat, et ad sinistram suam se vertens, ad locum suum revertitur. Item omnes faciunt suo ordine. Prior Episcoporum Cardinalium, si Missa tunc est celebranda, cum fecit reverentiam, firmat se ad dextram Pontificis et ministrat incensum, ut inferius dicemus, cum de incensatione tractabimus. Inde ad locum suum revertitur. Duo Diaconi assistentes, si non fecerunt reverentiam in camera Pontificis, cum illum Sacris induerunt, quod facere plerumque solent, faciunt nunc in loco suo post Presbyteros Cardinales. Hujusmodi reverentia a Cardinalibus non fit nisi semel in die, quocumque tempore, neque unquam eodem die reiteratur, etiam si bis eodem die convenerint, videlicet ad Missam et ad Vesperas; et nunquam fit, nisi Pontifex sit cum pluviali et mitra, neque unquam fit in Officio defunctorum aut in die Veneris Sancti, etiamsi Papa haberet pluviale et mitram.

Item Cardinales, quotiescumque Papa surgit in Capella, et ipsi surgunt; transeunte ante eos Pontifice aut in publico detecto capite inclinati loquuntur; clam vero et in Consistorio secreto jussi sedent et cooperiunt, similiter cum Papa vertit ad quemlibet eorum sermonem, ille talis surgit et caput detegit, et sic permanet, nisi jubeatur a Papa sedere, et similiter cum respondet.

Item cum Papa nominat *Venerabiles Fratres nostros sanctae romanae Ecclesiae Cardinales*, omnes assurgunt aliquantulum et caput detegunt. Cardinales discedentes de curia vel de novo redeuntes, sive publice sive privatim recedant vel recipiantur a Pon-



tifice, osculantur pedem ejus et elevati manum et os, si invitentur, maxime cum revertuntur.

Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 331—332.

f) Quando Card. venit jam inchoato choro.

Vd.: *Reverent. in choro.*

Si quis Cardinalium, incoepto jam Officio, Pontifice in Solio suo residente, ad capellam venerit, primum ut cancellos ingressus est, paululum progressus genuflectit versus altare et orat, tum surgens procedit et facta, ut alii, reverentia, caput inclinando altari et Papae, ascendit ad Sedem et osculatur manum Pontificis sub auriphrygio et cum inde discedit iturus ad locum suum, assurgunt omnes Cardinales et omnes Praelati et antequam ipse a Pontifice, facta reverentia, discedat, nemo illi neque Cardinalis, neque Praelatus assurgit. Quod si forte dum ille venit, Papa staret, Orationes, Evangelium sive tale quippiam audiens, tunc Cardinalis, cum surgit ab Oratione, stet et expectet, quoad Papa sedeat et tunc vadit ad reverentiam exhibendam. Quod si venerit, dum fit per alios reverentia, vadat in locum sui Ordinis. Quando autem in absentia Papae fit Officium et aliquis Cardinalium ad capellam venerit, incoepto jam Officio, primo genuflexus orat versus ad altare, ut supra; tum surgens capite detecto, vertit faciem ad sedes Praelatorum, caput inclinando quasi eos salutans; qui omnes, ut primum ille surrexit ab Oratione, ei assurgunt et detecto capite, et salutatis Praelatis ille pergit versus Cardinales sui Ordinis et non vadit ad locum suum directe, nisi esset ultimus, sed ab ultimo incipiens, quasi ibi remanere vellet, invitatur a singulis, ut ascendat, quousque veniat ad locum suum directe, nisi esset ultimus, et ipse modeste semel atque iterum invitat subsequentem, ut praecedere velit et tandem in locum suum residet. Hoc idem facit, quotiescumque aliquis venit post alios, praesente vel absente Pontifice; semper incipit ab ultimo loco Presbyterorum, si est Episcopus sive Presbyter; Diaconorum, si est Diaconus. Et nota, quod quamdiu unus ex Cardinalibus stat, omnes Cardinales et omnes Praelati stare debent, praeterquam in praesentia Papae assistentes, ut supra diximus.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 333.

6) Erga Celebrantem in Pontifical.

Vd.: *Reverent. erga Episcop.; Genuflexio ante Episcop.*

Ad dubium: Utrum reverentia per genuflexiones debeatur celebranti in pontificalibus, quando est Episcopus extraneus vel Praelatus habens usum pontificalium vel Abbas sive in proprio monasterio sive ex speciali privilegio extra proprium monasterium?

Votum Magistri Caeremon.:

Genuflexiones Episcopo debentur in loco suae jurisdictionis et in signum ejusdem. „Archiepiscopus quamprimum suam provinciam intraverit ... sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo crucis super illos facto, benedicet, atque ita etiam faciet Episcopus, cum suam dioecesim intraverit“, ait Caeremoniale episcoporum lib. 1. cap. 2. Et ad Clerum speciatim quod pertinet „regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant; beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante altare, quam ante Episcopum“, ut praescribit

idem Caeremoniale cap. 18. n. 3. ejusdem libri. Ad quem locum ait Catalanus in suis commentariis: „Debent et ipsi (Mansionarii) sicut et caeteri de Clero genuflectere; est enim solorum Canonicorum praerogativa, qui, ex eo quod consiliarii Episcopi sunt ejusque senatus, non genuflectunt quidem ante Episcopum sed caput profunde atque humeros inclinant." Suffragantur rubricae generales missalis romani de ritu celebrandi Missam cap. 12. §. 3., ex quibus celebrans dicto: placeat tibi Sancta Trinitas etc. debet quasi licentiam benedicendi petere, si adest, a Summo Pontifice *per genuflexionem*, si Cardinalis ac Episcopus in dioecesi sua, *capite inclinato*. „Si autem, verba sunt rubricae, celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo extra eorum provinciam, civitatem vel dioecesim constitutis, eis absque alio respectu, ut caeteris qui intersunt, more consueto benedicit." Ita, si a pari argumentari licet, salutatio per genuflexionem Episcopo extraneo non competit, ac neque dum celebrat in pontificalibus, ut fert praxis communis. Unum ego adducam testimonium ex praeclaro opere „Il seminarista istruito nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente per la metropolitana di Benevento" quod jussu Cardinalis Orsini Archiepiscopi deinde Benedicti XIII. exaravit Bartholomaeus Riceputi. Loquens de Archiep. dioecesano semper genuflexionem praescribit, ex. gr. part. 1. §. 5. art. 5. n. 19.: „Arrivati al trono (i seminaristi delatori dei sacri paramenti) si fermino sul piano avanti il primo gradino di quella sede, e facciano subito una genuflessione, e deposto il paramento di nuovo genuflettano."

Agens de vera methodo „per una messa solenne cantata da chi usa gli abiti pontificali" absente Arichiepiscopo, non genuflexionem sed reverentiam praescribit §. 1. n. 10. „postosi in mezzo ai ceroferarii presentasi avanti al celebrante (in Faldistorio) ove tutti in insieme profondamente riveriscono etc. Et paulo post: nel tempo medesimo, i ministri del libro col cantone chiuso ante pectus, e della bugia già accesa presentansi a sinistra del celebrante vel faldistorio, e fatta la profonda riverenza" etc.

Hinc respondendum censeo: „Negative quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium. Affirmative quoad Abbates regulares in suae jurisdictionis Ecclesia tantum."

S. C. resp.: Negative quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium. Affirmative quoad Abbates regulares in suae jurisdictionis Ecclesia tantum.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 348 et 355.)

7) In Choro.

Vd.: *Chorus* (reverentia); *Reverent. Cardin.* (quando venit jam etc.); *Reverent. in Triduo sacro.*

8) Concionatoris.

Vd.: *Concionat.* (salut.); *Magistrat.* (reverent.), *Praeses* (cap. VII.); *Erga Cardinal.*, vd.: *Praeses* (cap. XI.) et *Reverentia erga Cardinal.*

9) In Ecclesia.

Vd.: *Pauperes; Sacrista; Laici* (quomodo).

10) Episcopi erga fideles et personas distinctas.

Vd.: *Praeses* (cap. VII.); *Rev. erga Celebr.*

Episcopus assistens divinis Officiis cum cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare detegendo caput sed satis est illis manu benedicere.

S. R. C. in *Elven* die 10. Januarii 1604 ad 5.

11) Erga Episcopum.

Vd.: *Chor.* (reverentia); *Praeses* (cap. VII.); *Reverentia* (erga Celebr. in Pontif.); *Rever. cor. SSmo expos.*; *Genufl. ante Episc.*

Canonicus seu Dignitas hebdomadarius paratus cum pluviali seu planeta ac Diaconus et Subdiaconus illi assistentes, itidem parati transeuntes ante Episcopum, dum ei faciunt reverentiam, illam debent facere capite detecto. n. 2503 ad 1 die 31. Maii 1670.

In eundo salutabit Celebrans se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo et procedat in Missa; in redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinet Episcopo et procedat, quo debet. Celebrans nunquam genuflectat Episcopo, sed se inclinat. n. 3551 ad 1 die 13. Mart. 1700.

In *processione* SSmi Corp. Christi seu aliis Celebrans parum ab Episcopo distans non debet eidem se inclinare, antequam Orationem recitet. n. 3551 ad 2 die 13. Mart. 1700.

In collecta Missae conv. Episcopo ibidem assistenti non debetur reverentia, sed caput esse inclinandum versus librum exprimendo ejus nomen. n. 3551 ad 3 die 13. Mart. 1700.

Subdiaconus tenetur reverentiam facere Episcopo priusquam porrigat et superimponat manipulum. n. 3845 ad 4 die 27. Febr. 1712.

Episcopo in Romana Curia celebranti coram Papa vel coram aliquibus Cardinalibus nullae fiunt genuflexiones et non fit praegustatio. Si vero neque Papa neque aliquis Cardinalium adsit, fiunt genuflexiones et praegustatio ut in sua Ecclesia, si voluerit. Episcopus cum Papa loquens, genuflexus semper permanet, dum loquitur et dum ei per Papam respondetur.

Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 339.

Non sunt inter se concordes doctores: *an Regulares exempti* teneantur Episcopo praestare reverentiam. Distinguunt nonnulli inter exemptos illos, quibus ipsi Episcopi juxta facultates, quas olim habebant, exemptionem a sua jurisdictione concesserunt, et exemptos ex privilegiis S. Sedis ab eadem episcoporum jurisdictione. Quoad exemptos primi generis, nemine dissentiente, admittunt teneri eos praestare reverentiam Episcopis, perinde ac Liberti praestare reverentiam tenentur patronis, a quibus manumissi sunt. At quoad exemptos secundi generis, sunt qui negant teneri ipsos praestare reverentiam Episcopis; *Felin.* in cap.: *Quum inter.* n. 3. et 4. de re judicat., et in cap.: *Conquerente* fere per tot. de Offic. Ordin.; *Tondut.* quaest. benefic. cap. 60. n. final.; *Roderic.* quaest. Regular. tom. 9. 63. art. 9.; *Fusc.* de Visit. Eccles. lib. 2. cap. 10. n. 11.; *Paris.* de resignat. benef. lib. 3. cap. 11. fere per tot.; *Barbos.* de Offic. et Potest. Episcop. part. 3. alleg. 105. n. 65.; *Cirin.* in Nex. Rer. Jurisd. cap. 6. n. 293.; *Rot.* cor. Puteo dec. 114. per tot., cor. Seraphin. dec. 125. n. 19.

Caeterum non recedendum ab opinione, quam doctores *ab Auctore n. 84.* allegati praesidio Constitut. Leonis X. incipientis: *Intra etc.* tenent, scilicet teneri quoscumque exemptos reverentiam Episcopo praestare, et jure meritoque, quum nil convenientius sit, quam quod et exempti a jurisdictione Episcopi etiam Episcopo reverentiam praestent ratione dignitatis. Confer. *Tamburin.* de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 45., *Borell.* in Addit. ad Bellug. in specul. princip. rubric. II. §.: Videndum lit. F., *Campanil.* in divers. Jur. part. 2. q. 12. n. 13. Rot. in recent. dec. 111. n. 16. p. 5. tom. 1.

Posita vero hac opinione non incongrua est quaestio illa: *An Regulares exempti transeundo ante thronum Episcopi teneantur eidem genuflectere seu potius caput et humeros inclinare?*

Non improbabile videtur, quod teneantur non ad genuflexionem sed potius ad inclinationem capitis et humerorum, idque quia obligati ad reverentiam teneri nequeunt ad genuflexionem, utpote quae adorationis species potius est, quam reverentiae, ut post *D. Ambrosium* lib. 6. Hexamer. cap. 9. tradunt *Alcuin.* c.: De Parascev., Honor. in Gemma lib. 1. cap. 117., *Raban.* ibid. de Instit. Clerical. cap. 41., optime *Gavant.* in Thesaur. Sacror. Rituum part. 1. tit. 17., *Pasqualiq.* de Sacrific. Miss. quaest. 225. n. 5.

Quo fit, ut quoties in rubricis Missalis ac Caeremonialis mentio occurrit reverentiae, non genuflexio sed capitis et humerorum inclinatio intelligatur,, ut post *Petrum de Ruiz* et alios firmat *Piscar.* in Prax. Caerem. lib. 1. sect. 7. cap. 4. n. 2. et lib. 2. sect. 1. cap. 4. per tot. optime cap. 5. n. 7.

Nec obstat Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 18., in quo habetur: *Beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante altare quam ante Episcopum.* Impugnari enim nequit, quod ubi Caeremoniale expressim praescribit genuflexionem, ea omitti nequeat. At negatur, quod l. c. sub verbis illis: *Et caeteri de Clero*, intellexerit de Regularibus. Quidquid enim sit, an in hac materia praejudiciali nomine *Cleri* veniant *Regulares*, ex duabus solidis animadversionibus patet mox dictis verbis: *Et caeteri de Clero*, non venire Regulares. Prior inde scatet, quod Caeremoniale tunc, quum comprehendere intendit Regulares, haud utitur verbo generali Clericorum, sed semper expresse meminit de ipsis Regularibus. Vide lib. 1. cap. 2. lib. 2., cap. 33. et cap. 38. Si igitur Caeremoniale in loco, de quo disseritur, expresse haud meminit de Regularibus, tutissime affirmari potest, minime eos comprehendisse, argumento ducto a discretiva, quae aeque in legibus ac in aliis dispositionibus interpretandis locum sibi vindicat. Altera autem animadversio promanat ex ipsa materia, de qua eo loci tractat *Caeremoniale*, comprehensioni Regularium aperte resistente. Tractat enim inibi Caeremoniale de Divinis Officiis, in quibus Canonici beneficiarii aliique de Clero saeculari, non item Regulares, interveniunt. Qua de re certissima res videtur, quod Caeremoniale minime comprehendere intellexerit Regulares sub verbis illis: *Et caeteri de Clero*, quum nulla melior detur interpretatio verborum vel obscurorum vel ambiguorum legis, quam ea, quae desumitur ex *subjecta materia.*

Non ignoro tamen in contrariam ivisse sententiam Sac. Cong. particularem in *Cajacen.*, Sac. Cong. Episc. et Regularium negotiis praepositam in *Suessana*, tum recentius S. R. C. in *Monopolitana.* At in causis *Cajacensi* et *Suessana* observantia militabat contra Regulares. Et in causa *Monopolitan.* Regulares sua jura non deduxerunt. Accedit, quod obtinuerunt novam audientiam: Causa vero nondum fuit proposita.

12) Ad „Gloria Patri."

Vd.: *Gloria Patri.*

13) Incensantis.

Thurificationem faciendam esse (per Acolythum Canonicis Colleg. Casal.) ... cum inclinatione Capitis antea et post singulis Canonicis. n. 4232 die 14. Apr. 1753.

14) Coram Laicis.

Vd.: *Missa cor. Laicis*; *Praeses* (cap. VII.); *Magistratus* (rever.).

Maceraten.

Vicarius foraneus Montis Milonis supplicavit mandari Episcopo, ut prohibeat Sacerdotibus, ne faciant profundam reverentiam magistratui post Missam contra rubricas: Oretenus Episcopo in curia: Non licere.

Die 20. Junii 1654.

(Anal. J. P. 1863 p. 322.)

15) Ministri in Missa privata.

Ad dubium 1.: An minister, posito quod non accedat ad altare ut accipiat et plicat velum, debeat genuflectere Cruci quando recedit a loco suo ut adeat credentiam seu parvam mensam ad accipiendas ex ea ampullas, vel, sicut nonnullis placet, facere tantum inclinationem, eo quod tunc non recedat e medio altaris, vel, prout alii contendunt, nullam facere in hoc recessu reverentiam? An in eadem cirumstantia debeat genuflectere SSmo Sacramento incluso in tabernaculo?

2.: Similiter: an idem Minister accedens ad cornu Epistolae cum ampullis debeat genuflectere Cruci vel tantum inclinationem facere eo quod non accedat ad medium altaris. An debeat tum saltem genuflectere, quando adest in tabernaculo SSmum.?

S. C. resp. *ad 1.:* In transitu tantum ante medium altaris in casu genuflectendum vel inclinandum;

ad 2.: Provisum in praecedenti.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

16) Missa finita.

Sacerdos in fine Missae ad *quodcunque altare* (etiam, ubi non est SS. Sacramentum) celebratae infra gradus *aperto adhuc capite* reverentiam faciat altari. n. 707 ad 1 die 7. Aug. 1627.

In fine Missae ad quodcunque altare celebratae fit reverentia Cruci infra gradus capite discooperto. n. 2362 ad 9 die 13. Febr. 1666.

Tam in ingressu Sacerdotis ad altare, super quo non est SSmum expositum aut in ciborio asservatum, quam ante principium Missae, reverentia Sacerdotis debet esse profunda capitis et corporis inclinatio juxta rubricam. n. 4507 ad 5 die 8. Apr. 1808.

Cf.: *Inclinatio capitis; Missa cor. Laicis.*

17) Ad nominat. SS. Trinitatis.

Juxta decretum 7. Sept. 1816 in Tuden. ad 40. congruit, ut fert praxis universalis praesertim Urbis, fieri inclinationem capitis, quum pronunciatur nomen SSmae Trinitatis; immo Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 6. n. 8. praescribit inclinationem profundam in fine hymni, quum nominatur Sancta Trinitas. Exinde autem aliqua oriuntur dubia:

1. *An haec inclinatio locum habeat, quoties fit expresse mentio Sanctissimae Trinitatis sive per enumerationem personarum, v. g. Genitori Genitoque etc., Procedenti ab utroque, sive per nomen ipsum „Trinitas" vel per haec verba „Trinus et Unus" aut similia ut tradunt Bauldry Manual. Caerem. part. 2. cap. 4. n. 2. et alii?*

2. *An fieri debeat etiam quando Clerus est genuflexus, v. g. quando in sacra functione repositionis Sanctissimi Sacramenti cantatur: Genitori.*

3. *An facienda sit ad totam stropham, in qua nominatur Trinitas, quum in ea datur gloria Deo, prout in stropha: sit salus illi — Trinus et Unus: aut cum in ea exprimitur in-*

vocatio Dei, v. g. Nunc Sancte nobis Spiritus? vel dumtaxat ad verba, per quae fit mentio Trinitatis, etiamsi supersint duo tantum versiculi aut unus solus supersit?

4. *An fieri debeat etiam ad verba strophae nec glorificationem Dei nec invocationem exprimentia, v. g. inprimo versiculo hujus strophae: Jam sol recedit igneus, Tu lux perennis unitas, Nostris Beata Trinitas; vel inchoanda sit cum verbis glorificationis: Tu lux perennis . . aut supplicationis etc.?*

5. *Quatenus inclinatio facienda sit ad totam stropham vel ad duos vel tres versiculos, quaeritur: an eo tempore Clerus stans debeat omnino conversus esse ad altare vel sufficiat profunde inclinare caput versus altare semivertendo corpus, siculi in inclinationibus, quae fiunt ad unum verbum aut ad pauca verba?*

S. C. resp. quoad quaest 1.: Inclinationem faciendam, quando nomen Jesu vel simul expresse nominantur tres personae ut in: *Deo P. sit gl.* vel dum dicitur expresse „s. Trinitas" in hymno;

ad 2.: negative;

ad 3.: ab inclinatione cessandum, quum post nominatas expresse tres personas vel s. Trinitat. superest aliquis versiculus;

ad 4.: negative;

ad 5.: negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2199.)

18) In Officio Defunct. cantando.

Vd.: *Reverent. in Triduo sacro* (dub. II.); *Praeses* (cap. VII.).

19) Quando non est facienda?

Vd.: *Praeses* (cap. VII.).

20) SSmi Pontificis.

a) Nemini SS. Pont. facit reverent.

Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit assurgendo manifeste aut caput inclinando seu detegendo. Romanorum vero Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis et manus suscepit, aliquantulum assurgit, ad oris osculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens. Idem aliquando facit et magnis regibus. Caeteros omnes, tam Principes quam Praelatos, cujuscumque dignitatis sint, cum ad oris osculum eos recipit, non assurgit sed sedens recipit. Consueverunt tamen Pontifices Cardinalibus et maximis Principibus privatim adventantibus et reverentiam facientibus, cum non sint in pontificalibus, aliquantulum caput inclinare tamquam reverentiam reddentes; et hoc non ex Officio sed ex laudabili humanitate.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. p. 330.

b) Quae ei exhibetur?

Vd.: *Rever. Card.* (erga Pontif.)

Omnes mortales et praesertim christifideles, cujuscumque sint dignitatis et praeeminentiae, cum primum in conspectu Pontificis adveniunt, distantibus spatiis ter ante illum debent genuflectere et in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices in terris gerit, ejus pedes osculari. Imperator, Reges, maximi Principes, Principum seu Potentatuum Oratores prima vice et ad osculum manus et oris recipiuntur, alii ad pedes tantum. Cardinales vero profunde se inclinant

bis et tertio flectunt genu noviter venientes et osculantur pedem. Pontifici Sacra tractanti Cardinales dextram manum sub auriphrygio pluvialis osculantur, Episcopi, Praelati parati genu dextrum tantum. Imperatores, Reges, maximi Principes et omnes alii in omnibus actibus pedem. Sed cum Pontifex candelas, palmas seu Agnus Dei distribuit, Cardinales parati manum primum deinde genu osculantur, Praelati parati genu tantum, Imperatores, Reges et maximi Principes manum et pedem.

Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. cap. 330.

21) Quae?

Quum rubrica clare non loquatur, quaeritur: quando in Missa et in Officio facienda sit reverentia simplex, quando mediocris et quando profunda tam in sacristia quam in altari?

S. C. resp.: „Patebit ex rubricarum collatione." n. 4669 ad 29 die 12. Nov. 1831.

22) Regula.

Regula circa reverentias est: Cum aliquis ex Canonicis vel ministris transeundo ante celebrantem, altare et Episcopum vel aliquem majorem facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis, puta, si ille discedit a celebrante iturus ad Episcopum et transiturus ante altare, primo faciet reverentiam celebranti, tum altari et ultimo loco Episcopo et pari ratione, si discedit ab Episcopo iturus ad celebrantem, primo Episcopo, deinde altari, ultimo celebranti faciet reverentiam. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major. Regula etiam est, ut si plures in eodem loco veniant Praelati, ac etiam Legatus et Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato et Celebranti reverentia exhibeatur.

Caer. Ep. l. 1. cap. 18. n. 13. 14.

23) Coram SSmo exposito.

Ad dubium: An in expositione SSmi Sacramenti, praesente Ep. genuflexo, Celebrans, dum pervenit ad altare, debeat ei reverentiam praestare et dum ascendit ad impertiendam fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Negative ad utrumque."

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 6 die 27. Febr. 1847.

Nemini deberi reverentiam coram SSmo publicae venerationi exposito. n. 4450 die 31. Aug. 1793.

24) In Triduo Sacro.

Vd.: *Salutatio in choro; Praeses* (cap. VII.).

Dubium I.: Utrum in Officio tridui mortis Christi omnes, qui caeteroquin Cruci faciunt tantum profundam reverentiam, prout Episcopus, Canonici, Celebrans etc., debeant genuflectere, vel utrum haec genuflexionis regula locum habeat solummodo in die Parasceve post Crucis adorationem?

Votum Caerem. Magistri.

De genuflexione facienda Cruci etiam per eos, qui caeteroquin eidem profunde inclinant in triduo hebdomadae majoris, inter rubricistas varii varia sentiunt:

Sic ex. gr. Merati in suis observationibus ad commentaria *Gavanti* tom. 2.

sect. 6. cap. 13. n. 5. vult omnes genuflectere Cruci a matutino fer. V. in Coena Domini, Cavalerius vero tom. 4. cap. 1. decr. 9. n. 4. a Vesperis dictae fer. V. seu post altarium denudationem. Sed haec particulares sunt auctorum sententiae; certum e contra est neminem ad id teneri ante fer. VI. praedictae hebdomadae tum ex argumento, ut ajunt, negativo, quia nullibi id praescribitur neque generatim in usu est, tum ex argumento positivo et ex ipso Ecclesiae facto. Est enim solum in detectione Crucis, quod pie dolens sancta Ecclesia maternam extollens vocem fidelibus lignum Crucis quasi manu ostendens eos semel iterumque compellat, ut specialem eidem venerationem praestent: „*Ecce lignum Crucis, venite adoremus.*“ Certum aeque est, in detectione Crucis, in ejus adoratione et post, fer. VI. in Parasceve omnes teneri eidem genuflectere ex Caeremoniale Episcoporum lib. 2. c. 25. n. 23. 25. 28. 30., neque ipso excepto Episcopo. Non desunt tamen rubricistae, qui doceant, ipsimet celebranti ea die genuflectendum esse Cruci ante praedicta, puta in primo accessu ad altare. Sed juxta decretum hujus Sac. Cong. diei 31. Aug. 1839 (n. 4720.) celebrans non debet Cruci genuflectere nisi post ejusdem adorationem. Ex quibus omnibus inferri posse videtur, licet improbandus non sit usus, ubi viget, genuflectendi Cruci vel in toto vel in parte triduo majoris hebdomadae, stricte hanc regulam habere locum in die Parasceve post Crucis denudationem ac adorationem. Respondendum itaque censeo: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 334.)

Dubium II.: Utrum in Officiis luctuosis hebdomadae sanctae et in Officiis mortuorum omitti debeant:

1. *Salutatio chori a quocumque adveniente post incoeptum Officium et opportuna resalutatio?*

2. *Salutatio chori a celebrante in accessu et recessu?*

3. *Salutatio chori a celebrante a sede sua ad altare pergente?*

4. *Salutatio chori a quocumque cantaturo lectionem vel a Subdiacono Epistolam cantaturo?*

Votum Magistri Caeremon.

Ex praxi communiter et praecipue in alma urbe usitata salutationes, de quibus in dubio, omittuntur tantummodo:

1. Fer. VI. in Parasceve post adorationem Crucis usque ad finem.

2. Ab elevatione missarum solemnium seu cum cantu ad communionem.

3. In Missis aliisque divinis Officiis, quae coram SSmo Sacramento exposito peraguntur.

Quod autem hae salutationes neque in luctuosis Officiis hebdomadae majoris neque in Officiis defunctorum sint omittendae patet ex Caeremoniale Episcoporum, quoad prima lib. 2. cap. 22. n. 7.: „Finito quolibet psalmo, Caeremoniarius vel aliquis capellanus accedit cum debitis reverentiis“ etc.; et n. 9.: „tum cantores accedunt cum debitis reverentiis altari *et Episcopo ad legile praeparatum*“ *etc.* Et cap. 25. n. 12. 13.: „tum unus ex beneficiatis cotta indutus comitante Caeremoniario cum debitis reverentiis“, sibi ipsi librum tenens, dicit *primam* prophetiam ... qua finita, *relinquit* librum in manu Caeremoniarii et factis debitis *reverentiis*“ *etc.* Et n. 19.: „cantores, qui cantaverunt Passionem, cum debitis reverentiis discedunt“; et n. 20.: „quo finito Diaconus cum aliis, qui

secum erant, factis debitis reverentiis, ad loca sua redeunt. Et tunc si sermo sit habendus, ducitur sermocinator in habitu convenienti ante Episcopum ... et cum debitis reverentiis vadit ad pulpitum" etc. Et cap. 26. n. 2. 4. 6.

Quoad altera vero Officia, videlicet defunctorum, patet aeque ex eodem Caeremoniale lib. 2. cap. 11. n. 10. 18. de profunda reverentia vel genuflexione Episcopo facienda a sermocinatore et de salutatione, qua quisque ex quatuor Episcopis vel Praelatis facientibus absolutionem circa castrum doloris prosequi debet alios, dum ante illos transibit.

In quibus testimoniis licet non fiat expresso sermone de salutationibus erga chorum, tamen, quia aliquando dicitur: cum debitis reverentiis, eas esse dicendum est, de quibus idem Caeremoniale lib. 1. cap. 18.

Quapropter puto salutationes, de quibus in dubio, omittendas non esse per responsum „Negative in omnibus."

S. C. resp.: Negative in omnibus excepto Officio fer. VI. ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati sancti.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 353.)

REX.

1) Associatio.

Vd.: *Laici* (associat.).

2) Ingressus in Presbyterium.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXVII. n. 3.

3) Nominatio in Canone Missae.

Vd.: *Nominatio Imperator. Austriae etc.*; *Parasceve* (Oratio pro imperat.); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Ex quo primum etc.* §. 25—28.)

4) Oratio publica.

In Ord. B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum recit. Collecta:

„Et famulos tuos Papam Nostrum N., Antistitem Nostrum N., Reginam et Principem cum prole regia, populo sibi commisso et exercitu suo ab omni adversitate custodi, pacem et salutem nostris concede temporibus et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam et gentes paganorum et haereticorum dexterae tuae potentia conterantur et Captivos Christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare et fructus Terrae dare et conservare digneris."

S. R. C. ad relationem Emi Domini Cardinalis Rasponi, supplicante Fratre Francisco de Sancto Marco Procuratore Generali Discalceatorum Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum nomine totius praedicti Ordinis, tam Calceati quam Excalceati praedictam Collectam, ut jacet, approbavit et in universa Hispania ab omnibus Sacerdotibus tum Saecularibus tum Regularibus tam in Missis cantatis quam privatis post Orationes in Missali descriptas, juxta concessionem san. mem. Pii V. et Gregorii XIII. dici ac imprimi posse concessit.

Die 13. Julii 1675.

V. Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Casalius
S. R. C. Secr.

Romae, Typis Reverendae Camerae Apostolicae 1675.

(Anal. J. P. 1857 p. 2155.)

Vd.: *Oratio pro Rege; Preces publicae; Parasceve* (Orat. pro Imperat.).

5) Pax.

Vd.: *Pax Laicor.*

6) Thurificatio.

Vd.: *Incensatio Laicor.; Thurificatio* (Papa praesente etc.).

REX HUNGARIAE
(Crux gestanda).

Sylvester II. PP. Stephano duci Hungariorum (postea Regi).

Nos singulari privilegio excellentiam tuam tuorumque meritorum intuitu haeredes ac successores tuos legitimos, qui, sicut dictum est, electi atque a sede apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut, postquam tu et illi corona, quam mittimus, rite juxta formulam legatis tuis traditam coronatus vel coronati extiteritis, Crucem ante se, apostolatus insigne, gestare facere possis et valeas atque illi possint valeantque.

Die 27. Martii 1000.

(Bull. r. t. I. p. 478. Ed. Aug. Taur. 1857.)

RITUALE.

1) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approb.); *Libri ecclesiastici* (approb.); vd. etiam *decreta in principio Ritualis rom. apposita.*

2) Cardinalis Sanctorii et P. Alberti Castellani.

Vd.: *SS. Sacram.* (Delatio ad incendium etc., Constitut. Bened. XIV. §. 18 et 20—25.)

3) Graecorum.

Vd.: *Ritus Graecus.*

4) Romanum (Obligatio).

Vd.: *Poenitentia; Sepultura* (forma); *Extrema unctio* (unctio pedum; decr. n. 4780 *nota*); *Ritus Missae; Ritus roman.*

Parochi functiones parochiales obeuntes servare debent in ipsis Caeremonias Ritualis romani. n. 2912 ad 7 die 24. Febr. 1680.

Ad dubium: An parochus in administrandis Sacramentis Rituali romano uti queat (non obst. prohibitione Episcopi)?

S. C. resp.: In casu: affirmative.

Die 22. Maii 1841 in *Trecen.*

Hispaniarum.

Clerus Hispaniarum S. R. C. exponi curavit, non sine Christi fidelium scandalo in regnis Hispaniarum diversam in administrandis Sacramentis Caeremoniarum praxim adhiberi, quique Rituali romano, jussu sa. me. Pauli Papae V. novissime edito, non omnes Ecclesiarum Rectores utantur. Sacra igitur Congregatio ad nuncium Hispaniarum dirigi literas imperavit, quibus vigili ejus curae commendetur, ut Rituale praedictum ab omnibus recipiatur et observetur.

Die 9. Oct. 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 335.)

Hispaniarum.

Perillis et Rme Domini uti Frater. Emis PP. S. R. C. praepositis renuntiatum est, diversam in Hispaniarum regnis administrandorum Sacramentorum praxim servari ex eo, quod non omnes Ecclesiarum Rectores observantiam moderni Ritualis romani a sa. me. Paulo V. editi adhuc assumpserint; idque praesertim cum tam religiosarum gentium scandalosa admiratione accidere, ut quandoque in eadem Ecclesia in eodemque Sacramento administrando, ex rectoribus quis Ritualis antiqui, alter Ritualis moderni Caeremonias adhibeat. Sacra autem Congregatio, praecipua probataque Hispani Cleri erga S. Sedis Apostolicae romanaeque Ecclesiae ordina-

tiones in Religione plurimum confisa, id quidem tantummodo ad uniformitatem Ritus in re tam gravi isthic inducendam pernecesse putavit, ut amplitudo tua sedule curet, ne moderni Ritualis codicibus bibliopolae careant, ac in Domino singulos Rectores admoneat, ne Ritus ab Apostolica Sede novissime probatus, debita veneratione fraudari consentiant, imo ea singulari devotione, qua caeteras Romanae Ecclesiae sanctiones iidem venerantur, hasce Ritualis Caeremonias amplectantur et postea indiscriminatim et inconcusse retineant. Dum ego amplitudini tuae salutem plurimam dico.

Romae die 9. Oct. 1655.

(Ibid. p. 335.)

RITUS.

1) Ambrosianus.

Vd.: *Ritus roman.* (decr. n. 4580); *Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4646.) *Constitutio Gregorii XI. diei 29. Nov. 1375* in Bull. rom. tom. I. p. 269.

Mediolanen.

In causa Mediolanen. Ritus Ambrosiani inter Illmum et Rmum D. Cardinalem Borromeum Archiepiscopum Mediolani ex una et Monachos Cistercienses s. Ambrosii Mediolani ex altera partibus, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii, cui haec causa commissa fuerat, et vivis juribus et allegationibus ambarum partium, non obstante resolutione alias in S. R. C. facta sub die 1. Sept. 1612 ad relationem Illmi et Rmi D. Cardinalis Crescentii, quod expectetur exitus causae pendentis in Rota inter Monachos Cistercienses et Canonicos s. Ambrosii civitatis Mediolani, eadem S. R. C. censuit audiendum esse in eadem Sac. Cong. Illmum et Rmum D. Cardinalem Borromeum Archiepiscopum Mediolani super proponendis circa Ritum Ambrosianum, praedicto decreto, litis pendentia, exemptione et aliis pro parte monachorum oppositis non obstantibus, ne proponenda in Sac. Cong. circa observantiam dicti Ritus Ambrosiani discuti et definiri debeant; expresse quoque eadem Congregatio declaravit ex decretis occasione Ritus Ambrosiani faciendis nullum praejudicium inferri jurium partium in Rota collitigantium, neque hinc aliquod argumentum quomodolibet praejudiciale assumi vel elici posse.

Et ita censuit et declaravit.

Die 5. Julii 1614.

(Anal. J. P. 1863 p. 131.)

Mediolanen.

Ad relationem Emi D. Cardinalis Brancaccii in Congregatione s. Rituum ordinaria habita coram SSmo Sanctitas Sua, auditis Fratrum sententiis et partis utriusque Capituli scilicet Canonicorum saecularium necnon Monachorum Cisterciensium juribus mature perpensis declaravit decrevitque licere monachis uti Ritu proprio Ambrosiano monastico in Eccl. s. Ambrosii Mediolani.

Die 27. Sept. 1659.

(Anal. J. P. 1863 p. 358.)

Mediolanen.

Super reassumptione Ritus romani in Ecclesia parochiali s. Alexandri.

Emi et Rmi Principes.

Jam inde a mense Sept. 1857 proposita fuerunt per supplicem libellum S. R. C. a P. Praeposito generali Barnabitarum oblatum nonnulla dubia, quae dicebantur exorta esse, cum Mediolani in parochiali Ecclesia s. Alexandri denuo instauratus fuit Ritus s. romanae Ecclesiae, quem Barnabitae ipsi, quibus concreditum est tum Ecclesiae ejusdem servitium tum animarum cura inibi juncta, per duorum saeculorum

nunquam interruptam seriem usque ad innovatorias leges Josephi II. Imp. rite servaverant. Quae quidem dubia eo spectabant, ut ab eadem Sac. Cong. limites praefinirentur inter functiones stricte parochiales, quae Ritu Ambros. in altero ex minoribus altaribus ad hoc adsignato a parocho ejusque adjutoribus pro parochianis celebrantur, et inter reliquas, quae a tota Barnabitarum familia peragantur romano Ritu, qui proprius est Congregationis. Compertum autem est, Emi et Rmi Principes, ea dubia esse tantum, ut ita dicam, occasionalia, cum revera descendant ex altera controversia, quae majoris quidem momenti est, quam dubia ipsa praeseferre videantur, quod ex nonnullorum factorum serie, quam breviter exponam, clare, ut arbitror, patebit.

Inclyta Clericorum Regularium s. Pauli doctoris gentium, qui etiam Barnabitae a s. Barnaba apostolo nuncupantur, Congregatio in praeclarissima Mediolani urbe duxit ortum suum ibique prima ipsius jacta sunt fundamenta. Clemens namque VII. per literas in forma brevis: *Vota per quae,* expeditas die 18. Febr. anno 1533, Bartholomaeo Ferrari et Antonio Mariae de Zaccariis Presbyteris alteri Mediolanensi et alteri Cremonensi concessit et indulsit, ut ipsi cum tribus aliis eorum sociis professionem trium votorum substantialium religionis „omittere et insimul, sub obedientia tamen Ordinarii loci, in ipso loco (civitatis seu dioecesis Mediolanen.) per eos eligendo cohabitare; necnon pro vestro et rerum vestrarum salubri statu et directione quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et honesta ac sacris Canonibus non contraria condere et facere illaque, ut vobis pro temporum qualitate expedire videbitur, mutare et in totum tollere aliaque illorum loco de novo facere libere et licite valeatis" etc.

Paulus III. per apostolicas literas sub plumbo expeditas: *Dudum felicis*, 8. Cal. Aug. an. 1535 Congregationem jam institutam confirmat pluribusque juribus ac privilegiis auget, inter quae, ut „horas canonicas diurnas pariter et nocturnas necnon Missas et alia divina Officia, simul et divisim, secundum usum et morem romanae Ecclesiae, etiam juxta breviarium noviter compilatum, ita tamen, quod cum publice ea recitaveritis, vos invicem conformetis in Ecclesia dicere et recitare ... et ad alium usum super hujusmodi horis, Missis et Officiis dicendis observandum minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli valeatis."

Idem summus Pontifex Paulus III. per alias similes literas: *Pastoralis Officii,* datas Cal. Dec. 1543 praecedentium literarum concessiones confirmat et in perpetuum extendit, ita ut „de caetero perpetuis futuris temporibus sub solito et communi habitu clericali, subque nomine et nuncupatione Clericorum Regularium in communi et de communi viventes sub nostra et ejusdem Sedis humili et devota subjectione ac speciali protectione in unum habitare" etc. possent.

Cum autem morte praereptus novissimas literas privilegia jam concessa ampliantes Paulus III. expedire non potuisset, Julius item III. per apostolicas literas: *Rationi congruit,* datas 7. Cal. Martii 1550, apostolica auctoritate decrevit, quod absolutio, extensio, ampliatio, posterior concessio et indultum hujusmodi a die 8. Idus Martii suum „sortiantur effectum, perinde ac si super illis ipsius Pauli praedecessoris literae sub eadem die confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque" etc.

Sic istitutae familiae Clericorum Regularium s. Pauli Mediolanensi Sixtus V. per literas in forma brevis expeditas: *Piis fidelium votis,* idibus Feb. 1588, quarum per PP. Barnabitas exhibitum

est exemplar, quod transcriptum fideliter dicitur ex simplici exemplari existenti in tabulario provincialitio Longobardiae, concessit „dictam Ecclesiam (s. Alexandri) ... nomine titulo et denominatione rectoris in ea perpetuo suppressis et extinctis, cum illius domibus, aedificiis, adhaerentiis, juribus et pertinentiis suis universis Congregationi praedictae pro usu et habitatione unius praepositi et octo ad minus Clericorum et Presbyterorum ac trium conversorum dictae Congregationis, ita quod liceat illis corporalem, realem et actualem ipsius Ecclesiae s. Alexandri juriumque adnexorum et pertinentiarum suarum quarumcumque possessionem per se, per alium seu alios eorum ac etiam Congregationis hujusmodi nomine propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, *curamque animarum parochianorum dictae Ecclesiae s. Alexandri per unum ex Presbyteris Regularibus Congregationis hujusmodi pro illius superiorum arbitrio deputandum et amovendum, ac ab eisdem superioribus et loci Ordinario approbatum et idoneum repertum exercere et alias eidem Ecclesiae s. Alexandri in divinis deservire,* nec non fructus, reditus ... in suos usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita; cum onere praedictae curae auctoritate nostra perpetuo unias, annectas et incorpores (literae directae sunt vicario Archiep. Mediolanensi in spiritualibus) ac in Ecclesia praedicta s. Alexandri ejusque domibus ac aedificiis et adhaerentiis praedictis unam domum formatam dictae Congregationis juxta illius Ritus et instituta regendam“ etc.

Super quibus literis id obiter notandum occurrit, Ritum et instituta Congregationis ita generaliter observanda praescribi, ut ne pro functionibus quidem ad curam animarum pertinentibus, de qua tam frequenter in his literis Sixti V. sermo est, exceptio fiat.

Praemissa hac factorum historia redeundum nunc est ad supradicta dubia P. Praepositi generalis Clericorum Regularium s. Pauli. Super quibus, si quaeratur, quaenam fuerit causa occasionalis ut proponerentur, scire juvat Praepositum provincialem Barnabitarum, ineunte anno 1856, preces exhibuisse Illmo et Rmo Mediolanen. Archiepiscopo, in quibus, gratiis eidem ex corde actis, quod Vicario suo in spiritualibus generali in mandatis dedisset, ut Barnabitis concederetur canonica instauratio in Ecclesia et paroecia ad s. Alexandr. Mediolani, quae post restitutionem Ordinum Regularium data ipsis adhuc non fuerat, nonnulla decerni ab ipso humiliter postulabat, inter quae n. II.: „Che questa cessione della chiesa e parochia di s. Alexandro si intende fatta conforme à cio che i sacri canoni prescrivono intorno alle chiese dei regolari con cura di anime, e quin di gli oggetti e le funzioni parrocchiali avranno la proporzione che ebbero sempre sotto i Barnabiti in quella chiesa dal 1589, sino alle innovazioni di Giuseppe II. et hanno tuttora nella loro chiesa parrocchiale di Roma, in piena conformita alla bolla, *Firmandis,* di Benedetto XIV.“ Quae postulata cum benigne excepisset Illmus et Rmus D. Archiepiscopus, annuit quoad omnia per amplissima verba rescripti: *Millano 16. gennaro 1856. Si accorda quanto venne domandato, Bartholomeo Carlo arcivescovo di Milano.*

Interea, dum Pater Praepositus generalis Congregationis sacrum, ut sui muneris est, perageret familiarum sibi subjectarum visitationem, in Collegio Mediolanensi degens decretum concinavit die 30. Aug. 1857, quo variis deductis rationum momentis et prae-

sertim ultimo loco, *declaratoria sententia seu concessione ab Illmo ac Rmo D. Archiepiscopo Mediolanensi emissa die 16. Januarii 1856* declaravit, Ritum S. R. E. jam tum instauratum in ea s. Alexandri Ecclesia intelligi debere, qui propterea *semper*, ait, *etiam imposterum a sodalibus nostris adhibendus erit tam pro missarum celebratione et canonicarum horarum publica, cum fiat, recitatione, quam pro aliis omnibus sacris obeundis functionibus, exceptis dumtaxat mere parochialibus, quae juxta communiorem hujus dioecesis Ritum, quem Ambrosianum dicunt, fieri de more pergent.* Pro quibus parochialibus functionibus ambrosiano Ritu peragendis illud ipsum altare assignavit, quod alias ad eas destinatum fuisse constare affirmabat et designandum insuper jussit alterum ex sodalibus Sacerdotibus, qui Caeremoniis, choro et sacrario praeficeretur.

Edito hujusmodi decreto Praepositus generalis nihil profecto dubitans, quin decretum idem executioni mandari posset, quia praesertim Archiepiscopi Mediolanensis per enunciatum rescriptum 16. Jan. 1856 auctoritas accesserat, de functionibus mere et stricte parochialibus definiendis praecipue sollicitus fuit. Atque hinc factum esse arbitror ut ipse, seu quod difficultates et contrarias opiniones inde orituras praevideret, seu quod necessarium revera duceret S. R. C. interventum, ne justi limites excederentur, supplicem libellum ineunte mense Septembri, de quo initio facta est mentio, exhibuit, quo practicum earumdem sacrarum functionum exercitium definiri petiit.

Non ita autem, ut erat in votis P. Praepositi generalis, gesta res est. Dum enim Romae consulebatur, Mediolani difficultates parabantur. Et dum propositis dubiis solvendis manus admovebatur, in medium prodiit libellus sub die 15. Oct. 1857, quo Archiepiscopus Mediolanensis querimonias, scandalorum pericula aliaque religionis damna, quae sequerentur, si a Barnabitis Ritus romanus in Ecclesia parochialis s. Alexandri reassumeretur, longa oratione exponens, supplex Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX. rogat obtestaturque „ut indulgere dignetur, *quatenus opus sit*, ut in praedicta Barnabitica Ecclesia parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu ab ipsis religiosae familiae sodalibus celebrari adhuc possint et illae pro parochialibus functionibus intelligantur, quae exceptis horis canonicis in aliis quoque parochialibus Mediolani Ecclesiis habentur pro generali paroecianorum bono et illae praeterea, quae fiunt erogata a paroecianis eleemosyna, comprehensis aniversariis pro defunctis.“

Nec multum interfuit, ut parochianorum querelae, quas Archiepiscopus praenunciabat, proferrentur. Supplex namque libellus a nonnullis tum foeminis tum viris, spectatissimi quidem nominis et professionis, obsignatus sub die 3. Martii mox elapsi exhibitus est, quo variis deductis argumentis declaratur, parochianorum, qui numerum octo millium hodie exaequant juri, devotioni, quieti, paci atque ipsorum Barnabitarum tum publicae tum privatae aestimationi non aliter prospici posse, quam si functiones sacrae in Ecclesia s. Alexandri ambrosiano penitus Ritu, quaemadmodum in reliquis Mediolani paroeciis, peragantur etiam a Barnabitis. Quod faciendum esse affirmant sive ex consuetudine pluribus ab hinc annis in ipsa Barnabitarum Ecclesia jam inducta, ex qua fidelium oculi ambrosiano Ritui assueti sunt, sive ex apostolica, quam Oratores ipsi vehementer exoptant,

dispensatione. Cujus libelli foliorumque inibi adnexorum tenor inspicitur.

Ex quibus probe intelligitis, Emi et Rmi principes, quaestionis faciem immutatam omnino esse, neque amplius hic locum esse praefiniendi, quaenam stricte et substantialiter, quaenam late et veluti accessorie parochiales functiones, prout initio exponebatur, habendae ac reputandae sint. Hodierna quaestio in longe majores, ut dicunt, proportiones excrevit et sub alio prorsus aspectu est respicienda, ut judicium de ea feratur. Ex iis enim, quae fuso calamo a Rmo Archiepiscopo exponuntur, et ex aliis petitionibus, quas modo exposui, id consequeretur, ut in Ecclesia s. Alexandri parochiales functiones ambrosiano Ritu celebrandae non iis amplius possint concludi limitibus, qui in Archiepiscopali rescripto diei 16. Jan. 1856 et in successivo decreto in actu s. visitationis a P. Praeposito generali edito die 30. Aug. 1857 praefiniuntur, quemadmodum in ipso primo Barnabitarum in eam parochialem Ecclesiam ingressu servabantur, sed ad omnes omnino functiones extendantur, romano Ritu intra cancellos Barnabiticae domus relegato. Sane Rmus Archiepiscopus, multis deductis rationum momentis, quae recensentur, quaestionem uno veluti ictu e radicibus evellere satagit, dum e medio sublatis per apostolicam, quam petit, si opus est ut ipse ait, dispensationem, quae Barnabitae proferunt, juribus romani Ritus adhibendi; Ecclesiam s. Alexandri non alio Ritu debere postulat nisi Ambrosiano, ita ut Barnabitis aut nullus pene Ritus romanus supersit aut intra eorum solummodo domum arctis profectus finibus coerceatur. Hinc prodit quaestionis status: an scilicet Ritus Ambrosianus in Ecclesia s. Alexandri limitari debeat in functionibus mere parochialibus, ut ante annum 1789, quae a parocho ejusque in cura animarum coadjutoribus in altero ex minoribus altaribus ad id designato peragebantur, an potius idem Ritus, relicto romano, sit exclusive adhibendus ex apostolica saltem dispensatione ab omnibus Barnabitis in Ecclesia publicas functiones exercentibus. Primum sibi tuentur Barnabitae, alterum postulat Metropolitanus antistes pluribus ac gravissimis deductis rationum momentis et enixe parochiani efflagitant.

Non parvi certe momenti est hujusmodi quaestio, in qua certant hinc ex parte Barnabitarum jus, privilegia, obligatio et recentissima quoque Archiepiscopalis concessio et inde ex parochianorum parte obstacula, quae ad impediendum rerum praedictarum effectum proferuntur. Pro ea idcirco solvenda quandoquidem mihi demandatum est meam proferre sententiam; duo investiganda esse videntur; alterum scilicet, quid juris simul et facti circa Ritum romanum in parochiali Ecclesia s. Alexandri Mediolani sibi vindicare Barnabitae possint; alterum, quantum et quomodo Rmi Archiepiscopi et spectatissimorum civium sub ea paroecia commorantium postulationibus sit indulgendum. Sinite itaque, Emi et Rmi principes, ut nonnulla super utroque, summis veluti labiis attingam, pauca quidem, quia, quae Barnabitas respiciunt, magna ex parte ex iis descendunt, quae paulo ante exposui.

Et prima nonnulla dicam de bono jure, quo substentari se dicunt Barnabitae collegii Mediolanensis, ut ipsi non alium quam romanum Ritum, tam in publicis quam in privatis functionibus, exceptis tamen *mere parochialibus*, adhibeant. In quo quidem parum certe adlaborandum mihi est, si ea recolantur, quae paulo ante per historicam factorum seriem in medio attuli. De quibus id unum dicendum

restat, quod, sive spectentur apostolicae Constitutiones, unde ea hausta sunt, sive clarissima et apertissima verba et formulae, quibus declarantur, tamquam indubia documenta habenda sunt. Novi quidem ea non modo non impugnari sed etiam apertis ulnis admitti, iisque satis consultum iri per apostolicam, quae petitur, dispensationem. Sed adamussim in dispensationibus largiendis major certe ac minor difficultas plerumque obvenit ex majori vel minori obligatione, a qua est dispensandum et a gravioribus vel levioribus momentis, quae ad dispensationem inducere possunt.

Ex apostolicis itaque constitutionibus constat *primo:* Congregationem Clericorum Regularium s. Pauli in civitate et dioecesi Mediolanensi legitime jam ab anno 1533 institutam fuisse (ex brevi Clementis VII.); *secundo:* eam in unum habitare sub Sanctae Sedis Apostolicae humili et devota subjectione ac speciali protectione (ex literis Pauli III.); *tertio:* usum et morem Romanae Ecclesiae in horis canonicis, in Missis et aliis divinis Officiis ita proprium esse Barnabitarum, ut ad alium usum observandum nec teneantur nec inviti ad id a quoquam compelli possint (ex aliis ejusdem Pauli III. literis); *quarto:* eisdem perpetuo concessam Ecclesiam s. Alexandri cum illius domibus, aedificiis necnon animarum curam in eadem Ecclesia, per unum ex Presbyteris Regularibus exercendam; et in ea ejusque domibus ac aedificiis etc. unam domum formatam dictae Congregationis juxta illius Ritus et instituta regendam (ex literis Sixti V.). Quis autem sit Ritus, quaenam sint instituta Clericorum Regularium s. Pauli, aperte indicant eorum Constitutiones, a quibus absolute praecipitur, ut ipsi, nulla adhibita locorum vel temporum distinctione, *Missam celebrent et horas canonicas recitent ad praescriptum Missalis et Breviarii Pii V. jussu editi.* Dignum autem notatu est, videri quidem praedictos Pontifices ideo in suis literis institisse Barnabitis pro Ritu romano, ne ex eo, quod Mediolani primum erecti et instituti sunt, suspicio alicui suboriri posset ex loco eorum institutionis et mansionis eos ad Ritum Ambrosianum sequendum teneri.

Ex quibus omnibus dubitari non posse videtur de bono jure, quod suffragatur Barnabitis Collegii s. Alexandri adhibendi Ritum romanum in ipsa urbe Mediolani, imo in ipsa parochiali Ecclesia s. Alexandri.

Neque est silentio praetereundum, allata documenta non jus et privilegium modo sed et obligationem quoad Ritum romanum sequendum Barnabitis in civitate aut dioecesi Mediolanensi degentibus, neque ipsa parochiali Ecclesia exclusa, quodammodo inducere.

Neque minus ipsis suffragatur factum seu practicum pacificum ejusdem boni juris exercitium. Compertae enim et exploratae rei loco est, Clericos Regulares s. Pauli jam tum ab ipso bene eorum fundationis initio tum in primaeva, quae ipsis concessa fuit, tum in altera, quam ipsi ampliori forma, ut nunc visitur, suis sibi sumptibus aedificarunt, Ecclesia s. Alexandri in recitatione divini Officii, in celebrandis divinis mysteriis et in aliis omnibus ecclesiasticis functionibus Ritu romano, qui proprius est eorum Congregationis, nemine contradicente, usos esse, praecipuis anni festivitatibus minime exceptis, neque benedictione candelarum aut cinerum aut palmarum, neque nocte Nativitatis D. N. J. C., neque festo Ecclesiae titulari, neque feriis V., VI. et Sabbato hebdomadae majoris, in quibus Superior pro tempore seu alter ex Clericis

rite ab eo deputatus solemnes exercebat functiones. Dixi, *nemine contradicente*, neque ipso scilicet parocho ad curam animarum deputato, qui Rituali Ambrosiano in sacramentorum tantum administratione aliisque *mere et de jure parochialibus* functionibus in peculiari ad id destinato altari utebatur.

Quae quidem praxis per ducentorum annorum non interruptam seriem viguit, ab anno scilicet 1588, quo praesule Gaspare Visconti, immediato s. Caroli Borromaei in Archiepisc. Mediolanensi successore, benigne amanterque juvante, in perpetua possessione paroeciae s. Alexandri Barnabitae immissi sunt per apostolicas literas Sixti V. supra enunciatas, usque ad an. 1788 seu usque ad innovationes inductas in rem ecclesiasticam a Josepho II.

Tunc primum ab exercitio Ritus romani Barnabitae turbari aliquantulum coeperunt, quia cumpulsi sunt Ambrosiano Ritu peragere nonnullas alias functiones, quae parochiales stricte non sunt, quod factum est usque ad annum 1810, quo per Regularium Ordinum suppressionem Barnabitae exturbati cum aliis ab instituto et familia privatam vitam, non in communi et de communi, ut apostolicae Constitutiones jubebant, ducere coacti sunt. Nihilo tamen minus eo etiam tempore a curia Archiepiscopali illi animarum curae provisum est per sodales Barnabitas a vita religiosa avulsos. Rebus compositis anno 1825 ipsi quoque Barnabitae tum in communi Clericorum Regularium vita tum in paroecia s. Alexandri regenda, tamquam familia regularis, restituti fuerunt cum eadem limitatione tamen quoad Ritum romanum, quae post innovationes Josephi II. illis jam obtigerat. Atque utinam intra hos limites sese res continuisset! Nam anno 1830, jubente Cardinali Archiepisc. Carlo Cajetano de Gajsruchi, factum est „ut omnes prorsus publici cultus functiones nonnisi Ambrosiano Ritu, quemadmodum in aliis parochialibus Ecclesiis, habendae essent, atque ita Regularibus eam Ecclesiam s. Alexandri deservientibus Missae tantum privatae et choralis canonicarum horarum recitatio juxta romanum Ritum permitteretur.“ Cujus mandati Archiepiscopalis eam causam fuisse ferunt, quod cum eo anno 1830 festum Annunciationis B. M. V. inciderit in una ex feriis VI. quadragesimae, quibus juxta Ambrosianum Ritum toto quadragesimali tempore Missae non celebrantur, curia Archiepiscopalis aegre tulerit, plures Missas celebrari, prout romanus Ritus ferebat, in Ecclesia s. Alexandri, ad easque audiendas maximum affluxisse fidelium numerum.

Quidquid autem de hoc sit, ea, quae mox enunciata sunt tum circa pacificum romani Ritus exercitium in Ecclesia s. Alexandri pro parte Barnabitarum per ducentos integros annos, cum circa imminutionem ac postremo circa cessationem ejusdem, tamquam explorata merito habenda sunt, praesertim cum de iis non modo nihil in contrarium afferatur in folio Illmi et Rmi D. Archiepiscopi Mediolanensis, sed etiam luculentissime asserantur: quare licet admittam, *negandam non esse Barnabiticae Congregationi facultatem celebrandi in s. Alexandri Ecclesia solemnes quoque functiones romano Ritu etc.*

Quae cum ita sint Praepositus, generalis Clericorum Regularium s. Pauli secum animo reputans familiam Mediolanensem a pacifica possessione exercitii Ritus romani per vim exturbatam esse primo, aliqua in parte anno 1788, ac deinde omni ex parte anno 1810, nulla intercedente, quod ipse sciat, apostolica facultate, quae necessaria omnino fuisset, ratus est, eandem familiam, cum primum sibi

licuit, anno 1857, ipsa Archiepiscopi Mediolanensis auctoritate et placito scriptis intercedente, in nativum atque originarium Ritum romanum restitui ac reintegrari non solum potuisse jure, pene dicam postlimini, sed et stricte debuisse, ob injunctam eidem hanc obligationem a literis apostolicis nuper enunciatis summorum Pontificum Pauli III., Julii III. et Sixti V. et a propriis Constitutionibus. Quod necessario etiam faciendum esse contendit, quia, si Clericis illius familiae Ecclesiam s. Alexandri servientibus Missae tantum privatae et choralis canonicarum horarum recitatio juxta romanum Ritum permitteretur, ut factum est ab anno 1830, vitari non posset ea Rituum promiscuitas, quae est a Sancta Sede in orientalibus praesertim reprobata per literas encyclicas sapientissimi Pontificis Benedicti XIV.: *Allatae sunt* *).

Et haec sufficiant quoad jus, quoad exercitium et quoad obligationem Clericorum Regularium s. Pauli Collegii Mediolanensis pro non alio Ritu quam romano in Ecclesia s. Alexandri in functionibus, quae parochiales non sint, adhibendo. Dicam nunc de altero, quod proposui: *An*, scilicet, *et quantum et quomodo* in partes Illmi et Rmi Metropolitani Antistitis sit hac in re abeundum? Is supplici dato libello nonnullorum factorum seriem exponit, ac deinde ait, paroeciam a Barnabitis administratam, quae ante Josephum II. vix mille animas complectebatur, in octo millia eoque amplius modo excrevisse. Quae circumstantia ideo ab Archiepiscopo, ut arbitror, exponitur, ut nimirum patescat, multos offensum iri in reassumptione Ritus romani in parochiali eorum Ecclesia; ait insuper paroeciae ejusdem adeo numerosae extensae servitio ob exiguum religiosorum numerum, Barnabitas auxilio indigere Presbyterorum saecularium, qui profecto Ambrosiano Ritu functiones peragere debent; Ritum Ambrosianum ab instaurata religiosa familia in ea paroecia adhibitum fuisse primum pro iis tantum functionibus, quae religiosi sodalitii propriae non essent, ac deinceps pro omnibus, quae publici essent cultus, Missis tantum privatis et chori canonicarum horarum recitatione exceptis. Vix autem e suggesto, vertente ad finem anno 1857 proclamatum est generalitium decretum die 30. Aug. (quo romanus Ritus instauratus in ea Ecclesia denunciabatur), significat maximas excitatas esse quaerelas, magnam animorum concitationem in universa paroecia exortam, ingentes numero tum verbales tum scriptas reclamationes Vicario generali, Metropolitano Capitulo sibique ipsi e parte etiam omnium tam generis nobilitate quam censu et muneribus praecipuarum familiarum oblatas esse et ad nonnulla etiam facta vel ventum esse vel timendum ne procedatur, quae ab eodem exponuntur. „Quare, subjungit, cum Praepositus generalis Barnabiticae Congregationis Mediolano jam discessisset, domus Praeposito ad s. Alexandrum notum feci, meum esse animi Consilium, ne parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu obolendae essent, atque eas esse intelligendas parochiales functiones, quae aliis omnibus parochialibus urbis Ecclesiis ad communem aedificationem, sive ex lege sive e probata consuetudine celebrentur, curandum esse, ut ad quasvis turbas vitandas ita fierent interdum, meque Apostolicam Sedem humiliter rogaturum, ut huic agendi rationi venia sua tribueret facultatem. (Hujusmodi forsan epistolae a Vicario generali, nomine Archiepiscopi, conscriptae extat exemplar.) Quare, licet admittam negandam non esse Barna-

---

*) Vd. *Ritus graecus*.

biticae Congregationi facultatem celebrandi in s. Alexandri Ecclesia solemnes quoque functiones romano Ritu, tamen nomine omnium paroecianorum, atque ut ferventibus eorum votis satisfiat, eorum queremoniae sapiantur, scandalorum removeantur pericula aliaque religionis damna vitentur, supplex a Sanctitate Tua rogo obtestorque, ut indulgere dignetur, quatenus opus sit, ut in praedicta Barnabitica Ecclesia parochiales omnes functiones Ambrosiano Ritu ab ipsis religiosae familiae sodalibus celebrari adhuc possint et illae pro parochialibus functionibus intelligantur, quae, exceptis horis canonicis, in aliis quoque parochialibus Mediolani Ecclesiis habentur pro generali paroecianorum bono et illae praeterea, quae fiunt erogata eleemosyna, comprehensis anniversariis pro defunctis."

Gravissima sane ac maxima sunt, quae exponuntur, ut vehementer ab iis commoveri opus sit, mirum tamen videri potest, tales ac tantas turbas excitare potuisse apud Mediolanenses, quibus novum non est, romanum Ritum non multis abhinc annis partialiter adhibitum fuisse in Ecclesia s. Alexandri. Mirum, quod eae reclamationes a parochianis oblatae etiam sint, ut dicitur, Capitulo Metropolitano.

Licet autem ea sit cujusque populi conditio, ut ex ipsa specie alicujus circa res sacras innovationis facile commoveatur ac perturbetur, ea tamen mihi arridet circa Mediolanensem populum opinio, ut, cum sit ipse ad omnem animi culturam optime informatus, sperandum firmiter sit, ut ipse rem hanc, ratione potius duce quam vehementiori animi ardore consideret. In quam spem eo firmius adducor, quod, dum Praepositus provincialis Barnabitarum Archiepiscopum rogabat, anno 1856 „che questa cessione della chiesa e parrocchia di s. Alessandro s'intende fatta conforme à ciò che i sacri canoni prescrivono intorno alle chiese de' regolari con cura d'anime, e quindi gli oggetti e le funzioni parrocchiali avranno le proporzioni che ebbere sempre sotto i Barnabiti in quella chiesa dal 1859 sino alle innovazioni di Giuseppe II., ed hanno tuttora nella loro chiesa parrocchiale di Roma, in piena conformita alla bolla *Firmandis* di Benedetto XIV. che per conseguente riguardo al rito s' intende ristabilita la pratica seguita in s. Alessandro nel suddetto intervallo di tempo sino alle novita di Giuseppe II.", Archiepiscopus ipse, qui suarum ovium indolem moresque optime perspectos habebat, firmissime retinebat, eas petitam romani Ritus instaurationem aequo animo accepturas fuisse; secus enim numquam rescripsisset, ut fecit, die 16. Jan. supradicti anni, nulla interjecta restrictione, *si accorda quanto venne dimandato.*

Optandum nihilominus fuisset, ut de decreta per Archiepiscopum romani Ritus reintegratione, priusquam eidem facto inducendae manus admoveretur, tum per curiam Archiepiscopalem tum per Clerum, incolae illius paroeciae aptis verbis admonerentur tum de ecclesiasticae auctoritatis interventu tum de nulla quae per eam patrio Ritui irrogaretur injuria.

Quod cum fortasse factum non sit, mirandum minime est, quod turbae, quaerimoniae et clamores sint excitati et animorum contentio eo processerit, ut res evulgari jam coeperit in urbe Mediolani per ephemerides. Siquidem *la Bilancia* n. 13. diei 6. Febr. anni currentis edidit *una rettificazione,* qua *alcuni sacerdoti secolari di rito Ambrosiano* mirantur primo, quod auctori alioquin clarissimo praeclari operis: *documenti circa la vita e le gesta di s. Carlo Borromeo* in adnotatione ad calcem p. 511 II. vol., ubi fit sermo

de sollicitudine s. Caroli pro conservatione Ritus Ambrosiani, exciderint verba: „Egualmente or ora quando furono umiliati a Sua Santita il sommo pontefice Pio IX. reclami dei parrocchiani di s. Alessandro in Zebadia contro l'innovazione ordinatavi dal P. generale dei Barnabiti, che si funzionasse in rito romano, i parrocchiani furono assicurati che Sua Santita nulla sapeva dell' operato del generale; aver egli piacere che si propaghi la liturgia romana, giammai pero contro il voto delle popolazioni;" ac deinde afferentes in medium decretum generalis, quod retulimus, ejusdem agendi rationem tuentur.

Aegre id tulerunt *alcuni perrocchiani* di s. Alessandro, qui in officiali ephemeride Mediolanensi die 27. ejusdem mensis abeunt in partes citati auctoris affirmantque, *che la parola innovazione venisse usata da lui per rapporto all' ultima pratica in s. Alessandro da circa trent' anni*, eosque minime sibi proposuisse per supplicem exhibitum libellum, ut de Barnabitarum jure disquirant, *ma solo d' implorare dal Santo Padre la grazia di conservare nella loro chiesa parrochiale quel rito ch' e una delle piu care loro tradizioni, sed a cui non saprebbero rinunziare senza gravissima pena.*

Non vos latet, Emi et Rmi principes, Ritus, Caeremonias atque solemnem apparatum externum, qui in sacris functionibus atque in ipsis divinis mysteriis peragendis adhibentur, habendas esse tamquam eloquentissimam vocem, qua filios suos tacite sed potenter alloquitur sancta mater Ecclesia, qua iisdem fidem, amorem ac reverentiam quodammodo insinuat seu tamquam splendidissimam vestem varietate circumdatam, qua se sponsam Agni et ornatam viro suo intuentium oculis conspiciendam exhibet. Ex quo fit, ut iis videndis, colendis ac religiose observandis assueti fideles eorumdem mutationem, praecipue, si ea notabilis sit, aequo animo ferre non possint. Hinc scimus ex ecclesiastica historia, Ecclesiam romanam, utpote amantissimam totius catholici orbis matrem, illud semper in more habuisse, ut nullam unquam obsequentibus filiis suis molestiam inferret, si qui alium Ritum a romano discordem profiterentur, dummodo tamen is legitime sit inductus nec errorem contineat aut ad errorem inducere facile possit. *Unaquaeque provincia*, ajebat s. Hieronymus ad Licinium de inveteratis hujusmodi consuetudinibus et traditionibus, quae fidem non laedunt, *abundet in sensu suo et praecepta majorum leges apostolicas arbitrentur.* Hinc Eugenius IV. Episcopis graecis, qui Florentiae ad Concilium convenerant, ut graeco Ritu celebrarent, benigne permisit. Et ut alios omittam, Clemens VIII. Episcopos ruthenos et Clerum in sinum S. R. Ecclesiae recipiens permisit, ut suos antiquos Ritus observarent.

Silentio autem praeteriri non debet, quod, licet antiquos hujusmodi Ritus Ecclesia romana tanta prosequatur moderatione ac lenitate, attamen multo magis cordi habet ac fervidissime exoptat, ut Ritus romani uniformitas in occidentalibus praesertim Ecclesiis custodiatur, et si fieri potest, ubi non est, inducatur. Hinc ab eadem ecclesiastica historia edocemur, ipsam romanam Ecclesiam nullam unquam effugere sibi passam esse occasionem, qua sapienter et fortiter, aeque ac prudenter ac suaviter variae ex occidentalibus Ecclesiis, sponte ac libenter romanum Ritum, proprio relicto, amplecterentur. Sic Alexander II. et Gregorius VII. omnem adhibuerunt operam, ut eae Hispaniarum Ecclesiae, in quas Ritus, quem mozarabum dicunt, in-

vectus ab Episcopis fuerat, ad Ecclesiae romanae uniformitatem reducerentur. Et quoniam sermo de Mediolanensibus est, sic Petrus Damiani et Cardinalis S. R. E. Branca Castillionaeus legati apostolici, alter Nicolai II., alter Eugenii IV., pro Ambrosiano Ritu tollendo eique romano substituendo plurimum, irrito licet conatu, adlaborarunt. Quae ideo dicta esse volo, ut intelligatur magis magisque, *primo:* aegre divelli homines a consuetudinibus, quas a majoribus acceperunt, neque mirum esse, si, quando id tentatur, turbae excitentur et ad incredibilia pene rapiantur, ita ut in eis tractandis ac fraenandis summa prudentia item et charitate opus sit. Et quoniam de Cardinali Branca Castillionaeo paulo ante sermo incidit, notabile est, quod Bernardinus Corius hist. Mediolan. part. 5. Mediolani contigisse refert anno 1440, nimirum cives ad Cardinalis aedes cum facibus advolasse, minas incendii ingeminasse, nisi codex redderetur, quem ipsemet s. Ambrosius composuisse et scripsisse fertur, et quem Cardinalis acceperat a Praeposito s. Theclae, cujus custodiae concreditus erat; *secundo:* Romanos Pontifices, si res coepta ad felicem exitum perduci non potuisset, quin *Ecclesiae pax et concordia atque christiana charitas, cui omnes Ritus cedere et suffragari necesse est* (Mabillonius comment. in Ord. Rom. §. 21.), turbaretur, ab incoepto consuevisse desistere et illud ad magis opportunum tempus reservasse.

Nolit autem aliquis putare accommodanda haec esse in tota extensione praesenti, in qua versamur, controversiae. Non enim hic agitur de tollendo Mediolanensibus Ritu aut codice Ambrosiano eique sufficiendo Ritu romano nec de carpendo civium zelo, si tenacius inhaerere videantur Ritui, in quo sive stabiliendo sive confirmando praeclarissimi qua sanctitate qua scientia eorum Archiepiscopi adlaborarunt, minime gentium, sed res tantum est de reassumendo romano Ritu in ea Ecclesia et ab iis Clericis regularibus, in qua et a quibus ex eorum incunabulis tamdiu servatus fuit, quamdiu licuit, per 200 scilicet annorum spatium, et a quo per vim et per temporum injuriam exturbari primum coeperunt anno 1789. Non is ego sum, qui audeam vel minimum me immittere in ea prohibitione, quae anno 1830 ab Emo Cardinali de Gaisruk Barnabitis inflicta fuit. Non possum tamen, quin animadvertam, nisi intercedat auctoritas sanctae Sedis, non teneri Barnabitas, ex apostolis literis Pauli III.: *Dudum felicis,* 8. Cal. Aug. 1535, ad alium usum (qui non sit secundum usum et morem rom. Ecclesiae) super hujusmodi horis, missis et officiis dicendis observandum, nec ad id a quoquam invitos compelli.

Quae quidem reintegratio Barnabitarum non in jure solum, sed in reali etiam exercitio, qua occasione poterat opportunius obvenire, quam faustissimae conventionis, quae inter sanctam Sedem et serenissimum Austriae Imperatorem toto catholico terrarum orbe plaudente, religione duce, inita est?

Satis aliunde notum compertumque est, Mediolanensibus, qui, cum, ut paulo ante dixi, *praecepta majorum* (s. Hieronymus ad Lic. ep. 28) *leges apostolicas arbitrentur*, a Ritu Ambrosiano nunquam se divelli paterentur, novum et inusitatum non esse romanum Ritum, quem quotidie ob oculos habent, non dicam *partialiter* in eorum Basilicis, sed plene ac totaliter in altera Barnabitarum Ecclesia s. Pauli. Notum pariter est jam ab aetate ipsa s. Caroli Borromaei Archiepiscopi in quibusdam Ecclesiis rom. Ritu celebrari consuevisse, cum ipse Synodo III. statuerit: *in Ecclesiis, in*

quibus more romano celebratur, vetitus est Ambrosianus vel contra (Petra constit. 22. Eugen. IV.). Et quinam ipsum s. Ambrosium, qui Basilicam dedicaturus erat, quinam, inquam, nisi Mediolanenses *uno ore interpellare coeperunt dicentes: sicut in romana sic Basilicam dedices*, ut ipsemet Ambrosius sorori suae Marcellinae scripsit (lib. 7. epist. 54).

Sed dum haec ergo in medium adduco, non dissimulo, ea late accipienda esse atque eo tantum casu huic quaestioni esse accomodanda, quo sartus tectus Ambrosianus Ritus Mediolanensibus servetur in iis, quae curam animarum recipiunt. Atque ut rei hujus, quam assero, exemplum aliquod adducam, illud oculis ipsis nostris sese offert in Ecclesia abbatiali percelebris monasterii Cryptae Ferratae, ubi Monachi Basiliani graeci Ritus in communi vitam agunt. Unica ibi extat Ecclesia, in qua per unum et alterum e monachis illius familiae juxta privilegium cunctis Basilianorum graeci Ritus monasteriis a Benedicto XIV. gl. me. per literas in forma Brevis anno 1751 renovatum et modificatum animarum curam romano Ritu exercetur. Si quis autem scire velit, quaenam praecise sint parochiales functiones, in quibus parochus Ritum adhibet romanum, respondet recentissimum testimonium, quod ego prae occulis habeo, Rev. P. Prioris illius monasterii; „in tutte le funzioni parocchiali che esercita, usa il parroco il rito romano; ma queste si ristringono, oltre la messa e l' ufficio, solo all' amministrazione dei SS. Sagramenti, all' associazione dei cadaveri, e alla solenne benedizione de sacro fonte nel sabato santo, nel qual giorno celebra anche la messa annessa alla funzione, ma privata, e si la funzione che la messa di buon mattino, per lasciare libero il tempo alle funzioni monastiche di rito greco. Eziandio nel giovedi santo celebra la messa privata per dichiarazione di S. A. Emma il Cardinal duca di Yorck, nonostante che si celebri puranco dal superiore la messa detta della comunione, e se ne canti un altra unita al vespero conforme al rito greco.“ Et paulo ante subjungit: „Riservate al parroco le funzioni, di cui sopra . . . tutte le altre funzioni, della chiesa si fanno da tutta la famiglia monastica, e specialmente dal superiore e suo vicario. La messa e l' ufficio, e tutte quelle che fanno parte dell' ufficiatura, la setimana santa, le palme ecc., in rito greco; le altre funzioni, come benedizioni, preci publiche, processioni ecc. in rito latino; nel qual rito si amministrano quei sagramenti, che non sono riservati al parroco, e quei quali il medesimo deputa qualunque altro monaco.“ Super quibus illud arbitror esse animadvertendum, majus profecto discrimen intercedere inter Ritum latinum et graecum, quam inter romanum et Ambrosianum.

Et quoniam ab Archiepiscopo in supplici suo libello pro extensione ritus Ambrosiani in Ecclesia s. Alexandri Barnabitarum profertur „analoga concessio jam a Sanctitate Tua benigne facta anno 1853 die 28. Jan. Patribus Capuccinis paroeciam Majoris Nosocomii Mediolani administrantibus, quae pro eodem tenore (addita tamen mentione missae parochialis pro diebus dominicis ac festivis) etiam ad Barnabitarum paroeciam extendi posset“, quod confirmatur in altero supplici libello parochianorum, illud notandum esse existimo, praefatam analogiam in casu Barnabitarum vel nullam esse vel nimis latam, *primo:* quia Capuccini de mutando Ritu auditi fuerunt per procuratorem generalem ordinis, *Sanctitas Sua audito P. procuratore generali Ordinis*, neque in-

viti ad id coacti sunt, cum data sit facultas *Archiep. Mediolanen. indulgendi religionis Capuccinis etc. . . .*, *ut suprascriptas functiones parochiales juxta Ritum Ambrosianum facere possint et valeant.* Profecto volenti et consentiendi nulla fit injuria. *Secundo:* quia concessio et indulgentia recta aptabatur Capuccinis, qui ad Ritum romanum sequendum generali tantum adstringebantur, cum e contra Barnabitas urget lex particularis et positiva etiam in urbe Mediolanensi, et in ipsa etiam parochiali Ecclesia s. Alexandri, *in qua ejusque domibus ac aedificiis et adhaerentiis praedictis* Sixtus V. in literis supra memoratis, concessit „unam domum dictae Congregationis juxta illius Ritus et Instituta regendam.“ *Tertio:* quia parochialitas exerceri debet a singulis individuis sacerdotibus, qui hospitali majori et adnexae expositorum domui deserviunt, et a Barnabitis *per unum ex Presbyteris regularibus Congregationis.*

An quorsum haec prosequor? Ut sternatur quodammodo via judicio ferendo. Ea namque ratione in hac controversia procedendum esse duco, spectata praesenti rerum conditione, ac praesertim, ne videantur probari, quae gesta sunt sive a Josepho II. sive postea inconsulta Sede apostolica, ut integris firmisque servatis tum familiae Barnabitarum s. Alexandri jure, privilegio seu potius obligatione Ritus romani servandi juxta literas apostolicas et juxta eorum constitutiones, de quibus facta est mentio, tum facultativo rescripto, quod explicitis verbis die 16. Jan. 1856 precibus praepositi generali in actu s. visitationis edito die 30. Aug. 1856, non peremptorie, et, ut ita dicam, violenter, sed pedetentim et prudenter iis attentis, quae a Rmo Archiepiscopo et ab ipsis parochianis exposita sunt, Ritus romani in parochiali Ecclesia s. Alexandri, in ea parte et in ea extensione, quae apost. Sedi videbitur, restitutio curetur. Ita, proportione servata, factum fuisse apparet, cum anno 1821 nonnullae paroeciae, quae Mediolanensi Sede avulsae Novariensi cathedrae accesserunt, induci non poterant, ut, Ambrosiano Ritu posthabito, latino, ut necesse erat, se conformarent. Re namque proposita, jubente gl. me. Pio VII. in S. R. Congregatione auditisque consultorum votis, insinuatum est Emo Antistiti Novariensi, „ut mediis adhibitis, quae magis ei opportuna videbuntur, quin expresse praecipiat, allicere potius studeat parochos et plebem praefatarum paroeciarum ad Ritum romanum amplectendum.“ Non enim dissimulo parochianorum votis, quantum fieri possit, benigne esse prospiciendum. Interim vero, donec id perficiatur, nulla in praedicta Ecclesia inducenda esset innovatio in iis, quae ab anno 1830 fieri coepta sunt, quod grave Barnabitis esse non debet. Licet enim ipsi multis sane nominibus bono potiantur jure utendi Rito rom., animadvertere tamen debent, in facto eos jam ab anno 1789 debuisse se Ambrosiano Ritui conformare, ex quo forte factum est, ut populus illius paroeciae, qui paulatim ex mille, quibus antea constabat, ad 8000 animas excrevit patrio Ritui assuetus, repentina mutatione commoveatur; *ipsa quippe mutatio consuetudinis* (ait s. Aug. ep. ad Jan. 54. al. 118), *etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Sciant insuper ob auctum parochianorum numerum providendum ipsis esse, ut is numerus sodalium suorum paroeciae regendae deputetur, qui Archiepiscopi iudicio et animarum indigentiis et parochialibus functionibus respondere queat. Hac agendi ratione certo sperandum est, ut omnia pacifice et sine animorum offensione ad feli-

cem exitum perducantur. Quod cum potissimum pendeat ex notitia personarum, locorum et peculiarium circumstantiarum, idcirco mihi videtur totum id negotii eidem Rmo Archiepiscopo remittendum esse. Qui profecto suum, hac in re, *erga Congregationis* (Barnabiticae) *jurata et canonicas leges* obsequium testatum voluit, ut in supplici libello ipse affirmat, per supra memoratum rescriptum diei 16. Januarii 1756. Quibus praemissis, rescribi posset:

Consulendum Sanctissimo ad mentem, et mens est: quod S. Congreg. committendum censet Archiepiscopo Mediolanen., ut ipse, adhibitis mediis, quae ei magis opportuna videbuntur, curet prudenter removeri obstacula, instruendo populum subjectum ac praecipue sacerdotes paroeciae s. Alexandri, non agi quidem de iis transferendis ad Ritum alienum, at patrium Ritum sibi relinqui in iis, quae pertinent ad curam animarum, moneatque indignum esse religiosam familiam, cui, cum sit Ordo S. R. Ecclesiae, injunctum est in ipsa fundatione exercere Ritum romanum, prohiberi ab ejusdem usu in functionibus, quae parochiales non sint. Colligat interea Archiepiscopus opportunas notitias circa functiones parochiales, quae a Barnabitis Ritu Ambrosiano factae dicuntur per annos bis centum.

Decretum S. Congregationis:

„Congregatio particularis Sacrorum Rituum rescripsit: *Consulendum Sanctissimo, ut in Ecclesia parochiali s. Alexandri eaedem functiones Ritu ambrosiano peragantur, quae ad preces Rmi Archiepiscopi Mediolanensis indultae fuerunt PP. Capuccinis decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 28. Jan. 1853.*

Die 28. Apr. 1858."

„Hanc postmodum particularis Congregationis sententiam quum Sanctitati Suae retulerit subscriptus Secretarius, ipse SSmus Dominus, attentis peculiaribus circumstantiis a Rmo Archiepiscopo Mediolanen. in praecedenti supplici libello narratis, superius particularis Congregationis rescriptum approbavit, rebus tamen sic stantibus et donec Sancta Sedes aliter providere non censuerit. Die 29. ejusdem mensis et anni."

(Anal. J. P. 1861 p. 1146 – 1163.)

2) Armenicus.

(Non mutat.).

Cum ad Notitiam SSmi pervenerit, Religiosos Armenos Ord. s. Antonii Venetiis degentes, in priv. missae celebratione contra proprios Ritus a s. Sede apost. approbatos oblationem panis et vini consecrandi non ante Introitum sed post Symbolum explere, eumque non in omnibus sed in aliquibus missis more Latinorum recitare, Sacramentum statim post Consecrationem elevare nec cum illo ad populum benedicendum amplius se convertere et insuper ultra proprii Calendarii festivitates plura SSrum Officia ab Ecclesia Latina fieri solita propria auctoritate introduxisse — „SSmus praefatas innovationes et si quae aliae apud eos vigeant contra proprios Ritus, expresse vetat ac prohibet eisque mandet, ut tam circa s. caeremonias in missa et div. Officii recitationem ac festivitates SSrum celebrandas a propriis rubricis et Calendario non recedant. Ex speciali tamen gratia eis concedendum esse, ut in civitate Venetiarum degentes, de festivit. D. N. ac SSrum, quae in Ecclesia latina cum abstinentia ab operibus servil. celebrantur, necnon s. Bened. abb. et s. Thomae Aquen. Officia cum missis

secundum praedictos Ritus recitare possint et valeant.

n. 4219 die 22. Julii 1751.

Vd.: *Ritus Graecus; Nativit. Dom.* (Missae — tres).

3) Benedictionis.

Ad dubium: An in benedictionibus, pro quibus Rituale non dat formulam, v. g. in benedictionibus seminum terrae mandandorum, efformando signum Crucis super rem benedicendam expediat dicere: „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ ℟.: Amen? Atque adhiberi debeat cereus accensus? et res aspergenda sit aqua benedicta?

S. C. resp.: Producendum signum Crucis super re benedicenda cum formula: *In nomine Patris etc.*, deinde rem ipsam absque cereo accenso cum aqua benedicta aspergendam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

Vd.: *Bened.*

4) S. Communionem distribuendi.

Vd.: *Communio; SS. Sacram.* (distributio).

5) Congregatio S. R. instituta a Sixto V.

Sixtus PP. V.

Cum sacri Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex apostolica traditione et disciplina utitur in Sacramentorum administratione, divinis Officiis omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant et devotionis eas igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris Ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere:

Quinque Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres Ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae, si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris Ritibus et caeremoniis, inprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; Officia divina de ss. patronis examinent et nobis prius consultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex patrum traditione fiant, et ut reges et principes eorumquo oratores aliaeque personae, etiam ecclesiasticae, ad Urbem Curiamque romanam venientes, pro Sedis apost. dignitate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem suscipiant seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus aut alibi caeteras in hujusmodi sacris Ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant. Die 11. Maii 1587.

(Bull. r. t. VIII. p. 989. Ed. Aug. Taur. 1863.)

6) Consecrationis ss. particularum.

Juxta Rubricas Missalis part. 2. tit. V. n. 3. hostiae pro communione populi conservandae ponuntur vel super corporale vel in alio calice seu vase, quaeritur: an per illud vas intelligere liceat aliam patenam, in qua ponerentur hostiae consecratae? Insuper: an hostiae consecrandae poni possint in alio corporali plicato in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis consecrationis explicetur, ut discooperantur hostiae?

S. C. resp.: Si multae sunt particulae consecrandae, satius est eas ponere in pyxide, si paucae, poni possunt in alia patena, nunquam vero in alio corporali complicato.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192.)

7) Festorum.

Vd.: *Festa B. V. M.; Duplex* (Dignitas).

Quando pro aliquo festo vel Officio concessus reperitur Ritus duplex absque expressionis majoris vel minoris, concessio intelligenda est de duplici minori, etiamsi ad honorem Deiparae facta fuerit.

S. R. C. 2. Oct. 1683.

Obligatio audiendi missam non elevat Ritum, sed Officium relinquit in suo Ritu.

Die 2. Sept. 1741.

Octava non elevat Ritum.

Die 11. Jan. 1741.

8) Graecus.

Vd.: *SS. Sacrament.* (distributionis ritus); *Missa* (plures presbyteri graeci); *Ordinatio Graecor.*; *Missa* (ritus non mutandus); *Unctio in Baptism. Graecor.*; *Unctio in Confirmat.*; *Unctio extrema*; *Missa* (altare); *De transitu a ritu graeco ad latinum*, vd.: *Unctio in Baptism. Italo-Graecor.* n. XII. XIII. et: *Ritus latinus; Nativit. D.* (missae tres). *Utrum presb. graecus latino more et presb. latinus graeco ritu celebrare possit?* vd.: *Ritus latin.* (utrum presbyter etc.).

Instructio super aliquibus Ritibus Graecorum pro Episcopis Latinis, in quorum dioecesibus Graeci vel Albanenses graeco Ritu viventes degunt.

Clemens PP. VIII.

Presbyteri graeci *baptizatos* chrismate in fronte non consignent et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba: *καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν* etc. usque ibi: *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κυκλοῦ*, hoc est, et post orationem etc., ubi habetur forma hujus consignationis, usque ad verba: Postea facit sacerdos figuram circuli etc.

§. 1. Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos a Presbyteris graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirment; et tutius videtur, ut cum cautela et sub conditione id faciant, videlicet: N., si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis † et confirmo te chrismate salutis † in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; praesertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis graecis fuerint baptizati.

§. 2. *Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum*, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur.

Non asservetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi vel etiam miscendi sacro oleo ac iterum coquendi vel alias exsiccandi species Sacramenti sacrae Eucharistiae feria quinta Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

Si Graeci velint accipere *altaria portatilia* ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum throni sive throni super altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Corporalia uti Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

§. 3. *In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possint Latinos absolvere.*

Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex Ritu Graeco in die Epiphaniae vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur.

Circa oleum sanctum Catechumenorum et Infirmorum.

Non sunt cogendi Presbyteri graeci olea sancta praeter chrisma ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum cujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur seu benedicantur. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum Ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Episcopis graecis externis schismaticis seu S. R. E. communionem non habentibus illud accipere vel eo uti.

§. 4. *Ordinati* ab Episcopis schismaticis, correcti vel emendati reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentiis salutaribus; dummodo errores vel saltem schisma Ordinatoris abjurent in judicio, vel publice vel secreto pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate hujusmodi occasione contracta auctoritate sanctae Sedis apost. fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, sive pro ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed detinendi quoad sancta Sedes apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

Graeci sine literis dimissoriis Episcopi latini dioecesani ad sacros ordines promoti suspensi sunt, et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.

Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a sancta Sede apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus latinus Graecum aliquem ordinare voluerit, qui a Presbytero graeco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione videlicet: N., si es confirmatus etc., ut supra. Presbyteri vidui seu uxoribus orbati habitum deferant diversum ab aliis.

§. 5. Curent Ordinarii locorum, ut decretum Sacri generalis Conc. Trid. de reformatione *matrimonii* vertatur in linguam graecam vulgarem et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium evulgetur et publicetur.

Matrimonia inter conjuges graecos dirimi seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur, et si qua de facto processerunt, nulla et irrita declarent.

Maritus latinus uxoris Graecae Ritum non sequatur.

Latina uxor non sequatur Ritum mariti Graeci.

Graeca vero uxor sequatur Ritum Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque conjugum in suo Ritu, catholice tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris Ritum, nisi praevaluerit mater latina.

Presbyter graecus conjugatus ante sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam vel per hebdomadam vel per triduum abstineat ab uxore.

§. 6. Graeci credere tenentur, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, praesertim si degant inter Latinos aut necessitas postularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Numquam monachis graecis seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate aut alia justa causa.

Presbyteri saeculares graeci, abjuratis schismate et erroribus atque in fide catholica bene instructi, in parochialibus seu curatis Ecclesiis Graecorum institui possunt.

Tolerandus est apud Graecos usus carnium die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum et inter eos tantum.

Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In jejuniis biduanis vel triduanis vel alias a dioecesanis vel in Jubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis dies Sabbati in eis comprehensus vel praescriptus in alium diem pro plebibus graecis ab ipsis dioecesanis, apostolica auctoritate SSmi D. N. D. Clementis divina providentia Papae Octavi permittitur commutari.

Si ipsi Graeci ad observationem jejuniorum et vigiliarum latinae Ecclesiae induci possent, optimum esset, sed non cogantur, et cum ipsi qualibet hebdomada et feria 4. et feria 6. jejunent.

Graeci existentes inter Latinos dies festos de praecepto ejusdem latinae Ecclesiae servare teneantur.

§. 7. Insuper idem SSmus D. N. constituit, Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum, qui Graecos Episcopis latinis Italiae et insularum adjacentium subjectos, ab Episcopo graeco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis, ritu graeco ordinet.

§. 8. Ita Sanctitas Sua ex sententia Congregationis super reformatione Graecorum decrevit et declaravit ac fieri mandavit Romae in Palatio Montis Quirinalis apud s. Marcum die 31. mensis Augusti 1595.

(Bull. r. t. III. p. 52. Ed. Luxbg. 1742.)

Syriacis et Armenis in Latinorum Ecclesiis Sacra peragentibus proprium Ritum servari praecipitur; omnes graecos et orientales Ritus conservandos esse decernitur; moneanturque missionarii, ut in Orientalibus convertendis eos non a suis approbatis Ritibus avertant.

De interpret. sequ. Constitut. vd.: *Ritus latin.* (Utrum in Ordinat. ad Ordines etc.).

Benedictus PP. XIV.

Allatae sunt ad S. Congr. Propag. Fidei literae Sacerdotis cujusdam Sacris Missionibus exercendis deputati in civitate Balserae, quam vulgo Bassoram vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat et mercatorum negotiantibus est celeberima; quibus literis exponendum censuit, plures in illa urbe commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe aut Syriacos, qui peculiari templo carentes ad Latinorum Missionariorum Ecclesiam se conferunt, ubi eorum Sacerdotes Missarum Sacrificia juxta peculiares ipsorum Ritus offerunt aliasque sacr. Caeremonias perficiunt; Laici autem hujusmodi Sacris intersunt et Sacramenta ab iisdem Sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi: utrum praedicti Armeni et Syriaci catholicum suum Ritum observare debeant, an vero ad tollendam varietatem in ipsa Ecclesia, in quam Latini etiam, ut diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni et Syriaci, relicto veteri Calendario, novum amplectantur in iis, quae pertinent ad statuenda tempora paschalis solemnitatis et annuae Communionis, sicuti etiam Qua-

dragesimae dierumque festorum tam mobilium quam immobilium; atque ulterius progrediendo quaesivit: quatenus praedictis Balserae Armenis et Syriacis novum Calendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent templum sed adeo angustum, ut sacris functionibus decenter obeundis impar deprehendatur ideoque ad Ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

§. 2. Haec, uti diximus, a praedicto Missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram Nobis die 13. Martii hujus anni 1755 et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu responsum fuit: *nihil esse innovandum.* Id, quod Nos etiam auctoritate Nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die 31. Januarii anni 1702 edito, quod deinde confirmatum et renovatum non semel fuit et est hujusmodi: *Referente R. S. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario S. C. mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus et singulis Missionum apostol. Praefectis et Missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione aut praetextu audeat dispensare cum Catholicis quarumcumque nationum Orientalium super jejuniis, orationibus, caeremoniis et similibus, a proprio earumdem nationum Ritu praescriptis et a S. Sede apostolica approbatis. Praeterea eadem S. C. censuit: non licuisse nec licere praefatis Catholicis ullatenus a proprii Ritus, a S. R. E. ut supra approbati, consuetudine et observantia recedere. Hujusmodi autem decretum ut sit confirmatum ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis Praefectis et Missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere mandarunt.* Quod quidem decretum respicit Catholicos Orientalis Ecclesiae eorumque Ritus ab apostolica Sede approbatos; Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor Ritibus constare, Graeco videlicet, Armeno, Syriaco et Cophtico, qui sane Ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae latinae romanae nomine, Ambrosianus, Mozarabicus et varii peculiares Ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

§. 3. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo Commentario indigeat. Quare Nostra haec Encyclica Epistola eo tendit, ut hujusmodi lex omnibus cognita fiat atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quaestiones a Missionario Balserae propositas ex ignoratione decretorum, quae jam pridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex multis atque frequentibus indiciis conjicimus, Missionarios latinos in id curam et cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a Schismate et errore ad unitatem sanctamque catholicam religionem Orientalem Ritum de medio tollant aut saltem labefactent, Catholicos Orientales ad latinum Ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio religionis amplificandae, et opus bonum Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac Nostra Encyclica Epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia amplecti, quae, juxta apostol. Sedis sententiam, pro norma haberi debent, quoties Orientales ad catholicam religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in locis,

ubi aut nulli degunt Latini aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

§. 4. Sane historiam ecclesiasticam ne quidem primis, ut ajunt, dubiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent post funestum schisma Photii, qui tempore Summi Pontificis s. Nicolai I. Constantinopolitanam Sedem depulso per vim s. Ignatio Patriarcha legitime invasit. S. Leo IX. Praedecessor Noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut hujusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II. Graecos ad Barense Concilium invitavit, sed exiguum fructum consecutus est, tametsi s. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod beatus Gregorius X. coegerat, Michael Paleologus Imperator et graeci Episcopi unitatem romanae Ecclesiae amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV. SS. Pontifice, ad quod Joannes Paleologus et Joseph Patriarcha Constantinopolis cum caeteris Orientalibus Episcopis convenerant, unio statuta fuit et uniuscujusque subscriptionibus acceptata, eodemque in Concilio Armenorum et Jacobitarum Ecclesiae ad obedientiam Sedis apost. redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus Legatos etiam regis Aethiopum excepit ac Syros, Chaldaeos et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio s. Matthaei cap. 13., semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem, facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur;* ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius unionem convellere adnixus est et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

§. 5. Praeterea ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret ita cum Orientalibus unionem peractam firmatamque fuisse, ut dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio reciperent atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque* symbolo factam, ut panem non minus fermentatum quam azymum Sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur, ut dogma Purgatorii, visionis beatificae ac Primatus Romani Pontificis amplecterentur, uno verbo omnem curam collatam fuisse, ut errores Catholicae Fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili Orientali Ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cum satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad unitatem Graecis semper cogitarunt, eamdem viam, quam paulo ante indicavimus, semper institisse et adhuc insistere, sicut ex ipsorum cum dictis tum factis manifeste colligitur.

§. 6. Undecimo saeculo nonnullae Constantinopli, Alexandriae et in Patriarchatu Jerosolymitano reperiebantur Latinorum Ecclesiae, in quibus latinus Ritus servabatur, quemadmodum Romae non deerant Graecorum templa, in quibus ipsi graeco Ritu sacra munera persolvebant. Michael Cerularius, impius

schismatis instructor, latinas Ecclesias jussit obserari. Verum s. Leo IX. romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque Graecorum templa Romae clausit sed aperta esse voluit. Itaque de injuria Latinis illata conquestus in sua *Epistola prima cap. 9.* ita subdidit: *Ecce in hac parte romana Ecclesia quanto discretior, moderatior et clementior vobis est? siquidem, cum intra vel extra Romam plurima Graecorum reperiuntur Monasteria sive Ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione sive sua consuetudine: quin potius suadetur et admonetur eam observare.*

§. 7. Initio saeculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent et Summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarcham Latinum in ea civitate constituere, cui non solum Latini sed etiam Graeci obtemperarent, nihilominus palam declarare non praetermisit, nullum se velle Graecis Ritibus inferre detrimentum, nisi si quae forte consuetudines inter eos receptae periculum animarum parerent aut honestati ecclesiasticae adversarentur. Decretalis hujus Pontificis in Concilio Lateranensi IV. edita refertur tum in tom. VII. Collectionis Conciliorum Harduini pag. 22., *tum in cap.: Licet, de Baptismo: „Licet Graecos diebus nostris ad obedientiam Sedis apostolicae revertentes fovere ac honorare velimus, mores ac Ritus eorum, quantum cum Domino possumus, sustinendo, in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati.*" Honorius postea III., qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum literas dedit ad regem Cypri, qui duos Episcopos in nonnullis regni sui civitatibus optabat, Latinum videlicet pro Latinis, qui in illis versabantur, Graecum alterum pro Graecis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque haec Honorii epistola typis impressa legitur in *Annalibus Raynaldi ad annum Christi 1222 num. 5.*

§. 8. Documentis ejusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV. ad Danielem regem Russiae, apud *Raynaldum ad annum 1247 num. 29.*, qua ipsius regis specialem devotionem erga Ecclesiam cathol. commendans concedit, ut Ritus, qui Fidei rom. Ecclesiae non repugnarent, in ejusdem regno serventur, ita scribens: „*Eapropter, charissime in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati Episcopis et aliis Presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere et alios eorum Ritus, qui Fidei catholicae, quam Ecclesia romana tenet, non obvient, observare auctoritate praesentium indulgemus.*" Huc etiam spectat ejusdem Innocentii IV. epistola ad Othonem Cardinalem Tusculanum S. Sedis Legatum in insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quae Graecos inter ac Latinos excitatae fuerant, uti deprehenditur ex ejus Constitutione, quae incipit: *Sub Catholicae* *): „*Verum quia nonnulli Graecorum jamdudum ad devotionem Sedis apostol. redeuntes ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes ipsos in Ecclesiae rom. obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus nec velimus.* Postquam vero in eadem epistola prae-

---

*) Vd.: *Bull. r. t. I. p. 100.*

scripsit ea, quae a Graecis facienda erant, tum ea enumeravit, quae illis permittenda arbitrabatur, his verbis concludit: „*Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi et eis Suffraganeis Latinis communiter auctoritate Nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis, contra hujusmodi provisionem et deliberationem Nostram, non inquietent aliquatenus nec molestent.*“ Idemque Pontifex Innocentius IV. Laurentium Minoritam Poenitentiarium suum apostolicum Legatum constituens eique plenam auctoritatem tribuens in Graecos omnes, qui in regno Cypri, in Patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano morabantur, in Jacobitas etiam, Maronitas ac Nestorianos, hoc illi potissimum mandavit, ut Graecos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quae ipsis a Latinis inferri possent: „*Mandamus, quatenus Graecos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate apostolica protegens, turbari eos violentiis vel quibuscumque molestiis non permittas, injurias quaslibet et offensas a Latinis illatas eisdem plenarie faciens emendari et Latinis ipsis districte praecipiens, ut a similibus de caetero penitus conquiescant*“ Haec sunt Innocentii verba ad praedictum Legatum apostolicum, quae a *Raynaldo ad annum Christi 1247 num. 30.* recensentur.

§. 9. Alexander IV. in locum Innocentii Pontificis immediate suffectus cum irritam cessisse Praedecessoris sui voluntatem animadvertisset cumque turbas ac dissensiones graecos inter ac latinos Episcopos in regno Cypri adhuc vigere percepisset, latinis Episcopis indixit, ut graecos Ecclesiasticos suas ad Synodos accenserent; eos autem Decretis Synodalibus subjectos declarans sequentem conditionem adjecit: *Recipere et observare synodalia statuta, quae tamen Graecorum Ritibus Fidei Catholicae non adversis et a rom. Ecclesia toleratis non obvient.* Hujusmodi laudabili exemplo inhaerens Elias Archiepiscopus Nicosiensis anno 1340 Decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: „*Per hoc autem non intendimus inhibere graecis Episcopis et eorum subditis, quin Ritus suos Fidei Catholicae non adversos sequantur, juxta compositionem a felicis recordationis Domino Alexandro Romano Pontifice in regno Cypri inter Latinos et Graecos editam et observatam.*“ Haec omnia perspici possunt in Labbeana Collectione, Venetae editionis, tom. 14. p. 279. et tom. 15. p. 775.

§. 10. Finem saeculo decimo tertio imponit memorata Graecorum Latinorumque unio statuta in generali Concilio Lugdunensi sub b. Gregorio X. Summo Pontifice, qui ad Michaelem Paleologum Fidei Confessionem unionisque Decretum a Concilio firmatum et a Legatis Orientalibus juratum misit, ut ipse quoque Imperator ac reliqui graeci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore et Orientalibus adjecta tamen hac conditione, quae ipsorum literis continetur, ab Harduino relatis in sua Collectione, tom. 8. pag. 698.: „*Sed rogamus Magnitudinem Vestram etc., quod permaneamus in Ritibus Nostris, quibus utebamur ante Schisma, qui scilicet Ritus non sunt contrarii contra supradictam Fidem nec contra Divina praecepta.*“ Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium literas interierit, quum tamen ipse unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, praedictam conditionem ab ipso receptam probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III. Gregorii Successor per suos Legatos, quos Constantinopolim misit,

his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud *Raynaldum* ad annum Christi 1278: *De caeteris autem Graecorum Ritibus eadem romana Ecclesia intendit Graecos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi et ipsos in illis Ritibus, de quibus Sedi apostolicae visum fuerit, quod per eos Catholicae Fidei non laedatur integritas nec sacris statutis Canonum derogetur, perseverare permittit.*

§. 11. Quod attinet ad saeculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probatae Joannes Palaeologus subscripsit, hac lege: *ne ex Ritibus Nostrae Ecclesiae aliquid immutetur*, uti videre est tom. 9. Collectionis Harduini p. 395. Verum, cum Nobis in animo non sit singula percensere, quae a romanis Pontificibus sequentibus deinde saeculis gesta sunt, praecipua quaedam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu studioque egisse, ut insidentes Orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle Ritus, quibus eorum majores ante schisma approbante Sede apostolica usi fuerant, nec unquam ab Orientalibus postulasse, ut, si Catholici esse vellent, latinum Ritum amplecterentur.

§. 12. In Graecorum Enchiridio edito Beneventi duae Summorum Pontificum Leonis X. et Clementis VII. habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur Latini illi, qui in Graecis reprehendabant observantiam eorum, quae in Florentino Conc. eisdem permissa fuerant, praesertim quod Sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos Ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam pueris exhiberent. Pius IV. in Constitutione: *Romanus Pontifex* *), dum Graecos in Latinorum dioecesibus commorantes Latinis Episcopis subjectos fore decernit, ita subdit: „*Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Graeci ab eorum graecanico Ritu detrahantur vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios aut alios impediantur.*"

§. 13. Annales Gregorii XIII. a Patre Maphaeio conscripti et Romae impressi anno 1742 complura referunt, quae idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtas Armenosque ad Catholicam Fidem reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quae leguntur in ipsius Constitutione 63. in *novo Bullario tom. 4. part. 3.*, et in duabus aliis, videlicet 157 et 173 in eodem *Bullario tom. 4. part. 4.*, de fundatione trium Collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Graecis, Maronitis et Armenis, in quibus Alumnos dictarum nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis Ritibus Orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit unio Ruthenorum cum apostolica Sede fel. record. Clementis Papae VIII. peracta, cujus monumenta relata leguntur in Annalibus Venerabilis Cardinalis *Baronii Romanae editionis anni 1596 tom. VII.*, ubi *pag. 682* exhibetur decretum ab Archiepiscopis et Episcopis Ruthenis pro ineunda unione confectum cum hac conditione: „*Salvis tamen et in integrum observatis caeremoniis et Ritibus cultus Divini peragendi et SS. Sacramentorum juxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis; correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt.*" Sed cum paulo post ad pacem turbandam

*) Vd.: *Bull. r. t. II. p. 290.*

rumor percrebuisset, sublatos esse in unione Ritus universos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in Divina Psalmodia, in Missae Sacrificio, in Sacramentis administrandis aliisque Sacris Caeremoniis, Paulus V. literis Apostolicis in forma Brevis datis anno 1615, quae in eodem Graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: *Dummodo veritati et doctrinae Fidei Catholicae Ritus non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere Ecclesiae Romanae intentionem mentem et voluntatem non fuisse nec esse; nec id dici vel censeri potuisse nec posse; quinimo dictos Ritus eisdem Ruthenis Episcopis et Clero ex Apostolica benignitate permissos, concessos et indultos esse.*

§. 14. Aptissime hic recenseri possent Ecclesiae, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Graecis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quaeque etiamnum extant et patent, ut sacras functiones in ipsis juxta Ritum suum singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII. in sua Constitutione 34. §. 7. veteris Bullarii Graecum Episcopum Romae constituit, ut Italo-Graecis Latinas dioecesis incolentibus Ordines juxta Graecorum Ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo Praedecessore nostro, in sua Constitutione incipien. *Pastoralis* fuisse superadditum Graecum Episcopum, qui fixam in Bisinianensi dioecesi Sedem habeat, ut Italo-Graecis Ordines conferat, ne qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Graeco Romae degente juxta allatam Clementis VIII. Constitutionem suscipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis Catholicis Maronitarum, Cophtorum et Melchitarum, qui aliquando Romae versantur, denegari facultatem conferendi Ordines juxta Ritum suum nationis suae hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi posset, quoties aliqua de disciplina Orientalium vel Italo-Graecorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil praetermisisse, ut si quae emendatione digna visa sunt, emendaret, edicendo statim velle se, ut caeteris in rebus omnibus Orientalis Ritus inviolatus firmusque maneret, aut aperte declarando, quae pro Italo-Graecis inter nos degentibus et Latinorum Episcoporum jurisdictioni subjectis statuebantur, ita accipi oportere, ut eos dumtaxat afficiant, neutiquam vero protendantur ad Grecos Orientales, qui a nobis longe dissiti Graecis Episcopis suis Catholicis subsunt.

§. 15. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi provincialis Ruthenorum coactae in Urbe Zamosciae anno 1720; ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Cong. Conc. fungebamur, acciti fuimus a fel. recordat. Bened. XIII., qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum ejusdem Concilii, a quibus nonnulli Ritus inter Graecos vigentes suis decretis vel temperati fuerant vel sublati, praedictam Synodum confirmavit quidem suis Apostolicis literis in forma brevis datis anno 1724 hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum et decretis Conciliorum Generalium emanatis super Ritibus Graecorum, quae, non obstante hujusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris Constitutionibus, quae in nostro

Bullario continentur, de Ritibus Cophtorum, Melchitarum, Maronitarum, Ruthenorum et Italo-Graecorum generatim atque etiam specialim de Ritibus Cleri Collegiatae Ecclesiae Messanensis s. Mariae de Grafeo nuncupatae, ac postremo de Graeco Ritu in Ordine s. Basilii servando. Siquidem in Constitutione 87. ejusdem Bullarii tom. I. *) de Graecorum Melchitarum Ritibus haec leguntur: *De Ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere quovis titulo et colore et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi Patriarchali aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observantiam imminuat.* In praecedenti vero Constitutione 57. quae incipit: *Etsi Pastoralis* §. 9. num. 1. haec de Italo-Graecis praescribuntur: *Quoniam Orientalis Ecclesiae Ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti vel a majoribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insederunt, ut Praedecessores Nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint Ritus hujusmodi, qua in parte nec Fidei Catholicae adversantur nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati approbare seu permittere, quam illos ad Romanarum Caeremoniarum normam reducere etc.* Et §. 9. n. 24. haec leguntur: *His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium et aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a S. Sede approbatorum seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quae illis de jure vel ex consuetudine vel alias quomodolibet legitime competant aut Apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum Generalium aut particularium seu Congregationum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis, quae super Ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praejudicatum vel praejudicium ullum illatum esse non intendimus.*

§. 16. Verum his aliisque pluribus praetermissis libere asseremus, Romanos Pontifices assiduam atque indefessam curam impendisse, ut haereses, a quibus schisma inter Occidentalem atque Orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent, ac propterea earum detestationem sive abjurationem expoposcisse ab iis Orientalibus, qui ad Ecclesiae unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicae Sedis pertineant. Duae sunt formulae professionis fidei, quarum prima Graecis praescripta a Summo Pontifice Gregorio XIII. *); alteram vero pro Orientalibus statuit Urbanus VIII. Cum autem deinde anno 1665 Patriarcha Antiochenus, Syriacus, Hierapolis necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem urbe Hierapolis commorantium suae fidei professionem ad Urbem transmisissent eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Laurea Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium tunc temporis S. Officii Consultori et deinde S. R. E. Cardinali; is die 28. Apr. ejusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt admittendae,*

*) Vd. *supra.*

*) Vd.: *Professio fidei* (a Graecis emitt.)

sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent emitti Professionem Fidei alias a felicis recordationis Urbano VIII. Orientalibus praescriptam, quia illa continet multarium haeresum detestationem et alia pro iis regionibus necessaria.

§. 17. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiae nonnullorum animos impulisset, ut Missalibus, Breviariis ac Ritualibus admiscerent errores, quibus ecclesiastici caeterique de Clero inficerentur, opportuno Consilio et post accuratum examen Romani Pontifices typis Congregationis de Propaganda fide Missale Cophticum ac Maronitarum sicut etiam Illyrica aliaque hujusmodi Missalia recudenda curarunt. Neque silentio praeterire possumus, quantum curae ac laboris collatum fuerit in emendando Graecorum Euchologio, quod e typographia ejusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum. Hujus operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII. Pontifice coeptum fuit, at post non multum temporis intermissum, instauratum autem novissime sub Clemente XII., proximo Praedecessore Nostro: ast Deus Optimus Maximus eo Nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores ac discussiones Pontificatus Nostri tempore a Cardinalibus, Praesulibus, Theologis ac Viris Orientalium Linguarum peritissimis peractas, quin nobis ipsi pepercerimus, investigando nimirum, perlegendo et expendendo quaecumque inspicienda, legenda et examinanda erant, gravissimum hujusmodi opus absolutum intueremur; ea semper adhibita accurata et quodammodo scrupulosa circumspectione, ne quid minimum laederetur Graecus Ritus, sed illibatus omnino retineretur et integer, quamvis caeteroquin superioribus temporibus inter nostros Theologos non defuerint, qui Orientalium liturgiarum rituumque, qui ante schisma in Orientali Ecclesia obtinuerant, penitus ignari improbarent quidquid adversabatur Occidentalis Ecclesiae Ritui, quem tantummodo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Graecorum schismaticorumque Orientalium ad Catholicam Religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maximae curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum aliorumque errores, in quos infeliciter proruerant, salvis tamen et intactis Ritibus ac disciplina, quam ante schisma servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis liturgiis ac ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad Catholicam Fidem redeuntes suum Ritum dimittere et Latinum amplecti deberent: id namque Ecclesiae Orientalis et Graecorum ac Orientalium Rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo nunquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab hujus S. Sedis Consilio quammaxime alienum.

§. 18. Ex his, quae hucusque latiore calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem, conatus omnes omnemque diligentiam in id unum impendendam esse ab eo Missionario, qui Orientales schismaticos et Graecos ad unitatem Deo juvante redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat Catholicae Fidei adversantes, quos majores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam praetenderent, qua se ab Ecclesiae unitate segregarent subtraherentque ab obedientia ac obsequio Romano Pontifici tanquam ejusdem Ecclesiae Capiti exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus Missionarius uti debet, quum Orientales propriis veteribus Patribus magnopere

adhaereant, peracta jam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii aliorumque clariorum Theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres spectabilioresque Graecorum nostrosque Ecclesiae Occidentalis Patres, in iis omnibus, quae ad dogma pertinent et ad confutationem errorum, quibus Orientales et Graeci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani praeterito saeculo Orientales et Graecos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt Calvinistae infensissimi hostes praesentiae realis Christi in Sacramento Eucharistiae et transsubstantiationis panis ac vini in ejusdem Corpus et Sanguinem, et in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut ajunt, adduxerunt. Attamen, cum Graeci, licet schismatici, animadvertissent novis Lutheranorum erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates praesertim Sanctorum Cyrilli, Joannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Joannis Damasceni, tum authentica argumenta, quae ex ipsorum liturgiis depromuntur, ad realem praesentiam et transsubstantiationem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a Catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrato in Dissertatione: *De perpetua consensione Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos:* sub titulo: *De transsubstantiatione p. 717 tom. 2. Actorum Ecclesiae Orientalis.* Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum seu edita sub ejus nomine Calviniana dogmata unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum part. 5. ad Concilia Generalia et Provincialia; ac potissimum in Dissertatione: *De quibusdam locis cap. 9. in fine.* Ex quo primum haud levis spes affulget, fore, ut ipsorum oculis subjectae auctoritates veterum Patrum, quae novis eorumdem erroribus adversantur, Catholico autem nostro dogmati favent quammaxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad Orientales et Graecos in viam unitatis revocandos, ut laedantur ipsorum Ritus aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicae, quae in hac ipsa Sacrorum Rituum materia, zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit; verum etiam conatus hujusmodi plurimum optatissimae unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Jesu: *De conversione omnium gentium procuranda lib. 7. cap. 2.: Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quaevis Ecclesia propriis adhaereat Ritibus et Caeremoniis; quippe cum schismatici propriorum Rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet et avertat, opportune laborandum, ut se in propriis Caeremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur.* Demum ex iis, quae supra praejecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse Missionario, qui Orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad Latinum amplectendum Ritum inducere contendat: munus namque hoc unum Missionario demandatur, revocandi Orientalem ad Catholicam Fidem, non vero ipsum ad Latinum Ritum inducendi.

§. 19. Peracta in Florentino Concilio unione, quam superius memoravimus, quidam ex Latinis Catholicis in Graecia commorantes arbitrati sunt, fas sibi esse a Latino Ritu ad Graecum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant Graecis praeservatam, retinendi post Ordinem Sacrum

uxores, quas duxerunt, antequam eumdem Sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V. Pontifex Maximus opportunum haec corruptelae remedium afferre non praetermisit, uti colligitur ex ejus Constitut. tom. 3. part. 3. Bullarii recenter Romae editi p. 64: *Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae Catholicis in Graecia subjecta sunt, multi Catholici unionis praetextu ad Graecos impudenter transeunt Ritus. Mirati admodum sumus mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine ac Ritibus, in quibus nati enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere, neque id unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit.* Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur S. R. E., quae Mater est et Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus praeferri debet: ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Graecum transire; nec illis, qui semel a Ritu Graeco vel Orientali ad Latinum transierunt, integrum esse ad pristinum Graecum Ritum reverti, quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 57. §. 2. n. 13.* Bullarii nostri tom. I., nisi forte peculiares quaedam intercederent circumstantiae, quae impertiendam hac super re dispensationem suaderent, sicuti superioribus temporibus aliquando et nunc etiam accidit in Collegio Maronitarum hujus nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis S. J. Sacerdos, qui Societatem ingrediens dispensationem obtinuit transeundi ad Latinum Ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in Ecclesia memorati Collegii Missam celebret Ritu Syriaco et Caldaico Divinumque Officium juxta eumdem Ritum persolvat, nempe, ut Alumnos in eodem Collegio degentes Ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus decretis Congregationis S. Officii, uno videlicet dato die 30. Decb. anno 1716, altero die 14. Decb. anno 1740, nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19. Aug. anno 1752 jussimus expediri.

§. 20. Haec transitum de Latino ad Graecum Ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab Orientali et Graeco ad Latinum Ritum libere affirmari potest, transitum hujusmodi non aeque ac primum interdici, sed tamen nequaquam licere Missionario, Graecum et Orientalem ad Catholicae Ecclesiae unitatem reverti exoptantem inducere, ut proprium Ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae Catholici libenter olim a Graeco Ritu ad Latinum transibant; sed vetitum id ipsis fuit monitique Missionarii, ne illis suaderent hujusmodi transitum; cujus permissio est privativo Apostolicae Sedis judicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione: *Demandatam 85. §. 35. Bullarii tom. I.**): *Praeterea omnibus et singulis Melchitis Catholicis Graecum Ritum servantibus ad Latinum Ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus sub poenis etiam infra exprimendis aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis hujusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritum suadere praesumant aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede permittant.* Consentanea sunt decreta Urbani VIII. Praedecessoris nostri quoad Ritum Graeco-Ruthenum edita in Congregatione Propaganda Fidei coram ipso habita die 7. Febr. ac die 7. Julii anno 1624. Quamis autem aequum

---

*) *Tom. XVI. p. 166.* Edit. Luxenbg.

videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Graeco Ritu ad Latinum, cum ipsi inter nos versentur et Latino Episcopo subjiciantur, tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Saecularibus quam Regularibus agatur: si vero Laici et Saeculares transitum hujusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas ac legitimas causas certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, nunquam vero integrae Universitati: in hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis :* 17. §. 2. n. 14. Bullarii nostri tom. 1.

§. 21. Quod si defendi vellet, Orientales et Graecos haeresim abjurantes et ad unitatem redeuntes allici jure posse ac urgeri ad Ritus suos deserendos Ritumque Latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit atque nunc etiam probetur, Orientales et Graecos Latinum aliquem Ritum sectari, opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et Graeci duas veluti classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, jactantes, quaecumque a se fiunt, ea jure optimo fieri Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit azymum: Graeci et Orientales, ut Catholici sint, fateri debent tam azymum quam fermentatum panem materiam esse aptam Sacramenti Eucharistiae et quemlibet Ecclesiae suae Ritum sectari oportere, adeo ut quicumque improbat Ecclesiae Latinae Ritum, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat et in errorem prolabatur. Hilarion Monachus in dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius e Graeco sermone latinam reddidit tom. 1. *Graeciae Orthodoxae,* edito typis Congregationis de Propaganda Fide 1652 p. 762 haec advertit: *Et haec scripsi vobis, Graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aeque ac nostra azyma revereor, incusans sed exponens, neque probe neque ut Christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque laeditis injuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur.* Exemplum est itidem ex libertate, Orientali et Graecae Ecclesiae relicta, ut qui in ea Sacris Ordinibus atque etiam Sacerdotio sunt insigniti, uxores, quas ante Sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet ex *Can. Aliter, dist. 31. et cap. Cum olim, de Clericis conjugatis.* Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari divino aut naturali juri, sed tantum ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Graecos et Orientales vigentem ferre, ne auctoritate Apostolica ad eam evellendam interposita illis occasio ab unitate recedendi praeberetur; quod recte expendit Arcudius in sua *Concordia lib. 7. cap. 33.* Attamen, quis crederet? non defuerunt neque desunt ex Graecis et Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam injuria arguunt tamquam Matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta in suis Subdiaconis, Diaconis ac Presbyteris coelibatum servaverit ac servet. Legi potest *Hincmarus Rhemensis tom. 2. suorum operum epist. 51.* Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Cophtis, quorum Ritus praescribit, ut post Baptismi Sacramentum illico adjungatur Confirmatio; qui mos non obtinet in Oc-

cidentali Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut quid bonum quidve malum sit possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) exstant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma Confirmationis etiam Sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129., quae incipit: *Eo quamvis tempore:* Bullarii nostri tom. I.*) merito a nobis arguuntur atque damnantur: *Sicuti lenitati et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in sua jamdiu recepto et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino et seorsim a Confirmatione collatum acerbo alienoque animo perhorrescant.*

§. 22. Alteram classem constituunt Orientales illi et Graeci, qui retinentes majori ex parte Ritus suos et insimul Occidentalium ac Latinorum Ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta et approbata atque insuper ab Apostolica Sede expresse vel tacite confirmata. In hanc classem referri possunt Armeni ac Maronitae, qui fermentatum deseruerunt et Eucharistiam sicut Latini in azymo conficiunt, uti testatur *Abrahamus Echellensis in suo Eutychio vindicato p. 477;* quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt s. Gregorio Illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti sub Tiridate Rege martyrii coronam est consecutus: alii vero s. Silvestro Pontifici aut s. Gregorio Magno eamdem referunt acceptam in Conventionibus cum Armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX. in suis Epistolis ad Regem Armeniae, relatis a *Raynaldo ad annum Christi 1139 n. 82.* Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius in Epistola ad Haytonem Patrem Leonis Regis Armeniae Coenobitam, *apud Clementem Galanum in Conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana tom. I. p. 449,* sic scribens: *Quocirca nos a s. Romana Ecclesia aquae commixtionem (cum vino in calice) modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azymum, Mitram episcopalem et modum signandi Crucem.* Vetustissima pariter et immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, ut constat ex *Morini Praefatione ad Maronitarum Ordinationes et ex Bibliotheca Orientali Assemani senioris tom. I. p. 410;* atque ex Synodo nationali in Monte Libano congregata anno 1736 et a Nobis in nostra Constitutione: *Singularis* 31. Bullarii nostri tom. I.*) confirmata, in cujus *cap. 12. de Sacramento Eucharistiae,* cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos et in Ecclesia nostra et apud Armenos quoque in Oriente ab immemorabili tempore obtinuit et authentica etiam hujus rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum et Maronitarum exemplo Bessarion Cardinales, cui primum Abbatia Cryptae Ferratae sita in dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut Graeci Monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33. *Inter multa:* §. *Ut autem; Bullarii nostri tom. II.* **) Idem semper servatum fuit hodieque servatur in Ecclesia Collegiata s. Mariae de Grafeo nuncupata sita in Messanensi

---

*) *Tom. XVI. p. 292.* Edit. Luxenbg.

*) *Tom. XVI. p. 45.* Edit. Luxenbg.

**) *Tom. XVII. p. 157.* Edit. Luxenbg.

dioecesi, licet ipsius Clerus Ritum Graecum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81., quae incipit: *Romana Ecclesia,* §. *1. Bullarii nostri tom. I.**), quamvis generatim loquendo Presbyteri Italo-Graeci servent in Italia Insulisque adjacentibus suam disciplinam ac Ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam, moneanturque impensius Sacerdotes Latini vel Graeci Ritus, ne Eucharistiam consecrare ac distribuere juxta proprium cujusque Ritum praetermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis, 57.* §. *1. n. 2. ac* §. *6. n. 10. et seq. Bullarii nostri tom. I.*

§. 23. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post Baptismi Sacramentum Eucharistia pueris traderetur haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria sed ex mero ritu et consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii Patres *sess. 21. cap. 4.* Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII. damnatos quinquagesimus octavus *apud Raynaldum ad annum Christi 1314* §. *66.* recensetur ille, quo asserebant: ad aeternam puerorum salutem et Baptismi iis collati valitudinem praeter Confirmationis Sacramentum Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In Occidentali Ecclesia quadringentis et amplius abhinc annis Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in libris Ritualibus Orientalium commemorari Ritum Communionis post Baptismum pueris administrandae. Assemanus junior *lib. 2. Codicis Liturgici p. 149* refert ordinem ministrandi Baptismi apud Melchitas; pag. quoque 309 ordinem exscribit Baptismi Syrorum editum a Philoxene Mabugensi Episcopo Monophysita; p. 306 alium affert desumptum a veteri Rituali Severi Patriarchae Antiocheni Monophysitarum antesignani: *et lib. 3. ejusdem Codicis p. 95 et p. 130* binos alios ordines commemorat servatos inter Armenos et Cophtos in ministrando Baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post Baptismum Eucharistia ministretur. Hujusmodi consuetudinem apud nonnullos Graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait *s. Thomas 3. part. quaest. 80. art. ad tertium. Arcudius vero lib. 3. de Sacramento Eucharistiae cap. 11.* hanc esse Graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt propter incommoda, quae in praebenda pueris post Baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum habitae in Monte Libano die 18. Sept. anno 1596, cui praefuit Pater Hieronymus Dandinus S. J., Nuncius Summi Pontificis Clementis VIII., haec verba leguntur can. 7.: *Quoniam parvulis sine indecentia maxima venerabilisque Sacramenti injuria vix potest Sacra Christi Communio dari, caveant in posterum Sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720 §. 3. *de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in Actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno 1736 cap. 12. *de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento n. 13.*, cujus haec sunt verba: *In antiquis quidem nostris Ritualibus sicut et in Ordine vetere Romano et in Euchologiis Graecis Baptismatis Ministro diserte praecipitur, ut infantes mox a Baptismate Chrismate delibutos pascat Eucharistiae Sacramento; nihilominus tum ob debitam huic Augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem neces-*

*) *Tom. XVI. p. 153.* Edit. Luxenbg.

sarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie Sanguinis, porrigatur. Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro Italo-Graecis incipiente: *Etsi Pastoralis:* 57. §. 2. n. 7. Bullarii nostri tom. 1.

§. 24. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam Laicis quoad Orientalem et Graecam disciplinam fuse disserunt *Arcudius in Concordia Occidentali et Orientali in Sacramentorum administratione lib. 3. cap. 4. et Leo Allatius in prima adnotatione de Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis consensione p. 1614 et seq.* In Graecorum Collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII. ea indicta lege, ut Graecus in eo Ritus servetur, quemadmodum praefatus *Leo Allatius testatur in suo Tractatu de aetate et Interstitiis p. 21,* juxta ipsius Collegii Constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatas debent Alumni quolibet octiduo animi sordes Poenitentiae Sacramento eluere et Sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die necnon festis diebus solemnibus et singulis Adventus et Quadragesimae Dominicis, Latino Ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini jubentur Eucharistiam sub utraque specie Ritu Graeco suscipere, hoc est in fermentato Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam: idemque Ritus servatur cum reliquis Graecis omnibus, qui praedictis diebus ad solemne Missae Sacrificium conveniunt aut qui aliis per annum diebus in Ecclesia Graeci Collegii sibi Eucharistiam Ritu Graeco administrari deposcunt. Verum Italo-Graecis in memorata Constitutione: *Etsi Pastoralis: 57. §. 6. num. 15.* Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus Ritus hujusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem Ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina seu Ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto, nonnulli Graeci et Orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in Epistola ad Bartoldum Nimisium, quae typis impressa affertur in Opusculis Graecis ac Latinis Leonis Allatii p. 436, refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica Presbytero Abyssino, qui cum aliis communicaturus ad sacram mensam accesserat; cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde atque etiam ab aliis Aethiopicae Ecclesiae hominibus sciscitatum fuisse, an juxta Patriae suae Ritum Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni Lyturgia quam in quotidiana Eucharistiae participatione, necnon cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur, testaturque fuisse sibi ab ipsis responsum, Sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari hancque esse veterem disciplinam in Aethiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII. praeposita a Patriarcha Maronitarum sequens recensetur: *Nos Missam celebramus in solo azymo, Laici vere nostri sub utraque specie communicant;* cui Pontifex his verbis respondit: *Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi, Laici vero a Communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt; totus enim Christus sub una specie continetur et in usu Calicis magnum est periculum effusionis:* uti legere est in laudato opere *Thoma a Jesu de Con-*

versione omnium gentium p. 486 et seq. Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno 1736 *part. 2. cap. 12. n. 21.* hujusmodi Consilio inhaerentes ita statuerunt: *Deinde ejusdem S. R. E. institutis inhaerentes praecipimus et stricte mandamus, ne cui Laico vel Clerico in minoribus Ordinibus constituto Communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum,* solis Diaconis permittentes, ut in solemni Missa Eucharistiam sub utraque specie a Sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu: *At vero Diaconis, ut hostiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus in solemni praesertim Missa accipere possint et valeant concedimus et permittimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus.*

§. 25. Postremo ab Eucharistia Sacramento minime recedentes hic verba faciemus de alio Orientali et Graeco Ritu, quo nimirum Sacerdos post consecrationem et ante consumationem paululum aquae tepidae in Calicem fundit. *Matthaeus Blastares in Syntagmate Alphabetico cap. 8. tom. 2. Synodicon Graecorum p. 153* hujusmodi Ritum commemorat ejusque significationem affert. Eutymius Tyri ac Sidonis Archiepisc. anno 1716 Summo Pontifici Clementi XI. nonnulla quaesita proposuit, quorum alterum erat: utrum Melchitis Syriae ac Palestinae interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini post Consecrationem affundere; cui redditum fuit responsum adjecta accurata et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata ejusque jussu transmissa ad Superiores Missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri ac Sidonis, injunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri Ritu ageretur Sedi Apostolicae perspecto et Graecis Sacerdotibus etiam Romae permisso; per quem innuitur Fidei ardor, qui maximus erga tantum Mysterium debet conflagrare. Simile responsum die 31. Martii anno 1729 jussu Benedicti Papae XIII. datum fuit Cyrillo Graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem Ritus Italo-Graecis permittitur in citata Constitutione 57. *Etsi Pastoralis §. 6. n. 2. Bullarii nostri tom. I.* Cumque subinde in Congregationibus, quae pro correctione librorum ecclesiasticorum Ecclesiae Orientalis habitae fuerunt ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset: utrum interdicendus esset Ritus infundendi in Calicem aquam tepidam post Consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eumdem Ritum declamasset, responsum fuit die 1. Maii anno 1746: *nihil esse innovandum,* quod rescriptum a Nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit. Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamosciae anno 1720 graves ob causas inhibuerunt Ruthenis Sacerdotibus, ne aquam tepidam post Consecrationem in Calicem funderent, uti legi potest §. 4. *de celebratione Missarum: Inhibet gravem ob causam et abrogat toleratam in Orientali Ecclesia consuetudinem ad consecratas Calicis species aquam tepidam affundendi post Consecrationem ante Communionem* *).

§. 26. His sane et aliis hujusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a Ritu Orientali et Graeco ad Occidentalem et Latinum sunt propensiores vel certe quidem putant se jure optimo agere,

---

*) Vd. *Missa* (Ritus non mutand.).

dum Schismaticum Orientalem ad Ecclesiae unitatem convertentes satagunt eumdem abducere ab aliquo Ritu, quem servare consueverat, priusquam Nobis consentiret, quique a reliquis omnibus Orientalibus et Graecis ex veteri disciplina firmiter retinetur et observatur. Verum neque superius allata exempla nec caetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur, tum quia in transitu a Ritu Orientali et Graeco ad Occidentalem et Latinum tollitur omnino quidquid ab ipso Graeco Ritu praescribitur et nostro Ritui non conformatur, quod non contingit in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe, si aliqua peculiaris solemnitas Graeci Ritus tollitur, Ritus tamen ipse ac reliqua omnia eodem Ritu praescripta intacta servantur, tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo Ritu, salvis reliquis ejusdem Ritus partibus, non est privati viri sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet Supremi Capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque apost. ea est, quae praecipuo quodam jure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab Orientali Ecclesia Ritum aliquem desumpsit et in Occidentalem traduxit aut permisit, Ritum aliquem Graecum in aliqua Latina Ecclesia usurpari. Eademque apost. Sedes, quoties deprehendit periculosum vel indecorum aliquem Ritum in Orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit ejusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique apost. Sedes, postquam vidit Orientalem vel Graecam aliquam gentem in aliquo Latino Ritu usurpando ac defendendo vehementer obfirmatam ac potissimum, quando Ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus atque expresse vel tacite ab Episcopis probatus, Ritum ipsum tolerando et sic approbando firmavit.

§. 27. In Latina et Graeca Lyturgia recitatur Symbolum ejusque recitatio in Missae Sacrificio in Ecclesia Orientali primum instituta deinde in Occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Tolentano Concilio habito anno 598 con. 2. tom. 5. Collectionis Labbeanae pag. 1009, cujus haec sunt verba: *Ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut, priusquam dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur.* Quare cum Patres Tolentani Concilii disciplinam statuentes recitandi Symbolum in Sacrificio Missae se ad Ritum Orientalium Ecclesiarum retulerint, id satis est ad agnoscendum, hujusmodi disciplinam in Oriente primo institutam inde in Occidentem promanasse, sicut advertunt *Cardinalis Bona rerum Lyturgic. lib. 2. cap. 8. num. 2.* et *Georgius de lyturgia Romani Pontificis tom. 2. cap. 20. num. 2. pag. 176.* Sed rem propositam persequendo *Amalarius in libro de divin. Officiis cap. 14.*, postquam innixus auctoritate s. Pauli in epistola ad Severum retulit, sola feria sexta majoris Hebdomadae in Ecclesia Hierosolymitana exponi consuevisse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus perpendit, huic graecae consuetudini tribuit Ritum adorationis s. Crucis, quae in Officio praedictae feriae sextae in unaquaque Latina Ecclesia ad hanc usque diem peragitur. Trisagium: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*, pia est et frequentissima Oratio in Graecorum Lyturgia, uti recte advertit *Goarius* in notis ad Euchologium in Missa s. Joannis Chrysostomi pag. 109. Ejus Orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in regia urbe

Constànopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in coelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus retulit se audivisse Angelos praedictum Trisagium canentes; quare, cum jussu Procli Patriarchae universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat *Nicephorus lib. 14. cap. 46.* recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III. in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur tom. 4. Labbeanae Collectionis. Idem vero Trisagium in Ecclesia Occidentali feria sexta majoris hebdomadis Graece et Latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis *Bona rerum lyturgic. lib 2. cap. 10. num. 5.* Aquae benedictio in pervigilia Epiphaniae in Ritu est Graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit *Goarius* in Euchologio sive Rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum Ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius Constitutione nostra 57. §. 5. num. 13. mentio habetur, simulque permittitur, ut Fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu Ritus hujusmodi ab Orientali ad aliquas Occidentales Ecclesias videri possunt, quae congessit eruditus *Martene tom. 4. de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis cap. 4. num.* 2. et quae afferuntur in dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719, cui titulus est: *De Ritu Ecclesiae Neritanae exorcizandi aquam in Epiphania*, ubi propterea part. 3. pag. 177 et seq. opportune monet Episcopos, in quorum dioeceses longo abhinc tempore nonnulli Ritus ab Ecclesia Graeca manentes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur et ne videantur improbare rationem agendi Sedis apostol., quae Ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari et frequentari permisit; affertque etiam pag. 203. epistolam Cardinalis Sanctorii, s. Severinae nuncupati, scriptam anno 1580 ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento et de aquae benedictione in Epiphania, quae in illa dioecesi peragitur. *Graecus pariter est Ritus spoliandi ac lavandi altare feria quinta in Coena Domini.* Hujusce Ritus monumentum aliquod reperire est saeculo quinto; de eo namque meminit in suo typico sive ordine recitandi Officium ecclesiasticum per totum annum s. Sabas, qui teste *Leone Allatio de libris Ecclesiae Graecae diss. 1. pag. 9.* abiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum s. Gelassii Pontificis jussu compositum fuisse, Ritus lavandi altaria feria 5. in Coena Domini praedictae Graecorum consuetudini fuisset quasi coaevus in Latina Ecclesia, cum s. Gelasius Pontifex obierit anno 496. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus tantae antiquitatis merito praestet, et cum eo seposito s. Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc Ritu verba fecerit, idemque s. Isidorus anno 636 sit vita functus, satis id est, ut ab Oriente in Occidentem fluxisse asseratur Ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis Latinis Ecclesiis retinetur probantibus Romanis Pontificibus, ac potissimum in Vaticana Basilica magna cum solemnitate feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis et Vicarius ejusdem Basilicae et Joannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui

in minoribus inter Beneficiatos ejusdem Basilicae recensebantur, duas elucubratissimas dissertationes ediderunt, quibus praedictum Ritum illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis et factis aperte evincitur id, quod paulo ante diximus, Sedem videlicet apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere ad universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam Ritus, qui ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur.

§. 28. Jam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus deque admirabili modo, quo cantus ejusdem in sacras Lyturgias Ecclesiae Graecae inductus fuit: cum tam Petrus Fullo cognomento Gnaphaeus fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset Trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*, sicuti fuse commemorat Theodorus Lector lib. 1. Collectanear., et cum nonnullae Orientis Ecclesiae ac potissimum Syrorum et Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri teste Nicephoro lib. 18. cap. 52. additamentum hujusmodi recepissent, haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura et sollicitudine inolescenti errori se opponere factamque Trisagio additionem interdicere rejicientes interpretationem, qua Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam non vero ad tres divinas personas omnem erroris suspicionem adimi jactabatur, tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico, tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem SSmae Trinitatis decantatum, sicuti *Lupus* recte expendit in notis ad Can. 81. Trullanum, ubi, postquam retulerat a Felice III. et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli div. Trinitati a sanctis semper Angelis adcantatum Ecclesiae ab ipso Deo ac ejusdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum regiae urbi impendentium depulsione confirmatum ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi constanter asseverant* (loquitur de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus) *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gregorius VII. eodem religionis studio ipsam additionem improbavit in suo epistola prima lib. 8. scripta ad Archiepiscopum sive Patriarcham Armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. Febr. anno 1577. In Congregatione autem Propagandae Fidei habita die 30. Jan. anno 1635, cum examini subjecta fuisset Armenorum Lyturgia atque inter caetera accuratiore disquisitione fuisset expensum: utrum additio inducta Trisagio tolerari posset ob indicatam causam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit: id non esse permittendum additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae cap. 26. pravam consuetudinem jam invectam improbavit, *juxta quam mulieres Sacerdoti Missam celebranti inserviebant*, cumque idem abusus ad Graecos transiisset, Innocentius IV. in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit: *Mulieres autem servire ad altare non audeant sed ab illius ministerio repellantur.* Iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata Con-

stitutione: *Etsi pastoralis* §. 6. n. 21. tom. I.*) Bullarii Nostri. Feria quinta majoris hebdomadae ad recolendam Dominicae Coenae memoriam sacra peragitur functio, *in qua consecratur panis, qui per integrum annum asservatur*, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt et aliquando etiam eidem pani consecrato exigua pars vini consecrati affunditur. Ritus hujusmodi a Leone Allatio describitur in suo Tractatu *de Communione Orientalium sub specie unica n. 7.* Summus Pontifex Innocentius IV. in laudata epistola ad Episcopum Tusculanum Ritum illum Graecis interdixit hisce verbis: *Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam usque ad annum praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent*, addiditque, ut paratam semper Eucharistiam haberent pro infirmis, *sed illam qualibet decima quinta die renovarent. Arcudius in Tract. de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis lib. 3. cap. 55 et 56.* absurditates, quae ex eo Ritu promanabant, indicare haud praetermisit deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clemens VIII. in sua Instructione idemque et Nos praestitimus in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 57. §. 6. num. 3 et sequ.* In Concilio Zamosciae a duabus Congregationibus, Concilii videlicet ac Propagandae Fidei, examinato, §. *3 de Eucharistia*, legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret Ritus consecrandi Eucharistiam fer. 5. in Coena Domini eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis servandique pro Infirmis in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur, sed parochi Eucharistiam pro Infirmis servent, ipsam qualibet octava aut decima quinta die renovantes. Eamdem viam instituerunt Patres Concilii Libanensis a Nobis confirmati, sicuti patet ex *cap. 12. de Sacramento Eucharistiae n. 24.* Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes apost. nunquam omiserit Graecis interdicere Ritus aliquos, licet apud eos jampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse aut evadere posse deprehendit.

§. 29. *De processione Spiritus S. a Patre ac Filio*, quemadmodum superius indicavimus, praecipue disputatum est, quoties de unione Graecae et Orientalis Ecclesiae cum Latina et Occidentali actum fuit. Hujus articuli examen trinam veluti faciem praesetulit atque adeo ad haec tria capita redactum est. Primum: an processio Spiritus Sancti a Patre et Filio esset Fidei dogma, et quoad primum hoc caput firmissime responsum semper fuit: non esse ullo modo dubitandum, quin processio Spiritus S. a Patre et Filio inter Fidei dogmata adnumeretur; neque Catholicum revera esse, qui illud non recipit ac profitetur. Alterum: an, posito hoc esse unum ex Fidei dogmatibus, licuerit in Symbolo Missae superaddere verbum *Filioque*, quamvis neque in Nicaena neque in Constantinopolitana Synodo illud reperietur, cum potissimum ab Oecumenica Synodo Ephesina decretum fuerit, ne quid Nicaeno Symbolo adderetur: *Statuit Sancta Synodus, alteram Fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere praeter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Quod autem ad alterum hoc caput attinet, firmatum fuit, non modo licuisse sed et valde conveniens fuisse, ut hujusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo, eo quod Ephesinum Concilium solummodo inhibuerit ad-

*) Cf. *Muller* (ministrans etc.).

ditiones Fidei oppositas aut temerarias aut a communi consuetudine devias, non vero orthodoxas, et quibus aliquis Fidei articulus in eodem Symbolo implicite contentus explicatius declararetur. Tertium denique: utrum posita pro indubio Fidei dogmate processione Spiritus S. a Patre et Filio agnitaque insuper in Ecclesia potestate addendi Symbolo vocem *Filioque*, permitti posset, ut Orientales et Graeci in Sacrificio Missae Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius et ante schisma consueverant, quod perinde est ac dicere praetermissa voce *Filioque*. Quod autem pertinet ad postremum hoc caput, non eadem semper fuit Sedis apost. disciplina; quandoque enim Orientalibus et Graecis Symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit, tunc nimirum, cum certo constiterat, priora duo capita seu articulos ab illis recipi noveratque omnino fore, ut, si iisdem denegaretur id quod tanto studio deposcebant, exoptatae unioni aditus intercluderetur. Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque* ab Orientalibus et Graecis recitari omnino voluit, cum scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle Symbolum cum additamento recitare, quod adhaererent errori opinantium ac asserentium Spiritum S. a Patre et Filio non procedere vel ab Ecclesia additionem illam *Filioque* Symbolo fieri non potuisse. Duo Summi Pontifices, nempe b. Gregorius X. in Lugdunensi Concilio et Eugenius IV. in Florentino, primam agendi rationem ob indicatas causas cum Graecis adhibuerunt, ut constat ex *tom. 7. Collectionis Conciliorum Harduini p. 698. D. et tom. 9. ejusdem Collectionis p. 395. D.* Alteram vero rationem ex causis itidem supra allatis amplexus est servavitque Summus Pontifex Nicolaus III., cum deprehendit Michaelem Imperatorem ex bona fide non agere neque iis stare, quae pollicitus fuerat in tractanda unione, quam cum Pontifice Gregorio X. Praedecessore suo absolverat atque firmaverat. Hujus rei documentum e Vaticano Archivo desumptum in *Raynaldi Annalibus impressum est ad annum Christi 1278 §. 7.* Eamdem viam institerunt Martinus IV. et Nicolaus IV. Et quamvis de Pontificibus istis, quod ad hanc rem pertinet, Scriptores diversa tradiderint, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Constantinopolitanam historiam posterorum memoriae commendabat, *lib. 6. cap. 14.* aperte testatur, eos Praedecessorum suorum epicheiam non fuisse secutos, sed voluisse, ut ab Orientalibus et Graecis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut injecta sibi de Orthodoxa illorum Fide dubitatio tolleretur, *ad certum experimentum capiendum Fidei et Sententiae Graecorum; ejus vero pignus idoneum fore, si et ipsi Symbolum sicut Latini pronunciarent.* Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio Orientalibus concesserat, ut sine ea voce *Filioque* Symbolum recitarent, cum deinde Armenos in unitatem sanctae Ecclesiae reciperet, eisdem praecepit, ut Symbolo praedicta additione adaucto uterentur, uti videre est in *Collectione Conciliorum Harduini tom. 9. pag. 435. B.*, eo quod fortasse Armenos non aeque ac Graecos ejusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III. Romanus Pontifex, cum Fratrem Simonem ex ordine Praedicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in insulam se receperant plures Graeci aufugientes ab urbe Constantinopolitanaa, cujus antebiennium Turcae potiti fuerant, jussit ipsum vigilem adhibere curam, ut iidem Graeci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat *Gre-*

gorius Trapezuntius in sua epistola ad Cretens. tom. I. Graeciae Orthodoxae, apud Allatium p. 537., quod confirmatur etiam ab *Echard. tom. I. Scriptorum Ordinis s. Benedicti p. 762.;* fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne praedicti Graeci, quippe qui ex urbe Constantinopoli advenerant, in eo Fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis professionis Fidei, quas jam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII. Graecis, alteram Urbanus VIII. Orientalibus praescripsit *), nihil aliud continetur, quam quod in Florentino Concilio fuit constitutum. In duabus Constitutionibus, altera videlicet *Clementis VIII., quae est 34. veteris Romani Bullarii tom. III. §. 6.*, nostra altera incipiente: *Etsi Pastoralis §. I. Bullarii nostri tom. I.*, utraque edita pro Latinis Episcopis, in quorum dioecesibus versantur Graeci aut Albanenses Graecum Ritum servantes, dummodo hi Spiritum S. a Patre et Filio procedere fateantur et agnoscant Ecclesiae fuisse potestatem addendi Symbolo vocem *Filioque*, minime jubentur Symbolum cum hac additone recitare, nisi forte ea praetermissa scandalum immineret, aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo jam invaluisset recitandi Symbolum cum additione *Filioque*, aut deinde necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum praedicta additione recitaretur ad eliciendam indubiam rectae ipsorum Fidei probationem. Recte autem non modo Patres Concilii Zamosciae tit. 1. de Fide Catholica sed etiam Patres Libanensis Concilii part. 1. eodem tit. num. 12. ad omnem scrupulum submovendum provide statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum, juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae cum particula *Filioque* usurpent.

§. 30. Ex his, quae hucusque dicta sunt, plene concluditur Sedem apostolicam hac ipsa in re quandoque ex peculiaribus circumstantiis perspectaque sibi gentis alicujus indole consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen ab aliis ob diversas circumstantias diversumque locorum ac populorum genium nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri suscepto satis faciamus, nihil aliud superest, quam ut ostendamus, aliquando eamdem Sedem apostolicam, dum novit gentem aliquam Orientalium et Graecorum in aliquo latino Ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse, praesertim si hujusmodi Ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit et Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt sed aut tacite aut expressa eamdem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla jam fuerint superius allata, dum verba fecimus de ea classe Orientalium et Graecorum, qui Ritus suos majori ex parte retinentes atque Latinos aeque ac Orientales Ritus venerantes, aliquem ex nostris Ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinebimus, ea hic revocantes, quae superius in his ipsis literis plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex Maronitis desumpta subnectemus iis, quae jam adduximus. Nonnullis abhinc saeculis Maronitae pontificales ac sacerdotales vestes adhibent ejusdem plane formae, quam latinus Ritus praescribit, quemadmodum in citato saepius Libanensi Concilio habito anno 1736 legitur cap. 12. de Sacramento Eucharistiae num. 7. Summus enim Pontifex Innocentius III. epistola ad Hieremiam Patriarcham anno 1215 data, quae incipit: *Quia divinae sapientiae bonitas*, illos adhortatus est, ut se latinae Ecclesiae in pontificalibus ornamentis conformarent.

---

*) Cf. *Professio Fidei.*

Quam ob causam tum idem Pontifex tum ejus Successores ad illos sacra indumenta, calices ac patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem X. datis relatisque tom. 14. Collectionis Conciliorum Labbeanae p. 346 et seq. Nuper autem in praecitato Libanen. Concilio cap. 13. unanimi consensu nostraque subsequuta approbatione iidem Maronitae *quoad Praesanctificatorum Missam latin. Ritum amplexi sunt*, illam tantummodo feria sexta in Parasceve celebrantes, relicta justis gravibusque de causis disciplina Graecorum, qui diebus quadragesimalis jejunii nonnisi Missam Praesanctificatorum celebrant, excepto Sabbato, die dominico et festo Annunciationis B. V., si forte in Quadragesimam incidat, juxta praescriptum in Trullano Can. 52. Hisce siquidem diebus Sacerdos panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Praesanctificatorum celebratur, quibus nimirum vescitur pane eucharistico, quem antea consecravit, asservans in ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus diebus, quibus Missam Praesanctificatorum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant petuntque, distribuat, uti fuse commemorat *Leo Allatius in Prolegomen. ad Gabrielem Naudaeum de Missa Praesanctificatorum pag. 1531. num. 1.*

§. 31. Huic nostrae epistolae finis hic imponendus alicui forte videri poterit, cum in ea et allatum jam fuerit responsum redditum quaesitis a Sacerdote Missionario Balferae praepositis, nimirum: *Nihil esse innovandum*, et indicatae itidem fuerint firmissimae regulae, quas sequantur Missionarii, qui Orientales a schismate et erroribus ad unitatem sanctamque catholicam Fidem revocare satagunt; neque enim ex jure Canonum et apostolicarum Constitutionum se gerit, qui in convertendis Orientalibus Ritum quoque Orientalem et Graecum in iis, quae ab apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit aut id agit, ut, qui convertuntur, Ritum, quem hactenus servaverunt, dimittant et Latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic epistolae imponatur, nimis congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quae propius pertinent ad quaestiones a praedicto Missionario propositas, quibus jam responsum fuit: *nihil esse innovandum.*

§. 32. Porro, si in urbe Balserae degunt Catholici Ritus Orientalis Armeni aut Syriaci ipsique peculiari Ecclesia carentes ad Missionariorum Latinorum Ecclesiam conveniunt, ubi Sacerdotes Orientalis Ritus rem divinam reliquasque peragunt suis Ritibus caeremonias, Laici autem Missae Sacrificio intersunt et Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis Sacerdotibus et Laicis, ut in latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam jure canonico illud quidem statutum habetur, Ritum Orientalem et Graecum cum Latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra Decretali Coelestini III. apud Gonzales cap.: *Cum secundum; de temporibus Ordinationum;* atque in Decretali Innocenti III. cap.: *Quanto, de consuetudine*, cap.: *Quoniam, de Officio Judic. Ordinar.* et in Decretali Honorii III. cap.: *Literas, de celebrat. Missar.;* at nullo jure affirmari potest, Ritus commixtionem apostolica aliqua Constitutione vetitam induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita aut Graecus juxta Ritum suum in latina Ecclesia vel Missae Sacrificium vel alias caeremonias cum

populo sui Ritus exerceat aut versa vice Latinus in Orientalium Ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum Orientales illi in civitate Balserae peculiari careant Ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum Ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae Sacrificium offerre possent et cum populo sui Ritus ea exercere, quae peragenda sunt ad illos in sancta unione retinendos ac confovendos.

§. 33. Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque Latini, quibus Italo-Graeci subjiciuntur, *ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent:* uti praecipitur in Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis: 57. n. 6. n. 14. Bullari nostri tom. I.* Vetita quoque Ritus permixtio esset, si Latinus Sacerdos modo juxta Latinum modo juxta Graecum Ritum aut Sacerdos Graecus modo Graeco modo Latino Ritu Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione s. Pii V., quae incipit: *Providentia,* quaeque est 21. tom. IV. part. 2. Bullarii novi Romae impressi *), ubi facultates omnes, quae praecedentibus temporibus nonnullis Presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni s. Pii V. congruit quoque praeindicata nostra *§. 7. n. 10.* Quod si Presbyteris S. J., qui Collegiis Nationum Orientalium Romae erectis praesunt et qui praedictae societatis institutum amplectentes a Graeco Ritu ad Latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae Sacrificium Graeco et Orientali Ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti praemonuimus, ut Alumni, qui Graecorum et Maronitarum Ritum profiteri debent, Missam praedicto Ritu celebrare addiscant et juxta eumdem Divina Officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiares hujusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda, quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI. Praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum Catholicae Religioni, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria Graeco Ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad Latinum Ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque juxta canonicas Sanctiones in suo Ritu permanere neque licere Sacerdoti modo Latino modo Graeco Ritu celebrare, facultatem, quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit, uti patet ex ejus Epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9. Maii anno 1705 et quae continetur tom. I. Epistolar. et Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis editor. p. 205.

§. 34. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad Ritus commixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam: verum, uti jam diximus, interdicta Ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam Sacerdos Orientalis Ritus ab Apostolica Sede probati in Latinorum Ecclesiam admittatur, ut ibi Missam caeterasque functiones celebret et Sacramenta populo Nationis

*) Edit. Luxenbg. *tom. II. p. 205.*

suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi Sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis et Graecis patent ad Missam celebrandam templa nostra, ut illorum pietati satisfiat, quamvis suas peculiares Ecclesias habeant, ubi rem divinam facere possent, dummodo tamen sacra Indumenta et caetera, quae ad Missae celebrationem juxta ipsorum Ritum necessaria sunt, secum afferant eosque comitetur Nationis suae Minister, qui eisdem celebrantibus inserviat et a Custodibus et Sacrarii Praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur, quemadmodum in Edicto, quod pro ecclesiasticis et laicis Orientalibus Romae degentibus die 13. Febr. anno 1743 per Ven. Fratrem nostrum Joannem Antonium tunc tituli s. Sylvestri et Martini in Montibus Presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, S. R. E. Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe ejusque districtu Vicarium gen., jussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II. Constantinopolim vi oppugnatam cepit nonnullique ex Graecis, qui schismaticorum errores aversati communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt ibique mansere. Quam in Urbem cum Isidorus Cardinalis natione Graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut hujuscemodi Graeci Ritus hominibus templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata Senatus pietas profugae genti Ecclesiam s. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo ejusdem Ecclesiae Sacello Divina Officia Ritu Graeco, in reliquis vero Sacellis Lani Ritu Latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornellius Scriptor clari nominis testatur in decad. 14. Venetarum Ecclesiarum pag. 359: *Gemini itaque Ritus Officia per aliquot annos in una Ecclesia licet in diversis Sacellis peracta fuerunt:* quod eo usque obtinuit, donec aucto Graecorum numero praedictae Ecclesiae s. Blasii Latinis Graecisque communi aliud subrogatum fuit templum, quod Graecorum proprium esset ac privativum.

§. 35. Haec ad Graecos pertinent, qui celebraturi in Latinas Ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi Ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus proscriptam; non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad Sacrificium Missae offerendum et Divina Officia persolvenda in Graecorum Ecclesiis ex justa aliqua causa admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter Catholicos licet diversi Ritus animorum conjunctio et benevolentia. In Russia Alba Rutheni Catholici, quos Unitos vocant, plures habent Ecclesias, paucas vero Latini et quod magis est, longe dissitas a pagis Latinorum, qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius Sacrificio Latinae Missae carebant, eo quod suis negotiis detenti nequibant tam longum iter aggredi, ut ad Latinas Ecclesias se conferrent, neque Latini Presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum Ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod Ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo sejungeretur. Itaque, ne Latini Missa Latino Ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut Latini Sacerdotes in Latinorum commodum Latinas Missas in Ruthenis Ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re ea

occurrebat difficultas, quod altaria Graecorum sacro lapide careant, cum ipsi celebrent super *antimensiis, quae sunt lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis sanctorum reliquiae includuntur;* quamobrem Latini Sacerdotes sacrum lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente in commodo ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium opilante Deo inventum adhibitumque fuit: siquidem consentientibus etiam ipsis Ruthenis indultum fuit Latinis Presbyteris, ut Missam Latino Ritu celebrarent in Ruthenis Ecclesiis et super illorum antimensiis: idque eo vel expeditius visum est, quod Rutheni Sacerdotes, accedentes quandoque ad Latinas Ecclesias Missam inibi celebraturi super nostris sacris lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra: *Imposito Nobis,* quae quadragesima tertia est, Bullarii nostri tom III.*)

§. 36. Praeclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subjiciemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiteritne juxta veterem disciplinam in Basilicis Ecclesiae Occidentalis unum an plura altaria? Primum quidem affirmat *Schelestrat. part. 1. Actor. Ecclesiae Orientalis cap. 2. de Missa privata in Ecclesia Latina:* sed contra Cardinalis *Bona Rerum Lyturgicar. lib. 1. cap. 14. n. 3.* innixus auctoritate Walfridi cap. 4. plura altaria fuisse in Romana Basilica s. Petri demonstrat. Verum, si de templis atque Basilicis Orientalibus et Graecis sermo sit, perspicuum videtur nonnisi unum altare in ipsis extitisse atque nunc etiam temporis plerumque existere, uti colligitur ex lineari descriptione hujusmodi templorum, quam *Du Cangius in Constantinopoli Christiana, Beveregius in notis ad Pandectas Canonum et Goarius in Euchologium Graecorum* attulerunt. Cumque in templo s. Athanasii, quod Romae a Graecis obtinetur, plura extarent altaria, Leo Atlatius in epistola ad Joannem Morinum scripta de templis Graecorum recentiorum n. 2. asserere non dubitavit, in praedicta Ecclesia nihil graecae formae reperiri praeter *Bema,* id est *Sepimentum, quod Aram majorem a reliquis Ecclesiae partibus secernit. Ad illud autem altare, ad quod Sacerdos Missam celebravit, nequit alius Sacerdos eodem die iterum Missae Sacrificium offerre.* De hac Graecorum disciplina verba faciunt Dionysius Barsalibaeus Jacobita, Amidae Episcopus, in explanatione Missae et Cyriacus Jacobitarum Patriarcha apud Gregorium Barhebraeum item Jacobitam in suo directorio, quod citat Assemanus *tom. II. Bibliothec. Oriental. p. 184 ac tom. III. part. 1. p. 248.* De hac eadem disciplina Cardinalis Bona cit. cap. 14. n. 3. ita scriptum reliquit: *Unicum altare in suis Ecclesiis habent nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eadem die iterare.* Euthimius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus et Cyrillus Patriarcha Antiochenus Graecorum in Pontificatu Clementis XI., Benedicti XIII. et Clementis XII. pluries sciscitati sunt: an vigentem relinquere deberent praedictam disciplinam vetantem, ne secundum Missae Sacrificium eadem die eodemque in altari offeratur. At illis semper responsum fuit, nihil esse innovandum sed veterem Ritum omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missae Sacrificium eadem die idemque ad altare, in quo alius Sacerdos celebraverat, quia Sacerdos, qui posterior celebra-

*) Edit. Luxenbg. *tom. XVIII. p. 205.* Cf. *Missa in altari etc.; Portatile* (usus).

ret, iisdem sacris indumentis, quibus primus uteretur, jejunium frangeret, idcirco in nostra Epistola Encyclica ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et ad Episcopos Catholicos eidem subjectos conscripta iisdem praecepimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere, ita tamen, ut integram servarent disciplinam, juxta quam ad altare, ubi Sacerdos celebravit, alius Sacerdos eadem die offerre prohibetur, uti videri potest in Constitutione nostra, quae incipit: *Demandatam:* 87. Bullarii nostri tom. I.*)

§. 37. Denique communis olim fuit Occidentali aeque ac Orientali Ecclesiae Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missae Sacrificium offerrent: hujus rei documenta congesta fuerunt a *Christiano Lupo in Appendice ad Synodum Chalcedonensem tom. I. ad Concilia generalia et provincialia primae editionis §. 994.*, dum haec verba Bassiani interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat*, et a Gregorio *tom. II. Lyturgiae Pontificiae p. 1. et seq. ac tom. III. p. 1. et seq.* Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione Sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in Consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presbyterorum cum Episcopo aut cum alio Sacerdote, qui primi Celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones, quae Apostolicae nuncupantur lib. 8., et ad Canonem octavum ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicunque ea consuetudo inter Graecos et Orientales viget, non modo approbatur sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata: *Demandatam* §. 9.

§. 38. Ex Graeco et Orientali hoc Ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium: *an privatis Missis, quae ab uno Sacerdote celebrantur in Orientali et Graeca Ecclesia, locus esse possit, cum in graecis templis unicum, uti praediximus, altare existat, unicum ad illud Missae Sacrificium afferatur*, et Sacerdotes cum Episcopo concelebrent aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidam Lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatae Missae tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanam Patriarcham mittere eumque ad eamdem amplectendam allicere; cum tamen privatae Missae usus ac disciplina in Orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur ex *Canone 31. Concilii Trullani* et ex notis, quas in ipsum composuit Theodorus Balsamon, ideo et Ritus frequentis concelebrationis Sacerdotum cum Episcopo et intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit, quare in irritum cesserunt conatus Lutheranorum, quibus responsum fuit: damnari quidem ab Orientalibus sicut ab Occidentalibus pravum illorum usum, qui improba consequendae eleemosynae cupiditate ad altare impelluntur, non vero illorum, qui, qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo Sacrificium offerant acceptabile. Haec patent ex *Actis Ecclesiae Orientalis contra Lutheranos* auctore *Schelestrato cap. 1. de Missis privatis in Ecclesia Graeca circa finem.* In commodum autem Sacerdotum, qui privatum Missae Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur,

*) Edit. Luxenbg. *tom. XVI. p. 166.*

Graeci constituere ceperunt *Paracclesias*, de quibus verba facit *Leo Allatius in citata Epistola ad Joannem Morinum.* Paracclesiae vero nil aliud sunt, quam Oratoria quaedam Ecclesiae contigua, in quibus erectum adest altare, ubi Sacerdotes Missam celebrant, quam in Ecclesia celebrare nequeunt, eo quod ad altare in ea instructum alius Sacerdos jam celebraverit.

§. 39. Alii vero ab hac Orientalium et Graecorum disciplina merito timendum censuerunt, ne Latini Sacerdotes ab offerendo Missae Sacrificio in Graecis Ecclesiis perpetuo excluderentur, eo quod, uti supra dictum est, in illis unicum altare existat, ubi eodem die unus tantum Sacerdos potest celebrare, neque Latini Presbyteri celebrare possint in Paracclesiis utpote pro Graecis tantummodo constitutis. Verum ad hunc ipsum timorem auferendum in Graecis Ecclesiis hoc tempore erectum plerumque cernitur secundum altare, in quo Divinum Sacrificium a Latinis Sacerdotibus offeratur. Tres Graecorum templorum formas expressit *Goarius in Euchologium Graecorum,* quarum tertia secundum altare exhibet Latinis Presbyteris positum, sicut ipse Goarius loco citato perpendit et prosequitur. Schelestrat. loco superius allato 887. In Ecclesiis nationis Maronitarum et Graecorum Romae existentibus praeter Aram majorem alia occurrunt altaria, in quibus a Latinis Sacerdotibus Missa celebratur; et in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis:* 57. §. 6. n. 8. et 9. nostri Bullarii tom. I., qua Italo-Graecis tutissima traditur agendi norma, prohibentur Latini Sacerdotes in Graecorum templis super Ara majori celebrare, nisi omnimoda necessitas id postulet et parochi Graeci consensus intercedat; ibique insuper Graecis conceditur, ut suis in templis praeter altare majus alia quoque altaria possint erigere, in quibus Latini Sacerdotes, si velint, Missae Sacrificium celebrare valeant.

§. 40. Ex his, quae hucusque dicta sunt, videtur jam perspicue demonstratum, sicuti antea ita et in posterum permitti debere Catholicis Armenis et Syriacis, qui Balserae Latinis commixti commorantur propriaque carent Ecclesia, ut in Latinam conveniant et in ea juxta Ritum quique suum sacras functiones peragant idque eo magis, quia non solum nulla exinde oritur Ritus permixtio per Apostolicas Constitutiones damnata sed urbanitatis Officia exercentur vel potius praecepta implentur aequitativi cujusdam juris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quae jure aliquo praestare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud superest, quam praecipere, ut omnia ad debitae charitatis leges exigantur, ut Sacellum Orientalibus assignetur aut pars aliqua Ecclesiae, in qua suis functionibus obeundis incumbant et quanta fieri potest cura impendatur, ut aliis horis Latini aliis Orientales suas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat, proxima suberit causa dissensionum, quae binos Praedecessores nostros Leonem X. et Clementem VII. tantopere vexarunt, tum scilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio sub Eugenio IV., ne Graecis ulla molestia in suis Ritibus ac Caeremoniis observandis inferretur, relatum est ad praedictos Pontifices, quod nonnulli ex Latinis Graecorum Ecclesias adibant et ad illorum altare Missam Latino Ritu celebrabant eo consilio, ut Graecis Sacerdotibus impedimentum crearent, ne Sacrificium Ritu suo offerre suasque functiones peragere possent, adeo ut Graeci nonnunquam, Ipsis diebus festis, Missae Sacrificio carerent: *Nescitur, quo Spiritu ducti (de La-*

tinis Presbyteris sermo est) interdum altaria dictarum parochialium Ecclesiarum praeoccupant et ibi contra voluntatem eorumdem Graecorum Missas et forsan alia Divina Officia celebrant, adeo quod dicti Graeci saepenumero sine auditione Missarum cum magna animorum molestia festivis et aliis diebus, quibus Missas audire consueverunt, remaneant. Pontificias hasce querelas refert monumentum, quod incipit: *Provisionis nostrae,* extatque in Enchiridio Graecorum impresso Beneventi anno 1717 p. 86. Non est profecto, cur illis nostras addamus conquestiones, quae tamen nec leviores essent neque opportunis remediis destitutae, si unquam ad Nos deferretur, Balserae a Latinis nostris prohiberi Orientales, ne in Latinis Ecclesiis possint functiones suas peragere.

§. 41. Primae huic altera succedit quaestio eosdem attingens Armenos et Syros, qua disquiritur: *an iidem ad statuendum tempus Paschalis aliorumque ei respondentium festorum possint veteri Calendario* uti vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in Latinis Ecclesiis Sacra conficiunt, et quatenus iisdem licitus dicatur veteris Calendarii usus: an hujusmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui suam quidem habent Ecclesiam sed adeo angustam atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non possint, eorum plerique Latinas Ecclesias adire compellantur.

§. 42. Neminem latent, quae a Sanctis Romanis Pontificibus Pio et Victore atque etiam a Nicaena Synodo de recta Paschatis celebratione sancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservatam fuisse provinciam correctionis Calendarii, ac demum Gregorio XIII. Pontifice fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem *Bucherius in Commentario de doctrina temporum* in Praefatione ad Lectorem ita scripsit: *Computi Paschalis in futurum certitudini jubente Gregorio XIII. Pontifice noster abunde providit Clavius.* Is fuit e S. J. Sacerdos Matheseos peritissimus, qui in Calendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cujusdam Aloysii Lilii, qui plures annos in illis componendis insumverat. Perpensis denique libratisque omnibus in pluribus Congregationibus, adstantibus adhibitisque in Consilium peritissimis quibusque viris prodiit anno 1582. Constitutio praescribens Calendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas,* in Ordine LXXIV. in veteri Bullario tom. II.*)

§. 43. Veteri igitur Calendario hac Pontificia Constitutione abrogato Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus aliisque Praelatis imperatum fuit, ut novo emendatoque Calendario uterentur, quemadmodum in eadem Constitutione legere est fusiusque eruitur ex ejusdem Pontificis Annalibus Romae impressis anno 1742 tom. II. p. 271. Verum, cum in Constitutione nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio: num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a doctoribus modo instituitur, ut videre est apud *Azorium Instit. Moral. tom. I. lib. 5. cap. 11. quaest. 7.*, apud *Baldellum in sua Theologia morali tom. I. lib. 5. disput. 41.*, sed etiam proposita discussa fuit in praestantium Virorum conventu habito die 4. Julii anno 1631, in aedibus Cardinalis Pamphilii, qui ad Summum Pontificatum evectus Innocentii X. nomen assumpsit. Haec autem tunc prodiit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificis Constitutionibus*

*) Edit. Luxenbg. *tom. II. p. 487.*

nisi in tribus casibus: primo in materia dogmatum fidei, secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium. Refertur haec resolutio tum a Verricello de Apostolicis Missionibus lib. 3. quaest. 83. n. 4., tum a Nobis in nostro opere de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 38. num. 15.

§. 44. Hanc quaestionem Nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim Nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa praecedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quaesito redditum, nimirum: *Nihil esse innovandum.* Italo-Graecis, qui inter nos vivunt et regimini subjiciuntur Latinorum Episcoporum, in quorum dioecesibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum Calendarium conformarent, uti percipi potest in citata Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis, 57. §. 9. n. 3.* Et Clerus quidem Ecclesiae Colleg. s. Mariae *de Grapheo* civitatis Messanensis, qui Graecum Ritum retinet, accuratissime novum Calendarium servat, uti videre est in altera Constitutione nostra: *Romana Ecclesia*, quae est 81. §. 1. eodem tom. I.*) nostri Bullarii: attamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam gravioribus id requirentibus causis Epicheiae locus sit relictus. Renuebant Armeni Catholici Liburni degentes sese Calendario Gregoriano subjicere precesque Innocentio XII. obtulerunt ut eos veteri Calendario uti permitteret. Etenim in Congregatione s. Officii feria IV. die 20. Junii 1674 Decretum hujusmodi emanaverat: *Nuntii Apostolici Florentii relatis iterum literis datis die 10. Apr. circa petitiones ei factis ab Armenis orandi in Missa pro Patriarcha Armenorum et circa celebrationem Paschatis et aliorum Festorum secundum eorum Ritum, id est secundum calculationem antiquam, quae erat ante correctionem Calendarii et circa celebrationem Paschatis etc. necnon relata scriptura remissa a Sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in Missa pro Patriarcha Armeno: rescribatur Nuntio quoad permissionem orandi in Lyturgia pro Patriarcha Armenorum, quod Sac. Congr. stetit in decretis emanatis die 7. Junii 1673 videlicet:* **Non posse** *et omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Paschatis etc. et aliorum Festorum etc. steterunt pariter in decretis, videlicet: quod in celebratione Paschatis et aliorum Festorum Armeni Liburni existentes omnino servare debeant Calendarium Gregorianum.* Quum igitur huic decreto obtemperare Armeni praedicti renuerent hujus rei cognitio delegata fuit particulari Congregationi Cardinalium doctrina praestantium, quos interfuere Card. Joannes Franciscus Albanus, qui Summum deinde Pontificatum obtinuit, et Cardinalis Henricus Norisius praeclari nominis inter literatos Viros. Porro ipsa Congregatio habita die 23. Sept. anno 1699 hujusmodi edidit decretum a praedicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: *Re mature tractata et perpensis omnibus facti circumstantiis censuerunt, secundum ea, quae proponuntur, conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus et qui peculiarem obtinent Ecclesiam, circa usum Calendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam Calendarii Gregoriani observantiam disponantur et interim ad*

*) Edit. Luxenbg. *p. 153 tom. XVI.*

Sedis Apostolicae beneplacitum; hac insuper conditione adjecta, quod diebus festis de praecepto juxta Calendarium Gregorianum occurrentibus ab operibus servilibus abstinere et Sacrum audire omnino teneantur.

§. 45. Si vero de Graecis Orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato Calendario uterentur, sed tamen id nullum exitum habuit. Inter articulos et conditiones Ruthenis propositas in Unione sub Clemente VIII. tractata et absoluta ea quoque de Calendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Calendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus:* uti legere est in opere Thomae a Jesu p. 329, et licet responsum illud ambiguitatem quamdam praeseferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus neque hoc super articulo judicium ullum protulit Theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem opere p. 335 et seq. Aliquando tamen ipsimet Orientales sponte sua novum Calendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex saepius citata Synodo Provinciali Maronitarum habita anno 1736: *Tam in jejuniis quam in Festis anni diebus sive mobilibus sive immobilibus Romanum Calendarium a Gregorio XIII. Summo Pontifice de nostra natione optime merito emendatum in omnibus Ecclesiis nostris observari districte mandamus ejusque Calendarii rationem et usum, quemadmodum et cantum ecclesiasticum in unaquaque Ecclesia a Magistris pueros edoceri praecipimus:* Sed quoties Orientales minime consenserunt justusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi Calendarii ipsis injungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut Orientales et Graeci in remotis regionibus degentes veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent Calendarium, occasionem opportuniorem expectans inducendi usum novi emendatique Calendarii. Qua in re consona quoque sunt decreta Congregationum de Propaganda Fide et Sacrae Inquisitionis, quemadmodum quoad primam deprehenditur ex decretis editis die 22. Aug. 1625 et die 30. Aprilis 1631; quoad secundam vero ex decretis dierum 18. Julii 1613 ac 14. Dec. 1616. Imo res eo quandoque processit, ut Missionariis quoque veteris Calendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in regionibus, in quibus veteris Calendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis decretis a Congregatione de Propaganda Fide 16. Apr. 1703 et die 16. Dec. 1704 evulgatis.

Constitut. Bened. XIV. die 26. Julii 1755.

(Bull. r. t. XIX. pag. 151. Edit. Luxenbg. et Bull. *Bened. XIV.* t. IV. p. 175. Edit. Romana 1758.)

De Dogmatibus et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis.

Benedictus XIV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Etsi pastoralis romani Pontificis vigilantia ad omnes christifideles longissimis etiam locorum intervallis distantes ac vitae, Rituum et linguarum genere inter se maxime differentes paterna charitate sese extendat omnemque curam ac studium adhibeat, ut ubique terrarum catholicae fidei integritas, ecclesiasticae disciplinae nitor probitasque morum sarta tecta serventur, majoribus tamen Pontificiae sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in ditione ecclesiastica et in reliquis Italiae partibus ejusque insulis adjacentibus sive orti sive aliunde ad-

vecti incolae commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus jamdudum per totum Orientem tum barbarorum infidelium immanitate tum etiam schismaticorum perfidia plurimi ex Graecia, Epiro, Albania aliisque Asiae regionibus ad Italiam eique adjacentes insulas, tanquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverint et tam ipsi quam eorum filii Graecorum mores, instituta, Ritus et consuetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas studiose enixeque servare pergant, ita tamen, ut debitam romanae Ecclesiae obedientiam ac devotionem omnino profiteantur, hinc est, quod Nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus, ejus vicem gerimus in terris, apud quem non est Graecus et Judaeus, Barbarus et Scytha (omnes enim unum sunt in Christo Jesu) Graecos et Albanenses Graeci Ritus, tam in ditione nostra ecclesiastica et utraque Sicilia quam in reliquis Italiae partibus et insulis adjacentibus, in dioecesi latinorum episcoporum commorantes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter provida romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinatione Graecis et Albanensibus praedictis, tum quoad Rituum Graecorum sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta et facta dignoscuntur, ut pleniorem roboris firmitatem obtineant eoque firmius et stabilius illibata inconcussaque perdurent, quo saepius sunt in genere et specie Sedis apostolicae praesidio communita, per praesentes nostras literas innovamus, confirmamus et approbamus illisque approbationis, confirmationis et innovationis robur adjicimus, ut iisdem privilegiis, immunitatibus exemptionibus, indultis, gratiis et favoribus, perinde ac Clerici Latini tam saeculares quam regulares, eorumque Ecclesiae, monasteria et bona in iisdem locis, ubi Italo-Graeci commorantur, utuntur, potiuntur et gaudent, uti potiri et gaudere libere possint ac valeant, ut privilegiis et gratiis hujusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes in tranquillitate pacis conquiescant et per semitam mandatorum Dei gradientes ferventiori erga apostolicam Sedem devotione perseverent.

Quoniam vero pro diversis rerum ac temporum circumstantiis plures ac diversae editae fuerunt ab iisdem praedecessoribus nostris romanis Pontificibus et a nonnullis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem Graecos et Albanenses eorumque Ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subjectionem apostolicae constitutiones, ordinationes, responsa, edicta et decreta, eamque ob causam tam de Ritibus ipsorum Graecorum et Albanensium, quam de eorumdem Sacerdotum potestate et Latinorum etiam praesulum, atque parochorum jurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt et oboriri solent quaestiones et controversiae: Nos pro nostra pastoralis officii sollicitudine, quantum in Nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere causasque omnes litium, jurgiorum, dissidiorum, contentionum, quaestionum et controversiarum amputare certamque super rebus hujusmodi tum praefatis Graecis et Albanensibus Graeci Ritus tum latinis Episcopis et parochis regulam, normam et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare et in singulis occurrentibus dubiis et casibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecumque per

eosdem romanos Pontifices praedecessores nostros ac praesertim Innocentium IV., Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Julium etiam III., Pium IV. et V., Gregorium XIII., Clementem VIII. et forsan alios romanos Pontifices circa memoratos Graecos et Albanens. eorumque Ritus et consuetudines ordinata et constituta fuisse comperimus, ut quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promptius ad illorum observantiam excitentur, in aliis omnibus, praeterquam in iis, quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus et confirmamus atque innovamus; aliaque insuper motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura sanctione et constitutione disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus, prout in Domino conspicimus expedire.

§. 1. *De fide catholica.*

Ac primo quidem, cum catholica fides sit ejusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit salvus esse non possit, quaecumque credit ac docet sacrosancta romana Ecclesia, ea omnia et singula iidem Graeci et Albanenses Graeci Ritus integre, firmiter indubitanterque credere atque affirmare tenentur, prout in sacra oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definitum et declaratum fuit et in professione orthodoxae fidei a Graecis jussu Gregorii Papae XIII. praedecessoris nostri emittenda continetur, videlicet:

I. *Quod Spiritus sanctus a patre et filio aeternaliter* est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex patre simul et filio et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; et quod ea verborum illorum: „*filioque*“ explicatio, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter symbolo fuit apposita.

Etsi autem Graeci teneantur credere, etiam a filio spiritum sanctum procedere, *non tamen tenentur in symbolo pronunciare;* contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Graeci Ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus aliisque quibuscumque in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus, quin etiam a Graecis presbyteris aliarum quarumcumque regionum commorantibus in Italia ejusque insulis adjacentibus, si ab Ordinariis locorum vel ob suspicionem haeresis vel ob scandalum vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam illam: „*filioque*“ in symbolo pronunciari praecipimus ac mandamus.

II. Item profiteri tenentur, *tam in azymo quam in fermentato* pane triticeo corpus Christi veraciter confici et Sacerdotes in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

III. Item, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta:

IV. Illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus, prout su-

perius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro diversa tamen meritorum ratione, aliam alia perfectius.

V. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

VI. Item sanctam apostolicam Sedem et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

VII. Caetera etiam omnia, quae a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et a Gregorio XIII. praedecessore nostro in professione praedicta orthodoxae fidei a Graecis*) emittenda, tradita, definita et declarata fuerunt, indubitanter recipere ac profiteri debent simulque contraria omnia et schismata atque haereses quascumque, a sancta catholica et apostolica Ecclesia romana, omnium ecclesiarum matre et magistra damnatas, rejectas, anathematizatas, pariter damnare, rejicere, anathematizare ac abjurare omnino tenentur.

§. 2. *De Sacramento baptismi, pueris baptizatis, Ritusque in baptismate suscepti mutatione.*

I. Presbyteri Graeci baptizatos chrismate in fronte non consignent et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba: *και μετα την εὐχην* etc. usque ibi: *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερευς σχῆμα κύκλου*: hoc est: „et post orationem“ etc., ubi habetur forma hujus consignationis, usque ad illa: „Postea facit Sacerdos figuram circuli“ etc.

II. Cum Presbyteris Graecis in euchologio haec baptismi forma praescribatur: „*baptizatur servus Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*“, quae latinae formae: „Ego te baptizo in nomine“ etc. aequivalet, trinaque aquae immersione seu aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus a latinis locorum Ordinariis inquietandi.

III. Etsi Graecis in regno Cypri commorantibus Innocentius IV. praedecessor noster olim injunxerit, ut in unctionibus, quae circa baptisma fiunt, morem Ecclesiae romanae teneant et observent, si tamen Presbyteri Albanenses Ritum ungendi pectus et dorsi medium, aures, pedes atque manus, in euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo, non sunt impediendi.

IV. Ritus autem seu consuetudo, quam habere dicuntur Graeci Orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli vel removeri sine scandalo non potest, cum sive fiat sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, in iisdem toleretur.

V. Nec refert etiam utrum frigida vel calida aqua baptizent, cum in utraque baptismum habere parem vim atque effectum affirmare et tenere dicantur.

VI. Si in eadem Ecclesia infantes utriusque Ritus baptizentur, Graecus parochus subditis suis aqua per ipsum Graeco more benedicta rite baptismum confert; ac propterea molestan-

*) Vd.: *Professio fidei.*

dus non est, si non utatur aqua baptismali, quae a parochis Latinis juxta morem romanae Ecclesiae adhibeatur: curent tamen ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latine consecrata, quam omnino (praeter casum urgentis necessitatis), sacerdos latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad baptismum excipere.

VII. Cum administratio Sacramenti Eucharistiae, quod sub una vel sub utraque specie infantibus in baptismo et pueris in missa solent Graeci exhibere, nihil contra orthodoxam fidem bonosque mores contineat (dummodo iidem Graeci credant firmiterque teneant, communionem hujusmodi non esse necessariam ad salutem et baptismum sine communione valide ac licite posse ministrari); quia tamen ad decentiam et reverentiam Sacramenti magis expedit, si illud iisdem denegetur, propterea ne Graeci vel Albanenses graeci Ritus Eucharistiae Sacramentum sub una vel sub utraque specie infantibus rationis usu carentibus in baptismo, nec pueris in missa ministrent, interdicimus ac prohibemus.

VIII. Infantes nati ex patre et matre graecis, Ritu graeco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

IX. Nati vero ex patre latino et matre graeca, latinis sunt caeremoniis baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris Ritum, si sit latinus.

X. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit eidem patri ut proles vel Ritu graeco baptizetur vel etiam Ritu latino, si uxor latina praevaluerit, id est, si in gratiam uxoris latinae consenserit graecus pater, ut latino Ritu baptizetur.

XI. Infantes ad ejus parochi jurisdictionem pertinent, cujus Ritu sunt baptizati, cum per baptismum fiat suscepti Ritus Graeci vel Latini professio, ita ut ad latinum Ritum spectent, qui latinis caeremoniis baptizati fuerint, qui vero Ritu graeco Sacramentum baptismi susceperint, in Graecorum numero sunt habendi, adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cujus Ritu baptizati sunt, parocho et in propria parochia sunt jure communi sepeliendi, nisi iis baptismus collatus fuerit, vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii parochi vel Ritus copia, vel ex dispensatione apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo Ritu graeco permaneant; in his enim casibus non censentur a proprio ad alium Ritum transiisse. Post usum rationis autem idem dicendum, nisi quis in alieni Ritus Ecclesia sepeliri cupiat; si quis enim graeco Ritu baptizatus in latina Ecclesia, vel latine baptismate initiatus in Ecclesia graeca sepulturam eligat, juris regulae sunt servandae, nimirum cadaver extra propriam parochiam a proprio parocho esse associandum, quarta funerali ei minime imminuta, et ubi tumulandum est cadaver, ibi a parocho illius Ecclesiae sive latinae sive graecae sunt exequiae celebrandae.

XII. Quando vero infantibus praedictis seu etiam adultis exequiae Ritu graeco et in Ecclesia graeca, ut praefertur, jure communi sunt celebrandae, tunc nullum jus habet latinus parochus interessendi cum graeco parocho, nec partem aliquam stolae percipiendi; similiter nullum jus competit parocho graeco, quando exequiae in Ecclesia latina et per latinum parochum sunt peragendae, sed servanda sunt utrobique statuta de juribus parochorum circa sepulturam eorum, qui ad propriam parochiam spectant.

XIII. Quem Ritum semel in baptismo sunt professi, sive latinum sive graecum, in eo institui et educari debent, nec ad alium possunt transire, si la-

tinum semel susceperint; Ritus enim latinus propter suam praestantiam, eo quod sit Ritus sanctae Rom. Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris et magistrae, sic supra graecum Ritum praevalet, maxime in italicis regionibus, ubi latinis Episcopis Graeci subjecti sunt, ut non modo ab ipso ad Graecum transitus nullatenus permittatur, verum etiam a Graecis semel assumptus absque apostolica dispensatione deseri nequeat.

XIV. Quod si infans graecum Ritum in baptismate susceperit, tunc requirendus est primum patris Graeci consensus, deinde Episcopi latini licentia, ut possit mater latina filium suum graece baptizatum ad latinas caeremonias traducere. Adultis autem, siquidem sunt ecclesiastici, in quocumque ordine minori vel etiam majori constituti, saeculares vel regulares, a Ritu graeco ad latinum sine expressa Sedis apostolicae licentia transire non liceat, si laici, ut ad Ritum latinum transire possint, Episcopus dioecesanus pro sua prudentia permittere valeat; non tamen communitati Graecorum sive Albanensium hujusmodi sine Sedis apost. licentia, sed solum privatis personis, attenta uniuscujusque necessitate.

§. 3. *De Sacramento Confirmationis.*

I. Episcopi latini infantes seu alios in suis dioecesibus baptizatos a Presbyteris graecis absolute chrismate in fronte consignatos confirment, cum neque per praedecessores nostros neque per Nos graecis Presbyteris in Italia et insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur; quinimo usque ab anno 1595 a fel. rec. Clemente VIII. praedecessore nostro fuit Presbyteris italo-graecis expresse interdictum, ne baptizatos chrismate consignent.

II. Secus sub conditione et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis graecis ordinem baptismi juxta eorum euchologium servantibus, fuerint baptizati.

III. Idem dicendum, si Episcopus latinus ex dispensatione apostolica Graecum aliquem ordinaverit, qui a Presbytero graeco in Italia vel adjacentibus insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo sive latino sive graeco chrismate in fronte fuisse consignatum; debet nimirum illum antea absolute confirmare, sub conditione autem, si verosimiliter dubium esse possit, an ab Episcopo graeco fuerit baptizatus.

IV. Quamvis confirmati a simplici Sacerdote cogendi non sunt ejusmodi confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent, cum Sacramentum confirmationis ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.

V. Ubi graecus catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutus in collegio Corsino Italo-Graecorum in Calabria, curent omnino latini Ordinarii, ut ab illo potius graecis caeremoniis juxta graecum euchologium, quam a se latino Ritu, Sacramentum confirmationis subditis suis graeco Ritu viventibus chrismate a latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet Ecclesiarum Ritus, quoad fieri potest, misceantur.

§. 4. *De oleo sancto chrismatis, catechumenorum et infirmorum.*

I. Non sunt cogendi Presbyteri graeci olea sancta praeter chrisma ab Episcopis latinis dioecesanis acci-

pere, cum hujusmodi olea ab iis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur seu benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum Ritum, benedici potest, cogantur accipere.

II. Non audeant tamen ab Episcopis graecis externis schismaticis seu sanctae romanae Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere vel eo uti.

III. Item abstineant chrisma accipere a quocumque alio Episcopo latino seu graeco - catholico praeter suum Ordinarium latinum, cujus jurisdictioni subjiciuntur.

§. 5. *De Sacramentis poenitentiae et extremae unctionis.*

I. Nulli per Sacerdotes vel Confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo injungatur.

II. Infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

III. Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant et asserant, illud Sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno Presbytero val de et licite confici.

IV. Idem Sacerdos materiam adhibere formamque pronunciare respectve debet ac propterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat et alius formam pronunciet.

V. In casu necessitatis Presbyteri graeci catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio generali Florentino praescripta, postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex Presbyteris Albanensibus peritos et ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius latinus judicaverit, ut non solum Graecos sed etiam Latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiae et arbitrio relinquitur.

VII. Sacerdotes quoque conjugati aliique, quibus parochiarum cura vel Ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite et libere possint parochianorum suorum confessiones audire ipsisque poenitentiam injungere pro peccatis, quia, cui licet vel conceditur quod est majus, competit quoque nec negari convenit, quod est minus.

VIII. Ecclesiarum parochialium regimini praeficiant Ordinarii latini, si habere possunt, eos, qui in seminariis Italo - Graecorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in oppido s. Benedicti Ullano vel in Collegio Graecorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt studiisque literarum incubuere, dummodo caetera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopis ejusdem seminarii praesidis seu respective rectoris literas exhibeant, quae de recta eorum vitae ratione deque in graecis latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios idoneos Coadjutores et Cooperatores Parochis graecis, si opus fuerit, adjungere in audiendis confessionibus et poenitentiis injungendis ac caeteris, quae ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum dioeceses absque Sacerdotum ipsorum praejudicio et gravamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, ut nequeant per easdem dioeceses officium suum exequi per se ipsos.

X. Nunquam monachis graecis seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate vel alia justa causa.

XI. Presbyteri saeculares graeci ex Albania vel aliis Orientis partibus advenientes, abjuratis schismate et erroribus atque in fide catholica bene instructi, in parochialibus seu curatis Ecclesiis Graecorum institui possunt.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

XIII. Aqua ex Ritu graeco in die Epiphaniae vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur.

§. 6. *De Sacramento Eucharistiae et Missae Sacrificio.*

I. Sacerdotes ad poenitentiae Sacramentum frequenter accedant, ut, cum divinum ministerium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii, sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum; indignum enim ac auribus plane horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere foedatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet et placare Deum attentet, qui in peccatis existens ipsius Dei furorem et iracundiam provocat.

II. Item permittiur eisdem, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta Ritum in Liturgia praescriptum, aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.

III. Tollatur abusus tundendi vel etiam miscendi sacro oleo ac iterum coquendi vel alias exsiccandi species Sacramenti sacrae Eucharistiae feria quinta Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

IV. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur.

V. Non asservetur idem Sacramentum toto anno; si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

VI. In celebratione solemnium et aliarum Missarum et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur, ita tamen, ut jejunii lex de unica comestione in die religiose servetur; et si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum missa usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore ac firmitate permaneat.

VII. Si inter Graecos, qui in Italia et insulis adjacentibus degunt, viget abusus, quem in orientalibus regionibus vigere perhibent, ut monachi Eucharistiae particulam suspensam ad collum vel aliter secum deferant, necnon in privatis domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti liberi a quibuscumque periculis evadant, vel cum in longiora itinera se committunt ea refici valeant, eum omnino abolere volumus et expresse mandamus praefatisque monachis, ne id imposterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim ac reverentia, qua singuli fideles augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur, ut privatim ac latenter, cujuscumque arbitrio et voluntate, domi illud retineatur aut in itineribus ac peregrinationibus asportetur.

VIII. Cum in parochialibus Ecclesiis ipsorum Graecorum, ex antiquissimo et hactenus servato Ritu, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris graecis suum, si velint, morem hac in parte servare; interdicitur autem latinis Sacerdotibus, ne Missas et alia divina Officia in dictis

Graecorum Ecclesiis et super eorum altaribus majoribus, extra casum alicujus necessitatis et aliorum altarium Ecclesiarumque defectus, et nisi ex parochi graeci consensu, quem nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

IX. Quia tamen ipsi Graeci et Albanenses Presbyteri nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die in suis Ecclesiis Missas celebrare, nos ipsorum precibus annuere volentes per praesentes nostras concedimus ac indulgemus, ut in suis parochialibus vel aliis Ecclesiis praeter altare majus alia etiam minora altaria seu capellas sacris indumentis Graecorum seu Latinorum mere ornata seu ornatas erigant, in quibus latini vel graeci Presbyteri respective suo quisque Ritu celebrare valeant.

X. Cum in sacro generali Florentino Concilio praescriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiae suae Ritum, sive latinae sive graecae, in azymo seu fermentato conficere debeat, vetitumque a summis romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ne latinus Sacerdos graeco Ritu aut graecus latino utatur, districtius inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, ne Presbyteri graeci latino more et latini graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina Officia, Graeci latino more et Latini graeco Ritu celebrandi, ab apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu Missas et alia divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

XI. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duae parochiae, latina altera et altera graeca, quam in una eademque parochiali Latinorum vel etiam Graecorum Ecclesia, in qua, ut permittitur, praeter altare majus, quod pro solis graecis sacerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro latinorum Sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Graecorum, neque parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque Ecclesiae suae altari retineat; sed unusquisque sacerdos nonnisi in suo sive graeco sive latino Ritu Eucharistiam fidelibus porrigere debeat.

XII. Ne laici autem latini communionem a graecis Presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus.

XIII. Graecis tamen laicis permittimus, ut, ubi parochiam graecam non habent, possint, si vellint, in Ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a latinis sacerdotibus sumere.

XIV. Quod si in locis, in quibus Graeci et Latini simul moram trahunt et sunt utriusque Ritus Ecclesiae, Latini quidem in fermentato et Graeci in azymo sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; siquidem haec consuetudo sine populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent.

XV. Ut autem iidem laici Graeci eucharistica sub utraque specie communione refici valeant, permittimus in illis dumtaxat locis, in quibus ejusmodi Ritus introductus est et ad praesentem usque diem servatur ac viget, ita tamen, ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi firmiter credant ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem

solam accipiunt; ubi vero praefatus Ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Graeci subjiciuntur, curae sit, ne in posterum admittatur.

XVI. Volentes autem specialem ipsis graecis et albanensibus Presbyteris gratiam facere, tenore praesentium, ut tempore jejunii quadragesimalis, quo exceptis dominicis, sabbatis et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more, nonnisi Missa Praesanctificatorum celebratur, Graeci et Albanenses praedicti, servato tamen nec praetermisso in parochialibus Ecclesiis Praesanctificatorum Ritu, in aliis altaribus seu Ecclesiis sive capellis, pro sua ac fidelium populorum devotione, missas integras quibuslibet hebdomadae diebus ac praesertim cum dies festi de praecepto latinae Ecclesiae occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadae triduo, celebrare possint et valeant, concedimus et indulgemus.

XVII. Si Graeci velint accipere *altaria portatilia ab Episcopis latinis consecrata*, bene erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia sive throni super altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

XVIII. Corporalia ut Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

XIX. Latinis Presbyteris latino Ritu in Graecorum catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super antimensiis seu thronis Graecorum sacrum facere non licet.

XX. Unusquisque sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stamneo calice sacrificet, habens thronos seu corporale de lino, candidum et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum vel decenti paratu ornatum.

XXI. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§. 7. *De Sacramento Ordinis.*

I. Romani Pontifices praedecessores nostri necessitatibus Italo-Graecorum occurrere volentes, ut commode possent a proprii Ritus praesulibus ad ordines promoveri simulque caventes, ne si ab Ordinariis latinis ad graecos antistites in Graeciam vel Epirum aut alias Orientis partes cum dimmissoriis remitterentur, ad schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: Clemens quidem VIII. anno 1595 Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum, qui Graecos Episcopis latinis Italiae et adjacentium insularum subjectos sacris ordinibus initiaret; Clemens vero XII. anno 1735, ut Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem graeci Ritus Episcopum in seminario Corsino a se in Calabria erecto propter Graecorum hujusmodi ordinationes manere jussit, quorum laudatissimum institutum Nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras literas confirmamus et innovamus.

II. Ne quis Clericus saecularis Ritus graeci, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum ecclesiasticum beneficium vel patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere, ac propterea deficiente titulo beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti patrimonio, ut valeat sacris ordinibus initiari, loco autem dicti patrimonii nec Clericus uxoris suae dotem assignare praesumat nec Ordinarius eam recipere audeat.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecis seu Albanensibus in Calabria et Sicilia commorantibus ad sacra mi-

nisteria assumatur, qui trium saltem annorum spatio graecis latinisque literis non dederit operam in altero ex seminariis Italo-Graecorum vel in collegio Graecorum in Urbe.

IV. Promovendi ad sacerdotium et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni admittantur.

V. Sacerdotes et quicunque sunt in sacris ordinibus constituti horas canonicas more suo dicant, et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi graeci in ordinibus conferendis Ritum proprium graecum in euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnullis de minoribus ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse vel eorum exercitium aliis ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum ordines supplendi sint ab eo, qui primum Ritu graeco aliquibus ordinibus fuit initiatus, deinde Ritu latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus, si quis Ritu graeco Clericus et Lector tantum fuit initiatus atque ex benignitate Sedis apostolicae obtinuit, ut majores ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is, antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet Ritu latino suscipere. Si vero, praeter Lectoris ordinem, ad subdiaconatum etiam graeco Ritu ascendit et ex dispensatione itidem apostolica facultas sibi facta est, caeteros ordines Ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per subdiaconatum graeco Ritu collatum, acolythatum et ostiaratum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus ordinibus diaconatum aut presbyteratum graece suscepit et latino postea Ritu ad sacrum presbyteratus respective ordinem aut episcopatum promovendus sit, ex apostolica concessione, nimirum exorcistatus ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

VIII. Graeci sine literis dimissoriis Episcopi latini Dioecesani nullatenus ad primam tonsuram vel aliquem ordinem recipiendum admittantur.

IX. Promoti ad primam tonsuram vel ad alium quemcumque ordinem sine dimissoriis latini Ordinarii suspensi sint, et si suspensi in sacris ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut et latini.

X. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a sancta Sede apostolica obtineri oportet.

XI. Non sunt admittendi Episcopi schismatici sive pro ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad sancta apost. Sedes desuper consulatur et responsum habeatur.

XII. Quos vero communionem sanctae romanae Ecclesiae habere constiterit, eis pontificalia exercendi facultatem Ordinarii latini in suis dioecesibus libere concedere possunt.

XIII. Ordinati ab Episcopis schismaticis alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis schismaticis correcti vel emendati reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentiis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin

minus, schisma Ordinatoris, abjurent in judicio vel publice vel secreto pro qualitate facti.

XV. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate hujusmodi occasione contracta, auctoritate sanctae Sedis apost. fuerit dispensatum.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a Graecis olim recepta promoti ad aliquem ordinem sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quo nimirum Ordinandorum fides morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat, qua lege Graeci seu Albanenses in Italia et insulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur, nihilominus cum praedicti Graeci seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subjiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni Ritus sacris ordinibus initiari prohibentur, ac proinde cum Romam vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a sanctu Sede apostolica ad ordinationes Ritu graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis et expensis, ad sacros ordines juxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos eosdem Graecos seu Albanenses gratiis et favoribus prosequi eorumque incommodis consulere volentes de apostolicae plenitudine potestatis praefatis Episcopis graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus licentiam et facultatem impertimur, ut Graecos seu Albanenses hujusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus sive majoribus ordinibus initiari cupiunt, ad omnes ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata interstitiorum lege nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum latinorum licentia sive dispensatione.

XVII. At cum illis Graecis seu Albanensibus, qui domicilium habent, seu alias commorantur in ea provincia, in qua Episcopus Ritus graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum Alumnis et Convictoribus Ritus graeci Collegii graeci Urbis et Italo-Albanensium in Calabria et Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas vel utilitas arbitrio sanctae romanae Ecclesiae Cardinalis Administratoris et Protectoris praefati Collegii Graecorum Urbis, et Episcopi praesidentis seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium praedicti respective pro tempore existentium exegerit, ut praefati Alumni et Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad ordines promoveantur, quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata interstitiorum lege sunt hactenus bona fide ordinati, ex apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis ordinibus ministrare et ad majores etiam servatis servandis ascendere absque alia dispensatione valeant.

XIX. Quod tamen de aetate Ordinandorum a sacrosancto Trid. Concilio praescriptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis Graecis seu Albanensibus ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque apostolica dispensatione promoveatur. Praefatorum autem grae-

eorum praesulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat et quos literis et iis, quae ad ordines exercendos pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

XX. Ut in ordinibus conferendis quaelibet Rituum confusio et commixtio penitus tollatur, et unius Ritus Antistes alterius Ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a divinis poenis prohibemus, ne latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suae jurisdictioni Graecos, neque graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu sine speciali Sedis apostolicae licentia, ad primam tonsuram vel ullum ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat; alioquin tam ordinans quam ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.

XXI. Maxime autem neque permittendum neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti ac latino Ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, juxta Ritum graecum, sub spe retinendi uxores, ad sacros ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non sunt populi graeco Ritu viventes, sed Latini, quam in locis, in quibus sunt populi, qui a Graecis antiquitus fuerint oriundi, seu a Graecis originem ducant, vel alias retroactis temporibus Ritum graecum servaverint, seu apud illos vel in eorum aliquibus Ecclesiis Ritus hujusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

XXII. Cum iis tamen Italo-Graecis, qui ad hanc diem vel propter antiquam consuetudinem vel propter quaedam sibi, ut ajunt, a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis latinis, ut Graecos sibi subjectos, vel ipsi ordinarent seu ab aliis tam graecis quam latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis latinis bona fide et absque dispensatione apost., ad clericalem tonsuram vel minores seu majores ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium graecum Ritum retinendi et absque actuali latini Ritus in susceptis ordinibus exercitio, per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo graeco Ritu permanere, in eoque ad ulteriores ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a graeco Episcopo promoveri; per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid hujusmodi de caetero, vel a Graecis ipsis vel a latinis Episcopis, inconsulta sancta Sede, attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus circa praefatas Italo-Graecorum hujusmodi per latinos praesules ordinationes controversiis ac dubiis opportuna ratione obviemus, hac nostra constitutione decernimus et declaramus, quod, si Episcopus latinus sive Ordinarius, Italo-Graecis primam tonsuram vel ordines minores Ritu latino conferat, cum dispensatione apostolica, itaut ordinati ab illo in suo graeco Ritu ministrare debeant (quod ex defectu graecorum praesulum per Sedem apost. concedi solet); licite possit idem latinus Ordinarius literas dimmissoriales Italo-Graecis hujusmodi a se vel ab alio latino praesule, ut permittitur, ordinatis concedere, ut ad sacros ordines graeco Ritu absque alia dispensatione apostolica promoveantur.

XXIV. Si vero absque apostolica dispensatione Italo-Graeci hujusmodi a latino Episcopo ad aliquos ordines Ritu latino promoverentur (id quod illicite tam ab ordinante quam ab ordinatis fieret, utpote huic nostrae constitutioni contrarium) graeci Clerici hujusmodi sic latino Ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apostolica dispensa-

tione; neque latino Episcopo seu ordinario amplius fas sit graecum Clericum, a se, ut permittitur, latino Ritu in minoribus ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad graecum antistitem remittere, ut ab eo ad sac. ordines graece promoveatur, sine dispensatione apostolica: sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino praesule ordinari facere. A Ritu enim latino ad graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione apostolica.

XXV. Hinc eaedem literae dimissoriales potiori jure denegandae sunt Italo-Graecis, qui, quamquam baptizati Ritu graeco, non modo primam tonsuram et minores ordines latino Ritu susceperunt, sed etiam latine vixerunt et postea ad majores ordines Ritu graeco provehi cupiunt; nam latinus Ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque specialis Sedis Apostolicae auctoritate deseri nequit; ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad Ritum graecum redeant, indigent apostolica dispensatione; ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini, servarent, nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines, virgines, non viduas neque corruptas duxerint, romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

XXVII. Praeterea si quis Diaconus, Subdiaconus vel Presbyter post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit vel si uxorem non habeat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et successorum nostrorum romanorum Pontificum arbitrio, infligendis, severissime punietur, verum etiam statim ab ordine erit deponendus et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter graecus conjugatus, antequam ad sacrum sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam vel per triduum ab uxore curet abstinere.

§. 8. *De Sacramento Matrimonii.*

I. Curent ordinarii locorum, ut decretum sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.

II. Matrimonia inter conjuges graecos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant aut patiantur; et si qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

III. Quia vero secundum apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta et nubendi, cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas et tertias et ulteriores etiam nuptias Graeci non condemnent, sed illas tanquam legitimas et validas approbent inter personas, quae alias licite de jure ad invicem matrimonio jungi possunt.

IV. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant; nec ipsos bigamos ad sacros ordines sine speciali dispensatione apostolica promoveri liceat.

V. Et quoniam apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur; ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus ac districte praecipimus, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari alterius non praesumant statutum quoad hoc Generalis Concilii observantes.

VI. Item in cognationis spiritualis, quae in baptismo et confirmatione contrahitur, gradibus servetur id, quod in Tridentina Synodo definitum est. In baptismo videlicet inter suscipientem et baptizatum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, cognitionem contrahi; eamque rursus, quae ex confirmatione oritur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem non egredi, omnibus inter alias personas spiritualis hujus cognationis impedimentis matrimonii sublatis.

VII. Maritus latinus uxoris graecae Ritum non sequatur.

VIII. Latina uxor non sequatur Ritum mariti graeci.

IX. Graecus maritus potest, si velit, Ritum uxoris latinae sequi; item graeca uxor potest, si velit, sequi Ritum mariti latini; post cujus obitum ad Ritum graecum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique conjugum in suo Ritu, catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter maritum vero graecum et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit.

XII. Ejus autem loci ac Ritus parochus debet assistere, ubi et quo Ritu matrimonium contrahitur.

§. 9. *Ritus graecus qua ratione in Italia et insulis adjacentibus servandus; de Graecorum seu Albanensium subjectione Episcoporum latinorum jurisdictione.*

I. Quoniam Orientalis Ecclesiae Ritus, utpote non minima ex parte a sanctis patribus profecti vel a majoribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri romani Pontifices satius consultiusque duxerint, Ritus hujusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere quam illos ad romanarum Caeremoniarum normam reducere; idcirco Graecis ipsis et Albanensibus Ritus graeci inter Latinos degentibus, tam Praelatis, Parochis et Presbyteris saecularibus quam regularibus et laicis, *ut suis Ritibus atque observantiis sive consuetudinibus uti ac illos et illas observare Missasque et alia divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere ac licite possint, concedimus et indulgemus;* nec super his a quoquam latino ordinario illos vel illorum quemlibet molestari vel inquietari permittimus inhibentes omnibus et singulis Praelatis aliisque, ne quis Ritus et Caeremonias Graecorum in Concilio Florentino vel alias approbatas blasphemare aut reprobare seu improbare audeat.

II. Si vero dictis Graecis et Albanensibus in suis Ritibus permanere concessum esse atque indultum, declaramus, ut quae a fidelibus in dioecesi, ubi ipsi habitant, universim et

sine ullo personarum ac Rituum discrimine juxta sacros canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante Rituum diversitate, obligati censeantur.

III. *Cujusmodi sunt in primis Calendarii Gregoriani observatio*, juxta quod iidem Graeci et Albanenses tenentur universalis Ecclesiae jejunia et festa celebrare, ut puta, jejunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam et caetera hujusmodi, quae in latina et graeca Ecclesia aeque celebrantur.

IV. *Deinde summi romani Pontificis et Ordinarii loci in missis ac divinis Officiis commemoratio*, non Patriarcharum neque Antistitum orientalium, quibus nulla est in Italia et adjacentibus insulis jurisdictio; ubi tamen graeco-catholico Antistiti, ex licentia Sedis apostolicae vel Ordinarii loci pontificalia exercere permittitur, ejus quoque nomen juxta Graecorum morem post summum romanum Pontificem et Ordinarium loci commemorare liceat.

V. *Tum subjectio omnibus et singulis romanorum Pontificum constitutionibus contra sollicitantes* praesertim in confessione editis, quae in singulas nationes universim vires suas extendunt ac Latinos aeque ac Graecos sua amplitudine comprehendunt.

VI. *Demum dies festos de praecepto latinae*, ubi degunt, Ecclesiae servare tenentur.

VII. *Ad observationem autem jejuniorum et vigiliarum ejusdem latinae Ecclesiae* si tota loci illius Graecorum communitas vel potior laicorum pars cum Parochis et Presbyteris conjuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis apost. dispensatione arbitrio Ordinariorum relinquimus latinorum; non tamen ad id cogi debent, si velint Ritum suum in jejuniis sequi, cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta et feria sexta, ut asseritur, soleant jejunare, neque privatis personis fas sit, ubi parochiam graecam habent, ibi contra proprium Ritum Latinorum more jejunia et vigilias servare, sed omnes vel graece cum Graecis vel latine cum Latinis jejunent. Ubi vero propriam parochiam non habent, ibi libere et licite possunt in omnibus latino Ritui sese conformare, sive laici sint sive Presbyteri, excepto graeco Ritu, qui in Missis ac divinis Officiis a Presbyteris est servandus.

VIII. Hinc, ubi parochiam graecam habent, tolerandus est apud Graecos esus carnium die sabbati, si sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum et inter eos tantum.

IX. Prohibentur tamen Graeci suis famulis latinis cibos vetitos apponere, sive die sabbati, quando praefatis Graecis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere; latini enim famuli Graecorum latinum Ritum servare tenentur.

X. Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die sabbati in quadragesima, excepto uno sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

XI. In jejuniis quoque biduanis vel triduanis vel alias a dioecesanis vel in jubilaeis a summo Pontifice romano indictis dies sabbati in eis comprehensus vel praescriptus in alium diem pro Graecorum plebe ab ipsis dioecesanis apostolica auctoritate permittitur commutari.

XII. Verum quia pro parte dilectorum filiorum graeci Ritus in Corsica habitantium nobis nuper humillime preces porrectae fuerunt, ut auctoritate apostolica declararemus, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo et vino, tam

in quadragesima quam in quartis et sextis feriis et in aliis anni jejuniis, vel si ad abstinentiam hujusmodi tam ex praecepto quam ex consuetudine Ecclesiae Graecorum, ut nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo et vino in dictis quartis et sextis feriis et in quadragesima aliisque per annum occurrentibus jejuniis vesci ipsis liceret, Nos paternae Pontificiae charitatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Graecis in Corsica habitantibus quam omnibus et singulis Albanensibus et Graecis, qui in Italia et insulis adjacentibus commorantur, tenore praesentium, ut ad instar Latinorum, in quorum dioecesibus degunt, in memoratis quadragesima, quartis et sextis feriis et reliquis anni jejuniis, vino, oleo et piscibus cujuscumque generis possint uti, concedimus et indulgemus. Atque literas Clementis Papae XII. praedecessoris nostri in forma brevis datas ad abbatem et monachos monasterii ordinis s. Basilii Magni Ritus graeci orientalis terrae Dimidii Jussi Panormitanae dioecesis, pro monachis graecis et Epirotis eorumdem ordinis et Ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint, non obstantibus Ritus graeci ordinationibus, hac nostra constitutione confirmamus et roboramus.

XIII. Cum autem Sedi apostolicae semper curae fuerit graecum Ritum custodire illiusque abolitionem nunquam intenderit aut in animo habuerit, hinc Nos, praedecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi Rituum graecorum intenti, neque expediri ducimus neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii juxta Ritum latinum ad sacerdotium promoveant aliquem Italo-Graecum dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi latino Ritu ipse ministrans praesit, praesertim quia id graecis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus parochus esse solet, si eumdem cum ipsis Ritum graecum colat, quam si latinum sequatur.

XIV. Sed in terris seu locis et casalibus Graecorum et Albanensium, seu in quibus fuerint Graeci vel Albanenses, sive sint indigenae sive ex Graeciae provinciis et insulis vel ex Epiri et Albaniae partibus aut alias undequaque advenerint, graeco Ritu in praesentiarum usque viventes, ad illorum Ecclesias seu curam animarum exercendam, non Latini, neque latinis orti parentibus aut latino more viventes, ad eumdem Ritum graecum initientur, sed Graeci vel Albanenses Ritus graeci respective, catholici tamen et alioquin idonei et sufficientes atque alias qualitates a sacris canonibus habentes, sive sint indigenae sive in defectu indigenarum etiam advenae, ordinentur et eorumdem Graecorum seu Albanensium animarum curae praeficiantur.

XV. *Caeterum ad tollendam omnem Rituum commixtionem et confusionem Presbyteri et Clerici latini in Ecclesiis Graecorum* neque missas celebrare neque funeribus, nuptiis ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant.

XVI. Nec Presbyteri et Clerici graeci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illae subjiciuntur, vel ejus in spiritualibus Vicario generali, missas et alia divina officia cum solemnitatibus et cantu celebrent. Ut autem praefatus Episcopus sive Vicarius generalis praefatam licentiam rite concedere va-

leant, nulla praecisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

XVII. Cum inter latinos graecosque Clericos in processionibus, sessionibus aliisque ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine aut proprio arbitrio et voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque et controversiae, quibus charitas et mutua animorum concordia violatur, ob praecedentiae ordinem exoriantur, quia Graeci Latinis et Latini Graecis praecipuum locum dare renuunt, has in posterum dirimere atque amputare volentes praecipimus, ut in praecedentiis hujusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur Ritus graeci et latini diversitas sed tempus ordinationis praedictorum Clericorum vel qualitas ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel caeterae qualitates, quae jure suo in praefatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

XVIII. Quia in ecclesiasticis Graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae graecae puritatem fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse, orthodoxi dolent, ideo pastoralem latinorum Ordinariorum, in quorum dioecesibus iidem Graeci et Albanenses degunt, vigilantium per praesentes nostras literas excitamus, ut omni ope et studio curent, non aliis Graecos ipsos seu Albanenses tam Praelatos ac Presbyteros saeculares quam regulares ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione et Missis divinisque Officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a sancta Sede apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam correcti typisque impressi fuerint.

XIX. Ita autem Graecos seu Albanenses in suo Ritu, ut praefertur, permanere graecasque caeremonias custodire permittimus, ut latinorum Episcoporum, in quorum dioecesi degunt, jurisdictioni subjecti censeantur. Itaque Graeci seu Albanenses Ritus graeci, tam ecclesiastici et regulares quam laici, in utraque Sicilia vel aliis Italiae partibus insulisque adjacentibus commorantes, cum suos Ordinarios graecos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus aliisque privilegiis dictis Graecis eorumque Praelatis, Rectoribus, Abbatibus et aliis tam s. Basilii et alterius ordinis regularibus, qui privatam vitam ducunt nec in Congregationem sunt redacti, quam saecularibus ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X., Paulum III., Julium etiam III. et forsan alios romanos Pontifices et Sedem apostolicam in genere vel in specie hactenus concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ita latinis Ordinariis locorum, quae habitant, debent esse subjecti, ut ipsi locorum Ordinarii quascumque eorumdem Graecorum et Albanensium Ecclesias, monasteria, prioratus et alia pia loca, tam saecularia quam cujusvis ordinis regularia, eorumque Praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali ac majori dignitate praefulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros et quasvis alias ejusdem nationis personas in suis civitatibus et dioecesibus consistentes, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictionem plenamque et omnimodam auctoritatem in iis, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem ac animarům salutem haeresumque extirpationem concernunt, exercere et exequi libere et licite valeant; reliquis ipsorum Graecorum et Albanensium in divinis celebrandis aliisque Ritibus a Sede apostolica approbatis, necnon privilegiis et gratiis apostolicis intactis remanentibus, nec ipsis graecis et albanensibus Clericis

vel laicis, eorumve praelatis, ecclesiis, coenobiis aut aliis piis locis dictas exemptiones seu privilegia in aliquo suffragari, sed illos omnes et singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni et omnimodae auctoritati in praemissis subesse illisque tanquam superioribus suis suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi ejusdem loci a sancta Sede apostolica deputati, unus latinus alter graecus, (quemadmodum in Calabriae partibus et in Sicilia olim fuisse perhibentur et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt), Episcopus latinus de personis ecclesiasticis et saecularibus graecis ac de jurisdictione Episcopi graeci vel aliis quibuscumque ad Episcopum graecum quomodolibet spectantibus nullatenus se intromittere praesumat; sed Episcopus latinus Latinorum, Episcopus vero graecus Graecorum dumtaxat curam, regimen et jurisdictionem respective habeant et exerceant. Id quod de Episcopis graecis pro ordinatione Italo-Graecorum Romae vel in Calabria per Sedem apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus, cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt alumni Collegii Graecorum Romae et Collegii Italo-Graecorum seu Albanensium in Calabria, ad primam tonsuram aut ullum ordinem sive minorem sive majorem nisi cum dimissoriis sui ordinarii promovere valeant.

XXI. In dioecesi, ubi Latini et Graeci inhabitant et solum Archiepiscopum sive Episcopum latinum ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum Graecorum Vicarium graecum ipsis Graecis gratum vel per ipsos Graecos eligendum (ex quo graecus vir melius graecos mores novit quam latinus), ipsorum stipendio et salario retinendum deputet, et in causis appelationis ad Metropolitanum, qui forsan graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis judicem graecum deputare teneatur.

XXII. Ordinationes demum et instituta regularia sanctorum Patrum, qui de vita et statu Monachorum ab Abbatibus et Monachis graecis s. Basilii in Congregationem reductorum sunt professi, praecipimus inviolabiliter observari eosque omnes et singulos jurisdictioni Ordinariorum latinorum subjicimus; mandantes insuper, ut quaecumque supra circa Rituum Graecorum observantiam praescripta sunt, adamussim exequantur.

XXIII. Salvis tamen et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quae a summis romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, Greg. XIII., Sixto V., Clemente VIII., Paulo V., Urbano VIII., Innoc. X., Clem. XII. et forsan aliis, tam Collegio pontificio Graecorum de Urbe et Seminario Corsino in Calabria, quam Congregationi dilectorum filiorum monachorum ordinis s. Basilii in Italia concessa sunt et indulta, quibus derogare non intendimus.

XXIV. His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium et aliarum christianarum nationum quorumcumque Rituum a sancta Sede approbatorum seu permissorum, pluribus qualibuscumque, si quae illis de jure vel ex consuetudine vel alias quomodolibet legitime competant, aut apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum vene-

rabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quae super Ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praejudicatum vel praejudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus, idque expresse declaramus et pro declarato et in qualibet hujus Nostrae Constitutionis seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus et mandamus.

§. 10.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu, notari seu impugnari aut alias quomodolibet infringi vel retractari seu invalidari aut in jus vel controversiam vocari aut adversus eas et ea quodcumque juris et facti vel justitiae et gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi ullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet, quacunque dignitate et honore fulgentibus in futurum inviolabiliter observari debere.

Sicque et non aliter per quoscunque judices ordinarios et delegatos ac commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales et de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandantes universis et singulis venerabilibus Fratribus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis latinis, in quorum dioecesibus Italo-Graeci hujusmodi degunt, ut in suis Synodis, Constitutionibus, Statutis, Edictis, Decretis seu aliis quibuslibet mandatis et monitis, circa eorum Ritus, observantias et consuetudines, praeter id, quod in Nostris hisce literis expresse et explicite continetur, nihil aliud nisi consulta prius a Sede apost. moneant, edicant, decernant, constituant, praecipiant seu mandent.

Non obstantibus Nostrorum praedecessorum literis aliisque praemissis necnon apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus circa Italo-Graecos hujusmodi eorumque Ritus, observantias, mores ac consuetudines.

Die 6. Maii 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 167. Ed. Rom.)

Excitantur omnes graeci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione utantur; narratur quoque quid pro ea perficienda factum fuerit et quae eidem novae editioni Euchologii praeposita sunt monita latius explicantur.

Ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ritus graeci Ecclesiasticos, Saeculares et Regulares, gratiam et communionem Sedis apostolicae habentes.

Benedictus PP. XIV.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, salutem et apost. benedictionem.

Quo primum ... §. 1 (9). Primum monitum his verbis conceptum legitur: „Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologii sunt usuri, nosse debent ecclesiasticos sanctorum Patrum Canones et catholicae Ecclesiae Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta aliaque peragentes Officia errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi et Patriarchae, dummodo catholici sint. Quod si alter eorum vel

ambo sunt schismatici sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat." Quod sane consentaneum omnino est iis, quae decreta fuerunt in Congregatione habita die 1. Maii 1746, quaeque approbatione Nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: „Num in precibus, quae a Sacerdote et Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit nomen Summi Pontificis, tum etiam in caeteris precibus, videlicet: Pro Summo Pontifice N.?" Redditum autem fuit dubio responsum hujusmodi: „In Instructione initio Euchologii adscribenda admoneantur Sacerdotes graeci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis et eorum Episcopi seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia catholica romana unitus, et insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiae, quae eos remittat ad Instructionem." Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso Euchologii textu desiderantur.

§. 2 (10). De commemoratione romani Pontificis in Sacrificio Missae deque hujus disciplinae vetustate Nos ipsi fuse disseruimus in Nostro tractatu: De Sacrificio Missae sect. 1. n. 219., sed post ejus libri editionem idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis tractavit Dominicus Georgius Noster, dum viveret, intimus Sacellanus, de Liturgia romani Pontificis tom. 3. cap. 3. num. 14., ubi haec habet: „Solemne semper fuit in Ecclesia catholica, ut romani Pontificis nomen inter sacra mysteria recitaretur"; deinde n. 22. ita subdit: „De romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant et exemplaria sacri Canonis antiquissima." Et quidem hujusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa latina, quam Flaccus Illyricus Lutheranus vetusto e codice exscriptam protulit; item antiquissima Liturgia, quae legitur in vetustiori codice Sacramentorum Ecclesiae romanae, quam Ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique sacri Missae Canones, sive impressi sive manuscripti, quemadmodum fuse demonstrat memoratus Praesul Nicolaus Antonellus in sua copiosa ac erudita dissertatione, quam pro injuncto sibi munere Secretarii praefatae Congregationis ad Euchologii correctionem deputatae conscripsit et typis cudendam curavit tunc, quum a Cardinalibus et Consultoribus ea de re disceptari coepit, quam etiam recusam; legere est in appendice ad antiquum Missale monasticum Lateranense tom. 1. collectionis Liturgiae a P. Emanuele de Azevedo adornatae.

§. 3 (11). Hactenus annunciata monumenta ad latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad graec. Ecclesiam, Cardinalis Bona Rer. liturgicar. lib. 2. cap. 11. n. 3. ignotum esse ait, an ea prioribus saeculis in Sacrificio Missae rom. Pontificis mentionem fecit: „An vero primis saeculis Graecia orthodoxa mentionem fecerit romani Pontificis, non liquet." Porro Isaacus Habertus in Observationibus ad Pontificale Graecorum part. 8. observ. 12. fatetur se inter prioris aevi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia, infra Missarum actionem, romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: „Vellem factum et laudarem, sed factum non lego: factum quidem laudarem." Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiae s. Joannis Chrysostomi sequentia verba legantur: „Nicolai sanctissimi universalis Papae longa sint tempora", credibile esse ait, temporibus s. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa ann. Christi 1758, Patriarchae nomini adjectum fuisse nomen romani Pontificis. At vero laudatus Antonellus in citata

disseratione contendit, multo ante epocham ab Haberto indicatam in Ecclesia Graeca romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis tum eo potissimum facto, quod refert Nicephorus in historia ecclesiast. l. 16. cap. 17., et testimonio nititur antiquioris atque gravioris historici, Basilii Cilicis; Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychianae haeresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat Sacra Chalcedonensis Concilii definitio adversus haeresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit ideoque Acacium communione privaverit, ausus est hic anno Domini 484 novo et inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis romani Pontificis nomen e Sacris Diptychis abradere. Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria ejusque damnationi acquievit Eccl. Graeca sub Hormisda Pontifice et Justino Imperatore; id quod a duobus Hormisdae Praedecessoribus Anastasio II. et Symmacho obtineri nequiverat. Erat igitur in magna Constantinopolitana Ecclesia (cujus exemplum procul dubio sequutae erunt inferiores aliae Orientis Ecclesiae), erat, inquam, in Sacris Diptychis romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnia. Quod si Acacius hujusmodi nomen primus abrasisse dicitur, ejusque factum ideo etiam inprobatum specialiter fuit, quod, sine praecedenti alterius cujusque exemplo, rem perpetrasset novam et eo usque inauditam, quamvis anteactis temporibus inter romanos Pontifices et regiae Urbis Episcopos offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora, ideoque prioribus saeculis, romani Pontificis nomen Sacris Graecorum Diptychis inscriptum fuisse et in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

§. 4 (12). Sed quidquid sit de hoc controverso ecclesiasticae eruditionis capite, Nobis satis est affirmare posse, *commemorationem romani Pontificis in Missa suasque pro eodem in Sacrificio preces censeri et esse declarativum quoddam signum, quod idem Pontifex tamquam Ecclesiae caput, Vicarius Christi et beati Petri successor agnoscitur*, *ac professio sit animi et voluntatis catholicae unitati firmiter adhaerentis*, ut etiam recte advertit Christianus Lupus super Conciliis scribens tom. 4. editionis Bruxell. p. 422. Haec commemoratio est suprema et honoratissima Communionis species. Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis in chronico p. 228, ubi ita legitur: „Noverit se a communione totius Orbis separari, quicumque nomen apostolici Pontificis, pro qualicumque dissensione, in Canone non recitaverit", aut vulgati Alcuini, qui lib. 1. de Divinis Officiis cap. 12. ita scripsit: „Constat ab universi Orbis communione separatos esse, sicut beatus Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter Sacra Mysteria apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant"; sed graviore sententia Pelagii II. Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiae saeculo apostolicam cathedram tenuit, quique in suis literis, relatis in Labbeana Conciliorum Collectione tom. 5. col. 794. et seq. et col. 810., ita ad rem nostram scriptum reliquit: „Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, Dominicae sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in apostolicis Sedibus

collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Praesulum earumdem Sedium auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in pontificalibus apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi Orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter Sacra Mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno apostolicae Sedis, per successionem Episcopatus, praesenti tempore videtis consistere firmitatem?" Quibus Pelagii literis usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus Sanctus Agobardus in suo tractatu De comparatione utriusque regiminis, qui impressus habetur in magna bibliotheca patrum, impressionis Lugdunensis tom. 14. p. 315 n. 21., et a Balutio recusus fuit inter alia ejusdem sancti opera tom. 2. p. 49.

§. 5 (13). Satis praeterea Nobis est, hoc tuto asserere posse, *quocumque demum tempore in Ecclesia Graeca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro romano Pontifice in Missa, eam certe in Graecis Ecclesiis viguisse pluribus saeculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam.* Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchae, qui vivebat anno Christi 1053, ad Michaelem Caerularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam graece et latine edidit Joannes Baptista Cotelerius tom. 2. Monument. Eccles. Graec. Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus, necnon Alexandrinus et Hierosolymitanus Antistites, roman. Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur ex cit. tom. 2. n. 9. p. 140. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit ostendens, ad suam usque aetatem tum Antiochiae tum Constantinopoli non fuisse intermissam romani Pontificis commemorationem: „Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione major aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarcha Antiochiae Domino Joanne, Papa Romae ipse etiam Joannes nominatus, in sacris Diptychis referretur; Constantinopolim praeterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus reperi, sub sanctae memoriae Patriarcha Domino Sergio, praedictum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri." Additur, nunquam agi coeptum de unione instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacrae Liturgiae insereretur romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuisse, nisi praeindicata initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensio Ecclesiarum Latinae et Graecae in agnoscendo et statuendo, inesse in praefata commemoratione protestationem subjectionis debitae romano Pontifici tamquam Ecclesiae Capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiae, ut supra diximus; contra vero, per hujusmodi commemorationis omissionem declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

§. 6 (14). Quum Michael Palaeologus Constantinopolitanus Imperator, anno 1263 et sequenti, studium suum declarasset redeundi una cum Graecis sibi subjectis in unitatem atque concordiam cum Ecclesia romana, Urbanus IV. Praedecessor Noster hanc conditionem diserte proposuit, teste Niceta lib. 5. cap. 2.: „Ut in sacris Officiis et Diptychis Papae nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur." Cumque subinde hujusmodi unionis tractatio ab eodem Michaele Imperatore et Patriarcha Joanne Vecco resumpta fuisset ac de ea serio actum fuerit in Concilio Ge-

nerali Lugduni habito anno Domini 1674, beatus Gregorius X. Pontifex Max., assentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas proposuit conditiones, quae nisi acceptarentur, nullus Unioni tractandae ac perficiendae locus reliquus foret; quarum prima fuit: „Ut inter sacras hymnodias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in Diptycha relatus memoraretur", ut apud eumdem Nicetam habetur loco citato. Eam vero conditionem a Graecis acceptatam fuisse et exequendo impletam testatur Pachymeres lib. 5. cap. 22.: „Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium duo consecuta sunt, vi prius conventorum; exauctoratio Patriarchae et Papae in Sacro commemoratio publica."

§. 7 (15). Michaeli Palaeologo successor in Imperio fuit Andronicus filius damnato schismati adeo perdite adhaerens, ut, quoniam Pater unioni Ecclesiae Graecae cum Latina ineundae operam contulerat, illius corpus extra locum sacrum sepeliri permiserit. Et quia, donec Ecclesiae Constantinopolitanae praesideret catholicus Patriarcha Joannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatum sibi schismatis instaurationem ad exitum perduci posse, Josephum quemdam haeretica labe infectum in Patriarchalem Sedem intrusit. Exinde res in pejus ruere coeperunt nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecosque Patres mature discussis, anno demum 1439 dejectus fuit divisionis paries, qui unam ab altera Ecclesia tam diu sejunctam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis peractae veritas, Joannes Palaeologus Graecorum Imperator jussit in sacris Diptychis reponi nomen romani Pontificis, uti testatur vel ipse chismaticus scriptor Sylvester Sguropulus in historia Concilii Flor. sess. 10. cap. 12. Cumque subinde unionis constitutae decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermissit hic in sua responsione ad Eugenium IV. Pontificem data testari, a se quoque statutum fuisse, ut in Sacrificio Missae romani Pontificis commemoratio antequam aliorum Patriarcharum fieri deberet: „Unde cum nostris Aegyptiis Pontificibus et caeteris Clericis nostris statuimus, ut ubique, in omnibus Christi Ecclesiis, inter Missarum solemnia, prae caeteris Patriarchis, memoriam Tuae Beatitudinis faciamus, sicuti in Sacris Canonibus cautum est"; quemadmodum videre est in actis Concilii Florentini a Cardinale Justiniano collectis part. 2. collect. 22. p. 323.

§. 8 (16). Post Joan. Palaeologum in Graecia imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos misisset, qui sibi periclitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non omisit, se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem; ideoque effecturum, ut Pontificis romani nomen sacris Diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in historia Byzantia: „Imperator supplex rogatum Romam jam antea miserat, ut etiam Concordia Florentiae reconciliata restabiliretur inque magnae Ecclesiae Liturgiis Papae nomen e sacris Diptychis recitaretur." Pontifex autem promptum se atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem; simulque ipsum hortari et urgere non destitit, ut decretum Unionis in Concilio Florentino peractae pomulgaret efficeretque, ut nomen romani Pontificis „recitetur in Diptychis et pro ipso nominatim expresse ab universa Graecorum oretur Ecclesia, sicut ii, qui

Deo placuere et Constantinopolitani Patriarchae et Imperatores hactenus servavere"; ut habetur in Annalibus *Raynaldi* ad annum Christi 1451 n. 2.

§. 9 (17). Haec sunt, quae pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione Celebrantium orandi pro Papa in Sacrificio Missae; nec aliud praeterea addendum videntur, *nisi quod ante hujusmodi Monitum Catholici Episcopi Graeci Orientales, in suis Synodis, hoc ipsum statuere non omiserunt;* et Nos ipsi pro Italo-Graecis opportuna decreta edere non praetermisimus. Anno Domini 1720 Zamosciae habita fuit Synodus Provincialis, de mandato fel. record. Praedecessoris Nostri Clementis Papae XI. ac praesidente in ea Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiscopo Edesseno et Apostolicae Sedis Nuntio in regno Poloniae, deinde vero a recol mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. ad Cardinalatus honorem assumpto. In hujus itaque Synodi decretis, quae etiam a piae memoriae Benedicto Papa XIII. similiter Praedecessore Nostro maturo praemisso examine confirmata fuerunt, sub titulo „de Fide Catholica", sequentia leguntur verba: „Eadem de causa (nimirum ad removendam omnem schismatis suspicionem) et ad demonstrandam sinceram Membrorum cum Capite conjunctionem, censuit etiam ac praecepit, sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut, ubicumque in sacris Diptychis commemoratio romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore sacrificii Missae, in translatione Oblatorum, fiat claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis Episcopus designari non possit." Consentiunt Patres Concilii Libanensis anno 1736 congregati, sub praesidentia dilecti filii magistri Josephi Simonii Assemani romanae curiae praesulis et ablegati apostolici; in cujus pariter Concilii decretis sub titulo „de symbolo fidei ejusque professione", n. 12. haec occurrunt verba: „Sanctissimi romani Pontificis commemorationem tam in Missis quam in divinis Officiis ante Reverendissimi Domini Patriarchae nomen, uti hactenus consuevimus, celebrare non ommittamus." Et hoc etiam Concilium, post accuratissimum rerum omnium examen, apostolica auctoritate a Nobismetipsis confirmatum extitit, ut videre licet in Nostra Constitutione, quae incipit: *Singularis:* tom. 1. Bullarii Nostri n. 31. Petrus Arcudius in suo opere de concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis lib. 3. cap. 39. monitum adscripsit pro Latinis Episcopis, in quorum dioecesibus commorantur Graeci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missa commemorationem romani Pontificis, ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma: „Episcopi Latini omnino curare debent, ut sibi subditi parochi graeci in unione catholica sint et summum pastorem agnoscant juxtaque veterem morem pro illo solemniter deprecentur" in sacrificio Missae, de quo nempe eo in loco agit. Consentanee autem ad hoc aequissimum monitum in nostra Constitutione pro Italo-Graecis emanata, cui initium „*Etsi pastoralis*", quaeque est 57. in Bullarii Nostri tom. 1. §. 9. n. 4., ita cautum fuit: „Deinde summi romani Pontificis ac ordinarii loci in Missis atque divinis Officiis commemoratio fiat."

§. 10 (18). Sequitur pars altera ejusdem primi moniti, in qua, uti superius notatum fuit, *injungitur Sacerdoti Graeco, ut infra Missam, postquam oraverit pro Pontifice romano, oret pro proprio Episcopo*), oret etiam pro suo Patriarcha, si tamen Catholici sint;* nam si eorum alter vel uterque schismaticus esset aut haereticus, de

*) Vd. *Canon.*

illo aut illis commemorationem facere non deberet.

§. 11 (19). *In Latina Ecclesia nulla sese offerre solet difficultas quoad commemorationem faciendam illius Episc.*, in cujus dioecesi Sacerdos missarum sacra facit. Hac de re Nos ipsi egimus in nostro opere de Sacrificio Missae sect. 1. n. 220. latinae editionis ibique demonstravimus, debere eum, qui in dioecesi aliqua Missam celebrat, Episcopi dioecesani loci mentionem facere, non vero alterius, in cujus dioecesi ipse ordinatus fuerit, seu cujus ordinariae Jurisdictioni subjectus sit; neque vero licitum esse Regularibus proprii Superioris generalis aut aliis sacerdotibus alicui Praelato inferiori territorium separatum habenti subjectis hujusmodi Praelati commemorationem facere in Missa: quum is honor deferendus tantummodo sit ei Superiori seu Praesuli, qui episcopali auctoritate et ordine est insignitus. Auctores vero, qui haec omnia tradunt et probant, ibidem a Nobis allati fuerunt. Quare nihil aliud hic adjiciemus, nisi quod praecitatus Dominicus Georgius, qui post editum nostrum illud opus, suum praelo dedit tractatum de Liturgia romani Pontificis, pluribus antiquis perlustratis codicibus, haec adnotata reliquit dicti operis tom. 3. cap. 3. n. 23. p. 52.: „Omnia ferme vetustissima exemplaria Sacri Canonis Missae post romanum Pontificem nomen Antistitis designant, quod quidem nomen Florus et antiquiores expositores Missae, quos in appendice damus, commemorant.“

§. 12 (20). Utque adhuc a Latina disciplina non discedamus, hoc etiam adnotabimus, *Episcopum Missam celebrantem, pro semetipso orare se indignum servum compellando;* quod consentaneum est his, quae leguntur lib. 8. Constitutionum, quae apostolicae dicuntur, inter opera Patrum apostolicorum a Cotelerio eddita tom. 1. p. 407, ubi is, qui sacrum facit, postquam pro aliis oravit, pro se ipso deprecatur his verbis: „Adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui Tibi offero“ etc. Praeterea sciendum est, in Urbe Romana solius romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipse non modo sit Summus Pontifex sed etiam specialiter Romanae Urbis Episcopus, ipsum vero Pontificem, dum Missam celebrat, pro se etiam orare ad eum plane modum, quo Episcopus quilibet celebrans pro se ipso Deum orat. „Postulasti (verba sunt Innocentii III. in epistola non adhuc edita, sed in registris Vaticanis asservata, lib. 9. n. 33., qua respondet Episcopo Auriensi sciscitanti quomodo Pontifex Missam celebrans de se ipso mentionem faciat:) praeterea doceri, quibus verbis Pontifex romanus utatur in eo loco Canonis Missae, in quo Sacerdos inferior dicit: una cum Papa Nostro, cum idem pro se tunc videatur orare, ac supra se Antistitem non habere; ad quod devotionis tuae taliter respondemus, quod Nos ibi dicimus: una mecum indigno famulo tuo.“ Denique notandum est, a Latinis Sacerdotibus commemorationem Archiepiscopi, uti Metropolitani, in Canone minime fieri, ut etiam notat accuratus P. Merati in suis Commentariis ad Gavantum part. 2. tit. 8. n. 5. et quidem etiamsi vacet Sedes Episcopalis: „*Si vero Episcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur; nimirum de eo non sit commemoratio: sed advertendum est, loco Episcopi non posse nominari Vicarium Capitularem, quia licet, sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius dioecesis. Rursus neque nominare potest Archiepiscopus aut Patriarcha provinciae, intra quam continetur Episcopatus Episcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam juris-*

dictionem; quia Archiepiscopus aut Patriarcha non dicitur Ordinarius in dioecesibus Suffraganeorum."

§. 13 (21). Nunc autem converso ad Graecos sermone, si quidem de *Italo-Graecis* agatur, hi omnimodae subjiciuntur jurisdictioni Episcopi Latini, in cujus dioecesi suum constituerunt domicilium, juxta Constitutionem 74. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV., quae incipit: *Romanus Pontifex* Bull. roman. tom. 2., de qua Nos fuse disseruimus in nostro tractatu de Synodo dioecesana lib. 2. cap. 12. novissimae editionis Romanae. Itaquae hujusmodi Presbyteri Italo-Graeci in Sacrificio offerendo Latinam disciplinam sequi tenentur, commemorationem scilicet facientes romani Pontificis et Episcopi loci, nunquam vero Orientalium Episcoporum aut Patriarcharum, quantumvis Catholici sint, quum hi nulla fruantur jurisdictione in Italia et insulis adjacentibus, ut etiam statutum est in praefata Constitutione nostra: Etsi Pastoralis §. 9. n. 4. Bullarii Nostri tom. 1. Const. 57. Sane in dictato s. Gregorii VII. rom. Pont. can. 10. haec verba leguntur: *Quod Papae solius nomen in Ecclesia recitetur.* Et quidem dictatum hoc Conciliorum Collectionibus insertum reperitur, nimirum regiae Parisiensi, tom. 26., Labbeanae vero tom. 6. part. 1. Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controversiam, sitne dictatum illud genuinum opus s. Pontificis, an potius supposititium? adeo quidem ut P. Mabillonius in suo tractatu de studiis monasticis quaestionem hanc recensuerit inter graviores, quibus enodandis ecclesiasticae historiae Professores occupari possunt. Verum hoc etiam posito, dictatum esse genuinum opus s. Gregorii VII., vera ac germana citati Canonis sententia haud quidem est, ut in Ecclesia Latina Episcopi dioecesani nomen a Missae Canone sit removendum, sed ut eidem minime inserantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui scilicet tunc temporis hac conditione consensuros se dicebant, ut romani Pontificis nomen in Liturgia reponeretur ac per universas Orientis Ecclesias pro eo preces fierent, si vicissim Pontifex consensisset, ut ipsorum nomina a Sacerdotibus Latinis Ecclesiae romanae aliarumque ecclesiar. romani Patr. in Canone Missae recitarentur. Quae quidem conditio jure optimo rejecta fuit, prout sapienter observat Christianus Lupus ad Concilia part. 4. p. 437 editionis Bruxellen: „A schismate recessurus Michael (de Michaele Caerulario Constantinopolitano Patriarcha loquitur) petiit nomen suum inscribi romanis tabulis spopondilque Pontificis nomen omnium suarum ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo (romanum Pontificem innuit s. Leonem IX.) noluit annuere: mutua enim Patriarchalium nominum recitatio viguit in solis aequalibus et consororibus, Orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Haec enim Orientalium non tantum soror sed etiam caput est et mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi nomen unquam recitavit." Et sequenti pag. 438 ita prosequitur: „Orientalium Patriarcharum nomina nnnquam recitavit Romana, imo nec ulla Latina Ecclesia."

§. 14 (22). Haec pertinent ad Italo-Graecos. *Verum quod spectat ad caeteros Graecos et Orientales, monitum istud Euchologio praepositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitarum et Patriarcharum mentionem facere in Missa*, sed cavet tantummodo, ne id fiat, quatenus illi schismatici sint aut haeretici. Constat antiquum esse morem in Eccl. Graeca, ut in Missarum precibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quae scripsit de Pa-

triarcharum juribus, haec scripsit: „Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei sive ad Euphratem sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.“ Goarius in notis ad rituale graecorum p. 63 hoc refert veluti usu receptum, videlicet: in Graeca Liturgia Sacerdotem orare pro omnibus Episcopis et pro Metropolitano. Meratus autem in notis ad Gavantum tom. 1. p. 539 Romanae editionis, postquam illud posuit, quod supra retulimus, in Ecclesia Latina Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missa, vacante licet Ecclesia suffraganea, ita subdit: „Hoc tamen non observatur a Graecis aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant et Metropolitam.“ Neque id ipsum in saepe indicato monito iisdem indefinite prohibetur, *sed tunc solummodo quum Metropolitae aut Patriarch. schismatici sunt vel haeretici* juxta regulas jampridem receptas atque statutas, antequam Euchologii correctioni manus admoveretur. Sane in Congregatione Sancti Officii anno 1673, quum de hoc disciplinae capite actum fuerit, decretum prodiit tenoris sequentis: „In Congregatione Generali Sancti Officii die 7. Junii 1673: Utrum in Missa possit nominare Sacerdos in Oppido Liburni Patriarcham Armenorum, pro ipso orando, qui est schismaticus, quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis et majori erga Latinos alliciatur affectu? Sacra Cong. respondit: non posse et omnino prohibeatur. In eadem Congregatione 20. Junii 1674 lectis literis R. P. D. Nuntii Florentiae, datis die 10. Apr. 1674 scriptis Sacrae Congregationi de Propaganda et ab eadem remissis ad Sacram Congregationem Sancti Officii, decretum fuit, quod rescribatur eidem Nuntio, ut quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum Sacra Congregatio stetit in decretis emanatis anno 1673, videlicet, non posse et omnino prohibeatur.

§. 15 (23). Consonat aliud plane simile decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Cophtorum habita anno 1732, ubi inter alia proposita dubia hoc fuit: „An et quomodo emendanda sint verba, quibus Sacerdos commemorationem facit de Patriarcha, Episcopo“ etc.? Responsum autem datum fuit hujusmodi: „Initio Missalis ponatur rubrica, in qua admoneatur et instruatur Sacerdos de iis, quae spectant ad celebrationem Missae et inter alias rubrica specialis de commemoratione romani Pontificis, necnon Patriarchae et Episcopi, si sint uniti romanae Ecclesiae, sin minus, eorum commemoratio omittatur; quae rubrica proprio loco repetatur.“ Porro haeretici atque schismatici excommunicationis majoris censurae subjecti sunt ex lege Can.: *de Liguribus.* 23. quaest. 5., et Can.: *Nulli,* 5. dist. 19. Sacri autem Ecclesiae Canones pro excommunicatis orari publice vetant, uti cautum legitur in cap. *A Nobis,* 2. et in cap. *Sacris,* de Sent. excomm. Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemni Sacrificii prece pronuncientur; quod plene congruit veteri disciplinae, de qua Estius in 4. Sententiar. dist. 12. §. 15. Satis est in eum finem mente animoque Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis et ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum reducere dignetur; quemadmodum pergit Sylvius in 3. part. D. Thomae tom. 4. quaest. 83. art. 1. quaest. 9. Atque haec est ipsiusmet s. Thomae doctrina in 4. Sent. dist. 18. quaest. 2. art. 1. in responsione ad primum: „Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quae pro membris Ecclesiae fiunt.“ Neque ut huic

christianae charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae, quae a fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate et obedientia separarunt, quaeque, dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab Officio Missae, quae publicum est Sacrificium, excludit. Quapropter Ven. Card. Bellarminus controversiarum tom. 3. lib. 5. de Missa cap. 6. optime ad rem nostram scribit: „Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore Sacrificium offerre pro haereticorum sive infidelium conversione? Ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinae Ecclesiae, quae nunc est in usu, refertur ad fideles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra tum intra Canonem. Respondeo: Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni infidelium seu haereticorum: id enim faciunt viri pii et docti, quos reprehendere non possumus, nec extat Ecclesiae prohibitio."

§. 16 (24). Nullum quidem verbum in hoc primo monito fit de commemoratione *seu prece inter Missarum actionem habenda pro Imperatore, Rege universoque ejus Palatio et Exercitu.* Sed quum id plurimum connexionis habeat cum caeteris rebus in eodem primo monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea, quae sequuntur, adjicere.

§. 17 (25). *In omnibus Euchologiis sive impressis sive manuscriptis, quae anteriora sunt correctione a Leonitio peracta, adscriptae leguntur preces habendae pro Imperatore, Rege ejusque Palatio et Exercitu.* Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habita die 1. Maii anno 1746 propositum fuerit dubium: an hujusmodi preces tolli deberent? rescriptum fuit, Nobis subinde approbantibus, relinquendas eas esse in Canone seu Liturgia. Sed quoniam Graeci easdem olim preces in Prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: Non autem habendas esse in Prothesi seu praeparatione. Superfluum namque visum est hujusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsae jam fiunt in Canone seu Liturgia. Atque ad hunc plane modum exacta res est in nova Euchologii editione seu correctione.

§. 18 (26). De commemoratione Imperatoris seu Regis, cujus temporali ditioni regio subjecta est, *quatenus in Canone Missae quibusdam in locis fieri solet,* Nos ipsi jam disseruimus in nostro tractatu de Sacrificio Missae sect. 1. n. 221. Et quidem Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. n. 4. testatur, in multis Latinis Eccl. nomen Regis in Canone commemorari. Praeterea Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus l. 1. cap. 4. art. 8. n. 9. post allata monumenta ad id opportuna ita concludit: „Ex constanti Ecclesiae traditione ab Apostolis accepta certissimum est, pro Regibus et Principibus inter Sacra Mysteria semper oratum fuisse." Ubi satis patet, auctorem ad ea se referre, quae scripsit Apostolus in epistola 1. ad Timoth. cap. 2. mandans, orationes et obsecrationes fieri pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, necnon ad ea, quae leguntur in Constitutionibus, quae Apostolicae dicuntur, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornata tom. 1. lib. 8. cap. 12., ubi haec habentur: „Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege et pro iis, qui in sublimitate sunt et pro cuncto exercitu, ut res nostrae in felicitate versentur"; deinde seq. cap. 13. iterum legitur: „Pro Regibus et in sublimi potestate Constitutis oremus, ut res nostrae pacificae sint." Videri etiam hac de re potest Gregorius in praecit. tom. 3. de Liturgia rom. Pont. lib. 4. cap. 3. n. 4.

Quidquid autem sit de controversia illa, quae inter Balutium et Lupum agitata fuit, de tempore nimirum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio Regum subjectis, quam quidem quaestionem fusiori calamo tractat citatus Lupus in Can. 10. Dictatum s. Gregorii VII., illud satis compertum est, commemorationem Regis fieri in Ecclesia Latina per eas regiones, in quibus hujusmodi consuetudo dudum recepta est aut Apostolicae Sedis concessio, id permisit, ut advertit Meratus ad Gavantum cit. tom. 1. p. 1. pag. 539. n. 6. juxta editionem Romanam.

§. 19 (27). *At apud Orientales* nationes communis dici potest haec disciplina memoriam faciendi Regis in sacra Liturgia, uti videre licet in Liturgiis Armenorum, Cophtorum, Aethiopum atque Syrorum. Si quis autem quaereret, qua ratione id tolerari possit, ubi certo constet, Reges illos, pro quibus orant et quorum commemorationem in Liturgia faciunt, infideles esse, huic Ven. Card. Bellarminus respondet, uti reipsa respondit in superius citato cap. 6., nequaquam vetitum esse *ex natura rei,* ut ejunt Theologi, orare in Missa etiam pro Infidelibus; quandoquidem Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane divus Thomas in 4. Sentent. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad quartum docet, quod quamvis s. Augustinus in libro de origine Animae scripserit, Sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, haec tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel jam Christi membra sunt vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiae esse dimetiendam: „Certum est ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiae, licere offerre pro hujusmodi hominibus"; de Infidelibus loquitur: Cumque hujusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos adeoque quoad haereticos et schismaticos, non vero quoad infideles, qui excommunicatione non ligantur, hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missa atque etiam pro his Sacrificium offerri juxta manifestam hac de re traditionem et constitutionem Apostolicam. „Sed quaeret aliquis: utrum, si Rex infidelis est, ut in Graecia, ubi Turca dominatur, et in India et in Japonia, apud Sinas, ubi Ethnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege? Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges haeretici sed Paganus sive Ethnicus. Nam haec traditio, immo et constitutio, apostolica est, ut paulo ante ostendimus. Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio." Ad haec non inutiliter subjiciendus occurrit textus Tertulliani ad Scapulam cap. 2., ubi sic legitur: „Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed, quomodo praecipit Deus, pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris aut sanguinis alicujus."

§. 20 (28). Verum relictis in sua probabilitate hujusmodi assertionibus nihil illis opus fuit ad hoc, ut Imperatoris et Regum commemoratio in Graeci Euchologii textu relinqueretur. Innotuit siquidem, Graecos catholicos interrogatos, num in praefatis commemorationibus habendis hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis, quos Dominos temporales patiuntur, ex quo suis propriis Principibus orbati fuerunt: respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Regibus et Christianis Principibus orent. Ita testatur Goarius in notis ad Euchologium p. 28, ubi ait interrogationi Graecis Catholicis a se propositae: an preces illas pronunciando pro Turcis Deum deprecari intenderent,

constanter ab iis fuisse responsum: „Solos ut piisimos et a Deo custoditos Reges Principes nostros Christianos profiteri et quos dominio expostulant, fide jam et religione rectores dominosque in Ecclesiis praedicare et pro eis solis impraetermisse, etiam libris editis preces supprimentibus, orare velle."

§. 21 (29). *Sequitur nunc secundum monitum ex his, quae novae editioni Graeci Euchologii praefixa fuerunt, in haec verba conceptum:* „Ad haec, in eadem Divina et Sacra Liturgia Sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona eaque decenter ac religiose supra caput tollens ad altare defert, circumducens et procedens per templum, dum interim populus summa cum reverentia et devotione inclinat caput et procidit, supplicans, memoriam sui fieri in ea donorum circumductione. Sed, quia nonnulli fidelium procidentium circumlata dona tamquam Corpus et Sanguinem Christi adorant atque existimant, ab introitu fortasse praesanctificatorum decepti, quando scilicet praesanctificatus panis defertur, ignorantes differentiam, quae inter hanc et illam delationem intercedit; idcirco oportet in hoc operam suam studiumque impendere, ut cunctos fideles accurate doceat admoneatque de illa, quae inter utramque donorum delationem intercedit, differentia; cum alia quidem dona nondum sint immolata et perfecta, alia vero Dei verbo confecta et sanctificata, et haec religiosissime debeant coli et adorari, cum sub specie ac symbolis panis et vini Corpus et Sanguinem Christi contineant: secus vero, antequam consecrentur et perficiantur."

§. 22 (30). Jam illud recte nostis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, *duos in vestra Liturgia esse ingressus,* minorem alterum alterum majorem nuncupatum. Minor est ille, quo sacri Evangelii Codex infertur; major autem ille est, quo sacra dona, nimirum panis et vinum, non adhuc consecrata, a parvo altari seu mensa, quae prothesis dicitur, super quam praeparata fuerant, supplicationis ordine instructo, ad sacrum altare deferuntur. Itaque in secundo capite hujus moniti, non quidem agitur de minori ingressu sed de majori; in quo nimirum Ritus hujusmodi observatur, ut panis in patena obtectus velo supra caput deferatur vel a Diacono vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne Missae Officium celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi, tunc enim hic sinistra manu patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem patenam cum pane supra caput suum sinistra manu sustinet, dextra autem sacrum calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur majorem ingressum contigit, ut populus inclinetur seu, pro vario regionum more, in terram procumbat ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur. „Populus passim in Graecia quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit ac veluti praesentem in ea oblatione coelorum Regem alloquitur et adorat. Verba sunt Petri Arcudii de Concordia Eccles. Occid. et Orient. lib. 3. cap. 19.

§. 23 (31). Christianus Lupus part. 3. suorum operum super Conciliis edit. Bruxell. p. 760 Ritum describit majoris ingressus, quando Patriarcha aut Metropolitanus Missam celebrant. Magri

in vocabulario ecclesiastico verbo: prothesis singillatim describit quaecumque fiebant ab Imperatore, Sacrae Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius in notis ad Liturgiam s. Joannis Chrysostomi n. 110. totam actionem ingressus majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 9. n. 4. Quaecumque vero ea occassione a Graecis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Cophtis, Aethiopibus ac Syris Jacobitis, ut videri potest apud le Brun in explanatione Missae tom. 3. apud Chardon in historia Sacramentorum tom. 2. cap. 2. et Renaudot. tom. 1. in notis ad Liturgiam Cophtorum. Quin etiam in hac Romana Urbe in festo s. Athanasii videre est Graecos in sua Ecclesia ea omnia facientes, quae supra recensuimus: „Et ita etiamnum hodie faciunt Graeci in festo ac in Romana Basilica s. Athanasii", ait Lupus l. c.

§. 24 (32). Perspectum quoque vobis est, Venerab. Fratres, Dilecti Filii, juxta Ritum vestrum, diebus jejunii quadragesimalis, solam tantummodo Praesanctificatorum Missam apud vos celebrari, exceptis Sabbatis et Dominicis diebus, necnon Festo Annunciationis B. M. V., si in Quadragesimam inciderit: ad normam Canonis Trullani 50. his verbis concepti. „In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato et Dominica et sancto Annunciationis die, fiat sacrum praesanctificatorum Ministerium." Nostis etiam, Sacerdotem, qui Missam celebrat in Quadragesima, diebus, quibus hoc fieri conceditur, Sabbato scilicet et dominico die, unam quidem hostiam consecrare et consummare, alteram vero consecratam sepponere, quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus celebranda est praesanctificatorum Missa, in qua nimirum et seipsum et alios, si qui sint communicantes, eucharistico pane superioribus diebus consecrato communicat, quemadmodum recte omnia persequitur Leo Allatius in prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum de Missa praesanctificatorum p. 1531 n. 1.: „Quilibet Sacerdos venturae hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas panis in oblatione abscindit, quod Missas dicturus est; eas cum particula eo die absumenda, consecrat et consecratas sanguineque dominico intinctas, uti moris est, conconservat in pyxide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit et in disco reponit et ad altare majus advectam consumit."

§. 25 (33). Hac item occasione per Ecclesiam solemni Ritu proceditur, Diacono sacram pyxidem, in qua Sacramentum sub specie panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto: Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebret, ipse sinistra manu defert pyxidem capiti impositam, dextera autem calicem sustinet: atque ita a parvo altari ad Aram majorem progreditur, uti testatur Arcudius in citato opere lib. 3. cap. 58.: „Solent Graeci in praesanctificatis Liturgiis, antequam incipiant Sacrum, reponere Sacramentum contentum in patena super parvum altare propositionis et infundere vinum in calicem sine ullis precibus. Deinde circa medium sacrum Sacerdos, si solus celebrat, patena imposita capiti et calice manu dextera apprehenso, transfert ad majus altare etc. Si vero Sacerdos hujusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet patenam cum Sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti de-

fert. Ipse autem, accepto calice, exit et Diaconum sequitur." Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere aliisque idoneis actibus consecratum panem a Sacerdote vel a Diacono, ut supra diximus, delatum uti par est adorare. Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia praestentur a populo, dum in functione majoris Ingressus panis et vinum non adhuc consecrata, sed postmodum consecranda, supplicationis Ritu per Ecclesiam deferuntur, hoc illud est, quod negocium facessit quodque locum praebuit difficultatibus adversus ingressum majorem excitatis. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiae cap. 24. ita scripsit: „Si qui autem sunt, qui Sacerdote cum donis ingrediente humi procumbunt et tamquam Corpus et Sanguinem Christi dona, quae deferuntur, adorant et alloquuntur, ab ingressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam hujus et illius Sacrificii: hoc enim in ipso ingressu non sanctificata habet dona et nondum perfecta; illud autem perfecta et sanctificata et Corpus et Sanguinem Christi." Et post eum Arcudius ita prosequitur in eodem citato opere lib. 3. cap. 19.: „Itaque populus ignorans discrimen hujus et illius Liturgiae similiter se gerit in ordinariis atque in praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus Sacerdos in patena defert meritoque populus humi procumbit atque adorat: in aliis vero Sacrificiis, dum haec oblatio sit ante consecrationem, longius se gerat oportet." Idem Arcudius in subsequentibus ejusdem libri capitibus refellit Gabrielem Archiepiscopum Philadelphiae, qui plura scripserat ad vindicandum hujusmodi Ritum. Quin etiam Goarius, praeallegato loco, necessarium duxit ad eumdem Ritum tuendum opportunas quasdam rationes afferre. In recentiori editione operis inscripti „perpetuitas fidei catholicae de Sacramento Eucharistiae: adversus Claudium vindicata" p. 68 hoc scriptum legitur: tantum abesse, ut Graeci Sacramentum Eucharistiae non adorent, ut potius sese purgare teneantur, ostendentes, quomodo recti limites non excedant, nec iisdem adorationis actibus prosequantur panem et vinum nondum consecrata, quibus ea post consecrationem venerantur. Pater le Brun non dubitavit asserere, talem esse Ritum, ut aliquo modo reformari mereatur. Tournefort tom. 3. p. 411 et seq., quum se propriis oculis vidisse referat Armenos functionem hanc peragentes, cum aliqua indignatione de ea loquitur. Chardon loco superius notato ea affert, quae scripserunt Tournefortius et Pater le Brun; deinde quaestionis punctum indecisum relinquit. Itaque Patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720 Decreto de celebratione Missarum §. 4. non dubitarunt interdicere, ne qua fiat genuflexio aut capitis inclinatio, dum panis vinumque nondum consecrata a parvo altari ad majorem Aram transferuntur. „Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a minori ad majus altare pro consecratione; tempore Offertorii praecipitque parochis, ut populum hac de re moneant, ne periculo indololatriae exponatur." Illud enim Patres fortasse prae oculis habuerunt, quod in sacro textu refertur lib. 4. Regum cap. 18. de Ezechia Rege Juda, qui serpentem aeneum a Moyse conflatum fregit, propterea quod filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

§. 26 (34). Haec sunt, quae Nobis licuit colligere ex libris auctorum, qui de hoc Ritu tractarunt. Nunc autem ea subjiciemus, qui circa eumdem Ritum animadversa et constituta fuerunt tum in Congregationibus sub Urbano VIII.

coactis, tum in iis, quae nostris temporibus habitae sunt, et quarum decreta Nos ipsi subinde approbavimus.

§. 27 (35). Primum itaque illud prudenter animadversum fuit, functionem hanc majoris Ingressus omnino tollere atque interdicere (quod caeteroquin, ut dici solet, falcem ad radicem misisset) rem fore Ecclesiae graecae permolestam nec consentaneam institutis Ecclesiae latinae, quae Graecos Ritus in Ecclesia graeca, quantum potuit, servare semper studuit, idque eo vel maxime, quod antiqua est hujusmodi caeremonia, quaeque in ea servatur solemnitas, ita explicari consuevit, ut triumphalem referat ingressum Christi, quum ex Bethania Jerusalem venit; quemadmodum scripsit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus hac ipsa de re agens: „Tunc enim plurima turba et Hebraeorum pueri, tamquam regi et mortis victori, sensibiliter hymnum referebant, spiritualiter autem angeli cum Cherubim ter sanctum persolvebant hymnum", deinde subjungens, per minorem Ingressum significari humilem adventum Filii Dei in hunc mundum.

§. 28 (36). *Secundo loco animadversum fuit discrimen, quod intercedit inter ea, quae canuntur in translatione Praesanctificatorum, atque ea, quae Clerus concinit in processione majoris Ingressus.* Hic enim dicitur: *Ut regem universorum excepturi,* quae verba non regem praesentem indicant sed postea venturum. In illa autem, omisso hymno cherubico, sequentia verba ingeminantur: „Ecce Sacrificium mysticum et consummatum", adeo ut unusquisque etiam intelligentia praeditus inter unam et alteram functionem discernere valeat, dum in translatione Praesanctificatorum Jesus Christus sub panis speciebus praesens exhibetur, in caeremonia vero majoris ingressus, idem Dominus indicatur, non veluti praesens sub speciebus panis et vini, sed ut proxime adfuturus, postquam nimirum consecrationis verba a Sacerdote prolata erunt.

§. 29 (37). Tertio perpensum fuit, quod si Graeci in rebus sacris edocti perspectum habent, sub panis et vini speciebus, dum major ingressus ducitur, nondum existere Corpus et Sanguinem Domini, iidemque norunt, quod ignorare non possunt, Latriae cultum soli Deo deberi; nemo jure suspicari poterit hanc illis esse mentem, ut per exteriores venerationis actus, quos ad ingressum Oblatorum exercent, latriae cultum erga species non adhuc consecratas exhibeant, quum eaedem exterioris obsequii significationes aliquando erga res creatas exhiberi soleant (quemadmodum in scripturis sanctis legitur, Abrahamum angelos adorasse, et Jacob non semel coram fratre Esau procubuisse, et Nathan prophetam idem in conspectu David praestitisse), quumque adoratio latreutica non unice in actibus externis consistat sed praesertim in interna affectione animi, qua hujusmodi actus eliciuntur. Praeterea si Graeci in Missa Praesanctificatorum iisdem exterioris adorationis actibus prosequuntur panem, qui consecratus est, simulque vinum in calice contentum, quod consecratum non esse constat, nec ideo iis objicitur, quod in praedicta Missa Praesanctificatorum pari latriae cultu adorent panem consecratum et vinum mere benedictum; quia scilicet extrinsecae actiones ab interno animi sensu diriguntur, ita ut pro varia mentis intentione unus idemque actus, nunc quidem latriae adorationem nunc autem minoris obsequii significationem importet; ex hoc ipso satis evincitur, quod quamvis etiam Graeci, dum major procedit ingressus, in conspectu panis et vini, quae nondum consecrata circumferentur, eosdem ederent externos

adorationis actus, qui erga eucharisticum panem et consecratum calicem exhiberi solent; non ideo jure affirmari posset, communem panem vinumque non consecratum latriae cultu ab iis adorari, quum omnia metiri oporteat ex interiori animi sensu, cujus ea vis est, ut eosdem externos actus post consecrationem quidem dirigere possit ad eliciendam adorationem latreuticam erga eucharisticum panem et vinum, eosdemque ante consecrationem, ad solemnem oblatorum ingressum exercendo, latriae cultum ab illis excludere valeat. Ita ad rem nostram apposite disserit Leo Allatius in suo Tract. de Missa Praesanctificatorum num. 8. „Cultus hic non dicitur latria, quae soli Deo debetur, sed qualem veneratio creaturarum exposcit; gestus enim exterioris reverentiae, capitis scilicet detectio, manuum oscula, in modum supplicantium complicatio, extensio, elevatio et similia, necnon in genua procumbere et prosternere se in terram, non solum adorationi Dei sed creaturarum etiam attribuitur, nec in eo error committitur, dummodo Deum Creatorem a creatura et creaturam excellentiorem a minus excellente mente distinguamus. Per externos ergo corporis gestus, cultus Deo exhibitus in adoratione, non ob naturam ejusmodi actuum sed ob intentionem, qua usurpantur, cum alias ex sola natura sint indifferentes, latria infertur. Interior enim voluntas atque intentio conciliandi per hos externos actus existimationem divinam facit, ut sint materia cultus divini atque adeo ut per illos adoratio Dei exterior exerceatur, divinum cultum tribuens.“ S. Thomas 2. 2. quaest. 84. art. 82. in respons. ad secundum ita docet: „Adoratio principaliter quidem in interiore Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis; sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos, quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis.“ Cujus doctrinam explicans Sylvius ad cit. art. 2. haec subdit: „Docet, adorationem principaliter in interiore Dei reverentia consistere, secundario vero in quibusdam signis corporalibus. Quod adeo verum est, ut inter signa corporalia nullum *fere* sit obsequium seu officium, quo non tantum Deo sed etiam creaturae cultus exhiberi queat, ac proinde ex intentione colentis desumi debeat cultus externi distinctio. Nam si ei sit animus de eo, quem per externum obsequium honorat, excitare opinionem Deo soli convenientem atque illum honorare ut summum, tunc ejusmodi officium pertinebit ad cultum divinum; si autem sit intentio eum venerari ut creaturam excellentem Deoque amicam, pertinebit ad cultum Duliae vel Hyperduliae. Dixi: *fere;* nam de Sacrificio etiam externo, quod soli Deo possit offerri, non est dubium.“ Itaque Sylvius unicum exterius signum, quod necessario latriae cultum importet, externum Sacrificium esse asserit, quod soli Deo offerri certissimum est, sicut etiam fuse demonstrat idem d. Thomas 2. 2. quaest. 85. art. 2. Quapropter in actibus apostolorum legimus Laodicenos, quum Paulum et Barnabam Deos esse autumassent, statim de offerendo iis Sacrificio cogitasse. Eamdem omnino doctrinam tradit *Suarez* in 3. part. divi Thomae tom. 1. quaest. 25. art. 2. disput. 61. sect. 4., ut ex sequentibus illius verbis deprehenditur: „Actus exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum quam ad honorandam creaturam exerceri possint etc. Quo sit, ut distinctio latriae soli Deo debitae ab adoratione creaturae in his externis actibus, potissimum ex interiori in-

tentione pendeat." Et quamvis idem paulo inferius subjiciat, exteriorem actum non solum ob internam agentis voluntatem adorationis divinae naturam induere, sed talem quoque evadere ac dici posse, si hujusmodi significatio exteriori illi actui tributa sit ab eo, qui tali potestate et auctoritate polleat: „Attendenda est praeter intentionem internam publica impositio; nam si haec signa sufficienti auctoritate et potestate ad significandum Deum et cultum sunt imposita, solum ad divinum cultum usurpari possunt et, si creaturis communicetur talis cultus, erit idolatria saltem exterior, si non ex animo neque ex falsa aestimatione fiat," Haec tamen doctrina ad id, de quo nunc agimus, aptari non potest, quum nullibi reperiatur, auctoritate publica statutum fuisse, ut exteriores illi actus, qui supra descripti sunt, quique a Graecis fiunt, dum major ingressus per Ecclesiam procedit, pro actibus et signis cultus latriae haberi debeant.

§. 30 (38). Quarto demum, quum in Congregatone super correctione Euchologii habita die 5. Septbr. 1745 proposita fuerit quaestio: an abolendus seu emendandus foret Ritus ingressus majoris, de quo hucusque sermonem habuimus, omnibus mature discussis atque perpensis, constitutum denique fuit, nihil esse innovandum; idque subinde approbatione nostra firmatum extitit. Nec alia profecto fuit sententia Congregationum, quae sub Urbano VIII. hanc ipsam quaestionem examinarunt. Placuit tamen consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi aliique animarum curam gerentes, et quorum ea est inspectio, ut rudem populum docere non praetermittant, quod, dum sacra dona a prothesi ad aram majorem solemni Ritu transferuntur, quum ea nondum sint consecrata, sub eorum specibus nequaquam existit corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post peractam Consecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata dona nondum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cujus objectum est futura transsubstantiatio eorumdem donorum in corpus et sanguinem Domini. Non absimili methodo uti sunt Tridentini Concilii Patres, quum actum fuit de veneratione cultuque sacrarum imaginum; decernentes nimirum, ut nihil immutata hac in re antiqua Ecclesiae disciplina onus esset Episcoporum aliorumque, quibus docendi munus est demandatum, christianam plebem erudire de omnibus, quae circa hujusmodi cultum tenenda et servanda sunt, uti videre est in praedicti Concilii sess. 25. decreto de invocatione et veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus. Quodque ad rem nostram propius spectat, Goarius loco superius citato consilium similiter dedit, ut minime abrogaretur Ritus majoris ingressus, sed ut populus opportunis documentis instrueretur: „erudienda est certe rusticae plebis illius fides; devotio nunquam extinguenda aut cultus ille externus omnino comprimendus." Similiter Pater Philippus de Carboneano in appendice ad Tract. P. Antonie de Eucharistia §. 3. ita concludit: „Nihil ergo in hoc est reprehendendum, sed gens illa rudis instruenda, ne dona illa ut Christi corpus et sanguinem venerentur." Quod quidem si a vobis, venerabiles Fratres, dilecti Filii, praestabitur, quemadmodum facturos vos esse confidimus, eam a vobis procul amovebitis accusationem, qua Arcudius de Concordia lib. 3. cap. 19. Episcopos graecos sui temporis reprehendit, di-

cens, populum quidem tunc in summa ignorantia versatum fuisse, sed Episcopos facile potuisse idoneis instructionibus illius caecitati remedium afferre, nisi ob humanos respectus ab hujusmodi onere implendo abstinuissent: „Possent autem ac deberent Graecorum Antistites diligenter monere populum et utique concordes multum proficerent; sed quoniam vel et ipsi laborant eodem morbo et ex ignorantia in eodem errore versantur, vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam et humanos favores; verentur, ne instar haereticorum nomen ipsorum a vulgo conculcetur; propterea ipsimet, saltem externa specie caeterorum errorem egregie imitantur altoque silentio omnia praetereunt ac dissimulant; ita caeci caecos ducunt et omnes in foveam cadunt."

§. 31 (39). Porro sacerdos celebrans, sacris indutus vestibus, antequam sacra dona a minore mensa seu prothesi ad majus altare transferantur, ad illam accedit et *Panem consecrandum dividit in plures partes*. Pars major offertur, ut Deo Optimo Maximo debitus praestetur cultus in memoriam Salvatoris Nostri Jesu Christi, reliquae minores partes, quae merides appellantur, omnipotenti Deo similiter offeruntur, sed earum una in honorem gloriosae virginis Dei Genitricis Mariae, altera in honorem s. Joannis Bapt., ss. apostolorum aliorumque Sanctorum, quorum nomina a sacerdote enunciantur, alia vero pro salute vivorum, quorum etiam nomina ab eo recensentur, alia pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur, alia in honorem illius Sancti, cujus festus dies celebratur; relicta caeteroquin sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illo aut illis, quos ipse maluerit. *Ritus hujusmodi divisionis Panis in plures*, prout a Nobis descriptus est, jam dudum viguisse probatur ex typico Irenes Augustae edito a Patre Montfaucon tom. 1. Anaclet. Graecor. cap. 34. Si vero Episcopus aut Presbyter primi Celebrantis personam sustinens cum aliis sacerdotibus concelebret et *Diaconi quoque in Officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos sed unusquisque etiam ex Diaconis Hostiam unam majorem offert simulque minores particulas seu merides*, ex quibus, si quae demum supersunt a Celebrante seu Concelebrantibus non consummatae, eae distribuuntur adstantibus, qui eucharisticae Communionis participes fieri petunt. Haec omnia exacte describunt et narrant Card. Bona Rer. liturgic. lib. 2. cap. 1. num. 7., Arcudius lib. 2. de Concordia cap. 9. et Goarius ad Rituale Graecorum in notis ad Lyturgiam s. Joannis Chrys. p. 98. et seq.

§. 32 (40). Nulla inter Catholicos extitit controversia circa Rituum majoris Hostiae aliarumque minorum, quae merides appellantur. Quum enim de eo instituta fuisset quaestio in oecumenica Florentina Synodo, adnotatum est in actis, Archiepiscopum Mitylensem propositis interrogationibus cumulate satisfecisse. Et quamvis ibi relatus non sit illius responsionum tenor, non aliter tamen interrogationibus satisfecisse censendus est, quam ostendendo antiquitatem hujusmodi Ritus per plura saecula in Orientali Ecclesia observati, cujus ea est significatio, ut diversos innuat fines, ob quos Sacrificium offertur. „Puto, dixerit, hanc esse antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines Sacrificii", sunt ipsa Arcudii verba praefati lib. 3. cap. 9. Porro nullam diximus super hoc Ritu viguisse controversiam inter catholicos; e schismaticis enim con-

stat Simeonem Archiepiscopum Thessalonicensem in suo Tractatu de Sacramentis addubitare se ostendisse de consecratione particularum. Sed quam irrationabile fuerit illius dubium unusquisque facile deprehendere potest: Quum enim sacerdos ad sacrum altare consecrationis formam non minus proferat super majore portione quam super minoribus particulis, quumque et illius intentio ad omnium consecrationem aeque dirigatur et earum omnium materia ad sacramentalem transmutationem idonea sit; si portio major consecrationem recipit, profecto consecrari quoque oportet minores illas particulas, quae, uti jam diximus, *Merides* appellantur.

§. 33 (41). *Controversia quidem fuit inter catholicos circa Oblationem, quam a Diaconis fieri superius innuimus.* Arcudius lib. 3. cap. 17. demon trandum sumit, id illis per sacros canones licitum omnino non esse. Goarius ad Euchologium p. 72. testatur, Oblationem diaconalem in magna Constantinopolitana Ecclesia usu receptam non fuisse. Nec defuerunt, qui contenderent, expungenda esse ab Euchologio verba, quae pertinent ad Oblationem diaconalem, utpote a schismaticis adjecta. Contra vero Cardinalis Bona Rer. liturgic. lib. 2. cap. 1. num. 7. nullum esse canonem tuetur, qui hujuscemodi Ritui obsistat, quum sacri canones eam quidem Oblationem excludant, quam Diaconus ad sacrum altare facere praesumeret, non autem eam, quam ad prothesim peragit, quippe quae nihil aliud est quam praeparatio ad aliam a sacerdote perficiendam in sacro altari. Ad haec idem Cardinalis ostendit, antiquum esse Ritum Oblationis diaconalis et a pluribus saeculis in Ecclesia graeca observatum, cumque de eo disputatum fuerit etiam in Florentino Concilio, satisfactum fuisse Patribus ibi adunatis per responsiones ab Archiepiscopo Mitylensi datas. Similiter Berlendis Tractatu de Oblationibus impress. Venetiis anno 1743 §. 5. pag. 143. inter functiones Diaconorum admittit Ritum Oblationis ad prothesim, interdicto eisdem jure offerendi ad altare, quod solis sacerdotibus competit: „Illud offerendi Diacono munus attributum intelligi de prima particularum oblatione, dum super mensam, prothesim vocatam, adhuc adsunt, non vero de aliis duabus oblationibus, quae a sacerdote inter Liturgiam fiunt.“

§. 34 (42). S. Ambrosius virtutem s. Laurentii praedicans, qui, Diaconus quum esset, una cum s. Sixto Pontifice ad martyrium duci exoptabat, sic eum loquentem inducit: „Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici Sanguinis dispensationem.“ Scimus quidem nonnullos codices pro verbo *dispensationem* hoc aliud habere, consecrationem. At consecratio hoc loco nihil aliud significat, quam ministerium sive assistentiam sacerdoti consecranti praestitam: „Nobis Diaconis consecratio illius salutaris Hostiae committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus“, ait Petrus Blessensis in sua epistola 123. Nec absimilis est explicatio Petri Cantoris apud Menardum in notis et observationibus ad librum Sacramentorum s. Gregorii p. 287. Subdiaconis enim vetitum semper fuit Eucharistiam populo ministrare sive sub specie panis sive sub specie vini, juxta canonem Laodicenum XXV. et in eum notas Balsamonis, Zonarae et Aristeni, uti videre est apud Beveregium tom. 1. pag. 164. Non sic autem Diaconis, quibus olim specialiter demandata erat sola dominici Sanguinis distributio, quae deinde, ob enatos quosdam abusus, ipsis etiam adempta fuit, uti demonstrat Cotelerius ad cap. 13. lib. 8.

Constitutionum, quae Apostolicae dicuntur tom. 1.

§. 35 (43). Jam vero in Congregationibus habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus minime praetermissum fuit examen propositae quaestionis: *utrum tollenda esset Oblatio, quae a Diaconis fiebat ad prothesim.* In ea autem, quae habita est die 3. Januarii anni 1745, rescriptum fuit, Nobis deinde approbantibus, nihil esse innovandum. Validiores enim atque firmiores visae sunt rationes huic Ritui faventes per Card. Bonam allatae, quam illae, quas ad oppugnandum eumdem Ritum congessit Arcudius. Itaque in nova Euchologii editione intactus relictus est Oblationis diaconalis Ritus. De qua licet nulla mentio fiat in eo capite secundi moniti, de quo hucusque egimus, Nos tamen hic aliquid circa eam innuendum duximus, tum quia una est e sacris actionibus, quae ad prothesim fiunt quaeque praecedentis sermonis objectum fuerunt, tum quia nullam elabi sinimus occasionem, qua a vobis, venerabiles Fratres, dilecti Filii, magis magisque testatum fiat, nequaquam infensam esse vestris Ritibus romanam Ecclesiam, quin potius eam pro viribus id agere, ut inviolati serventur ii, qui errorem nullum nihilque indecorum contineant.

§. 36 (44). Tertium modo sese offert monitum duabus partibus constan set sequentibus verbis conceptum: „*Praeterea meminisse debent sacerdotes, Sacramentum sancti olei, quod Euchelaeon dicitur*, a Christo esse institutum tamquam coelestem medicinam, non pro animae tantum sed etiam pro corporis salute solis proinde infirmis administrandum, non autem bene valentibus, et in eo quidem tempore, in quo sibi constant et sui compotes sunt, ut ita majorem Sacramenti gratiam recipiant, si cum fide ac devota voluntate accedente oleo sancto ungantur. Item sciendum est, quod, quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo sacro chrismate pluribus de more aromatibus utantur, necessaria tamen Sacramenti materia sunt oleum et balsamum, quibus secundum antiquum Ecclesiae Orientalis morem aliae aromatum species recte admiscentur, si juxta praescriptum adsint. Verum si earum quaedam desint (dummodo oleum et balsamum adsint), tamquam non necessariae ad chrismatis materiam rite omnino sanctum chrisma conficitur.“

§. 37 (45). Sacramentum hoc, quod a Latinis Extrema Unctio dicitur, eodem plane nomine a Graecis appellatum legitur in Concilio generali Lugdunensi secundo, ex Orientis et Occidentis Praesulibus coacto anno Domini 1274, cujus acta leguntur in Collectione Harduini tom. 7. pag. 695., quum scilicet Latini simul et Graeci formulae fidei communibus sententiis probatae subscripserunt. Dicitur etiam a Graecis Sacramentum hoc *Oleum consecratum et sanctificatum precibus sacerdotum atque perfectio seu consummatio Sacramenti poenitentiae.* In Euchologio Goarii pag. 346. num. 42. et pag. 349. num. 1. nominatur *Euchelaeon;* idemque nomen a scriptoribus sequioris aevi usurpatum legitur, uti videre est apud Georgium Pachymerem lib. 6. Histor. Paleol. cap. 32., ubi Possinus idem quoque notavit. lib. 1. Gloss. pag. 386. apud Gabrielem Philadelphium de Sacramento Euchelaei, et tom. 1. Actorum Ecclesiae Orientalis pag. 338. Praeterea nonnunquam nuncupatum invenitur *Heptapapadum*, quemadmodum legitur in Synodo Constantinopolitana, sub Patriarcha Joanne Vecco habita anno Domini 1677 in dicta Collectione Harduini tom. 7. p. 758. B., ubi fide in Lugdunensi Concilio statuta ita ad romanum

Pontificem Joannem XX., dictum XXI., scribit: „Extremam Unctionem etiam ipsam recipimus similiter cum aliis Sacramentis, quae et a Nobis celebrata Heptapapadum nominatur", id est Officium septem sacerdotum, hoc quippe modo a Graecis Sacramentum illud ministratur.

§. 38 (46). Nos hic nihil dicemus de hujus Sacramenti institutione a Christo facta aut de illius effectu; *nihil de legibus circa illius ministrationem servandis*, ut scilicet solis fidelibus graviter aegrotantibus non autem bene se habentibus ministretur, neque tamen expectetur tempus illud, quo aeger jam suae mentis compos non est; nihil praeterea de quibusdam Ritibus Ecclesiae graecae, in qua videlicet oleum infirmorum, non solum ab Episcopo, ut apud Latinos, sed etiam a simplice Presbytero benedicitur et Sacramentum extremae unctionis non ab uno tantum sed a pluribus simul sacerdotibus ministratur, quum de his omnibus plura tradiderimus in nostro Tractatu de Synodo dioecesana noviss. edit. lib. 8. a cap. 1. a tot. cap. 8. Sed ad illustrandam tantummodo priorem partem hujusce tertii moniti hoc adjiciemus, quod, quum et olim sub Urbano VIII. et superioribus Pontificatus Nostri annis disceptatum diu fuerit: *an a graeco Euchologio delenda essent quaedam verba, quae innuere videntur, licitum esse, hoc Sacramentum bene valentibus ministrare?* in Consessu habito die 3. Septembris anni 1747 definitum fuit deindeque a Nobis probatum: ut nihil in textu immutaretur; sed quae necessario servanda erant, adnotarentur in monito, quod initio Euchologii praeponeretur, id quod est factum per verba superius exscripta, monendo graecos sacerdotes, ne Sacramentum extremae unctionis ministrent bene valentibus sed iis dumtaxat, qui gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum est Euchologii textum hic mutare, propterea quod, illius verbis undequaque perpensis, apparuit, rectum illis sensum sanamque interpretationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur, ut Sacramentum ministretur iis, qui bene valent, sed ut ii quoque inungantur, qui ad Ecclesiam se conferunt, id quod percommode intelligi potest de iis etiam, qui, licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad Ecclesiam vel pedibus suis accedere vel aliorum ope deferri, ibique, ut propriae devotioni magis satisfaciant, extremae unctionis Sacramentum sibi ministrari postulant, cujusmodi exempla in ipsa quaque Occidentali Ecclesia non desunt, uti videre licet apud Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus lib. 2. cap. 7. art. 2. num. 7 et 8. et penes Mabillonium in praefatione ad saeculum primum in actis Sanctorum ordinis Benedictini §. 9. n. 101.

§. 39 (47). Cohaerentia sunt cum hac prima parte tertii moniti duo haec, quae ad vertenda subjicimus. Primum, *quod, quamvis Graecis diserte vetitum fuerit, extremae unctionis Sacramentum aliis conferre praeterquam aegrotis et quidem gravi morbo laborantibus, iisdem nihilominus interdictum non est, quominus oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant Energumenos aliosve, qui vel devotionis gratia vel ut aliquo incommodo liberentur hujusmodi unctionem petunt;* quum oleum in lampade asservatum nequaquam ab Episcopo aut sacerdote consecratum sit ad effectum utendi eo in extremae unctionis administratione. Haud ignoramus postulatum alias fuisse, ut Graecis permitteretur, extremae unctionis oleo extra gravis infirmitatis casum sese inungere absque eo, quod sacramentalis forma a sacerdote pro-

nunciaretur, ea scilicet ratione allata, quod per solam applicationem materiae Sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea formae prolatio. Verum nec id receptum fuit nec recipi ullo modo potest, quum minime liceat Sacramentum a Christo institutum in arbitrariam quamdam, licet piam, caeremoniam convertere, ut etiam recte observat Pater de Carboneano in appendice ad Tractatum P. Antoine de extrema unctione §. 4. p. 661. et quamvis pro eo, quod pertinet ad latinam Ecclesiam, Quintaduenas in Tract. 5. de extrema unctione, singular. 11. asseruit, licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes oleum sanctum infirmorum ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant, nihilominus, si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a Tribunali ecclesiastico plecteretur vel tamquam abutens Sacramento Ecclesiae vel tamquam suspectus non rectae fidei circa Sacramentum extremae unctionis, ut opportune advertit Clericatus de Sacramento extremae unctionis decis. 70. n. 32.

§. 40 (48). Alterum est, quod *stante prohibitione administrandi Sacramentum extremae unctionis extra gravi morbi necessitatem, quum jam definitum sit, satisfactionem seu poenitentiam, quae a sacerdote confessario sacramentaliter confessis imponitur, constare potissimum debere precibus, jejuniis et eleemosynis,* (quemadmodum habetur in decreto a fel. record. Eugenio PP. VI. pro Instructione Armenorum edito) minime licet poenitenti confesso pro satisfactione seu poenitentia imponere, ut extremae unctionis oleo inungatur. Invecta sane olim fuit inter Orientales hujusmodi unctio veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex Canone LXXIV. ex iis, qui in versione Arabica Micaeno Concilio tribuuntur, in Collectione Harduini tom. 1. p. 492., ubi statutum legitur, ut si quis fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam poenitentiam, Ecclesiae reconcilietur per aquam benedictam et oleum infirmorum. Exinde vero, si fides habenda est Joanni Nathanali in responsione de moribus Graecorum, et Francisco Richardo de Expeditione sacrae. 12., abusus alter inductus fuit, ut poenitentibus divitibus pro sacramentali poenitentia hujusmodi sacra unctio passim imponeretur, ex cujus satisfactionis usu non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non praetermisit fel. rec. Innocentius IV. Pontifex Maximus, dum in epistola sua ad Tusculanum Episcopum ita scripsit §. 6.: „Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo injungatur.“ Hoc idem statutum legitur in Synodo apud Nicosiam celebrata in dict. Collect. Harduini tom. 7. pag. 1714. Nosque etiam hujusmodi praeceptum instauravimus in Constitutione Nostra: *Etsi pastoralis* §. 5. Bullarii Nostri tom. 1. num. 57. Videatur etiam Thiers de Superstit. lib. 8. cap. 6. Porro Arcudius loquens de graecis Presbyteris, qui poenitenti apud se confesso sacram unctionem poenitentiae loco imponebant, asserit eos in ipsa unctione peragenda sacramentali forma uti consuevisse, idque gravibus sane verbis reprehendit, ut legitur in ejus opere de Concordia lib. 5. cap. 4. §: Ego praesentem. Verum Goarius in notis ad Euchologium p. 350. negat hanc Graecis mentem fuisse, ut in ejusmodi unctione peragenda Sacramentum conferrent: „Non ita tamen, ut unctio precibus adjuncta ex opere operato animae deleat infirmitates, sed, si quid possit, ex poenitentis tantum devotione aut ex sacerdotis deprecantis

charitate, id est ex opere operantis, illud valet producere.“ Nihilominus praefatam qualemcumque consuetudinem ipsemet improbare non omittit, dum omnino curandum dicit, ut Graeci hac in re ita se gerant, quemadmodum docet sancta romana Ecclesia omnium christifidelium mater et magistra; quum praefatae unctionis usu plura et gravia sequantur absurda, dum vel Sacramentum extremae unctionis confertur bene valenti adeoque ei, qui subjectum capax hujusmodi Sacramenti materia et forma adhibetur, ut superius indicatum fuit, absque intentione ipsius Sacramenti conficiendi et ministrandi.

§. 41 (49). *Secunda pars tertii moniti pertinet ad sanctum chrisma,* quod quidem a Graecis conficitur non oleo dumtaxat et balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem moniti parte unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse hujusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri, in oleo et balsamo consistere materiam Sacramenti, adeoque, si aliquod deficiat ex aliis aromatibus admisceri solitis, nihil deesse, quod necessarium sit ad sacrum chrisma conficiendum.

§. 42 (50). Apud Graecos nihil praescriptum legitur *de impositione manuum in administrando chrismatis Sacramento.* Morinus in suo Tractatu de Confirmatione cap. 4. ita scribit: „Ut Latini constantissime impositionem manuum unctioni conjunxerunt, sic Graeci non minus constanter alterum ab altero separarunt soloque chrismate in administratione istius Sacramenti usi sunt; manuum enim impositionis non meminerint nec recentia Euchologia nec antiqua.“ Hoc idem constanter asserit Goarius in Euchologio pag. 299. num. 28., Renaudotius in opere de Perpetuitate tom. 5. lib. 2. cap. 12. testatur, a pluribus retro saeculis nullum in Ecclesia graeca reperiri vestigium impositionis manuum in conferendo Sacramento Confirmationis suaeque assertionis auctores laudat recentiores Graecos sacra eruditione praestantes, Simeonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphium, Sirinum aliosque. Modernus scriptor Chardon in Historia Sacramentorum lib. 1. cap. 1. de Confirmatione contendit quidem, prioribus saeculis in Ecclesia graeca adhibitam fuisse manuum impositionem in conferendo chrismatis Sacramento, sed tamen ultro concedit multis abhinc saeculis nullum illius superesse vestigium. Denique dilectus filius Joseph Augustinus Orsi ordinis Praed., nunc temporis palatii nostri apost. Magister, in Dissertatione historico-theologica, quam olim edidit de chrismate confirmatorio, compluribus monumentis erudite congestis, demonstrat, materiam Sacramenti Confirmationis apud Graecos non esse manuum impositionem sed sacrum unguentum. *Nec ideo dici potest id, quod a nonnullis temere affirmatum fuit, non adesse in Ecclesia graeca Sacramentum Confirmationis, propterea quod in ea impositio manuum deficiat.* Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi persuaserit, tot saeculorum decursu in tam ampla Christiani Orbis parte atque in Ecclesia non minus doctrina quam sanctitate illustri defecisse Confirmationis Sacramentum, ut optime ad rem nostram pergit Goarius loco citato: „At vero tam amplam et spatiosam tam eruditam et apostolicarum ecclesiasticarumque sanctionum tenacem Christiani Orbis portionem, adeo exquisitum Sacramentum respuisse, neglexisse vel ignorasse, pauci, me quidem judice, dicere attentabunt.“

§. 43 (51). Caput hoc injustae atque inopportunae dissensionis inter latinam et graecam Ecclesiam originem

traxit a controversiis, quae inter nostrates Theologos agitari solent. Disputant hi: *utrum Apostoli Sacramentum Confirmationis ministraverint per manuum impositionem, an etiam sacro chrismate adhibito?* et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos: an sola manuum impositio sit materia hujus Sacramenti, nonnullis tuentibus, in ea dumtaxat consistere Sacramenti materiam, dum alii maluunt in sacro chrismate statuere materiam remotam Sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo Crucis ad Confirmandi frontem, juxta id, quod legitur in Decreto pro Armenorum instructione ab Eugenio IV. Pontifice edito: „Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto." Ubi etiam Pontifex loquens de manuum impositione, quae ab Apostolis hoc Sacramentum ministrandis fiebat, ita subdit: „loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio." Alii denique impositionem manuum et chrisma simul jungunt, dicentes, tam illam quam istud materiam esse Sacramenti Confirmationis, sed illam aeque ac istud, materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim considerentur; si autem simul jungantur, tunc, ajunt, in iisdem ita conjunctis materiam totalem Sacramenti consistere. Caeterum ipsam manuum impositionem alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit Episcopus versus Confirmandos sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces, alii eamdem agnoscunt in ipso ungendi actu, quo Episcopus signat frontem illius, quem confirmat, cum nequeat alicujus frons unguento liniri, nisi manus eidem imponatur. Hae sunt controversiae, de quibus theologi nostri disputant, et circa quas unicuique licet eam sequi partem, quae magis ipsi placuerit. *At nemini fas est asserere, in Ecclesia graeca non adesse Sacramentum Confirmationis.* Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus Orientalis disciplina, quam apostolica Sedes optime perspectam habuit nec unquam damnavit aut improbavit, juxta quam in Graecorum Ritualibus libris nulla sit mentio de manuum impositione, tamquam materia adaequata, inadaequata Sacramenti Confirmationis. Quare ad evadendum hujus dfficultatis labyrinthum alio filo utendum est, quod quidem diligenter inquirenti non deerit, absque eo, quod super propositione incerta et nullibi definita stabiliatur reprobatio alienae opinionis et sententiae, quae defensoribus orthodoxis non caret.

§. 44 (52). Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur *nimirum: in Ecclesia latina Confirmationis Sacramentum conferri* adhibito sacro chrismate seu oleo olivarum, balsamo commixto et ab Episcopo benedicto ductoque signo Crucis per Sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronunciat. Et quidem pro iis regionibus, in quibus vera balsami species non reperitur, haud recusarunt romani Pontifices indulgere, ut ad conficiendum chrisma liceret uti certo quodam fraganti succo seu liquore, qui communiter pro vero balsamo accipitur, ut videre est in Constitutione 180. s. Pii V. in Bullario novo Romae edito tom. 4. part. 3., per quam videlicet Constitutionem Indiarum Episcopis ejusmodi Indultum conceditur et in Constitutione 47. Sixti V. eodem Bullar. eodemque tom. 4. part. 3., ubi exposita veri balsami penuria ex eo potissimum proveniente, quod arbusta illa, ex quibus major illius copia

educebatur, quaeque olim in Palaestina et maxime in valle Jericho frequentia erant, a Turcis excisa et radicitus extirpata fuerant, conceditur Archiepiscopis Lusitaniae, ut in conficiendo sacro chrismate adhibere possint balsamum ex Brasilia aliisque novi Orbis Indiarumve regionibus allatum, eaque in re Pontifex suorum praedecessorum Pii IV. et Greg. XIII. exempla sequi se profitetur. Quorum sane Pontificum providentiam collaudat Morinus in suo opere posthumo de Sacramento Confirmationis p. 35. In Ecclesia graeca similiter Confirmationis Sacramentum confertur adhibito sacro unguento, quod compositum est ex oleo olivarum et balsamo ac insuper ex aliis fragrantium herbarum speciebus, quae sunt numero viginti tres, adjecta quoque aliqua vini portione. Praedictas omnes herbas odoriferas accurate enumerat Habert in librum pontificalem Ecclesiae graecae observat. 5. ad Ritum chrismatis, et Pater Berti tom. 7. suae Theologiae lib. 32. cap. 5., qui tamen subdit, difficile admodum sibi videri, omnes illas herbas ab Haberto indicatas sacro unguento a Graecis infundi, quum nonnullae ex illis incognitae sint, ita ut vix aliqua earum mentio extet in lexicis et in libris auctorum, qui de plantis herbisque tractarunt. Sed quidquid sit de his, quum antiquus sit usus commiscendi has herbas oleo et balsamo, intactus relictus est Ritus in monito, de quo nunc agimus; admonitis tantummodo Graecis, ne aliud quidpiam ad materiam Sacramenti necessarium putent praeter oleum et balsamum, utque proinde validam agnoscant hujus Sacramenti ministrationem, quae fiat cum oleo et balsamo ab Episcopo rite benedictis, etiamsi aliquae forte defuerint ex illis herbis, quae, juxta eorum Ritum, in sacri unguenti compositione admisceri solent. Sapienter etiam et magna cum ratione in Synodo Zamosciae habita anno 1720 animadversum fuit a Patribus §. 2. de Confirmatione, quidquid herbarum balsamo adjiciatur, cavendum esse, „ut maxima pars chrismatis semper sit oleum balsamo mixtum.“

§. 45 (53). Expensa jam secunda parte tertii moniti nonnulla hic, appendicis loco, subnectemus, quae nec inopportuna nec a proposito aliena jure censeri poterunt, quum et ejusdem Sacramenti Confirmationis doctrinam respiciant et ad Euchologii correctionem pertineant.

§. 46 (54). *Forma Sacramenti Confirmationis in graeca Ecclesia,* juxta communem receptamque sententiam, sequentibus verbis continetur: *Signaculum doni Sancti Spiritus,* quae verba pronunciantur ab eo, qui Sacramentum ministrat, dum suscipientis fronti cum sacro unguento Crucis signum imprimit, ut colligitur ex Canone 7. Constantinopolitani I. in Collectione Harduini tom. 1. pag. 811., utque ex illius Canonis verbis recte perpensis infert Bessarion sanctae rom. Ecclesiae Cardinalis in suo opusculo de Eucharistia, quod impressum habetur in bibliotheca Patrum edit. Lugdunen. tom. 26. pag. 765.: „Secunda oecumenica Synodus, verba, quae sacrum chrisma perficiunt, tradens in septimo Canone, ita inquit: Obsignantes, hoc est sacratissimo chrismate eos chrismantes, dicimus: *Signum doni Spiritus Sancti*, et haec verba, secundum eos, chrismatis Sacramentum perficiunt.“ Quamvis autem haec Cardinalis assertio oppugnata fuerit a Lupo in notis ad Canon. 95. Concilii Trullani, vix tamen erit, ut Lupi sententia plures inveniat suffragatores prae sententia Cardinalis Bessarionis, ut optime advertit Arcudius lib. 2. c. 7., ubi post relatum Bessarionis effatum haec subdit: „Hactenus Bessarion, quo

certe, quae fiunt in Ecclesia Orientali circa Sacramentorum administrationem, praestantius callere poterat nemo.“ Arcudio consentit Goarius in notis ad Euchologium p. 301. Item Habert in suis notis ad Pontificale Graecorum Observat. 4. n. 2. Et omissis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quae habentur in Synodo Zamosciae, ubi agitur de Sacramento Confirmationis: „Forma, quam probata et schismate ipso antiquiora laudant Euchologia, haec est: *Signaculum doni Spiritus Sancti, amen:* eaque semel dumtaxat simul cum ipsa unctione proferri debet.“

§. 47 (55). Celebre est in Ecclesia Graeca decretum s. Methodii Patriarchae Constantinopolitani, qui medio circiter nono saeculo floruit ac semper in id maxime incubuit, ut aberrantes ad sanctae unitatis gremium revocaret. In quo decreto quum illud statutum reperiatur, ut, *qui ab Ecclesia desciverunt deindeque ad illius sinum revertuntur*, sequenti ratione recipiantur: „Oratione completa, sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illum inungit, Crucis signo expresso in fronte et oculis et naribus et ore et duabus auribus et manibus et pectore et scapulis dicens: *Signaculum doni Spiritus Sancti*“*:* Hinc oritur magni sane momenti difficultas, dum alterutrum dicendum videtur, aut scilicet ea verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti,* non esse in Ecclesia Graeca formam Sacramenti Confirmationis, aut in eadem Ecclesia Graeca Sacramentum hoc iterato conferri iis, qui jam semel ipsum et quidem valide susceperunt, si deinde, post apostasiae crimen, ad Ecclesiam reverti velint; quod sane contrarium est receptae sententiae, quae pro inviolabili regula habetur, ut Sacramenta, quae characterem imprimunt, iterari nequeant iis, qui semel valide ea susceperunt juxta definitionem Tridentinae Synodi sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 9. Nec quicquam prodest confugere ad supra citatum Canonem 7. Concilii Constantinopolitani I., quo statuitur, ut sacro Chrismate reconcilientur Ariani, Macedoniani, Novatiani et Appollinaristae, quum ab haeresi conversi ad Ecclesiam sese recipiunt. Hujus namque Canonis sanctio praenominatos tantummodo haereticos respicit, qui Sacramentum Confirmationis aut nullo modo aut invalide conferebant. At s. Methodii, decretum generale est eosque omnes complectitur, qui post defectionem ad Ecclesiae sinum redire cupiunt. Quum autem in quibusdam Euchologiis, ubi de poenitentium reconciliatione agitur, eadem legantur praescripta, quae habentur in decrecto s. Methodii, sequitur, ut eadem difficultas, quae circa decretum hujusmodi offenditur, in praeindicatis etiam Euchologiis occurrat.

§. 48 (56). Incredibile est quantopere se torqueant scriptorum ingenia, ut propositae difficultati satisfaciant. Sunt qui asserunt Decretum illud nequaquam conditum fuisse a s. Methodio Patriarcha Constantinopolitano 842, sed ab alio quodam Methodio Patriarcha schismatico, qui Urbis Regiae Sedem occupabat anno 1640. Sed quum Goarius in notis ad ipsum decretum, quas addidit ad Calcem Euchologii a se illustrati p. 698, testetur se complura vidisse monumenta temporibus hujusce Methodii antiquiora, quae illud ipsum decretum Sancto Methodio Patriarchae tribuunt, hoc satis est ad demonstrandam responsionis hujusce levitatem. Sunt alii, qui et admittunt verba illa: *Signaculum doni Spiritus Sancti,* esse formam Sacramenti Confirmationis, et agnoscunt, juxta decretum s. Methodii, quoties apostatae conversi in unitatem Ecclesiae recipiebantur, eadem verba proferri debuisse,

dum poenitentes sacro unguento ungebantur, sed tamen putant non ideo affirmari posse Sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis, qui jam semel illud susceperant, quum ad collationem Sacramentorum necessaria sit intentio ministri; in ea autem unctione satis appareat non fuisse ministri intentionem, ut Sacramentum conferret, sed ut apostatam conversum Ecclesiae reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel Theologiae tom. 6. edit. Paris. anno 1605 p. 383, eamque innuunt quoque Goarius in notis ad Euchol. p. 598 §: *Verum potuisset*, Tournely in tractatu de Confirmatione circa finem, ubi ad objecta respondet p. 612 et seq. juxta editionem Paris. et Assemanus junior Codicis Liturgici lib. 3. de Confirmatione p. 63. Verum aliis pluribus responsio haec non probatur et praesertim Juvenino de Sacramentis dissert. 3. de Confirmatione quaest. 7. cap. 1. art. 1. §. 1., qui observat primo, nullum adduci graecum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui apostatam reconciliat, dum sacro unguento illum ungit et profert verba, quibus continetur forma Sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione Sacramenti alienum; deinde: nequaquam recte agere, quinimmo peccare ministrum, qui Sacramenti materiam et formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est, etiamsi Sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum saeculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesia reconciliatos aliquando fuisse apostatas per manuum impositionem, fatentur quidem nunc temporis vetitum esse Confirmationis Sacramentum iterato conferre iis, quibus semel valide collatum fuerit, at olim non ita se rem habuisse ajunt proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in decreto Sancti Methodii, quod pertinet ad Orientalem Ecclesiam, praescribitur, ut apostatae reduces iterum Sacramento Chrismatis confirmentur, quantumvis alias id ipsum valide susceperint. At minime tutum est hoc etiam systema. Quum enim nonnulla ex indicatis monumentis diserte testentur, apostatas receptos fuisse *sola manuum impositione,* si quis hanc ipsam putat fuisse collationem Sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, sola manuum impositione nullaque unctione adhibita, Sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset), una cum impositione manuum sacram quoque unctionem in hujusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua et quaenam verborum formula proferri soleret ab eo, qui et manus imponebat et Chrismate ungebat. Marcus Rhemensis in tractatu de variis Capitibus Ecclesiae cap. 18. plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate praestitit auctor glossae in can. manus imposito, 1. quaest. 1. Duo celebres viri, Sirmondus in suo Antirhetica secundo cap. 5., et Morinus de Sacram. Confirm. cap. 12. p. 56 et iterum in tract. de Poenitentia lib. 9. cap. 9. et 10. existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit eamdem in reconciliandis haereticis adhibitam meram fuisse Caeremoniam, non vero alicujus Sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur Lupus in Can. 7. Constantinopolitanum tom. 2. p. 46 et seq. Arcudius lib. 2. cap. 18., Suarez. in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. 72. disput. 34. sect. 1. §: Unde est tertia responsio et disput. 36. art. 11. sect. 3. §: Ad rationem dubitandi. Quapropter

Witasse in sua tract. de Sacram. Confirm. post relata monumenta omnia, quae alterutri opinioni favere possunt, denique p. 63 utramque in sua probabilitate relinquit; eademque prudentia se gerit auctor additionum ad Estium in lib. 4. sentent. dist. 5. §. 16. lit. B. p. 87.

§. 49 (57). Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat praedictae difficultati, quae oritur ex decreto s. Methodii et ex his, quae in aliquibus Euchologiis, cohaerenter ad idem decretum, adnotata reperiu tur. Et primum quidem, quod ad decretum attinet, relatum idem legitur in Annalibus Ven. Cardinalis Baronii ad annum Christi 842 sed diverso plane modo, ac ab aliis refertur quamque a Nobis superius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime praescriptum legitur, ut in apostatae reconciliatione proferantur verba: *Signaculum doni Sancti Spiritus*, licet praescribatur unctio cum sacro unguento peragenda. E quamvis adhuc legatur: *Chrismate ungantur, ut solent inungi, qui baptizantur;* nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis versimiliter defendunt, haec verba addititia esse, iisdemque admissis, tamquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione apostatae ungantur eaedem corporis partes, quae inungi solent, quum post baptisma Confirmatio ministratur. Cumque nihil adjiciatur de prolatione verborum: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, evanescit vis omnis propositae difficultatis. Accedit insuper, quod quum Legati a s. Nicolao Papa I. in Bulgariam missi Confirmationis Sacramentum iis contulissent, quibus jam idem a graecis Presbyteris ministratum fuerat, ob eam praecipue rationem, quod hujusmodi Presbyteri facultatem a Sede Apostolica non obtinuissent pro talis Sacramenti administratione, acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis encyclicis literis, hoc illis vitio vertens, quod Sacramentum Chrismatis contulissent iis, qui jam semel confirmati fuerant. „Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audere non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa denique mysteria in nugas et derisum convertentes?“ Ex hoc autem aperte evincitur, s. Methodium in suo decreto minime statuisse aut voluisse, ut Sacramentum Chrismatis iterato ministraretur iis, qui jam antea confirmati fuerant, si forte post apostasiae crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem s. Methodii floruit quique pravi sane animi sed doctus et cautus homo semper habitus fuit, non id apostolicis Legatis adeo acriter objecisset, quod Sacramentum Chrismatis iterassent, si Methodius antea decrevisset aut ea mente fuisset, ut apostatae ad Ecclesiam redeuntes idem Sacramentum iterato susciperent; facile enim prospexisset hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrave egisse, quam quod Ecclesia Orientalis, ex decreto s. Methodii, servare consueverat, dum aberrantes in unitatem percipiebat.

§. 50 (58). Quod autem pertinet ad Euchologia, si in eorum aliquo praescriptum legitur, ut in poenitentium reconciliatione adhibeatur sacra unctio cum prolatione verborum: *Signaculum doni Sancti Spiritus*, id utique tribuendum est interpolationi schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Graecos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset, uti testatur Gregorius Protosyncellus in apologia adversus Marcum Ephesium in collectione Concil. Harduini tom. 9. p. 640. At enunciatae

formulae prolatio minime praescripta reperitur in quamplurimis manuscriptis Euchologiis, quae inspexit et recognovit vir summa fide dignus Joannes Matthaeus Cariophylus Cydonius, quemadmodum refert Arcudius lib. 2. de Reformat. cap. 18.; quodque magni aestimandum est, nihil ejusmodi legitur in celebri Euchologio Cryptae Ferratae. Quare in Congregationibus super correctione Euchologii habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, Nobis annuentibus, decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum erat, Ritus reconciliationis poenitentium ad eam plane formam exigeretur, qua descriptum legitur in Euchologio Cryptae Ferrate: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habita die 7. Jan. 1748 propositum fuisset dubium: *an corrigendus esset Ritus reconciliandi apostatas in unitatem Ecclesiae redeuntes ad formam in decreto Methodii traditam? Animadversum fuit:* unctionem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem praescribi eo modo, quo unguntur ii, qui baptizantur: sed ut in hujusmodi unctione peragenda proferri debeant verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti,* id in paucis solummodo, iisque recentibus, Euchologiis adscriptum reperiri. Itaque in alia Congregatione habita die 18. sequentis mensis Februarii decretum fuit: „Corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis Cardinalis Bessarionis, nunc Cryptae Ferratae.“ Factaque Nobis relatione atque omnibus per Nos inspectis libratisque decretum idem approbatione nostra roboratum fuit. ...

Dat. Romae 1. Mart. 1756.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 225.)

De Ritibus observandis Graecorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni.

VV. FFr. Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum et omnibus ejusdem Ritus cathol. Episcopis eidem Patriarchae subjectis.

Benedictus PP. XIV.

§. 3. De ritibus et moribus Eccl. Graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore et quacumque auctoritate aut dignitate etiamsi Patriarchali aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim Archiepiscopi Tyri et Sidonis, viri alioquin catholici reique christianae propagandae studiosissimi, factum, alias ab hac Sede Apostolica de anno 1710 improbatum, iterum cogimur reprobare inductamque ab eo, auctoritate propria inconsultoque Romano Pontifice, nonnullarum Ecclesiae Graecae consuetudinum immutationem, revocamus atque irritam fuisse et esse decernimus omnesque imposterum et singulos Ecclesiae Graecae Ritus et mores a Patribus traditos omnino servari mandamus, specialiter injungentes Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut eorum conservationi diligenter invigilet ac provideat, ne ulla novitas (unde confusionis ut plurimum et scandali occasio) in ipsis introducatur: Permittentes solummodo eidem Patriarchae et Episcopis Catholicis in propriis dioecesibus facultatem corrigendi atque extirpandi abusus, si quos aut errore vulgi aut schismaticorum dolo sive saeculi vitio inter eos irrepsisse compererint vel etiam aliqua peculiaria pietatis exercitia admittendi ac probandi, si quae ad promovendam fide-

lium religionem apta et proficua prudenter in Domino judicaverint.

§. 4. Huic autem sanctioni generaliter a Nobis prolatae consentaneum est, ut illae consuetudines in specie, quae aliquam mutationem aut detrimentum subiisse feruntur, in pristinum vigorem reducantur et restituantur.

§. 5. Cum itaque praedictus Cyrillus Patriarcha Antiochenus in quodam Episcoporum consessu de anno 1736 in Monte Libano habito, supra enunciati Euthymii Archiepiscopi exemplum aliqua ex parte sequendum sibi esse duxerit, ignorans vero, ut asseritur, Apostolicae Sedis decreta, quae ad ipsius petitionem anno 1732 prodierant (et quorum quidem executionem ab eodem in accipienda suae Dignitatis confirmatione in genere promissam, pro illius perspecta vitae officiique religione et constanti in hanc Sanctam Sedem observantia, nunquam eum scienter praetermissurum fuisse, in animum inducimus), non solum sibi licere sed etiam *expedire putaverit, receptam Ecclesiae Graecae disciplinam circa jejunia immutare:* considerans nempe inopiam complurium suorum subditorum Graeco-Melchitarum, desertos Arabum pagos incolentium, ubi ciborum quadragesimalium maxima est penuria, magnam insuper severitatem ac diuturnitatem abstinentiarum, quae in Ecclesia Graeca observantur, ubi nimirum, praeter jejunium Quadragesimae, quod in tota Ecclesia Paschalibus Resurrectionis Domini Festis apostolica institutione praemittitur, similis etiam quadraginta dierum abstinentia Natalitiae Christi solemnitati praecedit; tum alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli totidem dies complectens, quot a Feria secunda post octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt: perpendens etiam relaxationem disciplinae, quae per Euthymii decreta jam apud illas Gentes invaluerat, difficile posse ad veterem rigorem revocari: super tribus hujusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quoad omnes Incolas Pagorum Montanorum, perpetuo dispensans eas coarctaverit singulas ad unum diem immediate praecedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis B. M. V. et Martyrium ss. Apostolorum Petri et Pauli.

§. 6. Nos hujusmodi innovationem et abstinentiarum relaxationem et coarctationem in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate Nostra expresse revocamus et nullum effectum imposterum habere neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis populis ejusdem Graeci Ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus.

§. 7. Et nihilominus decreta Congregationis particularis de Propaganda Fide alias die 22. Jan. anni 1732 de ejusmodi rebus edita et a praedicto Patriarcha, ut asseritur, ignorata renovantes ac paterno animo commiserantes egestatem Fidelium Incolarum Libani et Anti-Libani et inopiam ciborum quadragesimalium, quae in plerisque locis illius tractus adesse fertur, ob quam saepe accidit, ut carnibus et lacticiniis necessario vesci debeant, *indulgendo statuimus, ut illaesa remanente etiam quoad illos generali lege de jejuniis et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere con-*

cedere, si tamen aliquando vera et gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo coetu seu communitate, facultatem concedimus Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut in singulos tantum annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit et non aliter nec alio modo hujusmodi dispensationem singulis praefatis communitatibus concedere possit, non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum Rituum neglectui et oblivioni sensim irrepenti occurrri posse, pro suo arbitrio et prudentia, existimaverit.

§. 8. *Simili modo nullam innovationem fieri debere decrevimus in eo, quod respicit celebrationem Sacrosancti Missae Sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet altari offerri* veterum Sanctorum Ecclesiae Graecae Patrum praecepto et consuetudine traditum est; proptereaque minime indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham Nobis porrectae, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum et multiplicibus fidelium oblationibus, praedictum Ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus et in Ecclesiis Libani et Anti - Libani plures Missas eodem die super eodem altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas, ac praeterea in Feriis Quadragesimae (quo tempore, exceptis diebus Sabbati et Dominicae, nonnisi Praesanctificatorum Missa in Graecis Ecclesiis celebratur) integrum Sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiae Graecae rubricas omnino servari earumque executionem Sacerdotibus inculcari mandamus, eliminata tamen ab opinione vulgi inepta credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, Sacerdotem utentem indumentis et supellectilibus, quibus alius Sacerdos eodem die usus est, jejunii observantiam infringere.

§. 9. *Permittimus tamen,* juxra decretum latum die 31. Martii 1729 ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, *ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint.* Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, *liceat pluribus Sacerdotibus,* ubi hujusmodi consuetudo viget, *super eodem altari unacum Episcopo vel alio Sacerdote Sacrificium peragente concelebrare,* ita tamen, ut sacris vestibus more celebrantium induti unusquisque totam Liturgiam integre recitet et verba consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent.

§. 10. Hujusmodi autem Sacrificii singuli Sacerdotes *juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare.* Quod si secundae et ulteriores oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; et nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarent, *sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum.* Eorum vero mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, nunquam a Sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adjectionem particularum et commemorationem, quae in panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet: cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

§. 11. Ut autem a Sacerdotibus Graeco-Melchitis in Sacris Mysteriis peragendis una et eadem Caeremoniarum ratio iidemque Ritus serventur et ne aliqua

sensim in iisdem obrepat difformitas, mandavimus typis Congregationis de Propaganda fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiae juxta rubricas remotissima antiquitate firmatas, quod, absoluta editione sacrorum Librorum Ritus Coptici, qui sub praelo sunt, incessanter impleri curabimus.

Die 24. Dec. 1743.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 290. §. 3—11.)

Definitio quorundam articulorum circa Ritus Graecorum.

Innocentius PP. IV. Venerabili Fratri Episcopo Tusculano Apostolicae Sedis legato salutem et apostolicam benedictionem.

Sub catholicae professione fidei atque cultu consistere ac proficere universos caeteris nostrae mentis desiderabilibus praeferentes illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus et ad hoc velut operativum salutis praecipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Haec inquam unio sive connexio cordi nostro inaestimabilis gaudii rorem infunderet, si verias gentium nationes ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunarent. Id utique anxiae nostrae mentis ardorem affluentis laetitiae refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Dominus, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium et custodia communiret. Oh si Orientalibus Oriens ex alto luceret et sui luminis illustratione ipsos ad catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulae collecti gremio de matris Ecclesiae ubere fluente doctrinae salutaris haurirent! Tunc ipsi Ecclesiae proveniret magnum et desiderabile salutare, tunc ejus uterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur supernae illuminationis aurora; tunc eis claresceret Lucifer veritatis; tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo; tunc exultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum et jucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare; tunc eadem Ecclesia multiplicata laetitia novae jucunditatis canticum personaret.

§. 1. Verum quia nonnulli Graecorum jamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus nec velimus.

§. 2. Sane inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosien. et ejus suffraganeos latinos ex parte una et Episcopos graecos regni Cypri ex altera de quibusdam certis articulis discordiam et turbationem fore subortam et eorumdem tenorem articulorum ac responsiones ipsorum Graecorum ad illos nobis, ut melius possemus instrui super eis, plene ac provide per tuas literas intimasti, sollicite requirendo, ut providere super hoc apostolica diligentia curaremus.

§. 3. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem et ipsos articulos ac responsiones easdem et caetera, quae continebantur in illis, una cum fratribus nostris perlegimus et intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes et meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

§. 4. Circa haec itaque sic deliberatio nostra resedit, ut Graeci ejusdem regni *in unctionibus, quae circa*

baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant et observent. Ritus vero seu consuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cum sive fiat sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam, utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim et effectum in utraque baptismum habere asseverare dicantur.

§. 5. *Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos,* quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, spiritum sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis in die Coenae Domini possunt, secundum formam Ecclesiae, chrisma conficere ex balsamo quidem et oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in chrismatis unctione confertur. Et columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum Ritum in hoc Graeci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarcha unacum Archiepiscopis et Episcopis ejus suffraganeis et Archiepiscopi cum suffraganeis suis simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. Nullus autem per Sacerdotes vel confessores pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo inungatur. *Infirmis vero, juxta verbum Jacobi apostoli, unctio exhibeatur extrema.*

§. 6. *Porro in appositione aquae sive frigidae sive calidae vel tepidae in altaris sacrificio* suam si velint consuetudinem Graeci sequantur, dummodo credant et asserant, quod servata canonis forma conficeatur pariter de utraque. *Sed Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam usque ad annum, praetextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent.* Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere ac per quindecim dies et non longiori temporis spatio conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas et efficacia semper eadem omnio remaneat, nec ulla unquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

§. 7. In celebratione vero solemnium et aliarum Missarum *et de hora celebrandi* eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

§. 8. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, *priusquam Officium matutinale compleverint, non praesumant.*

§. 9. *Promovendi vero ad Sacerdotium* et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni et idonei admittantur.

§. 10. Caeterum unusquisque Sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum et nitidum et altare mundis vestimentis opertum vel decentibus paramentis.

§. 11. *Mulieres* autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§. 12. *De jejunio* vero diei Sabbati quadragesimali tempore (quamquam honestius et salubrius Graeci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut

nec unico die institutum jejunium violarent) teneant et servent pro libito morem suum.

§. 13. *Sacerdotes quoque conjugati et alii, quibus parochiarum cura vel ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire* ipsisque poenitentiam injungere pro peccatis, quia cui licet vel conceditur, quod est majus, competit nimirum nec negari convenit, quod est minus. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadjutores et cooperatores habere in audiendis confessionibus et poenitentiis injungendis ac caeteris, quae ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum dioeceses absque Sacerdotum ipsorum praejudicio et gravamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem dioeceses Officium suum exequi per se ipsos.

§. 14. *De fornicatione* autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarius quam adulterus a regno Dei apostolus asserat alienos.

§. 15. Ad haec volumus et expresse praecipimus, *quod Episcopi graeci septem ordines secundum morem Ecclesiae romanae de caetero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel praetermisisse dicantur.* Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.

Datum Laterani die 6. Martii 1254.

(Bull. r. t. III. p. 580. Ed. Aug. Taur.)

9) Graeco-Latinus.

Dignitas „Protopapae" in Ecclesia Collegiata s. Mariae del Grafeo Messanen. ejusdemque libera electio necnon Ritus Graeco-Latini observantia ipsius Ecclesiae Clero in perpetuum asseritur.

Benedictus Papa XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Romana Ecclesia omnium Catholici Orbis Ecclesiarum Mater et Magistra assiduis Pontificiae sollicitudinis Apostolicae caritatis ac supremae auctoritatis studiis sedulam vigilemque in eo potissimum operam posuit, ut omnia et singula Ecclesiarum diversisque in divinorum officiorum et sacrosancti Missae sacrificii celebratione Ritibus, linguis et caeremoniis, per sacros canones et ecclesiasticam disciplinam comprobatis et confirmatis, utentium jura, privilegia, indulta, decora, praerogativa, dignitates, gradus et honores quoad sibi integrum fuisset, tueri, confirmare et adaugere adniteretur. Quam ob rem adeo vetustae antiquitatis et integerrimae traditionis tenax fuit, ut ea, quae in quibusvis Ecclesiis sapienter statuta et sanctissime custodita reperiuntur, non solum inviolabili etiam supremae apostolicae auctoritatis ac firmitatis robore communire studuerit, verum etiam apostolicis mandatis et sub ecclesiasticis censuris ac poenis in posterum servanda mandaverit.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, munus sive dignitas *Protopapae*, cujus auctoritas ac praerogativa plurimi semper in omnibus fere Constantinopolitani Patriarchatus Cathedralibus Ecclesiis habita fuerat, Messanae, quemadmodum in nonnullis aliis civitatibus et dioecesibus reperitur, adhuc extat in Collegiata Ecclesia sub invocatione s. Mariae del Grafeo, inde *Catholica* dicta, quod Ecclesia hujus-

modi, ut asseritur, sub Graecorum imperio in Spiritus Sancti ex Patre Filioque procedentis confessione cum Romana Ecclesia invicem unita permanserit et in eadem Ecclesia semper a tunc temporis Divina Officia et Sacrosanctum Missae Sacrificium graeca quidem lingua sed Latino Romano Ritu celebrantur; nam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in azymo conficitur, sacrae vestes et sacerdotalia indumenta ad instar Latinorum adhibentur et dies festi juxta Calendarium Gregorianum servantur, praeter alia, quae adhuc religioso cultu peraguntur.

§. 2. Hinc est quoad Nos, quibus omnimoda universalis Ecclesiae servitus atque adeo omnium ecclesiarum sollicitudo a pastorum principe Jesu Christo injuncta est, eamdem Ecclesiam in eo bene constituto, quem hactenus egregie servaverunt et de praesenti laudabiliter servant, statu deinceps firmius permanere et constabiliri cupientes motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositorum consilio Dignitatem antedicti *Protopapae* cum omnibus insigniis, praerogativis, privilegiis, facultatibus, jurisdictionibus, juribus, exemptionibus, titulis, honoribus et oneribus, quibus alii *Protopapae* antecessores de jure, usu, consuetudine et indultis, legitime tamen et canonice et de Apostolicae hujus Sanctae Sedis licentia, benignitate et concessione hactenus usi, fruiti et gavisi sunt, tenore praesentium approbamus et confirmamus, necnon volumus et mandamus, ut perpetuis futuris temporibus omnino servetur, quemadmodum a plurimis saeculis servatus est, in eadem Ecclesia s. Mariae del Grafeo Ritus Graeco-Latinus, nimirum divina Officia et Sacrosanctum Missae Sacrificium graeca quidem lingua et idiomate celebrandi, sed cum sacris vestibus et sacerdotalibus indumentis latinis et juxta Calendarium Gregorianum atque in azymo, prout antehac in usu positum et servatum est.

§. 3. Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine paribus volumus et mandamus, ut antiqua consuetudo, cum *Protopapam* hujusmodi viam universae carnis ingredi contigerit, *unum ex coetu et corpore Cleri dictae Ecclesiae dumtaxat* (in quem Clerum deinceps perpetuis futuris temporibus nullum omnino nisi eodem Graeco-Latino Ritu, ut praemittitur, initiatum, cooptari et incorporari pariter volumus et mandamus) *in Protopapam pro tempore existentem ab eodem Clero eligendi et constituendi sanctissime custodiatur;* quamcumque vero electionem *Protopapae* hujusmodi aliter, quam ut praemittitur, factam aut quandocumque faciendam, nunc pro tunc annullamus irritamusque ac nullam irritamque esse et fore, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus declaramus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae seu alias sufficienter aut etiam ullatenus justificatae non fuerint aut ex alia quavis quamtumlibet legitima, pia, juridica et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio seu intentionis nostrae vel quorum-

vis interesse habentium consensus aut alio quovis quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum aut aliud quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas et in eis contenta quaecumque, firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quocirca dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori necnon Ven. Fr. moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Messanensi committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, per se vel per alium seu alios, perpetuis futuris temporibus, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte *Protopapae* et Cleri dictae Ecclesiae pro tempore pariter existentis fuerint requisiti, si opus fuerit, solemniter publicantes et *Protopapae* ac Clero praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra apostolica *Protopapam* et Clerum hujusmodi praemissorum omnium et singulorum commodo, effectu et jure pacifice frui et gaudere, non permittentes *Protopapam* et Clerum hujusmodi desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. 6. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Ecclesiae et nationis Graecorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

Die 18. Mart. 1743.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 266. Ed. Rom.)

10) Indiarum.

De Ritibus, Caeremoniis, Usibus et Consuetudinibus Indiarum Orientalium observandis seu vitandis, permittendis aut abolendis, vd.: *Bullam Bened. XIV.* die 12. Sept. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 231—246. Ed. Luxenbg.).

11) Latinus.

Vd.: *Ritus romanus.*

a) Utrum Laicus graecus ad Ritum latinum transire possit?

Vd.: *Ritus lat.* (Utrum in Ordinatione etc.); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 2. n. 11. 13. etc.; §. 6. n. 11.; Constit.: *Allatae* §. 20. 31.); *SS. Sacram.*

(distrib. — utrum laicus latinus etc. —; distributionis Ritus graecus etc.)

b) Praestantia supra graec. Ritum.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit.: *Etsi pastoralis* t. III. p. 247 n. XIII.)

c) Utrum in Ordinat. ad Ordines major. promovendi Clerici Italo-Graeci, ad Ordines minor. Ritu latino promoti, Ritus graecus vel latinus adhibendus sit?

Vd.: *Ordinatio graecor.; Ritus graecus* (praecipue t. III. p. 253 n. 6. 7. etc.; p. 255 n. 20—22. etc.); *Ritus lat.* (utrum presbyt. graecus etc.)

Rossanen.

Joannes Andreas et Franciscus Antonius fratres Masci graeco Ritu baptizati in Italo-Graecorum Oppido s. Georgii dioec. Rossanensis vigore literarum dimissor. sui Ordinarii fuerunt Ritu latino ad primam clericalem tonsuram et quatuor minores Ordines promoti a latino Episcopo Bisinianensi sine ulla tamen Sedis apost. licentia, pluriesque in susceptis ordinibus ministrarunt. Suspensionem propterea et irregularitatem ab eis incursam fuisse reputans quidam Basilius Chinigo ea praesertim ratione, quod antecessoris Archiepiscopi Rossanensis licentiam transeundi de Graeco ad Latinum Ritum obtinuerint praefati Clerici solum post susceptos ordines, illos detulit hodierno Archiepiscopo atque ostendere nisus est Archipresbyteri loci testimonio, nullam utilitatem, quinimo perturbationes et lites illius oppidi Ecclesiae graecum Ritum profitenti omnino fore allaturos latine promotos. Quare moniti ab Archiepiscopo iidem Clerici obligationem emiserunt se gerendi pro suspensis et irregularibus, donec absolutionem et respective dispensationem impetrassent a S. Sede.

Preces itaque obtulerunt SS. D. Nostro absolutionem et dispensationem postulantes, ut idonei fierent S. Ordinibus suscipiendis eodem Ritu latino. Et cum postulationis ejusdem notionem SSmus delegasset huic S. C., auditus fuit de more Archiepiscopus, qui censet absolutionis et dispensationis beneficio dignos videri Oratores, cum nihil dolo egisse profiteantur, sed circa optatum ab eis ascensum ad majores ordines Ritu latino suam non aperit animi sententiam, narrans solum, quod delator Chinigo nonnullique alii ejusdem oppidi contendunt, decernendum esse oratorum regressum ad graecum Ritum, ut illic duorum Rituum evitetur confusio. Tria idcirco proponuntur dubia, in quibus quaeritur de oratorum absolutione ac dispensatione deque illorum ascensu ad majores ordines sive graeco sive latino Ritu.

Ad absolutionem et dispensationem quod attinet, opportunum videtur inquirere: num revera oratores in suspensionem incurrerint propter ordines susceptos a latino Episcopo et num exercendo minores ordines sub suspensione irregularitatem contraxerint, ut autumat Archiepiscopus fretus Constit. s. m. Bened. XIV. edita pro ritibus Italo-Graecorum, quae incipit: *Etsi pastoralis.* Sane oratores, qui baptizati fuerunt graeco Ritu, inter Graecos connumerandi sunt „cum per baptismum fiat suscepti Ritus graeci vel latini professio, ita ut ad latinum Ritum spectent, qui latinis caeremoniis baptizati fuerint, qui vero Ritu graeco Sacramentum baptismi susceperint, in Graecorum numero sint habendi" ut legitur in eadem Const. §. 2. n. 11.

Verum transitus a graeco ad latinum Ritum *solis Ecclesiasticis interdicitur* absque expressa Sedis Ap. licentia, *Laicis vero, ut ad Ritum latinum transire possint, Episcopus dioec. pro sua*

prudentia permittere valet, juxta censuram dictae Const. §. 2. n. 14., cum qua concordat epistola encyclica ejusdem SS. Pont.: *Allatae sunt etc.**), ibi: „Quamvis autem aequum videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Ritu graeco ad latinum, cum ipsi inter nos versentur et latino Episcopo subjiciantur, tamen constitutum est, ut Sedis apost. auctoritas omnino requiratur, si *de Ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus agatur*, si vero Laici et Saeculares transitum hujusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas et legitimas causas certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, *nunquam vero integrae universitati*."

Sed hodiernus Archiepiscopus in transmissa relatione disserit solam Ordinarii veniam minime sufficere, ut Laici Italo-Graeci ascendere valeant ad Ordines latino Ritu animo latine vivendi, putans supra relata verba Constitutionis Benedicti XIV. intelligenda esse de Laicis Italo-Graecis, qui velint ad latinum Ritum transire, ut perseverantes in statu laicali latinas sequantur caeremonias, non autem de iis, qui statum ecclesiasticum suscepturi sunt, pro quibus Sedis apost. licentiam necessariam esse opinatur juxta verba dictae Constit. §. 7. n. 20., ubi sic legitur: „Ut in Ordinibus conferendis quaelibet Rituum confusio et commixtio penitus tollatur et unius Ritus Antistes alterius Ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a Divinis poena prohibemus, ne latinus quicunque Episcopus etiam subjectos suae jurisdictioni Graecos neque graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu sine speciali Sedis apost. licentia ad primam tonsuram vel ullum Ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat, alioquin tam Ordinans quam Ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant."

Perpendendum tamen est: num potius hic loquatur SS. Pontifex de iis Graecis vel Latinis, qui Ordines suscipiunt ab alterius Ritus Antistite cum animo retinendi suum pristinum Ritum, non autem animo ad novum Ritum transeundi. Ratio dubitandi exinde oritur, quod Graeci post transitum ad latinum Ritum eis permissum de licentia Episcopi non amplius Graeci videntur sed Latini. Praeterea in iis, qui latinum institutum suscepturi sunt, dum latine ordinantur, non videtur adesse illa Rituum confusio et commixtio, quam voluit SS. Pontifex auferre. Atque demum nimiam involveret duritiem hujus prohibitionis extensio ad Graecos legitime amplectentes Ritum latinum de licentia Ordinarii, quia hoc pacto perpetuo arcerentur ab Ordinibus, quos nec latine juxta sensum Archiepiscopi nec graece suscipere possint, cum latinus Ritus a Graecis semel assumptus absque apost. dispensatione deseri nequeat, ut cavetur in dicta Constitut. §. 12. n. 13.

Interpretatio autem hujusmodi, quod in dicto n. 20. SS. Pontifex loquatur de Graecis et Latinis ordinatis ab alterius Ritus Antistite cum animo tamen retinendi suum pristinum Ritum, suaderi etiam videtur a sequentibus ejusdem Constit. numeris. Nam sub n. 21. decernitur, prohibitionem antecedentis n. 20. ad Latinos maxime extendi, qui castitatem profiteri nolentes juxta *Ritum graecum Ordines suscipiunt sub spe retinendi Uxores;* quae quidem specialis extensio ad Latinos cupientes graecum institutum suscipere innuere videtur in praecedenti numero locutum

*) Vd. hanc encyclicam sub art.: *Ritus graec.* p. 213 t. III.

fuisse non de transeuntibus ad novum institutum, sed de Latinis et Graecis retinentibus proprium antiquum Ritum. Et sub num. 22. dispensatur cum iis Italo-Graecis, qui usque ad diem editae Constitutionis *ab Episcopis latinis bona fide et absque dispensatione apost. ad clericalem tonsuram vel minores seu majores Ordines sunt promoti*, **cum animo tamen proprium graecum Ritum retinendi.** Ex his enim videtur conjici posse, poenam suspensionis in antecedenti n. 20. indictam fuisse contra ejus generis personas, cujus sunt illae in hoc posteriori numero ratione temporis exceptae, quae scilicet ordinantur ab alterius Ritus Antistite, *cum animo tamen proprium graecum Ritum retinendi.*

De hujus etiam generis personis videtur loqui SS. Pontifex sub n. 23. et 24., ubi dirimere voluit quaestiones non definitas in antecedenti n. 20.; ibi enim decreverat, necessariam esse licentiam S. Sedis, ut latinus Episcopus aliquem ordinem conferat Italo-Graecis indicta transgressoribus poena perpetuae suspensionis, sed nihil praescripsit de Ritu retinendo ab hujusmodi promotis deque ratione illorum ascensus ad majores Ordines. Hic autem declarat, quod, si latinus Episcopus Ordines contulerit Italo-Graecis cum dispensatione apost., *ita ut Ordinati ab illo in suo graeco Ritu ministrare debeant*, possit illis permittere ascensum ad reliquos Ordines Ritu graeco absque alia dispensatione apost.; sin vero in prima ordinatione non praecesserit dipensatio apostolica, illicita judicatur ordinatio tamquam contraria huic Constitutioni, *et graeci Clerici hujusmodi sic latino Ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apost. dispensatione* solumque poterit Episcopus illum a se ordinatum, si eum idoneum judicaverit, *post obtentam absolutionem a suspensione vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino Praesule ordinari facere.* Cum autem hic loquatur de Italo-Graecis, qui ordinantur a latino Episcopo, ita *ut in suo graeco Ritu ministrare debeant,* et quoad eos declaretur necessaria absolutio a suspensione, quando ordinantur a latino Episcopo sine licentia apost. Sedis, aliud hinc oritur argumentum, quod in supradicto n. 20., ubi eadem suspensionis poena indicitur, locutum fuerit de iis, qui Ritum graecum velint retinere.

Denique sub n. 25., ubi agitur de Italo-Graecis promotis Ritu latino et latine viventibus, istorum respectu magis necessaria declaratur apostolica dispensatio pro reditu ad Ritum graecum, non autem pro ascensu ad ordines majores Ritu latino, ibi: „Ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispensatione non indigent"; immo quoad eosdem latine viventes nec etiam enunciatur necessaria absolutio a suspensione, requisita caeteroquin in antecedenti n. 24. quoad Graecos latine ordinatos cum retentione graeci Ritus. Id autem non obscure innuere videtur poenam suspensionis indictam n. 20. non afficere Graecos latine ordinatos animo amplectendi Ritum latinum. Favent etiam huic interpretationi ea, quae sancita sunt §. 9. n. 13. his verbis: „Conservationi Rituum graecorum intenti neque expedire ducimus neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii juxta Ritum latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-Graecum Dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi latino Ritu ipse ministrans praesit." Specialis haec prohibitio Graecum ordinandi juxta Ritum latinum ad hoc ut Graecorum parochus efficiatur illorumque curam gerat Ritu latino, ostendere

videtur, haud prohibitam censeri in aliis casibus Graeci ad Ritum latinum admissi ordinationem juxta Ritum latinum.

Sed hac etiam retenta interpretatione adhuc inquirendum esset: num Oratores latine susceperint Ordines animo transeundi ad Ritum latinum, de quo nihil enunciatur in relatione Archiepiscopi, et num literae dimissoriales proprii Ordinarii, quarum vigore fuerunt latine ordinati, secumferant eam Episcopi dioeces. licentiam, quam pro transitu laicorum de Ritu graeco ad latinum requirit Constitutio Benedictina. Et ubi etiam literae dimissoriales praedictae non secumferrent idoneam licentiam, perpendendum insuper esset: num Oratores ob hujusmodi licentiae omissionem incurrerint suspensionem, quae indicta minime legitur in dicta Constitutione pro simplici transitu ad Ritum latinum sine licentia Ordinarii.

Quodsi Oratores his non obstantibus videri poterunt in suspensionem incurrisse propter ordines susceptos a latino Episcopo, ulterius disserendum erit de contracta ab illis irregularitate propter exercitium susceptorum Ordinum.

Archiepiscopus in transmissa relatione repetit Oratorum irregularitatem a Constitutione Benedictina §. 7. n. 15., sed indicati textus censura ad rem pertinere non videtur, cum ibi agatur de irregularitate contracta non per exercitium Ordinis post incursam suspensionem sed per ipsam minorum Ordinum collationem obtentam a schismatico Episcopo. Propius ad rem accedit dicta Constitutio in eodem §. 7. n. 9 et 10. decernens quoad Italo-Graecos, quod, *si suspensi in s. Ordinibus ministraverint, efficiantur irregulares sicut et Latini. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultas a S. Sede ap. obtinere oporteat;* nam Clerici etiam in minoribus Ordinibus constituti irregulares efficiuntur, quoties suspensione devincti exercent solemniter actum proprium et peculiarem sui ordinis minoris. *Navarr.* in manual. c. 27. n. 163.; *Barbosa* de Off. et Potest. Ep. part. 2. alleg. 8. n. 10.

Quatenus vero suspensionis et irregularitatis obstaculum vel non subsistere videatur vel removeri contingat beneficio absolutionis et dispensationis, expeditus patebit oratoribus ascensus ad majores ordines Ritu latino absque ope alterius dispensationis; nam si ordinatio eorumdem illicita apparuerit, nihilominus *graeci Clerici hujusmodi sic latino Ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apost. dispensatione,* ut sancivit s. m. Benedictus XIV. in dicta Constitut. §. 7. n. 24., decernens praeterea, „quod neque latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit, graecum Clericum a se, ut praemittitur, latino Ritu in minoribus Ordinibus constitutum cum literis dimissorialibus ad graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad s. Ordines graece promoveatur sine dispensatione ap., sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione vel ipse Ritu latino ordinare vel ab alio latino Praesule ordinari facere; a Ritu enim latino ad graecum, ut praediximus, nec redire nec transire fas est absque dispensatione apost.“

Si vero licite ordinati visi fuerint, eo minus illis patebit reditus ad Ritum graecum, „nam latinus Ritus semel assumptus absque speciali Sedis apost. dispensatione deferre nequit. Ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad Ritum graecum redeant, indigent ap. dispensatione; ut vero ad majores ordines Ritu latino ascendant, dispen-

satione non indigent.“ *Verba sunt dictae Constitutionis.*

Perpendant ergo EE. PP.: num dispensationem pro reditu ad Ritum graecum, quam Oratores non postulant et non optare profitentur, indulgere expediat ratione vitandi confusionem Rituum in Ecclesia oppidi s. Georgii, ubi graece solum vivitur, juxta relationem Archiepiscopi, qui videtur etiam innuere, quod Oratores alias inutiles forent illi Ecclesiae. Sed ad vitandum hujusmodi absurdum poterit ipse Archiepiscopus profidere auctoritate sua ordinaria, „cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis“, ut praescribit S. C. Trid. sess. 23. cap. 16. de Ref.

Caeterum permixtionis Rituum prohibitio eo potissimum respicere videtur, quod Graeci latine ordinati vel non ministrent, ut declarat s. m. Benedictus XIV. in dicta Constitutione: *Allatae etc.* Et licet Graeci in suis Ecclesiis regulariter habeant unum altare, in quo unica celebratur missa quolibet die, ita ut alii Sacerdotes vel concelebrent vel Sacrum agant in Oratoriis Ecclesiae contiguis, ut narratur in dicta Constitut. n. 37 et 39., attamen alicubi et praecipue in Ecclesiis Italo-Graecorum permissa est plurium altarium constructio, ut in eis celebrare valeant tum graeci tum latini Presbyteri, ut sancitur in Constit. Benedictina §. 6. n. 8 et 9. et concordat Encyclica *Allatae* n. 40., in qua insuper declaratur n. 33. vetitam Rituum commixtionem non induci ex eo tantum, quod Graeci in Ecclesiis Latinorum vel Latini in Graecorum Ecclesiis missam celebrent vel alias caeremonias cum populo sui Ritus exerceant, licet provide ad occurrendum dissidiis et consulendum Italo-Graecorum quieti in saepecitata Constitut. §. 9. n. 15. caveatur: „Caeterum ad tollendam omnem Rituum commixtionem et confusionem Presbyteri et Clerici latini in Ecclesiis Graecorum neque missas celebrare neque funeribus, nuptiis ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant;“ atque inde colligi poterit: non utiles possint in oppido s. Georgii Oratores ordinati latino Ritu, quoties ibi unica adsit Ecclesia Ritus graeci; qua de causa noluit S. C. transitum ad Ritum latinum permittere alteri ejusdem oppidi Presbytero in *Rossanen.* *) *diei 14. Decbr. 1737 et 11. Jan. 1738.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

1. An Clerici Joan. Andreas et Franc. Antonius Italo-Graeci baptyzati Ritu graeco sed ad primam tonsuram et quatuor minores ordines cum literis dimissor. Ordinarii sine tamen dispensatione apost. Ritu latino promoti absolvendi sint ab incursa suspensione ac dispensandi super irregularitate? Et quatenus affirmative;

2. An iidem Clerici licite ad reliquos majores ordines eodem Ritu latino promoveri possint sive potius redire debeant ad Ritum graecum?

3. An consulendum sit SSmo pro apost. dispensatione, ut uno vel altero Ritu ad eosdem majores ordines promoveantur?

S. C. C. resp.: Dilata et scribatur Archiepiscopo juxta mentem.

Die 14. Maii et 14. Junii 1763.

Continuatio ejusdem causae.

Literae itaque ad Archiepiscopum datae sunt, ut referret: num ii, dum Ordines susceperunt, declaraverint, animum suum seu voluntatem habue-

---

*) Vd.: *Ritus latin.* (Utrum Presb. graecus ad ritum etc. — decr. *Rossanen.*)

rint transeundi ad latinum Ritum seu potius remanendi in suo graeco Ritu et quid ea de re exprimatur in dimissoriis illorum favore concessis tum pro tonsura tum pro reliquis ordinibus minoribus, ac insuper, cui Ecclesiae adscripti fuerint vigore S. Conc. Trid., et quo titulo fuerint ordinati quove Ritu in susceptis ordinibus ministraverint? Pervenerunt jam Archiepiscopi responsiones.

Refert I.: „Se pro explorato habere Clericos ipsos in actu petitionis susceptionisque memoratae tonsurae et reliquorum ordinum minorum aliam profecto voluntatem non habuisse nisi transeundi ad latinum Ritum; id patere ex ipso primo libello fratrum et ex eorum vita postmodum acta."

II.: „Nihil in dimissoriis ab Antecessore illorum favore concessis tum pro tonsura tum pro ordinibus minoribus expressum fuisse de transitu eorundem a Ritu graeco ad latinum, cum datae fuerint dimissoriae typis editae, quibus uti consuevit pro ordinationibus latinorum Dioecesanorum."

III.: „Adscriptos fuisse servitio Archipresb. Ecclesiae oppidi s. Georgii, ubi non graece solum vivitur, quod in prima relatione non dixerat. Addit in eadem Ecclesia altare distinctum pro Latinis esse, ibi S. Ciborium cum azymis de mandato S. Congregationis de prop. fide asservari, adesse Presbyterum latinum oppidanum, qui Latinis ministrat."

IV.: „Ordinatos fuisse titulo patrimonii ob utilitatem Ecclesiae. Aitque revera utiles ac necessarios Ecclesiae eidem, in qua unus tantum Presbyter latinus sexagenarius est, ac nemo apparet ex oppidanis, qui hoc Ritu promoveri cupiat."

V.: „Ritu latino ministrasse et licet ministraverint etiam Archipresbytero s. Georgii Ritu graeco celebranti, id tamen ex commissione potius quam ex Officio gessisse profitentur in defectum scilicet aliorum Ritus graeci."

Laudat juvenes de optima spe, de doctrina, de molestia atque uti ecclesiastico spiritu praeditos. Adjicit denique, quod quacunque sua de praeteritis ratihabitione nunc opus sit, ipse omnia rata habet.

Re in hunc modum digesta praeter alia, quae jam antea dicebantur, unice modo inquirendum superesset: an, postquam fratres Masci preces Episcopo obtulerant, quibus declaraverant se velle ad Ritum latinum transire, si Episcopus pro eisdem literas dimissorias ad latinum Episcopum dedit, dicendum sit facto ipso Episcopum eam licentiam concessisse, quam Constitutio Benedictina requirit.

Proponuntur dubia ut supra.

S. C. resp. ad I.: Non indigere;

ad II.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;

ad III.: Provisum in primo.

Die 17. Dec. 1763 et 14. Jan. 1764.

d) Utrum Presbyter graecus ad Ritum latinum possit transire et celebrare et viceversa?

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (§. XXIV.); *Ritus latinus* (utrum Presb. latinus etc.); *Missa* (Ritus); *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 6. X., §. 7. XX — XXIV. etc., §. 9. XIII. etc.; Constit.: *Allatae* §. 20. 31. etc.); *Presbyteri latini et graeci*; *Ritus lat.* (utrum in Ordinat. etc.).

(Conc. Tr. can. 13. de Sacram. sess. 7.; cap. 5. sess. 22.; cap. 9. sess. 14. de Ref.)

Rossanen.

Sacerdos Belvederius Arcundizza Albanensis Italo-Graecus, cujus natale solum est oppidum s. Georgii intra Rossanensis dioeceseos confinia existens, tametsi omnibus ordinibus fuerit graeco Ritu inauguratus servitioque archipresbyteralis Ecclesiae d. oppidi, ubi Ritus graecus observatur, ad-

scriptus, Neapoli primum deindeque in hac alma urbe aliquot mensium spatio missam latino Ritu celebravit, posthabita consultissima lege a s. Pio V. praescripta in Constitut. incipiente: „Providentia" hisce verbis: „Sane cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam graeci quam latini antiquum S. R. E. Ritum tam in celebratione missarum quam aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes diversas licentias et facultates missas et alia divina officia Graeci latino more ac Latini graeco Ritu celebrandi ab apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majore Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt illisque jampridem utuntur, hoc ab antiquo catholicae Ecclesiae instituto sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare et submovere volentes omnes et singulas licentias et facultates hujusmodi hactenus etiam motu proprio vel quorumvis etiam imperatorum, regum et aliorum principum contemplatione, et ex quibusvis causis quomodolibet concessas ac apostolicas et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores sufficienter expressis habentes, apostolica auctoritate ex certa scientia hac praesenti nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, quibusvis Presbyteris tam graecis quam latinis in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae ac perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes, ne deinceps Presbyteri graeci praecipue uxorati latino more et latini graeco Ritu hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant."

At conscientiae stimulis postmodum vexatus supplicem sanctissimo Domino nostro porrexit libellum, quo exponens, se tam Neapoli quam in Urbe missam latino Ritu celebrasse, tum quia commoditatem ministri et librorum, quibus missam graeco Ritu celebraret, nequivisset reperire, tum etiam quia celebrando missam Ritu graeco ejus stipendium, quo sustentaretur, a nemine recepisset, postulavit absolvi a suspensione a divinis ex vi memoratae Constitutionis incursa et respective dispensari ab irregularitate ob praefatam missae celebrationem subinde contracta, cumque a sacro poenitentiariae tribunali, ad quod Sanctitas sua ejus preces cum facultatibus necessariis et opportunis remiserat, exaudiri obtinuerit, in altero posthac ad eumdem summum Pontificem dato libello supplex petiit facultatem celebrandi missam etiam in posterum latino Ritu saltem in Urbe et Neapoli, ubi alias sub eodem Ritu, uti praemissum est, Sacrum peregit. Ejus autem precibus ad supremum hunc senatum remissis hodie discutiendum proponitur dubium, quod infra describetur.

Petitionem suam hisce rationum momentis satagit Orator communire: primo, quod licet ipse Sacerdos sit Ritu graeco inauguratus, ex parentibus tamen italis ortum duxit neque conjugatus reperitur sed celebs, adeo ut nemini admirationem paritura sit ipsius celebratio in Ritu latino, quemadmodum forte contingeret, si ageretur de Graeco in Oriente una cum idiomate ac moribus exteris natalia sortito; secundo, quod Ritus latinus, quem ipse jam bene callet, sit graeco perfectior, ideoque decentius sibi sit illum persequi quam ad graecum reverti; tertio, quod cum statuerit domicilium in Urbe figere, nonnisi latino Ritu missam potest ibi commode celebrare atque pro ea eleemosynam congruae vitae suae sustentationi necessariam reperire, et demum nonnulla

exempla, quae sibi plurimum suffragari arbitratur, hisce verbis recenset: „Il sommo Pontifice Paolo V. nell' 1611 permise il passagio dal rito greco a quel de' Latini a Nicolo Modafaro sacerdote greco da Reggio in Calabria, come riferiscono Leone Alazio de consensu utriusque Ecclesiae *lib. 3. cap. 7. n. 8.*, *Ughell. Ital. de episc.* Borae novissimae editionis in additionibus; Alessandro VII. un tal passaggio permise anche egli al sacerdote Agazzeita Evangelista Orientale; Clemente IX. similmente permiselo a Beccuso greco-orientale; Clemente X. permise solto li 2. Aprile 1677 un tal passaggio al sacerdote greco-orientale Francesco Scaffi, come apparisce nel registro della segretaria de' brevi; Clemente XI. finalmente permise un tal passagio al sacerdote Samuele Rodalà oggi arcivescovo di Beria, come ancora a Gabriele de Marchis su Vescovo di Sora.

Transitum e Ritu graeco ad latinum veluti perfectiorem facilius permitti, difficilius vero e latino ad graecum satis compertum est et colligitur ex resolutione hujus S. C. edita in una *Messanen.* „transitus ad Ritum graecum" 23. Junii 1708. Praeterea communiter receptum habetur, Presbyteros graecos, qui relicto suo Ritu latinum amplexi sunt, prohibendos esse, ne ad illum revertantur, sed per censuras quoque compellendos, ut latinum Ritum semel assumptum retineant serventque, uti pluries rescripsit supremum hoc tribunal et signanter in *Meliten.* mense Februarii 1590, lib. 6. decr. p. 109, in *Montis Regalis* 10. Julii 1671 ad II., III. et IV. dub., lib. 57. decr. p. 139. Quod tamen procedit, quoties ille e graeco ad latinum Ritum legitime ac necessariis facultatibus instructi transierint.

At in praesenti themate ponderandum est, num expediat petitum transitum ad latinum Ritum indulgere oratori, cujus indolem, mores et gesta Archiepiscopus Rossanensis jussus a S. C. super ejus precibus referre in haec verba rescribit: „Nonnullis abhinc annis, dum in carceribus tum ob grave aes alienum, tum ob nonnulla crimina detineretur, violenter fracto carcere aufugiens in patriam, ibi ad Ecclesiam, ut immunitate frueretur, se contulit, verumtamen confugio abutens frequenter armis igneis munitus ac sociis aeque armatis stipatus a loco immuni prodiens temere venationem clamorosam (ud dicunt) exercebat. Cumque archiepiscopalis curiae ministri armis minisque territi illum capere non auderent, statuit a S. C. immunitatis ecclesiasticae exorare, ut illum ab Ecclesia extrahendi atque in carcere nomine ipsiusmet Congregationis detinendi facultatem facere dignaretur; id ut ad notitiam istius pervenit, statim a dioecesi discessit, at Neapolim appulsus, cum sine literis testimonialibus seu dimissoriis licentiam peragendi sacrum in locis publicis consequi non valeret, in oratorio privato cujusdam nobilis foeminae Missam celebrare et, quod pejus est, latino Ritu non dubitavit. De quibus a teste omni exceptione majori monitus Vicarium generalem archiepiscopalis curiae Neapolis certiorem facere non neglexi; Post haec audivi alibi ipsum vagatum fuisse, ac tandem petiisse Romam, ubi quid egerit ac quomodo se gesserit me latet. Id unum scio, quod scilicet semel atque iterum literas S. C. supremae inquisitionis accepi, quibus mihi eminentissimi Patres imperabant, ut super expositis in supplici libello ejusdem Sacerdotis Belvederii Arcondizza supplicantis pro transitu a Ritu graeco ad latinum sac. illud tribunal instructum redderem, quod obtemperans humiliter praestiti, eadem prorsus, quae hic praemisi, de origine ac moribus oratoris fideliter enarrans"; —

deinde vero ita subjungit: „Ad haec non mihi licet silentio praeterire, patriam oratoris, in qua, ut jam dixi, Ritus graecus omnino exercetur, extrema laborat penuria sacrorum ministrorum, quippe quia unus tantummodo Sacerdos, qui Archipresbyter existit, non satis valet populo mille et ultra incolarum Sacramenta ministrare, in mortis articulo praesto esse atque Ecclesiae sacras functiones exercere, praecipue cum frequenter aegritudine detineatur. Neque tenues paroeciae redditus sinunt exterum graeci Ritus Sacerdotem pro eo coadjuvando in cura animarum advocare; id etenim pluries expertus sum atque ex aliis Albanensium pagis allicere Sacerdotem aliquem graecum Ritum servantem statuta mercede curavi, at post brevem moram abscessit, quo convenerat, salario non contentus", — et tandem relationem praedictam hisce verbis absolvit: „His stantibus, an expediat oratori unico, praeter Archipresbyterum illius oppidi, graeci Ritus Presbytero ad latinum ut transeat suaeque patriae Ecclesiae inservire non valeat, viam aperire, EE. VV. qua praediti sunt sapientia atque prudentia erit, definire.

His itaque ponderatis rescribendum erit:

An transitus e Ritu graeco ad latinum sit permittendus in casu?

S. C. nihil respondit.

Die 14. Dec. 1737.

Continuatio ejusdem causae.

Quia vero circa preces Belvederii Arcondizza Sacerdotis Italo - Graeci supplicantis pro transitu ad Ritum latinum, de cujus permissione tunc potissima quaestio debuisset institui, graviores quaedam circumstantiae interea temporis peculiarius innotuere, ad aptiorem ineundam deliberationem in causa necesse est, ut Eminentiis VV. patefiat, dictum Presbyterum per quatuor vices eumdem transitum a S. C. s. Officii pridem efflagitasse ejusque petitionem fuisse semper rejectam, adjectis quoque nonnullis animadversionibus, quas Eminentissimi Generales Inquisitores rati sunt opportunas, ne forte Missam ille latino Ritu temere celebraturus ejusdem generis piacula, quae dudum patraverat, praesumeret iterum attentare; deinde vero ipsum oratorem, ut gratiam, quam nequiverat a supremo sacrae inquisitionis tribunali obtinere, a sanctissimo Domino nostro subriperet, supplicem eidem Pontifici porrexisse libellum, quo praemissam rerum gestarum seriem penitus reticens, Sanctitatem suam in haec verba exoravit: „Che si degni ordinare, come deve contenersi l'oratore in avvenire, poichè avendo celebrato in Rito latino, e veduto da tutti publicamente, portarebbe un gran' assurdo, reassumendo il greco anche contro la comune opinione de' teologi, li quali espressamente proibiscono una tal reassunzione; onde nuovamente ne supplica la Santità vostra, che si degni accordarli la facoltà di celebrare in detto rito latino saltem per Urbem et per civitatem Neapolis, dove è stato veduto per non rendere scandalo al populo, che lo conosce." „Iste autem est libellus, quem SSmus Dominus noster ad hanc S. C. expendendum remisit, quoque huc delato, Sacerdos orator gratiam optati transitus implorare sategit.

His itaque retentis fas est ob oculos habere decretum s. m. Innocentii XII. in parvo ejus bullario p. 222 registratum, quo expresse interdicitur, ne ullus imposterum, postquam praeces sive supplices libellos in materia gratiae vel justitiae alicui ex sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulit seu praesentavit, itaut ipsa S. C.

mediante praefata praesentatione precum praeventa manus quomodocunque desuper apposuerit, queat „ullo modo idem negotium, causam vel petitionem ad alteram ex sacris congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis suae (quod in hoc casu importune et subreptitie Sanctitas sua censeri voluit extortum), sub quovis praetextu, causa vel quaesito colore etiam simplicitatis et ignorantiae deferre vel alias primam Congregationem sponte a principio aditam declinare" —, ac praeter indictam nullitatem rescriptorum et decretorum, quae a secunda vel ab altera Congregatione extorqueri contigerit, ad compescendam similium impetratorum calliditatem sancitur „quod tam iidem oratores ac partes principales quam illorum illarumque procuratores, sollicitatores, agentes aut expeditores quicunque, quive adversus hujusmodi decretum attentaverint, non solum puniri valeant, etiam poena carceris vel altera arbitrio alterutrius Congregationis, mediante organo Secretarii pro tempore, facto tamen verbo in ipsa Congregatione, sed ulterius quod procuratores, sollicitatores, agentes et expeditores hujusmodi, ubi ipsi sint, qui ignara parte seu principali attentaverint, omnino teneantur ad refectionem omnium expensarum atque damnorum, quas vel quae personas principales hac de causa pati contigeret vel contigisset atque ad id summarie per eumdem Secretarium, facto tamen, ut supra, verbo in ipsa Congregatione, opportunis juris et facti remediis compelli possint et valeant"; inde enim poterunt EE. PP. sapientissime de more statuere, num quidquam sit in hoc negotio decernendum vel praestet magis, rem totam ad supremum sacrae Inquisitionis tribunal deferri, cum de cetero juxta instantiam ab oratore promotam disputandum foret:

An transitus e Ritu graeco ad latinum sit permittendus in casu?

S. C. C. resp.: Non proposita et ad Emum Urbis Vicarium juxta mentem.

Die 11. Jan. 1738.

Anconitana seu Urbis.

Athanasius Savarus Presbyter Ritu graeco ordinatus a SSmo D. N. licentiam petiit ingrediendi religionem Fratrum Capuccinorum et celebrandi Missam Ritu latino et cum ex ejusdem SSmi D. N. Dataria hujusmodi supplicatio ad S. R. C. remissa fuerit, eadem S. R. C. censuit licentiam petitam a dicto Athanasio Presbytero graeco celebrandi Ritu latino posse concedi post ingressum religionis et emissionem professionis et ita declaravit.

Die 16. Oct. 1604.

(Anal. J. P. p. 37 n. 134.)

Ordinis s. Basilii.

Placidus Sonna Sacerdos Professus Ordinis s. Basilii Ritus Italo-Graeci, s. Theologiae Magister ac Prior Monasterii Turris in provincia Calabriae, pro gerendis ipsius Monasterii vel propriis aliisque etiam negotiis, non raro, urgentibus de causis, a Monasterio abesse cogitur et ad alia loca se transferre, ubi vel nulla adest sui Ordinis suique Ritus Ecclesia vel haec non parum distat a sua habitatione vel deest Missale graecum aut Minister, qui altaris sacrificio Ritu graeco peragendo valeat inservire. Hinc ne toto temporis spatio, quo a Monasterio abest, a perficiendo Sacro abstineat, preces obtulit Sanctissimo pro facultate celebrandi Missam iis in locis ac circumstantiis Ritu latino. Precibus ad S. R. C. primum remissis deindeque Sac. huic Congr. ablegatis discutiendum proponitur: an petita facul-

tas concedi valeat. Qua quidem super re, ne meo muneri deesse videor, sequentia ex Officio adnotanda duxi.

Ignotum plane non est, Ecclesiam facilem olim sese praebuisse in impertienda facultate, ut Sacerdotes Latini-Graeco Ritu et vicissim Sacerdotes Graeci-Latino Ritu Divinis Mysteriis operarentur pluribusque allatis exemplis, rem hanc multiplici, qua solet, eruditione prae caeteris conficit Christianus Lupus tom. 4. Oper. in dissert. de s. Leonis IX. actis cap. 14. pag. mihi 384 et 349. Verum, quae subinde exarserunt Latinos inter Graecosque dissidia, praesertim post iniquum Michaelis Caerularii schisma, in causa fuerunt, ut Ecclesia a pristina facilitate atque indulgentia omnino recederet et severissime prohiberet quominus ulla fieret a Latinis Graecisque Sacerdotibus suorum Rituum immutatio. Id autem dissertissimis verbis decrevit Pontifex Eugenius IV. in Constitut.: *Laetentur*, edita in Concilio Generali Florentino anno 1439, in qua Graecae Ecclesiae cum Latina unio refertur pluresque describuntur articuli, in quibus Graeci a Latinis dissidebant; et praecipue statuitur „Sacerdotes in alterutro (in azymo sive fermentato) ipsum Domini Corpus conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.“ Eoque spectare videtur illud Conc. Tridentini decretum *sess.* 22. *cap.* 8., quo praecipitur, ut in celebratione „Missae retineatur ubique cujuscumque Ecclesiae antiquus et a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra probatus Ritus.“

Haec tamen etsi perspicua essent, retrahere nihilominus nonnullos non valuerunt a permutando suarum Ecclesiam Ritu, praetextu facultatum, quas ab Apost. Sede vel ab ejus Legatis, aut a majori Poenitentiario sibi concessas authumarunt Missamque idcirco caeteraque Divina Officia modo Graeco modo autem Latino Ritu celebrarunt. Hujusmodi abusus, ut radicitus evelleret s. Pius V. Constitut. incipien.: *Providentia* die 20. Aug. 1566 ita mandavit (vd. *p. 311*): „Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam Graeci quam Latini antiquum Sanctae Romanae Ecclesiae Ritum tam in celebratione Missarum quam aliorum Divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias et facultates, Missas et alia Divina Officia Graeci-Latino more, ac Latini Graeco Ritu celebrandi ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario variis praetextibus impetrarint illisque jampridem utantur, hoc ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto Sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare volentes omnes hujusmodi licentias et facultates revocamus et cassamus: „Quibusvis Presbyteris tam Graecis quam Latinis in virtute Sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri graeci, praecipue Uxorati, latino more et latini Graeco Ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio praetextu, Missas et alia Divina Officia celebrare aut celebrari facere praesumant.“

Itemque Gregorius XIII. Orthodoxae Fidei professioni, quam a Graecis Romanae Ecclesiae unitati restitutis praestari jussit, hunc articulum inseri praecepit „Credo in azymo sive fermentato pane tritico Corpus Christi veraciter confici Sacerdotesque in alterutro ipsum conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentatis sive Orientalis Ritum.“

Verum hisce non obstantibus non defuerunt quamplures auctores, quos inter *Diana* resolut. 99. Miscell., *Nardus* verb.: Sacerdos n. 4., *Macedo*

de clavib. Petri lib. 4. cap. 5., *Enzo* de Eucharist. quaest. 2. conclus. 2., *Sylvius* in 3. par. s. Thom. quaest. 74. art. 57. aliique apud Verricellium de apost. Mission. tit. 8. quaest. 188., qui distinctionem excogitantes Graecos inter in Graecia commorantes aliosque peregrinantes aut degentes apud Latinos, ubi non sunt proprii Ritus Ecclesiae, fas istis esse existimarunt sese conformare Ecclesiae, sub qua versantur Latinoque Ritu Sacra conficere. Hanc opinionem tueri posse putarunt egregia illa Augustini sententia lib. 1., seu Epist. 54. alias 118. ad inquisitiones Januari n. 6., quae est hujusmodi: „Faciat ergo quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit; Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc vel inde meliores.“ Verum Augustini sonsilium respicit consuetudines illas legesque, quae a loco pendent quibusque conformare se debet quicumque in loco, ubi illae vigent, commoratur. At lex de retinendo suae Ecclesiae Ritu personas afficit, quae cum susceperint baptismum aut Ordines, ex Ecclesiae lege adstricti sunt ad perseverandum in proprio Ritu servandumque propriae Ecclesiae consuetudinem, ut observat auctor additionum ad *Ferraris* Bibliothec. Canon. verb: Eucharistia §. 1.

Animadverti etiam potest cum *Ghignoli* in praelect. Theolog. par. 3. de Euchar. quaest. 3. prop. 4. n. 5., quod alibi idem Sanctus Doctor dixerit: „Roma rescripta venerunt, causa finita est.“ Continentur autem hujusmodi rescripta in citato Concilii Florentini decreto atque in praelaudatis Summorum Pontificum Constitutionibus, quibus absque ulla distinctione unicuique praecipitur Ecclesiae suam consuetudinem observare, a qua proinde nemini licet ulla in causa recedere.

Disciplinam hanc modis omnibus servari jussit san. mem. Benedictus XIV., qui in sua Constitutione: *Etsi Pastoralis*, quae tota est de dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tuendis tom. 1. Bullar. §. 6. n. 10. haec statuit*): „Districtius inhibemus etiam sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum, Missas et alia Divina Officia, Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu celebrandi, ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu Missas et alia Divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“ Idque ipsum districtius injunxit laudatus Pontifex in aliis etiam Constitutionibus hac super re editis, praesertim in illa anni 1755 incipien.: *Allatae sunt*, tom. 4. Bullar. n. 47 **). Cum enim quidam Sacerdos Sacris Missionibus deputatus in civitate Balserae exposuisset S. C. de Propaganda Fide, plures in ea civitate commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe et Syriacos, qui peculiari templo carentes ad Latinorum Ecclesiam se conferebant, proindeque quaesivisset, an praedicti Armeni et Syriaci Catholicum Ritum observare deberent, an vero magis consentaneum esset, ut Latinorum Calendario se conformarent, Sac. Congr. Generalis Inquisitionis hac super re consulta die 13. Martii 1755 respondit: „*Nihil esse innovandum*“, quod quidem decretum laudatus Pontifex relata Constitutione egregiis argumentis atque doctrinis confirmavit.

Inter caetera vero ibidem occurrit, Cardinalem Leopoldum Kollonitz sa. mem. Clementi XI. olim exposuisse, valde Catholicae Religioni profuturum, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco Ritu celebrarent,

*) Tom. III. p. 251.
**) Vd. t. III. p. 213.

tas concedi valeat. Qua quidem super re, ne meo muneri deesse videor, sequentia ex Officio adnotanda duxi.

Ignotum plane non est, Ecclesiam facilem olim sese praebuisse in impertienda facultate, ut Sacerdotes Latini-Graeco Ritu et vicissim Sacerdotes Graeci-Latino Ritu Divinis Mysteriis operarentur pluribusque allatis exemplis, rem hanc multiplici, qua solet, eruditione prae caeteris conficit Christianus Lupus tom. 4. Oper. in dissert. de s. Leonis IX. actis cap. 14. pag. mihi 384 et 349. Verum, quae subinde exarserunt Latinos inter Graecosque dissidia, praesertim post iniquum Michaelis Caerularii schisma, in causa fuerunt, ut Ecclesia a pristina facilitate atque indulgentia omnino recederet et severissime prohiberet quominus ulla fieret a Latinis Graecisque Sacerdotibus suorum Rituum immutatio. Id autem dissertissimis verbis decrevit Pontifex Eugenius IV. in Constitut.: *Laetentur*, edita in Concilio Generali Florentino anno 1439, in qua Graecae Ecclesiae cum Latina unio refertur pluresque describuntur articuli, in quibus Graeci a Latinis dissidebant; et praecipue statuitur „Sacerdotes in alterutro (in azymo sive fermentato) ipsum Domini Corpus conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.“ Eoque spectare videtur illud Conc. Tridentini decretum *sess. 22. cap. 8.*, quo praecipitur, ut in celebratione „Missae retineatur ubique cujuscumque Ecclesiae antiquus et a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra probatus Ritus.“

Haec tamen etsi perspicua essent, retrahere nihilominus nonnullos non valuerunt a permutando suarum Ecclesiam Ritu, praetextu facultatum, quas ab Apost. Sede vel ab ejus Legatis, aut a majori Poenitentiario sibi concessas authumarunt Missamque idcirco caeteraque Divina Officia modo Graeco modo autem Latino Ritu celebrarunt. Hujusmodi abusus, ut radicitus evelleret s. Pius V. Constitut. incipien.: *Providentia* die 20. Aug. 1566 ita mandavit (vd. *p. 311*): „Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam Graeci quam Latini antiquum Sanctae Romanae Ecclesiae Ritum tam in celebratione Missarum quam aliorum Divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias et facultates, Missas et alia Divina Officia Graeci-Latino more, ac Latini Graeco Ritu celebrandi ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario variis praetextibus impetrarint illisque jampridem utantur, hoc ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto Sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare volentes omnes hujusmodi licentias et facultates revocamus et cassamus: „Quibusvis Presbyteris tam Graecis quam Latinis in virtute Sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri graeci, praecipue Uxorati, latino more et latini Graeco Ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio praetextu, Missas et alia Divina Officia celebrare aut celebrari facere praesumant.“

Itemque Gregorius XIII. Orthodoxae Fidei professioni, quam a Graecis Romanae Ecclesiae unitati restitutis praestari jussit, hunc articulum inseri praecepit „Credo in azymo sive fermentato pane tritico Corpus Christi veraciter confici Sacerdotesque in alterutro ipsum conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentatis sive Orientalis Ritum.“

Verum hisce non obstantibus non defuerunt quamplures auctores, quos inter *Diana* resolut. 99. Miscell., *Nardus* verb.: Sacerdos n. 4., *Macedo*

de clavib. Petri lib. 4. cap. 5., *Enzo* de Eucharist. quaest. 2. conclus. 2., *Sylvius* in 3. par. s. Thom. quaest. 74. art. 57. aliique apud Verricellium de apost. Mission. tit. 8. quaest. 188., qui distinctionem excogitantes Graecos inter in Graecia commorantes aliosque peregrinantes aut degentes apud Latinos, ubi non sunt proprii Ritus Ecclesiae, fas istis esse existimarunt sese conformare Ecclesiae, sub qua versantur Latinoque Ritu Sacra conficere. Hanc opinionem tueri posse putarunt egregia illa Augustini sententia lib. 1., seu Epist. 54. alias 118. ad inquisitiones Januari n. 6., quae est hujusmodi: „Faciat ergo quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit; Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc vel inde meliores.“ Verum Augustini sonsilium respicit consuetudines illas legesque, quae a loco pendent quibusque conformare se debet quicumque in loco, ubi illae vigent, commoratur. At lex de retinendo suae Ecclesiae Ritu personas afficit, quae cum susceperint baptismum aut Ordines, ex Ecclesiae lege adstricti sunt ad perseverandum in proprio Ritu servandumque propriae Ecclesiae consuetudinem, ut observat auctor additionum ad *Ferraris* Bibliothec. Canon. verb: Eucharistia §. 1.

Animadverti etiam potest cum *Ghignoli* in praelect. Theolog. par. 3. de Euchar. quaest. 3. prop. 4. n. 5., quod alibi idem Sanctus Doctor dixerit: „Roma rescripta venerunt, causa finita est.“ Continentur autem hujusmodi rescripta in citato Concilii Florentini decreto atque in praelaudatis Summorum Pontificum Constitutionibus, quibus absque ulla distinctione unicuique praecipitur Ecclesiae suam consuetudinem observare, a qua proinde nemini licet ulla in causa recedere.

Disciplinam hanc modis omnibus servari jussit san. mem. Benedictus XIV., qui in sua Constitutione: *Etsi Pastoralis*, quae tota est de dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tuendis tom. 1. Bullar. §. 6. n. 10. haec statuit *): „Districtius inhibemus etiam sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum, Missas et alia Divina Officia, Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu celebrandi, ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu Missas et alia Divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“ Idque ipsum districtius injunxit laudatus Pontifex in aliis etiam Constitutionibus hac super re editis, praesertim in illa anni 1755 incipien.: *Allatae sunt*, tom. 4. Bullar. n. 47 **). Cum enim quidam Sacerdos Sacris Missionibus deputatus in civitate Balserae exposuisset S. C. de Propaganda Fide, plures in ea civitate commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe et Syriacos, qui peculiari templo carentes ad Latinorum Ecclesiam se conferebant, proindeque quaesivisset, an praedicti Armeni et Syriaci Catholicum Ritum observare deberent, an vero magis consentaneum esset, ut Latinorum Calendario se conformarent, Sac. Congr. Generalis Inquisitionis hac super re consulta die 13. Martii 1755 respondit: „*Nihil esse innovandum*“, quod quidem decretum laudatus Pontifex relata Constitutione egregiis argumentis atque doctrinis confirmavit.

Inter caetera vero ibidem occurrit, Cardinalem Leopoldum Kollonitz sa. mem. Clementi XI. olim exposuisse, valde Catholicae Religioni profuturum, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco Ritu celebrarent,

*) Tom. III. p. 251.
**) Vd. t. III. p. 213.

relicta eisdem facultate ad Latinum Ritum revertendi. Verum Summus Pontifex animo perpendens unumquemque juxta canonicas sanctiones in suo Ritu permanere debere neque Sacerdoti licere modo latino modo autem graeco Ritu celebrare, assentiri recusavit. Vid. t. 1. Epistolar. et Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis edit. p. 205. Atque haec et alia plura, quae afferri possent, satis perspicue evincunt, quam difficilis fuerit progressu temporis Apostolica Sedes in impertienda Sacerdotibus facultate a propriae Ecclesiae Ritu atque consuetudine recedendi.

Quod vero attinet petitam ab Oratore dispensationem, ponderandum occurrit, an haec facilius concedi posset ex eo, quod monachi Basiliani Italo-Graeci ita Sacrum perficiunt, ut azymo cum Latinis utantur abstineantque a graeco Ritu fundendi in calicem post consecrationem et ante consumationem paululum aquae calidae: indeque nullum induci videatur transitum de uno ad alterum Ritum nullamque Ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam, sed transitum dumtaxat ex graeco ad latinum idioma, in quo maximum situm asseritur discrimen Missae, quae ab iisdem monachis et a Latinis Presbyteris celebratur. Laudatus Pontifex Benedictus XIV. in citat. Constitutione: *Allatae sunt* §. 33.*), dum loquitur de commixtione Ritus ab Ecclesiae legibus vetita, ita rem explicat: Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent.

Vetita quoque Ritus commixtio esset, si Latinus Sacerdos modo juxta latinum modo juxta graecum Ritum, aut Sacerdos Graecus modo graeco modo latino Ritu Missam celebraret.

*) Tom. III. p. 236.

Considerandae praeterea sunt causae, quibus in praesenti casu dispensatio petitur, nempe defectus graeci Missalis et idonei Ministri, qui Sacro inservire possit. Videndum an hujusmodi difficultates facile superari possint; ac denique ponderandum, dispensationem in praesenti casu exposci, quando Orator abest non solum pro gerendis Monasterii negotiis, sed etiam ad res proprias peragendas aliisque de causis, quae tamen in supplici libello non exprimuntur.

Hisce proinde sapientissimo EE. VV. judicio praepositis decernendum erit:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti Indulti in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 4. Maii 1771.

e) Utrum Presbyter graecus casulam latinam assumere possit?

Cassanen.

Archipresbyter Fraxineti Cassanen. dioecesis S. R. C. supplicavit, ut sibi facultatem tribuere dignaretur posse adhibere in Missa graeca prout hactenus consuevit casulam latinam, quam ipsi Vicarius generalis prohibuit. Et Emi Domini Constitutionem Pii V. servandam esse mandaverunt.

Die 7. Sept. 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 354.)

f) Utrum Presbyter latinus ad Ritum graecum possit transire?

Vd.: *Ritus lat.* (utrum Presb. *graec. etc.*)

(Conc. Tr. Con. 13. De Sacr. sess. 7.; cap. 5. sess. 22.; cap. 9. sess. 14. De ref.)

Messanen.

Ad mox vacantem Parochialem Ecclesiam s. Nicolai Graecorum nuncu-

palam, in qua Ritus Graecus servari consuevit, per obitum in Curia Francisci Pizzi, indicto per Archiepiscopum Concursu, duo dumtaxat examini sese subjicere curarunt, Petrus Pelazzotus Presbyter Graeco-Latinus a tribus examinatoribus synodalibus approbatus et Leontius Calzonus Presbyter Orientalis ab iisdem reprobatur. Cum autem idem Palazzotus supplex habuerit recursum ad datariam precibus remissis ad hanc S. C. nedum pro assequenda institutione praefatae parochialis, verum etiam pro gratia dispensationis transeundi de Ritu Latino ad Graecum, eo quod eadem parochialis haud patiatur regi a Presbytero Latino, fuit requisita de more informatio Archiepiscopi, qui praemissa comprobando, Oratoris precibus annuendum censet, ne Ecclesia illa rectore careat, nullum alium, asseverans, Orientalem Sacerdotem inibi reperiri, qui eam curam suscipere valeat, metuens caeteroquin informans, ne si quis forte Orientalis adventaret, deprehendatur porro schismaticus, quemadmodum contigisse inquit, tempore sui Praedecessoris. Placeat itaque EE. VV. pro earum summa sapientia resolvere:

An petitis sit annuendum, in casu etc.

S. C. C. resp.: Archiepiscopus curet fieri novum concursum factis requisitoriis in dioecesibus alienis pro reperiendo Graeco.

Die 23. Junii 1708.

Iterum proposito eodem dubio S. C. resp.: Dilata et fiant novae diligentiae juxta instructionem.

Die 11. Maii 1709.

Policastren.

Paulus Miglianus Presbyter Policastren. provisus de beneficio in Graecia supplicavit ut Missa graeco Ritu celebrare posset, ei facultas tribueretur suscipiendi Ordinis ab antistite graeco. Sacra autem Congregatio a Congregatione SSmae Inquisitionis rem hujusmodi expetendam respondit, sed nullatenus concedendum videri, cum ordo reiterari nequeant.

Die 10. Junii 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 338 n. 1541.)

Pius V. ad perpetuam rei memoriam.

Providentia romani Pontificis plurimum circumspecta nonnunquam ea, quae certis suadentibus causis per ejus praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus alterat et ad pristinum statum reducit, prout aequitas suadet et in Domino conspicit expedire.

Sane cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri, tam graeci quam latini, antiquum s. rom. Ecclesiae Ritum tam in celebratione Missarum quam aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes diversas licentias et facultates Missas et alia divina Officia Graeci-Latino more ac Latini-Graeco Ritu celebrandi ab Apost. Sede vel ejus legatis ac etiam majore Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt illisque jampridem utuntur, hoc ab antiquo cathol. Ecclesiae instituto sanctorumque patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare et submovere volentes, omnes et singulas licentias et facultates hujusmodi hactenus, etiam motu proprio vel quorumvis etiam imperatorum, regum et aliorum principum contemplatione et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac apost. et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, apost. auctoritate, ex certa scientia, hac praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione revocamus, cassamus, annullamus et irritamus quibusvis Presbyteris,

tam graecis quam latinis, in virtute sanct. obedientiae et sub indignationis nostrae et perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes ne deinceps Presbyteri graeci, praecipue uxorati, latino more et Latini-graeco Ritu hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu Missas et alia divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

Mandantes in virtute s. obedientiae omnibus et singulis vener. fratribus nostris Patriarchis, Primat., Archiep. et Episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari et sub praedictis et aliis sibi benevisis poenis, per quoscunque Praelatos, Capitula, Clericos, Fratres, superiores et personas quaslibet inviolabiliter observari faciant, Contradictores quoslibet auctoritate apost. compescendo. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apost. etc.

Datum Romae die 20. Aug. 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 437. Ed. Aug. Taur. 1862.)

Quaeri solet: *num Sacerdos Latinus in locis Graecorum ac Graecus in Latinorum Urbe possit Eucharistiam juxta loci Ritum consecrare?*

Responsio ex iis, quae de obligatione manendi in semel suscepto Ritu disputata sunt, facile patet. Nam si Latinus etiam in Oriente, qua ratione potest, tenetur proprium Ritum servare, et si Graecus in Latinorum locis eandem obligationem retinet, quin Ritum inconsulta Apostolica Sede mutare possit, palam est, Graecum in Latinorum locis ac Latinum in locis Graecorum teneri ad proprium Ritum servandum, dum Eucharistiam perficiat. Neque enim, ut ibi ostendimus, a loco pendet lex illa Ecclesiae, quae proprium cuique Ritum servare jubet, sed circa obligationem servandi proprium Ritum in celebratione Eucharistiae peculiares quoque adsunt Ecclesiae leges. Praeter ea, quae ex Florentina Synodo attulimus, adest s. Pii V. Constit. incip. *Prov. Romani Pontificis* 13. Calend. Sept. 1566 in qua haec leguntur verba: „Quibusvis Presbyteris tam Graecis, quam Latinis in virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri Graeci, praecipue uxorati, Latino more et Latini-Graeco Ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio praetextu Missas et alia divina Officia celebrare aut celebrari facere praesumant.“ Et Benedictus XIV. Constitut.: *Etsi Pastoralis* *), §. IV. n. 10. Praedecessorum ac Florentinae Synodi legem inculcans, „Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, ne Presbyteri Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina Officia, Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu celebrandi, ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu, Missas et alia divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“ Deinde prohibet, ne latinus parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro Communione Graecorum, aut parochus graecus sub specie azymi pro Communione Latinorum *in quocumque Ecclesiae suae altari retineat jubetque, ut unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Graeco sive Latino Ritu Eucharistiam Fidelibus porrigat.* Praeterea ne laici Latini Communionem sub specie fermentati a Presbyteris Graecis recipiant, omnino interdicit; Graecis tamen laicis permittit, *ut ubi propriam parochiam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie*

*) Vd. *Ritus graecus.*

azymi a Sacerdotibus Latinis sumere. Haec pro Graecis in Italia degentibus statuta sunt.

Atque hinc patet, *primo errare Ledesmam* a Verricello citatum, qui censet, teneri Latinum per Graecorum regionem transeuntem graeco more celebrare ac Graecum - Latino Ritu in locis Latinorum: nam antedictae Constitutiones sunt pro Graecis, qui sub Latinis Episcopis degunt atque adeo in Latinorum locis; *secundo errare Suaresium, Vasquesium* aliosque apud Vericellum tit. VIII. qu. 188., qui asserunt, Sacerdotem Graecum, qui perpetuum inter Latinos domicilium stabilierit, teneri ad celebrandum Latino Ritu; nam Ecclesia praecipit, proprium Ritum sine Apostolicae Sedis dispensatione mutare non posse jubetque etiam eos, qui in Italia sub Latinis Episcopis fixum domicilium habent, proprio more Missas aliaque divina Officia celebrare debere; *tertio errare quoque Verricellum ipsum,* dum loco citato ait, posse Latinum-Graeco more Graecum vero Latino Ritu celebrare in locis, in quibus proprii Ritus Ecclesiae non adsint, quod possint se loci consuetudini accommodare. Nam Ecclesia praecipit cuique proprium Ritum ubique servare ac districtius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriae Ecclesiae consuetudinem ubique terrarum Missas celebrare debere. Neque Augustini consilium, quod habetur Epist. 128. ad Januar. quoque mores eorum quibuscum vivimus sequi monemur, ad rem facit; nam si quisque morem sequi posset Ecclesiae, in quam deveniat, posset pro libitu Ritum semel susceptum deserere illumque amplecti, quem Ecclesia teneat in quam venit: Id vero Apostolicae Sedis auctoritate prohibitum est. Deinde Augustini regula ad consuetudines legesque illas spectat, quae a loco pendeant, quibus subjici debet quicumque in loco ubi vigeant versetur. At obligatio manendi in suscepto Ritu illumque servandi, qua ratione possit et celebrandi Missas et Officia juxta propriae Ecclesiae morem, personas afficit, quae suscipiendo baptisma vel Ordines ex Ecclesiae lege adstricti sunt ad perseverandum in suscepto Ritu ac more propriae Ecclesiae celebrandum. Vide, quae diximus de obligatione, quam quisque habet manendi in semel suspecto Ritu.

Ex iis optime concludit Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Graeca, nec Graeco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet Sacrificio privari et morti proximus absque Viatico decedere, quia utilitas communis privatorum commodis praeferenda est, ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiae servare praescriptos Ritus: et quia praeceptum sumendae Eucharistiae in articulo mortis et audiendi Sacri in diebus festis non obligat nisi dum Sacrum celebrari possit, servatis legibus ac Ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur ut Sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo vel ut populus audiat Sacrum die festo: ita Sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare, contra Ecclesiae praeceptum, ut populus Sacrum audiat vel ut morti proximus Eucharistiam sumat.

Nicolaus V. Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis haereticae pravitatis inquisitori et provinciali provinciae graeciae, Ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae catholicis in Graecia subjecta sunt, multi catholici, unionis praetextu, ad Graecos impudenter transeunt Ritus. Mirati admodum sumus mirarique non desistimus, nescientes

quid sit quod eos a consuetudine ac Ritibus, in quibus nati enutritique sunt, in alienigenarum Ritus transposuit: nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae Ritus sint, non licet tamen Ecclesiarum Ritus permiscere neque id unquam Sacrosancta Synodus Florentina permisit.

§. 2. Quas ob res Nos, quibus, quamvis immeritis, hujusmodi rerum omnium cura divinitus imposita est, cupientes citius, ne malum longius serpat, huic rei providere, vobis et utrique vestrum sub virtute sanctae obedientiae districte mandamus ut, auctoritate apostolica, *in omnibus locis praedictis*, cum ea ex Officio vestro visitatis, *permixtionem Rituum omnino prohibeatis*, convocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores censuris ecclesiasticis et omnibus aliis juris remediis compescendo.

Datum Romae apud Sanctam Pudentianam anno Incarnationis dominicae 6. Sept. 1448.

(Bull. r. t. V. p. 100. Ed. Aug. Taur. 1860.)

12) Missae.

Vd.: *Caeremoniae; Processio* (mutatio); *Missa* (abbreviatio, ritus); *Usus; Rubrica; Sepultura* (Ritus); *Duplex* (dignitas); *Benedictio Sacerd. extra miss.* (decr. n. 4782 *nota*); *Preces* (genufl., decr. 11. Mart. 1820); *Sacerdos inhabilis; Diaconus Missae* (cant. Exultet, decr. n. 4672 *nota*); *Festum* (Ritus); *Rituale roman.; Ritus latin.*

In rubrica generali Missalis 2. part. t. VII. n. 4. legitur: Sacerdos producit signum Crucis super ampullam aquae et dicit: *Deus qui humanae substantiae,* similiter pro Missa solemni eodem titulo n. 9. — Facto versus eam ampullam aquae signo Crucis, dicit Orationem: Deus qui humanae substantiae. — Rubrica autem intra Missam sic habet: Aquam miscendam in Calice benedicit dicens: Deus qui humanae substantiae. Quaeritur ergo: an Oratio „Deus qui humanae“ incipienda sit a Sacerdote eodem momento, quo benedicit aquam vel potius aqua tunc benedicatur nihil dicendo atque facto signo Crucis, non autem antea, haec Oratio inchoari debeat?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192.)

Ad dubium: An in Missa privata, quando minister non est superpelliceo indutus, deceat eum, lecto Offertorio a Celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum Calicis vel hic Ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere?

S. C. resp.: Servandam consuetudinem.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)


Dubium I.: Utrum in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, possit Canonicus celebrans, dicto: munda cor meum, benedicere incensum et diaconum et evangelium legere dum illud cantatur; item Missam prosequi statim ac a choro cantatus sit versiculus symboli: Et incarnatus est; itemque omittere cantum praefationis et orationis dominicalis, iis saltem diebus, quibus habetur concio?

Votum Caerem. Magistri.

Evangelium in Missa solemni legendum non esse a Celebrante eodem tempore, quo a Diacono cantatur, satis perspicue ostendit *rubrica Missalis* romani et Caeremonialis Episcoporum. *Siquidem illa* (tit. VI. n. 5.) *haec praecipit:* „Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu evangelii in

altari et ibi ministrat Celebranti, qui in medio altaris submissa voce dicto: munda cor meum et deinde lecto evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro evangeliorum ad altare, imponit incensum in thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante altare dicit: *Munda cor meum etc.* et accipiens librum evangeliorum de altari, petit benedictionem a Celebrante.... Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu epistolae, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit: Sequentia etc., Sacerdos etiam signat se; et cum nominatur *Jesus,* caput inclinat versus altare."

Caeremoniale autem Episcoporum (lib. II. cap. 8.) *ita jubet:* „Finita epistola Episcopus sedens ex libro Missali legit tractum et alia usque ad finem evangelii. ... Cum cantatur ultimus versus gradualis Diaconus sumpto libro evangeliorum illum clausum affert ad altare. Interim accedit acolitus ad Episcopum cum thuribulo et navicula et ministrante illa Presbytero assistente Episcopus imponit et benedicit incensum. ... Circa finem ultimi versus gradualis Diaconus portans librum evangeliorum venit ante Episcopum et inclinatus petit benedictionem ... Diaconus cum tempus est incipit evangelium, Episcopus depositis gremiali et mitra signat se in fronte, ore et pectore: tum retinet baculum inter ambas ejus manus junctas stans versus Diaconum cantantem" etc. Praeterea Missam prosequendam non esse, nisi postquam absolutum fuerit a choro symbolum, indicant illa verba *rubricae Missalis* (tit. VI. n. 7.): „Cum vero in symbolo cantatum fuerit: *Et incarnatus est etc.*, Diaconus accepta bursa de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium altaris, in quo explicet corporale et revertitur ad Celebrantem." Quod vero indirecte eruitur ex allata rubrica, expressis verbis ostendit *Caeremoniale Episcoporum* (l. c.): „Circa finem symboli surgunt omnes ministri, eo vero prorus a choro cantato surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra; et stans in sua Sede cantat versus populum: *Dominus vobiscum.*" Tandem rubrica generalis ejusdem Missalis (tit. XVI. n. 3.) et praefati Caeremonialis (l. c.) mandat in Missa solemni cantandum esse a Celebrante: „Dominus vobiscum et orationes ante epistolam; Dominus vobiscum et Oremus ante Offertorium; Praefationem; per omnia saecula saeculorum cum Pater noster" etc. Adeo autem, quas hucusque exposuimus, rubricarum dispositiones ad praepositam speciem referuntur, ut earum vi diversa quaelibet consuetudo infirmetur. Adsunt quoque nonnulla hujus S. Cong. decreta, quibus hujusmodi consuetudines proscribuntur. Porro cum in una Benevent. quaereretur: *An Missa solemnis prosequi possit, dum a choro cantatur symbolum?* sub die 13. Sept. 1670 responsum est: *Non posse;* iisdemque verbis in una Januen. diei 17. Decb. 1695. Item Episcopo Conimbricensi sciscitanti: *an in Missa conventuali cani semper debeat Praefatio et Pater noster?* sub die 14. Aprilis 1753 respons. est: *Affirmative, juxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum et amplius.* Post haec nullius roboris sunt quaedam statuta inter capitulum et Episcopum s. Jacobi de Chili anno 1689 sancita, quibus praefati Canonici innituntur, ut ipsis liceat saltem diebus, quibus concio habetur, omittere cantum Praefationis et Orationis dominicalis (summ. n. 2.). Etenim nullus Episcopus absque Sedis Apostolicae auctoritate, jus habet immutandi rubricas Missalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel ab earum observantia eximendi, praesertim cum hac unice



in utilitatem et commodum sacrorum ministrorum vertit.

Hinc proposito dubio rescriberem: Negative.

Dubium II.: Utrum ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel Subdiacono, cum praesto non est aliquis ministrorum?

Votum Caerem. Magistri.

Quamvis non pauci sint abusus, qui paulatim in sacra liturgia irrepserunt, attamen nemini unquam in mentem venit, Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel Subdiacono. Siquidem, cum ad Sacrosanctum Missae Sacrificium dignius et major cum veneratione conficiendum, Ecclesia divina ordinatione plures et diversos ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex Officio deservirent, constituerit absque gravi ecclesiasticarum legum spretu, nullus ex his, praesertim qui praestantiori munere fungitur, excludi potest a Missa solemni, quae cum ministrorum interventu celebratur. Praeterea, cum ex rubricae praescripto tum Diaconus tum Subdiaconus in Missa solemni diversa ac distincta munera eodem tempore perficere debeant, alterutrius defectus totum rubricarum Ordinem pessundaret. At hac in re magis immemorari non existimo cum evidentissime appareat, nihil aliud esse respondendum nisi: Negative.

S. C. resp. ad 1. et 2.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 781.)

Quum Rmus Blesen. Episcopus S. R. C. exposuerit quod in sua Blesensi dioecesi sicut in quibusdam aliis Galliarum dioecesibus consuetudo invaluit, ubi desunt Diaconi et Subdiaconi pro Caeremoniis Missarum solemnium duos laicos sive juvenes sive uxoratos induendi vestibus sacris, nimirum amictu, alba, cingulo, tunica vel dalmatica, nunquam tamen stola et manipulo per Missam majorem, quorum alter Diaconi munere fungi, alter Subdiaconi ministerium adimplere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hoc sacros Ordines pertinentem obeant; nam Celebranti tantum assistunt, ut inde major sit Missae majoris solemnitas: ac proinde idem Episcopus Sacram ipsam Congregationem cum requisierit an invectam hanc consuetudinem conservare vel potius de medio tollere debeat? Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in ordinariis comitiis, post auditam a Secretario fidelem relationem, rescribendum censuerunt: *Consuetudo tanquam abusum omnino eliminanda et in casu Missa cantetur per solum Presbyterum.*

Atque ita servandum mandarunt.

Die 11. Sept. 1847.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 55. p. 191.)

13) Officii.

Vd.: *Off. non approbat.; Breviar. Bened.; Festum* (mutatio)*; Rubrica; Sepultura* (Ritus)*; Dupl.* (dignit.)*; Festum* (Ritus)*; Fest. B. V. V.* (cujus Ritus)*; Officium* (transl. in seq. annum etc.)*; Episcopus* (Officii recit. decr. n. 1452.).

Cum contingat pluribus Ecclesiis legata pia relinqui cum onere celebrandi Officium alicujus Sancti sub altiori Ritu, quam qui a Sede Apost. est illi praescriptus, interrogatur, quid faciendum?

S. C. resp.: Indulgendum esse ut Officia hujusmodi quoad pompam extrinsecam, non autem quoad Ritum ecclesiasticum solemniter celebrentur. n. 1501 die 14. Maii 1644.

Capitulo Ecclesiae s. Deodati nullius dioecesis fuerit relictum Legatum

cum onere recitandi nonnulla Officia a Sede Apostol. approbata multorum Sanctorum et Sanctarum in breviario rom. contenta sed *mutato Ritu* semidupl. in duplici et simplici in semidupl. cum conditione, quod si illa Capitulum omiserit vel ullo pacto mutaverit, bona ad haeredes testatorum devolvantur.

S. C. resp.: Praefata Officia tuta conscientia posse recitari *juxta rubricas Breviarii rom., non obstantibus contrariis obligationibus a testatore impositis.* n. 1579 die 6. Apr. 1647.

Ad relationem, quod in Cathedr. Compostell. et in tota dioecesi de pluribus Sanctis, quorum Officium in Breviario est simplex aut semidupl., recitatur dupl. ex antiqua consuetudine,

S. C. resp.: Servetur Bulla Pii V. impressa in Breviario. n. 2749 ad 5 die 28. Sept. 1675.

Ad relationem: Die 16. Aug. fit in civitate Plebis processio cum statua s. Rochi per civitatem cum interventu Magistratus voto adstricti et populi concursu. Quaeritur: an Episcopus possit concedere Officium dicti Sancti sub Ritu dupl. maj., cum sit patronus minus principalis, transferendo Officium dupl. min. s. Hyacinthi ad primam diem non impeditam?

S. C. resp.: *Negative.* n. 3677 ad 3 die 8. Mart. 1704.

In Ecclesia Colleg. Nullius dioeces. Spirens. non servatur in multis Officiis, quae sunt Brev. rom., Ritus praescriptus in Calend. rom., sed celebrantur altiori Ritu juxta formam dictae dioecesis, cujus Episcopus praedictorum Officiorum Ritum immutavit. Quaeritur: an Ecclesia Colleg. exempla reassumere possit dicta Officia juxta Ritum praescriptum in Calendar. rom., non obstante consuetudine?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4330 ad 2 die 21. Jan. 1766.

Non licet aliquid ex devotione seu ex auctoritate privata miscere, mutare vel opponere inter ea, quae integrant Officia cujusvis diei, quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum vel immutandum, nisi a S. Sede Apost. concessum fuerit.

S. R. C. 10. Juni 1690. *In una Ord. s. Bened.*

Expositum fuit S. R. C. nonnulla Officia SSrum in regno Bohemiae in Congreg. Benedictina inconsulta Sede Ap. elevata esse ad Ritum altiorem eo, qui est praescriptus in Calend. rom. aut in concessionibus a S. Sede factas et alia recitari de quibusdam, de quorum Canonisatione non constat. Idcirco quaesitum fuit:

1. An valide id fieri possit?
2. An monasteria teneantur ista colere et publico cultu in Ecclesia tam in choro quam in Missa?
3. An in futurum tales Ritus servandi sint a monachis, qui a Praeside Congregationis instituuntur?
4. An jus habeat provinciale capitulum hoc statuendi?

S. C. resp.: Negat. in omnibus et omnino servandum esse decr. 8. Apr. 1628 et Constitut. Pii V., Clem. VIII. et Urbani VIII. in initio Brev. et Missalis rom. impressas.

Die 30. Aug. 1692.

14) Origo diversi Ritus.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem); *Extrema Unctio* (Unctio pedam etc. decr. n. 4780 *nota*); *Missa* (Celebrans sedere non debet; Epistola PP. Bened. XIV. n. VII. etc.)

15) Romanus.

a) Acceptatio et Observatio.

Vd.: *Extrema Unctio* (Unctio pedum; decr. 4780 *nota*); *Ritus graecus; Instr. Clem.* §. XXXVI. n. 18..21. etc.; *Ritus Missae etc.; Rituale rom.;* **Ritus latinus**; *Missa* (Ritus etc.).

Ad dubium: 1. An in paroeciis nuperrime unitis dioecesi Novariensi, amplecti possit et debeat Ritus romanus seu potius retineri Ambrosianus? Et qualenus affirmative ad primam partem;

2. Num praecipiendum id sit nomine S. C. vel potius facienda potestas Emo Episcopo, qui pro sua prudentia et arbitrio, juxta diversas circumstantias facultate utatur sibi tributa, indulgendo, relaxando, cunctando et tolerando, ne ex Ritus mutatione oriantur scandala, divisiones, dissidia?

3. Quae media insinuanda sint Emo Episcopo, ut sine contentione disponantur populi illarum paroeciarum ad amplectendum Ritum romanum, Ambrosiano relicto?

Et S. eadem C. . . . censuit rescribendum: „Juxta Vota Consultorum et consulendum SSmo ad mentem", mens autem est: „Quod licet Ritus Ambrosianus laudabilis et rationabilis sit, cum tamen magis congruat Romanum inducere in paroeciis nuper unitis dioecesi Novariensi, ideo S. C. insinuandum censet Emo Antistiti, ut mediis adhibitis, quae magis ei opportuna videbuntur, quin expresse praecipiat, allicere potius studeat parochos et plebem praefatarum paroeciarum ad Ritum Romanum amplectendum."

Die 31. Martii 1821.

Facta autem de praemissis per infrascriptum Secretarium S. S. D. N. relatione S. S. benigne annuit in omnibus die 3. Apr. 1821. N. 4580.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Votum Rmi P. Miachaelis Zecchinelli Soc. Jesu.

Attente perlectis et accurate expensis rationibus, quae in controversia de cessatione Ambrosiani Ritus in quibusdam paroeciis a Mediolanensi dioecesi avulsis et Novariae adscitis, utrinque afferuntur, haec mihi notatu digniora visa sunt, quae ferendae sententiae viam quodammodo sternerent.

Animadverto in primis ex tribus ac viginti paroeciis, quae dioecesi Novariae adjectae sunt, septem dumtaxat, aut ad summum octo (ut apparet ex prospectu Emi Card. Archiepiscopi Novariensis) Ambrosiano Ritui tenacius inhaerere, ex reliquis novem tamquam necessitate compulsas ad Romanum transiisse, alias, si minus sponte saltem pacifice mutationem admisisse. His positis dico

Primo: Paroecias illas, quae vi necessitatis aut auctoritatis adactae in Romanum Ritum migrarunt, in eo perseverare debere, nec posse ad pristinos suos Ritus redire, juxta Decretum S. R. C. die 15. Martii anno 1608 in Trullen. seu Nullius, quod sic se habet: *Usus Missalis et Breviarii Romani semel introductus in Ecclesia aliqua, quae habebat particulare Missale et Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis et Breviarii.*

Secundo: Paroecias illas, quae libellum supplicem obtulerunt, ut sibi liceat in antiqua suorum Rituum possessione permanere, etiamsi id eis aliquatenus et pro tempore permitteretur, non esse tamen in tali possessione Decreto ullo a S. R. C. confirmandas; hoc enim et invidiam turbasque ciere posset in aliis paroeciis, praesertim illis, quae non tam sponte quam necessitate compulsae Romanum Ritum adoptarunt, et Emi Praesulis auctoritati nonnihil officere videretur.

Tertio: Easdem tamen paroecias, quae adhuc nutant et obnituntur, nullo Decreto S. R. C. ad veteres suos Ritus abigendos esse cogendas, idque multis de causis.

1. Ne praejudicium fieri videatur illis Ecclesiis, quae (ut parochi in suo

libello supplici notant) licet a Mediolanensi ad Bergomensem dioecesim translatae, tamen permissae sunt suos Ritus pacifice retinere.

2. Ne parochis s. Pontificis clementiam pro retinendis suis Ritibus obnixe implorantibus major a romano Ritu abhorrendi praebeatur occasio, si videant, se non modo, quod supplices rogabant, non obtinuisse, sed ad id quod detrectant, peremptorie compulsos.

3. Videtur id moris fuisse in Ecclesia, ut in hujusmodi negotiis sensim et pedetentim potius quam decretorie ageret, cum M. Bonhomius Episc. Vercell., auctoritate apostolica a Gregorio XIII. accepta, visitaret Ecclesiam Comensem, hortatus quidem est, ut dimisso Ritu, quem dicunt Patriarchino, romanum amplecterentur, non tamen coëgit. Ipse etiam Episc. Comensis Joannis Antonius Volpi, qui Gregorio XIII., cujus fuerat Nuncius, maxime addictus erat, cum vellet obsequi Visitatoris placito, obnitentibus tamen Canonicis, nihil obtinuit et, ne acrius ageret, illum cultum immutatum reliquit. Nihil etiam immutavit ejus successor, qui mortuus est anno 1595. Nec immerito id factum; ait enim Tertullian.: *Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus jus pacis et nomen fraternitatis.* Hinc Nicolaus I. ad Photii quaerelas respondens *de consuetudinibus*, ajebat, *quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel eis resistimus.*

4. Ipsa S. R. C. cum ad instantiam Archiepiscopi Firmani et Card. Caraffae duo dedisset Decreta ad absolvendam quamdam Coelestinorum consuetudinem, postea eadem revocavit die 30. Junii 1629 Urbano VIII. approbante in una Constitutione, quae incipit: *Exponi nobis etc.*

Quarto: Quandoquidem ex luculentis rationibus, quas Emus Card. Archiep. Novarien. affert in suo Promemoria, satis perspicue apparet futurum, ut serius ocius paroeciae illae ad romanum Ritum migrare cogantur, idcirco conveniens videtur facultatem facere Card. Archiepiscopo, ut pro prudentia sua agat, prout tempus et res postulare animadvertit, concessis etiam aliis dilationibus, si opus erit, ad tollendas aut praecavendas dissensiones. *Ipsa quippe mutatio consuetudinis* (ut ait D. Aug. Ep. ad Jan. 54. al. 118.), *etiam quae adjuvat utilitate novitate perturbat.*

Quinto: Quod ad media attinet ad optatum finem assequendum aptiora, auctoritate motus Anselmi Cantauriensis, qui loquens de hujusmodi Ritibus: *Qui non in fide discordant, neque in unam colligi possunt consuetudinem, existimo* (ait) *eos potius in pace concorditer tolerandos, quam discorde cum scandalo damnandos*, auctoritate, inquam, tanti viri motus putarem suasu potius et ductu, quam vi et imperio agendum, etiamsi optata mutatio aliquantulum esset protrahenda.

Sexto: Interim, ne quid inconveniens circa promiscuum utriusque Ritus usum contingat, quod aut scandalum creet aut s. cultus dignitati et decori adversari videatur, obligari possunt illi, qui suis consuetudinibus pervicaciter inhaerentes nonnisi aegerrime ab iis se divelli patiuntur, ut adamussim Ritus suos sequantur, et si ex defectu ministrorum, librorum aut similium id praestare nequeant, romanum Ritum admittant. Id factum fuisse apparet in Ecclesia Comensi circa abolitionem Ritus Aquileiensis

seu Patriarchini. Ex Statutis enim Synodalibus Comensibus annorum 1565 et 1579 arguitur, quod Ritus rom. nonnisi insensibiliter introductus fuit. Et sane Synodus anni 1579 „*Recitent,* ait, *Sacerdotes Horas canonicas quotidie . . . secundum Ritum et usum Ecclesiae Comensis, qui Ritus in Missis celebrandis pariter observetur. Hi vero, quibus librorum Comensium copia non fuerit, Missali et Breviario romano novissimo utantur, donec reformandi Comensi ratio ineatur.* Et vero Ritus iste in Comensi Ecclesia Aquileiensis suffraganea usque ad annum 1598 perseveravit, quamquam eadem Ecclesia sub ducatu Mediolanensi comprehenderetur.

Septimo: Ut mutatio isthaec cum majore plebium et Ecclesiarum, Ambrosiano Ritui firmiter inhaerentium, satisfactione fiat, posset fortasse ad tempus permitti, ut, quatenus pro dignitate fieri possit, statis quibusdam diebus aut locis aut circumstantiis antiquo Ritu utantur aut in Sacrificiis aut in precibus etc., ut Ritus tam celebris, succedente romano, quemadmodum Synagoga vetus, succedente Ecclesia, non sine honore contumulatus videatur. Ita nimirum factum fuisse legimus quoad Ritum Mozarabum (apud Card. Bona) in Hispania, qui Ritus in sex Ecclesiis etiam post mutatos alibi Ritus diutius perseveravit, vel inter hostes, nec nonnisi deficientibus quibusdam familiis, deficit et romanus ibidem introduci coepit, ita tamen, ut statis diebus pristino Ritu sacrificaretur. Ita etiam factum est in Ecclesia Comensi, in quam ubi Clemens VIII. induxit, abrogato Patriarchino, Ritum romanum, excepit Officium B. M. V., quod quibusdam diebus secundum Ritum Patriarchinum recitari adhuc diutius consuevit.

Octavo: Caeterum, quoniam delectus mediorum, quae magis expediunt ad migrationem hanc Ritus pacifice et sine animorum offensione ineundam, potissimum pendet ex notitia personarum, locorum peculiarumque circumstantiarum; idcirco mihi videtur totum id negotii Emo Episcopo committendum, quippe qui rem ob oculos habet et acu, ut dicitur, tangit.

Nono: Denique habenda mihi videntur prae oculis verba illa Cl. Mabillonii Comment. in Ord. Roman. §. 21.: *Laudanda in hujusmodi Ritibus constantia, modo caetera adsint, Ecclesiae pax et concordia atque christiana charitas, cui omnes Ritus cedere et suffragari necesse est.* Et paulo ante: *Ubi regnant antiqui Ritus, hi constanter retinendi: ubi novi prae antiquis praevaluerunt, antiquos laudare decet, novos non rejicere. Vix enim unquam accidit, ut quod semel usu receptum est, absque perturbatione mutetur. Et quidem ut Rituum varietatem induxit locorum varietas, ita etiam eorum iisdem in locis mutationem aliquando persuasit temporum diversitas.*

Haec sunt, quae ex multis, quae in hanc rem dici possent, excerpsi, ne longior, quam par est, evadam; quaeque, ut commisso mihi muneri satisfaciam, judicio eorum, ad quos spectat, quique me tali honore dignatum, licet immeritum, voluerunt, humiliter subjcio.

Obsequentissimus in Christo famulus P. Michael Dominicus Zecchinelli e Soc. J. S. R. C. Consultor.

„Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae Ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.“

Conc. Trid. S. 7. c. 13. de Sacr. in genere.

„In quo, cum receptos et approbatos catholicae Ecclesiae Ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis romani merito edendum publico Ecclesiae Dei bono judicavimus“, et in quo volumine comprehensi: „sacri et sinceri Ecclesiae catholicae Ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent“, apostolicae Sedis auctoritate prodierunt.

Rituale rom. edit. a PP. Paulo V. 1614.

Apostolicae Sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis praepositi, Nostrae sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant; praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari apostolicis traditionibus et sanctorum Patrum decretis constitutos Ritus et caeremonias pro Nostri officii debito curare omnino tenemur.

Ibidem.

Hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios eorum Vicarios necnon Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut in posterum, tamquam Ecclesiae romanae filii, ejusdem Ecclesiae, omnium matris et magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Bulla s. Pii V. 13. Julii 1570.

„Cum invisibilia Dei per visibilia religionis ac pietatis signa, quae caeremoniarum nomine censentur, intellecta conspiciantur, pastoralis Nostri muneris curam ad hoc intendimus et ab omnibus ita fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum videlicet administratione, in Missis et divinis Officiis celebrandis aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiae catholicae Ritus, *qui in minimis etiam sine peccato negligi,* omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio vel Rituali vel Missali vel Breviario utuntur a s. Sede probato) contra praescriptum Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine, cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum.“

Concil. rom. sub Bened. XIII. 1725 (tit. 15. c. 1.).

Curabunt etiam Episcopi, ut in suis Cathedralibus Ecclesiis in omnium Sacramentorum administrationibus atque id genus aliis, praesertim in sponsorum benedictionibus, Ritus serventur et caeremoniae secundum traditiones sanctae romanae et universalis Ecclesiae; alii vero omnes inferiorum Ecclesiarum qualiumcunque Rectores in his omnibus a Cathedralium Ecclesiarum observatione nulla ex parte discedant, sed eis omnino se uniformes reddant.

Conc. Salisburg. 1569. Const. 42. c. 8.

Clerus Hispaniarum S. Rit. Congregationi exponi curavit, non sine Christi fidelium scandalo in regnis Hispania-

rum diversam in administrandis Sacramentis caeremoniarum praxim adhiberi, quippe Rituali romano, jussu s. m. Pauli PP. V. novissime edito, non omnes Ecclesiarum Rectores utantur. Sacra igitur Congregatio ad Nuntium Hispaniarum dirigi literas imperavit, quibus vigili ejus curae commendetur, ut Rituale praedictum ab omnibus recipiatur et observetur.

S. R. C. 1655.

Tenor hujus rescripti est:

Nuntio Hispaniarum.

Emis PP. S. Rituum Congregationi praepositis renunciatum est, diversam in Hispaniarum regnis administrandorum Sacramentorum praxim servari ex eo quod non omnes Ecclesiarum Rectores observantiam moderni Ritualis romani a s. m. Paulo V. editi adhuc assumpserint, idque praesertim cum tam religiosarum gentium scandalosa admiratione accidere, ut quandoque in eadem Ecclesia, in eodem Sacramento administrando, ex Rectoribus quis Ritualis antiqui alter Ritualis moderni caeremonias adhibeat. Sacra autem Congregatio, praecipua probataque Hispani Cleri erga s. Sedis apost. romanaeque Ecclesiae ordinationes religione plurimum confisa, id quidem tantummodo ad uniformitatem Ritus in re tam gravi isthic inducendam pernecesse putavit, ut Amplitudo Tua sedula curet, ne moderni Ritualis codicibus bibliopolae careant, ac in Domino singulos Rectores admoneat, ne Ritus ab apostolica Sede novissime probatos debita veneratione fraudari consentiant, imo ea singulari devotione, qua caeteras rom. Ecclesiae sanctiones iidem venerantur, hasce Ritualis caeremonias amplectantur et postea indiscriminatim et inconcusse retineant.

Romae die 9. Octbr. 1655.

Illud monendum videtur, eos, qui scriptores de ecclesiastica disciplina sacrisque Ritibus percurrunt nec Pontificum Constitutiones et Decreta super iisdem rebus antea cognoverunt, cum illis merito conferri posse, qui libros de moribus et christiana lege tractantes assiduo manibus terunt, nec antea sententias a summis Pontificibus proscriptas menti demandarunt. Ambo sane in apertissimos errores labuntur, dum lectionibus ejusmodi detinentur.

Instit. 38. Bened. XIV. vers. finem.

Limburgen.

Rme Domine uti Frater.

Inter dubia ab Amplitudine Tua huic S. R. Congregationi proposita nonnulla sunt, in quibus agitur de certis, quae ab antiqua aetate non in ista solum Limburgensi dioecesi sed in universa ferme Germania invaluerunt, consuetudinibus relate ad cultum erga sanctissimae Eucharistiae Sacramentum. Consuetudines istiusmodi haec S. Congregatio perpendens, quum Rubricis et Decretis generalibus contrarias esse viderit et a praxi s. rom. Ecclesiae prorsus alienas, approbari haud posse censuit. Dum autem ita definivit, ejus mens minime fuit, ut contra abusus adeo generales et inveteratos Amplitudo Tua insurgere statim debeat, omnique vi adniti, ut incunctanter eradicentur. Ex hac enim praecipiti agendi ratione turbae ac dissensiones oriri facile possent et fideles graviter offendi, eo vel magis quod suspicari liceat, praedictos abusus non aliunde originem traxisse quam ex laudabili Catholicorum desiderio, realem Christi Domini praesentiam in Eucharistiae Sacramento palam aperteque contra haereticos secum commorantes profitendi. Id unum itaque S. Congregatio sibi proposuit in dubiis, de quibus sermo est, declarandis, ut Amplitudo Tua, regula prae oculis habita, de abusibus in sua dioecesi vigentibus tutum ferre possit judicium. Regulae

autem applicationem quod attinet, Sacra Congregatio supervacaneum ducit, Amplitudinem Tuam, cujus prudentiam optime novit, adhortari, ut in corrigendis abusibus procedat cum omni patientia et doctrina, et juxta datam sibi opportunitatem ita illos eliminare satagat, ut nullum inde fideles scandalum patiantur.

Haec pro meo munere Amplitudini Tuae communicans, ut ipsa diu felix et incolumis vivat, ex animo adprecor.

Romae die 9. Maii 1857.

Amplitudinis Tuae uti Frater C. Episcopus Albanen. Card. Patrizi S. R. C. Praef. H. Capalti S. R. C. Secret.

Ex decretis Concilii Coloniensis.
17. Maii 1860.

Sequendus semper est Ritus ab Ecclesia praescriptus et sancitus, qui in libris ritualibus reperitur. Parochis et Rectoribus prohibemus strenue, ne in Sacramentis administrandis pro lingua latina utantur vernacula, nisi in illis partibus, quibus illi, qui assistunt, alloquendi aut quaedam iisdem explicanda sunt ... (Part. II. tit. II. cap. X. De Sacramentorum administratione generatim.)

Ex decretis Concilii Pragensis.
23. Septbr. 1860.

Quum romanus Pontifex suam juris dicendi potestatem, quam in universam Ecclesiam jure divino tenet, plurimum per sacras Cardinalium Congregationes exserat, Synodus praesens distincte praecipit, ut decisiones et decreta, quae a Sacris istis Congregationibus pro Urbe et Orbe, pro dioecesibus ditionis Austriacae aut pro hac provincia vel singulis ejusdem dioecesibus edentur, congruo modo ad cognitionem Cleri proferantur et secundum tenorem et vim aut universalem aut particularem religiose observentur. Eadem sollicitudo postulat omnino, ut etiam antiquiores interdum hujusmodi decisiones de rebus gravioribus prolatae Clero innotescant, illae praesertim, quarum tenore et auctoritate praxis erronea, sicubi irrepserit, mox corrigi et disciplinae ecclesiasticae adamussim conformari possit. (Tit. VI. cap. I.)

Episcopi non tantum omnia ad personas et res ecclesiasticas pertinentia secundum Ecclesiae doctrinam et disciplinam a Sede apost. adprobatam dirigent et administrabunt, ut Constitutiones romani Pontificis et Decreta a Sacris Congregationibus seu edita seu edenda Clericis innotescant et in singulis hujus provinciae Ecclesiis, prout sanctae Sedi placuerit, executioni mandentur. (Tit. I. cap. II. num. 2.)

Cum sacri Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia ex apost. traditione et avita disciplina in Sacramentorum administratione divinisque officiis utitur, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant et devotionis etiam igne inflamment, gravi profecto peccato conscientiam suam macularet sacerdos, qui receptos et approbatos Ecclesiae Ritus notabiliter negligeret, pro libito omitteret et in novos immutaret. Habet praeprimis Sacrificium Missae multos eosque maxime insignes et solemnes Ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est, sed omnes eo spectant, ut et tanti Sacrificii majestas magis eluceat et ad rerum divinarum, quae in eo Sacrificio occultatae sunt, contemplationem fideles excitentur. Quare omnibus sacerdotibus graviter injungimus, ut ordinem, ritum et caeremonias, prout in Missali secundum usum sanctae rom. Ecclesiae describuntur, in Missis tum privatis tum solemnibus sedulo pieque custodiant, eo magis, quum in faciendis Ritibus unitas eademque ubi-

que locorum observantia ad promovendam fidelium aedificationem plurimum conferre dignoscatur. Abusus qui fors sub nomine consuetudinum aut observantiarum praeter et contra Missale romanum in hac provincia irrepserint, etiamsi longa praeteritorum annorum serie quasi stabiliti videantur, tum quoad cantum praesenti decreto de medio tollimus et abrogamus. Ne quid autem in tanto mysterio celebrando per incuriam vel ignorantiam admittatur, quod cultui Dei contumeliam adferre possit, omnes sacerdotes paterne monemus, ut rubricas Missalis saltem semel per annum cum industria perlegant simulque decreta per S. R. Congregationem publicata adamussim observent et ab eorum praescriptis nullo praetextu discedere audeant. Ut recentiora hujus Sacr. Congregationis decreta quantocius Clero innotescant, Episcopi providebunt. (Tit. III. cap. I. num. 1.)

Ut Ritus (in Sacramentorum administratione), quos antiquus provinciae hujus usus tenet et quos temporum indigentiae exoptant, obtenta eorum a Sede apost. approbatione, in unum compendium redigantur, parabitur nova Ritualis romani editio, Ritibus hisce locupletata. (Tit. IV. cap. I. De Sacramentis in genere.)

Nemo aut majoris aedificationis et uberioris Sacramentorum fructus obtentu aut sub quocumque alio praetextu a lingua Ritualis declinare, eamque cum vernacula commutare praesumat.

Innocentius PP. III.

VV. Fratribus universis Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Multifarie multisque modis clementia divina nos excitat, ut de somno mortis evigilemus ad vitam et de lacu miseriae in spem aeternae gloriae respiremus. Exultamus siquidem et merito exultare debet omnis sanctorum Ecclesia, quod visitans visitavit nos Oriens ex alto, ut magna pars Orientalis Ecclesiae, Graeca videlicet pene tota, quae a longissimis retro temporibus matris suae sanctae rom. Ecclesiae contempserat imitari vestigia, nostris temporibus facta sit de obediente obediens et de contemptrice devota. Ad majorem etiam accedit affluentiam gaudiorum, quod vir christianissimus charissimus in Christo filius noster Balduinus imperator Constantinopolitanus illustris ad ea totis viribus satagit et intendit, per quae possit et debeat christiana religio propagari, et ut aedificium jam ex magna parte constructum non corruat, ardenti laborat sudio et sollicitudine diligenti. Nuper siquidem devotionem suo plantatam in pectore in ramos bonae operationis diffundens nobis humiliter supplicavit, ut viros religiosos et providos de ordine Cistercien. Cluniacen. Canonicorum regularium aliarumque religionum ad fundandam fidei catholicae veritatem perpetuoque firmandam ad partes Constantinopolitanas faceremus transmitti, et, ut illuc valeant pervenire, a suis praelatis in necessariis provideri. Postulavit etiam ut Missalia, Breviaria caeterosque libros, in quibus officium ecclesiasticum secundum instituta sanctae rom. Ecclesiae continetur, saltem pro exemplaribus ad partes illas faceremus transmitti. Volentes igitur imperatorem eumdem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto majorem in majoribus frequenter sumus ejus fidei sinceritatem experti, universitatem vestram rogamus attente et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus pium ejus desiderium, quantum in vobis fuerit, promoventes, de singulis ordinibus viros moribus et

scientia commendandos ac in religione ferventes ad partes illas destinare curetis, per quos novella illa plantatio in disciplina Domini erudita fructum reddat suis temporibus opportunum et quod in eis mirabiliter est incaeptum, ad laudem et gloriam Redemptoris mirabilius consummetur. Mentionatos quoque libros, quibus non solum abundare sed superabundare vos novimus, ad partes illas saltem pro exemplaribus mittere procuretis, ut et vestra abundantia illorum inopiam suppleat et Orientalis Ecclesia in divinis laudibus ab Occidentali non dissonet, sed, sicut est unus Deus et fides una, ita uno ore ipsum laudet et glorificet oriens et occasus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8. Calendas Junii 1205.

(Bull. r. t. III. p. 195. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Benedictus PP. XIV.

VV. FFr. Episcopis regni Serviae.

De sacr. Ritibus, in quibus istarum regionum Ecclesiae, romanam hanc, reliquarum omnium matrem et magistram, in speculum sibi et exemplum proponentes, non alio quam romano Missali, Rituali ac Caeremoniali uti perhibentur, hortamur VV. FFr. Archiepiscopos et Episcopos, ut nihil in hujusmodi tuta ac laudabili consuetudine immutari et tam in Sacrorum celebratione et Sacramentorum administratione quam in benedictionibus et exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde petitis Ritibus caeremoniis et precationibus, quocumque praetextu aditum reserati permittant.

Videant autem, ne forte inanes aut leves timendi causae illae sint, quae passim afferuntur, pro omittendis in Baptismatis administrationes caeremoniis a Rituali rom. praescriptis, quas etiam, quum ex veris gravibusque causis praetermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt. *Neque enim sine gravi peccato negliguntur* tam magni ponderis tantaeque antiquitatis Ritus atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii.

Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis justique timoris ab Infidelibus incussi, communis et naturalis aqua vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae juxta praescriptum Ritualis romani. Vix enim sine maxima incuria vel inani timore (juxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in Ecclesiis parochialibus, ubi illae existunt, baptismales fontes, statutis temporibus et Ritibus non benedicantur aut sacrorum oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

Die 2. Febr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 305. §. 18—20.)

SS. D. N. Pius PP. IX. clementer deferens supplicibus votis superioris generalis „d'une Congregation religieuse" a subscripto Secretario S. R. C. relatis indulsit, ut in omnibus et singulis capellis, oratoriis seu ecclesiis ejusdem Congregationis in Gallia usus rom. liturgiae assumatur, facta potestate eorum fratrum capellanis, quoties agatur de dioecesibus romana liturgia nondum utentibus, et donec eadem non fuerit ibidem redintegrata, sese conformandi tum quoad divini officii recitationem tum quoad missarum celebrationem calendario cleri saecularis urbis, dummodo iidem capellani rubricas servent. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 19. Maii 1859.

C. Ep. Alban. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Hannib. Capalti S. R. C. Secr. Jos. Starna subst.

(Anal. J. P. 1860 p. 1772.)

Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine observantissime.

Dum Sanctissimus Dominus noster Pius PP. IX. resciret et probaret Eminentiam vestram in capitulari conventu habito die 11. Nov. anni mox elapsi delegisse commissionem ad efformandum, juxta regulas liturgicas sanctae romanae Ecclesiae, proprium sanctorum istius Lugdunensis dioecesis, in usum directorum seminarii s. Sulpitii, Capellanorum Ecclesiarum parochialium aliorumque Ecclesiasticorum etiam Communitatum, qui intra fines dioecesis ipsius horas canonicas jam recitant vel recitare desiderant juxta Breviarium rom., non sine admiratione vidit contra saluberrimum consilium istud reclamasse parochos Lugdunenses numero plures, qui agmine veluti facto nec servata canonum disciplina, subscripserunt epistolae circulari transmissae directori seminarii s. Sulpitii, Canonicis ab Eminentia vestra dilectis ad concinnandum hoc proprium caeterisque Capitularibus. Haec porro inconsiderata circularis, praeter censuram mandatorum proprii ordinarii, cui in sacra ordinatione reverentiam pariter et obedientiam professi sunt, nullo sub respectu conformis dici potest voluntati ejusdem Summi Pontificis, qui ab anno 1854 literis datis ad Eminentiam vestram, apertissime declaravit Breviarium et Missale Lugdunense a legitima auctoritate minime prodire ac proinde omnino immutanda. Quodsi deinceps Sanctitas Sua ea adhuc adhiberi permisit, veniam istam intra simplicis temporaneae tolerantiae limites circumscripsit, nec unquam voluit eam esse perpetuam, veluti arbitrantur reclamantes parochi, imo amantissimis verbis et Eminentiam vestram et quos alloqui potuit de clero Lugdunensi opportune cohortari non destitit ad assumptionem liturgiae romanae, ut sic plenius praestarent obsequium romanae Ecclesiae, matri et magistrae veritatis. Hisce praenotatis, pro mei muneris ratione, oro obtestorque Eminentiam vestram, ut incoeptum opus quam celerrime ad optatissimum finem deducat, nulla habita ratione questuum illorum, quos sperare licet jam facti poenituisse, et modo cum reliquo spectabili et multis nominibus commendabili clero Lugdunensi felici aemulatione adlaboraturos ut ulteriore quacumque difficultate remota quantocius in dioecesi etiam Lugdunensi in sua integritate inducatur et constabiliatur liturgia sanctae romanae Ecclesiae.

Interim Eminentiae vestrae manus humillime deosculor.

Eminentiae vestrae humillime demisssissimus servus verus.

C. Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis Patrici, S. R. C. Praefectus.

Romae die 23. Jan. 1863.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(Anal. J. P. 1863 p. 2200.)

Cenomanen.

Quas s. Pius edidit Bullas, quae Breviarium Missaleque romanum respiciunt, illas de anno 1583 cum omni laude, reverentia et gaudio excepit Concilium provinciae Turonensis ac proinde Cenomanensis episcopalis Ecclesia, quae provinciae ipsius limitibus concluditur, quae etsi speciali tunc ritu a duobus saeculis uteretur, attamen ritus iste adeo erat romanus ut vix pro vigesima parte proprium mere Cenomanense intermisceretur. In eodem siquidem sibimetipsi constans nec ullo modo s. Pio V. contraria studiosius perstitit Cenomanensis Ecclesia spatio 150 annorum, nimirum usque ad annum 1748 aut 1749, in quo auctore tunc temporis Episcopo et consentiente Capitulo, sed prorsus ap. Sede inconsulta, novum conditum

fuit breviarium novumque Missale. Alia tunc facta est Psalmorum distributio, alia ratio lectionum, tum de Sacra Scriptura tum de Sanctis. Aliae antiphonae, alia responsoria, alii hymni, aliae rubricae et caeremoniae. Insuper de Calendario quamplures expuncti sunt Sancti, ut novi in eorum locum sufficerentur. Quum itaque nova pene omnia illis in Breviario et Missali appareant, de veteri Ritu romano Cenomanensi vix in praesentiarum vigesima pars extat. Si itaque locorum Ordinarii prohibentur, etiam in iis Breviariis, quae juxta mentem s. Pii Pontificis tolerata tantum fuere, uti antiquum Cenomanense, aliquid propria auctoritate addere aut aliquid demere sub interminatis poenis in decretis Sacrorum Rituum Congr. dierum 8. Aprilis et 28. Octobris 1628 de non satisfaciendo muneri Divini Officii recitandi, inde clare concluditur quantum a praefinitis legibus aberret Breviarium Missaleque Cenomanense editum medio saeculo decimo octavo, in quo tam graves immutationes factae sunt, ut a Romano aeque ac ab antiquo Cenomanensi recedat. Quae singula inter caeteros R. J. F. Lottin Canonicus Cathedralis Cenomanen. Ecclesiae sedulo commemorans Sacram hanc Rituum Congr. humillimis precibus adire constituit eique sequentia dubia proponere pro opportuna solutione nimirum:

I. Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatis Breviarii Missalisque Cenomanensium a Ritu romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam romanam correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate et inconsulta Sede Apostolica facta aut probata?

II. Quatenus negative: Utrum saltem hujusmodi liturgia vi praescriptionis seu consuetudinis saecularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

III. Quatenus iterum negative, an quilibet Sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus aut parochus statim teneatur in conscientia tum et horas canonicas persolvere Missamque celebrare juxta Ritum romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis, Rmo Episcopo supplicare, quatenus et id ipsum pro divino Officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur.

IV. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario et Missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum ita videlicet ut praeceptivas praedictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente, aut etiam aliter quidpiam statuente Rmo Episcopo, Canonici aliique Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere sicque Rmi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

S. C. resp.:

ad I.: Negative;

ad II.: Negative;

ad III.: Consulat conjunctim utramque Constitutionem Divi Pii V. videlicet illam quae incipit: *Quod a nobis;* 7. Idus Julii 1568 — et etiam quae incipit: *Et proximo;* 12. Calendas Octobris 1571;

ad IV.: Negative.

Die 10. Jan. 1752.

(Anal. J. P. 1855 p. 1431.)

b) Utrum Ritus ecclesiastici in Rituali et Pontificali Romano et in solemni Sacramentorum administratione praescripti, pro libito, sine peccato mortali, possint aliter duci ac variari?

Vd. *p. 321. 325.*

Beatissime Pater!

Arduam sane provinciam suscipiendam proposuit Sanctitas Vestra, cum in prima Congregatione super Romano Concilio: Utrum ecclesiastici Ritus sine labe possint variari, examinandum ac decidendum mihi dignata fuit committere. Onus fortasse viribus impar duxissem, nisi Sanctitas Vestra, Angelici Praeceptoris Doctrinae splendore, rationem dubitandi removisset. Dicebat enim D. Thomam 3. part. quaest. 66. art. 10. manifeste docere Ritus ecclesiasticos triplicem praeseferre dignitatem. Primo enim excitant fidelium devotionem ac reverentiam. Secundo ad fidelium instructionem pertinent. Tertio demum utpote qui certis orationibus ac benedictionibus sunt instituti, daemones daemonumque fugant praestigia. Cui Sanctitatis Vestrae Doctrinae vix quid addi possit occurrit ad probandum ecclesiasticos Ritus in Pontificali et Rituali Romano et in solemni Sacramentorum administratione contentos, nullatenus propria cujusque auctoritate variari ac aliter duci posse. Si quis enim ecclesiasticos Ritus ita protraheret, ut vel impediret aut saltem illos variando non aeque fidelium devotionem excitaret, illos non erudiret ac daemonum vires infringeret, quomodo sine labe et quidem gravi, credi posset ejus culpa hoc accidisse? Satis superque, inquam, Sanctitas Vestra nullatenus, paucis licet, variari posse inconcussa comprobavit Doctrina; nihilominus, explicando potius sensus S. Vestrae, quod per se ipsum facere per tempus non licuit, quam de meo aliquid addendo, ad propositi casus decisionem sic procedo.

Prima ergo ratio D. Thomae, scilicet, quod Ritus ecclesiastici excitant fidelium devotionem et reverentiam, confirmatur ab eodem s. Doctore 2. 2. quaest. 91. art. 1. et 2. Praemisso (quod in dubium scelus esset revocare) Deum a nobis esse laudandum, duplicem instituit quaestionem, quibus investigatur, primum: utrum Deus laudandus sit ore aut solum ad ejus cultum et honorem cordis vel mentis satis sit laus? Secundo: utrum ad hujusmodi laudem cantus sint assumendi; et utrumque solito Angelicae illustratae mentis splendore affirmative resolvit. Ait enim: „Necessaria est ad Dei cultum et honorem laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitantur in Deum; et sicut laus oris laudantis excitat in Deum affectus, ita cantus in Deum firmiorem excitant devotionem; idcirco salubriter fuit institutum in divinas laudes cantus assumi, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem: hinc est, quod sancta mater Ecclesia, divini spiritus perducta splendore, universis Christifidelibus, laudem oris, ecclesiasticis vero insuper certa lege cantibus persolvendas esse praescripsit; unde Augustinus dicit in 10. Confess.: Adducor cantandi consuetudinem approbari in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmorum animus in affectum pietatis assurgat; et de ipso dicit in 9. Confess.: Flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Unde B. Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi cantum instituit, ut Augustinus refert in 9. Confess. Unde Augustinus confitetur in 10. Confess.: omnes affectus spiritus nostri pro sua diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur; et eadem etiam

est ratio de audientibus, in quibus et si aliquando non intelligant, quae cantantur, intelligunt tamen, propter quod cantantur, scilicet ad laudem Dei et hoc sufficit ad devotionem excitandam. Idem corroborat 2. 2. quaest. 83. art. 12. ubi docet, Orationem communem debere esse vocalem juxta illud Psalmi 3.: Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum deprecatus sum; et hoc triplici ratione: Primo quidem, sunt verba s. Thomae, ad excitandum interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum, quia per exteriora signa sive vocum sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis et secundum aprehensionem; unde Augustinus dicit ad Proban. quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Secundo adjungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est non solum mente sed etiam corpore; quod praecipue competit orationi secundum quod est satisfactoria; unde dicitur Oseae ultimo: Omnem aufer iniquitatem et accipe bonum et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Tertio adjungitur vocalis Oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud Ps. 15.: *Laetatum est cor meum et exultavit lingua mea.* Et *quaest. 84. ad 2. docet ex Damasceno:* Quia ex duplici natura compositi sumus; intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humilitate, ut videlicet per signa humilitatis, quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo, sicut genuflectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: prosternimus autem nos, quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis.

Secunda ratio D. Thomae est, quod Ritus ecclesiastici ad fidelium instructionem pertinent, quod confirmatur ex eodem 3. p. qu. 61. art. 1. et seq., ubi luce clarius ostendit ipsos etiam rudes per visibiles hos Ritus ac Caeremonias ad invisibilia nostrae fidei mysteria instrui ac erudiri; idque triplici ratione demonstrat. Primam ex conditione humanae naturae desumit, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet enim ad Divinam Providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Secundam rationem deducit ex statu hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus; ibi autem debet medicinale remedium hominis adhiberi, ubi patitur morbum; et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertiam demum desumit e studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia, quibus salubriter exerceatur; sic igitur concludit Sanctus Doctor: „Per Sacramentorum institutionem (agit enim ibi de Sacramentis) homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia"; sic igitur cum S. Doctore concludenter inferam ego, per caeteros sacros ecclesiasticos Ritus ac Caeremonias homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia signa et actiones, quae in sacris Ritibus ac Caeremoniis continentur, non enim minus ista invisibilis mysterii visibilia sunt signa, ac sit Sacramentum signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines.

Et hoc validius ex eodem Angelico Praeceptore comprobatur, qui 3. part. quaest. 1. art. 3. ad primum examinando quaestionem undequaque theologicam: „Utrum si non fuisset peccatum, Deus incarnatus fuisset“ assumit haec verba: „Dicendum ergo, quod omnes aliae causae, quae sunt assignatae, pertinent ad remedium peccati; si enim homo non peccasset, perfusus fuisset lumine divinae sapientiae et justitiae rectitudine perfectus a Deo ad omnia necessaria cognoscenda et agenda; sed quia homo deserto Deo collapsus erat ad corporalia, conveniens fuit, ut Deus carne assumpta, etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Unde Augustinus dicit super illud Joannis primo „Verbum caro factum est“: Caro te obcoecaverat, caro te sanat, quoniam sic venit Christus ut de carne carnis vitia extingueret. Quam hominis caecitatem Sancta Mater Ecclesia cum esset contemplata, conveniens pariter duxit, fidei mysteria quae in sacris functionibus repraesentantur, sacris quibusdam certis ac invariabilibus Ritibus Caeremoniisque fidelibus exhibere et in conspectum adducere. *Tertia ratio S. Doctoris est, quod Ritus ecclesiastici, qui certis orationibus ac benedictionibus sunt instituti, daemones daemonumque fugant praestigia*, quod confirmat idem S. Doctor in Sacramento baptismatis, in cujus collatione conjurationes et exorcismi contra daemones debent praecedere. Licet enim baptismus non minus ac solemnis conferat gratiam, ut tamen constantiorem baptizatus reciperet minoresque plagas in ipsum daemones possent infligere, Ritum adeo sanctum sacrarum conjurationum et exorcismorum, ipsammet solemnem collationem praecedere statutum fuit, ut docet S. Doctor 3. p. quaest. 71. art. 3. ex Augustino dicente in libro primo de symbolo: „Parvuli exsuflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decepit hominem. Unde Rabanus de Instit. Clericorum dicit, quod per salivam tipicam et Sacerdotis tactum sapientia et virtus divina salutem cathecumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum; olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones concludit D. Thomas. Quod profecto non obtineret, qui aut hujusmodi Ritum variaret aut omitteret, imo Sacrorum Rituum Ordinem immutans atque pervertens devotionem et fidelium instructionem, ex antedictis impediret viresque daemonum augeret potius quam deprimeret, ac per consequens, non levis se culpae reum constitueret, tanti boni propria pervicacitate non operator, imo ingentis mali auctor ipse atque inventor.

Praeterquamquod Ritus ac Caeremonias veteris legis immutare ac in alium usum convertere scelus adeo grave reputabatur, ut in poenam peccati gravissimas Deus inflixerit transgressoribus poenas. Habemus enim in *lib. Levit. cap. X.*, *Nadab. et Abiu* coelesti ab igne fuisse consumptos, eo quod ignem non sacrum in Sacrificiis Deo oblatis ausi fuerint adhibere: *et 3. Regum*, Ozam inopinata morte correptum, eo quod Arcam Dei propriis manibus (quod solum levitis erat permissum) tangere non dubitaverit, de quo *Salvian. lib. 6. de Provid.* „Ille levitis Dei ipso in Officio inofficiosus fuit, qui injusta praesumpserit.“ Quanto magis Ritus et Caeremoniae novae legis, quorum Ritus legis veteris erant tantum umbra et signum, obligabunt sub gravi, ac innovatores ultricem Dei manum juste contra ipsos in flagellis paratam poterunt formidare. Quae omnia procedunt loquendo de Ritu non substantiali, circa formam, mate-

riam, intentionem, de quo non est dubitatio et est alia quaestio, sed de accidentali pertinente ad solemnitatem juxta distinctionem traditam a D. Thoma 3. p. quaest. 68. ant. 10.

De hoc enim loquens S. Doctor in confirmationem praedictorum qu. 2. 2. 93. art. 1. ait, quod in exteriori cultu Dei potest contingere falsitas ex parte colentis et praecipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiae, et subdit: „Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quae non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum.“ Unde Ambrosius dicit: Indignus est, qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit.“ Et in responsione ad secundum aperte prohibetur pro suo libito mutare sacros Ritus ex discrimine inter tempus ante legem et novam Ecclesiam, quia pro illo tunc instruebantur interius homines de norma colendi Deum exteriori cultu, nunc vero per praecepta, quae etiam data fuerunt in lege scripta, ipsa autem transgredi pestiferum esse ac proinde mortale peccatum tradidit S. Doctor per haec verba: „Quod ante tempus legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Postmodum vero (scilicet in veteri et nova lege) exterioribus praeceptis circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est; et propter hoc Glossa etiam dicit, quod superstitio est quando traditioni humanae nomen applicatur. Jure autem optimo, inquit Glossa quod superstitio est, quia dicit D. Thomas 2. 2. quaest. 92. art. 2. cor.“ Diversificantur superstitionis species. Primo quidem ex parte objecti. Potest enim divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus est, scilicet Deo vero, modo tamen indebito; et haec est prima superstitionis species; vel ei, cui non debet exhiberi, scilicet cuicumque creaturae, et hoc est aliud superstitionis genus quod in multas species dividitur secundum diversos fines Divini Cultus. Ordinantur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam et secundum hoc prima species hujus generis est idololatria, quae divinam reverentiam indebite exhibet creaturae. Secundo ordinatur ad hoc, quod homo instruatur a Deo, quem colit et ad hoc pertinet superstitio divinativa, quae daemones consulit per aliqua pacta cum eis inita vel tacita vel expressa. Tertio ordinatur Divinus Cultus ad quamdam directionem humanorum actuum secundum instituta Dei, qui colitur; et ad hoc pertinet superstitio quarumdam observationum.

Haec, Bme Pater, sufficerent procul dubio pro statuenda inconcussa conclusione, Ritus ecclesiasticos sine gravi culpa immutari non posse, placet tamen illam aliis adhuc fundamentis corroborare addendo Sacros Ritus ac Caeremonias originem a s. Apostolis traxisse illaque a SS. Pontificibus disposita et ordinata fuisse tunc profecto temporis, cum Dominus Noster Petro et in eadem S. Sede successoribus dixit: Pasce oves meas, quod profecto numquam melius paratum fuit, nisi cum Sacri Ritus ad Dei cultum et honorem fuerunt instituti. Quomodo enim ordinatus Deo cultus praestari posset, si nullis legibus concluderetur ac juxta cujusque sensum et arbitrium posset exhiberi. Hoc idem in sua maxima *Biblioth.* agnovit *Roccabert. mihi p. 142* per haec verba: Nam clare constat omnia recto Ordine in Romana Ecclesia servari tam quae primi Ordinis divini quam quae secundi sunt, sive traditiones sive Caeremoniae illae sint. Qua-

propter nonne scelus esset et quidem grave illa permutare illorumque Ordinem pro arbitrio pervertere, praecipue, cum illa quoque, quae secundi Ordinis dici possunt, exemplo et auctoritatibus sanctorum patrum totque Romanorum Pontificum legibus ac decretis fuerint comprobata? Soli etenim Christo et Romano Pontifici, cui regimen sponsae ejus commissum est, potestatem et jurisdictionem vestium varietatibus Ecclesiam secundum beneplacitum et ad cultum sponsi ejus datum esse manifeste apparet; inter quos Paulus Papa V., cujus Bullae verba placet hic recensere in fronte *Ritual. Rom.* impressae: Quapropter hortamur in Domino Ven. Fratres universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut imposterum tamquam Ecclesiae Romanae filii, ejusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate, constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, *inviolate observent.* Et in fidei professione ab emittente Ritus Ecclesiasticos, modum et formam servare Deo vovetur ac promittitur.

Ex quo neminem inficiari posse videtur, sacros Ritus ab Ecclesia Dei institutos, sine labe et quidem gravi immutari posse ac variari nisi fortassis aut variatio esset tam levis, quod cum culpa gravi conjungi non posset, aut id cum ignorantia invincibili sibi licitum esse putaret, quod rarissime tamen posset contingere, sacrorum etenim Rituum cognitio dispensationem haud patitur praecipue in illis, quae ad proprium cujusque Ordinem et Officium pertinent.

Sed quia doctores praecipue moralistae dictos Ritus non adamussim observantes aut ab omni labe excusant, aut saltem quamplures a culpa gravi immunes agnoscunt, placet hic peculiarem sermonem breviter instituere. Concordant enim praefati auctores nobiscum loquendo de sacris Ritibus ac Caeremoniis, quae ad substantiam Sacramentorum vel aliarum functionum ecclesiasticarum pertinent, sine gravi labe immutari non posse; non tamen eodem modo loquuntur, ubi de illis, qui ad melius esse sive solemnitatem conferunt, ac ipso quaestionis initio, distinctionem, nescio tamen an rationibus fulcitam, praeseferunt. Dividunt enim, proprio crederem marte, in praeceptivas et directivas; primas sub gravi obligare concedunt, secus vero secundas; in qua sententia sunt Fagundez et alii plures, quibus novissime Gavantus accessit. Quam secundam distinctionis partem, quomodo sustinere possit, non video; nam ut supra notavi in *Bulla Ritual. Rom.* praecipitur per haec verba: *Inviolate observent,* et in Bullis Pii Papae V. in fronte Breviarii et Missalis Romani impressis, legitur post rejectionem priorum Rituum ac Caeremoniarum sic: „*Ac huic Missali nostro nuper edito nihil unquam addendum, detrahendum aut immutandum esse sub indignationis nostrae poena hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus et ordinamus. Mandantes ac districte omnibus in virtute sanctae obedientiae praecipientes*“ *etc.* Ex quo manifeste apparet praedictam auctorum distinctionem omnino corruere ac rubricae Ritus ac Caeremoniae in sacris functionibus a Sancta Romana Ecclesia statutae et ordinatae ab omnibus cujuscumque gradus et dignitatis existant sub culpa gravi esse peragenda et observanda; unde Conc. Trid. can. 13. 7. sess. inquit: si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a Ministro pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum

pastorem mutari posse, anathema sit. Idem Conc. sess. 22. can. 7. ait: si quis dixerit Caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam Officia pietatis, anathema sit. Omnis igitur immutatio et variatio Sacrorum Rituum ac Caeremoniarum dicet aliquis, erit grave et lethale peccatum? Cui dubio ut satisfiat, paucis me expediam supponendo,

Primo: Quod est certum apud omnes doctores, in qualibet materia peccaminosa, excepta venerea, materiam gravem et levem, juxta quam grave vel leve peccatum committitur, esse reperibilem;

Secundo: Inadvertentiam et ignorantiam facti vel juris hancque vincibilem vel invincibilem;

Tertio: Casum necessitatis, in quo immo necesse est Ritus ecclesiasticos immutare illorumque Ordinem pervertere, ut habeatur intentus et finis Sacramenti ac proximorum indigentiae quisque subvenire possit et valeat, v. g. in baptismo infanti moribundo conferendo, in quo solemnitates ecclesiasticae caeterique Ritus necesse est praetermittere ac variare; in Sacramento extremae unctionis et aliis necessitatis casibus, ad quos pia mater Ecclesia suas leges et praecepta numquam intellexit extendere.

His suppositis ac praenotatis, nemo me adeo rigidum existimet, quod negare audeam, quod, si variatio aut immutatio Sacrorum Rituum et Caeremoniarum levis sit, v. g. manus ante sacrificium Missae non abluere, profunde se inclinare, cum secus peragendum esse statutum sit, laudes ante matutinum recitare et similia, cum gravi culpa non posse conjungi, nisi tamen hujusmodi variatio ac immutatio cum propria pervicacitate et spretu esset conjuncta, immo nec paulum gravior immutatio, quam inadvertentia comitetur, mortale peccatum erit. Caeterum Sacros Ritus immutare, tot Angelici Praeceptoris fundamentis, cujus doctrina semper est magnae auctoritatis, sed maxime in Conciliis, Sanct. Patrum ac summorum Pontificum auctoritatibus nec non rationibus supra recensitis atque congestis, lethale esse nullique prorsus licere manifestum est vixque in dubium revocari res patitur; ignorantia enim, quod praecipuum obex videri potest, quaecumque illa sit, ut supra innui, in hac materia rarissime et fortassis numquam, talis esse potest, ut a gravi culpa valeat excusare quisque enim sub gravi tenetur scire, quae sui Ordinis sunt propriique Officii Ritus ac Caeremonias, omnino mente tenere, ut illa adamussim observet.

Quibus de causis, si mihi Sanctitas Vestra dubio proposito in hoc Concilio Romano: *Utrum Ritus ab Ecclesia praescripti sine culpa gravi possint variari?* respondere permittat, essem in voto: decernendum, definiendum ac statuendum esse: omnes et singulas Ecclesias illarumque ministros non aliis Ritibus, quam ab Ecclesia Sancta Romana approbatis atque praescriptis, uti posse neve illos ullo umquam modo pervertere ac immutare ulli, cujuscumque sit gradus, conditionis ac dignitatis, licere et illos praeterire pestiferum esse, ut ait Div. Thom., nisi tamen peculiaribus Sanctae Romanae Ecclesiae legibus atque decretis essent exempti illorumque Ritus ac Caeremoniae ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae decretis sanctionibus comprobarentur. Ita censeo, si Sanctitati Vestrae placuerit.

Fr. Gregorius Selleri, Ord. Praed.
S. P. Ap. Magister.

De obligatione servandi sacros Ritus Votum Raphaëlis Cosmi de Hieronymis Sac. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretarii et theologi Concilii Romani.

Beatissime Pater.

Quae ad inducendam gravem obligationem maxime conferunt, rei dignitas, legum auctoritas satis superque demonstrant, sacras rubricas gravem obligationem inducere. Quanta etenim sit Sacr. Rituum majestas, quantum ex illis decoris atque ornamenti Ecclesiae accedat, quam magna ex illis in christianam rempublicam utilitas derivetur, nemo est qui non videat: divina mysteria Sacr. Ritibus veluti vocibus explicantur. Deum Optimum Maximum recte colere mortales homines Sacr. Ritibus edocemur.

Quod autem leges attinet, s. Pius V. constit. 106. praeservatis dumtaxat illis rubricis, quae per bis centum annos usu ante receptae fuerant, rubricas Missalis servari districte praecepit; Summus Pontifex Clemens VIII. constit. 38. Pontificalis Romani observantiam demandavit; idem statuit de Caeremoniali Episcoporum constit. 89.; quod subinde etiam decrevit S. M. Innocent. X. constit. 42. Idem de Rituali praecepit Paulus V. constit. 85. et Sac. Conc. Trid. asserentibus in administratione Sacramentorum Sacros Ritus ab Ecclesia receptos pro libito a quocumque mutari posse anathema dixit.

Ex quibus gravem ex genere suo obligationem oriri ea servandi, quae a rubricis indicantur, certissimum puto proindeque lethaliter eos peccare, qui in rubricis contenta exequi negligunt, nisi aut materiae parvitas aut inadvertentia a culpa mortali excuset. Quae autem materia levis aut quae gravis censenda sit, ex peculiaribus facti circumstantiis conjicere oportet; nam idem, exempli gratia, verborum numerus, si omittatur in canone, culpam gravem, si vero omittatur in introitu, culpam levem constituit. Rursus si quis aliquid adjiceret vel praeteriret, quamvis leve, sed hoc faceret animo inducendum novum Ritum, lethaliter peccaret. Multa ei similia addi possent, nisi ad singula descendere temporis augustia locique majestas prohiberet; nec sane ea, quae obvia occurrunt inquirere, aut iis, quae perspicua sunt, lucem addere necesse arbitror.

Duo sunt, quibus se tueri conantur ii, qui sacris rubricis neglectis excusant a peccatis. Primum: rubricas directivas, non autem praeceptivas dicunt. Alterum: contraria consuetudine abrogari.

Verum cum summi Pontifices constitutionibus supra laudatis rubricas servari praeceperint, vanum prorsus videtur hoc ad consilium non autem ad praeceptum referre, quod si semel admitteretur, de legem robore de apostolicarum majestate actum omnino esset.

Quo vero consuetudines spectat, quas adeo frequenter jactant illi, qui contra Augustini monitum defectuosum atque obliquum ad rectum non dirigunt, sed potius quod rectum et regula est ad obliquum deflectere cupiunt, ea ratione moventur, quod consuetudo utpote lex non scripta rubricis derogaverit.

Facile tamen ostendi potest, quidquid contra rubricas agitur, non inter legitimas consuetudines sed potius inter damnabiles abusus referendum. Ut enim consuetudo vim legis habeat, oportet ut sit rationabilis et communi bono conveniens. Si autem bono communi adversetur vel etiam si sit indifferens, numquam per illam lex abrogatur; ideo namque, ut praeclare

docet Angelicus*), lex abrogatur consuetudine, quia imperfectis aliquid additur perfectionis pro hominum et temporis variis conditionibus, verba sunt s. Doctoris, et sic, donec manet eadem ratio, non consuetudo legem sed lex vincit consuetudinem: impossibile autem est sacros Ritus ab Ecclesia receptos privata auctoritate in melius commutari. Iis addendum, quod Summi Pontifices consuetudines sacris Rubricis contrarias relatis Constitutionibus abrogarunt et districte insuper prohibuerunt, quidquid adversus Rubricas in posterum induci contigisset, quod decreto irritanti ab auctoribus aequiparatur.

Ea autem vis in decreto irritanti est, ut semper obsistat initio contrariae consuetudinis eamque prorsus inficiat.

Cum ergo de rei dignitate, de legum dispositione dubitari minime possit, nec ullum praesidium in consuetudine haberi valeat, consequi plane videtur, quod seclusa aut inadvertentia aut parvitate materiae sacros Ritus negligere ex genere suo lethale sit.

Plurimum itaque utilitatis accessurum arbitror, si sac. haec Synodus praeter caeteras saluberrimas leges illud etiam statuat, quod Episcopi pastorali sollicitudine incumbant, ut sacri Ritus, qua decet diligentia ac religione, serventur et contrarii abusus, si forte irrepserint, radicitus evellantur, quod facile consequi poterunt, si, quemadmodum olim Concilium Bracharense decrevit, per dioeceses ambulantes primum exquirant quomodo in singulis Ecclesiis sacra peragantur.

Haec, Rme Pater, ne injuncto muneri pro virium mearum imbecillitate deessem, infallibili Sanctitatis Vestrae judicio humillime subjicienda duxi.

*) P. 2. qu. 97. art. 1.

An citra contemptum et ex pravo habitu liceat in administratione Sacramentorum praeterire sine peccato mortali sacras caeremonias?

Omissio Caeremoniarum, etiam sine contemptu, *est lethale peccatum* ex suo genere; quia praeceptum religionis ad eas observandas, non utcumque, sed sub poena peccati mortalis obligat.

Haec omissio dicitur *lethalis ex suo genere, id est quatenus refertur ad suum objectum, quod grave est.* Licet igitur Caeremoniae omissio per accidens venialis esse possit, in *levi* nempe materia, semper tamen in materia *gravi lethalis est*, si excipias necessitatis casum, in quo vel unum vel plures Caeremonias praetermittere et fas est et necesse est, v. g. cum baptizandus est infans, qui mox moriturus non temere creditur.

Secluso igitur *necessitatis casu* hujusmodi Caeremoniae omitti nequeant sine peccato eoque lethali, etiamsi absit contemptus. Hinc s. Thomas 2. 2. quaest. 1. ad 3. „*dicendum*, inquit, *quod diversae consuetudines Ecclesiae in cultu divino in nullo veritati repugnant, ideoque sunt servandae et eas praeterire illicitum est.*“ Haec vir santus.

Caeremoniarum observandarum necessitatem saltem ex Ecclesia praecepto sacerdotibus impositam esse negari non potest, ideoque nemo sine flagitio praetermittere potest.

Hanc rem luculenter explicat Franciscus Suarez, non ultimus Societatis suae Theologus, tom. 2. disput. 84. sect. 1., ubi ait: hos Ritus, licet ab Apostolis ipsis non omnes institutos sed ab Ecclesia, fundari tamen omnes in his verbis Apostoli 1. Corinth. c. 14.: *omnia honeste et secundum ordinem fiant*, et ideo oportet, in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem

ab Ecclesia constitui, tum quia, si haec relinqueretur uniuscujusque arbitrio, multa indecore et imprudenter fierent, tum quia Ecclesia censuit, in tam alto et sacro ministerio nihil esse leve existimandum, quominus maxima decentia et gravitate fiat. Huc facit illud Martyris Cypriani in expositione orationis dominicae: *placendum divinis oculis, etiam in habitu corporis.* Denique haec uniformitas, quae in omnibus servatur, ad splendorem officii ecclesiastici pertinet, unitatem Ecclesiae custodit pastorumque ejus curam et sollicitudinem commendat.

Idem Suarez tom. 3. disp. 83. sect. 3. et disp. 84. sect. 2. hanc materiam ex Missali et Trident. Concilio accurate pertractat, et ex eo Bonus Merbesius in Summa Christiana tom. 2. pag. 463. 464.

Quisquis autem *habituali* mentis supinitate et torpore sacros ritus et caeremonias discere vel observare vel attendere seu animo volutare negligit, tum in materia *gravi* tum *levi*, generatim loquendo, peccat *lethaliter*.

1. Quia talis negligentia contemptus est indirectus et virtualis, ut ita dicam.

2. Quia homo ille, qualiscumque sit, sese in periculum conjicit spissos et continuos errores eosque gravissimos admittendi.

Ex his constat, quam vere s. Thomas *pestiferum* esse dixerit praeterire caeremonias divina auctoritate ab Ecclesia constitutas; sic enim loquitur 2. 2. q. 93. art. 1. supra citato: „ad secundum dicendum est, quod ante tempus legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Postmodum vero exterioribus praeceptis circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.“ Ita s. Thomas. Quod vero *pestiferum* est, utique *lethale* est.

Ita censet Justus Fontaninus Abbas Sextensis, Sanctae Sedi apost. nullo medio subjectus.

Romae hac die 28. Aprilis 1725.

Decretum Concilii Romani.

Cum invisibilia Dei per religionis ac pietatis signa, quae caeremoniarum nomine censentur, intellecta conspiciantur, pastoralis nostri muneris curam ad hoc intendimus et ab omnibus fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in missis et divinis officiis celebrandis aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis, non pro libito inventi et irrationabiliter inducti sed recepti et approbati Ecclesiae Catholicae Ritus, qui in minimis etiam, sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio vel rituali vel missali vel breviario utuntur a sancta Sede probato) contra praescriptum Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel rubricas missalis, breviarii et ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas, prohibeant et omnino studeant removere, quamvis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum, et regula est, non cantari, nisi quod legitur esse cantandum. *(D. Aug. in suis regulis.)*

Epistola S. Congreg. Concilii.

Franciscus Ferrerius Abbas Commendatarius s. Jacobi de Bessia, Emi ac Rmi DD. Hyacinthi miseratione divina tit. s. Caeciliae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gerdil, Sacrae Indicis Congreg. Praefecti, Abbatis inclytae

Abbatiae s. Michaelis de Clusa Nullius s. Sedi apostolicae immediate subjectae capitisque ord. s. Benedicti, Vicarius gen., universae Abbatiae Clero.

Eminentissimus Cardinalis Hyacinthus Gerdil, quum Abbatiae s. Michaelis de Clusa sibi fauste feliciterque commissae statum S. C. C. Tridentini, quod tertio quoque anno fieri leges jubent, novissime proponeret, praeter pauca controversa jura, rationes etiam deferendas censuit propter quas nonnulli Ecclesiae quaedam instituta in sacris faciendis sive privatis sive solemnibus negligunt. Quibus rationibus diligenter excussis Eminentissimi Patres sic responderunt:

Eme et Rme Domine Obme.

Incomperta minime erat S. C. Tridentinorum Canonum interpretationi praepositae eximia regiminis ratio, qua res Ecclesiae s. Michaelis de Clusa ordinis s. Benedicti Nullius dioecesis in subalpinis moderantur; quum enim Ecclesiae praesit Eminentia tua, quae locum inter Patres tenet, et quidem virtutum commendatione ac responsorum gravitate amplissimum, nulla inesse poterat dubitatio, quin in regendo grege tuae fidei credito illud adhiberi curet doctrinae, prudentiae atque ecclesiasticae disciplinae lumen, quod et constans austerioris tuae genus et studiorum ratio et ingenii nunquam intermissae exercitationes praeseferunt praeclarissimum; gratum tamen ac jucundum universo Patrum ordini accidit idipsum nunc fuisse comprobatum literis, quibus de more ac diligenter Ecclesiae praedictae status Sacrae Congregationi relatus fuit. Nihil in earum literarum recitatione est deprehensum, quod desiderium sedulitatis tuae relinquat pluraque notata fuere ad religionis cultum utiliter sapienterque nunc primum composita. Harum abs dubio habenda numero parochi assignatio Ecclesiae s. Mariae Magdalenae in montibus Javeni facta, e qua rudis populus religione jam ita profecit, ut veterum christianorum referat imaginem, et erectio montis pietatis in urbe Cariniani, de quo novo pauperum subsidio sicut Emi Patres laetantur quam maxime, ita de tua vigilantia non dubitant, ut ad formam constit. s. m. Leonis X.: *Inter multiplices*, S. C. Trident. sess. 22. cap. 8 et 9. de reform. et servata concordiae lege omnia recte sint constituta.

Ad retinendam vero augendamque universi populi tuae fidei crediti pietatem, jam novit Eminentia tua, quantum conducat divinorum officiorum celebratio ita in singulis Ecclesiis juris tui habenda, ut nihil a Ritibus s. romanae Sedis, nihil a Rituali romano, Caeremoniali Episcoporum, Missali et Breviario sit dissonum; quare omnis cura adhibenda ad abusus, si qui irrepserint, ut in relatione tua diligenter additur, eliminandos, non obstante quavis consuetudine etiam immemorabili, quatenus aut non satis probari aut ut irrationabilem de jure suffragari non posse cognoverit.

Quae de seminario, theologicis institutionibus, censu ac bibliotheca a te aucta recitata sunt, singularem in modum probarunt Patres ac liberalitatem non minus quam sapientiam tuam, ut par erat, maximique commendarunt.

Quum vero seminariorum institutionem ea potissimum de causa in Ecclesiam invexerint majores nostri ac sacri Canones sanciverint, ut Clerici ad ecclesiastica munera recte utiliterque obeunda divinarum literarum studio fiant idonei, Patres Eminentiam tuam rogandam censuerunt ne seminarii alumnos a literarum exercitationibus ullo modo in posterum feras abduci, ut sacris Ecclesiae functionibus intersint nisi festis diebus aliis-

que, quibus publicae supplicationes sunt habendae.

Consuetudo, quae una a Capitulo attenditur, re mature perpensa sanctionibus tridentinis minime respondet nec disciplinam invertit a Sacr. Congregatione receptam atque probatam; quapropter posthabita fuit ac omnino tollendam Patres censuerunt recte memores, quod usum non absimilem quoad duos tantum seminarii Clericos non servandum in causa Alben. Sacrorum Rituum et regiminis Ecclesiae, ad dubium XIV. 18. Julii anno 1710 fuerit definitum.

In hanc vero sententiam eo etiam promptius est, quo certius patuit, cl. me. Card. Cavalchini olim praedecessorem tuum a diurno collegiatae Ecclesiae s. Laurentii servitio seminarii alumnos liberos omnino voluisse, nullamque ea de re in fundatione adesse posse ordinationem, quum seminarium Ecclesiae collegiatae erectionem longe antecesserit.

Tridentinis sanctionibus sapientissime latis, ut intra annum dioecesis lustratio Synodique convocatio contingat, in tam praeclaro rerum omnium regimine minime deesse jure ac merito sperat S. Congregatio.

Haec a S. Congregatione ad Eminentiam tuam scribenda accepi; ad me quod attinet, quum nulli in suscipienda doctrina virtuteque tuo tot nominibus cumulatissima concedam, studia consiliaque mea, quae Ecclesiae dignitatisque tuae vel decus vel commodum sint allatura, sponte lubensque Eminentiae tuae polliceor ac defero.

Romae 3. Dec. 1784.

Eminentiae tuae humillimus et add. serv.

Card. Pallavicinus.

Carrara Secret.

(Anal. J. P. 1855 p. 1033 etc.)

16) Sacerdos intelligere debet.

Salernitana.

Claudius Ursus sacerdos Salernitanus exposuit, se, dum quaedam die celebraret incipiendo in fine missae, ut moris est, evangelium s. Joannis, superveniente ex abrupto Cardinali s. Severinae olim Archiepiscopo Salernitano, ante oculos celebrantis, tanto timore perterritum et correptum fuisse, ut nunquam ex illa hora potuerit in missa proferre dictum evangelium s. Joannis, sed loco ipsius quotidie in fine missae recitasse aliud evangelium sibi benevisum; supplicans ignosci ob temeritatem incursam et dispensari posthac ad commutandum dictum evangelium s. Joannis in aliud arbitrio hujus Sacrae Congregationis, quae mandavit scribi Emo Sabello, Archiepiscopo Salernitano, ut oratorem suspendat a celebratione missarum, donec potuerit proferre evangelium s. Joannis.

Die 5. Julii 1631.

(Anal. J. P. 1863 p. 239.)

In ordinariis Comitiis S. R. C. relatis precibus nomine Amplitudinis Tuae, Redme Domine, requirentis missam vot. quotidie celebrandam a rudi imperitoque Sacerdote dioecesis Tuae Bovinens., PP. S. C. concordes in voto fuere, quod Amplitudini Tuae scriberetur, ut Sacerdotem eundem imperitum omnino suspensas donec instructus appareat ad rite celebrandum, scandalo secluso.

n. 4846 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Missa* (ritus etc., decr. de die 16. Jan. 1649); *Ritus* (in Seminario etc.); *Instr. Cl.* §. XXXVI. n. 18 et 21 etc.; *Ritus missae.*

Ne Sacerdotes ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant, praeter eas,

quae ab Ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint.

Conc. Trid. Sess. 22. De observ. et evit. in celebr. miss.

Sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus quasve caeremonias in missarum celebratione retinere debeant.

Bulla s. Pii V. 13. Julii 1570.

17) In Seminario exercendus.

(Ex Const. Gregorii XIII. pro Colleg. germanico edita die 1. Aprilis 1584 n. 10. 21.)

Cum autumni tempore Alumni a lectionibus vacant, tum maxime in divinis officiis perdiscendis et cantandis, ut Superioribus videbitur, *sese exerceant;* in quo tamen ne remissius aut indulgentius agatur, rectoris conscientiam oneramus. Eo quoque tempore aut alio, cum studia intermittuntur, ea doceri curent, quae celebrandi missae sacrificio sunt accomodata, praesertim hostias et corporalia parare diebusque festis nulla umquam literaria exercitatio aut divinum officium aut ecclesiarum curam quomodolibet interrumpat seu impediat; beneficiorum in Collegium a Dei benignitate collatorum memoriam pie colant, memoresque sint bene de Collegio praedicto et de se meritorum et superiorum praecipue defunctorum, quorum nomina in ecclesiarum suarum sacrario aut in choro descripta habebunt; proque iis, qui majore fuerint in se sui beneficentia anniversaria sacra perpetuo solemniter fiant, singulisque hebdomadis pro illis orationes et sacrificia Deo offerantur.

Maxima quoque habeatur cura ecclesiarum divinusque in illis cultus ac ornatus religiosissime conservetur piique sacerdotes a Superioribus eligantur, qui in illis semper resideant ac, ut debebunt, missas et divina officia celebrent, ipsique Superiores, pro honore Dei, ecclesiis praedictis liberaliter, quidquid opus erit, provideant cultumque in eis exhibeant, ut earum reditus primum illis ipsis ecclesiis serviant. Divinorum officiorum tempore nullus alumnus absit sacerdotesque viri pii et graves choro praesint sacrarumque caeremoniarum magistri sint divini officii moderatores. Si quis autem ex alumnis indignum quid orationis domo aut inhonestum dicto vel facto, nutu vel aspectu minus honeste commiserit, confestim e Collegio dimittatur, si quis etiam sacras caeremonias discere vel exercere neglexerit aut ab ecclesiasticis et clericalibus officiis alienus fuerit vel templum et chorum fugitet, nisi monitus resipuerit, in collegio non tolleretur.

18) Sinarum (Chinarum).

De permissis vel denegatis ritibus et caeremoniis in imperio S(Ch)inarum vd.: Constit. Clem. XI. diei 19. Mart. 1715 in Bull. r. t. VIII. p. 155 ed. Luxbg., et diei 26. Mart. 1693 *(ibid. p. 387 — 395)* et diei 25. Septbr. 1710 *(ibid. p. 398)*; vd. etiam confirmationem hujus Constit. Clem. XI. per Constit. Bened. XIV. diei 11. Jul. 1742 *(ibid. t. XVI. p. 105 — 114)*; Constit. Benedicti XIV. diei 19. Decbr. 1744 *(ibid. p. 267)*.

19) Slavo - Latinus.

Benedictus PP. XIV.

Ex pastorali munere, quo romani Pontifices Catholicae praesunt Ecclesiae eamque moderantur, consueverunt Praedecessores Nostri vigilem navare curam, ut in Sacris peragendis suosque unaquaeque natio legitime invectos Ritus religiose custodiat ejusque idiomatis uniformitatem retineat, quos illius respective majores in missae Sacrificio divinisque officiis usi dignoscuntur, prohibentes ne quid in prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formu-

lis immutata, deflectatur omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

§. 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in ritum Slavo-Latinum, quem fel. rec. Praedecessor Noster Joannes Papa VIII. fideli ac religiosae nationi Illyricae una cum idiomate, quod nunc Slavum litterale appellant, et charcteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, et successivis temporibus recol. memor. Praedecessores pariter Nostri Urbanus VIII. et Innocentius X., dum Missale et Breviarium eodem idiomate et characteribus excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt, nonnullos irrepere abusus apost. Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent missas, insertis orationibus et precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere, initium quoque evangelii secundum Joannem et psalmum Lavabo eadem vulgari lingua latinisque characteribus impressa nulla desuper a Nobis facultate et approbatione praeobtenta sibi aliisque Sacerdotibus legenda proponere; idcirco ne hujusmodi abusus, qui eumdem ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur, postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium: *Etsi pastoralis* *), et octogesima septima, incipiente: *Demandatam coelitus* **). graecorum rituum conservationi et integritati pro Italo-Graecorum et Graeco-Melchitarum nationibus abunde providimus; eamdem nunc sollicitudinis Nostrae curam ad Illyricam nationem convertentes suprema, qua fungimur, apost. auctoritate, volumus, praecipimus atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes et Sacerdotes tam saeculares quam cujuscumque ordinis aut instituti regulares, qui ritum Slavo-Latinum profitentur, in augusto altaris Sacrificio et in horis canonicis aliisque divinis officiis persolvendis ac obeundis Missalia, Tabellas et Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandae Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimentur, non sine praeviis opportunis revisionibus et approbationibus aliisque diligentiis hucusque adhibitis et deinceps adhibendis a viris et Slavo-Latinum idioma ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant et teneantur, utque in posterum nemo ex praedicto Clero in Missis celebrandis aut in divinis officiis persolvendis orationes et preces, quae Nostra et apost. Sedis auctoritate examinatae non fuerint et approbatae, recitare aut quoquo modo adhibere audeat seu praesumat.

§. 2. Quocirca VV. Fratribus Nostris Archiepiscopis et Episcopis, in quorum dioecesibus ritus Slavo-Latinus viget, committimus atque injungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi ovibus praeesse et Sacrorum Ecclesiae Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujusque Nostrae voluntatis ac districti praecepti executionem curent atque urgeant ac novitates omnes irreptosque quoslibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in pervicaces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

§. 3. Decernentes has Nostras literas et in eis contenta hujusmodi semper et perpetuo firma, valida et efficacia

---

*) t. III. p. 243.

**) Bull. r. t. XVI. p. 94 et 166. t. III. p. 290.

existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Constit. Bened. XIV. die 17. Aug. 1754.

(Bull. r. t. XIX. p. 112.)

20) Syriacus.

Vd.: *Ritus graecus* (praecip. Constit. Benedicti XIV.: *Allatae* diei 26. Julii 1755).

ROCCHETTUM.

1) Abbatis.

Abbati Ord. s. Benedicti non convenire usum rocchetti.

n. 636 ad 2 die 6. Jun. 1626.

Abbati Canonicorum *Regul. Later.* cum rocchetto et mantelletta tantum in Vesperis solemnibus in Ecclesia s. Mariae in Porto assistere licet.

n. 2597 die 3. Sept. 1672.

2) Abbatis saecul.

Turritana.

Proposito in Congregatione S. R. supradicto supplici libello, eadem S. R. Congregatio censuit modernum Abbatem saecularem posse uti rocchetto loco superpellicei, in casibus, in quibus regularis jam utebatur superpelliceo. · Die 23. Jan. 1621.

(Anal. J. P. 1863 p. 162.)

3) Archiepiscopi.

Cf.: *Mozzetta.*

Archiepiscopus uti potest et debet rocchetto *discooperto*, quandocunque voluerit, excepto, quando simul cum Nuntio Sedis ap. iter habebit vel ad eum invisendum accedit.

n. 44 ad 1 et 2 die 16. Febr. 1593.

De rocchetto Archiep. in visitatione publ. et priv., vd.: *Praeses* (cap. I. et II.).

4) Archiepiscopi Regularis.

Ad dubium: An Archiepisc. Turritanus regularis et Ord. s. Augustini possit uti rocchetto violaceo? S. C. resp.: Negative.

Vd.: *Regul. Episcop.* (habitus).

5) Canonicorum Cath. et Colleg.

Vd.: *Cappa Canonicorum Cath.* (praecipue decr. n. 4536, 4946); *Mozzetta Canon. Cath.*; *Canonici* (administr. Sacramentor.); *Process.* (Canon. Cath. et Colleg. par.; Clerus infer. parat.).

Maceraten.

Regulari observantiae insistens Canonicus Fiorentini civitatis Maceraten., ne in minimo quidem remittatur studium ecclesiasticae disciplinae, quae semper inviolabiliter et accurate servanda est, S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit nimirum:

1. Utrum Canonicus, qui per apostolicas literas in forma Brevis expeditas favore sui Collegii Canonicorum gaudet usu rocchetti et mozzettae etiam coram Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione et verbum Dei anunciando?

2. Et quatenus negative, utrum superpelliceum rocchetto imponere valeat iisdem in functionibus?

Et S. eadem Congreg. ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario coetu, dubiorum relatione audita ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, respondendum censuit

Ad 1.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, sed in propria tantum Ecclesia vel in aliis Ecclesiis, ubi adest usus deferendi cappam vel mozzettam juxta decretum in una dubiorum diei 31. Maii 1817.

Ad 2.: Affirmative, si Capitulum in choro utatur superpelliceo tempore aestivo, secus negative juxta prae-

dictum decretum, sed cotta tantum et stola utendum juxta Rituale romanum tit. 1. n. 7.

Atque ita decrevit ac servari mandavit.

n. 4683 die 7. Apr. 1832.

Ad dubium: Utrum possint et ipsi Canonici, qui ex antiquo more mozzetta de rocchetto insigniti sunt, uti rocchetto in administratione seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium, quum Rmus Episcopus usum rocchetti generaliter et pro majori seminario recenti praeceperit seu saltem probaverit, et pro omnibus insuper suae dioecesis Presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione se toleraturum esse voto et scripto declaraverit, quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanorum, Missale et Pontificale, licetque nulla in dioecesi Cenomanensi antiqua aut usquedum generalis pro ea sacrae liturgiae derogatione extiterit consuetudo?

S. C. resp.: Rocchettum non esse vestem sacram adbibendam in administratione Sacramentorum ac proinde tum ad ea administranda tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores ordines necessario superpelliceo utendum.

Atque ita declaravit die 10. Jan. 1852.

(Anal. J. P. 1852 p. 1432.)

Pius PP. VI.

Quanta cum utilitate ad venerationem majestatemque divinarum rerum in Christifidelium animis ingerendam conducant ipsa sacrorum indumentorum vestiumque ornamenta, experientia magistra compertum habens Sacrosancta mater Ecclesia instituit, ut non solum ministri in diversos ordines distributi praecipuis unicuique ordini et ministerio congruentibus vestibus utantur, verum etiam, ut Clerici, dum canonicas horas persolvunt, certis vestibus induantur.

Quamobrem in majorem divinae gloriae cultum et in ministrorum reverentiam cessurum fore confidentes, si insignia illa, quae aliis Ecclesiarum Canonicis concessa sunt, Ecclesiarum magis conspicuarum Canonicis impertirentur, grato libentique animo, cum a Nobis petitur, elargimur. Cum autem pro parte dilectorum filiorum Archipresbyteri et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae s. Joannis Baptistae loci de Cantiano Eugubinae dioecesis Nobis expositum fuerit, quod ipsi nullo, excepta almutia, alio sacro indumento potiuntur, eaque propter Archipresbyter et Canonici praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur.

Nos igitur Archipresbyterum et Canonicos praedictos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis et pro tempore existentibus Archipresbytero et Canonicis Collegiatae Ecclesiae hujusmodi, ut loco superpellicei et almutiae, quae hactenus deferre consueverunt, rocchettum et mozzettam sericam violacei coloris subsutam cum nodulis et fissuris coccinei coloris hyberno, aestivo vero tempore rocchettum cum superpelliceo tam in Ecclesia praedicta ejusque choro et capitulo quam extra eam in processionibus aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare illisque uti libere ac licite possint et valeant auctoritate apost. tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Ac Archipresbyterum et Canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari respective

nullatenus posse ac irritum et inane, si super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 364. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Quanta cum utilitate ad venerationem majestatemque divinarum rerum in Christifidelium animis ingerendam indumentorum vestiumque ornamenta ex usu compertum habens sacrosancta mater Ecclesia instituit, ut non solum ministri in diversos ordines distributi, praecipuis unicuique ordini et ministerio congruentibus vestibus uterentur, verum etiam, ut Clerici certis vestibus induti canonicas horas persolverent. Qnamobrem in majorem divinae gloriae cultum et in sacrorum ministrorum reverentiam cessurum fore confidimus, si insignia, quae aliarum Ecclesiarum Canonicis concessa sunt, Ecclesiarum magis conspicuarum et praesertim Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, grato libentique animo, quoties a Nobis petitur, elargimur.

Cum itaque pro parte venerabilis fratris Josephi Mariae Episcopi Feretrani ac dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum suae Cathedralis Ecclesiae Nobis expositum fuerit, quod ipsi non secus ac Canonici Collegiatae Ecclesiae s. Agathae ejusdem civitatis Feretranae, immo ipsi quoque Mansionarii seu Beneficiati ejusdem Cathedralis Ecclesiae sola adhuc almutia usi sunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in promissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur memoratum Josephum Mariam Episcopum necnon dictum Capitulum seu Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, moderni et pro tempore existentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiae hujusmodi, ut loco superpellicei et almutiae, quae hactenus deferre tantum consueverunt, rocchettum et mozzettam sericam violacei coloris subsutam cum nodulis et fissuris coccinei coloris, tam in Ecclesia praedicta ejusque choro et capitulo quam extra eam in processionibus aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare illisque uti libere ac licite possint ac valeant auctoritate apost. tenore praesentium concedimus ac indulgemus, ac Canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari respective nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Datum Romae die 28. Jun. 1791.

(Bull. r. Continuatio t. IX. n. 39.)

6) Canonicorum regul.

Novarien.

Quaesitum fuit a S. R. Congregatione declarari: an liceat in processionibus publicis Canonicis regul. Lateranensibus uti rocchetto cum superpelliceo? Et S. C. resp.: Licere.

Die 28. Aug. 1628.

(Anal. J. P. 1863 p. 206.)

7) Episcopi.

Vd.: *Mozzetta; Vestis Episcopi.*

8) Episcopi Suffr.

Cf.: *Mozzetta.*

Episcopus Suffr., qui in civitate sui Metropolitani de ordine SSmi commoratur, non valens in propria dioecesi commorari, potest in dicta civitate deferre rocchettum sub mantelletta

occasione celebrandi Sacrum et visitandi cives ipsius civitatis. n. 3824 ad 1 die 22. Mart. 1710.

9) In Processione.

Vd.: *Processio* (Canonici Cath. et Colleg.; Clerus infr. parat.).

10) Quibus vetitum?

Vd.: *Cotta* (decr. n. 3885); *Administratio Sacramentorum.*

Curent Caeremoniarum Magistri SS. D. N. ne a regularibus praesertim Presbyteris seu Clericis etc. adhibeatur loco superpellicei rocchettum seu cotta cum manicis angustis. n. 1742 die 14. Nov. 1654.

Episcopus Vigevan. ut *visitator* hospitalis s. Matthaei, quod non est sub jurisdictione ordinarii Papiensis, sed immediate sub Sede apost., nullo modo potest uti rocchetto discooperto in via. n. 2495 ad 1 die 5. Oct. 1669.

Presbyter unus ex cappellanis Oratorii B. V. M. a carceribus illorumque prior deferre non valet in functionibus ecclesiasticis quam infra tam extra dictum Oratorium rocchettum et mantelletum. n. 3909 die 14. Maii 1718.

Ad dubium: an parochi Ravennatenses ap. privileg. suffulti gestandi in ecclesiasticis functionibus et publicis supplicationibus sive intra sive extra eorum curae commissas Ecclesias rocchettum loco cottae sub mozzetta violacea et stola auro intexta possint uti rocchetto etiam in Sacrament. administratione, benedictionibus aliisque functionibus, in quibus ex rubricae praecepto Sacerdos cottam assumere debet?

S. C. resp.: Negative et in casu solam cottam cum stola esse adhibendam. n. 4591 die 17. Sept. 1822.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Jure merito quaerebantur Cathedralis Ravennatensis Canonici de parochis, qui nuper ditati privilegio commutandi sub mozzetta et stola rocchettum loco superpellicei, quo prius utebantur in supplicationibus aliisque functionibus publicis sive intra sive extra eorum curae commissas Ecclesias, arbitrarie ampliantes Indultum illud, perperam extenderunt etiam ad Sacramentorum administrationem. Non enim ipsis invident honorifici indumenti decus, sed silentio tegere nequeunt abusum privilegii praetextu inductum famigeratis Ecclesiae legibus repugnantem. Ritualis romani rubrica expresse jubet praeceptivis verbis, *ut Sacerdos in omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus et stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit:* latamque legem limitat dumtaxat: *nisi in Sacramento poenitentiae ministrando occasio vel consuetudo vel locus aliter suadeat:* ita etiam plures provinciales synodi, praesertim vero s. Carolus Borromaeus, qui agens in Concilio provinciali I. de iis, quae ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent, praecepit *ut Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum et stolam adhibeant:* et instructionibus de Sacramentorum administratione parochis praesertim datis: *in omni Sacramentorum administratione semper superpelliceum decens et stolam adhibebit.* Hinc S. R. C. nec Canonicis Cathedralium indulgendum esse duxit administrare Sacramenta cum cappa et mozzetta seu solo rocchetto, sed ubique semper superpelliceum adhibendum fore sancivit. Ita in una dubiorum Urbis 12. Julii 1628, Syracusana 2. Aug. 1709, Pisauren. 2. *Dec. 1750,* ac tandem in una Urbis s. Mariae in Cosmedin *19. Junii 1773.* Parochi

igitur Ravennatenses exuere rocchettum, mozzettam dimittere debent soloque uti superpelliceo cum stola, dum administraturi sunt Sacramenta, veluti S. R. C. proposito dubio respondit. Indultum quippe ipsis est, ut sub mozzetta vice superpellicei deferant rocchettum; haud vero concessum, ut eo utantur in Sacramentis administrandis, aut rocchetto cottam superimponant. Permissum id est Canonicis dumtaxat, qui habent usum cappae magnae; nam haec commutatur cum cotta tempore aestivo, in publicis supplicationibus etc.; quamobrem iidem in propria Ecclesia, quum ex praescripto ritualis et decretorum nequeant cum cappa vel cum solo rocchetto Sacramenta administrare licite possunt, imo debent cottam assumere, quin rocchettum dimittant.

Albinganen.

Quaesivit Episcopus: An protonotariis in Ecclesiis, in quibus sunt parochi vel canonici aut beneficiati, liceat uti rocchetto dum divinis assistunt? Et Sac. Congreg. respondit: quoad parochos non licere in functionibus parochialibus; quo vero ad canonicos et beneficiatos pariter non licere, si voluerint fructos suos facere et quotidianas lucrari distributiones.

Die 23. Jan. 1644.

(Anal. J. P. 1863 p. 298.)

11) Regularium.

Vd.: *Superpell. Regul.; Rocchettum* (abb.; Quibus vetitum?).

12) Usus.

Massen.

Quum superiori anno 1846 a S. C. Rmorum P. S. Conc. Trid. Interpretum ad hanc S. R. C. transmissae fuerint preces Rmi Massen. Ep., queis exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat, ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, Rocchetto utatur et hoc fortasse, quia olim jurisdictioni Canonicorum Reg. S. Frigdiani subjectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsius: ac proinde hujus S. Apost. S. oraculum exquirebat, num adhuc sibi super hoc usu silentio insistendum sibi sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur, vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio? De praemissis a subscripto Secretario fideli instituta relatione in ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in voto fuere: „Non esse inquietandos.“

Atque ita rescribendum mandarunt.

n. 5072 die 27. Febr. 1847.

Auditoribus causarum s. Palatii ap. conceditur delatio Rocchetti etiam in accessu ad capellas, functiones etc. et in recessu, vd.: *Const. Bened. XIV.* die 10. Apr. 1743.

(Bull. r. t. XVI. p. 158.)

13) Usus Romae.

Benedictus PP. XIV.

Cum de mandato SS. D. N. Benedicti Papae XIV. propositi fuerint in Sac. Congr. Caeremoniali nonnulli abusus, qui de recenti irrepserunt, inter quos est, quod Praelati rocchetti usum habentes, illo indiscriminatim induti per Urbem incedant ac insuetis indebitisque lemniscis, vulgo *Fiocchi,* equos proprii currus exornent: brevioribus insuper nigris vestibus amicti Ecclesias adhuc lucente die ingrediantur Sacramentum publice expositum veneraturi vel recurrentibus Sanctorum solemnitatibus cultum adhibituri atque debita

erga Sacrum Cardinalium Collegium publica visitationis Officia, aliquando non expleverint, tam in prima Praelatitii habitus susceptione vel in nova dignitatum aut munerum assecutione, quam erga eosdem Emos extra Urbem degentes, dum per civitates, ubi ipsi resident, Praelati iter agentes, quamvis tempus congruum id permitteret, eos invisere non fategerint,

Eadem proinde Sac. Congr. ad eos omnino eliminandos enunciatis die et mense ita decrevit:

I. Nulli Praelatorum, cujusvis Ordinis aut Collegii fuerit, qui Rocchetti praerogativa potitur, imposterum liceat eodem induto per Urbem incedere, cum hoc gestare unice ex Summorum Pontificum munificentia una cum lemniscis nigris ad equos proprii currus appensis, praecipuorum suorum Officiorum ratione ac praestantia, permissum sit Almae Urbis Gubernatori Vice-Camerario, Generalibus Reverendae Camerae Apostolicae Auditori ac Thesaurario, necnon utriusque Sacri Palatii Apostolici Praefecto, atque insuper ob distincti habitus accessionem, mozzettae scilicet a san. mem. Benedicto XIII. quatuor Patriarchis, Constantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano concessae, dum mantelletto ac praedicta mozzetta ornati processerint.

II. Praelati autem, qui rocchetti praerogativa fruuntur, tunc tantum sument illud per scalas Palatii Pontificii, Apostolicam aulam vel in antecedenti cubiculo, illud Congregationum aut collegialium actionum, quae in eodem palatio cum rocchetto fient, ingressuri; necnon quando primum in promotione Sacro Senatui de novo adscriptos et iterum Cardinalatus insigniis decoratos eos in suis domibus visitabunt; quoties quemcumque ex DD. Cardinalibus primo invisent vel Cardinali rocchetto similiter induto in comitatus obsequiis erunt, sive domi fuerit sive extra: Conveniendo insuper cum oratoribus principum, qui aula gaudent regia, publica solemni pompa procedentibus et in actu pariter dumtaxat cujuscumque alterius publicae vel privatae actionis, in qua rocchetti usus, dignitatis vel muneris ratione eis competere potest.

III. Jussit autem, ut Lemnisci, vulgo *Fiocchi*, aut quid similis ornatus, quocumque praetextu, titulo, colore aut forma in Ephippiis equorum Praesulum currus raptantium non apponantur. Et si forte apposita fuerint ornamenta, omnino amoveantur.

IV. Nulli praeterea Praelatorum, nisi praelatitio habitu induto, publicas Ecclesias, in quibus SS. Sacramentum Fidelium venerationi fuerit expositum vel alia quaecumque solemnia inibi peragantur, diurno tempore ingredi liceat.

V. Statuit insuper S. Congregatio, ut decreto alias per eam emanato die scilicet 26. Aprilis 1701 et a Sa. me. Clemente XI. approbato, nempe: Praelati usum rocchetti habentes eodem induti Emos Dominos nuper creatos visitabunt, quos denuo cum rocchetto, ut supra, visitabunt, post suscepta Cardinalatus insignia, adderetur, quod ipsi Praelati ejusdem visitationis Officium explere teneantur, non solum statim ac praelatitium sumpserint habitum, sed etiam cum aliqua distincta nova dignitate vel munere fuerint insigniti et occasione publici alterius Officii sibi ab Apostolica Sede collati, pro quo explendo ab Urbe sint recessuri et quando illo adimpleto in Urbem redierint permansuri.

VI. Utque suprema Cardinalatus dignitas semper et ubique debito non fraudetur honore, decrevit itidem ea-

dem Sac. Congr., quod Praelati tum privata quam publica causa itinerantes, dum eos per civitates, in quibus aliquis S. R. E. Cardinalis adfuerit, transire acciderit, erga ipsum praefatum visitationis Officium, prout tempus et circumstantiae ferent, explere non praetermittant. Et facta per Secretarium SSmo Dom. N. Benedicto Papa XIV. de praemissis omibus relatione, idem SS. D. N. praedicta decreta non solum approbavit sed inviolabiliter praecepit servari ac peculiariter Collegiis omnibus Praelatorum jussit significari, ne sub quovis praetextu, tolerantia, causa vel colore, quae superius praescripta sunt, secus interpretando variationi vel omissioni subjaceant, sed omnimode, prout exprimuntur, ab omnibus servanda mandavit et quatenus opus fuerit, pro eorumdem decretorum executione ad omnia alia necessaria et opportuna remedia, se deventurum expressit.

Hac die 23. Nov. 1742 SS. D. N. Pontificatus anno III.

T. Episcopus Ostiensis et Veliternen. Card. Rufus Sac. Collegii Decanus, Vice-Cancellarius, Praefectus.

Loco † Sigilli.

Ignatius Reali, Secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 1927.)

14) Vestis sacra non est adhib.

Rocchettum non esse vestem sacram adhibendam in administrat. Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda tum ad suscipiendam primam tonsuram et minor. Ordines necessario superpelliceo utendum.

n. 5165 ad 5 die 10. Jan. 1852.

S. ROCHUS.

(Fest. et Officium.)

Concessum est Officium et Missa pro die festo s. Rochi pro Oppido et populo Matriti et pro omnibus *Ecclesiis* in hon. dicti Sancti dicatis ubique locorum, *juxta tamen rubricas*. n. 822 die 20. Junii et 26. Nov. 1629.

(Vd. *infr. n. 3301*.)

Ecce concedendam Missam et Officium in die festo s. Rochi de Comm. c. non p. in iis tamen locis, ubi absunt *Ecclesiae* in ejus honorem aedificatae, servatis rubricis Breviarii. n. 825 die 4. Julii 1629; n. 2364 ad 4 die 13. Febr. 1666.

Supradictum decretum uti generale servandum esse ubique et in toto Orbe itaque etiam in locis, in quibus deficiant requisita praescripta in dicto generali decreto. n. 1167 die 2. Julii 1639.

In Ecclesia s. Agathae Transtiberim Urbis relictum esse annuum legatum cum onere unius Missae s. Rochi dicendae in die suae festivitatis 16. Aug. impedito Officio duplici s. Hyacinthi, ultra quod illius Missa reperitur prohibita extra ipsius Ecclesiam.

S. C. concessit, ut satisfieri posse voluntati Legantis Missa dicta Hyacinthi. n. 2555 die 24. Julii 1671.

Ad dubium Cleri civitatis Boven., sub quo Ritu debeat celebrari Missa et recitari Off. s. Rochi in Ecclesiis titularibus ejusd. Sancti tanquam titularis?

S. C. resp.: Juxta rubricas titularibus competentes. n. 3184 die 18. Junii 1698.

De s. Rocho, licet ejus festum servetur ex devotione, attamen non posse recitari Officium et celebrari Missam, nisi in propriis Ecclesiis eidem Sancto dicatis ex concessione S. C. 4. Junii 1629 et tunc dicendum esse Officium sub Ritu dupl. 1. cl. n. *3301* ad 10 die 10. Jan. 1693.

(Vd. *supra n. 822*.)

In civitate et dioecesi Bossanensi continuari potest recitatio Officii sub

Ritu dupl. maj. s. Rochi, qui colitur ut patronus minus princip. n. 4355 ad 8 die 23. Mart. 1771.

Matriti.

Nomine populi et oppidi Matriti supplicavit D. Didacus de Zuniga extendi Officium et Missam jam concessam pro die festo s. Rochi Ecclesiis in ejus honorem dicatis etiam ad eremitoria pariter ipsius nomine erecta. Et Sac. Cong. censuit concedendum die 26. Nov. 1629 facto verbo cum Sanctissimo. Et Sanctissimus annuit declarando decretum jam emanatum intelligi debere, ut possit fieri festum cum Officio et Missa de communi confessorum non pontificum in Ecclesiis dumtaxat et eremitoriis habentibus requisita Ecclesiarum in honorem s. Rochi dicatis, juxta rubricas breviarii romani, non autem quod ultra Ecclesias et eremitoria, ut supra, idem fieri liceat per loca et civitates, ubi adsunt Ecclesiae vel eremitoria, et ita servari mandavit.

Die 26. Nov. 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 216.)

Congregationis Fuliensium.

Procurator generalis Congregationis Fulien. supplicat responderi, an decretum Sanctissimi prohibitivum de non celebrando festo s. Rochi nisi in Ecclesiis ejus nomini dicatis habeat locum etiam in locis ultra montes, in quibus vigebat et etiam hodie viget contraria consuetudo? Et Sac. Congr. mandavit inspici decretum et secundum illius formam mandavit responderi.

Die 27. Nov. 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269 n. 1236.)

Massilien.

Monachi monasterii s. Victoris prope et extra muros civitatis Massiliae S. R. C. supplicarunt, ut ad augendum fidelium ac praecipue nautarum devotionem ac pietatem, quam in divum Rochum prosequuntur, festum ejusdem s. Rochi cum Officio et Missa solemniter ibi recolere possint. Et S. eadem Congregatio responderi mandavit: obstare decreta.

Die 9. Aprilis 1661.

(Ibid. p. 371 n. 1708.)

Pius PP. VI.

Quum, sicut venerabilis frater Episcopus Oriolensis nuper exponi Nobis fecit, vehementer ipse cupiat, pro sua in s. Rochum pietate ejus cultum apud se propagare, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut ab universo clero saeculari civitatis et dioecesis *Oriolensis* necnon a religiosis et monialibus, utentibus calendario dioecesano, quotannis recitari Ritu *duplici min.* die 16. Aug. in honorem praedicti S. Officium cum Missa de communi confessoris non pontificis cum orationibus et lectionibus secundi nocturni propriis jam a fel. rec. Benedicto PP. XIV. praedecessore Nostro adprobatis, pro Ecclesiis archiconfraternitatum Urbis et civitatis Tusculanae, Deo in honorem ejusdem s. Rochi dicatis, libere ac licite possit ac valeat, fixe tamen adsignato in posterum primo die non impedito pro Officio s. Hyacinthi, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 30. Aug. 1796.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 36.).

ROGATIONES.

1) Comemorationes.

Vd.: *Litan. maj. etc.* (Missa, Orat.)

Ad dubium I.: Sub die 23. Maii 1854 S. R. C. decrevit faciendam esse commemorationem festi occurrentis in Missa rogationum in Ecclesia, ubi non solet quotidie Missa decantari. Quaeritur ergo: utrum in omnibus Ecclesiis, ubi non cantatur alia Missa de festo occurrente aut de vigilia Ascensionis, debeat fieri commemoratio festi occurrentis aut ejusdem vigiliae in Missa rogationum et hoc etiam, si in eadem Ecclesia aliae Missae legantur de festo occurrente vel de vigilia?

II.: Utrum pro eodem casu in Ecclesia Cathedrali, ubi ex jure alia Missa sive de festo sive de vigilia cantari debet, sed de facto non cantatur, commemorationes occurrentes faciendae sint in Missa rogationum?

III.: An pro iisdem diebus haec rubrica: In Missis privatis, si dicantur de Sancto, fit commemoratio rogationum, applicari debeat etiam, si in eadem Ecclesia et ab eodem clero cantetur Missa rogationum? vel Missa cantata de rogationibus sit motivum sufficiens omittendi commemorationem earumdem rogationum in Missis lectis de festo vel de vigilia?

IV.: Utrum iisdem diebus in Missis privatis de festo fieri debeat commemoratio rogationum, etiamsi Missa de rogationibus cantata vel cantanda sit in eadem quidem Ecclesia, sed ab alio clero, qui huc accedit stationem facturus et Missam celebraturus?

S. C. resp. *ad I.:* Negative et servandam peculiarem Missalis rubricam, nam in adducto decreto agitur de Ecclesiis, in quibus Missa de festo occurrente vel de vigilia omnino desideratur;

ad II.: Provisum in primo;

ad III.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;

ad IV.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2188.)

2) Oblig. et tempus recitandi Litanias SS. in rogationibus.

In triduo rogationum post laudes recitandae sunt de praecepto, etiam extra chorum, Litaniae Sanctorum, quae non duplicantur, cum suis precibus. *Communis.* Sunt enim pars Officii. Et quidem recitandae sunt proprio respective mane, nec possunt recitari Vespere pridie statim post matutinum et laudes Officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de Officio Defunctorum die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quod recitandum est de praecepto etiam extra chorum mane illius secundae diei Novembris, nec potest anticipari in Vesperis, ex decreto S. C. R. 1. Sept. 1607 (Nota tamen, decretum hoc revocatum fuisse ab ead. S. C. R. alio decreto in una Ratisbonen. 4. Sept. 1745 *]. Quare nunc licet privatim recitare Officium Defunctorum die antecedenti commemorationem omn. fidel. Defunctorum; atque hinc ruit fundamentum a simili hic allatum.). Et sic docent *Tamburin.* in Decalog. lib. 2. capit: 5. §. 5. n. 7., *Stoz* lib. 1. part. 3. n. 417., *Merati* tom. 2. sect. 6. cap. 16. n. 5. cum pluribus ibi adductis et alii; unde caute legendi sunt doctores contrarium sentientes, ignorantes fortasse praedictum decretum Sac. Congr.; tum quia ipsae Litaniae sunt loco assistentiae ad processionem, quae assistentia

---

*] Vd.: *Commem. Om. fid. def.* (Off. t. I. p. 330.)

non potest anticipari, sed ipso proprio respective die rogationum observari debet.

3) Oblig. paroch. interessendi.

Ad dubium: An Collegium parochorum Faventiae teneatur interesse processioni, quae fit in festo s. Marci cum Capitulo et toto Clero?

S. C. C. resp.: Affirmative et ampl. Die 7. Junii 1760 ad XI.

Vd.: *Processio publ. etc.* (oblig. interess.) *; s. Marcus ; Litaniae majores ; Vigil. Ascens. D.; de commemoratione feriarum rogationum,* vd.: *Feriae maj.* (commemor. decr. n. 4175.)

S. ROMUALDUS.

Clemens PP. VIII.

Nos s. Romualdi Abb. nomen et diem festum in Calendario rom. die 7. Febr., quo die ejus translatio facta est, adscribendum ejusque Officium a quibuscunque personis Eccles. saec. et reg. ubique terrarum existentibus sub Ritu dupl. de comm. c. non p., ubi proprium deest, praeter ll. 2. n., quae propriae assignantur a S. R. C. approbatae, celebrandum esse tenore praesentium perpetuo decernimus et statuimus.

Quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae 9. Julii 1595.

(Bull. rom. t. III. p. 51.)

Congr. Camaldulensium Pedemontis.

Concessa a S. R. C. sub diebus 29. Aug. 1674 et 22. Jan. 1678 pro tota Congregatione monachorum Camaldulensium facultate qualibet fer. 3. non impedita, exceptis Quadragesimae, Adventus et vigiliarum temporibus, recitandi Officium et respective celebrandi Missam s. Romualdi: Monachi Congregationis praedictae Pedemontis humiliter eidem S. R. C. supplicaverunt declarari: An valeat recitari Officium s. Romualdi praedicti in dicta tertia feria, licet non impedita, in eadem occurrentibus aliis Officiis duplicibus et semiduplicibus translatis?

Et S. eadem R. C. respondit: „Affirmative."

n. 3557 die 8. Maii 1700.

In tota Congr. Camaldul. celebrentur duae festivitates S. P. Romualdi, nempe translationis sui Corp. 7. Febr. et Dormitionis in Domino 19. Junii; dubitatur: an sub praecepto teneantur PP. colere utrumque festum, atque si ad unum tantum extendatur haec obligatio, quale illud debeat esse, Translationis aut Dormitionis, qualeve celebrandum cum octava?

S. C. resp.: Festum s. Romualdi esse in die Dormitionis in Domino et hoc tantum celebrandum esse cum octava. n. 4136 ad 6 die 19. Jan. 1743.

RORATE.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M. in Adventu; Expos. SSmi in Rorate.*

ROSA AUREA.

1) Benedictionis antiquitas et sensus mysticus.

Benedictus PP. XIV.

Quarta vertentis Quadragesimae Dominica, quae nuper praecessit, quaque festivus Introitus: *Laetare Hierusalem* ab Ecclesia Sancta cantatur, Nos ex Praedecessorum nostrorum more et instituto solemnem rosae aureae benedictionem in aula paramentorum nuncupata confecimus; quam quidem sacram ritus celebritatem in Ecclesia sancte Crucis in Hierusalem peragere Summis olim Pontificibus in more positum fuisse, ab Abbate Befuzio in

ejusdem *Basilicae historia cap. 20.* demonstratur: sed quum hujusmodi Caeremoniae in eadem Ecclesia habendae consuetudo per illud temporis spatium, quo Romani Pontifices Avenione Sedem habuerunt, intermissa fuisset, ex eo factum esse idem auctor subjungit, ut, postquam Romam remigrarunt, eum Pontifices morem retinuerint, ut eamdem benedicitionem in aula paramentorum conficerent, non secus ac olim, quum Avenione essent, facere eisdem solemne fuerat.

Et Nos igitur sacram hanc Caeremoniam in memorata paramentorum aula peregimus; consuetae nimirum preces a Nobis recitatae fuerunt, tum rosa aurea balsamo inuncta, contrito odorifero musco perfusa, thure adolita et aqua benedicta a Nobis aspersa fuit; quae omnia in libro Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae praescribuntur, cujus libri auctor Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus vulgo reputatur. Hoc solum discrimen in ea, quae a Nobis peracta est, Caeremonia intercessit, quod, cum in memorato libro habeatur, Pontificem a paramentorum aula ad capellam procedentem sinistra manu rosam gestare, altera vero populo benedicere: *Manu sinistra rosam gestans et dextera benedicens progreditur ad capellam:* Nos ab aula quidem in capellam processimus, sacris Missae solemnibus interfuimus et, ut super altari rosa collocaretur, effecimus; at vero dum iter ad capellam habuimus, minime illud servavimus, ut rosam sinistra manu gestaremus, dextera vero benediceremus, sed eamdem rosam uni ex Clericis camerae apostolicae, qui praeibant, gestandam commisimus, quoniam, cum ab aliquo tempore mos invaluerit, ut rosa aurea post benedictionem super nobili ac magnifica basi constituatur, neminem, viribus quantumvis firmis, reperire est, qui sinistra manu valeat eandem gestare ac dextera benedicere, cum ad ipsam sustinendam ambarum manuum auxilio opus sit.

In eodem praeterea Caeremoniarum Ecclesiae Romanae libro, qui supra citatus est, subjungitur, rosam auream interdum a Pontifice praesenti cuipiam principi viro dono dari, interdum autem ad absentem transmitti. Cum noster Pontifex Alexander V. anno 1410 Bononia transiret, ubi diem etiam supremum obiit, rosae aureae benedictionem in Ecclesia s. Petronii peregit eamque Marchioni Nicolao Estensi, qui praesens ibidem aderat, dono dedit quemadmodum Sigonius in *suo de Episcopis Bononiensibus libro*, Masinus in *Bononia perlustrata,* Alidosius in eo, quem conscripsit, libro *de Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis Bononiensibus* et Celsus Faleoni in *monumentis historicis Ecclesiae Bononiensis,* testantur.

Quo tempore Nos a felicis recordationis praedecessore nostro Clemente Papa XI. in advocatorum Sacri Consistorii Collegium adscripti fuimus, Carolus Chartarius, cujus nomen inter eruditos viros satis notum est, Collegii ejusdem Decanus erat. Inter varia autem, quae supersunt opera ab eodem Carolo conscripta, opus extat, quod *de rosa aurea* inscriptum est: in quo Caeremoniae hujus originem investigavit, iis tamen monumentis innixus, quorum id temporis notitia habebatur. Illud autem eo in opere praecipuum est, quod rite et exacte confectus catalogus ibidem habetur summorum principum, regum, reginarum atque illustrium tum virorum tum foeminarum ac postremo etiam Ecclesiarum, ad quas a SS. Pontificibus rosae aureae munus transmissum est. Inter alias vero Ecclesias, quibus praedictum donum impertitum esse memo-

ratur, Metropolitana nostra s. Petri Ecclesia descripta deprehenditur. Hoc autem munus a recolendae memoriae concive nostro Gregorio P. XIII. ad eamdem Ecclesiam transmissum fuit; cujus rei gratia idem Pontifex praesulem Vincentium Bolognettum intimum cubicularium suum Bononiam ablegavit, qui rosae aureae munus eo tempore detulit atque exhibuit, quo bon. mem. Cardinalis Gabriel Palaeottus semper cum laude memorandus Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerebat. Haec autem rosa ea ipsa est, quae etiam hoc tempore quarta Dominica Quadragesimae in Metropolitanae illius Ecclesiae Ara principe exponitur, dum divinorum Officiorum ac Missarum solemnia celebrantur. Quae autem per hujusmodi occasionem acta Bononiae sint, ea tum *in historia* Vizzani tum in *monumentis historicis* Faleoni et Masini, in Instructionibus, quae Praesulo Bolognetto praescriptae fuerunt, ac postremo in Allocutione, quae hujus celebritatis occasione a Cardinali Gabriele Palaeotto habita fuit, videre est; quae monumenta a Chartario collecta et *in memorato suo opere p. 116 et seq.* edita sunt.

Et Nos igitur, quamvis egregio civi nostro Gregorio Papae XIII. dignitate quidem pares at meritis inferiores Nos esse ingenue agnoscamus, illius tam exemplo, ad alia amoris ac devotionis nostrae argumenta, quae erga Metropolitanam Ecclesiam Nostram ac dilectam patriam hucusque exhibuimus, rosae etiam munus adjungere decrevimus. Quapropter rosam auream, quae, ut supra diximus, proxime elapsa Dominica quarta Quadragesimae a Nobis benedicta fuit, Metropolitanae Ecclesiae Nostrae dono transmittimus ad eamque deferendam dilectum filium Paulum Zani nobilem concivem atque intimum cubicularium Nostrum deligimus. Pro iis autem, quae hac occasione agenda erunt, consuetae eidem instructiones praescribentur. Cum vero Nos Bononiae Archiepiscopatum adhuc retineamus resque nostras videamus in eo statu positas, ut (quod grave admodum Nobis est) Ecclesiam ac patriam nostram amplius jam invisendi spes Nobis sublata sit, ea hic indicare supervacuum existimamus, quae hujusmodi occasione per Nos facta fuissent, si Nobis istic idem Archiepiscopi munus gerentibus, rosae aureae munus a Pontifice Bononiam transmissum fuisset.

Neque illud etiam a Nobis postulatur, ut ea omnia fiant, quae Gregorii XIII. tempore facta fuerunt, cum praeteritorum ac praesentium temporum conditio diversa sit neque cum eo, qui tunc erat, hodiernus rerum status conferri possit. Quod igitur satis esse ducimus, adeo ut amplius eo quidquam fieri neque exoptemus neque probaturi simus, illud est: primum, ut hujusmodi celebritas festo die s. Petri Apostoli, qui Metropolitanae Ecclesiae Nostrae Titularis est, peragatur, quo die intervenientibus Urbis magistratibus solemnem capellam haberi in more positum est; praeterea, ut rosa aurea a Nobis dono Missa quotannis Dominica quarta Quadragesimae, quo tempore divinorum Officiorum ac Missarum solemnia peraguntur, in Ara Ecclesiae maxima exponatur una cum ea, quae a Pontifice Gregorio XIII. donata fuit, dummodo tamen rosae illius status talis sit, ut exponi possit; nisi enim memoria Nos fallit, aurea Gregorii rosa minus bene se habere Nobis videtur; quod si ita foret, illud opportune faciendum existimaremus, quod in Sanctuario Lauretano aliisque Ecclesiis fieri consuevit. Theophilus Raynaudus *tom. 10. suorum operum in tractatu de rosa Mediana a Pontifice consecrata ad pag. 411* Ecclesiarum Elenchum contexit, ad quas a SS. Pontificibus rosae aureae munus transmissum fuit; ille

autem, qui apud Chartarium habetur, magis exacte confectus est; cum hic apostolici tabularii arcis s. angeli, cujus praefecturam gerebat, monumenta in promptu habuerit, Vaticana Basilica, cujus inter Canonicos Nos olim fuisse gloriamur, a quinque Summis Pontificibus rosae aureae munere donata fuit. Idem autem munus Basilica Lateranensis bis a duobus videlicet SS. Pontificibus obtinuit: ita pariter in Sanctuario Lauretano duorum item Pontificum, Gregorii XIII. et Clementis VIII. dono impertitae geminae aureae rosae visuntur; harum tamen prima non amplius exponitur neque a loco, ubi sita est, removetur, ne forte, cum a vetustate male habeat, eamdem conteri aut comminui contingat; qua etiam fortasse de causa in nuper memoratis Basilicis Dominica quarta Quadragesimae super altari unica tantum rosa, ea nempe, quae novissime donata fuit, exponitur.

In Musaei Italici tomo secundo a Mabillonio inserti reperiuntur romani Ordines, quos illi datum est in itinere, quod per Italiam habuit eoque potissimum tempore, quo Romae moratus fuit, virorum in sacris materiis peritorum ope, colligere. In undecimo autem Ordine, qui Benedicti Canonici s. Petri est quemque ante *annum 1143* conscriptum fuisse ex eo patet, quod Cardinali Guidoni de Castello ab auctore dedicatum fuit, qui Cardinalis praedicto anno Pontifex factus et Coelestini II. nomine appellatus fuit, atque in aliis Ordinibus subsequentibus, qui ad inferiora pertinent tempora, de rosa aurea mentio facta deprehenditur. Tam autem in illo, qui memorati Canonici romani opus est, quam in altero Cardinalis Jacobi Cajetani, qui Pontificis Bonifacii VIII. nepos fuit, atque etiam in alio Petri Amelii, qui Sacrista fuit Urbani V., illud fuisse moris adjungitur, ut Romanus Pontifex, rosae aureae occasione de eadem aurea rosa sermonem haberet. Sane inter Magni Praedecessoris Nostri Innocentii III. opera sermo reperitur, quem ipse per hanc occasionem in Basilica s. Crucis in Hierusalem pronunciavit. Nos quidem praeterita Dominica quarta Quadragesimae solemnem benedictionis rosae aureae Caeremoniam peregimus, sed nullum eadem occasione sermonem habuimus, tum quia id a Praedecessoribus nostris his temporibus, quae Nobis proximiora sunt, minime factum fuisse novimus, tum quia in Sacrarum Caeremoniarum libro, qui Christophoro Marcello tribuitur et Leonis X. tempore conscriptus fuit, quo scilicet hodierno tempore utimur, de hujuscemodi sermone nullum omnino adest verbum, ac demum quia Dominica quarta Quadragesimae non est ex eis festis diebus, in quibus Romanus Pontifex solemni pontificali ritu celebrare solet; sine pontificali autem Missa ut plurimum minime locus sermoni est, quemadmodum in supracitato decimo quinto Ordine Romano Petri Amelii cap. 47. videre est: *Id certo nota, quod quandocumque Romanus Pontifex facit sermonem, debet etiam Missam celebrare.* Neque vero hujusmodi sermonem in hac, quam conscribimus, epistola habere Nobis in animo est; illud tantummodo propositum habemus, ut aliqua tum circa auctorem rosae tum circa ipsius significationem atque ejusdem etiam benedictionis auctorem leviter attingamus; quod quidem non solum praetermissi sermonis quodammodo locum tenere poterit, verum etiam aliquid valebit ad commendandam excellentiam istius muneris, quod Metropolitanae Bononiensi Ecclesiae Nostrae transmittimus.

Ut autem illa praetermittamus, quae circa ejusdem antiquitatem dicenda minime deessent, sed, si hic afferentur, nostri temporis eruditis obsoleta

et supervacua jure videri possent, *Magnum Pontificem s. Leonem IX. hujusmodi rosae aureae anno Christi 1049 auctorem haberi dicemus.* Nobiles Pontificis hujus progenitores s. Crucis monasterium in ea regione, quae nunc Alsatia dicitur, fundaverant; cumque jus super eodem monasterio in personam ipsius Pontificis recidisset, placuit ipsi, exemptionem monasterio concedere illudque S. Sedi immediate subjicere, eidem vero onus imposuit, ut quotannis aliquot diebus ante Dominicam quartam Quadragesimae vel auream rosam vel duas auri uncias Pontifici mitteret; cujus quidem census solutio subsequentibus etiam temporibus adimpleta fuisse dignoscitur; siquidem relata habetur in libro censuum cencii camerarii, quod opus sub saeculi duodecimi finem conscriptum fuit atque a Muratorio in *suo tomo 5. antiquitatum Italicarum dissert. 69. p. 880.* etsi minus integre typis editum, cujus tamen integrum autographum in tabulario arcis s. Angeli asservatur, ejusdem vero exemplar exacte ac fideliter descriptum penes Nos habemus, quod a dilecto filio magistro Antonio Casalio camerae apostolicae praeside dono accepimus, quum is illius dominium acquisierit ex haereditate ac successione celebris atque eruditi viri quondam Joannis Baptistae Casalii gentilis sui.

Augustinus Calmet in *sua historia ecclesiastica et civili Lotharingiae tom. 1. lib. 19. p. 1040,* postquam de fundatione monasterii s. Crucis in Alsatia ac de tributo per S. Pontificem Leonem IX. eidem imposito ea omnia retulit, quae nuper exposita a Nobis sunt, ita subdit: *Talis est origo rosae aureae, quam etiam hodie Pontifex benedicit quarta Dominica Quadragesimae, quae dicitur Laetare et quam alicui ex principibus in amoris atque aestimationis pignus dono mittit.* Nos vero, licet hujusce auctoris doctrinam et literarios labores probe compertos habeamus, minime tamen adduci possumus, ut praedictae illius opinioni subscribamus. Illud enim libenter admittimus, s. Leonem P. IX. monasterio s. Crucis praefatum tributum imposuisse, ex eoque probari, rosam auream illius aetate in usu fuisse; at ex eo nequaquam probari posse judicamus, eumdem Pontificem ritus rosae aureae auctorem fuisse, quinimmo ex eo ipso arguimus hujusmodi ritum aliquanto prius institutum fuisse.

Porro idem Calmet *par. 2. sui tom. 1. nuper citati* ad asserendam veritatem rerum, quae ab ipso enarrantur, authentica affert testimonia, privilegium scilicet s. Leonis IX., cujus quidem ea, quae subjicimus verba, ad rem nostram vel maxime faciunt: *Pro donatione igitur libertatis istius, o Crux,* quod videlicet monasterium titulo s. Crucis insignatum esset, *ipso sole nitidior cunctisque creatis pretiosior, Petro Apostolo ipso tuo monasterio concessa, pro salute animae meae meorumque parentum ibidem in Christo tuo Domino Nostro dormientium, penso annuatim constituto tempore nostrae Apostolicae Sedi ab Abbatissa ipsius loci solvendum, rosam videlicet auream penso duarum romanarum unciarum, aut factam, sicut fieri solet, aut tantumdem ad faciendam, tempore Quadragesimae mittendam, octavo die antequam a Nobis et Successoribus nostris consuete portari in quarta Dominica, praecedente videlicet die Dominico, cum cantatur Introitus: Oculi mei semper ad Dominum.*

Hic autem consideranda sunt tum verba illa: *Aut factam sicut fieri solet*, tum alia etiam, quae paulo post subsequuntur: *Consuete portari in quarta Dominica;* videndumque, an

ulla ratione fieri possit, ut ritus rosae aureae s. Leoni IX. tum quam primo auctori adscribatur. Sane quidem ex praedictis verbis arguitur, hujuscemodi ritum praecedenti tempore introductum extitisse, s. vero Leonem illum fuisse ostenditur, qui onus impensae in auream rosam faciendae monasterio suo imposuit, verum nullatenus iisdem verbis probatur, eundem Pontificem ritus illius institutorem fuisse, quemadmodum nuper dictum est. Etenim, si revera talis fuisset, aliquid amplius relatis verbis addidisset; causas nimirum exposuisset atque rationes, quibus ad eundem ritum constituendum inductus esset; diem vero, quo solemnis ea Caeremonia quotannis peragenda foret, ibidem ipse designasset, non tamquam antea praestitutum posuisset, ut ab eo factum fuisse deprehenditur. Siquidem hujusmodi Caeremoniae diem pro jampridem constituto habens hoc solum mandat, ut pensum a monasterio solvendum octo diebus ante Dominicam *Laetare* in Urbe sit, videlicet die Dominico, in quem cadit Introitus: *Oculi mei semper ad Dominum,* qui nempe Dominica tertia Quadragesimae in Missa legitur.

Nostras hujuscemodi animadversiones cum Nos aliquibus egregiis academicis nostris, ex his, qui singulis feriis secundis coram Nobis convenire assolent et valde accurate de sacris rebus et antiquitatibus disserere, communicavimus, aequi bonique exceptae et approbatae (licet non ab omnibus) fuerunt. Quare cum aliquis ex ipsis in academico conventu *die 6. Maii 1748* habito multa cum eruditione, ut illius mos est, Patris Calmeti partes tuendas susceperit, illa quidem verba: *Rosam factam sicut fieri solet* ita interpretatus est, quasi non infectam sed elaboratam ac perfectam rosam designarent; aliis vero verbis: *Consuete portari in quarta Dominica,* ea indicari censuit, quae Pontifex et per se ipsum facere constituisset et per successores suos fieri cuperet, quoniam ante praedicta verba alia haec habentur: *a Nobis et successoribus nostris,* adeo ut verus verborum sensus esse debeat ac sit, quod scilicet s. Leo onus illud Abbatissae imponeret, ut eadem sive rosam ex auro confectam et elaboratam sive duas auri uncias Romam mittere deberet, propterea, quod quarta Quadragesimae Dominica tum ipse rosam eamdem manu gestare vellet, tum ita in posterum a successoribus suis fieri exoptaret; atque hinc recte concludi, Pontificem illum ritus hujusmodi auctorem fuisse.

Omnino negari nequit, interpretationem hanc et acutam et ingenio illius dignam esse, qui eam in medium produxit. Verum Nos minime adduci potuimus aut possumus, ut eandem admittamus, non inficiamur, per verba illa: *aut factam,* designari quidem rosam, quae elaborata et confecta sit; verum alia, quae subsequuntur, verba: *sicut fieri solet,* aliquid amplius innuunt, nimirum: quod rosa illa non confecta solum esse deberet verum ea forma et opere opificio elaborata, cujusmodi ad illud tempus rosae aureae perfectae fuerant. Nec diffitemur hanc Pontificis voluntatem fuisse, ut rosa sive a monasterio transmissa sive ex duabus auri unciis ab eodem solutis conflata, non minus a se quam a successoribus suis manu gestari deberet; verum cum ibidem vox *consuete* interponatur, quae non futurum sed praeteritum tantummodo tempus designandi vim habet, satis inde manifestum sit, Pontifici in animo fuisse hoc dicere idque revera dixisse, quod cum praedecessores sui Dominica quarta Quadragesimae rosam auream manu gestare consuevissent, ipse eam gestare decreverat, quae a suo monasterio in posterum transmittenda esset,

idemque per successores suos fieri statuebat.

Michael Leonicus, qui Pauli V. tempore insignis Pontificiae capellae Caeremoniarum magister fuit, ingentem manuscriptorum suorum copiam reliquit, quae partim in tabulario Arcis s. Angeli partim in Vaticani bibliotheca asservantur. Is autem in quodam ex hujusmodi anecdotis, quod a Carthario in suo opere jam allegato p. 10 refertur, postquam privilegii Leonis IX. superius citati mentionem fecit, ita subdit: *Hujusmodi monumentum sexcentorum annorum antiquitatem indicat, sed majorem etiam ex ipso arguere licet. Nullum hoc vetustius vidi. Pagius in Breviario romanorum Pontificum t. 2. in vita Urbani II. ad n. 56.* ei opinioni adhaerere videbatur, ut Urbanum ipsum ritus hujusce auctorem faceret, qui anno 1088 Pontifex factus fuit; viderat enim *in tomo 10. Spicilegii* fragmentum Andegavensis historiae, in quo legitur, Pontificem hunc, cum Turonem venisset Dominica quarta Quadragesimae, rosam auream manu gestasse eamque Fulconi comiti Andegavensi dono dedisse; praeterea animadverterat, nullum a Martene *in suo tractatu de divinis Officiis cap. 19. n. 17.* pro rosa aurea vetustius praedicto Urbano II. monumentum afferri. Verum, cum aliqua facti Leonis IX. notitia ad eumdem pervenisset, summa ingenuitate sententiam mutavit, quemadmodum *in citata vita Urbani II. n. 56.* deprehenditur: *Si ergo haec admittatur narratio, hic ritus multo antiquior est, quam credideram sed tamen non multo ante s. Leonem IX. introductus.* Inter doctos viros dilectus filius Joseph Catalanus Presbyter merito recensentus est. Is praeter alia volumina typis edita tomum unum super opere Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae, quod, ut supra diximus, Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi tribuitur, non ita pridem vulgavit Nobisque inscripsit. Ibi autem *lib. 1. tit. 7. cap. 3. de benedictione rosae §. 1. n. 3. et seq.* sententiae illi adhaeret, quod rosae aureae ritus ante Pontificat. s. Leonis IX. institutus jam esset.

Quare, ut primum quaestionis caput, quod ad ritus hujusce auctorem attinet, concludamus, ritum ipsum valde vetustum quidem atque a multis ante saeculis introductum fuisse dicemus ac s. Leonem IX. de eodem tamquam de ritu pridem in more posito mentionem facere, certam autem notitiam de vero ac praeciso institutionis illius tempore nequaquam haberi: at nullo pacto ferendam esse heterodoxi Philippi Mornay assertionem *in suo mysterio iniquitatis ad p. 1006,* ubi, dum Urbanum V. rosam auream Joannae Reginae Siciliae dono dedisse refert, eumdem Urbanum ritus hujusce auctorem fuisse affirmat; etenim, etiamsi ex aequitate admittatur, Leonis IX. monumentum eidem ignotum fuisse, non excusandus tamen est, quod vel dissimulaverit vel ignoraverit, ante Urbanum V. rosam auream ab Eugenio III. ad Alphonsum Hispaniae Regem, ab Alexando II. ad Francorum Regem dono Missam fuisse eundemque Pontificem, cum Venetiis esset, Reipublicae illius Ducem eodem munere decorasse; Innocentium pariter III. ante Urbani V. tempora bis super rosa aurea sermonem habuisse. Haec quidem facta extra omnem controversiae aleam sunt. Quapropter jure ac merito Hospinianus, licet heterodoxus, *in suo opere de festis* Morney assertionem rejecit; eademque strenue impugnatur a Gretsero *tom. 5. suorum operum lib. 2. de benedictionibus cap. 40. p. 269 et seq. et tom. 7. in examine Mysterii Plesseani ad cap. 60. p. 365.*

Sequitur jam, ut de iis, quae ad *ritus hujusce significationem* pertinent, dicamus. Quia tamen ad id necesse

est, *ut aliqua prius circa dominicam quartam Quadragesimae*, in qua a rom. Pontifice rosae aureae benedictio peragitur, indicemus, de hac idcirco pauca praemittimus. Diem hanc dominicam laetitiae apppellari atque esse, primum omnium sciendum est proindeque ea recurrente, in introitu missae leguntur illa verba Isaiae: *Laetare Hierusalem, et conventum facite omnes, qui diligitis eam; gaudete cum laetitia, qui in tristitia fuistis, ut exultetis et satiemini ab uberibus consolationis vestrae;* quibus verbis Israelitici populi laetitia designatur, qua tunc perfusus fuit, quum Dominus Deus diuturnae illius captivitatis miseratione commotus eum a Babylonica servitute liberavit, quae etiam verba ad sanctae Ecclesiae et Christi Fidelium laetitiam exprimendam accommodatissima sunt, eo quod in praesentia non amplius sub Hebraeorum ac Gentilium persecutionibus gemat, ut primis temporibus miserrime opprimebatur, juxta id, quod a sacris expositoribus super eodem textu observatur. Evangelium autem, quod in missa ejusdem dominicae quartae legitur, laetitiae item plenum est, quum scilicet in eo prodigiosa panum ac piscium multiplicatio enarretur, quibus refectae ac saturatae sunt turbae, quae, ut Christum praedicantem audirent, trans mare Galilaeae in Tiberiade confluxerunt, quaeque tam magno prodigio commotae Christum sibi regem facere constituerant, quo factum est, ut is inde aufugeret ac sese absconderet. Jam vero quod in hujus diei solemni missa ministrantes dalmaticis indutos conspicimus, ex iisdem etiam sacris vestibus, quae signa laetitiae sunt, Ecclesiae gaudium agnoscimus. Extat in *tom. 24.* bibliothecae maximae Patrum editionis Lugdunensis *pag. 1405.* sermo quidam num. XIV. notatus, cujus Petrus Blesensis auctor esse existimatur, quique super hac dom. IV. Quadragesimae conscriptus est. In ipso autem mirari se indicat auctor, quid sibi velit insueta haec Ecclesiae laetitia, quum maxime dominica haec Quadragesimae sit aliamque diem dominicam, quae Passionis dicitur, proxime praecedat. Verum, quum is varias laetitiae hujusce causas assignet, quae maxime ad rem nostram facit, ea est, quae ab Innocentio III. affertur in eo sermone, de quo superius dictum fuit, ubi ait: idcirco voluisse Ecclesiam in quarta hac dominica Fideles ad spiritualem laetitiam excitare, ut eos in poenitentiis ac jejuniis quadragesimalibus laborantes aliqua ratione sublevaret: *Ne ergo fidelis populus propter asperitatem quadragesimalis abstinentiae sub continuo labore deficeret, in hac mediana dominica quoddam recreationis solatium interponitur, ut anxietas temperata levius sufferatur. Hodiernum enim Officium totum est plenum laetitia, totum exultatione refertum, totum gaudio cumulatum.* Haec eadem ratio tum a Durando in suo *Rationali divinorum Officiorum*, tam a Casali *de veteribus Christianorum ritibus cap. 81.*, a Rocca in suo *Tractatu de rosa aurea*, ac demum a Quarto *in Tractatu de benedictionibus in particulari sect.* 2. fuse illustratur.

Cum tanta igitur hujusce diei spiritualis laetitia sit, pie ac sapienter a rom. Pontificibus excogitatum est, ut rosae aureae ritum introducerent, quam balsamo inungi et musco etiam adspergi mos est. Verba autem Orationis, quae a rom. Pontifice, dum rosam auream benedicit, recitantur, haec sunt: *Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hanc rosam odore visuque gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis laetitiae manibus gestamus, benedicere et sanctificare tua pietate digneris.* Et quidem

per *florem* „Jesus Christus Redemptor noster“ denotatur: *Flos iste Christum Regem exprimit ac designat, qui de se ipso loquitur, dicens: „Ego flos campi et lilium convallium“;* per *aurum* vero eumdem Regem Regum et Dominum Dominantium fuisse innuitur, quod etiam significavit aurum illud, quod ipsi a Magis oblatum fuit: *Aurum namque Regem non immerito dicitur denotare, cum ad hoc designandum a Magis figuraliter oblatum fuerit Salvatori, ut per hoc Rex Regum et Dominus Dominantium monstraretur;* denique *odor* gloriosae Resurrectionis ejusdem triumphum praemonstrat, quae mundi totius fuit atque est spiritualis laetitia: *Odor autem hujus floris, Resurrectionis ejus gloriam praefigurat etc. sane anfractus et climata omnium scelerum foeditate concreta tantus odor dominicae Resurrectionis aspersit, ut nulla pars orbis alienam se ab odore isto sentiat vel expertem, sed omnes se gaudeant odore hoc suavissimo spirituales inequitias in coelestibus jam vicisse.* Ita magnus Praedecessor noster Alexander III. ad Ludovicum VII. Francorum regem scripsit, cum rosam auream eidem dono mitteret, cujus epistola *tom. 10.* Labbeanae Collectionis Conciliorum editionis Parisiensis *pag. 1360.* refertur, ubi Cossartius in *notis* animadvertit ante Alexandrum III. a Pontifice Eugenio III. idem dictum fuisse in epistola, quam ad Alphonsum Hispaniae regem auream rosam ipsi mittens conscripsit, quae epistola *eodem tomo pag. 1094.* habetur: *Rosam auream, quam in signum Passionis et Resurrectionis Jesu Christi Domini Nostri dominica, qua cantatur: Laetare Hierusalem, singulis annis romanus Pontifex portare consuevit, Serenitati tuae per Venerabilem Fratrem nostrum P. Segoviensem Episcopum providimus transmittendam.* Qua in re illud etiam hic animadvertere opportunum est, in rosa aurea ritu id moris antiquitus fuisse, ut aurum ipsum rubro colore tingeretur ad Christi Passionem distinctius denotandam, quemadmodum ex citata Alexandri III. epistola deducitur: *Rubor autem, quo aurum coloratum est et suffusum, Passionem significat Redemptoris, de quo utique scriptum est: Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Et iterum: Quare rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

Illud postremo observandum restat, quod pertinet ad rosae aureae benedictionem. Haec autem in praeterito opere de sacris caeremoniis Marcelli nomine inscripto exacte descripta habetur, ubi *lib. 1. ad tit. de benedictione rosae* et indicatam superius orationem refert, quae in benedicenda rosa adhibetur, et exponit, rosam ipsam balsamo inungi ac muscum contritum super eandem imponi, qui muscus in Ecclesia graeca etiam hodie in usu est, cum sit una ex illis speciebus, ex quibus sancta unctio sive chrisma conficitur, quemadmodum in Euchologio Graecorum *pag. 508.* tum apud Goar. *super eodem Euchologio pag. 516.* et apud Isaac Haberti in *Pontificali Graecorum pag. 699 et 714.* videre est, super haec omnia demum aquam benedictam aspergi atque incensum adoleri subjungit, quae etiam ab eodem *lib. 2. cap. 37.* referuntur.

Permulti sunt, qui falso existimant, institutionem ritus rosae aureae atque ipsius benedictionem uno eodemque tempore ortum habuisse. Quod quidem nulla ratione sustineri posse ex eo patet, quod in romanis Ordinibus, qui a praed. Joanne Mabillonio *tom. 2. Musaei Italici* editi sunt, quorum aliqui ante, alii post decimum tertium saeculum conscripti fuerunt, de rosa

quidem aurea, de balsamo et musco sermo sit, verum nulla omnino mentio de benedictione in ipsis habeatur. Edmundus Martene *in supracit. cap. 19. num. 17.* Pontificem Innocentium IV., qui anno 1243 ad Summ. Pontifiatum evectus fuit, benedictionis hujusce auctorem facit, ea nixus ratione, quod in ejusdem Pontificis vita verba haec legantur: *Primus rosam auream solemni caeremonia ac ritu benedixit eamque Canonicis s. Justi hospitibus suis Lugduni dono dedit.* Verum Pagius *in Breviario romanorum Pontificum tom. 3. in vita Innocentii IV. ad num. 28.* de fide auctoris illius vitae vehementer dubitat, cum in Ordine romano Petri Amelii, qui sacrista fuit Urbani V. anno 1362 in Pontificem electi, nulla benedictionis mentio facta reperiatur.

Quare verisimile admodum est, benedictionis ritum subsequentis saeculi initio fuisse introductum. Extat Pontificis Julii II. epistola *in tomo 13.* Conciliorum editionis superius citatae, quam ille ad Guilielmum Cantuariensem Episcopum conscribit, dum eidem rosam auream Henrico VIII. Angliae regi dono exhibendam transmitteret, qui rex deplorabilis postea schismatis auctor fuit: *Mittimus nunc ad eum rosam auream sancto chrismate delibutam et odorifero musco aspersam nostrisque manibus de more romanorum Pontificum benedictam.* Leonis X. etiam Breve apud Cartharium habetur, quod ab eodem Pontifice ad Saxoniae ducem cum rosae aureae munere missum fuit: *Sacratissimam auream rosam quarta dominica sanctae Quadragesimae a Nobis chrismate sancto delibutam odoriferoque musco aspersam cum benedictione apostolica, ut vetus est consuetudo, aliisque sacris adhibitis Caeremoniis consecratam.* Quibus quidem verbis, cum claram ab hisce Pontificibus expressamque benedictionis rosae, sicut ea hodie peragi solet, mentionem fieri ac de eadem tamquam de veteri consuetudine ipsos loqui deprehendamus, non incongruum videtur statuere, ejusdem benedictionis usum tempore nuper indicato introductum fuisse ab aliquo scilicet Pontificum saeculi illius, quod Julii II. ac Leonis X. tempora antecessit, ad quam instituendam ea de causa adducti sint, ut ipsa sacra Caeremonia sanctior adhuc atque augustior redderetur: *Omnis Creatura Dei bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per Verbum Dei et Orationem;* verba sunt Apostoli *in prima ad Timotheum cap. 4.*, quibus verbis Theologi utuntur, ut omnem quidem Creaturam et bonam et mundam esse comprobent. Quemadmodum vero, si fieri posset, ut aliqua immunda foret, ea signo Crucis et Oratione sanctificari posset, multo potiori ratione aliae res bonae eodem signo Crucis, Oratione ac Benedictione meliores possunt et sanctiores evadere. Qua de re Cardinalem Bellarminum *de cultu Sanctorum lib. 3. cap. 7. in tom. 2. suarum Controversiarum* videre esse. Iisdem etiam vestigiis insistens praedictus Joseph Catalanus *loco cit. §. 3. num. 1.* balsamum quidem et muscum ritus rosae aureae institutioni coaeva esse indicat; verum Benedictionem, in qua et preces adhibentur et aquae benedictae aspersio fit atque incensum adoletur, recentiorem esse affirmat atque ad illud tempus referendam, quod a Nobis paulo pridem indicatum est.

Haec igitur, dilecti Filii, sunt, quae Nos in hac epistola nostra exponere Vobis opportunum existimavimus non quidem, ut eruditionem ostendaremus, sed ut muneris hujus, quod Vobis mittimus, praestantia magis innotesceret. Etenim, ut Praedecessoris Nostri

Poniificis Nostri Pontificis Callisti III. verbis utamur: *Non muneris aestimanda est quantitas, sed altioris significationis qualitas interpretanda,* ut habetur in epistola, quam is ad Carolum Galliarum regem conscripsit, cum rosae aureae munus ad eumdem transmisit, quaeque a *Raynaldo in Annalibus ad annum Christi 1457 num. 52.* refertur. Idem etiam Vos munus (ut cum Callisto ipso pergamus), tamquam sinceri affectus Nostri pignus ac monumentum habete: *En igitur accipe pignus ac monumentum nostri amoris*, et adjungit: *Rosam hanc laetissimo corde suscipe nec te auri fulgor sed contemplatio divinae significationis teneat.* Postquam vero indicata superius hujusce ritus mysteria exposuit, ita concludit: *Utinam divinus odor penetret in tuos sensus, charissime Fili.* Hos itaque Callisti Praedecessoris Nostri pios et plenos amoris erga Galliarum regem sensus Nos adoptamus ac pro nostris hic ponimus, dum rosam auream a Nobis benedictam ad Vos transmittimus, ac dum postremo Vobis et reliquis dilectis Filiis Concivibus Nostris apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae die 24. Maii 1751.

(Bull. r. t. XVIII. p. 195.)

Gregorius PP. XVI.

Paternae charitatis affectus, quo pluribus de causis patriarchalem Ecclesiam Venetiarum specialiter prosequimur, Nos compellit, ut praecipua benevoli ac grati in eam animi monumenta conferamus, quae ad majorem ejusdem splendorem necnon ad divini cultus incrementum pertinere dignoscantur.

Motu itaque proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine eidem patriarchali templo rosa ex auro conflatam atque romanorum Pontificum instituto quarta Quadragesimae dominica, cum ad laetitiam et exultationem vocamur, a Nobis benedictam tenore praesentium donamus ac tribuimus. Quae vero in solemni benedictionis rosae ejusmodi caeremonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum peccata dimittat, adversa destruat, prospera cuncta concedat, ea iterum impensissimo humilique cordis studio a misericordiarum Patre efflagitamus, ut dilectis Filiis Capitulo et Canonicis Ordinibusque universis ac toti populo Veneto cumulate impertiatur. Ut autem sacrum hoc munus cum honore, uti par est, suscipiatur volumus, illud dare eidem patriarchali Ecclesiae per dilectum filium magistrum Petrum Antonium Pianton praesulem Nostrum domesticum Protonotarium apostolicum. Cum vero ibidem Sacrum solemne ea de causa sit peragendum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui peccata sua confessi ac sacra Communione refecti, vel eidem Sacro adstiterint vel illo die Ecclesiam ipsam visitaverint ibique pro sanctae Ecclesiae bono pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus et Nostra auctoritate confisi indulgentiam plenariam misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae die 11. Oct. 1833.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 281.)

Pius PP. VIII.

Paternae charitatis affectus, quo Cathedralem Ecclesiam Cingulanam proseqimur, in qua sacro fuimus a baptismate abluti atque in minoribus constituti praepositi munere functi sumus, Nos compellit, ut majora adhuc grati in eam animi monumenta con-

feramus, quae ad majorem ejusdem splendorem necnon ad divini cultus incrementum pertinere dignoscantur.

Motu itaque proprio et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apost. potestatis plenitudine eidem Cathedrali templo rosam ex auro conflatam atque ex roman. Pontificum instituto quarta Quadragesimae dominica, cum ad laetitiam et exultationem vocamur, a Nobis benedictam, tenore praesentium donamus ac tribuimus. Quae vero in solemni benedictionis rosae ejusdem caeremonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum peccata dimittat, adversa destruat, prospera cuncta concedat, ea iterum impensissimo humilique cordis studio a misericordiarum patre efflagitamus, ut dilectis filiis Capitulo et Canonicis, Clero ordinibusque universis ac toti populo Cingulano cumulate impertiatur. Ut aut sacrum hoc munus cum honore, uti par est, suscipiatur, volumus illud dari eidem Ecclesiae per venerabilem fratrem Philippum Episcopum Ripanum nuper illius Ecclesiae Canonicum prope diem Cingulum accessurum.

Cum vero ibidem sacrum solemne ea de causa sit peragendum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui peccata sua confessi ac sacra communione refecti vel eidem sacro adstiterint, vel illa die Ecclesiam ipsam visitaverint ibique pro sanctae Ecclesiae bono pias ad Deum preces effuderint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et Nostra auctoritate confisi indulgentiam plenariam misericorditer in Domino elargimur, non obstantibus in contrarium quibuscumque facientibus.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 7. Maii 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 104.)

2) Benedictionis ritus.

De benedictione rosae, quae fit dominica: Laetare Jerusalem, et ejus traditione.

§. I.

Consueverunt romani Pontifices in dominica quarta Quadragesimae, in qua cantatur in Ecclesia: Laetare Jerusalem, rosam auream benedicere et illam post missarum solemnia alicui magno principi, si praesens est in Curia, dono dare. Si autem non esset in Curia princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem regem vel principem, ut placuerit SSmo Domino nostro cum Consilio Sacri Collegii. Nam consuevit Summus Pontifex ante vel post missam convocare Cardinales ad circulum in camera sua vel ubi sibi placet, et cum eis deliberare, cui danda vel mittenda sit rosa.

§. II.

De loco, in quo rosa ipsa benedicitur, et de oratione ad benedictionem illius.

Pro ejus igitur benedictione juxta lectum paramenti, ubi SSmus Dominus noster accipit sua paramenta, paratur parvum altare et super illud duo candelabra, et Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali et mitra accedit ad ipsum altare et deposita mitra dicit:

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit coelum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Deus, cujus verbo et potentia facta sunt omnia et cujus nutu universa diriguntur, qui es laetitia et gaudium omnium fidelium, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut hanc rosam odore visuque gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis laeti-

tiae in manibus gestamus, bene✝dicere et sancti✝ficare tua pietate digneris, ut plebs tibi dicata ex jugo Babylonicae captivitatis educta per unigeniti Filii tui gratiam, qui est gloria et exultatio plebis Israel, illius Jerusalem, quae sursum est mater nostra, sinceris cordibus gaudium repraesentet. Et quia ad honorem nominis tui Ecclesia tua hoc signo hodie exultat et gaudet, Tu ei Domine verum et perfectum gaudium largiaris et devotionem ejus accipiens peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera cuncta concedas, quatenus per fructum boni operis in odorum unguentorum illius floris transeat, qui de radice Jesse productus, flos campi, et lilium convallium mystice praedicatur, cum quo in superna gloria cum Sanctis omnibus sine fine laetetur, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen."

§. III.

De inunctione balsami et impositione musci ac aliis, quibus rosa aurea benedicitur.

Finita oratione inungit cum balsamo rosam auream, quae est in ipso ramusculo, et superimponit muscum tritum, quod per Sacristam ei ministratur, et imponit incensum in thuribulo more consueto, et demum aspergit rosam aqua benedicta et adolet incenso. Interim Clericus camerae apostolicae sustinet rosam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis a dextris et ille ad manus Pontificis, qui manu sinistra rosam gestans et dextra benedicens, progrediatur ad capellam, et Diaconi Cardinales hinc inde elevant fimbrias pluvialis. Cum pervenerit ad faldistorium, dat rosam Diacono praedicto, qui eam Clerico camerae tradit et ille eam super altare ponit.

§. IV.

De ritu donandi vel mittendi alicui magno principi auream rosam.

Finita missa Pontifex, facta Oratione ante altare, recipit rosam, ut supra, et eam defert ad cameram suam, et si ille, cui eam dare velit, est praesens, vocatur ad ejus pedes et genuflexo dat ei rosam, dicens:

„Accipe rosam de manibus nostris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam designatur gaudium utriusque Jerusalem, triumphantis scilicet et militantis Ecclesiae, per quam omnibus Christifidelibus manifestatur flos ipse speciosissimus, qui est gaudium et corona Sanctorum omnium. Suscipe hanc tu delectissime Fili, qui secundum saeculum nobilis, potens ac multa virtute praeditus es, ut amplius omni virtute in Christo Domino nobiliteris tanquam rosa plantata super rivos aquarum multarum, quam gratiam ex sua uberanti clementia tibi concedere dignetur, qui est trinus et unus in saecula saeculorum. Amen. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen."

Hoc aliquando in capella factum fuit, antequam Papa descenderet de sede sua, sed convenientius est, ut Papa revertatur ad cameram suam cum rosa, et ita apud majores factitatum reperio.

§. V.

De ritu servando ab eo, cui rosa ipsa donatur.

Ille, cui rosa data est, postquam manum et pedem Pontificis osculatus est, eique pro tempore gratias egit, cum Papa in camera vestes sacras deposuerit, ipse rosam manu gestans, associatur usque ad domum suae habitationis a Collegio Cardinalium medius inter duos antiquiores Diaconos, post omnes alios Cardinales equitantes.

Circa illum sunt pedites cursores romanae Curiae cum suis baculis, qui solent illa die strenas ab eo, qui rosam habuit, accipere.

Catalanus, Caerem. Ecclesiae rom. t. I. p. 265 — 271.

S. ROSA LIMANA.

Bullam Canonisat. a Clem. X. die 12. Apr. 1671 promulg. vd.: Bullar. r. t. VI. p. 347. (Ed. Luxbg.).

Clemens PP. XIV.

Alias Venerabilis Fr. Didacus Antonius Archiepisc. Limanus supplices Nobis porrexit preces pro facultate recitandi anno quolibet Officium ac celebrandi missam *translationum Reliquiarum s. Rosae a s. Maria virginis Limanae* totius regni Peruviani patronae ab universo clero ejusdem regni. Nos annuendum esse censuimus editumque fuit decretum sequentis tenoris:

Cum Redss. Archiepiscopus Limanus SS. D. N. Clementi PP. XIV. humill. preces porrexerit pro facultate supra relata, SS. censuit annuendum pro concesssione officii et missae *Translationis dictarum reliq.* de comm. V. cum ll. 2. n. approbandis sub ritu semidupl. pro die ab Archiep. Limano designanda servatis Breviarii et Missalis rom. rubricis.

Die 27. Febr. 1773.

M. Card. Marefuscus Praef.

M. Gallo S. R. C. Secret.

Deinde idem Archiepisc. supplicari fecit, ut Nos orationem et lectiones ppr. 2. n. recitandas approbare dignaremur. Nos has revisas approbavimus eaque ab utroque clero dicti regni recitari posse censuimus. Tenor earum est sequens:

In festo translationum reliquiarum s. Rosae virg. Limanae:

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui mundi contemptum te diligentibus inspirasti, da nobis in commemoratione s. Rosae virginis, ejus intercessione terrena despicere et amare coelestia. Per Dominum etc.

In secundo nocturno:

Lectio IV.

S. Rosae Limanae virginis tertii ordinis s. Dominici corpus vere fuisse templum Spiritus Sancti, in quo Deum glorificavit atque portavit, dum viveret etiam postquam sepulturae mandatum fuit, manifesto apparuit. Cum enim ob eximia curationum beneficia populi frequentia in dies magis cresceret, prioribus civitatis sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum enixe postulantibus, decreto Archiepiscopi Limani extractum ita incorruptum repertum est, ut etiam suavem odorem effloret. Depositum fuit decentissime ad dexteram arae majoris. Verum ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota sua, alius locus eidem collocando eligendus fuit, sacellum scilicet s. Catharinae Senenis, quae illi jam ab infantia spiritualis vitae magistra a Christo data fuerat. Debebatur enim tam simili filiae sinus seraphicae matris ad quietem.

Lectio V.

Quam vero sublimem gloriae gradum in coelis obtineat, ostendit Deus maximis signis, quorum illa celeberrima et crebra fuere, quae, ut ait s. Augustinus, coeli et terrae creationem excedunt, conversiones scilicet peccatorum insignes, quae ejus meritis obtentae a Deo fuerunt. Ad solum enim virginei corpuscoli contactum, agente intus Deo, quamplurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuere perculsi, ut confestim elatis vocibus anteactae vitae scelera detestati fuerint,

prorumpentes in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante et mirante circumstantium turba. Ne igitur tantae consolationis memoria e fidelium mentibus unquam excideret, tum ut ad ejus imitanda virtutum exempla acrius omnes excitarentur cogitationes, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum, Clemens XIV. Pontif. max., ut dies festus anniversarius translationum reliquiarum s. Rosae ab universo clero regni Peruviani celebraretur, benigne indulsit.

Lectio VI.

Ex libro s. Augustini Episcopi de virginitate cap. 2 et 12.

Cum ipsa universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide? Proinde cum universa Ecclesia sit sancta et corpore et spiritu, quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est et corpore et spiritu? Habeant conjugia bonum suum; virginalis autem integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio.

Regni Peruviani seu Limana.

Concessis jam a SS. Domino nostro Clemente PP. XIV. die 27. Februarii currentis anni universo clero regni Peruviani officio et missa de communi virginum in festo translationum reliquiarum s. Rosae a s. Maria virginis Limanae praefati regni patronae principalis sub ritu semidupl. pro die a R. Archiep. designanda, idem Archiepiscopus iterum SSmo Domino nostro pro approbatione orationis ac lectionum propriarum secundi nocturni in praefato officio recitandarum humillime supplicavit. Et Sanctitas Sua suprascriptas orationem et lectiones proprias ab Emo et Rmo Domino Cardinali Marefusco S. R. Congr. Praefecto accurate revisas atque correctas benigne approbavit easque ab utroque clero dicti regni recitari posse concessit.

Die 23. Apr. 1773.

Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecit ipse Didacus Antonius Archiepiscopus praemissa omnia, quo firmius subsistant et serventur exactius, apost. Nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desideret, Nos eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus ejus nomine Nobis novissime super hoc porrectis inclinati, praeinserta decreta una cum oratione et lectionibus praedictis auctoritate Nostra apost. tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apost. firmitatis robur adjicimus.

Datum Romae die 18. Jun. 1773.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 586. Ed. Rom. 1841.)

S. ROSALIA.

(Officium propter reliq. insignem.)

Vd.: *Reliq. insign.* (Off., decr. n. 3379).

ROSARIUM.

1) Auctor.

Vd.: *Rosarium* (Officium, *discurs. Lambertini* VI. 16., Confraternit., Constit. Pii V. et *pag. 369. §. 2.*).

2) Benedictio.

a) Facultas.

Vicarius generalis Episcopi B. implorat a S. C. resolutionem dubiorum sequentium:

1. Qui obtinet facultatem benedicendi cruces, sacra numismata et

coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti coram publico, v. g. in Ecclesia vel Oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, si in indulto facultatis sit clausula: *privatim?*

2. Quando in indulto existit clausula „in forma Ecclesiae consueta", sufficitne signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronunciatione verborum formulae benedictionis et sine aspersione aquae benedictae?

S. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2.: Affirmative.

Die 8. Jan. 1843.

(Corresp. de Rome 1848 — 49. Ed. II. p. 48.)

Pius PP. VII.

Memoria saepe Nos repetentes innumera beneficia in catholicam Ecclesiam indesinenter collatam a B. V. Maria, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, devotionem erga tantam tamquam beneficam et amantissimam omnium fidelium patronam confirmari atque in dies augeri vehementer optamus et studemus.

Quoniam vero, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Rector Ecclesiae s. Jacobi oppidi Perpiniani *Carcassonen. dioecesis,* eversis illic templis et conventibus fratrum ordinis Praedicatorum, qui devotionem sanctissimi Deiparae rosarii ex eorum instituto promovebant, altare ejusdem rosarii in dictam s. Jacobi Ecclesiam translatum reperitur, eoque utriusque sexus Christifideles confluunt cum ad rosarium devote recitandum tum ad alia pia exercitia explenda, quae antea in dictorum fratrum Ecclesiis peragi consueverant, idem Rector pro spirituali Christifidelium eo confluentium emolumento, coronas precatorias vulgo rosaria ac etiam sacra numismata cum appellatione indulgentiarum benedicere posse plurimum desiderat,

Nos ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem moderno et pro tempore in perpetuum existenti memoratae Ecclesiae s. Jacobi Rectori, dummodo sit in sacro presbyteratus ordine constitutus, facultatem benedicendi pro dicti oppidi incolis dumtaxat coronas precatorias, quemadmodum a fratribus ordinis Praedicatorum antea fieri solebat, idemque tot sacra numismata, quot satis erunt ad distribuendum oppidi hujusmodi pro tempore existentibus utriusque sexus incolis cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis et indulgentiarum s. Birgittae nuncupatarum ab unoquoque eorum, quibus corona vel numisma hujusmodi fuerint per dictum Rectorem distributa, lucrandarum in forma consueta et ab hac s. Sede praescripta, auctoritate apost. tenore concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae die 21. Febr. 1808.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 308.)

b) Formula.

Vd.: *Ros.* (Bened. facult.).

Ad dubium: Utrum subsequens formula, quae in nonnullis libris invenitur pro benedictione rosariorum aut coronarum SS. Deiparae, sit authentica aut saltem licita, quamvis non adsit in rituali romano?

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, filium tuum unigenitum D. N. J. Chr. de coelis in terram descendere et de B. M. Virginis Dominae nostrae utero s. Angelo nuntiante carnem suscipere crucemque et

mortem subire et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate tenebrarum, obsecramus immensam clementiam tuam, ut hoc signum rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis filii tui bene†dicas et sancti†fices et tantam ei infundas virtutem Spiritus s., ut quicunque illud super se portaverit atque attente et devote recitaverit per invocationem s. nominis tui, corporis sanitatem et animae tutelam percipiat. Per eundem Chr. D. N. Amen.

S. C. resp.: Ad S. C. Indulgentiarum. Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2200.)

c) Estne necess. ad lucrandas indulgentias?

Vd.: *Rosarium* (Indulg. lucrandi modus).

d) Quae benedicenda?

Urbis et Orbis Decretum.

In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi Indulgentias, expresse dicitur, quod ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit Imagines, sive impressas sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata vulgo medaglie nuncupat., quae ex ferro stamno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur. Hinc propositis dubiis huic Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, an:

1. ab hujusmodi benedictione rejiciantur etiam ex ferro, stamno, plumbo vel ex fragili alia materia facilisque consumptionis conficiuntur?

2. Specialiter, an possint applicari Indulgentiae coronis ex vitro seu crystallo confectis?

3. An uni et eidem rei, puta uni coronae, possint applicari Indulgentiae dictae apostolicae et Indulgentiae dictae s. Birgittae?

4. An recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt Indulgentiae, v. g. coronam vel salutationem angelicam, dictam angelus possit lucrari Indulgentias huic orationi applicatas?

Eadem S. C. auditis rom. Consultorum votis et re mature perpensa respondit

ad 1.: Negative;

ad 2.: Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto;

ad 3.: Affirmative, dummodo renoventur opera injuncta iterabilia;

ad 4.: Affirmative.

Factaque de iis omnibus relatione SSmo D. N. Pio PP. VII. per infrascriptum Secretarium in audientia habita die 29. Febr. anni 1820.

Eadem Sanctitas Sua Congregationis votum benigne approbavit. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum die 1. Martii 1820.

Loco † Sigilli.

B. Card. Naro Praefectus.
Angelus Costaguti Secr.

(Anal. J. P. 1857 p. 2326.)

3) S. Birgittae (Brigittae).

Indulgentiae rosariis seu coronis, quas s. Birgittae vocant, a Summis Pontificibus concessae.

Leo X. P. M. per literas suas incipientes: *Ex clementi datas* 6. idus Jul. 1515 concedit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui per et super rosaria seu coronas s. Birgittae devote oraverint, pro qualibet oratione dominica centum dies et totidem pro salutatione angelica et pro quolibet symbolo, si dixerint vel recitaverint, etiam centum dies Indul-

gentiarum: necnon pro quolibet psalterio (id est rosario aut corona quindecim decadum B. M. V.) super illis integre per eosdem christifideles, per seipsos aut cum socio vel familiari, qui eamdem Indulgentiam consequatur, dicto vel recitato septem annos et totidem quadragenas.

SSmus Dominus Noster Clemens XI. P. M. in suo Brevi, quod incipit: *De salute Gregis Dominici etc.* dato 22. Septb. 1714 concedit omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus confessis et S. Communione refectis ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. matris Ecclesiae exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum coronam s. Birgittae, dummodo si saltem quinque decadum recitaverint, semel in anno die per unumquemque christifidelem eligenda plenariam Indulgentiam omnium peccatorum cum facultate etiam eamdem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus.

Ad lucrandum hujusmodi Indulgentias requiritur, ut coronae a PP. Superioribus monasteriorum aut ab aliis religiosis ordinis SSmi Salvatoris seu s. Brigittae ad id specialiter deputatis sint benedictae.

Decretum.

S. Congregatio indulgentiis et s. Reliquiis praeposita die 26. Novb. 1714 censuit permitti posse impressionem praesentis summarii Indulgentiarum concessarum coronis, quas vocant s. Birgittae, addita declaratione, quod omnes aliae Indulgentiae, quae in praesenti summario expresse non continentur, sunt aut apogryphae aut nullae aut a SSmo D. Nostro Clemente XI. revocatae per supradictum Breve datum die 22. Sept. 1714.

Prohibet insuper eadem Sac. Congr. ne hujusmodi coronae vendantur aut alteri commodentur, et si secus fiat, declarat supradictas Indulgentias cessare et nullius esse roboris vel momenti.

Datum die 4. Dec. 1714.

L. Card. Pius Praefectus.
Raphael Cosmus de Hieronymis
Secret.

(Anal. J. P. 1853 p. 1246.)

I. Quando coronis B. M. V. de licentia Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum Indulgentiis s. Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes non tenenter meditari quindecim mysteria D. N. J. C., ut indulgentias percipere valeant.

II. Non datur etiam haec obligatio, si benedictio respiciat Indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho; sed datur si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione rosarii.

III. Quando requiritur meditatio mysteriorum, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur oratio dominicalis et salutationis angelicae; pro personis idiotis sufficit tantum recitatio rosarii absque mysteriorum meditatione ex decreto S. C. 12. Aug. 1726.

Die 1. Junii 1839.

(Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 48.)

Episcopus enixe postulat sequentium dubiorum solutionem:

I. Utrum corona s. Birgittae dicta necessario constare debeat sex decadibus?

II. Utrum in singulis decadibus praeter decem Ave Maria et Pater dicendum sit Credo?

Ratio dubitandi est quod ex una parte I. pars affirmativa satis aperte innuatur in libro, cui titulus: *Raccolta di orazioni e pie opere,* edit. 7. p. 197; II. et quod, si id non requiratur, corona. S. Birgittae nonnisi nomine differt a simplici corona. Ex altera vero parte I. haec opinio est omnino usque nunc

saltem in Gallia inaudita, et II. ex eodem libro supra citato ad lucrandas indulgentias sufficit recitare quinque decades sicut in simplici rosario.

S. C. respondit ad I.: Affirmative; ad II.: affirmative, si recitetur stricte loquendo corona s. Birgittae nuncupata, de qua ipsamet autrix fuit, in memoriam, ut fertur, sexaginta trium annorum B. M. V.; negative autem, si cum praedicta corona recitentur quinque vel quindecim decades rosarii, seu simplices et communes coronae.

Ex responsionibus vero patet realiter coronam s. Birgittae a simplici et communi corona differre, non tamen solo nomine, ut supra putatur in dubiis, nam ipsa quinque vel quindecim decadibus, ista sex decadibus tantum constare debet; et si simplici coronae seu rosario saepe adnectantur indulgentiae s. Birgittae nuncupatae, hoc nonnisi apostolica auctoritate indulgetur. Differt quia una in memoriam componitur B. M. V. annorum, altera mysteria Nativitatis, Passionis et gloriae Christi complectitur. Differt pro indulgentiarum varietate, coronam scilicet divae Birgittae quamplurimum indulgentiarum Leo X., Clemens XI. sa. me. concessione ditarunt ac Bened. XIV. eas confirmavit et auxit pro recitantibus vel secum ipsam ferentibus. Rosarium vero seu simplex corona a felic. record. Benedicto XIII. nonnullis indulgentiis pro ejusdem recitatione solummodo donata est. Differt etiam pro diversitate benedictionis, qua utraque decoratur. Una nempe a superiore ordinis s. Salvatoris seu s. Birgittae, altera vero a patribus ordinis Praedicatorum est omnino benedicenda; quod autem opinio haec lucrandi scilicet indulgentias s. Birgittae cum sola recitatione quinque decadum sit absolute in Gallia saltem inaudita, satis supra dictum est in responsionibus, quae nonnullis aliis Galliarum dioecesibus superioribus annis et praesertim 1826, 1838, ab hac S. C. datae sunt.

Ita S. C. responsum dedit die 15. Jan. 1839.

(Ibid.)

Vd. *Rosar.* (indulg., decr. die 1. Junii 1829.)

4) Confraternitatum Ros. prima institutio.

Vd.: *Rosarium* (Officium; discurs. Lambertini §. 41. etc.).

5) Confraternitatis Rosarii Sacerdotes gaudent privilegio altaris.

Sodalitates canonice erectae privilegiis et indulgentiis gaudent illorum ordinum Regularium, quorum fruuntur titulis, juxta Constitutionem sa. me. Clementis VIII. Ita Sacerdotes sodalitatis SSmi Rosarii adscripti gaudent privilegio altaris eo modo quo Presbyteri ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum Ecclesiis habent privilegiatum altare B. M. V. de rosario dicatum. Cum vero privilegium hoc sit tantum locale, minime vero personale, sequitur quod ea Ecclesia sodalitatis rosarii, ubi hoc altare non reperitur, privilegio quoque altaris omnino careat, nisi tamen in decreto erectionis sodalitatis hujusmodi facultas tradita sit Ordinario aliud altare ad hunc finem designandi.

Die 7. Junii 1842.

(Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 48.)

6) Festivitatis institutio.

Institutio festivitatis sub invocatione rosarii B. M. V. prima dominica die mensis Octobris in Ecclesiis vel capellis rosarii duplici majori Officio celebrandae pro gratiarum actione de victoria die 7. dicti mensis Octobris parta contra Turcas.

Gregorius XIII. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Monet apostolus in omnibus gratias agere, monent quoque sacrarum literarum historiae insignia Dei beneficia, tum ut ei, a quo accepta sunt, meritae referantur gratiae, tum ut fideles, quibus collata sunt, illorum memores, ad divinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus annuis festivitatibus celebranda esse. Quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime cum Deus patrum nostrorum populum suum a servitute Aegyptiaca per manum fortem liberavit,

§. 1. Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie a Deo optimo maximo accipimus, inter quae illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit, ut Turcarum classis et numero longe superior et praeteritis elata victoriis a christianorum classe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante die 7. Octobris non longe a Corinthiaco sinu penitus devicta et quassata fuerit; qua nempe victoria universum populum christianum ab impiissimi tyranni faucibus divino munere ereptum fuisse inficiari nemo potest, Apostoli praecepto parere et sanctorum Patrum exempla sequi volentes, ut hujus ingentissimi beneficii anniversaria habeatur memoria instituere omnino decrevimus.

§. 2. Quia vero preces ad Deum oblatae eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus et pio aliquo orandi modo offeruntur, memores beatum Dominicum ordinis Praedicatorum institutorem, cum et Gallia et Italia a perniciosis premeretur haeresibus, ad iram Dei placandam et B. Virginis intercessionem implorandam piisimum illum orandi modum instituisse, quod rosarium psalterium B. V. M. nuncupatur.

§. 3. Animadvertentes quoque eadem die septima, quae tunc fuit dies dominica prima dicti mensis Octobris, fraternitates omnes sub dicti rosarii nuncupatione militantes per universum orbem, juxta earum laudabilia instituta et consuetudines, processionaliter incedentes pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessionem B. Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est; operae pretium nos facturos esse existimavimus, si ad tantae victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam et ad gratias Deo et B. Virgini agendas festum solemne sub nuncupatione rosarii, prima dominica mensis Octobris singulis annis celebrandum institueremus.

§. 4. Quocirca motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ad laudem Dei et Domini Nostri Jesu Christi ejusque gloriosae Virginis matris tenore praesentium decernimus, ut de cetero, *perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die dominica mensis Octobris, per universi orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus altare vel capella rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, festum solemne, sub nuncupatione rosarii praedicti, sub duplici majori officio*, ad instar aliarum solemnium festivitatum, celebretur et sanctificetur, *eademque die Officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur.*

§. 5. Decernentes praesentes, quas perpetuo valere volumus, nullo umquam tempore de subreptionis aut nullitatis seu alio vitio vel intentionis nostrae aut alio defectu notari, argui vel impugnari posse, sed plenarios effectus sortiri debere.

§. 6. Et ita per quoscumque judices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi aut interpretandi facultate et auctoritate, judicari et interpretari et definiri debere ac ex nunc irritum et inane etc.

§. 7. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§. 8. Volumus autem quod praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Aprilis 1573 Pontif. anno I.

(Bull. r. t. VIII. p. 44. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Vd.: *Rosarium* (Officium — *Urbis et Orbis.*).

7) Hierosolymorum.

(Indulgentiae.)

Vd.: *Via Crucis* (indulgentiae falsae etc.).

Ad dubium 1.: Utrum Hierosolymorum coronae indulgentias amittant, si alicui donentur?

S. C. resp.: Affirmative, quoties non dentur immediate vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi.

2.: Utrum post mortem domini, alter acquirat dominium earum, nempe indulgentiarum?

S. C. resp.: Negative, quia indulgentiae non transeunt personam prioris domini ex praemissis.

3.: Si rumpatur illarum filum, sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit?

S. C. resp.: Negative. Ratio est, quia coronae eaedem adhuc perseverant quoad formam moralem.

4.: Si globuli quatuor vel quinque deperdantur?

S. C. resp.: Negative ob rationem allatam in praecedenti dubio.

5.: Si amico praestentur seu commodentur sive ad earum coronam simpliciter recitandum sive ad indulgentias lucrandas?

S. C. resp.: Negative in primo casu, affirmative in secundo. Ut enim pereant indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione indulgentiarum, sicuti expresse legitur in elencho indulgentiarum typis impresso et a Sac. Cong. approbato.

Datum Romae ex Secr. S. Congr. Indulgentiarum die 17. Jan. 1839.

(Anal. J. P. 1858 p. 781.)

8) Indulgentia.

(Vd.: *Psalterium.*)

Vd.: *Constitutio Leonis X. die 6. Octbr. 1521* (Bull. r. t. I. p. 621); *Const. Clem. VII. die 8. Maii 1534* (*ibid.* p. 695).

Quando coronis B. V. M. applicata fuit benedictio cum Indulgentiis s. Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes non tenentur meditari 15 mysteria D. N. J. Chr., ut Indulgentias percipere valeant, sed datur si coronae benedicantur cum Indulgentiis pro recitatione rosarii.

Quando requiritur meditatio mysteriorum sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur oratio domin. et salut. angelica; pro personis idiotis sufficit tantum recitatio rosarii absque mysteriorum meditatione.

S. C. J. Die 1. Jun. 1829.

Clemens PP. X.

Omnibus et singulis Sacerdotibus saecul. et reg., quibus Missam de ss. rosario celebrare licet, necnon omnibus et singulis fratribus et monialibus etiam Tertiariis Ord. Praedicat., ac confr. et consororibus quarumcunque confr. ejusdem ss. rosarii erectarum et erigendarum ubicunque, qui

vere poenitentes et confessi vel saltem confitendi propositum habentes Missae de rosario celebrandae devote interfuerint ibique ad intent. S. S. oraverint, qua vice id egerint, ut omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequentur, quas confr. et consorores dictarum confraternitatum totum rosarium recitando consequuntur, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Praeterea omnibus et singulis praefatis, qui Missam de rosario celebrare vel audire consueverint, si vere poenitentes et confessi ac s. communione refecti et ad intent. SS. oraverint, ut quolibet mense eosdem pariter Indulgentias ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequuntur confr. et consorores praefatorum confraternitatum, qui processioni ss. rosarii I. dom. cujuslibet mensis intersunt, *utque omnes et singulae Indulgentiae, remissiones peccat. et relaxationes poenitentiarum animabus fid. def. per modum suffragii applicari possint tenore praes. concedimus et indulgemus.*

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Romae ap. s. Mariam Major. 16. Feb. 1671.

(Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 338.)

Vd. *Constit. Pii V. diei 28. Junii 1569 et 17. Sept. 1569* in eod. Bull. rom. tom. II. p. 304—305, ubi agitur de confrater. ss. rosarii ejusque Indulgentiis.

Confirmationem Indulgentiarum ss. rosarii et formam absolutionis confratrum in art. mortis, vd.: *Constitutio Innocent. XI.* die 31. Julii 1679 (*Ibid.* t. VII. p. 24); *Constitutio Innocent. XI.* die 16. Jun. 1679 (*Ibid.* t. XI. p. 264); *Constitutio Bened. XIII.* die 19. Jan. 1726 (*Ibid.* t. XIII. p. 204).

Clemens PP. XIII.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere penitentibus et confessis et Sac. Communione refectis, qui hora sibi assignata rosarium B. M. V. devote recitaverint et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac s. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris; volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 18. Nov. 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 145. Ed. Rom. 1841.)

Clemens PP. XIV.

Cum sicut accepimus erga s. Dominicum Ord. FFr. Praed. fundatorem et rosarii B. M. V. auctorem devotio introducta fuerit, qua permulti christifideles tertiis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata sua confi-

teri ac SSmum sumere necnon ipsa fer. tertia aut die illi immediate antecedenti jejunare consueverunt. Nos ut de caetero pium opus hujusmodi fructuosius peragatur et ad augendam fidelium devotionem et animarum salutem, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui de caetero vere poenit. et confessi in *aliqua dicti Ord. Ecclesia* in una ex praedictis feriis tertiis per eos ad sui libitum eligenda SSmum devote sumpserint et ibi pro christian. principum concordia etc. pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Dom. concedimus. In reliquis vero tertiis feriis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere poenit. et confessis ac s. communione refectis in aliqua ex praedictis Ecclesiis et ibidem ut supra orantibus, qua feria praedictarum id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus. *Praesentibus ad Septennium, quoad Indias vero ad 15 annos tantum valituris.*

Romae 4. Sept. 1774.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 768. Ed. Rom. 1841.)

Gregorius PP. XVI.

Benedicentes Domino totius consulationis accepimus, quae a dilecto filio Nostro Aloysio S. R. E. Presbytero Cardinali Lambruschinio Nobis perlata fuerunt de pio quodam exercitio, quod titulo rosarii viventis honori B. V. M. sedula utque industria nonnullorum pietas haud ita pridem excogitavit. Inde enim, Deo bene juvante salubriter, factum iri confidimus, nedum ut precatio ad eamdem quovis loco ac tempore sanctae colendam aptissima increbescat ubique in dies magis ex facilitate ipsa sua, sed ut ex tanta supplicantium consensione majorem quodammodo vim adepta acceptior feratur ad Deum, qui communi exoratus prece ad commiserationem flectitur et ad gratiam. Quod quidem salutare institutum favore pontificiae auctoritatis commendare atque indulgentiarum dispensatione fovere animo decrevimus libenti repetentes memoria quidnam utilitatis res catholica universa persenserit, ubi primum coronis in honorem sanctae virginis compositis praesens ipsius praesidium fidelis populus est comprecatus.

Quare ad omnipotentis Dei gloriam atque ad virginis sanctissimae Mariae genitricis Dei honorem ex certa scientia et de Nostrae potestatis plenitudine omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui inter cultores virginis pro usu piae precationis, quam *rosarii viventis* nuncupant, recensentur, primo festo die post susceptum pium illud opus, dummodo vere poenitentes Sacramentis confessionis et Eucharistiae sese rite expiaverint, indulgentiam plenariam, quae *etiam pro defunctis applicari possit,* impertimur. Insuper praeter indulgentias, quae pro rosarii recitatione romani Pontifices praedecessores Nostri decreverunt, centum dierum Indulgentiam, quoties ferialibus diebus constituta ex pii exercitii praescripto pars rosarii recitetur: Indulgentiam vero septem annorum cum totiden quadragenis impertimur, si id operis religiose peragatur dominicis et aliis per annum festis diebus, iis etiam, quibus praeceptum audiendi sacrum ademptum est, ac per *octavas* Nativitatis D. N. J. Chr., Paschatis Resurrectionis, Corporis Christi, Pentecostes et Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V. Pro diebus autem solemnioribus Nativitatis, Epiphaniae, Circumcisionis, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi, item pro dominica Pentecostes et pro festo Trinitatis au-

gustae, item pro singulis etiam minoribus festis diebus B. M. V.; item in festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, ac in tertia cujuslibet mensis die dominica indulgentiam plenariam, quae defunctis applicari possit, impertimur, dummodo et praestituta recitatio quotidie saltem per mensem, nisi legitima causa quis fuerit praepeditus, sedulo sancteque praecesserit, ac memoratis diebus Sacramenta confessionis et communionis fuerint suscepta et piae preces in aliqua Ecclesia factae sint, quas tamen Indulgentias eos etiam edicimus lucrari, qui vel ex infirma valetudine vel justa aliqua causa distenti sese conferre in Ecclesiam nequeant, alio juxta confessarii beneplacitum opere subrogato. Verum eo Nos contendentes, ut studio venerationis, amoris cultusque erga Virginem Mariam impensiore omnium animi inflammentur, propositaque ideo ditissima Indulgentiarum mercede stimulos vel currentibus admovere dum conamur, illud simul summopere urgemus, ut alia quoque religionis, charitatis ac virtutum officia intente omnes obeuntes moribusque ad christianae disciplinae rationem conformatis cariores se matri sanctissimae exhibeant, quae aeternam vitam eos habituros pollicetur, qui ipsam elucidare studuerint. Secundos hoc pacto atque optatos exitus nanciscentur, consilia et vota haec Nostra faustumque ac salutare hoc opus fideli populo accidisse gratulabimur.

Decernentes has praesentes literas semper firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; in contrarium facientibus quibuscumque Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud s. Petrum die 27. Januarii 1832.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 84.)

Declaratio.

Praeter Indulgentias sodalibus ss. rosarii a Summis Pontificibus Ven. Innocentio XI. die 31. Julii 1679, Pio VII. 16. Febr. 1808 concessa atque a SSmo D. N. Pio PP. IX. ex decreto s. Congr. Indulgentiarum die 12. Maii 1851 ampliatas, Benedictus PP. XIII. san. me. ex decreto ejusdem Sac. Congr. die 13. Aprilis 1726, omnibus utriusque sexus christifidelibus rosarium vel saltem tertiam ejus partem corde saltem contrito ac devote recitantibus, pro qualibet oratione dominica et pro qualibet angelica salutatione Indulgentiam centum dierum: recitantibus vero quotidie per integrum annum idem rosarium vel pariter saltem tertiam ejus partem, plenariam Indulgentiam semel in anno, dummodo vere poenitentes confessi ac s. Communione refecti fuerint, benigne concessit, declarando ut ex alio Sac. Congr. decreto diei 12. Aug. 1726 quod ipsi christifideles coronam seu rosarium habeant a patribus ordinis Praedicatorum de more benedictum atque ipsum recitent reparationis nostrae mysteria devote recolentes, quamvis pro praefatis Indulgentiis lucrifaciendis sufficiat, idiotis recitatio tantum ejusdem rosarii, ut ex sua Constitutione diei 23. Maii 1727. Insuper idem SSmus D. N. Pius PP. IX. citato decreto diei 12. Maii 1851 universis similiter christifidelibus concessit decem annorem, totidem quadragenarum Indulgentiam semel in die acquirendam si corde saltem contrito tertiam rosarii partem devote sive Domi sive in Ecclesiis seu publicis vel privatis Oratoriis conjunctim recitaverint; iis vero qui praefatam tertiam rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, Indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium dominica percipiendam, si vere poenitentes confessi

ac s. Communione refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, peramanter impertitus est; facta quoque potestate singulas supraenunciatas Indulgentias tam a Benedicto PP. XIII. quam ab eadem Sanctitate Tua concessas, animabus in purgatorio detentis applicandi. Praesentibus in perpetuum valituris.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congr. Indulg. die 2. Aug. 1851.

Loco † Sigilli.

A. Archiep. Prinzivalli Substitutus etc.

Urbis et Orbis.

Ex audientia Sanctissimi die 12. Maii 1851.

Ut magis devotio erga Deiparam semper Virginem in fidelium cordibus incrementum suscipiat, praesertim vero per efficacissimam sanctissimi rosarii deprecationem, in qua mysteria quoque nostrae reparationis recoluntur, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. humillimis precibus tum vicarii generalis tum generalis procuratoris totius Ordinis Praedicatorum benigne inclinatus, praevia confirmatione singularum Indulgentiarum, quae per gloriosos praedecessores suos tam sodalibus confraternitatum sanctissimi rosarii, quam universis christifidelibus rosarium recitantibus fuerant elargitae, ipsis sodalibus caeterisque fidelibus rosarium recolentibus novas Indulgentias elementer impertitus est; indulsit nempe ut confratres et consorores cujuscumque sodalitatis sanctissimi rosarii canonice erigendae, qui in aliqua Ecclesia in sequentibus festivitatibus, Conceptionis scilicet, Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis B. M. V., itemque in duabus tantum Quadragesimae feriis sextis ad uniuscujusque libitum eligendis, necnon Resurrectionis D. N. J. Chr. Dominica, in ejusdem Ascensionis festo ac in Dominica Pentecostes devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis duodecim praedictorum dierum consequantur, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi sacraque Communione fuerint refecti. Decem vero annorum, totidemque quadragenorum Indulgentiam semel in die lucrifaciendam, sodalibus aliisque christifidelibus, qui corde saltem contrito tertiam rosarii partem devote sive Domi sive in Ecclesiis seu publicis vel privatis Oratoriis conjunctim recitaverint, peramanter est elargitus. Iis tandem fidelibus hujusmodi sodalitati haud adscriptis, qui praefatam tertiam rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, Indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium Dominica acquirendam, si vere poenitentes ut supra confessi ac sacra Synaxi refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint ibique juxta praememoratum finem per aliquod spatium temporis oraverint, benigne concessit. Voluit autem eadem Sanctitas Sua, ut omnes et singulae praefatae Indulgentiae non modo animabus in purgatorio existentibus applicabiles, sed etiam perpetuis futuris temporibus sint valiturae absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congr. Indulg.

Loco † Sigilli.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Aloys. Colombo Secr.

(Correp. de Rome 1837. Ed. II. n. 74. p. 344.)

Vd.: *Rosar.* (Bened. quae benedicenda?) *Rosar. Hierosol.*

Beatissimo Padre. Il Sacerdote Missionario Anselmo Collomb della Dioecesi di Tarantasia in Savoja prostrato ai piedi della S. V. umilia i seguenti dubbj per ottenere una devisione:

Dubbio I. Monsignor Bouvier nel Trattato delle Indulgenze dice, che tutti quelli, che assistono alle Processioni del SSmo Rosario, che si fanno nelle prime Domeniche di ciasun mese lucrano l'Indulgenze di sette anni, e sette quarantene per ciascuna volta. Ora di questa Indulgenza non de fa menzione l'Opuscolo intitolato il Rosario di Maria SSma, Roma p. 159. Quindi si domanda: 1. Se questa Indulgenza è autentica. 2. Se è accordata in favore di tutti i fideli che assistono alle dette Processioni, o solamente ai Confratelli del SSmo Rosario?

II.: Nel suddetto Opuscolo, *Il Rosario di Maria SSma* si legge p. 173: Che l'Altare de Rosario e privilegiato per tutti i Sacerdoti ascritti a questa Confraternita senza aggjungere altro. Ma altri autori aggjungono, che l'Indulgenza dell' Altare privilegiato non puo applicarsi che solamente ai Confratelli Defonti del Rosario, ovvero a tutta sorta di fideli?

III.: Indulgenza di cinque quarantene accordata ai Confratelli del Rosario, che prononciano il SSmo Nome di Gesù alla fine di ciascuna Ave Maria, è questa accordata per ciascuna volta, in cui si pronuncierebbe, e come?

Tarantasien. Decretum.

Ex Audientia SSmi. Die 14. Apr. 1856.

Huic Sacrae Indulgent. in Apostolico Vaticano Palatio habita die 31. Martii 1856 supraenunciatis propositis dubiis a Presbytero missionario Anselmo Collomb e Tarantasieni dioecesi, Emi Patres, voto unius ex Consultoribus audito respondendum esse duxerunt

Ad I.: Affirmative etiam pro non Confratribus.

Ad II.: In voto Consultoris.

Ad III.: Juxta votum Consultoris.

Facta itaque per infrascriptum S. C. Secretarium opportuna de praemissis relatione SSmo Dno Nostro Pio PP. IX. in Audientia diei 14. currentis Aprilis, Sanctitas Sua praefatam responsionem quoad primum dubium approbans, tum altaris privilegiati SSmi Rosarii nempe gratiam pro omnibus christifidelibus favore Confratrum Sacerdotum, de quo in secundo dubio, tum nempe Indulgentias, de quibus agitur, pro qualibet, vice SSmum Nomen Jesu in fine cujuslibet angelicae Salutationis in recitatione rosarii a Confratribus invocatum fuerit, lucrari, de quo in tertio dubio, in perpetuum intelligendum esse benigne declaravit atque auctoritate seu apostolica concessit. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretario Sac. Congr. Indulgentiarum.

Loco † Sigilli.

F. Card. Asquinius Praefectus.
A. Colombo Secr.

Ita reperitur in regesto authographo adservato in Secretario Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata pene et ad verbum concordat.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria Sac. Congr. Indulgent., die 13. Dec. 1856.

A Archiep. Prinzivalli Substitutus.

(Anal. J. P. 1857 p. 2714.)

9) Indulgentias lucrandi modus.

Vd.: *Via crucis* (Indulg. lucrandi modus, decr.: *Galliarum*).

Ordinis Praedicatorum.

Beatissime Pater. Procurator generalis Ordinis Paedicatorum humiliter exponit, fel. rec. Benedictum XIII. Pont. max. per decretum S. Congreg. Indulgentiarum de die 13. Apr. 1726 concessisse omnibus utriusque sexus Christifidelibus Rosarium vel saltem tertiam partem ejusdem recitantibus pro qualibet oratione dominica et pro qualibet salutatione angelica Indulgentiam 100 dierum, declarando, quod ad effectum lucrandi praedictas Indulgentias requiratur, ut Rosarium de more fuerit benedictum a fratribus Ordinis Praedicatorum. Nunc vero dubium occurrit, an hujusmodi Indulgentias lucrentur Christifideles, qui Rosarium in communi recitant, absque eo, quod manu teneant Rosarium, quod tamen habet una sola persona. Ad evellendam quamcumque dubitationem et ut facilius reddatur exercitium tantae devotionis, Orator Sanctitatem Vestram supplicat, ut declarare dignetur, omnes utriusque Christifideles Rosarium vel saltem tertiam partem ejusdem, ut supra in communi recitantes lucrari supradictas Indulgentias a Benedicto XIII. concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere, quod una tantum persona ex communitate illud habeat. Et ita.

Porrectis a P. Procuratore generali Ordinis Praedicatorum huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae supraenunciatis precibus, Emis Patribus in generalibus comitiis apud Vaticanas Aedes die 14. Decbr. 1857 habilis propositum fuit dubium dirimendum: An scilicet consulendum sit Sanctissimo, ut concedere dignetur, ut omnes utriusque Christifideles Rosarium vel tertiam saltem ejusdem partem in communi recitantes lucrentur Indulgentias a fel. rec. Benedicto PP. XIII. concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona, quaecumque ea sit, ex communitate, illud manu teneat eoque in recitatione de more utatur? Qui, audito prius consultoris voto ac rebus mature discussis, responderunt: „Affirmative."

Facta itaque per infrascriptum S. C. Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX. relatione fideli in audientia *die 22. Januarii 1858* Sanctitas Sua precibus ejusdem P. Procuratoris generalis inclinata benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, caeteris curis semotis, se componant pro oratione facienda unacum persona, quae tenet coronam, ut Rosarii Indulgentias lucrari queant.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiarum.

L. † S.

F. Card. Asquinius Praefectus.
Alois. Colombo Secretarius.

(Anal. J. P. 1858 p. 1226.)

10) A quibus lucrandae?

Parochus Ecclesiae curialis R. dioecesis Briocensis, item Rector Congregationis B. M. V. in minori seminario ejusdem dioecesis S. C. I. demisse supplicant sequens dubium declarare: An quando possessor coronae vel crucis, cui applicatae sunt Indulgentiae viae crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem Indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis?

S. C. resp.: Negative, absque speciali facultate.

Die 29. Maii 1841.

(Corresp. de Rome 1848 — 49. Ed. II. p. 48.)

11) Missa.

Fesulana.

Procurator generalis ord. s. Hieronymi Fesulanae civitatis, petiit licentiam celebrandi missam de rosario in Ecclesiis et Capellis sui ordinis sacratissimo rosario dedicatis. Et S. Congregatio mandavit celebrari missam de B. Virgine loco missae rosarii. Item supplicavit posse dici *Gloria in excelsis* in missis B. Virg. etiam extra diem Sabbati, et S. Congregatio respondit: *Nihil.*

Die 20. Decbr. 1828.

(Anal. J. P. 1863 p. 209.)

Orien.

Capitulum et Canonici terrae Latiani Orien. dioecesis asserentes pro eorum Ecclesia adesse onera celebrandi missas rosarii relicta a testatoribus, et novissime prohibitam fuisse dictam missam rosarii Presbyteris saecularibus aliisque regularibus praeter fratres Dominicanos, supplicarunt responderi, quid in hoc casu servandum sit, ut testatorum voluntates adimpleantur?

Et S. C. juxta mentem Sanctissimi mandavit celebrari aliam missam de B. Virgine loco missae rosarii.

Die 20. Decbr. 1628.

(*Ibid.* p. 209.)

12) Missa votiva.

Cum sicut dilecti filii Superiores et fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis s. Jacobi de Cuba in Indiis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga ss. rosarium B. M. V. gerunt devotionis, affectu, unam missam ss. rosarii ejusdem B. M. V. cum cantu per dies quindecim continuos incipiendo a dominica prima Octobris, celebrare posse summopere cupiunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune pvovidere et ut infra indulgere de benignitate apost. dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes modernis et pro tempore existentibus fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis praedictae, ut in posterum per dies quindecim continuos incipiendo a prima dominica Octobris, in qua festum ss. rosarii B. M. V. cum cantu (non omissa tamen conventuali de sancto occurrente, quatenus ex dispositione rubricarum sit dicenda) celebrare libere et licite possint ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 3. Febr. 1789.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 258. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilectae in Christo filiae Abbatisssa seu Priorissa et moniales asceterii s. Catharinae ordinis Praedicatorum civitatis Limanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro sua spirituali consolatione in earum Ecclesia singulis anni Sabbatis atque etiam Sabbato sancto post expletas functiones missam propriam ss. rosarii B. M. V. jam pro dicto ordine adprobatam, quae incipit: *Salve radix sancta etc.*, cum cantu celebrari facere summopere cupiat,

Nos dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut imposterum in praedicta Ecclesia singu-

lis anni Sabbatis non privilegiatis dumtaxat et dummodo non occurrat festum dupl. 1. vel 2. classis servatisque rubricis praedicta missa propria ss. rosarii B. M. V., ut praefertur adprobata, cujus initium: *Salve radix sancta etc.*, cum cantu celebrari possit et valeat apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 25. Febr. 1791.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 4.)

13) Modus recitandi.

(Calculi.)

Vd.: *Rosarium* (Off., decr. *Urbis et Orbis* n. 16 etc. 27).

14) Novum non inducendum.

Non posse Franciscanos Tolosae novum rosarium sub titulo *Seraphici* inducere praedicare et docere nec tabellam exponere, in qua B. V. M. det rosarium s. Francisco et s. Clarae, prout etiam fieri prohibuit et servari mandavit. n. 2270 die 15. Martii 1664; n. 2301 die 23. Nov. 1664.

Confirmat. per Breve Alexdr. VII. de die 28. Maii 1664, quo etiam vetita est expositio tabellae, in qua B. V. M. det rosarium s. Francisco et s. Clarae.

(Bull. mag. rom. t. VI. p. 205. ed. Luxenb. 1727.)

15) Officium.

Urbis et Orbis.

Concessionis lectionum propriarum secundi nocturni Officii SS. Rosarii B. M. V. pro universa Ecclesia.

Discursus Rmi D. Promotoris Fidei Prosperi Lambertini.

Eme et Rme Domine.

1. Petitur approbatio lectionum propriarum secundi nocturni officii sanctissimi rosarii B. M. V. pro universa Ecclesia, et mihi uti Fidei Promotori demandatur, ut meum super dictis lectionibus proferam sensum; sed antequam id efficiam, operae pretium esse censeo nonnulla praemittere circa officium sanctissimi rosarii B. M. V., et omisso, quod celeberrimum ejus festum colitur in sacro ordine Praedicatorum cum antiphonis et lectionibus propriis secundi nocturni et cum lectionibus pariter propriis per totam octavam, uti videri potest in dicti ordinis Breviario, et transitum faciendo ad eas officii concessiones in honorem ss. rosarii B. M. V., quae factae sunt extra religionem Dominicanam.

2. *Occurrit primo concessio facta a san. mem. Gregorio XIII.*, qui in sua constitutione undecima, bullarii tomo secundo, celebrandum statuit hoc festum qualibet prima dominica mensis Octobris cum officio novem lectionum sub duplici majori in omnibus illis Ecclesiis, in quibus erectum reperietur aliquod altare vel capella rosarii.

3. *Occurrit secundo concessio facta a san. mem. Clemente* Papa X. per suas literas apost. in forma brevis expeditas die 26. Septbr. 1672, quibus indulsit, ut in omnibus regnis et provinciis subjectis dominio regis catholici recitaretur officium SSmi Rosarii a Clero saeculari et regulari cum lectionibus tamen secundi nocturni non propriis sed desumptis ex sermone s. Augustini et cum oratione propria, etiamsi in Hispaniarum Ecclesiis non adesset altare seu capella rosarii.

4. Occurrit tertio, ut a caeteris interim abstineam concessionibus, insignis concessio facta a venerabili Dei servo Innocentio PP. XI. pro universo dominio Magni Hetruriae; indulsit enim, ut in eo recitaretur officium

SSmi Rosarii cum lectionibus secundi nocturni desumptis ex breviario dominicano, uti colligitur ex decreto S. Congreg. die 10. Febr. 1685.

5. *Occurrit denique quarto extensio officii SSmi Rosarii ad Ecclesiam universalem cum oratione propria et lectionibus secundi nocturni* desumptis ex sermone s. Augustini, quae facta fuit die 3. Octbr. 1716. Cum etenim, instante Leopoldo, dum vixit, romanorum rege in imperatorem electo et ad relationem Emi Domini Cardinalis Barbarini usque de anno 1700 facta fuisset ab hac S. Congregatione memorata extensio ad universalem Ecclesiam et ob superventam Innocentii PP. XII. infirmitatem et obitum ejusdem postmodum secutum non potuisset ipsi fieri relatio decreti editi, uti dictum est, ab hac S. Congregatione, res protracta est usque ad annum 1716, quo tempore, cum fausta ad urbem delata fuissent victoriae ab exercitu augustissimi Caroli VI. Romanorum regis in imperatorem electi de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relatae, necnon liberationis civitatis et arcis Corcyrensis ab immanissima Turcarum oppugnatione, et ipse tamquam fidei promotor scripturam exarassem, in qua praedicto Summo Pontifici Clementi Papae XI. post obitum Innocentii ad Summum Pontificatum erecto nedum exposui, quoad apta supervenerat occasio extensionis officii SSmi Rosarii ad universalem Ecclesiam, et sic consequenter approbationis decreti ante multos annos editi ab hac S. Congregatione, sed in memoriam etiam revocavi enixas et supplices reiteratasque preces intermedio tempore ipsi exhibitas pro dicti decreti approbatione, tum a P. Antonio Cloche tunc ordinis Praedicatorum meritissimo Generali, tum, quod magis est, a SSmo Domino Nostro tunc in cardinalitia dignitate constituto: „Piu volte il padre generale de' dominicani ha esposto le sue umilissime suppliche a vostra beatitudine per l'approvazione della grazia predetta, ed il Signor Cardinale Orsini ha fatto lo stesso, e specialmente quando venne a Roma per passare dalla chiesa di Frascati a quella di Frascati a quella di Porto, incaricando con molto vigore al Promotore della Fede di tener viva la memoria di quest' affare, parlandone a vostra Santità in buona congiontura.“ Sanctitas tandem Sua annuit petitis mandavitque officium proprium sub ritu duplici majori nec missam Rosarii die illius festo, nempe dominica prima Octobris, ab universis Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, singulis annis recitari et respective celebrari et in Breviario et Missali rom. apponi, uti legitur in decreto dicti Pontificis impresso in ejus Bullario p. 554.

6. Ab anno 1716, quo hoc decretum editum est, usque ad hanc diem recitatum fuit in universa Ecclesia officium SSmi Rosarii cum oratione propria et lectionibus secundi nocturni ex sermone s. Augustini et aliis ex officio B. Mariae ad Nives desumptis, cumque SSmo Dom. Nostro Benedicto PP. XIII. supplicatum fuerit pro approbatione lectionum secundi nocturni recitandarum in Ecclesia universa in honorem SSmi Rosarii B. M. V. et in his lectionibus reassumpta fuerint omnia, quae habentur in lectionibus secundi nocturni, existentibus in Breviario dominicano, et gratiose, uti dictum est, extensis ad universum dominium magni ducis Hetruriae, et alia quaedam fuerint superaddita et harum precum examen fuerit a Sanctitate Sua remissum ad hanc S. R. Congregationem, quaeritur in praesenti, quid sit statuendum et quale consilium sit Sanctitati Suae praestandum; et quia impossibile esset proposito quaesito respondere, non exhibitis lectionibus, pro quarum ap-

probatione exoratur, hinc est, quod ad advertendam scripturarum multiplicitatem, opportunum et respective necessarium existimavi hic praedictas inserere per extensum lectiones, et sunt hae, quae sequuntur.

Lectio I.

7. Cum Albigensium haeresis sacrosanctae matris Dei dignitati potissimum infesta in regione Tolosatium impie grassaretur, s. Dominicus, qui eo tempore Praedicatorum ordinis fundamenta jecit, in eam haeresim debellandam totus incumbens, ob idque beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsa benigne monetur, ut Rosarium omnis mentis fervore praedicet, velut singulare ad evertendas haereses et vitia extinguenda praesidium. Est autem Rosarium sive psalterium sacra quaedam formula precandi Deum in honorem B. V. Mariae, qua per quindecim salutationis angelicae decadas interjecta singulis oratione dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur. Coepit ergo deinceps incredibili cum animarum fructu saluberrimum SSmi Rosarii institutum per s. Dominicnm promulgari, quem ejusdem institutorem auctoremque fuisse Leo X., s. Pius V., Gregorius XIII., Sixtus V. ac reliqui Summi Pontifices usque ad haec tempora apostolicis diplomatibus profitentur. Tu autem Domine etc.

Lectio II.

8. Porro inter innumeros SSmi Rosarii fructus contra haereses ac christiani orbis hostes merito navalis ea victoria celebratur, quam anno Domini 1571 die 7. Octobris, quae dominica fuit, ad Naupactum Achaici sinus de Turcarum classe longe potentiori Summus Pontifex s. Pius V. ac christiani principes reportarunt, nam cum ea die sodalitates SSmi Rosarii per universum terrarum orbem erectae, juxta earum laudabilia instituta, solitas preces et processiones haberent, eas, pie creditum est, pro christiana classe plurimum profuisse. Illud quoque ipsum Gregorius XIII. nedum apost. literis aperte testatus est, verum ut gloriosissimae Virg. Mariae sub invocatione SSmi Rosarii perennes gratiae perpetuo agerentur, decrevit, ut qualibet prima Octobris dominica per universi orbis partes, in iis tantum ecclesiis, in quibus altare vel capella ejusdem SSmi Rosarii, sub duplicis majoris officio perpetuo celebraretur. Quod et Clemens VIII. apost. auctoritate confirmans publicis Ecclesiae tabulis haec omnia inscribenda praecepit. Caeterique Summi Pontifices innumeras fere indulgentias SSmum Rosarium recitantibus ac ejusdem sodalitibus concessere. Tu autem Domine etc.

Lectio III.

9. Summus autem Pontifex Clemens XI. perpendens inter caeteras victorias in Hungariae regno de Turcarum immanitate ejusdem B. Virginis ope partas insignem fuisse nuperrimam ab exercitu Caroli VI. in Romanorum imperatorem electi de innumeris eorumdem Turcarum copiis anno 1716, die festo dedicationis s. Mariae ad nives, et civitatem arcemque Corcyrensem ab immanissima ipsorum Turcarum oppugnatione feliciter liberatam, eo ferme tempore, quo Confratres SSmi Rosarii publicam processionem in alma Urbe, magno populi concursu ac singulari devotione ejusdem Summi Pontificis jussu peragentes, pias ad Deum preces effundebant ad validissimum Deiparae Virginis Patrocinium in auxilium christianorum humiliter implorandum, in perenne tot beneficiorum monumentum, officium et missam SSmi Rosarii in qualibet prima

Octobris dominica recitandum ac respective celebrandum ad universalem Ecclesiam benigne extendit. Novissime tandem Summus Pontifex Benedictus XIII. haec omnia in Breviario romano apponi mandavit. Gloriosissimam ergo Virg. Mariam peccatorum advocatam sub hoc saluberrimo ritu sincero cordis affectu assidue ac impense veneremur, necnon dulce illud melos angelicum devote iterantes dicamus: Ave gratia plena Dominus tecum. Tu autem etc.

10. *Hae sunt lectiones, pro quarum approbatione et extensione ad universam Ecclesiam supplices preces exhibentur*, adeoque ad earum examen descendendo et initio deducto a facilioribus, a secunda videlicet et tertia lectione primo inquirendum est, an in facto subsistant ea, quae in iisdem enarrantur, et secundo, an supposito, quod subsistant in facto, inseri mereantur in lectionibus pro universa Ecclesia.

11. *Et in eo quidem, quod attinet ad facti subsistentiam, ea omnia quae enarrantur in secunda lectione de celebri victoria anno 1571, adversus Turcas a christianorum classe reportata*, et de his, quae statuta fuerunt a Gregorio XIII., desumpta fuerunt ex ejus Bulla XI. (Bullar. tom. 2.), ita ut nulla quoad factum superesse videatur difficultas. En verba Bullae: „Nos itaque, qui non minora beneficia quotidie a Deo optimo maximo accipimus, inter quae illud singularissimum superiore anno ab ineffabili ipsius clementia nobis concessum fuit, ut Turcarum classis et numero longe superior et praeteritis elata victoriis a christianorum classe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante, die 7. Octobris non longe a corinthiaco sinu, penitus devicta et quassata fuerit, qua nempe victoria universum populum christianum ab impiissimi tyranni faucibus et divino numine ereptum fuisse inficiari nemo potest etc." Et paulo post: Animadvertentes quoque eadem die septima, quae tunc fuit dies dominica prima dicti mensis Octobris, fraternitates omnes sub dicti Rosarii nuncupatione militantes per universum orbem juxta earum laudabilia instituta et consuetudines processionaliter incedentes pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessionem Beatissimae Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est, operae pretium nos facturos esse existimavimus, si ad tantae victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam et ad gratias Deo et Beatissimae Virgini agendas festum solemne sub nuncupatione Rosarii prima dominica mensis Octobris singulis annis celebrandum institueremus, quocirca etc. tenore praesentium decernimus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die dominica mensis Octobris per universas orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii praedicti, sub duplici majori officio, ad instar aliarum solemnium festivitatum celebretur et sanctificetur, eadem die officium de Beat. Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur."

12. Concordatque Card. Baronius auctor contemporaneus, qui in notis ad Martyrologium rom. diem 7. Octobris haec habet:

„Nostra memoria anno salutis 1571 fidelium classis SSmi Domini Nostri Pii V. Pontificis ac catholici Hispaniarum regis Philippi necnon inclytae Venetorum reipublicae foedere coacta gloriosam ac cunctis saeculis memorabilem de Turcis christiani nominis infensissimis hostibus ad Echinadas


insulas captis hostium triremibus centum et octoginta, caeteris dissipatis, victoriam reportavit fractosque nostrorum animos in eam spem erexit, posse inimicos nostros (modo in unum christianorum animi viresque conveniant) nullo negotio profligari atque deleri, praesertim si (ut tum in his actum est) praecipuam in Domino et non in armis spem ponamus peccatorumque sordibus expiatis purae ad Deum preces offerantur ac Dei Genitricis auxilium piis votis sedulo imploretur.“

Et hujus ejusdem insignissimae victoriae mentio habetur in lectionibus propriis, quae recitantur in officii s. Pii V.

13. *Simile judicium quoad facti subsistentiam ferendum est tum de indulgentiis,* quae a Summis Pontificibus concessae dicuntur recitantibus Rosarium et sodalitatibus Rosarii, *tum de officio et missae ad universam Ecclesiam extensa* a san. mem. Clemente PP. XI., ob insignem victoriam anno 1716, adversus Turcas reportatam et ob liberationem civitatis et arcis Corcyrensis ab immanissima eorumdem Turcarum oppugnatione, summarium quippe indulgentiarum apost. auctoritate roboratum fuit a Venerabili Dei servo Innocentio XI., 31. Julii anno 1697, dum frater Antonius de Montros Generalis Ordinis Praedicatorum Magister et deinde Archiepiscopus Compostellanus praedicto Generalis munere fungebatur, uti colligitur ex summario typis cammeralibus impresso et per compendium relato in opusculo de indulgentiis et jubilaeo recenter edito a fratre Francisco Van Raust quaest. 12. pag. 187. et caetera alia, quae respiciunt celebrem supranarratam victoriam et arcis Corcyrensis liberationem, leguntur in decreto san. mem. Clementis XI. extensivo officii et missae SSmi Rosarii ad Ecclesiam universalem, ibi:

„Sanctitas Sua animadvertens nuperam insignem victoriam ab exercitu augustissimi Caroli VI. similiter romanorum regis in Imperatorem electi de innumeris copiis in Hungaria relatam die 5. Aug. proxime praeteriti, hoc est festo dedicationis s. Mariae ad Nives, ac eo ferme tempore, quo confratres sodalitatis rosarii publicam processionem in hac alma urbe, magno populi concursu et singulari devotione peragentes pias ad Deum preces pro Turcarum depressione effundebant atque ad id validissimum Deiparae Virginis patrocinium in auxilium christianorum humiliter implorabant, obtentam fuisse; necnon insuper perpendens, civitatem et arcem Corcyrensem paulo post, videlicet in octava festi Assumptionis Sanctissimae Virginis praedictae ab immanissima eorumdem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam fuisse adeoque nedum praeclara haec beneficia ejusdem Deiparae, ut pie credendum est, intercessione nobis a Domino collata fuisse, verum etiam sub illius praesidio (praesertim christifidelibus rosarium praedictum, juxta adhortationes dudum jussu Sanctitatis Suae factas quotidie, ac devote recitare pergentibus) feliciores in dies eventus christianis armis sperare merito posse etc., Decretum Congregationis praedictae benigne approbavit ac Officium proprium sub duplici majori, necnon Missam rosarii die illius festo, nempe Dominica prima Octobris ab universis christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, singulis annis celebrari ac in breviario et missali romano apponi mandavit.“


14. Adeo ut, si quid est, quod in hisce duabus postremis lectionibus laborare posse videatur quoad facti subsistentiam, reducatur ad ea verba, quae habentur in secunda lectione, ubi post relatam institutionem festi factam a Gregorio XIII. dicitur „quod



et Clemens VIII. apostolica auctoritate confirmans publicis Ecclesiae tabulis haec omnia scribenda praecepit"; cum enim nomine ecclesiasticarum tabularum veniat martyrologium romanorum, in martyrologio romano ad diem septimam Octobris habentur haec verba: „Eadem die commemoratio s. Mariae de Victoria, quam Pius V. Pontifex Maximus ob insignem victoriam a christianis bello navali, ejusdem Dei Genitricis auxilio ac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit"; sed haec verba in dicto martyrologio legebantur ante Clementem VIII., cum legantur in martyrologio Romae impresso a Cardinali Baronio anno 1586 et Clemens VIII. fuerit ad Summum Pontificatum evectus anno 1592.

15. *Et in eo, quod spectat ad alteram assumpti partem, in qua inquirendum est, an supposito quod relata in hisce postremis duabus lectionibus subsistant in facto*, eadem inseri mereantur in lectionibus pro universa Ecclesia, nullam haberem profecto difficultatem. Quemadmodum etenim filii Israel liberati de servitute Aegyptiaca quotannis in memoriam liberationis festum celebrabant, sic pietati christianorum consonum esse videtur, celebritatem quotannis agere seu quotannis gratias reddere de victoriis adversus Turcarum tyrannum Deiparae auxilio reportatis, uti legitur in Bulla Calixti Papa III., in qua jussit, perpetuis futuris temporibus 6. die Augusti coli in universa Ecclesia festum transfigurationis dominicae ad recolendam victoriam christifidelibus divinitus concessam anno 1456, adversus Maumethum, tunc, cum castrum Belgradi in regno Hungariae ad ripam Danubii situm, immani obsidione solutum est, inito praelio sub strenuo duce Joanne Vaivoda, et praesente s. Joanne de Capistrano, qui Vexillum Sacratissimae Crucis prae manibus habens christianos ad victoriam et ad mortem pro Christi nomine subeundam intrepide adhortatus est, uti colligitur ex Bulla Calixti III. impressa apud Raynaldum ad annum 1457 n. 57. et seq., ubi n. 77. haec ad rem nostram verba leguntur:

„Igitur cuncti per orbem terrarum constituti fideles animas et corpora pro fidei christianae munimine praeparare et debitas gratias Salvatori Nostro pro tantis beneficiis a Deo susceptis exsolvere diemque victoriae e coelo nobis concessae diem laetitiae et liberationis a filio superbiae, venenoso serpente Turca foedissimo annis singulis celebrare studeant pie, solemniter et devote, quemadmodum filii Israel de servitute Aegyptiaca liberati sempiternum diem celebrem recolentes Deo laudes reddebant et gratiarum debitas actiones." Quod ipsum argumentum prosequitur etiam Gregorius XIII. in institutione festivitatis SSmi Rosarii, de qua in sua Constitutione undecima Bull. tom. 2., ibi: „Monet apostolus in omnibus gratias agere, monent quoque sacrarum literarum historiae insignia Dei beneficia, tum ut ei, a quo accepta sunt, merite referantur gratiae, tum ut fideles, quibus collata sunt, illarum memores ad divinum cultum magis in dies excitentur, solemnibus anni festivitatibus celebranda esse, quod cum multoties institutum fuerit, tum vero maxime cum Deus patrum nostrorum populum suum a servitute Aegyptiaca per manum fortem liberavit." Et ad rem, de qua nunc agitur, maximopere facere videntur ea, quae leguntur in sexta lectione Officii proprii s. Stephani Hungariae regis pro Ecclesia universali ad diem 2. Sept., ibi: „Ejus autem festum Innocentius XI. Pontifex Maximus quarto 9. Sept. ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi I. romanorum electi Imperatoris et Hungariae



regis eadem die in Budae expugnatione ope divina e Turcis reportatam celebrandum instituit", et alia, quae pariter leguntur in sexta lectione Officii nominis B. M. V., quod in Ecclesia universali recitatur Dominica infra octavam Nativitatis SSmae Virginis, ibi: „Quod quidem venerabile nomen, jampridem in quibusdam christiani orbis partibus speciali ritu cultum Innocentius XI. Romanus Pontifex ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis Mariae praesidio de immanissimo Turcarum tyranno cervici populi christiani insultante Viennae in Austria partam et in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis Dominica infra octavam Nativitatis B. V. M. celebrari praecepit."

16. *Absolutis his, quae duas postremas respiciunt lectiones et quae faciliora esse visa sunt, redire necesse est ad primam lectionem, in qua Sanctus Dominicus dicitur institutor SSmi Rosarii monitu Beatissimae Virginis*, quae ipsi inspiravit, ut illud omni mentis fervore praedicaret, tamquam singulare praesidium ad haereses evertendas et vitia extinguenda; cumque asseratur, Summos Pontifices Leonem X., s. Pium V., Gregorium XIII., Sixtum V. ac reliquos alios Summos Pontifices usque ad haec tempora in suis apostolicis diplomatibus dixisse, Sanctum Dominicum fuisse institutorem et auctorem rosarii, quaerendum in primis est pro recto examine, an ea revera fuerint a dictis Pontificibus asserta.

17. Quoad Summum Pontificem Leonem Papam X. haec leguntur in ejus Constitutione, quae est in ordine secunda in appendice tom. 3. Bullarii veteris, in qua confirmat Indulgentias confraternitatis rosarii, ibi: „Sane pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum praedicatorum domus Coloniensis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in historiis legitur, a s. Dominico quaedam confraternitas utriusque sexus fidelium de Rosario ejusdem B. V. M. nuncupata ad honorem angelicae salutationis instituta et in diversis mundi partibus praedicata fuit sequentibus signis; sed cum ipsa confraternitas decursu temporis fere neglecta fuisset et in oblivionem transiisset ac anno 1475 civitas et dioecesis Coloniensis gravibus bellis premeretur, eadem confraternitas etc. in Ecclesia dictae domus innovata et de novo instituta fuit."

18. Quoad s. Pium V. haec sunt, quae habentur in ejus constitutione 86. Bull. tom. 2., ibi: „Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus beatus Dominicus ordinis fratrum Praedicatorum auctor, cujus institutum et regulam, cum in minoribus essemus, expresse professi sumus, qua nunc temporis occasione, quo Albigensium haeresi partes Galliarum et Italiae misere vexabantur, et tam multos excaecaverat saeculares, ut in Domini sacerdotes et clericos saevissime furerent, levans in coelum oculos etc., respiciens modum facilem et omnibus pervium ac admodum pium orandi et precandi Deum, Rosarium seu Psalterium ejusdem B. Mariae V. nuncupatum, quo eadem Beatissima Virgo salutatione angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici Psalterii repetita et oratione dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam ejusdem D. N. Jesu Christi vitam demonstrantibus interposita, veneratur, excogitavit excogitatumque per sanctae rom. Ecclesiae partes propagavit orandique modo praedicto per asseclas beati Dominici, fratres videlicet ordinis praedicti, divulgato et a nonnullis accepto, coeperunt Christifideles iis meditationibus accensi, iis precibus inflammati in alios viros repente mutari, haeresum tene-

brae remitti et lux catholicae fidei aperiri, et ad hanc orandi formam pro locorum diversitate sodalitates per fratres ejusdem ordinis ad hoc a suis superioribus legitime deputatos institui et confratres in eis describi."

19. Quoad Gregorium XIII. haec leguntur in ejus constitutione 2. Bull. pariter tom. 2., ibi: „Quia vero preces ad Deum oblatae eo gratiores ad illius conspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus et pio aliquo orandi modo offeruntur, memores, b. Dominicum ordinis Praedicatorum institutorem, cum et Gallia et Italia a perniciosis premerentur haeresibus, ad iram Dei placandam et Beatissimae Virginis intercessionem implorandam piissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium seu Psalterium B. V. Mariae nuncupatur."

20. Quoad Sixtum V. haec leguntur in ejus constitutione 21. Bull. tom. 2.: „Attendentes itaque, quam religioni nostrae fructuosum fuerit SSmi Psalterii Rosarii nuncupati, gloriosae semper Virginis Mariae almae Dei genitricis institutum, per b. Dominicum ordinis fratrum Praedicatorum auctorem, Spiritu Sancto, ut creditur, afflatum, excogitatum quantaque exinde mundo provenerint et in dies proveniant bona et quod propterea utriusque sexus Christifidelium confraternitates sub invocatione Rosarii ejusdem B. Mariae V. in diversis orbis Ecclesiis ac capellis et altaribus canonice institutae etc."

21. Inter alios Pontifices, qui s. Dominicum dixerunt auctorem et institutorem SSmi Rosarii, referri merito possunt Clemens VIII., Alexander VII., Innocentius XI. et Clemens XI.; Clemens quippe VIII. loquens de Ecclesia s. Sixti in via Ardeatina in suis apostolicis literis editis anno 1601 et per extensum relatis inter monumenta conventus Tolosani de Rosario part. 1. pag. 113. num. 9. ait, ibi: „Deinde in Ecclesia ejusdem monasterii s. Dominicus B. Virginis Rosarium instituit et promulgavit anno Domini 1216." Item Alexander PP. VII. in suo Brevi impresso in Collectione seu Bullario confraternitatum ordinis Praedicatorum Romae typis cameralibus impresso anno 1668, sic inquit, ibi: „Cum, sicut nos alias acceperamus, in diversis orbis christiani partibus pia erga s. Dominicum ordinis fratrum Praedicatorum fundatorem et Rosarii B. V. Mariae auctorem devotio inducta fuisset, prout id ipsum de praesenti etiam viget." Et consimilia verba leguntur in alio Brevi venerabilis Dei servi Innocentii XI. expedito anno 1683 et impresso inter dicta monumenta conventus Tolosani citata pag. 113. num. 15. et demum in alio Brevi san. mem. Clementis PP. XI., editi dies 25. Januarii 1704, in quo concessit indulgentias ad septennium s. Dominicum tertia feria colentibus, in quo profecto rerum themate non videtur, ullo modo esse dubitandum de his, quae exponuntur in prima lectione, summos videlicet Pontifices Leonem X., s. Pium V., Gregorium XIII., Sixtum V. et alios summos Pontifices usque ad haec tempora in suis apostolicis diplomatibus professos fuisse, quod incredibili cum animarum fructu saluberrimum institutum SSmi Rosarii fuit a s. Dominico inventum.

22. Sufficere haec deberent ad rem, de qua nunc agitur; ut enim inquit Malvenda in annalibus ordinis Praedicatorum ad annum 1218 pag. mihi 132.: „Romanorum Pontificum apertissima attestatione exploratissimum esse constat, s. Dominicum Praedicatorum ordinis fundatorem, virum apostolicum, ipsisque apostolis propemodum conferendum, tam admirabilis ac coelestis plane inventi, nempe Rosarii, non sine Spiritus Sancti afflatu, extitisse cogi-

tatorem, auctorem, promulgatorem et clarissimum ubique terrarum christiani orbis praeconem"; sed cum multa inter auctores de primo SSmi Rosarii inventore et auctore enarrentur, nec omnino incongruum nec inopportunum futurum esse existimo, si varia de hac re placita in praesenti exponam non animo impugnandi ea, quae in tot apostolicis constitutionibus relata sunt, sed ut patefacta uniuscujusque contrarii asserti debilitate tuta permaneant et inconcussa romanorum Pontificum asserta.

23. *Prima itaque opinio est eorum, qui Rosarium Ecclesiae ipsi coaevum volunt et asserunt,* unde Basseilus ad imperatorem Maximilianum in lib. de corona Rosarii ait: „Coronarius salutandae Mariae ritus novitiis inventis nequaquam adscribitur, siquidem cum ipsa pene Ecclesia pullulavit", et cohaerenter ad haec non desunt alii referentes Rosarium ab ipsa B. V. Mariae potuisse recitari, nec enim implicat, quin ipsa, quae numquam peccavit, dicere potuerit absque falsitate, *dimitte nobis debita nostra*, orando videlicet non pro se sed pro corpore fidelium, uti theologice perpendunt Toletus ad cap. 12. Lucae annot. 13., et Baptista Novatus tom. 1. de eminentia Deiparae cap. 3. quaest. 15., et quin ulterius eadem B. Virgo salutationem angelicam recitare potuerit ad recolendum mysterium ex salutatione peractum, uti late prosequitur Theophilus Raynaldus oper. tom. 7. pag. mihi 67. num. 28. et pluribus seq., et quia a potentia ad actum non deducitur argumentum ad rem concludens, hinc est, quod alii ad ulteriora procedendo probare intendunt, non solum potuisse recitari sed recitatum fuisse a B. Virgine Rosarium, cum pars Coronae seu Rosarii ejusdem Virginis conservetur inter reliquias hic in Urbe in Ecclesia s. Mariae in Campitelli, uti praeter Theophilum loco citato testantur Joannes Carolus Poteza in libro visitationis Pii PP. V. fol. 232. part. 2., Macrus in notitia vocabulorum ecclesiasticorum in verbo Globuli, Elias de Amato tom. 1. epist. erudit. pag. 362., Pompejus Sarnellius Episcopus Vigiliensis in suis epistolis ecclesiasticis tom. 6. epist. 5., et comprobari dicitur ex sequenti monumento Honorii PP. III., quod ita se habet:

„In nomine Domini amen, anno 1217, Pontificatus Domini Honorii PP. anno ejusdem secundo, indictione 6., mensis Aprilis die 5., consecrata est Ecclesia haec ab eodem summo Pontifice (sermo est de Ecclesia s. Mariae in Campitellis) et universali Papa, per cujus sanctas manus reconditae sunt in hoc altari B. M. V. multae reliquiae Sanctorum et Sanctarum, videlicet de ligno sanctae Crucis, de lacte, capellis et vestimentis gloriosae Virg. Mariae. Item pars coronae de Pater Noster Virginis Mariae."

Cum autem multa sint, quae huic obstant assumpto, formalis videlicet et juridica recognitio memorati monumenti Honorii PP. III., et quod verba illa: *pars coronae de Pater Noster Virginis Mariae*, Rosarium indigitent ab ipsa Beata Virgine adhibitum, cum naturaliter etiam et sine violentia significare possint Rosarium ab alia persona adhibitum et in honorem B. V. Mariae recitatum, et cum praedicto tempore, quo usus Rosarii auctore sancto patre Dominico, ut infra demonstrabitur, incepit, potuerit Rosarium inter reliquias recondi ob frequentia miracula, quae in ejus recitatione Deus operari dignabatur, uti plene habetur apud Bzovium in continuatione annalium Cardinalis Baronii ad annum 1213 num. 10. et seq., hinc est, quod pedes tuto figi non valent in hac prima opinione, quae pietatem potius redolet quam veritatem.

24. *Secunda opinio est eorum, qui Rosarii institutionem ad ipsos apostolos et signanter ad sanctum referunt Bartholomaeum.* Ad hoc assertum videtur b. Alanus de Rupe in suo opere de psalterio Christi ac Mariae olim compilato a Joanne Andrea Coppestein et a mendis expurgato a Dominico Riera, sic etenim ipse ait pag. mihi 8.: „S. Bartholomaeus apostolus quoque eam, hoc est, angelicam salutationem et die centies et centies nocte frequentasse proditur cum totidem adgeniculationibus. Quo in numero quatuor insunt quinquagenae, quorum tres sic oratae psalterium Christi Jesu constituunt ex centum quinquaginta dominicis orationibus constans, sicut illud ex totidem angelicis salutationibus dictis Mariae efficit psalterium. Quartam vero quinquagenam adjecit apostolus ob devotionis causam, ipsi Deoque notam; inde Ecclesia seu Congregatio Christifidelium cupiens imitari exemplum orandi synagogae, ad modum psalterii Davidici, quod centum quinquaginta psalmis completur, eumdem ad numerum, totidem orationes dominicas et angelicas salutationes junctim suis in comprecationibus usurpavit.“ At haec opinio non habet plus roboris quam alia antecedenter exposita, adeoque Suarez de religione tom. 2. lib. 3. cap. 9., de Rosario num. 12. post relatam hanc opinionem ait: „alii denique usque ad tempora apostolorum referunt“, loquitur de institutione Rosarii, „quod magis incertum est.“

25. *Tertia opinio est eorum, qui ad antiquissimos Eremi patres inventum referunt SS. Rosarium,* cum certum sit, numeratas per calculos preces fuisse ab illis usurpatas. De Paulo siquidem monaco haec leguntur apud Sozomenum lib. 6. hist. eccl. cap. 20., ubi ait: „Orationi tantum vacabat, trecentas orationes velut tributum quoddam quotidie persolvens Deo. Ac ne forte aberraret ab integro numero, trecentis lapidibus in sinum suum congestis ad singulas precationes singulos projiciebat lapides. Assumptis itaque lapillis planum fiebat, orationes numero lapillorum aequales jam complevisse.“

26. Concordat Palladius in historia lansiaca cap. 23., ibi: „Hic habebat trecentas preces expressas et praestitutas, totidem habens in sinu suo calculos et in unaquaque oratione jaciens unum calculum“, et rursus cap. 24. exponens accessum ejusdem Pauli ad s. Macarium Alexandrinum narrat, propter spiritualem utilitatem ei dixisse: „Abba Macari valde affligor. Coëgit enim Christi servus dicere causam, propter quam molestia afficiebatur. Is vero ei dixit: In quodam vico habitat quaedam virgo, quae trigesimum annum jam exeratur, de qua multi mihi narrarunt, quod praeter sabbatum et dominicam nullo alio die vescitur sed toto tempore trahens hebdomadam et post quinque dies comedens facit septuaginta orationes. Hoc cum didicissem, meipsum reprobavi, quod vir creatus his viribus corporis, non potuerim facere plus, quam trecentas orationes. Ei respondit s. Macarius dicens: Sexagesimus annus agitur, ex quo centum constitutas facio orationes, et laborans manibus ea, quae sunt ad alimentum necessaria, et fratribus utilitatem reddens conversionis, nec mea me indicat ratio, quod fuerim negligens; si tu autem, cum trecentas facias orationes, judicaris a conscientia, aperte ostendis, te non pure orare vel posse plures orationes facere quam facias.“

27. *Ostendunt hucusque deducta antiquissimum morem repetitionis orationum et earum numeri per calculos, ex quo inferri posse videtur ad ipsum Rosarium, quod repetitis orationibus*

dominicalibus et angelicis salutationibus per calculos numeratis constat; quocirca Rosweidus in notis ad Palladii historiam lansiacam perpendens mox narratum factum Pauli monachi sic loquitur: „Hinc probatur vetus usus calculorum Rosarii, ut frustranei sint haeretici, qui vel recentem inventionem vel superstitiosam calumnientur“, uti legitur pag. 783. n. 33. At id nullo modo probare videtur usum Rosarii ab eremitis tunc adhibitum, cum ex allegatis Sozomeni et Palladii testimoniis desumatur, repetitas orationes fuisse ab illis usurpatas et etiam per calculas numeratas, sed non habeatur, quod ab eisdem repetitae fuerint orationes dominicales et angelicae salutationes, ex quibus, uti notum est, conflatur Rosarium.

28. *Quarta opinio est ea, quae institutionem Rosarii refert ad s. Benedictum,* sed cum inter fideles tempore s. Benedicti salutatio angelica seu oratio, quae dicitur *Ave Maria,* non esset in usu, hinc est, non ita facile suaderi posse, quod institutum Rosarii ad s. Benedictum sit referendum.

29. Et quidem, quod tempore s. Benedicti non esset inter fideles in usu angelica salutatio, patet, cum dicti usus ante saeculum undecimum nullum reperiatur vestigium; symboli etenim tantummodo et orationis dominicae ante saeculum undecimum mentio habetur, quocirca Eligius in homiliis ad populum ab Audoeno relatis ait: „Symbolum et orationem dominicam cum fide et devotione dicite“, et in sermone Leonis PP. IV. legitur: „Attendite, ut parochianis vestris symbolum apostolorum et orationem dominicam insinuetis“, nec alio modo loquuntur Concilia Cloveschoviense in Anglia canone 10., et Germanica: Francosardiense, Moguntinum anni 1813 et alia, et Odo Parisiensis Episcopus Mauritii ab anno 1196 successor inter primos fuit, qui statutum edidit salutationem angelicam addens orationi dominicae et symbolo, ibi: „Exhortentur populum semper Presbyteri ad dicendam orationem dominicam et Credo in Deum et salutationem B. Virginis.“ Idemque omnino totidem verbis anno 1246 praescribitur a Decanis ecclesiae Rothomagensis et abinde citra salutationis angelicae precatio fere in legem evasit apud omnes, unde si ex his et aliis pluribus facile cumulandis desumitur, tempore s. Benedicti orationem salutationis angelicae non fuisse in usu apud fideles, redit assumptum in superioribus insinuatum, quod institutio Rosarii ad s. Benedictum referri non potest.

30. *Quinta opinio est eorum, qui venerabilem Bedam auctorem faciunt Rosarii;* sed cum ea, quae mox de s. Benedicto dicta sunt, sibi vindicent locum etiam quoad venerabilem Bedam, non potest idcirco venerabilis Beda haberi pro institutore SSmi Rosarii, unde Joannes Mabillon Presbyter et monachus Benedictinus in sua praefatione ad saeculum quintum n. 125. inquit: „Si salutationis angelicae usus nondum invaluerat, ut superius ostendimus, aevo s. Benedicti neque Bedae, frustra ejus institutio ad illa tempora revocatur“, et concordant Natalis Alexander in historia eccles. saeculi XIII. et XIV. art. 1. sub n. 5., ibi: „Sane Rosarii originem quidam ad s. Benedictum, alii ad ven. Bedam frustra referunt. Aevo s. Benedicti aut venerabilis Bedae salutationis angelicae in precibus recitandae usum nondum invaluisse probat doctissimus Mabillonius.“ Etiam Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson in historia eccl. tom. 5. p. 523.: „Praeterea originem Rosarii nec ad s. Benedictum nec ad venerabilem Bedam referri posse, patet evidentissimo argumento, quod mihi suppeditat doctissimus Pater Joannes Ma-

billonius praefatione in saeculum quintum Benedictinum, quod est Ecclesiae decimum, ubi ex omnibus antiquis statutis luculentissime probat, aevo s. Benedicti aut ven. Bedae, necdum salutationis angelicae in precibus recitandae usum invaluisse eumque saeculo dumtaxat undecimo in Ecclesia frequentari coepisse, ex quo palam sequitur, nec s. Benedictum nec venerabilem Bedam Rosarii auctores esse potuisse, cum eorum aetate nondum apud fideles esset in usu recitatio salutationis angelicae, quae tamen, ut omnes plane norunt, praecipua pars Rosarii censetur."

31. *Haud urgente, quod apud Anglos Rosarium dicitur Bedes*, hujus etenim anglae vocis etymologia non descendit a verbo Beda, quasi quod ven. Beda fuerit auctor Rosarii, sed a *Beltides*, quae certum numerum orationum significat, sed non significat Rosarium ex orationibus dominicis et salutationibus angelicis compositum, ut infra demonstrabitur et bene perpendit Mabillon citata praefatione in saeculum quintum num. 125., ibi: „Huc id torquent, quod Rosarium apud Anglos Bedes nomine appellatur tamquam a Beda auctore. At potuit alia de causa sic vocari, puta in Beltide."

32. *Sexta opinio institutorem facit Rosarii quemdam Petrum eremitam civem Ambianensem*, de quo sic loquitur Polidorus Virgilius lib. 5., de inventoribus rerum cap. 9., ibi: „Caeterum, ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam dominicam precem cum angelica salutatione recitaremus, est modus orandi postremo inventus per calculos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus modo preculas modo patres nostros appellat. Hi numero quinquaginta quinque ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli majusculi affigantur filo; sunt enim perforati, et quot hi sunt, toties dominicam precem, quot illi, toties angelicam salutationem ter numerum ineundo recitent terque symbolum brevius inferant et id Deiparae Virginis psalterium nuncupant. Ejus rei auctor fuit Petrus eremita homo gallus civis Ambianensis, qui abhinc annis quadragintis triginta, hoc est circiter annum salutis humanae millesimum nonagesimum sanctitate floruit egitque cum rom. Pontifice, ut bellum asiaticum a nostris sumptum fuerit, quo Hierosolyma recepta est. Hodie tantus honor ejusmodi calculis accessit, ut non modo ex ligno fuccino et corrallio, sed ex auro argentoque fiant sintque mulieribus instar ornamenti." Haec ille, cui quoque adstipulatus est Genebrardus lib. 4. chronographiae pag. 593. antiquae editionis.

33. Adversus hoc Polydori Virgilii effatum facere posse mirabiliter videtur celebre adagium Cardinalis Baronii in apparatu ad annales n. 12., ibi: „Quod a recentiore auctore, de rebus antiquis sine alicujus testimonio vetustiore profertur, contemnitur."

34. Urget etiam, quod scriptores recentiores referentes ad Petrum Rosarii institutionem non sunt inter se concordes, quis videlicet fuerit ille Petrus; cum nonnulli asserant, Petrum hunc fuisse monachum Benedictinum, et alii velint, fuisse celebrem eremitam sacri belli tubicinem tempore Urbani II., uti fuse habetur apud Theophilum Raynaudum tom. 7., in Diptychis Marianis p. 231. Rursus Wilelmus Tyri Archiepiscopus scriptor diligentissimus saeculi duodecimi in libris de bello sacro, quibus sacrarum expeditionum historiam complectitur a Concilio Claramontano sub Urbano II. anno 1095 usque ad annum 1180 saepe mentionem facit Petri eremitae Ambianensis, nec ullum facit verbum de instituto ab ipso Rosario. Denique

probabile admodum est, hanc assertionem origenem habuisse ex his, quae contigerunt ineunte saeculo duodecimo et quae leguntur apud Herimann. in spicilegio Dacherii tom. 12. pag. 414 et 415; in libello etenim ab eodem Herimanno conscripto de restauratione coenobii s. Martini Tornacensis narratur, secundam constructionem Lesciensis in Hannonia monasterii factam fuisse a Theodorico de Ovesniis et Ada ejus conjuge et quemdam eremitam in proxima silva visionem habuisse de dicto Theodorico in Dei judicium vocato, ex quo in bello contra comitem Balduinum nonnulla monasteria combussisset et Beatissimam Virginem pro eo intercessisse, „quia Ada ejus uxor angelicam salutationem singulis diebus sexagies explicasset et vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando, aut in Ecclesia aut in cubiculo suo aut in aliquo secreto loco, Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui, commemorare et in tantum id diffamatum fuisse, ut etiam Gosequinus filius alterius Adae, qui avunculo suo praefato Theodorico successerat, easdem salutationes Beatae Mariae quotidie replicaret militibusque suis eas dicere suaderet"; probabile etenim admodum est, quod eremita hic fuerit a Polydoro confusus cum Petro eremita, sed cum praedicta Adae devotio in Beatissimam Virginem potuerit ad summum esse initium coronae Beatae Mariae, sed non rosarii, de quo nunc agitur, unusquisque facili negotio concludere poterit, non esse rosarii institutionem referendam vel ad eremitam, de quo Herimannus, vel ad Petrum eremitam, de quo Polydorus, vel ad Petrum monachum Benedictinum, de quo alii auctores apud Theophilum verba fecerunt, uti bene prosequitur saepe allegatus Pater Mabillon praefat. in saeculum quintum n. 127., ubi recitato Herimanni testimonio subdit: „Hoc initium puto coronae Beatae Virginis, quam eo tempore, id est ineunte duodecimo saeculo, novam fuisse ex his Herimanni verbis intelligitur, quod si eremita ille idem sit cum Petro eremita, cui a Polydoro Virgilio inventum rosarii tribuitur, hinc apparet, quo fundamento dictum sit, quia scilicet hanc Adae in Beatissimam Virginem devotionem in publicum divulgavit."

35. *Septima opinio est eorum, qui rosarii* institutorem faciunt venerabilem fratrem Alanum de Rupe Ordinis Praedicatorum, sed haec opinio nulli innititur stabili fundamento, quando quidem cum post mortem Sancti Dominici consuetudo recitandi rosarii vel hominum negligentia vel daemonis arte paulatim excidere coepisset, ita ut pene extincta videretur, Alanus hic sui temporis celeberrimus concionator collapsam s. rosarii devotionem totis viribus restituit, uti non solum legitur in breviario dominicano die 8. SSmi Rosarii in secundo nocturno Officii, sed etiam plene habetur apud Joannem Trithemium Ordinis Divi Benedicti monachum et scriptorem eruditissimum in opere de scriptoribus ecclesiasticis editionis Basileensis anni 1494, ubi vero Alanus ait: „Alanus de Rupe, natione Theutonicus Ordinis Praedicatorum, vir in divinis scripturis eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentissimae opinionis, vita et conversatione Deo devotus et Beatae Mariae semper Virginis amator praecipuus ejusque rosarii et famulatus promotor venerandus, a qua etiam singulari dono supernae consolationis aliquoties meruit recreari et jam in aeterna felicitate refoveri etc., moritur autem in conventu Luvallensi sub Frederico Imperatore III. et Sixto Papa IV., anno Domini 1474, indictione

septima, in vigilia Assumptionis B. M. V., cujus rosarium et Passionis Christi recordativum psalterium, quod diu jam fuit neglectum, revocavit ad mentes et exercitia hominum, ob cujus honorem confraternitatem constituit, quae per Apostolicam Sedem confirmata in dies augetur et multis salutare praebet exercitium."

36. Additur, quod circa haec tempora, anno videlicet 1479, Summus Pontifex Sixtus IV. rosarium approbavit et illud recitantibus Indulgentias concessit; cumque praedictus Pontifex in sua Constitutione tom. 1. non loquatur de rosario tunc instituto sed potius restituto, ibi: „Sane pro parte Dilecti Filii nobilis viri Francisci ducis et dilectae in Christo Filiae nobilis mulieris Margaritae ejus contoralis ducissae Brabantiae et pluribus aliis locis, crescente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra innovatus est certus modus sive ritus orandi pius et devotus, qui etiam antiquis temporibus a christifidelibus in diversis partibus observabatur, videlicet, quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem Dei et B. V. M. et contra imminentia mundi pericula toties angelicam salutationem Ave Maria, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, videlicet centies et quinquagies, singulis decem salutationibus hujusmodi orationem dominicam semel praeponendo et ipse ritus sive modus orandi psalterium Mariae Virginis vulgariter nuncupatur." Signum evidentissimum hoc est, non fuisse rosarium tunc primo institutum a venerabili Alano de Rupe.

37. Et quod notatu dignum est, cum adhuc extet opus ejusdem Alani de Rupe de psalterio Christi ac Mariae, scriptum ad Episcopum Tornacensem et olim compilatum a Joanne Andrea Cappestein et a mendis expurgatum a Dominica Riera, uti supra dictum fuit et in ejus cap. 8., idem Alanus totus sit in probanda antiquitate rosarii et hoc ipsum caput concludat sequentibus verbis: „Quibus ex omnibus de plano liquet, quod dicere vel praedicare psalterium Virginis Mariae minime de ulla novitatis nota juste suspectum haberi culparique possit: adeo ritus et antiquissimus et honoratissimus in Ecclesia, tametsi per incuriam hominum et temporum injuriam subinde torpuit neglectus", nemo est, qui non videat, immerito asseri, hunc Alanum fuisse rosarii institutorem sed eum potius pro restauratore et propagatore habendum esse adeoque omnia complectendo, bene subdit Navarrus in Miscellaneis de oratione, ubi loquitur de rosario, pag. mihi 743, ibi: „Primum igitur fuit, a quo habuit originem hoc genus orandi, ad quod respondit frater Albertus de Castellano vir pius et eruditus illustrissimi Ordinis Praedicatorum professor in eo libro, quem super rosario praefato copiosum scripsit p. 10, id, quod habet recepta sententia, nempe quod gloriosus ille beatus Dominicus patriarcha et institutor illustrissimi Ordinis Praedicatorum circiter annum 1200 inspirante ipsamet Virgine Matre tradidit genus hoc, quod tunc novum fuit, orandi et praedicandi per 150 Ave Maria et 15 Pater noster, quod appellavit psalterium Dominae nostrae, eo quod sicut psalterium Davidicum constat ex centum et 50 Ave Maria et quod licet a principio, praedicante ipso Dominico et fratribus ejus, fuisset fervide acceptum, postea tamen coepit tepide exerceri et fere omitti, sed anno 1460, ipsamet Virgo resplendentissima apparuit in Rupe Britanica patri Alano fratri hujusdem Ordinis et egregio doctori egregieque sibi devoto, simul adhortata fuit, ut magna cura et studio per suam suorumque fratrum Praedicationem ad illud denuo orbem chri-

stianorum adhortaretur; quia non defuerunt, qui renovationi novae illius novi orandi inventi detraherent, Franciscus Dux Britaniae et Margarita ejus uxor aliique multi supplicarunt obnixe Sixto IV., qui tunc Ecclesiae praeerat universae, ut ad gloriam Dei et Virginis Matris auctoritate apostolica illud approbaret, quod lubentissime anno insequenti 1479 fecit.“

38. *Ultima opinio est eorum, qui ad s. Franciscum referunt rosarii institutionem;* sed in hac confutanda tempus terendum non est, cum modernioribus tantummodo temporibus publicari coeperit et quidem potius per picturas quam per scripturas; depicta siquidem fuit in civitate Tolosae imago Beatissimae Virginis, quae rosarium porrigebat s. Francisco et Clarae reque delata a fratribus Ordinis s. Dominici ad vicarios generales Archiepiscopi Tolosani prohibitum fuit fratribus Ordinis minorum hasce retinere et exponere picturas; cumque a judicio vicariorum generalium interposita fuisset appellatio ad hanc S. R. C., S. C. praedictum confirmavit judicatum, referente clarae memoriae Cardinali Francioto Sacraeque Congregationis resolutionem Alexander PP. VII. apostolicis literis confirmavit et in harum omnium executionem fratres minores Tolosani sese solemniter obligaverunt ad removendum dictas picturas, uti fuse refertur inter monumenta conventus Tolosani collecta a Joanne Jacobo Percin dicti conventus alumno, part. 3., de rosario cap. 7. et seqq., et apostolicae literae Alexandri VII. sunt impressae in bullario romano tom. 6., in ordine 149, inter eas dicti Pontificis, ibi: „Auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus etc. non posse tabellam exponere, in qua Beatissima Virgo Dei Mater det rosarium s. Francisco et Clarae, prout etiam praefata omnia fieri prohibemus et servari mandamus.“

39. *Quapropter*, si rosarii institutio nec ad Beatissimam Virginem nec ad apostolos nec ad patres in Eremo degentes, nec ad s. Benedictum nec ad venerabilem Bedam nec ad Petrum eremitam nec ad Petrum monachum nec ad venerabilem Alanum de Rupe nec ad s. Dominicum Franciscum referri potest, *referenda erit ad s. Dominicum*, uti habetur in apostolicis constitutionibus supra relatis. Cum enim ille strenue pugnaverit adversus Albingenses, qui Christum Dominum et Beatissimam Virginem blasphemiis et haeresibus scelestissime offendebant, idemque sanctus ordinis fratrum Praedicatorum sub auspiciis Beatissimae Virginis fuerit institutor, verisimile admodum est, ut ad retundendam impiae haereseos insaniam et excitandam in suo novo ordine devotionem erga Sanctissimam Virginem, vitae Christi mysteria simul et Mariae preces et laudes sacro et novo ritu in Ecclesiam introducere studuerit. Nulla intercedente dubitatione quoad impia praedicta Albigensium asserta, cum eorum meminerint Gulielmus de Nangis in chronico de anno 1209 et Lucas Fuldensis antiquus scriptor lib. 3. cap. 3. in opere adversus Albingenses et Petrus monachus Cisterciensis nepos et comes unius ex 10 Abbatibus missis ab Innocentio III. ad dictam haeresim expugnandam apud Duchesne in historiae Franc. scriptoribus; et in eo quod attinet ad institutionem ordinis fratrum Praedicatorum sub auspiciis Beatissimae Virginis, adest testimonium Vincentii Bellovacensis in speculo historiae, lib. 3. cap. 69., ubi haec refert de s. Dominico adhuc vivente: „Dominicus totum se ad orationem contulit, aures divinae clementiae reginaeque misericordiae Beatae Mariae, cui tamquam speciali patronae curam or-

dinis totam commiserat, importunis clamoribus cordis interpellans" etc. Huc quoque spectat illud, quod legitur apud Nicolaum Trivet in Spicilegio Dacheriano ad annum 1217, ubi ait, Beatissimam Virginem apparuisse Reginaldo Aurelianensi decano eidemque habitum, quo nunc utuntur fratres Praedicatorum, ostendisse, subdendo, ***hic est habitus ordinis tui;*** ut interea silentio praetereantur alia, quae habentur apud Thomam de Cantiprato, lib. 2., de apibus cap. 10., ubi scribit, Beatissimam Virginem apparuisse monacho Cistercensi viro pietate insignissimo et sic eum fuisse allocutam: *Meos fratres et filios recommendo et revelato pallio fratres Ordinis Praedicatorum sub eo contentos ostendit;* eodemque libro cap. 53. narrat aliam apparitionem Beatissimae Virginis cuidam fratri Ordinis Praedicatorum, qui aegrotabat, cuique dixit: *Ego mater Christi patrona Ordinis tui praemunire te veni.*

40. Adstipulantibus huic piae, sed rationabili conjecturae nonnullis historicis documentis, quibus ostenditur *ab ipso s. Dominico rosarii confraternitates fuisse institutas*, et rosarii devotionem post ejus obitum fuisse in suo ordine propagatam et subinde ab ejusdem ordinis fratribus ad universum catholicum orbem extensam, ita ut rosarium habitum fuerit tamquam peculiare et pium patrimonium a s. Dominico suo ordini relictum.

41. *Quod autem a s. Dominico fuerint institutae rosarii confraternitates*, colligitur ex citata Bulla Leonis X. et ex ejus verbis supra relatis et iterum referendis: „Nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in historiis legitur, a s. Dominico quaedam confraternitas utriusque sexus fidelium de rosario ejusdem B. M. V. nuncupata ad honorem angelicae salutationis instituta et in diversis mundi partibus praedicata fuit sequentibus signis" etc. Subditque Mabillonius praefatione in quintum seculum benedictinum ex Thoma Kempensi in chronico s. Agnetis n. 128.; „Institutio itaque confraternitatis de rosarii anno 1475, facta est in alma universitate Coloniensi per doctores Sac. Paginae Praedicatorum Ordinis, immo potius renovata est, quia per reverendissimum patrem Dominicum legitur praedicata, licet ad tempus fuerit neglecta et oblivioni tradita." Elapsisque triginta quatuor annis ab obitu s. Dominici concessa fuit anno 1254 ab Alexandro IV. Summo Pontifice Indulgentia confraternitati SSmi Rosarii erectae in Ecclesia fratrum Praedicatorum civitatis Placentinae et apostolicae hujus Pontificiae literae promotae ex archivio conventus s. Joannis dictae civitatis Ordinis Praedicatorum impressae sunt per extensum post tomum secundum historiae ecclesiasticae Placentiae Petri Campi in regesto privilegiorum n. 108. p. 406. tom. 2., ubi idem auctor, p. 216, institutionem refert dictae confraternitatis in Ecclesia eorumdem fratrum Praedicatorum.

42. Quod pariter post obitum s. Dominici fuerit SSmi Rosarii devotio in universo Ordine Dominicano propagata, clare desumitur ex antiquis historiarum monumentis erudite collectis, tomo primo scriptorum Ordinis Praedicatorum inchoata a fratre Jacobo Quetif et absoluto a fratre Jacobo Echard, tom. 1. p. 852: „Jam quoad usum apud nos hujus precando formulae, quod in hac re praecipuum est, antiquum esse nihil certius, vide ad annum 128. Frater Petrus Dacus, ubi laudatur quidam Nicolaus ejus socius, cum Parisios venit in gymnasio sanjacobeo theologiae operam daturus anno 1269 et qui anno sequenti, cum eadem rediens Colonia transito et B. Christianae Stumbellensi dedit suum Pater noster,

quod personaliter quatuor annos portaverat, nimirum ad zonam appensum, ut nobis nunc moris est, quod signum sodalibus nostris aliis omnibus id tum solemne fuisse; nam, quae rosaria nunc dicimus, ex saeculo 13. et sequentibus Pater noster vocabant. Sic in opere, quod paucis abhinc annis Dominus de la Valbon praelo dedit, cui titulus: memoriae pro historia Delphinatus, p. 286, in quodam computo ab anno 1333 ad annum 1336 reddito sic legitur: pro duobus filis de Pater noster de Ambro et duobus filis de Pater noster de Corallo et duobus filis de Pater noster de Vitro, item pro quatuor filis de Pater noster de Crystallo etc., quae impensa Romae facta pro Humberto Delfino per eam urbem transeunte signum est, hujusmodi rosaria apud mercatores prostrasse. Idem Humbertus relicto principatu Ordinem Praedicatorum amplexus est et in Ecclesia nostra Parisiis sepultus; super tymbo autem ejus aeneo sodales plures Ordinis ad latera sculpti rosaria manu praeferunt, quod aliud signum, ad zonam appensa in promptu habuisse."

Nec ullo modo omitti possunt caetera, quae leguntur in vita beatae Agnetis de monte Politiano Ordinis Praedicatorum conscripta anno 1350 a beato Raymundo Capuano et impressa tom. 2. mensis Aprilis inter Acta Sanctorum collecta a Bollandianis p. 809, et etiam in vita beatae Clarae Cambacurtae ejusdem Ordinis, quae nata est anno 1362 et cujus vita ex manuscripto s. Dominici Pisarum legi potest citato tomo ad diem 17. Apr., ubi a Bollandianis dicitur conscripta a sanctimoniali coeva Beatae; in vita quippe beatae Agnetis refertur, quamdam sororem in manus accepisse *Pater noster ejusdem Agnetis* et ea deosculatam fuisse et mirum et suavem odorem ex eis manantem sensisse, et in alia vita beatae Clarae Cambacurtae sic dicitur: „Duodecennis effecta supra, quam aetas illa ferat, divinitus illustrata praeventaque apparuit. Ergo saepe cogebat coetus juvencularum, quas circum se consedere faciens praelegebat eis aliquid ex libro quopiam pio; itaque ad pietatem incitatas nunc Dei laudes secum cantare jubebat, nunc flexis genibus rosarium dicere aut alias preces."

43. *Quod denique rosarii devotio fuerit ad universam Ecclesiam a fratribus praedicatoribus extensa et habitum fuerit rosarium tamquam peculiare et pium patrimonium Ordinis s. Dominici, res est*, quae probatione non indiget, cum sit plene et sufficienter notaria adeoque Henricus Spondanus in annalibus ecclesiasticis ad annum 1213 inquit n. 18., ibi: „Sedquod et s. Dominici nuper memoriam opportune renovavimus, haud importunum videri debebit, si et meminerimus, his ipsis temporibus, quibus Albigensium haeresis per partes Galliarum et Italiae mire grassabatur etc., praedictum Dominicum etc. modum facilem atque omnibus pervium ac valde pium orandi et precandi Deum excogitasse, nempe rosarium seu psalterium ejusdem Beatae Virginis nuncupatum, quo eadem Virgo salutatione angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici psalterii repetita et oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam D. N. J. Chr. vitam demonstrantibus interposita, veneranter colitur hocque orandi modo per Ordinis sui fratres divulgato atque a nonnullis accepto coepisse christifideles iis meditationibus accensos in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti et lucem catholicae fidei aperiri denique ad hanc orandi formam pro locorum diversitate sodalitates instituit; et loquendo de sui Ordinis religiosis sub-

dit venerabilis Alanus de Rupe in saepe citata apologia ad Episcopum Tornacensem cap. 8.: „Nec minus zelose suum ille Patris Sanctissimi Dominici Praedicatorum ordo et frequentavit domi psalterium et foris ad vulgus praedicando commendavit, tanti exemplo Patriarchae et Magisterio et quamdiu istud in Ordine hoc suffragium mansit, tamdiu religio haec in scientia, viribus et miraculis effloruit."

44. Nec his, quae hucusque deducta sunt, opponi posse videtur, nullum in actis s. Dominici et auctoribus ei coaevis quique de eo scripserunt, vestigium reperiri de instituto ab ipso rosario; in primis etenim dici posset, Thomam a Cantiprato Ordinis Praedicatorum, qui floruit anno 1620, mentionem fecisse rosarii lib. 2., apum seu de apibus mysticis sive de proprietatibus apum cap. 29. pars. 6., ibi: „Juvenem fuisse prope nostra tempora in Germaniae partibus certa relatione didicimus, qui mortuis parentibus malorum consilio depravatus haereditatem praeclaram in ludo tesserarum et tabernaculis totaliter dissipavit, cui aliquando patruus miles, volo, ait, ut gloriosam Dei Genitricem Mariam salutes quinquaginta vicibus omni die. Ad hujusmodi verba annuit juvenis; inde post annum dixit eidem patruus: ergo in sequenti anno servitium tuum Christi matri in salutationibus duplicabis. Et juvenis, fiat, inquit. Exacto autem anno secundo, reversus est ad patruum; cui ille nihil restat, nisi, ut anno praesenti propositum fixum experiar. Tu autem medio tempore auxiliatricem tuam in salutationibus quinquagesimae tertiae sedulus honorabis. Nec mora, ubi extremam salutationem tertiae quinquagesimae jam complevit, apparuit ei Gloriosa Virgo lucidior super solem tres thecas in tunica sua, juveni unam anteriorem et duas laterales ostendens: Ecce, inquit, salutationes tuae literis aureis scriptae, quibus me in tribus quinquagenis sedulus honorasti. Et eodem lib. 2. cap. 29. particula 8. Quid de triplici quinquagena in salutatione versus angelici Ave Maria anno ab Incarnatione Domini 1251 contigerit, referamus. Vidi et cognovi juvenem in Brabantiae partibus generosum, qui quamvis esset totaliter saeculo deditus, Beatae tamen Virgini Mariae devotus quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exolverat." Cum etenim rosarium ex centum quinquaginta angelicis salutationibus componatur, qui numerus correspondet tribus quinquagenis earumdem salutationum a Thoma de Cantiprato relatis, inferri posse videtur, non subsistere assumptum, quod nullus antiquorum et signanter inter coaevos s. Dominici meminerit rosarii.

45. At ingenue loquendo, cum Thomas a Cantiprato eas tres salutationum angelicarum quinquagenas non dixerit a s. Dominico institutas et rosarium non componatur ex solis centum quinquaginta salutationibus angelicis, sed etiam ex quindecim orationibus Dominicis atque piis meditationibus, vulgo mysteriis, non evincetur ex narratione Thomae id, quod esset evincendum, quod aliquis videlicet auctor s. Dominico coaevus dixerit, ab eodem fuisse institutum rosarium; quo circa per aliam viam procedendum est et vis est expendenda famigerati argumenti negativi.

46. Pro argumento negativo dissertatio edita fuit a Joanne Launoio qui illud magni ponderis asseruit. Contra Launoium stetit Joannes Baptista Thiers, qui docte ostendit, hujusmodi argumentum saepe nutare. Mabillonius mediam quamdam viam ingressus est in suo opere de studiis monachorum, part. 2. cap. 13., ubi in primis ait, argumentum pure negativum non con-

cludere, nisi illud proferens auctores omnes perlegerit, quorum silentio innititur et nisi ulterius idem tutus sit, nullam auctoris seu historici contemporanei memoriam conscriptam reperisse et deinde distinguit inter argumentum negativum mixtum, quod habet adjunctum aliquid positivi, uti patet exemplo famigeratae fabulae de Joanna Papissa, quae non solum extrenue impugnatur argumento pure negativo, quod ex silentio auctorum coaevorum desumitur, sed etiam ex aliquo positivo, cum iidem scriptores coaevi statim post Leonem quartum ponant Benedictum tertium, nec ullum relinquant locum memoratae Papissae; concluditque idem Mabillonius, facilius esse ex primo argumenti genere quam in secundo in paralogismum incidere: quam eamdem amplexus est etiam Pater Honoratus de Sancta Maria in suis reflexionibus Gallico idiomate conscriptis super regulis et usu criticae tom. 1. dissert. 3. art. 2. et rurus §. 3. p. 216.

47. Applicando autem activa passivis et omisso, an sustinentes institutionem rosarii non esse ad s. Dominicum referendum omnium coaevorum memorias perlegerint, hoc unum mihi certum esse videtur plerasque antiquorum historias et multa earumdem monumenta periise, tum quia in saepe citata Bulla Leonis X. habetur, quod in historiis legitur s. Dominicum rosarii confraternitatem instituisse in civitate Coloniensi, et hae historiae nec extant, nec est, qui eas legerit; tum quia venerabilis Alanus de Rupe in opere supra citato laudat Thomam de Templo et Joannem de Monte socios s. Dominici, qui in rosarii commendationem libros conscripserunt et horum libri nec manuscripti nec editi inveniuntur; cumque nullus alius inveniatur juxta ea, quae in superioribus dicta sunt, ad quem institutio rosarii tuto referri possit, deficit illud potissimum, quod admixtum esse debet et superadditum negativo, ut argumentum negativum vim habere valeat et efficaciam; et tam hoc quam alio mox memorato deficiente requisito nullum super argumento negativo fundamentum constitui potest, urgente signanter pia traditione in apostolicis diplomatibus recepta, quae s. Dominicum facit rosarii institutorem, uti bene argumentatur Natalis Alexander in historia ecclesiastica saeculi XIII. et XIV. art. 5. sub n. 5., ibi: „Nec persuadet contrarium Theodorici de Apoldia ea de re silentium in vita s. Dominici et Thomae Cantipratensis tres salutationum angelicarum quinquagenas a quibusdum B. M. V. devotis recitari solitas memorantis, de auctore vero devotionis hujus nihil dicentes; satis enim notum est, quam leve sit negantis argumenti pondus contra positiva disertaque testimonia.“ Et sequitur Amat de Graveson in histor. Eccles. tom. 5. p. 522, ibi: „Proclive est ostendere, morosos illos criticos hallucinari; et primum quidem argumentum, quo nituntur, mere negativum est, ac subinde juxta peritorum criticorum regulam nullius momenti ac ponderis esse debet contra positiva disertaque aliorum scriptorum testimonia, contra avitam ac perpetuam traditionem, quae a tempore s. Dominici ad nostra usque tempora in Ordine fratrum Praedicatorum jugiter fuit conservata, contra etiam diplomata romanorum Pontificum Leonis X., s. Pii V. et Sixti V., qui profitentur, s. Dominicum esse auctorem rosarii.“

48. *Nec facit, quod etiam si non constet, an alius praeter s. Dominicum, instituerit rosarium, probabile tamen est, usum rosarii fuisse apud nonnullos ante s. Patrem Dominicum*, in quo rerum statu argumentum non

est pure negativum, sed est admixtum positivo; nec etenim quid dissimuletur, operae pretium est paucis percurrere documenta, quibus supra dictum assumptum probari valet et paucis etiam examinare, an aliquod ex eis aptum et sufficiens sit ad rem et ad effectum, de quo agitur, et an, illis omnibus minime obstantibus, rosarii institutio semper ad s. Dominicum sit referenda.

49. Ducto ergo initio a supra memoratis monumentis et omissis illis, quae ex Sozomeno et Palladio in superioribus deducta fuerunt, cum nihil aliud praeferant quam piam consuetudinem orationes repetendi et eas per calculos numerandi, ex qua re uti nimis generali ad rosarium inferri non valet, uti supra fuit animadversum, primum, quod in re nostra exponendum est, monumentum, est illud Concilii Clichittensis in Anglia celebrati anno Domini 816 canone decimo, quod Concilium extat in collectione Labbeana tom. 7. p. 1484 et tom. 1. Conciliorum Angliae collectorum ab Henrico Kellmanao p. 331, ubi agendo de exequiis Episcoporum sic statuit: „Ut singuli Servorum Dei diem jejunent et triginta diebus canonicis horis ex plena synaxi et septem Beltidem Pater noster pro eo cantentur.“ Nomine etenim Beltidi rosarium significatur, quo precantes utebantur et hujus nominis etymologia derivat ab antiquo anglo-saxonico verbo Belt, quod singulum significat, uti adnotavit Spelmannus in glossario p. 79.

50. Secundum monumentum desumitur ex Gulielmo Malmesburensi monacho et gravi scriptore saeculi XII., qui lib. 4. cap. 4. de pontificibus anglorum agens de fundatoribus monasterii conventriensis haec habet: „De comite Leo Freco et ejus uxore Galdina in ambabus parietibus Conventrocae jacent aedificatores loci praecellentissimi conjuges, quorum maxime praedicatur foemina, quae cum thesauros vivens ibi totos conjecisset, jamjam moritura circulum gemmarum, quem filo infunderat, ut singularum contactu singulas orationes incipiens numerum non praetermitteret, hunc ergo gemmarum circulum collo imaginis s. Mariae appendi jussit.“ Conditum fuit hoc coenobium anno Christi 1040 ejusque meminerunt monasticum anglicanum Rugeri Rodsuvarthi et Gulielmi Dugdale tom. 1. p. 305 columna 1. et Anglia s. Henrici Warthani tom. 1. p. 433, cumque allegatus Gulielmus Malmesburensis in verbis mox recitatis loquatur de repetitis orationibus, item de iisdem per calculos muneratis, et verisimile admodum sit, ibi agi de orationibus ad B. M. V. effusis, ex quo collo statuae ipsius appensus fuit gemmarum circulus, nihil clarius offerri posse videtur ad suadendum, quod etiam dicto tempore rosarium erat in usu, uti perpenso hoc monumento concludit Mabillon in annalibus benedictinis tom. 4. ad annum Domini 1044 p. 462, ibi: „Dictum gemmarum circulum genus quoddam rosarii fuisse verisimillimum est, tum quia ejusmodi rosarii recitatio jam erat in usu.“

51. Tertium desumitur ex aliis supra relatis ex Herimano in Spicilegio, ubi refert, Adam uxorem Theodorici sexagies angelicam salutationem explicasse, et consimilia sunt profecto caetera, quae contigisse leguntur initio saeculi XII., cum apud Surium in historiis sanctorum tom. 2. ad diem 7. Aprilis de Alberto monacho legatur, quod centies per diem flectebat genua et quinquagies prostrato quidem corpore sed articulis et digitis sublevato ad unamquamque genuum curvationem dicebat salutationem angelicam; et de Maria Oegniacensi, quae obiit anno 1213 habeatur apud Vin-

centium Bellovacensem in speculo historiarum lib. 30. cap. 24., quod totum psalterium legens et stans per singulos psalmos flexis genibus b. Virgini salutationem angelicam offerebat, et Manrichus in annalibus Cisterciensibus ad annum 1226 cap. 4. num. 8. testetur, Jedam monialem cisterciensem undecies centenas orationes dominicales totidemque salutationes angelicas quotidie recitasse, quae omnia non ita difficile ad Rosarium referri possunt, et ad probandum, quod etiam ante s. Dominicum Rosarium erat in usu; nec enim verisimile est, quod enarratae preces a piis illis viris et mulieribus, qui eas tempore enunciato fecerunt, fuerint inventae, sed potius quod eas a majoribus acceperint, in quo rerum themate non solum verum est asserere, nullum scriptorem s. Dominico coaevum dixisse, quod ille fuit auctor et institutor Rosarii, sed ulterius concludi videtur, argumenta non deesse positiva, quibus ostenditur, Rosarium non ab ipso sed ab alio inventum fuisse.

52. Expositis memoratis monumentis juxta methodum propositum transeundum est ad eorum examen et praemisso quidem innegabili facto, hoc est, Rosarium componi ex 150 salutationibus angelicis ad numerum Davidici Psalterii repetitis et oratione dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam D. N. J. Chr. vitam demonstrantibus interposita, nullum adest profecto monumentum, quod ostendat, hanc piam precandi formulam fuisse ab ullo ante s. Dominicum adhibitam. Canon etenim X. Concilii Clichitensis absque dubio designat certum numerum orationum dominicarum, sed nullum numerum indigitat angelicarum salutationum, et eo fortius, cum ex supraprobatis habeatur, ante saeculum XI. non fuisse angelicam salutationem apud fideles in usu, item pium Galdinae factum a Gulielmo Malmesburensi relatum certum numerum probat orationum in honorem B. M. V. recitatarum, sed qui esset earum numerus, et an inter eas salutatio angelica esset recensita, absque dubio ignoratur, ut bene perpendit Mabillon sibimet contrarius in saepe citata praefatione in saeculum quintum ordinis s. Benedicti n. 126., ibi: „An inter orationes illas, quas tactis singulis circuli gemmeis globulis recitabat Galdina, censenda sit salutatio Deiparae Virginis, non satis liquet.“ Deinque ex aliis monumentis habetur quidem repetita angelica salutatio, sed in nonnullis numerus salutationum non correspondet numero salutationum angelicarum, quae in Rosario recitantur, nec in ullo monumento numerus habetur orationum dominicarum et piarum meditationum totam Christi vitam complectentium, ex quibus omnibus, uti saepe dictum est, Rosarium nostrum componitur.

53. Adeo ut bene quidem dici valeat, antiquissimum esse et ad primae Ecclesiae saecula pertinere pium usum repetitionis orationum, et eas per lapillos et calculos numerandi et ante s. Dominicum non deesse exempla, quae probant et orationes dominicas et salutationes angelicas repetitas fuisse, et modo praedicto numeratas, sed cum ante s. Dominicum nullum reperiatur vestigium tum numeri orationum dominicarum et angelicarum salutationum tum meditationum, ex quibus omnibus Rosarium nostrum coalescit, non solum cessat illud positivum, quod argumento pure negativo superaddi praetendebatur, sed etiam inconcussum stat assertum tot apostolicarum constitutionum, quae s. Dominicum dicunt Rosarii institutorem, quemadmodum bene agnovit Malvenda in annalibus ordinis Praedicatorum ad annum 1215 pag. 132., ibi: „At quantumvis dixe-

rimus, ante s. Dominicum unum aut alterum speciem quamdam et umbram Rosarii delineasse, verius, quam rem ipsam exhibuisse, caeterum hujus orandi formulae dispositae et aptatae, per 150 salutationes angelicas et 15 orationes dominicas ad totidem globulos seu calculos expressas et numeratas, praecipua 15 nostrae salutis a Christo Domino patrata mysteria pia meditatione percenserentur, primum auctorem et institutorem fuisse s. Dominicum omnes confirmant.“ Hoc eodem modo loquuntur caeteri scriptores dominicani, Justinus videlicet Miechovensis super litanias Beatissimae Virginis tom. 2. per totum, et Graveson in hist. eccl. tom. 5. pag. 525., ibi: „Non inficias tamen eo, obtinuisse apud nonnullos etiam ante s. Dominicum usum recitandi certum orationum dominicarum et salutationum angelicarum numerum, sed contendo hanc precandi formulam longe lateque discrepasse a Rosario, quod instituit s. Dominicus quodque 50 super 100 salutationes angelicas cum 15 salutationibus dominicis complectitur, adjuncta 15 praecipuorum humanae redemptionis mysteriorum pia meditatione. Hanc precandi Deum in honorem Beatae Virginis formulam, quae Rosarium dicitur, fuisse ante s. Dominicum a fidelibus in Ecclesia frequentatam, numquam probare poterunt critici.“ Nec dissimili modo loquitur Spondamus in annalibus ad annum 1213 num. 18. in fine, ubi inquit s. Dominicum fuisse Rosarii institutorem, cum nihilominus antiquissimorum auctorum testimonio constet, jam olim usu recepta fuit orationes adnumerare per lapillos, et quod notatu dignum est, Lezana, qui tom. 3. annalium ad annum Christi 1086 totus est in referenda aliqua Rosarii institutione ad Petrum eremitam, sic tandem concludit: „Tollitur omnis, si vel specie solum controversia apparere queat, ex eo sane, quod aliud est de Rosarii aut virgineae coronae per globulos numero determinatos, videlicet 63 vel 150 recitationis, veluti solemnis et antico primo institutore agere, aliud vero de simplici aliqua et privata salutationis angelicae per ipsos globulos indeterminatos et arbitrarios repetitione. Etsi ergo primum illud praeclarissimae praedicatoriae familiae patribus et alumnis debeatur toto acclamante orbe et Summis Pontificibus suis diplomatibus occinentibus, hoc tamen postremo Petro eremitae concedi posse.“

54. Ad partes posito, satis non esse, ut quis dicatur auctor et institutor alicujus rei, quod res praecedenter existentes nova quadam methodo disposuerit et ex iisdem quoddam effecerit compositum, hinc inferendo, non sufficere, quod sanctus pater Dominicus 150 salutationes angelicas et 50 orationes dominicales omnium quibusdam meditationibus disposuerit et ex illis Rosarium composuerit, ad effectum, ut idem s. Pater possit haberi pro primo auctore et institutore Rosarii; plura etenim et plura afferi possent ad hujus oppositionis confutationem, sed satis esse videtur illud Geneseos cap. 4., ubi legitur de Enos: *iste coepit invocare nomen Domini;* licet etenim ante Enos homines invocaverint nomen Domini, uti signanter Patres docent de Adam, qui postquam vidit se nihilo creatum ad imaginem et similitudinem Dei, et Evam formatam aspexit similem sibi, erupit in vocem laudis et gratiarum actiones; dicit nihilominus scriptura, quod Enos coepit invocare nomen Domini, qui certos ritus certasque precandi formulas et ceremonias primus omnium invenit, uti bene perpendunt Cardinalis Bona de psalmodia cap. I., Cardinalis Bellarminus lib. 2. de monachis cap. 5.,

Cornelius a Lapide in cit. cap. Geneseos ad citata verba: *iste coepit invocare nomen Domini.*

50. Haec sunt, quae operae pretium esse censui adnotare, ut firmum maneat romanorum Pontificum assertum, qui s. Dominicum appellant auctorem et institutorem Rosarii et solum pro mei incumbentia muneris insinuabo: *an expediat prima illa lectione secundi nocturni, in qua recensetur institutio Rosarii, aliquam apponere qualificationem seu modificationem, ex. gr. ut pie creditur, in ea signanter parte, in qua dicitur, s. Dominicum fuisse a Beatissima Virgine admonitum, ut Rosarium praedicaret tamquam singulare praesidium ad haereses debellandas et vitia extinguenda.*

56. Contra hanc additionem facere posse videtur, quod in ea lectione habetur relatio ad illas constitutiones rom. Pontificum, in quibus s. Dominicus dicitur auctor et institutor Rosarii, in quo rerum statu additio haberi pro superflua.

57. Haud urgente, quod in constitutione s. Pii V. eadem habetur additio necnon in altera Sixti V., uti videri potest in superiori §. 18 et §. 20, quia in constit. 63. s. Pii V. Bull. tom. 2., ubi narratur factum approbationis doctrinae s. Thomae ex ore Salvatoris Crucifixi, habentur haec verba: Sicut pia testatur historia et hoc ipsum factum est insertum in lectione 5. officii s. Thomae pro Ecclesia universali absque dicta modificatione, ibi: „Neapoli cum ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audivit“: Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem recipies.

58. E contra pro additione facit, quod ea formula est inserta in binis constitutionibus supracitatis rom. Pontificum, ad quas lectio refertur et sacra haec Congregatio, quae die 7. Augusti 1723 approbavit pro Ecclesia caesaraugustana lectiones, in quibus refertur B. Mariam Virg. apparuisse s. Jacobo apostolo et sanctum in ejus honorem Ecclesiam aedificasse, mandavit, quod praedicta formula insereretur, ex quo Callixtus PP. III. et Clemens PP. VII. in suis Bullis, in quibus dictam apparitionem narraverunt, consimilem formulam adhibuerant.

59. Crescitque discursus, cum hucusque nostra hac tempestate processerit criticandi cacoethes, ut non obstante, quod ab hac S. Congregatione plurimae et plurimae fiant diligentiae super veritate historiarum, quando conceduntur lectiones propriae, non desint tamen, qui dicant, ex lectionibus licet ab hac S. Congregatione approbatis non desumi argumentum pro veritate historiae, quae in illis exponitur. Continuatores etenim Bollandiani tom. 3. mensis Julii loquentes de lectionibus concessis anno 1670 ab hac S. Congregatione in honorem s. Dominicae virginis et martyris sic loquuntur: *Sacra Congregatio non solet respondere pro veritate historiae sibi oblatae, sed potissimum dijudicare, an nihilum in illis sit, quod a communi fidelium sensu abhorreat aut sacris canonibus in Breviario rom. praescriptis adversetur.*

60. Caetera, quae in lectionibus exhibitis SSmi Rosarii pro Ecclesia universali adnotari possunt vel circa latinum sermonem vel circa earum prolixitatem, ad me non pertinent sed ad eminentissimum relatorem et ad hanc S. Congregationem, ad quos idcirco remissive me habeo.

Atque haec dicta sunt sub censura etc., salva semper etc.

Prosper Archiep. Theodosiae
fidei promotor Lambertinus.

(Anal. J. P. 1860 p. 1381.)

Officium et missam de Rosario pro *PP. Praedicatoribus privative approbata* non posse concedi aliis extra eorum Ordinem et proinde a Capitulo et Clero Limano recitari non posse, etiam quod B. V. M. SSmi Rosarii sit Patrona totius regni. n. 2414 ad 2 die 16. Apr. 1667.

Gregorius PP. XIII.

Nos tenore praesentium decernimus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus a die 7. Octbr. 1572 contra Turcas impetratam victoriam qualibet prima die dominica Oct. per universi Orbis partes *in iis ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit,* ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus festum sol. sub nuncupatione Rosarii B. V. M. sub dupl. maj. officio celebretur eademque die off. de B. V. M. 9 ll. more eccles. persolvatur.

Romae die 1. Apr. 1573.

Festum et Off. SS. Rosarii B. V. M. Clemens XI. extendit ad *Ecclesiam universalem* sub ritu dupl. maj. de praecepto, quolibet anno recitandum in prima dom. Octbr., ut videre est in ejusdem Pontificis Bulla, quae incipit: *Cum alias etc.* et habetur sub n. 25. in Bull. partic. dicti Pontificis. S. R. C. 3. Oct. 1716.

(Vd. etiam Bull. r. t. VIII. p. 440. Ed. Luxbg.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut venerabilis frater Petrus Antonius Episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendam in Deiparam devotionem, cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in cathedrali ecclesia Cordubensi officium dupl. secundae classis in solemnitate SSmi Rosarii recitari libere et licite possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16. Jun. 1806.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 32.)

16) Ritus recitandi.

Ariminen.

Rme Domine uti Frater.

Amplitudinis Tuae consilium exequens Sacerdos Marianus Cerri parochus ecclesiae s. Mariae in Corte istius Ariminen. civitatis, S. hanc R. C. supplex adivit enixeque rogavit, ut declarare dignaretur: Num servanda sit immemorabilis consuetudo in eadem ecclesia ordinis Praedicatorum, summo mane cujuslibet diei recitandi Sacratissimum Rosarium B. M. V. et post ipsum dimittendi populum fidelem cum benedictione SSmi Sacramenti in s. pyxide acclusi ac in festis cum ostensorio, quod in summitate non habeat Crucem a Rubricis requisitam, quin neutro in casu Sacramentum ipsum tam in pyxide reclusum quam in ostensorio apparens thurificetur? Quae singula dum fideliter de more referebat in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinale hodie habitis subscriptus Secretarius, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, quamvis praenoscerent haec singula ab ordinaria facultate Amplitudinis Tuae pendere, attamen satius duxerunt respondere: „Scribatur Episcopo ad mentem.“ Mens itaque S. C. est, ut Amplitudo Tua quoties nil inconveniens deprehendat qnoad horam praesertim hyemali tempore, permittat continuationem hujusmodi piorum exer-

citiorum in Deiparae honorem; nam omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum s. pyxide, requiritur tamen omnino, quum impertitur benedictio cum ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat, ac pariter exigat ut in summitate ostensorii Crux visibilis apponatur, quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explendis s. caeremoniis. Quae singula dum nomine S. C. Amplitudini Tuae communico, diu felix et incolumis vivat. n. 5112.

Romae 11. Sept. 1847.

Rmo D. uti Fratri Episcopo Ariminen.

Confraternitati SS. Rosarii Forosempronen. resp. S. C.: Esse tolerandum usum recitandi s. Rosarium cum Litaniis B. V. M., nempe si in dicendo *Ave Maria* per modum continuationis replicetur *Jesus S. Maria;* et si in fine Litaniarum dicatur *Regina s. Rosarii,* ideoque non posse prohiberi.
n. 2741 die 13. Julii 1675.

17) Tempus recitandi.

Rosarium esse recitandum post Vesperas.
n. 2444 ad 4 die 9. Junii 1668.

Ad dubium: An in diebus festivis possit recitari Rosarium in Oratorio Confraternitatis s. Rosarii Burgi ante Vesperas celebrandas in Ecclesia parochiali? S. C. resp.: Affirmative, et quoad tempus arbitrio Ordinarii.
n. 3910 ad 9 die 9. Julii 1718.

18) Translatio festi.

Vd.: *Missa de Rosario.*

Ad preces Caeremoniarii Cathedralis *Conchen* S. C. declaravit: Transferenda est festivitas Rosarii ad primam diem non impeditam Officio 9 LL., quando in 1. dom. Octobr. occurrit octava dedicationis Cathedralis. n. 2602 ad 1 die 3. Sept. 1672.

Quando festum B. V. M. de Rosario, quae in dominica decernitur celebrandum, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de Octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. R. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novbr. 1683. n. 3565 ad 6 die 19. Junii 1700.

Festum ss. Rosarii B. V. M. occurrens cum dedicatione Cathedr. Varmiensis transferendum est ad primam diem non impeditam juxta rubricas Brev. rom. n. 4302 ad 1 die 3. Mart. 1761.

Olomucen.

Quum Rmus Olomucen. Archiepiscopus S. R. C. sequentia dubia proposuerit pro opportuna declaratione, nimirum:

1. An festa ss. Rosarii, maternitatis et puritatis Deiparae dominicis I., II. et IV. Oct. in Kalendario Olomucen. assignata, impeditis iis dominicis, transferri debeant in dominicam aliam sequentem non impeditam usque ad Adventum, et demum, si non supersit talis dominica, in diem sequentem similiter non impeditam, sicut declaravit S. R. C. pro festo septem dolorum B. M. V.?

2. An haec ipsa festa simpliciter transferri possint juxta regulas translationis?

3. An eadem festa eo anno penitus omitti debeant?

S. eadem C. in Ordinariis Comitiis hujus diei Vaticanum coadunata ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit post diligens examen horum dubiorum:

Ad 1.: Negative in omnibus.

Ad 2.: Affirmative quoad festum ss. Rosarii tantum.

Ad 3.: Affirmative quoad alia dua festa maternitatis et puritatis Deiparae.

Atque ita rescribere rata est ac proposita dubia declarare.

n. 5213 die 21. Julii 1855.

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii Rector ac Deputati Collegii majoris nuncupati civitatis sanctae Fidei de Bogota sub titulo ss. Rosarii Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga B. M. V. de Rosario gerunt devotionis affectum, festum ejusdem B. M. V. de Rosario ad diem 18. Decembris cum celebratione missae votivae ejusdem festi in eorum ecclesia quotannis transferre, necnon ut in eadem ecclesia celebrari possit Sabbato sancto post missam solemnem alia missa lecta vel votiva ejusdem B. M. V. de Rosario vel saltem de tempore, plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum festum tantummodo SS. Rosarii praedicti ad diem 18. Decembris quotannis in ecclesia dicti Collegii transferri et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae 29. Julii 1788.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 207. Ed. Rom. 1843.)

19) De SS. Trinitate.

Ad humillimas preces Procuratoris generalis ordinis Praedicatorum SSmo D. N. PP. Clementi XI. porrectas, in quibus enixe supplicabatur pro prohibitione cujusdam novi Rosarii, quod in honorem SS. Trinitatis Patres Religionis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in eorum ecclesia B. M. V. Conventus Tolosani recitare introduxerant, edito liberculo gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis edocetur, eisque a SSmo D. N. ad S. R. C. remissis,

S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. de Abdua, audito prius Procuratore gen. Patrum supradictae Religionis SS. Trinitatis et successive D. Prospero Lambertini s. consistorialis aulae Advocato, et Rmi D. Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, in scriptis et in voce audito: „Rosarium, de quo agitur, prohibendum esse censuit, et quoad liberculum gallico idiomate desuper impressum remisit instantiam ad S. Indicis Congregationem."

n. 3844 die 21. Nov. 1711.

20) Triplicatum b. Joannae Vallesiae.

Decretum.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotidie per integrum mensem coronam b. Joannae Vallesiae, triplicatum Rosarium nuncupatum, devote recitaverint, semel intra eumdem mensem, die nempe ab unoquoque ad sui libitum eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequi valeant, iis vero, qui in singulis feriis sextis Quadragesimae singulisque septem B. M. V. festivitatibus, ut supra, dictam coronam recitaverint, septem annorum totidemque quadragenarum, ac tandem pro qualibet ejusdem co-

ronae devota recitatione Indulgentiam centum dierum in perpetuum benigne concessit, revocatis omnibus et singulis aliis Indulgentiis, quae pro ejusdem coronae recitatione asserebantur concessae.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas Indulgentias, requiri, ut corona sit de more benedicta a Superioribus ordinis Annunciationis B. M. V. sub regula s. Francisci a Sede apostolica approbati vel a quolibet Confessario ordinario monialium ejusdem ordinis, et propterea eisdem Superioribus et Confessariis dictas coronas benedicendi facultatem tribuit et impertitus est.

In distribuendis vero hujusmodi coronis eorumque usu Sanctissimus servari jussit Decretum fel. record. Alexandri PP. VII. editum sub die 6. Febr. 1657 nimirum, ne hujusmodi coronae utpote benedictae vendantur aut alteri commodentur aut precario dentur, alioquin careant Indulgentiis jam concessis, et, aliqua ex eis deperdita, alia subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit.

Datum Romae die 6. Martii 1706.

Loco † Sigilli.

Fr. J. Card. Portocarrero Praefectus.
Ae. E. Vicecomes
S. C. Indulg. Secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 2326.)

ROTULUM.

(Partitio inter Cardinales.)

De rotuli partitione inter S. R. E. Cardinales in Urbe residentes tantummodo facienda, deque non residentium accessu ad curiam atque recessu etc.

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam.

In regimine universalis Ecclesiae, quod superna dispositione omnipotens Deus Nobis, licet immeritis, commisit, illius rei cura animum nostrum assidue exercere solet, ut quid deceat et quod aptum sit personis, sedulo prospiciamus et in id vires nostras auctoritatemque conferamus, ut pro dignitate muneris officii et laboris suum unicuique jus constanter et perpetuo tribuatur.

§. 1. Quoniam autem ex ea tempore, quo Nos in minoribus constituti Romae versantes apostolicae huic sanctae Sedi nostram operam studiumque pro viribus nostris impendebamus, a praeclarissimis viris improbari saepius audivimus eam consuetudinem, ob quam nonnulli S. R. E. Cardinales longe ab alma Urbe nostra degentes, bis per annum ad illam ventitabant ibique ignoti plerumque et spatio paucorum dierum permanebant, ut cum reliquis S. R. E. praefatae Cardinalibus Romae commorantibus in partem „rotuli“, vulgo ut dicitur, admitterentur, nempe ut acciperent partem seu portionem illius pecuniae, quae veluti quoddam laborum stipendium distribui solet ejusdem S. R. E. Cardinalibus praedictis, qui non sine incommodo ad Consistoria, Congregationes et ad sacellum Pontificium, ubi sacra mysteria celebrantur, conveniunt.

§. 2. Haec praestantium virorum opinio menti nostrae adeo adhaesit, ut cooptati inter ejusmodi S. R. E. Cardinales a fel. rec. Benedicto PP. XIII. Praedecessore nostro et Ecclesiae Anconitanae regendae ipsius Benedicti Praedecessoris beneficio praepositi ac deinde a rec. mem. Clemente PP. XII. itidem Praedecessore nostro ad metropolitanam ecclesiam Bononiensem auctoritate apostolica translati, nunquam spatio duodecim annorum Romam venerimus, ut dicti rotuli fructum seu portionem perciperemus, nec sedes nostrae curae commissas unquam de-

seruimus, nisi causa comitiorum, quae bis interea temporis indicta fuerunt eisdem Cardinalibus, ut novus Pontifex de more crearetur. Statim vero atque ad summum apostolatum licet immerentes evecti, normam aliquam super hac re praescribendam censuimus; sed tunc executioni minime demandandam esse existimavimus, eo quod perpauci Cardinales Roma absentes numerarentur, qui proficisci ad urbem commode possent, ut eamdem Rotuli partionem seu partem deposcerent. Accedebat etiam, quod numerus eorumdem Cardinalium Romae degentium, pluribus vita functis, adeo imminutus fuerat, ut ipsi solum exiguo detrimento afficerentur, etiamsi absentes pro comparanda sibi rotuli partitione ad Urbem se conferrent. Attamen cum multi a Nobis sacro Collegio Cardinales adscripti fuerint et numerus absentium Cardinalium, qui bis per annum Romam venire fortasse deliberarent, ut rotuli partem assequerentur, excrevit, et cum plures, quam antea, Cardinales modo in Urbe praedicta commorentur, quibus procul dubio gravius damnum inferretur, si veteri instituto pars ejusdem rotuli Cardinalibus absentibus tribui deberet, qui statis anni temporibus ob hanc causam Romam accederent; ideo consilium a nobis jam antea initum, probantibus nonnullis ex dilectis filiis nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, executioni tandem demandandum esse decrevimus.

§. 3. Ea propter motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apost. potestatis plenitutine, primum ea omnia, quae caventur et praescribuntur in Constitutionibus dicti sacri Collegii Cardinalium, et usque in hanc diem observari consueverunt quoad Cardinales de latere legatos, tenore praesentium confirmamus, *ac insuper illos Cardinales rotuli fructu omnino carere statuimus et decernimus (licet bis per annum Romam accesserint), qui longe ab Urbe praedicta detinentur, quamvis id facere necesse sit, ne sedes archiepiscopales aut episcopales deserant, quas administrandas acceperunt et quamvis etiam praefecturam aliquam sive quodcunque aliud munus a sede praefata sibi demandatum gerant, sine episcopali vel cum episcopali dignitate conjunctum, quod, si Roma absentes retinent, ejus certae naturae et conditionis esse existimatur, ut cum ipsorum absentia copulari et sine eorum praesentia, romani Pontificis vigilantia et auctoritate facile possit administrare. Cum vero Cardinales absentes pro suis negotiis expediendis aut legitimam ob causam ad Urbem se contulerint, veterem consuetudinem et institutum servari volumus, praecipimus et mandamus, nempe ut rotuli partem capiant, habita ratione temporis, quo Romae versantur; ea tamen lege obstricti, ut Nos seu romanos Pontifices pro tempore existentes adeant, nec ab Urbe discedant, antequam a Nobis seu romanis Pontificibus successoribus Nostris abeundi facultatem obtineant.* Illos autem, qui sui muneris obliti (quod vix fore credimus) aliter se gesserint, non solum ab omni parte rotuli percipienda penitus exclusos decernimus, sed praesentibus nostris literis (quatenus opus sit) obnoxios esse declaramus censuris ac poenis, quas piae mem. Joannes PP. XII. pariter praedecessor noster irrogavit in Extrav., quae incipit: „etsi deceat quoslibet subditorum curam etc.“, quam per praesentes pro plene et sufficienter expressam ac de verbo ad verbum insertam habentes, ad modernos et pro tempore existentes ejusdem S. R. E. Cardinales extendimus et ampliamus.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecunque, etiam ex eo, quod quicunque in praemissis quomodolibet jus vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari et audiri semel vel pluries quoquomodo debuissent aut ex alia quacunque quantumvis pia, juridica, privilegiata et rationabili ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causa et occasione, colore seu praetextu, titulo etiam oneroso et capite etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali et formali aut incogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter per quoscunque quavis auctoritate, praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Die 3. Febr. 1754.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 487.)

RUBRICA.

(Non mutanda.)

Cf.: *Ritus; Caeremoniae; Caeremoniar.* (vigilans etc.)*; Consuetudo;* Instructio Clem. §. XXXVI. n. 18 etc., n. 21 etc.

Ad dubium: An Clerus Colleg. s. Mariae etc. Dioecesis Imolensis in publicis privatisque sacr. functionibus peragendis tam divini Officii quam missarum sol. et convent., et processionum, funeralium et aliorum hujusmodi actuum, teneantur ea, quae juxta rubricae dispositionem, ab (eodem) Canonico Praefecto praescribuntur, omnimode observare seu potius liceat unicuique multoties easdem s. functiones peragere praeter seu contra easdem rubricas?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 4038 ad 7 die 6. Aug. 1735.

Non sunt violandae rubricae imperitorum Laicorum causa. n. 4223 ad 7 die 29. Jan. 1752.

S. RUMOLDUS.

Vd.: *Patronus Dioec.* (oblig. Cleri saec., decr. de die 12. Sept. 1840).

S. RUPERTUS.

(Translatio cum octava.)

Salisburgen.

Festum s. Ruperti patroni Ecclesiae Salisburgensis, quod quia celebratur

27. Martii plerumque incidit in majorem hebdomadam vel octavam Paschatis, in diem 2. Maii transferri et celebrari posse cum sua octava, Illustrissimo Bellarmino referente, censuit S. R. Congregatio.
Die 19. Jan. 1619.
(Anal. J. P. 1863 p. 156.)

S.

SABBATUM.

1) Quadrages.

Modus recitandi Antiph. B. V. M.

Ad dubium: Utrum in Sabbatis Quadragesimae ad Antiphonam B. M. V. in Vesperis ante meridiem celebratis sit standum vel genuflectendum, ut docet Manuale ecclesiasticum n. 167., edit. Rom. anno 1853.

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.
Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2195.)

2) Quatuor temp. Pentecosten.

In Sabbato 4 temporum Pentecostes in missis privatis non potest missa de eadem dominica Pentecostes repeti. n. 1554 ad 2 die 14. Apr. 1646.

Vd.: *Ordinat. in Sabb. 4 temp.*

3) Sanctum.

a) Assistentia Cleri.

Vd.: *Subdiac. in Sabb. s.; Bened. fontis* (Ministri).

Consuetudinem Capituli et Cleri Ecclesiae Collegiati Mercatelli, in Sabbato s. Benedictioni fontis et divinis Officiis necnon Missae assistere, esse laudabilem consuetudinem et in posterum ut hactenus servandam.

n. 1383 die 10. Maii 1642.

b) Benedictio Fontis,

Quae mutanda sunt juxta noviss. decreta?

Vd.: *Missale* (correctio, II. A. n. 4 et 5); *Bened. fontis.*

Ad dubium I.: Ex parte Sacerdotum Dioecesis Massae et Populoniae anno 1832 S. R. Congregatio consulta de consuetudine in Sabbato s. benedicendi aquam in aliquo vase separato, ex quo ante infusionem sacr. Oleorum aqua extrahitur et mittitur in fontem, die 7. Aprilis respondit: Ex speciali gratia servari posse consuetudinem. Quum autem haec consuetudo in hac Dioecesi vigeat, quaeritur similiter: utrum servari possit, ut fideles de more pio possint ex hoc vase separato haurire aquam et in domos suas asportare?

II.: In Dioecesi N. et in aliis multi Parochi ob distantiam locorum Olea sacra feria quinta in Coena Domini benedicta tempestive habere non possunt, ut ea in benedictione fontis baptismalis Sabbato s. facienda adhibeant, sed paucis post diebus accipiunt. Habetur quidem Decretum diei 23. Septbr. 1837; at forsan sanctio hujusce Decreti spectabat casum particularem, in quo versabantur Dioecesis Hispaniae, in quibus benedictio Oleorum facta non fuerat, et nesciebatur quonam tempore accipi possent nova olea sacra. Hinc quaeritur: An in praedicta nostra circumstantia bene-

dictio fontis baptismalis fieri debeat cum chrismate et oleo praecedentis anni et sic tali casui applicanda sit responsio data in Oriolen vel potius omittenda sit tunc infusio chrismatis et olei usquedum accipiantur recenter consecrata, prout innuere videtur decretum diei 12. Apr. 1755 in Lucana ad 3?

III.: Posito quod in praedicto casu benedictio fontis facienda sit cum chrismate et oleo praecedentis anni, quaeritur etiam: utrum accepta nova olea infundi debeant in hanc aquam, quae cum infusione veterum oleorum fuit benedicta?

An potius ad infundenda haec nova olea expectandum sit usque ad aliam benedictionem fontis, quae fiet in vigilia Pentecostes?

S. C. resp. *ad I.:* Ex speciali gratia utrumque servandum;

ad II.: Pro diversitate circumstantiarum in praxi utrumque decretum servari posse; nam in *Lucana* supponitur, quod in aliquo fortuito casu olea s. ad breve tempus retardentur; et in *Oriolen* loquitur de omnimoda impossibilitate habendi olea s. a propria Cathedrali vel a vicinioribus dioecesibus;

ad III.: In sensu praecedentis responsionis. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2201.)

c) Campanae pulsandae.

Ut debitus honor matrici Ecclesiae reddatur, Clerici tam saec. quam regul. etiam super hoc ap. privilegio muniti, die Sabb. majoris hebdom., antequam companae Cathedr. vel matricis Ecclesiae pulsaverint, campanam in Eccles. suis pulsare minime possunt. Contrafacientes poenam centum ducatorum incurrant.

Leo X. in Const.: Dum inter etc. 19. Dec. 1516.

Celebretur Officium ab aliis quibuscunque Rectoribus Ecclesiarum pro eorum arbitrio; campanas vero nemo pulsare audeat, priusquam Ecclesia praepositi (matrix). n. 57 die 20. Julii 1593.

In Sabb. s. neque a Saecul. neque a Regul. pulsandae sunt campanae ante pulsationem illarum Cathedralis vel Matricis, nisi antiqua observantia habeatur in contrarium aut Ecclesiae plurimum distent.

S. C. Ep. 16. Julii 1601; 15. Febr. 1622.

Non licere Regularibus Sabbato s. pulsare campanas, antequam in Ecclesia Cathedrali pulsentur. n. 251 die 21. Aug. 1604; n. 632 die 16. Maii 1626; n. 1137 die 26. Mart. 1639.

Debere Omnes de Clero obedire Ordinationibus ab Archiepiscopo factis circa sonum Campanae. n. 387 die 14. Junii 1608.

In nulla Ecclesia, quantumvis exempta tam Regularium quam Saecularium licitum esse Sabb. s. pulsare campanas antequam pulsentur in Ecclesia Cath. n. 514 die 14. Nov. 1615; n. 2014 die 22. Nov. 1659; n. 2273 ad 10 die 24. Maii 1644; n. 3231 die 2. Sept. 1690; n. 3292 die 13. Sept. 1692; n. 3526 die 22. Aug. 1699; n. 4013 ad 3 die 21. Mart. 1733; n. 4119 ad 13 die 2. Sept. 1741.

In Ecclesia Matrice pertinere Sabb. s. pulsare Campanas ante omnes alias Ecclesias ejusdem civitatis, quae non debent tangere Campanas dicta die Sabb. s., antequam pulsatae sint in Ecclesia *Matrice*. n. 540 die 3. Junii 1617; n. 3450 ad 2 die 14. Decb. 1697; n. 3670 ad 9 die 12. Jan. 1704; n. 4042 ad 13 die 21. Apr. 1736.

Ad Ecclesiam s. Georgii uti *Matricem* spectare Sabbato s. ante omnes alias Ecclesias pulsare Campanas. n. 565 die 20. Februarii 1619; n. 3308 die 18. Apr. 1693.

In Sabbato s. pulsatio Campanarum spectet et pertineat privative quoad alios omnes ad Matricem*). n. 1047 ad 7 die 6. Sept. 1636; n. 1140 die 16. Apr. 1639; n. 1141 die 16. Apr. 1639; n. 1297 die 2. Mart. 1641; n. 1912 die 13. Julii 1658; n. 2050 ad 1 die 17. Apr. 1660.

Non licere Regularibus pulsare campanas die Jovis Sancti post silentium illorum parochialis (matricis) et die Sabb. s. ante earundem pulsationem. n. 2574 ad 6 die 19. Dec. 1671.

Non licere Canonicis Collegiate Juvenacen. pulsare campanas die Sabb. s. ante Cathedralem. n. 2786 die 13. Junii 1676.

Idem decrectum est pro Canonicis Colleg. Cerreti. n. 2970 ad 3 die 22. Nov. 1681.

Ad dubium: an Sabb. s. Religiosi existentes in coenobiis ultra milliare ab oppidis distantibus in sonitu nolarum (i. e. campanarum) conformare se debeant Ecclesiae matrici?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4870 ad 3 die 31. Aug. 1839.

Camerinen.

Canonici Colleg. Eccl. s. Martini in oppido s. Anatoliae intra fines Archidioec. Camerinen., etsi ab anno 1645 16. Cal. Oct. ab hac S. R. C. decretum impetrarint, ut in Sabb. s. primi, etiam ante matricem s. Anatoliae, pulsarent campanas, quod quidem jus privative ad Collegiatam ipsam spectare tunc definitum fuit; attamen in praesentiarum iteratis precibus S. ipsam C. rogarunt enixe, ut declarare dignaretur, an titulus matricis, non obstante hujusmodi definitione, possit usurpari a praedicta Eccl. paroch. s. Anatoliae? Quas quidem preces quum Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu S. R. C. hodierna die ad Quirinale habito, S. ipsa C. rescribendum censuit: „Etiamsi parochiali Eccl. s. Anatoliae competat titulus matricis, juxta tamen Constitutionem s. m. Leonis Papae X. et alias decreta jus pulsandi campanas Sabb. s. competere ad Eccl. digniorem nempe Collegiatam."

Atque ita rescripsit.

n. 5080 die 27. Febr. 1847.

Ad *Gloria etc.* in Sabb. s. pulsantur campanae et organum et prius debent moneri aliae Ecclesiae civitatis, ne pulsent campanas nisi prius audito signo campanarum Cathedralis. *Caer. Ep.* l. II. cap. XXVII. n. 23.

d) Celebrans.

Vd.: *Bened. fontis; Litaniae in Sabb. s.; Offic. hebd. s.* (in paroch.)

Parochi possunt die Sabb. s. alteri Sacerdoti Missae celebrationem in propria Ecclesia comittere. n. 4252 ad 2 die 12. Apr. 1755.

Vd.: *Sabb. s.* (jus functiones etc.)

e) Jus functiones s. peragendi in Sabb. s.

Ad dubium 1.: An jus canendi Missam conv., benedicendi fontem et faciendi alias functiones Eccles. in die Sabb. s. spectet privative ad Eccles. Archipresb. Vetiani?

2.: An Vicarii perpetui paroch. Ecclesiae Vetiani inferioris teneantur in Sabb. s. accedere ad dictam Ecclesiam et praestare assistentiam personalem benedictioni fontis et aliis functionibus?

*) Per matricem intellige quoque *parochialem* in dioecesi, ante quam non possunt Regulares neque confraternitates suas campanas pulsare. S. R. C. 19. Febr. 1608 juxta Gav.

3.: An et quomodo in casu renitentiae sint cogendi?

S. C. resp. *ad 1. et 2.:* Affirmative; *ad 3.:* Prout de jure et amplius in omnibus.

Die 10. et 24. Apr. et 15. Maii 1717; 23. Julii 1718.

Vd.: *Orator. publ.* (functiones etc.); *Capellanus.*

f) Litaniae quando incipiendae?

Vd.: *Litan. in Sabb. s.* (recitatio.)

Ad dubium: In Sabb. s. post benedictionem fontis baptismalis in actu redeundi ad altare, an liceat incipere litanias omnium sanctorum cantandas ante altare?

Resp.: Caeremoniale Episcoporum loquens de litaniis in Sabbato s. Episcopo functionem peragente apertis verbis designat, quo tempore inchoandae sunt. Sane lib. 2. cap. 27. n. 19. haec habet: „Si Episcopus id praestiterit (id est benedixit fontem) eodem ordine redibit ad altare majus, deposito pluviali cum mitra, procumbit ante illud super faldistorio et pariter omnes in suis locis genuflectunt: et duo capellani sive cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolae retro Episcopum habentes ante se librum inchoabunt litanias"; et cap. sequ. 28., ubi sermo est de officio Sabbati s. Episcopo tantum praesente, idem repetit n. 10. „Duo capellani sive cantores genuflexi ante scabellum post Episcopum et Celebrantem habentes ante se librum inchoabunt litanias." Ex Caeremoniali itaque Episcoporum litaniis initium dari nequit nisi cum Episcopus vel Celebrans coram Episcopo ad altare pervenerit et ante ipsum genuflexerit, quod et fieri debet etiam in Cathedrali dioecesis s. Marci, cum responsione ad propositum dubium: *Strictim servetur Caeremoniale.* Attamen Episcopo non interveniente putarem in casu standum esse missali romano praescribenti, ut in ipso reditu celebrantis et ministrorum litaniae inchoari valeant, quae prosequantur ante altare: „Revertentibus Sacerdote et ministris ad altare cantantur litaniae a duobus Clericis etc."

S. C. resp.: *Episcopo non praesente servetur missale.*

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2247.)

g) Missa privata.

Vd.: *Annuntiatio B. V. M.* (decr. n. 3202 et 3274); *De conclus. Orationis Missae* vd.: *Missale* (Correctio, II. A. n. 6.); *De Missa priv. Sacerdotis privilegiati in Sabb. s.* vd.: *Offic. hebdom. majoris in paroch.; Prophetiae* (non omitt. in Missa priv. etc. *nota.*).

Ad dubium: An in Ecclesiis paroch. et non parochialibus, ubi deest numerus cantorum, possit celebrari in Sabb. s. unica Missa *privata loco solemnis,* ut in eisdem Ecclesiis fiat benedictio luminis, cerei et aquae?

S. C. resp.: *Negative.* n. 3433 ad 1 die 13. Julii 1697.

Remisso supplici libello, quo humiliter Sanctitas Sua a D. Marchione de Villafranca ... supplicabatur benigne indulgere, ut in Sacello B. V. M. de los Remedios in conventu Patrum de Mercede Villae Matriti Toletanae dioecesis existente die Sabb. s. tres Missae priv. possent quotannis celebrari,

S. C. resp.: Pro una Missa priv. tantum post sol. Missam et dummodo non transeat in exemplum. n. 3501 die 22. Dec. 1698.

Episcopus volens die Sabb. s. Ordines conferre praestare hoc non valet Sacrum privatim peragendo in proprii Palatii Sacello vel alibi. n. 3621 die 18. Mart. 1702.

Ad dubium: An ad eliminandos abusus, si qui irrepserint, sit consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque Indulti celebrandi privatim eam-

dem Missam, firmo tamen remanente singulari privilegio aliquibus Ecclesiis peculiaribus attentis circumstantiis concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die?

Et S. eadem C., re mature diligenterque discussa,... respondendum censuit: „Affirmative juxta Votum (*videlicet:* Consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque Indulti celebrandi privatim in Sabb. s., firmo tamen singulari privilegio aliquibus Ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die, prout in dubio“).

Atque ita respondit et servari mandavit, die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione, S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit.

n. 4583 ad 3 die 31. Junii 1821.

(Vd. infra decr. n. 5132.)

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quamquam vero, ex praesenti Ecclesiae disciplina, solemnibus celebratis Officiis actisque functionibus, quae Missam praecedunt, tantum diei spatium supersit, quo possit a Sacerdotibus privatim Sacrum fieri et exempla non desint apostolicae concessionis: attamen, si quaeramus, quid juris? satis implexa quaestio enodanda se offert. Scriptores tam theologi quam liturgici non in unam eamdemque sententiam conveniunt; imo plerique ex illis, qui Sacerdotibus facultatem tribuunt privatim celebrandi feria V. in Coena Domini, putant etiam fieri idipsum posse sequenti Sabbato: sed hi non animadvertunt magnum, quod unam inter alteramque diem discrimen est. Siquidem feria V. diebus aliturgicis non adnumeratur, imo, ut notatum est supra, prae caeteris Sacrificium jure postulat; Sabbatum vero, ut feria VI. in Parasceve, aliturgicum est, quia Ecclesia, per integrum saltem ejusdem diei civilem cursum, in solitudine et moerore versari deberet ob mortem et supulturam D. N. J. Chr., veluti habetur in epistola *Innocentii I. ad Decentium* relat. *in cap. Sabbato dist. 3. de consecratione.* Antiqua monumenta testantur, s. functiones inchoari consuevisse ingruentibus jam tenebris; cum essent multo longiores praesertim ob illorum copiam, qui s. Fonte erant abluendi, Missam, quae post litanias celebrabatur, mediae nocti fuisse conterminam. Equidem paullatim immutatus est mos per anticipationem, religiose tamen retentus et servatus liturgicus ordo. Quamobrem, etsi nocte Sacrificium non offeratur, sed circa meridiem, nihilominus infra actionem praecipit rubrica, ut ad *Communicantes* legatur *sacratissimam noctem.* Id sufficit, quin immorer in paschali praeconio praemittendo nedum prophetiis verum etiam fontis benedictioni, in quo secus ac si nocte concubia, adhuc legeretur, pluries repetitur: *Haec nox est.* Sacrificium, quod noctis erat, utique modo offertur ante vel circa meridiem et quod diei superest, ob annunciatam Dominicam Resurrectionem, laetitiae significationibus decoratur; nihilominus quantum fieri potest, ne prorsus obliteretur antiquorum temporum disciplina, aequum, ut per anticipationem solemnia fiant, non item privatae Missae celebrentur. Hinc est, ut si aliquod festum ex praecepto servandum incidat in feriam V. aliquot Missae privatae ad fidelium commoditatem permittuntur, non autem, si tale festum occurrat in Sabb. s.,

ut ex decretis in hac collectione relatis. Tametsi vero repudianda sit scriptorum sententia, qui ponunt in Sacerdotum facultate, si velint, privatim lectam Missam celebrare, potest tamen Apostolica Sedes, peculiaribus attentis circumstantiis, in aliqua casu generalis legis temperare rigorem ac privilegium elargiri id agendi, quod pro lubitu fieri nullo modo potest. Sed hac indulgentia Apostolica Sedes parce utitur, ne ex privilegiorum copia inducantur abusus, ideo in eorumdem usu modum praescribit ac debitum ordinem: Exemplo sit indultum, de quo supra favore Ecclesiae tituli *s. Mariae de Antiochia, ac alterius s. Mariae de los remedios* Toletanae dioecesis.

Datis precibus ab Hispaniarum apud S. Sedem Oratore ad *S. M. Innocentium XII.*, easdem ipse S. R. C. pro voto remisit; et haec, maturo praemisso examine circumstantiarum, quae alicui indulgentiae locum dabant, ita annuendum censuit, ut certus Missarum numerus esset praefiniendus, privilegium nequirent in exemplum adduci et generali decreto anni 1690, quod firmum manet, in peculiari casu derogantum foret. SSmus vero votum S. C. admisit confirmavitque, sed *pro hac singulari gratia literas in forma Brevis* expediri jussit.

Quia tamen temporis successu percrebuerunt abusus et aliqui vel forte plurimi, aut scriptorum placita sequentes aut privilegia jactantes eaque pro lubitu extendentes et interpretantes, privatam Missae celebrationem licitam arbitrabantur: ideo S. C., ne ultro progrediatur et invalescat corruptela, proposito dubio respondit: *Juxta votum*, videlicet confirmanda et ad observantiam revocanda esse decreta vetantia Missas lectas, praeter unicam solemnem in Sabb. s.; et consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque indulti (scilicet personalis); firmis tamen privilegiis concessis aliquibus Ecclesiis unam alteramve Missam lectam celebrandi, dummodo tamen id non fiat ante Cath. vel matricis festivum campanarum sonitum, ut in responsione ad 2. partem praecedentis dubii. Atque heic loci adnotatum volo, scriptores illos, qui privatam Missae celebrationem licitam existimarunt, floruisse antequam prodiret generale decretum anni 1690, quod non limitatur ad Urbem ejusque districtum sed generalem legem omnibus imponit. Hinc fit, ut sola Apostolica Sedes eam queat relaxare, quin idipsum a locorum Ordinariis fieri possit. Clara sunt verba decreti: *Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabb. s. omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis et Oratoriis privatis et unicam Missam Conventualem una cum Officio ejusdem Sabb. s. celebrandam fore praecepit.* Quum autem hoc decretum Summus Pontifex sua auctoritate firmaverit et ope typorum evulgari jusserit, vim habet legis universalis, quae relaxari nequit, nisi ab eo, a quo lata est.

Ad dubium 1.: An post decretum diei 31. Julii 1821 possint amplius Sacerdotes uti Indulto jam impetrato celebrandi Sacrosanctae Missae Sacrificium in Sabb. s.? Et quatenus affirmative;

2.: An Sacerdotes ipsi Indultarii ea die celebrare possint ante quam ab Eccl. matrice cum festivo sonitu Nolarum gloria Resurrectionis annuncietur?

3.: An idem sevari possit iis in Eccl., in quibus ex Apostolico Indulto una alterave Missa celebratur?

4.: An hujusmodi Missis privatim praemittenda sit lectio prophetiarum et litaniarum; an vero incipiendae sint ab introitu?

5.: An Eccles. parochialis omnino adigatur ad functiones Sabb. s. juxta parvum Caeremoniale s. m. Bened. XIII., si sufficienti Clero destituantur; et an hujusmodi in casu Missa ordinanda sit ut in praecedentibus dubiis III. et IV.?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit

Ad 1.: „Servetur decretum diei 31. Julii 1821 per se clarum."

Ad 2.: „Quum Indultum respiciat Ecclesias, affirmative post solemnem."

Ad 3.: „Jam provisum in secundo."

Ad 4.: „Juxta idem decretum more solito, sed sine introitu post psalmum: *Judica me Deus* et confessionem."

Ad 5.: „Affirmative et servetur in omnibus solitum juxta parvum Caeremoniale Benedicti Papae XIII."

Atque ita rescripsit et declaravit n. 5132 die 22. Julii 1848.

Decretum Generale.

Celebrationem Missarum die Sabb. s.*) omnino prohibendum in quibuscunque Eccles. et oratoriis priv. non obstante quacunque consuetudine in contrarium.

Die 11. Febr. 1690.

(Bull. r. t. XII. p. 181.)

*) Anno 1710 Vicar. gen. P. Clement. XI. in executionem decretorum saepius a S. C. R. iteratorum districte praecepit omnibus Sacerdotibus tam saecul. quam regul. licet privileg. non celebrare Missas priv. non solum fer. VI sed etiam fer. V. et Sabb. s. hebdom. majoris, quod etiam intelligi debet non solum in oratoriis priv. sed etiam in Eccles. publ., non obstante quocumque privilegio et contraria consuetudine.

Item *Clemens XIV.* in Brevi ad Episcopum Civitat. virtute s. obedientiae et sub poenis arbitrio imponendis praecipit et mandat Canonicis ejusd. Ecclesiae ne ipsi priv. Missas fer. V. in Coena Dom. celebrari audeant vel praesumant, sed omnes juxta ritum Ecclesiae SS. Eucharistiam de manu Sacerdotis celebrantis Missam conv. eadem die sumere omnino debeant et teneantur (Misc. Theol.).

Si praeter parochum in sua parochia Sacerdos aliquis cujuscumque conditionis aut dignitatis Missam privatim feria V., VI. ac Sabb. maj. hebdomadae celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus et a divinis etiam interdicemus.

(Bened. XIV. in Const. Eccles. 38.; Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 32.)

h) Missa solemnis.

Ad dubium: an liceat cappellano confraternitatis SS. Sacramenti Montis Marciani canere Missam in Sabb. s. in Ecclesia confraternitatis?

S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit). n. 3457 ad 2 die 25. Jan. 1698.

Vd.: *Sabb. s.* (Missa priv. decr. n. 3433.)

i) Ritus huj. diei.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio; decr. n. 4647 *nota.*)

SACELLUM.

Vd.: *Oratorium; Capella; Sacellum, in quo cantatur Tertia*, vd. *Tertia* (locus cantandi).

SACERDOS.

1) Adorare debet publice expositum SSmum.

Vd.: *Instr. Clem.* §. IX.

2) Aegrotus SS. Sacr. Euchar. sibi porrigens manu propria.

Si quis Sacerdos aegrotus SS. Viaticum suscipere vellet manibus propriis atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non meretur.

Bened. XIV. Synod. dioec. l. 13. c. 13. c. 19. §. 25.

3) Benedictio.

Vd.: *Bened. Sacerdotis; Regulares* (bened. papal.).

4) Benedictionem papal. impert.

Vd.: *Regulares* (bened. pap.; papalis bened.).

5) Benedictio coram Episcopo.

Vd.: *Regulares* (bened. pap. t. III. p. 27).

6) Caecutiens.

Vd.: *Color param. in Miss. vot. B. V. M.; Missa vot. de B. V. M.; Missa* (Celebrans sedere non debet — Epist. PP. Bened. XIV. n. XXI.)*; Utrum Sacerdos caecutiens in Miss. votivis in Dominicis legendis dicere debeat Symbolum?* Vd.: *Missa vot. de Sanctis* (Gloria etc. decr. n. 4560 *Assiss. nota*)*; Ordinatio caeci.*

Ad dubium 1.: Sacerdos caecutiens ex indulto apostolico celebrare valens Missam vot. de B. V. M. teneturne in ejusdem celebratione indui paramentis coloris praecise albi?

2.: An in eadem Missa privata recitare debeat orationem Officii illius diei et Spiritus s. et omittere *Gloria et Credo* juxta rubricas?

S. C. resp. *ad 1.:* Affirmative;

ad 2.: Negative quoad obligationem legendi orationem Officii currentis; in reliquis affirmative. n. 4498 die 16. Mart. 1805.

Ad dubia 1.: An talis Sacerdos, cum devenerit ad omnimodam caecitatem, possit licite perseverare in celebratione Missae?

2.: An conditiones appositae in hujusmodi privilegiis sint merae ritualitatis et styli vel obligatoriae in conscientia?

S. C. resp. *ad 1.:* Negative donec novum impetretur a S. C. Concilii Indultum;

ad 2.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4498 ad 1—4 die 16. Mart. 1805; n. 4867 die 31. Aug. 1839.

Ad dubium: Passim concedi solet a S. C. Emorum et Rmorum Cardinalium S. Conc. Trid. interpretum quibusdam Sacerdotibus tenuitate visus laborantibus privilegium recitandi Missam votivam B. M. V. in festis et duplicibus, diebus vero ferialibus Missam defunctorum. Quaeritur ergo primum: An per festa duplicia intelligendae veniant etiam Dominicae privilegiatae et festa majora I. et II. cl. Secundo: An Sacerdos ita privilegiatus se conformare possit quoad colorem, Orationum numerum, Gloria et Credo colori et ritui Ecclesiae, in qua celebret vel dicere debeat votivam Missam ipsi concessam ritu et colore propriis ejusdem Missae? Tertio: An in casu dicere debeat secundam Orationem de festo diei juxta rubricas vel semper *de Spiritu s.* cum tertia *Ecclesiae vel pro Papa,* ex eo quod tenuitas visus nec illam Orationem propriam et quolibet die diversam illi legere permittat? Quarto: An semper in Dominicis dicere debeat Credo? Quinto: An per ferialia intelligantur etiam feriae majoris et vigiliae privilegiatae ex. gr. Nativitatis Domini et Pentecostes? Sexto: An praedictus Sacerdos in die commemorationis omnium fidelium defunctorum possit tres illas Missas celebrare, ut in quotidianis defunctorum vel illas legere debeat, juxta ordinem in rubricis praescriptum?

S. eadem R. C. rescripsit, ut infra, videlicet:

„In casu proposito primo: per festa duplicia intelligi etiam Dominicas privilegiatas et festa I. et II. cl. Secundo: a Sacerdote privilegiato adhibendum esse colorem convenientem Missae vot., quae erit sine Gloria et sine Credo. Tertio: dicendam esse secundam orationem de Spiritu s., cum tertia pro Ecclesia vel pro Papa. Quarto: *etiam in Dominicis omittendum esse Sym-*

bolum. Quinto: in feriis majoribus et vigiliis privilegiatis, in quibus prohibentur Missae privatae defunctorum, dicendam esse Missam votivam de s. Maria. Sexto: Sacerdotem privilegiatum posse in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ubi adest Indultum, tres Missas recitare, ut in quotidianis.“ n. 4501 ad 5 die 20. Sept. 1806.

Caecutientibus Sacerdotibus Apost. Sedes consuevit concedere Indultum celebrandi Missam vot. B. V. M. et de Requ.; dubium oritur: an dictus Sacerdos in Semidupl. et feriis simpl. teneatur sub gravi celebrare Missam de Req. vel possit ad arbitrium semper celebrare Missam vot. de B. V. M.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmat. ad secundam. n. 4594 ad 10 die 12. Apr. 1823.

Tempore, quo ad s. Sedem non patebat accessus, Sacerdos coecus ab Episcopo hanc facultatem a SS. Pontifice habente Indultum habuit celebrandi Missam vot. B. V. M.; sed in decreto omissa fuit obligatio assistentiae alterius Sacerdotis.

Quaeritur:

1. an dictus Sacerdos teneatur sub gravi recurrere ad S. C. Concilii et interim se abstinere a celebratione Missae?

2. an teneatur sub gravi uti assistentia alterius Sacerdotis?

3. an possit semper celebrare Missam vot. de B. V. M. a Pentec. ad Adv. vel assignatam secundum tempus?

S. C. resp.: Ad primum dubii quaesitum: Quatenus Indultum obtinuerit ab Episcopo apost. facultate munito negative; ad secundam: teneri in posterum sub gravi uti assistentia alterius Sacerdotis, quamvis in decreto apposita non fuerit haec obligatio; quoad praeteritum consulat conscientiae suae; ad tertium: affirmative. n. 4594 ad 11 die 12. Apr. 1823.

Caecutientes privilegium habentes Missam votivam dicendi B. V. M. non possunt in die Nativit. D. N. tres Missas votiv. de B. V. celebrare. n. 4878 ad 4 die 11. Apr. 1840.

Ad dubium: An Sacerdos caecutiens vel visus tenuitate laborans habensque facultatem celebrandi Missam vot. B. M. V. teneatur in festis ipsius Deiparae celebrare Missam de festo occurrente vel potius votivam sine *Gloria,* exceptis Sabbatis et sine *Credo?*

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Non teneri ad Missam festi.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 8.

Die 11. Sept. 1847.

Claramonten.

Josephus Imarigeon rector Ecclesiae parochialis Dambert Claramonten. dioecesis ob visus debilitatem, cum non possit perfecte legere, supplicavit ipsi facultatem impartiri dignaretur adhibendi assistentem, qui legendo ejus defectui suppleat in Missa sibique liceat repetendo Missae sacrum peragere.

Et S. C. resp.: Lectum.

Die 18. Dec. 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 369.)

Granaten.

Quidam hujus dioecesis Sacerdos tenuitate visus laborans ab apostolico SS. Nuncio Matriti degente indultum obtinuit, ut de B. M. V. Missam vot. quotidie legere posset; sed in rescripto mandatum illi fuit, quod in diebus solemnibus, in quibus Ecclesia, ubi celebrat, rubro uteretur colore, Missam vot. legeret de s. Cruce. Juxta varia S. hujus Congregationis decreta Sacerdotes hujusmodi caecutientes simili privilegio donati in Missa vot. B. M. V. non tenentur, juxta rubricas, recitare secundam orationem de festo occurrente aliasque, quae forte ad-

sint, ex ea haud dubia ratione, quod ipsamet visus tenuitas nec illam orationem propriam et quolibet die diversam, nec alias hujusmodi illis legere permittat et ideo 2. oratio de Spiritu s. et 3. pro Ecclesia vel pro Papa illis quotidie legenda assignatur. Cum vero nullum, quod sciam, de hujusmodi Missa s. Crucis in pari casu S. hujus Congregationis decretum loquatur, neque ex rubricis pateat, quid in illo agere oporteat; quaeritur: *quaenam orationes ab illo in diebus, in quibus de s. Cruce celebret, 2. et 3. loco legi debeant?*

Resp.: Rubrica generalis Missalis tit. IV., de Missis vot. s. Mariae et aliis et tit. IX. de orationibus, jubet a Sacerdote celebrante Missam vot., quaecumque ea sit, recitandam esse orationem ejus, de quo factum est officium. Nam, quoniam, testante eadem rubrica generali tit. IV. n. 5., quoad fieri potest, Missa cum officio convenire debet; si ex rationabili causa hic consensus inter Missam et officium esse non possit, valde convenit, ut interponatur saltem inter unam et alterum aliqua connexio, scilicet per commemorationem. Monemus tamen, rubricam hic loqui de Missis privatis, nam conventualis Missa debet semper concordare cum officio; cap.: *cum creatura* de celebrat. Miss., ubi adhibetur verbum: praeceptivum mandamus. Hoc autem posito, propius accedentes ad dubii solutionem, per argumentum quod vocant a pari, in ea sumus sententia, ut quoniam Sacerdos caecutiens, de quo est sermo, ex potissimo privilegio indulti apostolici deberet, strictim loquendo, quotidie celebrare Missam de B. M. V., quae ideo ipsi est loco Missae currentis, si aliquoties ex injuncta extraordinaria obligatione, ratione coloris celebranda ipsi praescribitur Missa de s. Cruce, non incongrue videtur addi in ea posse commemoratio de B. M. Hinc propositae quaestioni respondendum esse putamus: „In casu secundam orationem de B. M. V., tertiam Ecclesiae vel pro Papa.“

S. C. resp.: In casu secundam lectionem de B. V. M., tertiam Ecclesiae vel pro Papa.

Die 11. Aug. 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 341 et 351.)

Florentina.

(Conc. Trid. sess. 22.)

Sacerdos Joannes Niccoli parochus s. Romuli in Villamagna dioecesis Florentinae, cum visus debilitatem pateretur, anno 1720 consuetam ab hac Sac. Congr. obtinuit licentiam celebrandi diebus festis et duplicibus Missam vot. B. M. V. et diebus ferialibus Missam de sanctorum cum solitis clausulis, quod videlicet non esset omnino caecus, memoriter non recitaret, data insuper Ordinario commissione denegandi licentiam celebrandi, quatenus ipse omnino caecus evasisset; licet enim Vasquez et Suarez aliique magni nominis theologi in ea sint opinione, ut illi, qui propter debilitatem visus non possunt legere, si possunt sufficienter hostiam et calicem videre, non sint arcendi a celebrando, si Missam sufficienter memoriter recitent, uti videri potest apud *Dianam* in edit. coordinata tom. 2. tract. 1. resolut. 137., sacra nihilominus haec Congregatio in formula consueta pro caecutientibus apponit clausulam: „dummodo memoriter non recitent.“

Crescente aetate et postquam Sacerdos Joannes devenit ad annum Septuagesimum, caecus omnino factus est habitoque per eum recursu ad summum Pontificem pro facultate continuandi in celebratione Missae votivae B. M. V. diebus festis et duplicibus et Missam defunctorum diebus feria-

libus, instantiae remissio facta est ad hanc Sac. Congr., quae juxta morem scripsit Archiepiscopo Florentino, ut informaret, facto prius experimento coram magistro Caeremoniarum.

Factum fuit experimentum coram praedicto magistro, qui in scriptis retulit, oratorem esse gratia dignum, cum tali peritia polleat, non obstante coecitate, ut nullum sit irreverentiae periculum, si Missam celebret. Archiepiscopus hoc ipsum confirmavit in suis literis, in quibus pro motivo gratiae addidit, oratorem nedum esse Sacerdotem optimae famae et parochum, qui semper suum munus diligenter adimplevit, sed etiam paupertate laborare, cum ex redditibus parochiae non habeat nisi annua scuta quinquaginta monetae Florentinae, quorum partem erogare tenetur pro alimonia capellani, idemque Archiepiscopus concludit, annui posse petitis, dummodo celebret cum assistentia alterius Sacerdotis et eo fortius, quia, si orator Missam non poterit celebrare, periculum imminet, quod parochiani sine Missa diebus festis remaneant propter defectum aliarum Ecclesiarum in parochia et distantiam septem milliarum a civitate et unius milliaris ab alia parochia.

De promoto ad sacerdotium, certum est, quod si ille caecus evadat, non habet executionem ordinis quantum ad ea, quae visum requirunt, uti est missae celebratio, teste divo Thoma ter. par. quaest. 82. art. 10. ad 3., ibi: „*debilitas vel aegritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit, executionem tamen ordinis tollit, quantum ad consecrationem eucharistiae, quandoquidem propter impossibilitatem executionis, sicut si privetur oculis*"; secus quoad alia, quae visum non requirunt, uti confessiones audire et concionari, uti adnotarunt *Majol.* de irregul. lib. I. cap. 20. §. „caecum"; *Gibalin.* eodem tract. de irregul. cap. 3. consect. I. §.: „primo itaque" et probat textus in cap. „presbyterum" de clerico aegrotante, ibi: „*ipsum autem caeteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*"

Punctus itaque est: an ex gratia a summo Pontifice concedi possit et aliquando concessum sit Sacerdoti coeco, ut Missam celebraret et signanter cum assistentia alterius Sacerdotis?

Notae sunt simultates inter Hincmarum Remensem Metropolitanum et Hincmarum Laudunensem Episcopum, ejus nepotem, qui per duos annos in carcere detentus est et oculis orbatus.

In Synodo Tricassina secunda habita anno Christi 878 coram Joanne VIII. Romano Pontifice Hincmarus Laudunensis ad Pontificem adductus oblato reclamationis libello calamitatum suarum historiam exposuit et Episcopis orantibus ipsum ab excommunicatione, irregularitate et caeteris poenis Pontifex absolvit et facultatem concessit Missae celebrandae, attributo ad vitae sustentationem congiario ex redditibus Ecclesiae, quo audito, Episcopi Hincmarum vestimentis sacerdotalibus indutum ad Ecclesiam detulerunt et signum benedictionis super populum dari fecerunt et sic Synodus soluta est, *uti refert Aimoinus* in actis dictae Synodi, et late prosequuntur *Card. Baronius* in annalibus ad annum Christi 878 n. 24. et seq.; *Natalis Alexander* in historia ecclesiastica dissert. 8. saeculi 9. n. 18. et seqq.

De Episcopo, qui in Synodo Tridentina Missam coecus celebrat ex Pontificia dispensatione, mentio habetur apud *Sotum* in 4. dist. quaest. 1. art. 2. et auctores passim testantur fuisse a summo Pontifice dispensatum cum sacerdotibus caecis, ut Missam celebrarent cum assistentia alterius Sacerdotis, *Henriquez* lib. 14. cap. 8.

n. 2. lit. N.; *Diana* in edit. coordinata tom. 2. tractat. 1. resolut. 138.; *Fermosin.* ad cap. 2. „de corpore vitiatis" quaest. 1. n. 38., ibi: „*At ex dispensatione Papae coecus potest celebrare Missam, si alius Sacerdos aut vir expertus illi adsit coeco celebranti*"; *Michalor.* de coeco, surdo et muto cap. 22. n. 7.; *Gibalin.* de irregul. cap. 3. consect. 1. §. „primo itaque"; *Leander,* operam moral. par. 5. tract. 2. disp. 2. quaest. 6., ibi: „*An saltem ex dispensatione Papae possit Sacerdos coecus celebrare Missam? Respondeo: posse, casu solum, quo alius Sacerdos aut alias vir expertus adsit ipsi coeco celebranti*"; *Raynald.* in observ. criminal. tom. 1. Venetae edit. ad cap. 8. supplet. 1. n. 55. et 56.; *Episcopus Sarnellus* tom. 9. epistolarum ecclesiasticarum epistola 62. ubi proposita hac quaestione: „Se un Sacerdote divenuto cieco possa ottenere la dispensa di celebrare quella messa, che sà a memoria; post plura allegata concludit n. 15.: „Sicche col Sacerdote divenuto cieco si dispensa, che possa celebrare quella messa, che sà a memoria, come della Beata Virgini, ò di Requiem, purche abbia assistente al lato un altro Sacerdote, come ho inteso esser stato conceduto ad alcuni."

Et ipse testari possum a sanctissimo Domino nostro concessam fuisse Sacerdoti professo ordinis s. Dominici, qui caecus factus est, facultatem Missam celebrandi cum assistentia alterius Sacerdotis.

Quibus stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitis sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Pro gratia cum assistentia alterius Sacerdotis.

Die 2. et 23. Aug. 1727.

7) Celebrandi licentia.

Vd.: *Visit. de Missae celebrat.; Missa* (licentia celebr.).

8) Celebrans in Ecclesia aliena.

Vd.: *Missa in Eccles. aliena.*

9) Celebrans tecto vel detecto capite.

Vd.: *Pileolum; SS. Sacram.* (detectio etc.)

10) Celebrans in Parasceve.

Vd.: *SS. Sacram.* (distribut. in Parasc.)

11) Celebrans ex obligatione propter populi commodum.

Vd.: *Missa* (hora.).

Recte communior theologorum sententia docet: „Sacerdotem, qui nec Animarum Curam neque beneficium neque stipendium obtineat, rem divinam operari debere, cum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua parochia Sacrificio careret, eo quod pars populi celebranti Parocho interfuerit, reliqua vero satisfacere praecepto nequeat, quia tantae hominum multitudini Ecclesia satis non fuerit", ut ait s. m. *Benedictus XIV.* Instit. Eccl. 94. n. 18., quod potiori ratione affirmandum videtur de servanda celebrationis hora populo necessaria.

Sane uberrimo fructu carere ut plurimum fideles debent, ni divinae adstent oblationi, cujus quidem gratiae ab omnibus pie sancteque audientibus percipiendae eos privare sola libertatis et quietis causa nefas esse videtur Sacerdoti, qui monente Apostolo Philipp. 2. non debet quae sua sunt desiderare, sed ea, quae aliorum; Sacerdotale namque postulat ministerium, ex s. Antonini sententia in Summ. part. 3. tit. 14. cap. 7., exhibere tempore suo Sacramenta sancta et orationum munimenta, unde dicitur Sacra dans.

Denique fuse tradit *Ceccoper. Lucubr. Canon. lib. 3. tit. 12.* plurium Doctorum vestigia premens teneri Sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos, Missam inchoare debitis horis atque temporibus aptis juxta ordinem tabellae vel mandatum sacristae pro populi commoditate, etsi capellanias de jurepatronatu laicorum obtineant, et Episcopi partes esse in actu visitationis providere, ut prima Missa summo mane et dein caeterae debito intervallo usque ad meridiem, praesertim diebus festis ad populi solatium recitentur. Nec quisquam obstare juris theorema, quod non possit Episcopus novum onus imponere capellaniis jurispatronatus laicorum, quia id intelligitur de majori Sacrorum numero, non autem de norma ordinate peragendi Missas in fundatione adjectas, quod onus nec novum est, cum ab ipso jure sit impositum et ei fundatorem se voluisse conformare praesumitur. Imo nec fundatoribus ipsis, quamvis mere laicales ordinent capellanias, licere pactum apponere, quod Rectores temporibus et horis sibi benevisis libere possint celebrare, quod in detrimentum vergeret servitii Ecclesiae et cultus divini. Haec ille.

Ac revera laudabiliter *s. Carolus Boromaeus* aliique Episcopi synodalibus Constitutionibus providerunt, ut in Ecclesiis, in quibus plures Missae recitari solent, per distincta temporum intervalla ad populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem seu alias per congrua spatia, in Concilio Provinc. Mediolanen. I. part. 2. tit.: Quae pertinent ad celebr. Missarum, Ravennaten. anni 1317 cap. 12., Hispalen. anni 1512 cap. 13., Lucanen. anni 1681 part. 2. cap. 8. n. 16., Fulgenaten. Battistelli cap. 20. §. 6. Rationem reddit Brasch. Prompt. Synod. cap. 81. n. 26., quia Presbyteri non unici pro ipsorum utilitate promoveantur sed etiam Ecclesiae et populi.

S. C. Episcop. et Regul. in Januen. 18. Martii 1578, quod refert idem Brasch. loc. cit. num. 29., respondit, Sacerdotes etiam, qui ex sola propria devotione vel vigore jurispatronatus celabrant, horis Ecclesiae commodis Sacrum facere debere.

Ex resol. S. C. C. 15. Mart. 1777.

12) Celebrans Episcopo pontif. Sacrum peragente.

Ad dubium: An decretum Episcopi, quo interdicitur celebratio missarum lectarum, dum Episcopus missam pontificalem celebrat vel Sacrum sol. die Jovis cum expositione SSmi perficitur, et etiamsi, *si* ex gravi causa celebrentur, non pulsentur campanulae, sub poena suspensionis sustineatur?

S. C. C. resp.: Quoad sonum campanularum affirmative; in reliquis negative.

Die 13. Sept. et 22. Nov. 1749.

13) Celebrare non potest eadem die in eodem altari, in quo Episcopus celebravit.

Vd.: *Sacerdos* (ordinatus a Pontifice etc. §. 9).

14) S. Communionem infra missam distribuens.

Vd.: *SS. Sacramentum* (distribut.); *Communio*; *SS. Viaticum*.

15) SS. Confirmationis Sacramentum administrans et eccles. consecrans.

Pius PP. VI.

V. Fr. Ugoni Episcopo Mazariensi.

Cum, sicut accepimus, Christifideles, qui in insulis Pantellaria et Favignana vulgo nuncupatis ad istam dioecesim Mazariensem, cui Ecclesiae praeesse

dignosceris, pertinentibus, commorantur, propter difficilem accessum atque ex Turcarum incursionibus periculis obnoxium iter Sacramento confirmationis privati existant, quippe quia ad easdem insulas personaliter et commode accedere minime vales, Nos spirituali Christifidelium hujusmodi necessitati et eorum animarum Nostrae tuaeque curae commissarum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, paterna charitate consulere volentes fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut quoad vixeris et ecclesiae Mazariensi ejusmodi praefueris, unum Presbyterum pro unaquaque ex insulis praedictis tibi benevisum moribus gravem ac pietatis et religionis zelo praeditum, qui ibidem Sacramentum confirmationis hujusmodi, receptis oleo et chrismate etiam antiquis, si nova commode haberi non possint, per te seu per quemcumque cath. antistitem gratiam et communionem Sedis apostolicae habentem benedictis, administrare respective possit auctoritate nostra apostolica de speciali gratia delegare, deputare, nominare et eligere valeas.

Non obstantibus apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae die 10. Apr. 1775.

(Bull. r. Contin. t. V. p. 44. Ed. Rom. 1847.)

Pius PP. VI.

Etsi juxta sacrosancti Trident. Concilii definitionem in *sess. VII. de confirm. can. III.* solus Episcopus sit ordinarius tanti hujus Sacramenti minister, interdum tamen justis ac gravissimis urgentibusque de causis solet Sedes apost. simplici sacerdoti tamquam extraordinario ministro facultatribuere illud conferendi.

Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Beatus modernus Abbas regularis monasterii s. Mariae de Einsiedlen. Constantiensis dioecesis, quod cum ipse a catholicis sub ditione rerum publicarum Helvetiorum protestantium occulte commorantibus, qui sine gravi periculo palam catholicam religionem profiteri nequeunt ac Sacramentum confirmationis quominus publice suscipiant rationabiliter praepediti sunt, non raro pro administratione Sacramenti ejusmodi adeatur ac ab Episcopo Constantiensi suum praestitum fuerit consensum ac subinde inter eos stipulata concordia, quae in contemporaneis Nostris literis super confirmatione transactionis, quo ad alia capita inter Episcopum Constantiensem ex una et Abbatem Einsiedlensem ex altera parte initae in articulo separato de collatione Sacramenti confirmationis continetur, qua abbati Einsiedlensi ab Episcopo Constantiensi administratio Sacramenti hujusmodi permittitur, sub hisce tamen pactis et conditionibus, quod nempe hisce desuper a moderno Abbate Einsiedlensi a Nobis novum et speciale indultum impetretur sibi et futuris Abbatibus valiturum, quod Sacramentum hoc nonnisi in loco occulto et clausis januis ac nonnisi iis tantum personis conferatur, quae sub dominio protestantium vicinorum in Helvetia degunt, occulte religionem catholicam profitentur atque sine vitae aut bonorum gravi periculo Episcopum Constantien. aut ejus Suffraganeum adire nequeunt, quodque in aliis casibus quibuscumque Abbas Einsiedlensis a collatione praefati Sacramenti confirmationis utpote ad jura ordinis episcopalis unice pertinente omnino abstineat, neque etiam indultum a Sede apostolica desuper impetratum ulterius extendere fas sit, prout in praedicta

concordia, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur, quodque etiam in articulo 5. dictae concordiae constitutum fuerit, ut Abbas Einsiedlensis, in parochiis et locis Einsiedlensibus cum Au et Fahr, Feysisberg, Freyenbach et Sarmensdorf ecclesias tam modo existentes quam illas, quas in posterum praevio consensu episcopali erigere contigerit, unacum altaribus consecrare possit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad tramites hujus conventionis memoratus Abbas sibi suisque successoribus novum ac speciale indultum hujusmodi per Nos concedi summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignaremur. Nos igitur, qui paterne omnes omnino Christifideles complectimur illorumque spirituali bono providere tenemur, cum ex conventione hujusmodi et in catholicis terris heterodoxorum commorantibus, quibus vel maxime divinum afflantis spiritus auxilium necessarium est, ut fieri potest, consultum sit et juribus episcopalibus nihil derogatum, ipsum modernum Abbatem Einsiedlensem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium sacri Trid. Concilii interpretum concilio dicto Beato moderno ac pro tempore existenti Abbati Einsiedlensi Sacramentum confirmationis catholicis occultis in terris Helveticorum protestantium commorantibus et ad tramites in omnibus dicti articuli separati dumtaxat, dummodo tamen sacrum chrisma ab Episcopo pro tempore Constantiensi recipiatur, administrandi et conferendi ac ecclesias juxta art. 5. praedictae concordiae consecrandi plenam et amplam facultatem auctoritate apost. tenore praesentium tribuimus et impertiremur.

Datum Romae die 1. Febr. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 369. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Ep. Mazar.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti tu ob profectam aetatem tuam variasque corporis infirmitates, quibus obnoxius reperiris, ad singula dioecesis tuae Mazariensis loca pro Sacramento confirmationis conferendo personaliter te conferre nequeas, quo autem animarum Christifidelium tuae curae commissarum saluti consultum sit, aliquem Presbyterum, qui Sacramentum hujusmodi loco et vice tua eis conferre valeat, deputare posse summopere cupias, Nos spirituali hujusmodi Christifidelium necessitati providere teque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, fraternitati tuae dilectum filium Canonicum de Vita modernum ac pro tempore existentem Vicarium tuum in spiritualibus generalem, qui, donec vixeris et dictae Mazariensi ecclesiae praefueris, Christifidelibus locorum dioecesis tuae hujusmodi, ad quae personaliter te conferre non poteris, ut praefertur, dictum confirmationis Sacramentum oleo tamen et chrismate, etiam antiquis, si nova commoda haberi non possint, per te seu per quemcumque catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis apostolicae habentem benedictis servatisque alias servandis administrare libere ac licite possit, auctoritate Nostra apost. constituere et deputare facultatem pari auctoritate tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jun. 1789.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 318 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

VV. FFr. Antistibus Brasiliae.

Magnam profecto curam et cogitationem suscipiendam existimavimus de eo, quod expositum nuper Nobis est charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae nomine, ut remedii aliquid adhiberemus Brasiliae vestris populis laborantibus, quos etiam, tamquam oves suas, pastorum princeps Nobis pascendos et ducendos commendavit. Illud praeterea adjectum fuit Sacramento confirmationis, quo, ut baptizatos homines adversus communes Nostrae salutis hostes armarent ac munirent, adeo solliciti erant apostoli, eo sane plerosque in Brasilia destitui, quod Episcopus, qui ordinarius ejus minister sit, ne se ad illos conferat in abditis ac vastis et asperimis locis fere dispersos, retineatur aut aetate affecta aut valetudine aut longitudine et difficultate itinerum aut negotiis etiam suae ecclesiae gravioribus, quae illum tamdiu abesse a sua Cathedrali non sinunt. Quae cum ita se habeant, Nobis ejusdem regiae majestatis nomine supplicatum fuit, ut de ea plenitudine potestatis prospicere istius regionis incolis velimus, pro quibus idem Dominus vitam ipsam profudit.

Nos igitur hoc tam praeclarum studium hancque tam piam Mariae Franciscae reginae in suos voluntatem ipsi gratulantes votisque ipsius, quantum cum Domino possumus, annuentes, vobis, VV. Fratres, vestra nimirum pietate, doctrina et prudentia freti, ut in sua quisque vestrum dioecesi, Presbyterum aut saecularem aut cujusvis ordinis, congregationis et instituti ab hac sancta Sede adprobati, regularem, iis quidem instructum virtutibus, quas divus Paulus requirit epistolis ad Timotheum ac Titum suis, qui in iis cujusque vestrum dioecesis partibus, quo vos adire nequeatis, Sacramentum confirmationis chrismate per vos aut catholicum alium Episcopum gratiam et communionem Nostram et sanctae Sedis hujus habentem benedicto eodemque novo, si praesto sit, sin minus, etiam antiquo, rite administret eligere Nostrae et sanctae Sedis hujus nomine deputare et delegare possitis et valeatis, auctoritate Nostra apostolica per ipsas praesentes literas ad viginti quinque annos, valituras concedimus et indulgemus. Non obstantibus fel. rec. Pii PP. VI. Praedecessoris Nostri de registrandis in camera aliisquo apostolicis atque universalibus synodalibusque et provincialibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 26. Jan. 1796.

(Bull. rom. Contin. t. IX. p. 609.)

Pius PP. VII.

Dil. filio s. Sepulchri Custodi et Guardiano Bonaventurae.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis, Nos adducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur liberales.

Christi itaque fidelium latini ritus catholici, qui in locis degunt Terrae Sanctae, ubi tu s. Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi custos guardianus existis, spiritualibus indigentiis opportune consulere teque, de cujus fide, zelo et virtute plurimum in Domino confidimus, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, tibi extraordinariam facultatem conferendi Sacramentum confirmationis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, sub lege tamen atque

declaratione, quod tu Sacramentum hujusmodi nec administres nec administrare valeas, nisi praedicto tuo durante munere nisique catholicis latini ritus dumtaxat in Terra Sancta ejusque districtu habitantibus, nullatenus vero catholicis aliorum Rituum, pro quibus confirmandis nullam tibi potestatem conferre intendimus, immo eam, si forte alias custodibus et guardianis pro tempore s. Sepulchri concessa exstiterit, expresse adimimus et in hac parte quibuscumque apostolicis literis rom. Pontificum praedecessorum Nostrorum ac praesertim constitutioni sanctae mem. Benedicti XIV. Nostri itidem praedecessoris, quae incipit: *Demandatam,* penitus derogamus, quodque tu hujusmodi facultate utaris, utique debeas in omnibus et per omnia semper ad normam instructionis per memoratam Congregationem die 4. Maii anno 1774 editae, tibi injungimus atque praecipimus salva praemissis in auctoritate eorumdem Cardinalium.

Datum Romae die 14. Jan. 1806.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 405.)

Pius PP. VIII.

Quum sicut Nobis exponi curavit venerabilis frater Episcopus Syracusanus tanta sit cujusdam epidemici morbi in civitate Syracusana grassantis vis et plures infantes illa absummuntur ac proinde memoratus Episcopus, qui diuturnis valetudinis incommodis est obnoxius et dioecesis distentus curis non sine gravi difficultate plures in dies infantes morti proximos confirmatione inaugurare possit, suppliciterque a Nobis petierit, ut suo Vicario in spiritualibus generali dilecto filio Salvatori Amorelli Presbytero et Canonico illius Cathedralis ecclesiae facultatem conferendi Sacramentum confirmations durante saltem epidemico praefato morbo benigne ei concedamus,

Nos igitur Episcopi oratoris votis benigne annuentes praedictumque Vicarium speciali beneficentia prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati praefato Presbytero Salvatori Amorelly durante morbo epidemico praedicto et intra limites Syracusanae dioecesis ac in exercitio muneris vicariatus generalis facultatem extraordinariam et potestatem conferendi Sacramentum confirmationis adhibito oleo per catholicum antistitem, gratiam et communionem Sedis hujus apostolicae habentem benedicto, pueris morti proximis, lustralibus aquis ex S. R. E. ritu prius ablutis, auctoritate apost. tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 28. Sept. 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 145.)

16) Defunctus.

a) Crux, Patena, Calix.

Vd.: *Sepultura Sacerdotis def.; Absolutio Sacerdotis def.; Sepult.* (Clericorum, Canonicorum).

Cadavera Sacerdotum in aliqua dioecesi deferuntur induta paramentis sacerdotalibus atque in manibus habentia calicem cum patena intra cuppam elevata. Sunt qui contradicunt volentes, quod cadavera Sacerdotum perinde ac cadavera laicorum habeant dumtaxat manus ante pectus conjunctas interque digitos parvam crucem cum imagine Crucifixi. Quaeritur: an liceat consuetudo in hac dioecesi servata ponendi calicem cum patena in manibus cadaverum Sacerdotum, dum a domo sua deferuntur ad ecclesiam, et in ea explentur Exequiae, vel talis consuetudo eliminanda sit?

Et S. eadem C. respondendum censuit: Tolerandam esse utpote antiquitati conformem.

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit.

n. 5050 ad 11 die 23. Maii 1846.

Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet calix. *Clericat.* de Sacrific. Missae dec. 50. n. 49., *Bassi* tract. de sodalitiis quaest. 5. n. 14., *Concil. Provinc. Beneventan.* 1693 pag. 61. cap. 18. cap.: *Nemo* 36. de Consecrat. dist. 1., *Ursaya* tom. 7. part. 2. discept. 31. cap. 23. de funeribus cum Rit. Rom. Caeremon. Ep. et Act. Eccl. Mediolanen. ibi citatis.

Parochi Superiores Ecclesiarum Saecularium et Regularium, Sacristae et alii, ad quos spectat, non permittere debent, quod cadavera ecclesiasticorum saecularium, praesertim Sacerdotum, sicut etiam Diaconorum et Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Ecclesias, vel in istis exponantur quocumque alio habitu sive Confraternitatum sive Religionum, sed cum sacris vestibus eorum ordini convenientibus, juxta dispositionem Rit. rom. tit. de exequiis, et Clementis XI. 9. Decbr. 1705.

Canonici pluviali, planeta, dalmatica vel tunicella parati non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta seu dalmatica vel tunicella imponi potest almutia super brachium: S. R. C. 4. Aug. 1663 *in una Dalmatiarum.*

b) Paramenta.

Vd.: *Sepultura Sacerdotis def.; Planeta; Param. Episcopi def.; Sacerdos def.* (crux etc.).

Ad dubium: Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque de Clero debentne sepeliri cum vestibus proprio ordini congruentibus, an sufficit ut cum his in Ecclesia exponantur?

S. C. resp.: Servetur cujusque loci consuetudo.

N. 4659 ad 25 die 12. Nov. 1831.

Cum S. R. C. innotuerit quemdam irrepsisse abusum, nempe collocandi cadavera Archipresbyterorum defunctorum occasione funerum, induta pluviali in sede, secus vero in feretro, ut praescribit Rituale rom., transscripsit: Non licere et servetur Rit. rom.

Die 21. Apr. 1736.

Clemens PP. XI.

Havendo la Santita di Nostro Sign. sotto li 9.*) del prossimo passato mese fatto alcune provisioni circa le processioni de funerali e l' espositioni de cadaveri nelle Chiese, quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la funtione delli detti funerali, ed Esequie si osservi puntualmente il Rito di questa s. Romana Chiesa, ordina à tutti i RR. Parochi, Superiori delle Chiese secolari e regolari, ed in qualsivoglia modo privilegiate Sagrestani, ed altri, à chi spetta di non permettere, che li cadaveri degl' ecclesiastici secolari, particolarmente de' Sacerdoti, come anche de Diaconi e Subdiaconi si trasportino dalle proprie case alle Chiese, ovvero in queste si esponghino vestiti di qualunque altro abito sia di Compagnie, ò Religioni, mà con le vesti sagre secondo il loro Ordine in conformita della dispositione del Rituale rom. tit. *de Exequiis,* sotto pena alli sudetti dolla perdita di tutti ge' emolumenti funerali ed altre à nostro arbitrio.

Dato in Roma questo di 4. Febr. 1705.

(Bull. r. t. VIII. p. 251.)

Affertur Edictum, quo sub certis poenis praecipitur, cadavera Ecclesiasticorum in funeralibus Officiis exponi induta sacris vestibus eorum Ordini congruentibus et cadavera quorumcum-

---

*) Vd. Edictum Clem. XI. 9. Decbr. 1704 in Bull. r. t. VIII. p. 248.

que etiam Nobilium et Magnatum deferri ad Ecclesiam cum feretro praecedente Cruce, non autem cum rhedis aliisque vehiculis.

Caspero per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina della S. R. C. Card. di Carpegna, della Santità di nostro Signore Vicario generale ec. Avendo la Santità di nostro Signore sotto li 9 del prossimo passato mese fatto alcune provisioni circa le processioni de' funerali, e l' esposizioni di cadaveri nelle Chiese, quali di nuovo conferma, e volendo, che in tutta la funzione delli detti funerali ed esequie si osservi puntualmente il Rito di questa Santa Romana Chiesa, ordina a tutti i RR. Parochi, Superiori delle Chiese Secolari e Regolari, ed in qualsivoglia modo privilegiati, Sagrestani, ed altri a chi spetta, di non permettere, che le cadaveri degli Ecclesiastici Secolari, particolarmente de' Sacerdoti, come anche de' Diaconi e Subdiaconi si trasportino dalle proprie case alle Chiese, ovvero in queste si esponghino vestiti di qualunque altro abito, sia di compagnie, o Religioni, ma con le vesti Sacre secondo il loro Ordine in conformità della disposizione del Rituale Romano tit. *de Exequiis* sotto pena alli suddetti della perdita di tutti gli emolumenti funerali, ed altre a nostro arbitrio.

Di più ordina la Santità sua, che nel trasportare dalle case alle Chiese li cadaveri di tutte le persone di qualsivoglia stato, grado, e condizione, anche titolate, o sia di giorno, o di notte con la dovuta licenza, si osservi parimente la disposizione del detto Rituale Romano *nel tit. suddetto* §.: *Constituto tempore*, che si portino processionalmente con la Croce avanti *Parocho praecedente feretrum cum luminibus*, e però proibisce di trasportarli in qualsivoglia altra maniera, particolarmente dentro li cocchi, o carrozze, sotto pena alli Eredi in caso di contravenzione di Scudi 500 da applicarsi in opere pie, ed al Parrocho, se ciò permetterà, della perdita delli emolumenti, che se li devono, ed altre a nostro arbitrio.

Dato questo di 4. Febr. 1705.

17) Functiones prohibitae.

S. Gelasius I. Ep. dil. fr. universis Episcopis per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutis.

Nec minus Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi crismatis, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem, non praesente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis vel actionis sacrae supplendae sibi praesumant esse licentiam, neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere praesumant aut veneranda tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo Pontifice, Subdiaconum aut Acolytum jus habere faciendi, nec prorsus addubitent, si quisquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exequendum, continuo se Presbyteri dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est, censeamus, si eorum Praesule deferente, hujusmodi fuerit praevaricatio comprobata, nec ipso eorum Episcopo a culpa conniventiae et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare.

Die 11. Martii 494.

(Bull. r. t. I. p. 103. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

18) Graecus.

Vd.: *Ritus graecus; Ordinatio Graecor*

19) Habitus, Honestas et Mores.

Vd.: *Habitus Clericor.* — *Constit. Clem. XI.* die 7. Decbr. 1706 (Bull. r. t. VIII. p. 252. Ed. Luxenbg.); *Seminar.* (erectio); *Talaris; Taberna; Visitatio* (Clericorum, Presbyt., Beneficiat.).

Clemens PP. XIII.

§. 1. Cum primum incomprehensibili Pastoris aeterni judicio in b. Petri Cathedra constituti Dominici Gregis curam suscepimus ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim animarum pastores et Verbi Dei praecones, qui civitates atque provincias peragrant, poenitentiam populis et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas, quas pro ministerii sui officio notarunt, pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam Ecclesiasticorum avaritiam habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu S. appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, utut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat et ad saecularia desideria conversos mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice adixerunt, quum inter sacrae initiationis mysteria solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum sive speratum sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta quaelibet officia et mysteria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed saepe etiam universum Ecclesiasticorum coetum contemnunt; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus praecepta sibi viderunt honesta media, per quae suae suorumque sustentationi consulere potuissent.

§. 2. Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus Regulares viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis, ultra ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate hujusmodi corruptelam, unde fideles populi scandalum aliisque noxii consequuntur effectus, de medio tollere satageremus.

§. 3. Verum quum ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius aut Conciliorum Decretis aut Praedecessorum Nostrorum rom. Pontificum Constitutionibus statutum legatur, nihil a sanctis Patribus Ecclesiarumque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae Ministri, cum Clerici tum Monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere et a saecularium negociorum sollicitudinibus arcere se debeant: cumque non solum spirituales censurae, sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui canonicas regulas hac in re infringere aut violare praesumserint, omnibus mature perpensis nihil Nobis reliquum esse judicavimus, nisi ut vos, VV. Fratres, de constanti enixaque voluntate Nostrae, Praedecessorum Nostrorum menti Ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos, paternis fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus Ecclesiasticis tam ordinariae vestrae quam delegatae vobis jurisdictioni subjectis ad

formam sacr. Canonum et Decretorum apostolicae Sedis ac respective Synodalium uniuscujusque dioecesis statutorum exigere studeatis ac reipsa obtinere curetis.

§. 4. Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum et apost. Sedis studium, pro religiosa praedictarum legum custodia simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo aut consuetudini (quae corruptelae potius et abusus servata legitima vocabulorum proprietate appellari debent), quibus Ecclesiastici quicumque criminosam suam in negociis curisque saecularibus immixtionem obtegere aut excusare contenderent; Nos omnes et singulas canonicas leges et romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones adversus Clericos negociatores et saecularibus negociis sese immiscentes praesertim a Pio IV., Urbano VIII. et Clemente IX. latas atque editas, usque ad novissimam, quam s. m. Decessor Noster Benedictus *) PP. XIV. sub dat. 5. Kal. Martii 1741 Pontificatus sui anno I. evulgavit, cum omnibus item et singulis poenis atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si Decreta omnia in praemissis contenta eorumque poenales sanctiones praesentibus Nostris literis de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus et innovamus, decernentes ac declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subjici et subjectas censeri debere omnes et singulas personas ecclesiasticas, non solum e saeculari Clero sed etiam e regulari, cujuscumque sint ordinis, societatis et instituti, amplissimis licet et singularibus indultis, privilegiis et exemptionibus muniti, et cujus etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis poenas incurrant ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem et procedendi methodum alias a Trid. Synodo seu ab ap. Sede praescriptam, cum effectu mulctari et puniri debeant, non obstante contrario quolibet usu, stilo aut consuetudine, etiam immemorabili, quae aliquo in loco, dioecesi aut regione inolevisse dici posset; quam quidem Nos veluti damnabilem abusum et imperscriptibilem corruptelam earumdem praesentium tenore damnamus, proscribimus et viribus omnibus vacuamus.

§. 5. Deinde vos omnes, VV. Fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticae disciplinae integritate et animarum salute advigilantes, in Clericorum omnium vobis tam ordinario quam delegato jure subjectorum agendi rationem sedulo inquiratis, ac si quos forte hujusmodi avaritiae labe infectos adversus Canones et apostolicas Constitutiones peccasse comperietis, in eos, ad formam eorumdem Canonum et Constitutionum cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

§. 6. In quo sane duo vobis magnopere cavenda erunt: Primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut, quatenus eorum crimen in judicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi suaeque cupiditati inservientis, persona aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent: Modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a Superiore arguantur, defendere

*) Vd.: *Habitus* etc. (Clericorum).

possint, non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua sed suorum aut sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi conjunctorum, bona, negociationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex charitatis officio et directionis titulo procurare se praedicabunt.

§. 7. Quamvis autem propria etiam experientia in episcopalis officii muneribus obeundis satis edocti simus, quam difficile sit judicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negotiatione accusatur, non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem Ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super hujus gravissimi eccles. disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis, iisdemque oblata opportunitate graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiae Praesulem decipere indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit latentem rei veritatem plerumque agnoscere occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt rerumque et casuum adjuncta, quae allatas excusationes probabilius admittendas rejiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de fraternitatum vestrarum sapientia et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

§. 8. Alterum vero, quod aeque cavere debetis, illud est, ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et spiritum Ecclesiae, ex privatis opinionibus adinventas et sine legitimi superioris assensu ad proprii cujusque casus opportunitatem accommodatas, apud vos ullo modo valere sinatis, ubi Clericorum saecular. aut regularium negociationem, vobis judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in dioecesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro judicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quarum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem, sed ad tollenda dubia reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc apost. Sedem, quae sicuti alias complures hujus generis quaestiones per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi judicandique regula desumi valeat.

§. 9. Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram et apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo: *an Clericis liceat Cambium activum contrahere;* quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subjectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium literarum tenore declaramus ac definimus, Cambium

activum natura sua esse actum verae et propriae negociationis, ideoque Ecclesiasticis omnibus vetitum censeri debere tam proprio nomine quam per interpositam personam illud contrahere; quicumque vero e saeculari vel regulari Clero Cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in Clericos negotiatores constitutae noscuntur.

§. 10. Si autem Ecclesiasticorum quispiam ad se excusandum, quod saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique Clerico, canonicus ordinationis titulus vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustendet, iisque forsan deficientibus debet ipse honestioribus artibus suaequae professioni conformibus propriis necessitatibus consulere), sed aut parentum aut sororum aliarumque personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur, primum volumus atque decernimus, hujusmodi excusationem a Superiore ecclesiastico nequaquam admitti, eidem Clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates apost. Sedi, si intra Italiam et insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua juvandi vel ab eadem apost. Sede vel respective ab Ordinario impetrasse.

§. 11. Deinde, pro eo quod pertinet ad hujus Curiae nostrae Officia, notum facimus, nostram mentem et voluntates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse, eoque etiam casu nunquam Ecclesiasticis permittatur ejusmodi negociationis genus assumere, cujus administratio clericalem statum et characterem dedeceat; quin immo in ipsis Indultorum rescriptis et literis indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, justa moderatione servata et intra veram indigentiae mensuram pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in hujusmodi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debebunt: Hoc insuper advertentes, ne ea, quae vel ab ipsis vel ab ap. Sede, peculiaribus quibusdam Clericis hoc in genere aliquando permissa et justis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos, certa annua pensione conventa colendos exercendosque conducerent); eadem a reliquis Ecclesiasticis, tamquam generaliter omnibus concessa, absqua justa causa et sine speciali Indulto usurpentur.

§. 12. Caeterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est, obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso jure habeantur, quoties allegatae Conjunctorum indigentiae cessaverint vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium executione et observantia Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus et re ipsa oneratam fore denunciamus.

§. 13. Verum non uni dumtaxat negotiationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur ecclesiasticae dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus ecclesiastici viri proprium decorem totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius atque securius abjicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari

literae ss. Canonum et Constitutionum ab apost. Sede editarum, proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subjiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium et caeterorum, quae in propriis ecclesiaeve fundis enascuntur seu aluntur, necnon in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessaria, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et solicitudinibus hujus saeculi deditos ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut, qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti merito reputantur, infra ipsos abjectissimi status homines sese demittant, et qui filii lucis esse et apparere deberent, saeculi filios terrenae aviditatis anxietate superare videantur. Hos ajebant, omnibus Nundinis atque Mercatibus, laicali propemodum apparatu ac specie se sistere, nec quidquam minus, quam clericalis moderationis atque modestiae vel ecclesiasticae decoris et gravitatis specimen praeferre.

§. 14. Quibus nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta et provida ecclesiastici Patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a s. Patribus et eccles. legum Conditoribus eorum deligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae Clericis quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo et forma iis permittitur, iis autem, qui praescriptum modum excesserint statutamque ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae tum etiam spirituales censurae a s. Canonibus infliguntur; cujus rei innumera exstant exempla in gener. canonici juris legibus ac etiam in peculiaribus dioecesum statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura Clericorum sive observanda sive vitanda praescribunt: ita Vos, VV. FFr. oportet, Ecclesiasticorum omnium, qui in dioecesibus vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid Vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod clericalem statum dedeceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes non sibi licere putent indecoris actibus eam deturbare debitamque eccles. ordini existimationem et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam quae sua sunt, quam quae Jesu Christi, quaerant et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis Decretis conditis ac severioribus Edictis propositis, ejusmodi Clericorum trupitudini et cupiditati obviam ire ac delinquentium culpas, habita minoris majorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio ad caeterorum exemplum coercere et punire.

§. 15. Et parem quidem vel etiam majorem pastoralis zeli Vestri sollicitudinem atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures ecclesiasticos viros inficere et ab Ecclesiae servitiis abductos ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam divino cultui et proximorum utilitatibus ex charitatis lege impendere deberent, Laicorum obsequiis adjectisque servitiis addicere, aliquando etiam

eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali, eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est judicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit Laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros, a quibus christianae vitae documenta aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipenderunt, ut eis in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

§. 16. Verum quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte hujusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere confictoque sibi patrimonio, cujus fructus aut nulli sint aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines absque redditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus promoveri. Quare nequis Vestrum miretur, VV. FFr., si hac occasione arrepta, Vos omnes et singulos enixe hortamur atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque Vos praebeatis, ne cui Subditorum Vestrorum detur ad sacr. Ordinationem obrepere, qui ex beneficio ecclesiastico vel ecclesiastica pensione aut ex patrimonio sibi constituto, in casibus a jure permissis, omni submota collusione ac fraude, eam reipsa non percipiat annui redditus summam, quae Synodalibus cujusque dioecesis statutis aut legitima consuetudine definita dignoscitur.

§. 17. Clericos autem et Sacerdotes in laicorum domibns ejusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedeceant, quaeque eos a divinis obsequiis et propriae perfectionis cultura ad illiberalium occupationum et saecularium negociorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietas in suo dedecore insordescere aut forte obfirmatos de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari, sed omni pastoralis sollicitudinis studio, et quatenus opus sit, tota ordinariae ac delegatae jurisdictionis auctoritate servatis servandis eosdem ad ecclesiasticae vitae instituta et ad clericalis militia munera revocare curetis.

§. 18. Haec sunt, VV. FFr., quae pro apost. ministerii Nostri officio ad eccles. Ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam sollicitudini Vestrae suggerenda enixeque commendanda judicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, Vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui Subditorum Vestrorum facta eorumque adjuncta, regionum necessitates et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros, honesti aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constitui et melius agnoscere et securius aestimare potestis. Ut autem liberum Vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare, quodcumque dispensationis aut facultatis Indultum circa praemissa a quolibet romanae Curiae Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio Vestro moderandum permittimus, nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus et votis adjectisque eidem Indulto ejusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini Ecclesiasticorum liceat, illius praetextu negocium ullum aut ministerium minus honestum contra interdictum Vestrum

assumere aut susceptum retinere et protrahere.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 17. Septbr. 1759.

(Bull. r. Continuatio t. I. p. 227 Ed. Rom. 1835; *Anal. J. P.* Janvier et Fevrier 1864 p. 481.)

Literae Pauli IV. et Pii IV., per quas statuitur Clericos principatus Cataloniae et Comitatus Rosilionis in habitu et tonsura incedere debere, alias privilegio clericali non gaudeant, valent et intelligi debent juxta terminos capituli VI. sessionis XXIII. Concilii Tridentini.

Pius PP. V. ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exposito alias fel. rec. Paulo Papae IV., praedecessori Nostro, pro parte charissimi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, quod, licet juxta canonicas sanctiones Clerici habitum et tonsuram clericales honeste deferre, alias privilegio clericali minime gaudere deberent, verum in principatu Cataloniae et Rosilionis et Ceritaniae comitatibus, eidem Philippo regi subjectis, dictorum Clericorum sine habitu et tonsura hujusmodi incedentium tanta inoleverat delinquendi licentia seu potius insolentia, ut nulla fere in principatu et comitatibus praedictis homicidia, rapinae, asassinia et alia atrocia crimina committebantur, quorum aliquis clericus auctor vel particeps non existeret, idque ex eo provenire credebatur, quia dicti Clerici, cum per curiam saecularem coerceri et a judicibus ecclesiasticis poena sanguinis affici non possent, juxta exigentiam delictorum non puniebantur et propter eorum impunitatem crescebat in eis peccandi libido et facilitas veniae innocentibus delinquendi occasionem praebebat et alii impunitatis hujusmodi exemplo, ad similia facinora perpetranda invitabantur.

§. 2. Dictus praedecessor, ipsius Philippi regis supplicationibus in ea parte inclinatus, ven. fratri Salvatori Episcopo Clusinensi et suo ap. Sedis in regnis Hispaniarum tunc nuncio, per ejus in forma brevis literas commisit et mandavit quatenus *omnes et singulos, tam conjugatos quam alios simpliciter tonsuratos et minorum ordinum Clericos non conjugatos, nullum beneficium ecclesiasticum obtinentes, in principatu et comitatibus praedictis pro tempore existentes, per edictum publicum in cathedralibus et metropolitanis Ecclesiis* principatus et comitatuum hujusmodi, dum inibi populi multitudo ad divina audienda conveniret, alta voce denunciandum et in valvis dictarum Ecclesiarum affigendum, moneret et requiret ac moneri et requiri faceret, ut infra terminum duorum mensium, quos eis pro peremptorio termino et trina monitione canonica assignaret, *de caetero vestem prolicam et birretum rotundum ac coronam, more illarum partium Presbyterorum saecularium honeste deferrent, et sine armis offensivis incederent,* et si, dicto termino elapso, non deferrent et sicut praefertur non incederent, eosdem foro saeculari subjectos fore et tamquam laicos per curiam saecularem, etiam usque ad vindictam sanguinis ultimique supplicii poena puniri posse, et quod, elapso anno ab edicto hujusmodi, vestem et birretum ac coronam hujusmodi ad minus per sex menses ante perpetratum delictum detulissent, probandi onus eis incumberet, in dictis requisitione et monitione, eadem auctoritate decerneret.

§. 3. Felicis record. Pius PP. IV. vero, ad ipsius Philippi regis supplicationem, mandatum ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis

literas praedictas per suas in forma brevis literas approbavit et innovavit illasque perpetuae firmitatis robur obtinere ac perpetuo inviolabiliter observari debere et quatenus literae dicti Pauli praedecessoris, tunc publicatae et executioni demandatae non essent, per dictum Salvatorem Episcopum aut alium pro tempore existentem partibus illis suum et dictae Sedis nuncium, illarum forma servata, juxta illarum tenorem et formam publicari et executioni demandari potuisse et debuisse decrevit, concessit et mandavit.

§. 4. Et quia ab oeconomico Concilio Tridentino sess. XXIII. cap. VI. statutum et ordinatum existit, quod nullus primae tonsurae initiatur aut etiam in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum aut aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur; in Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII.: *Qui cum unici*, modo ii Clerici alicujus Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati etiam Ecclesiae serviant vel ministrent et clericali habitu et tonsura utantur, nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

§. 5. Praefatusque Pius praedecessor, per alias suas sub plumbo literas, quod omnes gratiae et concessiones in omnibus et singulis, quibus illae statutis et decretis dicti Concilii contrariantur, ipso jure revocatae, cassatae et annullatae ac ad Concilii hujusmodi terminos atque limites reductae essent et esse censerentur et secundum decreta dicti Concilii tantum observarentur, nec aliquid adversus dicta decreta et statuta apud aliquos permitterent nec in aliquo suffragari possent, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si numquam emanassent, declaravit, statuit et ordinavit, prout in singulis praedecessorum literis et Capituli Concilii hujusmodi, quorum omnium tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habemus, plenius continetur.

§. 6. Cum autem nuper praefatus Philippus rex Nobis exponi fecerit, quod a nonnullis dictas priores literas Pauli et Pii praedecessorum per Concilium et posteriores literas dicti Pii praedecessoris hujusmodi revocatas aut saltem moderatas et ad decretum Concilii praedicti reductas fuisse haesitetur ad tollendam hujusmodi dubitationem, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus dubitationem et haesitationem hujusmodi de benignitate apostolica tollere dignaremur.

§. 7. Nos igitur, considerantes priores literas dictorum praedecessorum, ut in eis contenta, statuta et ordinata, justa, honesta et rationabilia esse, cum Clerici ab illicitis et inhonestis se abstinere debeant, ipsique Clerici, qui clericali charactere illiusque privilegiis et immunitatibus uti, frui et gaudere desiderant, habitum et tonsuram Clericorum prout Presbyteri principatus et comitatuum hujusmodi deferre debeant, ipsius Philippi regis asserentis in principatu et comitatibus hujusmodi Presbyteros modo praedicto incedere consuevisse supplicationibus hac parte inclinati, dictas priores literas, quarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, a statutis et ordinatis in Concilio hujusmodi, neque per posteriores literas dicti Pii praedecessoris revocatas esse, sed tantum ad terminos et dispositionem dicti cap. VI. sess. XXIII. reductas

esse et censeri debere in omnibus et per omnia, per praesentes auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus.

§. 8. Et ut priores literae praedecessorum hujusmodi majorem firmitatem et robur obtineant, illas confirmamus et approbamus et inviolabiliter observari debere juxta terminos dumtaxat dicti capituli VI. mandamus; et si praefati Clerici primae tonsurae non conjugati, beneficia ecclesiastica non obtinentes et conjugati, contenta in dictis prioribus literis ipsorem praedecessorum, juxta ordinata et statuta in dicto sexto capitulo Concilii hujusmodi non observabunt et habitum et tonsuram dictos, prout Clerici principatus et comitatuum hujusmodi deferre consueverunt et deferunt, ut praefertur, non detulerint, foro et immunitate Clericorum gaudere et frui non possint, sed ut mere laici habeantur et reputentur et ut tales laici per judices saeculares, prout in dictis prioribus literis continetur, capi, carcerari, puniri et castigari possint et valeant.

§. 9. Et nihilominus venerabili fratri Archiepiscopo Rossanensi apud praefatum Philippum regem nostro et Sedis Apostolicae nuncio, quatenus priores literas praedecessorum hujusmodi, illarum forma servata et juxta illarum tenorem et formam et juxta terminos dumtaxat dicti capitis sexti, ac etiam praesentes in Ecclesiis praedictis publicare et executioni demandare faciat.

§. 10. Necnon venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis dicti principatus et comitatuum, easdem praesentes et contenta in dictis prioribus ipsorum praedecessorum literis ac capitulo et praesentibus observare illisque obedire et contra illas venire et reclamare non posse.

Clericis quoque, tam regularibus quam saecularibus, beneficia ecclesiastica obtinentibus vel in sacris ordinibus constitutis, sub excommunicationis poena, ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus.

Datum Romae die 13. Oct. 1567.

(Bull. r. t. VII. p. 619. Ed. Aug. Taur.)

Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis etc. vel ab Ordine alienis. Concil. Nicaen. II. cap. 16. cap. *Omnis jactantia* 1. caus. 21. q. 1. cum similibus.

Sacerdotes extra Domum non debent comparere sine veste sacerdotali; cap. *Sine ornatu* 4. caus. 21. q. 4. cum similibus.

Colonien.

S. R. C. censuit et decrevit Canonicorum ejusdem Capituli habitum uniformen, nullo personarum habito discrimine, eumdem decentem et Clericis convenientem esse debere absque ullo colore luxus et splendore, juxta praescriptum Sacrorum Canonum.

Die 13. Martii 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 195.)

Nos ipsius Philippi regis nobis in hac parte humiliter porrectis supplicationibus inclinati excommunicationis, anathematis et interdicti aliarumque ecclesiasticarum sententiarum et censurarum in ipsius Pii praedecessoris constitutione contentas poenas, in eisdem Hispaniarum regnis quoad laicos ac fratres milites tantum quarumcumque militiarum, etiam praeceptorias et beneficium ipsarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres milites sacris ordinibus initiati non fuerint et agitationes taurorum festis diebus non fiant, aucto-

ritate apostolica tenore praesentium, tollimus et amovemus.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Aug. 1575 Pontif. anno 4.

(Bull. r. t. VIII. p. 129. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Episcopus contra Clericos non deferrentes habitum, postquam ter monuit, potest illos privilegiis clericalibus privare. Sac. Congr. Immunit. in Aquilana 5. Martii 1641, in qua sic respondit Episcopo, „quod Clericis delinquentibus, non incedentibus in habitu et tonsura, non inservientibus Ecclesiis fiat praeceptum cum termino competenti sub poena privationis privilegiorum clericalium, quod si non paruerint, poterit procedere ad illorum privat. ser. ser.; qua sequuta, gaudere non poterunt.“ *Lib. 3. Decretal. Paul. fol. 139.* Et similiter decrevit in Castrens. die 21. Martii 1645 lib. 3. Decret. Paul. fol. 246. Et in Anglonen. 15. Julii 1654 lib. Decret. Rocci fol. 565. Episcopus potest punire Clericum delinquentem et requisita Concilii non habentem et tamquam Laicum se habentem, etiamsi Judex Laicus praevenerit, a quo repetere possit, dummodo ille per declarationem a jure vel ab homine servatis servandis factam, non fuerit privilegiis clericalibus denudatus. Sac. Congr. Concil. 12. Nov. 1630 quam refert Sperell. dec. 17. n. 33. in fine, ubi testatur, hanc resolutionem fuisse a Sanctissimo D. N. Urbano VIII. canonizatam et approbatam et hoc facit casus sequens:

Clericus primae tonsurae a die quo fuit ordinatus per septem annos continuos non incessit in habitu et tonsura; immo inter dictum tempus exercuit Officium Judicis: commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus et domi sistere jussus; sed arrepta fuga reassumptoque habitu coepit Ecclesiae inservire.

Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari:

I. An iste Clericus gaudeat privilegio fori?

II. An Episcopus possit Judici Laico fundanti super notorietate a reassumptione habitus in fraudem, inhibere, ne procedat, nec quoad personam nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

III. An saltem id possit visis litteris primae tonsurae?

IV. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem possit procedere ad censuras?

V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

VI. An debeat?

Die 30. Maii 1676. Sacr. Congreg. Concil. respondit ad omnia: Affirmative.

Limburgen.

Episcopus Limburgensis exponit: „Quod in dioecesi sua parochus est, qui licet aliis Officii sui partibus non desit, magna tamen animi levitate tantum aes alienum contraxit hucusque atque contrahere pergit, ut sententia judicis saecularis tertia redituum ipsius pars a creditoribus jam occupetur, quo fit ut tam parochiani sui quam exteri, quibus pecuniam debet, scandalizentur et in ipsius persona minime sistendo, totum Clericorum statum conviciis suis consectentur. Accedit quod in aere alieno faciendo eo jam sit progressus, ut non mediocrem pecuniae summam e fabrica Ecclesiae parochialis desumptam in suos usus converterit, ea utique intentione, ut deinceps restitueret, sed eo etiam periculo, ne postea restituendo sit impar.“

„Jam vero cum saepe serioque monitus iste parochus hactenus non resipuerit, nec juxta indolem ipsius spes sit fore ut resipiscat in poste-

rum, propter egestatem autem ipsius poena pecuniaria mulctari non possit neque sperandum sit, poenas ecclesiasticas privatione beneficii minores ad meliorem frugem eum esse reducturas, Episcopus orator humillime petit responsum dari sequenti quaestioni: An ad dictum parochum, si, quod orator timet, non emendetur, propter memoratam profusionem ipsius aliosque huic forte similes beneficiatos applicari, quod S. Conc. Tridentinum sess. 21. cap. 6. de Reform. de iis, qui turpitur et scandalose vivunt, constituit indeque in eos beneficii privatio statui possit? Sin minus, quibus aliis juris remediis, scandalis, quae tales parochi vel beneficiati sua culpa obaerati publice praebent, ac periculo ex parte illorum imminenti ab Episcopo sit occurrendum"?

Poenam privationis beneficii irrogandum in casu suaderent fortasse Tridentini verba in cit. capite, ubi Clericos scandalose viventes et in scandalo post monitiones perseverantes posse per Episcopum beneficio privari edicitur; et parochum, de quo agitur, revera prodigalitate sua aliis scandalo esse Episcopus testatur. Idque eo vel magis si perpendatur aliam nullam poenam privatione beneficii minorem ad parochi emendationem efficacem existimari.

Sed e contra gravissimam hanc poenam neque jure Sacrorum Canonum neque ex Concilii Tridentini sanctione ad expositae culpae coercitionem merito infligi posse videretur. Canones enim Clericos apostatas, homicidas aliisque gravioris notae criminibus reos privatione beneficii puniendos decernunt, minime vero alieno aere obaeratos. Tridentina vero Synodus in cit. loco de Clericis concubinariis et libidinis vitio inquinatis loquitur, qui nempe turpiter et scandalose vivunt, ceu se habent verba a Concilio adhibita, juxta communem DD. sententiam, *Pichler*, cap. 2. de cohab. Cleric. et mulier.

Nec plane efficax proposita poena videretur; quin imo parochus hic beneficio privatus adeoque ad egestatem redactus aere alieno magis magisque gravabitur vel mendicato victitare magno cum ordinis clericalis dedecore profecto cogetur.

Ceterum ad occurrendum malis ex nimia istius parochi profusione exortis et ad majora fabricae Ecclesiae damna praecavenda, cum non spes sit fore ut levioris momenti ac disciplinaribus poenis mulctatus resipiscat, videant EE. VV. an expediat eidem potius bonorum Ecclesiae ac beneficii parochialis administrationem interdicere; hoc juris remedium, quod in prodigos adhibendum dictat lex civilis, justa de causa adhiberetur in casu quoad parochum, qui prodigorum more neque modum neque finem in contrahendis nominibus agnoscit. Administratori vero ab Episcopo deputando committi posset, ut reditus, qui, subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem, supererint, in distrahendis nominibus et in Ecclesiae fabrica redintegranda rependeret.

„Quare etc. Sacra etc.: *Non esse locum privationi beneficii, sed potius deputationi ecclesiastici viri administratoris super bonis tam paroeciae quam fabricae, qui subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem, superextantes reditus eroget in dimissionem aeris alieni.*"

Die 31. Martii 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 578.)

Habitum et tonsuram deferre tenentur Clerici beneficiati non solum in sacris constituti sed etiam in minoribus et clericali tonsura insigniti sub poena privationis ipso facto ipsoque

jure beneficiorum et pensionum absque ulla monitione ac Judicis decreto, sed beneficia ipsa libere aliis conferri possunt et pensiones cassatae, extinctae dicuntur; Sixtus V. Constit. 92. incip.: *Cum Sacrosanctum.* Habitum decentem atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus vel pensiones ex beneficiis ecclesiasticis excedentes valorum 60 ducatorum auri de camera. Idem Sixt. V. in dict. Constit.: *Cum Sacrosanctum.* Habitum dimittens Clericalem potest illum reassumere non obstante irregularitate superveniente et Ordinarii prohibitione. Sac. Cong. Concil. in Mazarien. 27. Julii 1630 et in Regien. 29. Nov. 1692 apud *Monacell* supplement. ad tom. 2. n. 199. Clericalis vestis laicis curialibus permittitur, praeter collare, quod sit a collari Clericorum diversum: Bened. XIII. in Concilio Romano tit. 16. cap. 4. ibi: „Laicis vero curialibus, cum saepe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum, saepissime etiam cum Cardinalibus et Praelatis agendum, togam clericalem nigram communem facimus; et collaria Clericorum propria, sive rotundae sint formae sive quadratae, penitus prohibemus eisdem et prohibita jam sibi esse sciant, tenore servato nostri edicti die 22. Jan. 1725 expediti."

Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem habitus clericalis et Episcopus procedat prout de jure. Sac. Cong. Immun. in una civitatis ducalis 10. Martii 1699 lib. 2. decr. Vallem. p. 206. Clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio quoad personam tantum. Ead. Sacr. Congr. Immun. in Gravinen 1. Julii 1699 d. l. p. 230.

Item Clericus, qui post renunciationem Clericatus inquisitus a curia laica denuo reassumpsit habitum, gaudet privilegio quoad personam tantum. Ead. Sac. Cong. Immun. in Spoletana 20. Novbr. 1696 l. 2. decr. Vallem. p. 49.

Similiter Clericus, qui per duas vices renunciavit privilegio clericali et ista renunciatio acceptata fuit ab Ordinario, potest denuo reassumere habitum et gaudere. Ead. Sac. Cong. Immun. in Marsicen. 22. Apr. 1622 l. decr. Grim. p. 121.

Inquisitus de pluribus delictis et obligatus ad ratiocinia ob officium Syndici communitatis, de consensu Episcopi reassumens habitum clericalem, licet habeat uxorem et filios, gaudet privilegio quoad personam, non quoad bona. Ead. Sac. Cong. Immun. in Sorana 2. Junii 1693 l. 1. decr. Vallem. p. 51.

Item gaudet privilegio fori Clericus reassumens habitum, postquam exercuit Officium Notarii, administravit publicum archivium ac alia officia Laicalia. Ead. Sac. Cong. Immun. in Narnien. 30. Septbr. 1698 l. 2. decr. Vallem. p. 178.

Clericus conjugatus soluto Matrimonio rite potuit reassumere habitum cum decreto Episcopi. Ead. Sac. Congr. Immun. in Anglonen. 19. Aug. 1698 l. 2. decr. Vallen. p. 169.

Archiepiscopo injungitur, ut adducat rationes cur denegat reassumptionem habitus clericalis. Ead. Sac. Congr. Immun. in Tranen. 2. Decbr. 1692 lib. 1. decr. Vallem. p. 8.

Quidam Episcopus denegans seu impediens reassumptionem habitus adduxit sequentes causas:

I. Quod toto tempore habiti Matrimonii cum Virgine et unica non incesserit in habitu.

II. Quod non posset promoveri ad superiores Ordines ob imperitiam et podagrae morbum.

III. Quod non reddiderit rationes administrationum locorum piorum juxta Ordines Episcopi.

IV. Quod exercuerit macellum et laridariam.

V. Quod esset Usurarius.

At cum primae tres causae militent in promovendis, non in promotis, duae autem ultimae non justificentur, Sacra Congregatio pronunciat: *Orator utatur juro suo quoad reassumptionem habitus.* Eadem S. C. Immun. in una civitatis ducalis 13. Jan. 1699 lib. 2. decr. Vallem. p. 197.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Clericorum mores in melius reformentur et Clerici ipsi continenter et caste vivant, quod nulli, et maxime ecclesiastica beneficia obtinentes, in sua domo vel alibi retineant concubinas aut mulieres de fornicatione suspectas, de quibus aliqua sinistra suscipio valeat exoriri, sub simili et juris communis poenis.

Nullus ludere praesumat ad arandum sive ad taxillos aut ad aleas, nec forte digitos ludere non audeant sive cartas, aut aliquem ludum in taberna aut loco publico sive privato, in quo ludat pecunias aut vinum aut prandium sive coenam sive minimum, quod comestibile, sub poena inferenda.

Nullus Clericus Beneficiatus, cujuscumque conditionis, praeeminentiae aut status existat, *praesumat manicas ad saccam aut largas*, *more hominum saecularium, suo vestimento portare,* quae manicae palmo cum dimidio latiores non sint, sub poena inferenda.

Nullus calligas divisatas seu solatas aut caputium, quod ultra unam cannam panni contineat, seu arma offensiva vel defensiva portare praesumat, sub poena inferenda.

Nullus Clericus Beneficiatus, cujuscumque status sive conditionis existat, de caetero portet *comam patentibus auribus, quae tangat aures, coronam vero rotunditatis unius magnae hostiae quilibet honeste ferat;* nemo propterea attonsus incedat, sed in coma, ut superius dictum est, ut Clericus, non Laicus, cognoscatur, reformetur; contrarium facientes nullo gaudeant privilegio clericali, sed ut laici puniantur et reputentur, et alias, arbitrio dicti domini Vicarii, castigentur.

Nullus Clericus aut Canonicus, cujuscumque status, gradus et conditionis existat, qui in Urbe beneficium aut beneficia habet, debeat *tenere vel regere seu habere aliquod officium saeculare in Urbe aut extra Urbem Clericis interdictum;* qui vero contrarium fecerit, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrat et beneficia ipsius libere et licite impetrari, ut supra possint, pronunciantes ex tunc, eos, ipso facto, omni beneficio ecclesiastico privatos ac omni clericali privilegio denudatos.

Nullus Clericus exerceat artem aliquam Clericis interdictam; si quis autem contrarium fecerit, poenam arbitrio Nostro et successoris Nostri imponendam incurrat, nec sit opus, in casu praedicto ipsum Clericum moneri, cum jura disponant, quod quilibet Clericus appareat in totum Clericus clericalia exercens, et non semiclericus et semilaicus.

Die 23. Febr. 1432.

(Bull. r. t. V. p. 7 etc. Ed. Aug. Taur. 1860.

20) Imperitus ritus.

Vd.: *Ritus* (Sacerdos etc.); *Missa* (ritus, decr. de die 16. Jan. 1649); *Ritus roman.*

21) Sacerdotis saecul. ingressus in Ordines Regulares.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 14. Jan. 1747 (Bull. r. t. XVII. p. 101).

22) Inhabilis.

Vd.: *Sacerdos caecutiens et paralyticus; Ordinatio caeci.*

a) Apoplexia laborans.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Ambrogio Custodi Canonico Confessore et Maestro di Casa nella Collegiata del borgo di Busto-Arsicio di questa Archidioecesi di anni 58 veniva nello scorso anno colpito di un attaco apopletico, che gli lasciava offessi di paralisi il braccio, e la mano destra. Restandogli però integre le facoltà mentali, libera la pronunziazione, e sufficiente sanità, egli si abilitava con l' esercizio della mano sinistra (colla quale arriva a scrivere chiaramante) a compiere le ceremonie prescritte dalle Rubriche alla celebrazione della s. Messa per modo che il Paroco Proposto locale dopo di aver assisto ad un' apposito esperimento, attestavami che i riti, e le ceremonie erano praticate con precisione, regolarità, convenienza, e decoro, e quindi che si potea accordare al medisimo Canonico la grazia di celebrare la Messa. La sola ceremonia, che non eseguivasi da esso a rigore di Rubrica, era la frazione dell' Ostia prima del *Pater nöster,* poichè in vece di rompere le specie sacramentali sull' estremità della coppa del Calice, la frazione era fatta sulla Patena, dopo di che la particella dell' Ostia veniva posta regolarmente nella tazza del Calice a sensi della Rubrica del Rito Ambrosiano. Dalle quali informazioni potendo io desumere, che la paralisi del braccio, e della mano destra fosse a tal punto da permettere qualche movimento, e conoscendo dal complesso delle circostanze riferite che l' irregolarità *ex defectu* non fosse che dubbia, credetti concedere a quel Sacerdote piissimo di riassumere colle debite cautelae la celebrazione della santa Messa, come di fatto egli fece per circa tre mesi.

Ma come io venni, dietro più esplicite informazioni a riconoscere il di lui fisico impedimento maggiore della mia prima supposizione, essere cioè il braccio, e la mano, destra veramente inoperosi, come lo sono anche presentemente, lo indussi a desistere dalla celebrazione della Messa, finchè si fosse ottenuto la Pontificia dispensa dalla irregolarità certa.

Ritenuto ch'è rimoto il pericolo di scandalo, stante che quelli, che assistettero alla Messa celebrata dal Canonico Custodi col detto impedimento lungi dallo scandalizarsi, rimasero edificati, come mi si attesta, nell' osservare le ceremonie esattamente eseguite, e nel vedere la divozione del Celebrante, senza che mai sia accaduto alcun' inconveniente benchè minimo tanto in riguardo alle specie Sacramentali, quanto rapporto alla dignità, e decoro devuto ad azione cosi augusta e santa, e atteso attresì, che il suddetto Sacerdote merita i più benigni riguardi per la sua esemplare pietà, e virtù, onde gode di molta stima in quel popoloso Borgo, nella mia qualifica di Arcivescovo di Milano, oso vivamente raccomandarlo alla Santità Vostra, perchè benignamente si degni graziarlo dall' eposta irregolarità *ex defectu,* onde possa aver la consolazione di poter riassumere la celebrazione della santa Messa. Che della grazia ec.

„Sanctissimus, referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis testimonialibus literis Rmi Archiepiscopi Mediolanen. habitaque in scriptis sententia alterius ex Consultoribus Theologis, de speciali gratia eidem Antistiti facultates omnes necessarias et opportunas tribuit, ut Oratorem dispensare valeat super expressa irregularitate ex defectu, adeo ut cum

assistentia alterius Sacerdotis cotta induti iterum sacrosanctum Missae Sacrificium licite ac libere celebrare queat, attamen in Ecclesiis loci tantum, ubi cognito infortunio scandalum removetur, dummodo post formale experimentum coram Caeremoniaro episcopali vel alio Sacerdote in ecclesiasticis Caeremoniis apprime versato ab ipso Sacerdote iterandum nil aliud impediat quominus Missam celebret. Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

N. 5142 die 27. Sept. 1848.

Vd.: *Sumptio SS. Sanguinis cum Fistula; Hostia* (qua manu etc.)*; Missa* (Celebrans sedere non debet — Epistola PP. Bened. XIV. n. XXXI. . . .)*; Missa* (ritus).

b) Brachiis laborans.

Ad dubium: An Sacerdos habens curam animarum et impeditus in uno brachio, quocirca non potest cum utraque manu elevare SSmum in Missa nisi usque ad os, una tantum manu possit idem elevare supra caput, ita ut videri et adorari valeat ab adstantibus?

S. C. resp.: Sacerdos praedictus absque dispensatione apostolica non celebret; interim per alium sacerdotem suppleri ne parochialis Ecclesia sibi debito destituatur obsequio.

N. 2116 die 2. Jul. 1661; 26. Sept. 1682.

Supplicatum fuit pro dispensatione et concessione facultatis consecrandi et elevandi s. hostiam et dandi benedictionem et faciendi alias functiones cum manu sinistra, quod dextra sit impedita ab apoplexia.

S. C. resp.: *Abstineat.*

n. 2998 die 26. Sept. 1682.

Sacerdos Franc. Gerata non valens sumere hostiam consecratam manu dextera, supplicavit pro licentia sumendi cum sinistra.

S. C. resp.: *Lectum.*

Die 18. Mart. 1654.

Il Sacerdote Croce Bongiovanni del Commune di Leonforte Diocesi di Nicosia in Sicilia espone essere disgraziatamente attaccato da una semiparalisi, la quale mentre ha lasciato liberi tutti i movimenti del corpo, compresa la loquela, gli impedisco di poter alzare il braccio sinistro nell' elevazione della s. Ostia nel celebrare la s. Messa; ed è per questo che umilia al Trono della Santità Vostra le più umili sue preghiere, perchè si degni abilitarlo a celebrare servendosi della sola mano destra nella elevazione, ed altre ceremonie del santo Sagrifizio. Che ec.

„Sanctissmus D. N. Pius IX. P. M., attentis expositis ac referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali grata benigne annuit juxta preces, dummodo privatim celebret cum assistentia alterius Sacerdotis."

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

N. 5056 die 20. Nov. 1846.

Aretin.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo espone umilmente alla Santità Vostra, come tenendo egli colla manu sinistra un certo suoco di arteficio, queste esplose improvisamente, per lo che ferita, anzi totalmente guasta la mano sudetta, credettero i professori di venirne all' amputazione per ovviare la cangrena. Dall' epoca in cui avvenne la fatale disgrazia a tutt' oggi, il misero Oratore altro non ha fatto che addestrarsi, onde supplire colla sola mano destra a tutte le ceremonie della santa Messa, come gli è di fato riuscito. Di ciò

fa ampla testimonianza il suo Vescovo nell' annesso attestato, da cui risulta, che fatto privato esperimento, egli senza bisogno di altrui ajuto, si veste, e si spoglia degli abiti sacri, senza che il pubblico si avvegga della mancanza della mano, ed eseguisce tutte le altre funzione. Supplichevole pertanto egli ricorre alla somma clemenza della Santità Vostra onde in vista di quanto ha esposto, si degni permettergli la celebrazione della s. Messa. Che ec.

„Sanctissimus D. N. Pius IX. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis ac praesertim Rmi Episc. testimonialibus commendatitiis literis de speciali gratia benigne annuit juxta preces, dummodo vero Orator privatim celebret et cum alterius Sacerdotis assistentia.“ Contrariis etc.

N. 5059 die 18. Dec. 1846.

Il Sacerdote Giuseppe Teoni della Diocesi di Arezzo umilmente espone, che con venerato Rescritto del 18. Decembre 1846 gli fu accordata facoltà di celebrare la santa Messa: *dummodo tamen Orator privatim celebret et cum assistentia alterius Sacerdotis*, e ciò per essere l' Oratore mancante della sola mano sinistra, mostruosità che viene occultata per mezzo di una mano artificale che chi nol sà non la distingue dalla destra illesa, e con questa sola si è reso atto ad adempiere con sicurezza, ed esatezza a tutte le ceremonie col preparare prima di andare all' Altare l' Ostia, perchè si presti a potersi dividere. Il che testificano tanto il Vicario Foraneo, che gli altri Parochi, e Sacerdoti, che hanno assistito l' Oratore in questo tempo come da Testimoniale di Monsignore Vescova Diocesano, il quale certifica che il Teoni celebrando in pubblico il Divin Sagrificio non può cagionare la menoma ammirazione degli Astanti. La difficoltà di potersi fare assistere dal proprio Parroco, ch' è l' unico Sacerdote del suo paese, e la necessita di procurarsi l' elemosina della Messa, onde vivere; in vista della menoma ammirazione, che dà agli astanti, supplica l' Oratore la Santità Vostra a concedergli la facoltà di poter celebrare in pubblico, e senza l' assistenza. Che ec.

„Sanctissimus D. N. Pius IX. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis potissimum Rmi Episcopi literis commendatitiis, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, dummodo tamen prius Episcopus ipse experimentum coram se instituit, quo certior fiat locum revera non esse indecentiae et admirationi, caveatque ac stricte praecipiat, ut nullimode sacramentales species cum fictitia pertractentur.“

Contrariis quibuscunque disponentibus minime obstantibus.

N. 3097 (sine dato; est intra 13. Aug. 1847 et 10. Sept. 1847).

Abellinen.

Apopletico morbo correptus elapso anno Sacerdos Camelus, quamvis postea convaluerit, talem nihilominus passus est in sinistro brachio laesionem, ut ejus ministerio in Sacro peragendo uti nequeat. Siquidem laeva manus inepta est ad sustinendum calicem, dum in elevatione populo ostenditur atque etiam dum attollitur in iis ex Canone verbis: „omnis honor et gloria.“ Inutiliter etiam ejusdem manus auxilium quaerit ad fragandam ss. Hostiam super calicem eamque particulam dividendam, quae postea in calicem ipsum immittitur; verum fractionem ipsam et divisionem super patenam commodo valet perficere.

Cum itaque dictus Sacerdos alimenta habere non possit ex fructibus tantum

sui patrimonii, qui ad necessariam sustentationem non sufficiunt, supplex ab EE. VV. dispensationem petit, ut non obstante sinistri brachii debilitate facultas celebrandi missam sibi impertiatur. Asserit enim oppidum Parolisii, in quo moratur, nonnisi paucis imcolis constare, Populum autem diebus festis paroch. missae interesse, quae praevio campanae sonitu celebratur, feriatis vero diebus adeo infrequenter habitatores laboribus assuetos ad Sacrum audiendum convenire, ut vix reperiatur, qui missae possit inservire. Ex quo putat nullam administrationem orire posse, si feriatis diebus quacunque hora in paroch. ecclesia celebraverit, festivis vero post parochiale Sacrum nulloque praemisso campanae sonitu; advertit enim ex implorata solum facultate in eadem ecclesia celebrandi eleemosynam consequi posse, qua dumtaxat sibi, sororibus ac consanguineis paupertate laborantibus consulere poterit.

Episcopus in sua relatione ait haec: „Experimentum coram Magistro Caeremoniarum hujus Cathedralis faciendum curavi, ex quo deprehendi, nullam revera in praedicto Sacerdote conspici deformitatem, quae scandalum pariat in populo. At vero inficias iri nequit, quin periculi aliquid immineat calicem invertendi, dum calicem ipsum ambabus manibus elevat tam post consecrationem quam ad dicta verba: „Omnis honor et gloria"; et in ss. Hostiae fractione ita se gerere, ut non eo modo, qui tanto mysterio convenit, illam frangere possit, praesertim hyberno tempore, sed vel in plures particulas vel satis indecenter discerpat."

„Quare existimo, si vobis EE. PP. videbitur cum Oratore dispensare ob ejus paupertatem, esse ita dispensandum, ut calicem sola manu dextera elevet tum post consecrationem cum quando illa verba profert: „Omnis honor et gloria"; quo vero ad hostiae fractionem ei indulgendum, ut illam tantum super patena frangat ac detrahat particulam, quae est in calicem mittenda, nam hoc pacto fractio haberetur, quae divinae institutioni adscribitur ab E. Card. Bona. Debet tamen ipse Sacerdos sic dispensatus se abstinere a celebratione in ecclesiis, ubi populi adest frequentia, ne quid scandali inde oriatur."

„Sin vere hujusmodi indulgentia haud illi posse impertiri judicaveritis, minime eidem permittendam missae celebrationem censeo; etenim elevando calicem auxiliante laeva periculum, ut dixi, in Oratore adest calicem invertendi et dividendo per mediam s. Hostiam maxima irreverentia fieri videtur, cum eam in diversas particulas dividi accidat vel manu plus quam oportet contrectari, unde plurima decidunt fragmenta, quae postea sola dextera colligere non potest."

Ea jamdudum in ecclesia invaluit disciplina, ut corpore vitiati aut aliqua parte mutilati a s. ordinibus et ab altaris ministerio arcerentur, si propria voluntate vel culpa id acciderit; si autem non proprio facto sed casu aliquo vel necessitate vitiati fuerint, duobus tantummodo casibus irregulares evaderent, vel scilicet quando membrum, quo carent aut in quo debilitatem patiuntur, ad exercitium ordinis suscepti vel suscipiendi necessarium fuerit, unde impossibilitas ministrandi emerget, vel quando deformitas adsit, ut sine populi scandalo s. ministeria exerceri non valeant. *Gonzalez* in Comm. ad cap. 2. de corp. vitiat. n. 6.

Cum itaque deformitatem in Oratore excludat Episcopus, videndum superest, an inaptitudo sinistrae manus illum impediat, quominus substantiales Sacrificii ritus observet. Dubitari non potest, antiquissimum esse morem

elevandi sacram Hostiam et calicem post consecrationem. Verum observat *Pauget* t. 2. inst. cath. ante Saecul. XII. ad haec sola verba: „Omnis honor et gloria": „Nec prius ostendebatur corpus Christi simul cum calice populo circumstanti ad adorationem. Calicem ergo simul cum Hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret et adoraret. Exque autem usus invaluit elevandi Corporis Christi ac deinde calicis statim post peractam consecrationem, minus solemnis haec altera calicis et corporis elevatio plerisque in ecclesiis fuit; nec jam sacerdos sic elevat calicem, ut a populo circumstanti videri possit."

Gravissimae nihilominus fuerunt rationes, quibus elevatio solemnis statim post consecrationem in ecclesia inducta est; siquidem non inferioris notae auctores referunt, duxisse originem a tempore, quo Berengarius realem Christi praesentiam in Eucharistia vel transsubstantiationem panis in corpus Christi negavit, idque introductum affirmant, ut novo externo Latriae actu tanto Sacramento veneratio exhiberetur, quamquam a sui initio Ecclesia cath. interno exteriorique cultu super hoc Sacramentum prosecutus est, quemadmodum doctissime advertit Benignus *Bossuet* in tract. de missae sacrificio.

Non una tamen fuit penes omnes hujusce ritus observantia. Etenim nonnullae ecclesiae consueverunt hostiam simul cum calice post consecrationem elevare, aliae vero hostiam tantummodo, in qua corpus et sanguis Christi realiter existunt, quia in elevatione calicis nonnihil periculi inesse perpenderent. Morem hunc retinent Carthusiani, ut testatur *Pauget* l. c., qui addit, nec Religiosis Ord. s. Dominici aetate sua calicis elevationem fuisse praescriptam. Hoc ipsum testatur etiam *Sotus* in 4. Sent. dist. 15. quaest. 2. art. 5., dum ait: „Neque in nostro Ordinario, quod inde (nempe a Carthusianis) sumptum est, praecipitur Nobis ut elevemus. Quin et complures sunt Religionum Ordines, in quibus non praecipitur elevari, sed ne ab ecclesiis Saecularium dissideant, illum elevant."

Elevationem vero sive post consecrationem sive ad verba: „Omnis honor et gloria" fieri asserit *Pauget,* ut populus Venerabilem Sacramentum adoret, sed *Amalarius* affirmat eam indigitare devotum animi effectum externo signo demonstratum. „Hoc ipsum, ait, volo Tibi omni visu monstrare, tota fide ita me tenere, elevo praesentia munera ad Te ego indignus Sacerdos." Ad essentiam tamen hujus ritus non videtur necessario requiri, ut Sacerdos utraque manu calicem attolat, nec nisi ob periculum effusionis pretios. Sanguinis Christi utriusque manus ministerio ex praescripto rubricae in ecclesia utimur.

Haec quoad elevationem calicis; quo vero ad fractionem Hostiae animadvertendum est, eam fuisse praescriptam, tum quia Christus Dom. in ultima coena panem benedixit ac fregit jubens, ut id fieret in sui commemorationem, tum etiam ad indigitanda per hanc actionem mysteria, quae refert *S. Bonavent.* in tract. de expos. Miss. cap. 4. §.: Sed antiquam, *S. Thomas* 3. part. quaest. 83. art. 5. ad 8., *Innocent. III.* l. 5. de myster. Miss. cap. 3. Inquirendum hic esset: an de substantia actionis sit Hostiam frangere super calicem, de quo tamen cum antiqui Scriptores nihil innuant, existimari debet, nil quidquam de mysteriorum significatione immutari, si divisio fiat super patenam, et fortasse usum inolevisse dividendi Hostiam super calicem, ne fragmenta huc illuc dispergerentur.

Denique quoad dispensationem conveniunt Doctores, quod si non agatur de non promovendo sed de habitando jam promoto ad ordinum exercitium, facilius indulgeri possit, ut Sacerdos, qui una caret manu, missam celebret. Praecisse vero dispensationem fuisse concessam cuidam Regulari, cui ob morbum manus erat impedita, ut celebrare possit cum alterius Sacerdotis assistentia, referunt *Henriquez* l. 14. cap. 8. n. 4. lit. Q., *Leander* opera mor. part. 5. tract. 2. de Irregularit. part. 89., qui ulterius quaest. 90. subdit.: posse a SS. Pontifice dispensari cum Sacerdote utraque manu carente, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat et sumat.

In una *Coelestina* agebatur de Sacerdote, qui brachii dexteri flexibilitatem amiserat, ita ut nec illud elevare posset nec se signo crucis signare nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab utroque humero et ab ore nec in celebratione missae S. Hostiam et Sanguinem sumere poterat nisi ope brachii et manus sinistrae, licet caeteras missae caeremonias rite adimpleret. Positis autem dubiis:

1. An Sacerdos sit irregularis?

2. An eidem sit concedenda dispensatio, ut missam celebrare possit in casu?

S. C. resp. die 13. Jul. 1725 ad 1: Affirmative; ad 2.: Arbitrio novi Archiepiscopi.

Similis quoque dispensatio in similibus fere casibus concessa fuit in *Placentina* die 1. Febr. 1766 et in *Lunen.-Sarcanen.* 16. Dec. 1769.

EE. PP., qua ornantur sacri juris peritia et aequitate, edicent, quid agendi in praesenti casu, dum quaeritur:

An sit concedenda dispensatio in casu?

S. C. resp.: *Negative.*

Die 7. et 28. Julii 1770.

Contin. Abellinen.

Novus Sacerdos Orator preces exhibuit, asserens decursu temporis ac medelarum usu ita profecisse, ut absque substentaculo ambulare et brachium sinistrum mediocriter movere possit, itaut sperare liceat, fore ut imposterum omnino convalescat, quemadmodum depositione etiam Medici comprobavit. Super hisce precibus iterum auditus est Episcopus, qui retulit: „In novo experimento coram Magistro Caeremoniarum habito non solum nulli deformitati obnoxium ipsum Sacerdotem esse cognovi, quae scandalo populum afficiat, verum etiam brachium sinistrum ita nunc movere, ut amplius non immineat periculum calicem invertendi, quum illum elevat. Quod adjumentum ex usu thermarum Puteolanarum fuisse consequutum asseruit et facile crediderim. Pollicem vero et indicem levae non ita esse sanitati restitutas animadverti, ut queat illis dexteram adjuvare in frangenda SS. Hostia super calicem. Hinc ea tantum dispensatione indigere existimo, qua possit fractionem facere super patena."

Prosequitur deinde: „Quod si eos PP. EE. aequius melius ei indulgere judicaveritis, ut ex Hostia eam tantum detrahat particulam, quae est in calicem immittenda, ut mihi primum visum fuit et adhuc etiam videtur, majori certe decentia fractio fieret, nam pauciora et fortasse nulla inde deciderent fragmenta, quibus colligendis minus aptam solam dexteram, alias Vobis significasse nemini." Denique concludit: „Rogatos Vos interim Emi Patres volo, ut paupertati seu

potius devotioni praedicti Sacerdotis consulere dignemini.“

Haec habet Episcopus in nova sua relatione. Quid autem super hac petitione animadvertendum sit, patebit ex folio diei 7. Julii anni praeteriti in quo causa describitur et fusius atque accuratius res expenditur. Viderint Emi PP., an supplicantis annuendum sit, dum quaeritur:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: In decisis.

Die 20. Apr. 1771.

c) Brachio privatus.

Burgi s. Sepulchri.

Sacerdos Philippus Maggiorani parochus s. Martini in Valle Astae dum venationi non clamorosae operam daret, laevam in irregulari Sclopi explosione sic laesit, ut deinde mortis vitandae causa brachii partem amputari necesse fuerit. Parochus ergo, brachio amisso, factum se esse irregularem agnoscens, libellum supplicem Sacrae huic Congregationi dedit, quo postulabat, ut infortunii sui atque ipsius Ecclesiae ratio haberetur. Sed super difficili postulatione primum requisitus est Ordinarius de informatione et voto.

Misertus est quam maxime Ordinarius infortunii Oratoris et dolens de extrema ejus paupertate deque gravi necessitate Ecclesiae, cum magistrum Caeremoniarum consuluisset rescripsit: „Ne tamen afflicto afflictionem addamus, precibus ipsius ab EE. VV. indulgendum fore nedum censerem, verum etiam optarem. Ut autem Sacramentorum administrationi et curae animarum tutiori modo consulatur, iterata experimenta habui coram meo Caeremoniarum magistro, cujus sententiam propria manu exoratam hic inclusam EE. VV. invenient et cum quo sentio et ego, nihil dedecoris vel injuriae, posse oriri relate ad divinum cultum et Sacrorum exercitium, si juxta methodum a Caeremoniarum magistro designatam Orator optatum ferat.“

Magister Caeremoniarum singulos explicat modos, quibus Orator citra periculum et commode satis ac reverenter Divina tractare possit. Nam manicam ab eo laeva gestari vult, quae farta sit, ut ita deficientis brachii speciem induat: tum laicum ei hominem adstare albatum, qui ministri Clerici vicem adimpleat: regulas inde enumerat, quas Orator sequatur pro abstersione calicis, s. hostiae fractione et deciduorum fragmentorum collectione: demum ubi Sacramentum populo distribuendum sit, mensam parvulam sub altari constitui, in qua ipse sacram pyxidem deponat atque ex ea accedentibus Eucharistiam administret: ubi vero ad infirmos deferenda sit, capsulam concavam satis ei praesto esse, in qua sacram particulam ponat: de extrema unctione convenit, eam commode administrari posse, etiam dextera tantum manu. Sed earum Caeremoniarum, quae in Sacrosancto Missae Sacrificio utraque manu implendae sunt, nullum aliud esse consilium, nisi dispensationem petere a S. R. Cong. Porro ipse fatetur, se pluries vidisse Oratorem sacras res pertractantem modo ab eo explicato sine ulla indecentiae vel periculi nota.

Enimvero status paroeciae maxime advertendus esse dicitur. Ejus enim reditus ita tenues sunt, ut Orator capellanum seu Vice-Parochum adjutorem advocare atque alere non possit. Contra autem ea se abdicare non potest, tum ob summam paupertatem, qua premitur, tum ob non exiguos sumptus, quos tam Ecclesiae quam paroeciae causa jam fecit. Quare hoc

audet petere, ut EE. VV. benigniori consilio ei succurrant ejusque preces audiant.

Neque vero desunt DD., qui pro testimonio referant, vidisse se Regularem, qui, licet laeva non uteretur, tamen dispensationem obtinuerat. *Henriquez* lib. 14. cap. 8. n. 4. tit. 9. Immo addit *Leander* oper. Moral. p. 5. tract. 2. de irregularit. quaest. 89. 90. justis de causis dispensari posse, etiam cum eo, qui utroque brachio careat, si s. hostiam alterius ope et frangat et elevet et sumat caeterisque s. Officiis fungatur.

Caeterum S. Congr. in similibus casibus dispensationem constantissime denegavit. Sic in Augustana Irregularitatis 19. Dec. 1772 in Thes. resol. tom. 41. p. 225, cum ageretur de parocho, qui levae digitis amissis illos sibi quaesierat argenteos, affabre elaboratos auroque perpolitos et ab Episcopo consecratos, qui facile agerentur instar naturalis motus ope Spyrorum sub concavitate manus latentium. Neque tamen aut ex honestate rei, aut ex testimonio magistri Caeremoniarum, aut ex Paraeciae et Oratoris paupertate adduci potuit, ut precibus annueret. Quod Judicium pari conditione sequuta est in Abellinen. Irregularitatis 7. Jul. 1770 in Thesaur. resol. tom. 39. p. 187 et 197, in qua preces exponebantur Sacerdotis, qui ex apopletico morbo impotens factus erat, ne calicem substineret, dum pro populo elevatur, aut verba canonis recitantur: omnis honor et gloria, neve s. hostiam supra calicem frangere posset ejusque particulam dividere, quae inde in calicem immittitur; licet etiam preces testimonio magistri Caeremoniarum munitae essent, qui referebat, nihil periculi aut indecentiae in dispensatione subesse posse.

Vestrae vero nunc erunt partes EE. PP. perpensa etiam Paraeciae necessitate decernere:

An sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 28. Maii et 18. Junii 1785.

Iterato dubio: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

S. C. resp.: Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.

Die 7. Julii 1787.

d) Digitis laborans.

Augustana.

Josephus Frank Presbyter Augustanae dioecesis et parochus Villae Roht supplicem Sanctissimo D. N. obtulit libellum, in quo narravit, ex chirurgi incuria atque imperitia, ob subortam in sinistra manu inflammationem, illius digitos amisisse atque idcirco tanquam irregularem a Missae celebratione debuisse abstinere. Supplicavit idcirco pro dispensatione et facultate celebrandi ope digitorum argenteorum, quibus affabre elaboratis atque ab Episcopo consecratis, possit omnes Missae ritus et Caeremonias, ipsam quoque hostiae elevationem et fractionem absque ullo incommodo, periculo aut dedecore peragere. Ut autem facilius dispensationem assequeretur, exposuit, parochiam esse valde tenuem, teneri matrem senem et pauperrimam ex naturae debito sustentare, neque hac misserrima tempestate subrogari posse capellanum, qui ejus loco Missam celebret.

Remissae fuerunt preces Sacrae huic Congregationi, quae Officiali Augustano commisit, ut facto coram Caeremoniarum magistro experimento, referret, an in Oratore appareat deformitas, quae scandalum generet in populo aut Divinis praestet impedimentum, praesertim quoad Augustissimae hostiae fractionem. Advocatis itaque Pro-Vicario et Vicesgerente

Curiae Episcopalis, necnon Caeremoniarum magistro aliisque Consiliariis et Vicariatus Assessoribus, Officialis Augustanus sinistram Oratoris manum diligenter inspexit deprehenditque non tantum digitos (ut per errorem fuit in supplici libello expressum) sed integram volam chirurgi incuria atque imperitia fuisse deperditam et a brachio totaliter abscissam.

Caeterum retulit, sine ulla prorsus deformitate aut scandalo Missae Sacrificium ita ab Oratore posse celebrari, ut digitorum et manus defectus non advertatur ab adstantibus, nisi ab iis, quibus illorum deficientia aliunde cognita fuerit. Id autem ex eo contingere dixit, quia celeberrimus quidam Augustanae civitatis Artifex manum ex cupro et argento vivae manui simillimam elaboravit et brachio mediis fascibus sub vestis manica conditis adeo accurate aptavit, ut non artefacta sed quasi viva et vera manus appareat.

Addidit, pollicem et primum digitum seu indicem ex argento confectos et in partibus interioribus, quibus sacrosancta hostia tangitur, auro purissimo esse obductos atque in ipsius manus artefactae cavitate latere spiras calybeas, quae partim motione brachii, partim vero pressione minimi digiti, quem dicunt auricularem, modo pollicem, modo indicem, modo utrumque juxta Officii exigentia movent, ita ut spirarum intus latentium auxilio pollex et index vel ab invicem recedant vel mutuo se tangant, pro varietate rituum, qui in Missa peragi debent.

Hinc fieri, ut Orator non solum possit ad initium Missae utraque manu Missale aperire, sed etiam ante Offertorium utraque manu calicem coopertum detegere, patenam in altum elevare, cum ea crucem super altare efformare, hostiam sacram in illa ponere, calicem tum ante infusionem vini tum post purificationem abstergere et manu artefacta tenere omniaque adamussim, quae necessaria fuerint, adimplere.

Quo vero ad augustissimae hostiae elevationem et fractionem, asseruit Officialis utrumque una atque altera manu sine ullo prorsus periculo, scandalo aut deformitate ab Oratore perfici ipsumque ope manus artefactae hostiam frangere et calicem elevare. Eadem quoque testatus est de aliis ritibus et Caeremoniis ad Missae sacrificium pertinentibus; quare ita conclusit: „Caeterum facile per se dijudicabunt EE. VV., non sine magno sumptuum impendio dictum Josephum Oratorem sub spe dispensationis Apostolicae hanc sibi manum confici curasse. Et novum hoc artis mechanicae prodigium, omnium, quotquot illud videre contigit, singulari admiratione exceptum, perenne et convincens testimonium est ardentissimi illius zeli et vehementissimi desiderii, quo Orator saepedictus gratiam apostolicam exoptat et suspirat, qua et illum eo digniorem esse censeo, quo certius mihi constat, verissimum esse, eumdem Oratorem esse virum omnibus acceptum, qui sine omni minima sua culpa et casu tam fortuito, quam infelici manum suam perdidit et toto, quo illam perdidit, tempore a celebranda Missa abstinere debuit et semper abstinuit, a tribus supra viginti annis zelosissimum in vinea Domini operarium et parochum in explendo suo munere semper indefessum extitisse et etiamnum suam matrem viduam pauperrimam, ex suis, quamvis exiguis parochiae redditibus sustentare, alium autem Presbyterum, qui oneri Missarum parochialium satisfaciat, ob ipsam proventuum pro Oratoris et matris pauperrimae substentatione vix ac ne vix quidem suffi-

dere etiam viderentur probati Oratoris mores ejusque paupertas, necnon penuria Sacerdotum in dioecesi, unde utillimum illi censetur Ecclesiae officium cooperatoris curati, quo ipse fungitur. Accedit testimonium magistri Caeremoniarum, ex quo eruitur Oratoris defectum impedimentum non afferre, quominus decenter et sine populi scandalo et admiratione Missae Caeremonias peragere queat. Nec praetereunda denique Episcopi commendatio.

Sacra Congregatio etc. rescripsit: *Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*"

Die 26. Jan. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2287.)

Januen. Dispensationis.

Decurrentis anni die 31. mensis Martii Sacerdos Joannes Augustinus Raggio loci N. in dioecesi Januensi parochus a celebrationi Missae propter irregularitatem e gravi morbo contractam praepeditus, ad rehabilitationem obtinendam S. hanc Congregationem adiit, instantissimas deferens preces, in quibus exponit: „Depuis quelques annees il souffre par intervalles aux articulations des jambes: cette indisposition fait que présentement en célébrant la sainte messe il ne pourrait pas de tourner complètement vers le peuple ni faire une profunde génuflexion, mais seulement l'indiquer en pliant un peu le genou, en retirant le pied et en inclinant la tète et les épaules. Il doit s'appuyer sur des béquilles, mais arrivé à l'autel, il s'en défait et peut se passer de tout appui. Le recourant est curé, mais il n'a aucune autre ressurce que sa cure, qui constitue son titre. La paroisse est dans un petit hameau, tous les fidèles des enoirons savent qu'il est malade. Un vicarie fait tout ce que le curé ne peut faire en personne; mais il a besoin de dire au moins la messe basse, car sans cela le vicaire absorbera presque toutes les ressources. C'est pourguoi Mgr l'archevèque a conseille au recourant de faire connaitre sa position avec tous les details."

Cum acceptis hisce precibus ad Januensem Archiepiscopum scriptum fuisset pro informatione et voto, utque peracto experimento referret de natura infirmitatis et an praebeat impedimentum in explendis SS. Caeremoniis, de vera habilitationis necessitate, annuo reditu et oneribus beneficii parochialis, comprehensis incertis utriusque stolae, mandatis obsequens Sac. Congr. vicarius generalis pro Archiepiscopo a dioecesi absente omnia, quae ab Oratore in precibus exposita sunt circa modum, quo Missam celebrare potest, experimento coram magistro Caeremoniarum peracto, confirmat et inde subjungit: „De natura morbi aliquid dicere arduum est; confidit orator; at omnes desperant ejus valetudinem confirmari posse, quippe veteri morbo et provecta aetate laborantis. Reditus beneficii parochialis comprehensis incertis utriusque stolae computari potest, prout mihi ex diligenti informatione refertur, ad annuas libellas 905., in hac tamen summa habita non est ratio eleemosynae Missarum." De oneribus beneficii et vera habilitationis necessitate in literis nihil habet idem vicarius, sui tamen animi votum ita manifestat. „Quoad ea, quae Orator expostulat, attentis verbis magistri Caeremoniarum, videtur concedi eidem posse petita rehabilitatio pro celebratione Missae iis horis, quibus deest in Ecclesia populi frequentia."

Veram irregularitatem in casu adesse difficili probatione demonstran-

dum haud est, cum ex sola rerum expositione, quae in precibus parochi Raggio continetur, nemo non viderit applicandum his esse *cap.: Presbyterum, de Clerico aegrotante,* quo universim irregularis dicitur, qui non secure propter debilitatem vel non sine scandalo propter deformitatem ministrare potest. In specie autem Glossa in *cap.: Nullus Episcopus de consecrat. dist. I.* et *Barbosa* de Off. et potest. Episc. part. II. alleg. 42., n. 40., licet generatim claudos irregulares non pronuncient, id tamen affirmant de iis, qui sine baculo ad altare accedere nequeunt. Jam vero fatendum certo est, infirmitatem, qua Orator laborat, gravem omnino esse, cum non solum baculo indigeat, sed nonnisi scipionibus innixus ad altare ascendat, ubi sacras vestes induit ibique Missam incipit; difficiliter et non totaliter se ad populum convertat et genuflexionum tantummodo signum praebeat, caput dimittens et dexterum movens pedem; nullaque spes affulgeat ut Orator aliquando in melius convalescat.

Attamen similibus in casibus Oratores apud H. S. C. pro dispensatione ab irregularitate instantes nonnunquam voti compotes facti sunt. Ita iis ultimis temporibus in Cathacen. 17. Decb. 1859 inter supplices libellos relata favorabile retulit responsum Sacerdos Scalzo Dominicus, quem adeo cruribus esse praepeditum referebat Episcopus, ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret aliosque gradus claudicans ascenderet ac descenderet; genuflexiones suique corporis circulos haud convenienter exequeretur, ita ut deformitas illius, licet divinis nullum praeberet impedimentum, tamen populo magnae esset admirationi. Et ante jam Sac. Congr. pari benignitate usa fuerat in Asculana 20. Febr. 1808 erga Clericum Emilium Sallusti propter renium debilitatem claudicantem et de quo testabatur Episcopus, quod impar esset perfectae genuflexioni faciendae quam vix genu sinistro signabat et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigeret. Fatendum equidem est ex una parte, quod hi Oratores ambo non ita gravi prae parocho Raggio infirmitate detinebantur, sed ex altera ad hujus preces benigne excipiendas majora viderentur occurrere motiva, cum in casu neque agatur de promovendo, ut in citata Asculana, sed de jam promoto, quem Sacra Congregatio benigniori semper indulgentia audire consuevit, quemadmodum statutum legimus in una Burgi S. Sepulcri 18. Septb. 1824 ap. Gamberini; et praesertim formiter discusso articulo in Comen. Dispensationis 8. April. 1775 et 22. Jun. 1776; nec de simplici quidem Sacerdote, veluti in supra allegata Cathacen., sed de animarum curam exercente, in quod H. S. C. nonnunquam attendit, ceu patet ex eadem Burgi s. Sepulchri. Cum utrisque in commune habet Orator quod summa prematur egestate; reditus enim beneficii parochialis, quod obtinet titulo etiam patrimonii ecclesiastici, comprehensis incertis utriusque stolae, exclusis vero Missarum eleemosynis in annuis libellis 905. consistunt. Ab hac autem summa vix deduci potest necessaria retributio elargienda capellano, qui, Archiepiscopo consentiente, in quibusdam officiis parochialibus vices agit infirmi parochi; minime vero desumi valeret, quod opus esset ad sustentandum praeter ipsum parochum alium Sacerdotem, qui eidem, si dispensatio denegatur, non inquibusdam tantum officiis, sed et in celebratione Missarum supplere deberet, quod sane in grave praejudicium Oratoris redundaret.

Propitio suffragio, ut jam retuli, Vicarius generalis parochi precibus favet, dummodo tamen Missae celebratio iis horis peragatur, quibus populi frequentia in Ecclesia desit. Si ergo ex hucusque allatis Eminentiis Vestris visum fuerit, indulgendum esse Oratori, illud etiam sapientia vestra prospiciendum erit, utrum una vel altera ex consuetis limitationibus dispensationi adjicienda sit, qua irreverentiae periculum in sacris peragendis prorsus absit et quaevis admiratio populi removeatur. Non raro Sacra Congregatio praecipit, ut dispensatus vel in oratorio privato celebret vel etiam in publica Ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata; in casu vero praecipua irregularitatis nota recederet, quoties Orator a sacro faciendo abstineret in altari, in quo Augustissimum Eucharistiae Sacramentum adservatur.

Quare etc.

Sacra Congregatio etc. rescripsit: „*Pro gratia dispensationis, dummodo celebret in oratorio privato vel in Ecclesia hora tamen a populo minus frequentata et cum assistentia alterius Presbyteri vel saltem diaconi, facto verbo cum SSm.*

Die 29. Nov. 1862.

(Anal. J. P. 1863 p. 2290.)

Comen.

Clericus Petrus Sertorius tonsura insignitus, causali ac repetina pulveris tormentarii accensione adeo graviter in dextera manu laesus fuit, ut ejusdem liberum in parte inferiori usum ac exercitium amiserit, unice salvis et incolumibus superstitibus digitis indice et pollice ac superiori ejusdem manus parte, quibus libere et prompte utitur, ex hoc innoxio casu id evenit, ut non valeat patenam post hostiae consecrationem in Missae celebratione tractare, nisi vel contra praescriptum rubricarum utatur vel laeva manu vel pollice et indice dexterae post consecrationem non sejungendis.

Idem innoxius casus non eum ab ecclesiasticis studiis ecclesiaeque servitio retraxit, sed imo in iis adeo profecit et vitae ecclesiasticae disciplina bonisque moribus adeo exemplo semper fuit, ut nuper vacata Ecclesia vice-parochiali loci Vetiae in plebe Lugani ditionis Helvetiorum ad eam electus fuerit unanimi voto populi, ad quem electionis jus spectat. Hinc idem Clericus Petrus humillimas preces porrexit pro dispensatione ab irregularitate ex dicto defectu contracta, ut ad Presbyteratum promoveri queat, dictamque parochiam assequi possit.

Auditus Episcopus Comen.; is retulit: „Facto coram magistro Caeremoniarum experimento, ex eo constitit Sacras operationes in Missa peragendas usu dexterae manus sive ante sive post consecrationem exacte ab ipso peragi, excepto quod post sacrae hostiae consecrationem sacram patenam tractare non valet, nisi contra sacrarum rubricarum praescriptum indicem pollicemque sejungat vel ad ejusdem patenae tractationem laeva manu utatur. Dexteram manum laesam et partim detruncatam tam in prophanis quam ecclesiasticis operationibus ea arte tractat et exhibet, ut parte inferiori laesa ad pectus conversa, superior tantum pars incolumis ad oculum exhibeatur nullamque propterea nisi curiose investigantibus exhibet patentem deformitatem, nec ullum scandalum generat aut ullum impedimentum praeter praedictum divinis praestat."

Testatur idem Episcopos: „Inculpabile factum, quod dictae manus partem abstulit, eumdem Oratorem ab ecclesiasticis studiis et ab Ecclesiae

servitio non avocavit"; ac concludit: „Ecclesiasticae disciplinae studium, probati mores, congrua rerum ecclesiasticarum scientia postulatae dispensationis gratiam eidem promerentur, quae in spirituale bonum populi deprecantis praedictum clericum in parochum erit cessura." Nunc itaque idem Clericus preces renovat pro dicta dispensatione obtinenda.

Inquit enim defectum non ex culpato sed ex casuali infortunio obvenisse. Se jam tunc clericali tonsura fuisse insignitum, postea vero tum ecclesiasticis studiis tum Ecclesiae servitio semper incubuisse. Nunc vero unanimi voto optari in vice-parochum loci Vetiae jamque nominationem a populo habuisse hancque ipsam ab Episcopo commendari ac probari. Omnia itaque aequitatis principia suadere, ut petita dispensatio sibi largiatur, praesertim cum defectus ille nullam deformitatem nullumque scandalum generet nec impedimento sit, quominus sacrum integre impleatur ac celebretur.

De irregularitate ob defectum digitorum literalis est textus *in cap. Presbyt. 2. de Cler. aegrotant. et debilit.* ibi: „Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmae a praedone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus." Hinc Sac. Congr. irregularem dixit Sacerdotem, cui duo digiti manus sinistrae deerant in Baren. 16. Dec. 1673 et in Aquilana 26. Feb. 1763, item alium Sacerdotem, cui digitus pollex in manu dextera abscissus fuerat in Noviomen. 11. Septb. 1726, et demum alium pollice in sinistra manu carentem in Cadurcen. 14. Jan. 1663 lib. decr. 28. p. 3.

Verum enimvero, ubi res fuit de casuali defectu et de Sacerdote jam promoto non semel sed pluries Sac. Congr. dispensationem indulsit. Exemplum est in dictis Cadurcen. 14. Jan. 1663 et Baren. 16. Dec. 1673 et praesertim in Mutinen. 24. Maii 1734, in qua Sacerdoti tribus digitis carenti pollice, indice et medio fuit dispensatio concessa, ea tamen lege ut tantum in oratorio privato vel in publica Ecclesia hora tamen a populo minus frequentata celebraret. Et in Sumoagitien. 15. Maii 1738, in qua Vicario Curato, cui unice superfuerat digitus pollex, indulta fuit dispensatio, ita tamen ut celebraret in Ecclesiis minus frequentatis. Et in Aquilana 26. Febr. 1763, in qua eadem dispensatio indulta fuit Sacerdoti, cui in laeva manu pollex indexque casu defuerat. Haec tamen in Sacerdote jam promoto locum sibi vindicant. Nunc vero res est de simplici Clerico dispensationem petente, ut ad sacrum Presbyteratus ordinem et ad exercitium curae promoveri valeat. Perpendendum hinc an saltem vel necessitas vel utilitas vel aequitas petitam dispensationem exigant, dum res est de Clerico jam nominato ad parochialem Ecclesiam, unanimi voto parochianis exoptato bonisque moribus ac ecclesiasticae vitae disciplina praedito, ab Episcopo quam maxime commendato: et demum res est de exercitio Curae animarum habendo in loco Vetiae ditionis Helvetiae.

Emi Patres qua ornantur juris Sacri peritia ac aequitate et Clementia dignentur responsum dare:

An sit locus dispensationi in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 8. Apr. et 6. Maii 1775 et 22. Junii 1766.

Treviren.

Ex improvisso ictu decidentis mallei cujusdam Fabri Ferrari Sacerdos Joannes Baptista Juvant talem passus est laesio-

nem in dextera manu, ut non solum partem pollicis et indicis, sed etiam extremitatem digiti medii amiserit. Hac de re arcetur a celebratione Missae et interdicitur, quominus gerat munus Vicarii Curati, quod variis in locis laudabiliter exercuit. Cum tamen ope digiti medii et articulo pollicis possit sine deformitate aut periculo sacram Hostiam tenere ac frangere et calicem contrectare, supplex idcirco dispensationem ab irregularitate implorat, ut et Missam celebrare et Sacramenta administrare valeat aliaque omnia exequi, quae parochi officium concernunt. Hanc autem dispensationem, quo facilius assequatur, facultatem postulat utendi in rebus divinis peragendis auxilio sinistrae manus, quatenus cum dextera in aliquo deficere comperiatur. Exponit extremam, in qua reperitur, egestatem, ita ut non habeat unde vivere nec matri viduae ac senio confectae, nec fratri et sorori possit alimenta praebere. Unum quidem possidet beneficium, cujus titulo ad sacras Ordines fuit promotus, sed illius reditus vix pares sunt pro satisfactione oneris Missarum, quibus gravatur.

Decem testes sacerdotali charactere insigniti et in ecclesiastica dignitate constituti Oratoris paupertatem confirmant ejusque mores pietatem, zelum animarum aliasque virtutes summopere extollunt, addentes ipsum *digito medio et permanente pollicis articulo sine ulla notabili deformitate s. Hostiam firmiter tenere, immo et facile frangere, necnon calicem sustinere et attolere, salutem per verba „Dominus vobiscum" ad populum conversus, benedictionem ipsa manu dextera in fine Missae impertiri, manus expensas habere, caeteras quoque tum benedictiones tum caeremonias in decursu SSmi Sacrificii fieri solitas, absque scandali horrorisve periculo facere et adimplere possit et valeat, praehabitis diligenti et rigoroso examine, necnon iteratis exercitiis compertum se habere et in anima sua jurare posse.* Officialis vero Trevirensis facta experimento coram caeremoniarum Magistro retulit, Oratorem absque indecentia et sine scandalo calicem et s. Hostiam elevare ipsamque frangere, adeoque existimat, *quod ipsi petita dispensatio Missae Sacrificium aliaque Sacramenta administrandi et respective celebrandi, excepta tamen ob deformitatem manus distributione s. Communionis, gratiose concedi possit, praesertim cum supplicans valde tenue beneficium possideat, ratione cujus omni hebdomada quatuor Missas celebrare tenetur.*

Divino praecepto in verteri testamento corpore vitati a sacerdotali officio arcebantur. Siquidem *Levit. 21. vers. 18 et 19.* habetur, quod Dominus sic ad Moysen locutus est: *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo nec accedat ad ministerium ejus, si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si stracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si hesniosus.* Verum cum morte Christi praecepta omnia caeremonialia finem habuerint, idcirco haec quoque lex desiit obligare et in ipso Ecclesiae initio, non attento an promovendi ad Socerdotium vel Episcopatum aliquo corporis vitio obnoxii essent, solum quaerebatur, quod apti fuerint ad Sanctuarii ministerium ac virtutibus pollerent, et omnibus qualitatibus, quibus verbo et exemplo praeesse possent gregi ipsorum curae commisso. *Tomasin. de vel. et nov. Eccles. discipl. part. 2. lib. 1. cap. 78. a num. 2 ad 6. et in Can. 76.*, qui appellatur Apostolorum, habetur: *Si quis vel oculo*

orbatus vel faemore oblaesus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animae inquinatio.

Quidquid tamen sit de veteri Ecclesiae disciplina, certum est ex pluribus Summorum Pontificum responsis compertum hodie fieri ab altaris ministerio arceri, qui aliquo corporis vitio laborant, etenim in cap. *Illiteratos dist. 36.* sic decernitur: *Illiteratos aut aliqua parte corporis vitiatos vel imminutos nullus praesumat ad Clericatus Ordinem promovere. Et in cap. Presbyterum I. de Clerico aegrotante* sancitum legitur: *Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmae abscissos significasti, Missam non permittas celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus. Ipsum autem caeteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

Verum si defectus talis sit, ut non impediat, quominus Sacerdos Missam celebrare valeat nec scandalum generet aut deformitatem, tunc celebratio permittitur et dispensatio indulgeretur. *In cap. de Presbytero I. de corpore vitatis* agebatur de Presbytero, qui in duello partem digiti amiserat, et requisitus Alexander III., an dictus Presbyter posset in suo Ordine ministrare, respondit: *De Presbytero Campaniae, qui duellum sponte obtulit et oblatum suscepit et in eo partem digiti amisit, respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit sollemniter celebrare, satis potes post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agere et permittere in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extitisse.*

Et in *cap. Thomas eod. tit.* cum quidam Monachus ex percussione cujusdam Barrae ferreae pollicis ungulam amisisset et dispensationem postulasset, ut ad sacros Ordines promoveri posset, Honorius III. respondit: *Thomas monacus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus quaedam Barra ferrea super dexterae suae pollicem fortuito casu cadens ungulam avulsit ab eo.*

Quodcirca mandamus, quatenus si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud Canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis.

Plura juxta rerum circumstantias prostant dispensationum exempla. Cum Regulari, cui ob morbum manus erat impedita, dispensatum fuisse, ut celebraret cum assistentia alterius Sacerdotis, refert *Henriq. lib. 14. cap. 8. num. 4. lit. Q. et Lean. Opera moral. part. 5. tract. 2. de Irregul. quaest. 89.*, qui ulterius *quaest. 90.* subdit, romanum Pontificem dispensare posse cum Sacerdote carente utraque manu, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat et summat. In *Cusentina* Sacerdos quidam amiserat flexibilitatem brachii dexteri nec illud elevare, nec signo Crucis se signare poterat, nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab unoquoque humero et ab ore, nec in celebratione Missae sacram Hostiam et Sanguinem sumere poterat. Postulavit itaque dispensationem, ut ope brachii et manus sinistrae Missam celebrare posset, propositisque dubiis: I. *An Sacerdos sit irregularis in casu etc.?* II. *An eidem sit concedenda dispensatio, ut Missam celebrare possit in casu etc.?* responsum fuit die *13. Julii 1725 ad I.: Affirmative; ad II.: Arbitrio novi Archiepiscopi.* Similiter in Placentina relata inter supplices libellos *die 1. Februarii 1766* concessa fuit

dispensatio cuidam Sacerdoti, qui ex accepto vulnere in brachio dextero nec sacram Hostiam elevare potest nec calicem ori admovere nec pectus percutere cum diceret: *Domine, non sum dignus; lib. 116. decret. pag. 50.* Ac demum in *Lunen. Sarzanen.* Sacerdos Thomas Bianchi ex apopletico morbo non poterat calicem sumere nec manum ori admotam tenere, nisi pollicem ab indice disjungeret. Petiit proinde dispensationem, ut in celebratione Missae ope sinistrae manus uti posset, quam quidem dispensationem concessit S. Congr. *die 26. Aug. 1769* et Sanctissimus *die 28. ejusdem mensis* adprobavit; *lib. 119. decret. pag. 243.*

Verum in *Abellien. irregularitatis,* cum ageretur de Sacerdote, qui apoplessi correptus nec laeva manu uti poterat in sumptione calicis nec illum attollere ad ea verba: „*Omnis honor et gloria*", nec Hostiam super eum frangere, S. Congr. die 28. Jul. 1770 dispensationem denegavit. Praeterea in *Augustana Irregularitatis* Sacerdos et Parochus Josephus Frenk ob subortam ex Chirurgi imperitia in sinistra manu inflammationem istius digitos amiserat. Postulavit itaque facultatem celebrandi cum digitis argenteis, quibus affabre elaboratis et ab Episcopo consecratis ritus omnes et caeremonias, ipsam quoque Hostiae elevationem et fractionem, absque ullo incommodo, periculo aut dedecore peragere posse dixit.

Verum cum quaesitum fuisset *die 19. Decembris 1772: An sit locus dispensationi in casu etc.?* prodiit resolutio: *Negative.*

Notandum tamen in praesenti casu, quod Sacerdos Orator non solum dispensationem postulat, ut Missam celebrare, sed etiam ut munus Viceparochi exercere valeat. Quatenus ergo dispensationem pro celebratione Missae indulgendam esse EE. PP. existimaverint, rogantur perpendere, an etiam pro hujusmodi exercitio possit indulgeri. Porro laborantibus aliquo corporis vitio illorum Ordinum et functionum permittitur exercitium, quae absque scandalo et periculo peragi possunt. *Tomassin. de vet. et nov. Eccl. discipl. part. 2. lib. 1. cap. 83. nnm. 8., Ferrar. in Biblioth. verb. Irregularitatis art. 1. in nov. addit. num. 8., et patet ex relato cap. Presbyterum 1. de Cleric. aegrotan.;* in quo cum Pontifex arcendum propter deformitatem et scandalum decrevisset, Sacerdotem a celebratione Missae, tamen subdit: „*ipsum autem caeteris Officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

Perpensis itaque circumstantiis dijudicandum erit:

An et quomodo sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.: Pro gratia arbitrio et conscientiae Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.

Die 22. Jan. et 26. Febr. 1774.

Malacitana.

Violento convulsionum morbo adeo in laeva corporis parte laesus fuit Simon Serranus in undecimo aetatis anno, ut paulisper claudicet duosque manus sinistrae digitos, medium et annularem, rigidos inflexibilesque habeat. Clericali militiae dein ab Episcopo adscriptus ac etiam ad Capellaniam laicalem suae familiae nominatus petiit ab hac S. Congreg. saltem se dispensari, ut ad sacros ordines ac ad presbyteratum promoveri queat.

Adito Episcopo pro hoc valetudinario retulit Vicarius Generalis: „Praedictum Simonem altero tantum pede captum claudicare: Manus vero sinistrae digitos medium et annularem rigidos esse nec liberi usus tenaces,

unde nec missalia folia, nisi dextera manu faciat vel omnino comprimat atque corruget, vertere potest, nec vittas sericas, quibus facilius notantur atque volvuntur chartae, prae digitorum debilitate tractare, nec demum patenam ita elevare, ut ad imum labrum extremamque menti partem accedat, sed supra pectus vel prope collum consistat: caeteras autem praecipuasque caeremonias, quarum defectus scandalum in populo generare posset, penitus apud illum esse in tuto, nec ullum divinis mysteriis religiose reverenterque conficiendis grave praeter dicta impedimentum apponi. Quamobrem mea quidem sententia certum est, nisi dicta absint, Emis Patribus nihil insuper obfuturum quominus Oratoris ejusdem petitioni, si placitum erit, benigne respondeant et acquiescant."

Nunc ideo preces renovat pro dispensatione. Inquit: non culpa, sed morbi vi duo sibi obesse, alterum quod claudicet, alterum quod digitos anularem et medium manus sinistrae rigidos ac inflexibiles habeat, ex neutro irregularitatem induci. Quod ad primum attinet, non claudicare cum gravi deformitate vel scandalo nec baculo aut auxilio egere, sed tantum levissime in sinistro pede, ut nec deformitas exurgat nihilque obsit altaris Ministerio ac Caeremoniarum omnium implemento. Ex hoc itaque defectu nullam irregularitatis notam induci, *cap. 9. siquis in infirmitate dist. 55.*, *Barbos.* de Officio et potest. Episcop. part. 2. alleg. 1. num. 40.

Minusque eam induci ex defectu digitorum. Non rem esse de digitis indice vel police pro consecratione necessariis, sed de aliis medio et anulari, quorum in consecratione nullus est usus. Nec obesse, quod post consecrationem folia volvere nequeat, nec patenam ad imum labri accedere. Folia quippe vel manu dextera vel ipsorum compressione recte absque deformitate volvere posse; patenam vero si non ad imum labri vel menti, saltem supra pectus et prope collum accedere posse. Recte ideo omnia saltem per aequipollens absque ulla deformitate et scandalo integre exerceri agique insuper non de praecipuis ac necessariis sed de extrinsecis caeremoniis, in quibus nec rigide inquirendum est nihilque vetat, quominus per aequipollens impleantur.

Hinc saltem postulat sibi dispensationem indulgeri. Dum enim nulla deformitas nullumque scandalum est, dum nihil ex substantialibus ac praecipuis caeremoniis deest, dumque omnia integre recteque impleri valent, commiserandam esse irregularitatem ex morbi vi et solo defectu provenientem sibique benigne largiendam esse dispensationem, ut ad sacros Ordines promoveri et obtentae capellaniae onera implere valeat.

Irregularitas alia ex delicto, alia ex defectu sive animi sive corporis profluit. Irregulares sunt ex defectu corporis, qui ita sunt corpore vitiati, ut vel nequeant ordinis ministeria exercere vel nonnisi cum deformitate et scandalo, *cap. Illiteratos dist. 36.*, *cap. Presbyterum* et *cap. Tua nos de Cleric. aegrot.* Sic irregularis est, qui fuit aliqua manu mutilatus, *cap. Exposuisti 6. de corp. vitiat.:* Presbyter, cui medietas palmae cum duobus digitis fuit abscissa, *cap. Presbyterum de Cleric. aegrot.* deformiter Gibbosus, *cap. Hinc etenim vers. Gibbosus dist. 49.* Claudus nequiens sine pede ligneo vel sine baculo incedere, *can. Nullus Episcopus de consecr. dist. 1.:* oculo orbatus sive cui oculos erutus est si absque notabili deformitate Canonem legere nequeat, *can. Si evangelica 13. dist. 65.*, et omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum

d. cap. Si evangelica, et tot. tit. de corp. vitiat. Sin vero talis sit corporalis defectus, qui neque notabilem deformitatem contineat, nec scandalum in celebratione causet, neque exercitium celebrationis impediat, nulla irregularitas est. Hinc Alexander III. *in cap. 1. de corpore vitiat.* inquit: „Respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quod sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes permittere ipsum in suo ordine ministrare"; et de Clerico promovendo, cui super dexterae pollice fortuito casu avulsa fuerat ungula in *cap. 7. eodem:* „Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens et aliud Canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis."

Ponderandum ideo an defectus Simeonis vel exercitium ordinis impediant vel deformitatem ac scandalum generent. Claudus est, sed levissime, ut refert Vicarius Generalis. Digitos inflexibiles ac rigidos habet, sed vel ope manus dexterae vel foliorum compressione potest Missalis folia vertere et patenam saltem supra pectus et prope collum accedere.

Verum hic non mos est de Sacerdote jam promoto, sed de promovendo. S. Congr. in una Consentina 13. Julii 1725 Sacerdoti jam promoto, qui casualem in brachio dextero passus fuerat laesionem, ut sacram Hostiam et Sanguinem sumere non posset cum manu dextera, indulsit arbitrio Ordinarii dispensationem, ut Eucharistiam ope manus sinistrae sumeret.

Quid consulendum in casu sit decernant Emi Patres.

Proponitur:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.: Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cauthelam.

Die 6. Maii et 17. Junii 1775.

23) Missam imperfectam relinquens.

Vd.: *Missa interrupta; Parasceve* (missa interrupta).

Juvenacen.

Sacerdos Joseph Ronca cum pridie nonas Septembris proxime elapsi in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia oppidi Terlitii Missam inchoasset, multis, qui dicta die utpote dominica Sacrum audituri convenerant, adstantibus, post factam Hostiae oblationem, repertis urceolis vino vacuis, et ministro hac et illac frustra discurente, ut vinum inveniret, post lapsum circiter horae quadrantem, toedio affectus ab altari discessit, seque eadem die contulit ad celebrandum in Ecclesia Collegiata dictae Terrae, perque plures insequentes dies a sacrificio Missae non abstinuit, donec monitus ab Episcopo de incursu in suspensionem contentam in Can.: *Nullus Episcopus de Consecrat. distinct. 1.* et consequenter in irregularitatem, eo quia suspensionis vinculo obstrictus celebrare non desierit, supplicem Sacrae hujus Congregationi porrexit libellum, quo opportunam absolutionem atque dispensationem humillime postulavit.

At ejus precibus in superiori consessu inter summaria relatis, cum fuerit excitata quaestio, num reipsa Orator poenam suspensionis inciderit, proindeque per obsecutam celebrationem contraxerit irregularitatem, ut id maturiori judicio definiretur, jusserunt EE. VV., causam describi in folio.

Duo ad hanc rem pertinent textus; alter est in Can.: *Nihil* 7. quaest. 1. desumptus ex Concilio Toletano VII. cap. 2., cujus verba sunt haec: „Nihil

contra ordinis statutum temeritatis ausu praesumatur, neque illa, quae summa veneratione censentur vel minimo praesumptionis actu solvantur; cum ad hoc tantum fieri jussa sunt, ne interrupta noscantur vel languoris proventu robore salutis privetur natura. Non ergo fragilitati solum consulitur humanae, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei provida cavetur solicitudine. Censuimus ergo convenire, ut, cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis acciderit quilibet eventus, quo caeptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii caepti etc. Ne tamen, quod naturae languoris causa consulitur in praesumptionis perniciem convertatur etc., nullus absque proventu patentis molestiae minister vel Sacerdos, cum caeperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere. Siquis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit."

Alter est in Can.: *Nullus Episcopus de Consecrat. distinct. 1.* ex Synodo rom. sub Zacharia Papa cap. 13 et 14. ita statuens: „Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad Solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire aut velato capite altari Dei assistere, quoniam, et Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, et qui temere praesumpserit, communione privetur. Cum vero ingressus fuerit Episcopus aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur, sed qui initium ponit, suppleat usque in finem, quia scriptum est, qui perservaverit usque in finem hic salvus erit. Siquis vero praesumpserit, praeter quod posuimus, agere, a sacro corpore et sanguine D. N. Jesu Christi sit suspensus."

Ex binis hisce textibus duplex ad rem praesentem oritur quaestio: Prior nempe, an utraque poena excommunicationis et suspensionis a Divinis in iis alternatim contenta sit latae, uti dicitur, sententiae vel potius ferendae tantum? secunda vero, num poenae praedictae incurrantur tam ab eo, qui Missam relinquit imperfectam consecratione peracta, quam ab illo, qui ante istam sed post Offertorium ab altari discesserit?

Porro in d. Can.: *Nihil,* verba illa: *Siquis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*, cum sint futuri temporis, non poenam latae sententiae sed ferendae tantum importare videntur, ut contra Archidiacon. in d. Can.: *Nihil*, et *Diaz.* in pract. crim. can. cap. 46. sentiunt *Navarr.* cap. 16. de orat. n. 58., et Miscellan. de orat. n. 86., *Sylvester* verbo: *Eucharistia* 2. quaest. 7.; *Azor* part. 1. lib. 10. cap. 32. quaest. 2., *Dicastill.* de Sacram. tract. 5. disp. 4. dub. 13. n. 252., *Pax Jordan.* lib. 1. lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 339. et alii plures congesti per *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. tract. 1. quaest. 189. n. 2., cumque in eodem Canone habeatur: *censuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis acciderit quilibet eventus, quo caeptum nequeat consecrationis expleri, mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii caepti,* inde colligi posse videtur, dispositionem hujus canonis procedere tantum respectu Sacerdotis Sacrificium dimittentis post caeptam vel expletam consecrationem, secus vero ante illam, ut censet Card. Turrecremata scribens in dict. Canonem et Censuris tom. 2. disput. 11. cap. 3. per tot.

Verum in altero Can.: *Nullus Episcopus de Consecr.* dist. 1. cum poena suspensionis in dicta legatur sub hisce verbis: „a sacro corpore et sanguine D. N. J. Chr. sit suspensus" major dissensio et inter DD., num ea ferendae seu latae potius sententiae poenam importent; priorem quippe oppinionem sequuntur *Azor.* part. 1. lib. 10. cap. 32. quaest. 2., *Henriquez* lib. 9. sum. cap. 30. num. 5., *Filius.* tract. 17. n. 105., *Fernandez* part. 3. exam. Theol. mor. cap. 5. §. 5. n. 11., *Quart.* in rubr. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 2. vers.: Tertia sententia, et *Lugo* lib. 5. de Sacram. cap. 10. quaest. 4. num. 56. Posteriorem vero sustinent *Diaz.* in pract. crim. canon. cap. 46. n. 1., *Bonac.* disput. 3. de censur. in part. quaest. 3. punct. 2., *Pax Jordan.* tom. 1. lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 339., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. tract. 1. quaest. 190. n. 4. et seq. et alii ab eo allegati, *Thesaur.* de poen. Eccles. part. 2. verb.: Missa cap. 3. vers.: Hanc suspensionem.

Praeterea cum in eod. Can.: *Nullus Episcopus* absolute praecipiatur sine ulla mentione verbi *Consecrationis*, quod *ingressus ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione, recedere*, fortius inde trahi argumentum vel post solum ingressum ad altare ac initium Missae positum, poena suspensionis incurri a Sacerdote, qui, nulla interveniente gravi corporis molestia, eam incompletam relinquat.

De momentoso discrimine, quod versatur inter Missam ad actum Consecrationis perductam et illam nondum eousque protractam, late tradunt plerique ex Doctoribus supracitatis: illud vero ad hodiernam quaestionem proprius accedit, quod Missa, quae ab uno Sacerdote propter aliquem casum relinquitur imperfecta, si id contingat ante consecrationem, non debet ab alio suppleri, secus vero consecratione peracta, uti praescribitur in Rubricis Missalis de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus cap. 10. de *Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus* n. 3., ibi: „Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur vel in synopen inciderit aut moriatur, praetermittitur Missa; si post consecrationem Sanguinis vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum." Hinc autem expendendum est, num inferri possit, quod, sicuti memoratus Canon loquitur de Sacerdote relinquente Missarum solemnia, ut ab alio suppleantur, ita poenae suspensionis in eodem Canone contentae subjaceat tantum Presbyter, a quo Missa relinquatur incompleta postquam eousque perducta est, ut ab alio suppleri debeat, quemadmodum sentire videtur *Dartis* oper. canen. in 3. part. Decretor. lit. A. pag. 444.

Ad materiae ornatum praestat referre Doctrinam s. Thom. 2. part. art. 6. ad 2., ubi ponens casum, quo Sacerdos, inchoata Missa, recordetur, se non esse jejunum, ita respondet: „Si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere Sacramentum", addens, idem dicendum esse, si Sacerdos ille meminerit, se peccatum aliquid comississe vel excommunicationi cuicumque subjacere: *Si vero* (sunt verba ejusdem sancti Doctoris) *ante Consecrationem alicujus praedictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod Missam inceptam deseret, nisi grave scandalum timeretur*, ex quibus fortasse desumi potest, s. Thomam in ea fuisse sententia, quod poena suspensionis non

incurratur a Sacerdote, qui Missam inchoatam relinquat ante consecrationem.

Casus praesenti prope similimus fuit huic S. Congregationi die 16. Decbr. 1719, isque descriptus reperitur in lib. 69. Decret. pag. 604. per haec verba: „*Placentina.* Dum Sacerdos Carolus Lagurius die prima currentis anni 1719 festivitatis Circumcisionis D. N. J. Chr. aderat in altari majori parochialis Ecclesiae loci Rivergarii Missam celebraturus, post jam factam oblationem Hostiae recessit Clericus Missae inserviens ad effectum accipiendi urceolos vini et aquae, cumque post elapsum quadrantem horae reditum minime fecisset, idem Sacerdos irae percitus relicto imperfecto Sacrificio Missae ab altari recessit dicens: „Io adesso non posso piu dir Messa, non sono piu in stato, non voglio fare un Sacrilegio“, relictisque super altari calice, velo et corporali, ad Sacristiam se contulit, exutisque vestibus sacris ab Ecclesia recessit, non sine magno scandalo et admiratione populi, qui Missae interfuerat. Fabricato processu per Curiam episcopalem praetendit Fiscus, Sacerdotem Lagurium in suspensionem incurrisse ipso facto in vim dispositionis Can.: *Nullus Episcopus 57. de Consecr. dist. 1.* Cumque Sacerdos penitus ignorans de incursu in suspensionem Missam postmodum celebraverit, humiliter modo supplicat tum pro absolutione a suspensione tum pro dispensatione ab incursa irregularitate: „S. Congregatio, attenta relatione Episcopi Placentini, censuit, per Oratorem nullam fuisse incursam suspensionem, nec consequenter irregularitatem ac proinde committendum, prout praesentis Decreti tenore benigne commisit eidem Episcopo, ut, imposita Oratori praedicto aliqua salutari poenitentia, eum ad altaris Ministerium iterum admittat.“

Episcopus Juvenacensis, qui ratus est, Oratorem tum poena suspensionis tum vinculo irregularitatis innodatum esse, post relatam facti seriem superius expositam ita concludit: „Quia vero, EE. PP., licet ignorantia juris non excuset, tamen postquam rescivit Orator, se in Canonis poenam incidisse, in posterum se abstinuit a celebranda Missa et amplius temere non celebravit et praefert cor contritum et humilitatum, puto, si ita videbitur EE. VV., praefatum Sacerdotem Ronca posse donari gratia absolutionis a suspensione contracta et dispensationis ab irregularitate, quam incurrit.

Omnibus itaque perpensis, dignentur EE. VV. sapientissime pronunciare: *An Sacerdos Joseph Ronca incurrerit suspensionem et irregularitatem in casu?*

S. C. C. resp.: Negative, et rescribendum Episcopo, ut imposita aliqua salutari poenitentia Oratorem denuo admittat ad altaris Ministerium.

Die 3. Decbr. 1735.

24) Ordinatus a Pontifice, an ab ipso Pontifice vel ex speciali ejus delegatione in Episcopum sit consecrandus?

Dilecto Filio Carolo electo Episcopo Justinopolitano.

Benedictus PP. XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

In postremo secreto Consistorio per Nos habito die 20. proxime superioris mensis Septembris emeritam virtutem tuam prae oculis habentes, te in Justinopolitanum Episcopum proposuimus, cumque de eo Episcopatu provisum tibi fuerit, praemissis antea omnibus, quae a sacro Trid. Concilio sess. 24. cap. 1. de Reformat. et Constitutionibus apostolicis praescribuntur, electus ipse merito dici potes ac confirmatus;

communis quippe Doctorum sententia est, provisionem in Consistorio factam, habere vim electionis insimul et confirmationis. Ita post Glossam in cap. 1. verb.: Provisionem, de elect. in 6. docent *Ripa* in cap.: *Eam te*, n. 11. de Rescript.; *Fagnan.* in cap.: *Nullus* n. 9. et in cap.: *Nihil*, n. 29. de elect. *Barbosa* Jur. Eccles. Unio. lib. 1. c. g. n. 14. et a Nobis quoque advertitur in Nostro Tractatu de Synodo dioecesana novissimae editionis lib. 2. cap. 5. n. 3.

§. 2. Quod itaque tibi adhuc reliquum, ipsa Consecratio est, quae juxta regulas a S. Trid. Conc. praescriptas sess. 23. cap. 2. de Ref. *intra trimestre, a die confirmationis tuae supputandum, est a te suscipienda,* cumque in collatis nobiscum sermonibus asserueris ostenderisque sacros diaconatus et presbyteratus Ordines fuisse tibi a Praedecessore Nostro munifico Benedicto XIII. collatos, quidem die 30. Septbr. 1728 in sacello s. Pii in palatio apostolico Vaticano, Presbyteratum autem 11. Junii 1729 intra Vaticanam Basilicam, effecit id, ut in examen disputationemque veniret, num successiva in Episcopum Consecratio a Nobis, praeterea nemine vel certe quidem ab alio ex Nostra ad id sibi delegata auctoritate confici debeat.

§. 3. Celebris est textus Innoc. III. Pontificis in cap.: *Cum in distribuendis, de temporibus Ordinationum,* quo Mutinensi Episcopo rescribit, quandoquidem commendatus ab ipso Clericus Romae Subdiaconatum susceperat, indulgere se Bononiensi Episcopo (tunc temporis Gerardo Ariosti, uti videre est apud Sigonium lib. 2. de Episcopis Bononiensibus, in vita ejusdem) facultatem ipsum promovendi ad Ordinem diaconatus: estque hic praecipuus textus, cui universa Canonistarum schola innixa docet, ordinatum a Papa non posse ad superiores Ordines promoveri praeterquam a Papa vel ab alio, cui id muneris ipse delegarit. *Ordinatus a Papa sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur*, sunt haec concepta verba epitomes textus. A colligendis hic veterum Canonistarum dictis in praecitatam Decretalem temperabimus, cum unicuique in eorum operibus evolvendis parumper versato perspectum sit, plerumque alterius dicta ab altero transscribi. Unius tantummodo alteriusque ex recentioribus verba afferamus. Altaserra est alter, in Commentariis ad citatum cap. *Cum in distribuendo,* ubi haec adnotat: *Semel ordinatus a Summo Pontifice non potest recipere superiores Ordines ab alio Antistite sine mandato ipsius Pontificis.* Alter est *Layman* in eumdem textum, ubi ita scribit: *Est autem hoc speciale in Pontifice, et videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima tonsura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Episcopo sine licentia papali ordinari non possit.*

§. 4. Pater Christian. Lupus part. 4. in Canones Synodorum Generalium et Provincialium editionis Bruxelensis pag. 488., accuratius, de more, animadvertit, textum in cap.: *Cum in distribuendis de temporibus Ordinationis,* quum scriptus appareat de Clerico rom. Ecclesiae obsequiis addicto, uti ex his verbis colligitur: Ecclesiae romanae Subdiaconus erat"; sibi quidem vindicare posse locum quoad eos, qui in eorum Ordinatione fuerant alicui urbis Ecclesiae adscripti; propterea quod prohiberentur ii, deserto illius servitio, ad aliam transire Ecclesiam accepturi ab ejusdem Episcopo superiores Ordines, quibus a romano Pontifice non fuerant in Urbe initiati. *Quisquis semel in hac Ecclesia* (de romana Ecclesia loquitur s. Gregorius) *Ordinem sacrum acceperit, de ea licentiam ulterius non habet,* ita plane in ep. 38. cap. 5. indict. 13. pag. 673.

tom. 2. Maurinae editionis. Verum eumdem ait neque posse protendi neque debere ad alios, qui Romam adventantes pio quodam studio Subdiaconatum sibi conferri obtinebant a Pontifice, nec tamen a Pontifice servitio alicujus Ecclesiae Urbis adscribebantur, sed postquam fuerant sacro Ordine insigniti ad proprias abscedebant dioeceses, servitio alicujus Ecclesiae per suos Episcopos addicti, permodeste innuens idem Pater Lupus, quam necesse sit, aliis collectis monumentis demonstrare, initiatos *honoris causa* in Urbe per Pontificem aliquo sacro Ordine subindeque ad proprias regiones reversos, nequivisse ad superiores Ordines, praeter quam a rom. Pontifice vel ab alio ad id per ipsum delegato promoveri. *Voces* (inquit Pater Christianus Lupus) *erat romanae Ecclesiae Subdiaconus*, evincunt, *illum fuisse romano cardini adscriptum*, etsi textus epigraphe latiorem ipsis sensum attribuat. „Verum Capituli epigraphe facit sensum ampliorem: Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur“, pergit idem Lupus.

§. 5. Non innuit Lupus monumenta, quibus evincitur, ipsos quoque ordinatos a Papa *honoris causa*, nulliusque Ecclesiae servitio in Urbe addictos, nequivisse superiores Ordines, nisi ab uno Papa suscipere vel ab alio Episcopo pontificia ad id delegatione instructo; etsi profiteatur se sequi opinionem asserentem, Ordinatum a Pontifice honoris causa, ab eodem tantummodo vel ab alio ex praeobtenta Pontificis facultate posse ad reliquos Ordines promoveri. Verum curabimus ipsi opportuna quaeque ad rem hanc investigare traditasque ab aliis rationes ad eam firmandam colligere.

§. 6. In dictato s. Gregorii VII. duo extant Canones, quorum alter est decimus quartus hisce verbis constans: „Quod Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare“; decimus quintus est alter, qui haec habet: „Quod a Papa ordinatus, alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.“ Horum textuum primus generalis est afficitque non minus Ordinationes Clericorum ex alienis dioecesibus fieri solitas per Pontifices, ut illorum ministerio in Urbe uterentur, quam caeterorum etiam inaugurationes, qui *honoris causa* ordinati, subinde in proprias regiones discedebant. Alter vero de iis tantum loquitur, qui in Urbe ordinati per Pontificem Romanae Ecclesiae adscribebantur: et quamvis propositum ibi interdictum recipiendi superiores Ordines ab alio Episcopo videatur ad eos cohibitum, de quibus est sermo in Canone, ipsi tamen addemus, Nos primum allatorum Canonum protulisse ad innuendam tantummodo auctoritatem Romani Pontificis initiandi Ordinibus caeterorum Episcoporum subditos, non solum ut eorum ministerio et opera in Urbe utatur, sed etiam ad id solum, ut eos hujusmodi decoret honore, integra ipsis praeservata libertate ad suas redeundi dioeceses, haud tamen seposito consilio derivandi subinde ex aliis fontibus jus pontificium, ne, qui ab ipso Pontifice etiam honoris causa ordinatus fuerit, valeat a quocumque, praeter quam ab eo vel ab alio ex ejusdem delegatione, superioribus Ordinibus inaugurari.

§. 7. Duodecimo vertente saeculo, Mediolanensi praeerat Ecclesiae Archiepiscopus Philippus Lampugnanus; cumque Mediolani plures existerent Clerici per Pontificem in Urbe ordinati, quos propterea nequibat ipse, non praeobtenta a Pontifice facultate,

ad superiores Ordines promovere, licet eorum opera indigeret Ecclesia, Innocentium III. Pontificem consuluit, quomodo se gerere ea in re deberet. Epistolae summa in Pontificio responso affertur: „Sicuti ex tenore tuarum literarum accepimus Mediolanensis Ecclesia tam in capite quam in membris, occasione Clericorum illorum, qui ab ipso Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeo est ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad Diaconatus et Presbyteratus possis officium promovere", pergit Pontifex referens, petiisse Episcopum facultatem ordinandi praefatos concluditque, se eandem ipsi indulgere, modo ii, quos promovere constituit, idonei sint seque promoveri consentiant: „Verum quia fraternitas tua suppliciter a Nobis expetiit, ut ipsius Ecclesiae necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere, manus posse illis Ordinationis imponere, super hoc tuae fraternitati taliter duximus respondendum, quod ipsius Ecclesiae necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad Sacros Ordines promoveri, eos auctoritate Nostra tibi liceat ordinare." Innuens Innocentius, illis verbis: *spontanea voluntate,* privilegium, quo fruuntur Ordinati a Pontifice, ne inviti superiores Ordines suscipere adigantur; quo de privilegio late disserit Hallier de Sacris Ordinationibus part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1. in fine, meminitque etiam Glossa in cap.: *Cum in distribuendis,* in verb.: indultum, de temporibus Ordinat. ubi loquens de privilegiis competentibus Ordinato per Pontificem, inter caetera hoc quoque recenset: *non potest cogi ab Episcopo recipere Ordines:* superiores nimirum, qui sibi non fuerant a Pontifice collati.

§. 8. Clerici, quos commemorat epistola, Mediolani degebant fuerantque Romae a Pontifice ordinati; fuerant ergo ordinati *honoris causa* nullique Urbis Ecclesiae addicti. Et si hi nec ad superiores Ordines conscendere, nec eosdem poterant suscipere a Mediolanensi Archiepiscopo sine licentia Pontificis, a quo fuerant minoribus Ordinibus initiati; en Nobis plane casum Ordinatorum *honoris causa* a Summo Pontifice, qui ab uno Summo Pontifice vel alio ex pontificia facultate, poterant superiores Ordines rerecipere. Innocentii epistola est n. 22. lib. 1. tom. 1. Balutianae editionis estque etiam impressa in praeclaro opere posthumo de Archiepiscopis Mediolanensibus Sassi tom. 2. p. 264 et licet in Collectionem Decretalium Gregorii IX., qua utimur in scholis et foro, non sit relata, haud tamen propterea vim auctoritatemque amittit canonicae legis, uti colligitur ex Can. Romanorum id dist. 19. latiusque prosequuntur Cardinalis Turrecremata in Summa, de Ecclesia lib. 2. cap. 108, Fagnanus in cap.: *Statuimus* n. 42. de supplenda negligentia Praelatorum, Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedrae s. Petri tract. 2. disput. 30. sect. 3. Neque enim Jurisprudentia canonica circumscribitur praefata decretalium compilatione, sed complectitur quoque epistolas Summorum Pontificum in ea non comprehensas aliasque plures Constitutiones Pontificas in eamdem non relatas, totque praeterea fontes apprime perspectos omnibus, qui canonicam facultatem, qua decet diligentia, pertractant.

§. 9. Praeter Patrem Lupum iterato superius memoratum, in eam sententiam, quod ordinatus a Papa *honoris causa* non possit superiores Ordines suscipere praeter quam a Papa vel

ab alio Ep. de ejusdem licentia, consentiunt Hallier praecit. loco et Gonzalez in cap.: *Cum in distribuendis* n. 2. temp. Ordinat., et reliqui passim. Et quamvis se referant tantummodo ad praecit. textum: *Cum in distribuendis*, nihilque meminerint de epist. 22. Pontificis Innocentii III., non tamen omittunt aliquid afferre, quod propositam sententiam firmare valeat; nimirum, juxta generalia praecepta non licere inferiori manus apponere iis, quae fuere Superioris manibus subjectae. Addunt praeterea, *si quo die Episcopus Sacrificium obtulit ad certum altare, non permittitur simplex Sacerdos ad illud, eodem die, sine ipsius Episcopi licentia celebrare,* uti noscitur ex Can. ult. de Consecrat. dist. 2., multo potiori jure abjudicandam Episcopo facultatem, sacram peragendi Ordinationem supra altare vivum, in quo Romanus Pontifex Ordinis Sacramentum contulit, expressa ab eo non praeobtenta licentia. Scimus inter auctores reperiri nonneminem, qui praefatum episcopale privilegium non agnoscit, asserens vel illud nunquam obtinuisse vel contraria consuetudine fuisse sublatum, uti videre est apud *Pasqualigum* de Sacrificio novae legis t. 2. quaest. 1236. Verum seposito, quod hi communi adversantur sententiae et in bene constitutis dioecesibus episcopale privilegium religiose custoditur, ut omni Nos impedimento explicemus, *ne latum quidem unguem a proposita comparatione recedentes, dicimus super pontificia altaria intra patriarchales Urbis Basilicas existentia non posse quemquam celebrare Missam, nisi id ipsi fuerit a romano Pontifice per apostolicum Breve indultum,* uti noscitur ex libro sacrarum Caeremoniarum attributo Christophoro Marcello lib. 3. sect. 1. cap. 11. et uti etiam accurate animadvertitur a praedefuncto Sacellano Nostro Domino Gregorio in sua Liturgia rom. Pontificis tom. 2. dissert. 1. cap. 1. n. 4., et per Nos quoque in ea, quam habuimus, allocutione, cum Ara major Liberianae Basilicae fuit consecrata, quae allocutio impressa legitur in appendice ad tom. 3. §. 3. Neque id tantum obtinet quoad altaria patriarchalium Urbis Basilicarum. Quapropter Nos prae oculis habentes id, quod gessit Sixtus V. Pontifex, cum ad Philippum II. Hispaniarum regem dono mittens altaris mensam a se consecratam, super quam, in Sanctorum Album referens s. Didacum, Missae Sacrificium obtulerat, personas simul designavit, quibus indulgebat, ut ad idem altare Missam celebrarent; idem plane praestandum duximus tunc quum ad cl. mem. Joannem V. defunctum Lusitaniae regem misimus altare a Nobis consecratum in Ecclesia s. Antonii Lusitaniae Nationis in Urbe, ut videre est ex Nostris literis ad praefatum regem datis die 15. Januarii 1745 jam typis evulgatis*). Quod ipsum denique iterato praestitimus quoad altare Assisiensis Basilicae, papale et ipsum declaratum, sancivimus namque in Nostra Constitutione incipiente: *Fidelis Dominus,* data sub ann. 1754, inserenda tom. 4. Bullarii Nostri, qui nunc colligitur et imprimitur, ne cui liceat in ipso sacra peragere mysteria sine expressso indulto apostolico, subindeque eadem in Constitutione personas designavimus, quibus offerendi ad praefatum altare Sacrificii facultatem indulgebamus. Animadversum namque fuit, pro ea, quae est inter Assisium et Urbem distantia, fieri nullo modo posse, ut qui dignus haberi poterat celebrandi ex religioso quodam affectu ad praedictum altare, peculiare indultum obtineret.

---

*) Vd. t. I. p. 667.

§. 10. Constituto autem datoque, ut qui etiam *honoris causa* a romano Pontifice recepit inferiorem Ordinem, puta, diaconatum, non possit ab inferiore ad presbyteratus Ordinem promoveri, sed a rom. Pontifice vel alio, de illius tamen licentia, sit promovendus, investigandum expendendumque superest, num idem affirmari debeat de eo, qui ornatus Presbyter a Pontifice consecrandus est in Episcopum, nimirum, an consecratio in Episcopum sit a Pontifice vel alio per ipsum delegato peragenda, quod Inferiori id agere non liceat. Hic autem Nobis videris vehementer causa nostra commoveri, quasi ingressi simus immensum pelagus scholasticarum quaestionum: *an scilicet episcopatus sit Ordo a presbyteratu distinctus, num adaequate vel potius inadaequate distinctus, num character in episcopali consecratione impressus alius sit a charactere impresso in susceptione presbyteratus, vel potius sit ejusdem extensionis?* Eoque vehementius causa Nostra commoveri videris, perpendens animo, investigandum Nobis fore historicum factum, quod conferre plurimum poterit ad praefatas involutas quaestiones scholasticas elucidandas; estque illud: an fuerit unquam ad Summum Pontificatum vel ad Episcopatum canonice promotus, qui Presbyter non esset, sed simplex Diaconus, antea ipsi non collato presbyteratu, sed tantummodo eidem ministrata episcopali consecratione, ex ea persuasione, quod insit videlicet episcopali consecrationi eminenter, ut ajunt, collationem Ordinis presbyteralis, de qua quidem celebri controversia, Aeneas Parisiensis Episcopus in suo libro adversus objectiones Graecorum pag. 210. apud *Lucam de Acheri* tom. 7. Spicilegii p. 148. primus ad refellendam Graecorum objectionem, de qua inferius redibit sermo, in partem affirmantem concessit, cui quoque adhaesere Pater *Mabill.* in suis commentariis ad Ordinem Roman. tom. 2. Musei Italici pag. 119., *Martene* de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 8. art. 3. num. 10., Pagi Breviario Romanorum Pontificum, in vitam s. Sabiniani Pontificis, *Sandini* in notis ad vitam s. Leonis Magni; negantem vero viriliter tuentur *Morinus* de sacris Ordinationibus part. 3. exerc. 11. cap. 2., ubi haec scribit: *Nullum extat exemplum episcopatus non Presbytero collati.* Id ipsum asseritur a *Juenin* de Sacramentis dissert. 8. de Sacramento Ordinis in communi, quaest. 8. cap. 4., cujus haec sunt verba: *Nulli unquam collatus fuit episcopatus Ordo, nisi qui presbyterali jam insignitus esset.* Haecquae ipsa sententia solide confirmatur ab erudito Sacerdote *Catalano*, vel nunc in humanis agente, in suis elegantibus commentariis ad Pontificale romanum tit. 13. de Consecratione Electi in Episcopum §. 7. n. 13. At Nos ea persuasione ducimur, posse quaestionem enodare atque dirimere, intactis omnino relictis scholasticis controversiis, ipsa etiam declinata provincia inquirendi in factum historicum, de quo, siquid deberemus, attingere assereremus, haud ita certum esse, quemadmodum non nemo sibi blanditur, Diaconos electos in Pontifices vel Episcopos non recepisse presbyteralem ordinem, antequam consecrarentur Episcopi, sed a Diaconatu ad Pontificatum vel Episcopatum, per solam episcop. consecrationem conscendisse.

§. 11. *Etenim* (liceat hic leviter attingere, nec plane in opportuna digressione nonnihil immorari) *etsi commemorentur plures, qui simplices Diaconi, primis octo Ecclesiae saeculis, fuerunt in Summos Pontifices electi,* atque iisdem saeculis multos etiam adinvenire sit Diaconos, qui Episcopi

evasere, uti noscitur ex Diurno romanor. Pontificum edito ab *Holstenio*, quod opus censetur saeculi septimi, quod factum est ob gerendorum negotiorum participationem, quam sibi Diaconi ac praesertim Archidiaconi in Pontificatus vel Episcopatus administratione sumebant, quemadmodum perbelle advertit *Papebrochius* in Conatu in vitam s. Leonis, peragitque *Garnerius* in suis notis ad citatum Diurnum rom. Pontificum cap. 3. tit. 3. neque in vitis Diaconorum, qui Pontifices facti sunt, mentio occurrat de collato ipsis presbyterali Ordine ante consecrationem Episcoporum, ex hoc tamen antecedenti nunquam inferri tuto poterit, non fuisse iisdem ante consecrationem episcopalem collatum Ordinem presbyteratus, imo vero locum habet praesumptio, commemoratis, priori veluti extremo, Diaconatu nimirum, necnon posteriori, scilicet Episcopatu, non fuisse neglecta intermedia ac proinde ipsam Presbyteratus collationem.

§. 12. *Advertunt quidem accurati eruditique oppositae sententiae propugnatores*, cum Photius caetera inter objecta in Ecclesiam latinam proposita, hoc quoque inseruisset, Episcopos assumi ex Diaconis, non collato ipsis antea Presbyteratu; post Photii objectionem, in electionibus Diaconorum in Pontifices, conspici perspicue expresseque adnotatum, fuisse ipsis, ante papalem consecrationem, collatum Ordinem presbyteratus. At ne id quidem satis, ut tuta fiat assumptio, reponi namque verosimilius potest. Photium tot inter falsas criminationes adversus latinam Ecclesiam excogitatas, eam quoque proposuisse, Diaconos nimirum inungi Episcopos, non collato ipsis antea presbyterali Ordine; criminationis causa nimirum exinde per ipsum derivata, quod videret, in actis electionis Diaconorum ad Sum. Pontificatum vel ad Episcopatum, nullam fieri mentionem de collato Presbyteratu; ideoque ad ipsam quoque incursationis speciem removendam, existimatum fuisse peropportunum in historica narratione electionis Pontificum et Episcoporum, qui antea Diaconi erant, meminisse sacerdotalis Ordinis iisdem collati, quae quidem animadversiones ut minimum probabiles multum detrahunt jactatae certitudini, Diaconos quondam consuevisse in Pontifices Episcoposve, Ordine presbyterali non suscepto, consecrari.

§. 13. Sacro Tridentino Concilio sess. 22. cap. 2. de Reform. cavetur, ne eligi quisquam possit Episcopus, qui sex antea mensibus non fuerit sacro Ordine initiatus: „Quicunque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, iis non solum natalibus, aetate, moribus, vita ac aliis, quae a sacris Canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus.“ Cumque ulterius non progrediatur Concilium, nec edicat, electum hujusmodi, antequam consecrationem recipiat episcopalem, ordinandum Diaconum et Presbyterum, quis unquam auserit asserere, ex Tridentini sanctione, Subdiaconum fieri posse Episcopum aut unquam Subdiaconos consecratos fuisse Episcopos, Diaconatu ac Ordine presbyterali non suscepto? Imo vero quisque consentiet, satis fuisse Concilio innuere, quo gradu esse deberet assumendus in Episcopum, nec censuisse, exprimendos tunc caeteros sacros Ordines, quibus erat ante episcopalem consecrationem initiandus.

§. 14. Ad haec, cum post plures annos a Tridentino Concilio obtinuerit stylus inserendi in Bulla data ad Subdiaconum electum in Episcopum, sequentia verba, antea praetermissa: „Tecum, ut Ecclesia N. praefici, illique praeesse ipsamque in spirituali-

bus et temporalibus regere et gubernare ac munus praedictum, postquam tamen ad sacros diaconatus et presbyteratus Ordines te promoveri feceris etc.", uti videre est apud *Rigantium* ad regul. 24. Cancellariae t. 2. §. 1. n. 17. Quis unquam in Bulla perlegens praedicta verba antea non adhibita tam fidenti animo erit, ut asserat, intermedio tempore, inter Concilium Tridentin. invectamque praxim inserendi in Bulla praememoratam formulam, Subdiaconos consecrari consuevisse Episcopos, non praesuscepto Diaconatu et Presbyteratu? Fatebitur quisque, placuisse ex accuratiori quodam studio id in Bulla exprimere, quod antea non exprimebatur quidem sed pro indubio certoque habebatur.

§. 15. Verum, rem Nostram repetentes retinentesque, quod mox supra sumus polliciti, velle Nos propositum quaesitum dirimere, intactis penitus relictis quaestionibus scholasticis satis involutis praetermissoque accurato examine praefati historici facti, dicemus, sublatis electionibus olim celebrari solitis a Canonicis vacantis Ecclesiae, ob gravia inde profluentia incommoda restitutaque veteri disciplina, providendi Episcopatibus per apost. Sedem, salvis tamen Concordatis initis cum aliquibus nationibus, retentis electionibus, earum confirmatio reservatur rom. Pontifici, in eumdem quoque recidit jus consecrandi Episcopos vel constituendi delegatos ad consecrationem peragendam, etsi superioribus saeculis Suffraganeorum consecratio esset Metropolitae reservata, nec manus in ea apponeret Summus Pontifex, praeterquam si quandoque Metropolita injuste Suffraganeum consecrare abnueret, veluti noscitur ex Rhemensi historia Frodoardi atque etiam ex Annalibus Cardinalis Baronii ad annum Christi 885, ubi cum Pontificem Stephan. VI. appellasset electus ad Episcopatum Lingonensem retulissetque Lugdunensem Archiepiscopum Metropolitam suum detrectare, ipsi consecrationis munus impertiri, praemissis iteratis monitionibus, ut imploratam consecrationem perageret ipsoque Archiepiepiscopo in sua contumacia obfirmato, Pontifex, usus competenti sibi in universam Ecclesiam auctoritate, in Episcopum eumdem consecravit. Vigens nunc temporis disciplina describitur a *Gonzalez* in cap.: *Nec Episcopus*, n. 6. de temp. Ordinat. per haec verba: „Hodie consecratio Episcoporum non ex Metropolitani jussu sed Pontificis mandato sit; cum enim rom. Pontifex sibi reservaverit Cathedralium Ecclesiarum collationem, similiter ab ejus libito pendere voluit Episcoporum consecrationem", quod ipsum in Pontificali rom. quoque accurate describitur tit.: de consecrat. electi in Episcopum; haecque sunt verba: „Nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi sive per literas ap., si sit extra curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis", pergitque *Schmier* tom. 1. Jur. lib. 1. tract. 3. cap. 1. n. 569.: „Moderno jure consecratio Episcoporum et Archiepiscoporum Summo Pontifici reservata est et ab eo specialiter delegandam esse communiter dicitur."

§. 16. Munificus Nobis Pontifex Benedictus XIII. curavit pro viribus intactum servare jus pontificium, salvo vel certe quominus fieri potuit imminuto veteri jure Metropolitico expresso in cap.: *Si Archiepiscopus*, et in cap.: *Nec Episcopus*, de temporibus Ordinationum, quoad consecrationem Suffraganeorum. Itaque cum animadvertisset, consuetam Bullam, qua absentibus Episcopis sit facultas suscipiendi consecrationem, conceptis hisce verbis expressam esse: „Cuicumque, quem

maluissent, catholico Antistiti, gratiam et communionem Sedis apost. habenti", jussit Mandatum *de consecrando,* quod Suffraganeo Episcopo concederetur, imposterum dirigi ad ejus Metropolitanum, tributa simul ipsi facultate, si aliquo detineretur impedimento, subdelegandi alium sibi benevisum Episcopum; casu autem sese offerente consecrandi Metropolitam constituit, ut Mandatum de consecrando antiquiori Episcopo Suffraganeo inscriberetur, superaddita facultate, aliquo superaccedente impedimento, eum, quem maluisset, Episcopum substituendi. Verum tot tantaequae excitatae expostulationes et quaerelae, non solum propter incommoda, sed et ob sumptus necessario subeundos, si Suffraganeo adeundus fuisset suus Metropolita, ut consecraretur, vel Metropolitae Suffraganeus per ipsum consecrandus, ut, quum Nos nullis licet Nostris suffragantibus meritis ad Summum Pontificatum fuimus evecti, restitutam invenerimus veterem formulam, juxta quam, uti praedictum est, Mandatum de consecrando ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandus elegit. *Nec Nobis aliud quidquam datum, quam aliquid praescribere circa Episcoporum consecrationes, quae in Urbe peraguntur;* statuimus namque: „Consecrandum, cui facultas sit eligendi Consecratoris, seligere debere aut unum ex Cardinalibus episcopali charactere insignitum aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum vel Alexandrinum vel Antiochenum aut Hierosolymitanum, eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendae munus acceptum haberet; in hac quippe casus hypothesi, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet." Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitarum memoria, cum constituerimus, ne, si in Urbe praesentes sint Metropolita ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, praeterquam suo Metropolitae, delegetur.

§. 17. Evincit historica haec narratio, quandoquidem Episcopi, sive a Summo Pontifice sive a proprio Episcopo in Presbyterum ordinati, consecratio est Summo Pontifici reservata, *nunc temporis jus esse Pontificibus praecipuum, consecrationem episcopalem peragere vel aliis eam peragendam delegare;* ideoque omnino extraneam fieri quaestionem: num, sicuti ordinatus Diaconus a Pontifice, ab uno tantummodo Pontifice vel ab alio ex ejusdem Mandato potest ad Presbyteratum promoveri, idem pronunciandum sit de Sacerdote per Pontificem ordinato, qui inaugurandus est Episcopus, nimirum: **hujus quoque consecrationem a Papa tantummodo sive ab alio per ipsum delegato esse perficiendam.** Extremae itidem fiunt quaestiones scholasticae de Episcopo, sitne ille Ordo distinctus a Presbyteratu an impressus per ipsum character alius sit a charactere impresso in susceptione Presbyteratus, vel sit ejusdem ampliatio extensioque, eodemque loco habenda est quaestio historica: num Diaconi fuerint unquam ad Summ. Pontificatum vel Episcopatum assumpti, non praesuscepto presbyterali Ordine, positiva quippe lex viget, reservans Pontifici Maximo Episcoporum consecrationes, sive Episcopatus Ordo distinctus sit a Presbyteratu sive non, et impressus in eo suscipiendo character alius sit, vel potius ampliatiio characteris per Presbyteratum impressi, fuerintve alias vel non fuerint inaugurati Pontifices seu Episcopi, Diaconi non antea Sacerdotes ordinati, ob eam

rationem, quod in Episcopatu *eminenter* contineatur Presbyteratus. Hujusmodi enim quaestiones nullum praestare possunt impedimentum juri consecrandi Episcopos ad Pontificem, uti praedictum est, devoluto, iisdemque locus tantummodo erit quoad peractas consecrationes, quum nemo prohibeat disceptare, num Episcopatus sit Ordo a Presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione presbyteralis Ordinis impressi, itidemque an vetustioribus temporibus a Diaconatu factus sit transitus ad Episcopatum Ordine presbyterali non antea suscepto.

§. 18. Res Nobis videtur satis perspicua, at quoties ad eandem vel magis illustrandam exemplo aliquo opus esset, illud minime desideraretur. Fuit alias instituta quaestio, an qui a Pontifice Ordinem suscepisset, exemptus propterea maneret a jurisdictione proprii Episcopi, et Pontifex Innocentius III. in sua Decretali: „*Per tuas, de majoritate et obedientia,* negativum edidit responsum: „Ad quod breviter respondemus, quod etsi decens sit, ut illis, quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas apostolica collatione ipsius Ordinis honoravit, per eam tamen ab obedientia, quam alias tibi debent, minime absolvuntur.“ Hac sublata quaestione alia in medium prolata est, nimirum, an praeservata ab Innocentio III. obedientia eousque pertingeret, ut si Ordinatus a Pontifice esset a collato sibi Ordine suspendendus vel deponendus, praestari id posset ab Episcopo vel potius esset Pontifici reservatum? Glossa, Innocentius aliique apud Joannem Andream in suis Commentariis in cap.: *per tuas n. 5. de majoritate et obedientia*, docent praestari id non posse ab Episcopo: Oppositae sententiae adhaerent *Abbas* n. 2., *Felinus* col. 1., *Layman* ad praecitatum capitulum. *Halier* autem part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1. n. 5. mediam quamdam sequitur viam, censet nimirum, debere Episcopum conficere processum et ad Pontificem transmittere, ut ipse in eum, quem ordinavit, sententiam proferat; id ita exposcente obsequio Summo Pontifici exhibendo. Hoc posito, si, ob praenotatam opinionum varietatem de Ordinato a Pontifice in Diaconum vel Presbyterum, quoties res est de eo suspendendo vel deponendo ab Ordine suscepto, exposceret quisquam, quomodo transigendum sit negotium, quoties consecratus a Pontifice Episcopus suspendi deponive promereretur, nulla interposita mora quisque responderet, unius Pontificis esse suspensionis vel depositionis poenam irrogare, cum sacris Canonibus sacroque Concilio Tridentino cautum sit cap. 8. sess. 13. de Reform., ut Episcoporum causae, in quibus pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur et terminentur, sive fuerint Episcopi ab ipso consecrati sive ab alio quocunque per ipsum ad id delegato. Idipsum igitur et in hac facti specie statuendum est, jus esse praecipuum rom. Pontificis peragere per se vel aliis peragendam delegare consecrationem Episcopi, sive a Pontifice sive ab Ordinario suo in Presbyterum ordinati, urgente quoad utramque facti speciem eadem ratione, intermediae legis peculiaris, perspicuis verbis conceptae omnemque submoventis controversiam.

§. 19. *Cum itaque*, uti praedictum est, *reservata sit Pontifici consecratio ab ipsomet vel ab alio ex ejusdem mandato, peragenda,* videris ipse ex Nobis modeste sciscitari, de tua consecratione quid Nobis sit in animo.

Cui quidem interrogationi respondemus, propositum Nobis esse, eamdem per Nos ipsos peragere, sequendo exemplum factae tibi collationis Diaconatus et Presbyteratus a munifico Nobis Pontifice Benedicto XIII., necnon in publicum testimonium amoris, quo te virtutemque tuam complectimur gratamque memoriam ejus, qua Nos prosequebatur praedefunctus Patruus tuus Urbevetanus Episcopus, benevolentiae. Verum quia, qua saepe laboramus, podagra efficere Nos potest minus idoneos satis prolixae functioni per Nos obeundae, si id unquam (quod Deus avertat), contingeret, praesentes saltem adesse volumus functioni per alium ex speciali delegatione Nostra absolvendae.

§. 20. Peragendae functionis *dies* erit 28. mensis labentis, dicata celebritati ss. Simonis et Judae, ita etiam statuente Pontificali romano: „Statuta die consecrationis, quae debet esse dominica vel natalitium Apostolorum vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit.“ *Locus atque hora* indicabuntur tibi a Praesule Reali primo Nobis caeremoniarum magistro. Peracta autem consecratione, si quae se obtulerit occasio alias ad te conscribendi literas, te non titulo *Dilecte Fili*, veluti nunc, sed *Venerabilis Frater*, compellabimus, qui quidem titulus adeo inhaerens est characteri in consecratione impresso, ut ne eo quidem careant Episcopi, qui episcopalem characterem illicite, malo eorum fato, dummodo valide receperint. Hac de re actum fuisse comperimus in particulari Congregatione de Propaganda Fide, habita 8. Novbr. 1631, in qua quaesitum fuit, quo honoris titulo Pontifex appellare posset Patriarchas, Archiepiscopos Episcoposque schismaticos, cumque celebris Pater Vaddingus adeo Bullarum Breviumque peritus, asseruisset, dummodo valida fuisset eorum Ordinatio, Pontifices rationem habentes impressi per eam characteris iisdem semper tribuisse titulum *Venerabilis Fratris*, hoc ita servandum esse, statutum fuit. Ipsique vidimus, in nonnullis Brevibus datis a Summo Pontifice Innocentio XI. ad Joannem Patriarcham Alexandrinum schismaticum, quibus illum ad sanctam Unionem invitabat, ac in aliis datis ab Innocentio XII. Pontifice ad Archiepiscopum Aethiopiae, quibus ipsum hortabatur, ut audiret Patrem de Salem ejusque Socios Minores Observantes Reformatos, de unione ipsius universaeque Nationis suae cum rom. Ecclesia secum acturos, ob praeadductam rationem, titulum *Venerabilis Fratris* iisdem attribui, praeter complura alia exempla videnda in collatione Brevium Pontificis Clementis XI., et nominatim tom. 1. pag. 575. et tom. 2. pag. 135. Atque hic Epistola finem imponimus apostolicam tibi Benedictionem impertientes.

Datum Romae apud s. Mariam Maj. die 20. Octobr. 1756.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 298.)

25) Paralyticus.

Vd.: *Sacerdos inhabilis.*

(Non debet celebr. SS. Sacrificium.)

Civitatis Castellanae.

(Conc. Tr. cap. 3. sess. 14. De Ref.)

Jacobus Paradisi Sacerdos et Canonicus Cathedralis Ecclesiae civitatis Castellanae fuit a suo Ordinario suspensus a celebratione Missae propter morbum paralyticum, quo laborat, eodemque supplicante pro facultate celebrandi Missam cum assistentia Sacerdotis fuerunt juxta morem preces remissae ad eundem Ordinarium pro informatione et voto, et ipse retulit,

sibi ex testimonio plurium Sacerdotum et Clericorum fide dignorum constare quod post absolutam a Jacobo paralytico Missam fuerunt adinventae in Corporali particulae Hostiae consecratae et quod aliquae ex Calice Sanguinis guttae ceciderunt, dum Missa ab eodem celebratur, propter manuum tremorem, quo laborat. De hoc postremo facto Episcopus dicit, se esse informatum ex processu a se confecto neque se existimare, quod adjutorium alterius Sacerdotis operari valeat, ne in Missae celebratione a Canonico peragenda sequi possint ea, quae supra fuerunt enarrata.

De justitia suspensionis nulla videtur esse posse difficultas; Sacerdos etenim, qui tremulas habet manus, propter periculum subversionis Sanguinis suspenditur ab Ordinis sacerdotalis administratione, juxta doctrinam Specul. in cap.: si forte num. 5. de elect. in 6., itaut hic et nunc tantum quaerendum sit: *an Missae celebratio illi permitti valeat cum alterius Sacerdotis assistentia?*

Pro negativa opinione facit Gloss. in Can. *communiter* in verbo *de his distin. 33.*, quae alterius Sacerdotis assistentiam admittit in Sacerdote epileptico, qui raro tamen in terram labatur nonnisi quia, si accidat Paroxismus, Sacrificium, quod ab eo inceptum est, perfici valet ab Assistente, quae ratio non videtur applicabilis casui Sacerdotis paralytici.

Pro affirmativa vero opinione facit Textus Concilii Toletani relatus in Can. *illud*. 7. quaest. 1., qui assistentiam Sacerdotis generaliter admittit, quando agitur de infirmo Sacerdote celebrante, non attentis postremis verbis, in quibus dicitur, non admitti Sacerdotem adjutorem, quando frequens et continuus est morbus celebrantis; haec etenim postrema verba non sunt verba Concilii sed Gratiani, quaeque consequenter vim Textus habere non possunt, juxta communem sensum Eruditorum etiam in Tribunalibus admissum, uti videri potest in decis. 377. Peniae n. 32. et seq. Vendae impressionis.

Additur, quod adhibito calice majoris ponderis et firmato Celebrantis brachio per brachium Assistentis, non videtur amplius adesse posse periculum effusionis. Simileque est illud, quod habetur in concessione facta Celebrationis Missae anno 1706 in navibus Hispanorum et in Triremibus classis pontificiae pro anno 1716 per Literas Apostolicas in forma Brevis; legitur enim in illis haec clausula: dummodo celebratio Missae eo dumtaxat tempore, quo mare tranquillum et coelum serenum reperiatur, et cum assistentia alterius Sacerdotis seu Diaconi fiat, itaut periculum effusionis in dicta celebratione minime adsit*).

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

An Oratoris precibus sit annuendum in Casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 21. Maii 1718.

26) Sacerdos debet esse, qui in Episcopum consecrandus sit.

Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse Sacerdos, adeo ut, si Sacerdotium non praecesserit, invalida sit Ordinis episcopalis collatio arg. cap.: *Ex litteris* X. de excessibus Praelator. ibi: Cum igitur pontificale officium sine Altaris ministerio non valeat adimpleri; cap. Osius X. dist. 61. ibi: sed non eligitur aliquis (scilicet Episcopus) nisi in Sacris Or-

*) *Missa* (in navi).

dinibus constitutus, et tenet Glossa fin. in cap. unico de Clerico per saltum promoto, *s. Thomas* in 4. sentent. dist. 24. quaest. 1. art. 2., *Hugo et Archid.* in cap. *Solicitudo* 1. dist. 52., *Raymund.* in cap.: *Gratia* 2. quaest. 1., ubi dicit hujus opinionis esse fere omnes Doctores, ut refert Turrecremata eamdem opinionem sequutus in dict. cap. *Solicitudo* num. 4., *Sylvester* verb.: Ordo 2. num. 1., *Borg* de irregular. part. 5. rub. de Clerico per saltum promoto num. 5., *Majol.* de irregular. lib. 4. cap. 12. num. 3., *Henriquez.* in summa lib. 10. cap. 7. §. 1., *Azor.* part. 2. lib' 3. cap. 30. quaest. 9. *Emanuel Sà* verb.: Ordo num. 57., *Suarez.* tom. 5. de Censuris disp. 50. num. 57., *Bonacin.* de Censur. extra Bullam disp. 3. quaest. 1. punct. 2. num. 7., *Aversa* quaest. 1. sect. 6., *La Croix* lib. 6. part. 2. nnm. 2210. *Fagnan.* lib. 1. Decretal. in cap. *Requisivit* 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit, num. 15 et 81. 82. Et ratio est, quia actus principalis Episcopi est ordinare Sacerdotes,; cap.: Cleros 1. dist. 21. cap.: Quamvis 4. dist. 68., potestatem autem exercendi hujusmodi actum non potest Episcopus in sua consecratione accipere nisi etiam sit Sacerdos, cum nequeat alteri conferre Ordinem sacerdotalem quem non habet secundum Innocent. in cap. *Quanto,* de consuetudine, *Sylvester* in verb.: Ordo 1. num. 1. vers.: sed si sit Sacerdos; *Fagnan.* C. c. num. 83. adeoque etc. *Multi tamen tenent, validam esse collationem Ordinis episcopalis, licet ordinatus non sit Sacerdos;* ita *Abbas* in cap.: unico de Clerico per saltum promoto num. 5. vers.: Quod secundum, *Glossa* in cap.: Solicitudo 1. dist. 52 ubi dicit, quod si Laicus ordinetur Episcopus bene reciperet characterem; *Joann. Andreas, Ancharan, Covarruvias* et alii, quos citat, et sequitur *Barbosa* de Offic. et potestat. Episcopor. par. 2. allegat. 1. num. 38.

Vd.: *Sacerd. ordin. a Pontifice* §. 10 etc.

27) Simulator.

Vd.: *Visitat. de missa celebr.*

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Officii nostri partes sedulo praestare tenemur ut dubia, quae variis doctorum opinionibus hinc inde diversa sententium agitantur et ad jurisdictionem sanctissimi Officii Inquisitionis haereticae pravitatis pertinent, nostrae declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit multos esse, qui publicent an contra eos, qui in sacro presbyteratus ordine non constituti, missas celebrare et confessiones ac absolutionem impartiri ausi fuerint, per Officium sanctissimae Inquisitionis haeraeticae pravitatis in Hispaniarum regnis institutum et per illius inquisitores procedendum vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per inquisitores praedictos puniri debeant. Nam, etsi multorum sententia affirmetur praedictum delictum ab inquisitoribus plectendum esse, hisce praesertim temporibus, quibus haeretici temere audent proferre vel saeculares eorum sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariae adhaerent opinioni, unde plerumque per eorumdem regnorum inquisitores diversa feruntur in hujusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, ut omnes difficultas dubitatioque tollatur, animadvertentes eos, qui presbyteratus ordine non sunt insigniti et se in admini-

strandis dictis sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quae solos presbyteros ministros eorumdem sacramentorum constituendo illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum, qui in presbyteratus ordine non constituti, missas celebrant ac confessiones, ut praefertur, audiunt, cognitionem et punitionem etiam ad Inquisitionis Officium et inquisitores antedictos pertinere, ita ut hujusmodi delicti ratione adversus eos inquirere, procedere, aoculpabiles repertos punire Officium et inquisitores praedicti valeant, apostolica auctoritate, praesentium tenore, perpetuo declaramus et definimus.

§. 3. Et ita ab omnibus et singulis ordinariis et delegatis judicibus, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; irrritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non juribus municipalibus, legibus regionum praedictorum pragmaticisque sanctionibus, ac statutis et consuetudinibus civitatum et locorum quorumcumque dictorum regnorum.

Datum Romae apud sanctum Marcum die 6. Aug. 1574, pontif. anno III.

(Bull. r. t. VIII. p. 86. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Clemens PP. VIII.

(Ex constitutione: *Etsi alias etc.*)

Nos animadvertentes, perditos et nefarios homines ad sacrum presbyteratus Ordinem non promotos Missarum çelebrationem usurpare praesumentes non solum actus idololatriae saltem intrinsece seu per extrema et visibilia religionis et pietatis signa exercere, sed etiam, quantum in ipsis est, efficere, ut Christifideles, qui credunt eos ordinatos esse et rite conficere Sacramentum Eucharistiae, idololatriae crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem et vinum, tamquam verum Christi Domini nostri corpus et sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solum Sacramenti Poenitentiae dignitatem contemnere, verum etiam Christifideles decipere, dum scilicet inique sibi assumunt gradum sacerdotalem et auctoritatem absolvendi a peccatis magno cum periculo et scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima scelera committentes posthac debito supplicio puniantur, Motu proprio et ex certa nostra scientia ac matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, s. Inquisitionis Judicum conscientiae consulere, et ne in futurum de poena hisce delinquentibus imponenda dubitare possit, providere volentes, supra dictorum Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, hac perpetuo valitura constitutione decernimus atque statuimus, ut quicunque non promotus ad sacrum presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse vel Sacramentalem Confessionem audivisse a Judicibus s. Inquisitionis vel locorum Ordinariis tamquam ecclessiae misericordia indignus a foro ecclesiastico abjiciatur et ab Ordinibus eccles., si quos habuerit, rite degradatus, statim Curiae saeculari tradatur, per judices saecul. debitis poenis plectendus.

Non obstantibus etc.

Die 1. Decbr. 1601.

(Bull. r. t. III. p. 143. Ed. Luxbg.)

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium, cui meritis licet imparibus, disponente Deo, praesidemus, a Nobis postulat, ut, quantum Nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus in iis praesertim, quorum eo sacrilega processit audicia, ut beneficio minoris aetatis, spretis apostolicis constitutionibus, confoveant in delictis, quorum statutis poenis se idcirco jactant minime subjacere.

§. 1. Alias siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII. Praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis; videlicet: Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. *Etsi alias felicis recordationis Paulus Papa IV. etc.*

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris aetatis nimis temere confisi et legum indulgentia freti poenas in d. Clementis praedecessoris constitutione in hujusmodi delinquentes statutas parvipendere praesumant,

§. 3. Nos detestantes et, quantum in Nobis est, cohibere volentes impiam et nefariam horum temeritatem, quae solos Presbyteros dictorum Sacramentorum Ministros esse docuit, facto impugnant, negotio hujusmodi in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, generalium Inquisitorum, coram Nobis habita, mature discusso inhaerentes constitutioni praedictae, aliisque decretis per fel. record. Paulum IV. et Sixtum V. Romanos Pontifices Praedecessores nostros contra similia perpetrantes editis eaque etiam ad effectum praedictum matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine ampliantes et extendentes, hac nostra perpetua valitura constitutione statuimus et decernimus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, qui imposterum ad sacrum presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare aut sacramentalem confessionem audire praesumpserit, aetate minoris annorum vigintiquinque non excusetur, quominus eidem Clementis constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suae aetatis annum compleverit.

§. 4. Ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione praefatae minoris aetatis, sive Laicus sive Clericus saecularis aut cujusvis Ordinis Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendae regularis aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti et privilegiati Nobisque et Apostolicae Sedi immediate subjecti, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiae saeculari poenis debitis plectendus.

Datum Romae ad s. Petrum die 23. Mart. 1628.

(Bull r. t. IV. p. 144. Ed. Luxbg.)

Bened. PP. XIV.

Sacerdos in aeternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, apostolis a se ipso delictis consecrandi corporis sui ejusdemque offerendi et ministrandi potestatem concessit, mox eisdem post resurrectionem suam insufflato spiritu s. amplissimam peccata remittendi ac retinendi contulit facultatem; hoc simul exemplo et praecepto suo constituit et sanxit, ut ea deinceps in universam ecclesiam potestas atque facultas per legitimam tantummodo sacerdotum ordinationem transfundi et propagari deberet, unde evacuato veteri levitarum ministerio et sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari et umbrae deserviebant Coelestium, omnibus quidem adoptionis suae filiis

ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret, sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui a Deo vocati atque ab Apostolis seu ab eorum Successoribus rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, juxta Legem Moysi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum aut Thuribulum aureum ab hominibus effectum, manu arripientes, praeter eos, qui ex designata Tribu et Familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur, quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo praestantiori novae Legis ministerio se ingerere atque oblationem et dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare praesumpserint; quum praesertim ea nulliter et irrite celebrantes, puram ipsam Panis et Vini substantiam publicis adorationis actibus atque receptis Latriae protestationibus impie prosequantur et quantum in ipsis est, in idem Idololatriae crimen fideles populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate in Poenitentiae Tribunalibus tamquam Judices animarum sedere audent, eamque sibi falso asserere facultatem emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam aeterni foederis Sponsor Dei filius nemini se, nisi per ecclesiasticam ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto poenis plectendi sunt, cum Sacramentum reconciliationis humanae conculcent et sanguinem Testamenti, a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus vero fideliter peccata sua impiam in re gravissima hujusmodi fraudem faciant.

§. 1. Et quidam gravissima hujusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri Paulus IV. et Sixtus V. decreverunt, ut qui ad presbyteratus Ordinem non promoti Missarum celebrationem usurpare et Sacramentum Poenitentiae ministrare praesumpserint, a Judicibus sanctae Inquisitionis *tradi deberent Curiae saeculari* debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis per omnia inhaerens fel. rec. Clemens Papa VIII. etiam Praedecessor noster, ne circa poenam hujusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus superesset, in suis Literis incipientibus: *Et si alias*, datis in forma Brevis apud s. Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentesimi primi distinctius constituit, ut omnes et singuli, qui ad Sacerdotium, ut supra, non promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse vel sacramentalem confessionem audisse, a praedictis Judicibus s. Inquisitionis vel locorum Ordinariis tamquam Ecclesiae misericordia indigni a Foro ecclesiastico abjiciantur et ab Ordinariis ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati statim Curiae saeculari tradantur per judices saeculares debitis poenis plectendi.

§. 2. Et successive rec. pariter mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. per similes Literas datas die vigesima tertia Martii anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, quarum initium est: *Apostolatus officium*, supradictas Decessorum dispositiones ita confirmavit et ampliavit, ut quicumque sese praefatis sceleribus abstrinxerint, mandaverit eos privilegio aetatis minoris annis vigintiquinque nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint; Nos ad normam dictae Constitutionis has Ordinationes Apostolica Nostra Auctoritate adprobamus et confirmamus et, quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari praecipimus, earum omnium tenores ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent,

pro plene et sufficienter expressis habentes.

§. 3. Quia vero propria nonnumquam experientia cognovimus, dum adhuc in Minoribus existentes in Romana atque Universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, ab hujsmodi criminum Reis seu ab eorum Defensoribus complures alias exceptiones proponi, quarum praetextu poenarum ut supra juste indictarum condonationem aut saltem minorationem obtinere contendunt; et signanter contra probationes a Fisco adstructas apponi solere, quod aut Testes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis Reum viderit sacris se sacerdotalibus Vestibus induentem, alter eundem ad Altare progredientem, alius vero unam alius aliam Missae partem recitantem audierit, aut etiam quod ab eodem Fisco non satis exclusa fuerit promotio Rei ad Ordinem presbyteratus, juxta praetensum opus, quod ipsi Fisco incumbere contendunt: ad elevandam vero delicti gravitatem illud aliquando audivimus alligari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed antequam illam expleret ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam integre celebrasse convictus fuerit, id juxta assertum sensum praedictarum Constitutionum nequaquam sufficiat ad incurrendas poenas in eisdem propositas, vel denique, etiamsi plures hujusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari possit formam Consecrationis ab eo prolatam fuisse.

§. 4. Idcirco Nos, frivola hujusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re mature a Nobis ipsis et accurate perpensa atque etiam audito consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a. s. Sede specialiter deputatorum, Motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine statuimus primo et declaramus, quod, licet delictum celebrationis Missae non satis plene probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio saeculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur, nihilominus indicia per hujusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut Reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem.

§. 5. Ad dignoscendum autem: utrum Reus in Ordine presbyteratus revera constitutus fuerit necne, laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis sac. Inquisitionis, qua consuevit in hujusmodi casibus exquirere per literas ab Episcopo illius loci, unde Reus originem ducit vel in quo domicilium habet, an ipse eundem Reum promoverit sive ad alium Episcopum Literas dimissoriales pro ejusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad eorum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujusmodi extrajudicialibus Episcoporum Literis constet, minime Reum fuisse promotum, id satis superque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur, declarantes, non aliter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium praetendat, suam promotionem ad praedictum Ordinem concludenter ostendere.

§. 6. Sub dispositione vero praesentis Nostrae necnon praemissarum omnium Constitutionum comprehendi decernimus omnes et singulos, qui, absque sacerdotali gradu et ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missae partem celebrasse judicialiter fateantur seu legitime convicti fuerint, dummodo

elevationem Hostiae vel Calicis seu utriusque in Altari peregerint, quamvis de prolatione formae consecrationis non constet, cum ex hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus et delinquentis audacia et crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriae, quod per actus adorationis a Celebrante non promoto erga puram Panis et Vini substantiam exhibitos admittitur et in quod Populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non peracta elevatione, Reum ab Altari discesisse probetur, tunc solum concedimus, ut contra ipsum ad mitiorem poenam deveniatur arbitrio et prudentia Judicis ecclesiastici praefiniendam.

§. 7. Omnes denique exceptiones supra expressas, quae ab hujusmodi Reis eorumque Defensoribus in ipsorum excusationem praetendi solent seu singulatim seu conjunctim considerentur, nullatenus attendi seu eisdem Reis suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio saeculari vel, si de Clericis in aliquo ecclesiastico Ordine constitutis agatur, ad eorum degradationem et traditionem pariter brachio saeculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantae impietatis poenis a jure seu alias statutis et comminatis cum effectu puniantur et afficiantur.

§. 8. Easdemque declarationes et ordinationes a Nobis contra Celebrantes non promotos hucusque statutas ad eos etiam extendimus et pertinere decernimus, *qui, cum Sacerdotes non sint, Confessiones sacramentales audire et absolutionem poenitentibus impertiri praesumant;* quos pariter eisdem poenis traditionis brachio saeculari seu respective degradationis et traditionis pariter brachio saeculari, etiam pro prima vice, subjici debere praecipimus; non obstantibus praemissis exceptionibus, si quas ab hujusmodi Reis ad proprium casum aptabiles in sui defensionem seu excusationem adduci contingat: sed unam dumtaxat acceptionem ad effectum mitigandae poenae attendi debere mandamus, ubi nimirum concludenter probetur, Absolutionem a Reo minime prolatam fuisse: tunc enim concedimus, ut Judex ecclesiasticus mitiorem poenam pro suo arbitrio et prudentia delinquenti valeat irrogare.

§. 9. Decernentes praesentes nostras Literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujuvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut etiam Motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesemper firmas, validas et efficaces

existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, involabiliter et inconcusse observari.

§. 10. Sicque, et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscumque Judices ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et contra haereticam pravitatem Generales Inquisitores, et alios ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et apostolicae Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de jure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis.

Constitut. Bened. XIV. 20. Apr. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 196).

Benedictus PP. XIV.

Epistola encyclica ad Patriarch., Archiep. et Episcopos locorum Ordinarios.

Quam grave horrendumque scelus admittat, quicumque sacerdotali Ordine non initiatus Sacrificium Missae celebrare praesumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare, quum omnibus perspectae sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detestandum atque districto poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Praedecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimae adversus memorati criminis reos poenae statuuntur; quae scilicet a fel. recordat. Paulo IV., Sixto V., Clemente VIII. et Urbano VIII. Romanis Pontificibus editae fuerunt, quarum sanctionibus decernitur, ut quicumque sacerdotali charactere destitutus compertus fuerit Missam celebrasse, Foro saeculari puniendus tradatur.

§. 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus et confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominicae 1744 Pontif. Nostri IV. sub Dat. XII. Kal. Majas edidimus, cujus initium est: *Sacerdos in aeternum*, ubi praeterea plures tolluntur exceptiones et subterfugia, quae per Defensores reorum afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poena traditionis brachio saeculari, quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eosdem sacerdotali ordinatione nunquam suscepta Missam celebrasse.

§. 3. Quamvis autem Ecclesia praefatos Celebrantes non promotos justitia sic exigente saeculari Foro tradendos decreverit quum tamen eadem pia mater sit et, ut omnibus constat, lenitatis et misericordiae viscera gerat, nec unquam omisit nec adhuc desinit mansuetudinis suae argumenta praebere tum in statuenda forma degradationis verbalis, quae realem degradationem praecedit, tum in ipsa reali degradatione exequenda, tum denique in providis legibus et cautelis editis atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu sese immiscendi sacrorum Mysteriorum celebrationi absque sacerdotali ordine et charactere, viam illis quodammodo

praeoccupando, qua in praefatam poenam traditionis brachio saeculari proruere possent.

§. 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem non minus in eos, qui sacris Ordinibus excepto presbyteratu insigniti sunt, quam et in caeteros clericali tantum Tonsura aut minoribus Ordinibus initiatos. Hoc solum inter utrosque intercedit discrimen, quod in Clericos minorum Ordinum aut simpliciter Tonsuratos verbalis Degradatio peragitur, seu, quod idem est, degradatio realis decernitur a solo Episcopo absque aliorum quorumcumque interventu: in alios vero majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos non licet Episcopo ad verbalem degradationem procedere nisi assistentibus et suffragium simul ferentibus aliis quibusdam personis, quarum praesentiam sententiamque canonicae Leges exposcunt.

§. 5. Celebris est Decretalis Praedecessoris Nostri Bonifacii Papae VIII. *in Cap.*: *degradatio, de Poenis, in sexto,* ubi haec leguntur: *Super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus vel Gradibus ecclesiasticis est a proprio Episcopo sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus facienda, quamquam proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum praesentia sufficiat in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.*

§. 6. Notae sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa canonica *in cit. Cap. Degradatio, in verbis Canonibus de poenis, in sexto*, quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda sit degradatio verbalis adversus Clericum in majoribus Ordinibus constitutum.

§. 7. Nec quemquam latere potest quod in sacro Concilio Tridentino statutum fuit *Ses. XIII. cap. 4 de Reform.*, ubi, quum animadversum fuisset non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis, adhibitis tamen sibique ea de re assistentibus totidem Abbatibus in Civitate aut Dioecesi residentibus atque usu Mitrae et Baculi ex Apostolicae Sedis indulto decoratis vel, si hi non adsint, aliis personis in ecclesiastica Dignitate constitutis, matura aetate et sacrarum legum scientia spectabilibus.

§. 8. Quoniam vero juxta veterem disciplinam verbales degradationes peragebantur in Synodis provincialibus et in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium, quum nunc Episcopi vel alii ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas uti Assesores invitantur, quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana lib. 9 cap. 6. num. 4.* novissimae edit.

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cujus exequendae ratio distincte praescribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis et pietatis suae argumenta praebere. Etenim priusquam degradatum tradat saecularis Curiae Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne poena mortis aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Judex*, verba sunt citati Pontificalis, *rogamus Vos*

cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis et misericordiae intuitu et nostrorum interventu precaminum miserrimo huic nullum mortis vel mutilationis periculum inferatis. Multoque ante Pontificalis Romani compilationem idipsum expressum legitur in *Cap.*: *Novimus,* quod est Innocentii III., *De Verbor. signific.*, ibi: *Pro quo tamen*, sermo est de degradato saeculari Curiae tradendo, *debet Ecclesia efficaciter intercedere aqud Judicem laicum, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Videri quoque potest Alteserra *ad cit. Cap. Novimus, de verb. signif.*, ubi plures colligit Patrum auctoritates congruentes iis, quae in praeindicata Decretali statuuntur.

§. 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritos prosequitur viamque ipsis intercludere nititur, ne mortis poenam per delicta incurrant, dicimus antiquissima providentia cautum fuisse, ut, qui e propria in alienam Dioecesim transgreditur, nisi fuerit in hac plane cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas, quibus fides fiat, eum esse Sacerdotem nulloque, quod sciatur, canonico impedimento detentum, quominus sacra Mysteria celebrare queat. Jam id decretum habetur in sacra Calchedonensi Synodo, ubi, quum interdictum legatur Clerico atque Lectori e sua in aliam Dioecesim commigrare non praeobtentis memoratis literis, quas discessus appellamus, a proprio Episcopo; Jacobus Cujacius aliique post eum accurati Scriptores monuerunt cum vera Textus lectione non congruere verbum: *Lectori*, sed *ignoto*, quemadmodum et ipsi adnotavimus in nostra Institutione 34. editionis latinae §. 1. Quod si vetustiora etiam propositae disciplinae principia investigare libeat, consuli possunt Canones, qui Apostolici vocantur, apud Coteleriurn in editione *Patrum Apostolicorum Tom. 1. lib. 8.*, inter quos adest Canon XIII. ita decernens: *Si quis Clericus aut Laicus a communione suspensus vel communicans ad aliam properet Civitatem et suscipiatur praeter commendatitias literas, et qui susceperunt et qui susceptus est communione priventur: excommunicato vero proteletur ipsa correptio, tamquam qui mentitus sit et Ecclesiam Dei seduxerit.* Consonat huic Canon XXXIV., ut patet ex subjectis illius verbis: *Nullus Episcoporum peregrinorum aut Presbyterorum aut Diaconorum sine commendatitiis suscipiantur epistolis, et cum scripta detulerint, discutiantur attentius et ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint; sin minus, nec quae sunt necessaria subministrentur eis et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

§. 11. Porro quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem saeculo Ecclesiae tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicaenam Synodum celebratis, uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

§. 12. Sanctissimis hisce legibus conformes sunt Concilii Tridentini sanctiones, conformes sunt Epistolae Encyclicae a Congregationibus Urbis ad Ecclesiarum Antistites saepe transmissae. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod, licet non oporteat Episcoporum sollicitum esse de Regularibus, qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendunt, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus, si quis tamen saecularis

Sacerdos in Ecclesiis Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cujus Dioecesi Sacrum vult peragere, uti videre quoque est in Nostra Institutione 34. latinae editionis §. 1.

§. 13. Veterem hanc justissimamque sanctionem, de cujus executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici, (quos inter merito memorandus est diligentissimus Monacellius, *Formular. Legal. Part. I. Tit. 4., Formul. 8. pag. 81. et Formul 6. p. 79. item Tit. 6. Formula 18. pag. 160.)* providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus ecclesiasticae disciplinae restitutor s. Carolus Borromaeus, cujus hac de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda et expendenda monemus, videlicet in Concilio provinciali Mediolanensi primo habito anno 1565. part. 2., in secundo pariter provinciali anni 1569. Tit 2. Decret. 1., ac provinciali tertio, anni 1573, item in Instructione ad Sacerdotes de celebratione Missae ac denique in Concilio provinciali quarto celebrato anno 1576. Quibus in locis constitutum habetur, ut Parochus, in cujus Paroecia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Dioecesim contingat, intra octo ad summum dies illius adventum nunciare debeat Vicario Foranco, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab hujusmodi Sacerdote exhiberi mandet easque inspiciat totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi Sacerdoti licentiam abessendi ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque jubetur dies, qua expediti fuerunt literae discessus, ne scilicet ante eam diem, qua inspiciendae ac discutiendae offeruntur, antiquiores sint duobus vel quatuor aut respective sex mensibus, duobus minirum, si literae confectae sint intra Provinciam, quatuor vero, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditae fuerint; sex denique, si extra Italiam datae comperiantur.

§. 14. Ex omnibus hisce tum generalibus tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea poena ad effectum producenda, quam sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus objiciuntur, ne in ejusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni ejusdem poenae sacris legibus definitae.

§. 15. Majoris tamen ponderis ad hoc ipsum evincendum est id, quod subjicimus. Sistit se aliquis coram ecclesiastico Judice seque ipse denunciat quamvis sacerdotali Ordine destitutum Missarum Sacrificia celebrasse vel etiam sacramentales Christifidelium Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsi salutaribus poenitentiis dimittatur, nisi tamen in ipso suo constituto diminutus, ut ajunt, vel aliunde praeventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed si idem subinde Judici interroganti: an sciat causam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim non expectatis ulterioribus interrogationibus seu quaesitis sincere rem totam aperiat, quamvis de illius incursu in poenales Apostolicarum Constitutionum sanctiones non dubitetur, ideoque dignus sit, qui saeculari Foro uti capitalis criminis reus libere tradatur, nihilominus admittitur ad beneficium minorationis poenae, commutata ipsi poena mortis in damnationem perpetuam ad triremes, uti testatur ben. mem. Cardinalis

Albtius harum rerum peritissimus in suo Tractatu *de Inconstantia in Fide part. I. cap. 14. num. 70: Si verò citatus et vocatus ad generalem interrogationem: an sciat qua de causa fuerit vocatus vel sciat causam suae carcerationis vel quommodo hic reperiatur, fatetur de plano veritatem, is tractatur ac si esset sponte cònfessus et cum eo mitius agitur, praesertim post condemnationem, ut scilicet gravior poena commutetur in mitiorem etc.* Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die 12. Maii 1604.

§. 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod, quamvis in Pontificali romano praescripta reperiatur degradatio, etiam a prima clericali Tonsura, licet de hac quaestio sit: an inter Ordines numerari debeat necne possitque Judex ecclesiasticus, uti praenotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem Degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Majoribus, nihilominus nunc temporis Sacerdotes aliique Clerici tam majorum quam minorum Ordinum ad Triremes libere amandantur vel etiam perpetuo carceri mancipantur sine praevia verbali multoque minus reali Degradatione, uti cuique perspectum est et adnotatum quoque fuit a Sacerdote *Catalani Comment. ad Pontif. Rom. tit. 16. §. 4. num. 6. tom. III.*

§. 17. In Tribunalium ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui eo nomine detentis, quod sacerdotali Ordine carentes Missas celebraverint, sacramentales Fidelium Confessiones exceperint iisdemque etiam eucharisticam Communionem expetentibus Particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt: num detentionis suae causam scirent, omnia ingenue confessi sunt, ex quo orta est quaestio: an iidem admittendi essent ad beneficium minorationis poenae, ita nimirum, ut non quidem saeculari foro traderentur.

§. 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo sive judicando in praedictorum causis sententiam dixerunt super eo: an uterque reus poenam traditionis foro saeculari atque adeo Capitis poenam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt attenta eorum prompta confessione, qua unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Judicis interrogationibus, ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur utque propterea ad Triremes dumtaxat vel Carcerem perpetuo damnarentur. Alii vero numero plures censuerunt eosdem tamquam capitis reos brachio saeculari libere tradendos esse.

§. 19. Nos vero, quamvis ob aegritudinis nostrae pervicaciam Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus, quum tamen subinde omnia perlegere et expendere non omiserimus, pontificiae clementiae et mansuetudini magis consentaneum existimavimus in mitiorem sententiam concedere eo vel magis, quod et Cardinalis Albitius in hujus generis rebus adeo versatus testatum reliquit, ejusmodi poenae minorationem veluti praemium indulgeri consuevisse iis, qui ad primam Judicis interrogationem delictum suum integre aperteque fatentur; et plura suppetunt exempla causarum, quae in similibus circumstantiis ita transactae fuerunt. Itaque volumus praefatos reos promeritae poenae minoratione in praesenti casu gaudere, nimirum Triremibus perpetuo addici,

ita ut ab iis nunquam dimitti seu poenae hujusmodi commutationem ullam impetrare valeant, praeter quam a Romano Pontifice pro tempore existente ac de eorum delictis cum omnibus adjunctis circumstantiis edocto, relicta dumtaxat Judicibus facultate, ut quoties perpetuum triremium opus praefatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo aut carcere reclusionem, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Praeterea volumus atque mandamus, ut quum damnatio ad triremes seu ad perpetuam reclusionem, ut supra, praefatis reis formiter intimanda erit, id fiat a Judice praesentibus iis, qui ad Ecclesiarum Sacraria moderanda deputati sunt, quique ad hujusmodi actum evocandi erunt ab ipso Judice sub poenis ejusdem arbitrio infligendis, atque ea occasione gravis admonitio iis fiat de omnimoda observantia et executione eorum, quae saepe praescripta sunt, ne scilicet ignotos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam literae discessus, quas secum a propria Dioecesi prodeuntes attulerunt, recognitae et examinatae fuerint per eum, cui hujusmodi cura demandata est. Id ipsum enim praestitutum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe sub fel. rec. Praedecessore nostro Clemente Papa XI. tunc, quum saeculari Foro traditus reus quidam capitali poena plectendus et, quod sacerdotali Ordine non insignitus Missam celebraverat.

§. 20. Cum iis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad sacrum presbyteratus Ordinem non promoti celebrasse aut sacramentales Confessiones excepisse, juxta rationem hactenus descriptam a competentibus Judicibus et Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen utpote gravissimum et satis superque frequentatum omni ratione praecavendum et, quantum fas est, a christiana republica eliminandum extirpandumque Nobis esse cognoscimus, novam hac de re legem a Nobis statutam per apostolicam constitutionem, (cujus exemplum Epistolae huic adnexum fraternitas tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutionis data computandos omnino servari et ad effectum perduci mandamus. Tibique interim, venerabilis frater, apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Constit. Bened. XIV. die 2. Aug. 1757.

(Bull. r. t. XIX. p. 284. Edit. Luxembg.)

Benedictus PP. XIV.

Divinarum humanarumque legum custodia vigilantiae Nostrae concredita hoc Nobis onus imponit, ut et assiduo studio caveamus, ne scelera atque flagitia contra ipsas leges committantur et ut ea, quae ab iniquitatis filiis perpetrari contingat, justo poenarum rigore ad formam Sanctionum iisdem Legibus adscriptarum puniri ac vindicari curemus.

§. 2. Sane Nos alias gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad sacerdotalem Ordinem non promoti Missarum Sacrificia celebrare, fidelium Confessiones excipere et accedentibus ad eucharisticam mensam panem a se nulliter consecratum distribuere ausu temerario praesumerent, edita Constitutione, quae incipit: *Sacerdos in aeternum:* data 12. Kal. Maii anno incarn. dominicae 1744. pontificatus Nostri IV. antiquiores Praedecessorum Nostrorum romanorum pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jampridem editas confirmantes et innovantes complures alias declarationes atque cautelas addidimus ad eliminandum a christiana republica sacrilegum ejusdem facinus maxime opportunas,

quae distincte legi possunt in citata Constitutione nostra impressa in Bullario nostro tom. I. num. 97*).

§. 3. His tamen ampliorem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enuntiatum, et ab invecta sensim in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviores poenas plerique evadere possent, una cum caeteris per dictam Constitutionem nostram sublatis pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse, ut si reus constitutus quam primum a Judice interrogatus fuerit: an sciat, qua de causa carceribus inclusus sit, aperte et candide delictum suum fateatur et narret, tunc is veluti sponte confessus ad obtinendam poenae minorationem habilitetur, quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes vel ad carcerem perpetuo damnetur sed nequaquam Foro saeculari tradatur tamquam capitalis criminis reus, quemadmodum praefatae Praedecessorum nostrorum constitutiones a Nobismet ipsis, ut supra diximus, confirmatae et innovatae praescribunt, uti latius a Nobis expositum est in epistola encyclica ad antistites Ordinarios locorum et Judices in hac materia competentes hac ipsa die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit plerosque reos, qui sacerdotali charactere carentes Missam celebrarunt aut Sacramentum Poenitentiae nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti et coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc, ut traditionem Foro saeculari extremumque supplicium exinde consequens evadant quumque hac ratione reipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reis, qui moderationem poenae in praefatis apostolicis constitutionibus statutae non obtineat eoque beneficio fruatur, ut quum saeculari Foro tamquam capitali judicio damnatus et mortis reus tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri aut Triremibus mancipetur,

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujusmodi praxim de medio tollere coacto motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine per hanc nostram perpetuo valituram constitutionem decernimus atque statuimus in posterum videlicet post tres menses a data praesentium literarum computandos, nulli amplius Clerico sive Laico saepedicti criminis reo promeritae poenae minorationem ullam concedi debere sive posse intuitu promptae apertaeque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici fassus fuerit, sed ea non obstante omnes et singulos in praecedentibus constitutionibus hac de re editis comprehensos a Judice competente in casibus ibidem expressis, praevia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore et esse Brachio saeculari capitali poena puniendos.

§. 7. Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Nostrosque et apostolicae sedis etiam de Latere legatos seu nuntios et in quibuscumque tribunalibus et officiis, etiam specifica mentione dignis sublata cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, definiri et post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem et effectum omnino perduci debere.

*) Vd. supra p. 475.

§. 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus vel specialibus constitutionibus, Ordinationibus et decretis nec non dictorum Tribunalium et officiorum praxi, stylo, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, personarum quoque, locorum et Ordinum, congregationum, societatum, institutorum et militiarum, privilegiis, exemptionibus et indultis, quae supradictae prioris Constitutionis Nostrae executioni decrevimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiam ad praesentium literarum nostrarum effectum, iterum plenissime et amplissime derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, statutorum et derogationum infringere vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae aqud s. Mariam Maj. anno incarnationis dominicae 1757. quarto nonas Augusti, pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

J. Card. Pro-Datar. D. Card. Passioneus

Visa.

De Curia S. C. Boschi.

Constit. Bened. XIV. die 2. Aug. 1757.

(Bull. r. t. XIX. p. 286. Ed. Luxbg.)

Procedere possunt Episcopi etiam contra regulares Missas celebrantes et confessiones sacramentales excipientes, antequam fuerint promoti ad sacrum presbyteratus ordinem. Clemens VIII. constitut. incip.: *Etsi alias;* Urbanus VIII. Constitut. incip.: *Apostolatus.* *Vd. p. 474. 475.*

28) Ad triremes damnatus utrum postea celebrare debeat?

Lavellana.

(Conc. Tr. cap. 6. sess. 24. De Ref.)

Sacerdos N. N. de nefando scelere accusatus fuit a curia eminentissimi Urbis vicarii die 31. Augusti 1718 damnatus ad triremes per septenium et licet fuerit transmissus, nunquam tamen remigavit, cum toto tempore dictae condemnationis fuerit addictus servitio hospitalis s. Barbarae, uti habetur ex attestatione Prioris hospitalis. Expleto tempore poenae et praestito laudabili servitio memorato hospitali sacerdos habuit recursum ad SS. D. nostrum pro facultate missam celebrandi et a Sanctitate sua preces fuerint remissae ad hanc sac. Congregationem.

Sanctae mem. Urbanus VIII. die 4. Jan. 1635 sequens edidit decretum impressum apud Corrad. in addit. ad tract. de dispensationibus num. 35. pag. 31. „*ut imposterum tam presbyteri saeculares quam cujuscunque ordinis regulares damnati ad triremes perpetuo vel ad tempus et qui cum effectu fuerint in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictae poenae nunquam habilitentur ad exercitium suorum ordinum*".

De hoc decreto nonnulli dicunt, illud non esse declarativum juris communis nec esse eidem conforme et locum sibi non vindicare extra tribunal sancti officii, cum a summo pontifice fuerit editum in congregatione sanctissimae inquisitionis, uti plene habetur apud Thesaur. de poenis par. 2 in verb. „missa" cap. 5. §. „Immo hodie"; sed haec plene refelluntur a *Raynald.* in observat. criminal. cap. 8. §. 1. sub num. 45. Venetae impres. anni 1699.

Aliqui censent, damnatum ad triremes effici infamem infamia juris ex

genere poenae et per consequentiam irregularem, *Navar.* consil. 16. n. 3. et consil. 17. n. 32. tit.: de haereticis, *Ogolin.* de potestate episcop. part. 2. alleg. 43. n. 15., *Guazzin.* ad defens. reorum def. 33. cap. 4. n. 9., *Lezzan.* quaest. regul. tom. I. cap. 16. n. 32., *Ciarlin.* controversiar. foren. cap. 207. n. 73.

At opinio hodie recepta est, *quod ex simplici damnatione aut transmissione ad triremes quis non efficiatur infamis nec irregularis, nisi vel actu remigaverit vel fuerit transmissus propter delictum,* quod de jure habeat annexam infamiam, uti late prosequuntur *Raynald.* loco cit. sub n. 45 et seq., *Monacell.* in formulario legali tom. 3. pag. 173. num. 13., *Ursaya* instit. criminal. lib. 4. tit. 5. num. 144. et seq., et concordat resolutio hujus S. Congreg. in Comen. dispensationis pro presbytero Josepho Cataneo, qui ad triremes damnatus et transmissus ob armorum delationem, absque eo, quod remigaverit, supplicavit pro rehabilitatione ad ordines, et S. Congregatio, si Sanctitati Suae placuisset, censuit, ut constito, quod non remigasset, esse eum per literas apostolicas ad exercitium suorum ordinum rehabilitandum et restituendum, uti resolutum fuit die 14. Martii 1671 et habetur libro 27 decretorum pag. 54.

His positis nonnulla sunt, quae faciunt contra petitionem oratoris, et signanter, quod Sodomiae crimen annexam habet infamiam, tam de jure civili quam de jure canonico, dummodo sit notorium notorietate juris vel facti, uti plene habetur apud Thesaurum de poenis ecclesiast. part. 2. cap. I. in verbo: Sodomiae.

E contra pro oratore faciunt nonnullae facti circumstantiae latius expressae in informatione Emi Urbis Vicarii, in qua post admissam limitationem supradictam, quod transmissus ad triremes, licet non remigaverit, efficiatur infamis et irregularis, si crimen, propter quod fuit condemnatus, habebat de jure annexam infamiam, haec habentur: „*talis tamen limitatio applicabilis non videtur in casu praesenti, ubi crimen, pro quo orator fuit damnatus, non aliunde probatum remansit, quam ex dicto eorum, qui socios ejusdem criminis se fecerunt, et quidem non coacte, sed ultronee, et qui ultra hanc nobilem exceptionem, ob quam eorum dictum nullis praesertim concurrentibus adminiculis, nullam prorsus fidem facit, alios insuper patiebantur defectus, nedum erant enim vilis conditionis, sed etiam plura deposuerunt inversimilia, in aliquibus contrarii inter se deteguntur ac semper voluntarie accessisse fatentur ad domum inquisiti, quae proinde exceptiones haud satis per leve sibilorum tormentum expurgatae remanserunt. Addito etiam, quod in processu nec praesumptiones neque conjuncturae ullae relevantes afferri potuerunt adversus inquisitum, immo ejus favore militabat qualitas sacerdotalis cum quotidiana celebratione Missae, gravis sexaginta et ultra annorum aetas, ac solitum retinendi jugiter apertam januam ejus cubiculi, etiam de tempore, quo ibi visi fuerant pueri, quemadmodum concorditer deposuerunt tres testes repetiti ad instantiam fisci, qui proinde dubitans per inquisitum purgari potuisse indicia, ex dicto correorum desumpta, mediante illius tortura, ad eam noluit devenire, sed consultius existimavit ad triemes damnare eumdem inquisitum delictum constanter negantem et ob suam paupertatem penitus indefensum.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An petitis sit annuendum necne?
S. C. C. resp.: Negative.
Die 8. Junii et 6. Julii 1726.

SACERDOTES.

Duodecim in Consecr. SS. Oleorum.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. ss. Oleorum; *Olea s.* (assistentia).

SS. SACRAMENTA.

(Administratio.)

Vd.: *SS. Sacramentum euch.* (administr.); *Administr. SSrum; Parochus; SS. Viaticum* (portandum etc.); *Canonici; Ritus graecus; SS. Sacram.* euch. (distributio); *Extrema Unctio; Unctio extrema; Moniales* (communio; confessar. extraord.); *Nativit. Dom.* (communio); *Communio frequens. Vd. p. 496.*

Ad dubium: An et cui liceat administrare SS. Sacramentum Viatici et extr. unctionis quibuscunque sive ratione domicilii sive servitii degentibus in Hospitali s. Mariae de crucibus?

S. C. resp.: Licere Capellanis hospitalis.
Die 13. et 27. Junii 1789.

SACRAMENTALIA

in baptismo.

Benedictus PP. XIV.

De ritibus etc. in regnis Madurensi, Mayssurensi etc. Indiarum Orient.

A Sacramentorum administratione exordium sumentes districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris quam adultis cujuscumque sexus et conditionis omittantur Sacramentalia sed omnia palam adhibeantur et signanter saliva, sal et insufflatio, quae ex apostolica traditione cath. Ecclesia recepit ac ob recondita in his sacris caeremoniis divinae erga Nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit, Decreto sanctae universalis romanae Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis facto ob diversas rationes et circumstantias minime obstante.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 399.)

SS. SACRAMENTUM EUCHARISTIAE.

I. Administratio.

1) In Oratoriis.

Vd.: *Orator. priv.* (missae in variis etc. Bened. XIV.); *Orat. publ.* (Functiones etc.); *Confessionale in Oratoriis; Orator publ.*

Ad dubium: An liceat Capellano SS. Eucharistiae Sacramentum ministrare tam inter missarum celebrationes quam in intervallo Missarum?

S. C. resp.: Affirmative inter Missarum celebrationem excepta die Paschatis et communione paschali.
Die 13. et 27. Junii 1744.

2) A Parocho non facienda.

Vd.: *Parochus* (administr. Sacr.).

3) Parochianis alterius Parochiae SS. administrare non licet.

Sacrosancta Trid. Synodus *sess. 24. cap. 13. de Reform.* expresse mandat, ut Christifideles a solo proprio Parocho Sacramenta suscipiant, ibi: *mandat sacra Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eos cognoscere valeat et a quo solo licite Sacramenta suscipiant;* utque unus Parochus alterius paroeciae Parochianis Sacramenta ministrare non praesumat, aperte vetuit *Epistola* relata *in Can. Ecclesias 13. quaest. 1.*, ibi: *Nullus alterius parochiae terminos aut jus*

invadat: Sit unusquisque terminis suis contentus et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni judicii ex omnibus sibi commissis rationem reddat; idemque firmant *Anacl. in Jus Canon. lit. 3. tit. 29. num. 3. in fin., Franch. de Eccles. Cathedr. cap. 19. num. 118., Scarfant. ad Ceccoper. tom. 3. Addit. 39. num. 56., et Ricciardel. in licaeo Eccles. cap. 13. §. 2. num. 88. in fin.,* ubi etiam refert resolutionem S. Congregationis Rituum *in Novarien. 12. Jun. 1627.*

(Ex resol. diei 30. Aug. 1777 *Faventina.*)

II. Administrator.

Vd.: *Canonici; Parochus; Baptismus; Episcop. aegrot.* (Administratio Sacrament.); *Regul.* (privil., Ordinario etc.). *Vd. p. 496.*

Non posse Religiosos administrare Sacramenta in domibus Tertiariorum seu Centuratorum aggregatorum, praeterquam Sacramentum poenitentiae; administrationem vero caeterorum Sacramentorum pertinere ad Curatum. n. 407 ad 2 die 20. Junii 1609.

Non licere Confessario Monialium Sacramenta administrare ministris Monasterii, praesertim degentibus sejunctim ab Ecclesia; privative id spectare ad Praepositum. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Omnes Regulares tenentur observare Constit. Greg. XIV. et Clem. X. circa parochialium usum et Sacramentorum administrationem, vd.: *Bullam Clem. XII. die 11. Aug. 1735.* (Bull. r. t. XV. p. 33.)

III. Adoratio.

Vd.: *Expositio SSmi* (adoratio); *Regul.* (adoratio SSmi); *Sumptio SS. Sanguinis* (adoratio). *De Monasteriis Monialium Adorationis perpetuae SS. Sacramenti in Gallia,* vd.: *Bullam Innocentii XI. Id. Decbr. 1676* (Bull r. t. XI. p. 202).

Clemens PP. XIII.

§. 1. Dudum exponi fecit Nobis Ven. Frater Carolus Episcopus Laodiensis non sua modo pietate se impulsum sed Cleri etiam et populi totiusque suae dioecesis in Augustissimum Eucharistiae Sacramentum eximio cultu et praeclara devotione excitatum, novam quamdam utriusque sexus Christifidelium Confraternitatem sub titulo adorationis perpetuae et orationis SS. Sacramenti canonice erexisse; supplices Nobis preces exhibuit, ut quo foveatur in suo populo et amplificetur ejusmodi perpetuae adorationis et orationis SSmae Eucharistiae non satis laudanda devotio promoveaturque hoc etiam adjumento salus animarum, auctoritate Nostra Confraternitatem praedictam pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmari atque eamdem alteri Confraternitati SS. Sacramenti in Collegiata insigni s. Martini civitatis Laodiensis, quae Archiconfraternitati SS. Sacramenti Urbis est aggregata, unire ipsiusque Confratribus et Consororibus easdem indulgentias, quibus eaedem illae Confraternitates SS. Sacramenti fruuntur, elargiri apostolica benignitate dignaremur.

§. 2. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, Confraternitatem a praedicto Ven. Fratre Carolo Episcopo Laodiensi erectam pro oratione perpetua in qualibet diei hora ad SS. Eucharistiae Sacramentum pro civitate, patria et dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmamus eamque motu proprio alteri Confraternitati Sacramenti in Collegiata insigni s. Martini ejusdem civitatis Laodiensis ab anno 1575 erectae et Archiconfraternitati SS. Sacramenti Urbis aggregatae unimus et omnes sin-

gulas indulgentias, quibus Archiconfraternitas praedicta Urbis gaudet, communicamus. Ac insuper easdem omnes et singulas indulgentias, quibus aliae Confraternitates pro perpetua SS. Eucharistiae Sacramenti adoratione institutae fruuntur, clementer elargimur; omnibus vero dictae Confraternitatis, ut supra erectae, Confratribus et Consororibus per integram horam ante SS. Euch. Sacramentum pie orantibus indulgentiam plenariam semel in mense concedimus.

§. 3. Item ex speciali gratia eisdem Confratribus et Consororibus vere poenitentibus, confessis ac sacra communione refectis et juxta mentem Nostram per aliquod temporis spatium orantibus *Indulgentiam plenariam in dominica infra octavam SS. Corporis Christi, in dominica infra octavam omnium Sanctorum et in festo Epiphaniae, in prima dominica Quadragesimae et prima dominica Maii, et in quatuor festivitatibus infra annum ab eodem Fratre Episcopo Laodiensi designandis impertimur* atque omnes et singulas indulgentias, quas volumus perpetuis futuris temporibus, *animabus fidelium defunctorum applicari posse concedimus et indulgemus.* Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 4. Septbr. 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 127 Ed. Rom. 1841.)

Ex decret. Concilii prov. Pragens. diei 29. Septbr. 1860.

Quandocumque SS. Eucharistia publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant, fiatque debita incensatio, atque si longiori tempore exposita remaneat, Ecclesiae rector curabit, ut semper adsint aliqui Clerici, qui illam flexis genibus adorent. Quodsi Sodales Confraternitatum in suis vel etiam in alienis Ecclesiis id facere velint, scamnum ab ecclesiasticis sejunctim illis tribuatur, ut Deum precentur.

Animarum pastores, dum populum de significatione caeremoniarum et omnium, quae in sacra liturgia fiunt, edocent, eum etiam de modo instruant, quo domum Dei ingredi ibique honeste sese gerere oporteat. Etenim pietas interna corporis quoque habitu externo testatam se facit; unde fideles, quum reverentiam sanctissimo mysterio et ipsi sacro loco debitam numquam non exhibere debeant, praesertim in sacrificio Missae, maxime in elevatione usque ad Communionem Sacerdotis, Jesum Christum super altari praesentem summa humilitate et vel ideo *flexis etiam genibus* adorare non intermittant. Multo magis indecentem strepitum, indignam confabulationem vel somnolentiam, ubi coram facie aeterni regis comparent, plane abhorreant. Parochi idcirco de istis rebus fideles quandoque ex professo edoceant vigilentque sedulo, ne quis tempore Officii deambulare, nugas agere, SSmo adversus sedere, altaribus vel fonti baptismali insidere audeat.

(Tit. III. cap. II.)

Colonien.

Ad dub. I.: An Beneficiati Kempensis, nuncupati Vicarii, cogendi sint bini orare per horam, dum SS. Sacramentum exponitur in summis Ecclesiae solemnitatibus et diebus precum publicarum? Et quatenus affirmative;

II.: An et a quo sit conficienda tabella designationis et distributionis horarum in casu?

S. C. resp. ad I.: Affirmative comprehenso parocho et Sacellanis et amplius;
ad II.: Conficiendam esse a parocho et amplius.
Die 14. Martii 1767.

IV. Asservatio.

1) Altare.

Propos. fuit: SS. Sacram. continuo retineri in eadem Eccles. super dupl. altari, nimirum super altari chori et super alio, ratione parochiae eidem Cathedrali unitae?
S. C. resp.: SS. Sacramentum servandum esse in uno tantum altari designando ab Episcopo.
n. 3392 ad 3 die 21. Julii 1696.

Cf.: *Expositio SSmi; Tabernaculum* (locus et situs; praecipue decr. n. 5028; in Cathedrali).

SS. Sacramentum non est custodiendum in altari amovibili, sito in medio Ecclesiae, sed collocetur in aliquo decenti sacello, quod non sit e conspectu chori. S. R. C. 14. Jun. 1845.

SS. Eucharistiae Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscunque Ecclesiae, in qua custodiri debet, potest aut solet. S. C. Ep. 13. Oct. 1620.

Vd.: *Hostia; SS. Sacramentum* (modus asservandi).

Benedictus PP. XIV.

Eadem ratione, tam ubi sunt duae parochiae, latina altera et altera graeca, quam in una eademque parochiali Latinorum vel etiam Graecorum Ecclesia, in qua praeter altare majus, quod pro solis graecis sacerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro latin. sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque lat. parochus pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Graecorum, neque parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocunque Ecclesiae suae altari retineat, sed unusquisque sacerdos nonnisi in suo sive graeco sive lat. ritu SSmum Fidelibus porrigere debeat.
Constit. Bened. XIV. die 26. Maii 1742.
(Bull. r. t. XVI. p. 98. XI.)

Non ferri potest consuetudo asservandi SSmum in *duobus* vel *tribus* altaribus, et nunquam occasione novendialis aut alicujus festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur.
Die 11. Apr. 1861 in u. s. Jacobi de Chile d. B.

In eadem Ecclesia, nisi perampla sit, SSmum praeter evidentem necessitatem haud plus uno loco asservetur.
(Conc. prov. Viennense die 9. Nov. 1858 t. III. c. V.)

Lisbonen.

Prior et beneficiati et parochiani de Centuel Lisbonen. dioecesis asserunt initam fuisse concordiam inter ipsos et quamdam personam, quae construxerat capellam, ut in ea asservaretur SS. Sacramentum, quod prius in altari majore detinebatur, nuncque petunt, ut non solum in dicta capella sed etiam in altari majore liceat illud asservare. Et S. R. C. respondendum censuit: *Nihil.*
Die 18. Julii 1597.
(Anal. J. P. 1863 p. 8. n. 37.)

Gregorius XIII. ad Confratern. SSmi Romae.

Quia difficile esset certum locum, in quo Sacramentum reponatur, ubique uniformiter constituere, idcirco,

ut Sacramentum ipsum vel in medio altaris majoris vel in alio commodiori loco, arbitrio loci ordinarii, si Ecclesia, in qua confraternitas celebratur, saecularis, si vero regularis fuerit, arbitrio ejusdem Ecclesiae superioris, reponatur et constituatur.

Die 6. Aug. 1573.

(Bull. r. t. VIII. p. 52. §. 5. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Dubium:

Utrum ferri possit consuetudo plurium Ecclesiarum hujus archidioeceseos et praesertim regularium asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus, et nonnunquam occasione novendialis aut alicujus festivitatis, transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur?

Responsum:

Primis Ecclesiae saeculis, ut aperte eruitur ex constitutionibus apostolicis, post communionem in Missa peractam nonnullae Eucharistiae particulae propter infirmos in secretario, quod tunc temporis sanctuario adhaerebat, asservabantur. Ita enim (lib. VIII. cap. 13.) legitur: *Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, inferant in pastophoria.* Aucto deinde fidelium numero et arcani disciplina sublata, Eucharistiam in templis haec fuerit asservata, certo tamen constat tum ex antiquis libris ritualibus unico in loco semper servatam fuisse. Nec aliter Ecclesia in praesenti disciplina disponit. Quoties enim Caeremoniale Episcoporum loquitur, aperte indicat unum tantum esse debere hoc altare, non vero pluria. Et quoniam in nonnullis Ecclesiis haec consuetudo, de qua in proposito dubio agitur, irrepserat, S. haec Congr. in una Augustae Praetoriae diei 21. Julii 1696 declaravit: *SS. Eucharistiam servandam esse in uno tantum altari designando ab Episcopo.* Praeterea relata consuetudo praecipue illi venerationi ac obsequio adversatur, quo prosequi opus est tantum Sacramentum. Quandoquidem cum humana natura ita instructa sit, ut quidquid nimis commune videt, id minori prosequatur obsequio, si plura in eodem templo occurrerent altaria, in quibus Eucharistia custoditur, fidelium pietas ac reverentia ex multiplicitate minueretur. Insuper genua flectendi obsequium vel a populo nimis frequenter esset repetendum vel ob ipsam occasionis frequentiam non raro praeteriretur. Hinc ut christiani venerationis actus, pietatis officia ac religionis testimonia erga SS. Eucharistiae Sacramentum facilius adimplere valeant, expedit profecto vitare, ne ad ea omnia saepius quam par est teneantur. Hujusmodi igitur consuetudo irrationabilis omnino videtur, utpote quae contraria est tum veteri tum praesenti Ecclesiae disciplinae, ab hac S. Congreg. est reprobata; nullo demum fulcitur vel cultus splendore vel fidelium commodo vel caeremoniarum utilitate. Quapropter respondendum putarem: *Negative.*

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 781.)

2) In capella regia.

Toletana.

Remisso S. R. Congregationi pro voto a SSmo Dom. N. supplici libello majestatis catholicae sibi a Exmo Domino duce de Medina Coeli apud s. Sedem ordinario illius oratore praesentato, super facultate concedenda imposterum exponendi in sua regia

capella SS. Eucharistiae Sacramentum cum ejusdem Missae celebratione singulis mensibus per annum. S. Congregatio praefata, ad relationem Emi de Laurea, censuit petitam gratiam expositionis concedi posse in diebus arbitrio ipsius serenissimi regis semel tantum designandis et nunquam deinceps immutandis et servatis quoad Missam rubricis missalis romani.

Die 10. Januarii 1693.

(Anal. J. P. 1865 p. 1332 n. 2491.)

3) In capella pro exercitiis destinata.

Urbis.

Supplicante P. Rectore Seminarii romani nomine totius illius communitatis pro concessione facultatis retinendi SS. Eucharistiae Sacramentum in capella destinata publicis exercitiis pietatis, S. R. Congregatio, re mature discussa et bene perpensa, respondit: Non liquet et interim cum SSmo.

Die 2. Septbr. 1679.

Et facta SSmo relatione Sanctitas Sua renuit.

Die 16. Septbr. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1223 n. 2111.)

4) In Cathedralibus.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.* n. IV.); *SS. Sacram. Euch.* (exposit. in Pontifical.). *Tabern. in Cathedr.*

5) In Coena Domini.

Vd.: *Sepulchrum* (erectio); *Coena Dom.* (clavis etc.); *Tabernacul.* (Ornatus).

Confratres s. Crucis de Keres fer. V. Coena Dom. non possunt monumentum instruere in capella et in eo asservare SSmum in fer. VI. Parasceve. n. 3297 ad 2 die 20. Decbr. 1692; n. 3627 ad 2 die 6. Maii 1702.

Non licet Confraternitati SS. Sacramenti Montis Marciani fer. V. in Coena Dom. facere Sepulchrum et conservare in eo SSmum usque ad occasum solis et illud amovere ad effectum asservandi in tabernaculo ac facere processionem per Ecclesiam sine consensu parochi. n. 3457 ad 3 et 4 die 25. Jan. 1698.

Apponi non debet sigillum in ostiolo, ubi fer. V. in Coena Dom. reconditur SSmum. n. 4986 ad 1 die 7. Decbr. 1844.

6) In Domibus et itineribus.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 6. n. VII. t. III. p. 250).

7) In Eccles. Confrat.

Episcopus potest ex causa concedere Confraternitatibus Laicorum, ut SSmum conservent in eorum Ecclesiis.

S. R. C. 11. Jun. 1604 *Iscolen de Ferro.*

Vd.: *Orator. publ.* (functiones etc.); *SS. Sacr. Euch.* (asserv. in eccl. non paroch. etc.).

Anconitana.

Confraternitates SS. Sacramenti et Rosarii terrae Syroli Anconitanae dioecesis exponentes ab immemorabili semper retinuisse in eorum ecclesiis SS. Sacramentum, novissime ab Ordinario in Synodo ordinatum fuisse, nonnisi ecclesias parochiales illud retinere posse, supplicarunt pro licentia illud retinendi, non obstante decreto synodali. Et S. C. resp.: *Nihil.*

Die 11. Decbr. 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 199).

Senogalien.

In causa asservationis SS. Sacramenti extra parochialem per Confratres societatis SS. Sacramenti civitatis Senogallien. stante immemorabili allegata, S. Congr. mandavit recipi probationes formiter supra dicta immemorabili per

Vicarium gen., ad effectum illas postea transmittendi ad hanc S. Congregationem, sed interim Confratres abstineant omnino a praedicta asservatione.

Die 24. Julii 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269.)

Ad dubium: An in eadem Confratrum ecclesia de sola licentia Episcopi et per tempora ab ipso praefinita liceat publicae venerationi exponere SS. Sacramentum illudque tamdiu in tabernaculo retinere?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1747 ad 4.

Ad dub.: An et quomodo in dicta ecclesia s. Mariae Gratiarum retineri possit tabernaculum jam extructum seu potius sit locus ejus demolitioni in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad I. partem remoto ostiolo; negative ad II.

Die 11. Julii 1767.

Isolana de Forio.

In causa vertente inter Magistros et Confratres societatis s. Mariae de Laureto loci de Forio Isolanae dioecesis et Episcopum Isolanum circa facultatem retinendi et conservandi SS. Sacramentum in praedicta ecclesia, prout ex privilegiis a Sede apost. eisdem concessis per spatium annorum viginti hactenus retinuerunt et decenter conservaverunt, ac processiones faciendas per dictos Confratres et alios Confratres SS. Rosarii in eadem ecclesia singulis mensibus, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis de Monte, cui haec causa commissa fuerat, S. R. Congregatio censuit et declaravit: debere Confratres praedictos debita cum reverentia et submissione ab Episcopo Isolano eorum pastore SS. Sacramentum petere, qui eis concedere debeat, ut juxta eorum consuetudinem et privilegia et pro servitio etiam hospitalis eidem ecclesiae contigui, illud in eadem ecclesiae debita cum reverentia et decentia conservare possint. Et processiones solitas facere singulis mensibus et aliis festivitatibus solitis, dummodo servent formam libri caeremonialis Episcoporum circa hastas baldachini deferendi in processione juxta SS. Sacramentum. Quas processiones facere debeant eodem modo et forma, prout fiunt in Cathedrali ecclesia Isolana. Et ita statuit, decrevit, ordinavit.

Die 19. Junii 1604.

(Anal. J. P. 1863 p. 33 n. 120.)

Ad dubium: An liceat eisdem Confratribus in qualibet fer. 3. per totum mane illius diei asservare in tabernaculo SS. Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christifidelibus in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi.

Die 17. Julii 1773 *Faventina.*

Indubii juris est, SS. Eucharistiae Sacramentum asservari et retineri non posse in Ecclesiis Confraternitatum absque speciali indulto Sedis apost., ut etiam declaravit *S. C. R. in dictis Decret. gen. ad dub. 26.* Inquirendum hinc, an idem indultum praesummendum sit in vim immemorabilis observantiae, vel saltem, cum non de *continua* retentione Sacramenti quaestio sit, sed tantum de *brevi* tempore toto scilicet mane fer. 3., sufficiat sola Episcopi licentia. S. Congregatio *in una Cassanen. 12. Augusti 1747* proposito dub. IV.: *An in Confratrum Ecclesia de sola licentia Episcopi et per tempora ab ipso praefinita liceat publicae venerationi exponere SS. Sacramentum illudque tamdiu in tabernaculo retinere,* respondit: *Affirma-*

tive, et Episcopus prudenter concedat.

(Ex resol. S. C. C. diei 3. Aprilis 1773 *Faventina.*)

Mazzarien.

Porrecto SSmo D. N. Innocentio PP. XII. supplici libello e Confratribus Confraternitatis seu Congregationis s. Mariae Agonizantium in ecclesia saeculari s. Caroli oppidi Parlamae Mazzarien. dioecesis canonice erectae, quo Sanctitati Suae humiliter supplicabatur, ad augendam spem habendi suffragium Eucharistiae expositionis in articulo mortis, devotionem et pietatem, tam ipsorum confratrum quam caeterorum oppidanorum, pro indulto asservandi perpetuo in ecclesia praedicta SS. Eucharistiae Sacramentum, eoque a Sanctitate Sua ad S. R. Congregationem remisso, S. eadem R. C., referente Emo Cardinali S. Clementis, attentis relatione ordinarii et consensibus tam parochi quam beneficiarii ecclesiae s. Caroli praedictae, concurrentibus pro gratia peculiaribus requisitis ad decentem in eadem ecclesia SS. Sacramenti custodiam, gratiam petitam arbitrio Episcopi esse remittendam censuit.

Die 3. Octbr. 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1385 n. 2700.)

Carpentoracten.

Cum in sacello Confratrum sodalitatis Poenitentium alborum loci Carumbi Carpentoracten. dioecesis quinquies per annum SS. Eucharistiae Sacramentum exponatur et obstantibus decretis de nocte in eodem sacello nequeat retineri, sed ante occasum solis ad ecclesiam parochialem debeat deferri, cumque ob parochiae distantiam et aliquando ob temporum injurias non tam decenter, imo cum maximo incommodo delato praedicta fieri contingat, Confratres sodalitatis praedictae S. R. Congregationi, pro facultate retinendi sacrosanct. Hostiam in suo sacello per noctem subsequentem, usquedum a sacerdote in aurora proximae diei a celebrante consumetur, humiliter supplicaverunt. Et S. eadem R. Congreg., audita relatione Episcopi Carpentoracten., cui scriptum fuerat pro informatione, attento maxime consensu parochi, gratiam petitam, dummodo cum custodia et lampadibus decenter asservetur, nec non clavis tabernaculi sacerdoti in aurora diei subsequentis quam citius consummaturo consignetur, oratoribus benigne indulsit atque concessit.

Die 9. Maii 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1381 n. 2684.)

Ad dubium: An SS. Sacramentum retineri possit in Oratorio Confrat. Orationis et Mortis loci Praedarii?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 24. Septbr. 1718.

Sub die 13. Jan. 1720 ad idem dubium resp. fuit: *In Decisis, arbitrio tamen Episcopi attentis circumstantiis facti.*

Ad dubium: An retinere valeat tabernaculum in altari pro asservando SS. Eucharistiae Sacramento dumtaxat de mane et post Missarum celebrationes tabernaculum apertum et vacuum retineri in oratorio publico?

S. C. resp.: Negative et amplius.

Die 13. et 17. Junii 1744.

Neapolitana.

Recurrente jam praedefuncto parocho Quidello parochiae s. Januarii ad ultimum hujus civitatis pro declaratione neutiquam asservari posse sacram synaxim in ecclesia Conservatorii mulierum sub invocatione ss. Philippi et Jacobi, quod regitur per Consules

seu Administratores laicos artis serici, S. haec Congr. sub die 2. Julii 1707 resolvit, non posse juxta decreta in Salernitana 19. Aug. 1802. His vero non acquiescentes dd. Consules praetendentes ulterius administrari posse a Confessario dicti Conservatorii omnia Sacramenta mulieribus in eo existentibus independenter parocho vigore asserti Brevis s. m. Sixti V., cujus copiam exhibuerunt, proposita fuerunt infrascripta dubia in folio nunc ex benignitate reassumendo diei 28. Julii anni proxime praeteriti:

I. An sit standum vel recedendum a decisis sub die 2. Julii 1707?

II. An Confessarius Conservatorii ss. Philippi et Jacobi valeat administrare monialibus omnia Sacramenta privative quoad parochum?

Et S. C. resp. ad I.: In decisis, et supplicent SSmo; ad II.: exhibeatur breve.

Cumque jam ad tenorem primae resolutionis iidem Consules preces S. D. N. porrexerint, eidem S. Congregationi remissas, fuit exinde requisita informatio Emi Archiepiscopi, qui refert ex testibus in ejus curia examinatis constare de immemorabili quasi possessione asservandi tabernaculum cum SS. Eucharistia in praefata ecclesia Conservatorii, quemadmodum pariter id liquere subdit ex quibusdam anteactis visitationibus, necnon ex diplomate sibimet exhibito S. M. Sixti V. continente amplissimam facultatem retinendi et conservandi omnia Sacramenta eidem ecclesiae elargitam, ac tandem Episcopus inquit, modernum parochum suum consensum in forma praestitisse super gratia ab oratoribus obtinenda. Recitatis hujusmodi precibus in Congregatione praeterita jussum fuit, ut ponerentur in folio, prout humiliter instantibus iisdem oratoribus executum fuit sub dubio:

An et quomodo sit indulgendum pro continua asservatione SS. Sacramenti Eucharistiae in ecclesia Conservatorii in casu?

S. C. die 17. Apr. 1709 repondit: Affirmative.

8) In Ecclesia hospitali.

Vd.: *SS. Sacram.* (administr. p. 488.)

Quiten.

Rex Hispaniarum catholicus petit concedi, ut in ecclesia hospitali civitatis s. Francisci Quitoae in America meridionali asservetur Sacramentum et oleum infirmorum, et deputetur sacerdos pro administratione Sacramentorum poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis, necnon habeantur campanae minores quam in ecclesia cathedrali, et mortuorum cadavera inibi tumulentur, et demum indictum hospitale fruatur iisdem indulgentiis, quibus gaudet regium aulae hospitale.

Et S. Congr. rescribendum censuit: Possint Eucharistiam asservare, dummodo decenter faciant, habeant sacerdotem approbandum ab Ordinario, qui Sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis praebeat. De indulgentiis, concedendae quidem esse videntur, sed prius specificentur.

Die 11. Maii 1593.

(Anal. J. P. 1363 pag. 3. n. 10.)

Senarum.

Mulieres Congregationis s. Nicolai in Saxo, l' ospedale di madama Agnese di Siena vulgo nuncupatae supplicarunt pro licentia asservandi in earum ecclesia SS. Eucharistiae Sacramentum, accedente etiam commendatione et voto Archiepiscopi Senarum pro concessione, et S. R. Congreg. remisit ad Archiepiscopum Senarum, ut, si ei videatur, concedat.

Die 29. Novbr. 1632.

(Anal. J. P. 1863 pag. 247.)

Barchinonen.

Everso funditus cum vi bellorum tum regiae arcis aedificatione vetustissimo pauperum peregrinorum hospitali, quod Barchinonae erat sub titulo b. Mariae de Mari, cum ejus redditus superessent, novum cum nova atque eleganti ecclesia postremis hisce temporibus extructum fuit, in quo triduo hospitantur peregrini sive ab Hispaniis in Italiam venientes sive ab Italia in Hispanias. Cum vero novum hoc hospitale eique adjuncta ecclesia septingentis circiter passibus a parochiali distet ecclesia, e qua non opportune quandoque transferri potest ad peregrinos infirmos augustissimum Eucharistiae Sacramentum, cum eadem hospitalis ecclesia satis ornata sit, cum redditibus instructa, cum suum habeat sacerdotem et sodales plures ex cultioribus urbis illius civibus, qui hospitali et ecclesiae serviunt, neque vicini desint propinquarum domorum habitatores, qui eam concelebrant, fere necessarium putaruut Decuriones civitatis, qui idem hospitale administrant, ut in ejus ecclesia perpetuo servaretur augustissimum Eucharistiae Sacramentum, praesertim cum jam veniam obtinuissent ab Episcopo illud certis diebus publicae adorationi exponendi, quibus Sodales ex eorum instituto opera quaedam pietatis exercent. Ut igitur facultatem hanc perpetuo illud retinendi facilius impetrare possent, consensum obtinuerunt a parocho, penes quem est habitualis cura animarum, inde hac de re rogarunt Episcopum, qui rescripsit audiendum esse Vicarium perpetuum et sacerdotes adscriptos paroch. ecclesiae. Paulo post decessit Episcopus et Vicarius capitularis, perpensis supra adductis causis, veniam perpetuo retinendi in ecclesia hospitalis augustissimum Eucharistiae Sacramentum sine praejudicio jurium parochialium indulsit. Appellarunt Vicarius perpetuus et sacerdotes ecclesiae parochialis ad sanctam Sedem et postularunt a signatura justitiae circumscriptionem ejusdem concessionis utque causa ad judicium Rotae deferretur, sed magistratus Barchionensis preces obtulit sacratissimo principi nostro, quibus postulavit indultum retinendi et publicae adorationi exponendi augustissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia hospitali ideoque Emis Patribus cognoscendam esse decrevit. Auditus igitur novus Episcopus luculenta epistola animi sui sententiam secundum postulationem magistratus aperuit, rationes omnes Vicarii perpetui et eorum sacerdotum ecclesiae parochialis, qui cum Vicario perpetuo sentiunt, alii enim consensum praestant magistratui, funditus rejecit eoque magis perpetuam retentionem august. Sacramenti indulgendam censuit: „quod, cum ab anno et fere tribus mensibus SS. Sacramentum in hospitali ecclesia asservetur, si postulatum indultum denegaretur, cederet in magnum dedecus magistratus totam civitatem repraesentantis, et aliunde impedirentur spiritualia exercitia Confraternitatis SS. Crucifixi etc., et quod caput est, quasi scandalum oriretur in civitate, cum ibidem sueverit SSmum hucusque omnium approbatione ac plausu publicaque gratulatione tam nobilium quam popularium retineri, et quod magis est, etiam quorumdam presbyterorum residentium ejusdem parochialis, qui irrationabilem esse putant contradictionem Vicarii et aliorum.“ Haec Episcopus. Causa nunc proponitur et iisdem juris et prudentiae rationibus disputat magistratus concedendum esse apostol. indultum. A Vicario et sacerdotibus ecclesiae parochialis nihil habuimus. Dubium est:

An sit locus concessioni indulti pro continua retentione Ven. Sacra-

menti Eucharistiae in ecclesia hospitali seu s. Marthae in casu?

S. C. resp.: Arbitrio Episcopi pro tempore, salvis juribus parochialibus et concordia anni 1734, et amplius.

Die 7. Febr. 1756.

9) In Ecclesiis Monialium.

Neapolitana.

Vd. t. III. p. 506,

(Conc. Tr. c. 6. sess. 13. De asserv. Sacr. Euchar.; cap. 1. 14. sess. 23. De Reform.)

Intra districtum parochiae s. Januarii ad ulmum constitutum reperitur Conservatorium mulierum sub invocatione ss. Philippi et Jacobi, quod regitur a Consulibus laicis et Deputatis artis serici; in cujus ecclesia cum asservari consueverit sac. Synax necnon Sacramenta administrari personis ibidem existentibus, Alexander Guidellus modernus parochus recursum habuit ad hanc S. C. exquisitaque de more Ordinarii informatione Vicarius generalis Neapolitanus, absente Emo Archiepiscopo, retulit dudum se mandatum de manutenendo concessisse Capellanis antedicti Conservatorii in possessione seu quasi faciendi consuetas functiones et benedictiones ecclesiasticas necnon personis in eo degen. administrandi sacram Communionem, tam tempore paschali quam extra ex causa devotionis, excepta tamen administratione SS. Viatici et extremae unctionis, in qua se manutenuisse, subdit informans, parochum, uti latius in decreto, quod datur in Summario. Subindeque perurgente eodem parocho in hacmet S. Congregatione pro declaratione, neutiquam in praef. ecclesia asservari posse SS. Eucharistiae Sacramentum, sub die 2. Jul. 1707 parte citata et non comparente, resolutum fuit: *Non posse, et dentur decreta,* quae signanter sunt in Salernitana 19. Augusti 1702. Nempe: *An eaedem Oblatae possint in earum ecclesia asservare SS. Sacramentum et sacrum Oleum infirmorum, sine licentia S. Congregationis et consensu parochi?*

S. C. resp.: *Non posse sine licentia S. Congregationis.*

Concordatis itaque infrascriptis dubiis EE. VV. decidendum proponitur:

1. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 2. Julii 1707?*

2. *An Confessarius Conservatorii ss. Philippi et Jacobi valeat administrare omnia SS. Sacramenta Monialibus privative quoad parochum?*

S. C. C. resp. *ad 1.:* In decisis, et supplicent SSmo;

ad 2.: Exhibeatur Breve Sixti V., quod hoc indultum retinere refertur.

Die 28. Julii 1708.

Ad dub. earundem Monialium: An et quomodo sit indulgendum pro continua asservatione SSmi in Ecclesia Conservatorii?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 17. Apr. 1709.

Neapolitana.

Puellis ac monialibus Conservatorii s. Mariae nuncupat. *del Buon Cammino* civitatis Neapolis humiliter S. R. Congregationi supplicantibus pro indulto retinendi Venerab. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia Conservatorii praedicti, S. eadem R. Congregatio, attentis relatione Emi Archiepiscopi Neapolitani ac consensu parochi, indulti petiti concessionem pro ecclesia exteriori tantum, arbitrio ejusdem Emi Archiepiscopi remittendam censuit.

Die 11. Julii 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1382 n. 2689.)

10) In ecclesiis et claustris Monialium asservarine possit s. Particula furtiva et reportata?

Vd.: *SS. Sacram.* euch. (particulae dubie consecratae etc.; miraculos.)

Granaten.

Apud Alhamae oppidum in ecclesia PP. Carmelitarum anno 1725 patratum fuit sacrilegum furtum sacrae pyxidis, in qua complures sacratissimae particulae asservabantur. Probata per curiam ecclesiasticam earum identitate, cum repertae fuissent in domo rei, primum in ecclesia PP. Clericorum Minorum civitatis Granatensis, deinde solemniori pompa translatae fuerunt in chorum inferiorem extra clausuram Monialium Ordinis s. Francisci Excalceatarum Monasterii sub invocatione angeli custodis, donec die 4. Novbr. ejusdem anni 1725 jussu Archiepiscopi Perea clausae in parva pyxide argentea sigillis obsignata, translatae fuerunt in chorum interiorem intra clausuram ejusdem Monasterii, in quo etiam modo asservantur.

Summa fuit, uti etiam in praesens est veneratio et cultus Monialium erga SSmum hoc depositum; jugiter enim diu noctuque ante illud orant, lampades cereosque accensos retinent et in reparationem illatae injuriae corpori Christi solemne festum quotannis celebrant. Praetereundum tamen non est praedictum Archiepiscopum Peream, cum forsan vereretur ne alicujus ex sacris particulis corruptione, quae temporis successu evenire potuisset, Moniales periculo materialis Idololatriae exponerentur, jussisse in eodem altari asservari quoque et renovari augustissimum Eucharistiae Sacramentum.

Cum vero Praesul de Tauro in Archiepiscopatu Successor quaesivisset a Monialibus apostolicum indultum, cujus vigore ipsis fas esset asservare intra clausuram augustissimum Eucharistiae Sacramentum, earum nomine anno 1734 supplex hac de re libellus exhibitus fuit S. Congregationi. Datis de more literis ad Archiepiscopum, ut de re tota referret, hic adhibitis peritis assumptisque etiam expertis viris ecclesiasticis ad earumdem particularum formalem recognitionem devenit. Cum constitisset particulas incorruptas esse, Archiepiscopus jussit, ne loco dimoverentur, quinimmo vetuit, ne inibi in posterum conservarentur aut renovarentur aliae particulae consecratae, quemadmodum vigore decreti Archiepiscopi Perea actum fuerat: „Perche in esse, come consagrate persisteva l' oggetto certo, e determinato all' adorazione di Latria, che gli si deve, per la quale adorazione, non v' era bisogno di consagrarvi altre distinte Particole, perche essendo quelle incorrotte si conservava Christo sagramentato."

Decreto hoc Archiepiscopi cum Moniales voti compotes evaserint, nihil ulterius actum comperitur in S. Congregatione. At ab inde citra frequentiores praedictarum particularum recognitiones fuerunt. Ab anno namque 1735 usque ad annum 1751, quos superstes fuit idem Archiepiscopus de Tauro, vel singulis vel saltem alternis annis recognitiones peractae fuerunt, in quibus constanti semper peritorum relatione constitit, particulas incorruptas permansisse. Eadem methodo se gessit Praesul Onesimus in Archiepiscopatu Successor; nam ab anno 1753 ad annum 1756 singulis annis easdem particulas personaliter visitavit atque incorruptas recognovit. Similiter annis 1758 et 1759 Capitulum Cathedralis, vacante sede archiepiscopali, ad ipsarum recognitionem processit. Eadem denique methodo usus est hodiernus Rmus Archiepiscopus, qui integro decennio octo vicibus sive per se sive per suum Vicarium

generalem easdem particulas visitavit, easque incorruptas rocognovisse asseruit. Cum vero hic nollet diutius tolerare, quod sacrae hae particulae asservarentur intra clausuram Monialium, sive quia hoc decreto s. Conc. Trident. vetitum est, sive quia praeter necessitatem clausurae leges violarentur frequentibus recognitionibus, quae etiam Monialium quietem turbare eisque etiam sollicitudinem affere potuissent, curarunt moniales obtinere apostolicum indultum, cujus vigore Archiepiscopi committebatur arbitrio facultas indulgendi retentionem intra clausuram praedictarum SS. Particularum. Verum Archiepiscopus antequam suum interponeret arbitrium ad novam recognitionem die 25. Octobris deveniendum decrevit, cui et ipse interfuit.

In hac itaque peritorum et virorum ecclesiasticorum judicio renunciatum fuit, particulas majores adhuc integras et incorruptas subsistere, in minoribus vero et minutissimis fragmentis aliquid immutationis vestigium deprehendi, ita ut gravis esset difficultas *di qualificarde incorrotte.* Quamobrem Archiepiscopus audito etiam promotore Fiscali commisso uti noluit arbitrio, quinimmo non obstante novo rescripto impetrato a Monialibus, quod subreptitium agnovit, jussit decrevitque: „che ..... (*textus originalis erat corruptus*) cola piside legata, e sigillata, che esiste nell' altare del Coro alto, dentro la quale si racchiudono quelle sagre Particole, si trasportasse, comi si ritrovava da qualunque dė capellani de Monastero al Ciborio dell' altare Maggiore in ora opportuna, in cui fossero chiuse le porte, senza pompa straordinaria, e per il passo interno della Sagrestia etc. Riservandoci di provederne a suo tempo circa al modo e forma di fare in appresso le ulteriori ricognizioni".

Gravissimum hoc fuit Monialibus; quae cum ipsi Archiepiscopo significassent, velle ad sacram Congregationem earum preces deferre, ipse ultro hac de re distinctam exaravit rerum omnium expositionem, ex qua superius relata desumpta sunt et ad hanc ipsam sacram Congregationem transmisit, quin suam explicaret animi sententiam et ipse quoque in hoc negocio EE. PP. definitionem expectans.

Petunt igitur Moniales indulgeri sibi facultatem retinendi in choro interiori praedictas sacras particulas. Exponunt se esse in possesione quinquaginta ferme annorum asservandi intra clausuram sacratissimum hoc depositum ab ipsis diu noctuque coli et venerari, lampades cereosque accensos retineri, quotannis solenne festum celebrari, in reparationem injuriae sacrilego furto illatae SS. corpori Christi, sacratissimas particulas ab anno 1734 usque ad praesens singulis fere annis ab Archiepiscopis pro tempore recognitas, non sine evidente miraculo illaesas, incorruptasque repertas, quod humana ratione evenire non potuisset, praesertim cum azimum faciliori dissolutioni obnoxium sit.

Subdunt vetitum quidem esse asservari et retineri intra Clausuram Eucharistiae Sacramentum, verum intelligendum de eo, quod conficitur pro sacra Synaxi et ad ritualis praescriptum singulis saltem hebdomadis renovari debet; hac sub lege minime comprehendi casum, in quo sacratissimae particulae a sacrilega latronis manu praeservatae quinquaginta ab hinc annis cum evidenti prodigio supra naturae ordinem illaesae atque incorruptae supersunt et tales in posterum etiam futuras confidunt. Denique ex Archiepiscopi relatione in tot peractis visitationibus nihil evenisse, quod perturbationem attulerit. Summa sunt haec rationum capita, quibus Monialium petitio innititur.

Contra promotor fiscalis potissimum insistit dispositioni sacri concilii de clausura monialium. Hanc autem nimium frequenter et non sine perturbatione Monialium infringi contendit frequentibus recognitionibus. Addit irreverentiam suboriri in ipsa adoratione, quam sacris particulis exhibent Moniales; cum enim eorum chorus interior nimium angustus sit, evenit, quod „vel tempo stesso in cui le Monache adorano le sagre Particole volgono le spalle, all' Altare maggiore, ne mai vi mancava qualche discorso, che si cagiona dallo stesso concorso di altra gente".

Ex facti autem expositione ad sacram Congregationem transmissa ab Archiepiscopo plura ad rerum elucidationem, quarum ullus circumferetur libellus expendenda sunt. Primum nempe, quod ab anno 1734 usque ad praesens singulis ferme aut alternis annis peractae fuerunt sacrarum Particularum recognitiones, ad quas peritos Physicos virosque ecclesiasticos evocari oportuit et frequentiores in posterum esse debebunt; alterum, quod, tametsi in omnibus praecedentibus cognitionibus ab anni 1734 ad annum 1771, tam a praedecessoribus quam ab hodierno Archiepiscopo peractis sacrae particulae incorruptae repertae fuerint, in postrema tamen anni 1773 habetur: „Che nelle particole riconosciute, ve ne sono molte, specialmente quelle di maggior grandezza, che si conservano salde senza indizi di mutazione, corruzione, o risoluzione, che l'altre minori ed anche minutissime, li quali pure stanno racchiuse nello stesso vaso hanno qualche mutazione; che si percepisce col tatto, nella facilita, con cui si stritolano e pericio appunto davano grave motive di dubbio per qualificarle incorrotte et in questo parere convenne ancora il nostro promotore fiscale". Tandem advertendum Archiepiscopum de hisce particulis nil aliud decrevisse quam quod transferri deberent: „dal Coro alto, qui est intra clausuram, al ciborio della Chiesa e collocarsi insieme con l'altre pissidi contenenti le Ostie quotidiane, ripetendo le recognizioni piu frequentemente di quelle si era fatto sino allora".

His igitur praemissis, cum Moniales instent, ut sibi apostolicum concedatur indultum retinendi intra Clausuram has sacras Particulas, quas, ut in praeteritum coluerunt, ita etiam in posterum colent Latriae cultu et ipse etiam Archiepiscopus suo decreto praesupposuerit eodem Latriae cultu honorandas venerandasque, dum pixidem, in qua ipsae custodiuntur, reponi jussit in eodem loco, in quo aliae pixides cum Eucharistia asservantur, abs re non erit, si nonnulla de diuturna sacratissimae Eucharistiae asservatione ex constanti tam veteri, quam recenti Ecclesiae more et disciplina ad EE. PP. memoriam revocentur.

Compertum sane est antiquissimum fuisse morem haud diu sacram servandi Eucharistiam, imo post missae celebrationem communionis reliquias in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali pueris jejunis ad id specialiter advocatis in templos distributas fuisse. Eam praxim saeculo sexto apud Orientales obtinuisse probat insigne miraculum, quod tempore imperatoris Justiniani et patriarchae Mennae evenit de puero Judaeo, qui triduo permansit illaesus in ardenti formace, in quam a Patre fuerat projectus, quod cum pueris christianis superstites communiones manducasset, ut refert *Evagr.* hist. Eccles. lib. 4. cap. 35. et *Niceforus* pariter hist. Eccles. lib. 17. cap. 25., qui refert se, cum puer admodum esset, saepius cum aliis pueris reliquias sumpsisse.

team pixidem venderent; adolescentem vero ex Hispanis parentibus et ab avita origine christianis hostias conservasse et patri Joan. Suarez tradidisse, qui cum adhibito in Consilium patre Gabriele Vasquez eas ob suspicionem veneni in loco humido sed decenti reposuisset, ut humore corruptas in cineres redigeret et sancte consumeret ipsas, post aliquot tempus non putrefactas sed candidas et integras invenit, atque in eodem statu diu eas vidit, licet ad sumendum experimentum alias quasdam hostias non consecratas in eodem humido loco reposuisset, quas reperit putrefactas et vermiculis scatentes, verum tamen est quod cum successive supplicatum fuisset pro facultate ut ab omnibus, tam saecularibus quam regularibus, qui complecti ad horas cononicas tenentur, officium cum missa propria recitari posset, cum petitionis examen remissum fuerit a S. C. R., a tunc temporis fidei promotore difficultates et quidem magni ponderis objectae constitutaeque fuerunt in defectu probationis consecrationis hostiarum et identitatis earumdem, ut a s. Congregatione die 20. Martii 1685 instantiae hujusmodi rescriptum fuerit: *non proposita;* quemadmodum haec relata habentur a S. mem. *Bened. XIV.* in ejus opera de canonizat. Sanctorum tom. 4. cap. ult. pag. 884.

His de asservatione praedictarum particularum praemissis, quod attinet ad decretum Episcopi circa earum translationem ad Ecclesiam exteriorem monialium duo sunt animadvertenda. Primum ne frequentibus recognitionibus violetur lex clausurae, quam innovando constitutionem s. mem. Bonifacii VIII. tantopere tantaque sollicitudine praescripsit s. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 5, de qua etiam celebres sunt constitutiones s. Pii V. incipien. *Decori.,* san. mem. Gregorii XIII., cujus initium: *Deo sacris,* et alterius, quae incipit: *Ubi gratiae,* quas omnes innovavit ac confirmavit san. mem. Benedict. XIV. in sua Constitut. 40. incipien.: *Salutar.* Bullar. tom. I.

Alterum, quod in eodem s. Concilio cap. 10. sess. 25. de regularibus et monialibus expresse cavetur quod Eucharistia intra septa monasteriorum non retineatur: „Quod vero SSmum. Christi corpus intra chorum vel septum Monasterii et non in publica Ecclesia conservetur, prohibet s. synodus non obstante quocumque indulto aut privilegio". — Hoc ipsum definivit s. Congregatio Concil. in Toletana An. 1573. lib. I. decret. pag. 192 et in alia Toletana anni 1579. lib. 2. decretorum pag. 154. et in Barchinonen VV. SS. LL. die 16. Julii 1651. lib. 23. decr. pag. 58, solummodo habetur in Olisiponen. anni 1582. datas fuisse literas, Archiepiscopo summum Pontificem benigne indulsisse precibus monialium visitationis ejusdem civitatis, ut possent in interiori parte Ecclesiae in Choro intra Clausuram habere SSmi Sacramenti custodiam, dum tamen exterius pateat aditus Ministro nulloque alio exterioris Ecclesiae loco Sacramentum asservetur, ut ex lib. 4. decretorum pag. 38.

Quid igitur de asservatione praedictarum particularum, quid de Monialium precibus, quid denique de decreto Episcopi definiendum et censendum sit pro eximia qua pollent Sacri juris cognitione omnibus inspectis circumstantiis definire dignentur EE. PP. simulque responsum dare dubio, quod proponitur:

An et quomodo sit providendum in casu?

S. C. respond.: Affirmative juxta decretum Archiepiscopi et ad mentem.

Die 6. Maii 1775.

11) In Ecclesia paroch.

Cf.: *Lampas; Pyxis* (materia).

SS. Sacramentum consecrandum est in quolibet parochiali quantumvis paupere; quodsi redditus et societas non sufficiat, instituatur quaestor vel eleemosynarum collector.

S. C. E. 28. Jan. 1603; 14. Mart. 1614. S. C. C. 22. Mart. 1594.

SS. Sacramentum quando in omnibus parochialibus Montanae regionis asservari pro tenuitate reddituum nequit, episcopus decernere debet, ut in singulas, ternas, quaternasque vicinas parochiales id onus distribuatur, ut in una ex eis habeatur SS. Sacram. et ad impensum lampadis et hujusmodi caeterae vicinae contribuant et, ubi se casus obtulerit, perinde uti rectores possint ac si in propria parochiali illud asservaretur.

S. C. C. 17. Aug. 1697.

12) In Eccles. non paroch. et Oratoriis.

Vd.: SS. Sacr. (ass. in capella, in eccles. Confr.) *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 24.; *Paramenta* (benedictio, decr. Pii VI.); *Orator. priv.* (Bull. Pii VIII. de die 29. Jan. 1830); *Orat. publ.* (t. II. p. 493 etc.)

Non licere in Sodalitatum Laicorum oratoriis, quibus animarum cura non est adnexa nec hospitalitatis jus exercetur, quotidie asservare SS. n. 1558 die 14. Junii 1646.

Non licet Confraternitati SS. Sacramenti montis Marciani continuo retinere SS. in sua ecclesia n. 3457 ad 8 die 25. Jan. 1698; num. 3662 die 22. Sept. 1703.

SSmum. asservandi facultas dari nunquam suevit ab apost. Sede pro oratoriis *privatorum* domesticis. S. C. C. 1851.

Confraternitas disciplinantium Cunci montis regalis Dioecesis obtinuerunt sub die 10. Oct. 1674 indultum asservandi in perpetuum in eorum Oratorio SSmum., dummodo quotidie in eorum oratorio quatuor missae celebrarentur. Cum vero Episcopus in visitatione compererit, pro celebratione trium missarum tantum redditus certos assignatos reperiri et haesitaverit, an obstante defectu quartae missae quotidianae cum eleemosynis Confraternitatis celebrandae, etiamsi plures ultra dictas tres missas ab aliis Sacerdotibus aliunde percipientibus eleemosynam fere quotidie in eodem oratorio celebrentur, esset imposterum in supra recensito indulto permittenda continuatio? S. C. resp.: pro continuatione gratiae n. 3510 die 21. Mart. 1699.

Non licet confraternitati saecul. b. V. M. Confalonis de Urbe in suo oratorio retinere SSmum. n. 8758 ad 13 die 22. Jan. 1707.

SS. Sacram. asservari non debet in Oratoriis cum superpositis cubiculis. Vd.: *Capella* (superposito etc. decr. num. 4770); *Seminarium* (habitacul.

Extra paroch. ecclesias non conceditur retineri *assidue* eucharistia. S. C. Ep. 15. Jan. 1610. Ecclesiae non paroch. ab Ordinario concedi non posse ut in ea retineatur SS. Sacram. *solum pro adoratione* sed requiri licentiam sedis ap. Quodsi Episcopus talem licentiam concesserit, licentiam ipsam nullam esse. S. C. C. 3. Mart. 1668; 3. Jan. 1683.

In Eccles. confrater., neque paroch. neque regul., retineri non potest SSmum. sine spec. Ind. Sedis apost. S. R. C. n. 3670 ad 26 die 12. Jan. 1704; 10. Decbr. 1703.

SSmum. conservari potest in Eccles. etiam non paroch., *si ab immemorabili fuerit in iisdem asservatum.* S. C. C. 27. Apr. 1709.

SSmum. debet quoque asservari in Regul. ecclesiis, *quae de hoc habent privilegium.* S. C. Ep. 25. Maii 1635.

Ad dub.: an in Ecclesiis non paroch. SSmum. asservari possit? S. C. respond. plurimum de prudentia ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit; num. 2017 ad 3 die 22. Novbr. 1659.

SSmum. in Ecclesiis Tertiariarum, quae professionem sol. trium votorum non emittunt nec in clausura vivunt, nullatenus teneri potest. S. C. Ep. 30. Decbr. 1626.

Ex decret. Concilii prov. Viennensis diei 9. Novbr. 1858.

Tolerari non potest, ut in ecclesiis filialibus sacrosanctum Sacramentum asservetur, nisi sacerdotem beneficiarium apud eas residentem habeant vel quotidie in eis sacrificium Missae celebretur, et ab ecclesia parochiali vel quadam virorum regularium domo non ita distent, ut incendio vel inundatione superveniente sacerdos ad Eucharistiam transferendam tempestive accurrere nequeat. Repugnat reverentiae Deo praesenti debitae, ut per integram septimanam vel et longius tempus sine adoratoribus et venerationis documento in ecclesia occlusa delitescat.

Ut autem populus viris ecclesiasticis longe agentibus coram SS. Sacramento ad litanias dicendas vel rosarium aliasve preces recitandas conveniat, refragatur regulis quibus Ecclesia in cultu divino moderando utitur.

Vetitum est, in Oratoriis privatis sacram Eucharistiam sine licentia ab episcopo impertita quibuscumque dispensare. Sacrosanctum Sacramentum ibi asservare nefas est.

(Tit. IV. cap. VII.)

Ex decret. Concilii prov. Pragensis diei 23. Sept. 1860.

Admitti nequit, ut in *ecclesiis filialibus* SS. Sacramentum asservetur, nisi ad eas resideat sacerdos vel in iis quotidie Missa celebretur et ab ecclesia parochiali vel virorum coenobio non nimis distent, adeo ut emergente incendio vel inundatione ad transferendam SS. Eucharistiam sacerdos tempestive adesse possit, ac nisi SS. Eucharistia qualibet hebdommada renovetur, diu noctuque lampas coram ea colluceat, et judicio episcopi adsit necessitas ad consulendum saluti animarum. (Tit. IV. cap. IV. 3.)

Quae obtenditur ratio ut populus ad preces communiter persolvendas absente sacerdote coram SS. Sacramento convenire posset, repugnat praeceptis quae in obeundo cultu divino ecclesia sequitur.

Nuceriae Superioris.

Aeconomi ecclesiae SS. Sacramenti Nuceriae Superioris et b. Mariae de Carmelo de Platea paganorum ejusdem civitatis exponentes alias permissum fuisse dictis ecclesiis licet non parochialibus asservari SSmum. Eucharistiae Sacramentum, nuper a moderno episcopo fuisse in dioecesana synodo interdictum, supplicarunt pro licentia illud retinendi et sacra Congregatio laudavit et approbavit dicti episcopi decretum.

Die 20. Junii 1626.

(Anal. I. P. 1863. p. 187.)

Firmana.

Intra limites parochiae, quae unica est in castro Missiniani, adest ruralis ecclesia in honorem sanctorum Felicis et Audacti splendide erecta. Adnexus est eidem ecclesiae titulus beneficii simplicis, cujus rector ad Ecclesiae

cultum duos retinet capellanos, quorum alter ibi quotidie celebrat ac Sacramentum Poenitentiae ministrat, alter celebrat et applicat diebus tantum festivis. Quumque ob insignes gratias intercessione eorumdem Sanctorum a D. O. M. elargitas magna sit in eamdem ecclesiam frequentia Fidelium nondum ex finitimis locis sed ex tota etiam Picaeni Provincia quotidie confluentium, hinc factum est, ut vicinae eisdem Ecclesiae plures extructae fuerint humiles domus veluti vicum efformantes ad habitationem Villicorum ac nonnullorum etiam Opificum. Ob id a tempore, cujus initii memoria deest, asservari in eadem ecclesia consuevit augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ut habitatoribus in ea vicinia morbo detentis praesto esset ejus spirituale subsidium a Capellanis suppetitandum hyemali praesertim tempore, quo intermedium flumen imbribus tumescens inpedimento esse solet, ne parochus in Castro degens eisdem aegrotis tempestive succurrat.

Quum autem Eminentissimus Archiepiscopus in sacra visitatione anni 1768 animadverterit, nullum adesse pro sacramenti retentione apostolicum Indultum, unius anni terminum ecclesiae rectori ad illud obtinendum praestitutum est. Rectoris tamen negligentiae supplevit Castri Universitas atque parochus obtento indulto per literas in forma brevis sub die 5. Maii 1770; loco tamen habendi gratias obtinentibus Ecclesiae rector obreptionis subreptionisque vitio accusavit breve apostolicum, remissaque ex rescripto Sanctissimi tum ejus rei tum aliarum subortarum quaestionum notione sacrae huic Congregationi, e re fisum fuit controversias omnes in septem capita dispertire, quae nunc definiendae subjiciuntur.

Quoad I. sustinent parochus et universitas Massiniani, nihil in precibus fuisse expositum, quod veritati adamussim non cohaereret, omniaque relatione Emi archiepiscopi fuisse confirmata nihilque reticitum, quod necessario foret exprimendum. Hinc onus rectori inhaerere concludenter probandi obreptionem vel subreptionem, *Marescott.* var. resolut. lib. 2. cap. 37. num. 69, *Rot.* dec. 485. num. 3 et 4. part. 4. tom. 2. Recent., praesertim cum gratia jam fuerit exequutioni mandata, *Rot.* ibidem num 5 et 6.; Advertunt insuper, quod etiamsi aliquid in supplici libello fuisset reticitum nihilominus Summum Pontificem, de omnibus fuisse certiorem redditum ab Emo archiepiscopo, idque ad excludendam subreptionem sufficere, *Text. in Leg. Idem Dulpian. 12 §.: Sunt, Rot.* in recent. dec. 227 num. 9. part. 13. Caeterum observant, tunc subreptionem induci, quando circumstantia, quae reticita fuit, vel summum pontificem a concessione gratiae retraxisset vel illum difficiliorem reddidisset, *Rot.* cor. Merin. decis. 688. n. 7 et decr. 162. num. 43 part. 12 Recent.

Ad II. Fatentur quidem ex littera indulti compelli non posse rectorem ecclesiae SS. Felicis et Audacti ad retinendum in ea sanctissimum Sacramentum, secus tamen si ratio habeatur mentis Summi Pontificis indultum concedentis, et causam, ob quam illud fuit concessum, sane non aliam fuisse dicunt, nisi, ut prospiceretur adjacentium incolarum necessitati, qui lethali morbo correpti, non raro Sacramentorum auxilio destituebantur. Cogendum idcirco rectorem ad retinendum SS. Sacramentum, ne mens et intentio summi Pontificis fraudata remaneat.

Addunt post obtentum indultum jus ipsis fuisse quaesitum ad id cogendi

rectorem vigore etiam immemorabilis consuetudinis, quam ex testibus et relatione Emi Archiepiscopi resultare affirmant. Ex hac autem consuetudine praesumptionem desumi cujuscumque tituli inductivam, *Rot.* coram Coicim. decis 425. num. 5, coram Buratt. decis 692, nnm. 6, et coram Cerro decis. 402. num. 2. Hinc praesumendum aliquam quoad tempus praeteritum intercessisse conventionem injunctamque obligationem pro retentione SSmi Sacramenti; maxime quia ex actis Visitationum eruitur, onus adjectum fuisse rectori sacramenta poenitentiae et Eucharistiae populo administrandi.

Observant insuper, indultum sumptibus communitatis Massiniani fuisse impetratum, neque idcirco populum privari posse commodo atque utilitate ex eo dimanante; nec modo posse a rectore in controversiam revocari, cum jam fuerit exequutum, Spad. cons. 52. num 8. tom. 2., Rot. dec. 14. num. 7 part. 16. Recent.

Rector Ecclesiae SS. Felicis et Audacti nihil hactenus deduxit. Caeterum Sacramentum in Ecclesia retinet, oleum pro lampade praebet, Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae per capellanos administrat et jurium parochialium exercitium parocho Massiniani non impedit.

Nota sunt, quae de retinendo SSmo Eucharistiae Sacramento in Ecclesiis sacri canones disponunt. Ponderandum itaque in facto, quod ex actis visitationis anni 1669 resultat, asservatum in Ecclesia SS. Felicis et Audacti fuisse SSmum. Eucharistiae Sacramentum: Idque ipse desumitur ex visitatione annni 1687, ex qua insuper deprehenditur unum ex capellanis teneri administrare populo Sacramentum poenitentiae et quotidie in Ecclesia celebrare, alterum vero, qui sacristiae munere fungitur, obstrictum esse singulis festis diebus de praecepto ad sacrificii celebrationem et applicationem.

Ex iisdem quoque Visitationibus habetur, parochum castri Massiniani, in cujus districtu memorata ecclesia sita est, functiones omnes parochiales occasione funerum exercuisse eoque impedito illas a Capellanis Ecclesiae fuisse peractas; et hoc etiam colligitur ex visitatione anni 1695 atque ex altera anni 1699, in qua ulterius injunctum legitur Capellanis onus docendi Fidei rudimenta rusticos societatis s. Isidori. Eadem repetuntur ex Visitatione annorum 1711 et 1715, atque in aliis, quae gestae fuerunt annis 1722 et 1728, mandatum deprehenditur utrique capellano ut Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae populo administraret.

Praeter haec habendae pro oculis sunt partitae extractae ex libris defunctorum parochialis Ecclesiae Massiniani nec non testium depositiones, quae inter monumenta causae recensentur, ut omnibus mature perpensis Emi PP. definiant:

I. *An constet de obreptione vel obreptione brevis seu indulti apostolici concedentis facultatem retinendi in Ecclesia SS. Felicis et Audacti SSmum Eucharistiae Sacramentum in casu?* Et quatenus negative;

II. *An rector et Capellani cogi possint ad retinendum in dicta Ecclesia augustissimum Sacramentum in casu?*

III. *An rector et capellani dictae Ecclesiae teneantur subministrare oleum pro lampade ante idem SSmum Sacramentum ardente in casu?*

S. C. resp.: Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative et amplius.

Ad III. Affirmative quoad rectorem et amplius.

Die 18. Julii et 8. Aug. 1772.

Ad dub.: In permultis Ecclesiis filial. in pagis et vicis, qui partim saltem longe distant a parochiis vel etiam in montanis siti sunt ac interdum a numerosa plebe incoluntur, ex consuetudine tantum vel licentia Ordinarii, non vero, inquantum quidem constat, ap. ad id indulto obtento SSmum perpetuo asservatur, quin tamen sacerdos ibidem habitet vel missa in hujusmodi Ecclesiis quotidie celebretur. Quaeritur ergo:

1) An haec consuetudo tolerari possit? et quum in praesentia quoque licentiam ad hoc peti contingat,

2) Utrum pro Ecclesiis hujusmodi vere filial. in circumstantiis praedictis licentia asservandi SSmum ab Ordinario concedi valeat; an etiam in istis casibus necessario recurrendum sit ad s. Sedem ap.? S. R. C. resp.: Quoad primam quaestionen: Usum non esse tolerandum; quodad secundam: negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 7. Maii 1857 dub. XII. *Limburg.*

Clemens PP. XIII.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus procuratur generalis clericorum regularium Congregationis Somaschae, quod, cum in Academia nobilium nuncupatorum civitatis Venetiarum, a clericis regularibus Congregationis praedictae dirigi solita, propria privata capella decenter ornata ab omnibus ejusdem Academiae mansionibus separata reperiatur, in ea tamen SS. Eucharistiae Sacramentum non asservatur. Ac propterea facultatem asservandi in capella hujusmodi praedictum SS. Eucharistiae Sacramentum pro commoditate adolescentium in Academia hujusmodi pro tempore commorantium eisque inservientium per Nos concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in dicta cappella privata Academiae hujusmodi, dummodo decenter ornata sacrisque suppellectilibus instructa sit, SS. Eucharistiae Sacramentum cum manutentione lampadis semper accensae asservari possit, facultatem auctoritate Apostolica concedimus et impertimur. Ita tamen, ut clavis Ciborii custodiatur per aliquem Presbyterum ipsorum clericorum regularium, a rectore vel superiore dictae Academiae pro tempore existenti deputandum, ut juxta apostolica indulta dictae Congregationi impertita omnibus et singulis sive clericis regularibus Congregationis praedictae sive adolescentibus in eadem Academia commorantibus sive Academiae hujusmodi actu inservientibus praedictum Eucharistiae Sacramentum etiam per modum viatici quocumque tempore absque aliquo censurarum vel poenarum incursu et impune, citra tamen praejudicium jurium parochialium, ministrari libere et licite possit et valeat.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Romae die 19. Apr. 1745.

(Bull. r. Contin. t. III. p. 63 Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VII.

Pro parte sodalitatis seu piae unionis dilectarum in Christo filiarum matronarum ministrantium infirmis pauperibus hospitalibus s. Mariae de Gratia

Caesaraugustanae civitatis expositum nuper est Nobis, quod ipsae actae zelo inflammandi corda infirmorum erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum, illud in hospitalis ejusdem oratorio totis diebus Domini redemptoris et Beatae Mariae virginis ejus matris principalibus festis exponi facere posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis incl nati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus quatenus constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, ut ipsae per cunctos praedictos dies in memorato oratorio, dummodo illud satis ad id idoneum et ornatum sacrisque suppellectilibus mecessariis instructum cognoveris, augustissimum Eucharistiae Sacramentum exponi, proviso tamen, quod expositio ea semper, qua par est, juxta Ecclesiae leges ac regulas, decentia, reverentia et assistentia fiat, libere ac licite facere possint et valeant, licentiam et facultatem, perpetuis etiam futuris temporibus duraturam, auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio et conscientia concedas atque indulgeas.

Datum Romae die 25. Juni 1802.

(Bull. r. Continuatio t. XI. p. 354.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Patriarachae Indiarum Cappellano majori exercituum regis cath.

Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii officiales piae Congregationis, quae Matriti in regali capella regis catholici sub vulgari nomine dell Allumbrado y Vela adunatur ac fraternitatis tuae jurisdictioni subjicitur, quod Congregatio hujusmodi praecipue fuit instituta pro adoratione continua eucharistici sacramenti in tabernaculis asservati, quodque ad sacramenti ejusdem honorem et cultum sacrae ab ea magnisque solemniis celebrantur functiones: quae quidem ut fidelium devotionem quam maxime adaugeant, ipsi exponentes SS. Eucharistiam a die 30. Apr. ad diem usque 9. Maii mox subsequentis quotannis venerationi publicae exponi quae die ac nocte per id temporis retineri aeque ac in nonnullis aliis, uti asserunt, fieri solet Hispaniae locis, facere posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis ac dummodo dicta in capella rerum omnium, quae ad id opus sunt, copia existat, eisdem exponentibus, ut per singulos annos incipiendo a die 30. mensis Aprilis, praevia, juxta Ecclesiac morem, solemnis missae celebratione, augustissimum Eucharistiae Sacramentum in eadem capella publice exponi ac deinde, servata in reliquis forma et dispositione pro hujusmodi expositionibus in rituali Romano praescripta, illud diu noctuque sic expositum jugiter custodiri, nec tandem recondi nisi die nona mensis Maii proxime subsequentis, libere ac licite facere possint et valeant, licentiam et facultatem perpetuo valituram, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium pro tuo arbitrio et prudentia gratis impertiaris.

Datum Romae die 8. Maii 1803.

(Bull. r. Continuatio t. XI. p. 461.)

Leo PP. XII.

Nostrum est, qui universae catholicae Ecclesiae ex arcano divinae providentiae consilio praesidemus, animarum saluti pro viribus omnimode providere, ut quo quis facilius eo et alacrius pietatis opera praestet.

Quum igitur ad Spoleti urbem, quam tot nominibus insignem non possumus non habere carissimam, in ea enim majores Nostri domicilium sibi comparaverunt, rus habeamus, cui nomen „dei Casini" opportunum sane duximus earum aedium sacellum Deiparae virgini et divo Francisco de Paula dicatum nonnullis privilegiis ornare. Qua propter auctoritate Nobis a Domino tradita concedimus et indulgemus, ut inibi super ara decenter ornata per quemcunque sacerdotem a venerabili fratre Archiepiscopo Spoleti probatum *singulis diebus praecipua etiam per annum solemnitate sacris eucharistica hostia possit immolari*, ita ut quicunque diebus festis pietate illa, qua decet, incruento ibidem sacrificio intersit, *ab obligatione solvatur eidem publico in templo assistendi, et Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur*. Praeterea eadem potestate Nostra facultatem facimus, cujus ope in sacello, de quo habita est mentio, sacra suppellectile instructo, *SS. asservare sacramentum liceat, dummodo ibi unum quotidie fiat sacrum, ac ante tabernaculum, in quo divina tegitur hostia, diu noctuque lampas alatur*, itemque ejus tabernaculi clavis maneat penes sacristam sive aedituum, qui fida illam custodia tueatur.

Haec concedimus atque indulgemus sartis tectisque parochi juribus ac non obstantibus apostolicis et in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 5. Maii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 423.)

Gregorius PP. XVI.

V.: Fr. Ep. Mutinensi.

Cum nullum christianae non modo verum civili etiam reipublicae majus meliusve munus afferri possit, quam ut juventus recte diligenterque doceatur atque ad omnem praesertim virtutem et pietatem mature informetur, tum nihil Nobis potius nihilque optabilius quam religiosae ejusdem juventutis institutioni omni cura et studio prospicere, hisce potissimum moribus atque temporibus, quibus adeo prolapsa, ut omnium opibus vel maxime sit excitanda atque inflammanda ad Dei timorem et scientiam Domini amplectendam atque intelligendam justitiam et judicium, aequitatem et omnem semitam bonam. Quamobrem alacri libentique animo piis eorum votis annuere solemus, qui juvenibus optime educandis provide scienterque operam navantes, ea a Nobis efflagitant, quae ad ipsorum juvenum religionem fovendam ac teneros eorum animos ad Dei cultum omneque pietatis sensum ac christianas exercitationes fingendos summopere pertinent.

Hac sane mente dilectus filius collegii Societatis Jesu Mutinae moderator spirituali illorum juvenum bono et utilitati magis magisque consulere exoptans, qui in convictu, uti vocant, patrum ejusdem Societatis ac civitatis degentes, ab iis erudiuntur, supplex ad Nos confugit ac vehementer exoravit, ex Nostra indulgentia facultatem facere velimus, cujus ope in domestico ejusdem convictus sacello sanctissimum Eucharistiae Sacramentum

perpetuo asservari liceat, quo juvenes ipsi praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari animi devotione et amore prosequi assuescant. Addit praeterea suis in votis esse apostolica auctoritate muniri, cujus vi juvenes ejusdem convictus aliique omnes, qui ibi inserviunt vel morantur, sacram synaxin commemorato in sacello peragere possint et omnibus per annum festis diebus etiam solemnioribus tam juvenes praedicti quam alii, de quibus habita mentio est, cum sacrosancto missae sacrificio eodem in sacello adstant, ecclesiasticum praeceptum implevisse censeantur.

Nos igitur, qui paterno ac sollicito studio rectam juvenum institutionem procurandam Deique gloriam amplificandam et animarum salutem augendam, prout pastoralis officii Nostri ratio postulat, spectare debemus, oratorem aliosque omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra Apostolica gratis omnino petitam facultatem tribuas, cujus praesidio augustissimum Eucharistiae Sacramentum commemorato in domestico sacello convictus patrum societatis Jesu istius Mutinensis civitatis libere liciteque perpetuo asservetur, dummodo pro dignitate sit exornatum nec absit ab ea sacra supellex praesertim ad id necessaria. Eadem autem auctoritate Nostra tibi committimus, ut potestatem perpetuo tribuas, qua juvenes ejusdem convictus aliique omnes eidem addicti ibique morantes, postquam contractas animi sordes per sacram confessionem expiandas curarint, caelesti pane sese recreare eodem in sacello possint et *tam juvenes praedicti quam alii, de quibus sermo est, cum festis per annum diebus etiam solemnioribus missae sacro in praedicto sacello adsint, ecclesiasticum praeceptum implevisse censeantur.*

Haec tamen omnia ullo absque pariochialium jurium detrimento concessa volumus. Mandamus vero, ante tabernaculum, quo SS. Sacramentum de more continetur, diu noctuque lampas continenter fulgeat atque ejusdem tabernaculi clavis maneat penes sacristam, qui fida illam custodia tueatur.

Datum Romae die 19. Apr. 1833.
(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 221.)

13) Locus.

Vd.: *SS. Sacr. euch.* (altare.)

Honorius PP. III. Archiep. et Episcopis Hiberniae.

Cum olim vas aureum manna plenum Christi corpus, deitatem continens, praefigurans in arca foederis auro tecta infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur, dolemus plurimum et tristamur, quod in provinciis sacerdotes sanctiones canonicas immo divinum judicium contemnentes, sanctam Eucharistiam incaute custodiunt et immunde et indevote contrectant, quasi creatorem timeant vel recreatorem diligant aut judicem omnium expavescant: quamquam apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiae contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaicae, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de caetero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte praecipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam et signato, semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur.

Die 19. Novbr. 1219.

(Bull. r. t. III. p. 336. Ed. Aug. Taur. 1858.)

14) Modus ass. et sese gerendi cor. SS.

Vd.: *Lampas; Tabernaculum.*

Ut Deo optimo maximo, gloriosae virgini et sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. praedecessoris Nostri constitutionem innovantes ac statuta in Tridentino Concilio*) observari volentes statuimus et ordinamus, ut ad ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant et omnes genibus flexis SS. Sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi domini nostri cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in Ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes judiciorum, et alia quaecumque, quae divinum officium perturbare possunt. Nullus intra ecclesias deambulare audeat sive praesumat, dum celebrantur s. missarum mysteria et alia divina officia.

Qui in suis ecclesiis, dum ibi sacrificium Misae et divina celebrantur officia aut verbum Dei praedicatur, deambulare, vociferari aut verso tergo ad SS. Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid quod scandalum generet aut divina perturbet officia facere praesumpserit, praefatos omnes in ecclesiis delinquentes admoneant et ut in eis vetita fieri non permittant.

S. Pius PP. V. Confrat. „Cum Primum" 1. Apr. 1566.

Ex mandato Pontificis moneantur generales seu quicumque alii superiores quarumcumque religionum, quod in futurum magis decorari omnino faciant luminibus, paramentis aliisque ornamentis altare, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, quam alia in quibus conduntur corpora, reliquiae aut imagines Sanctorum.

S. R. C. 7. Decbr. 1630.

Paulus PP. III. ad Confratern. SS. Corp. Chr. Romae.

Confratres procurent, ut SS. Sacrament. tam in dicta Minerva quam in aliis singulis parochial. ecclesiis Urbis ea qua decet veneratione in loco honorifico et honesto lampadibus accensis die noctuque conservaretur et custodiretur.

Die 30. Novbr. 1539.

(Bull. r. t. VI. p. 275. Ed. Aug. Taur. 1860.)

SSmae Eucharistiae.

SS. D. N. sub die 25. Novembris 1630 jussit mihi secretario ut deducam ad notitiam Emmorum Patrum eius voluntatem, quae est, quod nomine Congregationis literis per me moneantur generales seu quicumque alii superiores quarumcumque religionum, quod in futurum magis decorari omnino faciant luminibus, paramentis aliisque ornamentis altare, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, quam alia, in quibus conduntur corpora, reliquiae aut imagines Sanctorum. Et Emmi DD. mandarunt mihi secretario, ut exequar mandatum Sanctitatis Suae.

Die 7. Decbr. 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 224.)

15) Modus non licitus.

Cf.; *Lampas; Tabernaculum; Reliquae; Pyxis.*

In Ecclesia regalis Monasterii s. Laurentii excurialensis adest in altari majore tabernaculum ex lapide pretioso, in quo continetur alia capsula eximior,

*) Sess. XXII. Decret. de observand. et vitand. in celebr. Missae.

in qua asservatur SS. Sacramentum, sed cum in pariete post tabernaculum sit una fenestra, quae illuminat duo tabernacula praedicta et ista habeant ante et retro fenestellas cum cristallo taliter, quod ex qualibet parte ecclesiae videatur clare et distincte vas, in quo est inclusum SS. Sacramentum, et cum hoc videatur inconveniens, quaeritur: Utrum praedictum vas debeat permanere, ut dictum est supra, vel debeat cooperiri aliquo velo, ut non videatur? S. C. resp. negat ad primam partem, affirm. ad secundam, atque ita obtegendum esse tabernaculum, ut vas, in quo SS. Sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri prossit.

Die 20. Septbr. 1806.

Tollatur abusus tundendi vel etiam miscendi s. Olea, ac iterum coquendi vel alias exsicandi species Sacramenti Eucharistiae Fer. V. Coena Dom., ut deinde illud asservent.

Epist. Bened. XIV. ad Italo-Graecos Presbyt.

Die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97.)

In nonnullis Belgii Ecclesiis et Oratoriis SS. Sacramentum non in medio altaris, verum aut in dextera aut laeva pariete in custodia servari eodem modo, quo s. Olea recondi solent.

S. R. C. resp.: S. C. Sanctitatis Suae nomine omnino prohibet SSmum alio in loco servari praeter quam in tabernaculo in medio altaris posito.

Romae die 21. Aug. 1863.

C. Ep. Port. et s. Rufinae card.
Patrizi. S. R. C. Praef.

16) In Oratorio collegii.

Vd.: *SS. Sacr. euch.* (ass. in eccles. non par.)

„In Ecclesia tantum domus Bellicen. ejusdem instituti Congreg. fratrum s. familiae asservari valet augustissimum Eucharistiae Sacramentum, dummodo altare et tabernaculum judicio Ordinarii sit decenter ornatum, ita tamen ut sacrae particulae qualibet hebdomada renoventur, lampas diu noctuque luceat, clavis ipsius tabernaculi penes sacerdotem diligenter custodiatur ibique sacrum quotidie peragatur, et salva sint jura parochialia. Quod vero spectat ad expositionem SSmi Sacramenti recurrendum erit ad Ordinarios locorum; fratres igitur memorati institui super praemissis nonnisi indulto in hoc decreto uti poterunt et non aliter, nec ullo alio modo. Contrariis etc."

Die 21. Febr. 1851.

(Anal. J. P. 1861 p. 88.)

Senen.

Vd.: *t. III. p. 493. n. 3.*

Supplicante P. Joanne Ambrosio Centurione Societatis Jesu rectore nobilis Collegii de Tholomeis civitatis Senensis pro concessione, ut in capella dicti collegii possit infra annum retineri SSmum et illud exponere per aliquam horam diei occasione, qua illi equites ibi educati faciunt exercitia spiritualia, ut in supplici libello etc. S. Rituum Congregatio remisit arbitrio et prudentiae Rmi Archiepiscopi.

Die 21. Augusti 1688.

(Anal. J. P. 1865 p. 1298 n. 2358.)

Panormitana.

Supplicante Josepho Silvestri canonico cathedralis Panormitanae ecclesiae et rectore seminarii civitatis ejusdem apud s. Rituum Congregationem pro indulto ad instar oratorii tyrocinii Societatis Jesu asservandi in tabernaculo SSm. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia s. Barbarae ejusdem seminarii, attenta qualitate praedictae ecclesiae nonnullis gratiis exornatae et numero commorantium. Eadem s. Congr. in dorso sup-

plicis libelli *Ordinario pro sua prudentia* rescribendum esse censuit.

Die 22. Jan. 1689 et 22. Jan. 1695.

(*Ibid. p. 1304 n. 2383 et p. 1351 n. 2556.*)

Alcala de Henares.

Religiosi ordinis SSmae Trinitatis redemptionis captivorum de Alcala de Henares exponentes religiosos studentes in eadem religione ad hoc ut remoti ab omni strepitu hominum et civitatis, sacrae theologiae et sacrarum scripturarum lectionibus liberius vacare possint, morari extra ipsam civitatem in loco ab ambitu distante per tria milliaria s. Joannis de Vitu nuncupato, ibique habere habitationem undique muris circumdatam cum capella satis decenter ornata, in qua supplicarunt pro licentia retinendi et asservandi SS. Eucharistiae Sacramentum pro studentibus religiosis ibi viventibus; et s. Congregatio concessit, arbitrio Episcopi.

Die 16. Novbr. 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 224.)

Pius PP. IX. ad Congreg. Oratorii.

„Asservandi indultum erit ad decennium in ecclesiis seu oratoriis tam piae Congregationis quam seminariorum, quae presbyteris Congregationis curae concredita fuerint, SSmum Eucharistiae Sacramentum, de consensu tamen Ordinariorum, dummodo in illis adsit tabernaculum decenter ornatum, lampas semper accensa diu noctuque colluceat et SSmum Missae sacrificium quotidie celebretur; clavis autem tabernaculi ab aliquo sacerdote custodiatur.

Datum Romae ex secretaria s. Congregationis Episcoporum et Regularium die 22. Martii 1864."

(Anal. J. P. 1864 p. 764.)

17) In Oratorio domestico.

Urbis.

Ducissa Piani degens in terra Gesualdi petiit licentiam retinendi in suo palatio SSmum Eucharistiae Sacramentum stante quod pro nimio frigore et imbribus hiemalibus nonnisi difficulter potest accedere ad parochialem, allegans super hoc consensum Episcopi Avellini, intra cujus fines terra posita est, necnon consensum curati terrae. Et sacra Congregatio respondit: *Nihil.*

Die 10. Februarii 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 210.)

Vd.: *Orator. priv. t. III. pag. 492 n. 2. Communio frequ.*

Declarat S. C. SSmum Sacramentum non posse neque debere retineri in privatis oratoriis, nisi summorum pontificum privilegia adsint.

S. C. 2. Octbr. 1677.

(Anal. J. P. 1864 p. 818.)

18) A plurib. saeculis jam consecrati SSmi.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (Asservatio in Ecclesiis et Claustris Monial. etc. decr: *Granaten.* §. *Aliud* etc.)

19) In Parasceve.

In fer. VI. in Parasceve parochus, dum e domo infirmorum redit cum Sacramento, non debet hoc recondere in publica Ecclesia.

S. R. C. 15. Maii 1745.

20) Tempus.

SS. Sacramentum pro communione fidelium retinendum esse etiam durante processione Corp. Chr. reclusum in suo tabernaculo. n. 2417 ad 2. die 13. Aug. 1667.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (renovatio) *Ritus Graec.* (t. III. pag. 294. §. 6.)

V. Benedictio.

1) Modus.

Vd.: *Bened. cum SSmo; Cantus cor. exp. SSmo.*

Ex decret. Conc. prov. Prag. diei 23. Sept. 1860.

Consuetudinem passim vigentem impertiendi benedictionem cum SS. statim ac decantata fuerint hymni „Pange lingua“ verba „Sit et benedictio“, ceu sacrae liturgiae adversantem reprobamus, praecipientes, ut in posterum decantato per populum hymno praefato celebrans orationem „Deus qui nobis sub Sacramento“ praemissa videlicet competenti versiculo cum responsorio, persolvat, moxque populo benedictionem SS., utique nil dicens, impertiat.

Praecipimus quoque, ut in iis celebrandis ecclesiarum rectores stricte sequantur ritum a sacra liturgia praescriptum; hinc meminerint, semel tantum cum SS. Sacramento benedictionem impertiendam esse fidelibus et quidem fine processionis exceptis Feriis V. et VI. majoris hebdomadae, quibus a benedictione danda prorsus abstinendum est.

Morem toties benedicendi populo, quoties absolutis hymni, qui decantari solet, partibus pausatur ceu abusum eliminandum esse praecipimus salvo utique ritu in processione theophorica a Rituali praescripto.

2) Populi extra portam post commun. infirmorum.

Ab dub.: Utrum servari possit consuetudo benedicendi cum SSmo retrocedentem populum extra portas civitatis, regionis sive domus infirmi etc., quando fertur viaticum agrariis, et quatenus nisi de speciali gratia id liceret, pro parte Rmi Episcopi supplicatur ad illam gratiam obtinendam, prout in una Massae et Populoniae 7. Aprilis 1832.

Resp.: In delatione viatici SS. Corporis D. N. J. C. rituale romanum tit. „De communione infirmorum“ describens quae paranda sunt praevidet quidem casum *quo longius aut difficilius iter sit faciendum.* Et tunc unam tantum ait particulam consecratam ponendam esse in pixide seu parva custodia, nihil vero in eo reperitur de benedictione, de qua in dubio. Hinc factum est ut sacra haec Congregatio, licet existimaret jure et stricte servandam esse dispositionem ritualis romani, tamen omnibus mature diligenterque examinatis *ex speciali gratia servari posse consuetudinem,* quae verbis ipsis nostri dubii allegabatur, in una Massae et Populoniae, responderet die 7 Aprilis 1832. Interroganti itaque episcopo N.... utrum ex consuetudine servari possit, et supplicanti ut saltem id liceat de speciali gratia, rescribendum putarem, si vobis placet: affirmative pro gratia, attentis expositis.“

S. C. resp.: Affirmative pro gratia, attentis expositis.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 347.)

3) In portando a tabernaculo ad altare et viceversa.

Benedictio cum SSmo dari nequit iterum in tabernaculo, quando ab altari expositionis data benedictione ad illud defertur, ut recondetur.

Die 23. Maii 1835.

VI. Capite tecto vel detecto.

Vd.: *Biretum; Pileolum;* concio cor. SSmo; *SS. Sacram. Euch.* (detectio etc.)

Massalubren.

Perlectis in S. R. C. literis episcopi Massalubren, in quibus narravit, in

ecclesiis suae dioecesis abusum invalescere, nonnullos cives, doctores et mercatores capillamentum gestare solitos ut plurimum absque eis ad ecclesias accedentes cum pileolo albo lineo eoque SSmum Eucharistiae Sacramentum etiam in actu elevationis tecto capite salutare et adorare; quod aegre ferens, pro opportuno remedio idem orator supplicavit. Et s. eadem Congregatio ordinario pro sua prudentia respondendum censuit.

Die 18. Decbr. 1694.

(Anal. J. P. 1865 p. 1350 n. 2548.)

VII. A. Celebrante defertur.

Cf.: *Dignitas; Velum SSmi; Processio* (Dignitas celebr.); *Instructio Clem.* §. XXI. n. 10; *Processio SS. Corp. Chr.; SS. Sacrament.* (Delatio), *Parasceve* (Processio.)

Servandam esse dispositionem libri Caerem., ut scilicet SS. Sacramentum *a Celebrante propriis manibus* deferatur, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 558. die 2. Junii 1618; n. 4485 die 14. Maii 1803.

In die festo Corp. Chr. SS. Sacramentum deferatur a Celebrante. In vesperis autem octavae deferatur ab eo, qui facit officium vesperarum, modo sit Dignitas aut Canonicus. (Caerem., Festum SS. Corp. Chr. c. XXXIII) n. 687 ad die 12. Junii 1627.

Nullo modo permittendum, SS. Sacramentum deferri super humeros, sed deferendum esse manibus celebrantis juxta Caer., non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse et omnino tollendam. n. 931 die 2. Aug. 1631; n. 1078 die 24. Julii 1638.

SS. Sacramentum nonnisi manibus celebrantis de mane deferendum et consuetudinem deferendi illud fer. VI. Parasceve de sero vel etiam de mane in quadam bara per 4 sacerdotes nullo modo permittendam sed esse abusum omnino tollendum. n. 951. die 13. Mart. 1632.

Cum post Missae sacrificium SS. Sacramentum processionaliter deferendum est, id peragi debere a celebrante. n. 1604 die 20. Febr. 1649.

Episcopus non potest in processione corp. Chr. in *sella portatili* degens deferre SS. Sacramentum. n. 1659 die 18. Jan. 1653; n. 3807 ad 3 die 4. Maii 1709.

SS. Sacramentum in processione in festo SS. corp. Chr. deferri debet ab eo, qui missam celebrat. n. 3802 ad 4 die 23. Mart. 1709. — Idem servandum est in processione, quae fit in die dominica infra oct. Corp. Chr. *Jbid.* ad 5. Intangibile est jus celebrantis in solemnitate Corp. Chr. semper deferendi SSmum in publica supplicatione. n. 4861 ad 1 die 3. Aug. 1839.

Deferens SSmum Pluviale habere debet; vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 7; *Pluviale.*

Triventin.

Precibus Rmi Triventin. Epis. requirentis: an tollerare possit vel eliminare teneatur invectam in sua dioecesi consuetudinem, ut in una eadem que supplicatione SSma Eucharistia deferatur per plures Sacerdotes, qui sibi invicem succedant? Emus et Rmus D. Card. Carolus Maria Pedi Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius et S. R. C. praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribendum censuit: „Consuetudinem tamquam abusum eliminandam.“ n. 4926. die 22. Maii 1841.

In process. SSmi Fer. VI. Parasceve *Episcopus assistens* SSmum ab altari

SSmi ad altare majus defert. *Caer. Ep.* l. II. c. XXVI. n. 15.

Fulginaten.

(Conc. Tr. cap. 13. S. 25. De Regul.)

Societas s. Leonardi erecta est in ecclesia beatae Mariae de Planctu et est intra limites parochialis ecclesiae s. Salvatoris civitatis Fulginaten.

Anno 1703 confratres post redactam propriam ecclesiam in ampliorem formam obtinuerunt indultum retinendi in ea SS. Eucharistiae Sacramentum et die ultima Aprilis post expositionem 40 horarum solemnem faciunt processionem singulis annis per civitatem cum delatione SS. Sacramenti.

Exorta est quaestio: *an delatio Venerabilis facienda sit a capellano confraternitatis vel potius a parocho?* Audito Ordinario suam ille transmisit relationem, in qua jura utriusque partis compendiose referuntur.

Parochus innititur dispositioni juris, qua attenta contendit, delationem Venerabilis et benedictionem ad se pertinere debere, juxta deducta per *Monacell.* in formular. tom. 2. pag. 17. n. 67, et per modernum Episcopum Anagninum in suo tractatu de sodalitiis quaest. 12, n. 5, et concordant resolutiones hujus s. Congregationis in Synodo Farfensi clar. mem. Card. Caroli Barberini cap. 35 de confraternitatibus laicorum num. 8.

Addit parochos antecessores fuisse in possessione deferendi SS. et consimilem consuetudinem vigere quoad caeteras confraternitates civitatis Fulginaten, quando ab ipsis fit processio SS. post expositionem 40 horarum.

Confraternitas contra excipit, delationem Venerabilis et benedictionem super populo non esse de juribus mere parochialibus juxta decreta generalia Congregationis sac. rituum anni 1703; disputato etenim XI. dubio concepto sequentibus verbis: *an expositio 40 horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de juribus mere parochialibus?* Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

In eo, quod attinet ad possessionem, confraternitas excipit, quod Sacramentum deferebatur a parocho, quando processio incipiebat ab ecclesia parochiali, sed postquam processio inchoari coepit ab ecclesia confraternitatis, illud quidem fuit delatum a parocho, sed tanquam confratre non tanquam parocho.

Et in eo, quod spectat ad consuetudinem civitatis, ait, septem in ea esse confraternitates et in sex deferri Venerabile a Capellanis earundem et in una tantum a parocho.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An delatio Venerabilis in processione, quae singulis annis fieri solet die ultima Aprilis, sit facienda a capellano confraternitatis vel potius a parocho in casu?

S. C. C. resp.: Delationem esse faciendem a Capellano confraternitatis de licentia Episcopi.

Die 4. et 18. Maii 1726.

In festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia sacerdotum humeris sed Celebrantis manibus.

S. R. C. 2. Jun. 1618.

In festo Corporis Christi debet deferri Eucharistia a Celebrante et in Vesperis diei Octavae, si fiat Procesio, debet deferri ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. S. R. C. 12. Junii 1637 et 23. Maii 1709 in respons. ad 4. teste Ursaya tom. 2. p. 1. num. 59.

Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante Procesionem SS.

Sacramenti et deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. S. R. C. 31. Jun. 1632 et 13. Mart. 1700 in respons. ad 5. teste Ursaya loc. citat. num. 60.

VIII. Commemorat. in singul. diebus.

Vd.: *Commem. SS. Sacr.*

Hispaniarum.

Aloysius Fernandez de Corduba s. Congregationi supplicavit, ut ei facultatem tribueret faciendi commemorationem SSmi Sacramenti in singulis missis etiam solemnioribus diebus per eum celebrandis, nec excepta majori hebdomada. Et S. C. respondit: servari rubricas.

Die 9. Julii 1657.

(Anal. J. P. 1863 p. 340).

IX. Concio cor. SSmo.

Vd.: *Concio.*

X. Consecratio.

1) *Utrum sacerdos lat. in locis Graecor. et graecus in Latinorum urbe SSmum juxta loci ritum possit consecrare?*

Vd.: *Ritus latinus* (utrum presbyter latinus etc.)

2) *Si dubitetur de vere consecrato sed longe asservato SS. Sacramento?*

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (particulae dubie etc.)

XI. Delatio.

1) Ad collum et in itineribus.

Vd.: *Ritus graec.* (Const. Bened. XIV.: *Elsi pastor.* §. 6. n. 7. t. III. p. 250.)

2) Cui competit?

Delatio SSmi in die ss. Corporis Christi spectat ad parochum matricis non ad dignitatem noviter sine cura animarum erectae Collegiatae n. 2209 ad 2 die 17. Mart. 1663. Jus deferendi SSmum. in processione in die illius festi impedito vel absente Archipresbytero Cusani spectare ad Hebdomadarium aut ad antiquiorem ex Rectoribus Ecclesiae. Num. 2412 ad 2 die 2. Apr. 1667.

Vd.: *SS. Sacrament.* (a celebr. defert.) *Process.* (dignit celebr.)

Lamacen.

C. S. R. alias saepe declaravit delationem SSmi Sacramenti in solemni ejusdem processione et missas cantare atque alias functiones facere, quae ad episcopum praesentem pertinerent, ipso absente vel impedito ad primam dignitatem spectare, et ideo viso suprascripto memoriali decanum ecclesiae Lamacen., quae major et prima dignitas est in eadem Ecclesia post pontificalem, manutenendum esse in prima sua antiqua et immemorabili possessione deferendi in processione solemni SSmi Corporis Christi SSmum Sacramentum, absente vel impedito Episcopo, et faciendi alias functiones, quae ad Episcopum praesentem pertinerent, eadem S. R. C. censuit et declaravit quibuscumque non obstantibus.

Die 11. Novbr. 1614.

(Anal. J. P. p. 132 anno 1863).

Barchinonen.

In oppido de Sarria dioecesis Barchinonen. sacrum solemne agitur SSmi Sacramenti Dominica infra octavam ejus diei festi cum publica supplicatione. Mos fuerat ut parochus, absoluto sacrificio, sacram Eucharistiam deferendam traderet uni ex ordine min. s. Francisci capucinorum, qui cum ea anniversariam publicam pompam consueto ritu per parochiae fines exequeretur eamque ad ecclesiam reversus parocho restituerit, ut receptis caeremoniis populo benediceret.

Morem hunc, quum ab anno 1694.

servatum ad hanc diem fuisset, ipse idem non negat praesens parochus, retinere in posterum noluit; ac tertio ab anno publicam supplicationem traduxit ipse ac perfecit omnia. Hinc quaerimoniae magistratus loci et capucinorum super veteri turbato jure. De his cognoscendum proponitur:

An et ad quem spectat deferre SSmum Sacramentum in processione, quae fit in dominica infra octavam Corporis Christi in villa de Sarria in casu?

S. C. resp.: Spectare ad parochum et amplius.

Die 13. Julii et 3. Aug. 1765.

Mediolanen.

Dubium.

In supplicationibus sive SS. Corporis Christi sive s. Clavi spectatne absente Archiepiscopo ad auxiliarem episcopum canonicum vel ad capitulum et pro eo ad Archiepresbyterum SS. Eucharistiam et S. Clavum deferre?

Resp.: Cum in iis, quae dicta hactenus sunt in prima*) quaestione ad sustinendam praecedentiam primae dignitatis supra tertiam vel secundam, licet haec accidentaliter insignita sit dignitate Episcopi titularis, cum qualitate etiam Episcopi auxiliaris, referantur non solum admissae sed et aliae quoque capitulares functiones, quas Archiepiscopus perageret, si praesens esset, ex paritate argumenti jam consequitur archipresbytero ceu primae capituli dignitati etiam in duabus praedictis functionibus, quae in secundo dubio proponuntur, praecedentiam deberi, scilicet in delatione SSmae Eucharistiae in solemni supplicatione, quae fit occasione Corporis Christi et s. Clavi, qui in metropolitana ecclesia Mediolanensi religiosissime asservatur. Dixi in *festo Corporis Christi,* quia ex Caeremoniali Episcoporum. lib. 2. cap. 33. nulla alia processio declarari videtur episcopalis nisi illa, quae fit in die Corporis Christi, ex quo sequitur illas, quae fieri solent in octava aut aliis quibuscumque diebus, ad dictum archipresbyterum non spectare in vim juris succedendi Archiepiscopo, nisi forte eae quoque descriptae reperiantur in *tabella, quae de pontificalibus officiis et certis eorum diebus* a constitutionibus capitularibus cap. 8. supra enunciato observanda praescribitur. Sed haec obiter notavimus; quod vero supra statuimus, confirmatur etiam ex decreto Parmen. 28. Aprilis 1640, in quo licet indeterminate responsum fuerit: „ad primam dignitatem spectare et pertinere solemnes functiones pro Episcopo absente vel impedito“, tamen ejusdem decreti textum latiorem habemus apud Cardinalem de Luca. Is namque loquens de hac quaestione, quae ut ipse testatur ejus patrocinio commissa fuit, lib. 3. part. 2. de Praeem. disc. 20. haec praecise habet: *Bene,* inquit, *eadem S. C. R. ad petitionem archidiaconi istius Ecclesiae* (Parmen) *sub die 28. aprilis 1640 per haec verba praecisa,* videlicet: „S. R. C. juxta alias, respondit, functiones episcopales, Episcopo absente vel impedito, spectare ad primam dignitatem, quocumque nomine nuncupatur, dummodo sit in sacerdotali ordine constituta et propterea in casu proposito omnia munia, quae ad Episcopum pertinerent, si praesens esset, archidiacono primae dignitati competere, et *signanter delationem SSmi Sacramenti in die ejus festo,* dummodo archidiaconus etiam missam solemnem eo die celebret. Die 28. aprilis 1640“. Cui aliud quoque decretum consonat 13. martii 1700, in quo S. C. decla-

*) Vd.: *Titul. Episcop. Canon.* (Pontif. exercens impedito etc., decr. *Mediolanen.*)

ravit ad 17: peragere processionem SSmi Corporis Christi spectare ad digniorem de capitulo, dummodo celebret.

Ex quibus exurgit responsio: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

S. C. resp.: Ut in voto magistri Caerem.

Die 19. Sept. 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 1044.)

3) Ad incendium compescendum non conceditur delatio.

Ad incendium compescendem ad Ecclesiam s. Nicolai in carcere exortum minus rite allatam fuisse ex Ecclesia s. Pyxidem SSmum Sacramentum intercludentem, eaque super populum et ad furentes flammas benedicendum, rationibus pluribusque allatis ecclesiasticis sanctionibus demonstratur; et ne tale quid exinde fiat opportune sanciatur.

Venerabili fratri nostro fr. Joanni Antonio episcopo Tusculano S. R. C. Cardinali Guadagni nuncupato nostro in Urbe ejusque districtu vicario generali.

Benedictus PP. XIV.

Venerabilis frater noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, ut recte nosti, proximo superiori mense Aprilis invasisset ignis supellectiles ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domibus sitis in foro Montium dicto, parochialis districtus s. Nicolai in carcere, cumque continuo, quod satis superque fieri assolet, in magnum exrevisset incendium, memoratae parochialis insimulque collegiatae ecclesiae canonici suum esse existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut pro sua misericordia maximum impendens detrimentum avertere dignaretur, cujus vehemens suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

§. 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens minister tintinnabulum pulsaret ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet, ut SS. Sacramentum ad aegrum aliquem deferendum comitetur. Cumque ita contigisset, ut Ecclesia populo compleretur, ante aram beatissimae virgini dicatam multa quidem religione recitatum fuit elata voce rosarium atque etiam in ejusdem SSmae virginis honorem cantatae fuerunt Litaniae. Ad haec sacerdos pio aeque ac ferventi sermone interessentes excitavit ad dei placandam indignationem, implorata sibi ex animo de patratis criminibus venia, et quantum quidem relatum est insonuit templum clamoribus illorum, qui sibi a divina misericordia multis gemitibus et lacrimis patratorum criminum veniam precabantur.

§. 3. Si nihil fuisset praeterea gestum, nil quoque fuisset, quod objiceretur et nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso casu servatam non laudasset. At cum ex religioso sanctoque studio ad augendae devotionis populi enixisque ejusdem votis satisfaciendi *opportunum, quin et congruum visum fuerit praecipere, ut reserato tabernaculo, in quo s. Pyxis custoditur, eadem super populo et ad incendium benediceretur.*

§. 4. Cumque is, qui parochi vice fungitur, data sibi jussa perficiens sacris indutus vestibus, accepta sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacramentum, ab Ecclesia processerit, satis congruo facum ministrorumque numero stipatus mediaque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Pyxide humerali velo obtecta *non solum coactae immensae multitudini sed et regionem voraci igne vastatam bene-*

dixerit, hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt, quibusdam factum ipsum commendantibus, censentibus aliis in ea facti specie secus rem transigi non potuisse, ne populi frigesceret devotio neve offenderentur pusilli sibi cohibendoque igni benedictionem vehementissime exoptantes, aliis denique contra assertum novum incongruumque ritum inclamantibus.

§. 5. Et quamvis fraternitas tua inter has disputationes non aliam, prout assoles, iniveris rationem, quam quae christianae prudentiae omnino congruerit, hancque ipsam probaverimus ipsi et nunc quoque, ut mox constabit, probemus; nos tamen videmur facere non posse, quin ea, quae ipsi hac de re expendimus ac notavimus, perspecta tibi reddamus hisce nostris literis, quas mandamus, in futurorum temporum normam, apud acta tabularii tui asservari.

§. 6. *Quicumque ea, quae gesta sunt, probanda sibi ac defendenda suscipiens assereret,* nihil plane in eo praestitum quod cultui SSmae Eucharistiae debito non congruerit, et perdifficile esse per integram rei gestae seriem, quidquam offendere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod pietatem et devotionem sapiat, aliaque asserat spiritualia commoda; multa is quidem diceret suamque assertionem firmare posset iis, quae adnotat *Theophilus Raynaudus* tom. 15. suorum operum p. 83. col. 1, ubi loquens de sacramenti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem expendit: „Est modus aptissimus permovendi populum ac excitandi ad pietatem necessitate congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis aut incursus hostium aut aerum tempestatum malignitas: nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem fidelium excitandam et sensu pietatis Deum placaturo afficiendam quam sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibiti, et objectum ejus, in quo est salus, vita et resurrectio nostra". Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est quaestio, multa habet adnexa inferius a nobis expendenda, ex quibus, seposita pietate actus, jure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim illa hac in re intrinsecam tantummodo ejusdem bonitatem spectat, sed et alia, quae vel neglecta vel non praevisa, facile possunt confusiones inducere ac perturbationes.

§. 7. Si quis autem, ut sibi tuta unoque veluti ictu salva res esset, ecclesiasticas proferret historias, exempla praesto essent opinioni suae valde accommoda. In chronica Albingensium Episcoporum atque abbatum Castrae, apud *Thiers* in tractatu de expositione SSmae Eucharistiae Sacramenti 2. part. impressionis Parisiensis anni 1677. lib. 5. cap. 12. legitur, sub Abbate Geraldo, qui vixit ad annum 1090, incendium a fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum:

Jamque monasterium furibunda incendia volvit,

Cum Christi oblato corpore flamma cadit.

Celebre est s. Bernardi factum relatum in ejus vita; factum scribere instituit Abbas Guilelmus a s. Theodorico absolvitque Abbas Hernaldus a Bonavalle, veteri amicitia cum Sancto conjunctus. Adstabat ad ecclesiae Januam Willelmus Aquitaniae dux, intus ob excommunicationem non ingrediens. Vir sanctus interea sacrum faciebat: cumque consecrasset, ante consumationem, imposita patenae divino Sacramento et ad ducem accedens ipsum eo ferventis animi affectu est allocutus, ut eundem ad insignem poenitentiam adduxerit, et ad novum vitae institu-

tum, unde porro in beatorum album, qui cultum in Ecclesia obtinent, recenseri promeruit, uti videre est in Martyrologio Romano quarto idus Februarii. Gesta res descripta legitur in praeindicata antiqua vita s. Bernardi et perbelle retexitur a duobus recentioribus ejusdem vitae scriptoribus, a Magagnotio nempe lib. 2. cap. 6. et a Petrina in historia chronologica lib. 4. tom. 1. num. 371 et seq. Celebre quoque sese prodit factum s. Clarae, quae, ut monasterium suum universamque Assisiensem urbem servaret a direptione ac stragibus Saracenorum jam impia consilia exequentium, ad monasterii januam afferri curavit tabernaculum Sacramentum intercludens: Christique vix objecto corpore Saracenorum nonnulli obcoecati, reliqui praecipites effugere. Rem narrat s. Antonius in suis historiis tit. 24. cap. 6. §. 3.; resumitur eadem a Bollandistis tom. 2. mensis Augusti pridie idus pag. 759. num. 21, et a Pagio in vita Alexandri IV. num 15. Ejusdem fere temporis cum s. Clarae facto est et aliud relatum a Roderico Granatensi part. 2. explanationis Symboli cap. 27. §. 7. secutum anno 1230 in regno Valenciae, dum bellum gereretur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem retulere victoriam, cum pius sacerdos manibus gestans pannum lineum consecratis particulis plenum prodiit in omnium conspectum, Deum exorans ut nostris praesto esset, eoque pacto est eosdem hortatus ad instaurandum certamen, quod porro insignis victoria est consecuta. Meminimus et ipsi eorum, quae in minoribus agentesque promotorem fidei legimus in actis collectis super virtutibus beati Petri Faurerii, ad quem cum delatum fuisset, publica in caupona quosdam sacrilegis verbis divinum nomen violare, ad sacrum tabernaculum advolavit arreptamque sacram Pyxidem secum detulit ad cauponam, cumque sacrarum pignus manu ostentans, immane facinus scelestis patefecisset atque exprobasset eosdem ad poenitentiam adduxit. *Ast haec hisque similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse demonstratum est non solum ex secundo eventu, sed et ex peculiaribus haec agentium virtutibus. Ea itaque sunt haec exempla, quae miremur haud autem imitemur*, nec quidquam exinde inferri potest pro iis, qui debent se ad legum normam componere: quemadmodum a Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in nostro opere de canonizatione sanctorum lib. 3. c. 41 et praecipue n. 20.

§. 8. In hanc classem referri et illud potest, quod s. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum, objecto tantum ad flammas sanctae crucis frustulo.

Vicerit ignis aquam, nos ligno vincimus ignem,

Quamque aqua non potuit, vicit brevis hastula flammam.

Et quoties ex classe horum similiumque exemplorum, quae peculiari divino afflatui non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, allatam divini impulsus exceptionem haud ita facile recipientes, veluti ad id, quod sub annum 1647 contigisse fertur Halae Tyrolis, ubi, cum sacerdos venerabili Eucharistia adhibita ungenti incendio benedixisset, restitit ignis, vel ad illud, quod anno 1734 sive alio veriori tempore hic Romae gestum est, tunc quando publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incendii locum, eoque impertita benedictio; qui his uteretur exemplis, haud valde proficeret, tum quia primum ex recensitis factis affertur a Gobato in sua Theologia experimentali tract. 4. cas. 21.

sect. 1. num. 375., qui tamen illud non probat, sed tantum nuncupat felix ab exitu:

Factum felix ab eventu, tum quia unum vel plura adhuc facta hujusmodi aut incognita aut a superioribus dissimulata *haud tanti sunt, quibus jure recens aliqua disciplina novusque ritus innitatur.*

§. 9. Sicuti praenotatum est, superius allata argumenta ad ritum, de quo sermo est, vindicandum infirma sunt leviorisque momenti, sed ejusdem furfuris sunt alia quaedam, quae in Ritum ipsum objectantur atque extolluntur. Ajunt nonnulli Eucharistiae Sacramentum a Christo fuisse institutum, ut eo vesceremur; quod quidem indubium est: at satis deprehendi non potest, quomodo ex hoc antecedenti inferre liceat, haud decere illud in supplicationibus deferre Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut a gravibus nos quandoque obsidentibus periculis praestet incolumes. *Neque enim ideo minus est adorandum,* (sunt concepta verba concilii Tridentini de hoc divino Sacramento loquentis sess. 13. c. 5.) *quod fuerit a Christo domino, ut sumatur, institutum: nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei: quem magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.* Exindeque Tridentini patres commendare pergunt pias supplicationes in festo Corporis Christi haberi solitas religiosasque actiones comitantium adorandum Sacramentum, dum ad aegrotos affertur, uti videre est cap. 5 et cap. 6. et can. 6. cit. sess. 13. Christus dominus qua homo vel nunc in gloriae statu Deum patrem pro nobis rogat: Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis“ legitur in epistola ad Romanos §.: Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum: subditur in Epistola prima s. Joannis cap. 2., sive porro hoc praestat, petens expresse a Deo, ut nobis proficua concedat, sive implicite suam exhibens humanitatem veluti hostiam jam ipsi in cruce oblatam, ut Deus, in eam respipiens, quae utilia nobis posse sunt evadere elargiatur, veluti disseruut nostri Theologi, qui licet in explicatione tradenda discrepent inter se, dum alii primae subscribunt, alii secundae sententiae, consentiunt tamen omnes quoad dogma insimul adnotantes: neque Ecclesiam neque fideles solere absolute ad Christum confugere ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur cum Arii et Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra esse creatam et divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus vere Deus et homo, vere, realiter ac substantialiter sub speciebus Eucharistici panis contineatur, omnino nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum quod Sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum, sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur e tabernaculo, afferatur ad ignem atque incendium benedicatur, ob qualitatem Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.

§. 10. *Alii ulterius progrediuntur asserentesque non posse rem creatam irrationalem Dei nomine adjurari autumant, hoc unum posse valide obsistere ritui benedicendi incendii cum Eucharistiae Sacramento:* sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creata res expers rationis, si

ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quae adjurari possit; capax tamen evadit, quae exorcismis Ecclesiae subjiciatur, si veluti ab alio acta inspiciatur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiamsi daemone in nostrum damnum detrimentumque ageretur. Est haec s. Thomae doctrina 2. quaest. 90. art. 3. Verum eadem nil profecto opus est in hac facti specie, in qua, dum adhibita Pyxide benedicitur incendio, nulli unquam intermixti sunt vel intermiscentur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium religioni oppositum, ideoque peccatum sapiens et grave quidem peccatum, quamvis superstitione inferius, uti fuse docet, demonstratque sanctus Thomas 2. quaest. 97. art. 2. et duob. seqq. At si expressa Dei tentatio, juxta ejusdem sancti Doctoris sententiam, tunc inducitur, cum quis quidquam agit ea mente atque consilio, ut Dei scientiam potentiam, patientiam voluntatemve scrutetur, interpretativa autem et implicita, quando non agit is quidem eadem concepta expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur vel agit, cui non alius potest esse scopus, quam ut divinae alicujus virtutis periculum fiat, quod tunc plane contingit, cum quis paratas habens usitatas vulgaresque agendi rationes, has quidem sponte omittit seque ultro in discrimen adducit: „Sicuti tentare est experimentum sumere seu explorare, ita Deum tentare est velle sumere experimentum de aliqua ipsius perfectione, veluti an sciat, an possit, an velit quidpiam; quod tum verbis tum factis fieri potest, idque dupliciter, uno modo expresse, puta cum aliquis ea intentione dicit aut facit quidpiam ut exploret Dei scientiam, potentiam aut voluntatem: altero modo implicite seu interpretative, quando non est quidem homini formalis et expressa intentio simile aliquid explorandi, hoc tamen dicit aut facit, quod non potest alio ordinari, quam ad experimentum sumendum de aliqua Dei perfectione, veluti quando aliquis humanis et naturalibus mediis non destitutus, ea sine rationalibi causa omittit aut se periculo exponit; verba sunt Sylvii egregii s. Thomae interpretis ad art. 1. praecit quaest 97. Quomodo unquam poterit jure defendi, eum, qui venerabili Sacramento ad incendium benedicit, qui Deum rogat, ut miseros afflictosque ab irruente infortunio velit praestare exemptos, qui non ea mente est, ut divinae potentiae sumat periculum, qui humana non spernit subsidia, sed iis undique collectis, omnia enititur, assiduas tamen divinae Majestati preces offerens, ut, quod imminet grave malum, dignetur avertere, hunc, inquam gravissimi criminis expressae vel tacitae Dei tentationis posse reum pronunciari?

§. 11. *Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam assertam piam consuetudinem afferendi Sacramentum sacra pyxide contentum, eoque benedicendi incendiis, ne forte id fiat cum ignis divitum aedes incessit, non autem pauperum domunculas:* neque inanis hic quidem est vel sola mente conceptus timor: Thiers quippe praecit. cap. 12. invehitur in satis illacrymabilem hanc personarum acceptionem vel uti aliquibus in locis usu receptam. Idem auctor praeterea plures cumulat synodales sanctiones, quibus severe interdicitur, sacra lintea ad incendium affere eaque projicere flammas, ut extinguantur, atque multo etiam magis, si ipsa sacra hostia projiciatur in ignem, ea quidem spe, ita illum restinqui posse. Quidquid asserit praecitatus auctor, perfacile admitti debet; imo quoties, ad ea firmanda,

quae in ritum jaciendi in ignem sacram Hostiam profert et in irreverentiam eo actu contentam, alio opus esset exemplo per ipsum non inducto, illud minime desideraretur. Etenim, quamvis in Italia et praesertim Florentiae vigeret usus comprobandi abditam veritatem innocuo alicujus transitu per ignem, quod plane praestitit Beatus Petrus Pavesium Florentiae Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque deponendum esse, uti reipsa factum est, illaesus per ardentem ignem pertransiit, quemadmodum opportunis allatis monumentis demonstravimus nostro lib. de Canonis. Sanct. cap. 33., tamen cum nonnullis exinde saeculis in eadem civitate idem sumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque conciliandam doctrinae Hieronymi Savonarolae, cumque aliqui sese protulerint paratos per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistiae Sacramentum, Eucharistiae delationem non probarunt judices, constanti judicio eam denegantes ac irreligiosam definientes pravique exempli, spectatis iis facti circumstantiis, in quibus usurpari cupiebatur, uti videre est in vita praefati Hieronymi Savonarolae scripta a Francisco Pico tom. 2. impressionis Parisiorum 1674. pag. 70. tom. 2. additionum ad eamdem vitam pag. 306, et in Appendice ad Vitam Alexandri Sexti Pontificis exaratam ab Alexandro Gordonio tom. 2. pag. 435. Verum his omnibus nihil commune est cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc agimus, tuetur, facile respondere potest, si asserat, licere omnino ipso adhibito Sacramento excitatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere divitis et pauperis discrimen, neque Eucharistiam post benedictionem in ignem projiciendam esse, sed imo in tabernaculum, unde fuit educta, omni cum honore restituendam.

§. 12. Sepositis itaque superius allatis animadversionibus rationibusque, vel ritui faventibus vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, *unica, cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia praescriptis de cultu SS. Eucharistiae:* neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate vel ex verae etiam devotionis zelique affectu novum ritum inducere: „Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a Ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiasticum Pastorem mutari posse, anathema sit: verba sunt sacrae Tridentinae synodi can. 13. sess. 7. de Sacramentis in genere. Et quoties aliquem ritum ejusmodi induci contigit, et si nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus praecisis vel neglectis ab eo, qui ritum invexit. Ut plura praetermittamus exempla, ad rem praesentem sat est unum illud innuere de SS. Sacramento olim afferri solito ad aegrotos, qui cum exoptarent illud sumere in viaticum nec tamen possent deglutire, *nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorare ac deosculari; vetitum quippe id fuit a s. Pontifice Pio V., cui interdicto consonum quoque est alterum adscriptum in rituali Romano a Paulo V. Summo Pontifice evulgato* in ea parte, quae est de communione infirmorum, ubi, sermone instituto de Divino Sacramento haec leguntur: „Sed alicui ad adorandum solum seu devotionis seu cujusvis rei praetextu, ad ostendendum non deferatur: idque non ea sane de causa, quod simplex adoratio, (quidquid sit de sacrae Hostiae osculo)

quidquam haberet contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime consentanea, sed ratione quarumdam circumstantiarum, quas sapientes legislatores recte adnotarunt quasque innuit Card. de Lugo in suis responsis moralibus lib. 1. dub. 11. n. 3. Merito id prohibuit, loquitur de s. Pio V., „quia si ad privatam aegroti consolationem et sine spe refectionis sacramentalis tanta Salvatoris Majestas loco movenda et per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea infirmorum pietas introduceret, ut, sicut s. Reliquiae ad eos deferuntur et applicantur curationis gratia, ita et ad eosdem non communicaturos nec periculose decumbentes deferretur Eucharistia et applicaretur partibus laesis et dolentibus spe impetrandae curationis; quae et alia similia cultum et reverentiam debitam tantae Majestati paulatim imminueret."

§. 13. *Annuam Ecclesia constituit solemnitatem Corporis Christi*, quae a Tridentino Concilio dicitur religionis nostrae adversus haereses Triumphum, sicuti videre est sess. 13. cap. 15. Supplicationem quoque instituit ex occasione habendam, jam inde ab Urbano IV., quemadmodum fuse a nobis demonstratum fuit in nostro opere de festis Domini, cum de festo Corporis Christi disseruimus. Cavit Ecclesia, ut Sacramentum ad infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum suscepturi sunt in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus synodalibus sanctionibus decretisque editis tum a summis Pontificibus tum et ab Episcopis quoad dioeceses suas. Amplexa est Ecclesia pium usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicuum, utpote duobus crystalis inclusum in ostensorio, quod dicitur Monstrantia, in statutis Concilii Coloniensis habiti sub Card. de Cusa Nicolai V. per Germaniam Legati apost. I., sicuti nosse licet ex tom. 9. Collectionis Conciliorum Harduini col 1368, lit. C., dummodo id de licentia Ordinarii publicamque ob sausam aliquam fiat. Adjecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum non autem publica causa subsit, Sacramentum exponatur, ita tamen, ut reserato tabernaculo inde sacrum Christi corpus minime educatur sed vel sacra Pyxide sit inclusum aut velo obtectum ita, ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus decretis editis a Congregationibus Urbis et per summos Pontifices probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus, in una ex nostris institutionibus italicae editionis 1. 2., quae in latinam quoque versionem est illata. Cogitavit Ecclesia de benedictionibus, venerabili Sacramento adhibito, impertiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quoties post solemnem expositionem Sacramentum est in tabernaculum restituendum, ac denique cum sumpto per aegrotum Viatico reliqua in sacra Pyxide est Particula, quam sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex rituali Romano *tit. de Communione infirmorum.* Casum denique prospexit Ecclesia instantis alicujus nimbi, procellae alteriuse ingentis periculi, cavitque, ut si populus excitari velit ad Deum optimum maximum deprecandum, quo ab ingruenti malo praestetur immunis, adaperiatur tabernaculum minime educto Sacramento, sed ante ipsum sacra Pyxide inclusum preces religioso affectu recitentur. Haec est methodus praescripta a magno s. Carlo Borromaeo in sua tertia synodo dioecesana habita anno 1572. „Cum grandines, nimbi, turbines et aliae temporum procellae imminent, ad eas tempestates sedandas, vel, ut vocant, signandas, ne sacerdos vasculum, in quo SS. Christi domini corpus asservatur, ad-

hibeat sed tabernaculum accensis luminibus patefaciat, ut ea imbrium vi imminente rogationes et preces a Clero populoque coram Domino religiose fiant.“ Quod confirmatum noscitur in tertia synodo provinciali coacta subsequenti anno 1573: „Cum nimbi, procellae, turbines aut grandines impendent, ne sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, sed tabernaculum, ubi illud in altare reconditur, patefaciat, licet; tumque in ejus conspectu litanias aliasque religiosas preces ejus rei causa institutas pie sancteque pronunciet.“ Consonat his rituale Ebroicense anno 1606 a magno Cardinali de Perron compositum. Perspicuum itaque est sistema a s. Carolo Borromaeo, veluti in universa dioecesi provinciaque sua stabilitum, quodque merito pro caeteris locis haberi potest tanquam regula *in vi directiva*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum fulminumque inopinato casu, supplices ad Deum libet confugere. Aperiendum namque est, uti praenotavimus, tabernaculum, Sacramentum intra pixidem relinquendum, piae fundendae preces, ut divinam nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet a tabernaculo educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiae januam, nec cum eodem benedictionem impertiendam.

§. 14. *Loquuntur quidem mox supra alatae auctoritates de turbinum procellarumque casu, quin suspicari possimus, audere quemquam excipere, eas minime congruere incendiis;* par omnium quippe ratio est: et quoties, ut aliorum subtilibus levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendii casu, sat erit manum protendere ad *Synodum Archiepiscopi* parisiensis habitam anno 1674 art. 7. cap. 2., in qua disertis verbis cavetur, *ne SS. Eucharistiae Sacramentum quacunque de causa unquam ad incendia afferatur*, indicta in sacerdotem, qui deliquisset, suspensionis poena, et ad Rituale Argentoratensis Ecclesiae evulgatum a bonae mem. Cerdinali de Rohan impressumque anno 1742, ubi pag. 83. sequentia adnotantur verba: „Prohibitum est insuper (sermo est de Sacramento altaris) ne ad extinguenda incendia deferatur et quidem sub poena suspensionis a Ministris deferentibus ipso facto incurrenda; scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Qui dixit mari: usque hoc venies .... et hic confringes tumentes fluctus tuos, potest et impetum ignis refraenare. Quandoque autem, sicut potens, sic et justus, mala quaedam permittit; et quia, num facile sit placabilis, ignoramus, vitandum illud omne, quod et quorumdam Christianorum fidem infirmare posset et nostrorum honorem Mysteriorum malignis infidelium aut haereticorum irrisionibus exponere.“ Qui temporalia a Deo exposcit, pavibus debet eadem rogare divinaeque voluntati se omnino committere: „Quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si prosint, detsi scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non aegrotus, inquit s. Augustinus in serm. 354 alias 53 de verbis Domini cap. 7. Cum saeviunt infortunia, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant: liberari se apetunt nihilque praetera curant: cumque caeteroquin pietate ac devotione erga Sacramentum Altaris exardescant, videntes educi illud e tabernaculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiae januam eodemque adhibito per Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erupunt turbines et procellae, *vel ad*

eam, in qua furit incendium; implentur fiducia quadam certaque spe, ad exitum jam pertigisse calamitates suas, et si id haud fiat, sicuti ex justo Dei judicio pluries reipsa non contingit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Altaris Sacramentum, misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis. Atque hae profecto animadversiones fecerunt, ut a solertissimis Episcopis statueretur, ne pixis e tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia neve cum ea in Ecclesia vel extra Ecclesiam ad tempestates aut incendia benedicatur.

§. 15. *Haud absimilis est obsessorum exorcizandorum species;* in Rituali siquidem permittuntur sanctorum Reliquiae, opportunis adhibitis cautelis, eorum capitibus pectoribusque imponi. „Reliquiae quoque sanctorum, ubi haberi possint, decenter ac tuto colligatae et coopertae, ad pectus vel ad caput obsessi reverenter admoveantur.“ Non tamen licet ad caput eorum vel pectus sacram admovere Eucharistiam ob irreverentiae periculum; „SS. vero Eucharistiae super caput obsessi aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiae periculum.“ Et in vita s. Bernardi in chronicis belgicis Molineti et in catalogo belgico Bernardi a Luxemburgo lit. G. haud desiderentur exempla sanctorum virorum, qui tale quidpiam praestitere, atque ita ab obsessis demones ejecerunt: facta enim haec, sicut praediximus, iis accensenda sunt exemplis, quae admiratione quidem non vero imitatione prosequi debeas.

§. 16. Caeteris quibusque Auctoribus *Johannes Baptista Thiers* eruditius doctiusque de hac quaestione disseruit illamque diremit juxta ea, quae hactenus dicta sunt, in suo tractatu de SS. Sacramento 2. part. cap. 12. et quidquid ibi latius attulit, legitur ab ipso summatim resumptum in suo tractatu de superstitionibus tom. 2. cap. 13. Opus Thiertis de Expositione Sacramenti valde commendatum probatumque fuit a pio ac docto Cardinali Bonae, uti nosse licet ex ejus Epistola 321. in tomo hoc ipso anno 1755 cuso, pag. 246. Laudatus Cardinalis in ea epistola inquit, praeclarum se de illo opere fecisse judicium, cum sermonem de eo habuisset cum Patre Luca Dacherio indeque subdit: „Librum optimum esse et pium et ab omnibus viris doctis ac eruditis approbatum. Omnes autem mirantur, quod argumentum per se sterile et hactenus intentatum tanta ubertate tractaveris, ut nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audivi rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatum fuisse, sed protinus sedatum, cum nihil in eo censurae obnoxium sit.“ Tanti Cardinalis sententiae ipsi subscribimus, sed quoad praesentem quaestionem erudite adeo discussam a Thiers, putamus, deesse nonnulla; quae nisi congrua aliqua interpretatione solvantur, concidit Thiertis assumptio, atque etiam nonnihil concuti possunt, quae hactenus constituta sunt.

§. 17. Hoc maxime Thiers expendit, cum in tot Synodis actum sit ac constitutum, quidquid agi oportet, dum aliquod tempestatis incendiique accidit infortunium, ne unum reperiri quidem suadentem vel permittentem benedictionem Sacramento adhibito: praeterea ex tot ritualibus in sacrarum functionum normam impressis nullum penitus adinveniri consentiens, ut tempestatibus incendiisque, Sacramento adhibito, benedicatur; et si caeteroquin similia non desint ritualia et monumenta benedictionum, quae, adhibitis sanctorum Reliquiis vel Crucis imaginibus, impertiantur: et ex tanto omnium silentio validum elicit argumen-

tum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatibus incendiisve. At si forte nonnulla extarent ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur aedificium omniaque disrupta corruerent.

§. 18. In Sacerdotali Romano pag. 227. a tergo sub tit. de benedictione adversus tempestates sequentia verba adnotata reperiuntur: „Si expediens visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter corpus Domini in vase debito et Ecclesia exiens nubes in modum Crucis cum dicto vase signet." Et in Rituali Cardinalis Sanctorii pag. 709 sub tit. de Exorcismis contra ingruentes aereas tempestates haec adscripta leguntur verba: „Postea, si expedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter et cum luminaribus corpus Domini in calice aut alio vase debito et Ecclesia exiens nubes in modum Crucis cum dicto vase signet." Auctor Sacerdotalis Romani fuit Pater Albertus Castellani ordinis praedicatorum, qui multo labore illud elucubravit dicavitque Leoni X. Pontifici maximo. Et antequam typis traderetur examinatum emendatumque fuit jussu Pii IV. Pontificis, veluti cognoscere est tom. 2. Scriptorum ordinis praedicatorum Patris Jacobi Echard pag. 48. Alterum Rituale auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, s. Severinae nuncupatum, teste Ciacconio in ejus vita tom. 3. pag. 1044. De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorifica fit mentio in brevi summi Pontificis Pauli V. incipiente: *Apostolicae Sedis* dato quarto idus Juli 1614 impressoque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice evulgati; in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos vetera expendisse Ritualia, praesertim vero illud „quod vir singulari pietate, zelo et doctrina, bonae memoriae Julius Antonius S. R. E. Cardinalis sanctae Severinae nuncupatus, longo studio multaque industria et labore plenissimum composuerat."

§. 19. His tamen nihil facessentibus stat *Thiertis Assertio praeindicata, quippe duo opera publicae auctoritatis pondere destituuntur.* Nos nihil detractum volumus egregio operi Patris Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati auctoris opus nullumque extare argumentum, quod illud a Pio IV. Pontifice approbatum demonstretur. Neque id temere aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo opere de Baptismi forma sub conditione ac recensentur peculiares factorum circumstantiae, quando in hujusmodi Sacramento administrando forma sub conditione uti licet, a Sacramento autem Poenitentiae universim haec forma sub conditione rejicitur: *Secus in Sacramento Poenitentiae, quod non licet.* Theologi illi, qui in Sacramento Poenitentiae ministrando locum esse negant formae sub conditione, auctoritate utuntur Sacerdotalis Romani a praefato Religioso compositi, venditantes illud pontificia auctoritate roboratum. At caeteri, quibus forma sub conditione in Poenitentiae Sacramento probatur, fidenter respondent, neque anteacto tempore fuisse unquam demonstratum nec demonstrari nunc posse, enunciatum opus fuisse ab aliquo ex summis Pontificibus approbatum, quod et ipsi expressimus in Nostro opere de Synodo Dioecesana lib. 7. cap. 15. tom. 2 et seq. novissimae editionis romanae jam absolutae et quam primum evulgandae. Praetermittenda nec est consideratio illa, si nimirum opus Patris Castellani approbatum fuisset a Pio IV. Pontifice, sanctum Carolum Borromaeum Pontificis nepotem totoque ejus Pontificatu in ecclesiasticis negotiis maxime versatum haud fuisse permissurum, ut in sua Dioecesana Synodo suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis statueretur, quod noscitur reipsa statu-

tum quodque omnimode adversatur iis, quae in praefato Opere Patris Castellani tradita leguntur.

§. 20. *Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus.* Celebris Praesul Fontanini, qui paucos librorum peritia sibi pares habuit, in appendice ad catalogum librorum bonae memoriae Cardinalis Imperiali litera S. haec adnotata reliquit: Opus rarissimum, sine principio et fine, impressum sub Paulo V. et jure quidem: egregii quippe hujusce operis impressa folia delitescebant in angulo Vaticanae Bibliothecae; quorum notitia ad Viros sacrorum Rituum studiosos delata impetrarunt hi, ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi sumere liceret. Tunc vero factum, ut multi ejusdem sibi exemplum comparaverint, quod in suis Bibliothecis condiderunt, cum ante id temporis pauca essent atque rariora exempla, quam quae extabant et nunc etiam extant, unum in Bibliotheca Monasterii s. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca Collegii Romani, quorum alterum fuit Venerabilis Cardinali Bellarmini, alterum Praesulis Coccini Rotae Auditoris. Uti praenotatum est, asserit Praesul Fontanini, Rituale Cardinalis Sanctorii principio destitui et fine, idque omnino verum, quemadmodum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur illud sub Paulo V. impressum, at non meminit, quod illum latuerit fortasse, suppressum fuisse jussu ejusdem Pontificis, dum adhuc sub praelo esset, quemadmodum ab eodem Praesule Coccino sua manu adnotatum legitur in praefato Rituali, in Collegio Romano, uti praedictum est, asservato: *Hoc opus, dum adhuc sub praelo esset, suppressum fuit Romae tempore Pauli V., ideoque caret principio, medio et fine.* Et licet in ejusdem Ritualis exemplis novissime evulgatis ac distributis initium reperiatur ac finis, facile tamen deprehenditur et initium et finem ipsis fuisse, quamvis fortasse parum considerate, superadditum, ne per manus abiret mutilum exemplum, nec caput habens nec pedes.

§. 21. Id vero comprobatur ex titulo sive inscriptione praefatis recentibus exemplaribus praeposita, constat quippe his verbis: Rituale Sacramentorum Romanum Gregorii XIII. Pontificis Maximi jussu editum Romae 1584, in quo facti veritas primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii cogitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V., uti mox supra dictum est, nec cusum illud fuerit superstite auctore, qui e vivis excessit sub annum 1601, Clemente VIII. Pontifice, sed ab ejusdem haeredibus sub Pontificatu Pauli V., quemadmodum mox infra constabit.

§. 22. In praedictis exemplaribus et finis quoque conspicitur; pagina quippe 712 haec leguntur verba: Ritualis Romani finis. Qui autem id sibi sumpsit, ut extrema suppleret, mediam partem satis non inspexit, ubi non minus in ipsis quam in caeteris quibuscumque exemplis desiderantur paginae, quae a 252 ad pag. 257 subsequuntur. Verum quanticumque sit haec animadversio, sermonem omnem colligendo ad finem facili negotio detegitur recens supradditio nonnullorum foliorum, quae non solum ex charta et atramento evincitur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam pertingunt 712., cum caeteroquin duo vetera exempla, alterum nempe Cardinalis Bellarmini et alterum in Bibliotheca s. Crucis in Hierusalem asservatum, paginam 604 non praetergrediantur, atque etiam Praesulis Coccini pag. 708 completur. Ritus itaque Benedictionis cum SS. Sacramento nonnisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag. 709. et

caeteroquin vetera inter exemplaria nullum paginam 708 praetergradiatur.

§. 23. Ad absolutissimam notitiam eorum omnium, quae Rituale respiciunt Cardinalis Sanctorii, nihil superest aliud quam inquirere causam, cur fuerit, Paulo V. Pontifice, su dante praelo suppressum. Huic autem investigationi videntur posse cumulate satisfacere ea ipsa, quae caractere Venerabilis Cardinalis Bellarmini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellarminus utebatur, quodque, uti saepius monuimus, extat in Bibliotheca Collegii Romani. Hic liber confectus est a Cardinali sanctae Severinae longo tempore et magno labore et si quidem sub nomine praedicti Cardinali fuisset impressus, dempto illo verbo *Romani* (quod verbum etsi non extaret in libri fronte tunc non impressa, aderat illa tamen in prima Operis pagina: Ritualis Romani liber primus) potuisset libere communicari cum omnibus: sed non placuit iis, ad quos pertinebat, ut cum nomine *Romani* publicaretur; et non placuit haeredi Cardinalis, ut sine nomine *Romani* exiret. Ea causa est, cur hic liber lucem non aspiciat et imperfectus ac mutilus extet in privatis Bibliothecis.

§. 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni comendatione dignum optimoque jure sibi vindicat laudes, quae de eo tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini tum et in praememorato Brevi Pauli V. leguntur. Nosque ipsi auctoris laborem et eruditionem saepius admirati non praetermisimus eo uti debitamque laudem in nostris evulgatis operibus ipsi tribuere. At ex superius allatis notitiis fieri nullo modo potest, „ut ipsi vis legis concedatur existimeturque veluti opus a summis Pontificibus approbatum et tanquam Rituale Romanum; *titulus enim hic solummodo convenit Rituali Pauli V. Pontificis*, ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos per ipsum directo, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae Filii ejusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent": uti legitur in illius Brevi anni 1614, quo Rituale Romanum confirmat et in quo, licet adnotatae legantur preces recitandae *ad repellendam tempestatem* fiatque mentio sonitus aeris campani signi Crucis atque aspersionis aquae benedictae, nullum tamen omnino fit verbum de Benedictione adhibito Sacramento impertienda.

§. 25. Denique in una librae lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii, quod, quanticumque tandem sint reliquae exceptiones omnes, nunquam dici poterit pontificia auctoritate roboratum, illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum opus Patris Castellani, nunquam et ipsum approbationem illam pontificiam consequutum; in altera vero lance ponantur Synodi sancti Caroli Borromaei, quamvis illae, si vim legis consideres, in dioecesi totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant; haecque omnia si quispiam ponderet, conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem, quumque, aliquo hujusmodi casu sese offerente, deliberandum erit, obstrictum se noscet, vi quidem directiva, amplecti quidquid fuit a s. Carolo praefatis in Synodis constitutum. Non indigent profecto praefatae Synodi, ut quidquam illis adjiciatur, ut si quae fieri vellet accessio, in promptu illa quidem esset et facillime comparanda ex aliis Synodis et Ritualibus aliarum Dioecesium, in quibus ex norma in s. Caroli Synodis tradita, statutum cernitur, ut cum incendii periculum sub-

est, aperiatur tabernaculum, Sacramentum relinquatur obtectum, religiosa fiat precum recitatio, nec extrahatur Sacramentum, ac proinde ne cum eodem ad incendia tempestatesque benedicatur.

§. 26. Supra allatae sunt Synodorum auctorumque transalpinorum auctoritates; nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas. Injuriam sibi faceret is, cui incomperta essent tum eximia virtus Praesulis Gratiani olim Ameriae Episcopi tum ejusdem celebris Synodus habita anno 1595, in cujus capite 109 ita legitur. „Ad arcendas pluvias aut tempestates procellasque, quae forte impendere videbuntur, nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento efferat, sed tantum tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat et in conspectu Sacramenti, genibus ad terram datis, litanias aliasque precationes ejus rei sausa institutas pie sancteque cum populo, qui aderit, aut cum clericis aut etiam solus peragat divinamque benignitatem, ut mala, quae peccata nostra merentur, misericordia sua avertat, religiose precetur.“ Perspecta quoque est praestantia in rebus ad Ritus spectantibus Patris Bartholomaei *Gavanti*, qui composuit *Enchiridion seu Manuale Episcoporum* ad sacras functiones rite dirigendas; in hoc autem verbo *Eucharistia* num. 14 haec scripta reliquit: „Non adhibeatur contra grandinem, puta in valvis Ecclesiae, benedicendo aerem.“ Nec missum faciemus Clericatum, utcumque caeteris recentiorem non exiguam tamen laudem consecutum, in ejus quippe decisione 60 de Eucharistia num. 11 haec leguntur: „At ad benedicendum aerem contra grandinem prohibitum est sacram Eucharistiam exponere in valvis Ecclesiae“.

§. 27. His literis finem imponimus, tum quia aliis obruimur curis tum et quia aestivis caloribus afficimur. Prudens nobis probatur fraternitatis tuae agendi ratio, dum nihil graviter egisti in pium illum Sacerdotem, qui extra Januam Ecclesiae S. Nicolai in carcere Benedictionem super populo et ad incendium est impertitus; valde enim huic casui congruere nobis videntur verba s. Bernardi serm. 40 super cantica, ubi haec scripta reliquit: „Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec si judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.“ Verum cum haud justum aequumve sit, ut, quae sunt minus recte gesta, conniventia invalescant, iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineant, non solum tibi curae erit, hanc Nostram Epistolam in Cancellaria tua custodiri, verum etiam edictum interposita auctoritate nostra propones, in certam normam eorum, quae, excitato incendio aliquo, praestanda sunt, ut Deo supplicetur juxta ritum s. Romanae Ecclesiae: edictumque ipsum, veluti adamussim, exiges ad ea, quae a s. Carolo noscuntur constituta, quaeque fuerunt a nobis in his Nostris literis fusius exposita. Teque, Ven. frater Noster, ex animo amplectentes Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum apud s. Mariam majorem die 27. Julii 1755.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 196.)

4) Ad Infirmos in Parasceve.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (*Communio in Parasceve*); *SS. Viat.* (port. in Pararsc.)

5) Ad Infirmos extra Parasceve.

Vd.: *Administr. SS. Sacrament. Non deferatur ad Infirmos adorandi causa*, vd.: *SS. Sacram. euch.* (Delatio ad incendium etc., constit. Bened. XIV. §. 12). *Stola* (Administr.

Sacr. decr. n. 4623); *Stola* (extrema unctio). *SS. Viaticum* (modus); *Indulgent. infirmor. habitual.*

6) Ad obsessos vetita est delat.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (Delatio ad incendium etc., Constit. Bened. XIV. §. 15).

7) In processione.

Vd.: *Instructio Clem. XIV.* n. 15; *SS. Sacrament. euch.* (A celebrante defertur; delatio cui competit?)

XII. Detectio capitis.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (capite etc.) *Concionator*, *Processio*, *Pileolum* (decr. n. 3303); *Parruca; Birettum.*

Sacerdos celebraturus, dum transit, ante altare, in quo est publice expositum SS. Sacram., post factam adorationem genibus flexis detecto capite, surgens caput operiat et non detecto capite iter prosequatur. n. 1086. die 24. Julii 1638.

Conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Episcopus quam Canonici et omnes praesentes et in Choro assistentes durante officio starent semper capite detecto et nunquam sederent; quod si ob longitudinem officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite assistente SSmo super altari divinis officiis assistere. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXIII. n. 33.

Latina Ecclesia ac orientales pleraeque venerationis causa prohibent ne Eucharistia cooperto capite celebretur. *At cum in Sinensi eique finitimis regnis detecto capite manere vel operari non sit reverentia et scandalum generet, non devotionem,* Romani pontifices permisere missionariis, cooperto decenti pileo capite celebrare ac Neophytis Eucharistiam recipere quoadusque gens illa ita edocta fuerit, ut ritus romanae Ecclesiae non abhorreat. (Ex brevi Clem. X. 23. Decembris 1673 et aliis.) Quamobrem non adeo facile damnandi erunt, si qui sint in Oriente patriarchae vel alii, qui cooperto capite sacram eucharistiam celebrent vel distribuant. Nam in iis deesse potest irreverentia, cum sit res indifferens. Hinc Assem. infert, injuria a Josepho II. damnatos esse Patriarchas nestorianorum, quod cooperto capite Eucharistiam vel celebrent vel recipiant vel administrant. Nam scribit Balsamon lib. 7. juris orient. *Alexandrinum patriarcham rem divinam facere mitra caput obvolutum,* alios vero Orientales operto capite. Et Monachi omnes s. Antonii Abbatis, sive Cophthi sive Abyssini sive *Syri Maronitae, cucullam monasticam in Liturgiae celebratione et in ipsa Eucharistiae consecratione vel perceptione retinent;* ideoque ex praescripto s. Pachomii Abbatis regula 91. eamque regulam refert CC. Assem. diss. de Syr. Nest. pag. 306. part. 2. bibl. orient. Itaque, ubi viget usus celebrandi ac recipiendi eucharistiam detecto capite ex ecclesiae praecepto, id est servandum, a quo praecepto sola Apostolica Sedes dispensare valet; ubi vero contraria vigeat ex majorum traditione consuetudo, nihil est nisi ex Apostolicae Sedis decreto immutandum.

Bruxellen.

Archidiaconus de Arras exposuit fuisse alias per hanc S. C. declaratum nullo modo licere concionem habere capite cooperto, quando est expositum SSmum Eucharistiae Sacramentum et nihilominus regulares illarum partium reposito Sacramento in tabernaculo habere concionem capite cooperto supplicat declarari, an conveniat? Et S. C. respondit: Convenire et esse laudabile.

Die 21. Apr. 1653.

(Anal. J. P. 1863 p. 262. n. 1168.)

XIII. Distributio.

1) Domestica.

Vd.: *SS. Sacr. euch.* (distributio frequ., quotid., distrib. in oratorio); *Communio frequ.*

SSmum Sacramentum Eucharistiae non debet sumi nisi in ecclesia et domi aliove loco non deferatur, nisi graviter infirmo. Ita notat s. Basilius in epist. ad Caesaream Patriciam, concilium Bracarense sub Martino Papa I. can. 68., concil. Caesaraugust. can 3. et Rituale Romanum de Sacram. Euch. in cap. de Comm. paschali: „Domesticam communionem nisi Infirmis deferri esse gravem errorem. In privatis autem Oratoriis servanda sunt summorum pontificum privilegia, si quae adsint; aliter non debent hujuscemodi oratoria permitti".

(Anal. J. P. 1863 p. 815.)

Communionem domesticam non permittendam nisi ex causa necessitatis, praecipiente apostolo: *Dum convenitis invicem expectate; si quis esurit, domi manducet*". Cui praecepto apte conformatur Rituale romanum sub titulo de Sacram. euch. cap.: *de communione infirmorum.*"

S. C. C. 2. Oct. 1677. (*Ibid.* p. 817).

„Non licet communicare domi extra casum necessitatis vel Eucharistiam retinere contra praescriptum Ritualis Romani". (*Ibid.*) Epistolam scribendam esse a S. C. vel a SSmo, si ei placuerit, omnibus illius provinciae Ordinariis, in qua damnet et ut gravem errorem declaret SSmum Eucharistiae Sacramentum domi sumi et deferri aliis quam graviter infirmis, ex eo quod non debet nisi in ecclesia sumi et domi aliove loco non defertur nisi graviter infirmo. S. Basilius in epistola ad Caesaream Patritiam, concil. Bracharense sub Martino I. can. 68., conc. Caesaraugustan. can. 3. et rituale romanum de Sacrmento Euchar. in cap.: „*de commun. paschali*". *(Ibid.)*

Omnino interdicendam esse communionem domesticam extra casum necessitatis uti contrariam praecepto apostolico ad Corinth. 1. cap. 11.: *Dum convenitis invicem expectate, si quis esurit, domi manducet.* Ideoque servandum rituale Romanum sub titulo de sacramento Euchar. cap. de communione infirmor. §. *Potest quidem,* ubi circa finem prohibetur delatio SSmi Sacramenti ad aedes profanas extra casum necessitatis."

S. C. C. 5. Febr. 1678. *(Ibid.* pag. 822.)

2) Frequens et quotidiana.

Vd.: *Communio frequens.*

Illmi et Rmi Domini. — In Brixien. ecclesia et dioecesi jam abhinc aliquot annos inolevit consuetudo, non paucos utriusque sexus laicos et ideotas et negotiis saecularium admodum implicatos ac etiam conjugatos non solum singulis diebus festivis SSmum Eucharistiae Sacramentum quotidie sumere. Unde evenit, ut minori reverentia nonnulli ad tantum Sacramentum accedant, quo fit ut multi scandalizentur videntes, conjugatos, mercatores et hujus saeculi negotiatores quotidie communicare communem tamen caeterorum hominum vitam ducentes. Hoc etiam communicandi quotidie vehemens desiderium nonnullarum ipsius civitatis monialium corda occupavit, in eisdem monasteriis nonnullae moniales quotidie sumere vellent, aliquae vero diebus tantummodo dominicis et solemnioribus, et haec differentia etiam in spiritualibus rebus solet aliquando inter ipsas moniales simultates et rixas excitare, cum singularitas monasteriis sit maxime perniciosa."

„His incommodis obviare desiderans Episcopus Brixien. diu cogitavit, si posset in aedificationem et non in ruinam modum et terminum tam monialibus,

quam saecularibus denunciandum praescribere utpote ordinare, quod tantummodo diebus festivis et quarta et sexta feria liceret sacerdotibus monialibus et saecularibus Eucharistiae Sacramentum ministrare. Tamen nihil ex arbitrio suo de hac re ausus est determinare, ne videretur fortasse praeter intentionem concilii Tridentini Sess. 22. cap. 6 ordinare, sed totam hanc rem ad SS. D. P. detulit, qui hoc negotium vobis Illmis DD. Cardinalibus declarationi Concilii Tridentini praepositis determinandum demandavit. Quapropter Episcopus Brixien. Illmas et Rmas Amplitudines vestras rogat, ut eidem dignentur declarare et modum praescribere, quo in hac re saluti animarum suae dioecesis sit consulendum etc.: *„An Episcopo volenti certa tempora statuere, nempe, dies dominicas, quartam et sextam feriam, quibus liceat viris laicis conjugatis SSmam Eucharistiam sumere, ob irreverentiam, quam posset quotidiana hujus sacramenti sumptio in sua dioecesi parere, obstet decretum conc. c. 6. sess. 22?*

Votum Cardinalis Carafae.

Ex traditione Apostolorum hoc institum emanare, ut adstantes fideles missis SSmae Eucharistiae perceptione communicent, probatur ex sententia SS. patrum in cap.: *Peracta de consecr. a. 2.*, ibi passim ex Gratian. adducitur varia consuetudo in diversis temporibus communicandi. Concilium vero Tridentinum dixit Anathema iis, qui dicerent illicitas esse missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Deinde idem Concilium, *optaret*, inquit, ut adstantes fideles communicarent, quia, ut tradit s. Thom. 4. Sent. dist. 52. qu. 3 art. 2. et reliqui DD. omnes, quod frequenter communicare est per se bonum nisi ratione accidentis alicujus, nempe si inordinate fiat vitio communicantium. Et ut indicaret s. Synodus, quod hujusmodi, quod est melius per se, potest impediri, non absolute dixit *optat*, sed: *optaret*, ut omnes essent tales, ut idonei essent, ut possent cum Psalmista dicere: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* sicuti eadem s. Synodus in cap. 7 et 8 sess. 13 de doctrina s. Eucharist.

Ex quibus consequitur haec conclusio, quod non videtur absolute obstare proposito themati hujusmodi decretum concilii".

„Deinde considerandum, quod nulli Sacramentum Eucharistiae poscenti denegari potest, nisi publicis peccatoribus, s. Thomas 3. qu. 80. art. 6·„

„Hinc sequitur, quod hujusmodi prohibitio nihil aliud censeri potest nisi quaedam excommunicatio minor, ut quis arceatur a Sacramento altaris, nec fit nisi ob peccatum mortale *(cap.: Inimicus XI. 9. 3.)* Ergo Episcopus hujusmodi praefinitionem facere non potest".

„Sed per verba Concilii existimandum est, id neque posse; nam quotidianam communionem non praecipit sed optaret, quod si optaret, procul dubio videtur, non certo posse praefiniri a nemine, cum tota haec res in praeparatione animi consistat, ut dicitur in dicto cap. 7: *Probet autem seipsum homo*".

„Et ecclesia praecipit, ut saltem semel in anno communicent, non autem ut non communicent nisi talibus diebus. Idem habetur ex cap.: *Quotidie de consecr. dist. 2.*, in quo duo colliguntur, quod nec laudat nec vituperat quotidie communicare; deinde judicat remittendum in totum conscientiae accipientis, dummodo hoc faciat, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum".

„Si ergo praefiniri non potest quibus temporibus haec frequentia sit admittenda, videtur etiam episcopo non licere id quod petit, cum totum negotium consistat ut unusquisque paratus accedat".

„Sed in aliquibus non vitatur lapsus nec sentitur processus, quod vita velut proscripto transigitur, iidem hesterni atque hodierni mores; cum unicum hujus bene gesti negotii sit argumentum virtutis profectus, adire frequenter divinam mensam hos desinere oportet".

„Qui vero assequuntur ut si progredi nequeant, sed hac coelesti medicina continentur, ne labantur, his consilium dandum ut crebro accedant, iis autem, qui matrimonio juncti sunt et oportet ut negotiis saecularibus praecipue implicati sint, et non cogitant, inquit apostolus, quae Dei sunt sed mundi, divisi enim sunt, nullo modo consilium dari potest, ut quotidie communicent; non enim possent scire, quid sit oratio et quomodo orandum sit, nedum quanta cum reverentia accedere oporteat ad hoc augustissimum Sacramentum; quos ut vacent orationi, idem s. apostolus separari admonet".

„Sed Episcopi id erit, ut paterne cum illis agat, quibus communicare non est consulendum, ut dictum est, hortationibus, ut cognoscant plurimi facere, quod eis assiduitate viluerat; dico de illis, de quibus primo loco dixi; et ostendat etiam confessoribus suum munus, postremo praedicatoribus de praeparatione necessaria adhibenda et quanta esse debeat".

„Eodem modo procedendum cum conjugatis, ut discant et cognoscant hanc sanctam praeparationem et quod non potest fieri, ut in matrimonialibus actibus mens non remaneat perturbata et cum status hujusmodi sit negotiosus ut mens aliquando non distrahatur in his sanctis actionibus ut non cogitet quae sunt mundi".

„S. Apollonius solus hortatus est suos monachos ad quotidianam communionem".

„Et in primordio nascentis ecclesiae, si erat talis consuetudo, considerandum quales fuerint illi".

„S. Franciscus diebus dominicis tantum communicabat."

„S. Benedictus singulo quoque mense praecipit suis monachis".

„De hac materia S. Thom. 2. quaest. 80. art. 10., Turrecr. cap. *Peracta* de consecr. dist. 2".

„Ex quibus omnibus concludi videtur quod in ecclesia a tot SSmis Patribus fuit praefinitum et hucusque varia opinio extat. A nobis etiam aliquid novi non videtur decernendum, sed cum lex feratur, ut in pluribus (potest enim esse, ut digni plures quotidie sumant et quotidie de virtute in virtutem progrediuntur, pauci vero qui non illa charitate et reverentia sumant) et ideo cum de hac re nihil certi determinari possit, existimo relinquendum conscientiae sumentium et judicio peritorum confessariorum et scribendum episcopo ut suum opus agat in vigilando, ut cum illa qua decet reverentia hoc admirabile Sacramentum administretur, particularia vero proposita declinet et remedia adhibeat in his, quae indigent, rationibus jam dictis et hortetur communionem singulis dominicis et festis solemnioribus diebus etc."

Votum Alterius.

Antequam ad quaestionem propositam formiter respondeam, duo prius excutienda putavi; primum erit: An liceat? Secundum dato quod liceat: An expediat? Ac demum videbimus: an huic ordinationi, si fieret, obstat sacrum concilium?"

„Ad primum, res non caret dubio; nam cum haec prohibitio in effectu nihil aliud sit quam quaedam minor excommunicatio, per quam quis a Sacramento altaris arcetur, quae non debet nisi pro peccato mortali infligi *(Gloss. cap.: Inimicus)* et in casu proposito nil tale supponatur, sequitur non liceat Episcopo talem ordinationem, quae vim excommunicationis obtinet, promulgare maxime contra unitatem, argumento notatorum in cap.: *Romana de Sent. excom. in 6*".

„Sed quia hoc argumentum eo solum tendit, ut insinuet Episcopum non debere hoc attentare, non autem quod non possit, etsi etiam dicamus non posse, quod juste non possumus *arg. I. Nepos. ff. de verbor. signif.*"

„Ideo aliud subdo argumentum insinuans Episcopum esse destitutum potentia id statuendi. Nam cum jure communi statutum et praeceptum alias fuerit, ut omnes fideles sacrificio missae interessentes communicarent *(C. 59. de consecrat. dist. 1 et cap.: Peracta de consecr. dist. 2.)* hocque ab apostolis institutum dicat s. Thomas (*in 4. dist. 13. q. 3. art. 1)* et episcopus contra jus commune nihil possit statuere *(C. quod super his de major. et obedient.,* ibi: Dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum quod canonicis obviet institutis) sequitur, ut Episcopus non possit statuere ne quis omni die communicet; nec effugiet vim argumenti Episcopus dicens illis antiquis canonibus derogatum per Cap.: *Etsi non frequenter* eadem dist 2., cujus verba sunt haec: Et si non frequenter saltem in anno, ter laici homines communicent", et per cap.: *Omnis* de poenit. et remiss., ibi: „Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum".

Cui concordat s. Concilium sess. 13. de Euchar. Sacr. Can. 9. Nam fateor per haec posteriora decreta relaxatum rigorem antiquiorum canonum quoad obligationem poenalem, ita ut non peccet nec excommunicari possit, qui omni die non communicat, sed non ita abrogatos, ut nemini liceat illos observare, quo tendit haec Episcopi concepta constitutio et de directo dictos antiquos canones impugnat et condemnat, quod attentare non ad ipsius sed ad supremae potestatis autoritatem spectare puto. Ex quibus non videtur necessarium ad aliorum articulorum excusionem devenire. Verum quoniam haec mea sententia forte ab aliis non probabitur, idcirco veniam ad secundam quaestionem".

„Supposito igitur quod Episcopus sufficientem causam et etiam potestatem habet id statuendi, quaero: an expediat ut talis edatur constitutio et puto non expedire".

1) „Res nova est et a nemine quod sciatur intentata, nedum executa unde etiam ab ea Episcopus debet abstinere, cap.: *quis nesciat 11. dist. et arg., cap.: Consuluit 2. qu. 5.* ibi: „Et quod SS. PP. documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est praesumendum".) Et licet haec novitas non sit superstitiosa, novitas tamen est, quae et ipsa fugienda est *(Gloss. fin. cap.: Cum consuetudinis de consuet.,* ubi Jo. Andr. ex Hypocr. ait mutationes omnes periculosas").

2) „Cavendum ne populus irritetur seu ad iracundiam provocetur et ne in populo fiant sectae, ne a circumvicinis tamquam excommunicati irrideantur et cum periculo scandali subsannentur vel haeretici sumant occasiones aliquas hoc scientes blasphemias afferendi et alia similia, quae timeri possent eventura et non praevisa, novitatis enim incommoda nisi experientia praecognosci non possunt".

3) „Nec video, quomodo haec lex posset habere conditiones requisitas

ad hoc ut lex dici possit, de quibus in cap.: *Erit autem lex, dist. 4*".

„Nam cum devotio et reverentia, qua praeditus quisque ad haec veneranda mysteria accedere debet, non dependeat ab humana solum praeparatione quoad continentes; quis potest ex hominibus efficere, ut quilibet de populo quarta et sexta feria ac die dominico sit magis dispositus ad communionem quam aliis diebus, cum gratia Dei diebus non sit obligata, nec dies, ut ait Paulus, nec tempora sunt in his superstitiose dividenda nec observanda. Unde unus die sabbathi, alius altero die, et eademmet persona modo uno die modo altero soleat se magis ad id dispositum sentire. Quod spectat ad conjugatos, de quibus non ex praecepto sed consilio eadem causa et dist. 2. cap. 21. dicitur: „Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet a tribus aut quatuor vel octo diebus," quis novit, quod illorum corpora sint potius illis diebus quam aliis munda, nisi forte Episcopus praeciperet, ut uxorati per tres dies ante communionem a cohabitatione se separent et alii laici a negociis abstineant, si volunt communicare. Et ex praedictis deducitur quod haec dierum certa praescriptio praebebit forte potius occasionem ut majori cum irreverentia accedatur ad communionem, utpote qui ad communicandum ex adventu dierum deputatorum magis quam ex intima devotione ad id trahentur, et forte timendum esset potius, ne huic sacramento quae a sacrificantibus irrogetur injuria, qui vel paupertate pressi, vel obligatione vel ratione beneficii adstringuntur, vel superiorum praecepto saepe mortalibus alligati peccatis sacrum contra cap.: *Significan.* de praebendis facere coguntur. Ex quibus mihi videtur non expedire sufficitque ut populus a concionatoribus saepe exhortetur et doceatur quanta cum reverentia sit ad haec tremenda mysteria accedendum et ut confessarii poenitentes pro diversitate personarum Zacchaei et Centurionis hos impellant et hos retrahant *(arg. cap.: Quotidie eodem de consecr. dist. 2.).*"

„Superest, ut ad tertium, quod propositam concernit quaestionem, deveniam. Pro quo praemitto saepe inter antiquos et modernos doctores in illo articulo variatum: An expediat quotidie vel non communionem sumere, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ut est videre ex d. cap.: *Quotidie*, et ex D. in 4. dist. 12. art. 3. ubi D. Thomas et novissime Soto d. dist. 12. art. 10."

„Et licet D. Augustinus dicto cap.: *Quotidie* non fuerit hunc determinare articulum, licet intrepide hortetur quoslibet, attamen s. Concilium (cit. cap. 8. sess. 22.) satis clare insinuat se potius adhaerere illi sententiae, ut quolibet die omnes communicent, quam contrariae. Cujus opinionis scilicet affirmativae, ut mihi videtur, fuit etiam s. Thom., uti supra. Et exinde infero, quod, licet haec si fiat constitutio, non potest dici facta directa contra decreta Concilii, utpote quod in dicto cap. 6. nihil statuat, negari tamen non potest quin facto declaret, sic cum tacita intentione sacro Concilio non concordare, quando quidem sacrum Concilium optaret ut omnes singulis diebus communicent; haec autem constitutio inhibet ne fiat, et forte melius esset concludere, quod haec constitutio et dictum decretum sibi obviarent et successive, quod quidem ordinationi dictum obstat decretum".

„Nollem autem, ut quis ex praedictis colligat, me illius sententiae, ut putem expedire quod confessarii passim indulgeant suis poenitentibus ut quotidie communicent, quandoquidem in praxi ego id non facile concedere so-

leam, sed quod non expedit, ut generali decreto id statuatur, sed ut id cujusque conscientiae ac confessariorum prudentiae relinquatur, prout hactenus factum fuit. Puto autem quod episcopus laudabile ejus desiderium facilius consequetur, si operam dabit ut in sua dioecesi pios et prudentes habeat confessarios eisque aliquando conveniat et cum eisdem de iis quae spectant ad confessionem et communionem agat cum charitate sibique addictos reddat, ut facilius eisdem suadere possit, quae in domino expedire judicaverit".

Epistola s. Congregationis Concilii ad Episcopum Brixien.

„Rmme Domine. Consuluit Amplitudo tua SSmum D. N.: An laicis in civitate ista et dioecesi negotiantibus, conjugatis, item qui sacrosanctam Eucharistiam frequentius aut etiam quotidie sumunt, nec tamen ullo insigni in virtutibus progressu antecedere cernuntur, expediret certos aliquos dies statuere, quibus tantummodo communicarent? Re autem hujusmodi ab ejus Sanctitate ad sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum delata Illmmi Patres unanimi sententia ita censuerunt: Et si frequens quotidianusque usus hujus admirandi Sacramenti a sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen aut saepius illud percipiendi aut ab eo abstinendi certis singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes Sacramenti Eucharistiae perceptione communicarent.* (Sess. 22. cap. 6., de sacrif. miss.) Idque non immerito. Multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob hujusmodi negotia spiritus alienationes, multae contra gratiae et Dei dona parvulis elargita, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiana vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puriate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et conjugatis, quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In *conjugatis* autem hoc amplius advertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ad tempus ut vacent orationi, eos serio admoneant, tantum magis ad sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur pastoralis diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies universe constituantur, sed magis quod singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio seu frequenter seu quotidie accesserit repellatur. Et nihilominus det operam ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici corporis suavitatem degustet. Quod autem de *monialibus* quotidie sacram communionem petentibus Amplitudo tua quaeritur, admonendae illae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent: Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae quo-

tidiana SSmmi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum haberi ut, cum fideles ad SSmmi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant, ut qui ad quotidianam aut frequentiorem salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint sive conjugati, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est revereri, et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem praeparationem accingere. Est autem quod Amptitudo tua de hujusmodi in ista civitate et dioecesi erga SSmum Sacramentum devotione gratias Deo agat, quam ipsa adhibito prudentiae et judicii temperamento alere debebit suoque officio postulari sibi maxime persuadebit, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur virtutesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et pretium in morte tradidit atque in coelesti regno se praemium est daturus, precamur, ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur, Amplitudinemque tuam, quo in hoc uno maxime incumbere aliaque pastoralia munera explere possit, incolumem tueatur. Romae 24. Jan. 1587."

Quaesita sequentia sunt proposita:

1. „*An et quomodo communio quotidiana sit permittenda vel restringenda quoad saeculares?*"

2. „*Quoad moniales?*"

3. „*Istarum servas?*"

4. „*An et quomodo domestica communio permittenda vel limitanda?*"

5. „*Ac demum quo pacto praenarratis abusibus consulendum?*"

Votum P. Esparza S. J.

Ad primum posse et debere ecclesiastico statuto determinari tempus, citra quod non liceat frequentare ac repetere sacram communionem."

„Interdicendam ideo esse communionem quotidianam omni et cuivis *communitati* laicali, nec non majori parti cujusque ejusdem communitatis sive regularis sive saecularis ea sit, cum hac tamen exceptione, nisi episcopo loci post diligentem discussionem et maturam cum doctis et piis viris deliberationem videretur alicui concedenda communio quotidiana vel magis rara juxta quod expedire videbitur."

„*Quoad saeculares seorsim viventes* nihil esse innovandum aut speciali statuto praescribendum sed remittendum esse eorum conscientiae et eorum confessariis, addendo tamen, quod episcopi et superiores regulares invigilent huic tanto negotio et cohortationes faciant confessariis et poenitentibus, demonstrando eis abusus et incommoda animarum."

„Simplices sacerdotes seu non approbatos ad confessiones non posse neque debere exponere se confessionibus audiendis sub poenis et censuris ab ordinario infligendis."

„Quoad communionem domesticam et modum decentem deferendi Sacramentum Eucharistiae observandum esse Rituale Romanum et transgressores illius esse ab Ordinario puniendos."

Votum Domini Michaelangeli Riccii.

Ad 1.: Quotidianam communionem neque saecularibus neque regularibus convenire, nisi ea sint animi affectione, quam Salesius describit, et de licentia superiorum. Praeterea sanctiorem quoque praeparationem adhibeant, quam etiam sanctos postulare patres ostendit."

„*Ad 2. et 3:* Sanctimoniales et earum famulas sui monasterii constitutiones et acceptas a majoribus traditiones in Eucharistia sumenda custodire debere."

„*Ad. 4:* Ordinarii ne patiantur privatis in domibus atque omnino extra ecclesias et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eis designanda et visitanda Eucharistiam fidelibus distribui, nisi quis fuerit graviter infirmus."

„*Ad 5:* SSmmus D. N. exemplo B. Pii V. epistolam decretalem ad Hispaniarum episcopos mittat, in qua primum damnet eos errores, qui quotidianam communionem divino jure sancitam fuisse affirmant, et caetera proponat quae ad superiora quaesita fuerunt data responsa. Prohibeat particulas binas dari fidelibus et vetet sub poenis sanctimoniales confiteri peccata nisi confessario ordinario seu extraordinario ab episcopo approbando et deputando."

Votum Revdmi Archiepiscopi Brancatii.

Quotidianam communionem vel magis raram esse permittendam vel abnegandam illis personis, quibus prudentia et judicium confessariorum juxta personarum qualitatem et statum esse deferendum existimaverit et se in totum refert epistolae s. Congregationis Concilii scriptae Episcopo Brixiensi."

Votum P. Soccini.

Ad 1.: Tenet sequendam esse et tenendam quandam mediam ac regiam viam, scilicet dignos et justos posse quotidie accedere ad sumendam sanctam Eucharistiam, sed temere usurpandam illam non esse, et ideo remittendum erit pio docto ac prudenti directori, quem unusquisque sibi elegit pro salute suae animae."

„*Ad 2.:* Quoad moniales et earum servas omnino servandum esse, quod hac de re statutum habetur ab earum regulis et constitutionibus."

„Quoad delationem SSmmi Sacramenti occulte et absque solemnitate, nullo modo id licitum esse, neque enim deferri debet sine solemnitatibus in Rituali statutis, nec non in domo nullius nisi aegrotantis."

Votum P. Lauriae.

Omnibus episcopis illorum dioecesium, in quibus controvertitur haec quotidiana communio, transmittendum esse exemplum Epistolae s. Congregationis Concilii Episcopo Brixiensi directae et haec sequentia addenda esse:

1. „Errorem esse, quod quotidiana communio sit de jure divino praecepta vel prohibita."

2. „Irreligiosum esse, quod sine debitis praeparamentis quis, licet peccato mortali careat, ad communionem quotidianam vel rariorem accedat."

3. „Indecens esse Sacramentum Eucharistiae domi retinere vel deferre nisi infirmitatis causa, aliter non esse licitum. Nec non conjugatos vel saeculares abstinendos esse a communione, quando nocte praecedenti debitum matrimoniale exegerunt vel mundanis negotiis sunt vacaturi."

4. „Indignos esse et irreligiosos illos, qui, si peccato se carere judicent, nulla alia praeparatione praemissa ad Sacramentum Eucharistiae accedunt."

„Et contravenientes per Pastores ecclesiarum coercendos esse et omni juris et facti remedio puniendos."

Votum P. Marraccii.

Ad 1. 2. et 3 respondit: non improbare neque laudare quotidianam communionem; si enim bene dispositi et animi praeparati quotidie accedunt ad Sacramentum eucharistiae, bene agunt; sin tepide et irreverenter accedunt ad illud, male agunt et ideo debet totum id remitti arbitrio confessarii".

In nonullis regionibus partim Hispaniarum est adeo frequens et radicata communio quotidiana tam inter seculares quam inter moniales illarumque servas, ut, nisi apostolicae sedis remedio occurratur, augustissimi eucharistiae Sacramenti contemptui consuli nequeat. „Malum hoc eo magis perniciosum, quia confessariimet ac verbi Dei praedicatores frequentiam hanc verbo scriptisque evulgant et inculcant, quasi ea sit divino jure sancita et sola mortalis carentia praeparationi sufficiat".

„Adhuc inter *moniales* ulteriora scandalorum capita emergunt, quoniam, dum unus confessarius excipiendis singularum confessionibus impar est, complures ad sacrum convivium inconfessae accedunt, auditoque communionis signo ex officinis et e lecto turmatim convolant, non paratae; ex quo etiam fit, ut chorus quotidie remaneat destitutus. Nonnullae etiam vigore bullae cruciatae praetendunt etiam in hac quotidiana communione eligere sibi quemlibet in confessarium imo sacerdotem quemcumque etiam ab Ordinario non approbatum, sub praetextu, quod constitutiones apostolicae intelligendae sint de confessionibus mortalium non venialium, quae sunt materia voluntaria. Et in hoc taxandi sunt regulares, qui tales opiniones insinuant".

„Inter *saeculares* vero hoc amplius est, quod domi et in lecto communicant absque ullo discrimine, dum regulares privatim ad eos deferunt Eucharistiam etiam in crumena aut ex privato oratorio, in quo celebrent, sub praetextu, quod communio quotidiana sit de jure divino; ideoque quodlibet impedimentum accedendi ad ecclesiam id licitum reddat".

„Accedit, quod consueverunt nonnulli eorum devotis duas sacras formas tradere, ut magis perduret sacramenti existentia, quod alii intelligentes de hac partialitate dolent".

„Et quamvis S. C. C. alias in simili casu ab Episcopo Brixiensi consulta responderit, non posse certos abstinendi aut sumendi dies praescribi, sed hoc totum remittendum arbitrio confessariorum, qui pro modo praeparationis et devotionis id fidelibus juxta singulorum casuum circumstantias, nec non praedicatoribus injungendum, ut statim post commendatam frequentiam dignae praeparationis necessitatem inculcarent, quoniam, qui sumit indigne, judicium sibi manducat et bibit: nihilominus, quoniam in praesenti ipsimet confessarii et praedicatores praemissarum opinionum fautores frequentiam insinuant, excogitandum est non solum quid tenendum sed etiam quid facto opus sit. Totius igitur rei inspectio versari debebit circa infrascripta videlicet:

„*An et quomodo communio quotidiana permittenda vel restringenda quoad saeculares?*"

2) „*Quoad moniales?*"

3) „*Istarum servas?*"

4) „*An et quomodo domestica communio permittenda vel limitanda?*"

5) „*Ac demum quo pacto praenarratis abusibus consulendum?*"

„Praemissis ad SSmum D. N. relatis Sanctitas Sua meam sententiam et quinque Theologorum, quorum nomina

expressit, audire voluit. Quibus perspectis remisit ad hanc s. Congregationem, ut quod in domino expediat, decernatur".

„Proinde antequam res in S. C. proponatur, quidquid ego adnotavi et alii considerarint, EE. VV. summae prudentiae subjicitur".

„Dubium de Eucharistiae communione quotidiana: num etiam non sacerdotibus cujusvis status ac sexus permittenda vel quae moderatio servanda?"

„Regula certa solvendi dubia, quae in Ecclesia oriuntur, duplex est. Una divina et a spiritu sancto immediate tradita et alia a Christi Vicario Innocentio primo".

„Primo habetur ecclesiast. 8. 11: Non te praetereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum et in tempore necessitatis dare responsum".

„Secunda habetur in capit.: *fin. dist. 20.*, ubi s. Innocentius papa sic habet: „De quibus causis nulla solvendi ligandique auctoritas in libris veteris testamenti, quatuor evangeliorum cum totis scriptis apostolorum appareat, ad divina recurre scripta graeca. Si nec in illis, ad catholicae Ecclesiae historias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mitte. Si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si omnibus his inspectis quaestionis qualitas non lucide investigatur, seniores provinciae congrega et eos interroga; facilius enim invenitur, quod a pluribus senioribus quaeritur".

„Ut ergo dubium hoc quotidianae communionis sine errore solvatur, recurrendum est ad sacram scripturam, ad concilia, ad romanorum Pontificum canones ad patres antiquos et catholicas historias. Hac ergo utar methodo, non modernorum doctorum dictis, nisi conciliis, patribus antiquis, qui proximiores apostolis extiterunt, sint conformia; sic ergo ad rem accedo".

„*Quotidiana communio non est de jure divino.* Nusquam enim in evangelio vel in aliis canonicis novi testamenti scripturis id reperitur praeceptum; alioquin Ecclesia magno errore laboraret hoc praeceptum non exequendo; nec ullus patrum aut concilium id dixit".

„Quotidiana communio non est de jure ecclesiastico. In nullo enim concilio, in nulla constitutione pontificia reperitur praeceptum, nec etiam pro sacerdotibus, ut quotidie sacrificent aut communicent et multo minus pro non sacerdotibus cujuscumque gradus et conditionis sint. In nullo enim concilio id reperitur, nec ullus patrum dixit".

„Negari tamen non potest, quod ab initio Ecclesiae fuerit in praxi, ut omnes etiam non sacerdotes et cujuscumque status personae praesentes sacrificio quotidie Eucharistiam sumerent et hunc usum ab ipsismet apostolis introductum fuisse erudite probat Baronius in tom. 1. anno 57. n. 154".

„Imo refert, quod, cum fideles non possent quotidie ecclesias frequentare, particulas domi habebant, ut possent communicare quotidie, sed durante persecutione id factum esse nemo dubitat".

„*In can. 10. Apost.* sic decernitur: „Qui ingrediuntur ecclesiam et sanctam communionem non percipiunt, vel ut inquietudines ecclesiae commoventes convenit communione privari."

Et nunc habetur in Can.: *Et omnes fideles d. 1.* S. Ambrosius in *libro 5. de Sacramentis* cap. 4 consulit, ut quotidie sumatur, sic: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis

quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus offerebat quotidie sacrificium pro filiis, ne forte aliquid in corde vel in sermone peccassent, ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio domini significatur et remissio peccatorum et panem istum vitae non quotidie assumis? Qui vulnus habet medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus. Medicina est coeleste et venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. *Haec Ambrosius*".

„Haec consuetudo communicandi quotidie etiam Romae tempore s. Hieronymi, nempe in quarto saeculo vigebat: sic enim habet in epistola 50. ad Pammacchium: „Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant". Et hanc de hac consuetudine fert sententiam: „quod nec reprehendo nec probo". Et in epistola ad Luciniam, quae est 28., ait de Eucharistia: „Quaero an accipienda quotidie, quod Romana ecclesia et Hispaniae observare perhibentur. Scripsit et Hippolytus, vir dissertissimus; diversi scriptores e variis auctoribus edidere. Sed ego illud breviter admonendum puto: traditiones ecclesiasticas, praesertim quae fidei non officiant, ita observandas, ut majoribus traditae sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti". Et post aliqua: „Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri pungente conscientia semper accipere et psalmistam audire dicentem *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*".

S. Basilius in epist. ad Caesareum Patritium ait: „Communicare singulis diebus et sanctum Christi corpus percipere praeclarum est et utile, cum ipse dicat: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Quis igitur ambigat vitam assidue participare nihil aliud esse, quam multifariam vivere. Nos autem quater in singulas hebdomadas divina Sacramenta participamus, dominica die, 4. feria, in Parasceve et in Sabbato et aliis diebus, si quando dominica memoria vel Sancti alicujus fuerit".

„Sanctus Augustinus in lib. 1. ad Inquisitiones Januarii cap. 3. de hac quaestione: An quotidie sumenda Eucharistia necne? sic discurrit: „Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quaesieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus homo purius continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Alius contra imo inquit: Si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam poenitentiam et eadem auctoritate reconciliari. Hoc enim est indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam, non arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Caeterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisque homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina domini Corporis separare". Hae sunt disputantium pro et contra rationes.

At Augustinus utrique parti causam gratiose sic adjudicat: „Rectius inter eos fortasse quisque dirimit litem, qui monet, ut praecipue in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum

exhonorat corpus et sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt". Et adducit aptum exemplum Zacchaei et Centurionis circa Christi receptionem: „Neque enim litigaverunt inter se vel quisque eorum alteri se praeposuit Zacchaeus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ambo Salvatorem honorificantes, sed diverso et quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri: Ambo misericordiam consequuti. Sic ille honorando non audet Corpus Domini quotidie sumere et ille honorando non audet ullo die praetermittere. Et ita utriusque sententia approbatur, si uterque ex motivo honorandi Sacramentum vel recipit quotidie vel non recipit".

Idem s. Augustinus *serm. 28. de verbis Domini* explicans orationem dominicam ad „panem nostrum quotidianum" ait: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie prosit. Sic vive, ut merearis quotidie accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo s. Job quotidie offerebat pro filiis sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent, ergo tu audis quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini et remissio peccatorum significàtur et panem istum vitae nostrae quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam quaerit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est coeleste et venerabile Sacramentum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est, tibi hodie est Christus, tibi hodie resurgit". *Haec Augustinus.*

Idem etiam Augustinus in *lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 53.* sic habet: „Quotidie Eucharistiae communionem percipere, nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor".

S. Cyprianus de oratione dominica serm. 6. declarans verba illa: *Panem nostrum quotidianum*, duplicem sensum eis tribuit. · „Primus est Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem nobis dari quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum absentes et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur ipso monente et praedicante: Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, vivet in aeternum". Et post aliqua: „Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus a sanctificatione et corpore ejus non recedamns".

S. Joannes Chrysostomus hom. 28. in epist. 1. Cor. explicans illud: „Probet autem se ipsum homo et sic de pare illo edat" docet dispositiones necessarias ad communicandum, ut scilicet sine peccato, sine cupiditatibus ad eam accedatur, addens non debere accedentem pigne disponi et misere cogi propter solemnitatem, neque rursum compunctum et praeparatum impediri eo, quod non sit solemnitas. Solemnitas enim bonorum operum est demonstratio, animae puritas, vitae certitudo; quae si habueris semper, poteris celebrare solemnitatem et semper accedere. Propterea inquit: Probet se ipsum homo et sic edat; non jubet, ut alter alteri probetur, sed ipse sibi, non publicum faciens judicium etc." Sed in epistola ad Hebr. cap. 10.

hom. 17. aliter loquitur: „Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alii bis, alii saepius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos, qui hic sunt tantum, sed etiam ad eos, qui in eremo sedent: Illi enim semel in anno participantur, fortassis enim post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? Eosne, qui semel, an eos qui saepius, an illos qui raro accipiunt? Neque illos qui semel, neque illos qui saepius, neque qui raro, sed eos, qui munda conscientia, mundo corde cum vita irreprehensibili. Isti semper accedant; qui tales non sunt neque semel, quia judicium sibi accipiunt et damnationem et supplicium."

In hom. 62. ad Pop. Antioch. objurgat eos, qui raro communicant. „O consuetudinem, o praesumptionem! Sacrificium frustra quotidianum, incassum altari assistimus, nullus qui communicetur. Haec non ut temere communicetis dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus vel communione: igitur nec oratione. Cum omnibus confessus de dignis esse cum indignis non secedendo, quomodo mansisti non participans de mensa?" *Et hom. 5. in epist. 1. ad Timoth.* contra eos, qui putabant dignius esse non communicare ait: Hoc est quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore constare meritum putas summamque arbitraris reverentiam ac religionem esse, si non saepius coelestem illam adeas mensam. Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit, digne vero, etiamsi saepe accedas, salutem inde conquiris? Non est audacius saepe accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere. *Haec Chrysostomus.*

Sanctus Gregorius Magnus *hom. 22. in Evang. can. 73. Quid fit de consecr.* dist. 2. ait: „Providens enim nobis dominus dedit hoc Sacramentum salutis, ut, quia nos quotidie peccamus, et ille jam mori non potest, per istud Sacramentum corporis sui peccatorum remissionem consequamur. Quotidie enim ipse conceditur et bibitur in veritate."

S. Athanasius in *epistola 1. Corinth. cap. 11.* declarans illud: „Probet autem se ipsum homo," ait: Paulus patefacit, ut tersa et nitida conscientia ad divina mysteria concedatur, inquitque: Neminem tibi in judicem proposuerim praeter te ipsum. Tua itaque conscientia examinata discussaque adito ea mysteria non festis modo profestisque diebus, sed quovis tempore cum purum te et dignum compereris."

Id docuerunt doctores antiqui Ecclesiae, tam graeci quam latini. Audiamus nunc modernos. Divus Thomas Ecclesiae Doctor in 3. p. qu. 100. art. 10. proponit dubium: An liceat quotidie Eucharistiam sumere? et resolvit, quod ex parte Sacramenti, cum sit hominibus salutare, utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat et adducit doctrinam divi Ambrosii supra relatam, quod nempe, si quotidie quis peccat, quotidie utatur medicina; alio modo, ait s. Thomas, potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Et adducit ad hoc doctrinam s. Augustini in Sermone 28. de verb. Dom. ante medium: „Accipe quotidie ut quotidie tibi prosit, sed sic vive, ut quotidie merearis accipere," addens: „Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad

hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque ad illud homo se invenerit praeparatum.“ *Haec s. Thomas.*

Idem s. Doctor in 4. senten. distinct. 12. q. 2. §. ad 2. q. inquit: „In hoc sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet: desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor et reverentia Sacramenti, quae ad donum timoris pertinet. Primum autem incitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet abstinere, ut cum majore reverentia et devotione postmodum accederet. Unde quantum ad hoc unusquisque relinquendus est judicio suo, ut dicit Augustinus.“ Et recitat, quae retuli supra de Zacchaeo et Centurione.

Sanctus Bonaventura et ipse quoque Doctor Ecclesiae *in libro de profectu religionis, tit. de septimo profectu c. 21.* proponens: Utrum melius sit saepius an rarius Corporis Christi suscipere Sacramentum? respondet: „Videtur mihi, quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis. Varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia, differentia desideria et multiplices s. Spiritus operationes in singulis et diversi etiam status in religione. Et ideo sicut in aegrotantibus non potest una forma observari in dandis medicinis corporis ob diversitates complexionum, virium, loci vel temporis vel aliarum considerationum; ita et de medicina spirituali, quae est Corpus Christi, intelligendum est. Mundialibus enim curis occupati rarius possunt sese ad illud accipiendum expedire, quam qui spiritualibus curis et studiis sunt intenti. Alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodia vitae suae et morum et conscientiae suae puritate. Alii etiam ardenti desiderio trahuntur ad illius cibi salutarem perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum debent accedere.“ Et post aliqua addit: „Salubre et utile est tamen, quod homo saepe se ad illius medicamenti susceptionem praeparet et quanta devotione valet illud percipere studeat et post perceptionem in studio devotionis se conservet attentius, maxime religiosi et qui obtulerunt se Deo ad perpetuo ei inserviendum. Sic enim erit in majori custodia vitae suae et conscientiae, dum et ante et post Eucharistiae perceptionem ob reverentiam ipsius studeat magis innocenter vivere et studio devotionis frequenter intendere.“ Et pro tepidis haec subdit: „Et licet aliquando tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedat, quia sese indignum reputat, cogitet, quod tanto magis aeger necesse habet requirere medicum, quanto magis se sentit aegrotum. Non est enim opus medicus valentibus: nec ideo quaeris te jungere Christo, ut eum sanctifices, sed ut sanctificeris ab illo; nec propterea omittenda est sacra communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionis gratiam, cum se ad illam praeparare studet, vel cum in ipsa praeparatione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet, quia forte ex aliqua praedictarum causarum ratione solet evenire.“ Postea loquitur de sacerdotibus.

Idem sanctus Doctor in 4. Senten. distinct. 12. p. 2. q. 2. a n. 82 et deinceps movens hoc quaesitum ait: „Si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc Sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum et spiritualiter comederet hunc cibum

cum honore et devotione, sicut in primitiva Ecclesia. Quia postea charitas refriguit, relictum fuit judicio et conscientiae uniuscujusque, ut reciperet quando se dispositum videret etc."

Multa postea subdit. „Si ergo quaeritur: utrum expediat frequentare alicui? dicendum, quod si videat se esse in statu ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare, si autem in statu ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro; si autem medio modo, medio modo debet se habere et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur honor et debetur amor et tunc secundum illam partem, secundum quam viderit se melius proficere ad illam magis inclinet; quod homo solum experientia discit et ideo Augustinus non laudat neque reprehendit, sed relinquit conscientiae, quia quibusdam magis est utile frequentare, quibusdam raro, quia majorem efficaciam, credo, recipit homo in una missa vel manducatione cum bona praeparatione quam in multis, si non praeparetur diligenter."

Adduco tantum Doctores Ecclesiae, quia eorum doctrinis utitur Ecclesia. Hi autem, ut patuit, laudant et consulunt frequentem et quotidianam communionem hominibus bene dispositis, id est peccato mortali carentibus. Ideoque non videtur posse ab aliquo pro iis dispositis quotidiana communio absque aliquo urgenti fundamento impugnari.

Accedit Concilii Tridentini auctoritas id confirmans in sess. 13. c. 8. in fine, ait: „Mysteria Corporis et sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione et pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum superstantialem frequenter suscipere possint et iis vere sit anima et vita et perpetua sanitas mentis, cujus vigore roborati etc."

In sess. 22. cap. 6. idem concilium nedum id consulit sed desiderat sic fieri, inquiens: „Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos SSmmi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret."

Et in citata sess. 13. cap. 2. assignans alium fructum ex hujus sacramenti perceptione provenientem ait: „Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: „*Qui manducat me vivet propter me.*" Et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur." Quae doctrina conformis est doctrinae Ambrosii et Augustini de medicina quotidiana ob liberationem a quotidianis et praeservationem a futuris.

Catechismus Romanus jussu Beati Pii V. a doctissimis viris compositus et a Papa confirmatus *(in parte 2. cap. 4. n. 50)*, cum monuisset non satis esse semel in anno Eucharistiam sumere, consulit, ut saepe sumatur, deinde ait: „Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat certa omnibus regula praescribi non potest. Verumtamen illa est s. Augustini norma certissima: Sic vive, ut quotidie sumere possis. Quare parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam non abjiciant, neque enim minus cibo spirituali anima, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer

autem hoc loco proderit repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda, cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat, itemque sanctorum Patrum auctoritates, quae frequentem hujus Sacramenti perceptionem magnopere commendant; neque enim unius s. Augustini ea fuit sententia: quotidie peccas, quotidie sume; sed si quis diligenter attenderit, eumdem omnium Patrum, qui de hac re sripserunt, sensum fuisse facile compererit."

Catechismus autem est regula agendorum in disciplina Ecclesiae et in usu Sacramentorum. At, sicut patuit, consulit omnibus dispositis quotidianam communionem et dicit praeterea hunc esse communem Patrum sensum id consulentium. Igitur non posset nisi temere contra concilium, Patrum sensum et Catechismum improbare in bene dispositis quotidianam communionem.

Idem confirmatur ex aliorum Romanorum Pontificum decretis, ex *can. 10. Peracta de consec. dist. 1.* Anacletus papa et martyr sic decernit: „Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiae carere liminibus. Sic enim et Apostoli statuerunt et sancta Romana tenet Ecclesia." Eo tempore ergo forte ad probandum christianos de fide in Eucharistiam videtur sub ea poena praeceptum, ut omnes sacrificio praesentes communicarent, cum nusquam sequentibus temporibus videatur praeceptum.

Nicolaus I. ad consult. Bulg. c. 9. ait: „Corpori et sanguini Domini quotidie in quadragesima majori, si deberetis communicare, consulitis. Quod ut fiat, Deum omnipotentem suppliciter exoramus et vos omnes vehementisime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit vel si hanc non criminalibus peccatis conscientia impoenitens vel non reconciliata fortassis accuset vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat." Interim, id est usque ad Episcopi destinandi adventum tantum quadragesima, quam mos Ecclesiae majorem appellat omni est die servato superiori tenore communicandum." Pontifex hic hortatur, ut quotidie communicent, si dispositi sint.

Innocentius III. in lib. de missa cap. 42. inquit: „Dixerit ergo quisquam communicandum esse quotidie; dixerit alius non quotidie communicandum, faciat unusquisque quod pie crediderit faciendum."

Adrianus IV. in 4. sent. de Eucharistia proponit dubium: „An habenti libertatem et non coarctato vi alicujus praecepti expediat accedere ad Ven. Sacramentum, an omittere?"

Et adducens prius rationes pro parte negativa, in §.: *ad oppositum* adducit rationes pro affirmativa, eo quod Eucharistia dicitur a Salvatore ipso panis quotidianus non ex alio capite, nisi quia quotidie est sumendus, ideo habendi libertatem expedit quotidie sumere instar discipulorum in primitiva Ecclesia, qui quotidie communicabant in fractione panis, act. 2., et confirmat per illud Ambrosii: Cum sanguis Christi offertur, in remissionem peccatorum effunditur, semper ergo accipere debeo, quia semper pecco. Et ex glossa super c. 11. Lucae panis quotidianus dicitur, qui sic est necessarius quantum anima carni, sive corporaliter sive spiritualiter sive utroque modo intelligatur; sed caro sine anima statim corrumpitur et scatet vermibus. Ergo sine hoc pane non poterit diu consistere conscientia nostra, quin inficiatur corruptione peccati, ut recte de eo possit intelligi verbum Prophetae: Percussus sum ut foenum et aruit cor meum,

quia oblitus sum comedere panem meum. Psalm. 101. Haec Adrianus, sed postea docet ea, quae necessaria sunt ob decenter sumendum, tam ex parte animae, quam ex parte corporis, ut dicam infra.

Denique hic liceat advertere epistolam a s. Congregatione Concilii Tridentini scriptam Episcopo Brixiensi, qui eamdem consulerat quoad frequentem et quotidianam communionem in ejus dioecesi consuetam et pro ea deferendum esse confessariorum judicio juxta personarum qualitatem et statum, responsum accepit his verbis: *(Sequitur suprascripta Epistola ad Episcopum Brixien.; vid. p. 540).*

Dispositio necessaria pro quotidiana communione.

Quamvis autem tam Concilia quam Patres etiam primitivae ecclesiae laudent, commendent et consulant quotidianam communionem omnibus et cujuscumque status et conditionis hominibus, omnes tamen de necessitate praerequirunt praeparationem ac dispositionem convenientem ad hunc coelestem cibum, in quo Christus homo et Deus Rex Gloriae, Sanctus Sanctorum continetur. Verum quidem est quod Patres ac Doctores ecclesiae sicut diverso spiritus fervore inflammati erant, ita dispositionis et praeparationis graduum diversitatem consulendo insinuarunt. Unde expedire credo aliquorum saltem consilia et documenta in medium afferre.

Prior omnibus loquatur Paulus Apostolus, ex quo Ecclesia tota documentum dispositionis ad communionem accepit. Paulus ergo in prima Corint. 11. 28. ait: „Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit etc.“ *S. Cypriani* sermo de lapsis intelligit de probatione mundationis conscientiae per confessionem adducens locum Levitic. 17.: Omnis mundus manducabit carnem et anima quaecumque manducaverit ex hac carne salutaris sacrificii, quod est Domini, et immunditia ejus super ipsum et peribit anima illi de populo suorum; et Apostolus pervicacibus comminatur, dicens: Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne reus erit corporis et sanguinis Domini, spretis his omnibus et contemptis vis infertur corpori ejus et sanguini ejus. Plus modo, in daemonum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt ante expiata delicta, ante exomologesim seu confessionem factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam minantis et indignantis Domini? Pacem putant esse. Non est pax sed bellum.“ Ergo expiationem peccati per exomologesim seu confessionem et absolutionem putat esse probationem a Paulo requisitam.

Theodoretus in ep. 1. Cor. cap. 11. „qui manducat indigne etc.“ ait: „Hic eos pungit, qui laborabant ambitione, et eum, qui fuerat fornicatus, et eos, qui immolata idolis comederant et praeterea nos, qui cum mala conscientia audemus divina Sacramenta percipere.“ Et post „probet autem se ipsum homo et sic de pane etc.“ ait: „Sis tui ipsius judex, vitam tuam exacte judica, conscientiam scrutare et examina et tunc donum suscipe.“ Igitur per eum probatio est conscientia munditia a suscipientemet cognita.

S. Hieronymus in idem caput et locum: Quicumque manducaverit, ait: „Prius ergo perscrutanda est conscientia, si in nullo nos reprehendit et sic aut offerre aut communicare debemus, unde oportet otiosum cessare a vitiis, ut Sanctum Domini corpus sancte percipiat. Probet autem seipsum homo etc. Si in linteum vel vas sordidum non illud mittere audet, quanto magis in

corde polluto; quam immunditiam Deus super omnia execratur et quae sola injuria ejus est corpori. Nam et Joseph illum Justum, qui sindone munda involutum in sepulchro novo corpus Domini sepelivit praefigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem debere habere quam novam.“ Munditiam ergo mentis et novitatem ex repulso peccato existimat probationem necessariam ad susceptionem Eucharistiae.

S. Joannes Chrysostomus in eumdem locum: Probet autem etc., inter multa ait: ,,Nefas est absurdis cupiditatibus impeditos ad mensam eucharisticam accedere. Cum autem absurdas dico cupiditates, et corporum dico et pecuniarum et irae et successionis et omnes simpliciter absurdas; quae omnia accedentem exhaurire oportet et ita purum illud attingere sacrificium, non pigre disponi et misere cogi propter solemnitatem accedere, neque rursum compunctum et praeparatum impediri eo, quod non sit solemnitas. Solemnitas enim bonorum operum est demonstratio, animae puritas, vitae certitudo, quae si habueris, semper poteris celebrare solemnitatem et semper accedere. *Probet autem se ipsum homo.* Non jubet ut alter alteri probetur, sed ipse sibi non publicum favoris judicium et sine teste argumentum.“

S. Athanasius in eumdem locum inquit: ,,Probet autem se ipsum homo et sic etc. quemadmodum sint necessaria et bonorum omnium caput in eo consistere patefacit, ut tersa et nitida conscientia ad divina mysteria accedatur, inquitque: Neminem tibi in judicem proposuerim praeter te ipsum. Tua itaque conscientia examinata discussaque adito ea mysteria non festis modo profestisque diebus, sed quovis tempore, cum te purum et dignum compereris.“

Sanctus Augustinus in lib. de salutar. docum. cap. 33. ait: Unusquisque antequam Corpus et sanguinem Domini nostri Christi accipiat, seipsum probet et secundum Apostoli praeceptum de pane illo edat etc. Quando enim illud accipere debemus, antea ad confessionem et poenitentiam recurrere debemus et omnes actus nostros curiosius discutere et peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem et novam poenitentiam abluere, ne cum Juda proditore diabolum intra nos celantes pereamus.“ Et in tractatu 26. in Evang. Joannis ait: ,,Videte fratres; panem coelestem spiritualiter manducate. Innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sint quotidiana vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra etc.“ Igitur probatio per Augustinum est conscientiae puritas a peccato etiam veniali.

Et ut alios omittam doctores idem prorsus sentientes, *Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. ait:* ,,Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus Apostoli praeceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiae autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet. Quod a christianis omnibus etc. Haec s. Synodus perpetuo servandum esse decrevit.“ Ecce quod probatio per Concilium est puritas a mortali.

Quamvis autem, ut sine culpa nova suscipiatur Eucharistia, sufficiat ut suscipiens sine mortali sit, ut tamen cum debita SSmo Sanctorum Principi reverentia suscipiatur alia quaedam necessaria sunt.

Primo quod per diem aliquem saltem quis a carnali actu, etiam uxorio

abstinuerit. Ita s. Hieronymus in epistola 50. ad Pamacchium, qui audiens se a Joviniani improbari, quod hoc docuerit, pro Apologia inquit: „Quare hoc dixerim perspicuum est, qui interpretabar illud Apostoli dictum: Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Paulus dicit, quando coimus cum uxoribus, nos orare non posse; si per coitum quod minus est impeditur, id est orare: quando magis quod majus est, id est Corpus Christi prohibetur accipere. An idcirco arguor, quod de meo ausus sum adjicere, non permittit? Ad hoc breviter respondebo. Quid est majus orare in Corpus Christi. Si per coitum, quod minus est, impeditur, multo magis, quod majus est. Diximus in eodem volumine panes propositionis ex lege non potuisse David et socios ejus comedere, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent. Non utique a meretricibus, quod damnabatur a lege, sed ab uxoribus, quibus licite jungebantur. Populum quoque quando accepturus erat legem in monte Sina, tribus diebus jussum esse ab uxoribus abstinere. Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant; quod nec reprehendo nec probo. Unusquisque enim in suo sensu abundet, sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant. Quare ad martyres ire non audent, quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Probet se unusquisque et sic ad Corpus Christi accedat. Et quod dum doleo me non communicasse Corpori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu, ut amori conjugis amorem Christi praeferam. Durum est, non ferendum est. Quis hoc saecularium substinere potest? Qui potest substinere, substineat; qui non potest, ipse viderit. Nobis curae est, non quid unusquisque possit aut nolit, sed quid Scripturae praecipiant dicere“. Haec Hieronymus, qui a scriptura hoc asserit esse praeceptum, ut ante sumptionem Eucharistiae per diem aliquem a conjugati etiam copula abstineatur.

Hinc est, quod in decreto post Concilium Eliberitanum statuitur, ut communicaturus abstineat ab uxore per tres dies. *Et Clemens VIII. (Const. 34.) statuit, ut graecus sacerdos,* antequam celebret, per hebdomadam vel saltem per triduum abstineat ab uxore. Et in *can. 1 et can.: Vir cum propterea,* 33. d. 4., prohibetur communicare ei, qui praecedente nocte cum uxore concubuit. *Et Catechismus Romanus 2. de Euchar. n. 58 ait:* „Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt aliquot dies a concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui, cum panes propositionis a sacerdote accepturus esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine tres dies ipsos professus est“.

Secundo, sive raro sive frequenter sive quotidie Eucharistia sumatur, *non in prophana domo aliove simili loco sed in sacro* Eucharistia sumenda est. Etsi enim, ut sanctus Basilius notat in epistola ad Caesaream Patriciam, persecutionis tempore fideles domi tenebant sacramentum et suis manibus illud sumebant, sic et qui solitariam vitam degebant, semper secum Eucharistiam habebant, extra tamen illud tempus minime licet, sed in ecclesia distribuenda esse Sacramenta et non alibi decretum est a Concilio Bracharensi sub Martino Papa I. can. 68., excepto infirmitatis casu. Idem decreverat Concilium Caesaraugustanum can. 3. Hujus rei figuram praecipisse in veteri Testamento, levitici cap. 8.,

ubi praecipitur, ut carnes sacrificiorum ante fores tabernaculi comederent et non alibi, quod explicans Hesychius in levit. lib. 2. ait: „Intus oportet, in ecclesia, in loco sancto, id est ad altare coqui et comedi, alibi vero nequaquam“. Et ita tam ipse quam alii interpretes locum illum s. Pauli Cor. 11. 33 explicant: cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet. Quia, inquiunt, in ecclesia solum debet mystica coena celebrari. Et glossa ordinaria, quae est Ambrosii, dicit: „Invicem expectate in ecclesia, ut omnium oblatio simul celebretur et omnibus ministretur“. Et Lyranus ibi: „Expectate, ut simul sumatis, quia sacramentum est ecclesiae unitatis“. Interlinea dicit ad similitudinem dominicae coenae et confirmatur ex eodem Apostolo: Si quis esurit, domi manducet. Lyranus dicit cibos communes, postmodum tamen Eucharistiam non sumpturus eadem die, poterit tamen alia. Anselmus ait: „Si non potest quis expectare s. synaxim jejunus, domi manducet, sed ita ut postea non communicet in ecclesia“. Et ideo in Rituali Romano de sacram. Eucharistiae in cap. *de Comm. Paschali*, cum statuisset, quibus infirmis distribui debeat domi etiam ob devotionem eucharistiam, subdit: „Sed alicui ad adorandum solum seu devotionis seu cujusrei praetextu ad ostendendum non deferatur“. Domi ergo extra necessitatem morbi sumi nequit.

Tertio pro sumptione SSmi Sacramenti nedum necessaria est praeparatio naturalis jejunii in sanis, ut ex Rituali et catechismo locis super citatis et ex concilio Afric. cap. 9. can.: Sacramenta de consecr. dist. 1. can.: Liquido dist. 2. ac ex Nicolao papa ad consult. Bulgar cap. 65. Sed praeter statum gratiae est necessaria praeparatio animae et corporis per actus virtutum fidei, religionis seu reverentiae et gratiarum actionis. Nam ex Con. Coloniensi 2. p. 2. cap. 21, antequam quis Eucharistiam sumat, tenetur actum aliquem fidei exercere circa veritatem Eucharistiae. Et ex lib. 5. Constit. Apost. cap. 26 et 3. sumpturus Eucharistiam debet Deo ante et post gratias agere (formula ibi praefinitur). In summa autem continet, quod gratiae Deo agantur, quia Filium suum misit in mundum pro salute nostra, statuit eum pro nobis pati, mori, resurgere et haec sacramenta relinquere etc. Et alia adest in cap. 27. formula agendi gratias post sumptionem. Est necessaria summa reverentia, actus nimium magnae humilitatis ex consideratione, quod sanctus Sanctorum, rex Regum et Dominus dominantium hospitium sui corporis honorare dignatur. Et quemadmodum domum materialem pararet, si principem aut regem secum vel summum pontificem in ea esset recepturus, ideo Catechismus romanus p. 2 de sumpt. Euchar. n. 57 ait: Praeterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni sumus, quibus hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est se non invenisse tantam fidem in Israel, dicendum est: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat: Domine, tu scis, quia amo te“.

S. Bonaventura in tract. de praeparatione ad missam haec habet: „Proba te ipsum, ex quanta charitate et quali fervore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutae vitae et malae consuetudinis; licet enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem et

obnubilatum et indispositum et inceptum ad celebrandum, nisi dictae pulveres et stipulae venialium per afflatum spiritus et flammam charitatis ventilentur et consumentur ex ardescente igne cordis et ex consideratione propriae vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus et inconsideratus accedas, quia indigne sumis, si non accedas reverenter, circumspecte et considerate".

S. Thomas supra relatus in 4. sent. dist. 12. qu. 2. §. ad 2 quaest. hanc praeparationem ait necessariam pro Eucharistiae sumptione: „Desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor et reverentia Sacramenti, quod ad donum timoris pertinet. Primum incitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, secundum retrahit".

S. Joannes Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 14. post medium loquens de sumptione Eucharistiae, docens in ea esse verum Christi corpus inquit: „Proinde omni cum timore et conscientia et indubitabili fide accedamus et veneremur ipsum omni puritate animi et corporis. Accedamus ei desiderio ardenti; manus in crucis modum formantes Crucifixi corpus suscipiamus. Communio dicitur et revera est, quia per eam communicamus Christo, communicamus ejus carne et divinitate, communicamus atque vivimus invicem per illam".

Adrianus VI. supra cit. loc. cap.: *Ex jam dictis* §. *Pro responsione*, ait: „Praemitto, quod non sine magna temeritate et damnabili elatione animi quis innititur propriis meritis, aut alias tamquam ex eis dignus sit venerabile sacramentum Eucharistiae sumere etc." Assignat horum rationes et subdit: „Restat igitur, ut nemo confidat in se homine, quia sic recedit cor ejus a Deo, sed pro digna praeparatione levet bovem superbiae in ara cordis: diffidat de omni sua industria et cum Daniele non in suis justificationibus prosternat preces suas sed in miserationibus Domini multis et magnis nimis; non se offerat in cogitatione, velut taurus, sed parva de se sentiens totum projiciat in Deum". Et post alia multa concludit: „Habenti libertatem magis expedit sumere, praemissa tamen debita praeparatione juxta posse fragilitatis humanae, et qui petit in Dei amorem incendi, sumat hunc panem, quia caro Christi est carbo ignitus laesionis unitio et omnis cordis purgatio".

Tandem de dispositione corporali in sequentibus capitibus docet, quod pollutus in somno vel vigilia, etiamsi non consentit vel non dedit causam, si libertatem habet sumendi et non sit arctatus ex aliquo praecepto, abstinere debet sequenti die a communione, et hanc materiam diffuse exagitat. *Haec Adrianus.*

Ex quibus omnibus patet, quod praeter puritatem animae a peccatis aliae dispositiones positivae et negativae sunt necessariae ad sacram communionem, sive non frequentem sive frequentem. Et dantur aliquae regulae, quarum directione potest quivis homo discernere, an possit communionem frequentare etiam quotidie et an debeat frequentatione maxime quotidiana abstinere.

Quomodo doctrina haec de quotidiana communione permittenda vel prohibenda per episcopos debeat ad praxim reduci.

Omnium primo pro dioecesibus, in quibus usus hic quotidianae communionis controvertitur, earum episcopis transmittendum est exemplum epistolae a S. C. C. Episcopo Brixiensi de anno 1587. 24. Januarii scripta et eidem haec sequentia addenda sunt:

1) „*Errorem esse, quod quotidiana communio sit jure divino praecepta vel prohibita*“.

2) „*Irreligiosum esse, quod cum sola carentia peccati mortalis absque alio religionis ac pietatis actu quis ad communionem sive quotidianam sive non quotidianam accedat*“.

3) „Quod actus positivi ad communionem pro qualibet vice requisiti sunt actus fidei circa veritatem hujus sacramenti, actus amoris circa Christum, cui vult conjungi et communicare, actus reverentiae circa Sacramentum omnium rerum ac personarum SSmum, actus timoris filialis circa eumdem timendo ne sit ei invisus minusque placens“.

4) „Quod requiritur decentia etiam in aliquibus externis; nempe, ut non in propria domo nisi infirmitatis causa Eucharistia sumatur et nullatenus etiam devotionis causa retinetur (nisi forte persecutionis tempore). 2. Ut conjugati, qui praecedenti nocte debitum matrimoniale sibi reddiderunt, ad communionem accedere non debent. 3. Qui polluti etiam sine consensu et causa, nisi adsit necessitas. 4. Neque qui in die communionis mundanis negotiis sunt vacaturi, in quibus semper aut fere semper mendaciis, perjuriis, murmurationibus vel detractionibus, clamoribus, jurgiis, jocis vel similibus delinquitur“.

5) „Qui hoc modo et cum his circumstantiis est quotidie dispositus ac praeparatus, quotidie potest Eucharistiam sumere cujuscumque status et conditionis ille sit. Qui vero tenent sufficere, si peccato se carere judicent nulla alia praeparatione praemissa, ex hoc solo capite indigni sunt et hoc docentes tamquam irreligiosi, irreverentes ac petulantes per pastores ecclesiarum coërcendi et omni juris ac facti remedio puniendi“.

„Haec pro modulo meo existimavi ad Dei et SSmi omnium Sacramenti honorem et gloriam dicenda, saniori tamen judicio et maxime Ecclesiae magistro, Christi Vicario submittenda.

Fr. Laurentius de Laurea minor. Convent. consultor s. officii.
Die 12. Febr. 1679.

Ad dubium de communione quotidiana et domestica.

Licet hucusque varia extet opinio de quotidianae communionis dubio iis tamen inspectis, quae ex s. Scriptura, ex conciliis, ex romanorum pontificum Decretis ex antiquis PP., nec non ex catholicis historiis circa hoc negotium emanarunt, invenio quod in Ecclesia certum tempus nunquam a SS. Patribus ad hoc fuit praefinitum vel limitatum, quinimo ex traditione apostolorum hoc institutum emanasse omnibus certum est, ut astantes fideles missis SSmae Eucharistiae perceptione communicarent, quod probatur ex sent. SS. Patrum in *cap. peracta de consecr. dist. 3.* Et quod quotidiana communio, etsi non sit de jure divino nec de jure ecclesiastico, fuerit nihilominus olim ab ipsis SS. PP. valde commendata, docet D. Augustinus serm. 28 de verbis Domini, s. Ambrosius in lib. 5. de Sacramentis cap. 4 ibi: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod tibi quotidie prosit; sic vive ut quotidie merearis accipere“.

Quae quidem consuetudo quotidie communicandi in quarto saeculo tempore s. Hieronymi Romae etiam vigebat, quod eruitur ex epistola 50. ad Pamacchium.

Item s. Basilius in epist. ad Caesaream Patritiam ait: Communicare singulis diebus praeclarum est et utile cum Christus ipse dicat: Qui manducat meam carnem et bibit meum sangui-

nem, habet vitam aeternam; certum igitur est quod assidue participare de hoc SSmo Sacramento nil aliud est quam multifarie vivere".

S. Augustinus in lib 1. ad inquisitiones Januarii circa hanc quaestionem bifariam deserit opinionem; prima est, quod non sit sumenda Eucharistia quotidie eo quod eligendi sunt dies, quibus homo purius continentiusque vivit, ut ad hoc Sacramentum dignius accedat, qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Alia contraria ita dixerit: Si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia deferenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam poenitentiam et eadem auctoritate reconciliari. Hic enim est indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam. Caeterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisque homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina dominici Corporis separare. Ad praedictas rationes optime respondet idemmet Augustinus. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum et exemplo Zacchaei et Centurionis difficultatem tollit circa Christi receptionem. Et ita utriusque sententiam approbat, si uterque ex motivo honorandi Christum vel recipit quotidie vel non recipit.

„*Idemmet Augustinus* in libro de ecclesiast. dogmat., cap. 53. sic loquitur: *Quotidie Eucharistiae communionem percipere, nec laudo nec reprehendo; omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor*".

„S. Cyprianus de Oratione dominica serm. 6. hanc quoque firmat opinionem: „Nostrum panem, id est Christum, quotidie nobis dari petere debemus et qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore ejus non recedamus".

„*Idem firmat Joannes Chrysostomus* hom. 28. in ep. 1. Cor. explicans illud: Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat. Et in hom. 62. ad Pop. antioch. objurgat eos, qui raro communicant: *Consuetudine et praesumptione etc.*"

S. Gregorius magnus hom. 22. in evang. ait: Providens enim nobis Dominus dedit hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus et jam mori non potest per istud Sacramentum corporis sui peccatorum remissionem consequamur; quotidie enim comeditur et bibitur in veritate. „Hoc idem firmat s. Athanasius in epistola 1. Corint. cap. XI."

„Iis igitur praemissis, quae ab antiquis doctoribus et patribus ad propositae quaestionis explicationem exposita sunt, devenio ad ea, quae a modernis doctoribus circa nostri dubii solutionem promanarunt".

Et primo cum D. Thoma (4. Sent. dist. 52. qu. 3. art. 2) una cum omnibus doctoribus firmo, quod frequenter communicare est per se bonum ex suo genere, abstinere autem non bonum nisi ratione accidentis alicujus, nempe si inordinate fiat vitio communicantium; unde ut indicaret s. Synodus Tridentina, quod hujusmodi, quod est melius per se, potest impediri, non absolute dixit: *Optat*, sed *Optaret* ut omnes essent idonei et possent cum Psalmista dicere: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;* sicut eadem s. Synodus in cap. 6. et 8. sess. 13. de Doctr. Sacram. Euchar.

„*Et hoc quoque asserit D. Bonaventura* in lib. de profectu religionis tit. de septimo prof. c. 21., ubi ad solutionem hujus quaestionis respondet: „Videtur mihi quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis,

varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia".

Idem s. Doctor in 4. sentent. dist. 12. pag. 2. quaest. 2 deinceps movens hoc quaesitum docet, quod, quotiescumque quis paratus est, utile semper est hoc Sacramentum recipere ipsumque quotidie frequentare, dummodo qui recipit cognoscat se esse in statu Ecclesiae primitivae. Si autem in statu ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro; quod si medio modo, medio modo debet se habere et ut discat revereri aliquando debet cessare. Unde idem D. Bonaventura in tract. de praeparatione ad missam: „Proba te ipsum ex quanta charitate et quali fervore accedis; non solum enim mortalia vitanda sunt, sed venialia peccata per negligentiam etc.

Patet igitur ex his Doctores omnes Ecclesiae, quorum doctrina Ecclesia nostra utitur, frequentem et quotidianam communionem hominibus bene dispositis laudare et consulere; ideoque non videtur posse ab aliquo quotidiana communio impugnari et poscenti denegari, nisi publicis peccatoribus. S. Thomas 3. quaest. 8. art. 6., quinimmo nec praefiniri posse a nemine ex verbis Concilii credendum est, ut patet ex verbo: *Optaret:* tota enim haec res in praeparatione animi consistit ut ex d. cap. 7.

Quod etiam firmatum remanet ex Concilii Trid. auctoritate in sess. 13. c. 8.: „Mysteria Corporis et Sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione et pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint etc."

„Et in sess. 22., ubi nedum id consulit sed desiderat id fieri, et in sess. 13. cap. 2. assignans alium fructum ex hujus Sacramenti perceptione provenientem, ait: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes, vita illius qui dixit: Qui manducat me vivet propter me.* Et Catechismus Romanus in p. 2. cap. 4. n. 58., cum monuisset non satis esse semel in anno sumere, consulit ut saepe sumat; deinde ait: *Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus magis expediat?* certa omnibus regula praescribi non potest."

„Cum autem catechismus sit agendorum in disciplina ecclesiastica et in usu sacramentorum certa regula et, ut patuit, consulat omnibus dispositis quotidianam communionem dicens praeterea hunc esse communem Patrum sensum id consulentium, igitur non posset nisi temere contra Concilium et Patrum sensum improbari in bene dispositis quotidiana communio."

„*Hanc veritatem confirmant varia Romanorum Pontificum decreta*, ut canon. X.: *Peracta* de consecr. dist. 1., Adrian. VI. in 4. Sent. de Eucharist. cap.: *Ex jam dictis.* Et in cap. 9. ad consult. Bulg. Nicolaus I. et in lib. 4. de Missa cap. 42. Innoc. III. dicens: „Dixerit ergo quisquam communicandum esse quotidie, dixerit alius non quotidie communicandum; faciat unusquisque quod pie crediderit esse faciendum."

„His denique denuo praemissis firma remanet conclusio, quod Sacramentum Eucharistiae nec denegari nec praefiniri potest, ut optime sancitum fuit ex tot SS. Patrum dictis Romanorumque Pontificum decretis et in una Brixien. firmavit Sacra Concilii Congregatio die 9. Januarii 1587."

„Nam licet Ecclesia praecipiat ut saltem semel in anno fideles communicent, non tamen prohibet ut non communicent nisi certis et determinatis diebus, ut bene docet textus in cap. *Quotidie, de consecr. dist. 2.*"

„Quidquid tamen hucusque optime sancitum sit de hoc SSmo instituta quotidianae communionis, quia nostri saeculi tempora a primitivae Ecclesiae temporibus valde diversa sunt, ut firmat s. Bonaventura loc. cit.: „Si autem in statu Ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro,“ crederem omnimode observandam dispositionem supradicti cap.: *Quotidie*, de consecrat. dist. 2., in quo duo colliguntur, primum est, quod nec laudat nec vituperat quotidie communicare; et secundo judicat id remittendum totum conscientiae accipientis, dummodo hoc faciat, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Totum enim hoc negotium consistit ut unusquisque paratus accedat. Unde ad propositae quaestionis solutionem cum D. Bonaventura in supra citato libro de profectu religionis (tit. de septimo profectu) dico: „Videtur mihi quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis, varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia.“

„Dico igitur, quod qui manent in statu negotioso, ut sunt homines conjugati, non debent hoc sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quotidie frequentare, quia eorum mens saepe saepius in matrimonialibus actibus remanet perturbata et distrahatur in his sanctis actionibus. Quapropter Catechismus Romanus p. 2. de Eucharist. n. 58. ait: „Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant.“

Et Clemens VIII. statuit, ut graecus sacerdos, antequam celebret, per hebdomadam vel saltem per triduum abstineat ab uxore. *Et in can. p. et can. vir cum propterea 33. 9. 4.* prohibet communicare ei, qui praecedente nocte cum uxore concubuit etc., licet Concilii Tridentini probatio in cap. 7. sess. 13. de Sacram. Eucharistiae sit puritas a mortali.“

„Quantumvis tamen satis esse videatur, ut sine peccato mortali accedat homo ad hoc Sacramentum, sunt nihilomnius nomine indigni qui tenent sufficere, si culpa mortali se carere judicent, nulla alia praeparatione praemissa.“

„E contra religiose viventes et a mundanis curis separati, qui ne labantur hac medicina continentur, his consilium dandum est, ut crebro accedant.“

„Caeterum ex his omnibus concludendum est, quod nunquam in Ecclesia a tot sanctis patribus id fuit praefinitum; ideo a nobis etiam aliquid novi non videtur decernendum, sed solum Episcopis scribendum, ut suum opus agant invigilando, una cum confessariis et praedicatoribus, qui doceant poenitentes quotidianam communionem non esse nec de jure divino nec de jure ecclesiastico praeceptam nec prohibitam et irreligiosum esse cum sola carentia mortalis culpae ad tantum Sacramentum accedere sine aliquo actu religionis ac pietatis.“

„Item, quod Episcopus mandet omnimode servari disposita in Concilio Bracharensi sub Martin. PP. 1. can. 68. et in Concilio Caesaraugustano cano. 3., ubi praecipitur sacrum Eucharistiae Sacramentum non in profana domo vel alio loco simili sed tantum in sacro sumendum esse, excepto infirmitatis casu. Cessarunt enim infidelium persecutiones, quarum tempore Christiani Eucharistiae Sacramentum domi tenebant suisque manibus illud sumebant.“

„Die sabbati 2. Octobris 1677 hora 13 in Quirinali erit Congregatio s. Concilii, in qua proponentur infrascripta juxta stylum ejusdem s. Congregationis de jure resolvenda:

„De communione quotidiana et de domestica; quinam sint abusus? quid sentiant Theologi per SSmum D. N. ad scribendum deputati, jam satis abunde perspexerunt EE. VV. e scripturarum fasciculis per manus transmissis, quid autem resolvendum veniat, quid remedii adhibendum, urgente Sanctitate Sua ab EE. VV. summa sapientia zelo ac prudentia expectatur."

Dubia quinque jam supra descripta sunt:

Ad dubia s. Congregationis Concilii pro die sabbati 2. Octobris 1677. De communione quotidiana et domestica:

„*Ad primum, secundum et tertium quaesitum:* servandas literas Sacrae Congregationis emanatas sub die 24. Januarii 1587 ad interpretationem Sacri Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de sacrificio missae, videlicet, non esse generaliter praecipiendam nec interdicendam communionem quotidianam vel ad certos dies sed tantum parochis et confessariis injungendum, ut ad mentem Sacri Concilii (Sess. 15. cap. 7. de sacram. Euchar.) sedulo probationem explorent, quam praecipit Apostolus: Probet autem seipsum homo, et quod magis vel melius profuturum perspicient praescribant. Ulterius laicos conjugatos hortentur monitu ejusdem Apostoli, ut se contineant, orationi vacantes, ac magis pro sacra synaxi, quod antiquitus habetur ex figura veteris testamenti de David in lib. 1. Regum cap. 21. et opportune in catechismo Romano par. 2. de Sacram. Eucharist. n. 58."

„*Ad quartum:* Communionem domesticam non permittendam, nisi ex causa necessitatis, praecipiente Apostolo: Dum convenitis invicem expectate; si quis esurit, domi manducet. Cui praecepto apte conformatur Rituale romanum sub titulo de Sacramento Euchar. *cap. de communione infirmorum.*"

Ad quintum: Abusus tollendos, falsas doctrinas dammandas et parochis, confessariis ac praedicatoribus sub censuris injungendum, ut ab eis abstineant, nempe:

Quod communio quotidiana sit jure divino vel positivo sancita vel interdicta. Quod sola praeservatio a culpa mortali ad praeparationem pro s. communione sufficiat, cum ulterius necessarii sint actus fidei, charitatis et humilitatis.

„Quod liceat communicare domi extra casum necessitatis vel Eucharistiam retinere contra praescriptum Ritualis Romani."

„Quod liceat duas formas seu particulas tradere ad finem, ut diutius sacramenti existentia perduret contra ritum Ecclesiae romanae."

„Et hac occasione imponendum esse Episcopis illarum dioecesium, in quibus controvertitur quaestio de quotidiana communione, ut summopere invigilent ad tollendos abusus, quod scilicet multi sine debitis praeparamentis, licet peccato mortali careant, accedunt ad quotidianam communionem; quia hoc est irreligiosum et quod debeant Ordinarii suavi modo admonere populum et injungere confessariis, ut suadeant poenitentibus de abstinendo a quotidiana communione, declarando eis, quam magnae venerationis sit necesse erga Sacramentum et quanta animi praeparatio et quam purum cor requiratur ad digne sumendam Eucharistiam et esse eisdem pariter transmittendam epistolam s. Congregationis scriptam Episcopo Brixiensi."

„Subdendo, quod debet damnare opinionem, quod communio quotidiana sit praecepta vel prohibita de jure divino, cum a sanctis patribus neque improbatur neque laudatur; sed quando poenitentes optime devoto et praeparato animo sunt, ita ut cognoscatur a confessario habere fervorem spiritus, sicuti habebant illi, qui in primitiva

Ecclesia quotidie communicabant, et hoc casu a sanctis Patribus laudatur, aut animo simpliciter praeparato accedunt ad illud sumendum et spiritus non crescit, et hoc casu ab eisdem improbatur."

„Et demum concludendum contravenientes quoad propositiones damnandas esse per pastores ecclesiarum coërcendos et omni juris et facti remedio puniendos.

Die 2. October 1677.

Instructio Episcopis mittenda ut a confessariis observetur.

Quotidiana communio, quamvis optanda, non tamen omnibus expedit. Ideoque sciant confessarii pro ea non sufficere in poenitentibus carentiam peccati mortalis tantum, sed requiri summam et exactam dispositionem, nempe remotionem peccatorum venialium pro viribus, remotionem affectuum inordinatorum, curarum et sollicitudinum superfluarum, quas scilicet nec ratio status exigit nec imperat charitas, nec justitia nec obedientia. Insuper etiam requiri convenientia media, quae sunt actus virtutum et singularis reverentia ac devotio erga tam effabile Sacramentum. Et an haec omnia adsint in poenitentibus, oneratur conscientia confessarii, ne poenitens judicium sibi manducet et bibat, non dijudicans Corpus Domini."

„Ideo quotidianam communionem non suadeant confessarii personis non adeo perfectis, etiamsi apparuerint sufficienter dispositae, et cavere debent, ne absque magna reverentia et sanctitate ad percipiendum accedant."

„Et licet quis sit bene dispositus, si eum quotidiana communio impediat ab officio ac negotio, quod vel ex obligatione vel charitate praestare tenetur, eam illi confessarius dissuadeat."

„Rudibus et imperfectioribus quotidianam communionem non concedat, nec conjugatis, qui praecedenti nocte debitum matrimoniale reddiderunt, itemque pollutis, etiam sine consensu et causa, dummodo non adsit necessitas communionis vel quod sine scandalo omitti non possit. Itidem dissuadeat eis, qui in die communionis sunt vacaturi mundanis negotiis, in quibus semper aut fere semper graviter delinquitur."

„Quoad moniales et regulares curet confessarius observari regulas et consuetudines legitimas et probatas, ac studeat, ut conveniant omnes; non enim expedit, ut alicui quotidianam vel frequentiorem communionem singulariter concedat, si tamen majori prae caeteris fervore spiritus atque amplioribus Spiritus Sancti muneribus a Deo ditatur, admittere potest singulariter ad frequentiorem et etiam quotidianam communionem."

„Redarguat asserentes communionem quotidianam esse de jure divino."

„Doceat, in Ecclesia seu oratoriis privatis ex dispensatione Pontificis sumendam SS. Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, praeterquam ad infirmos et hisce publice et cum pompa juxta formam Ritualis, neque ulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores sed consuetas."

„Admoneat, ne venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Ordinario."

„Si parochi et confessarii etiam regulares secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam justam Episcoporum animadversionem in contrafacientes."

Die 5. Febr. 1678.

Sacra Congregatio Emmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini inter-

pretum ad occurrendum abusibus, qui circa usum et frequentiam venerabilis Eucharistiae Sacramenti in Hispaniis praesertim irrepserunt, praevio maturo ac diligenti examine atque exploratis theologorum sententiis censuit dandas esse ad Episcopos Hispaniarum literas circulares, quae contineant mentem ipsius s. Congregationis alias *expressam in literis datis ad Episcopum Brixien. sub die 24. Januarii 1587, necnon ad eosdem transmittendam instructionem* ut supra excogitatam et exaratam a domino secretario et ab Emmis PP. specialiter deputatis revidendam, cui tamen insuper addendum quod in feria sexta Parasceve sumptio Eucharistiae expresse prohibetur.

Votum Cardinalis Casanate

Ad quaesita s. Congregationis Concilii de quotidiana et domestica communione SSmi Corporis Christi videlicet:

1. „*An et quomodo communio quotidiana permittenda vel restringenda sit quoad saeculares.*"

2. „*Quoad moniales.*"

3. „*Quoad istarum famulas.*"

4. „*An et quomodo communio domestica sit permittenda vel limitanda.*"

5. „*Qualiter abusibus consulendum.*"

„*Ad primum.* Censeo quotidianam communionem saecularibus nec praecipiendam nec interdicendam, sed confessariorum arbitrio remittendam, ipsos tamen saeculares enixe hortandos, ut non fidentes de se ipsis confessarios consulant de communione magis vel minus frequenti, et confessariis districte praecipiendum, ut accurate suorum poenitentium devotionem ac praeparationem advertentes rarius aut crebrius communionem permittant. Specialiter etiam conjugatos admoneant Sacram Synaxim sumpturos pridie a debito conjugali per mutuum consensum abstinere."

„Sunt enim haec omnia decretis et traditionibus apostolicis conformia, ut plenissime deduxerunt PP. Theologi, ut quidquam transcribere vel addere superfluum foret."

„Sunt pariter eadem decisa per hanc s. Congregationem die 9. Januarii 1587, videlicet: Episcopos certa tempora communionis praescribere non posse. Plenius decisa sunt per literas Episcopo Brixien. directas sub die 24. Januarii 1587 omnino approbandas et exequendas."

„Est autem ratio potissima, nam sicuti praeceptum vel consilium affirmativum de quotidiana seu frequenti communione induceret periculum indignae sumptionis contra legem apostolicam ad Corinth. 1. cap. 11.: „Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat," ita praeceptum vel consilium negativum induceret periculum spiritualis detrimenti contra doctrinam s. Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de Sacrif. Miss. desumptam ex antiquis canonibus et surgentis Ecclesiae usu. Specialiter monitio conjugatorum conformis est doctrinae apostolicae 1. ad Corinth. cap. 7.: Nolite invicem fraudare nisi ad tempus ut vacetis orationi." Est autem conformis auctoritati Sacrae Scripturae in lib. 1. Regum cap. 21. ac insuper habetur ex can.: *Omnis homo*, de consecrat. dist. 2.; rursus ex Catechismo Romano par. 2. de Sacram. Eucharistiae num. 58."

„*Ad 2. et 3. quaesitum.* Respondendum censeo ex ipsis literis sub die 24. Januarii 1587, ut moniales et earum famulae communicent diebus solitis vel ab ipsarum instituto praescriptis, committatur tamen prudentiae ac zelo confessariorum rarius aut saepius alicui communionem suadere, juxta spiritualem capacitatem ac profectum inde sperandum."

„*Ad quartum.* Omnino interdicendam esse communionem domesticam extra casum necessitatis uti contrariam praecepto apostolico ad Corinth. 1. cap. 11.: „Dum convenitis invicem expectate, si quis esurit, domi manducet.“ Ideoque servandum Rituale Romanum sub titulo de Sacramento Eucharist. cap. *de communione infirmor.* §.: *Potest quidem*, ubi circa finem prohibetur delatio SSmi Sacramenti ad aedes profanas extra casum necessitatis.“


„*Ad quintum.* Crederem, si SSmo placuerit, opportune abusibus consulendum per literas apostolicas Hispaniarum Episcopis directas, quibus primo loco damnatur illa temeraria opinio, communionem quotidianam esse de jure divino, prout damnanda patet per can.: *Quotidie*, ac per can.: *Etsi* non frequenter de consecrat. dist. 2., itidem ex mente Sac. Concilii Trid. sess. 22. cap. 6. de Sacrif. Missae, ac etiam ex totius Ecclesiae observantia semel in anno et de jure positivo tantum communionem praecipientis. Secundo: damnentur temerarii abusus de communicando extra casum necessitatis in domo vel lectulo et cum pluribus formis sacramentalibus, qui omnes et singuli abusus ex quotidiana communione absque condigna praeparatione, imo cum indecentia et irreverentia irrepserunt. Tertio: inserantur et confirmentur responsa hujus Sacrae Congregationis ad praeinserta quaesita, simulque jubeatur Episcopis, parochis, confessariis et praedicatoribus, etiam eorum conscientias graviter onerando, ut nemini saecularium suadeant vel insinuent quotidianam vel certis diebus statutam communionem, quin potius omnia contenta in literis Episcopo Brixien. a s. Congregatione directis et in praeinsertis responsis uti normam inviolabiliter attendant solumque consulti de quotidiana communione respondeant, quid magis expedire petentibus judicabunt. Quarto: De necessaria praeparatione ad sacram Synaxim verbis apostolicis omnes admoneantur, requiri praeviam remotionem omnis peccati etiam venialis affectuumque profanorum et exercitationem virtutum theologalium pro digna sumptione SSmi Sacramenti, ut sedulo moneri mandat Sacrum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. de Sacram. Euchar., ac insuper rigorosius utantur doctrinis religiosorum doctorum, qui post Concilium scripserunt et ad idem fuerunt collecti. Quinto: Efficaciter praedicent et rigorose custodiant uniformem observantiam sacrorum Rituum, quos Ecclesia Romana praefinivit et servat in administratione, sumptione ac veneratione Sacramentorum, nihil penitus omittendo vel variando, prout nihil omitti vel variari absque reatu peccati mortalis sancitur in s. Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. et notatur a doctoribus ad eumdem canonem collectis.

H. Card. Casanate.

Decretum.

Cum SSmo D. N. innotuerit in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae communionis etiam in feria 6. Parasceve et insimul affirmari, eam praeceptam esse a jure divino, quin etiam pro illius usu aliquos abusus inolere, videlicet, quod aliqui non in ecclesia sed in privatis oratoriis et domi, imo cubantes in lecto et non laborantes ulla infirmitatis nota sumant SSmam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena aut secreto illis deferunt sacerdotes, aliique in communione accipiant plures formas seu particulas, ac tandem quis fateatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo. Cum autem haec SSmus consideranda commiserit S. C. Cardinalium Concilii Tri-

dentini interpretum, eadem S. C. praevia matura discussione super praedictis unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens quotidianusque admirandae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent.* Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob hujusmodi negocia spiritus abalienationes, multae e contra gratiae et Dei dona parvulis elargita, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et conjugatis, quod perspicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum b. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies universi constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae quotidiana SSmi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum habere, ut, cum fideles ad SSmi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) ascenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant eos, qui ad quotidianam aut frequentiorem salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint sive conjugati, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est revereri, ut, si quando se minus paratos senserint, ab ea abstineant, seque ad majorem praeparationem accingant. Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget hujusmodi devotio erga SSmum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant eamque ipsi adhibito prudentiae et judicii temperamento alere debebunt et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et



scandali suspicio in veri ac immaculati agni perceptione tollatur virtutesque ac dona in sumentibus augeantur, quod abunde continget, si ii, qui devote hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque SSmo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se fidelibus ad manducandum et pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur S. C., ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur. Porro Episcopi et Parochi seu Confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino; doceant in ecclesiis seu oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio pontificis de manu sacerdotis sumendam SSmam Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos deferatur publice et cum pompa juxta formam Ritualis Romani. Curent etiam, ut circa communionem in feria 6. Parasceve Missalis rubricae et ecclesiae romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo; si Parochi et confessarii, etiam regulares, secus egerint, sciant Deo optimo maximo rationem redditturos esse, neque defuturam justam Episcoporum animadversionem in contrafacientes etiam regulares etiam societatis Jesu auctoritate apostolica.

Die 24. Sept. 1670.

(Anal. J. P. 1864 pag. 781—825.)

3) Infra missam.

Vd.: *Communio; Nativitas Dom.* (communio).

Benedictus PP. XIV.

Certiores effecti pullulare in nonnullis Italiae dioecesibus controversiam de obligatione, qua sacerdotes missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri, nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo apostolicae hujus paginae documento obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelium eorundem scandalo, progrediatur. Itaque, venerabiles fratres, sermonem Nostrum ad Vos convertimus, ut ipsi quoque pastoralis hac in re officii partes minime negligatis.

§. 1. Ac prima quidem dicendum Nobis occurit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti et integri sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles aut saltem facile edoceri possunt, sacrosanctum Tridentinum Concilium innixum doctrinae, quam perpetua ecclesiae traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse sess. 22. cap. 6. et can. 8.: *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.*

§. 2. Nihilominus quandoquidem vetus Ecclesiae praxis et disciplina, juxta quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant sacrosanctum Sacrificium, institutioni et exemplo Christi Domine omnimode convenit; verba ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo

ab eodem prolata sunt, iteramus: *Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, ut ejus sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret.* Utinam autem eo ipso christianae pietatis fervore, quo primorum saeculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati avide ad publicam sacram mensam advolare sanctorumque mysteriorum solemnitate non adesse tantum sed religiose eorumdem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certe res est, quae utilius Episcopi, parochi, confessarii studium suum omne impendire valeant, quam in excitandis fidelibus eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad s. mensam accessu et non spirituali tantum sed sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a sacerdote, tamquam publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum sed pro ipsis et ipsorum nomine offertur.

§. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent, praeter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa missa portio Victimae a se oblatae, ii etiam, quibus sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco aut vetuit unquam Ecclesia aut modo vetat, satisfieri ab ipso sacerdote pietati et justae eorum petitioni, qui Missae adstantes ad consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omittatur, eosque sacerdotes increparet, quorum culpa et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.

§. 4. At quoniam in Ecclesia christiana opus est cuncta ordinate et congruenter disponi, pastores vigilantiam et curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur ex accessu eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam et scandalum oriretur. Quare pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacrae mensae, (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum et circumstantias nancisci, quibus et ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque pastorum suorum monitis fideles sese dociles praebentes cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco et personis Episcopus minime opportunum censerit a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant, quibus scilicet ex ipso tempore facilis et obvia suppetit ratio ad eamdem mensam accendendi pluribus aliis locis cuivis instructam.

§. 5. Haud aegre Episcopi et parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent, ex Ecclesiae disciplina, quae modo viget, non quidem difficiliorem sed faciliorem evasissse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica missa celebrabatur, cui fideles adstabant, indeque participabant, quin a solis propriis pastoribus quemadmodum reliqua Sacramenta ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant; hisce vero temporibus, ex sacerdotum celebrantium, ex locorum altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile probabilis s. mensa et ad s. convivium admissio. Sin autem iidem fideles ita moniti importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci et personarum circumstantiis, quas excipiendas cen-

suisset Episcopus Ritualis romani auctoritate etiam fretus, haec illorum petitio utpote nec justa nec rationabilis contumacem ac refractarium animum demonstraret cupidumque perturbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiae qua par est pietate percipiendae.

§. 6. Dum pastores erga fideles ita se gerent dumque fideles pastorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur absque ulla dubietate pax illa perfecta atque concordia, qua capita invicem et membra magnopere colligari decet; desinentque importunae illae controversiae, quae eo tandem tendunt, ut turbas gignant ac scandalum verique animarum fructus, quo nihil pastori carius esse debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obsecro Vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in Vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* Quae quidem dum Vobis, venerabiles fratres, per haec apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium et paternae dilectionis pignus apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 13. Novbr. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 117.)

Vd.: *Commun.* (distributio).

4) In Oratorio.

Vd.: *Orator. priv.* (missa in var. fest., const. Bened. XIV. §. 21—24. t. II. p. 462.) *SS. Viaticum.* (Quibus port.?) *SS. Sacram. euch.* (distrib. quot.); *Communio frequens.*

Eucharistiam in oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant, tamen consonans praxis, quae Romae obtinet, vetat in dioecesi Bononiensi.

Bened. XIV. Instit. Eccl. 34. §. *12.*

5) In Parasceve.

Vd.: *Communio in Parasc.*

Ad Episcopos Hispaniae.

In feria VI. Parasceve sumptio Eucharistiae expresse prohibetur.

Die 5. Febr. 1678; 24. Sept. 1678. *An liceat feria sexta Parasceve missas privatas celebrare? Item, an liceat communicare?*

Votum C. Casanate.

„*Ad primum.* Censeo respondendum quoad feriam VI. omnino negative. Antiquitus enim Ecclesia his duobus majoris hebdomadae a celebratione abstinuit, ut ex traditione testatur S. M. Innocentius I. in canone: *Sabbato*, de consecr. dist. 3., ibi: *Traditio Ecclesiae habet hoc biduo Sacramenta penitus non celebrari, nempe corporis et sanguinis Christi,* ut explicat glossa ibidem. Extat etiam decretum in Consilio Arausicano: *Divina mysteria his duobus diebus non celebrantur.* Et notant Gavantus in rubrica missalis ad feriam 6. in Parasceve, Card. Bona rerum liturgicar. lib. 1. cap. 15. §. 5. vers.: *Hunc morem.* Postmodum ex tempore ac populorum opportuniorem commoditatem Ecclesia solemnem missam de nocte resurrectionis praetulit ad sabbatum sanctum. Quibus stantibus non licet ecclesiis inferioribus assumere sibi ritum ab ecclesia romana non receptum consultoque omissum in memoriam sepulturae Domini, cum nec liceat novum ritum sine approbatione apostolica efformare vel approbatas variare, ut cavetur in s. Concil. Tridentino sess. 7. de Sacram. in gen. can. 13. et specialiter in constitutionibus apostolicis sa. me. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. sub datum pridie idus Julii 1570, die 7. Julii 1604 et 2. Septbr. 1634 rursus in decretis emanatis a S. R. C., quibus praeci-

pitur omnino servari rubricas missalis Romani, rejecto quocumque praetextu et contraria consuetudine ut abusu, eademque decreta sa. me. Urbanus VIII. ab omnibus ubique servari mandavit. Et habentur haec omnia impressa in principio missalis".

„*Ad secundum.* Dico eadem die communionem nullo jure impediri, quinimo in libro sacramentorum s. Gregorii papae ad feriam 5. majoris hebdomadae circa finem rubricae p. 69 sic habetur: *Hoc expleto ablutis manibus pontifex vadit ante altare, communicat omnis populus in ordine sua et servat de ipso sacrificium in crastinum unde communicent.* Rursus ad feriam VI. in Parasceve, circa finem rubricae pag. 70, sic habetur: *Communicant omnes cum silentio et expleta sunt universa.* Ut decentius tamen ac rectius suadendum puto, feria 6. in Parasceve neminem communicare sed tantum actibus poenitentiae omnes applicari, prout servatur in Ecclesia Romana et bene tradit Hugo Menardus in notis ad eundem librum Sacramentorum, ubi: *Et communicant omnes*, pag. 87. refert decretum concilii Toletani IV. can. 6. de feria 6. Passionis Domini per haec verba: „Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annunciandum voluit praedicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut poenitenti compunctione mundati venerabilem diem resurrectionis dominicae iniquitatibus remissis suscipere mereamur, corporis etiam ejus et sanguinis Sacramentum mundi a peccato sumamus". Addidit insuper p. 88. decretum concilii Toletani XVI. can. 8. per haec verba: *Excepto Passionis die, quando altaria nudata persistunt, nec cuiquam eodem die licet missarum solemnia celebrare*, idemque auctor de antiqua observantia Hispaniae testatur, his conciliis conformi.

(Anal. J. P. 1864. p. 839).

„*An liceat feria sexta in Parasceve celebrare missas privatas et ex particulis asservatis communicare fideles*"?

Votum C. Casanate.

„*Ad primum respondendum negative absolute;* ex perpetua quippe consuetudine Ecclesiae nulli sacerdoti licet conficere corpus Christi in hac sexta feria; quae prohibitio habetur expressa in epistola prima Innocentii I. ad Decentium relata in canone: *Sabbato* dist 3. his verbis: „Quod utique non est dubium in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari", id est, Sacramentum corporis et sanguinis Christi, explicat glossa. Confirmatur canone Concilii Arausicani hoc prohibentis: „Divina mysteria his duobus diebus (nempe feria sexta et sabbato sancto) non celebrantur". Ad quam consuetudinem perpetuo sustinendam in Ecclesia cum antiquis conveniunt recentiores prorsus omnes. Ecclesia quoque graeca abstinebat hac feria a sacrificio, sed utebatur missa praesanctificatorum, ut colligitur ex rituali Goarii, in notis ad missam praesanctificatorum sed diversa ratione; durante siquidem quadragesimali jejunio abstinere debebant Graeci a celebrandis missis praeterquam in sabbatis, Dominicis ac die Annunciationis in vim canonis 49. concilii Laodicaeni et 32. Trullani.

„*Ad secundum: affirmative.* Ratio est, quia nullo jure reperitur prohibitum: Non scripto, quia licet missale Romanum jubeat asservari particulas cum hac restrictione: Si opus fuerit pro infirmis, non inde prohibet, ut non possint inservire etiam sanis: Non ex jure introducto ex consuetudine;

quamvis enim regulariter hoc non fiat a fidelibus, hoc tamen non sit ea necessitate sed ex congruentia. Immo tantum abest, ut hoc adversetur ecclesiasticis institutis, quod tempore b. Gregorii in feria sexta non solum Pontifex Eucharistiam sumebat, verum etiam universo populo distribuebat, sicuti habetur in lib. Sacram. in feria 5. majoris hebdomadae: „Hoc expleto ablutis manibus Pontifex vadit ante altare et communicat omnis populus in ordine suo et servant de ipso sacrificio in crastinum unde communicent". Super quae postrema verba Hugo Menardus in notis habet: „Sacerdos in missa utitur praesanctificatis, id est hostiis antea consecratis, tum pro se tum pro omni populo. „Haec opinio communis est apud omnes doctores contra Francolinum".

(*Ibid.* p. 840).

S. Congregatio Concilii. Toletana seu Hispaniarum consuetudinis ministrandi Eucharistiam in feria 6. Parasceve pro Ven. Cong. S. Benedicti Hispaniarum. Juris de Ansaldi.

Emme et Rmme Dne. Edictum, in quo Eminentissimus Archiepiscopus Toletanus praecepit praelatis regularibus, ne permitterent in eorum ecclesiis ministrare augustissimam Eucharistiam in feria 6. Parasceve sub eo fundamento, quod sacra haec Congregatio de mandato SSmi Domini Nostri consulta hujusmodi ritum tamquam abusum damnaverit et injunxerit locorum ordinariis, ut ipsum removere curarent, aliquo modo temperari seu declarari meretur, vel saltem permittenda omnino creditur continuatio peculiaris consuetudinis immemorabilis in proposito vigentis, ut infra, in universa Congregatione Ordinis sancti Benedicti Hispaniarum.

„Siquidem, quatenus attinet ad assertum abusum, non leve fortasse aequivocum irrepsisse dignoscitur ex lectura ipsiusmet Decreti hujus s. Congregationis, cum ibi hujusmodi ritus denominetur usus et non abusus ex illis verbis: Cum ad aures SSmi Domini Nostri fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae communionis *etiam in feria sexta Parasceve*". Ideoque dum praedictum decretum post denominationem usus respicientis quotidianam communionem procedit per verba augmentativa *etiam in feria sexta Parasceve*, profecto male adaptatur eidem communioni in ipsa feria sexta nuncupatio: abusus. Praefata enim dictio *etiam* regitur a superiori verbo *usus* et consequenter non potest nisi vel copulare vel ampliare eamdem orationem eumdemque sensum et vocabulum, sub quo continetur ad communiter notata per Doctores".

Et licet postmodum in ipso decreto subjungatur: „Quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet quod aliqui non in Ecclesia etc.," non tamen salva ratione recti sermonis vocabulum *abusus* adhibitum in hoc casu valet comprehendere superiorem expressum usum communionis etiam in die sexta Parasceve, tum quia S. Congregatio sese illico explicavit, de quibus abusibus intelligere voluerit, nempe de illis in ipsius Sacramenti administratione cadentibus, mediante dictione: *videlicet*, de sui natura ex juribus notoriis dumtaxat explicativa; tum etiam quia ex hoc manifesto et discretivo modo loquendi inter unum casum respicientem tempus alterumve concernentem modum solius administrationis, diversa procul dubio exoritur voluntas et interpretatio".

„Verum parum prodesset huic parti obtinere victoriam super nudo vocabulo, quoties revera et in substantia

sacra haec Congregatio intellexisset interdicere et prohibere hujus usum communionis in casu, de quo agitur. Unde recolligendo ea, qua decet, reverentia materiam istam et inspectionem, speramus quod ipsum decretum nobis neque in litera neque in sensu adversetur, sicque cessante lege in contrarium debeat consuetudo istius Congregationis, tamquam rationabilissima, in suo antiquissimo robore conservari, juxta monitum Nicolai Primi Summi Pontificis in epistola secunda ad Photium: ;,De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit authoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel eis resistimus.“ Cum consimilibus Sanctorum Patrum traditionibus relatis per clarae mem. Card. Bonam rer. liturgicar. lib. 1. cap. 6. post princip. et concordant jura nota relata per Rotam decis. 647. p. 4. tom. 3. et dicis. 102. par. 10. rec. Sperell. dec. 179.“

„Quod autem in litera non obsistat memoratum decretum editum sub die 12. Februarii 1679, patet ex integro illius contextu, ubi nec verbum quidem legitur expressum super facultate ministrandi SSmam Eucharistiam in praedicta feria VI. Parasceve, unde subintrat regula receptissima, quod potius ea, quae non inveniuntur literaliter prohibita, censenda veniunt permissa.“

„Minusque dici valet resultare prohibitio ex implicito sensu ejusdem Decreti, cum ibi tantum dicatur per verba relativa: *Curent etiam ut circa communionem in feria sexta Parasceve missalis rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur.* At Rubrica missalis et Romanae Ecclesiae usus hodiernus, quidquid sit de antiquo, ut infra, tantummodo praecipit, quod sub antecedenti feria quinta asserventur particulae consecratae pro infirmis, absque ulla tamen dictione taxativa, nimirum *solis*, aut: *tantum*, ibi: ,,Hodie reservat Sacerdos in loco honesto et conveniente unam hostiam consecratam pro die sequente, in quo non conficitur, vel etiam plures, si necesse fuerit pro infirmis.“ Unde nullo modo excluditur, quod hujusmodi particulae ex aliquo ritu aut devotione populorum non debeant neque possint sanis ministrari, ut specie huic eidem objecto respondendo animadvertit *Suarez* in 3. part. *divi Thomae* disput. 80. sect. 2., *Layman.* in Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. cap. 4., *Emmanuel* Sa verb. Euchar. num. 19., *Facund.* de quinque Eccles. praecep. p. 1. lib. 3. cap. 16., egregie *Vasquez* in 3. part, d. Thomae tom. 3. disp. 232. c. 2.. *Castropolaus* oper. moral. part. 3. tract. 22., *Bened. Aetfen.* in disquisit, monastic. lib. 3. tract. 7. disquisit. 3. *Joannes Sanchez* in select. disp. 22., qui alios sexdecim authores recenset, et omnium egregius *Theophilus Raynaud.* oper. mor. tom. 16. sect. 1. Unde *Amalarius* lib. 1. de eccles. offic. cap. 11. dicit non solum pro infirmis sed etiam pro his omnibus, qui sequenti die communicare volent, debet Sacramentum in die Coenae Domini reservari. Et *Durandus* in Rationali lib. 6. cap. 75. subjungit servari pro infirmis et religiosis.“

,,Et quidem quoties vellemus arguere, quod, dum rubrica Missalis providet, ut supra, sacram synaxim pro infirmis et valetudinariis asservari, in consequentiam non liceret sanis communicare, deberet quoque eumdem sensum eamdemque interpretationem recipere Sacrum Concil. Trident. in sess. 13. cap. 6. deprompta ex antiquiori canone in cap.: *Sane* de celebrat. miss., in quibus pariformiter sancitum habetur, quod in ecclesiis

parochialibus Sacramentum semper asservetur pro infirmis, et tamen nemo dixerit, quod non liceat etiam sanis idem Sacramentum ministrare. Unde bene recurrit ratio allata per supra laudatos theologos et canonistas, quod in tantum sub praefata rubrica literaliter nominantur infirmi, quia id fuit expressum ex causa majoris necessitatis, siculi eadem necessitate exigente compelluntur parochi semper ad hunc effectum asservare Sacramentum, adeo ut alias puniri valeant in visitatione per suspensionem spatio trium mensium ab officio, ex iis, quae referuntur per *Menoch.* de arbitr. cas. 410., *Fusch.* de visitat. lib. 1. cap. 5., *Barbos.* de offic. Paroch. par. 2. cap. 20. et ad rem *Suarez.* d. disput. 80. sect. 2. firmans., non ideo est quia illis solis, scilicet infirmis, dispensari, sed quia illa fuit causa maxime necessaria asservandi Sacramentum.

„Atque hinc attendendi non videntur aliqui forte levioris nominis et in numero pauciores, quos hinc inde de more recensendo refert Diana tract. 6. Miscell. resol. 29. in princip. Cum, quatenus attinet ad hanc rationem rubricae, satis ex supradictis ad evidentiam ferme remaneat elisa, ac de caetero consueverint aliquando morales ponere in controversiam id etiam, quod ab omni disputatione videtur alienum, ut prae caeteris fecit modernus Pasqualig. in sua Theor. et prax. quaest. 261., qui suscitat altercationem prorsus contemnendam, an ipsis etiam infirmis, pro quibus expresse rubrica jubet reservari Sacramentum, possit in praedicta feria sexta ministrari, sive potius intelligatur pro reliquo ejusdem diei et pro sabbato subsequente antequam sacerdos celebret.“

„Sublata itaque tam verbali quam virtuali comprehensione nostri casus in praedicto decreto inutile creditur opus reassumere quaestionem istius permissionis sive liciti aut illiciti usus in abstracto. Verum quia non parum conferre valet hujusmodi perquisitio ad faciliorem nostrae petitionis exauditionem, supplicamus adverti quod, ut praemisimus, illi paucissimi morales et canonistae, qui tenuerunt absolute, non posse sanis in hoc die dispensari sacram synaxim, videlicet: Francotinus, Barbosa, Gavantus, Marchinus, Megall. et Leoni relati per Dianam et Pasqualigo, ubi supra, fundantur praeter argumentum a toties memorata rubrica depromptum in altera dispositione seu epistola Innocentii I. registrata apud Gratianum sub cap. sabbato de consecr. dist. 3., ac denique in quadam asserta resolutione Sacrae Congregationis Rituum sub die 19. Februarii 1622, in qua id decisum fuisse testatur Gavantus in rubric. miss. tit. 9. p. 14., Barbosa de offic. Paroch. p. 2. cap. 20.

Quamobrem praefatum canonem seu epistolam in cap.: *Sabbato* dispungendo illius verba sunt haec: „Nam utique constat Apostolos biduo isto et in moerore fuisse et propter metum Judaeorum se occultasse, quod utique non dubium est in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.“

„Ex quibus profecto verbis erroneum videtur cum supradictis paucissimis moralibus inferre, quod ex antiqua traditione Ecclesiae non consueverit in isto biduo sanis communicare. Aliud quippe est Sacramentum non celebrari, aliud autem Sacramentum jam celebratum, videlicet consecratum, non dispensare; quoniam verum celebrare non est proprie praebere Eucharistiam populo sed pro eo missam dicere et sacrificium facere apud scribentes in utroque foro semper usurpatur, prout absque larga transcriptione doctorum satis in-

dicat ipsa rubrica decretalium *de Celebratione missarum.*"

„Eoque magis ponderata anima rationis tam adducta ab ipso Innocentio, nimirum ex causa moeroris, quam per alios excogitata, scilicet, quod, cum eo die Ecclesia recolat realem Christi passionem et mortem, non expedit mysticam et incruentam mortem exhibere vel, ut alii sentiunt, in tantum sub illis diebus sacerdotale officium non peragitur, in quantum percussus est pastor et dispersae sunt oves, vel denique, ut sentit Ugo de s. Victore, lib. 3. Miscell. cap. 43., non sacrificant amici, cum trucidant inimici, sed ista omnia faciunt dumtaxat ipsam concrationem seu missae celebrationem, non autem augustissimae Eucharistiae dispensationen. Quinimo congruum videtur, ut potius devotorum fidelium moeror isto passionis fructu recretur, innuit doctor angelicus in 3. part. quaest. 83. art. 3. ibi: „Veniente veritate cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quaedam et exemplum dominicae passionis et ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc Sacramentum nobis exhibitum, Corpus Christi consecratum in die praecedenti reservatur sumendum in illa die." Et notarunt etiam praefatas congruentiae rationes cumulantes Emmanuel Sà, Layman, Vasquez et Suarez, quos sequitur Castropal. oper. mor. p. 4. tract. 22., Raynaud quoque ibi supra."

„Ac denique ad evidentiam, quoniam si deberet adversari praelata ratio ita sobrie degustata, neque deberet in die sabbati sancti ullo modo celebrari sacrificium missae, neque possent communicari fideles, cum utramque diem praefata censura sive epistola relata in cap.: *Sabbato* amplectatur. Et tamen ex ipsa praxi et consuetudine hodiernae Ecclesiae contrarius ritus invaluit, ut post Riccardum, Paludanum et alios tradit Azor. instit. mor. par. 1. lib. 10. cap. 24.; qui conciliat praefatum textum sub hac praecisa ratione, quod scilicet sit anticipata celebratio missae solemnis in die sabbati, quae olim fieri solebat appetente jam nocte Paschatis, idque ad effectum, ut caetera ecclesiastica Officia possint compleri. Et in individuo hanc consuetudinem ad rem nostram adduxit Theophilus Raynaud (tom. 16. sect. 1.)"

„Sed hoc non spectat nisi sacrificium. Quod si ad communionem quoque pertineret, negandum esset licere communicare sabbato sancto contra praxim receptissimam; nam textus ille aeque excludit celebrationem Sacramentorum in sabbato ac in feria sexta."

„Quo vero ad alterum fundamentum desumptum ex praedicta declaratione Sacrae Congregationis Rituum, in primis illam fuisse suppositam late de caetero articulo pro hac parte discusso et improbando Dianam et alios illam referentes dixit Busembaum in Medull. lib. 6. tract. 3. cap. 3."

„Et sane ad hoc ut Gavanto, Barbosae et Dianae praedictam declarationem referentibus standum foret, necesse esset quod de illa constaret per subscriptionem et sigillum Emmi Praefecti et R. P. D. Secretarii in authentica forma, ut ad coërcendum abusum aliquorum doctorum de eis testificantium statuerunt s. m. Urbanus VIII. et Innocentius X."

„Et secundo praesupposita etiam existentia et veritate praedictae declarationis, ponderandae sunt circumstantiae illius casus, pro cujus definitione Sacra Congregatio suum edidit responsum et oraculum. Stante etenim aliquali diversitate hujusmodi declara-

tiones legem facere non consuverunt, prout ex sensu earumdem Sacrarum Congregationum respondit Rota in dec. 197."

Casus autem, super quo fertur respondisse Sacra Rituum Congregatio, ut habetur apud Gavant. super missa part. 4. tit. 9., ille erat: *Utrum occurrente festo Annunciationis Beatae Virginis in Parasceve tenerentur fideles interesse praedicto officio*, *quod loco missae celebratur*, *et an ratione ejusdem festi ministrari posset Eucharistia aliis quam infirmis?* et Sacra Congregatio consulta Superioribus seu Officialibus Aedis Lauretanae, dicitur ad utrumque respondisse: *Negative.* Ideoque quando etiam, ut diximus, vellemus praesupponere existentiam et realitatem praefatae declarationis, nihilominus ab ea nequiret inferri ad casus nostri decisionem, cum in illo tractaretur de re nova ac de inducenda consuetudine in loco, ubi non reperiebatur; sed nos versamur in ecclesiis Congregationis Benedicti Hispaniarum, in quibus memoria non extitit in contrarium, quod in hac feria sexta Parasceve ob pium illorum fidelium accursum non fuerit Sacra Synaxis dispensata. Ideoque stat insimul, quod caute provideatur ne in locis, ubi hujusmodi usus non viget, non introducatur et e converso, ubi est in actuali robore, in posterum asservetur. Imo sub hac distinctione et quia tunc cessat ratio decentiae, in terminis terminantibus tenuerunt Tamburinus de communione, Hurtadus de sacrif. miss. disp. 4., ubi laudat quoque pro hac opinione Suarez.

Et sane sicuti novorum rituum introductio, in quibus aliqua rationabilis causa non concurrat, potest regulariter malum effectum producere, ita veteris et immemorabilis consuetudinis et observantiae abolitio, quoties ut ad praesens ex communi sensu Doctorum per se non sit mala neque irrationabilis, parere valet quamdam speciem scandali et admirationis in fidelibus, prout commemorat D. Augustinus in epist. l. 118., ubi ait sibi dubitanti de variis Ecclesiarum observationibus respondisse s. Ambrosium: „Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi." Idemque in epistol. 86. subjungit: „In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt, de quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare orietur interminata luctatio." Cum quibus et similibus ad rem nostram optime procedit Cardinalis *Bona d. cap. 6. rerum liturgic. post princip.*

Nec ex eo quod in Urbe vel in Italia talis observantia non vigeat, elici posse videtur consequentia, quod Romanae Ecclesiae usui repugnat, tum quia, ut habetur ex tot auctoribus superius ex hac parte relatis, ex non usu nequit oriri lex aut ratio prohibitiva, tum etiam quia, licet Romana Ecclesia habeat caput et primatum apud ipsam residentiam Papae, adhuc sub nomine Ecclesiae Romanae comprebenduntur omnes et quaecumque Ecclesiae inferiores, quae cum ipsa Urbe et residentia Papae in fidei unitate procedunt. Ideoque non valet absolute inferri, quod iste usus in tota Ecclesia Romana cessaverit, dum alibi reperitur in observantia, ut in specie ratiocinatus est Vasquez in praedicta disput. 232. cap. 2. Et quod ultra loca nostra in aliis Ecclesia latinae partibus id observetur, comprobat Raynaud tom. 16. sect. 1. punct. 4. vers.: *et praxim Matritensem.*

„Fortius igitur, quoniam observantia et consuetudo florens in nostra Con-

gregatione Ordinis s. Benedicti non apparet introducta de recenti vel postquam generalior usus Ecclesiae in desuetudinem posuit hujusmodi ritum, sed fuit potius retentio et continuatio quaedam antiqui universi ritus totius Ecclesiae, de quo constat in ipso Sacramentario s. Gregorii Magni, de coetu olim et gremio gloriosissimi Patriarche s. Benedicti. Cum enim ibi praescribatur officium feriae sextae, de quo agitur, in fine habentur haec verba: *Communicant omnes cum silentio.* Et apud Pamelium in liturgiis legitur: *Communicat Sacerdos et omnis plebs.* Et in ordine romano pariformiter habetur: *Hac die communicent omnes.* Quo argumenti genere et ritu antiquo totius Ecclesiae per spatium mille annorum et ultra observato utitur Cardinalis Bellarminus ad impugnandos haereticorum ausus, qui praesumunt communionem sub utraque specie omnibus esse dispensandam, prout videre est tom. 2. contr. libr. 4. tit. de Sacram. Eucharist. cap. 24. vers.: *Quod in Parasceve.* Et de hoc antiquissimo stylo videre est testificantem Rupert. lib. 6. de divino offic. cap. 22., qui de eodem Ordine s. Benedicti existebat.“

„Ac propterea quomodo permittendus non venit iste ritus in nostra Congregatione, dum non praetenditur introduci hodie de novo, sed tantummodo continuari et quodammodo retineri, in obsequium praedicti s. Pontificis adeo eximii et ejusdem ordinis Sancti Benedicti. De continuatione etenim immemorabili a praedicto tempore protracta vel saltem sine contraria hominum memoria usque ad praesens practicata testatur liber Caeremoniarum ejusdem Congregationis editus de anno 1599 sub cap. 3. et impressus per Andream Mencam et in ultimo Caeremoniali ejusdem ordinis impresso Salamanticae de anno 1635. P. Antonius Velasquez Pinto in Thesauro Christianorum dis. 4. cap. 49.“

„Comperta itaque potius retentione antiquae consuetudinis et ritus quam illius supervenientia de novo, hinc proinde sperare fas est, quod etiam, quando sacra haec Congregatio et SSmus Dominus Noster generaliter intellexissent abolere caeteras consuetudines, nihilominus hujusmodi intellectus ex verisimili voluntatis et intentionis defectu non comprehendat consuetudinem nostram particularem, praecipue cum de ea specialis mentio facta non agnoscatur neque convincatur, quod fuerit habita notitia peculiaris rationis, ut supra in casu nostro concurrentis. De hac etenim ipsa inscitia particularium consuetudinum adversus decreta et constitutiones apostolicas dari posse non erubuit aut fuit dedignatus Summus Pontifex Bonifacius VIII. in cap. 1. de consuetud. in 6. per ea verba: „Licet Romanus Pontifex (qui omnia jura in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur, quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur, in ipsa non intelligitur in aliquo derogare.“

„Ac denique adstipulante pro coronide alia propositione in se verissima et frequenter apud scribentes canonizata, nimirum quod immemorabilis sublata non censetur per quamcunque legem universalem etiam loquentem de ipsa consuetudine, nisi ipsa immemorabilis sit in se mala, iniqua et irrationabilis. Unde ex hac ratione nunquam censetur immemorabilis sublata per S. Cons.

Tr. ex Collectis per Gratianum discept. 49.

Quare etc. *Ansaldus de Ansaldis Adv.*

S. C. resp.: Lectum.

Die 22. Mart. 1681.

(Jbid. p. 842.)

6) Particulae duae vel grandiores tradendae.

Tradentes duas particulas, cum sit contra usum Ecclesiae, contra canones facere.

(Anal. J. P. 1864 p. 816.)

„Declaret S. C. contra usum Ecclesiae facere tradentes duas particulas pro communione, et ideo prohibeat."

S. C. die 2. Octbr. (Jbid p. 818.)

„Doceat confessarius in Ecclesia seu oratoriis privatis ex dispensatione Pontificis sumendam SSmam Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, quam ad infirmos et hisce publice et cum pompa juxta formam Ritualis, neque ulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas."

Instruct. ad Episcopos die 5. Febr. 1678. (Jbid. p. 819.)

„Insuper doceat nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores sed consuetas."

(Jbid. p. 823.)

7) Particulae missa peracta relictae pueris innocentibus.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (asserv. in eccles. monial. t. III. p. 501: *Compertum* etc.)

8) Pecuniae pro ea non solvendae.

Chianciani.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Patris praedicatoris Chianciani jussit committi Episcopo, ut omnino removeat abusum dandi quadrantem immediate post susceptionem SSmae Eucharistiae.

Hac die 21. Aprilis 1668.

(*Anal. J. P. 1865 p. 1151 n. 1829.*)

Cautum semper in Ecclesia fuit, ut a Sanctuarii Ministris omnis avaritiae, species arceretur et Spiritus Sancti dona, quae gratis data sunt, absque ullo pretio, pactione vel contractu fidelibus distribuerentur. Hinc pluribus apostolicae sedis sanctionibus coërcita est quorundam cupiditas, qui aliquod spirituale aut spirituali adnexum venale facere vel pecunia possidere autumabant, gravissimaeque poenae inflictae et irrogatae in eos, qui excessus hujusmodi patrare ausi fuerint. Praestat animadvertere, quanta cura et diligentia insteterint Summi Pontifices, ne in Sacramentorum administratione quid minimum perciperetur: *In Cap. Cum Ecclesia 9. de Simonia* sic statuitur: „Ne igitur de caetero fiant vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem vel Sacerdotibus instituendis aut sepeliendis mortuis, benedicendis rubentibus seu aliis Sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire praesumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.'

Loquendo vero de administratione Sacramenti Confirmationis, *Cap. Quidquid invisibilis 101. caus. 1. quaest. 1.* praecipitur, ne quod invisibilis gratiae consolatione tribuitur, quaestibus vel quibuslibet praemiis venundari penitus debeat et sub gravissimis poenis vetitum est pecuniam recipere pro baptizandis consignandisque fidelibus aut collatione Chrismatis vel promotionibus graduum, et in *Cap. 105. dicta caus. 1. quaest. 1. habetur:* „Dictum est solere

in quibusdam locis perceptione Chrismatis nummos dari, similiter pro Baptismo et communione: Hoc simoniacae haeresis semen detestata est sancta Synodus et anathematizavit et, ut de caetero nec pro ordinatione nec pro Chrismate vel baptismo vel pro balsamo, nec pro sepultura vel Communione quidquam exigatur, statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur".

(Ex resol. S. C. C. diei 16. Mart. 1782. *Ferentina.)*

9) Pueris post baptismum.

Vd.: t. III. p. 226 etc. p. 247 n. 7.

10) Ritus.

a) *Utrum Laicis latin. in locis Graecorum et Laicis graecis in Latinorum oppidis SSmum juxta loci ritum distribui possit?*

Vd.: *Ritus latinus* (utrum presbyt. latin. etc.) *Ritus latinus* (Laicus graecus ad etc.); *SS. Sacrament.* (asservationis altare); *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV: *Etsi pastoralis* §. 2. n. 7. §. 6. n. 11 etc.; Constit.: *Allatae* §. 22., 23., 24 etc. p. 226. t. III.)

Benedictus PP. XIV.

I. Ne Laici latini SS. Sacram. Euchar. a graecis presbyt. sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus.

II. Graecis tamen laicis permittimus ut, ubi parochiam graecam non habent, possint, si velint in ecclesia latina Euchar. sub specie azymi a lat. Sacerdotibus sumere.

III. Quod si in locis, in quibus Graeci et Latini simul moram trahunt et sunt utriusque ritus ecclesiae, Latini quidem in fermentato et Graeci in Azymo SS. Euchar. quandoque sumere soleant, siquidem haec consuetudo sine populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in Azymo, Graeci autem, ubi propr. parochiam habent, in fermentato communicent.

IV. Ut autem iidem Laici graeci eucharistica sub utraque specie communione refici valeant, permittimus in illis dumtaxat locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est et ad praesentem usque diem servatur ac viget: ita tamen, ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque in Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero praefatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcoporum, quorum juris dictioni Graeci subjiciuntur, curae sit ne in posterum admittatur.

Constit. Bened. XIV. die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 98).

b) *Latinus.*

S.R.C. requisita: an de medio tolli debeat usus inter quasdam Sanctimoniales inductus, ut, dum ad s. Eucharistiam accedunt, ipsae et Puellae earum curae commissae propriis manibus accipiant et sustendent patenam deauratam, ne fragmenta decidant, quam una alteri communicaturae successive porrigit? In ordinario coetu ad Quirinale hodierna die coadunata ad relationem R. D. Secretarii S. C. rescripsit: Permitti posse, dummodo non sit eadem patena, quae sacrificio Missae inservit, sed tantum communicandis tradatur.

Die 17. Septembris 1853.

(Anal. J. P. 1853 p. 885).

Ad dubium: An in Missa privata, dum celebrans administrat s. communionem, minister debeat eum comitari cum cereo accenso, sicut aliqui putant, quamquam rubrica taceat de hoc ritu? vel quum purificationem, quae pro populo non est in usu, non praebeat, nec mappam communionis, utpote cancellis affixam ante cornu epistolae?

II. An in Missa solemni a simplici Presbytero celebrata, dum administratur populo sacra communio, duo Acolythi, si non sustineant mappam ante communicantes, debeant comitari celebrantem cum suis candelabris et cereis accensis vel manere ad credentiam genuflexi ita ut Diaconus et Subdiaconus soli tunc comitentur celebrantem? An saltem in Missa absque ministris sacris cantata Acolythi debeant assistere celebranti tempore communionis populi, sive cum candelabris sive cum facibus?

III. An sacerdos in fine administrationis communionis extra Missam proferens verba: Benedictio Dei omnipotentis etc. debeat elevare et extendere manus eodem ritu ac dum dicit in fine missae: Benedicat vos omnipotens, sicut docent Cavalieri tom. 4. cap. 4. dec. XIII. n. 41 et alii, aliis contradicentibus et Rituali hunc ritum non indicante, vel dicendo haec verba tenere manus junctas et tantum inclinare caput?

S. C. resp. ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II.: Servari posse laudabilem consuetudinem adstandi cum facibus.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2200 etc.)

Ad dubium I.: Adsunt dispositiones Caeremonialis Episcoporum lib. 2. n. 39. de patena a Diacono tenenda sub mento communicantium, quando communio in missa solemni ab Episcopo administratur; adest etiam Decretum die 3. Septbr. 1661 in Andrien. declarans licitam esse patenae suppositionem per sacerdotem cotta indutum in communione generali, quae per dignitates agitur. Sed quaeritur: utrum in aliis casibus liceat, ubi talis est consuetudo, dum celebrans ministrat sacram communionem, patenam a Diacono supponi sub mento communicantium, prout suadetur a nonnullis praeclaris liturgistis Merati et Bauldry. Experientia enim, ut dicunt, necessitatem hujus ritus evidenter probat. Et revera, quoties pluribus administratur sacra communio ex particulis consecratis parva fragmenta decidunt, quae si in linteum ante communicantes extensum cadant, in terram postea labentur, dum hoc linteum movebitur per fideles successive ad sacram mensam accedentes et praesertim quum finita communione auferetur linteum: itaque, quum non appareant, pretiosissima fragmenta disperdentur. Ad haec praecavenda praelaudati auctores praedictam praxim de cujus legitimitate inquirimus, commendant, vel potius eo tempore, quo distribuitur sacra communio, diaconus debeat ministrare clericis purificationem prout indicat rubrica missalis 2 part. tit. 10. n. 9.?

II.: Propter eadem motiva ad praecavendam sacrorum fragmentorum perditionem potestne sacerdos sanctam communionem sive intra missam sive extra missam administrans tenere patenam inter digitos manus sinistrae, quae s. Pyxidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat, quamvis rubrica sileat de hoc ritu?

III.: Quatenus autem suppositio patenae, de qua in duobus dubiis praecedentibus agitur, non liceat, quaeritur: quoddam medium adhiberi debeat,

ut praecaveatur sacrorum fragmentorum disperditio, dum sancta communio administratur?

IV.: Quando S. Communio ministratur monialibus ad fenestellam clausurae, muri crassitudo impedit, quin sacerdos prope os communicantium Pyxidem admovere possit ad praecavendum, ne fragmenta cadant extra ipsam: licetne in hoc casu servare consuetudinem apponendi supra linteum ante communicantes extensam laminam argenteam deauratam seu bacile ejusdem materiae ad recipenda fragmenta, quae decidere possunt et inde a sacerdote postquam ad altare regressus fuerit, colligentur?

V.: Purificatio post communionem, de qua loquuntur rubricae missalis part. 2. tit. 10. n. 9. et Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 29. num. 4, non est in usu apud nos; quaeritur utrum instaurationis liturgiae romanae occasione in Dioecesi nostra expediat hanc praxim inducere saltem pro communione Cleri sive generali sive particulari in missa solemni?

S. C. resp. ad I.: Quoad primam partem: *Licere;* quoad secundam: Juxta consuetudinem, sed purificationem etiam clericis subministrari poss...

Ad II.: Negative;

ad III.: Quoad communiones solemnes provisum in primo; quod alias curam et solertiam sacerdotis supplere debere;

ad IV.: Affirmative;

ad V.: Provisum in primo.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2192).

11) Sermo ante distribut.

Ad dub.: Utrum sacerdos in missa, postquam se communicaverit, priusquam communionem adstantibus distribuat, possit sermonem ad populum habere?

Resp.: Concionis vel sermonis infra missam exempla desunt. Si erit habendus sermo, inquit Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 8. §. 48: „Episcopo celebrante ab eo fieri convenit vel ab aliquo canonico presbytero.“ Synodus Tridentina sess. 21 de sacr. miss. cap. 8 mandat pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant ac inter cetera sanctissimi ejus sacrificii mysterium aliquid declarent“.

Docet quidem supradictum Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 22. §. 2 „quod sermo regulariter infra missam debet esse de evangelio currenti, et paulo post §. 5.: si habendus est sermo extraordinarius . . . . non debet infra missam fieri, sed illa finita“.

Sed novum non est, etiam extra praedictos casus reperiri exempla sermonis infra missam, quando agitur de admonitionibus vel exhortationibus, quae sacram actionem, pro qua missa celebratur, respiciunt. Sic rubrica missalis in missa pro sponso et sponsa: „Dicto *Pater noster*, sacerdos antequam dicat: *Libera nos, quaesumus Domine*, stans in cornu epistolae versus sponsum et sponsam ante altare genuflexos dicit super eos sequentes orationes etc., et in fine missae dicto: *Benedicamus Domino,* vel si missae illius diei conveniat: *Ite missa est,* sacerdos antequam populo benedicat conversus ad sponsum et sponsam dicat, *Deus Abraham etc.* Et post praescriptam orationem moneat, prosequitur rubrica, eos sacerdos sermone gravi ut sibi invicem etc.

Jam vero cum infra missam distri-

butio sacrae communionis non solum permittatur sed etiam magnopere commendetur, non video cur tolerari non posset, ubi ad est consuetudo, ut exhortatione gravi, brevi ac devota (vulgo fervorino) tam suscipientes Eucharistiam quam adstantes fideles erga tantum. Sacramentum praesertim occasione spiritualium exercitiorum, primae puerorum communionis ac frequentioris concursus ad sacram mensam a sacerdote ipso celebrante, qui aliunde verbum Dei praedicandi facultatem habeat, excitentur atque inflammentur. Haec est etiam praxis timoratorum et passim ut fieri Romae videmus. Responderem itaque: ,,Affirmative, ab altari et de consensu Ordinarii.“

S. C. resp.: Affirmative, ab altari et de consenu Ordinarii.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p 337.)

12) Tempus.

Ex decret. Conc. Viennens. diei 9. Novbr. 1858.

Communio diurno dumtaxat tempore, ab aurora usque ad meridiem vel immediate post Missam, cujus celebratio hora ipsa meridiana inchoavit, dispensanda est, nec in sacratissima Nativitatis Dominicae nocte fidelibus eam praebere licet. (Tit. III. cap. VI.) Ubi autem primam Missam hora matutina quinta celebrare consuetum sit, in ea vel post eamdem Synaxim sacram conferre fas est, quamvis aurora nondum lucescere coepisset.

Praeterea sit tanta poenitentium multitudo confluxerit, ut eorum confessiones ante meridiem absolvi nequeant, etiam post meridiem rite jejuni ad divinum convivium admitti possunt. (Tit. III. cap. VI.)

Prohibitum est, in sacellis privatis cuiquam vel aegroto sacram Eucharistiam impertiri, nisi expressa hujus rei licentia obtenta fuerit.

Vd.: *Communio* (tempus.)

XIV. Expositio.

Vd.: *Expos. SS. Sacram.*

1) Pro Defunctis.

Dum Rmus Episcopus Montis Politiani ingenue exposuit in sua dioecesi consuetudinem vigere exponendi SSmum pro hoc vel illo defuncto quotannis vel quibusdam diebus loco officiorum de requiem, insimul declaravit difficile admodum esse hanc ipsam consuetudinem impedire, siquidem quatenus venia denegetur, fideles neque expositionem SS. Sacramenti faciunt neque officium de requiem. Verum quum expositio ista decretis non sit consensentanea, hujus s. Apostolicae Sedis oraculum requisivit Rmus idem Episcopus, cujus humillimae preces cum a SSmo Domino nostro Pio IX. Pontifice maximo transmissae fuerint ad Sacram Rituum Congregationem, haec in Ordinariis Comitiis ad Quirinale eadem die coadunata, audita a R. P. D. secretario infrascripto fideli relatione, respondendum censuit: *Pro gratia speciali*, non obstantibus decretis, Episcopus pro suo arbitrio et prudentia juxta particulares casus et circumstantias indulgeat.

Die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1850 Ed. II. p. 111.)

2) In diebus bachanalibus.

Vd.: *Instruct. Clem.* §.: XXXIII. n. 10. etc.

Colonien.

S. R. C. ad instantiam abbatis et monachorum ordinis s. Benedicti monasterii de Brouller Colonien. benigne concessit, ut imposterum in eorum ecclesia in ultimis tribus diebus Bacha-

nalibus exponere possint et valeant SSmum Eucharistiae Sacramentum quadraginta horis de die tantum et non de nocte, non obstante quod in concessione praedictae expositionis alias a s. Sede Apostolica obtenta adest particula „continuate et non interpolate" et hoc justis de causis in supplici libello expressis.

Die 16. Januarii 1677.

(Anal. J. P. 1865 p. 1205 n. 2046.)

Neapolitana.

Pro officialibus Congregationis Montis pauperum Neapolis iterum supplicantibus pro concessione licentiae exponendi Sanctissimum ultimis diebus bachanalibus et faciendi sepulchrum feria 5. in Coena Domini in eorum ecclesia, S. Congregatio Rituum censuit desuper petita posse concedi arbitrio Emmi Ordinarii.

Die 11. Januarii 1681.

(*Jbid.* p. 1232. n. 2157.)

Benedictus PP. XIV.

Ad Archiep. et Episcopos ditionis pontificiae.

Varia religionis opera furente bachanaliorum insania a sanctis viris egregie sunt instituta, inter quae publica et solemnis illa est consuetudo, cujus auctor s. Philippus Nerius extitit, septem scilicet hujus urbis ecclesias invisendi, cujus instituti meminit Bachius in ejus vita. Nostri autem praedecessores, ut in his diebus fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflamarent, plurimas indulgentias impertiverunt: „*Nupero sed saluberrimo invento pontifices summi depromptis de thesauro ecclesiae largitionibus, fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis (de bachanalibus loquitur) frequentandam excitarunt et ut sedant initia, spes est diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes*", verba sunt haec Theophili Raynaudi tom. XVI. oper. suor. pag. 412, num. 41.

Vestrum est igitur, venerabiles fratres, hanc viam tenere et ad hanc suscipiendam vestro exemplo caeteris incitamento esse. Praesertim vero divinis officiis bachanaliorum tempore quotidie vos interesse cupimus, sacrosanctum missae sacrificium coram populo celebrare, ecclesias et xenodochia invisere et ecclesiasticos homines laicosque vobiscum ad id muneris invitare; hujusmodi enim comitatus et sanctus erit maximeque laudabilis. Curandum praeterea a vobis est, ut in una aut in pluribus ecclesiis *SSmum Eucharistiae Sacramentum per triduum publico cultui exponatur et quotidie populo ad vesperam benedicatur, in septuagesimae aut sexagesimae aut quinquagesimae hebdomadis aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac nostra epistola circulari plenariam indulgentiam concedimus, quae a vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque cum ad opus pium directa sit, non impeditur alia plenaria indulgentia, quam ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimus quibuslibet christifidelibus, qui poenitentia et sacra Synaxi rite muniti singulis diebus augustissimum Christi corpus visitarint, Deum orantes juxta ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus.*

Apostolicum hoc nostrum munus exigebat, ut vobis hanc epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad nos recurrant, qui sane eos omni, qua possumus, ope juvabimus, easdemque indulgentias ipsis

eorumque dioecesibus, concedere non gravabimur. Et demum vos ex animo amplectentes et vobis singulis, venerabiles fratres, et gregi vobis commisso, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 1. Januarii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 375. Ed. Rom. 1749.)

3) Frequens.

Vd.: *Festum SS. Corp. Chr.; Expos. SSmi* (causa etc. decr. n. 3284), *SS. Sacrament.* (processio); *Expos. SS. Sacrament.*

Praeter expositiones et benedictiones in festo et inf. oct. SS. Corp. Chr. etiam in omnib. festis de praecepto per annum servandis, nec non in festis in subsequentem dominicam pro dioecesi Limburg. translatis, praeterea in dominicis Paschae, Pent. et SS. Trinit., in die primae communionis puerorum, Dominica videlicet in Albis, in annua pro frugibus terrae gratiarum actione, quae Dom. 7. Septbr. celebrari consuevit, ac denique in die sol. adorationis, quae ad instar perpetuae habetur, juxta usum antiquissimum SSmum inter s. missam in Ostensorio et quidem invelato exponitur atque in initio et fine missae cum eodem benedicitur populo. Qui usus quum non solum in dioecesi Limburg. et provincia, verum etiam in omnibus finitimis dioeces., quin in magna Germaniae parte aequaliter vigeat nec sine gravi offensione Christifidelium quidquam hac in re mutari posse videatur, humiliter quaeritur: utrum Ems. P. P. eorum voto SS. Dom. Nostro probetur, ut praedictus expositionum et benedictionum usus in posterum quoque tolerari possit ac valeat?

S. R. C. resp.: Non esse improbandum usum exponendi SSmum in praenotatis diebus, *dummodo unica benedictio tribuatur in fine missae.*

Die 7. Maii 1857. (Ad dub. IX.) *Limburg.*

Benedictus PP. XIV.

Illud inprimis certissimum est huic Sedi ap., in quibuscunque ecclesiis privilegiis immunibus sive saecul. sive reg. non licere exponi publice divinam Eucharistiam nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint, solius autem Episcopi partes esse, ut causae publicae meritum expendat ac declaret. Id nos ipsi luculenter ostendimus in nostra institut., quam Bononiae in lucem emisimus, cum illam ecclesiam praesentes administraremus. In illa cognitum perspectumque fecimus, quam difficile reipsa sit decernere, utrum probanda an improbanda sit eccles. Sacramenti frequens exposito. Haec sane quaestio conferri potest cum alia: utrum consentaneum magis judicetur, rem divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere, utrum pariter illi, qui Sacerdotes non sunt et tamen ad percipiendam SS. Euchar. quotidie accedunt, laude an censura digni videantur. Nullum his quaestionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiae, ex quibus omnis solutio difficultatis desumenda est.

Ii qui frequentes Eucharistiae expositiones improbant, in medium afferunt irreverentiam, quae plerumque cum ejusmodi frequentia conjungitur. Contra vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter (in ista civitate) s. mysteria publice exponantur, quae si abrogetur, fore ut populi religio ac pietas imminuatur ac turbae concitentur. Itaque, qui praesens istic versaris (Episcopus Warmiensis), omnem partem studiumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac vene-

ratione SSmum prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum existimes, frequentes SSmi expositiones diminuere, ea prudentia consilioque hoc negotium administres, ita ut pusilli nullum scandalum et offensionem patiantur, Rectores ecclesiarum convoces, cum quibus tempus idoneum constituas, quo SS. Mysteria exponenda in qualibet ecclesia sibi videantur, ipsas SSmi expositiones ita distribuas, ut in singulis Urbis regionibus SSmum publ. venerationi quotidie exponatur, ne populus cultum deserat, quem SSmo praestare consuevit. Interim, si plebem in eodem errore permanentem deprehendas, videlicet: Indulgentiam nullam haberi, nisi in ecclesia SSmum prostet, tum populo pollicearis, te rogaturum a Sede ap., ut novam ac veram Indulg. elargiatur illis, qui deinceps ecclesias invisent, ubi SSmum expositum publice fuerit.

Datum Romae ad Episc. Warmiensem die 16. Apr. 1746.

(Bull. r. t. XII. p. 17.)

Usus ille frequentior SSmum exponendi in comprecationibus aliisque pietatis officiis abolendus et ab Ordinariis accuratius ordinandus est.

(Conc. Colon. die 17. Maii 1860.)

Ex decr. Conc. Pragens. diei 23. Sept. 1860.

Quemadmodum certum est, summopere excitari fidelium animos ad reverentiam Dei Filio debitam Eucharistia in ostensorio venerationi patenter exposita et corroborari fidem catholicam latriae cultu, quae est aperta contra haereseos mendacium protestatio: sic aeque non deest experientia, nimis frequenti SS. Sacramenti expositione nec gloriam Dei augeri nec promoveri fidelium aedificationem, imo tepescere cultus fervorem et finem sacrae liturgiae impediri. Hinc multo melius est, ut non ita frequenter exponatur et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat, quod cum magna animi commotione multis in locis fieri vidimus et invenimus (Tit. IV. cap. IV. De SS. Eucharistiae Sacramento ejusque cultu).

Quae vero SS. Sacramenti expositio nimia dicenda sit et quae spectatis locorum circumstantiis populique fidelis indigentiis utilis, Ecclesia quidem lege communi non definivit, ast neque singulorum parochorum vel ecclesiarum rectorum judicio definiendum reliquit, sed potius eorum commisit Ordinariis, qui convocatis ecclesiarum rectoribus tempus idoneum constituant, quo SS. mysteria in qualibet ecclesia exponenda sibi videantur.

Tranen.

Vicarius generalis Archiepiscopi Tranen. exposuit in ecclesiis monialium civitatis Baruli quam frequenter augustissimum Sacramentum exponi hactenus consuevisse et quidem ea aemulatione ad ornatum ecclesiarum ipsas incumbere, ut ob id grave etiam incommodum patiantur, necnon in egestatem sese adduxerint. Et cum eisdem prohibuerit hujusmodi tam frequentes expositiones, manentes praesertim sub cura regularium exemptorum a jurisdictione ordinarii, parere negligunt. Idcirco s. Congregationi supplicata dignaretur ipsius oratoris praeceptum auctoritate apostolica munire, ne eaedem a paritione possint sese subducere. Et s. Congregatio quamvis prudentiam oratori commendaret et quidem omnino monialibus injungendum putaret, ut clausis tantum januis orationibus quarto horarum eaedem vacent, tamen a s. Congregatione

Episcop. et Regularium id exoptandum esse respondit.

Die 16. Martii 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 347.)

4) Licentia.

Vd.: *Exposit SS. Sacram.* (causa et licentia).

Ex decr. Conc. Pragens. diei 29. Septbr. 1860.

SS. Sacramentum publice et patenter amodo amplius non exponatur, neque in ecclesiis Regularium, nisi eo tempore, modo et ordine, quem Episcopus praescripserit, servato utique ritu externo, quem Ecclesia in solemni expositione tenendum praecipit.

Si praeter statutos et concessos casus, quibus augustissima Eucharistia exponenda est, peculiaris aliqua causa publicam ejusdem expositionem in quacumque ecclesia desiderare videatur: sciant earum rectores, quod ob causae gravitatem minime faciendae expositionis facultatem habeant, sed omnino petendam esse ab Ordinario licentiam.

5) Lumina.

Vd.: *Expos. SS. Sacram.*

Quandocunque SSmum publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant.

(Conc. Prag. 23. Septbr. 1860 t. 4. c. 5.)

6) Modus.

Ad Dubium: I. In sacra functione expositionis et repositionis SSmi Sacramenti, quando a processione, missa aut vesperis est sejuncta, praeter clericos intortitia deferentes aliosque ministros a Cavalieri tom. IV, cap. VIII in decret. 46, n. 11. et cap. IX initio et a Tetamo append. ad Diarium cap. 9, art. III, n. 8 et art. 6., n. 46 designatos expeditne insuper adhibere duos Acolythos habentes sicut in missa et vesperis candelabra cum cereis accensis?

II. In eadem supradicta functione licetne adhibere Diaconum absque Subdiacono, nempe hoc modo: Diaconus superpelliceo tantum indutus cum stola pendente sub brachio dextero toto tempore functionis assistit Celebranti, extrahit SSmum Sacramentum e tabernaculo et in ostensorio ponit, illud super thronum collocat etc., inservit ad impositionem incensi in thuribulum, vel potius quoties in hac functione adhibetur Diaconus, iste debetne dalmatica parari: simulque adesse Subdiaconus Tunicella indutus?

III. Quando in functione expositionis et repositionis SSmi Sacramenti celebrans superpelliceo sub stola et pluviali indutus est, decetne Diaconum et Subdiaconum uti alba sub stola, aut Dalmatica pro Diacono, aut sub Tunicella pro Subdiacono, vel potius celebrans et ministri debeant uniformiter esse indutos superpelliceo, sive alba cum paramentis ordinis sui?

IV. Utrum in praedicta functione expositionis aut repositionis Canonicus possit uti Rocchetto sub stola et pluviali, vel debeat induere superpelliceum super Rocchetto aut absque Rocchetto uti superpelliceo vel alba?

V. An liceat Sacerdoti accipere ostensorium per manus Diaconi istud ex altari acceptum porrigentis, ut populo benedictio impertiatur et post benedictionem remittere ostensorium Diacono, qui super altare deponet, prout fit in nonnullis Ecclesiis, vel ipsemet sacerdos debeat accipere ostensorium ex altari, ex data benedictione super altare deponere, sicut expresse docent Gavantus in rubrica miss. part. 4, tit. XIII, n. 7, Merati in Gavantum et secundum ritum descriptum a Cavalieri

tit. 4, cap. IX, in praeliminar. capitis., Tetamo append. ad Diarium cap. III, n. 48., Gardellini in instructione Clementina §. 31, n. 12, prout instructio Clementina §. 31 tradit, et ipsum Caeremoniale Episcoporum part. 2. cap. XXXIII, n. 27 de ipso Episcopo celebrante innuit sive per suum silentium de hoc ritu, licet non omittat exprimere ministerium Diaconi in principio et fine Processionis, sive per ipsa verba, quibus hanc caeremoniam praescribit?

S. C. resp. ad I. Posse, nam fieri assolet etiam in Patriarchalibus Urbis;

ad II. Deficientibus ministris dalmatica et tunicella indutis Sacerdos vel ejus loco Diaconus in casu assistens superpelliceo indutus stolam assumet tantum, quando occurrit, nam eam semper retinere non licet;

ad III. Celebrans, si sit cum ministris, debet habere albam, stolam et pluviale, item ministri, si dalmatica et tunicella induti sunt, etiam albam habere debent;

ad IV. Sufficere rochettum;

ad V. Quoad primam partem: *Licere etiam ex praxi Ecclesiarum Urbis;* quoad secundam partem: *Provisum in prima.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

7) In Nocte.

Vd.: *t. III. p. 510 decr. Pii VII.; Expos. SS. Sacer. (in nocte, t. II. p. 332;* 40 hh. — tempus, perenitas —)

8) In Nocte Nativ.

Ad dub.: An sit incongruum, ut in nocte Nativitatis D. N. J. Chr. exponatur SS. Sacramentum? S. C. resp.: Cum ea nocte sancta mater Ecclesia tota intenta sit proponere fidelibus ineffabile mysterium Nativitatis D. N. J. Chr., profecto incongruum prorsus esset insimul miscere illud institutionis SS. Sacramenti, in quo recolitur memoria passionis ejus, penitus distincta a praeclarissima Nativitate Salvatoris nostri Jesu Christi. Atqui hinc intelligitur, quanti facienda sit causa, quae allegatur ad sustinendam expositionem SS. Sacramenti in nocte Nativitatis, videlicet: augmentum fidelium devotionis, quando totum oppositum expresse comperitur, dum fideles, qui esse debent intenti ea nocte ad meditandum et in corde conferendum mysterium ineffabile Nativitatis, alio detorquerentur, miscendo cum hoc illud institutionis Eucharistiae, quod nocte praedicta locum non habet, cum sancta Ecclesia aliam designaverit diem ad idem celebrandum. Haec sane omnia, quae a nobis allata sunt, talia sunt et tanta, ut apertissime demonstrent incongruitatem exponendi in nocte Nativitatis Domini SS. Sacramentum, cum devotio fidelium, quae augeri asseritur, potius decresceret. Hinc modo clarissime patet, praesenti huic dubio non aliter responderi posse nisi: affirmative.

S. R. C. 17. Septbr. 1785.

9) In pontificalibus funct..

Vd.: *Expos. SSmi.* (cor. Episcopo); *Tabernacul.* (in Cathedr.)

In Ecclesia Cathedr. Limburg. simul etiam parochiali in diebus festis, quibus juxta Caer. Ep. Episcopus solemniter celebrare vel in Pontificalibus assistere debet, duae missae sol., una videlicet parochialis altera pontificalis celebrantur, sed omissa parochiali solemni ejus loco vel pontificalis ab ipso Episcopo vel certe ab uno e Canonicis missa sol. cum assistentia Episcopi celebrari consuevit. Quum itaque ex una parte ut puto, timeretur, ne fidelis populus fortasse aegre feret, si hisce ipsis festis diebus SS. Sacrum sine

expositione et benedictione SSmi celebraretur, ex altera tamen, missam sol. Episcopo sive celebrante sive assistente ob multiplices caeremonias coram SSmo exposito absque maxima inconvenientia haberi non posse intelligeretur, in ista Cathedr. Ecclesia hic usus inductus fuit, ut videlicet Episcopus, quum paratus ad missam ante altare pervenerit, priusquam confessionem faciat, Tabernaculo per diaconum experto et peracta debita incensatione, populo cum SSmo in Ostensorio benedicat; qua finita et iterata de more thurificatione SSmum statim reponitur clausoque tabernaculo incipit missa. Dicto autem in fine missae ultimo Evang., eodem quo primo modo, iterum aperitur tabernaculum iterumque benedictio datur. Quaeritur ergo:

1) Utrum talis ritus, utpote prorsus singularis et in aliis finitimarum dioecesium Cathedralibus minime reperitur, tolerari et continuari possit, an vero praedicta expositio et bened. Episcopo celebrante vel assistente in posterum ommittenda sit?

2) Quid faciendum in Cathedr. praesertim in festo Corp. Christi, num videlicet missa sol. Episcopo in Pontifical. assistente cum expos. et benedictionibus pluribus*) celebrari valeat, an in Cathedr. saltem stricte servari debeant rubricae Caer. Ep.?

S. R. C. resp.:

Quoad primam quaestionem negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

Quoad secund. quaestionem servandas rubricas Caer. Ep.

Die 7. Maii 1857 (ad dubium X) *Limburg.*

Valde opportunum est, ut SSmum non collocetur (in Cathedrali) in majori vel in alio altari, in quo Episcopus vel alius sol. est missam seu vesperas celebraturus, sed in alio sacello vel loco ornatissimo cum omni decentia et reverentia ponatur. Quodsi in altari majori vel alio, in quo celebrandum est, collocatum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et caeremoniae, quae in hujusmodi missis et officiis servandae sunt, turbentur.

Quodsi aliquando contingeret coram Episcopo vel per ipsum Episcopum celebrari existente SSmo super altari, quod fer. V. in Coena Dom. et fer. VI. in Parasceve et in Missa, quae celebratur in festo SS. Corp. Christi, vel cum exponitur oratio 40 hh., ante processionem evenire solet, tum omnes genuflexiones et reverentiae ad unguem observari debent et Episcopus nunquam sedere sed stare sine mitra *et ideo maxime decens est, ut in altari, ubi SSmum situm est, Missae non celebrarentur,* quod antiquitus observatum fuisse vidimus, aut saltem celebrans in eo sive sol. sive planas missas reverentias et genuflexiones omnino observare debet. *Caer. Ep.* lit. I. cap. 12. num. 8. 9.

10) In s. Sepulchro.

Vd.: *S. Sepulchrum.*

Aversana.

Narratum fuit in ecclesiis non parochialibus SSmae Ammunciationis et s. Sophiae terrae Juliani Aversanae dioecesis asservari ex indulto apostolico pro commoditate et necessitate infirmorum in hospitalibus praedictarum ecclesiarum existentium SSmae Eucharistiae Sacramentum, et supplicatum declarari: An liceat in feria V. Coenae Domini in praedictis ecclesiis reponi SSmum Sacramentum in sepulchro?

*) Vd.: *Festum SS. Corp. Christi.*

Et S. C. resp.: Servandum esse solitum.

Die 5. Martii 1633.

(Anal. J. P. 1863. p. 251).

11) Tempore grandinis, incendii etc.

Vd.: *SS. Sacrament.* (Delatio ad incendium etc., Constitut. Bened. XIV. §. 2. 3. 13. 17. 18. 25. 26.)

12) Translatio.

Roman. Expositionis SSmi Sacramenti.

Concesso ad septenium ecclesiae parochiali SS. Vincentii et Anastasii in Trivio per breve SSmi D. N. Innocentii papae XII. datum die 16. Octobris anni 1694, expositione SSmi Sacramenti cum indulgentiis in feria secunda cujuslibet hebdomadae pro suffragiis animorum defunctorum de Urbe, ab hujusmodi concessione reclamantibus, necnon pro revocatione brevis apostolici praedicti vel pro translatione in aliam diem instantibus Conventualibus PP. SS. Apostolorum et viceversa PP. Clericis minoribus praefatae ecclesiae Sanctorum Vincentii et Anastasii indulgentias obtentas in perpetuum prorogari supplicantibus, cum hujusmodi supplices preces a SSmo D. N. sub die 17. Novembris anni 1696 S. Rituum Congregationi fuerint pro voto remissae; S. eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis informantibus utrisque partibus auditis, ad relationem Emmi de Carpineo, censuit, consulendum SSmmo pro translatione indulgentiae ad feriam quartam, addita perpetuitate. Die 13. Julii 1667. Facta igitur deinde per me secretarium SSmo D. N. de praedictis relatione Sanctitas Sua benigne annuit et translationem indulgentiae, ut supra, approbavit. Et ita servari mandavit. Dei 24. ejusdem mensis et anni 1697.

Adnotatio.

Cupientes PP. Clerici minores ecclesiae parochialis SS. Vincentii et Anastasii augere in eorum ecclesia cultum divinum illaque caelestibus ditare thesauris, utpote illa, quae prae ceteris aliis de Urbe est Parochia apostolici Palatii, a cujus aulicis frequentatur et a palatino populo incolitur, preces porrexerunt anno 1694 SS. Domino nostro, ut dignaretur concedere eidem ecclesiae expositionem SSmi Sacramenti in feria secunda cujuslibet hebdomadae cum indulgentiis pro animabus in Purgatorio detentis; eisdemque precibus remissis R. P. D. Vices gerenti, iste votum favorabile nostrae ecclesiae protulit, directum Emmo D. Card. Albano, in cujus executionem SSmus Breve apostolicum concessit, illudque demandatum fuit executioni, cum maximo spirituali fidelium fructu et populi pietate et in solito diario typis dato divulgatum. Verum quia PP. SS. Apostolorum adversarii praetendunt se gravatos ex hujusmodi concessione, praetextu diminutionis concursus populi in eadem feria secunda ad eorum ecclesiam accedentis pro devotione s. Antonii Patavini et instantes pro revocatione Brevis apostolici vel pro translatione in aliam diem, et vicevera PP. mei principales petentes tales indulgentias in perpetuum prorogari, fuit causae cognitio ad petitionem dictorum PP. meorum principalium a Summo Pontifice huic s. Congregationi remissa pro voto sub die 17. Novembris anni currentis, coram qua nunc supplicamus Emmis PP. pro favorabili resolutione praeinserti dubii et annuendum speramus.

Si quidem una ecclesia parochialis non valet alteri ecclesiae idem jus ei aequale possidenti prohibere exercitium jurium parochialium, cum par in parem non habeat imperium, et libere potest quilibet parochus exercere in sua

parochia omnia ea, quae proveniunt a jure parochiali. Pignatell. consult. 99 in princip. tom. 4.

Indubitatum autem est in jure expositionem SSmi Sacramenti esse in jurisdictione parochi, dum firmatum habemus illud exponi non posse citra causam et speciale indultum in alia quam in ecclesia parochiali, et quamvis parochus impedire non possit, ne aliae ecclesiae non parochiales intra fines suae parochiae existentes talem expositionem faciant. Quarant. in Sum. Bullor. verb.: *Missa,* in fine; Pasqualing. de Sacrif. Missae quaest. 353. n. 1., Nicol. verb. *Confraternit.* n. 19., verb. *Parochus* n. 18., Marchin. de Sacram. ordin. pag. 8. n. 6.; et est actus jurisdictionis per quem sacerdos solemniter populum benedicit. Gavant. in rubr. Missar. par. 4. tit. 9. n. 1., Pignatell. cons. 79. n. 10. tom. 2. Quam benedictionem decet ut parochiani recipiant in propria parochia, a qua Sacramenta accipiunt. Fusc. de Visit. lit. 2. cap. 2. n. 2.

Impediretur quippe nostrae parochiali ecclesiae praedicti juris exercitium, si eidem prohiberetur pro tali die expositio jam ab Ordinario approbata et in cujus prossessione supra triennium reperitur essetque gravior talis prohibitio, tamquam revocatoria gratiae cum praecedenti matura informatione concessae, et quae semel concessa nunquam a principe revocari solet absque caussa necessaria, justa et urgentissima, uti post Surd. cons. 419. n. 44. et 45. tradit., Castil. controv. quotid. tom. 7. cap. 16. n. 140., Mans. consult. 362. n. 29.

Nulla in facto neque in jure nedum inest causa revocationis sive transmutationis nostrae expositionis sed potius perpetuae concessionis in eadem feria secunda, non obstante quod PP. SS. Apostolorum adversarii eadem die in honorem divi Antonii Patavini faciant expositionem, quia PP. praedicti non ostendunt eorum indultum fuisse obtentum non privativa contra nostram vel alias Urbis ecclesias. Nam hae duae collitigantes ecclesiae sunt parochiales, quaelibet de per se existens a principio fundationis et unicuique jus suum liberum inest et separatum cum omni facultate quascumque functiones parochiales ad pascendas oves pergendi intra ecclesiam et confinio parochiae, sicuti Episcopus exercet in sua dioecesi, Abbas in cap. 2. 28. de dolo et centum., Barbos. de off. et potest. parochi p. 1. cap. 9. n. 3., Panimol. decis. 1. ad not. 9. n. 1. et seqq. et hoc quotidie practicatur exemplo processionum, quae fiunt a duabus ecclesiis, licet eadem die et loco uno motivo et una intentione eamdem in utraque ecclesia festivitatem celebrando, ut late discusso articulo decisum habetur in Caesaraugustana dedicationis decis. 618. p. 1. recent. et decis. 549. et 801. coram Manzanedo et potissimum de processione Corporis Christi, quod fieri possit in dominica infra octavam a quacumque parochiali ecclesia, prout in una eadem die ejusdem octavae sancitum legitur in constitutione Gregorii XII., quae incipit: *Cum interdum,* de qua Barbos. collect. Apost. decis 231. n. 2.

Tum etiam, quia expositio SSmi Sacramenti, quae fit in nostra ecclesia, non oppugnat neque minuit gloriam et honorem s. Antonii, immo est potius occasio, ut magis ejusdem Sancti augeatur devotio, quia fideles, qui veniunt ad nostram ecclesiam ad suffragia praestanda suis defunctis, possunt pariter transire ad ecclesiam PP. adversariorum et obsequium dicto Sancto praestaro et e contra alii ab illa ecclesia ad nostram venire cum maximo ad animas refrigerandas lucro. Unde potius videretur, has duas ecclesias de-

bere se mutua charitate foveri ac sancta aemulatione fideles ad pia opera excitare, quam ad invicem se destruere.

Certissimum enim est fideles posse in eadem die plures indulgentias lucrari, ad modum suffragii pro defunctis, unde non videtur pia et recta instantia PP. adversariorum tamquam adversans bono spirituali viventium ob facilem fertilioremque fructum bonorum operum et impeditiva suffragiorum pro animabus defunctorum.

Nec talis expositio cum indulgentiis debet ad aliam diem transferri, potissime quia ex pia SS. PP. sententia fuit prae ceteris diebus feria secunda pro eorum suffragiis assignata ad hoc ut animae, quae in die dominico a poenis requiescunt, die lunae ad eadem non redeant, sed potius ab illa requie mediantibus suffragiis directe ad paradisum pergant, ut ad literam docet Damian. lib. 2. epist. 14. ad Desiderium §. *praeterea*, ibi: „Scias quod secundum virorum illustrium pias opiniones atque sententias quaelibet animae defunctorum in diebus dominicis requiescunt atque suppliciis feriantur, secunda vero feria ad ea quibus assignata sunt poenarum ergastula revertuntur; idcirco ipso potissimum die angelis missarum honor impenditur, ut mortuis patrocinalis eorum defensio procuretur.“ Et sequitur Baron. dicens ad ann. 1056 in latina edit. fol. *mihi* 227 n. 9., quod insuper ad alios ritus spectat: „Nos jam vidimus ubique in ecclesia occidentali receptum, nempe, ut feria secunda animabus defunctorum liberandis a poenis sacrosancto sacrificio sit adscripta, feria 6. pro memoria dominicae passionis, sabbatum vero in honorem Virginis Mariae.“ Et pro communibus suffragiis instituta est feria secunda, ut pia Mater Ecclesia suam ostendat sollicitudinem prima hebdomadis die ad illas liberandas. Gavant. p. 1. lit. 5., et de hoc ritu rubricae omnes missalis romani testantur. „Atque, ut innuit idem Damianus lib. 5. epistol. 18. ad Ubertum: necesse est, antiquitus circa ritus ordinata potissimum prout Romana tenet Ecclesia conservare.“

Si igitur ex tantorum PP. sententia, quam pia mater Ecclesia amplexa fuit, feria secunda est illa dies privilegiata pro animabus defunctorum, sacra in eorum utilitatem peragendo, quo jure PP. adversarii commutare praetendunt in aliam diem publicum exercitium orationum, quae in illarum beneficium in nostra ecclesia tali tempore explentur, cum feria secunda singulariter sit destinata vel pro felici transitu animarum ad gloriam vel pro tranquilitate et refrigerio eorumdem?

Et in rei veritate parochiani libentius accedunt in tali privilegiata die ad propriam parochiam, ubi consanguineorum amicorumque custodiuntur sepulchra, pro quibus erga Deum ferventius preces fundunt, venerabile Sacramentum ardentiori pietate adorando, ut animae citius liberentur a poenis, ut ex D. Gregorio infra citando.

Si igitur Parochi officium est congregare suas oves in propria parochiali ecclesia, inaniter recurrunt adversarii ad dictam diminutionem concursus populi ad eorum ecclesiam, tum quia ex abundantia populi in Urbe exuberat concursus in utraque ecclesia, ut testatur R. P. D. Vicesgerens in voto edito in hac causa, tum quia tale motivum in simili casu fuit rejectum a Rota in decis. 166. n. 17. p. 16. etc.: „Esse nullius momenti praejudicium, quod PP. pati possunt ob diminutionem concursus populi ad eorum ecclesiam, quia divini cultus favor et augumentum omne praejudicium prorsus excludit et antecellit.

Indubitanter quia tale motivum tamquam perniciosum et adversans charitati et unioni ecclesiae est potius punibile, quam quod a s. Cong. admittatur, estque causa contentionis, ac pessimum malum, quod debet omnino ab Ecclesia Dei repelli, ut pacifice unusquisque suae ecclesiae deserviat. Unde Episcopus Aurelianensis relatus a Baronio, anno 835, volens hoc malum repellere, presbyteris suae ecclesiae scripsit: Unusquisque sua ecclesia et populo contentus sit, quisquis autem contravenerit, aut gradum se sciat amissurum aut in carceribus longo tempore detinendum. „Vetitumque semper fuit alienum populum ad se trahere; de consecr. dist. 1. cap. 82. Sixtus extrav.: *Vices*.

Cessat insuper ex supradictis alterum objectum, nempe altaris contra altare, quia hoc tunc locum haberet si expositio SSmae Eucharistiae fieret una eademque die ad unum finem et effectum intra limites et confinia unius parochiae.

Sed funditus tale objectum evertitur. Nam sicuti una parochialis ecclesia non est contra alteram, ita functiones unius, etiam si essent ejusdem rationis et in eodem tempore, non sunt contra functiones alterius, hoc enim disponit distinctio tot parochiarum gregum et pastorum, quae facta est a Spiritu Sancto (Paulus ad Titum) ut omnis evitetur confusio et pulchritudo servetur (Trid. sess. 14. cap. 9.); ex quarum pluralitate sequitur exercitium divini cultus, qui nunquam diminui debet sed augeri, Text. in cap. ex parte de constit. cap. fin. de rescript., Rota decis. 801. n. f. coram Manzanedo; et iste est finis praeoptatus et expressus a nostro Summo Pontifice in concessione nostrarum indulgentiarum in principio: „Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus Christifidelibus etc.“

Cum igitur adversarii nullum habeant jus fundatum et rationabilem causam impugnandi nostram expositionem cum indulgentiis, ex quo potius sunt calumniosi quam legitimi contradictores, ut late Menochius de adipiscend. remed. 3. n. 556., Rot. decis. 15. n. 10. p. 7., rec. Ridolp. in praxi p. 2. cap. 7. n. 68, hinc gratiam nobis ad septenium concessam in perpetuum ex rationibus praemissis prorogari supplicamus, attentis praecipue qualitatibus illis honorificis, quibus ista nostra parochialis ecclesia prae ceteris aliis de Urbe decorata et insignita est. Primo quia est parochia apostolici palatii, secundo summis Pontificibus sacramenta administrat, tertio eorum praecordia recipit et conservat. Etenim cum nostra ecclesia frequentetur a populo et ab aulicis Palatinis, isti inspicientes sepulchra, in quibus gloriosi pontificum cineres conservantur, eorum memoria excitatur et pietas pro illis orandum, indulgentias iisdem applicando. Divus Greg. sup. citat. in cap. *cum gravia* 17. 13. quaes. 2. ibi: „Hoc prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur et pro eis Domino preces fundunt.“ Adeoque cum Breve nostrarum indulgentiarum nedum respiciat favorem nostrae ecclesiae animarumque poenantium, sed etiam ipsorum Summorum Pontificum, quorum cineres illa conservat, causam tueatur, humillime Emmos Patres rogamus pro voto, ut illud in perpetuum prorogetur.

Quare *Jo. Baptista Bondacca etc.*

(Anal. J. P. 1865 p. 1369. n. 2630.)

XV. Furtum.

Vd.: *Hostia* (furtum); *Pyxis (furtum)*; *SS. Sacr. Euch.* (aserv. in eccles. Monial. t. III. p. 499).

XVI. Genuflexio.

Cf.: *Expositio SS. Sacramenti; Genuflexio ante SSmum; Reverent. Ministri in missa priv.; SS. Viaticum* (modus port., decr. Honor. III.)

Omnes fideles ante SS. Sacramentum transeuntes genuflectere tenentur, non obstante quacunque in contrarium consuetudine, quam corruptelam potius et abusum esse declaravit S. R. C. n. 179 die 14. Decbr. 1602.

Canonicos et alios Clericos, *sive in choro existant sive per Ecclesiam processionaliter incedant*, in elevatione SS. Sacramenti semper genuflectere debere et omnino tollendum abusum celebrandi missas privatas in altari majore, dum in choro cantantur horae canonicae, in aliis vero altaribus, quae sunt in conspectu chori, idem faciendum, si commode fieri potest. n. 588 die 2. Mart. 1620.

Semper et a quocunque coram SS. Sacramento esse genuflectendum. n. 1523 ad 1 die 26. Novbr. 1644.

Quando SS. Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud Transeuntes cujusvis conditionis et ordinis, seu ad illud accedentes et ab eodem recedentes semper *utrumque* genuflectere debent. n. 1627 ad 6. die 19. Aug. 1651.

Ad dubium: An attento, quod asservatur Venerabile non quidem in tabernaculo super altari collocato *sed appenso palmis octo circiter a superficie altaris distante,* est genuflectendum, quoties altari sit inclinandum ac si Sacramentum immediate super altare collocatum existeret. n. 2005 die 22. Novbr. 1659.

Ad dubium: An in exposit. SSmi cantatis verbis: *Panem de coelo etc.* sacerdos ministrans insurgens debeat reiterare genuflexionem, antequam recitet Orationes? S. C. resp.: non esse iterandam. n. 3487 die 2. Aug. 1698; n. 3489 die 6. Septbr. 1698.

In eundo salutabit celebrans se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo et procedat in missa. In redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinat Episcopo et procedat, quo debet. n. 3551 ad 1 die 13. Mart. 1700.

Genuflexiones utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum. n. 4181 ad 9 die 7. Maii 1746.

(Vd.: *Genufl. cor. SSmo in pyxide exposito.)*

Romae omnes utriusque sexus transeunte SS. Sacramento e curribus descendere et genibus flexis e terra illud humiliter adorare debent, vd.: Constitutio Clem. V. 9. Jun. 1702.

(Bull. r. t. VIII. p. 244.)

Quando cor. SSmo exposito unico genu flectendum sit, vd.: *Instr. Clem.* §. XXX. n. 7.

In Processionibus, quae fiunt cum SSmo Sacramento, qui incedunt ante illud, in occursu et transitu a latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummodo videant praedictum SSmum Sacramentum.

S. R. C. 1. Martii 1781.

In Processionibus Candelarum, Palmarum et similium, quae fiunt intra Ecclesiam sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata; quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi missa

celebratur et deposito SS. Sacramento progrediendum, similiter si aliqui transeant in elevatione calicis.

S. R. C. 1. Mart. 1681.

Urbis.

Fuit dubitatum: quomodo se gerere debeat sacerdos celebraturus, dum transit ante altare, in quo sit publice expositum SSmum Sacramentum, an post factam genuflexionem detecto capite surgens debeat caput tegere, donec ad altare pervenerit, an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum rubrica missalis romani non videatur loqui hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur? Et sacra Congregatio respondit: Servandas esse rubricas missalis romani, quae videntur innuere quod post factam adorationem genibus flexis detecto capite, surgens caput operiat.

Die 4. Septbr. 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269.)

Ad dubium: Utrum in vesperis coram SS. Sacramento celebratis Acolythi accedentes ad altare, ut accipiant sua candelabra vel ea referant, debeant ante SS. Sacramentum expositum utrumque genu flectere vel unicum?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

XVII. Genufl. exponentis praes. Episcopo.

Ad dubium: An Canonicus hebdomadarius pluviali indutus ante SSmum Sacramentum solemniter expositum, debeat genuflexus manere ante altare, etiamsi una cum Cappellanis assistentibus terga vertat Episcopo ante idem altare genuflexo in suo faldistorio sive genuflexorio perquatuor vel quinque passus distanti vel potius debeat permanere genuflexus a cornu Evangelii?

S. eadem R. C. tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis censuit respondendum: „Affirmative quoad primam partem: Negative quoad secundam.“ Et ita declavavit et servari mandavit. n. 3632.

Die 26. Augusti 1702.

XVIII. Immutatio.

Vd.: *SS. Sacram.* (asservat. in eccles. et claustr. Monial. etc. decr.: *Granaten.* §: *Cum vero* etc.)

XIX. Lampas et oleum ante illud.

Vd.: *Lampas; SS. Sacram.* (modus asservat.); *Tabernacul.; Visit. SS. Sacram.*

Subjiciuntur Capuccini Episcopis quoad tenendam Lampadem accensam ante altare, in quo est tabernaculum SS. Sacramenti: Transgressores enim puniri possunt ab Episcopis auctoritate sibi delegata a Concilio Tridentino in decreto de evitand. in celebrat. Miss. sess. 22.

Nec sufficit tenere lampadem accensam in choro, sed tenenda est ante et prope altare tabernaculi SS. Sacramenti, prout S. C. R. die 22. Aug. 1699. respondit Generali Capuccinorum, qui dubium proposuerat.

Supplex Libellus Rmmi Episcopi Bellovacensis SSmo D. N.

Josephus Armandus Gignoux Episcopus Bellovacensis in Gallia ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, quae sequuntur de lampade coram SSmo Sacramento et de oleo, quod in ea comburendum est, exponere confidit.

Ab Ecclesia sancitum est ut coram SS. Eucharistia in tabernaculo recondita „lampades plures vel saltem una diu noctuque colluceat.“ (Rit. Rom. de Sacr. Euchar.) Itaque Episcopi in

sua quaque dioecesi providere debent, ut in omnibus ecclesiis asservatur SSmum Sacramentum, adsit lampas et in ea comburatur aliqua materia, quae luminis diuturnitatem praestet.

Rituale quidem Romanum de qualitate hujus materiae tacet et lumen tantum requirit, sed ex aliis documentis mens Ecclesiae conjici videtur. Sic verbi gratia se habet s. Carolus Borromaeus in act. Mediolanen. parte IV. „Lumen lampadum oleo olivae nutriatur nec vero alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum ejus generis haberi potest.“ Et alibi in XI. Syn. Dioeces.: „Usus olei olivarum commendatur ad lumen lampadum in ecclesiis, ubi fieri potest, retineatur et ob consuetudinem inducatur in omni ecclesia.“ Insuper quotiescumque in sacra liturgia mentio fit de oleo, ut in administratione sacramentorum et benedictione, quae fit feria V. in coena domini, agitur de oleo proprie dicto, scilicet quod ex oliva exprimitur. Sed in multis Galliarum regionibus deest oleum olivae et nonnisi magnis sumptibus, quibus ecclesiae nostrae omnino impares sunt, comparari posset. Multae enim apud nos reperiuntur his infaustis temporibus ecclesiae inopia laborantes, quibus vix necessaria ad Sacrum et ad praecipuas anni functiones peragendas suppeditari queant et in quibus impossibile esset SSmum Sacramentum asservari magno equidem animarum pietatisque detrimento, si oleum olivae omnino exigeretur. In his etiam partibus, in quibus facilius invenitur oleum illud olivae, experientia constat paupertatem multarum ecclessiarum impedire, ne illud sibi comparent ad lampadem sanctuarii alendam. Insuper etiamsi facultates ecclesiarum nostrarum suppeterent, oleo olivae comburendo alia difficultas non minima occurreret, eo quod oleum istud facile concrescit et toto hyemis tempore lumen nutrire non valeret.

Ad alia ergo olea ex aliis vegetabilibus expressa, ut sunt oleum ex planta, quae latine vocatur *Brassica,* gallice vero *Colza* seu *Navette,* oleum ex *papavere*, gallice *oeillette* etc. Haec quidem olea facilius in regionibus nostris inveniuntur quam oleum olivae, sed nihilominus pluribus incommodis subjacent. Majoris usque adhuc sunt pretii quam ut in omnibus nostris ecclesiis facultatibus sufficientibus saepe destitutis eorum usus recipiatur. In quibusdam vero impensas ad lumen necessarias adhortantibus parochis fideles subministrare non recusant, sed quam multae sunt aliae, in quibus tali subsidio deficiente vel SS. Eucharistia non asservatur vel si propter infirmos et preces serotinas, quae in Adventu praesertim et Quadragesima peraguntur, servanda sit, illam absque lampade asservari tolerandum est! Hujusmodi olea coinquinant omnia, quae, attingunt, ita ut nonnisi maxima cura lampades nitidae serventur.

De die in diem difficilius inveniuntur olea expurgata, quae lumen per aliquod tempus foveant. Saepius enim praesertim in parochiis ruralibus, nonnisi adulterata seu vili qualitate olea venumdantur, unde accidit ut pluries per diem noctemque extinguatur lumen, pluriesque unaquaque die parochus, si velit honori SS. Eucharistiae pro posse consulere, lampadem rursus accendere debeat. Sed quandoque parochus vel domum habitat sat longe ab ecclesia distantem vel in ministerii functionibus alias versatur, praesertim quum duae ecclesiae, quod saepenumero in hac dioecesi et pluribus aliis evenit, uni eidemque sacerdoti committuntur, et ideo lampadi invigilare nequit. Saepe ergo et praeter sacerdotis voluntatem

sive die sive praesertim noctu lampas extincta remanet coram SSmo Sacramento. In multis ecclesiis tum hujus dioecesis Bellovacensis tum multarum Galliarum dioecesium rem ita se habere, propter olei vitium, experientia quotidiana compertum est. Et si in quibusdam reperiri possunt piae mulieres aut religiosi viri, qui lampadi alendae per diem invigilare satagunt, in multis aliis nullus huic pietatis officio operam dare potest. Insuper in nocte quis invigilabit?

Menti ergo Ecclesiae omnino consentaneum erit investigare, qua ratione haec incommoda vitari possint. Porro a pluribus annis receptus est apud nos usus alterius generis olei, quod plerisque praefatis incommodis immune videtur, olei scilicet non quidem ex vegetabilibus, sed ex *petra*, ex *schisto* expressi et quod *Petroleum* nuncupatur. Minori pretio venit quam olea sive olivae sive de *colza*, *navette*, seu *oeillette* supramemorata et ideo plures ecclesiae his oleis comparandis impares copiam habebunt accendendi lumen coram tabernaculo juxta praescriptum Ecclesiae. Munditia praestat et numquam inquinat quod attingit. Tandem et hoc procul dubio animadvertendum est, lumen hujus olei non deficit, ne quidem post unum vel alterum diem praesertim, si adhibeantur lampades convenientes, quales nunc in pluribus dioecesibus reperiuntur.

Sacerdos enim hujus Bellovacensis dioecesis, solertia non minus quam pietate erga SSmum Eucharistiae Sacramentum conspicuus, cum doleret de nimia difficultate lumen in sanctuario diu noctuque cum oleis ordinariis nutriendi, peculiaris generis lampadem invenit, quae istud oleum Petrolei parvo sumptu comburere permittit, lumenque absque ulla cura ad secundum tertiumve diem indesinenter servat.

Si vero objiciatur quandoque periculosum esse istud Petroleum, respondere et absque ulla dubitatione asserere licet adhibito supramemorato lampadis genere nullum periculum subesse nullumque incommodum.

Iam in pluribus ecclesiis tum hujus dioecesis tum aliarum dioecesium istam lampadem parochi experti sunt, jamque experientia constat minimo sumptu haberi coram tabernaculo cum dicto Petrolei oleo lumen clarum, constans, nulli discrimini aut incommodo obnoxium et ideo in omnibus ecclesiis praescriptum Ritualis longe facilius adimpleri posse.

Et si diceretur usum istius olei non ex vegetabilibus sed ex petra expressi a consuetudine Ecclesiae recedere, facile concedenda videretur dispensatio, cum, teste s. Carolo Borromaeo, in usu olei olivae dispensatio admittatur, et cum oleum istud ad honorem SS. Eucharistiae, quae jam lumine non destitueretur, ad pietatem fidelium et sacerdotum consolationem tam multum conferat.

Insuper si in hac quaestione mysticae rationes proponendae essent, illae procul dubio non dessent pro oleo ex petra, quae Christum figurat, expresso. His itaque maximi momenti, ut arbitratur, rationibus fisus, Episcopus orator enixe postulat, ut Sanctitas Vestra declarare dignetur usum olei Petrolei pro lampade sanctuarii non improbari et quidem permitti posse arbitrio Ordinarii. Sanctitatis Vestrae humillimus et addictissimus in Christo filius

† *Jos. Ar. Epis. Bellovocensis, Noviomensis et Sylvanectensis. Béllovaci 9. Aprilis 1864.*

Supplex libellus Rev. Archiepiscopi Rhedonensis.

Godefridus Saint-Marc, Archiepiscopus Rhedonensis, ad pedes Sanctitatis

Vestrae humiliter provolutus, dubia sequentia proponit.

Quaeritur 1.: *An usus olei lampadis ante SS. Sacramentum lucentis non ex oliva, sed ex viliori materia expressi, v. g. ex nucibus „ex Brassica campestri (Colza)“ vel ex Petroleo (Petrole) possit retineri sine peccato?*

2. *An usus ille sit licitus, saltem in ecclesiis pauperioribus. Ouare etc. Rhedonis die 11. Martii 1864.*

Epistola Rev. Episcopi Diniensis.

Maria Julianus Meirieu Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Diniensis. Quam libentissime assentit rationibus expositis ab Episcopo Bellovacensi ad effectum obtinendi ut pro lampade SSmi Sacramenti adhiberi possit oleum de petra vulgo nuncupatum petrole.

Lampadem a sacerdote dioecesis Bellovacensis inventam longos per dies ipsemet expertus asserere potest illam minimo sumptu ali, lumen clarum, constans, nulli obnoxium incommodo praebere, ideoque perutilem fore dioecesi Diniensi, in qua maxima pars ecclesiarum, propter nimiam paupertatem, nonnisi per breve tempus et magnis sumptibus lampadem oleo munitam alere possunt.

Datum Diniae die 6. Aprilis 1864.

Sequitur Decisio S. C.:

Decretum plurium dioecesium.

Nonnulli Reverendissimi Galliarum Antistites, serio perpendentes in multis suarum dioecesium Ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante SSmum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt: utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo, Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur, attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus ejusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis Eminentissimi autem et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt: „*Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus.*“

Die 9. Julii 1864.

Facta postmodum de praemissis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. per infrascriptum Secretarium fideli relatione Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

Die 14. iisdem Mense et Anno.

C. Episcopus Portuen. et s. Rufinae,
Card. Patrizi, S. R. C. Praef.

(L. † S.)

D. Bartolini,
S. R. C. Secretarius.

XX. Lampades duae suntne retinendae?

Sabinen.

Astulphus Galloppi altare majus dicatum B. M. Virgini Lauretanae marmoribus decenter ornatum a fundamentis extruxit in Ecclesia Patrum Minorum

Conventualium s. Francisci Terrae Tarani in Sabinis juxta concessionem situs a dictis Patribus eidem Astulpho factam anno 1697. Duo fuerunt pacta mox dictam concessionem concomitantia, nimirum primum Patres concedentes respiciens sic habet: *Che in detto Altare in perpetuo vi debba stare il Tabernaculo del SSmo Sacramento, ed in esso li Padri di detto Conventos possino communicare, e faroi tutte le funzioni, che li pareranno*; alterumque ad Galluppium pertinens sequens est: *che fialecito al detto Signor Galloppi, e suoi avanti l'Altare tenervi la Lampade, e faroi la Sepoltura.*

Constructo altari, Galluppius, quatenus vivens illud non dotavisset, ex testamento eidem Legati et Dotis titulo reliquit possessionem suam in Vocabulo *il Cagnano*, onere Patribus indicto manutenendi Lampadem accensam ante dictum altare, nec non tria celebrandi Sacra mense quolibet in perpetuum.

Defuncto Testatore anno 1713 illius Vidua Agatha Baldosi uti Mater, Tutrix testamentaria Caroli et Raymundi Galloppi ejus ac praedefuncti Viri filiorum eodem anno 1713 tradidit Patribus antedictam possessionem *il Cagnano* promisitque, quotannis et in perpetuum tradere Patribus mensuam olei, quae in dicta Terra Tarani nuncupatur *un cugno doglio* pro supradictae Lampadis manutentione et in correspectivitatem hujus traditionis praedii et promissionis olei Patres sese obstrinxerunt, omnia in Legato ac dote contenta adimplere et exequi.

Ex dictis Astulphi filiis ultimus fuit Raymundus, qui haeredem instituit Uxorem suam Theresiam Catenacci. Haec deficiens in annua olei praestatione judicialiter a Patribus conventa fuit coram A. C., qui anno 1772 suam protulit sententiam favore Patrum super manutentione in possessione juris exigendi annuam praestationem olei pro manutentione Lampadis ante altare majus familiae Galloppi situm in illorum Ecclesia. Huic litifavore Patrum renunciavit Theresia, oleique quantitatem usque tunc non praestitam Patribus consignavit.

Animadvertens modo Theresia, quod Patres propriam dumtaxat accensam retineant Lampadem ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, quod posuerant in tabernaculo sui altaris, ea penitus neglecta Lampade, quam iidem Patres vi obligationis contractae cum Astulpho Galloppi ejusque filiis accensam retinere debent ante altare majus tamquam dicatum Beate Mariae Virgini Lauretanae, preces proinde porrexit huic Sacrae Congregationi postulans, ut compellantur Patres ad alteram retinendam accensam Lampadem ante dictum altare praeter illam, quam iidem propriis sumptibus manutenere debent ante *Augustissimum Eucharistiae Sacramentum* in eodem altari positum, nec non ut restituant eam olei quantitatem, quam a die obitus testatoris, ab anno scilicet 1713 usque ad hodierna tempora perceperunt absque Lampadis accensione, ad hoc ut per totidem annos in futurum decurrendos tertia retineatur accensa Lampas ante dictum altare.

Eminentissimus Cardinalis Sabinensis Episcopus retulit, quae supra narrata fuerunt, ab ejus tamen voto ferendo se abstinuit, solummodo putans *dictam instantiam remittendam esse ad Iudicem coram quo*:

Jura erunt ab utraque Parte circumferenda; quibus perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Patres Minores Conventuales Terrae Tarani praeter Lampadem accensam ab ipsis retinendam ante Augustissimum Sacramentum teneantur aliam Lampadem accensam re-*

tinere pro adimplemento oneris ab ipsis assumpti in executionem Legati pii, de quo agitur in casu? Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit promovendum pro praeterito in casu?*

S. C. resp. ad I: non teneri PP. Conventuales retinere duas Lampades accensas; ad II: provisum in primo.

Die 29. Apr. et 9. Junii 1780.

XXI. Miraculosum.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (asserv. in eccles. etc. monialium t. III. p. 499—503.)

Eugenius PP. IV.

Philippo Bono Burgundiae ac Brabantiae Duci.

Singularis devotionis zelus, quem ad fidem catholicam et Sacramentum Passionis D. N. J. Chr. gerere videmus, merito nos inducit, ut ea tibi concedamus, quae devotionem tuam et aliorum christifidelium augere valeant.

Tuis igitur in hac parte devotionis supplicationibus annuentes tibi hostiam quandam sub imagine Salvatoris in throno sedentis, mirabile Sacramentum D. Corporis multis in locis a fesana cujusdam feritate gladii ictibus perforatam et ex eo sanguine respersam in locis praefatis, quae in sacrario nostro erat recondita, tuae piae devotioni concedimus et donamus volentes et mandantes tibi, ut eam in aliqua ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri cum eo honore et reverentia recondas futuris temporibus venerandam, prout tanti Sacramenti majestas et magnitudo requirit.

Datum Romae die 17. Septbr. 1431.

(Bull. r. t. IX. p. 236. Ed. Luxbg.)

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (officium propt. miracula SSmi, decr.: *Lingonen, Divionen).*

XXII. Officium et Missa fer. V.

Cf.: *Missa vot. de SSmo.*

Carmeliti discalceati feriis quintis festo novem Lectionum non impeditis Missam de SS. Sacr. celebrare consueverunt. Petunt, ut possint eodem die Officium sub *ritu duplici* et Missam *sol.* celebrare. S. R. C. resp.: „*Nihil* de novo concedendum; eo tamen privilegio, quod s. M. Sixtus V. indulsit, utantur, eo tamen modo, ut jura permittunt. n. 98 die 30. Septbr. 1596.

Stante concessione Pii V.*), quod fratres Minores possint in qualibet fer. V. extra Quadrag. et Advent. per annum festo novem Lectionum non impedita recitare Officium Corp. Chr., debent recitare ut *in die et Missa de communi seu votiva.* n. 2284 ad 3 die 12. Julii 1664.

Utrum in fer. V, ubi Officium SSmi ex privilegio dici potest, Festum translatum fieri possit? vd. *infra decr. n. 2305, 4394, 4102.*

Privilegium Cathedrali Ecclesiae Mexicanae concessum recitandi Officium de SSmo fer. V. non impedita cujuscunque hebdomadae comprehendit solos Clericos choro addictos et ministros illius Ecclesiae. n. 2844 ad 4 die 20. Nov. 1677.

Ad petitionem Ordinis Carmelitarum Hispan. pro gratia recitandi Officium de SSmo etiam in *Quadragesima*, ut recitare valeant semel in hebdomada per annum die non impedito festo 9 ll.? S. C. resp.: *Negative.* n. 4401 ad 12. et 13. die 16. Febr. 1781.

Per decretum n. 2943 ad 5. die 1. Mart. 1681 **) extenditur eadem prohibitio etiam ad ferias quintas in *Ad-*

*) Vd.: *Breve „Exponi Nobis“ PP. Pii V. diei 8. Jan. 1568* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 263 ed. Luxemb.

**) Vd.: p. 600.

ventu, *Quadrag.*, *quatuor tempor. et Vigiliis*, quod ab omnibus habentibus facultatem (recitandi Officium votivum SSmi) observandum est.

Concessio recitationis Officii SS. Sacram. quolibet die Jovis non impedito intelligenda est extra Advent., Quadrages., quat. temp. et Vigil., ac tam a Saecularibus quam a Regularibus servari debet, prout alias decrevit S. R. C. n. 3163 ad 1 die 18. Junii 1689; n. 3263 ad 2 die 19. Jan. 1692.

Neque ex decretis alicujus Capituli definitorii vel provincialis vel generalis, neque ex praetensa participatione privilegiorum aliorum regionum licet provinciae Lombardiae vel cuicunque Religioni aut Regulari recitare Officia SS. Sacram. in quacunque feria V. vel hujusmodi absque expressa et speciali Sedis ap. indulto; et qui absque eo ausi fuerint recitare, non satisfaciant praecepto de recitando divino Officio. n. 3263 ad 1 die 19. Jan. 1692.

Exposito per Collegiales, Cappellanos aliosque ministros Collegii Augustissimi Sacramenti civitatis Valentinae ex lege praescripta in erectione dicti Collegii a Ven. Joanne de Ribera Archiepiscopo Valentino illius Fundatore debere qualibet quinta Feria, in qua non concurrat Festum primae vel secundae classis, recitari in Choro solemni cantu primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas et completorium de SS. Sacramento tanta cum pausa et gravitate, ut septem horarum spatium in absolvendis horis praedictis insumatur, nonnullosque sibi scrupulum injecisse: an deberent dictis quintis Feriis recitare etiam Officium currens? pro securitate conscientiae supplicarunt sub die 18. Junii 1695 S. R. C., (ea in Congregatione simpliciter rescriptum fuit: Archiepiscopo pro meliori informatione, juxta instructionem faciendam per D. Promotorem Fidei et Secretarium) ut ipsos ad illud non teneri declarare dignaretur; verum meliore Archiepiscopo Informatione tunc expedita eaque modo ab Eminent. et Rev. Dom. Card. Colloredo una cum supplici Oratorum instantia relata, S. eadem R. C. oratores dictis quintis Feriis etiam ad Officium currens teneri censuit et declaravit. n. 3414 die 16. Martii 1697.

Religiosis Ordinis Min. s. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. non licere recitare Off. de SSmo qualibet fer. V. virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum, quibus hoc Officium concessum fuit. n. 3528 die 12. Septbr. 1699.

Stantibus decretis pro Officio Corp. Chr. in omnibus fer. quintis per annum (praeterquam in Adventu, Quadragesima et Vigiliis) Officio 9 ll. etiam translato non impeditis fit *ritu semid. Officium.* Idem si occurrat semid. ad libitum, poterit de illo fieri, si semel saltem in mense recitatum sit de hac commemoratione, alias Officium fiat de hac commemoratione, relicto prorsus Officio ad libitum (24. Jan. 1682*) Quaeritur igitur: si in aliquo mense omnes feriae quintae impeditae fuerint a Sanctis 9 ll. (dummodo non essent ad libitum) Commemoratio Corp. Chr. in hoc casu relinquenda erit, secundum supradictum decretum, sed si occurrat etiam Officium translatum sive dupl. sive semidupl., eritne faciendum de dicta commemoratione, vel potius hac omissa recitandum Officium de Sancto translato? S. C. resp.: In fer. 5. occurrente quocunque Officio 9 ll. etiam translato, omissa recitatione Officii SSmi, faciendum sit Officium ea die occurrens, etiam si dies sit infra octavam. n. *4102* ad 3 die 1. Oct. 1740.

---

*) Vd.: *Sancti ad libit.* (decr. n. 2976.)

tinere pro adimplemento oneris ab ipsis assumpti in executionem Legati pii, de quo agitur in casu? Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit promovendum pro praeterito in casu?*

S. C. resp. ad I: non teneri PP. Conventuales retinere duas Lampades accensas; ad II: provisum in primo.

Die 29. Apr. et 9. Junii 1780.

XXI. Miraculosum.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (asserv. in eccles. etc. monialium t. III. p. 499—503.)

Eugenius PP. IV.

Philippo Bono Burgundiae ac Brabantiae Duci.

Singularis devotionis zelus, quem ad fidem catholicam et Sacramentum Passionis D. N. J. Chr. gerere videmus, merito nos inducit, ut ea tibi concedamus, quae devotionem tuam et aliorum christifidelium augere valeant.

Tuis igitur in hac parte devotionis supplicationibus annuentes tibi hostiam quandam sub imagine Salvatoris in throno sedentis, mirabile Sacramentum D. Corporis multis in locis a fesana cujusdam feritate gladii ictibus perforatam et ex eo sanguine respersam in locis praefatis, quae in sacrario nostro erat recondita, tuae piae devotioni concedimus et donamus volentes et mandantes tibi, ut eam in aliqua ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri cum eo honore et reverentia recondas futuris temporibus venerandam, prout tanti Sacramenti majestas et magnitudo requirit.

Datum Romae die 17. Septbr. 1431.

(Bull. r. t. IX. p. 236. Ed. Luxbg.)

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (officium propt. miracula SSmi, decr.: *Lingonen, Divionen).*

XXII. Officium et Missa fer. V.

Cf.: *Missa vot. de SSmo.*

Carmeliti discalceati feriis quintis festo novem Lectionum non impeditis Missam de SS. Sacr. celebrare consueverunt. Petunt, ut possint eodem die Officium sub *ritu duplici* et Missam *sol.* celebrare. S. R. C. resp.: „*Nihil* de novo concedendum; eo tamen privilegio, quod s. M. Sixtus V. indulsit, utantur, eo tamen modo, ut jura permittunt. n. 98 die 30. Septbr. 1596.

Stante concessione Pii V.*), quod fratres Minores possint in qualibet fer. V. extra Quadrag. et Advent. per annum festo novem Lectionum non impedita recitare Officium Corp. Chr., debent recitare ut *in die et Missa de communi seu votiva.* n. 2284 ad 3 die 12. Julii 1664.

Utrum in fer. V, ubi Officium SSmi ex privilegio dici potest, Festum translatum fieri possit? vd. *infra decr. n. 2305, 4394, 4102.*

Privilegium Cathedrali Ecclesiae Mexicanae concessum recitandi Officium de SSmo fer. V. non impedita cujuscunque hebdomadae comprehendit solos Clericos choro addictos et ministros illius Ecclesiae. n. 2844 ad 4 die 20. Nov. 1677.

Ad petitionem Ordinis Carmelitarum Hispan. pro gratia recitandi Officium de SSmo etiam in *Quadragesima*, ut recitare valeant semel in hebdomada per annum die non impedito festo 9 ll.? S. C. resp.: *Negative.* n. 4401 ad 12. et 13. die 16. Febr. 1781.

Per decretum n. 2943 ad 5. die 1. Mart. 1681**) extenditur eadem prohibitio etiam ad ferias quintas in *Ad-*

*) Vd.: *Breve „Exponi Nobis" PP. Pii V. diei 8. Jan. 1568* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 263 ed. Luxemb.

**) Vd.: p. 600.

ventu, Quadrag., quatuor tempor. et Vigiliis, quod ab omnibus habentibus facultatem (recitandi Officium votivum SSmi) observandum est.

Concessio recitationis Officii SS. Sacram. quolibet die Jovis non impedito intelligenda est extra Advent., Quadrages., quat. temp. et Vigil., ac tam a Saecularibus quam a Regularibus servari debet, prout alias decrevit S. R. C. n. 3163 ad 1 die 18. Junii 1689; n. 3263 ad 2 die 19. Jan. 1692.

Neque ex decretis alicujus Capituli definitorii vel provincialis vel generalis, neque ex praetensa participatione privilegiorum aliorum regionum licet provinciae Lombardiae vel cuicunque Religioni aut Regulari recitare Officia SS. Sacram. in quacunque feria V. vel hujusmodi absque expressa et speciali Sedis ap. indulto; et qui absque eo ausi fuerint recitare, non satisfaciant praecepto de recitando divino Officio. n. 3263 ad 1 die 19. Jan. 1692.

Exposito per Collegiales, Cappellanos aliosque ministros Collegii Augustissimi Sacramenti civitatis Valentinae ex lege praescripta in erectione dicti Collegii a Ven. Joanne de Ribera Archiepiscopo Valentino illius Fundatore debere qualibet quinta Feria, in qua non concurrat Festum primae vel secundae classis, recitari in Choro solemni cantu primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas et completorium de SS. Sacramento tanta cum pausa et gravitate, ut septem horarum spatium in absolvendis horis praedictis insumatur, nonnullosque sibi scrupulum injecisse: an deberent dictis quintis Feriis recitare etiam Officium currens? pro securitate conscientiae supplicarunt sub die 18. Junii 1695 S. R. C., (ea in Congregatione simpliciter rescriptum fuit: Archiepiscopo pro meliori informatione, juxta instructionem faciendam per D. Promotorem Fidei et Secretarium) ut ipsos ad illud non teneri declarare dignaretur; verum meliore Archiepiscopo Informatione tunc expedita eaque modo ab Eminent. et Rev. Dom. Card. Colloredo una cum supplici Oratorum instantia relata, S. eadem R. C. oratores dictis quintis Feriis etiam ad Officium currens teneri censuit et declaravit. n. 3414 die 16. Martii 1697.

Religiosis Ordinis Min. s. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. non licere recitare Off. de SSmo qualibet fer. V. virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum, quibus hoc Officium concessum fuit. n. 3528 die 12. Septbr. 1699.

Stantibus decretis pro Officio Corp. Chr. in omnibus fer. quintis per annum (praeterquam in Adventu, Quadragesima et Vigiliis) Officio 9 ll. etiam translato non impeditis fit *ritu semid. Officium*. Idem si occurrat semid. ad libitum, poterit de illo fieri, si semel saltem in mense recitatum sit de hac commemoratione, alias Officium fiat de hac commemoratione, relicto prorsus Officio ad libitum (24. Jan. 1682*) Quaeritur igitur: si in aliquo mense omnes feriae quintae impeditae fuerint a Sanctis 9 ll. (dummodo non essent ad libitum) Commemoratio Corp. Chr. in hoc casu relinquenda erit, secundum supradictum decretum, sed si occurrat etiam Officium translatum sive dupl. sive semidupl., eritne faciendum de dicta commemoratione, vel potius hac omissa recitandum Officium de Sancto translato? S. C. resp.: In fer. 5 occurrente quocunque Officio 9 ll. etiam translato, omissa recitatione Officii SSmi, faciendum sit Officium ea die occurrens, etiam si dies sit infra octavam. n. *4102* ad 3 die 1. Oct. 1740.

---

*) Vd.: *Sancti ad libit.* (decr. n. 2976.)

Officium SSmi, quod recitatur ex privileg. in fer. V. non impedita, cum currenti semid. dividit Vesperas a capitulo. n. 4191 die 1. Julii 1747.

Officium de SSmo singulis feriis V. S. C. recitandum concessit Ord. Religiosorum B. V. M. animarum suffragatricis sub ritu semid. exceptis tamen tempor. Adv., Quadrag., Vigiliarum sive cum jejunio sive absque, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum Officium de festo dupl. aut semid. translato, contrariis non obstantibus. n. *4394* die 18. Debr. 1779.

Inter Officia nuper concessa omnibus Foederatae Americae Septentrionalibus Dioecesibus sunt Officia tum SSmmi Sacramenti in Feriis V., tum Conceptionis B. M. V. in Sabbatis per Annum. Porro haec eadem Officia jamdudum a. s. m. Pio Papa VI. concessa fuerunt Baltimorensi et quibusdam aliis Dioecesibus cum eo privilegio, ut iis Presbyteris, qui in praedictis Feriis iter aliquod suscipere deberent pro visitandis Catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Ad., quatuor Temp. et Quadrag. Quaeritur: an recenti concessione suprememoratum privilegium revocatum sublatumque fuerit vel adhuc perseveret, et posito quod perseveret, utrum ad omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioeceses extendatur et pertineat?

Emus itaque ac Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. rescribi mandavit:

Praecedens Indultum manet in suo robore nec extendi potes*t* sine nova concessione. n. 4928 ad 7. sine Dato.

(Esse videtur dies 22. Maii 1841.)

Ad relationem: Cum ex privilegio apost. Religio Servorum valeat recitare Officium SS. Sacramenti qualibet fer. V. et illud B. V. M. qualibet die Sabbati sub ritu semidupl., dummodo dictae dies non sunt impeditae Officio novem Lectionum, et exceptis Adventu, Quadragesima et Vigiliis, et cum multoties eveniat, quod sit remittendum Officium alicujus Sancti aliisque de causis translatum; ideoque petitur declaratio: an dictis diebus dicendum sit Officium translatum vel potius SS. Sacramenti et B. V. M. ex dicto privilegio? S. C. resp.: Translatum ulterius protrahi et Officium fieri juxta privilegium. n. *2305* die 22. Nov. 1664.

Vd. inf. decr. dd. 20. Mart. 1706 ad 2.

Ad dubium: An Clerici, qui obligantur ad Horas canonicas, teneantur recitare Officia votiva v. g. SSmi Sacramenti, quod ex concessione s. me. Clementis Papae XI. fieri potest Feria quinta non impedita etc., et Officium Conceptionis Beatae Mariae Virginis Sabbato non impedito etc., si jussu Ordinarii apponantur in Kalendario his diebus non impeditis? Quatenus negative, an tenentur se conformare huic Officio, si sit duplex, ut Officium Conceptionis, pro Missa et colore paramentorum, sive illud recitaverint sive non? S. C. resp.: Si constet de Indulto speciali Apostolico affirmative ad primam partem, ad secundam: juxta alia sancita posse sed non teneri.

Die 23. Maii 1835. n. 4746 ad 10.

Urbis et Orbis.

Cum multis nationibus concessum sit a Sede ap., ut semel vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus celebrentur varia officia per annum v. g. de SS. Sacram. in diebus non impeditis aliquo festo dupl. vel semid., an liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus Quadrages., Adventus etc.?

S. C. resp.: *Negative et hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrages., quatuor. temp.*,

vigiliarum, sive cum jejunio sive absque, nec in fer. 2. Rogationum, nec in illa fer., in qua secundum rubricas reponendum sit Officium Dominicae. Die 20. Mart. 1706 ad 1.

Ad dub.: An dies impeditus festo dupl. vel sem. pro off. vot. de SSmo recitando fer. V. intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est officium de festo dupl. vel sem. transl., quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a S. R. C.: Quod scilicet festum dupl. vel sem. etiam transl. necnon dies octavae sit dies impeditus respectu talis Officii? S. C. resp.: Affirmative.

Die 20. Mart. 1706 ad 2.
(Bull. r. t. VIII. p. 434.)

Quod fratres Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia semper possint extra tempus quadragesimae et adventus, in feria quinta, in qua non occurrit aliquod festum aut ejus octava, recitare officium SSmi Corporis Christi.

Pius Papa V. dilectis filiis, ministro generali et universis fratribus Ordinis Minorum de Observantia.

§. 1. Exponi nobis nuper fecistis quod vos mente recolentes Dominum nostrum Jesum Christum transiturum de hoc mundo ad Patrem, in ultima coena, qua Pascha cum discipulis manducavit, admirabile Sacramentum pretiosissimi Corporis et Sanguinis sui instituisse, ut universi christicolae illud tamquam suae caritatis, quam in cruce ostendit, memoriale recolerent, pro ipsius Dominici Corporis solemniori et specialiori veneratione desideratis qualibet quinta feria officium Christi Corporis, prout in Breviario Romano ipsius solemnitatis die habetur, recitare, si vobis ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Quare nobis humiliter supplicare fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos, pium hoc vestrum disiderium plurimum in Domino collaudantes ac hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet ubilibet existentibus, ut qualibet quinta feria, quae tamen quadragesimae et adventus Domini non fuerit, aut in qua aliquod festum seu octava non inciderit, omisso occurrenti officio, illud de Corpore Christi, juxta illud quod in praesenti Breviario Romano in ejus solemnitatis die recitandum proponitur, recitare libere et licite valeatis, ita tamen quod illud sic recitando debito, ad quod adstricti estis, in omnibus et per omnia perinde satisfacere censeamini ac si officium pro tempore currens et vobis a Romana Ecclesia propositum recitaretis; nec propterea, illo recitato, ad occurrentis hujusmodi vel alicuius alterius officii recitationem teneamini, nec ad id a quoquam inviti cogi aut compelli possitis, minusve aliquas sententias, censuras et poenas, quomodolibet latas, incurrentes, auctoritate apostolica per praesentes indulgemus.

§. 3. Districtius inhibentes quibusvis locorum Ordinariis et quibusvis aliis, quacumque auctoritate fulgentibus vel cujuscumque gradus existentibus, ne vos et vestrum quemlibet, quovis praetextu, super praemissis, quomodolibet molestare perturbare aut inquietare, sub excommunicationis sententia aliisque arbitrio nostro moderandis et infligendis poenis, audeant vel praesumant.

Datum Romae die 8. Jan. 1568.
(Bull. r. t. VII. p. 647. Ed. Aug. Taur.)

Clemens PP. XIV.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii *Decanus et Canonici Capituli paroch. et collegiatae Ecclesiae sub*

titulo B. M. V. immac. civitatis Monachii in Bavaria Frising. Dioecesis, quod in colleg. Ecclesia praedicta juxta piam institutionem memoriam hominum excedentem feria 5. qualibet missa sol. decantari solet eaque absoluta fit sol. processio SS. Sacramenti interessentibus civibus atque universitatibus artium suo ordine distributis maximamque populi quantitatem constituentibus; quolibet vero die Sabbati post decantatum Matutinum una cum laud. sol. missa celebratur B. V. M. ex fundatione in ejus hon. constituta a devotione et pietate electoralis domus Bavariae. Cum autem a S. R. C. alias concessum fuerit, ut qualibet fer. 5. in praedicta Ecclesia Officium, quod in die festo Corp. Chr. recitatur, quolibet vero die Sabbati off. de immac. Concept. B. M. V., exceptis feriis quintis et Sabbatis Adv. et Quadrag., recitari possit, ipsi vero Exponentes Officia hujusmodi etiam in feriis quintis et Sabbatis Adv. et Quadrag. non impeditis tamen ab Off. 9 ll. recitare posse plurimum desiderent, Nos specialibus gratiis ipsos Exponentes prosequi volentes, *eisdem nunc et pro tempore existentibus Decano et Canonicis atque Capitulo dictae ecclesiae Collegiatae, ut ipsi temporibus etiam Adv. et Quadrag. qualibet fer. 5. Off. et Missa SS. Corp. Chr. et quolibet Sabb. Off. et Missa de immac. Concept. B. V. M., dummodo uterque dies hujusmodi ab officio 9 ll. impeditus minime sit, libere ac licite sub ritu dupl. recit. possint ac valeant, facultatem tenore praesentium concedimus.*

Non obstantibus Quibuscumque etc. Romae. Die 18. Novbr. 1772.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 516. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VI.

Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii beatae Mariae virginis Remediorum nuncupatae ordinis sancti Augustini oppidi de Potosi charcasensis dioecesis in Indiis exponi Nobis nuper fecerunt, ipsae pro eo, quem erga SS. Sacramentum gerunt devotionis affectu, semel in mense officium ejusdem SS. Sacramenti recitari posse summopere cupiant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut imposterum dictis exponentibus liceat semel in mense, die non impedita ab officio novem lectionum, recitare officium SS. Sacramenti ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, necnon feria secunda rogationum atque aliis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae aut de festo duplici vel semiduplici, tanslato, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, facta etiam potestate sacerdotibus omnibus in earum ecclesiam ad sacrificandum convenientibus missam respondentem eidem officio celebrandi.

Datum Romae die 11. Martii 1794.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 361.)

Officia concessa semel in Hebdomada, ut de Conceptione B. M. in Sabato vel SS. Corporis Christi in fer. V., non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, IV Temporibus nec in Vigiliis. Ita S. R. C. *1. Martii 1681* in eadem Canon. Regul. Lateran. ad 6. Dubium.

Cadicen.

S. R. C. benigne indulsit clero de Gibraltar Cadicen. dioecesis, ut ipse

quolibet die jovis per annum non impedita tamen festo novem lectionum recitare possit officium SSmi Sacramenti ad instar concessionis alias factae religioni s. Augustini.

Die 2. Decembris 1673.

(Anal. J. P. 1865. p. 1182 n. 1980.)

Aquen.

Proposito in Sacra Rituum Congregatione dubio PP. s. Hieronymi terrae Campi dioecesis Aquen. provinciae Mediolanen. super consuetudine recitandi in choro quolibet die jovis officium SSmi Sacramenti, die Sabbati B. M. V, et semel in mense officium s. Augustini et s. Hieronymi: An in praedictis casibus satisfaciant praecepto recitandi divinum officium? S. R. C. declaravit: non licere, nisi ex speciali concessione Sedis Apostolicae sub poenis in constitutione Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. contentis, non obstante mandato Prioris, cujus jurisdictioni subsunt, quemadmodum in similibus respondit et signanter in *Galliarum* 6. Aprilis 1658. Quatenus vero extet concessio, intellegenda est, exceptis diebus adventus, quadragesimae, vigiliarum et quatuor temporum, juxta declarationem ejusdem s. Congregationis die 10. Novembris 1612 et 11. Aprilis 1641, et ita servari mandavit.

Die 18. Junii 1689.

(Anal. J. P. 1865 p. 1307 n. 2396.)

Valentinen.

Archiepiscopus Valentinus, qui sumptibus suis collegium fundavit cum capella sub invocatione SSmi Corporis Christi et cum servitio clericorum et presbyterorum, qui ibi missas et divina officia celebrant, et ob summam ipsius Archiepiscopi erga SS. Sacramentum devotionem et venerationem, petiit ut singulis quintis feriis in dicta capella officium et missa de SSmo Sacramento, singulis vero feriis sextis missa de plagis D. N. Jesu Christi, et singulis Sabbatis missa de Beata Maria celebrari et recitari possit, non obstante quovis festo duplici occurrente, et quod personae ad servitium dicti collegii destinatae recitando etiam private officium SSmi Corporis Christi dictis quintis feriis satisfaciant ac si officium currens Breviarii Romani recitarent. Congregatio Sacrorum Rituum facto de praedictis omnibus verbo cum SS. D. N. et de ejus expresso ordine et mandato censuit concedi posse, ut singulis quintis feriis non impeditis festis novem lectionum officium et missa de SSmo Sacramento in supradicta capella sub invocatione SSmi Sacramenti dedicata celebretur. In reliquis vero servetur forma Missalis et Breviarii Romani; et ita declaravit.

Die 3. Augusti 1602.

(Anal. J. P. 1863 p. 17 n. 18.)

Salamantina.

Abbatisa et moniales sancti Spiritus ordinis s. Jacobi de Spata civitatis Salamantinae ob particularem devotionem erga SSmum Sacramentum usum antiquum diu intermissum recitandi in choro officium s. Corporis Christi secundum formam earum antiqui ritualis renovare cupientes, a s. Rituum Congregatione petierunt licentiam recitandi dictum officium SSmi Sacramenti singulis quintis feriis non impeditis festo novem lectionum et extra tempus adventus, quadragesimae, rogationum et quatuor temporum.

Sacra Rituum Congregatio respondit: non esse relinquendum officium currentis feriae seu festi simplicis. Quod si etiam officium SSmi Sacramenti ea die recitare voluerint, licentiam concessit, dummodo officium feriale praedictum vel festi simplicis saltem sine

cantu in choro vel extra recitare non omittant. Et ita declaravit.

Die 29. Septembris 1603.

(Jbid. p. 28 n. 103.)

Feriae.

Ad preces porrectas SSmo D. N. nomine Ducis de Feria ab eodem S. D. N. ad Sacram Rituum Congregationem remissas, ut confratres societatis Corporis Christi erectae in ecclesia parochiali oppidi de Zafra sub dominio Ducis Feriae ejus filii possint singulis quintis feriis celebrare festum SSmi Sacramenti cum processione et commemoratione ac indulgentiarum participatione, prout fel. rec. Gregorius Papa XIII. Bernardino de Mendoza per litteras suas in forma Brevis expeditas sub die 3. Martii 1560 concesserat,

Eadem S. Rituum Congregatio respondit: quoad celebrationem festi concedi posse, ut singulis quintis feriis processio fiat tantum per ecclesiam; sed officium et missa celebretur de feria vel festo currenti et in missa fiat commemoratio de SSmo Sacramento. Quo vero ad indulgentias ad eumdem SS. D. N. recurrendum esse; et ita censuit et declaravit die 30. Aprilis 1604.

(Jbid. p. 33 n. 117.)

Tullen.

Supplicatum fuit SSmo ad instantiam Emmi et Rmmi D. Card. Barberini concedi Congregationi strictae observantiae regulae s. Benedicti, Tullen. dioecesis, posse in ecclesiis monasteriorum ejusdem Congregationis fundatorum a Serenissima Catharina a Lotharingia celebrari officium SSmi Sacramenti qualibet feria quinta, et supplicatione per SSmum ad hanc S. R. C. remissa, eadem Sacra Congregatio censuit: concedendum, dummodo non sit impedita festo novem lectionum et exceptis feriis quintis occurrentibus in adventu, quadragesima et vigiliis, si SSmo placuerit. SSmus annuit.

Die 18. Septembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 246.)

XXIII. Officium ratione Expositionis.

Xantonen.

Abbatissa et moniales s. Benedicti civitatis Xantonen. supplicarunt pro facultate recitandi officium Corporis Christi juxta ritum breviarii romani illis quatuor diebus singulis annis, quibus ex antiquissima consuetudine SSmum Eucharistiae Sacramentum quater in anno in ecclesia monasterii praedicti publice adorandum exponitur. Et Sacra Congregatio oratricum supplicationibus benigne annuens et citra approbationem dictae consuetudinis eis benigne indulsit, ut quater in anno officium praedictum SSmi Corporis Christi juxta ritum breviarii romani recitare possint post expletum officium occurrens, dummodo illud privatim et sine cantu recitent.

Die 23. Januarii 1644.

(Anal. J. P. 1863 p. 299.)

XXIV. Officium propter miracula SSmi.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (miraculos.)

Lingonen.

Collegiata insignis et regia Divionensis in Burgundia ob peculiare et extraordinarium miraculum SSmi Corporis Christi per hostiam sanguine conspersam, quae ibidem jugiter veneratur, supplicavit pro indulto celebrandi officium de SSmo Sacramento qualibet feria quinta non impedita. Et Sacra Congregatio abnuit, eo quod asseratur denegatum in hismet terminis ecclesiae Cathedrali Urbevetanae, ubi

simile miraculum solemnius apparet, ex quo causa institutionis ipsiusmet solemnitatis Corporis Christi emanavit.

Die 16. Augusti 1642.

(Anal. J. P. 1863 p. 287.)

Divionen.

Decano et capitulo nec non universo clero regiae collegialis ecclesiae Divionen. petentibus facultatem recitandi qualibet feria V. non impedita festo novem lectionum officium SSmi Sacramenti intuitu hostiae miraculosae, quam iidem in ecclesia asservant, s. Congregatio respondit: Lectum.

Die 9. Junii 1657.

(Jbid. p. 340.)

Divionen.

Capitulum Divionen. alias S. Rituum Congregationi supplicavit pro facultate recitandi officium duplex SSmi Sacramenti qualibet feria V. non impedita intuitu miraculosae hostiae ab Eugenio IV. ad ducem Burgundiae transmissae. Et Sacra eadem Congregatio R. P. D. fidei promotoris oppositiones audire mandavit. Institit mox idem capitulum, ut sibi eaedem oppositiones communicarentur. Ac Emmi DD. rescribi mandarunt: Dilata.

Die 24. Maii 1659.

(Jbid. p. 356.)

XXV. Off. Monial.

Leodien.

Vd.: p. 600, 601.

Monialibus Angelorum Leodien. civitatis petentibus facultatem recitandi officium SSmi Sacramenti qualibet feria quinta non impedita festo novem lectionum s. Congregatio respondendum censuit: Lectum.

Die 23. Julii 1661.

(Anal. J. P. 1863 p. 377.)

Ebrodunen.

Monialibus s. Salvatoris dioecesis Ebrodunensis petentibus facultatem attribui recitandi officium SSmi Sacramenti qualibet feria V. non impedita festo novem lectionum S. Rituum Congregatio respondit: Lectum.

Die 8. Julii 1662.

(Jbid. p. 382.)

XXVI. Officii ritus.

Redemptionis Captivorum.

Vd. p. 600 decr. *Pii VI.*, p. 596 n. 98.

Cum Sacra haec Rituum Congregatio sub die 19. Novembris 1622 declaraverit indultum alias concessum per fel. record. Clementem VIII. fratribus ordinis SSmae Trinitatis, redemptionis captivorum recitandi officium hebdomadis duobus diebus, uno scilicet officium de SSmo Trinitate, altero de SSmo Sacramento, esse intelligendum sub ritu semiduplici et hac declaratione non obstante multos regulares discalceatos hujus ordinis recitare supradicta officia non absque magna varietate; frater Joannes de Annunciatione procurator generalis fratrum discalceatorum ad evitandam hujusmodi varietatem supplicavit de novo praecipi, sub quo ritu in tota religione sui ordinis praedicta officia recitari debeant. Et Sacra Congregatio ad relationem Emmi Cardinalis Virilis respondit officia praedicta recitari debere sub ritu semiduplici et dummodo dicti duo dies non sint impediti officio novem lectionum proprio aut translato et ita in tota religione supradicta omnino inposterum servari mandavit.

Die 29. Novembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 247.)

XXVII. Oscula cor. SS. exposito.

Vd.: *Osculum cor. SSmo.*

Juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. XXXIII. n. 19 initio Pro-

cessionis SSmi Corporis Christi Presbyter assistens ministrat Episcopo naviculam absque osculo cochlearis et manus. Exinde nonnulli concludunt, oscula omnia sive manus sive rei porrigendae, aut acceptae omittenda esse in Missa coram SSmo Sacramento exposito celebrata, excipiunt tamen osculum manus celebrantis a Subdiacono faciendum post cantatam epistolam et oscula consueta a Diacono facienda ad benedictionem ante Evangelium, ad oblationem Hostiae et Calicis et in porrigendo Patenam post Orationem Dominicam; ita Manuale ecclesiasticum n. 1042 editionis romanae anni 1853. Alii e contra cum Tetamo (appendice ad Diarium cap. III, n. 31), Gardellini in Instructione Clementina §. XXX. n. 14. statuunt hanc regulam: Illa tantum omitti debent oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa, quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent. Inter has ergo opiniones quaeritur: quaenam sit in praxi sequenda? v. gr.: an coram Sacramento exposito Diaconus ministrans celebranti aspersorium ad aspersionem aquae benedictae faciendam debeat vel non osculari aspersorium et manum celebrantis?

S. C. resp.: Sequendam regulam in collectione authentica Decretorum SS. Rituum Congregationis a Gardellini indigitatam, quum aspersio proprie non spectet ad ritum missae sed sit tantum actio praeliminaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2196.)

XXVIII. Particulae consecrandae (Modus.)

Vd.: *Ritus consecrat. particul.; SS. Sacr. euch.* (renovat.)

XXIX Particulae dubie consecratae et asservatae.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (asserv. in eccles. vel claustr. Monial. furtiva et reportota.)

Maceraten.

Rmmo D. Episcopo Maceraten. Rmme D. uti frater. Relatis literis Amplitudinis tuae super duabus particulis hostiae repertis in capsula inter reliquias cathedralis ecclesiae Tolentinae asservata et Amplitudinem tuam, quamvis in visitatione ejusdem ecclesiae sedulo studio id investigaverit, scire nequisse, an eadem particulae sint consecratae, Emmi PP. S. Rituum Congregationi praepositi Amplitudini tuae injungi mandarunt, ut easdem particulas illico, secreto tamen et ea, qua par est, dexteritate, ne scandalum inde oriatur, consumi faciat; diuque felix incolumisque vivat.

Romae die 24. Jan. 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1241 n. 2192.)

XXX. Ut Patronus Ecclesiae.

Oveten.

Episcopus, capitulum, civitas, dioecesis et principatus Oveten. asserentes plura loca dioecesis rite et recte recepisse in patronam sanctam Eucharistiam supplicarunt approbari electionem hujusmodi et de ea concedi officium in omnibus locis, quae eam acceptarunt tamquam de patrona, cum commemoratione ipsius in illis diebus, in quibus praecipitur ab Ecclesia fieri suffragia. Et Sacra Congregatio ad relationem Emmi Pamphilii approbavit electionem et de ea in omnibus supradictis locis, quae eam acceptarunt, concessit officium et missas, cum commemoratione, quando fiunt suffragia, juxta rubricas.

Die 19. Februarii 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 270.)

XXXI. Quis porrigit et quo modo SSmum Celebranti (Episcopo)?

Vd.: *Ostensorium; Diaconi ass. Episcop.* (porrig.)

Instr. Clem. §. XXIV. n. 12 etc.

Diaconus assistens et non alius cum debitis reverentiis capit SSmum de altari et illud stans offert Episcopo genuflexo sine reverentia erga Episcopum et sine osculo; sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, genuflectit, Episcopus vero cum SSmo surgit. — Cum Episcopus erit ante supremum gradum altaris Diaconus accipiet de manu ipsius stantis SSmum genuflexus sine osculo manus, quod deponit super altari. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 12, 13.

Diaconus assistens a dexteris accedet ad altare *(in initio Process. SS. Corp. Chr.)* et cum debitis reverentiis accipiet Ostensorium SSmo de altari et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit, cui nec manum osculabitur nec ullam tunc faciet reverentiam, sed statim atque in manibus ejus SSmum reliquerit, genuflectet. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum gradum altaris, Diaconus a dexteris cum debita reverentia et genuflexione ac sine osculo accipiet de manu ipsius Episcopi stantis SSmum et illud super altare collocabit. *Jbid.* c. XXXIII. n. 20. 24.

Tunc *(incensato SSmo ad altare ejusdem in Parasc.) primus Diaconus assist.* accipit SSmum illudque in manibus Episcopi genuflexi reverenter collocat et statim genuflectit. — Cum pervenerit ante gradus altaris *Diaconus Evangelii* genuflexus ante altaris gradus accipit SSmum de manu Episcopi stantis. *Jbid.* l. II. c. XXV. n. 31. 32.

Incensato SSmo *(ad altare SSmi in Parasc.) Celebrans* accipit SSmum illudque in manibus *Episcopi assistentis* collocat et statim genuflectit. Cum pervenerint ad cancellos altaris *Celebrans genuflexus* ante gradus altaris accipit SSmum de manu *Episcopi (assistentis) stantis. Jbid.* c. XXVI. n. 15. 16.

XXXII. Processio.

Frequentia, licentia Episcopi, Imagines et Reliquiae circumferendae unacum SSmo.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.; Process. SS. Sacramenti; Process. SS. Corp. Chr.* (Quae res circumferri etc.)

Mechlinen.

Archiepiscopi de Malines adversus Regulares super observatione sui decreti et declaratione dubiorum circa expositionem SSmi Sacramenti et alias processiones, referente Emmo Albicio, utraque parte informante, fuit resolutum ad favorem Archiepiscopi, prout in folio reposito in fasciculo memorialium Congregationis s. Rituum habitae die 21. Martii 1676. Sanctitas Sua ad instantiam regularium Belgii mandavit suspendi decretum praedictarum resolutionum ad effectum componendi pro concordia. Die 28. ejusdem mensis Martii anni 1666. Deinde Emmus Cybo de ordine SSmi D. N. Innocentii Papae XI. mandavit in hac causa non publicari praedictum decretum et nihil innovari.

Die 8. Novembris 1676.

Adnotatio

Ex allegatione pro Archiepiscopo ad s. Congregationem porrecta:

„Inhibuit Illmmus D. Archiepiscopus Mechlinien. pro eximio suo erga divinum cultum studio et ad tenorem Synodi provincialis sub tit. 7. cap. 8, ne venerabile SSmae Eucharistiae Sacramentum nisi in publicis supplicationibus et ex causis arduis pacis et publicae necessitatis circumferretur, aut publicae venerationi exponeretur,

ac si quando circumferri ut supra contingeret, vetuit una devehi sanctorum reliquias et imagines.

Et quamvis decretum praefatum non modo synodalibus sanctionibus esset prorsus consentaneum, sed undequaque etiam rationabile et ob invalescentes abusus apprime necessarium, visum est tamen prudentissimo antistiti palam facere motiva, quae ipsum ad id congruenter impellerent et proprio impresso typis libello cum epigraphe epistolae pastoralis monuit quanto cum jure ad ita inibi decernendum devenisset.

Quae tamen cum satis probata non remanserint apud aliquos ejus dioecesis regulares, qui pro dicti decreti moderatione adhuc pertinacius insistunt, supplicamus proinde ut praevia ejusdem decreti in omnibus confirmatione, perpetuum silentium reclamantibus indicatur.

Sicuti enim s. Concilium Tridentinum (sess. 21. cap. 8. ac sess. in dto de observ. et evit. et alibi passim) demandavit Ordinariis, ut divini cultus augmentum pro viribus procurarent abususque, qui irrepserant praesertim in exhibenda augustissimo Sacramento reverentia, sedulo evellerent, ita pariter compertum est eosdem Ordinarios saltem tamquam apostolicae sedis delegatos posse etiam regularibus ac quibusvis exemptis inhibere, ne sacrosanctam Eucharistiam nisi ex causa publica ab ipsis Ordinariis approbanda in ipsorum ecclesiis exponant, ut adductis duodecim resolutionibus s. Congregationis firmat *Nicolius* in flosculo, verbo: Eucharistia n. 23., Gavant. in Manuali Episcoporum verb.: Eucharistia n. 53 et 54 et verb.: Regulares jur. sub. Episc. n. 19 et 20, *Lezana* summ. quaest. regul. tom. 2. cap. I. n. 26, et tom. 3, verb. Eucharistia n. 24, *Novarius* in Lucerna Regul. eodem verbo vers. *Expositio* et alibi pluries, et omnes adducunt in comprobationem varias s. Congregationis resolutiones, quibus addi potest resolutio s. Congregationis Concilii declarans hanc controversiam esse jamdiu decisam ac definitam.

Consonat autem haec moderatio in SSmo Eucharistiae Sacramento circumferendo intentioni s. Conc. Trid. sess. 13. cap. 5., ubi collaudata religiosa consuetudine, quod singulis annis peculiari festo die solemnitas celebretur, in processionibus honorifice circumferatur, subdit aequissimum esse sacros aliquos statutos esse dies, quibus christiani se pro tam singulari beneficio gratos ac memores testentur, et victrix veritas de mendacio ac haeresi triumphum agat, quibus quidem diebus nimirum intra ejus solemnitatis octavam licet omnibus indistincte in processionibus circumferre, ut praeter DD. supra relatos etiam sancitum fuit in constitutione s. M. Gregorii XII. Bullar. nov. tom 2. fol. 280; quae tamen ultra dies praedictos extendi nullatenus valet ut constat ex ipsa litera. Accedit inconcussa observantia consimilia decreta etiam respectu regularium promulgandi in synodis tam dioecesanis quam etiam provincialibus, ut in eadem Mechliniensi annis 1570 et 1607; in Antverpiensi anno 1610, in Sylvaeducensi anno 1612; in Iprensi anno 1629; in Cameracensi anno 1631. Et extra Belgium idem passim receptum videtur in synodis gallicanis, ut in Lemovicensi anno 1619; in Cardurcensi anno 1630; in Rothomagensi anno 1639; in Aurelianensi anno 1644; in Meldensi anno 1653; a quibus tamen nec reclamatum nec eisdem contraventum unquam apparet.

Quinimo non solum ab universo saeculari clero sed per plures etiam ex regularibus decreto Illmmi D. Archiepiscopi fuit consensum, ut ex actibus

nuper sequutis summ. n. 3 ultra caeteros enunciatos in dicta epistola pastorali fol. 21., 22., 23.; ac per consequens allegabilis non est contraria possessio, seu potius abusus et corruptela, tam ob actuum deformitatem, tam etiam resistente lege, quae possessionem improbam efficit et inefficacem ad effectum manutentionis et praesertim contra superiorem, qualis juncto etiam titulo delegationis apostolicae plene censendus est Ordinarius.

Quo tandem ad SS. Reliquias et Imagines in processionibus cum SSma Eucharistia non deferendas, ultra observantiam in eadem provincia, de qua constat sum. n. 3. ac in exemplis cumulatis in epistola pastorali dd. pag. 21., 22., 23., ultra rationem adeo consonam, ne populus a debito majori cultu distrahatur, adsunt etiam duo supremae auctoritatis ac pietatis documenta idem suadentia; alterum scilicet s. Caroli Archiepiscopi Mediolanensis, qui id vetuit cum declaratione quod ita ferret Romanae Ecclesiae consuetudo et veteris instituti religio; alterum vero SSmi D. N., qui pariter prohibuit in synodo Camerin. tit. 12. decret. 6 anno 1650.

Superest ut referamus resolutionem S. R. C., die 21. Martii 1676, de qua supra.

I. Non posse fieri processiones cum SSmo extra octavam nisi ex causa publica et necessitate loci approbandis ab Episcopo vel nisi fuerint permissae per concessionem apostolicam.

II. An possint deferri imagines et reliquiae in processionibus, in quibus defertur venerabile Sacramentum? — R.: Episcopum potuisse prohibere.

II. An fieri possit processio pro s. Rosario cum Sacramento? — R: Non posse.

(Anal. J. P. 1865 p. 1199. n. 2038.)

XXXIII. Prodigiosum.

Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (*Asservatio in eccles. vel claustr. Monial.* decr.: *Granaten etc.*; miraculos.)

XXXIV. Renovatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 24.; *Sumptio SS. Hostiae; Visitat. SS. Sacrm.*; *SS. Sacram.* (Asservatio in eccles. vel claustr. Monial., decr. *Granaten* t. III. p. 502 etc.)

Renovatio SS. Sacram. debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. S. R. C. 5. Apr. 1573. In renovatione, quae qualibet octava die fieri debet de Augustisimo Euchar. Sacramento, consumi debet tum hostia tum etiam particulae, quae existunt in tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante Purificationem; illa vero verba, quae habentur in missali c. 10. n. 5: *Si vero adsint hostiae consecratae etc.*, possunt intelligi de hac renovatione aeque ac de nova confectione Sacramenti servandi pro alia die. n. 2602 ad 3 die 3. Sept. 1672.

Ad dubium: Rector Ecclesiae reperit in Ecclesia sua consuetudinem renovandi panem pro Sacrificio missae et Communione Fidelium singulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore vero aestivo solitum confici pro sex mensibus. Hinc quaeritur:

1) An attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hyemis vel a sex mensibus in aestate confecta?

2) An casu, quo Rector Ecclesiae praxim illam approbet nec velit eam relinquere, alii Sacerdotes in eadem Ecclesia inservient et possint tuta conscientia in hoc Rectori obsecundare, utendo praefatis speciebus?

S. C. resp. *ad 1.:* Negative; et eliminata consuetudine servetur rubrica;

ad 2.: Negative. n. 4623 I. 1. 2. Die 16. Decbr. 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Consuetudines laudabiles et rationabiles servari licite possunt, quamvis plane non conveniant cum regulis contentis in Caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano aliisque liturgicis Codicibus. Quod si utraque destituantur qualitate, omnino tollendae et eliminandae sunt ac ad formam legum S. R. C. exigendae.

Id profecto accidit relate ad dubia, quae Sacrorum Rituum Congregationi pro decisione delatae fuerunt a Parochis Gandavensis Dioecesis. Omnia fere, etsi ab iisdem legibus difformes ritus exhibeant, non alio innituntur fundamento, si illud excipias, quod originem causamque ab una dumtaxat consuetudine trahit. Sed istiusmodi consuetudo tantum abest, ut dici possit rationabilis et laudabilis, quinimo potius ut detestabilis corruptela habenda sit ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret.

Jure igitur Emmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi propositis dubiis id omne reformandum esse decreverunt, quod perperam et contra legem Ecclesiaeque disciplinam, sub consuetudinis praetextu huc usque gestum est.

Et revera ad praesens dubium quod attinet, nemo est, qui non sciat pro quibusdam conferendis Sacramentis parandam ac adhibendam esse materiam designatis ritibus, precibus ac caeremoniis, a quibus vetitum est declinare, praeterquam in Sacramento Baptismatis, pro quo conferendo, si necessitas urget, ac imminentis mortis periculum, non opus est adhibere aquam solemni ritu sacratam, sed sufficit simplex et elementaris. Sic feria V. in Coena Domini sacra ab Episcopo magnoque ministrorum et caeremoniarum apparatu conficiuntur olea, quae inposterum per integrum sequentem annum adhiberi debent, nec amplius uti fas est veteribus, quae comburenda sunt. Quinimo si quis, deficientibus recenter sacratis, antiquis utatur, (puta in Extrema Unctione) actus erit illicitus, non tamen invalidus. De hoc tamen opportunior redibit disserendi occasio in sequentibus enodandis dubiis: interest modo cohibere sermonem ad illud, quod praesens dubium requirit, et refertur ad materiam Sacrificii, praecipue vero pro eo conficiendo et in particulis asservando ad Communionem Fidelibus administrandam. Quilibet panis vel fermentatus sit vel azimus corruptioni obnoxius est, si diuturno tempore reservetur, praesertim vero si in Arca vel alia custodia obseratus retineatur. Et quamvis fermentatus magis ac citius quam azimus ad corruptionem pergat, nihilominus azimus etiam alterationem patitur. Nolo hic immorari in quaestione: num facilius sit, quod citius in aestivo quam hyemali tempore corruptio eveniat vel e contra; mihi sufficit, quod sine ullo discrimine et distinctione, inter varias anni tempestates non liceat ad Communionem Fidelium adhibere particulas vel a sex vel a tribus mensibus reservatas, quia uno vel altero temporis interjecto spatio facile possunt sacrae species corrumpi, quod omnino vitandum est. Idcirco sacrae, quibus utimur, leges jubent frequenter renovandum esse Sacramentum ad evitandum corruptionis periculum. Et quamvis, ut supra notatum est, citius fermentatum corruptioni obnoxium sit, difficilius tamen in azimo coepta corruptio ex visus sensu cognosci potest; quapropter, ne servatae particulae caepta jam sed non visu cognita corruptione adhibeantur, easdem frequenter renovari necesse est. Quo enim difficilius corruptio solo intuitu cognosci potest, eo major adhibenda cauthela est, ne id contingat. Nostrum Romanum Rituale

ideo praecipit: *SSmae Eucharistiae particulae frequenter* (Parochus) *renovabit, Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes, et ubi eas consecravit, veteres prius distribuat vel sumat;* tit. de SSmo Eucharistiae Sacramento §. *SSmae etc.* Clara est lex; sed quoniam Rubrica tempus, intra quod particulae renovandae sunt, non declarat, aliquis forte putabit, quemque suo pro lubitu facere id posse, dummodo de corruptionis periculo certe non constet. Equidem perperam; primum enim non expectandum est, quod certe de periculo constet, sed periculum praevenire oportet: dein vero advertendum, quod si particularum renovatio relinqueretur in privatorum arbitrio, ut et interpretatio dictionis *frequenter*, illud perquam facile accidere malum posset, quod, ne fiat, diligentissime curandum est. Praeterea, quod generice innuit Rubrica nec satis clare praecipit, aliis ex fontibus singulariter nec obscure desumitur. De renovanda enim Sacra Eucharistia habetur Decretum Concilii Turonensis apud Regionem *lib. 1.* de ecclesiasticis disciplinis cap. 70. Ibi legitur: *ut de tertio in tertium diem semper mutetur, illa a Presbytero sumatur et alia, quae eodem die consecrata est, in locum subrogetur, ne forte diutius asservata mucida, quod absit, fiat.* Rigida forte nimis hujusmodi sanctio videbitur. Non intercedo; neque in expendenda ea sanctione, quae particularem Ecclesiam rescipicit, est animus me velle immorari. Quae fuerit et modo sit universalis Latinae Ecclesiae disciplina quaerendum est, nec ab ea declinandum. Audiendus Barruffaldus ad supra notatum Ritualis locum: *Praecipit Rubrica nostra, ut frequenter renoventur particulae, ne in Pyxide et in Tabernaculo clausae corrumpantur et sic Sacramentum amplius non adsit, quia corruptis panis speciebus cessat esse Corpus Christi. Ista frequentia D. Carolus act. 4. decrevit, ut octavo quoque die ad summum esset intelligenda. Martenius* de antiquis Ecclesiae ritibus *lib. 1. cap. 5. n. 3.* infinita propemodum affert testimonia, quibus comprobat constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi particulas semel in hebdomada vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies. In Concilio Mediolanensi IV. Provinciali et capite, cui titulus: „*Quae ad SSmum Eucharistiae Sacramentum pertinent*", *a s. Carolo Borromaeo statutum est: ut octavo quoque die renovetur Eucharistia et quidem ex Hostiis non ante viginti dies ad summum confectis.* Idem saepe alibi confirmat et praesertim in Instructionibus de ipso Eucharistiae Sacramento. Sic enim inquit: *eas* (Eucharistiae particulas) *octavo quoque die ad summum renovabit. Hostiae autem adhibeantur recentes et a viginti diebus ad summum confectae.* Quod autem non ultra octavam diem particulae pro Communione Fidelium reserventur, expresse mandant passim non recentes modo Synodi, verum etiam antiquiores, praesertim *Rotomagensis* anni 1072. Can. 6., et Londenensis anni 1257. Can. 2. etc.

Haud ignoro apud Graecos Eucharistiam in Coena Domini consecratam usque ad annum reservari consuevisse, quia apud eos invaluit opinio, quod Eucharistia in Coena Domini consecrata majoris foret efficaciae. Verum *Innocentius IV.* in literis apostolicis ad legatum in Regno Cypri super ritibus Gaecorum hunc errorem proscripsit et reservationis licentiam ad quindecim dies cohibuit. Quamvis vero etiam Clemens VIII. constitut: *SSmus* 31. Augusti 1591. Eucharistiae reservationem non ad octo cohibuerit, sed ad quindecim usque dies protrahi posse declaraverit, notandum *primo*

est eam Constitutionem latam fuisse super ritibus *Italo Graecorum*: *secundo* constantem disciplinam omnium Ecclesiarum esse, ut non ultra hebdomadam hujusmodi fiat renovatio. Habemus etiam S. R. C. decretum in *Conchen. 3. Septembris 1662*, quo idipsum praecipitur: *In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum Hostia tum etiam particulae, quae existunt in Tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante purificationem etc.* Quod si ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum culpaeque vertendum, quia hoc intra breve tempus haud formido, quod sacrae species corrumpantur. Secus nec Clemens VIII. tempus hoc pro Italo-Graecis determinasset.

Ex his, quae hactenus sunt disputata, recta consequitur, quod si non licet renovationem Sacramenti ultra octo vel ad summum ultra quindecim dies differre, multo minus fas erit permissos transgredi terminos et Fidelibus distribuere particulas a sex vel tribus mensibus consecratas. S. Concilium Turonense supralaudatum voluit ut de tertio in tertium diem Hostiae renovatio fieret, ne diutius asservata mucida evaderet; quomodo ferendum erit, ut particulae reconditae maneant ad longissimum tempus trium vel etiam sex mensium, intra quod non solum timenda, sed forte etiam jam inducta censenda erit specierum alteratio et corruptio? Omnino igitur proscribenda et damnanda erat consuetudo, de qua in dubio, et jubendum Parochis Civitatis et Dioecesis Gandavensis, ut eliminata corruptela ad Ritualis Romani rubricas sese omnino conforment, veluti S. R. C. omnino faciendum praeceptive decrevit.

Si illicitum est Parochis et Rectoribus Ecclesiarum Dioecesis Gandavensis reservare particulas pro Communione ad tres usque vel etiam, quod magis est, ad sex menses ob gravissimam illam rationem, quod infra tam longum tempus potuerint corrumpi, licet, non alterato colore et externa superficie, integrae videantur, quod nonnisi fallaci sensu visus percipitur, cui proinde fidendum non est; quum inducta corruptio sit, quin oculis pateat, haud poterunt Sacerdotes hoc non ignorantes (ut praesens dubium supponit) easdem sacram Communionem refici petentibus distribuere. Eadem quippe militat pro utrisque ratio. Nam si, ut in praecedenti responso declaratum fuit, damnanda est consuetudo ad longum et ultra praefinitum tempus reservare particulas, nemini consequenter fas erit easdem Hostias ac particulas tamdiu reservatas ad Fidelium Communionem adhibere. Igitur vel Parochus vel Rector ille sit, qui communicat vel extraneus Sacerdos, qui ad Ecclesiam celebraturus accedit, haud potest id facere, quod ex intrinseca causa damnatum est et substantialiter praeceptivis ac omnino servandis rubricis, apostolicis Constitutionibus decretisque S. R. C. opponitur, quibus districte praecipitur, ne ultra octo aut ad summum quindecim dies renovatio Sacramenti protrahatur, ne periculum immineat vel sit distribuendi particulas jam corruptas. Neque vero in re tam gravi licitum vel illicitum ullo modo pendere potest ab approbatione vel improbatione, consensu aut dissensu Rectorum et Parochorum. Non enim agitur de re, quae uno alterove modo fieri possit, sed de Eucharistiae distributione, quae non amplius adest sed adesse cessat sub speciebus, quae corruptionem subierint. Ac propterea non expectanda certa inceptae corruptionis signa, sed ad avertendum malum satis est periculum; ideo determinatum est tempus faciendae renovationis. Igitur responsio data ad

praecedens dubium afficit aeque Rectores et Parochos, ut etiam Sacerdotes, qui non ignorant pravam et Rubricis contrariam consuetudinem, quae viget in Dioecesis Gundavensis Ecclesiis. Si s. Congreg. mandatis neglectis (quod absit, ut futurum credam) aliquis sit ex iisdem Rectoribus et Parochis vel Sacerdotibus, qui adhuc in retinenda reprobata ac damnata consuetudine persistere velit, sciat gravi reatu fieri obnoxium. Quod enim est intrinsece illicitum, nullo modo, nullo sub praetextu, nullo colorato motivo licitum evadere potest.

SS. Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur. Non asservetur idem SSmum toto anno; si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

Epist. Bened. XIV. ad Italo-Graecos presbyt.

Die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97); vid. *Ritus Graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Allatae* §. 28.)

Ad dub.: An stricte et rigorose obliget rubrica Caeremonialis Episcoporum praecipiens, ut tum SS. Eucharistia in tabernaculo tum aqua benedicta ad fores ecclesiae in apposito vase servata qualibet hebdomada renovetur?

S. C. resp.: Quoad SS. Eucharistiam et illius hebdomadalem renovationem, affirmative; quoad aquam benedictam optandum ut servetur laudabilis consuetudo.

Die 7. Septbr. 1850 ad 5.

Ex decret. Conc. prov. Viennens. die 9. Nov. 1858.

Particulae consecratae toties renoventur, quoties pro locorum conditione necessarium sit, ut omne corruptionis periculum sollicite avertatur. De regula renovatio alternis saltem fiat hebdomadibus, nullibi tamen ultra mensem differatur.

Hostiae sint ex tritici farina et aqua naturali confectae, macularum expertes, recentes. (Tit. III. cap. V.)

Ex decret. Conc. prov. Pragens. die 23. Septbr. 1860.

In tabulis (in Sacristia servandis) renovationes SS. Eucharistiae sedulo descriptae sint. Meminerint autem ecclesiarum rectores, SS. Sacramentum bis omnino per singulos menses esse renovandum. (Tit. V. cap. VIII. de Sacristia.)

XXXV. Repositio.

(Modus.)

Vd.: *SS. Sacram. expositio* (modus); *Repositio SS.*; *Dominus vobiscum.*

Ad dub. 1.: Quum juxta S. R. C. 16. Junii 1663 in Granaten. ad dubium VII., 28. Sept. 1675 in Salernitana et 3. Martii 1761 in Aquen. omittendus sit versiculus: *Dominus vobiscum* ante orationem: Deus qui nobis etc. in reponendo SSmo Sacramento post ejusdem expositionem, quaeritur: an omitti quoque debeat ante orationem post reditum processionis a communione infirmorum?

2. Juxta decreta S. R. C. 14. Junii 1687 in Sarzanen et 10. Septbr. 1718 in Catanien. in repositione SSmi Sacramenti oratio: *Deus qui nobis etc.* determinanda est cum conclusione brevi: quaeritur: an pariter sub conclusione brevi terminanda sit hujusmodi oratio post reditum a communione infirmorum et post administrationem in Ecclesia SS. Eucharistiae?

S. C. resp. ad 1: Servandum omnino Ritualis praescriptum;

ad 2: Ut ad proximum.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59 p. 224.)

XXXVI. Signum sensibile externum Confratern. SS. Sacram.

Pius PP. VII.

V. *Episcopo Giennensi.*

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres Congregationis seu sodalitatis sub titulo SS. Sacramenti in parochiali ecclesia s. Petri villae di Torre de Ximeno nuncupatae istius Giennensis Dioecesis, canonice, prout asseritur, erectae, multum sodalitati praedictae fore adjumenti ad divinum cultum promovendum devotionemque confovendam, si praedictis exponentibus in sacris peragendis functionibus ecclesiasticis *signum sensibile eucharistici Sacramenti*, *figuram hostiae calici superpositae exhibens, in habitu sodali* vel depictum vel opere phrygio distinctum gestare posse concederetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes ac singulares eorum personas specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis et si id in Domino expedire censueris, praesentibus et pro tempore existentibus confratribus Congregationis seu sodalitatis praedictae, ut ipsi in omnibus et singulis functionibus ecclesiasticis ac actibus publicis ejusdem confraternitatis signum superius descriptum *in sinistra vel dextra parte pectoris supra habitum sodalem* prius a te recognoscendum gestare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas; illosque desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernes.

Datum Romae die 26. Junii 1821.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 417.)

XXXVII. Thurificatio.

Vd.: *Incensatio SSmi.*

a) *Ad Benedictus.*

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXXI. n. 23 etc.; *Incens. SSmi* (ad bened.)

Ad dub.: In Expos. SSmi, dum a Sacerdote benedictio fidelibus impertitur, licet necne thuriferario incensare SSmum?

S. C. resp.: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum.

Die 7. Septbr. 1861.

b) *Ad Elevationem.*

Caeremoniarius seu aliquis Acolythus, imposito a se ipso vel ab alio thure *absque benedictione* in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 70. Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure thurificabit *in missa def.* SSmum genuflexus in cornu Epistolae. *Ibid.* c. XI. n. 8 cf. *Instr. Clem.* §. XXXI. n. 23.

c) *In tabernaculo inclusi.*

Vd.: *Thurif. SS. Sacram.*; Thurific. altarium. *Incensatio.*

XXVIII. Translatio ex Ecclesia polluta.

Vd.: *Profanatio eccles.* (adestne, decr. diei 9. Juni 1714 *Amalph.*)

XXXIX. Visitatio.

Vd.: *Visit. SS. Sacram.*

SACRARIUM.

Ecclesia in tres partes seu mansiones distribuitur. Prima pars seu mansio est ea, quae prope Altare majus constituitur et solet concellis includi, et appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum. Secunda pars est Chorus; tertia et reliqua pars est illa, quae Navis appellatur. Prima pars, quae appellatur Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum, est ea mansio, quae ab Altari majori vergit versus Ecclesiam. Et appellatur Presbyterium seu Diaconium, quia ibi sunt Presbyteri, quibus Diaconus et Subdiaconus Sacra peragentibus ministrant; cap. 1. *de vita et honestate Clericor.* verb.: Sed illa pars; *Lotter* de re benefic. lib. 1. q. 13. a num. 18., et appellatur nobilior pars Ecclesiae, quia denotat vitam contemplativam, *Coccin.* decis. 142. num. 1. Licet alias omne Deo consecratum largo modo Sanctum Sanctorum appellatur, cap.: *Nulli* 3. caus. 12. quaest. 2., *Zabar.* cons. 14. in princip., *Francez* de Eccles. Cathedral. c. 5. num. 38 Sacrarium dicitur, quia in talem locum seu partem non licere ingredi nisi Ministris sacratis fuit decretum in Concil. Agathens. can. 65., ibi: ,,Non oportet non sacratos Ministros in Sacrarium, quod Graeci Diaconium appellant, ingredi, et in Concil. Laodicensi cap. 19. ibi: Solis autem Ministerio sacro deditis liceat ad Altare ingredi, et in eo communicare". Unde non sacratos homines ibidem sacrata vasa contingere non posse fuit statutum tot. tit. de consecrat. dist. 1. juncta Glossa in c. 1. verb.: *Sed pars illa*, de vit. et honestat. Clericor.

SS. SACRIFICIUM MISSAE.

Vd.: *Missa.*

Utrum liceat in Parasceve missas priv. celebr.? Vd. *SS. Sacram.* (Distrib. in Parasc.); *Sabbat. s.* (missa priv.)

SACRISTA.

Vd. *Mundit. Eccles.*; *Laic.* (quomodo etc.); *Scoparius.*

1) Electio, Munus.

Officium Sacristae in singulis ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis pernecessarium est, idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censeri possit. Assumendus autem est de gremio ipsius ecclesiae vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in sacerdotali ordine sit constitutus, et cui praesto esse debebunt alii clerici coadjutores plures vel pauciores pro Ecclesiae necessitate et facultatibus. Ejus praecipua cura erit, ut Paramenta, sacra vasa, libri, cerei, ornamenta instrumentaque pro usu Ecclesiae et altarium ac reliqua praeterea suppellex ecclesiastica sana, integra et munda conserventur; eaque cum attritta aut lacera erunt, renovari aptarique procuret. Sed imprimis (ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri) diligentissime curabit, ut ea, quae ad Sacrosanctae Eucharistiae cultum et honorem spectant, nitide conserventur locusque seu tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime et fidis clavibus obseretur; Lampades circa illam perpetuo ardeant; illaeque saltem semel in hebdomada mutentur et renoventur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Circa fontem pariter baptismalem et sacri

Chrismatis aliorumque sacrorum Oleorum conservationem diligentissimam curam adhibebit, juxta praescripta sibi ab Episcopo et aliis, ad quos spectat, normam. Et quod ad sacrum Oleum Infirmorum attinet, procuret illud in vase ab aliis separato custodiri illudque solum ab aliis sejunctum ad unquendos Aegrotos deferri. Idem et de sacris Sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique, ut tota Ecclesia et singula illius sacella et altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam obsordescant. Curabit etiam pro temporum dierumque Festorum qualitate, ut ea decenter ornentur. Cum Missae et caetera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut altare majus, credentia, tribuna, chorus et secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus et ornamentis instruantur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat, in quibus perquirendis et exspectandis indecenter atque incommode tempus teratur. Aderit apud altare in Cornu epistolae, cum oblata erunt offerenda; et praegustabit de Hostia, vino et aqua porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat, ut per Campanarum sonum indicentur horae Vesperarum, Matutinorum et Missae ac reliquarum horarum canonicarum; item cum in Missa majori elevatur SS. Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est et ut matutino, meridiano ac vespertino tempore diebus singulis Salutationis Angelicae signum detur, demum, ut ab ipsa Sacristia Laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixae actusque prophani removeantur, et diligentiam adhibeat, ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore et ordine exeant, pro populi personarumque concursu. Ad ipsum spectabit eleemosynas, quae pro Missis celebrandis dantur, custodire et adnotare in libris Sacristiae et inter illos, ad quos spectat, distribuere. Habeatur Tabella, in qua descriptae sint Missae et Anniversaria infra Annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia Benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista, ut mantilia pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promptu habeantur eaque sint munda et nitida: omniaque alia providere studeat, quae secundum Ecclesiae ritum et consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate tam Sacrista quam ipsius Adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus vel duo ex Canonicis eis praeficiantur, singulis annis vel saepius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiae suae notitiam assequantur.

Caer. Ep. l. I. c. VI.

Ad. dub.: An *Subsacristae* in eadem Ecclesia eligi valeant quolibet anno absque intelligentia et approbatione Archipresbyteri in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 28. Aug. 1756 et 3 Decbr. 1757

(Ex statutis FFr. B. V. M. de Mercede redempt. Captivor.)

Innocentius XII.

Tantum ad Ecclesiae cultum sit maxime Sacrista sollicitus, ut debito ornatu et honestate perfulgeat, eam et Capellas frequenter everti faciat. Altaria singulis diebus mundentur a pulvure. Ornamenta omnia non incomposita, sed quasi Deo sacra pie et devote contrectet, linea non minus sordere patiatur, sed crebris juxta usum lotionibus niteant et corporalia

permaxime universa quidem si sint lacera resarcienda curet, neque omnino disrumpi permittat.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 89. Ed. Luxbg.)

Bened. PP. XII. de ref. Monach. nigrorum s. Bened.

Sane universis et singulis antistitibus, prioribus, decanis, praepositis, sacristis et administratoribus aliis, quibus hoc competit, in virtute obedientiae districte injungimus, ut Ecclesias, oratoria, altaria, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservent et faciant ab aliis conservari; quodque de breviariis, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis omnino provideant seu afciant provideri.

Die 20. Junii 1336.

(Bull. r. t. IV. p. 382. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Benedictus PP. XII.

Constitut. totius Ord. Canon. regul. Ord. s. Augustini.

Solliciti sint antistites, abbates, praepositi, priores, sacristae et administratores alii religionis praefatae, quocumque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias, oratoria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservare et facere ab aliis conservari; et breviariis quoque, missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis, juxta facultates et exigentiam locorum suorum, Ecclesiis et locis eisdem omnino provideant seu faciant provideri: quod si praemissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur, et si opus fuerit, pars proventuum beneficiorum eorum per superiores recipiatur eosdem, et in praedictorum provisionem per aliquem idoneum convertatur.

Die 15. Maii 1339.

(Ibid. p. 456.)

Sacristae seu Praefecti Ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permittendum in eis celebrationem Sacerdotum saecularium, nisi exhibita Ordinarii licentia. Sacra Congregat. Concil. in Neapolitana 17. Augusti 1630.

Sacrista in Ecclesia Cathedrali est dignitas et requiritur sacerdotium. *Sacra Rot.* recent. par. 14. decis. 169. n. 8.

Si intervenerit Funeribus Capitulum Ecclesiae Cathedralis, in hoc casu Curatus et Sacrista illius Cathedralis, licet sint amovibiles, debent praecedere Parocho Defuncti. Sac. Rit. Cong. 22. Mart. 1631.

Determinatis horis pulsandi Matutinum et alias Horas canonicas, et pulsata campana per Sacristam aut ejus deputatum, ac in Ecclesia accensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam; et Hebdomadario absente Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat. Sac. Cong. Episc. in Theatina 18. Apr. 1617.

2) Laicus.

Vd.: *Vasa s.* (tractatio.)

Ad dub.: An deputatio Laici in Sacristam Cathedralis sustineatur?

S. C. C. resp.: Sacristam debere esse saltem Clericum.

Die 26. Mart. et 13. Apr. 1720 S. Marci.

3) Pro capella in hon. B. V. M. erecta in Basilica S. Mariae Majoris Urbis.

Paulus PP. V.

Ex duodecim Capellanis pro servitio Capellae B. V. M. destinatis unus

a pro tempore existente Patrono deputetur Sacrista, qui ad ejusmodi Patroni nutum amovibilis existat et curam celebrationis Missarum nec non custodiam sacri suppelectilis ornamentorumque et paramentorum ad Capellae praedictae usum pro tempore pertinentium, vasorum, tam auri et argenti, quam aliarum rerum et universae suppelectilis sibi sub inventario consignandorum habeat aliaque Sacristae hujusmodi officium concernentia gerat, exerceat rationem computum paramentorum, et suppelectilis hujusmodi, et aliorum ejus curae commissorum dictae Capellae Patrono singulis sex mensibus, et quoties ab eo fuerit requisitus fideliter reddat, et de ratione hujusmodi reddenda et reliquum consignando se obligat cautionemque idoneam, si eidem Patrono placuerit, etiam praestet, paramenta, ornamenta, vasa vel alias quasvis res et bona Capellae et Sacristiae hujusmodi, quibusvis personis, Capitulis, Ecclesiis, Monasteriis aut aliis locis, juxta formam alienarum literarum desuper a nobis emanatarum et sub eis contentis poenis, accomodare non praesumat.

Item de paramentis, ornamentis, vasis totaque suppelectili et rebus omnibus Sacristiae, ejus curae commissis, inventarium duplicatum, ab eodem Sacrista subscriptum conficiat, quorum unum penes eum remaneat, quod etiam singulis quibusque sex mensibus revideatur et renovetur.

Die 9. Novb. 1615.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Luxbg.)

SACRISTIA.

1) Baptismus in ea non sol. administr.

Dub.: An, ubi viget consuetudo, liceat baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia Cathedralis?

Resp.: Cum nulla christianae religionis profitendae esset libertas, nulla fidelibus essent templa, nullus etiam ad tingendos Christi discipulos designatus esset locus, ubi primum occurissent aquae, ibi primaevi christiani baptizabant. Reddita tamen Ecclesiae pace per Constantinum imperatorem, coeperunt passim construi sacrae aedes publicae ad unum baptismatis ministerium designatae, quae baptisteria aliisque nominibus appellabantur. Cum autem id factum est, adeo Ecclesia semper sollicita fuit, ne baptismum solemne alibi nisi iis in locis administraretur, ut non semel in conciliis congregata canones eddiderit, quibus depositionis poenam minabatur iis presbyteris, qui in ecclesiis non baptizarent. Omissis, quae hac super re decreverunt synodus Trullana anno 692 celebrata et Meldensis anno 845, referam tantum decretum, quod in concilio generali Viennensi edidit Clemens V. romanus pontifex:

„Praesenti prohibemus decreto, ne quis de caetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus ad hoc fontes specialiter sunt designati, aliquos ... audeat baptizare. Qui autem secum praesumpserit aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant". Quod vero tam cordi fuit in veteri disciplina, aliter esse non poterat in praesenti. Porro rituale romanum (*de tempore et loco administrandi baptismum*) expressis verbis haec mandat: *licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis vel certe baptisterium prope ecclesiam.* Cum itaque Ecclesia, simul ac valuit, locum de baptismo conferendo peculiariter statuerit semperque inspe-

xerit ne alibi administraretur, patet consuetudinem ecclesiae metropolitanae Chilensis omnino esse reprobandam, ideoque respondendum: *Negative.*

S. C. resp.: Negative nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. I. P. 1861. 786.)

2) Conversatio in Sacristia.

Vd.: *Silentium;* Habitus Clericor. §. 7.

3) Ecclesiar. Monaster.

Sacristia contigua Choro alicujus Monasterii Religiosorum est sub clausura conprehensa. Sacr. Congr. Episc. et Regul. in Sulmonen. 10. Aug. 1615.

4) Egressus.

Quod praescribitur in Caeremoniali, ut Canonici de Sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. S. C. R. 12. Julii 1628.

5) Officium recitand. in Sacrist.

Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in Sacristia. Sac. Cong. Episc. in una S. Severini 13. Septembris 1641.

Vd.: *Canonici* (param. et locus); *Sacristia post altare situm* vd.: *Altare* (accessus).

6) Visitatio.

Vd.: *Visit. Sacristiae.*

SACROSANCTAE ET INDIV. TRINITATI etc.

1) Indulgentia.

Urbis et Orbis.

Cum Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una Melden inter alia exhibitum fuisset enotandum: „An ad lucrandam Indulgentiam vel fructum orationis „Sacrosanctae et individuae etc.“ necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?“ Emi Patres in generalibus Comitiis die 5. Martii superioris anni apud Vaticanas Aedes habitis respondendum esse duxerunt: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“. Facta itaque SSmo. D. Nostro Pio PP. IX. relatione per me infrascriptum s. Congregationis Secretarium die 12. ejusdem mensis Sanctitas Sua votum Patrum approbavit. In audientia vero SSmi. die 12. Julii ejusdem anni ab Emo Cardinali praefatae s. Congregationis Praefecto habita, eadem Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda Indulgentia a s. Mem. Leone PP. X. adnexa seu fructu dictae orationis etiam non flexis genibus recitari possit ab eis, qui legitime impediti fuerint infirmitatis tantum causa. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae et Secretaria ejusdem s. Congregationis Indulgentiarum die 7. Januarii 1856. — Loco † Signi. — *F. Cardinalis Asquinius* Praef. — A. *Colombo* Secretarius.

Ad dub.: An ad lucrandam Indulgentiam vel fructus Orationis: *Sacrosanctae* etc. necessario flexis genibus haec Oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Die 26. Julii 1855.

(Anal. I. P. 1857 p. 2080 et 2840

2) Recitatio.

Ad dub.: In vigiliis et quatuor temporibus, quando post Nonam dici debet

missa conv., recitata Nona vel adhuc non dicta Nona, an debeat concludi divinum officium cum recitatione antiphonae finalis B. M. V. et caeterarum precum non exclusa oratione *Sacrosanctae* etc.?

S. C. resp.: Servetur rubrica et detur decretum.

Die 7. Septbr. 1561.

Vd.: *Antiphona B. M. V.*

SAL.

(Exorcizandus.)

Quoties fit aquae benedictio, non toties sal est exorcizandus sed adhiberi potest jam in hujusmodi functione exorcizatus et in hunc usum servatus. n. 3853 ad 3 die 8. Apr. 1713.

SALUTATIO ANGEL.

Ad dub.: an stante consuetudine, ut ad pulsationem salutationis angelicae populus genuflectatur, liceat patribus Dominicanis Sypuntinae signum dare ante Cathedralem?

S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3130 ad 3 die 22. Febr. 1687.

Ad dub.: In Cath. Angelopolitana Eccl. interdum in Dominicis solemniter Matutinum persolvitur et ad occasum solis et ultra perducitur, ac recitata Antiphona finali temporis, Canonici et reliqui de Choro ex antiqua consuetudine remanent genuflexi recitantes Orationes noctis, scilicet *Angelus Domini*; quaeritur: an sic manere debeant vel potius stando eamdem Orationem recitare?

S. eadem C. respondendum censuit: „Juxta concessionem pro lucrandis Indulgentiis.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5102 ad 2 die 11. Septbr. 1847, n. 4776 ad 6 die 12. Mart. 1836.

Vd.: *Indulg.* (Salutat. etc.)

Sermocinaturus vadit ad ambonem et capite detecto signat se signo crucis et genuflexus recitat *salut. angel.*, non *Regina coeli etc.* etiam tempore pasch., voce intelligibili et devota, mox surgit et capite cooperto incipit sermonem. *Caer. Ep.* l. I. c. XXII. n. 3.

Vd.: *Praedicator.*

SALUTATIO.

1) Mutua in choro.

Vd.: *Chorus; Reverentia; Praeses* (c. VII.); *Concionator.*

Ad dub. I.: Utrum, quando aliquis muneris sui adimplendi causa per chorum ventilat v. gr. Caeremoniarius vel Subdiaconus ad sedem Episcopi pro praeintonationibus, omnes de choro, aequalis vel inferioris dignitatis assurgere et stare debeant?

Resp.: Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XVIII §. 4 praescribit salutationes, quae superveniente in chorum Canonico, inchoato jam officio vel missa, vicissim praestari debent: „salutat Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc et non prius ei assurgentes et eum resalutantes.“ Hinc fortasse ortum est dubium: an scilicet haec Caeremonialis dispositio ad eum extendatur, qui non prima vice supervenit sed muneris sui exercendi causa ventitat, ut ait dubium, per chorum. Nihil profecto de hoc statuit Caeremoniale et contrarium observatur in communi praxi. At quoniam in dubio, ex gratia majoris perspicuitatis, adducitur exemplum praeintonationis antiphonarum in vesperis pontificalibus faciendae a Subdiacono (vel alio, ad quem de Ecclesiae consuetudine spectant), comitante Caeremoniario, liceat mihi ex eodem normam responsionis insinuare. Non enim in accessu aut, ut dicitur, ventitatione Caeremoniarii et Subdiaconi jubet Caeremoniale, Canonicos et omnes

alios in choro praesentes assurgere, sed tunc tantum, cum surgit Canonicus, cui praeintonatur antiphona: „Surgente autem Canonico, cui praeintonatur antiphona, Canonici et omnes alii in choro praesentes surgunt; lib. II, cap. I.“

Praetereundum vero silentio non est, quod licet sexies, aut, si addatur hymnus, etiam septies Subdiaconus pergere debeat ad praeintonationes, tamen, cum is numerus in dubio recenseatur ratione assurgendi et standi, excludendae ab eo essent praeintonationes hymni et antiphonae ad Magnificat et primae, quae fiunt celebranti, cum chorus jam stat.

Post haec propositio Dubio respondendum puto:

„Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum.“

II.: Utrum ministris altaris vel caeremoniario chorum salutantibus per missam aut per officium chorus correspondere debeat, et quatenus affirmative, utrum deponendo biretum, utrum assurgendo?

Ex laudabili ac fere universali consuetudine chorus assurgit solummodo, quando a celebrante salutatur vel idem celebrans ante eum transit, accedit ad chori cancellos, palmas, cineres etc. populo distributurus. Ad transitum autem et ad salutationem ministrorum (etiam Diaconi et Subdiaconi) chorus caput aperire tenetur. Responderem itaque: Affirmative caput aperiendo juxta praxim.

S. C. resp. ad I.: Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum;

ad II.: Affirmative caput aperiendo juxta praxim.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 335.)

2) Erga Magistratum.

Firmana.

Ad instantiam fratrum Augustinianorum terrae de Monte Corsaro Dioecesis Firmanae supplicatum fuit apud S. Rituum Congregationem pro declaratione decreti alias sub die 3. Aprilis 1677 ad favorem magistratus dictae terrae super salutatione emanati et signanter in illis verbis: ingressu et regressu. Et eadem s. Congregatio respondit: In ingressu et regressu magistratum salutare debent ex urbanitate toties quoties ipsi fratres voluerint et non aliter et ita declaravit.

Die 28. Januarii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1240 n. 2187.)

Vd.: *Reverentia.*

3) In Triduo sacro.

Vd.: *Reverent. in Trid. s.*

SALUTEM ET APOST. BENEDICTIONEM.

Quod formulam spectat: *Salutem et Apostolicam benedictionem*, quam et initio literarum Romani Pontifices apponere consueverunt, scribit in suo Chronico Martinus Polonus, qui claruit anno 1277, S. Cletum fuisse primum Romanorum Pontificum, qui in literis ea formula usus est: Salutem et Apostolicam benedictionem; quod etiam legitur in Breviario Romano jussu s. Pii V. edito ad diem XXVI. Aprilis, quo idem s. Papa colitur. Sed dubitant eruditi Viri, cum scriptum id primum fuerit a recenti Auctore, qualis est Martinus Polonus, habito respectu ad s. Cletum, qui, ut ajunt, creatus Pontifex fuit anno Christi 77 nullaque extet Cleri Epistola, quae faciat ejus rei fidem. Illa formula, uti notat in laudati Papae Vita Pagius et post eum Sandinus, antiquior non est Saeculo VII.

quo in fine vergente Joannes V. et Sergius I. ea usi sunt, ut constat ex eorum Rescriptis a Mabillonio productis in suo Opere de re diplomatica, lib. V. p. 436 et lib. VI. p. 622. Ante Leonem IV. vel saltem Gregorium VII. Formulam istam non fuisse stabili usu receptam censet Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ad s. Cletum, num. IV., et Joannes Garnerius Dissertatione I. ad librum diurnum eorundem Pontificum p. 152, in qua dissertatione disputat de inscriptione Epistolae, qua summus Romanus Pontifex ad alios scriberet et ad ipsum scriberetur.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. p. 85.)

SS. SALVATOR.

(Ut Patronus vel Titular.)

Ad dub.: An Archiepiscopo Bahiae civitatis liceat declarare SS. Salvatorem non esse *Patronum* sed semper fuisse et esse *Titularem* civitatis Bahiensis ejusque Cathedralis adeoque in posterum pro *Titulari* habendum et colendum sub eodem ritu, quem nunc habet et semper habuit, quando Patronus existimabatur.

S. C. resp.: Licere prout in dubio. n. 4239 ad 1 die 16. Febr. 1754.

Ecclesiae, quae Titularem habet SS. Salvatorem, congruit, ut festum de Titulari celebret cum Officio Transfigurationis die sexta Augusti cum octava.

S. R. C. 29. Nov. 1755; 23. Maii 1835.

SALVE REGINA.

(Post miss. recitandum.)

Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congreg. Hispaniae.

Porrectis per Patrem Joannem Evangelistam a Jesu Maria Procuratorem Generalem Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Hispaniae humillimis precibus SSmo Domino Nostro Clementi XIII. pro extensione piae consuetudinis vigentis etiam ex permissione Sanctae Sedis apud Fratres Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae recitandi in fine Missae Antiphonam: Salve Regina vel aliam secundum tempus cum Versiculis et oratione ante ultimum Evangelium, ad Fratres Carmelitas excalceatos Congregationis Hispaniae, Sanctitas Sua, referente me infrascripto Secretario, gratiam petitam benigne concessit.

Die 29. Novbr. 1766.

(L. † S.) *Joseph. Maria C. Feroni,* Praef.
V. Macedonius, S. R. C. Secretar.

(Anal. J. P. 1857 p. 2156.)

SANCTA SANCTORUM.

Vd.: *Sacrarium.*

SANCTI.

1) Canonizati.

a) *Cognomina.*

Vd.: *Cognomina SSrum.*

b) *Honores.*

Sanctis canonizatis septem deberi honores notavit jam post Bellarminum eruditus Rocca in suo Commentario de Canonizatione Sanctorum cap. XXXVIII. Sunt autem sequentes: I. Canonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, jubetur ac statuitur, ut ab omnibus publice colantur ac dicantur Sancti II. Canonizati in publicis Ecclesiae precibus invocantur. III. Templa et Arae Deo in eorum memoriam et honorem eriguntur. IV. Sacrificia tam Sacrosanctae Eucharistiae quam laudum et precum, quod passim Officium sive Horae canonicae nuncupantur, Deo

in honorem eorundem publice offeruntur. V. Dies festi in eorumdem honorem celebrantur. VI. Imagines eorumdem pinguntur, addito certo quodam lumine, in signum gloriae, quam habent in Coelo. VII. Eorundem Canonizatorum Reliquiae pretiosis thecis inclusae publice in Ecclesia honorantur. Legendus laudatus Bellarminus lib. I. De Beatitudine Sanctorum; sed prae caeteris Auctoribus SSmus Dominus Noster Benedictus XIV. lib. I:

De Servorum Dei Beatificatione etc. cap. XXXVII., quod inscriptum est: *De actibus cultus Servis Dei post Beatificationem deferendis*, ubi rem ipsam fuse ac solide doctissimeque pro more dilucidavit.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. p. 242.)

2) Non Canonizati.

(Officium.)

Ubi viget consuetudo immemorabilis, potest recitari officium de Communi pro Sanctis etiam non Canonizatis. S. R. C. 11. Junii 1605 in Visen; et reperitur Brev. Minor. Observ. n. 61. Vide n. 61, 67.

3) Commemoratio.

Ad dub.: An sacerdos, qui a fidelibus eleemosynam accipit ad celebrandam missam in honorem alicujus sancti vel de aliquo mysterio, dum ritus non permittit celebrationem missae votivae, possit saltem missae occurrenti commemorationem addere Sancti ipsius vel mysterii?

S. C. resp.: Non licere.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851 Ed. II. n. 57 p. 205.)

4) Ad libitum.

I. *Assignatio diei perpetuo impeditorum SSrum.*

Vd.: *Transl. perpet.* (licet Episcopo.)

Cum festum s. Canuti m., quod est ad libitum, ob occurrentiam festi dupl. nunquam potest celebrari, pariter et festum s. Laurentii Just., supplicatur humillime S. R. C., ut possit a loci Ordinario assignari certa et fixa eisdem festis dies, similiter ut festo s. Remigii, quod occurrit infra octav. Dedic. Ecclesiae.

S. C. resp.: Ordinarius ut semel et pro semper assignare possit diem non impeditam extra dominicam et octavas festis s. Canuti, s. Laurentii Just. et s. Remigii non immutata tamen lege SSrum ad libitum.

Die 7. Maii ad 3 *in Varasav.*

II. *Translatio.*

Vd.: *Festum ad libitum; Dominicae quadrag.; S. Alexius; Officium* (ex Indulto concess.) *Translat. festi part.* (decr. de die 12. Sept. 1840.)

De Sanctis ad libitum fieri potest translatio sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt ad libitum, similiter translatis. n. 2565 die 16. Sept. 1671.

Praedicto decreto (n. 2565) non obstante in futurum Officia SSrum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die dominico aut aliquo alio die festorum mobilium. n. 2763 die 11. Jan. 1676.

Vd.: *infra decr. de die 7. Maii 1678.*

Ad dub.: an stante decreto, ne Officia SS. ad libitum occurrentia die dominica aut aliqua die festorum mobilium transferantur, an, inquam Officia occurrentia infra *octavas* eorundem festorum mobilium transferenda sint?

S. C. resp.: Non transferenda sunt. n. 2887 ad 1 die 6. Maii 1679.

Ad dub. 1.: An de semid. vel dupl. ad lib. occurentibus infra octavas festorum mobilium servanda sit eadem regula, quae praescribitur, cum occurrunt in earum festis Sancti?

2. An praedicta semid. vel dupl. ad libitum occurrentia infra octavas festor. mobilium, quae non admittunt duplicia seu semid. occurrentia, sint transferenda post ipsas octavas?

S. C. resp.: Servetur decretum de non transferendis festis SS. ad libitum.

Die 19. Julii 1687 *in Lycien.*

Vd. *inf. decr. n. 2976.*

Ad dub. Ecclesiae Mexicanae, an decretum de non transferendo festum Sanctorum ad libitum impeditum die dominico vel aliquo Sanctorum mobilium comprebendat etiam Officia ad libitum impedita die festo perpetuo alicujus Sancti, ita ut de illo recitari amplius non oporteat, ut contingit in festo s. Andr. Corsini occurrente in die octavae s. Juliani?

S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2844 ad 5 die 20. Novbr. 1677.

Officia semiduplicia ad libitum non transferuntur. n. 2928 ad 3 et 4 die 7. Septbr. 1680.

Si Officium ad libit. non potuerit celebrari et habuerit etiam ritum simpl. de praecepto, eo anno non omittatur sed celebretur ritu simpl.

S. R. C. die 13. Junii 1682 *in una Ord. Min. de Obs.*

Decretum Generale.

De non transferendis Officiis SSrum ad libitum.

Dum alias S. R. C. decrevit, Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die dominico aut aliquo alio die festorum mobilium, quaesitum fuit declarari: quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Calendarii proprii vel translatis vel demum semel per hebdomadam vel per mensem recitari concessis?

Et Sacra eadem Congregatio respondit: „Praedicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia occurrentia in diebus dominicis et Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semiduplici de praecepto celebrandis, non esse transferenda, sed omitti debere; si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditum transferre. Prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico indulto recitari posse decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, servari mandavit.

N. *2976* die 24. Jan. 1682; n. 3040 ad 1 die 20. Novbr. 1683. *Servari decretum* de die 24. Jan. 1682 S. C. resp. n. 2999 ad 1 die 26. Sept. 1682.

Circa decretum 24. Jan. 1682, in quo habetur, Officia SSrum ad libitum etiam sub ritu dupl. in diebus dominicis et *octavis* (deest in hoc decreto verbum: octavis) occurrentia, non possint transferri sed omitti debeant, quaeritur: An illa verba *in octavis* intelligi debeant de die proprio octavae vel de tota octava et an de qualibet octava intelligatur vel saltem de octavis privilegiatis?

S. C. resp.: Verba illa intelligenda de *tota* octava et quacunque. n. 3005 ad 1 die 28. Decbr. 1682.

Ad dub.: An illa particula: *octavis* debeat intelligi de *octavis* mobilibus an fixis et an in diebus octavae vel de diebus infra octavam?

S. C. resp.: Officia ad libitum occurrentia infra *quascunque* octavas omittenda et non transl. sunt, nisi indultum fuerit apostol. n. 3172 ad 1 die 25. Septbr. 1688.

Sub decreto gener. die 24. Jan. 1682 comprehenduntur quaedam Officia B. V. M., scilicet: *Sponsalia ejusdem B. V. M. cum s. Josepho* et alia celebrari solita, quatenus cadunt in supradictis designatis temporibus. n. 3051 die 11. Mart. 1684.

In die infra octavam non potest fieri Officium, licet occurrens, de Sancto ad libitum.

S. R. C. die 2. Decbr. 1684.

In occursu non licet transferre off. propr. Ord. vel Dioecesis causa faciendi aliud ad libitum.

S. R. C. die 2. Decbr. 1684.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: an decretis de non transferendis sed omittendis Officiis Sanctorum ad libitum, quando dies eorum festivitatum sunt impediti alio Officio novem lectionum de praecepto, nempe diebus dominicis, octavis et Natalitiis Sanctorum etc., comprehendantur et revocentur concessiones Officiorum ad libitum ab Apostolica Sede peculiariter factae et fixae diebus, quae ab eadem jam alteri festo et officio novem lectionum in Calendario Romano erant assignati, recitandi scilicet ad libitum Officium s. Elisabethae Reginae Portugalliae die 4. Julii Officio octavae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in Calendario Romano jam impedito?

Et eadem S. C. prout alias Neapolitana die 28. Novembris 1682 respondit: „Non comprehendi: verum si praefatum Officium eo die juxta Rubricas recitari nequeat, tunc et eo casu non esse transferendum sed omitti debere.“ Et ita declaravit. n. 3031 die 2. Octobris 1683.

Ad dub.: An de Sanctis ad libitum possit fieri Officium, quando occurrunt infra octavas non privilegiatas et tantum particulares alicujus Ecclesiae vel Religionis, sicut fit de s. Elisabeth inf. oct. SS. ap. Petri et Pauli 4. Julii?

S. C. resp.: Non posse; Officium autem s. Elisabeth non esse comprehensum in decreto illo (24. Jan. 1682) prohibitivo. n. 3244 ad 6 die 11. Aug. 1691.

Quando in Indultis et decretis super concessione officiorum leguntur verba illa: *Recitari posse, fieri posse,* ita intelligenda sunt, ut nihil significent praeter officia ad libitum, quibus omnino competit decretum diei 24. Jan. 1682.

S. R. C. 20. Novbr. 1683 *in London.*

Vd. *supra decr. n. 2976* pro Sanctis ad libit. emanatum.

Ad dub.: An sub *nomine SSrum ad libitum* comprehendantur Officia dupl. et semidupl. SSrum recitari concessa aliquibus regnis, provinciis, civitatibus et alicui particulari Ordini, absque express anotula: *ad libitum,* sed tantum cum sequenti clausula, nimirum: „recitari possint et valeant“, „recitari posse censuit“; asseritur enim emanatam fuisse quandam declarationem S. C. R. tenoris sequentis, videlicet ex voto S. R. C., ut constat ex responso Archiepiscopi Apameni, ejusdem S. C. Secretarii: sub nomine SSrum ad libitum non comprehenduntur Officia dupl. SSrum aliquibus regnis etc. recitari concessa, ideoque occurrentia in dominicis non debent omitti, uti etiam, si cadent in diebus impeditis, juxta rubricas transferantur.

S. C. resp.: *Negative.* n. 3991 ad 6 die 16. Septbr. 1730.

Ad dub.: Quid agendum sit de Officiis ad libitum occurrentibus infra hebdomadam maj. vel aliis diebus mobilibus, qui, etsi non sint festa, nihilominus excludunt quaecunque duplicia, ut sunt fer. 4. Ciner., Vigilia Pentecost. et Nativ. Dom.?

S. C. resp.: Non sunt transferenda. n. 2887 ad 2 die 6. Maii 1679.

Festa ad libit., quae semper cadunt infra octavas Sanctorum, celebrari non possunt, attento decr. s. m. Innocentii XI. 24. Jan. 1682 emanato prohibente talia festa ad libit. celebrari infra octavas.

S. R. C. 15. Mart. 1698 *in Herbibol.*

In Regnis cath. Regi subjectis concessum fuit Officium Despons. B. V. M. sub ritu dupl. maj. ad libit.; dubit.: an possit fieri, dum semper occurrit cum festo semid. de praecepto in Ecclesia universali?

S. C. resp.: *Negative.* Dieb. 23. Aug. et 13. Septbr. 1704 *in Catan.* ad 2.

Officia ad libitum duplicia, si quae a S. C. sub ritu concessa fuerunt, recitari posse in dominicis non privileg., hoc est 1. et 2. cl., quando in ipsis occurrunt, nec obstare decr. diei 20. Decbr. 1673 emanatum.

Die 7. Maii 1678.

Vd.: *Supra decr. n. 2671.*

5) Officium et Missa.

Cf.: *Lectio nona.; Episcopus regul.; Indulg. imag. SS.; Translatio.; Regulares. Canonisatio; Beati; Reliquia; Patronus; Titulare; Calendar.; Officium* (transf. in seq. etc.); *Officium* (oblig. ad quod?); *Sancti.*

De Sanctorum veneratione, quorum in Calendario romano nulla fit mentio, ad Sedem Apostolicam publica documenta exhibeantur, quibus constare possit, an vere tales sint, ut eorum festivitates sint celebrandae et quonam modo allegatae consuetudines introductae sint, aut quando et unde ortum habuerint. n. 64 die 7. Sept. 1593.

Recitari potest Officium de Communi pro Sanctis, quorum festivitates ab *immemorabile* tempore celebratae sunt, quamvis non sunt canonizati. n. 263 ad 4 die 11. Junii 1605.

Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam regulares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii romani Rubricis vel S. R. C. vel Sedis Apostolicae licentia conceduntur. n. 7040 ad 1 (sine dato; videtur emanatum decr. inter 7. Mart. 1628 et 12. Junii 1628.)

Propter solos titulos *Altarium* Officia non debeantur. n. 769 die 28. Aug. 1628.

Aut habent *Episcopi sancti* locorum Officia propria et a Sede Apostolica approbata et debet continuari modo concesso, aut non habent et poterit recitari de communi, si tamen constat, illos fuisse *canonizatos vel per tempus immemorabile* celebratum fuisse de illis Officium et Missam. n. 772 ad 1 die 28. Octbr. 1628.

Potest Officium et Missa celebrari nedum in civitate, in qua fuerunt Episcopi, sed etiam in tota Dioecesi ritu duplici. — Quoad *Archiepiscopos* (sanctos), ut in civitate et *Dioecesi* tantum, non autem in Provincia potest Officium et Missa de eis recitari. *Ibidem.*

Canonici Colleg. Terrae Pagi supplicarunt pro licentia celebrandi festa Sanctorum descriptorum in libello supplici cum octavis ob devotionem populi erga praedictos Sanctos.

S. C. resp.: Quod non sunt alterandae rubricae ob devotionem populi. n. 1034 die 21. Julii 1635.

Festa SS. Donati et Christinae celebrari sub ritu, prout praescribitur in Calendario Romano, non obstante constitutione synodali, cum ob particularem devotionem populi non possint ullo modo alterari rubricae. n. 1025 die 11. Aug. 1635.

Missa celebrari potest de Sanctis illis, qui non sunt notati in Calendario in diebus, in quibus notatur illorum solemnitas in martyrologio, servata forma Rubricarum. n. 1462 ad 2 die 11. Julii 1643.

Officia propria Sanctorum Pinti et Eleutherii Ecclesiae Cathedralis Tornacen., a quadraginta vel sexaginta annis de ordine Capituli examinata et reformata, numquam tamen a sede apost. approbata, exhibenda esse S. C. et interim ea in usum adhiberi non posse. n. 1611 ad 2 die 25. Sept. 1649.

Non teneri imo neque posse recitari Officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in martyrologio romano vel non constet de identitate eorumnet corporum SS., de quibus mentionem facit martyrologium. n. 2051 die 17. Apr. 1660.

Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod *in loco* sit ejus nomine Ecclesia vel reliquia, nisi in proprio titulo Ecclesiae vel ubi est reliquia. n. 2364 ad 2 die 13. Febr. 1666.

Non licere recitare Officium et celebrare missam Sanctorum, quorum corpora fuerunt sibi ultimo loco donata (Clero Limanae) nisi ad formam decretorum desuper editorum. n. 2413 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Consuetudo antiqua et immemor. dicendi officium de aliquo Sancto sufficit ad rite continuandum, ut illud recitetur, dummodo immemorabile respiciat festum in martyr. rom. descriptum, sin minus negative.

S. R. C. 7. Mai 1746.

De Sancto canonizato non potest fieri off. extra propriam Eccles. sine novo decreto.

S. R. C. 9. Decbr. 1628.

6) Nomina SS. in Baptis. imponenda.

Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in Regnis Madurensi, Mayssurensi etc. Indiarum Oriental.

Praecipimus, ut juxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus Idolorum vel falsae Religionis poenitentium, quibus Gentiles utuntur et Neophyti hactenus appellari consueverant, antequam essent per Baptismum divinae Gratiae renati. Nec Parochis seu Missionariis sub quovis praetextu liceat, Crucis, Sanctorum et rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea ullo idiomate explicare, nisi latino vel saltem indico, quatenus voces indicae Regionis latinae significationi liquido et adamussim respondeant.

Die 12. Septbr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 399.)

Ad dub. Episcoporum Madurens. etc.: *An et quomodo decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* Item praecipimus, ut juxta laudabilem ecclesiae consuetudinem semper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur et neophiti hactenus appellari consueverunt, antequam per baptismum essent divinae gratiae renati,

Eminentissimi dixerunt: Moderandum esse decretum, deleto verbo *praecipimus*, cum clausula: curent, quantum fieri potest; firma remanente interdictione quoad nomina idolorum et falsae religionis poenitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

Die 12. Septbr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 407.)

7) An officium Sanctorum subrogari debeat ad evitandum officium feriale?

Vd.: *Officium feriale.*

8) Repraesentatio SSrum in processione.

Vd.: *Processio* (Laici Sanctos etc.)

9) Testamenti veteris.

Vd.: Altare Sancti vet. testam.

10) Veneratio.

Vd.: *SS. Trinitas* (festum privil. decr. n. 4680 nota ad finem.) *Canonisatio; Beatificatio; Reliquiae.*

Clemens PP. XIII.

Ven. Fr. Jos. Ant. Episcopo Syracusano.

§. 1. Efflagitari scribis ab Optimatibus Cleri et populi Syracusani restitutionem cultus jampridem exhibiti Friderico Campisano, qui isthic jam inde ab anno 1325 ab omnibus Beati nomine appellatus et in Beatorum numero est habitus. Quod universi Syracusani populi judicium plura, quae in epistola tua congeris, probare videntur non levia argumenta. Campanas enim narras sua sponte edito sonitu urbem omnem de ejus obitu monuisse; quo miraculo excitatum Episcopum cum universo populo illuc propere profectum, ubi Fridericus extremum diem obierat, sacrum corpus veneratum esse et Syracusas sol. pompa translatum in arca marmorea prope portam majoris templi collocasse, supra sepulchrum appositam ipsius imaginem, faculas accensas et hinc et hinc votivas tabellas circumjectas; esse, qui in suis scriptis post duo saecula illi nomen Divi tribuerit et adhuc aetate sua hunc cultum viguisse duo testari e Societate Jesu Scriptores; baculum ejus Friderici cum caeteris SSrum reliquiis in Sacrario Syracusani Collegii Societatis Jesu asservari et in quadam tabula inter alia SSrum nomina etiam B. Friderici nomen esse repertum.

§. 2. Cultum vero non interdictum aut vetitum sed aut vetustate obsolevisse aut esse intermissum, quod Friderici corpus satis inconsulte cum aliis corporibus mixtum per occasionem Ecclesiae instaurandae in B. M. V. Sacellum translatum fuerit. De his vero omnibus et si quae sunt alia, quae diligenter in Epistola tua persequutus es, ordinaria auctoritate juridicas probationes in acta publica redigat Fraternitas tua processumque constituat. Eo conjicias oportet legitimam et judicialem Imaginis Friderici recognitionem, vetustatem etiam inscriptionum rite examinandam, praeterea testium aetate seniorum dicta juridice sumpta, tum auctorum, qui de Friderico memoriae prodiderunt, omnia, quae in literis tuis profers, testimonia; *et si quidem ex his actis colligas Cultum Friderici fuisse exhibitum centum annis ante decreta praedecessoris Nostri fel. rec. Urbani VIII.*, tum poteris illi cultum restituere.

In quo examine omnis adhibenda est diligentia, ne alterutrum contingat vel ut Beato cultus aboleatur, quem juxta decreti memorati Urbani VIII. sublatum non oporteret, vel cultus retineatur, qui fortasse tollendus esset, quod non haberet vetustatem centum annorum a die, quo illa decreta sunt edita, retro computandorum. Rem

omnem cum Theologis virisque harum rerum intelligentibus communicabis. Quid autem egeris, id ordinaria tua facias auctoritate. Cum enim agitur de conservando cultu erga Dei servos, quem obtinuerint vel ex ap. indultis vel ab immemor. tempore, Ordinariorum solum est onus examinare, sintne vere in aliquo ex casibus ab Urbano exceptis; et si viderint cultum eis exhiberi et casum esse inter exceptos, cultum abolere non debent; atque etiam servatis servandis praesertim vero forma a Conc. Trid. praescripta *Sess. XIV. de Invocat., venerat. et reliquiis Sanctorum* poterunt ferre sententiam, quae in his casibus non indiget ap. confirmatione. Caeterum ap. auctoritati nostrae tantummodo tunc esset in hac re locus, cum causae de casu excepto afferrendae ad ap. Sedem consueta via iniretur et ratio.

Datum Romae die 16. Aug. 1763.

(Bull. r. continuatio t. II. p. 394. Ed. Rom. 1837.)

SANCTUS.

1) In Breviario.

Ad dub.: An sicut in Missa a choris cantatur alternatim V. *Sanctus* etc. dici etiam alternatim debeat in Hymno: *Te Deum laudamus* etc. saltem ubi dicitur ab immemorabili consuetudine, contra quam nunc exurgit quidam Calendarista?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative“.

Et ita declaravit. N. 4474 ad 18.

Die 2. Maii 1801.

2) In Missa.

In Cathedrali et aliis Ecclesiis Aretinae dioecesis plurimis abhinc annis obtinuit consuetudo, ut per totam octavam Corp. Chr., dum agitur Missa de SS. Sacram., hymnus triumphalis *Sanctus* post praefationem interpoletur versibus cantici rythmici: *Divinum mysterium*; immo rythmus canitur elata voce et hymnus triumphalis dicitur voce submissa, dum pulsantur organa, ac proinde quaeritur: An hujusmodi consuetudo laudanda sit et retinenda et quatenus negative: An rythmus *Divinum mysterium* cani saltem posset extra missam?

S. C. resp.: Permitti posse, dummodo non ommittatur solemne trisagium.

Die 1. Sept. 1838.

SANCTUS ET SACER.

(Differentia inter haec verba.)

Benedictus XIV.

Ex constit.: Postquam intelleximus etc. de nova Martyrologii editione: Nec majoris momenti sunt cetera, quae pro Clemente Alexandrino superius relata sunt, atque illud cum primis, quod „*beati*“ ac „*sancti*“ nomine a multis donetur. Horum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cujus verba e s. Alexandri Jerosolymitani epistola deprompta supra produximus, quae juxta versionem Henrici Valesii ita sonant: „*Sanctum Clementem Dominum item meum*“. Verum si verborum proprietatem ad graecum textum exigamus, „*sacer*“ potius quam „*sanctus*“ Clemens vocandus est; ita namque graecus sermo habet: *τόν ἱερὸν Κλημεντα.* Sed etsi ultro daremus „*sancti*“ ac „*beati*“ nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideo tamen de singulari illius sanctitate judicium ferendum est. „*Sancti*“ denominatio primis ecclesiae temporibus religionis potius, quam christiani profitebantur, quam probati cujusque moris indicium erat. „*Qui olim christiani,*“ inquit Spondanus in Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad ann. Christi 43

num. 4 „*iidem nominabantur sancti, ut a Paulo saepe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano et aliis*". Hinc, ut in lib. 4 „de canonisatione sanctorum" par. 2, cap. 27. num. 14 satis probavimus, unus „*sancti*" titulus par non est, ut corpora, quae ex catacumbis efferuntur, sacro cultu donentur; sicut enim praenotavimus, in primaeva ecclesia „*sancti*" vocabulum nec vitae sanctitatem nec martyrium pro Christi nomine toleratum, sed christianae religionis, quae cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat, successu temporis, ut Spondanus animadvertit, „*sancti*" titulus ad peculiarem vitae sanctimoniam significandam translatus est: „*Demum*" sic ille prosequitur, „*obtinuit usus, ut illi tantummodo sancti in ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine*". In hac posteriori acceptione haud facile prudens scriptor „*sancti*" nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combefisius. „*De sancti titulo, quo eum aliquando ornavit Combefisius, veniam petiit*"; Bibliothecae concionatoriae tomo. I, pag. 9; verba sunt eruditi Dominici Georgii in suis notis, quas martyrologio Adonis ad diem 19. Decembris subjecit. Eodem pertinent, quae diligens scriptor pater Michael a sancto Joseph tomo II. pag. 39 suae bibliographiae criticae Verb. „Clemens" de „sancti" nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In expurgatorio Hispano tom. I. pag. 134, ubi praescribitur correctio bibliothecae veterum patrum, ad tom. VI. col. 235 deleri praecipitur titulus „Divi" appositus Clementi.*

Die 7. Julii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. pag. 431.)

SANDALIA.

1) Abbatis.

(A quo tempore concessa?)

Silvester II. PP. Ercanbaldo Abbati Fuldensi Monasterii SS. Salvatoris.

Usum sandaliorum ac dalmaticarum secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus.

Die 31. Dec. 999.

(Bull. r. t. I. p. 477. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo IX. PP. Fulconi abbati Corbeiensi.

Quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiae nostrae usum tibi dalmaticae et sandaliorum concedere.

Die 18. Apr. 1051.

(Ibid. p. 607.)

2) Canonicor. et Dignitar.

(Jus deferendi.)

Canonicus celebrans mitratus Cathedralis Panormitanae non potest uti sandaliis. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Vd.: *Annulus Canon.* (decr. n. 4224.)

Usus Pontif. (decr. 4585 nota; 4593 ad 8; 4863).

3) Episcopi.

a) *In Missa de Req. et Parasceve.*

Episcopus in missa def. non utitur Sandaliis. *Caer. Ep.* l. II. c. XI. n. 2.

In Parasceve Episcopus non utitur Sandaliis.

Ibid. c. XXV. n. 6, vd. p. 632.

b) *Subdiaconus defert et induit.*

Vd.: *Tertia* (cantatio Papa celebrante).

Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus, caligas et Sandalia velo

tecta portare debet ad Episcopum celebraturum ambabus manibus usque ad faciem elevatis. n. 15 ad 14 die 16. Mart. 1591.

Ad dub.: An post sol. missam pontif. teneatur Canonicus Subdiaconus Episcopo detrahere Sandalia vel potius ad Scutiferos haec actio pertineat?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4606 die 27. Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quamvis Caer. Ep. adamussim praescribit, quae in Pontificalibus vetanda agendaque sunt tam a celebrante quam a s. ministris aliisque inservientibus, et officia, quae singulis conveniunt, pro munerum diversitati ordinatim enumeret, sunt tamen aliqua, quae non erant necessario exprimenda, prout non exprimuntur, quia perquam facile deduci possunt et deducuntur ex clare expressis, cum quibus habent connexionem. Tale illud est, de quo rogata fuit s. Congregatio in proposito dubio de detrahendis Episcopo, peracta Missa pontificali, sandaliis. Equidem si dubitari potest, num Subdiaconus teneatur Episcopo pontificaliter celebranti detrahere sandalia, quia idem Caeremoniale omnino silet neque expresse jubet, ut id ab eo fiat, cessat tamen omnis dubitandi ratio, nam quod hac in parte obscurum est, facile declaratur ex alia ejusdem Caeremonialis rubrica, de ritu servando, dum Episcopus Sacrum solemne peracturus, incipit legere Psalmos, qui ponuntur pro praeparatione ad s. Missam. Praeterea quod ex expressis non declaratur verbis, ubi opportunus occurrebat locus, volitum tamen intelligendum est sub generali expressione, quae includit, quod non erat necessario specialiter exprimendum. Quoniam vero sandalia sacris adnumerantur indumentis, plane consequitur, eadem non a laicis sed ab altaris ministro detrahenda esse, dum Episcopus post Missam, sacris aliis paramentis depositis, sandaliis postremo exuitur.

Juxta praefati Caeremonialis dispositionem officium Diaconi est induere et exuere Episcopum sacris paramentis. Diacono vero datus est in adjutorium Subdiaconus, sed ad hunc praecise et specialiter pertinet e credentia ad solium deferre sandalia, eademque aptare pedibus celebrantis. Ita *lib. I. cap. 10. §. 2.: Episcopo igitur incipiente legere Psalmos, affert* (Subdiaconus) *ille caligas et sandalia ex credentia sumpta, quae portat super bacili seu velo serico cooperta . . . . . et adjuvante uno ex familiaribus Episcopi induit primo tibiam, et pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub cappa illius, et cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum caeteris paramentis sacris induitur, quod munus, licet ad Diaconum praecipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est.* Et iterum *lib. 2. cap. 8. §. 7.: Interim Subdiaconus cantaturus epistolam . . . . affert ex credentia super bacili sandalia et caligas manibus velo coopertis . . . . illaque adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis . . . . genuflexus induit primo in dextero deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis.* Equidem silet idem Caeremoniale, dum res est de exuendo Episcopo; nam *lib. 1. cap. 10. §. 6.* legitur dumtaxat, quod Subdiaconus *redit ad locum suum post Episcopum et ibi stat usque ad finem Missae, et ea finita adjuvat Diaconum in exuendo Episcopo.* Et *lib. 2. cap. 8. §. 81: ibique per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis.* Sed quid tum postea? Si ad Diaconum pertinet

sacris indumentis exuere Episcopum, eodem legis praescripto, quo suam praestare operam debuerat ad ipsum Sacris induendum, curnam Subdiaconus non debebit idem praestare obsequium quoad sandaliorum detractionem, si ei jubet rubrica, ut ipsius pedibus eadem aptet, designando pedem, qui primum, quique postea induendus est? Nonne quoad utrumque eadem concurrit ratio? Ideo tam in induendo quam in exuendo idem servandus est modus et una Caeremonialis Rubrica per alteram declaratur. Praeterea quoad calceamenta fit apta distinctio inter usualia et pontificalia ac diversa distinguuntur officia, quapropter Subdiaconus pedes Episcopi sandaliis induit, nonnisi postquam scutifer usualia detraxerat. En discrimen inter servile servitium, quod praestandum a scutifero est, et honorificum officium ab Altaris ministro exhibendum. Scutifer igitur, Missa peracta, suum debet reassumere servile servitium, non prius sed postquam Episcopus omnibus pontificalibus indumentis exutus est, detractis a Subdiacono sandaliis, quibus induendus est Celebrans priusquam sacra alia paramenta sumat de manu Diaconi, quaeque deponit, postquam aliis exutus fuit. Ex rubrica igitur de induendo Episcopo facile consequitur id, quod clare non exprimit alia rubrica, de sacris paramentis dimittendis post Missam.

Sed, quod magis est, idipsum colcolligitur ex illis rubricae verbis: *ibidem per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis:* quae tacite includunt, quod necesse non erat apperte exprimere. Etenim, postquam declaratum fuerat, quae agenda essent cum a Diacono tum a Subdiacono ad sacris paramentis Episcopum induendum, quae necessitas iterum inutiliter repetendi singularia vel ab utroque vel ab alterutro praestanda officia in exuendo? Sensus ergo illorum verborum: *per eosdem Ministros exuitur*, nisi me omnia fallant, non alius est, quam sequens: *quilibet eorum suo fungatur officio*, scilicet, *expleta Missa Subdiaconus adjuvet Diaconum in exuendo Episcopum, ut fecerat in induendo, et postremo peculiare suum expleat officium detrahatque sandalia quemadmodum imposuerat.* Itaque cum in actione illa notetur differentia, imo eadem solemnitate exuendus Episcopus sit, iisdem caeremoniis et per eosdem ministros quisque videt planeque intelligit, actionem istam ab iisdem eodemque modo esse praestandam nullumque inter utramque ponendum esse discrimen. Atqui ante Missam solemniter celebraturus Episcopus sandaliis a Subdiacono induitur, ab eodem igitur eodemque modo exuendus est absoluta Missa. Hanc autem esse interpretationem verborum illorum *per eosdem Ministros exuitur*, declarat cl. Joseph Catalanus *ad Caeremoniale lib. 2. cap. 28. num. 28. Comment. 16.*, ubi ait: *Accepta per Episcopum cappa accedant duo assistentes Diaconi in habitu canonicali, et Diacono ad suum scabellum manente, Subdiaconus it ad credentiam, ubi accipit velum humerale album et cum Acolythis et scutifero ad Archiepiscopum accedit pro detrahendis sandaliis . . . . Subdiaconus, detractis Sandaliis ipsisque repositisque apud credentiam una cum Diacono, facta Altari et Episcopo profunda inclinatione . . . . ad Sacristiam pergunt.* Idipsum legitur *in Memorial. Rituum majoris hebdomadae tit 1. cap. 2. §. 17. num. 26.: Subdiaconus more solito accedit cum Acolythis et scutifero pro Sandaliis detrahendis.* Neque sit, qui excipiat velitque sandalia sacris indumentis adnumeranda non esse, ideoque non pertinere ad Subdiaconum in iis exuendis suam praestare

operam. Ab hoc me facile possum expedire. Sciscitabor, curnam Caeremoniale praecipit, ut Subdiaconus et non scutifer Celebrantis pedibus sandalia aptet? Nonnisi, quia inter sacra Indumenta recensentur. Verum si sacra sunt, dum Episcopus iisdem est induendus, quapropter sacrum ad hoc opus Caeremoniale jubet adhiberi Ministrum; desinuntne esse talia peracta Missa, ut non a Subdiacono sed a scutifero sint detrahenda, ac si essent usualia et profana? Quonam argumenti genere hujusmodi poterit extricari nodus?

Quamquam omnis cessat controversia, si pretiosa antiquitatis monumenta spectare velimus, rubricarum praescripta expendere, scriptores omnes de hac re agentes audire. Omnia simul in unum confluunt evincuntque, sandalia sacris pontificalibus indumentis esse adnumeranda. Mei instituti ratio non patitur, ut cuncta, quae in demonstrationem afferri possent, ex ordine proferam et mysticas significationes recenseam, quae hujusmodi pontificali indumento tribuuntur. Videri possunt Amalarius *lib. 2. cap. 25.*, Rabanus Maurus *de institutione Clericorum lib. 1. cap. 22.*, Valfridus Strabo *de rebus eccles. cap. 23.*, Ivo Carnutensis *Sermon. 3.*, Rupertus Tuitiensis *de Divin. Offic. cap. 24.*; Honorius Augustodiensis *lib. 1. de antiq. Missar. ritu cap. 210.*, Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacrament. cap. 24.*, Innocent. III. *de myst. Missae lib. 2. cap. 48.*, Guillelmus Durandus *lib. 3. cap. 8. num. 7. et 8.*, alios quamplurimos ommitto brevitatis gratia. Addam ex recentiobus Cardinalem Bona *rer. liturg. cap. 24. num. 9.*, ibique Robertum Sala et Catalanum *in prolegomenis ad Pontificale Romanum cap. 8.* Haud praetereundum, quod legitur in rubrica *de ritu servando in celebratione Missae* §. *6.*: *si sit Episcopus et solemniter celebret, accipit paramenta et alia, ut in Caeremoniali etc.*, ubi Cavantus: *hoc est caligas, amictum, albam etc.* Siquidem indumenta, quibus Episcopus a simplici sacerdote distinguitur, sunt *Caligae, Sandalia, Crux pectoralis, Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae, Mitra, Baculus pastoralis.* Meratus ad Gavantum *ibidem num. 34.* Nulla autem in rubricis, nulla a scriptoribus distinctio inter paramenta et paramenta: ideo si sacra sunt *Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae etc.*, cur non erunt *Caligae et Sandalia?* Sed in re tam clara, quid verbis est opus? si alia deessent argumenta, illud unum sufficeret ab oratione petendum in sandaliis induendis a Celebrante recitanda. In consecratione Episcopi, dum is caligis et sandaliis induebatur, sequens a duobus Episcopis, qui cum Consecrando e Sacrario egressi ad paratum Sacellum venerant, dicebatur Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui es initium et finis, fac istum famulum tuum N. Fratrem scilicet nostrum tua benedictione calceari, pedibus istis in praeparatione Evangelii pacis.* Ita se legisse ait in quodam antiquo ordine Romano Joseph Vice-Comes *lib. 3. de Missae apparatu cap. 2. pag. 116* apud Dominicum Giorgi *de Liturgia Romani Pontificis tom. 1. cap. 13. num. 2.* Numquid autem preces istae assignantur in solemnibus peragendis mysteriis, quoad indumenta, quae sacra non sint? Sed cur immoror in antiquis, quae non sunt amplius in usu, si formulam Orationis habemus, quam Episcopus solemne Sacrum facturus recitari debet, dum sandaliis induitur? videlicet: *Calcea Domine pedes meos in praeparationem Evangelii pacis et protege me in velamento alarum tuarum.* Sandalia igitur sacris indumentis adnumeranda esse tam certum est quam quod maxime. Quid plura? Sandalia pe-

culiare quid festivum habent ad selemnitatem actionis referendum; ideo iisdem Episcopus non utitur *Feria VI. in Parasceve* vel si in funeribus pontificaliter celebret, ut in Caeremoniali *lib. 2. cap. 11. §. 2. et cap. 25. §. 6.* Si quaeras cur ita? rationem affert Durandus: *quia tunc omnis solemnitas cessare debet,* apud Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 4. art. 12. pag. 589.* et apud praefatum Dominicum Giorgi *ibi cap. 14 num. 7 et 8.* Dic modo, quod sandalia sub sacrorum indumentorum appellatione non veniant et uti profana habeantur?

At si sacra sunt, nedum decet, ut sacer Minister tam in induendo iisdem, quam in exuendo Episcopum suam praestet operam et obsequium; verum etiam ita faciendum omnino, veluti jubet Caeremoniale et s. Congregatio in responsione ad propositum dubium definivit.

4) Papae.

Quod Sandalia Papae spectat cruce ornata, antiquus profecto est ipsorum usus, uti inter alios probat eruditus Macrus in suo Hierolexico, verbo: Sandalia. Certe Romae adhuc perdurant vetera ejus usus monumenta, ut in Tribuna s. Praxedis a Paschale Papa I. musivo opere constructa, ubi seipsum pingi fecerat cum Sandaliis juxta illius saeculi morem cruciculis nigris in cuspide eorum signatis. Claruit Paschalis I. initio saeculi IX. id est creatus Pontifex fuit anno 817. Sed tamen constat, jam longe ante ipsum consuevisse Romanos Summos Pontifices gestare Sandalia cruce insignita. Honorius siquidem I. creatus Papa anno 625 cum instaurasset Templum s. Agnetis in via numentana, cruciculam albam, ut adhuc videtur in sua effigie, ad pedes imposuit. Sic in s. Maria ad Fontem, quam Joannes IV. teste Anastasio extruxerat, adhuc duorum Pontificum effigies conservantur cum crucibus in cuspide Sandaliorum. Electus hic Joannes Pontifex fuit anno 660 medioque ante ipsum saeculo, id est anno 560, quo ad Pontificatum evectus fuit s. Gregorius Magnus, idem in usu fuisse perspicitur ex effigie ejusdem Pontificis a Joanne Diacono descripta in ejus Vita et ab eodem Marco allata in citata Hierolexico, verbo: Baculus. Porro, ut alias demonstrabimus, usus osculandi Pontificis pedes antiquissimus est et propterea in signum humilitatis crucem apponit Papa in Sandaliis ad ostendendum, quod talis reverentiae actus non sibi, sed cruci Christi exhibetur, ut inter alios docet Josephus Stephanus in libro: *De osculo pedum Romani Pontificis cap. VIII.* Forte ad evitandas haereticorum calumnias, qui eum ritum improbabant apponendi Crucem in Papae Sandaliis, cujusmodi sunt Novatores hodierni, Gelasius II., qui creatus fuit Pontifex anno 1118, in suis Sandaliis non crucem sed tres clavos pingi curavit, ut in ejus effigie videre est allata ab eodem Marco, verbo: Mitra. Quicquid sit, jam compluribus abhinc saeculis retinetur usus longa consuetudine probatus, ut Romani Pontifices Sandalia gestent aurea cruce ornata.

Unum superest, quod de Sandaliis dicamus, mutatam scilicet eorum formam fuisse. Erat vetustus Sandalium usus, sicut modo a Reglaribus discalceatis deferuntur, nimirum ex superiori parte aperta, ut ex Rabano Mauro *de institutione Clericorum capite XXII.* habetur, ubi ita inquit: *Pes neque tectus sit neque nudus ad terram; id est,* ita sensum ejus formae mysticum exponit, *ut neque occultetur Evangelium nec terrenis commodis innitatur.* Dignum notatu est, quod veteris Ecclesiae disciplinae peritissimus ac religiosus Custos s. Carolus Boro-

maeus parte IV. Actorum Ecclesiae Mediolanensis Parte II. Libro II. *Instructionum supellectilis ecclesiasticae,* de Sandaliis episcopalibus docet: *Sandalia, ait, calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missae Sacrum solemniter faciendum utitur, e solea integra subtus constent, a parte autem superiori decenter ornata: quae fenestrata etiam superne olim fuisse, non sine mysterii ratione Innocentius III. Pontifex ostendit.* Plura jam nos de Sandaliis ipsis sicut et de aliis vestibus sacris tum Episcoporum tum caeterorum Ministrorum Tom. I. Romani Pontificalis, in Prolegomenis et in decursu ejus Operis, tum etiam in Opusculo *de Codice Sancti Evangelii* etc. Libr. II. diximus, de quibus videri quoque possunt varii Scriptores, qui de divinis Officiis ac ritibus ecclesiasticis peculiares Tractatus ediderunt, sunt autem ii multi veteres aeque ac recentiores.

(Catalan. Caer. Eccles. rom. l. I. p. 75.)

SS. SANGUIS J. CHR.

1) Dies festus.

Urbis et Orbis.

Redempti sumus in Domini N. J. Chr. Sanguine, qui emundat nos ab omni iniquitate et ideo beati qui in hoc lavant Stolas suas. Quod si Aegypti domus agni sanguine conspersae ab ira Dei fuerunt salvae, multo magis hanc iram effugient imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione et obsequio Salvatoris Nostri Sanguinem venerantur et colunt.

Haec aliaque hujusmodi animo reputans SSmus D. N. Pius Papa IX. ut fidelium corda, hisce praesertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in dominico agro superseminare zizaniam et multos insidiis, fraudibus, erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc Redemptionis nostrae pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe sed et in Orbe universo omnes de Clero tum saeculari tum regulari, qui horas canonicas recitare tenentur, Missam et Officium de pretiosissimo Sanguine D. N. J. Chr. jam a S. R. C. approbatum et pluribus Dioecesibus concessum *Dom. I. Julii* singulis annis in posterum sub ritu *dupl. II. Cl.* peragere valeant.

Quod si in aliqua Dioecesi vel Ordine regulari vel Ecclesia quacumque Officium aequalis vel altioris ritus praedicta Dominica occurrat, statuit ut Officium et Missa de pretiosissimo Sanguine fiat tamquam in sede propria in proxima die a festo I. vel II. Cl. non impedita, transferendo juxta Rubricas Officium, quod nequit recitari in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dom. Julii numquam omittatur, itemque ut firma et suo robore permaneant peculiaria Indulta et privilegia jam concessa, recitandi nempe Officium hoc vel in Quadragesima vel alio anni tempore.

SS. ea profecto spe nititur fore ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis Fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati et charitate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam et praemia assequantur aeterna.

Datum Cajetae hac die 12. Aug. 1849 n. 5143.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater Episcopus Tlascalensis in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ut ipse pro singulari, quam in SSmi Redemptoris Domini Nostri Jesu Christi praesefert, devotione, ejus memoriam et venerationem in dies augeri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari

fecit, ut sibi in praemissis opportune providere ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut quotannis in posterum ab universo clero saeculari dioecesis Tlascalensis nec non a religiosis et monialibus utentibus calendario dioecesano in die non impedito officio novem lectionum semel fixe ab eodem venerabili fratre Episcopo Tlascalensi destinando recitari possit ritu dupl. maj. officium cum missa in honorem pretiosi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi servatis rubricis auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 7. Novbr. 1797.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 123.)

2) Officium votivum.

Vd.: *SS. Redemptor* (off., decr. II. Pii VI.)

3) Reliquia.

Vd.: *Reliquiae* (Guttae.)

De prohibitione praedicandi, disputandi aut suadendi haereticum vel peccatum esse, credere Jesu Christi Sanguinem in triduo suae passionis ab ipsa divinitate divisum vel non divisum fuisse vd.: *Constitut. PP. Pii II.* die 1. Aug. 1464.

(Bull. r. t. I. p. 380. Ed. Luxbg.)

4) Translatio.

Vd.: *Visitatio B. V. M.* (occurr.; transl.)

Ex apost. Indulto s. m. Benedicti Papae XIV. tertia Fer. VI. mensis Martii *in tota ditione olim Veneta* sub ritu dupl. I. Cl. recitatur officium pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Si haec feria, uti et imminenti anno 1845, sit fer. VI. in Parasceve, quaeritur: an hoc officium omitti debeat vel potius transferri possit post Pascha? Emmi vero ac Rmmi P. s. tuendis ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„In casu omittendum, nisi impetretur indultum transferendi."

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. N. 5000 ad 7.

Die 7. Decbr. 1844.

5) Vesperae.

Vd. *Visit. B. V. M.* (Vesperae, decr. diei 26. Mart. 1859.)

Ad dubium: An in secundis Vesperis festi pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi sive feria sexta post dominicam quartam quadragesimae sive dominica prima Julii dicendae sint Antiphonae ut in primis Vesperis, sicut in multis breviariis indicatur, vel assumendae sint Antiphonae de Laudibus prout in aliis breviariis notatur?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

S. SATYRUS.

Romana.

S. Rituum Congregatio ad pias et enixas preces monialium s. Ambrosii, ut dicitur della Massima de Urbe sub regula s. Benedicti benigne inclinata indulsit, ut ipsae imposterum singulis annis in earum ecclesia celebrare possint festum s. Satyri fratris germani s. Ambrosii die 17. Septembris cum officio et missa de communi sub ritu duplici.

Die 30. Martii 1675.

(Anal. J. P. 1865 p. 1192 n. 2007.)

Romana.

Cum S. Rituum Congregatio habita die 30. Martii proxime praeteriti indulserit, ut moniales s. Ambrosii ita

dicti della Massima de urbe in eorum ecclesia celebrare possint festum s. Satyri fratris germani s. Ambrosii die 17. Septembris singulis annis cum officio et missa de communi confess. non pontif. sub ritu duplici, nunc suprascriptum officium cum lectionibus propriis, ut jacet, s. eadem Congregatio approbavit ad usum tantum praedictarum monialium s. Ambrosii de Massima de urbe ac imprimi posse concessit.

Die 13. Julii 1675.

(Jbid. p. 1194. n. 2018.)

SCABELLUM.

Vd.: *Scamnum;* Sedes.

SCALA SANCTA.

(Indulgentiae.)

Decretum Urbis.

Ex audientia Sanctissimi die 2. Septembris 1817.

Inter obsequia, quae Sacrosanctae Religionis nostrae divinis Mysteriis Christifideles deferre consueverunt, illud potissimum Deo pergratum et iisdem utile accidit, ut Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi Mysteria recolentes et abstrahantur a noxiis et ad salutaria dirigantur. Qua de re SSmus Dominus Noster Pius PP. VII. ad augendam fidelium devotionem fovendamque, et excitandam memoriam erga Momumenta Passionis Christi et maxime praeclarum illud Scalae Sanctae, in qua Redemptor Dominus per singulos illius gradus non semel tantum ascendit et sanquine suo pretioso consecravit, volensque, ut dignis frequentur honoribus et simul fideles ad illud confluentes beneficia majora pertrahant, nec non ad defunctorum fidelium levamen et solatium redundet, reserandos propterea Sibi esse thesauros Ecclesiae censuit, ac supplicationibus Capituli et Canonicorum Patriarchalis Lateranensis Basilicae super hoc porrectis, atque inhaerendo concessionibus fel. rec. Leonis PP. IV et Paschalis PP. II. Praedecessorum suorum, qui singulis utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito orantibus vel mendicantibus Passionem D. N. Jesu Christi et praelaudatam Scalam Sanctam flexis genibus ascendentibus Indulgentiam novem annorum pro quolibet gradu concessere, easdem Indulgentias idem Sanctissimus non modo perpetuis futuris temporibus et absque ulla Brevis expeditione valituras confirmavit, sed, quatenus opus sit, de novo impertitus est, et ut animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, in Domino pariter concessit.

Datum Romae ex Secretaria s. Congreg. indulgentiarum die et anno et supra.

(L. † S.) *I. Ph. Card. Scotti,*
Pro-Praefectus.
Angelus Castugati,
Secret.

SCAMNUM.

1) Laicorum.

a) *In Ecclesia.*

Verulana.

Priores Terrae Cipriani Verulanae dioecesis conquesti sunt de rectore illius ecclesiae recusante apponi in ecclesia scamnum de ordine consilii comparatum pro magistratu et officialibus accedentibus ad ecclesiam in diebus solemnibus, loco sedium, quae prius apponebantur prae officialibus. Et s. Congregatio mandavit scribi Episcopo, quod faciat assignare locum in ecclesia pro dicto scamno.

Die 12. Junii 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 205.)

Vd. *Sedes Cleri in Synodo; Synodus; Sedes; Faldistorium.*

Ex dispositione juris retinere prohibentur Patroni in eorum Capellis sedilia et scamna, quae impedimento sunt divinis. *Fusc.* de Visit et reg. Eccles. lib. I. cap. 27. n. 1 et seqq., *Nicol.* in Flosc. verbo: Ecclesia n. 11, *Ferrar.* in Bibliothec. Canon. vers.: *Sedilia* art. 5, n. 7. Potissimum vero conditionem illam urgent: dummodo divinis non praestet impedimentum.

(Ex resol. S. C. C. diei 7. Julii 1787. *Alatrina.)*

Montis Alti.

Prioribus loci de Parochia dioecesis Montis Alti exponentibus S. Rituum Congregationi ex multiplici scamnorum numero pro saecularium usu pro libito cujuslibet sparsim in ecclesia parochiali s. Luciae dicti loci existentium nonnulla scandala exoriri ex eo, quia ecclesiastici et religiosi a saecularibus sic impediti ab audiendis concionibus abstineant. Et propterea humillime supplicantibus pro facultate removendi dicta scamna et in dicta Ecclesia alia uniformia eorum sumptibus de novo construenda nedum pro commodo ecclesiasticorum et religiosorum, verum etiam pro decenti usu laicorum per ordinem reponenda s. Congregatio, audita relatione Episcopi, cui pro informatione scriptum fuit, ejusdem arbitrio instantiam praedictam remittendam esse censuit.

Die 2. Octobris 1694.

(Anal. J. P. 1865 p. 1348 n. 2542.)

b) *Intra presbyt. vetitum.*

Reclamarunt de Rubeis a decreto diei 24. Novembris suum allegantes jus patronatus in dicta Capella, et s. Congregatio ne quid inconsulto decerneret, audiri jussit Episcopum super novis precibus die 21. Maii 1782. Negavit Episcopus in sua relatione constare de hoc jurepatronatus familiae de Rubeis in dicta Capella. Etsi constaret tantam esse Capellae augustiam „ut pro ministerio, sunt verba Episcopi, vix Clerico Missae sacrificio inservienti detur copia libere progrediendi, proptereaque maxime dedeceret ut in tali situs augustia scamna et sedilia pro mulierum commodo retineantur.“ Addidit postremo loco a sanctione Concilii Romani sub Benedicto XIII. „ne intra presbyterium et altarium septa, dum Missae ibi celebrantur aliaque divina officia persolvuntur, laici assistant et si quae sint pro laicis sacra intra loca praedicta sedes, scamna etc., illinc auferantur.“ Quam plane sanctionem Alatrini Episcopi antecessores suis edictis annorum 1758 et 1766 renovarunt.

(Ex resol. S. C. C. diei 9. April 1785. *Alatrina.*)

Vd.: *Presbyterium* (aditus etc.)

2) Mutationis Jus.

Si patroni jus habent retinendi in ecclesia scamnum, utique nulli licet illud amovere minusque iis inauditis aut invitis ullum impedimentum apponere tamquam in re, cujus usus alteri concessus est. Sed distinguendum videtur inter Episcopum vel Ecclesiae Rectorem et alium quemlibet. Huic porro id interdictum omnino est ex communi DD. placito; Episcopo vero aut Ecclesiae Rectori concessum hoc videri debet in solo necessitatis casu, ut distinguunt *Capyc.* Latro decis. 181 in annot. num. I., *Sanimoll.* dec. 1 annot. 15 num. 1 et 12, *Antonell.* de loc. legal. cap. 3 n. 68 lib. I., *Calder.* decis. crimin. 38 n. 19 et seqq. tom. I.

(Ex resol. S. C. C. diei 9. Apr. 175. *Alatrina.*)

SCAPULARE.

1) Benedictio.

Vd.: *Scapul.* (oblig.)

Decretum Urbis et Orbis.

Cum plures confraternitates, sodalitates, piae uniones etc. fidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum, qui, ratione muneris quod exercet et pro tempore pro munere fungitur, sit constitutus confraternitatis sodalitatis etc. Rector, moderator seu quocumque titulo appelletur proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad rectores spectant et etiam, quatenus in respectiva sodalitate id rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi juxta facultates ad quamlibet sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa hujusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit relatio SSmo D. N. Pio PP. IX. in audientia praedicta et Sanctitas Sua derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum nec non acta per ipsos tamquam rectores et adscriptos per eosdem parochos, quatenus rectoris munus, quo funguntur in respectiva sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, nec non benedictiones habituum, scapularium etc. coronarum etc. et impositiones etc., ab eisdem factas, prout rectoribus in respectiva sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire judicaverint, parochos pro tempore in rectores, moderatores etc. Confraternitatum etc. non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Datum Romae ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius, Praef.
A. Colombo, Secretarius.

Die 8. Jan. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 800.)

Clemens XII.

Emanavit nuper a Congreg. VV. FF. nostrorum S. R. C. Cardinalium Indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum Decretum tenoris sequentis:

Beatissime Pater. Modernus Episcopus Terulensis humillimus S. V. Orator pari humilitate eidem exponit, qualiter in civitate Terulensi adest conventus Monialium discalceatarum B. M. V. de monte Carmelo nuncupatarum ac jurisdictioni episcopali subjectarum, in quo ab initio fundationis mos admissus fuit ubique in Hispania receptus induendi nimirum scapularia ab Episcopo uti a legitimo Superiore benedicta sive cum ipsius facultate a Cappellano ordinario, ut usus fert, aliaque ita benedicta mittendi parentibus, propinquis aut benefactoribus laicis charitatis aut gratitudinis officio, pia fide omnibus credentibus scapularia, quae ita benedicuntur, habere Indulgentias a SS. Pontificibus concessas eodem modo, quo ea, quae a Fratribus discalceatis ejusdem ordinis benedicuntur. Nuper autem cum praedicti Fratres in hujusmodi civitate Terulen. monasterium fundaverint, nihil unquam super hoc actum dictum vel in dubium versum est, sed cum paucis ab hinc diebus Prior in suo Conventu sermonem populo dicens non dubitaverit publice asserere: ***nullis scapularibus, nisi illis, quae ab ipsismet Fratribus***

benedicuntur, ullas Indulgentias competere vel esse concessas et alias facientes aut sentientes deceptos esse, ne, si hujusmodi propositio ad aures monialium perveniat, praebeat illis ansam dubitandi seu fundandi scrupulum circa hanc materiam et praecipue circa validitatem Indulgentiarum, idcirco humiliter S. V. supplicat, quatenus benigne declarare dignaretur: *Scapularia ab Oratore, uti a legitimo dictarum Sanctimonialium Praelato et Superiore vel ab alio Cappellano facultatem habente benedicta, ut moris est, Indulgentias praedicto Ordini concessas sine ullo dubio habere, quae utique a gestantibus lucrari valeant*, servatis alias servandis, quemadmodum sic definiri sperat in summa S. V. clementia. Quam Deus etc.

Die 22. Maii 1739 sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit: *non spectare nec spectasse ad Episcopum Terulen. facultatem benedicendi Scapularia* seu parvos habitus B. M. V. de Monte Carmelo non obstante consuetudine et aggregati reccurrant ad Superiores Ordinis pro nova aggregatione.

Cum autem sicut dilectus filius Vincentius a Conceptione modernus Procurator Generalis Ordinis eorumdem Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae Nobis nuper exponi fecit, ipse non solum Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, sed etiam ad quamcumque dubitationem, quae fortasse futuris temporibus super facultate et participatione hujusmodi praecidendam exoriri et excitari possit, facultatem benedicendi parvos habitus sive Scapularia, quae Christifidelibus distribuuntur et ab ipsis ad finem lucrandi et participandi Indulgentias a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris ilos et illa gerere solitis concessas ad Superiores Ordinis hujusmodi spectare et pertinere per Nos declarari plurimum desideret, Nos specialem ipsi Vincentio Procuratori Generali gratiam facere volentes, *Decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.*

Ac insuper ad praecidendam quamcumque dubitationem futuris temporibus fortasse exoriendam excitandamque super facultate benedicendi parvos Habitus seu Scapularia hujusmodi a Confratribus Confraternitatum sub Invocatione B. Mariae de Monte Carmelo in quacumque mundi parte erectarum et erigendarum ac participatione Indulgentiarum gratiarumque spiritualium per Romanos Pontifices Praedecessores nostros quibusvis Christifidelibus Habitum seu Scapulare hujusmodi gestantibus concessarum ad Superiores Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo seu ad alios ab illis deputandos privative spectare et pertinere auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 12. Juni 1739.

(Bull. r. t. XV. p. 293.)

Ad. dub.: An director ab Episcopo sic designatus eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum et scapularia benedicere ac imponere possit?

S. C. respondit: negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro rosariorum, coronarum seu scapularium benedictione.

Die 18. Novembris 1842.

(Corresp. de Rome 1848—49 Ed. II. p. 48.)

Decretum Urbis et Orbis.
Ex audientia SSmi. Die 18. Sept. 1862.

Etsi per plura decreta, praesertim vero sub diebus 12. Februarii, 7. Martii 1840 et 24. Augusti 1844 ab hac s. Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in s. scapularis sodalitatem, declarando inter alia pro indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione „ut fideles ipsi in eamdem sodalitatem ingredientes habitum seu scapulare ab habentibus facultatem benedictum legitime recipiant, ipsumque deferant continuo pendens a Collo unaque sui parte pectus et altera scapulas contegens; et licet a sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in rituali et breviario ordinis Carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati sacerdotes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus ac in receptione in confraternitatem, plures tamen hujusmodi fidelium adscriptiones invalidae ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles s. indulgentiis ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. At vero ne Christifideles eo modo in sodalitatem adscripti ultro decipiantur, sacerdos Jacobus Etehepare Missionarius Bajonensis Dioecesis dubia huic s. Congregationi enodanda proposuit, videlicet:

1. An pro valida admissione ad confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo caeteraque omnia lucra sufficiat reliquis servatis impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funiculorum positis, modo postea ad lucrum effectivum indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum juxta decretum 12. Februarii 1840?

2. An admissiones hujusmodi etiam bona fide hucusque factae sint validae donec iterentur vel a s. sede in radice sanentur? — Et quatenus affirmative,

3. An ad praecavenda piorum perturbationes ac alia incommoda ipsi Etehepare Presbytero Missionario liceat de tali sanatione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare?

Itaque in comitiis generalibus in aede Vaticana die 11. Augusti 1862 habitis Emmi Patres, audito prius consultorio Voto, respondendum esse duxerunt ad Primum: Negative. Ad Secundum: Affirmative. Ad Tertium: Non expedire et supplicandum SSmo pro sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum et typis publicetur decretum.

Facta demum de his omnibus SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. fideli relatione in audientia habita die 18. Septembris ejusdem anni per me infrascriptum Secretariae s. Congregationis indulgentiarum substitutum, Sanctitas Sua eminentissimorum patrum resolutiones benigne confirmavit ac insuper de apostolica sua benignitate omnes et singulas adscriptiones modo praedicto hucusque non solum in Gallia verum etiam ubique peractas clementissime sanavit et ut praefatae resolutiones et hujusmodi sanationis gratia ab universis Christifidelibus fa-

cilius dignoscantur, hoc generale decretum typis publicari mandavit.

Datum Romae ex secretaria s. Congregationis indulgentiarum die 18. Septembris 1862.

(L. † S.) *F. Card. Asquinus*, Praefectus.
A. Archip. Princivalli, Substitutus.

(Anal. J. P. 1863 p. 1807.)

2) Color.

Scapularia debent habere necessario colorem praescriptum, e. g. ceruleum in scapulari B. V. M. immacul. Similiter, qui duabus confraternitatibus v. g. de monte Carmelo et B. V. M. immac. adscriptus est, duo etiam scapularia gestare tenentur.

S. C. J. 22. Aug. 1842.

Vd. *Scapul.* (oblig.)

3) Delatio.

Ad. dub.: An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi ita ut illud physice tangant vel an super vestes retineri possint?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundum.

Die 26. Julii 1855.

(Anal. J. P. 1857 p. 2840.)

Vd. *Scapul.* (Bened., decr. urb. et orb. diei 18. Sept. 1862.)

Ad lucrandas indulgentias necesse est, ut scapulare super humeros portetur, nec sufficit, ipsum deferre sine distinctione.

S. C. J. 12. Febr. 1840.

Vd. *Scapul.* (color; oblig.; benedictio; habitus.)

4) Disp. ab Obligationib.

S. Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita in una Ambianen. proposito dubio:

An fideles dispensari possint ab obligatione vescendi ut dicitur di magro feria IV. cujuslibet hebdomadae, quae praescripta est gestantibus sacrum scapulare? respondit: Accedente gravi impedimento non teneri confratres neque ad jejunium neque ad recitationem horarum canonicarum aut officii parvi B. M. V. neque ad abstinentiam diebus mercurii et sabathi: consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessarii pro aliqua immutatione impetranda. In quorum fidem.

Die 6. Aug. 1841.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. p. 64.)

5) Habitus dimissio.

Vd.: *Scap.* (oblig. etc.; benedictio.)

Bernardinus B. parochus N. humiliter postulat a Sanctitate Vestra:

1. An, qui rite semel adscripti in sodalitate scapularis B. M. V. de monte Carmelo, postea habitum sacrum sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint indulgentias praedictae sodalitati a summis Pontificibus concessas lucrari vel an sufficiat, ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter? Et quatenus affirmative ad primam partem,

2. Quodnam temporis spatium a dimissione habitus sacri requiratur, ut nova receptio a potestatem habente necessaria sit?

S. Congregatio indulgentis sacrisque reliquiis praeposita ad praefata dubia respondit ut infra:

Ad I. Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad II. Provisum in primo.

Die 27. Maii 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 527.)

6) Impositio.

Vd.: *Scapul.* (Bened., decr. urb. et orb. diei 18. *Sept.* 1862; recept. et obligatio.)

7) Indulgentiae.

Confirmatio et approbatio indulgentiarum ordini Carmelitarum et confraternitatibus s. scapularis hactenus concessarum.

Clemens Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Commissa nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessiones, quae ex pia prudentique hujus sedis libertate ad priorum operum incrementum et animarum salutem processerunt, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis praesidio constabiliamus illasque etiam apostolicae benignitatis charitate ampliemus, et alia desuper statuamus, sicut spirituali Christifidelium aedificationi cognoscimus in Domino profuturum.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Orlandus Prior Generalis Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis de monte Carmelo, quod cum a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac etiam a nobis nonnulla indulgentiae et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes tam Christifidelibus ecclesias d. Ordinis visitantibus et alia praescripta pia opera peragentibus quam confratribus et consororibus confraternitatum s. scapularis ejusdem B. M. V. de monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc almam urbem erigendi et instituendi illisque certas indulgentias et gratias spirituales, servata forma constitutionis fel. rec. Clem. PP. VIII. praedecessoris nostri super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae, communicandi facultas Priori Generali d. Ordinis vel illo absente ejus Vicario a rec. mem. Paulo PP. V. praedecessore pariter nostro attributa fuit, concessae fuerint, ut omnis, quae circa illas oriri posset dubietas, recideretur, ex literis apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum Summarium a dilecto filio nostro Joanne tit. s. Bernardi in Thermis S. R. E. Bona nuncupato revisum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Summarium indulgentiarum a diversis SSmis Pontificibus concessarum Christifidelibus visitantibus ecclesias ordinis B. Virginis Mariae de monte Carmelo.

Fel. rec. Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta* data Kalen. Aprilis 1477 ad instantiam fratris Christophori Martisgnoni Prioris Generalis Ordinis Fratrum B. Virginis Mariae de monte Carmelo omnes indulgentias et peccatorum remissiones a diversis Romanis Pontificibus concessas visitantibus ecclesias d. ordinis et in dicta Bulla recensitas confirmavit, approbavit et innovavit: verum quia plures illarum elargitae et a Sixto IV. confirmatae erant sub onere porrigendi manus adjutrices Fratribus, Monialibus, Ecclesiis vel domibus praefati ordinis, et beatus Pius V. per suam constitutionem: *Etsi Domini Gregis* datam 6. Idus Februarii 1567 revocaverat omnes indulgentias, pro quibus consequendis manus adjutrices porrigendae erant, fel. rec. Gregorius XIII. in literis apostolicis: *Ut laudes* datis 18. Septembris 1577 dd. indulgentias in pristinum et eum, in quo erant ante d. revocationem, statum restituit et revalidavit, dempta clausula: porrigendi manus adjutrices et elargiendi eleemosynas; ita tamen, quod hi Christifideles, qui illas consequi voluerint ecclesias visitando, sint contriti et confessi ac loco eleemosynae praedictae septies orationem dominicam itidemque salutationem angelicam recitent vel habitum d. ordinis

gestent vel Vesperas pro defunctis recitent aut ante SSmum D. Nostri Jesu Christi Corpus terram osculentur ac pro haeresum extirpatione sanctaeque Matris Ecclesiae tranquillitate christianorumque Principum pace et unione pias ad Deum preces effundant et alias juxta praedecessorum suorum literarum seriem orent aliaque peragant.

Summarium autem indulgentiarum concessarum est hujusmodi in dd. literis,

Primo Leo PP. IV. omnibus Christifidelibus, qui ecclesias B. Mariae de monte Carmelo hujusmodi in Festis Nativitatis, Annunciationis, Purificationis Dei Genetricis Mariae, S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus Festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Martyrum Fabiani et Sebastiani et in die Parasceve et per octavas praefatarum Festivitatum et vocabulis omnium ecclesiarum d. Ordinis devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas.

Secundo et Adrianus II., Stephanus V., Sergius III., Joannes XI., Sergius IV. et Innocentius IV. omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, contritis et confessis, qui praefatas ecclesias pie visitaverint in praefatis Festivitatibus et earum octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

Tertio item Clemens III., Alexander II., Gregorius V. et VII. in praefatis festis et in quolibet eorumdem similem gratiam largiti sunt.

Quarto item Clemens IV. iisdem Christifidelibus, qui praefatas ecclesias quater in anno visitaverint, videlicet in quatuor Festivitatibus ejusdem Dei Genetricis Mariae, triginta annos et totidem quadragenas pie concessit.

Quinto item in privilegio generali Lucii III. remittuntur ab eodem peccata levia, offensae parentum, negligentiae votorum factorum, dum tamen fractor ad vota rediret et male acquisita, si nescitur cui restitui debeant, praefatis locis seu illorum domibus assignentur.

Sexto demum Innocentius IV. et Gregorius VIII. concesserunt qualibet die cuilibet dicenti: Pater noster et Ave Maria, in dd. ecclesiis semel pro vivis et defunctis quadraginta dies indulgentiarum.

Septimo rursus Honorius III. et Nicolaus IV. vere poenitentibus omnium peccatorum suorum veniam polliciti sunt.

Octavo insuper Honorius IV. omnibus vere poenitentibus et confessis d. Ordinis ecclesias visitantibus quadraginta annos et totidem quadragenas de injunctis eis poenitentiis videlicet in festo vocabulorum ipsarum ecclesiarum et in die s. Parasceve necnon in die s. Crucis ac in Festivitatibus Nativitatis Annunciationis, Purificationis et Assumptionis Dei Genetricis Mariae misericorditer in Domino relaxavit et concessit.

Nono ulterius Benedictus XI. ombus vere poenitentibus et confessis, qui ter in hebdomada, videlicet quadragesimali tempore secunda, quarta et sexta Feriis, atque etiam in festis vocabulorum ecclesiarum dicti Ordinis nec non in diebus Sabbatis ob B. Dei Genetricis reverentiam et in diebus dominicis ecclesias pie visitaverint, quadraginta annos et totidem quadragenas et omnium peccatorum septimae partis remissionem in Domino relaxavit omnesque indulgentias et peccatorum remissiones a suis praedecessoribus Romanis Pontificibus d. Ordini concessas in diebus et festis praedictis duplicando.

Decimo, item Joannes XXII. omnes

indulgentias et peccatorum remissiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis d. Ordini concessas confirmavit ac quadraginta annos et totidem quadragenas de injunctis poenitentiis universis Christifidelibus d. Ordinis ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festivitatum B. Dei Genetricis Mariae, videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis visitantibus contritis et confessis in Domino pie concessit. Idemque Joannes XXII. pro animabus, quae in Purgatorio existunt et habitum hujus religionis gestarunt vel confratrum numero adscripti in honorem ejusdem B. Mariae Matris Dei die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem continuis ipsius suffragiis et meritis ac speciali protectione adjuvandis Privilegium publicavit, corroboravit et confirmavit.

Undecimo item Urbanus VI. perpetuo concessit iis, qui Ordinem Carmelitarum et Fratrum ejusdem Ordinis Ordinem seu Fratres gloriosissimae Dei Genetricis semperque Virginis Mariae de monte Carmelo vocaverint, nominaverint et appellaverint, si in gratia extiterint, tres annos et totidem quadragenas indulgentiarum.

Duodecimo Nicolaus V. omnes indulgentias et peccatorum remissiones ac omnia privilegia d. Ordini concessa a supradictis Romanis Pontificibus praedecessoribus suis in praefatis diebus et festis motu proprio ampliando confirmavit atque annos septem et totidem quadragenas in Domino relaxavit.

Decimotertio Sixtus IV. omnes indulgentias Ordini praedicto, illius domibus, ecclesiis et personis utriusque sexus in genere vel in specie quomodolibet concessas in suo robore in suaque firmitate confirmavit, approbavit et de novo concessit et in Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis B. Dei Genetricis Mariae Festivitatibus et in diebus vocabulorum ecclesiarum visitantibus ecclesias, triginta annos et totidem quadragenas de injunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Decimoquarto denique Clemens VII. post Joannem XXII. et Alexandrum V. eorum literas approbando habitum gloriosissimae et beatissimae Virginis Mariae Matris Dei gestantibus seu confraternitatem ingredientibus et alia servantibus, ut in eisdem literis continentur, indulgentias, peccatorum remissionem et gratias singulis utriusque sexus concessas perpetuae firmitatis robur addidit et innovavit ipsisque et aliis participationem omnium bonorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum et universalis ecclesiae concessit.

Aliae indulgentiae concessae visitantibus ecclesias Fratrum et Monialium Discalceatorum, extensae ad visitantes quaslibet ecclesias Ordinis a SSmo D. Nostro Clemente X. per Breve dat. 30. Octobris 1669.

Sixtus V. per literas datas 11. Julii 1587 concessit Christifidelibus, qui in illorum Ecclesiis Feriis quintis Missae, centum, qui vero praedicationi aut lectioni verbi Dei interfuerint, alios centum, nec non qui ad orandum accesserint interim, quinquaginta dies: qui denique confessi eo die ibi communicaverint, tres annos et totidem quadragenas de injunctis seu aliis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Gregorius XV. per literas datas 19. Septembris 1622 indulgentiam plenariam iis, qui confessi et s. Communione refecti visitaverint illorum ecclesias in festo s. Theresiae et oraverint pro christianorum Principum

concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione.

Urbanus VIII. per literas datas 10. Maii 1624 similem indulgentiam plenariam illis, qui in festo s. Josephi id praestiterint, et similiter iis, qui orationi quadraginta horarum de licentia Ordinariorum in Ecclesiis dd. Fratrum tantum semel in anno instituendae per aliquod spatium devote interfuerint et ut praefertur oraverint.

Denique SSmus D. N. Clemens X. per literas datas die 11. Augusti 1670 et 16. Mai 1672 plenariam indulgentiam in Festis B. V. Mariae de Monte Carmelo, SS. Andreae Corsini Episcopi, Angeli Martyris, Alberti Confessoris et s. Mariae Magdalenae de Pazzis iis, qui aliquam ex Ecclesiis d. Ordinis visitaverint et oraverint, ut supra.

Aliae indulgentiae concessae omnibus Christifidelibus a praefato Sixto V. in supradictis literis.

Illis, qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari seu latino sermone: Laudetur Jesus Christus, et his, qui responderint: In saecula vel Amen, vel semper utrisque tam salutantibus quam respondentibus 50 dies, ubicumque id factum fuerit.

Qui nomen Jesu ore nominaverint reverenter vel nomen Mariae, 25 dies, qui vero in articulo mortis, ore vel corde, si ore non potuerint, idem nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem nomen Jesu, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam.

Qui Litanias ejusdem SSmi nominis approbatas recitaverint, trecentos, qui Litanias ejusdem B. V. Mariae, ducentos, nec non praedicatoribus verbi Dei, qui inter praedicandum ad hunc modum salutandi, invocandi vel recitandi seu nominandi nomen Jesu et Mariae, auditores monuerint et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias concessit.

Summarium indulgentiarum a fel. mem. Paulo V. per literas in forma Brevis datas 30. Octobris 1606, 31. Augusti 1609 et 19. Julii 1614 concessarum Confraternitati sacri scapularis seu B. V. Mariae de Monte Carmelo.

Primo concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui Confraternitem s. scapularis ubivis locorum tam hactenus canonice institutam quam deinceps instituendam de caetero ingredientur et habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.

Secundo descriptis et describendis in dicta Confraternitate vere poenitentibus et confessis, qui in festo principali commemorationis ejusdem B. V. Mariae die 16. mensis Julii aut juxta ritum nonnullorum locorum die dominica immediate sequenti celebrari solito SSmae Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam.

Tertio qui in articulo mortis, poenitentes et confessi ac SSma Communione refecti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, plenariam.

Quarto qui poenitentes et confessi ac s. Communione refecti processioni in una dominica cujuslibet mensis per d. Confraternitatem cum licentia Ordinarii loci faciendae devote interfuerint et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam.

Quinto qui ab esu carnium iis diebus, quibus confratres d. confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies.

Sexto qui qualibet die septies Orationem dominicam et toties salutationem angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis Mariae recitaverint, 40 dies.

Septimo qui cum Habitu ejusdem confraternitatis poenitentes et confessi semel in mense SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et ut praefertur oraverint, quinque annos et totidem quadragenas.

Octavo qui poenitentes et confessi in qualibet ex festivitatibus ejusdem B. V. Mariae SSmum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia vel capella d. confraternitatis devote sumpserint et ut supradictum est oraverint, tres annos et totidem quadragenas.

Nono qui cum lumine SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos et totidem quadragenas.

Decimo qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint et pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies.

Undecimo qui Officium B. M. V. devote recitaverint, centum dies.

Duodecimo qui Missis et aliis divinis Officiis in Ecclesia seu capella aut oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis, sive congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis ubique faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint aut eis in eorum necessitatibus auxiliati fuerint aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint aut quandocumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praedictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta concessit et relaxavit.

Decimo tertio insuper concessit Priori Generali Ordinis vel illo absente ejus Vicario Generali, ut hujusmodi confraternitatem beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere et instituere illisque supradictas indulgentias et gratias spirituales, servata forma praescripta in Constitutione fel. rec. Clementis VIII. super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae communicare possit.

Decimoquarto denique SSmus D. N. Clemens X. per Literas suas in forma Brevis datas die 2. Jan. 1672 indulsit, ut omnes supradictae indulgentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes per fel. mem. Paulum V. concessae animabus Christifidelium per modum suffragii applicari possint. Hoc Summarium fideliter excerptum est ex Bullis et Brevibus citatis. *Joannes Cardinalis Bona.*

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praesens Matthaeus Prior Generalis Summarium hujusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri nonnullaque dubia praemissorum occasione emergentia dissolvi plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Matthaei Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter

annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, summarium praeinsertum omniaque et singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Praeterea, ut confratres et consorores dd. confraternitatum s. scapularis tam hactenus erectarum quam in futurum erigendarum, qui processionem in una dominica cujuslibet mensis ab illis fieri solitae commode interesse non potuerint, si vere poenitentes et confessi ac s. Communione refecti capellas suarum respective confraternitatum dovote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eamdem plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, quam Paulus V. praedecessor illis, qui processioni hujusmodi intersunt, concessit, pariformiter consequantur et similiter infirmi, captivi et peregrinantes, qui capellas hujusmodi dicta dominica visitare nequiverint, si Officium parvum B. M. V. aut quinquagies Orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi et sacram Communionem recipiendi quam primum potuerint, quod adimplere omnino teneantur; fratres quoque et moniales Ordinis praefati commorantes in conventibus, in quibus non est erecta confraternitas sacri scapularis vel non fit processio hujusmodi, si litanias omnium sanctorum in choro vel privatim, si legitime impediti non potuerint interesse choro, devote recitaverint caeteraque in literis praescripta adimpleverint praefatam plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem etiam consequantur, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus.

Porro festum principale confraternitatis s. scapularis hujusmodi, juxta indultum ab eodem Paulo praedecessore concessum, die 16. mensis Julii vel dominica immediate sequenti quotannis celebrari solitum, ob majorem devotionem vel commoditatem Christifidelium, aut quando eadem die occurret alia solemnitas, in aliam dominicam ejusdem mensis transferri permittimus.

Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis possint extra Urbem praefatam in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis et in quibuscumque aliis accedente consensu Ordinariorum confraternitates praefatas, servata caeteroqui praefatorum Pauli praedecessoris literarum forma et dispositione, instituere et nullus alius sub poena nullitatis. Insuper ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac scacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis ejusdem B. M. V. immaculatae festis diebus devote visitaverint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Illis autem, qui ad Antiphonam: *Salve Regina,* quae quotidie post completorium in ejusdem Ecclesiis solemniter decantatur, convenient et ut praefertur orabunt, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Postremo illis, qui aliquam ex Ecclesiis ejusdem Ord. in diebus Stationum Ecclesiarum Urbis praefatae, prout in Missali Romano exprimuntur, devote pariter visitaverint et ibidem prout praemittitur oraverint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si eisdem Urbis Ecclesiis in diebus Stationum hujusmodi personaliter et devote visitarent, dicta auctoritate harum serie concedimus similiter et indulgemus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 8. Maii 1673.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 44 Ed. Luxbg.)

Re matureperpensa die 22. Febr. 1712. S. C. J. declaravit nullas alias indulgentias pro gestatione scapularis acquiri nisi illas, quas SS. D. N. Clem. XI. die 12. Maii 1710 concepit his verbis: Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quibus scapularia benedicta in posterum distribuentur, *die, quo illa primum susceperint*, si vere poenitentes et confessi SS. Euchar. sumpserint, *plenariam*, necnon eisdem in cujuslibet eorum *mortis articulo*, si etiam vere poenitentes et confessi ac s. commun. refecti, vel quaetenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen *Jesu* ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, *itidem plenariam;* ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis ac s. commun. refectis, *qui aliquam ex ecclesiis dictae Congreg. vel Capellam sive Oratorium die festo ejusdem Immac. Concept. B. V. M. a I. Vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris Ecclesiae exalt. preces effuderint, plenariam similiter indulgentiam omnium peccatorum et remissionem concedimus.*

Insuper praedictis Christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis et s. Commun. refectis *Ecclesiam vel Capellam seu Oratorium hujusmodi in aliis ejusdem B. V. M. festis diebus visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem Quadragenas de injunctis debitis poenitentiis relaxamus.*

Datum Romae die 24. Febr. 1712.

(Bull. r. t. VIII. p. 443.)

Clemens PP. XI.

In S. C. Ind. habita 28. Apr. 1716 relatis precibus Procuratoris gen. ffr. Ord. SS. Trinit. redemptionis captivorum excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae postulantis declarari: An Sodales confraternitatum sui ordinis loco scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula crux rubri et caerulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes lucrari valeant indulgentias concessas iis, qui Scapularium deferunt.

S. C. resp.: *Non lucrari.*

Datum Romae die 29. Apr. 1716.

(Bull. r. t. VIII. p. 445.)

Ad dup. I. An sodales scapularis caerulei immaculatae conceptionis recitando sex Pater, Ave et Gloria in honorem SSae Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione s. Matris Ecclesiae atque christianorum

principum pace et concordia omnes lucrifaciant indulgentias septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem et s. Jacobi de Compostella?

II. An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrentur toties quoties et an in quocumque loco preces ipsas fuderint?

III. An ad easdem lucrandas indulgentias recitare sufficiat sex tantum Pater, Ave et Gloria, itaut necesse minime sit alias preces addere, quomodo in indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem Pontificis seu pro haeresum extirpatione, exaltatione s. Matris Ecclesiae atque christianorum principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?

IV. An ad memoratas indulgentias consequendas necessaria sit Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio?

V. An denique hae ipsae indulgentiae omnes animabus in Purgatorio detentis applicari possint?

Itaque Emmi Patres in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 31. Martii currentis anni, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse consuerunt ut infra:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta votum Consultoris, nempe servato Decreto s. Congregationis die 7. Martii 1678 approbato ab Innocentio XI. cujus initium: *Delatae saepius etc.*

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Affirmative.

Facta denique de his omnibus per me infrascriptum sacrae Congregationis Secretarium eidem SSmo fideli relatione in audientia diei 14. Aprilis ejusdem anni Sanctitas Sua resolutiones praefatae Congregationis benigne approbavit. Datum Romae ex Secretaria ipsius s. Congregationis indulgentiarum.

(L. † S.) *F. Card.* Asquinius, Praefectus.
A. Colombo, Secretar.

Ita reperitur in regesto authographo adservato in Secretaria s. Congregationis indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem s. Congregationis indulgentiarum.

Die 3. Decembris 1856.

A. Archip. Prinzivalli, Substitutus.

(Anal. J. P. 1857 p. 2713.)

Summarium indulgentiarum, quas Paulus V. concessit confratribus scapularis.

Sanctitas Sua concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui confraternitatem scapularis ubique locorum tam hactenus canonice institutam quam deinceps instituendam de cetero ingredientur et habitum receperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.

Descriptis et describendis in dicta confraternitate vere poenitentibus et confessis et sacra communione refectis, qui in festo principali Commemorationis ejusdem B. M. die 16. mensis Julii aut juxta ritum nonnullorum locorum die dominica immediate sequenti celebrari solito SSnum Euchar. Sacramentum sumpserint ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam.

Qui in articulo mortis poenitentes et confessi ac SSma Communione re-

fecti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem, corde devoto invocaverint, plenariam.

Qui poenitentes et confessi ac communione refecti processioni in una dominica cujuslibet mensis per dictam confraternitatem de ordinarii loci licentia faciendae devote interfuerint et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam.

Qui ab esu carnis his diebus, quibus confratres dictae confraternitatis ex illius institutio vesci non solent, abstinebunt, trecentum dies.

Qui qualibet die septies orationem dominicam et toties salutationem angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem B. M. V. recitaverint, quadraginta dies.

Qui cum habitu ejusdem confraternitatis poenitentes et confessi semel in mense SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et (ut praefertur) oraverint, quinque annos et totidem quadragenas.

Qui poenitentes et confessi in qualibet ex festivitatibus ejusdem B. Mariae Virginis SSmum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia vel capella dictae confraternitatis devote sumpserint et ut supra dictum est oraverint, tres annos et totidem quadragenas.

Qui cum lumine SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint: quinque annos et totidem quadragenas.

Qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam sociaverint et pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies.

Qui officium B. M. V. devote recitaverint, centum dies.

Qui missis et aliis divinis officiis in Ecclesia vel capella aut oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis sive Congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis, ubivis faciendis, interfuerint aut pauperes hospitio susceperint aut eis in eorum necessitatibus vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint aut quocumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum piorum operum centum dies de injunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta concessit et relaxavit.

(Speculum Carmelit. Ed. Antwerp. t. I. p. 476. Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 63 p. 254.); vd. p. 644.

8) Receptio et Obligationes Sodalium.

Quoniam fratres nostri non solum participes sunt in hac vita indulgentiarum et gratiarum spiritualium, quae illis concessa fuerunt a Sede Apostolica, sed etiam post mortem adjutorii B. V. ejusdem ab illa promissi, ut patet ex supradictis praecedenti capite, advertendum est, diversas esse eorum obligationes pro lucrandis indulgentiis in hac vita ab illis, quibus redduntur capaces adjutorii Virginis post mortem, et non distinguere illa ab istis causa fuit confusionis et incertitudinis earumdem obligationum: nos igitur primo loco explicabimus obligationes necessarias pro obtinendis indulgentiis et gratiis spiritualibus in hac vita, deinde obligationes pro adjutorio Virginis in altera.

Quoad priores igitur primo loco requiritur aliquam sodalitatem scapularis canonice erectam: pro quo ingressu

duo arbitror esse necessaria, alterum ut recipiant scapulare benedictum ab aliquo praelato nostri ordinis vel ab habente ab eo auctoritatem; alterum, ut describantur in libro alicujus confraternitatis. Primum omnes admittunt et quia scapulare recipitur et gestatur a confratribus ad honorem Dei genetricis Virginis Mariae, tamquam signum et memoriale indumentorum ejus, quae, ex sententia Sanctorum patrum, non serica fuerunt sed lanea et nativi coloris, rationi consonum est, ut scapulare sit laneum nativi coloris, grisei ad nigritatem tendentis. Existimant nonnulli pro completo ingressu in confraternitatem sufficere, quod fideles scapulare benedictum a praelato ordinis recipiant etiamsi non describantur in aliquo libro confraternitatis, ego autem censeo istud secundum etiam esse necessarium ad hoc, ut lucrari possint confratres indulgentias a Paulo quinto concessas: et ducor, quia nullus dubitat potuisse Pontificem concedere confratribus indulgentias cum hac conditione ut describerentur in aliquo libro confraternitatis, quo in casu certum est, quod per solam receptionem habitus, nisi etiam describerentur in aliquo libro confraternitatis, indulgentiarum capaces non efficerentur; quod autem de facto indulgentias sub hac conditione concesserit, ex eo colligimus, quod illas concessit *descriptis et describendis*.

Nec obstat quod Pontifex concedendo primam indulgentiam pro ingressu solum mentionem faciat de susceptione habitus his verbis „omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui confraternitatem ubique locorum hactenus canonice (ut praefertur) institutam quam deinceps ut infra instituendam, de caetero ingredientur et habitum receperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam etc. quia, dum statim alias indulgentias concedit descriptis vel describendis per haec verba „ac tam ipsis pro tempore describendis quam jam descriptis in dicta confraternitate, confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus etc.“, supponit, quod confratres in ipso ingressu in aliquo libro confraternitatis describantur.

Sed objiciunt primo, fideles fieri nostri vel cujuslibet alterius ordinis religiosos et fratres per solam habitus benedicti susceptionem efficique capaces indulgentiarum religionum absque eo quod in aliquo libro religionis describantur: quare ergo etiam ingredi nequeunt in nostram confraternitatem scapularis fierique ejus confratres ac indulgentiarum capaces per solam habitus susceptionem? Respondeo me non inficiari institui posse sodalitatem aliquam scapularis, pro cujus ingressu sufficiat habitum benedictum recipere: sed dico, nunc confraternitatem nostri scapularis talem esse, ut fideles illam complete non ingrediantur nec efficiantur capaces indulgentiarum nisi praeter habitus susceptionem in aliquo libro confraternitatis describantur, quia indulgentiae, ut dixi, expresse sunt concessae descriptis et describendis: et si indulgentiae religionum etiam concessae fuissent fratribus *descriptis et describendis*, utique pro earum consecutione non sat esset fideles recipere habitum religionis, id autem modo non est necesse, quia simpliciter et absolute illis concessae fuerunt.

Secundo, postquam ingressi fuerint confraternitatem, debent continue et de die et de nocte gestare scapulare, non in pera vel ad cingulum, ut faciunt nonnullae mulieres, sed ad collum pendens, scapulare enim ex sua natura expostulat, ut ad collum pendens

deferatur, quemadmodum biretum vel pileus exigit ut in capite non in alia corporis parte teneatur, et pro conjugatis scrupulosis advertendum, quod scapularis delatio nullo modo illicitum reddat usum matrimonii.

Quamvis passim a multis dicatur quod omnes confratres nostri tenentur abstinere ab esu carnium in feria quarta seu in die mercurii et quod, qui sciunt legere, ad pensum quotidianum officii parvi B. Virginis obligati sunt, et ignari literarum ad recitandum quotidie septies in die orationem dominicam et salutationem angelicam: nihilominus ad neutrum horum adstricti sunt ad hoc, ut efficiantur capaces indulgentiarum et gratiarum, quae illis a Sede Apostolica fuerunt concessae; verum et tamen est, quod si officium B. Virginis recitaverint, indulgentiam centum dierum, et si septies orationem dominicam et salutationem angelicam, quadraginta dierum ex indulto Pauli V., ut supra dictum est, consequentur; nihilominus, quia abstinentia ab esu carnium in die mercurii apud omnes confratres antiqua est et immemorabilis, nullo modo illa debent omittere.

At si loquamur de ingressu in nostram confraternitatem in ordine speciale adjutorium B. Virginis post mortem, non caret probabilitate, quod pro eo sufficiat habitum benedictum recipere; nam in quodam transumpto Bullae Alexandri V. referentis aliam Bullam Joannis vigesimi secundi, ex qua, tanquam ex primo originali, deducuntur obligationes confratrum, non injungitur, quod ipsi debeant describi nec de descriptione ulla fit mentio, sed solum quod habitus sancti signa ferant et juxta hanc probabilem sententiam in partibus infidelium, ubi reperiuntur christiani et non potest institui confraternitas, si ipsi ab habente auctoritatem habitum benedictum recipiant illumque deferant ac alia servanda servent, etiamsi non describantur in aliquo libro confraternitatis, indulgentias utique lucrare non poterunt, nihilominus post mortem, si in gratia decesserint, capaces erunt adjutorii B. Virginis.

Primo loco igitur pro obtinendo praefato adjutorio debent fideles ingredi confraternitatem recipiendo et etiam, si fieri poterit, in aliquo libro confraternitatis describi, ut magis securi sint. Secundo, habitum continue deferre. Tertio, ut ex citata Bulla Clementis VII. colligi potest, mulier virgo in ejus ingressu in confraternitatem castitatem, vidua continentiam, conjugata autem jura matrimonii, prout sancta Ecclesia praecipit, promittere tenetur et observare, circa quam obligationem notandum primo, quod, quae diximus de mulieribus quoad promissionem faciendam de observanda castitate sui status, intelligenda etiam sunt de viris; secundo, promissionem hanc non habere rationem veri voti, sed simplicis tantum propositi; tertio, eam non esse ita intelligendam, ut virgo, exempli causa, toto tempore vitae suae teneatur castitatem virginalem observare, potest enim statum mutare transeundo ad nuptias et tunc erit obligata ad jura matrimonii; quarto, quamvis confratres teneantur in ingressu non solum promittere castitatem sui status velle observare, sed etiam illam observare, id non est ita stricte et rigorose intelligendum, ut si quis postea ob humanam fragilitatem labatur in peccatum carnis, reddatur irremissibiliter incapax adjutorii Virginis, si enim postea resipiscat et in gratia decedat, illi adjutorium Beate Virgo non denegabit, nam etiam in Evangelio Christus Dominus cuidam adolescenti percunctanti: Magister, quid faciendo vitam aeternam

possidebo, respondet: serva mandata, et nihilominus certum est, quod fideles quamvis pluries divina mandata transgrediantur, si tamen in se reversi poeniteant et in gratia Dei decedant, vitae aeternae possessionem adipiscuntur.

Quarto, qui sciunt legere, tenentur recitare horas canonicas et quia horae canonicae non solum sunt in officio magno sed etiam in parvo B. Virginis, sat est unum vel alterum recitare; et quod sufficiat recitatio officii parvi supradicto s. Romanae Inquisitionis, imo Paulus V. indulgentiam centum dierum concessit recitantibus non magnum sed parvum Officium Virginis, et quia potest quis unico actu pluribus obligationibus satifacere et unico jejunio obligationi praecepti ecclesiastici et obligationi voti, ordinatus in sacris recitando solum officium magnum satisfacere potest obligationi tum ordinis sacri tum confraternitatis.

Nescientes autem literas tenentur in diebus ab Ecclesia praeceptis jejunare et feria quarta et Sabbato, nisi in aliquo ex his diebus Nativitas D. N. occurrerit, a carnibus abstinere; non me latet nonnullos religiosos nostros pie existimare, confratres ignaros literarum loco divini Officii teneri quotidie recitare horas canonicas ad modum laicorum nostri Ordinis, videlicet pro matutinis viginti vicibus Pater noster et Ave Maria, exceptis Dominicis et solemnibus diebus, in quorum Vigiliis seu Matutinis praedictum numerum duplicare debent, septies autem easdem orationes in laudibus matutinis et in aliis horis, praeter officia vespertina, in quibus eas quindecies recitare tenentur; nihilominus in nulla Bulla quicquam constat de ista obligatione, sed solum, quod qui non noscunt literas, loco officii debent jejunare in diebus ab Ecclesia praeceptis et feria quarta ac Sabbato a carnibus abstinere.

Qua autem ratione paulo ante diximus, quod si quis Confrater aliquando peccaverit contra castitatem et postea resipuerit, adjutorio Virginis post mortem non privabitur, ita modo affirmamus, quod si quis omiserit aliquoties recitare divinum officium vel ecclesiastica jejunia non servaverit et feria quarta et Sabbato carnes comederit, si tandem postea in se reversus poenituerit et firmiter servanda servare proposuerit, praefati adjutorii compos efficitur.

Existimant etiam nonnulli ex nostris probabile esse, quod Patres confessarii quoad confratres impotentes ad jejunium, illud valeant in alia opera pia aequivalentia commutare, id enim de benignitate B. Virginis gratiam hanc concedentis pie credi potest, cum videamus, quod Romani Pontifices, quoties pro lucrando Jubilaeo aliquod jejunium imponunt, confessariis dant facultatem, ut illud valeant in alia opera pia aequivalentia commutare pro impotentibus.

Addo nec aliquibus videri improbabile, quod confratres nostri vere impotentes jejunare ob vel infirmitatem vel ob paupertatem, a qua obligantur pro victu sibi et suae familiae procurando quotidie laborare, vel ob aliquod aliud impedimentum nulla indigent dispensatione et ducuntur, quia non videtur credibile, quod B. Virg. voluerit praefatos impeditos obligare ad jejunium toto tempore vitae duraturum, quare videre probabile hujusmodi impotentibus, si ipsa alia servanda servaverint, B. Virginem suum speciale adjutorium non denegaturam, secus autem dicendum est de illis, qui possunt utique jejunare, sed ex benignitate Ecclesiae non obligantur, ut juvenes ante vigesimum primum annum.

Et hanc sententiam nonnulli docti viri nostrae religionis probabilem esse judicarunt; et tandem in transumpto

Bullae Alexandri V., de qua supra, legimus nonulla verba, quibus a Virgine confraternitatibus scapularis jejunium in diebus ab ecclesia praeceptis injunctum fuit, quae nobis aperte favent et sunt tenoris sequentis: Habeant vitam jejunam ducere diebus, quos sancta jubet Ecclesia, nisi necessitatis causa alicui traditi essent impedimento: quare sacerdos, qui fidelibus habitum benedictum imponit et illos admittit in confraternitatem, debet vere imponentes ad jejunium admonere, quod nec jure confraternitatis ad jejunia ecclesiastica obligati sunt.

(Speculum Carmelit. Ed. Antwerp. t. I. Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 63 p. 254.)

S. SCHOLASTICA.

Vd. *Lectiones de Sanctis*, decret. n. 4044.

Tempore Adventus et Quadragesimae non potest semel in hebdomada vel mense fieri officium de s. Scholastica. n. 3222 ad 1 die 10. Junii 1690.

Officium s. Schol. ex indulto ap. Ordini s. Benedicti in qualibet hebdomada fer. 3. sive alia die non impedita officio dupl. vel semid. et semel in mense sub ritu dupl., extra tamen tempus Adventus et Quadrag. recitandum, praecedere non debet translatis sive dupl. sive semid., nec recitari potest in vigiliis ordinariis et quatuor temporibus, sed tamen in Sabb., quando fieri deberet de s. Maria in Sabb. n. 3503 ad 1—3 die 7. Febr. 1699; n. 3222 ad 1 et 2 die 10. Junii 1690; n. 3428 ad 2 die 27. Apr. 1697.

Octava S. Scholasticae (apud Benedictinos) quando de illa fiat officium, impedit preces etc. Quodsi occurat in fer. IV. Cinerum, dicuntur preces, sed nihil fit de octava, quae terminatur ad primas vesp. fer. IV. Cin. exclusive.

S. R. C. 23. Jun. 1736 in *Einsidl.*

Ad. dub. 1.: An Monachi Cistercienses celebrare valeant Octavam privilegiatam s. Scholasticae a S. R. C. eisdem concessam, licet nunquam in eorum Calendario adnotata fuerit et ipsa recitare possint lectiones proprias jam adprobatas pro eadem Octava?

2: An iidem uti possint privilegio recitandi semel in hebdomada officium cum lectionibus propriis, juxta decretum ejusdem S. C. diei 1. Julii 1702, licet nunquam eo usi sint?

S. eadem C., referente Emmo et Rmmo D. Cardinali Livizzani, exquisita sententia unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, quae typis etiam fuit evulgata, rescripsit: „In omnibus, juxta sententiam ejusdem Magistri caeremoniarum“, cujus libellum tradi Oratori pro norma mandavit; ejus autem summa haec est:

Ad 1. et 2. »Affirmative.«

Et ita declaravit et servari mandavit. N. 4471.

Die 10. Septembris 1736.

SCRIPTURA SACRA.

(Initium.)

Vd.: *Initium Scripturae.*

SCITIS ESSE DIGNUM?

Tarraconen.

Magister caeremoniarum ecclesiae Tarraconen. petiit declarari: an illa interrogatio, de qua in pontificali posita in consecrationibus, videlicet »scitis esse dignum«, sit omittenda, quando quidem in romana curia omittitur in consecrationibus episcoporum?

Et s. Congregatio respondit: Ser-

vandum esse pontificale et ita fieri mandavit.

Die 21. Novembris 1626.

(Anal. J. P. 1863. p. 198.)

SCOPARIUS.

Vd.: *Sacrista; Munditia Eccles.* etc.

Paulus PP. V.

(Pro capella B. V. M. in Basilica s. Mariae Maj. Urbis.)

Unum Laicum, qui pavimentum, statuas, columnas, lampades, candelabra et alia ornamenta dictae capellae et Sacristiae illarumque aedes et mansiones tergat, vertat ac desquilliat, pulverem et alias sordes auferat et ejiciat, scoparium nuncupandum, ad ejusdem Patroni nutum amovibilem, ab eodem Patrono, toties quoties opus fuerit ac eidem Patroni videbitur et placuerit, oportet deputari ac illi pro ejus salario centum scuta monetae de pecuniis propriae dotis et mensae dictae capellae, illiusque fabricae et Sacristiae, ut praefertur, assignatae, quolibet mense proportionabiliter et pro rata persolvi.

Et tam ipsi quam singulis quatuor Clericis praedictis, quolibet anno vestem talarem panni violacei de ejusdem dotis et mensae capellae pecuniis fieri mandamus.

Die 9. Movembris 1615.

(Bull. r. t. III. p. 358. Ed. Luxb.)

S. SEBASTIANUS.

1) Officium et Missa.

Vd.: *Festum* (separ.)

In civitate Manopolitano pro officio s. Sebastiani m., cujus festum, cum sit ejusdem civitatis Patronus principalis, celebratur seorsim a s. Fabiano, in 1. n. recitandas esse lectiones: *Fratr. debitores* et missam: *In virtute* de comm. un. m. non p. celebrandam; et insuper officium s. *Fabiani* sub ritu tantum semid. et secundum rubricas transferendum esse. N. 3365.

Die 13. Aug. 1695.

In Ecclesia Cremensi die 20. Jan. ejusdem festi ss. Fabiani et Sebast., de quibus fiunt duo seperata officia: alterum hodie de s. Sebastiano Patrono minore sub ritu dupl. maj., alterum de s. Fabiano sub ritu semid. transfertur.

S. C. resp.: Festum s. Fabiani non esse transferendum, sed celebrandum una cum s. Sebastiano et in reliquis servandas esse rubricas. N. 3499.

Die 22. Novembris 1698.

Caval. adnot. ad hoc decr. tom. I. de separat. festor: „Est error manifestus in decreto sic relato; nam s. Sebast. non est titulus Ecclesiae Cremensis, in qua celebratur tale officium; in eo enim casu officia separanda forent juxta disposit. clarissimas rubricarum gen. Est igitur s. Sebast. Patronus tantum minus princip. dictae Dioecesis et ideo rectissime declaravit S. R. C.: non esse separatim celebrandum festum ss. Fabiani et Sebastiani“.

In Ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis die 20. Januarii recolitur festum s. Sebastiani Martyris magno populi concursu et fit Processio cum statua ejusdem Sancti per civitatem, cum interventu Magistratus, adstricti vota solemnizandi dictum festum ad tres dies continuos, cum Missa votiva pro re gravi et quaesitum fuit declarari: an possit dividi a s. Fabiano P. et M. celebrando officium s. Sebastiani, cum sit Patronus minus principalis, sub ritu dupl. maj. transferendo officium s. Fabiani ad primam diem non impeditam sub ritu semidupl?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum:
„Officia non esse dividenda"
Et ita declaravit. N. 3677.
Die 7. Martii 1704.

2) Oratio.

Ad dub.: An ubi fiat de s. Sebastiano Martyre non Pontifice, tamquam de principali patrono seu titulari, dicenda sit oratio: infirmitatem nostram etc., ut vult Talu num. 25, aliquam praxim sequutus, an potius alia de communi unius Martyris non Pontificis, ut vult Cavalerius tom. 1. cap. 5. decret. 2.?
S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emmi et Rmmi D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dicti Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit:
„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam".
Et ita declaravit. N. 4474 ad 6.
Die 2. Maii 1801.

De ejus oratione in processione ad ejus ecclesiam, vid. *Oratio* (mutatio; decr. n. 217.)

SECRETA.

(Mutanda in Missa de comm. virg.)
Vd.: *Oratio* (mutatio decr. 4909.)

SECRETARIUS VISITATIONIS.

Vd.: *Visitatio* (Notarii etc.)

S. SECUNDUS E. C.

Abulen.

Concessa fuit olim, prout assertum fuit, civitati et dioecesi Abulensi facultas recitandi officium s. Secundi episcopi ejusdem civitatis sub ritu duplici primae classis cum octava et cum lectionibus propriis a s. Sede apostolica die 5. Aprilis 1594 approbatis; s. Rituum Congregationi ab omnibus modo Archiepiscopis, Episcopis et ecclesiis regnorum serenissimo regi Hispaniarum subjectorum pro extensione ejusdem officii saltem sub ritu duplici et cum eisdem lectionibus ad omnia regna praedicta humiliter supplicatum fuit. Et s. eadem Rituum Congregatio, omnibus bene perpensis et mature consideratis, ad relationem Emmi Ottoboni, respondendum censuit: *Gaudeant impetratis.*
Die 24. Novembris 1696.
(Anal. J. P. 1865 p. 1364 n. 2615.)

SEDENDI MODUS ET TEMPUS.

Illud pro regula observandum erit, ut aequaliter omnes, qui *de eodem corpore* sunt, cum sedendum erit, sedeant, cum vero surgendum est, surgant. Sunt enim diversa corpora seu chori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur. Primus siquidem chorus est assistentium et ministrantium Episcopo celebranti; alter Canonicorum in suis subselleis residentium: alter Magistratuum vel nobilium laicorum; alter Beneficiatorum et reliquorum clericorum. Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit facturus aliquid ad officium suae assistentiae pertinens, pariter et alii coassistentes et ministri circumstantes surgere debent, non tamen Episcopus, et sic stare, donec ille sedeat: nec ideo tunc reliqui Canonici in choro sedentes nec alii de choro surgunt, tamquam diversi chori. Similiter aliquo ex Canonicis in choro residentibus surgente, ut aliquid faciat ad publicum et commune chori officium spectans, puta, cum intonatur

antiphona seu aliquid simile, omnes alii Canonici ac etiam Beneficiati et clerici assurgunt praeter praedictos, qui Episcopo assistunt. Inter laicos quoque uno surgente ratione officii, ut cum datur illis incensum aut pax, ceteri quoque surgunt, secus vero surgentibus aliis non sui ordinis. Si Episcopus non celebraret, sed aliquis Suffraganeus vel alius Episcopus praesente ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius chorus ministrantium celebranti, qui eandem regulam servare debent quoad sedendum et surgendum, prout de aliis dictum est. Cum autem Episcopus surgit, singuli chori tam Canonicorum et Beneficiatorum quam laicorum et Celebrantis consurgere debent.

Caer. Ep. l. I. c. XVIII. n. 7—12.

SEDES.

1) Abbatis

a) *Assistentis.*

Vd.: *Magistratus* (sedes); *Sedes Episcopi assist.*

Quidam Abbas seu Praelatus praetendit in *Missis sol.* Confraternitatum, quibus invitatus nec tamquam officians nec aliter quam in ordin. suo habitu interest, sibi competere sedem brachiatam seu majorem cum pulpito sive suggestu ante se velo violaceo vel purpureo et cooperto et posito in facie altaris cum pulvinaribus ejusdem coloris idque in quibusdam sacellis sitis in ipsa Cathedrali, in qua nulla capella est independens a choro et in qua actu residet Episcopus, quamvis non in ejus corporali praesentia.

S. C. resp.: Non licere omnia et singula memorata nec etiam extra Cathedralem. N. 3128.

Die 23. Novembris 1686.

Non licet Abbati pro tempore Collegiatae s. Petri terrae Laureti Pennen. uti sede cum postergali in assistendo *concionibus* aliisque publ. functionibus in ecclesia praesente capitulo. N. 3823 ad 1.

Die 22. Mart. 1710.

b) *Assistente Episcopo.*

Sedem pro Episcopo locandam esse in digniore parte chori sive ecclesiae cum ornatu congruo et gradibus ac situ superiori, respectu sedis Abbatis (exempti) qui praesente Episcopo, in suis ecclesiis Monialium exemptis sedere debebit vel apud Episcopum a sinistris in sede camerali absque aliquo ornatu et gradu vel in parte ecclesiae e conspectu Episcopi, in loco tamen inferiori respectu sedis Episcopi, in alia sede similiter absque ornatu cum uno tantum parvo gradu non excedente dimidium palmi. N. 530.

Die 18. Mart. 1617.

c) *Celebrantis.*

Cf. *Postergale; Usus Pontificalium.* (praecipue decr. Urbani VIII.)

Abbates ubique, quando solemniter in propriis ecclesiis celebrant, contenti esse debeant sua propria et convenienti sede, quae locata esse debeat in cornu *Evangelii* in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis et sine ullo suppedaneo, suggestu lapideo vel ligneo ac sine baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno vel serico levi, sine auro coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. N. 531.

Die 18. Mart. 1617.

Abbati s. Andreae *Congreg. Lateran.* Pontificalia celebranti juxta antiquam consuetudinem sedem cum duobus gradibus uti licere. N. 592.

Die 30. Mart. 1621.

Abbates Olivetani nullo modo teneant sedem abbatialem *fixam ac*

permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesiis iis tantum diebus, quibus solemniter celebratur. N. 804.

Die 16. Mart. 1629.

Idem decretum de Abbatibus *Congregat. Camaldulens.* N. 966.

Die 21. Aug. 1632.

Contra praescripta in decretis Alex. VII. de anno 1659 edita*) Abbati ss. Salvatoris Ord. Cisterc. Clusinae retinenti in sua ecclesia cathedram fixam et permanentem cum tribus gradibus non simplici serico panno sed pretioso ornatam S. C. resp.: Serventur decreta Alexandri VII. N. 3701.

Die 10. Mart. 1708.

2) Apostolica vacans.

(Ordinationes pro temp. S. ap. vacantis.)

Vd.: *Constitutio PP. Pii IV. diei 9. Oct. 1562* in Bullar. mag. rom. tom. II. p. 97 (ed. Luxenb.) De cibo, potu etc. servientium Cardinales in conclavi existentes vd.: *Constitutio Clem. VI. diei 6. Decembris 1351; ibid.* t. I. p. 258.

De damnatione simoniacae electionis Pontificis Rom. cum poenarum impositione in electum eligentesque et complices vd.: *Bullam Julii PP. II. diei 14. Jan. 1505, et confirm. hujus Bullae in Concilio Lateranensi diei 16. Febr. 1513 (4).* (Bull. r. t. I. p. 466 etc.)*; Constitutio Pauli IV. diei 6. Decb. 1558, ibid.* pag. 886; *Breve Leonis X. diei 61. Mart. 1516* contra offendentes Cardinalem etiam tempore Conclavis (*ibid.* t. I. 565); *Privilegia pro Conclavistis* vd. Constitutio Clementis VIII. diei 9. Novembris 1592. (Ibid. t. III. p. 22.); Constitutio Pauli V. 31. Julii 1605. (Ibid. p. 199.); Const. Greg. XV. diei 16. Mart. 1620. (Ibid. p. 418.); Constit. Urbani VIII. diei 6. Aug. 1623. (Ibid. t. IV. p. 1.) Constit. Innocent. XII. diei 15. Julii 1692. (Ibid. t. VII. p. 174.) *De rebus Sede ap. vacante agendis vd.* Constitutio Clem. XII. diei 5. Octobris 1732. (Ibid. t. XIV. p. 248.); Constit. Pii VI. diei 3. Jan. 1797 de elig. loco et die Conclavis. (Bull. r. Continuatio t. X. p. 51); diei 13. Novembris 1798 *de obitu Pontificis extra rom. curiam*, ibid. p. 175.

De nova Pontificis electione, si casus contigerit, ut illius obitus obveniet inter politicas perturbationes vd. *Bullam Pii VII.* diei 6. Febr. 1807. (Bull. r. Continuatio t. XIII. n. 92.)

3) Archidiaconi.

Venafrana.

Exponentibus primiceriis seu dignitatibus Cathedralis ecclesiae Venafranae, Archidiaconum ejusdem non solum jampridem antiquam Episcopi privatam sedem usurpasse sed aliam novam, recentem pariter ornavam ac sumptuosiorem vetusta altiorem sibi ad instar pontificalis construxisse cum scabello seu ligneo suppedaneo ac quam plurimis amplificata ornamentis ut ex planta ostensum fuit. Et petentibus atque instantibus mandari per s. Rituum Congregationem, quacunque tolerantia et immemorabili consuetudine non obstante, amoveri, et insuper decerni et declarari, nequaquam licuisse nec de caetero licere ipsi Archidiacono dictam sedem ornatam et altiorem ac digniorem canonicorum retinere sed omnino indifferenti scabello cum reliquis dignitatibus et canonicis imposterum uti debere eadem s. Congregatio, auditis juribus

*) Vd.: *Usus Pontifical.*

hinc inde deductis, utraque parte informante, tam in voce quam in scriptis, referente Emmo Spinula Liccen. Episcopo, censuit, juxta petita praedictam sedem ornatam, de qua agitur, Archidiacono praefato distinctam a canonicis et dignitatibus ipsius Cathedralis ecclesiae non competere, sed omnino abolendam et ad instar aliorum sedilium primiceriorum et canonicorum reducendam fore declaravit et ita decrevit et servari mandavit.

Die 30. Julii 1689.

(Anal. J. P. 1865 p. 1309 n. 2404.)

Vicario gen. obtinente digniorem locum a parte dextera Archidiaconus prima Dignitas debet obtinere primum locum a parte sinistra. N. 3296 ad 2.

Die 20. Decbr. 1692.

4) Archipresbyteri.

Ad dub.: An Archipresbyter possit retinere in sua Ecclesia s. Blasii civitatis Aquilae sedem cameralem permanentem elevatam super duos gradus vel cum suppedaneo tantum, et quatenus negative, an illi liceat tantum in festivitate s. Blasii absque tamen gradibus?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, in actu tamen assistentiae celebrationi missae.

Die 4. Maii 1726 ad 6. *Nullius seu Aquilana.*

5) Assistentium Episcopo.

Cf.: *Sedes Dignit. et Canon.* (*ad altare*, decr. n. 4075). *Assistens Episcopi* (sedes). *Sedes ministror. Sedes* (*Episcopi assist.*)

Sedem Dignitatis assistentis esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depictum vel aliqua forma pulchra fabrefactum, dummodo sit nudum, nullo scilicet pano vel alia re coopertum in plano solii in partem dexteram Episcopi praeparatum atque eo loco et ordine situm, ut ipsa Dignitas et ad altare et ad faciem Episcopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. N. 21 ad declar. 7 die 23. Mart. 1592. N. 926 die 2. Aug. 1631.

Archidiaconum assistentem scabello sive sola rasa, quam vocant, prout ministrum decet, contentum esse debere. N. 79 die 20. Decbr. 1594.

Assistentes Episcopo pontif. celebranti ac in actu lavandi pedes pauperibus fer. V. in Coena Dom. in scabellis nudis debere sedere juxta Caer. l. I. c. VIII. et consuetudinem in oppositum esse abusum ideoque corrigendum. N. 3161 ad 1 et 2 die 3. Apr. 1688.

Assistens Archiepiscopo missas vel vesperas sol. celebranti aut eisdem assistenti sedere debet super throno prope Archiepiscopum. N. 4358 ad 13 die 7. Debr. 1771.

6) Beneficiatorum.

Urbis.

In causa vertente inter Beneficiatos ecclesiae Lateranensis ex una et Capellanos Beneficiatos ejusdem ecclesiae ex altera de et super loco sedendi in choro, referente Illmo D. Cardinale Muto, cui causa erat commissa, Sacra Rituum Congregatio censuit et decrevit capellanos praedictos sedere debere immediate post Beneficiatos in eodem scamno, seu, ut vulgo dicitur, banco et ita servari mandavit.

Die 24. Aprilis 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 196.)

Vd.: *Sedes Cleri.*

7) Canonicorum Cathedr.

a) *In Choro.*

Sutrina.

Canonicalem praebendam vacantem in Ecclesia Cathedrali Sutrina per obitum Canonici Pii Blasii Caprinozzi in mense non reservato, a Reverendissimo Sutrino Episcopo assequutus est Canonicus Franciscus Spiridion Nesula, qui, cum alium canonicatum in eadem Cathedrali jam ante possideret et ratione suae antianitatis in priori chori stallo sederet, non prius novi Canonicatus possessionem adipisci curavit, quam antiquioris stalli retentioni Capitulum assentiretur. Data agitur a Capitulo fide plenoque consensu pro retentione prioris stalli sub conditione reportandi Beneplacitum Apostolicum intra decem dies, Canonicus Nesula possessionem nactus est, deindeque ut conditionem adimpleret et retentionem antiqui stalli assequeretur, preces SSmo dedit, quae sacrae huic Congregationi fuerunt remissae. Verum petitioni obstitit Canonicus Joannes Suscioli, qui tamen etsi jam monitus et expectatus, cum nihil adhuc deduxerit, idcirco dubium in calce transcriptum ab EE. VV. erit definiendum.

Retentionem antiqui stalli pluribus ex causis sibi competere sustinet Canonicus Nesula, et primo quidem ex descriptione sui nominis in eminentiori tabellae choralis loco, atque ex sui installatione ac possessione, quam tum Episcopo tum Capitulo annuente adeptus est, *Vivian de Jurepatr. part. 2. lib. 5. cap. 1. n. 102*, *Rot. cor. Buratt. decis. 249, n. 2 et in recen. decis. 168 part. 16, n. 2,* ut proinde injuria videatur ipsum jure jam quaesito nactaque possessione privare, praesertim quia consensus etiam accessit Canonici Suscioli, cui non amplius licet resilire, *cap.: de his, quae fiunt a major. part. capit., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 38. n. 3, Card. de Luca, de canon. disc. 1. n. 9, Rot. in recen. dec. 88. n. 23. p. 6.*

Observat insuper Capituli consensum pro retentione antiqui stalli acquisivisse vim contractus et obligationis ob praecedentem a se emissam de non capienda novi canonicatus possessione promissionem nisi prioris stalli retentio concederetur; multoque magis post adimpletam conditionem petendi Beneplacitum Apostolicum, quod intra praefinitum decem dierum terminum expostulavit, atque ex hoc illud necessario sequi affirmat, quod adimpleta conditione Capituli consensus omnimodam executionem obtinuerit, quodque, dum Pontificis gratia expectabatur, nemini liceret contra proprium factum insurgere.

Neque opponi posse existimat s. Congregationis rescriptum, quo preces pro retentione antiqui stalli remissae fuerunt Episcopo pro Informatione et voto *audito Capitulo.* Respondet enim ideo demandatum fuisse, ut Capitulum audiretur, quia in supplici Libello expositus non fuerat Capituli consensus, non tamen ad exquirendum novum consensum, qui nunquam requiritur, si semel intercesserit, *Bartol. in Leg. 1. ff.* ad municip. n. 23, *Pignatel.* tom. 1. consult. 44. n. 4. Perperamque etiam objici dicit defectum pontificiae gratiae, cum ad conditionis implementum satis sit, ipsum ex parte sua adimplevisse, nec propriae culpae tribuendum, si gratiae compendium, quae a Pontificis voluntate pendet, non fuerit intra praescriptum terminum assequutus, *Rot. decis. 567. n. 1. part. decis. 14. n. 59. part. 9. et decis. 316. n. 8. part. 16 rec.*

Addit ex juris dispositione praepeditum non fuisse novam Praebendam

optare, priori stallo ac titulo retentis, cum Praebenda sit distincta a Canonia, cui stallum dicitur adnexum, *Gonzalez de Reg. cancell. gloss. 34. n. 12., Lotter. de re benef. quaest. 19. lib. 1. n. 21 et seq., Monet. de option. cap. 7. n. 18, Rot. cor. Falconer. de Benef. dec. 16. n. 13.* Hinc absurdissimum fore asserit, si antiquum stallum, quod ratione suae antianitatis possidet, dimittere cogatur, ut junior seniori praecedat, *Card. de Luc. de Pens. disc. 76. n. 16 et 17., Monet. loc. cit. n. 30., Panimoll. dec. 33. n. 30.*

Nec attendendum actum, quo post installationem adeptique canonicatus possessionem ipse in inferiori stallo et Canonicus Suscioli in priori sederit, cum iste actus tamquam violentae spoliationis, et qui liti causam dedit attendi non mereatur nullumque eidem Canonico Suscioli post praestitum jam installationi assensum jus tribuere potuerit. Posth. de Manuten. observ. 17. n. 44., Rot. cor. Celso dec. 292. n. 3. et rec. dec. 168a n. 2 ad 9.

Denique observat Canonicum Suscioli excipere de jure Tertii, cum non is sit, qui priorem atque antiquiorem stallum occupare possit, sed Canonicus Stephanus Celluzzi, qui ratione ancianitatis eidem praecedit, quique datam semel fidem ratam habuit. Concludit itaque ex hoc etiam capite multo magis reijciendam omnino esse oppositionem Canonici Suscioli, quia Canonicus Celluzzi, de cujus jure atque interesse agendum esset, acquiescit.

Episcopus in sua relatione rejectis exceptionibus Canonici Suscioli plenissime favet Canonico Nesula et votum suum aperiendo ait: *Quocirca gratiam quam postulat in injunctis precibus, quas EE. VV. remitto, mereri videtur, attento etiam diligenti servitio per tot annos eidem Ecclesiae praestito, nec non impedimento legendi lectiones in Choro aliisque rationibus EE. VV. expositis.*

Optio definiri vulgo solet jus quoddam, quo antiquiores Canonici propria dimissa praebenda aliam vacantem, quae reservata non est, intra certum tempus eligere et consequi valeant, *Monet.* de Option. cap. 1. n. 13. *Barbos.* de Can. cap. 30. n. 1, *Scarfanton.* ad Ceccoper. lib. 4. tit. 6. n. 1, Praestat autem distinguere jus ipsum praebendae, quatenus pro titulo Beneficii sumitur, a fructibus ex ea provenientibus, qui nihil Spirituale habent nisi per communicationem et participationem, qua rei spirituali adhaeret, *Monet.* loc. cit. cap. 7quaest. cum aliis.

Quoties itaque praebenda ita Canonicatui adnexa est, atque ab eo inseparabilis, ut per utrumque fiat unum *individuum*, tunc optio praebendae, tituli etiam optionem ac mutationem necessario praesefert. Si vero unio praebendae cum canonicatu sit temporalis et revocabilis, utpote quia, firmo remanente canonicatu, ab eo sejungi valeat, tunc priori canonicali titulo retento, bona tantum canonicatus per optionem mutari possunt, *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 3. decis. 34. n. 2. et sepp.* Cum itaque in hujusmodi optione non mutetur titulus canonicatus, sed dumtaxat temporalitas praebendae, illud omnino sequitur, quod Canonicus senior digniorem locum in choro non amittat, *Gonzal. de regul. cancel. gloss. 34. n. 44, Gigas de pens. quaest. 63, Ceccoper. lib. 2, tit. 3. n. 9.*

Quod si optione praebendae mutari etiam aliquando solet locus et stallum in choro, id tamen non sit ratione novi tituli canonicalis, quia scilicet locus ille addictus sit canonicatui vel praebendae, sed ratione antianitatis,

quia nempe Canonicus, qui optaverit, ascendit ad stallum superiorem, quod occupabat defunctus, non tamquam de juribus canonicatus et praebendae, sed tamquam de pertinentiis illius, qui uti senior majus Ecclesiae servitium praestitit, ***Rot. cor. Emerix. Jun. dec. 743. n. 14 et 15, Rot. dec. 1385. n. 2. part. 3 recen.***

Haec in jura animadvertenda videntur, in facto autem ponderandum quanti habenda sit declaratio Canonici Nesula, qui solemniter protestatus est, non aliter Canonicatus possessionem assequi velle, nisi primum in quo sedebat stallum retineret, et quanti etiam habendus sit Episcopi et Capituli consensus et qui prioris stalli retentionem unanimi suffragio probarunt et admiserunt; hisce autem perpensis videndum :

An sit concedendum Indultum Canonico Francisco Spiridioni Nesula retinendi antiquum stallum in choro in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 7. et 28. Julii 1770.

Vd. *Canonici Cath.* (praecedent.); *Sedes Dignitar. et Canonicor*; *Processio* (clerus, canonici).

b) *Supernumerar. hebdomad.*

Avenionen.

In causa Avenionen. juris sedendi vertente inter Dignitates et Canonicos numerarios Metropolitanae Ecclesiae Avenionen. ex una et Canonicos supranumerarios hebdomadarios nuncupatos ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, proponente Emmo Casanate in s. Rituum Congregatione dubium illudque discussum: An liceat Canonicis supranumerariis hebdomadariis nuncupatis sedere in choro immediate post Canonicos numerarios? ex deductis ab utraque parte hinc inde et informante eadem s. Congregatio respondit: Canonicis hebdomadariis licere sedere immediate post Canonicos numerarios, et ita declaravit.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1244 n. 2201.)

8) Canonicor. Cathedr. et Colleg. in Congregat. cassuum.

Fulginaten.

Detrectantes nonnulli ex Clero seculari Fulginatensi interesse exercitationibus, quae pro solutione casuum moralium ad praescriptum Concilii Romani habebantur, postulavit Episcopus ab EE. VV.: *An Clerici omnes hujus civitatis in Sacris constituti, itemque Protonotarii Apostolici non participantes teneantur adesse mensualibus congregationibus casuum necnon accedere ad publicas Processiones?* Exquisito hac super re voto Emmi Cardinalis Borromaei die 29. Aprilis anni 1780 responsum fuit: Posse Episcopum omnes cogere et reluctantes puniri juxta modum a Concilio Romano praefinitum.

Quod a s. Congregatione decisum fuerat exequi curavit Episcopus. Siquidem legem tulit, qua omnes de Clero seculari adegit, ut conventui resolutionum casuum moralium interessent. Ordinarii praeceptum nullas impugnare ausus fuit, verum de ordine et loco sedendi in hujusmodi conventu quaestio orta est. Canonici namque Collegiatae Ecclesiae SSmi Salvatoris, qui in aliis functionibus post Capitulum Ecclesiae Cathedralis caeteros de Clero praecedunt, primum sessionis locum a sinistra Episcopi vindicare contendunt. Restitit eorum praetensioni tum altera Collegiata s. Mariae infra Portas tum Canonici Ecclesiae Cathedralis, qui protestati sunt velle tueri jura Beneficiatorum Capi-

tuli et Parochorum civitatis; quaestionem compescere non potuit Episcopus, hinc habito a Canonicis SSmi Salvatoris recursu ad sacram Congreg. controversia ab EE. VV. modo definienda est.

Fatetur Capitulum Ecclesiae Collegiatae SSmi Salvatoris primum locum deberi Capitulo Cathedralis ejusque Beneficiatis et Mansionariis, cum hi omnes unum corpus constituant ac propterea in capitularibus comitiis protestati sunt praeeminentiam Capitulo Cathedralis non impugnare, verum hujusmodi praeeminentiam supra Collegiatam s. Mariae infra Portas caeterosque de Clero Capitulum SSmi Salvatoris sibi debitam contendit. Inquit enim Concilium Romanum in hisce conventibus demandasse, ut quisque *finita l'Orazione si ponga a sedere con ordine.* Hunc autem ordinem referendum esse, ne ad simplicem actum sedendi sed ad locum, quo unusquisque adsidere debeat juxta gradum personarum ac praecedentiam unicuique debitam. Hinc infert, quod quemadmodum Canonicis Ecclesiae Cathedralis caeteris dignioribus in Aula Episcopi, ubi exercitationes morales habentur, primus sedendi locus datus est, ita succedere post ipsum immediate debeat Capitulum SSmi Salvatoris, quod in omnibus ecclesiasticis functionibus reliquis de Clero praecedit.

Addit insuper Ecclesiam SSmi Salvatoris insignem esse Collegiatam ideoque illius Canonicis praeeminentiam supra Parochorum Collegium aliosque de Clero saeculari tribuendam esse s. Congr. Rituum definivit in Verulana 11. Decembris 1613 et in Faventina 12. Maii 1616; id ipsum re discussa declarasse die 9. Decembris 1752 quoad Canonicos s. Mariae infra Portas; demum favere contendit immemorabilem consuetudinem; quare injuria modo oppugnari, quod tum ex juris dispositione tum etiam ex observantia debetur.

Quin objiciatur exercitationes moralium non esse ex functionibus publicis atque in iis convenire presbyteros non collegialiter congregatos sed uti singulos. Respondet enim, quod actus publicus sit vel privatus, dijudicari debet non a qualitate loci, in quo celebratur, sed ab ejusdem actus natura. Cum igitur in hisce ecclesiasticorum coetibus agatur de rebus ad animarum regimen et ecclesiasticam disciplinam spectantibus, actum publicum certo dici et jure censeri: praeterea advertit, quod Canonicis Collegiatarum etiam non collegialiter unitis, si functionibus ecclesiasticis intersint, adhuc praecedentia debetur, *Scarfanton. ad Ceccoper. tom. 1. tit. 14. num. 1 et seq.* Tandem concludit, quod quemadmodum dignior locus datus est Capitulo Ecclesiae Cathedralis et Parochorum Collegio, eadem honoris praerogativa tribuenda sit Canonicis Collegiatae SSmi Salvatoris, cum omnes eodem modo et forma exercitationibus moralium quaestionum intersint.

Interpellati fuerunt omnes, qui hac in re interesse habere poterant et licet annus et ultra jam effluxerit, nullus tamen unquam comparuit, verum ex folio nomine Canonicorum s. Mariae infra Portas Episcopo porrecto eruitur illorum mens, quod excepto Capitulo Cathedralis et Collegio Parochorum in Congregationibus casuum moralium nemini competat locus distinctus, cum omnes brevi indumento et non unitim illis intersint; caeterum advertunt, quod si petitioni Canonicorum SSmi Salvatoris annuere placeat, eisdem pariter distincto in loco sessio adsignari debeat.

Episcopus testatur quod „in decisionibus casuum moralium ex veteris Dioecesis consuetudine praeter eum, qui praeest, Canonicos Cathedralis,

Parochos, (quos inter Prior SSmi Salvatoris) et Theologum, qui eos solvit, nemini unquam particularis locus fuit destinatus, addit hanc de sedibus disssentionem subortam componere quoad potui modis omnibus curavi, et cum plenum difficultatibus negotium compererim, infectum reliqui et antiquum morem retinendum censui; demum concludit, ad me quod attinet et si semper novam et inusitatam existimaverim Oratorum petitionem, eis tamen libenter obsecundarem."

Concilium Romanum anni 1725 tit. 15. cap. 9. enim praecipit, quod tum in civitate tum in dioecesis oppidis qualibet hebdomada exercitationes casuum moralium et sacrorum rituum habeantur, methodo servata synodali, quae legetur in Appendice; in Appendice autem methodo 17. num. 4. de loco sedendi haec habentur: „Finita l'Orazione si porra ciascuno a sedere con ordine la meta per parte, ed in mezzo in faccia al Clero sedera il Prefetto."

Benedictus XIV. *de Synodo Dioecesana lib. 3. cap. 10. num. 7.* immediate post Capitulum Cathedralis et Abbates locum sedendi in Synodo tribuit Canonicis Collegiatarum civitatis, ita tamen ut antiquior et dignior Collegiata civitatis praeferatur aliis Collegiatis ejusdem civitatis. Ponderandum: an quae de ordine sedendi in Synodo, ubi omnes cum propriis insignibus accedunt, statuta sunt, servari quoque debeant in conferentiis casuum moralium, in quibus quotidiana veste indutus quisque interest. Videndum quanti habenda sit consuetudo et an obstet Canonicis SSmi Salvatoris post legem ab Episcopo latam ex oraculo s. Congregationis, in qua omnes de Clero saeculari civitatis coacti sunt resolutionibus casuum moralium interesse. Hisce animadversis vestrum nunc erit Emmi PP. decernere:

An in Congregationibus casuum post primum locum assignatum Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis a dexteris reverendissimi Episcopi debeatur Capitulo et Canonicis Collegiatae SSmi Salvatoris primus locus a sinistris ejusdem Rmi Episcopi in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 14. Decembris 1782.

9) Canonicor. Colleg. celebr. Episcopo.

Canonici et Archipresbyter Collegiatae Fundanae assistentes Episcopo solemniter celebranti debent sedere in loco aequali et scamno parato ut Canonici Cathedralis etiam quando assistunt in Cathedrali. N. 2694. ad 3 et 5 die 16. Junii 1674.

In functionibus intra Ecclesiam Cathedr. Episcopus provideat pro Canonicis Colleg. Tolentinae de loco condecenti. N. 3580 die 30. Apr. 1701.

In functionibus Cathedralis Canonicos Colleg. Surrenti collocandos esse inter alios de Clero in loco digniori post Capitulum Cathedralis. N. 4031 ad 7 die 12. Mart. 1735, n. 4094 ad 7 die 11. Julii 1739.


Vd.: *Sedes* (*Dignit.* etc.; celebr. et ministr. etc.)

10) In capella Papae.

Cf.: *Sedes Episcop. int. sese in Synodo provinc.*

De Ordine sedendi in capella Papae.

Summus Pontifex in solio suo pontificali sedet, quod ornatum esse debet cum suo pulvino, aureo panno cum postergali ex colore tempore congruente in capella, in consistorio autem publico etiam cum panno aureo pendente super caput, scabellum majus



simul cum plano solii panno rubro cooperitur et apud magnum scabellum apponitur parvum detectum, quo pro gradu utitur. Hinc inde a dextris et a sinistris sedent super scabella nuda rubro colore depicta Diaconi duo Cardinales assistentes, qui Pontifici serviunt et illum semper deducunt; et debent esse antiquiores Diaconi, id est, primo assumpti. A dextris Papae infra gradus solii Episcopi et Presbyteri Cardinales sedent in scamnis longis cum gradu et postergali pannis, quos vocant Atrebatenses, ornatis. Ea scamna duas fere partes quadradurae Consistorii occupant. In alio scamno sito contra primum scamnum Episcoporum Cardinalium pariformiter ornato sedent Diaconi Cardinales et antiquiores in capite. Quod si Presbyteri Cardinales in suis scamnis ob multitudinem sedere non possunt, sedent in sede Diaconorum, ordine tamen retrogrado, ut antiquiores sint in fine scamni et illorum junior sit post juniorem Diaconum; et hoc modo antiquior Presbyter, qui ultimo sedet in ista sede, videtur continuare post ultimo sedentem in ordine Episcoporum et Presbyterorum. Hoc saepe accidit in Basilica s. Petri, dum in abside sive Tribuna Ecclesiae apud altare majus Divina celebrantur. Quod si forte adest aliquis Princeps, qui sedere solet post Diaconos Cardinales in eorum ordine, ut hoc tempore Despotus Peloponensis, hic sedebit medius inter ultimum Diaconum et ultimum Presbyterum. Si autem ultra duos Assistentes non supersit nisi unus Diaconus, ille sederet post ultimum Presbyterum Cardinalem, in quocumque sedili Presbyter ille sedet. Quod si nullus superesset Diaconus et Presbyteri in suis scamnis sedere non possent, sederent ordine supradicto. Si Imperator Romanorum adest, sedet in sede cum postergali et parvo scabello viridi ornata, cum suo pulvino et panno aureo viridi, sita inter sedem Pontificis et scamnum Episcoporum Cardinalium; et tunc Diaconi assistentes non sedent in loco consueto apud sedem, sed ante faciem Pontificis in parvis scabellis positis supra supremum gradum solii pontificalis in cornibus. Reges etiam, inter quos computabatur Imperator Graecorum, sedent, primus, si plures adsunt, post primum Episcopum Cardinalem et alius post secundum et ita deinceps; sic quod semper aliquis Cardinalis, sive Episcopus sive Presbyter, sit medius inter Principem et Principem. Primogenitus Regis sedet post primum Presbyterum Cardinalem. Si Papa celebrat et Rex adsit, sedebit solus in Cathedra nuda inter Cardinalem assistentem Papae et Episcoporum Cardinalium sedem. Fratres autem aut alii filii Regum et reliqui maximi Principes sedent vel inter Diaconos mixtim cum eis, ita tamen, ut unus Diaconus primo sedeat et postea unus Princeps et sic deinceps; vel sedent post eos Diaconi in eodem ordine secundum qualitatem ipsorum. Si nullus adesset Diaconus Cardinalis, sedent eodem ordine inter et post juniores Presbyteros Cardinales. Quatuor vero Patriarchae principales, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus sedere consueverunt inter Episcopos Cardinales, ut supra diximus de Regibus; et in Curia Romana ferebant continuo cappam et faciebant sibi deferre caudas, ut Cardinales; nostris autem diebus et tempore Eugenii IV. neque sedent inter Cardinales neque portatur eis cauda, sedent autem ante assistentes Papae Episcopos non Cardinales et ut assistentes serviunt Papae de libro ac lumine. Alii Principes non ita clari sedent supremo gradu solii Pontificis. Ad sinistram vero

Pontificis in sedibus humilioribus sedent Episcopi non Cardinales assistentes Papae et inter eos Sacrista Palatii apostolici in loco statui suo condecenti; et hoc dico, si est Praelatus, ut semper consuevit esse. Reliqui Praelati sedent in sedibus pro eis ordinatis retro scamna Diaconorum Cardinalium sine gradibus aut postergali. In capella autem s. Petri infra sedilia ipsorum Diaconorum primum locum inter Praelatos obtinet Vicecamerarius deinde Oratores Regum ac Principum Praelati; tum Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum et Poenitentiarii; sed Protonotarii et Abbates solent habere proprium locum ultimum in ordine; alii supradicti sedent post Episcopos in fine scamnorum. Legi tamen, quod Procurator Ordinis Hierosolymitanorum et Procurator Ordinis Teutonicorum consueverunt sedere post Abbates. Meo tempore non vidi eos sedentes ibi neque alibi, ut Procuratores, sed aliquando gerentes se pro oratoribus sederunt cum aliis Oratoribus. Si autem Vicecamerarius est Protonotarius, cum Praelati habent sacra paramenta, debet tenere primum locum in sedili Protonotariorum et post eum alii Oratores Principum, si sint ejusdem ordinis. Senator, Conservatores et Barones urbis atque alii Proceres supradictis primis inferiores sedebunt in secundo et tertio gradu solii pontificalis pro eorum qualitate. Primum inter istos Senator locum obtinebit. Oratores Caesaris, Regum, Principum et Potentatum, qui sunt Praelati, sedent ordinarie post scamna Episcoporum sive Presbyterorum Cardinalium ante faciem Pontificis sedentis, nisi ibi sit altare aut in s. Petro et similibus locis, fiunt quasi duae alae Officialium, incipientes infra gradum solii hinc inde et simul conjunguntur ante faciem Papae in capite scamni Diaconorum Cardinalium et hi omnes Officiales sedere debent in terra super pannos viridos, qui cooperiunt solium capellae; etsi nostro tempore, qui a sinistris sunt, usurpaverunt sibi sedes super gradus ipsius capellae in Palatio apostolico, qui vero sunt a dextris, sedent in terra sine aliquo sedili secundum antiquas et debitas caeremonias, quamvis sint digniores, quod profecto rationi non congruit. Hic ordo sedendi super terram confunditur etiam in capella s. Petri post tempora Pauli secundi. Nam tunc nemo ipsorum audebat sedere aut in gradibus capellae Palatii aut in gradibus solii pontificalis in capella s. Petri, nisi in ultimo tantum gradu. Ordo autem sedendi in ipsis talis est. Subdiaconi primum, deinde Auditores Rotae, Clerici Camerae, Acolythi, Cubicularii, Secretarii, Advocati simul, et qui alas conjungunt ante faciem Pontificis. Subdiaconorum antiquior primum locum obtinet a dextris, secundus primum locum a sinistris, tertius secundum locum a dextris et quartus secundum locum a sinistris et sic deinceps. Ex Auditoribus Decanus Rotae servit de Mitra et sedet inter Cubicularios secretos in capella Palatii et locis similibus. In Ecclesia autem s. Petri sedet super gradum secundum aut tertium non longe a pedibus Diaconi Cardinalis a dextris, ut commodius possit ministrare Mitram. Antiquior ex aliis primum locum tenet a dextris post Subdiaconos, tertius primum locum a sinistris post eosdem. A dextris post primum Auditorem locum tenet Magister s. Palatii, qui, ubicumque Ordines Curiae conveniunt, si adest, sedet vel stat post unum ex Auditoribus; et si unus tantum adesset vel si omnes adessent, unus tantum ex eis praecedit Magistrum s. Palatii et ita vidimus semper servari. Sequuntur deinde hinc inde alii Audi-

tores, Clerici Camerae et Cubicularii in conjunctione alarum. Secretarii et Advocati sedent. Quod si numerus Cubiculariorum et aliorum inferiorum esset amplior, conduplicantur post primos alii, ita tamen, ut in primo circulo sint ex omni ordine aliqui post ipsos. E regione Papae sedent Procuratores quatuor Ordinum Mendicantium et post eos Procuratores aliarum religionum. Duo Cubicularii secreti sedent in terra ad partem sinistram haud longe a sede Papae ad pedes Episcoporum assistentium et inter eos medius Decanus Rotae serviens de Mitra et Secretarius Papae, si non est Praelatus. Medicus Papae sedet in capite gradus scamni Diaconorum Cardinalium ante Pontificis faciem. Caudatarii Revdss. Cardinalium sedent super gradus scamnorum ad pedes Dominorum suorum. Praelatus celebrans sedet in suo faldistorio prope cornu Epistolae. Assistens Capellanus ejus in gradu altaris penes Praelatum et ante eum Diaconus et Subdiaconus ministrantes. Serviens de Mitra post renes Capellani assistentis. Reliqui Ministri Celebrantis cum superpelliceis sedent super terram facientes alam a sinistra. Praelati et omnes praedicti vertunt faciem suam sedentes, ut vertit Celebrans. *Cathedra sive faldistorium Celebrantis, si locus patitur, semper debet esse apud sinistrum cornu altaris, hoc est, a latere epistolae.* Hoc enim cornu sinistrum voco respectu ipsius altaris, sicut est, dextrum vero, ubi legitur Evangelium. Qui aliter appellant, respectum habent ad Celebrantem, non ad altare. Nam unumquodque corpus dextrum latus habet et sinistrum. Sed Celebrans, dum cantat vel legit Officium Missae, vertit faciem ad altare, ubicumque sit. Dum autem sedet, si altare est apud parietem et tam Clerus quam populus sunt inferius, ut in capella Palatii et communiter in plerisque ecclesiis, tunc Praelatus sedens vertat faciem ad populum, et solium Papae tunc locari solet a parte Evangelii, id est a dextera. Si vero altare sit in medio a sede, id est, tribunae, Papa sedet in medio contra altare et Celebrans in cornu epistolae praedictae et vertit faciem ad sedem Papae, ut in s. Petro et multis ecclesiis urbis. Alii autem praeter supranominatos, quantumcumque Nobiles aut Graduati sint, non sedent in Capella apostolica. Laici stant, Clerici togati sedent in terra super pannos virides; sed in capella s. Petri et locis similibus, quia extremitates alarum conjungi non possunt propter altare, Cubicularii et alii inferiores sedent ad partem post primos in terra vel inter sedes Praelatorum ad sinistram et gradus solii pontificalis. Et nota, quod nullus omnino, cujuscumque ordinis sit, debet sedere solus. Si unus superesset Diaconus, sederet cum Presbyteris Cardinalibus. Si unus tantum adesset Protonotarius aut Abbas, sedebit post Episcopos et sic de singulis. Et hic est ordo sedendi in Capella apostolica. Alii autem Officiales, qui non sedent, hoc ordine stant.

De illis, qui stant, ac primum de Magistro s. Hospitii et Scutiferis Papae ac minoribus Nobilibus.

Magister s. Hospitii, quae dignitas, ut alias diximus, est in nobili domo Comitum, stat ante introitum scamnorum Cardinalium, id est, apud finem scamni Presbyterorum Cardinalium et post eum stant Magistri ostiarii cum suis virgis purpura tectis. Scutiferi Papae et minores Nobiles stant in ipso introitu scamnorum et post scamnum Presbyterorum Cardinalium.

De Servientibus Armorum.

Servientes armorum stant circa ostium cancelli capellae intus et extra,

servantes ostium cancelli, quamvis antiquis temporibus nullo pacto intrabant capellam, sed extra cancellum stabant omnes. Sed non est multum inconveniens, quod duo ex eis sint intus, dummodo contineant se apud ostium et non discurrant per capellam. Quod si aliqua mandata habeant ab extra ad dominos Cardinales aut aliquos, nutu vocent aliquem ex Clericis caeremoniarum et per illum mandata transmittant. Intra cancellos capellae non permittant intrare nisi illos, qui debent intrare; multitudinem stantium intra cancellos et scamna Cardinalium expellant, ita quod non occupent Praelatos neque conculcent Oratores. Dimittantur ibi tantum nobiles Scutiferi Papae et unus vel duo pro quolibet Cardinali. Clerici togati in terra sedeant aut extra mittantur. In capella non permittant sedere super scamna nisi Oratores et Praelatos consuetos; procurent, ut teneatur silentium, dum Sacra fiunt et maxime dum fit sermo et dum Cantores silent.

Rursus circa altare Clerici caeremoniarum circumstant et apud credentiam intenti et soliciti ad omnes actus, qui in capella fiunt.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. II. p. 345.)

11) Capellanorum Basilicae s. Mariae Majoris.

Romana.

S. Rituum Congregatio, inhaerendo decreto alias sub die 10. Novbr. 1667 lato ad favorem Joannis Baptistae Oliverii Coadjutoris Vincentii Grigi Capellani de Angelis in sacrosancta Basilica s. Mariae majoris de Urbe, iterum declaravit, competere Joanni Cruciani Coadjutori Caroli de Marchis Capellani Toletani in eadem Ecclesia s. Mariae majoris locum in choro praesente ejus Coadjuto, dummodo sedeat in ultimo loco post omnes alios veros Capellanos, iisdem supervenientibus stallum dimittere et digniorem locum deferre et si sufficiant tantum veris Capellanis, omnibus iisdem praesentibus vel supervenientibus a choro discedere Coadjutorem teneri; et ita decrevit et servari mandavit.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1244 n. 2204.)

12) Capellanorum Eccles. Colleg.

Nullius Altamurae.

Relata in S. Rituum Congregatione ab Emmo de Abdua controversia inter Canonicos ex una et Capellanos Collegiatae ecclesiae Altamurae Nullius provinciae Baren. super jure sedendi in stallis choralibus Canonicorum immediate post Canonicos a Cappellanis praedictis praetenso, eadem s. Congregatio, visis et auditis juribus tam in scriptis quam in voce ab utraque parte informante deductis respondit: *Licere Capellanis sedere in octo stallis superioribus Canonicorum juxta solitum.*

Die 5. Martii 1695.

(Anal. J. P. 1865 p. 1353 n. 2560.)

13) Celebrantis et Ministrorum.

Cf.: *Sedes Prioris; Sedes Dignit.*; *Vesp. Paroch.* (sedes.)

Diaconus et Subdiaconus sedere possunt cum Celebrante, dum cantatur a choro *Kyrie, Gloria et Credo,* et si dabitur tempus licebit eis etiam sedere, dum cantatur Epistola a Subdiacono et Graduale a Cantoribus. N. 15 ad 6 die 16. Martii 1591.

Indulgendum esse, ut Beneficiati Ecclesiae Cathedr. Perusinae, dum Missas solemnes celebrant cum Diacono et Subdiacono, possint et debeant sedere ad *Gloria, Epistola et Credo.* N. 136 die 15. Jan. 1611.

Quodsi SS. Sacramentum est in Tabernaculo inclusum, ita ut a populo non videatur, *potest* tolerari consuetudo, ut Clerici ministri altaris seu alii cum cotta concioni etc. interessentes, quibus alius locus non sit assignatus, sedeant in gradibus dicti altaris. N. 374 ad 12 die 15. Martii 1608.

Celebrantes Missam solemniter sedeant in loco parato pro celebrantibus a latere Epistolae. N. 687 ad 2 die 12. Junii 1627.

Tam in Missis de Sanctis quam de Feriis regulas Missalis in sedendo, stando et genuflectendo omnino servandas esse. N. 923 ad 6 die 5. Julii 1631.

Quum novissime aliqua ex parte reficeretur Colleg. Eccl. Oppidi Argentiae Ravennat Archidioec. permutatum fuit altare, ubi in custodia asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum et dum prius existebat a latere ev. Arae principis illius Eccl., translatum est in praesentiarum ad latus ep. ejusdem, quae quidem translatio efficit ut in Missa solemni Celebrans sacrique ministri, dum sedent, terga vertant Sacramento. Hac occasione nonnulli existimant sedem hanc a loco suo removendam et in parte altera collocandam, alii vero ex adverso pugnant retinendam esse solito in loco. Ad quaestionem omnem de medio tollendam humillime rogavit S. R. C. Capitulum ipsum, ut dubium dirimere dignaretur. Et s. eadem C. ad Vaticanas aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: „Sedes teneatur a cornu ev. juxta rubricae titulum XVII. §. 6 et aliquo modo provideatur decentiae debitae SSmo Eucharistiae Sacramento.“ Atque ita rescripsit servarique mandavit. N. 4996. Die 7. Decbr. 1844.

Ad dubium: An Decretum S. R. C. diei 17. Sept. 1822 prohibens pro celebrante sedem cameralem loco scamni cooperti tapete, comprehendat etiam ritum dominicanum?

Emmi et Rmmi P.... respondendum censuerunt:

„Affirmative.“

N. 4766 ad 2. Die 8. Aug. 1836.

De loco sedis Celebr. et Min.; vd. *Instr. Clem.* §. XXV. n. 1, 2. *et pag. 666 et 668 n. 13.*

Sacerdos, Diaconus et Subdiaconus solemniter celebrantes possunt et debent sedere in bancho, dum cantatur Cloria et Credo, etiamsi sint Beneficiati vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine.

S. R. C. in Perusina 15. Jan. 1611.

14) Celebrantis et Ministror. praesente Episcopo.

S. Jacobi de Chile.

Ad dub.: *An in missa solemni vi assertae consuetudinis Canonicus celebrans ejusque ministri, praesente etiam Archiepiscopo, cum hic suam sedem non occupat, possint sedere in latere Evangelii ipso in loco, ubi sedes archiepiscopalis collocatur, quia fixa non remanet?*

Resp.: Ex dispositione Caeremonialis Episcoporum (lib. 1, cap. 13) sedes episcopalis, si collocari non possit in medio absidis, statuenda est in latere Evangelii, eaque, ut haec s. Congregatio in una Conimbrien. die 23. Maii 1603 declaravit, fixa et immobilis manere debet. Excepto autem Episcopo loci vel Legato Sedis Apostolicae nemo sedere ibidem potest, etiamsi adesset consuetudo; haec enim nimis contraria esset praescriptionibus rubricae et decretis hujus s. Congregationis. Rubrica enim Missalis romani tradens ordinem genuflectendi, sedendi et

standi in missa privata ac solemni num. 5 haec habet: „In missa solemni celebrans medius inter Diaconum ac Subdiaconum sedere potest a cornu epistolae juxta altare.“ Item Caeremoniale Episcoporum recensens in cap. 12. lib. I. ea omnia quae parari debent pro missa solemni, cum Episcopus non celebrat, memorat: „Scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno ad latus epistolae, in quo sedeat sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.“ Nec aliter statuit s. haec Congregatio in una Brundusin. die 12. Junii 1627. Adeo autem voluit praefatam rubricae dispositionem sartam tectamque servari ut ne in casu quidem necessitatis ab illa recessit. Cum enim in ecclesia Collegiata oppidi Argentiae Ravennatensis (vd. p. 668) Archidioecesis permutatum fuisset altare, ubi asservabatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et dum prius existebat a latere evangelii arae principis illius ecclesiae, translatum esset in praesentias ad latus epistolae, quae quidem translatio efficit ut in missa solemni celebrans sacrique ministri, dum sedebant, terga verterent Sacramento, hac occasione nonnulli existimarunt sedem celebrantis a suo loco removendam et in parte altera collocandam, alii vero ex adverso pugnabant retinendam esse solito in loco. Ad quaestionem omnem de medio tollendam humillime hanc s. Congregationem rogarunt, ut dubium dirimere dignaretur. Sacra vero Congregatio ad Vaticanas aedes Ordinariis in Comitiis die 7. Decembris 1843 coadunata rescribendum censuit: „Sedes teneatur a cornu epistolae juxta rubricae titulum XVII. num. 6 et aliquo modo provideatur decentiae debitae SSmo Eucharistiae Sacramento.“

Quae cum ita sint respondendum censerem: *Negative.*

Ad dub.: *Utrum, attenta consuetudine, Canonicis celebrantibus vel Archiepiscopo ministrantibus liceat sedere in sedibus cameralibus?*

Resp.: Usque ab ecclesiae primordiis cautum semper fuit ut sedes presbyterorum omnimode a sede episcopi essent distinctae. Hujus rei testimonium exhibent plura Conciliorum decreta, omnes libri rituales et evidentius etiam presbyteria veterum ecclesiarum. Neque hac in re a vetusta recessit praesens disciplina; dum enim Caeremoniale Episcoporum jubet (lib. I. cap. 13) sedem Episcopi in modum cathedrae constructam pannisque sericis contectam esse debere, presbytero missam solemnem concedit tantum (lib. I. cap. 12) *scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno.* Quacumque itaque sede, quae formam cathedrae retineat, uti non possunt in ecclesia presbyteri; hinc reprobandus mos illorum est, qui dum missam solemnem celebrant in sedibus cameralibus sedendi jus sibi arrogant. His quippe non utuntur neque praelati romanae curiae neque Canonici patriarchalium et aliarum insignium ecclesiarum, quinimo nec ipsi Episcopi extra propriam dioecesim. Hae autem consuetudo a S. Rituum Congregatione rejecta semper est ac reprobata et praesertim in una Turritana die 19. Maii 1614; in una Cajetana die 22. Novembris 1643; in una Reginaten. die 31. Julii 1665, et tandem decreto die 17. Septembris 1822, in quo jussu Pii VII. sa. mem. mandatur locorum Ordinariis, ut stricte hujus decreti observantiam urgeant. Scio equidem s. hanc Congregationem in una Caesenaten. die 29. Martii 1659, attenta consuetudine legitime praescripta, Canonicis missam solemnem extra Cathedralem celebrantibus usum sedium cameralium permisisse. At huic decreto inniti non posse Canonicos Dioeceseos s. Jacobi de Chile facili ra-

tione ostendi potest. Illud enim inprimis latum fuit pro Canonicis missam solemnem extra Cathedralem celebrantibus, deinde post decretum diei Septembris 1822 in Dioecesi tantum Caesenatensi vim habet.

Quod si, ut ostendimus, Canonici missam solemnem celebrantes sedere non possunt in sedibus cameralibus, id multo minus ipsis licebit, cum Episcopo ministrant in officio Diaconi et Subdiaconi. Et sane Caeremoniale Episcoporum (lib. 1, cap. 9) jubet Diaconum et Subdiaconum Episcopo ministrantes *in scamno alieno parato in cornu epistolae sedere.* Non itaque ipsi graventur sedere in scamno parato, dum Diaconus in missa solemni Summi Pontificis, licet cardinalitia fulgeat dignitate, in nudo scabello sedet.

Hinc propositum dubium solvendum crederem: *Negative.*

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861. p. 782.)

15) Celebrantis et Ministror. cor. SSmo.

Vd.: *Sedes Dignit. et Canon.* (ad Altare); *Sedes Diaconi et Subdiaconi; Instructio Clem.* §. XXV. n. 1 et 2, 3, 4, 5, 6 etc.; *Sedes Celebr. et Ministr.* (decr. n. 374); *Sedes cor. SSmo;* vd. *pag. 668 n. 374; pag. 673. e.*

Quando in sol. Process. Corp. Chr. Processio sistit, Sacerdos celebrans, Subd. et Diaconus non debent sedere neque in scamno neque in sedibus.

S. R. C. 21. Jan. 1690.

16) Celebrantis solius.

S. Miniati.

S. R. C. requisita a Capellanis Ecclesiae s. Miniati: an ex eis alter, qui celebrare debet Missam cum cantu in ipsa Cathedrali, absque tamen s. Ministrorum assistentia, possit sedere in scamno diverso ab illo, in quo sedere solent Canonici cum assistentia s. Ministrorum, dum decantantur *Gloria, Credo et Sequentia,* quamvis hujusmodi sessio hucusque in memorata Cathedrali locum non obtinuerit; ad relationem subscripti Secretarii in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: „Affirmative, dummodo sedeat in scamno diversimodo ornato seu remissiori apparatu ab illo, qui Canonicis exhibetur.“ Atque ita servandum censuit. N. 5205 die 12. Aug. 1854.

Theanen.

Cum Episcopus Theanen. gubernatoribus et oeconomis ecclesiae SSmae Annuntiatae civitatis praedictae prohibuerit, ne imposterum in diebus solemnibus celebrantes in sedibus cum suppedaneo, tapetio et appodio sedere facerent, gubernatores et oeconomi praedicti ad S. Rituum Congregationem habito recursu pro concessione literarum remissorialium ad probandam consuetudinem sedere faciendi celebrantes eisdem modo et forma, ut supra expressis, instituerunt. S. eadem Rituum Congregatio ad relationem Emmi Pamphilii Ponentis, prius visa relatione Episcopi, cui pro informatione scriptum fuit, nec non auditis tam in voce quam in scriptis tum Episcopo tum gubernatoribus et oeconomis praedictis: *Servetur Caeremoniale*, respondit et ita decrevit et servari mandavit.

Die 17. Decembr. 1695.

(Anal. J. P. 1865, p. 1258. n. 2583.)

17) Cleri.

a) In Cathedrali.

Presbyteri communales terrae Centi aequaliter sedere debent sed post Canonicos Cathedr. N. 3224 ad 2 die 10. Junii 1690.

Ad dub.: An Priori Collegiatae Ecclesiae s. Venantii, occasione accessus capitulariter ad Ecclesiam Cathedralem, debeatur locus in presbyterio ejusdem Cathedralis?

Et S. R. C. respondit: *Negative.*

Et ita decrevit ac servari mandavit. N. 3877 ad 1. Die 11. Maii 1715.

Ad dub.: An intervenientibus Archipresbyteris aliisque de Clero trium Ecclesiarum paroch. (civitatis s. Severi) in choro Cathedralis, sedere iidem debeant in stallo Abbatum Beneficiatorum capituli seu potius in alio scamno inferiori?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem post Abbates Beneficiatos; negative ad secundam. N. 4262 ad 3 die (13. Mart.) 18. Decbr. 1756.

Cf.: *Sedes Dignit. et Canonicor. Processio* (clerus).

b) Sine habitu chorali.

In stallis canonicalibus non decet tempore divinorum officiorum residere eos, qui non sunt in habitu chorali. N. 3597 ad 10. Die 10. Sept. 1701.

c) In Choro.

Romana.

Ab anno 1847 exorta quum fuerit controversia inter Capitulum Patriarchalis Basilicae s. Mariae majoris et Capitulum Collegiatae Basilicae s. Marci de Urbe super jure sedendi in choro ipsius Collegiatae s. Marci in die ejusdem s. Evan gelistae occasione Litaniarum majorum, eaque tandem ad S. Rituum Congregationem delata, huic in ordinariis comitiis ad Vaticanum coadunatae die 29. Martii superioris anni 1851 disceptandum propositum fuit sequens inter partes formiter concordatum dubium, nimirum: *An et cui debeantur sedes chorales a cornu epistolae in Ecclesia s. Marci die 25. Aprilis in litaniis majoribus?* Quamvis autem tunc ab utraque parte multa adducta sint ut jus suum tueretur, placuit tamen Emmis et Rmmis Patribus sacris tuendis ritibus praepositis judicium differe atque alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum ex officio requirere. In novo itaque ordinario coetu hodierna die ad Vaticanum pariter habito iterum proposita quaestione ab Emmo et Rmmo et D. Card. Aloisio Lambruchsini Episcopo Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, ejusdem s. Congregationis praefecto, hujus causae relatore, una cum voto ex officio Magistri Caeremoniarum sacra eadem Congregatio rescribendum censuit in terminis queis fuerat dubium concordatum, nimirum: *Durante Missa ad Capitulum s. Marci, deinde ad Capitulum s. Mariae majoris.*

Die 10. Januarii 1852.

Quum autem SSmo Dmo. nostro Pio IX. Pontifici maximo per me subscriptum Pro-Secretarium fidelis facta fuerit super expositis relatio, Sanctitas Sua rescriptum s. Congregationis confirmans mandavit ut Capitulum s. Marci excipiat Praesulem celebrantem, necnon missae celebrationi assistat in suis sedibus, celebrantem ipsum comitetur ad sacrarium, eumque ad altare revertentem associet ad ostium usque sacrarii. Dum autem universus Clerus processionaliter discessit, tunc Capitulum ipsum s. Marci suam perficiat processionem: et assistentiae Missae ut supra et processioni Sanctitas Sua voluit ut assignata sit praesentibus distributio quotidiana respondens matutino cum laudibus et hora minori Prima, quae ex apostolico indulto locum non habet eadem die intuitu processionis solemnis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, praesertim peculiaribus concessionibus super re jam datis. Die 15. recensitis mense et anno.

Montis Pessulani.

Quum D. Flottes olim Archidiaconus et Vicarius Generalis in Dioecesi Pessulan. Sacrorum Rituum Congregationem rogarit, ut declarare dignaretur: An Episcopus inconsulta s. sede possit, omissis tenore et die tituli, inter Canonicos honorarios, quos in Cathedrali sua habet, nonnullos deligere, ut jus inserviendi Episcopo celebranti, quod ex institutione competit omnibus Canonicis honorariis, illis solis tribuat atque jus sedendi ante alios illis vel recentioribus conferat? Haec in ordinariis comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata rescripsit: *Ex consuetudine non posse.*

Die 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1427 et 1429.)

Pisana.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

In primatiali Ecclesia Pisana consueverunt Capellani, dum divina officia peragunt, in choro ordinario sedere, non quidem omnes, sed ex iis aliqui immediate post Canonicos in eadem linea in iisdemque subselliis, in quibus assident Canonici; non tamen ad ea aditum ingressumque habent ex eodem loco, ex quo ingrediuntur Canonici. Ceteri vero Capellani, qui talem sessionis locum capere nequeunt ob subselliorum numerum imparem omnes sedent in ordine inferiori.

Aestivo autem tempore, cum Vesperae recitentur in alio Ecclesiae loco solaribus radiis minus obnoxio, tunc omnes Capellani consident in linea et ordine inferiori. Hoc quoque ipsum servatur, dum quotannis in Dominica in Albis, adstante Archiepiscopo et Clero, ostenduntur populo sacrae reliquiae in praedicta ecclesia asservatae.

Praeterea, dum conciones habentur in Adventu et in Quadragesima, Canonicis, qui iis intersint, destinata sunt subsellia superiora et viridi panno ornata. Omnes vero Capellani sedent in linea inferiori ante ipsos Canonicos et in nudis subsellis: quae sane sessionis norma adhiberi itidem solet in Synodis, prout haec omnia refert in literis ad hanc s. Congregationem datis Archiepiscopus.

At nuper mutua inter Canonicos et Capellanos quaestio suborta est. Canonici enim contendunt, non licere ulli ex Capellanis in choro ordinario sumere sibi sessionis locum in eadem linea, in qua assident ipsi Canonici, sed omnibus Capellanis injungendam esse sessionem in subselliis inferioribus, prout haec sunt iis assignata seorsim a Canonicis, tam in choro aestivo quam in omnibus aliis functionibus, quae in ecclesia peraguntur. Talem quoque eminentiorem ac distinctum sessionis locum dicti Canonici sibi deberi existimant et concedi consuevisse affirmant extra Ecclesiam primatialem, videlicet in aliis ecclesiis, quas adire solet omnis Clerus ex causa Processionum.

Plures ad eam honorificentiam sibi vindicandam circumstantias exponunt.

Hyemali quippe tempore utuntur Cappa magna rubea, aestivo autem Mozzetta ejusdem coloris supra Rocchettum. Jus habent conferendi Capellanias vel instituendi Capellanos, quos Patroni praesentaverint vel quibus collatio facta fuerit a Sede apostolica.

Omnes Capellani in ingressu spondent interposita jurisjurandi religione se obedientes fore Capitulo et Canonicis eisque juxta eorum statuta, consuetudines et ordinationes, in divinis officiis deservituros debitumque honorem et reverentiam exhibituros. Jus denique Canonicis est eligendi quotannis et confirmandi caput Capellanorum, quod vocant *Magiscola.*

Ex diverso autem Capellani imitantur veterem morem, qui supra relatus fuit, circa ordinem sedendi in choro ordinario; indeque inferunt, eamdem esse servandam normam sessionis aliis in locis et functionibus ecclesiasticis; prout consuetudinem sibi favere contendunt, quando Clerus in generalibus supplicationibus alias ecclesias ingreditur.

Tria itaque, quae sequuntur, dubia proponuntur disceptanda:

1. An liceat Capellanis Beneficiatis primatialis Ecclesiae Pisanae sedere in choro ordinario immediate post Canonicos et in eadem linea?

2. An id ipsum liceat eisdem Beneficiatis in choro aestivo?

3. An idem sit servandum in omnibus sacris functionibus peragendis a Capitulo et Canonicis cum interventu eorumdem Beneficiatorum in omnibus aliis ecclesiis civitatis in casu?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative juxta modum, videlicet quod genuflexoria Canonicorum ornentur panno viridi, nec ea, licet vacua, possint a capellanis occupari; ad 2 et 3: Negative.

Die 2. Junii et 18. Aug. 1731.

Vd. *Processio* (clerus).

d) Cleri regul. in Collegiata.

Occasione sol. processionis fieri solitae in festo ss. Conceptionis PP. conventuales civitatis Valenciae Dioec. Papian. habere debent solitum locum in choro et stallo Collegiatae a cornu epistolae ibique honorantias solitas recipere sed post Canonicos etiam non interveniente Praeposito. N. 4008 ad 2 die 5. Mart. 1732.

e) In processione.

Ad. dub.: An celebrante Archiepiscopo seu solum assistente vel etiam ipso absente liceat Subdiacono associanti crucem Capituli nec non Sacerdoti celebranti ac Diacono et Subdiacono ipsi assistentibus in process. SS. Corp. Chr. adducere facere post se scabella seu sedes ornatas brachiis, in quibus soleant assidere?

S. C. resp.: *Negative,* etiamsi deferantur ad ornatum tantum. N. 3201 ad 4 die 21. Jan. 1690.

Cf.: *Sedes in Process.; Instr. Clem. §. XXI. 9. 10. Vd. pag. 670 n. 14.*

f) Cor. SSmo expos.

Ad relationem: quod in Ecclesia s. Laurentii Toletanae consuescunt omnes Monachi atque etiam Collegae saeculares Seminarii ejusdem Monasterii audire conciones sedendo in gradibus altaris majoris, terga vertando SSmo, sit vel non sit expositum. Quaeritur: an haec consuetudo sive corruptela debeat tolerari?

S. C. resp.: *Negative.* N. 4505 ad 3 die 20. Sept. 1806.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXV. n. 1 et 2. etc. 6 etc.; §. XXVII. n. 7. *Biretum cor. exp. SSmo.* (decr. n. 4469); *SS. Sacramentum* (detectio cap.); vd. *p. 668 d. n. 374.*

g) In Synodo.

Ad dub.: An Canonici Metrop. Urbini in Synodo possint sedere in scamno duorum graduum?

S. C. resp.: Posse in hoc casu, dummodo sedes Archiepiscopi sit elevatior. N. 3549 ad 4 die 23. Jan. 1700.

Ad dub.: An Canonici Metr. Urbini debeant omnes sedere ad dexteram Archiepiscopi vel potius hinc inde ad dext. et sinistram?

S. C. resp.: Servetur forma praescripta a Caerem. N. 3549 ad 5 die 23. Jan. 1700; n. 3563 ad 6 die 22. Maii 1700.

Ad dub.: An in Synodo dioeces. Capitulum et Clerus Cathedr. sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi vel extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi?

S. C. resp.: Synodus fiat extra Presbyterium, et quoad secundam partem circa sessionem: arbitrio Episcopi. N. 3559 ad 1 die 8 Maii 1700.

Ad dub.: An intelligi debeat de semicirculo perfecto et rigoroso an vero satisfactum censeatur dispositioni Caer. Ep. l. I. c. ult., si Canonici Cath. occupent faciem anteriorem ex utraque parte?

S. C. resp.: Satisfieri, si occupent faciem anteriorem ex utraque parte. *Ibid. ad 3.*

In casu, quo Canonici Cathedr. sedere debent extra Presbyterium, Canoni Coll. sedere debent post terga Canonicorum ex una tantum parte a dexteris. *Ibid. ad 4.*

Sedilia Canonicorum *Cathedr.* debent esse elevata a pavimento per unum gradum sed non sedilia Canonicorum Colleg. *Ibid. ad 5 et 6.*

Canonicis Cathedralis non competere scamnum seu altiorem locum nisi in Synodo. N. 3601 die 1. Oct. 1701.

Ad dub: An in Synodo Neapolitana et in aliis publicis functionibus faciendis in civitate debeatur praecedentia Praeposito et Canonicis Collegiatae vel potius parochis?

S. C. resp. sub die 12. Julii 1727: „Dilata et ad mentem; mens autem fuit, quod exquireretur observantia aliarum Dioecesium et modus etiam, quo in civitate Neapolis ordinantur processiones.“ Ad iterum propositum hoc dubium S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 3994 die 9. Decembris 1730.

Ad dub.: An et qui locus debeatur Canonicis Collegiatae Surrenti ad Cathedralem accedentibus occasione Synodi?

S. C. resp.: Serventur notata per Gavantum in praxi c. 13. n. 10. titul. de Synodo. N. 4094 ad 7 die 11. Julii 1739.

Ad dub.: An Canonici Cathedr. Casalen in Synodo possint uti sedibus cum brachiis vel potius uti debeant scamnis a pavimento elevatis per unicum gradum aliquo panno coopertis et possint etiam Canonici Colleg. uti iisdem scamnis absque tamen dicto gradu, aliquo panno vero coopertis?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; ad tertiam affirmative; et quoad colorem, arbitrio Episcopi. N. 4226 ad 5 die 15. Julii 1752.

Sedes Canonicorum Cathedr. cooperiantur aliquo panno viridi; item sedes Canonicorum Colleg. N. 3559 ad 7 et 8 die 8 Maii 1700.

In *provincialibus Synodis* sedilia disponentur capacia pro numero Episcoporum, Abbatum aliorumque ecclesiastica dignitate fulgentium; item pro Canonicis ac etiam pro Laicis, si qui interfuturi sunt. Sedes Metropolitani collocabitur apud altare et ante faciem ipsius sedilia Episcoporum per gyrum, deinde conduplicatis sedibus post Episcopos caeteri proximiores vel remotiores pro graduum diversitate.

In *dioeces. Synodis*, quia non interveniunt Episcopi, disponentur Dignitates et Canonici Cathedr. parati hinc inde a lateribus Episcopi vel ante Episcopum semicirculum facientes.

Caer. Ep. l. I. cap. XXI. n. 7—9.

18) **Coadjutoris Canonici.**

Vd.: *Coadjutor.*

Neritonen.

Stephanus Guerrerius novissime provisus de coadjutoria Archidiaconatus Neritonen quaesivit a s. Rituum Congregatione, quo in loco debeat ipse sedere, absente Archidiacono coadjuto; item an ad ipsum spectent functiones, quas faceret idem Archidiaconus, si praesens esset. Eadem s. rituum Congregatio, Illmmo Cardinale Crescentio referente, censuit Coadjutori competere locum seu stallum, in quo sederet Archidiaconus coadjutus, si praesens esset, nec non ad eumdem coadjutorem spectare functiones, quas obiret idem Archidiaconus, si adesset.

Die 12. Octobris. 1619.

(Anal. J. P. 1863 p. 157.)

Papien.

Quaesitum fuit: an coadjutor mortuo coadjuto retinere possit eumdem locum in choro, quem habebat coadjutus?

Et s. Congregatio juxta alias resoluta respondit: Coadjutorem mortuo coadjuto, ultimum locum inter Canonicos habere debere, nec ei suffragari in hoc possessionem captam tempore coadjutoriae.

Die 16. Aprilis 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 271.)

19) **Pro concione audienda et extra eam.**

Sedes pro audienda concione ita debent aptari, ut aliis retro stantibus ad visum Praedicatoris non officiant. S. Congregatio in Faventina die 11. Aprilis 1601.

Sedes non debent esse in ecclesia extra tempus concionum; s. Congregatio Episc. in Januen die 7. Aprilis 1583; maxime si sint occasio scandali. S. Congregatio Episc. in Cirentina die 24. Septembris 1585; nisi sint lapideae vel etiam ligneae parietibus adhaerentes. Sacra Congregatio Episc. in Sarzan. die 21. Novembris 1600 et 28. Febr. 1601.

Cf. *Sedes* (situs, Dignit. etc.)

20) **Confessionalis.**

Vd.: *Visitatio de Poenitent.*

a) In Eccles. confraternit.

Ad dub.: An in ecclesia seu capella confraternit. B. V. M. 7 dol. Maratheae ad recipiendas sacramentales ipsorum ac etiam mulierum et aliorum confessiones retineri valeant sedes confessionales?

S. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi exceptis mulieribus.

Die 15. Julii et 12. Aug. 1747.

b) In oratoriis confraternit.

Quod spectat ad facultatem excipiendi in oratorio confraternitatis sacramentales confessiones, animadvertere praestat, quod in statutis cl. me. Card. Cerri, quando loquitur de officio Capellani, eidem onus injungitur: di confessare et administrare la sagrosanta Eucharistia a chi si vorra in in detto nostro oratorio confessare, e communicre, pero con licenza del Signor Arciprete, che sara pro tempore, et s. Congr. in Cassanen. praeter alia praeposito IV. dubio: An in ecclesia seu capella praedictorum Confratrum ad recipiendas sacramentales ipsorum ac etiam mulierum et aliorum confessiones valeant sedes confessionales retineri? Die 12. Augusti 1743 respondit: Affirmative de licentia Episcopi exceptis mulieribus.

S. C. C. die 14. Sept. 1782. *Ferrarien.*

Vd.: *Orat. priv.* (missa in variis etc., Constitutio Bened. XIV.) *Orat. publ.* functiones etc. praecipue t. II. p. 499 n. II.)

c. In publ. Oratorio.

Ad dub.: An in Oratorio publico Dioec. Comen. per Sacerdotes ab Ordinario approbatos excipi valeant quocumque tempore sacramentales Fidelium confessiones independenter a parocho?

S. C. resp.: *Negative.*

Die 17. Maii 1749.

Ad dub.: An in Oratorio publico liceat retinere sedes confessionales pro confessionibus audiendis?

S. C. resp.: Negative nisi de licentia E. Abbatis.

Die 13. et 17. Junii 1744.

21) Confraternitatum.

Vd.: *Sedes Laicorum.*

22) Diaconi et Subdiaconi.

Vd.: *Sedes Ministror. in missa* (decr. n. 4603); *Sedes Celebrantis et Ministr.*

23) Dignitatum et Canonicorum.

a) Ad Altare.

Cf.: *Sessio; Assistens Episcopo* (sedes); *Sedes Celebrantis* etc. *Chorus* (ornatus); *Sedes Cleri in Synodo. Usus Pontifical. Sedes hebdomadarii; Canonici* (praecedent.)

Canonicus *paratus* celebrans Vesperas seu Matutinum sedere debeat in primo stallo, hoc est ab una parte in stallo Decani, ab altera in stallo Archidiaconi, ita ut sedes Archiepiscopi *canonicalis* ipso absente, remaneat vacua, quando ab ea parte sedere contingit Celebrantem. N. 555 die 31. Mart. 1618.

Non licere Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo Divinis assistenti, sedere in scamnis coopertis sed super scabellis nudis juxta Caerem. l. I. cap. VIII., non obstante allegata consuetudine. N. 874 die 24. Aug. 1630.

Omnes Assistentes in eodem plano sedere debere, si locus sit capax. N. 898 die 8. Febr. 1631.

Praepositum uti posse suppedaneo et postergali, quando solemniter celebrat pro Episcopo et in casu impediti Praepositi eandem praerogativam deberi etiam alteri Celebranti pro Episcopo. N. 998 die 1. Apr. 1634.

Dignitates et Canonicos solemniter celebrantes non sedere debere *coram Episcopo* in sede cum postergali. N. 1303 die 23. Mart. 1641.

Non licere Praeposito et aliis ejusmodi, qui Pontificalia exercere nequeunt, uti cathedris serico ornatis, quibus utuntur Episcopi celebrantes. N. 1488 ad 8 die 16. Maii 1643.

Pannum laneum viridis coloris sericeis ornatibus ejusdem coloris circumductum ad scamnum Dignitatis solemniter celebrantis cum tapete suppedaneo adhiberi licere. N. 2127 die 3. Septbr. 1661.

Celebrans (Canonicus) sedere debeat prope altare in cornu Epistolae cum scamno tapete parato tam in Vesperis quam in Missis, prout in posterum servari mandavit S. C. n. 2572 die 19. Decbr. 1671; n. 2679 die 3. Mart. 1674.

Non licet Canonico Cathedr. Burgi celebranti sedere in sede cum suppedaneo cum Ministris hinc inde adstantibus in missa cantata, Episcopo missae eidem cum cappa in throno assistente. N. 3516 ad 2 die 4. Apr. 1699.

Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus chori vel scamnis

apud altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur. S. R. C. die 25. Mart. 1608 ad 11. *Alexandr.*

Ad dub.: An liceat, praesente Episcopo, Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Terulan. intra vel extra Ecclesiam Cathedralem adhibere in privatis functionibus ecclesiasticis sedes cum brachiis et subsellis aut solum uti debeant scabellis vel scamnis, quemadmodum utuntur Episcopo Pontificalia exercente?

S. C. resp.: Negative ad primam partem et affirmative ad secundam. N. 3987 ad 3 die 20. Aug. 1729.

In diebus festis, in quibus celebrant Canonici (Cathedr. Bituntinae), scamnum ornari debet eodem panno serico, quo utuntur Dignitates. N. 4064 ad 1 die 31. Aug. 1737.

Ad dub.: An Canonici, qui s. vestibus induti assistunt Episcopo exercenti Pontificalia, sedere debeant super scabellis panno coopertis?

S. C. resp.: Negative. N. 4075 ad 27 die 19. Julii 1738.

Ad dub.: An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in missis sol. pro Celebrante loco scamni cooperti tapete sedes camerales serico damasceno ornatas et pro Ministris similia scabella, vel potius reprobandus? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. N. 4590 ad 7 die 17. Septbr. 1822.

Cf. *Instructio Clem.* §. XXV. n. 1 et 2.

Ad dub.: An idem ornatus, qui juxta Caeremoniale convenit amboni, in quo sermo et concio haberi solet, permitti possit in scamno, in quo sedent Dignitates et Canonici solemniter celebrantes?

Et Emmi PP. eidem C. praepositi . . . respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

Negative et adamussim servetur dispositio Caeremonialis Episc. l. II. cap. III. n. 4.

Atque ita responderunt et statuerunt. N. 4590 ad 5 die 17. Septbr. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione per me infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit, locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, mense, anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Caeremonialis dispositio circa ornatum ambonis, in quo sermo et concio habenda est aut Epistolae et Evangelia decantanda solemniter sunt, et illum scamni parandi pro Canonico Officia solemniter peracturo apertum ponit discrimen. Nam *lib. 1. cap. 12. n. 18.* legitur*: Ambones, ubi Epistolae et Evangelia decantari solent, si qui erunt, nec non et pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari:* secus vero jubet *l. 2. cap. 3. n. 4.* de ornatu scamni pro Celebrante, quem esse vult *panno coopertum in cornu Epistolae:* quod si *occupare debeat stallum seu primam sedem chori ab ea parte, quae eidem illa hebdomada obtigerit, in ea sede ponetur pulvinum et alterum cum tapete super alio scamno seu genuflexorio ante se posito, super quo etiam ponitur liber serici coloris ceterorum paramentorum tectus, et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem et removetur, prout opus*

est, quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem. Ubi autem Caeremoniale vult ornatum sericum, exprimit; quando vero utitur uno vocabulo *pannum* sine adjuncto: *laneum*, significare voluisse videtur serica sint oportet et coloris convenientis Officio diei, quae ad ornatum *ambonis* et ad *librum* cooperiendum adhibenda sunt, non autem quae ad ornatum sedis seu scamni pro Celebrante: haud enim pro eodem determinatus est color et cum stragulum Celebranti apponendum tapete vocabulo designetur, non ex alia materia quam lanea textum esse debet. Verum etiamsi quis vellet super interpretatione verborum immorari, ut inde concluderet, vocabulum genericum *pannum* sericum non excludere, fateri tamen debebit, latum esse discrimen inter ornatum Ambonis et alterum pro sede Celebrantis, de quo dumtaxat in dubio quaeritur. Composita igitur res erit, si Caeremonialis distinctio adamussim servetur.

b) In Choro.

(Gradus.)

Vd.: *Thronum Episcopi* (gradus; decr. n. 4906.)

c) Infra Concionem.

Status Ecclesiastici.

Quaesitum fuit a quodam Praelato Gubernatore civitatis Status ecclesiastici, qui tempore Episcopi Cardinalis sedebat ad conciones audiendas loco aliquantulum distanti a dicto Cardinali et in sede aliquantulum inferiori, utrum modo, quo non adest amplius Episcopus Cardinalis, debeat aequali loco sedere? Et s. Congregatio respondit, quod faciat, prout faciebant sui antecessores tempore, quo Episcopus non erat Cardinalis.

Die 4. Julii 1626.

(Anal. J. P. 1863. p. 190.)

Vd.: *Sedes pro concione.*

d) Fixa.

Piscien.

Praepositus Piscien. a S. Rituum Congregatione declarari institit: an sibi competeret sedes fixa et permanens in sua ecclesia et videatur comprehensus in decreto edito super usu pontificalium. Et s. Congregatio perpensis juribus ab eo deductis ac praesertim literis erectionis Collegiatae Ecclesiae sa. me. Leonis X. censuit: Praeposito Piscien. non competere sedem fixam et permanentem eaque uti tantum diebus sibi permissis cum duobus gradibus et ad formam decreti praedicti.

Die 12. Junii 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 364.)

e) Mutandae vel non?

Ad dub. Episcopi Gerunden: *an praesente Episcopo in choro* tempore divinor. Officiorum secundae Dignitati vel aliis immediate sequentibus et etiam Canonico seu Canonicis liceat, absentibus prima vel altera vel etiam omnibus Dignitatibus, occupare primam sedem post episcopalem primae Dignitatis vel aliam seu alias successive?

S. C. resp.: Praesente Episcopo servandam esse antiquam consuetudinem.

N. 3840 die 22. Aug. 1711.

Cf.: *Sedes hebdomadarii.*

Vicarium gen. non posse sibi mutare sedem sed sedere debere in loco solito et consueto. N. 1184 die 19. Nov. 1639.

Stallum Vicarii debere manere fixum nec ab aliis unquam eo absente occupandum. N. 3296 ad 1 die 20. Dec. 1692.

Canonicis non licere occupare stallum Vicarii gen., dum ipse uti Archidiaconus in suo stallo sinistrae partis sedet.

N. 2122 die 23. Julii 1661.

Stallum Archidiaconi Aprutini fixum et situm immediate ad dexteram sedis episcop. non potest a Vicario occupari. N. 3342 ad 1 die 2. Octbr. 1694.

Praeposito Cathedr. Ferrarien. non licere occupare stallum Vicarii. N. 3569 die 31. Julii 1700.

Non licet Canonicis occupare seu sedere in stallis pro Dignitatibus destinatis tam praesentibus quam absentibus. N. 3593 ad 5 die 13. Aug. 1701; n. 3612 ad 5 die 11. Febr. 1701.

Sedes Dignitatum absentium non debere occupari ab aliis Dignitatibus sive Canonicis, sed unamquamque Dignitatem in proprio stallo permanere debere. N. 958 die 30. Apr. 1632.

Non licere Canonicis Cath. Asculi occupare sedem Archidiaconi celebrantis. N. 2264 die 15. Mart. 1664; n. 2289 ad 1 die 30. Aug. 1664.

Absente Praeposito ejus stallum in choro debet esse vacuum neque ab alio ex Canonicis occupari potest. N. 2475 ad 7 die 23. Mart. 1669.

Capuana.

Non posse inter missarum et divinorum officiorum celebrationem Canonicos Metropolitanae Capuanae occupare sedes Decani et Archidiaconi, si forte absint, sed unumquemque in suo stallo permanere debere sacrorum Rituum Congregatio decrevit.
Die 12. Martii 1618.
(Anal. J. P. 1863 p. 152.)

Sedes Dignitatum absentium non debent occupari ab aliis Dignitatibus seu Canonicis, sed unaquaeque Dignitas in proprio stallo permanere debet: sedes vero absentis vacua esse debet. Sacra Congr. Rit. in Capuana 12. Martii 1618 et in Placentia 25. Maii 1632.

f) Ordo.

Vd.: *Sedes Dignit.* etc. (ad altare n. 555.) *Coadjutor Primicerii; Sedes Cleri in Synodo; Sedes Vicarii gener.*

Convenientius esse, ut digniores Canonici sedeant in sedibus, quae sunt propinquiores et viciniores sedi episcopali. N. 374 ad 14 die 15. Mart. 1608.

Vicarius ad curam animarum in Cathedr. deputatus (non Canonicus) non potest sedere in sede Canonicorum. N. 616 die 14. Febr. 1626.

Primae Dignitati primum stallum deberi et sic deinceps ordine successivo. N. 1502 ad 4 die 14. Maii 1644.

In choro nihil esse innovandum quoad sedes et genuflexoria Canonicorum. N. 1544 ad 8 die 16. Sept. 1645.

Quando chorus est in *medio* Ecclesiae ante altare, canonicorum sedes seu stalla esse debere ad dexteram Episcopi in forma quadrata, prout sunt sedilia Em. DD. Cardinalium Presbyterorum in capella palatii pontificii, qui locus est dignior loco a sinistris Sedis episcopalis; locum vero pro Vicario gen. posse destinari a sinistris extra gradus solii episcopalis. N. 3238 die 20. Jan. 1691.

An dub.: An Praepositus (Cathedr. Anagninae) in locis, ubi ob deficientiam sedium fixarum chori Canonici sedent in scamnis sive in s. functionibus sive in congressibus canonicalibus, debeat, praesente vel absente Episcopo, sedere in illis, servata praerogativa primi loci, sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. N. 4040 ad 3 die 21. Apr. 1736.

Canonici Colleg. Sabiniani retinere possunt arbitrio Episcopi proprium

scamnum extra Presbyterium, interveniente Magistratu pro andiendis concionibus aliisque functionibus. N. 4250 ad 1 die 12. Apr. 1755.

In divinis Officiis prima sedes in choro non competit Archidiacono habitu chorali induto sed Canonico hebdomadario etiam s. vestibus parato. N. 4358 ad 21 die 7. Decbr. 1771.

Canonicus Cathedr. Burgi supplicavit, ut omissis distributionibus quotidianis sui canonicatus interesse possit in choro supra alios Canonicos in habitu praelatitio.

S. C. resp.: Non licere interesse in choro sine habitu canonicali. N. 809 die 31. Mart. 1629.

Canonico *commoranti* apud Episcopum nullum locum peculiarem in choro competere. N. 1002 die 19. Aug. 1634.

24) Episcopi.

a) Assistentis.

Sedem Episcopi assistentis in Ecclesia abbatiali exempta debere esse in cornu dextero chori sive Ecclesiae collocandam, uno gradu eminentiorem respectu sedis abbatialis et a latere Episcopi sequantur immediate Canonici Cathedralis; in sinistro vero cornu ponendam esse sedem Abbat., uno gradu humiliorem absque ornatu et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi Episcopi et apud abbatem ordine sedeant Canonici Colleg. N. 232 ad 3 die 7. Febr. 1604.

Cf.: *Sedes Abbatis ; Sedes Episcopi.* (Forma etc. decr. 44.)

Licere Archiepiscopo extra chorum sibi sedem erigere, ubicunque voluerit, et convenire ut Canonici suum Praelatum sequantur et ut ei debita fiat assistentia juxta formam libri Caerem., sed si cum suis Canonicis divinis Officiis assistere voluerit, locum pro ipsis etiam Canonicis parandum esse. Inconveniens enim est, ut Archiepiscopus divinis assistens a Canonicis longius separetur, et ideo si chori forma mutari non potest, melius esset ut sederet in chorali sede. N. 313 ad 2 die 9. Maii 1606.

Licet Episcopo Vercellen. retinere, aliam sedem cum baldachino extra Presbyterium pro audiendis concionibus. N. 3079 die 10. Febr. 1685.

b) In choro.

Vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.; in nocte Nativ.)

Sedes Episcopi in choro existentis debet esse quasi fixa et immobilis, juxta dispositionem libri caeremonialis in tit. de sedibus Episcopi. S. C. R. in Colimbrien. die 23. Maii 1603.

Sedes Episcopi in choro existentis ornanda et serico vel alia materia coloris congruentis tempori, juxta regulam libri caeremonialis d. tit. de sedibus Episcopi. *S. C. R. in d. Colimbrien.*

Sedes Episcopi et chorus Canonicorum, si fieri potest, debent reduci ad formam libri caeremonialis. S. C. R in Granat. die 9. Maii 1609.

In quibusdam regionibus ordinarie chorus, ubi sedet Clerus, situs est ante altare, sicuti describitur a Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. XIII n. 2 et tunc ex antiqua consuetudine et ex ipsa constructione chori loca digniora, immo sedes non solemnis Episcopi, de qua loquitur Caeremon. lib. 1, sunt remotiora ab altari, prout fieri innuit posse idem Caeremoniale lib. 1. cap. XIII. n. 3. circa finem. Saepe insuper chorus separatur ab altare per amplum Sanctuarium. In tali dispositione rerum quaeritur: quaenam sit chori pars dignior, in qua collocari debet praedictum stallum

Episcopi: estne pars ex latere epistolae utpote sita ad dexteram Cleri conversi ad altare, vel pars a latere evangelii, utpote sita ad dexteram altaris?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2201.)

c) Extra chorum.

Potest tamen Episcopus sibi sedem in Ecclesia extra chorum ubicumque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonicis locus paretur. S. C. R. in Granaten. Die 9. Maii 1606.

d) Cur in Eccles. Cathedr. semper et in aliis eccles. non semp. retinenda?

Vd. t. III. p. 680 b. 683.

e) Ad concionandum.

(Modus Episcop. comitandi ad d. sedem.)

Juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. VIII. n. 48 Episcopus solemniter celebrans, si concionem habeat, id faciet in sua propria sede vel apud ipsum altare secundum variam dispositionem locorum. At ubi magna distantia adest ab altari vel a sede episcopali ad populum, necesse est ut Episcopus concionaturus adeat suggestum, ex quo conciones solent fieri, alioquin a populo suo non audiretur. Quaeritur ergo: an in hoc casu praeter ministros de libro, candela, baculo, mitra, gremiali, cum his insignibus episcopalibus insuper Acolythi de candelabris cum cereis accensis, Diaconus evangelii, Subdiaconus, Diaconi assistentes debeant associare Episcopum eum praecedendo ad dictum suggestum, ibique manere tempore concionis ab Episcopo factae. Quae praxis conformis videtur regulis a s. Carolo traditis in IX. Concilio Mediolanensi de praedicatione editionis seminarii Patavini anno 1754 §. III. et in instructione de praedicatione verbi Dei, de ritu concionandi §. 409. Si vero non omnes praedicti ministri debent tunc comitari Episcopum, quaeritur quinam ex illis?

S. C. resp.: Quoad primam partem: *negative;* quod secundam: Canonicos tantum throno assistentes Episcopum in casu comitari debere regulasque a s. Carolo traditas spectare ad ritum ambrosianum.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2198.)

f) In Eccles. exemptis.

Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere; *c. Episc. 10. dist. 95.* Episcopus in omnibus suae dioecesis Ecclesiis quantumvis exemptis et privilegiatis est honorandus eique in choro, in capitulo, in Processionibus ac in aliis actibus publicis primus locus et prima sedes, quam ipse elegerit, danda est. S. C. R. in Tullen. Die 7. Decbr. 1613.

Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitrae habens etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro chori sive Ecclesiae collocanda uno gradu eminentiori, cum ornato congruo et situ aliquatenus superiori respectu sedis Abbatis, quae in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi episcopali. S. C. R. in Alexandrina s. Petri in Borgolio die 7. Febr. 1603 et in decreto generali circa usum Pontificalium in respons. ad 15. edit. 27. Septbr. 1659 et declarat. ab eadem S. C. die 20. Julii 1560.

g) In Ecclesiis extraneis.

Cf.: *Baldachinum Episcopi in Eccles. paroch.* decr. n. 3837; *Sedes Episcopi assist.*

Ad dub.: 1) An Cathedram et Solium ob Episcopi adventum in Colle-

giata Ecclesia suae Dioecesis erectum, illo quoque absente et in suam residentiam reverso in Collegiata Ecclesia retinere liceat?

2) Num in adductis rerum circumstantiis ob consuetudinem generalis lex alicui exceptioni subjiciatur?

Et s. Congregatio in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata perpensis libratisque omnibus praesertim iis, quae jam sancita fuere per decreta in Ugentina diei 23. Julii 1661 et in Naulen diei 17. Julii 1711 exquisito etiam voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris scriptis pandito praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis respondendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum ad primum negative, ad secundum: legem generalem in casu nulli subjici exceptioni.“

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 26. Aprilis 1834 n. 4720.

Nota Gardellini ad hoc Decret.

Votum autem ab altero ex apostolicarum caeremoniarum Magistris exaratum praeloque cusum est tenoris sequentis, nimirum:

Emmi et Rmmi Patres.

Ab ipsis ecclesiae incunabulis sanctissime cautum est, ne par esset omnibus vel locis vel personis honor, sed pro vario uniuscujusque munere ac dignitate diversa quoque insignia et honores singulis haberentur. Quae sane agendi ratio fovendae fidelium pietati, peculiari templi alicujus sanctitati verendae, externi denique cultus, concinna quadam ipsius varietate, pulchritudini amplificandae mirifice consulit. Dolendum vero est, sapientissimum hocce ecclesiae consilium saepius frustrari homines, qui de suo potius quam de religionis honore solliciti statutum invertunt ordinem, aliena sibi vindicant jura, usurpant privilegia, ex quo dissensiones ac jurgia inter sacros ecclesiae ministros miserrime oriri quotidiana experientia docemur.

Hujusce rei exemplo sit, quod in sua Dioecesi contigisse scribit Bosanensis Episcopus, a vobis, Eminentissimi Patres, expostulans, ut quaestio per se non adeo extricatu difficilis irrefragabili hujus s. Congregationis judicio penitus dirimatur.

Est in Sardiniae regno Basanensis Dioeceseos pars exigua, oppidum vulgo *Cuglieri*, Ecclesia parochiali et Collegiata recens insignitum. Illuc scilicet anno 1810 s. r. Pius VII. Bosae Episcopum misit, ut apostolici Delegati munere honestatus Ecclesiam ipsammet parochialem in Collegiatam erigeret. Ibi cum forte Episcopus sacris daret operam, factum est, ut a Capitulo sedes illi pontificalis et solium de more attolleretur. Rebus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob ejus discessum Cathedram episcopalem ab Ecclesia Collegiata Capitulum amoveret. In cujus rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, nunquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, imo etiam jussu cogere, ne diutius sinerent sedem episcopalem et solium in illorum ecclesia conspici; at frustra. Imperanti siquidem Episcopo acriter restitere dictitantes, paucorum annorum consuetudinem sibi liquido suffragari. Quare cum nulla jam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, regni Vice-Regem in opem imploravit, qui invitos Canonicos ad obediendum adegit. Interim Episcopus judicium vestrum expectat, ut quid sibi in posterum agendum sit, innotescat.

Quoniam vero R. P. D. hujus S. C. Secretarius mihi munus commisit hac super re nonnulla disserere, dicam breviter quid sentio, neque enim per-

tractio isthaec, si quid modo video, ejus naturae est, ut possit in longum sermonem me revocare. Tota si quidem quaestio in eo sita videtur, utrum:

Ad dub. 1.: Num Cathedram et Solium ob Episcopi adventum in Ecclesia Collegiata suae Dioecesis erectum, illo quoque absente et in suam residentiam reverso, in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

Ad dub. 2.: Num in adductis rerum circumstantiis lex generalis alicui exceptioni subjiciatur? Non est autem cur in prioris dubii solutione diutius immoremur. Si quis enim paulisper vel ad Cathedrae episcopalis institutionem vel ad praxim in ecclesia nullo non unquam tempore servatam mentem advertat, facere quidem non poterit, quin deprehendat memoratos nuper Canonicos longo in errore versari. Quid enim, quaeso, causae est, quamobrem Sedes episcopalis vel ab ipsis ecclesiae primordiis Cathedra nuncuparetur, nisi quod illam ascendat Episcopus, ut populum doceat, oves sibi concreditas ex eminentiori loco despectet et rursus ab iisdem suspiciatur? Nec certe aliter sibi voluit antiquitas, dum Sedem episcopalem multis gradibus elevandam jussit, ita quidem, ut modo illum *sublimem thronum* appellet S. Gregorius Nazianzenus, modo in *altissimo loco posita* describatur ab Eusebio hist. eccl. lib. VII., quibus apprime concinit Prudentius hymno, quem in s. Hyppolyti Martyris laudes conscripsit, ubi Cathedrae eminentiam ex eo repetit, quod inde Episcopus populum alloquatur:

„Fronte subadversa gradibus sublime Tribunal tollitur, Antistes praedicat unde Deum“.

Ut qui nemo unus inficias iverit haec omnia praesentem supponere Episcopum. Quomodo enim absens populum alloquatur Deumque praedicet? Cum igitur hisce de causis Cathedra episcopalis invecta fuerit cumque haec necesssario pastoris praesentiam efflagitent, ratio ipsa vult, ubi desit Episcopus, nil prorsus esse, quamobrem in qualibet demum ecclesia, Cathedrali seclusa, fixa ac permanens illi sedes collocetur. At enim in parochiali Collegiata Ecclesia elata olim Sedes pontificalis fuit. Quid ergo? num inde jus capitulum acquisivit eamdem perpetuo retinendi? Adveniente nimirum Episcopo merito exstructa est, at eodem alio abeunte inique retinetur. Omnes etenim norunt, reliquis Episcoporum privilegiis illud quodque adcenseri, quod in omni Dioeceseos parte, praesertim vero in Collegiatis Ecclesiis, dum solemniter vel sacra peragunt vel sacris intersunt, jure suo queunt sub solio pontificali sedere. Hoc tamen privilegium ita Episcopo personaliter adhaeret, ut simul ac alio se conferat, nefas omnino sit Cathedram in ecclesia, licet Collegiata, fixam immotamque persistere. Utriusque rei indubia proferam documenta. In authentica collectione decretorum S. R. C. legere est: Episcopum Grossetanum consuevisse certis anni temporibus, ut aeris beneficio frueretur, in oppido suae Dioeceseos commorari, unde a Plebano illius ecclesiae praeter alia obsequia hoc insuper sibi ab eo praestandum S. R. C. supplicaverit: *erigendi in eadem ecclesia Sedem pontificalem cum baldachino.* Et S. C. respondit: *Episcopo competere. Episcopo,* inquam: privilegium siquidem est, quod illum indivisim, ut ita dicam, comitatur, quin unquam in ecclesiam dimanet, in quam fortuito vel etiam integrae Dioeceseos visitandae ergo semel advenerit.

Hinc intelligitur cur Matrix Civitatis Ecclesia, ubi residet Episcopus, *Cathedralis* dicatur. Id enim obtinuit

ob singulare privilegium, quo ab reliquis totius Dioeceseos ecclesiis discriminatur. Cum enim in istis sedes episcopalis tamdiu perduret, quamdiu apus eas Episcopus degit, illa ex adverso perpetuo Cathedrae pontificalis honore cumulatur. Hinc apud vetustissimos ecclesiae scriptores nullibi *fixa* sedes occurrit, nisi ubi Episcopus resideret. Pro omnibus sufficiat Eusebius hist. eccles. lib. VII., qui refert thronum seu Cathedram s. Jacobi Apostoli, primi Hierosolimorum Episcopi, adhuc suis temporibus Hierosolymis extasse, quam Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno aestimant. Quoniam vere sedes numquam auferebatur, hinc in hemicyclo absidis templi erat parieti affixa, lapidea, gradibus elata, quemadmodum cum in aliis tum praesertim in Basilica s. Clementis in praesentiarum quoque videre est, quae summorum Pontificum venerationem et curas sibi perpetuo vindicavit. Illic enim ex Cathedra, quae conspicitur, bis homiliam habuisse dicitur s. Gregorius Magnus et memoriae proditum est frequentissime illuc Romanos Pontifices ad sacra peragenda convenisse, ut ex pluribus constat antiquitatum monumentis, quae penes Mabillonium aliosque in unum congesta reperiuntur. Aliquid simile de minoribus Dioecesium ecclesiis afferi nequaquam poterit. Scio hoc momentum negativum esse; at cum in alienae sententiae patrocinium positiva desint argumenta ad rem demonstrandam non parum inservit.

Neque ullum profecto negotium facessit aequum Episcopo jus esse sive in Collegiata Ecclesia solio pontificali uti. Perperam enim inde concluderetur, eidem, sacris non interessenti, in Ecclesia Collegiata fixam sedem episcopalem collocandam fore. Cum enim istud antistitum privilegium non in Collegiatas modo sed et in reliquas totius Dioeceseos minores ecclesias extendatur, unaquaeque pro lubitu posset Cathedram pontificalem attollere eamque perpetuo ad se retinere, quod nemo sanus dixerit. Quid vero si hujusce s. Congregationis decreta in hisce negotiis alias edita in memoriam revocemus? Legatur, quaeso, *Ugentina* die 23. Julii 1661. Ex ea constat, defunctum Episcopum, Lanfrandum nomine, in Collegiata Ecclesia terrae vulgo *Spechie, in qua residebat,* sedem episcopalem erexisse; capitulum insuper et Canonicos, ubi Episcopus e vivis discessit, a s. R. C. petiisse, Cathedram a Canonicis ejusdem Collegiatae removeri, ne duae Cathedrae in una tantum Dioecesi erectae reperientur. Et s. Congregatio *Vicario injungi* mandavit, *ut praedictam sedem ammoveri et in loco abdito servari praecipiat.* Quod si S. R. C., deficiente Episcopo, Collegiatam *Spechie* Ecclesiam Cathedrae privilegio spoliatam declararit, quamvis terram illam Episcopus in suam residentiam elegisset, quanto magis id pronuntiasset de Ecclesia Collegiata Bosanensis Dioeceseos, ad quam Episcopus Pii VII. jussu convolavit, cum mente ex ea discedendi, simulac missionis scopum adimplevisset?

Neque minus id evincit quod in eadem collectione occurrit. Quaesitum enim fuit: an Episcopus Naulen. posset in qualibet suae Dioecesis Ecclesia Cathedram episcopalem erigere cum baldacchino, etiam tempore, *quo Episcopus non residet,* et functiones episcopales in dicta ecclesia non exercet, maxime si parum distet, nempe per milliarum circiter ab Ecclesia Cathedrali? Et S. R. C. censuit respondendum juxta votum, nempe: *negative,* et ita declaravit et decrevit die 11. Julii 1711.

Quae sane ejusmodi sunt, ut rem omnino conficiant viamque sternant

ad prioris dubii responsionem. Cum enim Cathedrae institutio unicam in universa Dioecesi episcopalem sedem admittat, cum singulari hoc privilegio tantummodo Cathedrales Ecclesiae potiantur, cum s. haec eadem Congregatio minoribus ecclesiis idem sibi jus postulantibus se adversam ostenderit, priori dubio respondendum videtur: *Negative.* In altero, quod expendendum mihimet ipsi proposui, brevius quoque me expediam. Canonici siquidem oppidi vulgo *Cuglieri*, consuetudinem quamdam obtrudunt. At quamnam, rogo? Quae scilicet paucorum annorum ambitu continetur. Utcumque tamen haec sit, ut nunc non in magno ponam discrimine, illud certum exploratum est, nullam prorsus consuetudinem, licet diuturnam, privilegii vim habere et jus inducere, nisi quae sit *rationabilis.* Atqui consuetudo, qua memorati saepius Canonici innituntur, praecipua hac dote destituitur. Et vero, quomodo rationabilis habenda erit consuetudo illa, ex qua plura eademque maximi momenti in ecclesiarum privilegia, in Episcopi auctoritatem, in ecclesiae praxim damna atque incommoda proficiscuntur? Ut enim praetermittam istam Canonicos Collegiales, ecclesiae, cui inserviunt, decori plus nimio consulentes injuria invexisse, haec Cathedralibus Ecclesiis peculiare jus adimit; hinc exortae reliquorum querimoniae, hinc jubentis Episcopi auctoritas spreta, neglecti denique ritus et ecclesiae ministri vi saecularis brachii ad obsequendum coacti. Nemo tamen unus, inquiet, fortasse quispiam per longum temporis spatium reclamavit. At quomodo, quaeso, poterat, cum hujusce ausus ignoratione premeretur? Caeterum ex iis, quae postmodum contigere, facile unusquisque valet conjectura assequi Episcopum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis id aequo animo passuros non fuisse, si rem ab initio compertam habuissent. Quare videtur posse rescribi: *legem generalem in casu nulli subjici exceptioni.* Paucis sentiam meam, Eminentissimi PP., aperui, quare judicio vestro libens subjicio, apud animum mihi proponens, ea, qua par est, veneratione prosequi quidquid a sapientia vestra declarari decernique contigerit.

h) Fixa.

Vd.: t. III. p. 684.

i) Forma, locus, ornatus.

Vd.: *Faldistorium: baldachinum Episcopi; Thronum; Sedes Episcopi coram SSmo. expos.; Sedes Episcopi in ecclesiis extraneis et exemplis* (decr. n. 4720 *nota*)*; Sedes Episcopi in choro et extra Praesb.*

Praeter thronum ad epistolae cornu Archiepiscopus curet aliam sibi sedem cum ciborio in choro construendam inter dignitates, quae sit magis pressa et humilis quam thronus; et quotiescumque Nuntius assistet, ob reverentiam Sedi apostol. debitam Ordinarius a throno discedat sive celebret sive divinis officiis assistat. N. 44 ad 4 die 16. Febr. 1593.

Archiepiscopum Taurin., dum pontificaliter celebrat, uti posse faldistorio in loco decenti, id est in cornu epistolae posito, etiam praesente Nuntio apostolico, et sedem Archiep. in choro erigendam esse; quae si in medio inter dignitates commode erigi non posset, in alio digniori loco construatur, ita ut dignitatibus praecedat et a superiori parte ciborium habeat, ab inferiori autem duobus sit gradibus elata et haec quidem Nuntio praesente ob reverentiam Sedis apostol., vel faldistorio utatur; illo autem absente, uti poterit alia sede pontificali. N. 71 die XVIII. Cal. Jun. 1593.

Sedem Episcopi debere esse fixam

et immobilem; licet juxta dispositionem loci possit amoveri et in alio loco opportuno et decenti locari. N. 198 ad 2 die 23. Maii 1603. Caer. Ep. lib. I. cap. XIII.

Semper convenire, ut sedes Episcopi sit ornata serico vel alia materia coloris convenientis tempori. *Ibidem* ad 3. Episcopus sedem sibi parare potest in cornu evangelii cum tribus gradibus illamque ornare. N. 227 ad 4 die 10. Jan. 1604. (Caer. Ep. l. I. c. XIII. n. 2 et 3.) N. 4317 ad 5 die 6. Aug. 1763.

Sedes Episcopi esse debet pulchrior et major quam gubernatoris, non tamen coloris rubei. S. R. C. in *Perusina* 3. Octb. 1615. Episcopi sedes semper est ornanda. S. R. C. 23. Maii 1503 in *Colimbr.*

Non licet Archiepiscopo sub suo throno habere *quinque* gradus. N. 917 die 5. Julii 1631.

Non licet Episcopo erigere thronum cum gradibus excedentibus altitudinem altaris majoris. N. 928 die 2. Aug. 1631.

Sedes Episcopi in choro debet esse altior sedilibus Canonicorum; ad eam autem ascendatur per tres gradus. N. 3551 ad 25 die 13. Mart. 1700.

In *Parasceve* sedes Episcopi, sedilia Canonicorum et aliorum ac tota tribuna sint penitus nuda. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 1. 35.; c. XXVI. n. 1.

Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate altarium, apud quae statui debet. Nam aut altare est in medio sub tribuna pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et nunc Sedes episcopalis e regione altaris parieti applicabitur, ita ut Episcopus in ea sedens respiciat recta linea mediam altaris partem habebitque hinc inde sedilia Canonicorum. Si vero chorus sit in medio Ecclesiae et altare adhaereat parieti vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa Sedes episcopalis erit collocanda a latere evangelii. Utroque autem casu *tribus gradibus* ad eam ascendatur, qui pannis aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit praealta et sublimis sive ex ligno sive ex marmore aut alia materia fabricata in modum Cathedrae et throni immobilis, quales in multis ecclesiis antiquioribus videmus: quae debet tegi et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis: et super umbraculum seu baldachinum ejusdem coloris appendi poterit, dummodo et super altari aliud simile vel etiam sumptuosius appendatur, nisi ubi super altari est ciborium marmoreum vel lapideum: quia tunc superfluum est nec aptari commode potest. Hujusmodi sede utetur Episcopus, dum Vesperae et Missae per ipsum solemniter celebrantur. Cum vero missis non solemnibus et Horis Matutinis aut aliis Episcopus assistit, si fuerit in medio ecclesiae chorus ante altare, poterit ibi in sede pro ipso ordinata residere, quae remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine ecclesiae esse solet, sive longius sive propius ab altari distet. At ubi chorus est sub tribuna, poterit in Sede episcopali supradicta tam in solemnibus quam non solemnibus officiis esse. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere vel non Legatus rei divinae interesset, convenit ei Sedes episcopalis supradicta; Episcopus vero, si celebret, in faldistorio in cornu epistolae, si non celebret et chorus sit in Presbyterio sub tribuna, sedebit in digniore parte chori. Quod si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis,

si Legatus, haberet sedem a latere evangelii; sedebit quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco et plano et sedibus aequalibus prope Legatum. Eodem quoque modo sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus, Celebrans vero in faldistorio, ut supra. Si vero Legatus esset in sede episcopali sub tribuna, sedebit Episcopus Cardinalis et alii Cardinales, si adessent, prope Legatum, ut supra dictum est; ipse autem simplex Episcopus sederet vel ex opposito in sede humiliori vel in digniore parte chori aut in faldistorio, prout dictum est de Cardinali Legato vel non Legato praesente pro diversitate situationis chori et Episcopi celebrantis vel non celebrantis. Quod si Episcopus sit Cardinalis et intersit alius vel plures Cardinales non Legati, poterunt omnes ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes episcopalis, sedere in sedibus aequalibus vel in digniore parte chori, quando est sub tribuna, dummodo Cardinalis Episcopus sit omnium postremus. Episcopalia munia remittet exercenda Cardinali praesenti vel, si plures sint, priori in ordine. Quae si Cardinalis praesens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis omnia praedicta munia vel remittere ad celebrantem vel ipse exercere et in fine, quando benedictionem solemnem erit daturus, accedere ad altare et inde populo benedicere. *Metropolitanus* absente Legato vel alio Cardinali habebit aliam sedem ex opposito in cornu Epistolae similiter ornatam, ut sedes episcopalis: alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniore loco post Episcopum Dioecesanum supra omnes Canonicos; *Abbates Dioecesani benedicti habentes usum mitrae et baculi* habebunt locum condecentem pro judicio et prudentia Episcopi, dummodo non sit supra nec inter Canonicos. *Nuntii Apostolici habentes in eo loco facultates Legati de latere* sedebunt in alia sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in sede propria Episcopi, et habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. *Alii vero Nuntii Apostolici non habentes facultates* Legati de latere, vel habentes sed non in eo loco, et dum sunt in itinere et contingat eos transire per aliquas civitates vel Ecclesias Cathedrales seu Metropolitanas, sedebunt in digniori et eminenti sede chori et habebunt honores immediate post Episcopum et in Processionibus et aliis actibus similibus habebunt praeeminentiam supra omnes Protonotarios et supra Canonicos. *Visitator Apostolicus*, si erit Episcopus, habebit sedem sicut Nuntius non habens facultatem Legati de latere, nisi talis Nuntius esset praesens, cui tunc cedit sedens post eum.

Caer. Ep. lib. I. cap. XIII. n. 1—11.

Trojana.

Auditis et consideratis omnibus, quae pro parte canonicorum ecclesiae Trojanae exposita fuerunt circa situationem chori et sedium tam pro Episcopo quam pro dignitatibus et canonicis in ecclesia Cathedrali, ita ut convenienter et secundum debitas regulas libri caeremonialis locentur et disponantur, Sacra Rituum Congregatio hoc negotium ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Pinellum remisit, ut auditis partibus et praesertim Episcopo Trojano, qui in Urbe tunc erat, quid decentius et melius secundum debitas caeremonias in casu proposito convenire judicaverit, decerneret et declararet. Quare per praedictum Illmum et Rmum D. Cardinalem Pinellum iterum diligenter consideratis omnibus, quae a Canonicis praedictis ecclesiae Trojanae narrata fuerunt et in voce etiam ipso Episcopo Trojano audito, qui vera esse,

quae narrantur a Canonicis in memoriali ab eis presentato, affirmavit, juxta regulas libri caeremonialis lib. 1. cap. 13 de sedibus Episcopi et legati etc., quando altare adhaeret parieti, ut in ecclesia Trojana nunc adhaerere praesupponitur, sedes Episcopi non in ingressu chori, ut nunc esse dicitur, sed in cornu evangelii a dextris apud altare locari debeat, idem Illmus et Rmus D. Cardinalis Pinellus declaravit, decentius, convenientius et commodius esse, tam pro Episcopo, Dignitatibus et Canonicis quam etiam pro universo populo, qui ad ecclesiam ad divina officia audienda venerit, si altare in medio prope ingressum chori reducatur, ita ut sacerdos in ea celebrans faciem ad populum vertat et sedes Episcopi apud parietem contra altare constituatur et locetur cum decenti ornamento. Et apud sedem Episcopi hinc inde sedes seu stalla pro Dignitatibus convenienter ornata locentur et succesive hinc inde aliae sedes seu stalla pro aliis Canonicis disponantur.

Et ita ut dictum est juxta declarationem praedicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Pinelli in praedicta ecclesia Trojana altare et sedes Episcopi, Dignitatum et Canonicorum restituendas et locandas esse eadem S. R. C. censuit et declaravit.

Die 9. Octobris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 109 n. 365.)

Episcopi sedes apud parietatem contra altare constituenda et locanda est cum decenti ornamento et apud sedem Episcopi hinc inde sedes seu stalla pro Dignitatibus et Canonicis deponi debent. S. C. R. in Trojana 9. Oct. 1610.

k) Episcopi cum Gubernatore concionem audientis.

Vd.: *Praeses.*

Perusina.

Circa formam et qualitatem sedium, quibus uti solent et debent tam Episcopus quam Gubernator civitatis Perusinae, dum in ecclesia Cathedrali simul audiunt concionem, Congregatio Sacrorum Rituum audita relatione Illmmi et Rmi D. Cardinalis Gallo, cui haec causa commissa fuerat, censuit et declaravit: posse Episcopum uti sede renovata cum pallis aureis juxta formam antiquae sedis combustae factae jam a bo. me. Cardinali Armelino ejusdem ecclesiae Archidiacono. Et Grubernatorem posse apud Episcopum sedere in alia sede camerali arbitrio suo eligenda, dummodo non sit major nec pulchrior dicta sede, qua uti debet Episcopus et neutra sit coloris rubri. Et ita censuit et declaravit.

Die 30. Octobris 1615.

(Anal. J. P. 1863 p. 138.)

l) In Nocte Nativ. D.

Episcopus ad Matutinum in nocte nativitatis potest sedere vel in sede chori vel in sede episcopali a cornu evangelii, prout melius sibi videbitur et magis populo satisfecerit. S. C. R. in Alexandrina die 25. Mart. 1605 ad 15.

m) In Processione.

Consuetudinem immemorabilem Ecclesiae Granaten. omnino servandam esse et Archiepiscopum in sua possescione deferri faciendi sedem in processionibus, ubi hae consistere consueverunt, tam praesente quam absente regio magistratu, manutenendum esse. N. 370 die 10. Maii 1608; n. 3111 die 4. Mai 1686.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 9; *Sedes in processione.*

n) Ad altare SSmi. Sacr.

Non licet Archiepiscopo erigere sibi thronum episcopale a dexteris altaris majoris, in quo asservatur SS. Sacra-

mentum cum quatuor gradibus. N. 917 die 5. Julii 1631.

o) Sumptus.

Sedes archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi, non ex Sacristiae sacris vestibus est ornanda. Sacra Congreg. Concilii in Messanen. Die 4. Sept. 1586.

p) In Synodo.

Ad dub.: An et in quo loco sit collocanda sedes Archiepiscopi durantibus sessionibus synodalibus? S. C. resp.: Arbitrio Episcopi. N. 3549 ad 3 die 23. Jan. 1700.

Cf.: *Sedes Cleri in Synodo; Sedes Episcoporum int. sese in Synodo etc.*

q) Vacatio, a quo tempore computanda?

Quando Episcopus sciens et volens transfertur, prior Sedes episcopalis vacat illico a die factae in curia seu Consistorio Papae translationis; communis; ac certa cum *Abbat.* Panorm. Consil. 101 num. 3 et 4. lib. 2., *Rota* part. 1 recent. decis. 475 n. 6 et sequent. Ibi sub n. 16 ostendit opinionen illorum, qui dixerunt non induci vacationem Episcopatus nisi post adeptam possessionem secundi, esse erroneam veluti innixam auctoritati Gloss. in cap.: *Si quis jam translatus 21. dist.* 2, quae loquitur de translatione abusiva; *Fagnan.* in cap.: *Quanto* 3. de translat. Episcop. n. 99., *Barbos.* in Collectaneis ad cap. 1. n. 5. de translat. Episcop. et lib. 1. Juris Eccles. univer. cap. 19. n. 37., ubi refert notabilem declarationem desuper emanatam in haec verba:

„Die 14. Decembris 1624. Sacra Congregatio illustrissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum praeposita SS. D. N. approbante censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur seu quam admittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis Suae, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum ve adeptam possessionem secundae Ecclesiae. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio seu documento Secretarii s. Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariae jurisdictionis eamque transire in capitulum Sede vacante et ita posse et debere capitulum statim ea jurisdictione uti ac Vicarium juxta Tridentini Concilii praescriptum eligere sedemque vacantem publicare.“

Si transfertur Episcopus absens et ignorans, non vacat prior Ecclesia ante praestitum a translato consensum nisi secus exprimatur a Papa; ita *Abbas* in cit. Consil. 101. n. 4. lib. 2., *Fagnan.* in cap.: *Quanto* n. 96. et sequent. citans alios, *Reiffenstuel* lib. 1. Decretal. tit. 7. n. 41. Et ratio est, quia quando Papa transfert Episcopum absentem et ignorantem de una ad aliam Ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat vel expresse vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factae; ita *Joum Monachum* in cap.: *Generali* n. 10. de election. in 6. asserens, se hoc vidisse pluries in Curia declarari. In ipsa enim beneficiorum ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa; *si provisus consenserit*, ut legitur in capitul.: *Si tibi absenti* 17. de praebend in 6.

Ecclesiam, a qua Episcopus de suo consensu transfertur, ab eo tempore vacare, quo idem Episcopus alio vinculo in Consistorio absolvitur, etiam ante explicationem literarum apost. vel adeptam secundae ecclesiae possessionem. Postea, quum vero ex testimonio seu documento Secretarii s. Collegii

vel alio modo hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus translatus habuerit, illico cum exercitio ordinariae jurisdictionis abstinere debere eamque in capitulum transire, ita ut statim capitulum eadem jurisdictione uti, sedem vacantem publicare atque Officialem seu Vicarium ad Conc. Tr. praescriptum constituere possit et debeat.

Die 20. Mart. 1625.

25) Episcopi Administrat.

a) Ad altare.

Episcopus Administrator Ecclesiae Sarsinaten., dum cantat Missas et Vesperas in Pontificalibus, non potest sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus parata cum baldachino ac postergale. N. 3952 ad 2 die 22. Aug. 1722.

Cf.: *Baldachinum Episcopi Administ.; faldistorium.*

b) In choro.

Ad dub.: An dum choro assistit Episcopus Administr. uti Praepositus, prima capituli dignitas retinere debeat primum stallum?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam decretis declarare. N. 5140 ad 4 die 23. Sept. 1848.

26) Episcopi Suffrag.

Ad dub.: An quando Episcopi Suffrag. accedunt ad Ecclesiam Turritanam Metrop. in functionibus sol. aut pro audiendis concionibus in similibus possint sedere in sede cum postergali et sibi pulvinar et pannum coloris violacei sternere in qualibet parte Ecclesiae aut saltem in aliqua capella privata circa praejudicium Metropolitani? S. C. resp.: Deberi, ut in precibus, locum et sedem. N. 3080 die 10. Febr. 1685.

Vd.: *Suffragan. celebrans. (Assist. et Ministri). Sedes Episcopi* (forma, locus etc.); *Sedes Cleri* (in Synodo); *Sedes Episcop. int. sese in Synodo etc.*

27) Episcoporum inter sese in Concilio Trid.

Vd.: *Episcop.* (praeced.); *Praecedent. inter Episcop.*

Ordo, quo Praelati in Sacro Concilio Tridentino locum habere debent in actibus publicis.

Pius Papa IV.

Sicut ea, quae pacem et concordiam nutriunt, pura mente semper inquirimus, ita ex debito nostrae pastoralis solicitudinis tenemur illa submovere, quae discordiam suscitare et scandalum introducere posse videntur.

Itaque ad tollendam omnem controversiam materiarum, quae inter Praelatos ad celebrationem sacri oecumenici et generalis Concilii in civitate Tridentina pro tempore congregatos super eorum praecedentia forte jam sunt exortae et in dies oriri possunt, volumus ac vobis per praesentes mandamus ut omnes et singulos Praelatos praedictos, videlicet venerabiles fratres Patriarchas primo, secundo Archiepiscopos, tertio autem loco Episcopos, in quibusvis actibus publicis, secundum gradum et ordinem suarum ad eorum ecclesias promotionum (ita quod qui prius promotus ad eas fuerit in suo quisque ordine prior existat), incedere, sedere ac locum habere (nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive verae sive praetensae illae fuerint), auctoritate nostra faciatis studioseque et diligenter curetis, atque pro vestra prudentia ac pietate geratis ut cuncta istic concordibus animis, in virtute Spiritus Sancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete feliciterque procedere valeant.

Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 31. Dec. 1560. Pontif. anno II.

(Bull. r. t. VII. p. 96. Ed. Aug. Taur. 1862.)

28) Episcop. int. sese in Synodo provinciali.

Vd.: *Episcop.* (praeced.)

Strigonien.

Votum Magistri Caeremon.

1. Quod jam diu Emmi et Rmmi D. Cardinalis Archiepiscopi Strigoniensis atque Rmmorum Antistitum illius provinciae in votis erat, ut provincialium Synodorum usus longo annorum intervallo intermissus instauraretur, id tandem, Deo favente, in majorem rei ecclesiasticae spem et gloriam per Synodum Strigonii novissime celebratam fauste feliciterque obvenisse laetamur. Quod autem humanae conditionis est, inter Episcopos provinciales, qui inibi convenerant, excitata est quaestio super praecedentia in ordine sedendi scribendique. Ejus autem quaestionis, si causam quaeratis, Emmi et Rmmi Patres, ea fuit, quod nimirum alter eorum, Reverendissimus Georgius Girk, in numero Episcoporum provinciae Strigoniensis cooptatus die 10. Martii 1853 praecedentiam nonquidem a suscepto Episcopatum Quinque Ecclesien., sed ab anno 1838, quo episcopali consecratione et titulo ecclesiae Adrasen. in partibus donatus fuit, sibi deberi existimabat supra caeteros, qui in ordine episcopali, ratione consecrationis, recentiores sunt. In aliam vero abiere sententiam tum Emmus Cardinalis Archiepiscopus, tum reliqui coepiscopi, qui omnes in eo consentiebant, ut qui potissimus titulus erat antistiti Quinque Ecclesien., sedendi subscribendique in Synodo, adeptio scilicet comprovincialis sedis idem esse deberet et praecedentiae. Votis Episcopi Quinque Ecclesien. sententia haec minime arrisit; acquievit tamen, ita ut „salva in omnibus erga singulos reverendissimos antistites et eminentissimum Cardinalem Metropolitam reverentia, praejudicium, quod hac vice sibi illatum esse censebat, instar querelae ad judicium synodale detulerit petieritque, eam inter acta praesentis Synodi assumi atque subin cum caeteris actis s. Sedi Apostolicae, a qua unice authentica et legalis interpretatio haberi potest, pro decisione et obtinenda in futurum certa cynosura substerni.“

2. Facti serie breviter exposita nonnullisque rationum momentis pro tuendo suo Synodique consilio in medium prolatis Emmus et Rmmus D. Cardinalis Scitowski Archiepiscopus Strigonien. et Primas in Hungariae regno per literas sub die 24. Octobris p. p. Strigonii in Hungaria datas ad SSmi D. N. Pii Papae IX. pedes rem obsequentissime detulit, super qua, Pontifice Maximo jubente, per secretariam S. C. ecclesiasticis negociis extraordinariis praepositae consilium vestrum, Emmi et Rmmi Patres legitimis ritibus cognoscendis praepositi, exposcitur, invitato prius per literas 2. Decembris ad Emmum D. Archiepiscopum Episcopo Quinque Ecclesien. ad suas rationes, si quas insuper haberet, sacrae huic Congregationi deducendas, ne, indicta causa, sententia ferri videretur; postulationi satisfactum est ab utroque; nam alter literis diei 5. Januarii p. p. *promptissime adclusit ejusdem Episcopi originariam remonstrationem*, alter literis diei 12. ejusdem mensis misit eamdem deductionem motivorum judicio synodali 20. Septembris a. p. querelae instar . . . exhibitam, atque insuper allegatis motivis et illud me-

rito addi posse demisse censuit exemplo ducto a Synodo nationali Tyrnaviensi anni 1630.

3. Omnia haec una cum hoc voto, quod in mandatis mihi datum est ut aperiam, vobis Emmi et Rmmi Patres, humillime subjiciuntur, ut summa, qua fulgetis, sapientia judicium super proposita controversia feratis. Non sit autem qui miretur praecedentiae quaestionem inter spectatissimos Episcopos agitari, „non enim facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major," (Luc. 22, 24), sed potius excitatus est zelus, quo curandum est, *ut omnia honeste et secundum ordinem fiant* (1 ad Corinth. 14, 40). Hujusmodi quaestiones oriri facile posse vel ex eo patet, quod initio cujusque Synodi soleat prudenter promulgari decretum, quo declaretur ex ordine inibi sedendi nihil detractum iri juri habendi praestantiorem locum, quod quisquam sibi competere existimet, quod ab ipso s. Carolo Borromaeo factum esse scimus.

4. Nemo unquam sane inficiabitur praecedentiam inter personas episcopali dignitate ac charactere insignitas desumendam esse „a die decreti consistorialis super expeditione ecclesiae," ut sacra haec Congregatio respondit die 2. Martii 1641, ita ut qui prius electus seu promotus et a Summo Pontifice in consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cujuscumque dignitatis et qualitatis postea electo, proposito et ut supra confirmato praecedere," quemadmodum in Segrobrien die 21. Martii 1609 eadem s. Congregatio confirmavit. Hinc in hujusmodi controversiis instar canonis et pro certo habendum est, *praecedentiam regulandam esse a die decreti consistorialis super expeditione ecclesiae*, juxta alterum decretum 2. Martii 1641. Ut haec, quae generali praescriptione statuuntur in memoratis decretis, in Synodo etiam provinciali stricte servanda esse ostendat Episcopus Quinque Ecclesien., plures in medium promit auctoritates, quae licet disserte enumerentur in ejus protestatione, operae tamen pretium existimo, eas ad verbum oculis vestris subjicere addito earum textu, quos ille tantum contracte citat. Sunt autem, quae sequuntur:

5. Sane canon VII. dist. 17 haec habet: „Episcopum secundum ordinationis suae tempus sive ad considendum in Concilio sive ad subscribendum vel in quacumque alia re sua attendere loco decernimus et suorum sibi praerogativam ordinum vindicare."

Canon. I. dist. 18: „Placuit, ut, conservato Metropolitani primatu, ceteri Episcopi secundum ordinationis suae tempus alius alii deferat locum."

Cap. I de majorit. et obed., ubi respondens s. Gregorius Augustino, Episcopo Anglorum, a quo fuerat interrogatus de nonnullis spectantibus ad regimen ipsius provinciae et de praecedentia inter Londoniensem et Ebroracensem praesulem, haec rescripsit: „Sit vero inter Londiniae et Eboracae civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus."

Caeremoniale Episcoporum cap. XXXI. lib. 1. num. 15: „In sessione vero et ordine proferendi vota observandum est, ut Episcopi praecedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem vel praeeminentiam ecclesiarum."

6. Addit etiam ac citat *Benedictum XIV. de Syn. dioeces. lib. 3. cap. X. num. 3.* Ibi agitur de loci post Episcopum honorabilioris praerogativa, quam (in Synodo dioecesana) deberi Vicario generali praeclarissimus

auctor validis argumentis ostendit, quod quidem qualem habeat cum hodierna quaestione rationem favore Episcopi Quinque Ecclesien. non video.

Magis fortasse accommodantur, quae citantur de eodem auctore sequenti n. VI.: Inter abbates autem ille censetur alteri honore antecellere, qui prius abbatiam est assecutus, nulla habita ratione antiquitatis seu dignitatis ordinum, quibus sunt addicti, ad normam sententiae latae a Pio IV. in causa praecedentiae inter Canonicos regulares Lateranenses et monachos Cassinenses etc. Generatim enim in quaestionibus de praecedentia receptum est, ut, caeteris paribus, ille alteri praeponatur, qui prius ad dignitatem est promotus, quod ex textibus in can. final. dist. 17. et in cap. 1. et cap. 15. de major. et obed. bene deducunt Cassanus etc.“

Tandem instructio Emmi praefecti sacrae Congregationis Concilii ad Emmum Archiepiscopum Viennensem die 16. Aprilis 1855: „Episcopi comprovinciales loca sua secundum consecrationis episcopalis susceptae tempus habebunt“.

Quae quidem omnia (cum aliqua tamen restrictione quoad auctoritatem desumptam a Benedicto XIV.) ita clara sunt atque formulis adeo explicitis declarata, ut dubitandum non sit, inter Episcopos provinciales synodo coadunatos praecedentiae rationem, salvo Metropolitani primatu, non aliunde profecto „quam secundum ordinationis suae vel consecrationis episcopalis susceptae tempus vel respective *promotionis* ordinem desumendam esse. Investigandum tamen sedulo est ac diligenter inquirendum, quid per ea verba *secundum ordinationis*, *consecrationis episcopalis, promotionis tempus*, sensu quidem verborum eorumdem intrinseco ac nativo proprie ac vere intelligi oporteat, ut inde inferatur: an in casu, de quo agitur, ex allatorum canonum ac caeterarum dispositionum auctoritate praecedentia Episcopi Quinque Ecclesien. desumenda sit *absolute* a sola consecratione seu potius *discretive*, quatenus scilicet consecratio ab ejus immissione in illam provincialem sedem disjungatur?

8. Quod ut facilius dignoscatur liceat mihi, quoniam nihil certi ac deliberati hac super re invenire potui, iis uti argumentis, quae ad ferendam sententiam aptiora quidem ac magis rei eidem conformia visa sunt. Nihil itaque magis opportunum esse arbitror, quam eosdem canones eademque testimonia cum aliis ordinationibus ac statutis, quae in primitiva ecclesia vigebant, invicem conferre, ut ex simultanea eorum collatione legitimus sensus clarior appareat.

9. Et primo quidem inspiciamus, quae fuerit vetusta ecclesiae disciplina circa Episcoporum electionem et ordinationem. Antiquitates ecclesiasticas pervolventi facile occurrit, id in Episcopo valde cautum fuisse, ut is (extraordinariis quibusdam casibus exceptis) de ejusdem ecclesiae, cui praeficiendus erat, clero eligeretur. Peregrini enim, quos populus haud noverat, ecclesiasticis regulis prohibebantur, quominus Episcopi fierent: *Episcopus*, inquit s. Cyprianus ep. 68. al. 67 ad fratr. Hispaniae, *deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque vitam de ipsius conservatione perspexit.* Et hic mos ita erat in universa ecclesia observandus, ut Julius Papa ep. ap. Athan. Apol. II. tom. I. pag. 249, edit. Paris. 1698 adversus *Gregorium*, quem Arianorum factio ecclesiae in locum Athanasii obtrudere conabatur, id vehementer urgeret, externum esse

hominem, non illic baptizatum, compluribus ignotum, nec a Presbyteris vel ab Episcopis vel a plebe postulatum.

10. His addendum est, quemlibet Episcopum juxta canones atque ecclesiae consuetudinem in sua ipsius ecclesia praesente populo ordinari consuevisse. Lueulenter id testatur s. Cyprianus loco mox citato: *Ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciae conveniant et Episcopus deligatur plebe praesente.* Et inter ea, de quibus Pontifex Julius paulo ante memoratus Arianos graviter objurgabat, id quoque querebatur, quod Gregorius Antiochiae Episcopus ordinatus et Alexandriam missus sit militari stipatus manu, cum tamen secundum ecclesiasticum canonem *ἐπ᾽ αὐτῆς ἐκκλησίας* in ipsa ecclesia *Alexandrina* ab Episcopis provinciae illius constitui oportuerit. Quod Augustini exemplo confirmatur, quem in ipsa ejus ecclesia *Hipponae* a primate Numidiae (Megalio Episcopo Calamensi) ordinatum fuisse narrat Possidius (Vit. August. cap. VIII) et cum, dioecesi ejus divisa novoque *Fussulae* Episcopatu erecto, ipse Episcopum elegisset, ad primatem, longo licet itineris intervallo disjunctum, misit, ut ad locum istum veniret ibique eum ordinaret: *Propter quem ordinandum, sanctum senem, qui tunc primatum Numidiae gerebat, de longinquo ut veniret rogans literis impetravi. August. ep. 261.*

Hinc usus ille ad instar cujusdam veluti legis inductus ut quisquis Episcopus hujusmodi profectionem ad onus Episcopatus in illa tali ecclesia *ordinationis* seu *natalis* sui diem nuncuparet et annua solemnitate, habita etiam homilia, celebraret. S. Ambrosius in sua epistola IV. ad Felicem de initi ab eo Episcopatus die loquens: „Natalem autem tuum, inquit, prosequamur nostris orationibus et tu nostri in tuis votis non obliviscaris“. Et s. Augustinus in homilia, quae est 24. inter 50: „Cum, ait, dies anniversarius nostrae ordinationis exoritur, tum maxime honor hujus officii tamquam primum imponatur, attenditur“. Hinc *Enthronisatio,* quae fiebat, cum finita consecratione Episcopi, qui aderant, Episcopum modo ordinatum in Cathedram seu thronum ipsius deducebant in eoque collocatum sancto osculo in Domino omnes salutabant. *Hinc literae,* quae a tempore et circumstantia, in qua novus Episcopus eas mittebat ad extraneos Episcopos, ut eis fidem et orthodoxiam suam testatam faceret, *Enthronisticae* appellabantur. Evagr. lib. IV. cap. V.

12. Quae quidem omnia quis non videt eo spectare, ut, qui constituebatur alicujus ecclesiae Episcopus, in ea una regenda totam, quae ei supererat, vitam impendere deberet? Hinc translationes Episcoporum de una in aliam ecclesiam omnino vetabantur. Porro canon XV. Concilii Nicaeni (tom 2. concil. p. 26) haec habet: „A civitate in civitatem nec Episcopus nec Diaconus transeat. Si quis autem post magnae et sanctae Synodi definitionem tale quidpiam aggressus fuerit vel causam rei ejusdem dederit, quod factum est omnino infirmabitur et ecclesiae restituetur, cui Episcopus vel presbyter ordinatus fuerit“. Canon I. Concilii Sardicensis (tom. 2. Concil. pag. 628): „Ne cui Episcopo liceat a parva civitate in aliam transire“. Canon XXI. Concilii Antiocheni (ibi pag. 571): „Episcopus ab una parochia in aliam ne transeat, necne sua sponte ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab Episcopis coactus“. Canon XXVIII. Concilii Carthaginiensis III. (ibi pag. 1172): *„non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes vel translationes Episcoporum.“*

13. Et ne longior sim, Cardin. Bellarminus in tractatu *de officio primario Summi Pontificis* ad Clementem VIII. paucis complectitur quaecumque hac de re in sacris canonibus habentur: „Translatio Episcoporum secundum canones atque usum veteris ecclesiae non debet fieri nisi ob ecclesiae necessitatem vel majorem utilitatem; neque enim institutae sunt ecclesiae propter Episcopos sed Episcopi propter ecclesias . . . praesertim cum id sine animarum detrimento fieri nequeat, ut experimentum ipsum docet; non enim Episcopi ecclesias diligunt, quas brevi se deserturos sperant, ut ad alias commodiores transeant".

14. Atque ut eo, unde digressa est, revertatur oratio, jam patet praefatas omnes leges ac dispositiones tum de modo electionis et consecrationis Episcoporum, tum de prohibitione translationis eorumdem de una in aliam ecclesiam, pro qua consecrati non fuerunt, eo directe spectare, ut intelligatur, in locutione sacrorum canonum et in veteri ecclesiae disciplina nullum intercedere discrimen inter electionem alicujus Episcopi, ejus immissionem ad episcopalem Sedem ejusdemque ordinationem seu consecrationem et inter ecclesiam ipsam, ad quam semel electus, inmissus et consecratus fuerat, ita ut unum idemque semper esset et tempus consecrationis et tempus suscepti regiminis propriae ecclesiae. Quibus omnibus si placeat comparare praefatos canones VII. dist. 17. et dist. 18., sponte velut sua fluere videtur conclusio, eos per illa verba *secundum ordinationis suae tempus* non aliud profecto significare velle aut posse quam *tempus electionis et immissionis suae* in illam ecclesiam.

15. Neque hac regula aliquid utilius aut simplicius aut naturae magis consonum excogitari potest, cum ex eadem, juxta praemissa, nulla possit oriri complicatio inter tempus consecrationis et tempus adeptae Sedis episcopalis[1], utrumque enim significabatur per ipsum *ordinationis* vocabulum. Hinc lege sancitum erat, ut *matricula* seu *archivus ordinationum*, quemadmodum vocabant, tum in ecclesia Primatis tum in Metropoli provinciae asservaretur, quo singulorum Episcoporum consecrationis tempus demonstraretur. „Placuit (eod. can. eccl. afr. c. 86., Joan. II., Concil. p. 2001) omnibus Episcopis, qui in hoc concilio subscripserunt, ut matricula et archivus Numidiae et apud primam sedem sit et in Metropoli".

16. Hinc facillima res erat Metropolitano Concilium provinciale convocanti tractorias seu epistolas suas citatorias mittere in eisque singulorum Episcoporum, qui vocabantur, nomina inscribere, servato consecrationis cujusque ordine, ut idem ordo in sessione ac subscriptione aut *in alia quacunque re* servaretur. Quod si, non obstante hoc catalogo, confusio aliqua obreperet, quod aliquando accidisse ex Augustino discimus, qui conquestus est suum nomen multis aliis aetate ordinationis ipsum superantibus in hujusmodi tractoria epistola antepositum fuisse, „quae res, ait, (ep. 217 ad Victor.) et aliis injuriosa", opportune cavit Concilium Milevit. can. XIV. (tom. II. p. 1541) „ut quicumque ab Episcopis ordinantur literas accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur".

17. Atque in hoc canonum veterisque ecclesiasticae disciplinae sensu inscriptam legimus in Missali romano missam, quae celebranda praescribitur die *anniversario* electionis seu consecrationis *Episcopi*.

18. Quae omnia ideo dicta sint, ut clare pateat, canones supra citatos regulam generalem continere, quae accomodatissima erat disciplinae, quae tunc in ecclesia vigebat, quin ab ulla unquam complicatione turbari posset. Quae quidem regula non est minus accomodata hodierna quoque disciplinae, dummodo electio ad Episcopatum, ut ordinare accidit cum electione ad illam talem episcopalem Sedem conjuncta intelligatur.

19. Merito itaque Emmus s. Congregationis Concilii praefectus in suis literis 16. Aprilis 1855 Cardinali Archiepiscopo Viennensi testatur ,,nihil, quod pragmaticis sacrorum canonum et ecclesiasticae disciplinae institutis adversetur", adinventum fuisse in norma, quam ille vulgaverat, celebrandi Concilii provincialis, in qua praeter alia haec legebantur: *Episcopi provinciales loca sua secundum consecrationis episcopalis susceptae tempus habebunt.* Et revera juxta canonum et ecclesiasticae disciplinae statuta actum nuper est in illa provinciali Synodo, cujus exemplum cum non referat specialem Episcopi Quinque Ecclesiensis circumstantiam, nescio quam opportune is in sui favorem adduxerit. Nam tres ibi, praeter Archiepiscopum, aderant Episcopi, quorum duo provinciales, alter nimirum s. Hippolyti, a die 15. Martii 1852, alter nimirum Lincien. a die 10. Martii 1853; inter quos cum nullum oriri posset praecedentiae dubium, optime et sua veluti sponte cessit praedictorum canonum dispositio ut scilicet *secundum ordinationis suae tempus alter*, Episcopus Lincien., *alteri*, Episcopo s. Hippolyti, *deferat locum.* Ultimo autem loco sedit Episcopus Sareptae *in partibus*, Suffraganeus Archiepiscopi, ut ajunt in Pontificalibus, quod quam sapienter factum sit, licet is aetate ordinationis suae reliquos duos antecelleret, electus enim est die 17. Februarii 1851, tum per se patet tum ex dicendis clarius patebit.

20. Sed si quae disputavi paucis complecti libeat, praefatorum canonum dispositio ad hoc referri posse mihi videtur, ut Episcopi, *caeteris paribus,* juxta ordinationis suae tempus praecedant. Audiatur Gonzallez Tellez et Benedictus XIV. de vero ac genuino sensu praedictorum canonum. Alter in suis commentariis ad textum decretalium Gregorii IX., tit. XXXIII. cap. I. de major. et obed. haec habet: ,,Ex temporis antiquitate majoritas nascitur, ita ut qui prius ordinatus est, caeteris paribus, is in eodem gradu potior sit". Alter de Synod. dioec. lib. III. cap. X. n. VI. ait: ,,Generatim enim in quaestionibus de praecedentia receptum est, ut, caeteris paribus, ille alteri praeponatur, qui prior ad dignitatem est promotus, quod ex textibus in can. final. dist. 17 et in cap. 1 et 15 de majorit. et obed. bene deducunt *Cassan.* in cat. gl. mun. part. 4, *Manriquez* de praec. quaest. 1, num. 17, per alt. de praec. c. 3. num. 4.

21. Advertenda itaque sedulo est in casu praesentis quaestionis clausula illa *caeteris paribus,* quia inter Episcopos suffraganeos Synodi Strygonien. non omnia sunt paria, ut iis praefata regula: *ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus*, aptari commode et tuto possit. Ad hoc enim, ut caetera sint paria, oporteret ut quemadmodum pares sunt quoad Episcopatum provincialem, ita etiam pares essent in contemporaneitate consecrationis et adeptionis praedictarum sedium. In hoc autem Episcopus Quinque Ecclesien. discordat cum Episcopis, ut is longe ante fuerit consecratus Episcopus (an. 1838). Cum igitur ob hanc disparitatem recensitae generales dispositiones applicari non possint, per

aliam sane viam praecedentiae norma statuenda est nempe per justas et probatas ecclesiasticas dispositiones.

22. Qua in re ut lucidiori, qua fieri potest, ordine procedam, sinite Emmi Patres, ut Episcopos sub duplici respectu considerem; *primo* simpliciter tamquam personas episcopali charactere et dignitate per consecrationem insignitas et in ordine ad Episcopatum catholicum, ita ut singuli dici possint quadam ratione *Episcopi gentium*, prout eos Franciscus Blanchinus appellat. tom. 2 Anastasii in notis ad vitam s. Eleutherii, qui aliquando ordinari consueverunt absque titulo, ut data occasione mitterentur ad gentes, *secundo* tamquam animarum pastores in ordine ad pastorale officium, quod actu exercent et ad ecclesiam cuique concreditam seu ad aliud insigne munus, cui specialiter et rite addicuntur. In primo casu potestas tantum ordinis in eis spectatur; in altero ordinis simul et jurisdictionis in actu exercitae.

23. Ad primam classem referri proprie videntur Episcopi titulares, quos *in partibus* dicunt, quosque, ut notissimum est, ad titulum alicujus ex plerisque olim florentissimis episcopalibus Sedibus, quae nunc infidelium jugo detinentur, Summi Pontifices creari solent, ne vetustae illlorum dignitatis memoria penitus obliteretur, praeter alias justissimas causas. Hi sunt quidem veri Episcopi, ut qui in consecratione episcopalem characterem et potestatem huic adnexam receperunt; usu tamen potestatis et jurisdictionis, quam ordinatione acceperunt, actu et exercitio sunt omnino destituti. Ad eamdem classem aliquo modo referri etiam possunt alii Episcopi non titulares, quibus licet ecclesiarum cura et regimen actu et exercitio commissum sit, non versantur tamen in propria civitate aut dioecesi seu in loco eorum jurisdictionis, sed in loco omnino tertio, ubi jurisdictionis ratio accidentaliter, si ita loqui fas est, suspenditur.

24. In hoc statu omnes tum titulares tum residentiales extra propriam ecclesiam sunt aequales absque jurisdictione nec actuali nec habituali, excepta illa satis remota habituali, quam Episcopi fruentes dioecesi actuali habent discretive ad solos titulares, interveniendi ac votum proferendi in Conciliis generalibus, ut recte observat Cardinalis de Luca lib. III. part. II. praeemin. discur. XVI. n. 8. Hi Episcopi, si omnes aut plerique aut etiam duo simul reperiantur, jam patet, eos non alio quidem modo considerandos esse utpote inter se aequales, quam in ordine ad cujusque promotionem ad Episcopatum late sumptum, ac proinde, cum inter eos ordo servandus omnino sit, ratio ipsa suadet, ut, quoniam caetera sunt paria, assignandae inter eos praecedentiae non alia ratio habeatur, quam *electionis seu promotionis*, nec alio modo *singuli suorum sibi praerogativam ordinum vindicare possint.* Excipiendi tantum ab hac regula sunt patriarchae, qui, ex lege, inter se praecedunt semper non ratione promotionis sed juxta dignitatem sedium, Constantinopolitanae nimirum, Alexandrinae, Antiochenae, Hierosolymitanae.

25. Hujus rei exemplum ne longe quaeramus, sufficit meminisse Episcoporum, qui Romae versantur et vel in pontificio sacello statis diebus interfuturi de more sacris functionibus conveniunt (excipiendi sunt Episcopi pontificio solio assistentes, de quibus mox singularis sermo recurret) vel ad ecclesiastica comitia aut congregationes vocantur.

De usu pontificii sacelli testimonium pene quotidianum ob oculos nostros

habemus. Ad comitia et congregationes quod attinet, juvat hic eas commemorare, quae anno 1854 habitae sunt, antequam Summus Pontifex Pius Papa IX., quem Deus O. M. ad plurimos annos incolumen servet, solemne decretum de immaculato sanctissimae semper Virginis Mariae conceptu pronuntiaret: atque eam praesertim, congregationem, quae celebrata est feria II. die 20. Novembris in aula ducali palatii apostolici ad Vaticanum. Convocati ad nobilissimum illum coetum coram tribus ex S. R. E. Cardinalibus a Sanctitate Sua delegatis, quotquot in urbe tunc aderant „Patriarchae primo loco juxta propriae sedis dignitatem, Archiepiscopi vero et Episcopi, servato ordine antiquitatis promotionis", prout de *mandato* SSmmi D. N. Papae, *Aloisius Ferrari* proton. apost. caerem. praef. per schedulam typis vulgatam singulis edixit. Atque ut praescriptus ordo religiose servaretur exaratus est ac pervulgatus elenchus, qui uno velut intuitu exhiberet cognomen et nomen, titulum et seriem promotionis Emmorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium, juxta ordinem suum, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum secundum tempus promotionis in urbe praesentium die 18. Novembris 1854 sedente SS. D. N. Pio Papa IX. Pont. Max.

26. Venio nunc ad alteram hypothesim, *quod scilicet simul conveniant Episcopi vel in locum propriae jurisdictionis ejusdem* seu muneris, cui sint specialiter addicti. Non est quidem dubitandum, quin hoc quoque in casu, potiori aut pari certe ratione ordo praecedentiae secundum *ordinationis cujusque tempus* sit instituendus. Id tamen ut rite juxta ss. canones eveniat, ea omnino conditio concurrat, oportet, ut scilicet in unoquoque Episcopo ordinationis tempus cum tempore provectionis ad episcopalem Sedem concordet, ita ut quilibet eorum illi ecclesiae cui modo praeest primitus in sua consecratione fuerit addictus. Quae quidem conditio passim et ordinarie adimpletur etiam in praesenti ecclesiae disciplina.

27. Sed si contrarium aliquando fieri contingat et alter ex eis sit eodem tempore aliis quidem antiquior quoad susceptum episcopalem characterem, junior autem quoad adeptam jurisdictionem, quae caeteroquin est titulus omnibus communis illius actionis, quam tunc exercent, in hujusmodi accidentali complicatione videndum est, quae latitudo et proportio generali supernunciatae regulae tribuenda sit. Cujus latitudinis et proportionis mensura absit, ut aliunde quaeretur quam a praxi et auctoritate ecclesiae.

28. In quo illud inprimis certae atque exploratae rei loco habendum est, Episcopo dioecesano in loco suae jurisdictionis nihil officere auctoritatem consecrationis aliorum Episcoporum, qui inibi forte adsint, quin ipse eos omnino praecedat. Evidenter id docet Sacra haec Rituum Congregatio, quae in Ephesina die 8. Aprilis 1656 declaravit quidem: Archiepiscopos titulares in aliena ecclesia existentes praeferri debere Episcopis et Archiepiscopis consecratione junioribus nec non aliis Episcopis charactere senioribus, sed gradus archiepiscopali posterioribus, ut puta ad ecclesiam archiepiscopalem post ipsius oratoris translationem translatis", adjecta tamen restrictive clausula: „Extra tamen ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos et Archiepiscopos etiam seniores praecedentia competit".

29. Neque in ecclesia tantum sed et in ipsa civitate vel dioecesi eminet superioritas Ordinarii ante omnes quam-

vis ordine et dignitate majores, ut testantur Cardinalis De Luca de praeem. lib. 5. p. 2. disc. XVI. n. 3. 4. 5., *Cassanus* in catal. de gl. mundi part. 4. consid. 22 et *Barbosa* de univers. jur. eccl. c. 13. num. 11, quia ibi reputatur Pontifex omniumque superior gaudetque habitu jurisdictionali privative ad omnes etiam in actibus indifferentibus, utitur rocchetto et mozzetta, benedictionem populo impertitur, quod aliis non conceditur.

30. Et ad Episcopum suffraganeum quod pertinet, de ejus jurisdictione in universa provincia audiatur Cardinalis De Luoa, de praeem. au. lib. 3. part. 2. disc. XVI., ubi judicium suum proferens de quaestione praecedentiae inter Archiepiscopum Sebastien. in partibus, qui erat coadjutor vulgo Suffraganeus Archiepiscopi Metropolitani Pragen. in Pontificalibus, et Episcopum Lithomaricen. ejusdem provinciae Episcopum jurisdictionalem, respondit favore Episcopi absolute in civitate vel dioecesi Lithomaricen. et cum distinctione in provincia. En ejus verba: „Quoad vero ad alterum casum, concursus scilicet hujusmodi praelatorum in ipsa civitate Metropolita ejusque dioecesi vel provincia, distinguebam inter functiones publicas et jurisdictionales ratione *Episcopatus et praelaturae actualis*, puta *in Synodo provinciali*, in consecratione Episcopi comprovincialis, in consecratione regis vel reginae cum similibus et inter actus omnino indifferentes ac privatos. In prima specie absque dubio pro Episcopo (provinciali) respondendum esse dicebam, quoniam cum illi sint actus, qui geruntur in titulum sub nomine praelaturae, dictus Archiepiscopus titularis utpote non existens de illo ordine seu genere nullum jus habet in eis interveniendi, quia extra suum officium, unde reputatur vir mere privatus etc." Re deducta ad Sacram Rituum Congregationem affirmat auctor eam respondisse juxta praemissa.

31. Quae omnia eo animo dicta esse volo, ut intelligatur, praecedentiam inter Episcopos non absolute ab respectiva consecrationis prioritate sed discretive a prioritate adeptae jurisdictionis esse desumendam esse. Si enim inter plures Episcopos et Archiepiscopos etiam seniores uni Ordinario in propria civitate et dioecesi, ob habitum et exercitium, quo inibi potiuntur, jurisdictionis tribuit Episcopis suffraganeis etiam in Synodo coadunatis praecedentiam absolute supra Episcopos et Archiepiscopos, qui non sint suffraganei provinciales, eadem ratio jurisdictionis metri quoque debere videtur praecedentiam respective inter Coepiscopos, ita ut in tali actu et exercitio, quod ab eorum jurisdictione derivat, prioritas vel posterioritas ab ejusdem jurisdictionis anterioritate vel posterioritate praefiniatur. In quo actu et exercitio quantum sibi jure vindicet qualitas jurisdictionis vel ex eo patet, quod potissimam rationem, propter quam Vicario generali tribuitur locus post Episcopum honorabilior in Synodo dioecesana, non aliunde auctores desumant, quam a jurisdictione, qua gaudet: „Post Episcopum ante caeteros assidere debet Vicarius generalis, qui ratione jurisdictionis, quam in omnes exercet dioecesanos, omnibus dignitate antecellit", ut docet Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. 3. cap. X. num. 2.

32. Cujus argumenti validitas roboratur a simili ratione, qua instituitur praecedentiae titulus inter Episcopos pontificio solio assistentes. Orta enim aliquando inter eos controversia super praecedentia sacra haec Congregatio in uno urbis collegii Episcoporum assistentium die 7. Septembris 1816, re mature discussa, haec decrevit: „Firmo

exstante praelationis jure Archiepiscoporum supra Episcopos, jus illud inter aequales ex vocatione ad assistentiam non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendam atque hanc regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt". En igitur invariabilis regula instituendae praecedentiae inter aequales: nimirum *vocatio ad assistentiam*, posthabita omnino *promotione ad Episcopatum*. En simul sapientissima hujus consilii expressa ratio, quia scilicet Episcoporum personae non referuntur ad Episcopatum in genere, sed ad munus et officium in specie, quo actu funguntur.

33. Jam vero, si Archiepiscopi et Episcopi pontificio solio assistentes in actu et exercitio eorum assistentiae comparentur cum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis alicujus provinciae in actu et exercitio et loco muneris episcopalis, quale est celebratio Synodi: si quemadmodum Episcopi assistentes, dum insimul conveniunt, *collegialiter* convenire dicuntur, ita et *collegialiter* interesse dicantur Episcopi comprovinciales in Synodo, quis ex argumento, quod vocant a pari, non inferet, inter Episcopos suffraganeos Synodo provinciali assidentes, salvo Metropolitani primatu ,,jus illud (praeeminentiae) inter aequales (ordine episcopali) ex vocatione (ad Episcopatum provincialem) non autem a promotione ad Episcopatum esse reputandum?

Quod magis perspicuum fiet, si quis consideret rationem dubitandi de praecedentia inter Episcopos pontificio solio assistentes ex eodem ferme capite derivasse, a quo hodierna praecedentiae quaestio exorta est. Cum enim Caeremoniale S. R. C. lib. III. cap. XVII. tit. de officio assistentium non Cardinalium Domino Nostro Papae haec habeat: ,,Inter istos non habetur ratio officiorum sive legationum sed *digniores et antiquiores in dignitate praecedant*," eaque disposito ambiguum relinquere videretur, an scilicet verba illa: *digniores et antiquiores* in dignitate praecedendi jus a promotione ad episcopatum an potius a vocatione, quam dicunt ad assistentiam, derivare vellent, locum praebuit quaestioni, quae praefato decreto resoluta fuit, quod Pius Papa VII. die 16. Septembris supradicti anni *approbavit, confirmavit atque in posterum servari mandavit.* Hinc fit, ut Episcopi pontificiae capellae aliisque similibus functionibus praesentes in duas veluti classes distribuantur, assistentium scilicet et non assistentium et diverso modo in sedibus respective assignatis praecedentiae ordinem instituunt, alteri a die promotionis ad Episcopatum vel respective ad Archiepiscopatum.

35. Neque est silentio praetereundum, in assignanda Episcopis praecedentia adeo stricte et rigorose servari commemoratum prioritatis discrimen, in alteris scilicet ob promotionem late sumptam ad Episcopatus dignitatem, in alteris ob provectionem ad singulare aliquod munus, quod dignitatis ejusdem proprium sit; ut Episcopi alterutri collegio addicti ex. gr. Episcoporum assistentium, si forte contingat non omnes in eadem functione easdem partes agere, diversa utuntur praecedentiae ratione, prout diversae sunt partes, quas gerunt. Verba haec si cui obscura videbuntur, illustrabit exemplum supplicationis illius, qua, praeeunte sacro Emmorum Patrum Senatu reliquisque ut in more est, Summus Pontifex Pius IX. die, in aevum memorata, octava Decembris 1854 initium daturus solemnissimae diei illius actioni e sacello Sixti IV. sacris indutus vestibus ad basilicam Vaticanam processit. Licet enim omnes, quotquot tantae aderant solemnitati, Archiepiscopi et Episcopi

pontificio solio assistentes ex benignitate Summi Pontificis renunciati fuissent, tamen quia, ut circumstantia illius diei postulabat, non fungebantur actu assistentium munere, ad quod duodecim tantum ex antiquioribus Archiepiscopis designati fuerunt, jussi sunt incedere ac sedere juxta ordinem dignitatis (archiepiscopalis et episcopalis) et promotionis ad eandem dignitatem. En schedulae intimantis verba: ,,Cum autem SSmus Dominus Noster suis apostolicis literis in forma brevis die 29. datis vertentis mensis Novembris omnes sacrorum antistites tantae solemnitati praesentes (qui nondum pontificio solio assistentes renunciati) in collegium idem cooptandos et hujusmodi honore decorandos esse censuerit, tum in eadem supplicatione ipsi antistites ita incedeant, ut servetur dumtaxat inter eos ordo dignitatis archiepiscopalis et episcopalis et habita temporis ratione propriae cujusque promotionis. Ex hisce duodecim tantum antiquiores Archiepiscopi eidem SSmo Domino assistentiam praestent, reliqui vero in subsellis sibi paratis, servato ut supra dignitatis et promotionis ordine locum teneant.“

36. Neque minoris momenti esse arbitror argumentum, quod desumi potest ab usitatis loquendi formulis, quas Concilium Tridentinum et Caeremoniale Episcoporum adhibent in assignanda Episcopis comprovincialibus aliqua honorificentia, absente vel impedito Metropolitano, cui aliunde ea honoris praerogativa deberetur. Sane Tridentinum sess. VI. de reform. cap. I. haec habet: ,,Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subjiciantur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens... Romano Pontifici denunciare teneatur.“ Et sess. XXII. cap. 1.: ,,Decernit eadem sacrosancta Synodus has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice aut a Metropolitano vel eo absente suffraganeo Episcopo antiquiori residente etc.“ Et sess. XXIV. cap. II: ,,Provincialia Concilia Metropolitano legitime impedito coepiscopus antiquior cogere potest.“ Ac demum sess. eadem cap. 16.: si capitulum Metropolitanae negligit infra octo dies legitime Vicarium deputare, ***antiquior Episcopus ex Suffraganeis*** Vicarium idoneum potest constituere.

37. Tridentino Concilio concinit Caeremoniale Episcoporum, dum lib. I. cap. XXXI. de ritibus et caeremoniis pro celebratione Synodi provincialis vel dioecesanae n. XIII. habet: ,,Cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur pallio, cum caeremoniis in cap. VIII. lib. II. explicatis, vel eo impedito ab antiquiore ejusdem provinciae Episcopo.“ Quod etiam s. Carolus in IV. sua provinciali Synodo consentanee decernit: ,,Post processionem missae sacrificium, ut a Metropolitano solet, eo impedito ab antiquiori provinciae coepiscopo solemniter celebretur et sermo etc.“

38. Quiquidem loquendi modus eo spectare videtur, ut tam Concilium Tridentinum quam Caeremoniale Episcoporum majores honorificentias iis Episcopis assignandas velint, qui sint antiquiores, quatenus non absolute Episcopi tantum relate ad consecrationem sed quatenus Episcopi ***suffraganei et Episcopi*** ejusdem provinciae, relate ad jurisdictionem, ita ut inter duplicem antiquitatis titulum, promotionis scilicet ad ordinem episcopalem et adeptionis sedis residentialis, si non uterque simul juxta veterem Ecclesiae disciplinam et sacros canones in eadem persona concurrat, is emineat, qui refertur ad ***Episcopatum provincialem*** seu quod idem est ad ***suffraganeatum.***

39. Vacante aliquo Episcopatu, quem vocant suburbicarium, illud est in more positum, ut optio ad eum assequendum, si Summo Pontifici placuerit, detur Cardinali antiquiori in ordine presbyterorum, ita tamen, ut si ille, quod non raro accidit justis de causis, abstineat, eadem optio detur alteri successive qui sequitur, isque electus et consecratus Episcopus, si adhuc non fuerit, ultimum locum teneat in ordine Cardinalium Episcoporum. Ex quo id sequitur, ut quandoque sit inter Cardinales Episcopos *junior* seu minus antiquus, qui inter eosdem sit cardinalatu, seu promotione ad cardinalatum *antiquior*. Jam vero cum lege statutum sit, ut solemniori quadam festivitate ex. gr. Corporis Christi, absente vel impedito Summo Pontifice, missam ante processionem celebretur a Cardinali s. Collegii Decano, eoque pariter vel absente vel impedito, ab antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario, quis dicet hujus missae celebrandae praecedentia frui debere *juniorem* Cardinalem Episcopum suburbicarium ob eam rationem, quod ex praedicta optionis consuetudine sit in cardinalatu antiquior caeteris Cardinalibus Episcopis suburbicariis? Quis videt prioritatem in promotione ad cardinalatum late sumptum eo in casu reputandam esse tamquam accidentalem, nihilque prioritatis conferre in exercitio muneris, quod proprium est illius ordinis, ad quem ille modo pertinet?

40. Idem debita cum proportione dicendum tum de Cardinali Priori in ordine Cardinalium presbyterorum, qui partes agit Cardinalis presbyteri Papae assistentis, tum de Cardinali ex ordine diaconorum, qui non servata constitutione Clementis VIII. ante decennium suae promotionis ad Cardinalatum transeat ad ordinem Cardinalium presbyterorum.

41. Eadem quoque et praxis, quae servatur in Patriarchalibus urbis Basilicis, in quibus Canonici, qui sunt episcopali ordine decorati, servata distinctione gradus archiepiscopalis et episcopalis, inter aequales praecedentiae rationem instituunt non a suscepta consecratione sed a possessione canonicatus.

42. Nec minus perturbaretur ordo seu series Episcoporum alicujus ecclesiae. Hujusmodi seriem saepe miramur expressam vel imaginibus in aula residentiae episcopalis aut in sacristia Cathedralis aut alibi affabre depictis, cum primum ad illam sedem singuli Episcopi destinantur, vel catalogo, cui inscribatur nomen cujusque, statim ac Episcopus illius ecclesiae renuncietur. In serie Episcoporum ecclesiae Quinque Ecclesien. jam ab anno 1853 nomen aut imago fortasse effulget Rmmi Georgii Girk actualis Episcopi. Effinge Episcopum decessorem ejus ad illam sedem, consecratum Episcopum et promotum anno ex. gr. 1840 e loco cessisse et ad sublimiorem gradum evectum fauste fuisse. Si quaeras uter sit antiquior *Episcopus suffraganeus* ecclesiae Quinque Ecclesien. ideone antiquior, conclamabitur actualis ordinarius loco prioris substitutus anno 1853 ex eo quod idem ab anno 1838 consecratus sit Episcopus Adrasensis in *partibus?*

43. Et si, quod improbabile non est, ad Synodi provincialis celebrationem urbane convocaretur etiam Episcopus titularis vel Episcoqus omnibus provincialibus in ordinatione seu consecratione anterior, quisnam ei dabitur locus in sessione? An non posset is ad tuendum, ex hac anterioritate, praecedentiae suae titulum allegare tum can. 7: „Episcopus secundum ordinationis suae tempus ad considendum etc.“, tum can. 1: „placuit, ut conservato Metropolitani primatu caeteri Episcopi

secundum ordinationis suae tempus etc.", tum alias auctoritates, quae late adducuntur. Opportune respondet s. Congregatio Concilii in *Aquen. Juris votandi*, quae interrogata de Episcopo mere titulari, qui Episcopatui cessit, quem obtinuit jampridem in aliena provincia, si is adesset Concilio provinciali, *utrum praecedentia frui debeat quoad caeteros Episcopos suffraganeos, si prius consecrationem episcopalem receperit?* die 26. Augusti 1850 respondit: *Negative.* Quod jamdiu responderat Cardinalis de Luca disc. XVI. supra citato, licet ageretur de Archiepiscopo Sebasten. in partibus, qui erat etiam suffraganeus in pontificalibus Archiepiscopi Pragen., in concursu Episcopi provincialibus, hanc addens rationem: „quoniam comisti sint actus qui geruntur in titulum, sub nomine praelaturae, dictus Archiepiscopus titularis, utpote non existens de isto ordine seu genere, nullum jus habet in eis interveniendi, quia extra suum officium, unde reputatur vir mere privatus: ac etiam urget eadem ratio casus praecedentis, ut qui scilicet habet jurisdictionem in proprio territorio seu loco, praecedat non habentem; altera autem ratione ponderata, quod Metropolitanus cum suis Suffraganeis unum et idem constituit provinciae corpus, cujus ipse est caput, alii sunt membra, ideoque non potest diversa persona immediare."

44. Nec quis arbitretur praedictum casum libitu meo effectum esse, nam is, praeter Synodum Viennensem revera accidit in recentissima Synodo provinciali Ravennaten., cui Episcopus Aegitanien. Joachim Josephus Pecheco e Souza factus Episcopus 2. Julii 1832, qui tunc temporis ob tristissimam rei ecclesiasticae in Portugalliae regno conditionem Ravennae morabatur, urbanissime invitatus interfuit, ultimoque loco post Episcopos provinciales consedit et subscripsit, ut videre est in actis ejusdem Synodi splendidissimis typis editi ex typographaeo sac. sem. archiepiscop. 1837. Quod quidem fieri non debuisset juxta eorum sententiam, qui tuentur absolute *Episcopos juxta ordinationis suae tempus sive ad considendum etc.*

45. Ignota mihi est responsio, quae huic argumento objicitur; jure scilicet optimo ultimam sedem Episcopo Aegitanien. assignatam fuisse, eo quod in Synodo Ravennaten. extraneus et peregrinus is erat, neque hic agi de praecedentia inter extraneos sed domesticos. Atqui ex hoc ipso recensita argumenta instaurantur; nam ex hoc ipso patet quod, ad praecedentiae titulum inter aequales (Suffraganeatu et Episcopatu provinciali) statuendum nihil omnino conferat sola consecratio, quae ad effectum de quo agitur habenda est tamquam accidentalis et extrinseca qualitas, quae inter Episcopos provinciales simul congregatos valere non potest, nisi in quantum quisque jurisdictionem in ea sede ac provincia adeptus est, quod eo recidit, ut debeat esse consecratio cum jurisdictione conjuncta. Accedit insuper, quod in translatione alicujus Episcopi de una in aliam ecclesiam cesset spirituale illud connubium, quod cum prima ecclesia contraxerat et in actu consecrationis fuerat absolutum, cap.: *Inter corporalia* §.: *Sicut enim de transl. episc.*, itemque cesset *natalis* ille *dies*, qui eum cum eadem ecclesia conjunxert. Hoc satis patet ex formula, qua in casu praedictae translationis utitur Romanus Pontifex, *qui eum absolvit a vinculo quo tenetur ecclesiae N.*, en cessatio conjugalis vinculi ac natalis; *et ecclesiam N. de persona illius providet ipsumque illi in Episcopum praeficit et pastorem*, en initium novi connubii novique natalis. Hinc in oratione pro Episcopo: *Deus omnium*

fidelium pastor. etc. ad literam N., quae postponitur vocabulo ecclesiae, additur civitas, quae eidem ecclesiae nomen tribuit.

46. Ex hoc autem sequitur in hac translatione novum prorsus contrahi absolvique connubium, quod nihil habeat commune cum praecedenti, quod omnino cessasse dicendum est et nova ista vocatio ad alteram ecclesiam est vere nova electio respectu ad ipsam et nihil de priori connubio secum defert nisi accidentaliter, ut ita dicam, consecrationem, quae iterari non potest, ideoque, cum dicitur *electio* seu *consecratio* constituere gradum praecedentiae, intelligi semper debet nova haec electio ad novam ecclesiam, in quam denuo adeptus est jurisdictionem.

47. Tandem, ne plura persequar, argumentum sane non incongruum dessumam ex missali romano, ubi missa ponitur pro Episcopo et absolute inscribitur: *Missa in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi*, nulla apposita distinctione seu declaratione, ferme ut decreta et canones objecti loquuntur. Jam vero si inscriptio illa accipienda esset, prout verba sonant, sequeretur annuam memoriam consecrationis Episcopi etiam in aliam sedem rite translati semper celebrandam esse respective ad tempus primae electionis seu consecrationis, quia id inscriptio ipsa absolute sumpta postulare videretur. Facto tamen constat, anniversarium festum Episcopi hujusmodi in aliam ecclesiam translati non a die primae electionis, sed a die translationis ipsius computari. Hoc apertissime declarat hujusce s. Congregationis decretum diei 2. Septembris 1841 ad 11. „De Episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis; festum hujusmodi (anniversarium scilicet electionis et consecrationis) erit annunciandum cum titulo translationis.“ Ex quo profecto consequitur, antiquas quasdam formulas ita conceptas esse, ut supponant, Episcopum juxta canonicam institutionem considerari electum et consecratum in ordine ad illam talem sedem episcopalem tamquam ad indissolubile connubium, nullo habito respectu ad translationes, quae possent fortasse aliquando contingere, ideoque electio seu consecratio non censeatur distincta ab immissione in jurisdictionem. Quod si legitima ex causa aliquando contingat de una in aliam sedem translationem fieri, tum nova epocha incipere censenda est respectu ad novam ecclesiam, quasi sit nova electio, nova consecratio, nova institutio: ex qua nova epocha computari postmodum debeat anniversaria hujus quasi novae electionis seu translationis memoria. Itaque a pari concludi posse videtur electionem illam seu consecrationem, ex cujus majori antiquitate, juxta propositos canones desumenda est norma praecedentiae, de qua in casu, ita accipi debere, ut intelligatur electio non absolute primitiva sed illa, quae conjuncta est cum institutione ad eam jurisdictionem, quae jus Episcopo suppeditat sessionis et subscriptionis in Synodo provinciali.

48. Neque desunt antiquorum conciliorum exempla, in quibus praelationis norma desumpta dicitur non ab antiquiori ordinatione sed a prioritate evectionis ad ecclesiam. Eruditus Catalanus plura istiusmodi exempla commemorat tom. I. Conciliorum, ubi explicans ea verba: „Et convenientes omnes Episcopi pariter introeant et secundum tempus ordinationis suae sedeant,“ quae leguntur in ordine Concilii IV. Toletani, quod celebratum est anno Christi 633 sub Isidoro Archi-

episcopo Hispalensi; hoc habet: „Caeterum in sequentibus saeculis et Conciliis Hispaniae videbimus passim . . . inter Archiepiscopos, ut plurimum saltem, praecedere solitum antiquiorem sive illum, qui prius ad Metropolitanam sedem evectus fuisset.“

49. Nunc autem brevius praestringam, quae fusius disputavi, sive spectetur antiquae Ecclesiae praxis et disciplina sive Episcoporum persona tum quoad dignitatem tum quoad jurisdictionem actu exercitam, sive praxis urbis tum in capella pontificia tum in sacro Emmorum DD. Cardinalium collegio, tum in canonicis basilicarum patriarchalium, sive usitatae loquendi formulae s. Concilii Tridentini, Caeremonialis Episcoporum et missalis romani: sive confusiones, quae obvenirent, si verba canonum intelligenda essent eo sensu, quo accipiuntur, in eam sententiam inducor, ut Episcopo Quinque Ecclesiensi inde proveniat titulus praecedentiae in Synodo provinciali Strigoniensi, unde jus ipsi exurgit in eadem Synodo sedendi ferendique votum una cum Metropolitano et Episcopis provincialibus.

50. Venio tandem nunc ad consuetudinem, quam Episcopo Quinque Ecclesien. contrariam esse affirmat Emmus et Rmmus Archiepiscopus Strigonien. in sua ad Summum Pontificem epistola 24. Octobris 1858, quam per integrum videre est. In ea haec inter alia testatur:

1. In Hungaria usu immemorabili invaluit, ut Episcopi tam im publicis regni comitiis, quam etiam in ecclesiasticis consultationibus sederent juxta seriem succesive obtentarum dignitatum suarum. Quae observantia etiam in schematismo regnicolari ante seriem Episcoporum continuo impressa fuit; hinc,

2. etiamsi quis antea Episcopus consecratus fuisset in partibus, tum ordi tamen Episcoporum dioecesanorum numquam innexebatur, sed tales distincto ab illis loco et subdistincto titulo schematismo inferebantur.

3. Si talis Episcopus in partibus regendam aliquam dioecesim obtinuit, tum ordini Episcoporum dioecesanorum inferebatur quidem, sed semper ultimo loco, etiamsi consecratione aliquos praecessisset etc.

51. Quantum autem roboris sibi vindicet legitima consuetudo omnes jam norunt; quanti vero in Synodis et in quaestionibus de praecedentia aestimanda ea sit disertissime docet Benedictus XIV. de Synodo dioecesana, tum in multis locis, tum praesertim lib. III. cap. X. n. IX., eo quod „revera difficile sit in hac praecedentiae materia certam regulam definire; cum potissimum inhaerendum sit consuetudini, quae pro locorum diversitate diversa est.“ Id etiam docet et suprema auctoritate confirmat Gregorius XIV. in sui brevi moderatorio decreti Sixti V., in quo, reclamante Cardinali de Castro, statuit: „Vicarium seu officialem aut provisorem generalem Archiepiscopi primum locum post ipsum Archiepiscopum et ante capitulum vel a capitulo deputatos in eadem omnino Synodo dioecesana de jure locum habere et obtinere debere, nisi tamen ex consuetudine legitima capitulo jus in eadem Synodo Vicarium praecedendi constiterit esse acquisitum.“ Maximam vero eidem consuetudini vim addi, si ea sit immemorabilis, docet idem Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. III. cap. XII. n. VII.: „inest quippe immemorabili (consuetudini) ipsa etiam apostolica auctoritas, quoniam is, qui ejusdem praesidio fulcitur, potest quodcumque apostolicum privilegium allegare.“

52. Cum itaque de praefata consuetudine eaque immemorabili, quae dicitur in Hungariae regno vigere, du-

bitari non possit, tum quia apertissimis verbis de ejus existentia docemur ab Archiepiscopo Strigonien., cujus simplici assertioni ob cardinalitiae dignitatis, qua is praefulget, eminentiam esse credendum, probat textus in can.: *nobilissimus* dist. 97 et notat ibidem glossa verb.: *nihilominus;* tum quia contra eam, quam ignorasse non praesumitur, nihil opponit Episcopus Quinque Ecclesien. sive in primaeva sua protestatione in actu Synodi provincialis exhibita sive in novis deductionibus, ad quas, SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. jubente, per Emmum Archiep. Strigonien. is invitatus fuit, dubitandum pariter non esse videtur, ex eadem una consuetudine Episcopo antedicto sedendi ac subscribendi locum in provinciali Synodo Strigonien. juxta tempus acquisitae ab eo residentialis sedis in eadem provincia rite assignatum fuisse atque inposterum esse assignandum.

Haec quidem sunt, Emmi et Rmmi Patres, quae ex commisso mihi munere pro viribus exponenda putavi. Omnia vobis humiliter libenterque subjicio, ut qua soletis justitia et sapientia judicium feratis.

S. R. C. resp.: *Praecedentiam Episcopo Quinque Ecclesien. competere juxta tempus adeptae sedis episcopalis Quinque Ecclesien.*

Die 26. Martii 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 903.)

29) Gubernatoris regis.

Hieracen.

Vicarius apostolicus Hieracen. supplicavit a S. Rituum Congregatione declarari: An gubernatori regio, suspensa jurisdictione dictae civitatis, etiam cum officio seu titulo, ut dicitur, de capitano a guerra, dum assistit missae divinisque officiis in Cathedrali et aliis ecclesiis, etiam regularium, una cum syndicis dictae civitatis, competat sella cum suppedaneo strato et pulvinari, prout dicti Syndici dixerunt ad illum spectare et pro appositione dictorum suppedanei etc. coram eodem Vicario apostolico insteterunt, et quomodo dictus Vicarius se gerere debeat in permittendo vel denegando? Et eadem s. Congregatio respondit: Non licere; et ita declaravit.

Die 2. Octobris 1683.

(Anal. J. P. 1865 p. 1255 n. 2239.)

Vd.: *Gubernator; Praeses.*

Sedes Gubernatoris Civitatis, quando audit concionem simul cum Episcopo, debet esse apud Episcopum, quae non sit major nec pulchrior sede ipsius Episcopi et neutra sit coloris rubri. S. Congreg. Rit. in Perusina 3. Oct. 1615.

30) Hebdomadarii.

Vd.: *Hebdomadar.* (in choro; paratus.); *Sedes Dignit. et Canon.*

Hebdomadarius quando est paratus debet sedere in primo loco; quando vero non est paratus debet sedere in proprio stallo. S. Congr. Rit. in Perusina 20. Decembris 1660. Si vero est consuetudo, ut, quando non est paratus, praecedat aliis Canonicis aut Dignitatibus, servanda est. Ead. S. Congr. in Adrien. die 20. Decembr. 1601. apud *Barbosa* in Summ. apostolic. decis. verb.: *Hebdomadarius* n. 3.

Hebdomadarius Officium faciens primum locum habere debet super omnes Canonicos et Dignitates, si ipse est Canonicus vel Dignitas, si vero est Clericus, debet accedere in medio chori. S. C. R. in Brundusina 17. Junii 1616 apud *Barbosa* loc. cit. n. 4.

Hebdomadarius etiam non paratus, quando est facturus officium, debet

sedere in primo loco supra omnes Canonicos et Dignitates. Caeremon. lib. 2. cap. 6. n. 4. ibi: „Canonicus etc. facturus officium etc. ascendit chorum in primo stallo seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assgnatur.“ Et resolvit S. C. R. in Romana 21. Novembr. 1626 et in Aretin. 24. Jan. 1688 et ita judicavit Congregatio particularis Eminentis. Cardinal. Mariscotti, Colloredi et Negroni, inter Capitulum s. Mariae in Cosmedin et Abbatem Piazza ejus Archipresbyterum; et per sententiam 4. Septbr. 1705 demandatum fuit: „Canonicum Hebdomadarium, facientem Officium, etiam non paratum, debere in omnibus praecedere Archipresbytero, servata forma super modo sedendi in choro in omnibus et per omnia, prout disponitur in Caeremonial. Episcop. lib. 2. cap. 6. n. 4.“

De Canonico Hebdomadario parato quaeritur: *Utrum is sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato, an in primo stallo, ab ea parte chori, in qua hebdomada obtingit?* Dubium inde nascitur, quod Caeremoniale Episcopor. lib. 2. cap. 3. §. 4. non absolute jubet, ut Canonicus hebdomadarius paratus sedeat in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada, sed alternative, ut sedeat vel in dicto scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato vel in primo stallo ab ea chori parte, in qua hebdomada obtingit.

Distingui autem debent Missae a Vesperis. Porro si de Missis agatur chorusque sit retro Altare, Canonicus hebdomadarius paratus non in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato sedere debet, ne alias toties accedere et redire de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus intelligi debet Caeremoniale Episcoporum, dum Canonico hebdomadario parato potestatem facit sedendi in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato. Concordatque rubrica Missalis romani tit. 17 de Ordin. sedend. in Miss. solemn. n. 6.

At si res sit de Vesperis pariterque sit chorus retro altare, Canonicus hebdomadarius paratus, qui semper in choro assidere debet excepto modico illo spatio, in quo, dum cantatur psalmus *Magnificat*, incensatur altare, non in scamno panno cooperto a cornu epistolae praeparato, sed in primo stallo ab ea parte chori, in qua hebdomada obtingit, sedere debet, ut ita semper assistat, prout tenetur, in choro. Et de hisce aliis functionibus intelligendum est Caeremoniale Episcoporum, ubi ait: Canonicum hebdomadarium paratum sedere posse in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada; ita tradunt *Bauldry* in manual. s. caeremon. p. 2. cap. 11. de Vesper. art. 1. n. 4. et 11., *Merat.* p. 3. tit. 11. fol. *mihi* 364., optime *Card. de Luca* de Miscellan. Eccles. discurs. 38. n. 8. et duob. sequ., tum etiam optime *Castald.* prax. caerem. lib. 2, sect. 1. cap. 3. n. 13. et sequ.

Capuana.

Servandam esse in Metropolitana Capuana dispositionem libri caeremonialis lib. 2. c. 3. n. 4. et c. 6. n. 4., ut Canonicus paratus celebrans vesperas seu matutinum sedere debeat in primo stallo, hoc est ab una parte in stallo Decani, ab altera in stallo Archidiaconi, ita ut sedes Archiepiscopi canonicalis ipso absente remaneat vacua, quando ab ea parte sedere contingit celebrantem, censuit S. Rituum Congregatio.

Die 31. Martii 1618.

(Anal. J. P. 1863 p. 153.)

31) Laicorum.

a) Forma et Situs.

Vd.: *Sedes laicor.* (Modus etc.)

Surrentina.

Archiepiscopus Surrentinus a S. Rituum Congregatione declarari institit: an functionibus ecclesiasticis, praesertim praesente Episcopo, liceat laicis sedes camerales adhibere, cum in ecclesia missarum solemniis caeterisque divinis officiis intersunt. Et s. eadem Congregatio hujusmodi nullatenus licere declaravit.

Die 2. Julii 1661.

(Anal. J. P. 1863 p. 374.)

Neapolitana.

Franciscus Capicelatro marchio Luciti S. Rituum Congregationi supplicavit, ut declarare dignaretur, quinam locus et quae ei competant praerogativae, dum idem divinis interest in ecclesiis locorum sibi in temporalibus subjectorum? Et S. Congregatio respondit: oratori competere sedem cameralem a parte sinistra collocandam extra Presbyterium vel scamnum serico obductum super tapete sine gradu suppedaneo et absque baldachino eumque thurificandum esse post celebrantem et capitulum, quatenus adsit, sin minus, post digniorem de clero duplici ductu, eodemque loco pacem ei administrandam fore.

Die 3. Septembris 1661.

(Jbid. p. 378.)

b) Ad Haeredes transeunt.

Jus habendi talia sedilia vel sepulchra in Ecclesia concessum alicui familiae vel descendentibus extincta familia transit ad haeredes extraneos, sicut et Juspatronatus gentilitium in tali casu ad extraneos haeredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia dumtaxat vel solis descendentibus; *Ancharan.* consil. 82., *Calderin.* consil. 4. de Jurepatron., *Vivian.* in prax. Jurepatronatus lib. 4. cap. 1. n. 1. et seq., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 69., *Cardin. Seraphin.* decis. 364. n. 1. et seq. et decis. 378. per tot.

c) Inscriptio et Ornatus.

Sedes possunt a Dominis ornari. S. Congr. Episc. in Andrien. 25. Octobris 1602. Et eis etiam inscriptio vel aliud signum apponi. S. Congr. Episc. 14. Januar 1603.

d) Licentia ponendi in ecclesia.

Vd.: *Sedes laicor.* (mutatio.); p. 713 decr. n. 1418, 256 et 613.

Sedilia seu scamna propria ponere in Ecclesia nemo potest absque facultate rectoris Ecclesiae et invito Episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore et Episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris et impediunt functiones et celebrantes, ut pluries tenuit S. Congr. Episc. et signanter in Januens. 7. Aprilis 1583, in Camerinen. 12. Jan. 1588, in Sarzanen. 21. Novembr. 1600, in Nullius Castridurantis. 10. Novembr. 1623, in Recanatens. 10. Febr. 1645, in Narniens. Terrae Carbii 8. Maii 1693 et S. Congr. Rit. in Vintomiliens. 10. Dec. 1604, in Fundana 5. Octbr. 1697 et in Verulana 6. Septbr. 1698. Ex tolerantia tamen vel licentia Episcopi seu Rectoris Ecclesiae possunt laici acquirere Jus retinendi sedilia seu sedendi in Ecclesia non quoad dominium vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem; tradunt *Ugolin.* de potest Episc. cap. 17. n. 7., *Pignatell.* tom. 9. consult. 147. n. 12., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 54., *Monacell.* part. 1. titul. 5. formul. 8. n. 4., *Fusc.* de Visitat. l. 1. cap. 29., *Maron.* tom. respons. 51.

num. 23. ac plene *Odofred.* in responso de hac re edito, quod refert et sequitur *Diana* part. 10. tract. 10. resolut. 64. et *Passerin.* de homin. statu tom. 2. q. 17. art. 5. cap. 6. n. 579. ac declaravit S. Congr. Episcop. 28. Junii 1583 in haec verba: „Non si dee permettere quella proprieta de'loughi, che alcuni si persuadono di avere nelle Chiese, quahiche loro fossero Ereditari, come sono le Case, e le possessioni, che si comprano; et idem resolutum fuit a S. C. C. in Anagnina 5. Septbr. 1665. „Hinc non possunt laici praedicta sedilia seu scamna aut eorum partem sive eorumdem usum, locum aut situm aliis cedere, donare aut quodammodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat".

Consensus Episcopi non requiritur expressus sed sufficit tacitus; *Vivian.* de jurepatronatus lib. 3. c. 2. n. 55; *Antonell.* de loco legali lib. 1. c. 3. n. 56., *Rota* decis. 787. part. 1. divers. Unde non potest Episcopus sicut nec rector ecclesiae laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere seu retinere sedile in aliquo ecclesiae loco; *argum. Quod semel 21. de regul. juris in 6.* ibi: „Quod semel placuit, amplius displicere non potest"; *Giovagnon.* discept. forens. c. 110. n. 46. et sequent., *Ciarlin.* contr. forens. cap. 110. n. 16. 18. et 25., *Antonell.* loc. cit. n. 68., S. Congr. Episcop. in Assisien 22. Martii 1604, in Acheruntina 4. Junii 1608, in Tarentina 8. Decbr. 1643. Nisi hic exposceret servitium vel commodum ecclesiae vel laicus praetenderet habere illud jus quoad proprietatem, tunc non censetur acquisitum jus irrevocabile, cum usus sedilium, quem laici habent in ecclesia, proveniat ex benignitate, tolerantia et ex gratia revocabili ejusdem, non autem jure, ex quo valeant ipsa ecclesia nolente servitutem seu quasi possessionem manutenibilem acquirere, ut fuit ponderatum a S. Congr. Rit. in Fundana 5. Octobris 1697 et in Verdiana 6. Septembris 1698 et bene distinguit et probat *Passerin.* de statu homin. tom. 2. q. 187. art. 5. c. 6. n. 379; *Giovagnon.* dict. consil. 8. n. 19. et sequ., *Ciarlin.* loc. cit. n. 37. et sequent., *Paris.* consil. 149. n. 25. lib. 4., *Monacell.* part. 1. titul. 5. form. 8. n. 5.

e) Lites de ordinandis sedibus.

Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate; Sac. Congr. Episcop. in Imol. 6. Martii 1692. Locus autem in ecclesia possessus videntibus et patientibus Rectore, toto Clero et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita praescribitur per immemorabilem; Rota part. 18. n. 7 Adeoque nemini permittitur in praejudicium hujusmodi juris quaesiti ponere novam sedem ante veterem, Rota ibidem n. 9. praes. dict. consii. 149. n. 8. et alii. Sacr. Cong. Episc. in Acheruntina 3. Julii 1608, in Tarentina 8. Decembris 1645. Quinimo pro manutentione sedis veteris cum sua antiqua praeeminentia competit possidenti interdictum. Rota ibidem n. 10., *Giovagnon.* dict. consil. 8. n. 22. lib. 2., *Gratian* discept. n. 26.; *Ciarlin.* controvers. 119. n. 54., atque etiam alia remedia magis executiva et violenta, ut notat *Bald.* in leg. observ. §.: Antequam in princip. ff. de off. proc., *Menoch.* conf. 51. n. 41., *Gratian.* mox cit. discept. 110. n. 16., *Rota* ibid. n. 11.

f) Modus et Ordo ponendi.

Vd.: *Sedes laicor.* (forma etc.)

Non potest poni nova sedes ante

veterem, etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed ea intacta assignetur locus alteri ante illam; et ratio est clara, quia cum tota vis in sola praeeminentia consistat, nihil refert ad salvandum praejudium primi, quod ejus sedes non fuerit amota, quia paria sunt, vel quod fuerit mutata et posita infra aliam, vel quod ea firma manente alia fuerit collocata supra ipsam, juxta communem hominum aestimationem, quia secundus sedendo inter personas ejusdem ordinis, inferior primo in eodem ordine semper reputatur, ad text. in cap.: *Solitae,* de majorit. et obedient. Add. ad Greg. decis. 411. sub n. 5. §.: Verum, vers.: Et potissimum, Rota part. 1. recent. decis. 3. n. 2. et 3. et bene ponderavit eadem Rota part. 28. tom. 2. decis. 781. n. 19. et 20. Neque hoc casu praevalet oblatio facta per assignatarium pauperi, quia licet ejus indigentia sit causa sufficiens, ut in ea assignetur laico locus pro sede et sepultura, ut tradit *Adden.* ad Greg. praecit. dec. 145. n. 10, cum tamen ecclesia sit cultrix justitiae, hujusmodi assignationes non permittit cum alterius praejudicio, ut declarat Rota ibid. allegata in Calaguritana sepulturae coram Manzanedo inter recent. decis. 561. p. 4. tom. 1. recent. et part. 18. tom. 2. dict. decis. 781. n. 21. et 22. Jus enim sedendi in certo loco ecclesiae alicui quaesitum eidem per supervenientem oblationem alterius tolli non potest: *Bald.* cons. 91. n. 3. in fin. lib. 4. decis. in cap. ult. sub n. 13. de constit. cum aliis apud Cratian. discept. 465. n. 17., Rota coram Bich. dec. 33. et part. 19. tom. 2. recent. decis. 474. n. 20. per supradictam rationem, quod ecclesia tamquam justitiae cultrix jus alicui quaesitum auferre non debet.

Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione praeeminentiae interdicta censetur situatio cujuscumque alterius sedis, ex qua praejudicium praeeminentiae primi inferatur; Rota part. 19. tom. 3. recent. decis. 474. n. 11. Dummodo tamen locus primus assignatus in communi hominum aestimatione reputetur aliorum omnium primus, itaut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum praeeminentiae, si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior, juxta *decis. 865. n. 7. part. 4. divers. et dict. part. 19. tom. 2. recent. decis. 474. n. 12.* Et dummodo primus assignatarius cum jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam jus prohibendi ne alius locus superior alteri assignari possit, prout requiritur in quocumque actu tendente ad impediendum exercitium libertatis, *Rip.* in cap.: *Cum Ecclesia Sutrina n. 68. et 15. de caus. posses. et prop., Rolan.* cons. 22. n. 27. in fin.; Rota dict. dec. 474. n. 13. Jus autem sic prohibendi ut acquiratur, requiratur quod ecclesia vel quilibet alius interesse habens acquieverit prohibitioni, juxta tradita per Rotam coram Buratt. decis. 312. n. 9. et dict. decis. 474. n. 15. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non infertur id jus prohibendi ne alteri in diverso et etiam praestantiori concedatur et in sepultura, ut in proposito dixit Rota decis. 127. n. 5. in fine cor. Dunoz. et dict. decis. 474. n. 16. Neque hoc modo praejudicatur habenti certum locum in ecclesia, prout esset si a loco jam quaesito amoveretur; Rota p. 19. tom. 2. recentior dict. decis. 474. n. 17. et 19.

Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset Administrator ecclesiae; *Posthius* in tract. de manut. observ. 73. n. 62. et observ. 18. n. 25., *Anton.* de loco legali lib. 1. cap. 3. n. 65. Si antiqua forma ecclesiae immutetur in

aliam structuram, sedilia seu scamna laicorum in illa existentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricae, vel in loco aeque digno; *Card. Petra* tom. 2. comment. in constit. 3. Caelest. III. n. 11., *Ursaya* tom. 7. part. 1. discept. 18. per tot., *Rota* in Pampylon. juris sedendi decis. 117., *Posth.* de manut. et decis. 378. p. 2. recent.

g) Mutatio.

Vd.: *Sedes laicor.* (licentia).

Sedes, scamna et loca in ecclesia saeculari moderari debent arbitrio Episcopi. S. R. C. in Ventimilien. 10. Decembris in respons. ad 3 dub. Episcopus enim est absolutus arbiter illa moderandi et removendi, praesertim quando sunt causa rumoris et impediunt functiones ecclesiasticas, ut saepe saepius resolvit S. Congr. Episcop. apud *Nicol.* in Floscul. verb.: *Eccles.* n. 11. et nuper in Narnien. terrae Carbii 8. Maii 1693; in Fundana 5. Octobris 1697 et in Verulana 6. Septembris 1698 apud Monacell. part. 1. tit. 5. formul. 8. n. 4.

In removendis et alternandis sedibus non debent permitti novitates. S. Congr. episcop. in Cirentina 4. Junii 1602 et in Ferentina 8. Decbr. 1645.

Est removenda sedes adeo altari vicina, ut celebrantem impediat. S. Congr. Episcop. in Nullius Castri Durantis 10. Novembris 1623.

Regularium Superiores non possunt removere sedes a loco solito, nisi cum circumspectione, maxime si spectent ad Magistratum. S. Congr. Episcop. et regul. in Assisien. 22. Martii 1603. Debent tamen superiores regularium sollicite attendere ne in suis ecclesiis occasione sedilium et scamnorum rumores et scandala oriantur et in casibus procedere debent juxta occurrentes circumstantias, sicut in similibus contingentiis procedere debent Episcopi pro ipsis impediendis in suis ecclesiis saecularibus, ut recte advertit *Mattheucc.*: Officialis curae c. 12. n. 28 in fine.

h) Extra Presbyterium.

Vd.: *Presbyterium; Magistratus* (sedes); *Genuflexor.; Instructio Clem.* §. XXV. n. 8 etc.

Non competere Comiti, Domino terrae de Isnello juxta chorum in ecclesia majori uti sede in loco superiori et eminentiori cum gradibus ad instar sedis episcopalis. N. 797 die 10. Febr. 1629; n. 1091 die 24. Sept. 1638.

Permitti posse Marchioni Villalvern. et ejus successoribus sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium. N. 2552 die 13. Junii 1671.

Non licere praesidi montis alti habere sedem in Presbyterio in Ecclesia Ripana. N. 3020 die 20. Mart. 1683.

Sedem pro Commissario (laico) parari debere extra Presbyterium juxta Caeremon. l. I. c. XIII. n. 857 die 20. Apr. 1630.

Non esse permittendam sedem *stabilem* pro Barone. N. 988 die 8. Febr. 1631.

Nullo modo licere Praesidi dare locum intra Presbyterium. N. 988 die 13. Aug. 1633.

Sedes laicorum veluti Praefecti seu locum tenentis non sunt locandae in Presbyterio. Die 10. Junii 1602 ad 6. In *Egiten.*

Scamnum pro Magistratu, quando solemniter assistit Divinis, ponendum esse extra Presbyterium. N. 1165 die 2. Julii 1639; n. 4305 ad 5 die (21. Julii) 12. Septembris 1761.

Non licere laicis in ecclesiis assidere in throno. N. 1291 die 26. Januarii 1641; n. 1336 die 6. Julii 1641.

Non licere Praesidi habere in ecclesia sub sua sede plus quam duos gradus nec eos debere esse majoris altitudinis, quam sunt duo gradus ex tribus, qui subjiciuntur Sedi archiepiscopali. N. 1343 die 17. Sept. 1641.

Non licere D. Gubernatori retinere sedem et genuflexorium intra Presbyterium sine speciali Sedis apostolicae licentia. N. 1714 die 8. Julii 1654; n. 1715 die 18. Julii 1654.

Non licet Marchioni Iliceti in ecclesia Collegiata Bovinen. habere sedem cum gradibus, sed desuper tapete tantum. N. 2024 die 24. Jan. 1660.

Domino loci Ferrantis Cavenago permitti posse sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium. N. 2092 die 15. Januarii 1661.

Non licere Comiti Jacobo Durino et fratribus ejus sedem cum postergali, stratum et genuflexorium cum tapete et pulvinaribus. N. 2884 die 6. Maii 1679. Idem decr. pro dioecesi Baren. N. 3129 die 22. Febr. 1687.

Sedes pro duce et Barone in dioecesi Nuscana erigi debet in cornu epistolae n. 2299 ad 1 n. 2300.

Ad dub.: an Duci civitatis Ostunen. liceat retinere sedem cameralem coopertam serico villoso rubeo cum genuflexorio cooperto aliquo panno serico tam in Cathedr. quam in aliis ecclesiis extra tamen Presbyterium sive absente sive praesente Episcopo? S. C. resp.: Nihil de sede fixa. Et idem non licet ejusdem fratribus. N. 3668 ad 1 et 2 die 24. Novembris 1703; n. 3699 ad 1 die 12. Julii 1704; n. 4204 ad 2 et 3 die 20. Sept. 1749.

Ad idem dub. S. C. resp. sub n. 3698 die 12. Julii 1704: Nihil de sede fixa et dentur decreta, quibus alias declaratum fuit, Domino loci permitti posse sedem cum genuflexorio et tapete, non tamen gradatam neque fixam sed amovibilem et extra Presbyterium.

Electi civitatis Aversanae et Gubernator Episcopo pontificaliter celebrante in planitie ecclesiae sedere debent, sicut et duo deputati pro aqua Episcopo celebranti administranda. N. 3682 ad 5 et 8 die 26. Apr. 1704. Electos civitatis Avers. et Gubernatorem non posse sedere in sedibus rubri coloris neque in functionibus pontificalibus neque in audiendo conciones alisque functionibus ecclesiasticis. N. 3711 die 21. Mart. 1705.

Condomimis Terrae Maglianici non licet retinere sedes camerales coromineas fixas extra Presbyterium ecclesiae parochialis, sed loco sedium uti possint scamno unico omnes Combarones. N. 3728 ad 1 et 2 die 4. Julii 1705.

A*d dub.:* An in Anniversariis, quae fiunt pro animabus confratrum, praesente Capitulo, possint confratres sedere SS. Sacramenti in banco posito in medio chori a duobus ejus lateribus, attenta praetensa consuetudine, in casu etc. et an in feria V. et VI. majoris hebdomadae possint iidem confratres assistere functionibus sedendo in stallis Canonicorum, Canonicis sedentibus in medio ejusdem chori ab utroque latere et Archiepiscopo sedente in medio pontificaliter induto, attenta praetensa consuetudine in casu etc. et an in die Corporis Christi et octava possint iidem confratres habere sedem seu locum retro altare

majus ejusdem Cathedralis, attenta praetensa consuetudine in casu etc.?

S. eadem R. C., partibus tam in scriptis quam in voce informantibus auditis, respondendum censuit: „Negative et amplius in omnibus“. Et ita declaravit ac servari mandavit. N. 3859 ad 5. 6. 7. Die 23. Septembr. 1713.

Ad dub.: An Magistratus possit tapete vel strato ornare proprium scamnum situm in medio ecclesiae ac serica pulvinaria genuflexorio superimponere? S. C. respondendum esse censuit:

„Magistratui competere sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum: lanea item et non serica pulvinaria genuflexorio superposita, ut in una Baren. diei 22. Septembris 1690“.

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. N. 4794 ad 2.

Sedes pro nobilibus atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis, plus minusve pro cujusquam dignitate et gradu ornatae, debent extra chorum et Presbyterium collocari, juxta ss. canonum praescriptum laudabilisque antiquae disciplinae documenta, jam inde ab exordiis christ. religionis introductae ac longo tempore observatae.

Caer. Ep. lib I. c. XIII. n. 13.

Laicorum vero loca in ecclesia esse debent distincta a locis Canonicorum et ministrorum in divinis inservientium. S. Congregatio Rituum in Elboren. 8. Jan. 1605. N. 26.

Dum Divina celebrantur, non debent laici inter Canonicos vel alios ecclesiae praebendatos in choro stare vel sedere. S. Congregat. Rituum in Compostellan. 4. Februarii 1600; et quod nec debeant occupare loca seu stalla Dignitatum et Canonicorum et praebendatuum in Presbyterio. S. C. R. in Granaten. 24. Oct. 1609. N. 27. 28.

Mediolanen.

S. Rituum Congregatio, inhaerendo decreto alias emanato ad favorem comitis Ferrantis Cavinago sub die 15. Januarii 1660, censuit in Ecclesia Collegiata Modoetiae posse permitti comiti Jacobo Dunino Mediolanensi sedem cum genuflexorio et tapeto, non tamen gradatam neque fixam, sed amovibilem et extra Presbyterium, eidemque pacem cum instrumento, et quod thurificationem eidem dandam esse per Diaconum. Die 2. Sept. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1223 n. 2106.)

Laicis jus in sedibus et scamnis, quae in ecclesiis tenere consueverunt, non adquiri, quominus Episcopo liceat ex causa super his disponere. N. 1418 die 22. Novembris 1642.

Posse Episcopum moderari arbitrio suo scamna et loca laicorum in ecclesia et providere, ne unus solus multa loca occupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur. N. 256 ad 3 die 11. Decbr. 1604.

Ad Episcopum spectare sed sine scandalo determinationem locorum et honorum tam in Ecclesia Cathedr. quam in omnibus aliis ecclesiis suae dioecesis, non autem ad quemquam alium saecularem. N. 613 ad 2 die 14. Februarii 1626.

i) Cor. SSmo.

Vd.: *Insruction Clem.* §. XXVII. n. 4 etc.; §. XXV. n. 8 etc.; §. XXXII. n. 8 etc.; *Sedes laicor.* (modus ponendi.)

Sedilia non possunt in ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SSmum et alia indecora oriantur.

S. Pius V. in constit.: *Cum primum apostolatus officium.*

32) Metropolitani.

Vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.); *Sedes Cleri in Synodo*; *Sedes Episcoporum inter sese* etc.

33) Ministrorum in Missa et Vesp.

Vd.: *Sedes Celebrantis et Ministr.*

In Missa sol., quando Celebrans et Ministri sacri sedent, possunt etiam in gradibus Presbyterii sedere Acolythi et etiam Thuriferarius, quando non gerit vicem Caeremoniarii. N. 4395 ad 18 die 18. Decembris 1779.

Ad dub.: An Episcopo Vesperas sol. peragente vel missam pontif. celebrante Canonicus Subd., qui in Vesperis Antiphonas praeintonat et Diaconus et Subd. pariter Canonici, et Missae ministrantes, possint ex consuetudine Tiburtinae Cathedr. sedere in scamno in cornu epistolae cum ligno postergali, necnon serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiori apparente et uno gradu a terra? S. C. resp.: Consuetudinem quoad Subdiaconum in Vesp. esse eliminandam; quoad Diaconum et Subd. in Missa tolerari posse. N. 4603 ad 3 die 27. (30.) Martii 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Duplex est casus, diversa igitur decidendi ratio. Primus est de Subdiacono praeintonante Antiphonas in Vesperis Episcopo in crastinum Missam celebraturo: debetne idem sedere in distincto parato scamno et non potius in suo chorali stallo? Omnem dirimit controversiam Caeremonialis dispositio *lib. 2. cap. 1. num. 7.*, ubi loquitur: *Caeremoniarius ducit Subdiaconum vel alium, ad quem spectat de ecclesiae consuetudine intonare Antiphonam in habitu, in quo repetitur, ante Episcopum .... et donec per Episcopum non fuerit praeintonatio repetita .... Ea autem repetita ad loca sua redeunt:* Quid clarius? si tam Caeremoniarius quam Subdiaconus redire debent ad loca sua, palam fit, quod Subdiaconus, qui tunicella paratus esse debet, non in scamno, quo in cornu epistolae solent sacri Ministri altaris uti, sedere debet, sed ad suum chorale stallum redire. Et quoniam alii Canonici sacris amicti sunt indumentis, haud decet, ut inferior, qualis est Subdiaconus, habeat distinctum honorificum locum et sedeat supra alios ordine digniores pluviali vel casula vel dalmatica indutos.

Diversa est species altera de sacris Ministris inservientibus Episcopo in Missa pontificali, quibus Caeremoniale assignat *scamnum paratum.* Agens namque *lib. 1. cap. 9. num. 1. de officio Diaconi* haec habet: *Sedente postea Episcopo* (post Kyrie eleison) *et ipsi sedent in scamo aliquo parato in cornu epistolae altaris*: omnis quaestio igitur versatur circa intelligentiam et sensum dictionis: *in scamno aliquo parato:* Caeremoniale nec formam praescribit nec ornatum, quae duo accidentalia sunt et varia esse possunt juxta diversas ecclesiarum consuetudines, dummodo certos infra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali; excludit vero sedes camerales. Qui tamen sit Caeremonialis sensus, num velit scamnum cum vel sine postergali, incertum est. Qui morem reprobat Tiburtinae Cathedralis adhibendi *scamnum cum postergali serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiori apparente, ab uno gradu a terra elevato*, pro se habere putat S. Congregationis decretum in Turritana 19. Maii 1614 auctoritate *Cl. Catalani,* et declarationem, quae legitur in *Memo-*

riali Rituum majoris hebdomadae. Sed haec, quod obscurum est et in duplici diversa significatione intelligi potest, non elucidant. Quid, quaeso, prodest decretum *in Turritana?* Numquid per idem declaratur, quod in Caeremoniali non est satis expressum? Imo tale decretum quaestionem intactam relinquit, dum simpliciter jubet *servari formam libri caeremonialis.* Nec adhaerendum videtur Catalano, qui ad praefatum Caeremonialis locum pro scamno parato intelligendum vult *scabellum nudum sed tamen pictum et ad lib. 1. cap. 8. n. 23: sedem nudam ibidem positam.* Non enim ulla ratio subest, qua talem esse Caeremonialis sensum admittamus. Ac tandem illud *sedeant in scamno seu scabellis in cornu epistolae*, prout habetur in praefato memoriali etc. *lib. 2. cap. 27. de Episcopo celebrante n. 13.*; satis non est, ut inde consequatur, scamnum esse oportere sine postergali. Neque insistendum in disjunctiva *vel scabellis;* nam Caeremoniale apte distinguit *scamnum* pro sacris altaris ministris a *scabellis* parandis pro Diaconis Episcopo assistentibus. Quum igitur res in anticipiti sit posita, ideo s. Congregatio noluit positivo responso definire quid per *scamnum paratum* intelligendum sit sed tolerari posse morem Cathedralis Tiburtinae decrevit.

34) In missae priv. celebratione.

Vd.: *Missa* (Celebrans sedere non debet.)

35) Parochi.

Vd.: *Paroch.* (praeced., *ult. decr. Pampil.*)

36) Praebendariorum.

Placentina.

Translatum anno 1544 fuit Capitulum Collegiatae Ecclesiae s. Joannis Evangelistae ad alteram Ecclesiam s. Michaelis. Tam Canonici quam praebendarii, inter quos nullum est discrimen circa formam vestis choralis, uno eodemque subselliorum ordine, qui ibi erat, in divinis obeundis officiis uti consueverunt, donec in eodem choro extructi fuerunt duo subselliorum ordines, alter superior pro duodecim Canonicis, alter vero inferior pro octo praebendariis, inde vero haud leves ortae contensiones. Praebendarii enim arbitrabantur sibi licere superiora subsellia occupare, si qua vacua ob Canonicorum absentiam essent. Hoc autem impugnabatur a Canonicis.

Ad rem transigendam Capitulum duos delegit Canonicos, qui consenserunt, ut praebendariis daretur aditus ad vacua subsellia ordinis superioris juxta pristinum morem. Sed mox Capitulum revocavit mandatum, quod in eos binos Canonicos contulerat et executioni conventionis ab eis initae contradixit.

Episcopus ad tollendum dissidiorum fomitem expedire censet, ut s. Congregatio decernat praebendarios ascendere numquam posse ad subsellia superioris ordinis.

Non parum affinitatis cum hac causa habet alia Pisana, de qua actum fuit die 18. Aug. 1731 et 12. Jan. 1732.

Decidendum igitur erit:

An liceat Praebendariis Collegiatae Ecclesiae s. Michaelis sedere in superioribus subselliis chori, quoties vacant ob absentiam Canonicorum, sive potius sedere semper debeant in subselliis inferioribus in casu?

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.

Die 27. Febr. 1734.

37) Prioris habentis usum Pontifical.

Prior cum usu Pontificalium, quando solemniter celebrat, contentus sit sua

sede, quae locata esse debet in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis et sine ullo suppedaneo, suggesto lapideo vel ligno ac sine baldachino desuper sed cum postergali tantum ex aliquo panno vel serico levi sine auro, coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. N. 291 die 28. Jan. 1606.

Cf.: *Sedes celebrantis et ministr.; Usus pontifical.*

38) In Processione.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 9. 10. *Sedes Episcopi in process.; Sedes Cleri in process.*

39) Coram SSmo.

Vd.: *Sedes celebr. et ministr. cor. SSmo; Sedes laicor. cor. SSmo.*

Tollerari non debet consuetudo sive corruptela occasione concionum sedere in gradibus altaris majoris terga vertendo SS. Sacramento, sit vel non sit expositum.

S. R. C. 20. Septbr. 1806.

40) Situs.

Tandem scias oportet, sedilia adesse non posse in Ecclesia ita collocata ut sedentes vertant terga ad SS. Sacramentum et alia indecora oriantur contra Constitutionem Pii V. editam anno 1556. Rota Recent. decis. 411. n. 2. part. 2.

41) Stercoraria.

Pontifex coronandus ducitur ante portam Ecclesiae Lateranensis ad sedem stercorariam. Quod quidem concinit Romanis antiquis ordinibus XII., XIII. et XIV. priscisque scriptoribus, qui de ea solemni Pontificum Romanorum ad Lateranum profectione scripserunt. Certe laudatus ordo XII. Auctore Cencio cap. 48. n. 78. ita inquit: ,,Ducitur a Cardinalibus ad Sedem lapideam, quae sedes dicitur stercoraria, quae est ante porticum basilicae Salvatoris Patriarchatus Lateranensis et in ea eundem electum ipsi Cardinales honorifice ponunt etc.“ Item Caeremoniale Gregorii X., quod a Mabillonio tomo II. Musei Italici appellatur romanus Ordo XIII., n. 10. haec habet: ,,Postquam Papa descendit, faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quae vocatur stercoraria etc.“ Ordo demum romanus XIV. Auctore Gajetano cap. 20. ait: ,,Descendit ad dictam Sedem stercorariam et deponit regnum et accipit mitram et postquam Papa descendit, sedet in dicta Sede marmorea, quae vocatur stercoraria et veniunt omnes Cardinales etc.“ Similia leguntur in Colpertino pontificali, Piersanctiano codice, in Caeremoniali Burchardi et in antiquis Pontificum romanorum diariis, ubi agitur de solemni ipsorum ad Lateranum processu. Porro de hujus Sedis, quae tot imposturis haereticorum praebuit ansam, ut notat eruditus Morettus de Presbyterio parte III. Sectione VI. ad calcem pag. 249., origine, conditione et fortuna quamplures quidem auctores scripserunt, sed multa paucis complexus est doctissimus Mabillonius in Commentario praevio ad Romanum Ordinem cap. 18., ubi primum recte docet, eos, qui istius sedis originem ad pseudopapissam Joannam referunt, facile ex hoc revinci, quod nulla hujusmodi Sedi mentio ante saeculum duodecimum facta invenitur. Quod ut melius intelligatur, notare juvat, quod idem laudatus auctor advertit, hunc scilicet morem ab aliquot saeculis in novorum Pontificum institutione observari solitum, ut electus in Ecclesiam Lateranensem introductus primo in Throno pontificali, qui in apside illius basilicae antehac extabat, collocaretur, ubi *omnes Episcopos et Cardinales*, ut loquitur in memorato Or-

dine XII. romano Cencius, *ad osculum admittebat; deinde vero ad sedem lapideam, quae dicitur stercoraria, in porticu ejusdem basilicae inter duas fores existentem adduceretur*, in eaque sederet, cum interim caneretur hic versiculus ex psalmo 62: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore erigit pauperem*, postea perductus ad capellam s. Silvestri prope Lateranense Palatium, ubi duae erant sedes porphyriticae, primo sederet ad dexteram in una ex illis sedibus, ubi a Priore basilicae s. Laurentii ferulam acciperet, *quae est signum regiminis et correctionis, et claves ipsius basilicae, quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi et aperiendi et ligandi atque solvendi et per ipsum Apostolum omnibus romanis Pontificibus*; demum cum ipsa ferula et clavibus accederet ad alteram sedem similem et ejusdem lapidis et tunc redderet eidem Priori tam ferulam quam etiam ipsas claves.

Haec ex ipso Cencii libro ad verbum fere referre visum est (male enim locum ipsum in citato Commentario praevio ad romanorum Ordinem Mabillonius retulit) ut omnes intelligant, sedem illam, quae stercoraria dicta est, non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, neque enim pertusa erat, uti aliquando propriis oculis agnovit idem Mabillonius, sed quod Pontifice in ea stante haec psalmi 52 verba canerentur: *et de stercore erigit pauperem*. Haec sedes ex marmore constat, aliae vero duae ex porphyrite. Non alia de causa sedes ipsas pertusas fuisse, quam quod in antiquis romanorum thermis repertae, ob materiae pretium, non ob formam, aptae judicatae sunt, quae ad novi Pontificis sessionem adhiberentur, notavit idem laudatus auctor in suo itinere italico, tomo I. musei italici, pag. 58. Quicquid sit, harum sedium primus videtur meminisse Pandulphus in vita Paschalis II. cujus locum mox inferius referemus. In creatione siquidem romanorum Pontificum post Leonem IV., cui pseudopapissam illam successisse fabulantur, qui electi sunt, omnes *in Solio Patriarchali* intra basilicam posito collocati perhibentur, non vero in istis sedibus, quae extra basilicam positae erant. Sic Benedictum III., Leonis IV. successorem electum anno 850. Electores teste in ejus vita Anastasio „cum hymnis et canticis spiritualibus, ampla exultatione et ineffabili gaudio, in patriarch. eccles. Lateranensem perducentes pontificali Solio, ut mos est Pontificum canaque consuetudo demonstrat, posuerunt.“ Idem contigit in Nicolao I. Benedicti successore, quem electum anno 848. Electores, ut idem Anastasius tradit in ejus vita, *sacris acclamationibus in Lateranum introducentes Solio imposuerunt Apostolico*. Ex quo intelligitur, nihil tum novatum fuisse.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. p. 132.)

42) In Synodo dioeces. int. Collegiat.

Vd.: *Sedes* (*Cleri*, Episcop. etc.) *Synod.*

Ferentina.

Antiquissima est de juribus praeeminentialibus contentio inter Capitulum Collegiatae s. Agathae Oppidi Proxendi et alterum s. Mariae Terrae s. Laurentii, quae loca in dioecesi Ferentina sita sunt. Vehementius illa emersit anno 1732 occasione Synodi ab Episcopo Fabritio Borgia celebratae; tunc enim Capitulum Collegiatae Proxendi controversiam iterum excitavit. Verum in ipso litis vestibulo remansit dissentio per decretum, quo cautum fuit, ut ex loco sedendi in Synodo vel incedendi in publica supplicatione Synodi nemini illatum

praejudicium aut jus aliquod quaesitum censeretur.

Indictio alterius Synodi ab Episcopo facta anno 1767 fomentum praebuit, ut eadem de jure praecedendi quaestio renovaretur. Nam Canonici Collegiate Proxendi preces s. huic Congregationi obtulerunt declarari postulantes, sibi jus esse praecedendi Capitulis tum Collegiatae Terrae s. Laurentii tum alterius Terrae Juliani. Die 14. Februarii eisdem anni preces remissae fuerunt Episcopo pro informatione et voto, cui injunctum etiam fuit, ut non retardata Synodi convocatione et celebratione omnes interesse habentes audiret eisque terminum praefigeret ad deducendum jura sua in s. Congregatione. Quare praeservatis juribus Partium consimili decreto, quo res repressa fuerat anno 1732, Synodus quiete summa et Sacerdotum frequentia habita fuit et absoluta.

Quamvis autem Capitulum Collegiatae Proxendi nullam aliam sollicitudinem deinde ostenderit, ut quaestio definiretur de jure praecedendi, ad praecludendum tamen aditum contentionibus, quae deinceps iterum exoriri possent, Capitulum Collegiatae s. Laurentii discutiendum exhibet dubium in calce transscribendum.

Qui jura tuetur ejusdem Collegiatae s. Laurentii, argumentum debitae sibi praeeminentiae primo loco petit ab Episcopi Ferentini judicio, cui plurimum deferendum esse tradit. *Sperell.* decis. 179. n. 6., *Rota* coram Ansald. tom. 1. decis. 25. n. 6. et decis. 694. tom. 3. part. n. 25. coram Molin., praesertim quia Episcopi sententia innititur tum dispositioni juris tum probatissimis monumentis.

Quoad juris dispositionem animadvertit, ipsam Collegiatis caeteris, cum quibus lis agitur, esse antiquiorem proindeque decere, ut illis praecedat, *ad text. in Can.: Statuimus, ubi gloss. in verb. Novi dist. 61., et in Can.: Episcopus dist. 17. cap. 1. de Major. et Obedient., Pignatell.* consult. 21. n. 20. tom. 6. et consult. 172. n. 10., *Rot.* coram Seraphin. decis. 326. n. 3. et in Andrien. praeeminentiarum 17. Febr. 1710 §. compertum coram Aldrovando. Hanc vero antiquioritatem, deficiente fundationis seu erectionis instrumento, probari etiam per aequipollens seu ex aliis conjecturis, adminiculis et documentis Collegiatae praeexistentiam indicantibus, *Ostien. in cap.: nobis n. 1. de Jurepart., Barbos.* in jus Eccles. 116. n. 4., et hanc probationem admitti, etiamsi contentio sit de praecedentia cum alia Collegiata, quae de sua fundatione et erectione doceret per Bullam pontificiam, quae posterior esse comperiretur, Piton. loc. citat. n. 5., S. Rituum Congregatio in Caputaquen. 16. Januarii 1620 et Januen. Praecedentiae 19. Julii 1710.

Constare autem ex firmissimis monumentis in Oppido s. Laurentii Collegiatam praeextitisse longe ante annum 1564, idque deprehendi ex Bulla indulgentiarum sub datum Romae 28. Januarii 1482, in qua Ecclesia s. Mariae ejusdem Oppidi Collegiata appellatur: insuper ex publico quodam instrumento possessionis canonicatus anno 1530 exarato, in quo exprimitur convocatum tunc fuisse consilium Canonicorum dictae Ecclesiae ad sonum campanulae, dataque sede et loco in choro novum Canonicum fuisse inter caeteros cooptatum: praeterea ex Bulla institutionis Canonicatus sequenti anno 1521 concessae, in qua eadem omnia continentur: ac demum ex inventario die 23. Maii 1564 ad instantiam Archipresbyteri et Canonicorum dictae Ecclesiae jussu Episcopi Ferentini exarato.

Constare etiam asserit, jus praece-

dentiae retroactis temporibus Collegiatae s. Laurentii fuisse tributum anno 1618, formiter examinatos fuisse Joannem Leonini annorum 87 et Joannem Antonium Masi annorum 50 Cathedralis Ecclesiae olim Canonicos eosque tam de propria scientia quam de auditu disertis verbis deposuisse, Presbyteros Ecclesiae s. Laurentii semper habitos et nuncupatos fuisse Canonicos atque in anteactis Synodis post Clerum Cathedralis omnibus de reliquo Clero praecessisse.

Horum vero e conspectu nihil obesse dicit documentum, quod a Canonicis Collegiate Proxendi exhibetur ad probandum, Ecelesiam s. Agathae in Collegiatam usque ab anno 1564 fuisse erectam; observat enim in hoc monumento ne verbum quidem fieri de erectione in Collegiatam sed de unione tantum plurium beneficiorum. Additque nullam huic documento praestandam esse fidem, cum integer literarum tenor non fuerit transcriptus. Rot. coram Molin. decis. 1038. n. 59. tom. 4.

Perperam etiam praeferri praestantiora insignia, quibus Archipresbyter et Canonici anno 1764 donati fuerunt. Animadvertit enim iisdem fere insignibus usque ab anno 1759 Capitulum Collegiatae s. Laurentii fuisse decoratum. Ac praetera sustinet ejusmodi honoris insignia nullam denotare praeeminentiam neque alterius juribus praejudicium inferre, prout definivit S. Rituum Congregatio apud *Ursay*. part. 1. disc. 6., *Benedict. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 3. cap. 10. n. 7., *Rot.* cor. Ansald. tom. 1. dec. 25. n. 2.

A Canonicis Collegiatae Proxendi nihil aliud habuimus, praeterea, quae in supplici libello exposuerunt, in quo tum ex erectionis documento tum ex insigniis a Sede Apostolica obtentis jus praecedendi desumere conati sunt. Collegialitas Ecclesiae, cum sit qualitas accidentalis, praesumi non debet sed concludenter probari, *Card. de Luc.* de Benef. disc. 14. n. 7., *Rot.* dec. 47. part. 10. Recent.; sunt autem duo potissimum probationum genera ad evincendam alicujus Ecclesiae collegialitatem. Primum, est, quod ex legitimo fundationis instrumento petitur, *Abbas in cap.: nobis n. 7. de Jurepatron.*, *Innoc. in cap.: Postulasti n. 1. eod. titul.*, *Mascard.* de probat. conclus. 548. n. 1.; alterum: quod ex signis et conjecturis elicitur, *Lotter.* de re benef. quaest. 14. n. 54., *Barbos.* de jur. Eccles. lib. 2. cap. 6. n. 5., *Card. de Luc.* de praeeminent. disc. 8. et 31., *Rot.* dec. 215. n. 1. cor. Mantic. et decis. n. 234. n. 2. part. 16. Recent.

Ad concludendum vero probationem Collegialitatis ex signis et conjecturis, distinguenda sunt signa aequivoca ab univocis et diligenter separanda, quae pertinent ad Collegialitatem de materiali, ab iis, quae de formali se habent. Utraque late explicat *Card. Petra* in comment. ad constit. 7. Innocent. IV. sect. 2. n. 19. et sequ. tom. 3., *Ferrar.* in Bibliothec. jur. can. verb.: Collegiata n. 32 et seq.

Caeterum animadverti debet, quod alia requiritur Collegialitatis probatio, ubi quaestio sit circa praeeminentias; alia vero si agatur de sustinenda provisione Apostolica tanquam de reservato. Siquidem in primo casu necessaria non est adeo rigorosa probatio, quemadmodum in secundo desideratur, *Scarfant.* ad Ceccoper. part. 3. addit. 27. n. 44. Vot. in Thelesina Collegiate 4. Junii 1736 cor. Emmo Crescentio.

In praesenti casu ad effectum tantum praeeminentiae quaestio instituitur. Inquirendum est itaque, an, quae afferuntur probationes pro Ecclesia Oppidi

s. Laurentii, ejusdem sint momenti, ut eam collegiatam fuisse evincant ante annum 1464, ac proinde ante Ecclesiam Proxendi.

Episcopus Ferentinus in sua informatione Ecclesiae Collegiatae s. Laurentii omnino favet. Testatur vidisse ac bene perpendisse antiquissima documenta, ex quibus „non obscura signa, conjecturae satis urgentes et perspicuae enunciativae eruuntur, quae dictae ecclesiae Collegialitatem indicare videntur“. Hinc ita concludit: Ex supra allegatis illis s. Laurentii primum post Capitulum Cathedralis deberi locum censerem in synodalibus actibus, alteris vero Proxendi secundum.

Ad EE. PP. modo spectat decernere: *An et cui debeatur praecedentia tam in sedendo quam in incedendo in Synodo dioecesana aliisque functionibus ecclesiasticis in casu?*

S. C. C. resp.: Deberi Collegiatae s. Laurentii.

Die 23. Apr. et 14. Maii.

43) Vacatio, a quo die computanda?

Vd.: *Sed. Episc.* (vacatio).

Sedes vacare incipit a die scientiae mortis certae et non praesumptae Episcopi seu Praelati, vel a die certae translationis, resignationis et hujusmodi. S. Congr. Episc. in una Neritonen. 24. Maii 1654.

Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec literae apostolicae novi Praelati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditae et Capitulo praesentatae; *Gonzalez* ad Regul. Cancellar gloss. 15. §. 2. num. 82. 83. et sequ., *Rebuffus* in praxi titul. de Simonia in resignat. num 32. et 40., *Barbosa* par. de offic. et potestat. Episcop. allegat. 54. n. 160., *Reiffenstuel.* lib. 3. decretal. titul. 6. et sequ. et alii passim *per text. in Extravagant. Injunctae 1. de election. inter communes.*

44) Vicarii Generalis.

Cf.: *Vicarius gener.; Pulvinar Vic. gen.; Sedes Dignitat.* etc.

Vicarium generalem, si est de gremio Capituli, non posse praetextu tituli Vicariatus occupare sedes Dignitatum, sed sedere debere in habitu vicariali in eadem sede, ubi sedebant Vicarii generales, qui non erant de gremio Capituli, et in hoc casu non lucrari distributiones. In habitu vero canonicali stare, sedere et incedere debere in loco suae receptionis ad effectum lucrandi distributiones. N. 1233 die 2. Julii 1640.

Vicarium generalem sedere debere in primo stallo supra omnes Canonicos, nisi tamen consueverit sedere in sede et loco separato. Canonicis vero sacris vestibus indutis eum nunquam praeferendum esse. N. 1987 die 8. Junii 1658. Vicarium gen. Episcopi Troian. sedere debere in choro in loco solito. Num. 2329 die 20. Junii 1665.

Digniorem locum deberi Vicario, deinde alium digniorem Archidiacono et sic deinceps aliis Dignitatibus. N. 1288 die 26. Jan. 1641.

Primum stallum in choro assignandum Vicario, firmandum in loco fixo, ita ut amplius variari non possit, absente vel praesente Episcopo, in privata seu pontificali sede interveniente; secundum vero stallum relinquendum esse Archidiacono et post hos aliis Dignitatibus et Canonicis. N. 1302 die 23. Mart. 1641.

Vicarium Canonicum ad effectum lucrandi distributiones quotidianas de-

bere in choro sedere in suo stallo canonicali. N. 1457 ad 1 die 11. Julii 1643.

Ad dub.: An Vicario gen., *qui non sit de gremio Capituli*, debeatur in choro stallum, in quo residet prima dignitas? S. C. resp.: Servandam esse laudabilem loci consuetudinem. N. 1457 ad 2 die 11. Julii 1643.

Non licet Vicario Capitulari neque Vicario Archiepiscopi sedile episcopale, in quo Archiepiscopus conciones auditurus sedere consuevit. N. 1793 die 8. Aprilis 1656.

Non licuisse neque licere Vicario gen. sedere in sede episcopali. N. 3021 die 20. Mart. 1683.

Vicarium Episcopi praeferendum esse *Archidiacono*; ubi vero idem consuevit sedere in sede separata, eum pro arbitrio non posse stallum Archidiaconi occupare. N. 1825 die 9. Junii 1657.

Vicarium non posse occupare primum stallum, si *hactenus ejus antecessores* consueverint sedere in separata sede. N. 1906 die 13. Julii 1658.

Licet Vicario generali, relicta sede separata cum tapete et pulvinari, qua uti consuevit, fer. V. et VI. hebd. maj. sedere in primo stallo chori supra primam Dignitatem, cum ipsemet Archiepiscopus non in solio sed apud stalla canonicalia Matutinis assistat. N. 2117 ad 1 die 2. Julii 1661.

Non posse Vicarium occupare stallum Dignitatis, sed addendum sedile in choro et primum locum dandum Vicario. N. 2243 ad 1 die 4. Augusti 1663.

Ad dub.: An liceat Vicario habere tapetum vel suppedaneum parvum sub sede ex corio? S. C. resp.: *Servandam consuetudinem.* Ibid ad 2. Vicarius gen. Pisaur., quando Episcopus exercet Pontificalia et ipse intervenit in habitu Protonotarii apost., in suo solito loco sedere debet. N. 2252 die 6. Septembris 1663.

Non licere Vicario gen. retinere sedem cum pulvinari in Presbyterio Cathedralis Baren. pro audienda concione. N. 3015 die 20. Mart. 1683.

Quando chorus est *in medio ecclesiae* ante altare, locum pro Vicario gen. posse destinari a sinistris extra gradus solii episcopalis. N. 3238 die 20. Jan. 1691.

Ad dub.: An liceat Vic. gen. assistere Divinis in sua sede ad partes extra scamna canonicalia et ante eam habere genuflexorium cum tapete et pulvinari vel potius sedere debeat in choro sine istis ornamentis sicut caeterae Dignitates et Canonici praeter Celebrantem habentem sedem ornatam? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. N. 4103 ad 7 die 10. Decbr. 1740; n. 4145 ad 7 die 20. Julii 1743.

Vicario gener. Alexan. non debetur primum stallum sed ponatur sedes coriacea in planitie chori in loco decenti et ab Episcopo designando. N. 4128 ad 1 die 28. Julii 1742.

Licet Vicario gen. tempore s. funtionum tam absente quam praesente Episcopo uti sede appodiali segregata a Capitulo in Ecclesia Cathedr., ac etiam installationis novorum Canonicorum. N. 4246 ad 1 die 13. Julii 1754.

Sedes Vicarii gen. Cravinen. stare debet in loco solito a cornu evangelii et non est ornanda strato et pulvinari. N. 4174 ad 2 et 3 die 23. Julii 1745.

In functionibus ecclesiasticis peragendis *extra Cathedralem* Vicarius

gen. sedere debet in loco digniori a capite circuli Canonicorum, dummodo Canonici paramentis s. non sint induti. N. 4174 ad 4 die 3. Julii 1745.

Cum nullus pro Vicario gener. Episcopi determinatus sit locus, sed ille diversum obtineat, juxta diversarum consuetudines ecclesiarum, scribendum Episcopo, ut de sua respondeat ecclesiae praxi. N. 4176 ad 5 die 4. Septembris 1745.

Vicario dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum ecclesiarum. *Caer. Ep.* l. I. c. XIII. n. 12.

Locus Vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem ecclesiae, quae non est mutanda. S. Congr. Rituum in Alexandrina 15. Martii 1668 in responso ad 3. dub. apud *Barbosam* in summa apostolicar. decision. Collectan. 714. n. 1.

Vicarius Generalis non potest sedem arbitrio suo sibi parare, sed debet sedere in sede solita pro Vicario assignata. S. Congr. Rituum in Neritonen. 4. Maii 1606 apud *Barbosam* loc. cit. n. 2., et *Ventrigliam* tom. 2. annot. 14. §. 2. n. 7.

Vicarius generalis, licet sedeat in primo stallo chori, in quo sedere debet prima Dignitas, et habeat thuris et pacis honorem ante omnes Dignitates et Canonicos, non propterea dicitur occupare stallum sive locum Dignitatum et Canonicorum. S. C. R. in Placentina 13. Maii 1607 in responsione ad dub. apud *Barbosam* loc. cit. num. 3

Vicario generali non licet occupare locum Episcopi absentis nec parare sibi sedem cum tapetis et pulvino, sed idem debet esse ejus locus, absente Episcopo, quem illo praesente habere consuevit. S. Congr. Rituum in Brundusina 16. Julii 1605 apud *Barbosam* loc. cit. n. 5, et *Ventrigliam* loc. cit. n. 7.

Vicarius generalis, absente Episcopo, debet habere primum locum super omnes Dignitates et Canonicos, non obstantibus consuetudinibus aliisque in contrarium. S. Congr. Rituum in Adrien. 7. Augusti 1610 et in Ferrarien. 20. Decembris 1614 apud *Barbosam* loc. cit. n. 7.

Vicarius Generalis Canonicus, cum sedet uti Canonicus, debet sedere in loco suae receptionis et in habitu canonicali; si vero velit praecedere uti Vicarius, debet habitum canonicalem dimittere. S. Congr. Rituum in Compostellana 4. Febr. 1600 et in Vulturarien. 11. Aprilis 1601 apud *Barbosam* loco cit. n. 10.

Vicarius generalis, licet etiam ipso Episcopo praesente, in ecclesia, choro, processionibus, Synodo et aliis publicis et privatis actibus Canonicis et Dignitatibus praecedere debeat, tamen hoc intelligitur, quoties Canonici et Dignitates hujusmodi in habitu canonicali, etiamsi cappa et rochetto utantur, stare aut incedere consueverunt, non autem si pluviali, planetis aut aliis s. paramentis juxta cujusquam ordinis gradum sint induti, prout in distributione candelarum in die Purificationis et in receptione cinerum feria quarta cinerum et similibus diebus, quibus Episcopus solemniter celebrare ex ritu ecclesiastico teneatur: tunc enim non decet, ut Vicarius, praesertim si in suo quotidiano habitu existat, eisdem sacris vestibus paratis sive stando sive incedendo praecedat. S. R. C. in Lauretana et Nolana 23. Martii 1602 et 6. Septembris 1603 et in Tiburtina 6. Martii 1610 et in Metropolitana 7. Aug. 1628 apud *Barbosam* loc. cit. n. 16.

Vicarius generalis licet praecedat omnibus Dignitatibus et Canonicis, tamen ratione paramentorum in distri-

bułione candelarum et Palmarum non debet habere locum digniorem quam Canonici parati; in adoratione vero crucis et quandocumque Canonici non sunt parati, digniorem locum habet immediate post Celebrantem et similiter thurificandus est ante Canonicos, nisi sint parati, quia tunc post Canonicos est thurificandus. S. C. R. in Placentina 19. Maii 1067 in resp. ad 6. dub., et in Alexandrina 25. Martii 1608 in resp. ad 1. dub. Et quod in adoratione crucis praeferendus sit Vicarius generalis ante Dignitates et Canonicos censuit eadem S. C. R. in causa s. Marci 4. Martii 1633 apud *Barbosam* loc. cit. n. 17.

SEMIDUPLEX.

1) Commemoratio.

Vd.: *Officium* (transf. in sequ. annum?).

Ad dub.: An in quibuscumque aliis (exceptis Dom. Paschae et Pentec. et feriis 2. et 3.) dupl. sive 2. sive 1. cl., comprehensis etiam festis Ascensionis et Corp. Chr., fieri possit commemor. de dupl. min. et semidupl. in utrisque vesp., Laud. et Missis (aeque ac fit de die octavae, si alicubi occurat), si pro eorum transl. locus non supersit in toto anno? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepta missa sol. N. 4378 ad 3 die 15. Junii 1776; n. 4594 ad 8 die 12. Apr. 1823.

In missis dom. Palmar. et Vigiliae Pentec., in quibus excluditur commemor. festi simpl., licet facta fuerit in officio, facienda non est commemor. in missis de dupl. min. et semidupl., pro quorum transl. non superest locus in toto anno. N. 4378 ad 6 die 14. Junii 1776.

Commemoratio Sanctorum 9 l., qui in fine anni supersunt nec sunt transferendi in annum seq., ut alias decretum, aut sint ritus semid. aut dupl. etiam maj., diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis 1. vel. 2. cl.) facienda est ad instar diei octavae et dominicae tam in occurentia quam in concurrentia habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis Calendariis; exceptis tantum ultimo triduo majoris hebdom., festis Paschae et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla Sanctorum commemoratio omnino tolerari debet. Quoad ordinem vero, si die eorum propriae aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo secluso impedimento, die illa celebraretur Officium aut Vesperae integrae aut capitulum aut dimidiae. N. 4395 ad 1—3 die 18. Decembris 1779.

Ad dub.: Occurrente in solemnitate Ascensionis Dom. aliquo officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc officio praeter commem. in utrisque vesp., Laud. et Missa apponi etiam debeat 9. l. historica ex duabus vel tribus una? S. C. resp.: ***Affirmative juxta alias decreta.*** N. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

2) Commemor. omittenda.

In casu, quo in dominica Paschae et Pentecostes et in fer. 2. et 3. Pasch. et Pent. occurrant officia semid. et dupl. minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anno, de ipsis fieri non debet commemoratio sed omittenda sunt. N. 4378 ad 1 et 2 die 15. Junii 1776.

Vd.: ***Missa vot. privat.*** (Commemorat.)

3) Translatio.

Vd.: *Translatio festi semidupl.*

SEMINARIUM.

1) De erectionis obligatione et regimine.

Vd.: *Constitut. Bened. XIII. de die 9. Maii 1725* in Bull. r. t. VIII. p. 479. *Epist. Bened. XIV. ad Episc. 3. Decbr. 1740.* (Bull. r. t. XVI. p. 3.) *Bened. XIV. de Synodo Dioecesana; Sacerdos* (habitus etc) *De adhortatione pastorali ad Semin.* vd. *Const. Clem. PP. VIII. die 23. Junii 1592 in Bull. rom. t. III.* p. 8. Ed. Luxenbg. 1742; *Const. Innoc. XI. die 7. Julii 1680.* (Ibid. t. VII. p. 36.)

2) Non concomitatur Episcopum ad Ecclesiam accedentem.

Ad dub. I.: Quando Episcopus cappa indutus accedit ad Ecclesiam aut ab ea recedit, tunc quum non sit processio sacra juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. XV. n. 9. 11., post ipsum sequuntur Canonici, sed quaeritur, quemnam locum habeant in hoc incessu ministri de libro et candela, an incedere debeant ante Episcopum, quem sequuntur Canonici, vel post Episcopum, sicut praescribitur a Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. VIII. n. 26. de processione sacra post Tertiam facienda?

II. In praedicto incessu vel regressu quisnam sit locus Clericorum Seminarii et aliorum non Canonicorum: an tunc servanda sit regula tradita a Gavanto de ordine Synodi ses. 1. n. 1. ingressum Episcopi ad Synodum celebrandam describente, nempe: „Descendit Episcopus ad Cathedralem Ecclesiam cappa indutus ipso Clero praecedente, Canonicis autem Episcopum sequentibus?"

S. C. resp. ad I.: Ministros de libro et candela sicuti Seminarii Alumnos non teneri ad hanc processionem accedere. Ad II.: Provisum in praecedenti.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2197.)

3) Habitaculum.

Non licet Clericis Seminarii habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super capellis dexterae navis Ecclesiae Cathedralis, in quibus quotidie celebratur. N. 1325 die 11. Maii 1641.

Vd.: *Capella* (superposito etc. decr. n. 4770); *Transit. per Eccles. in aedes etc.*

4) Incensatio.

Vd.: *Incensatio Clericor. Seminarii.*

5) Officium.

Vd.: *Officium* (oblig. ad quod? decr. n. 5145)

6) Praecedentia.

Vd.: *Canonici Colleg.* (praeced. super alios decr. 3882); *Stola paroch.* (decr. n. 4615); *Processio* (crux cath. et Colleg. decr. n. 5016); *Processio* (Clerus etc.)

Seminarium non esse membrum Ecclesiae Cathedr. et propterea debere in publicis processionibus generalibus anteire et cedere locum digniorem curatis, Canonicis et Clero Ecclesiarum Paroch. et Collegiatarum juxta formam libri caerem. n. 360 die 1. Sept. 1607 et 1. Sept. 1620.

In processionibus aliisque similibus actibus praecedentiam competere Seminario supra Clericos in minoribus constitutos et adventitios in eadem Ecclesia non praebendatos. N. 580 die 21. Mart. 1620; n. 4523 die 7. Septbr. 1816.

Praecedentiam competere Clericis Seminarii in processionibus supra omnes alios Clericos in minoribus constitutos. N. 1038 die 1. Mart. 1636.

Seminarii Clerici non praecedunt Canonicis Collegiatae. S. R. C. 20. Dec. 1601. *In Fundana.*

Seminarium non est membrum Cathedralis, licet in ea Clerici Seminarii officient. S. R. C. 1. Septbr. 1607. *In Capuana;* 1. Septbr. 1620.

Clericos Seminarii incedere debere ante Curatos Ecclesiarum parochialium

juxta Caer. (lib. II. cap. XXXIII.) n. 1193 die 14. Jan. 1640; n. 3673 die 19. Jan. 1704; n. 3685 die 26. Apr. 1704; n. 4661 ad 1 die 17. Julii 1730.

Tricaricen.

Quum Rmmus Tricaricen. Episc. S. R. C. humillime exposuerit: se nuperrime in causa praecedentiae in processionibus inter Clericos saeculares ac Seminarii Alumnos suae dioecesis excitata juxta alias decreta edixisse, praecedentiam in processionibus aliisque similibus actibus competere Seminario supra Clericos adventitios, ac pro majori sui animi tranquillitate eamdem S. C. rogarit confirmationem hujus sententiae, Emmus et Rmmus D. Card. Pedicini, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo tributarum, rescribi mandavit: „Juxta alias decreta Episcopi decretum esse in suo robore et approbatione non indigere." N. 4925 die 22. Maii 1841.

Ad dub.: Utrum, non obstante sex annorum lapsu ante Seminarii suppressionem et duorum vel trium mensium post ejusdem instaurationem, quo Clerici Seminarii in processionibus crucem Capituli immediate sequebantur, Parochi civitatis Apuanae jus habeant exigendi, ut praefati Seminarii Clerici non amplius capitularem sed respectivam Parochorum crucem sequantur? S. C. resp.: Negative. N 4615 ad 2 die 5. (8.) Mart. 1825.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Non eadem militat ratio quoad praetensionem Parochorum, qui arbitrantur, Clericos Seminarii nuperrime erecti anteire debere immediate post ipsorum crucem, non autem sub illa Cathedralis. Obstat clare Caeremonialis dispositio, obstant S. R C. decreta; sed nec ulla afferri potest consuetudo, quae, etiamsi adesset, repudianda foret ut irrationabilis. Caeremoniale l. II. c. 33. disponit, quod post Magistratum Clerus succedat sequenti ordine: *Primo Minister portans crucem Ecclesiae Cathedralis medius inter duos Clericos portantes duo Candelabra cum candelis accensis, deinde, si aderunt, Clerici Seminarii et post eos Curati Ecclesiarum parochialium cum cottis, tum Ecclesiae Collegiatae et ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedralis. Utique Seminarium non esse membrum Ecclesiae Cathedralis et propterea debere in publicis processionibus generalibus anteire et cedere locum digniorem Curatis, Canonicis et Clero Ecclesiarum parochialium et collegiatarum juxta formam dicti libri caeremonialis*; declaravit S. R. C. in Capuana die 1. Septembris 1607; addictum tamen est Ecclesiae Cathedralis servitio et statis diebus interesse debet choro, processionibus aliisque functionibus saltem solemnioribus, ideo a Clero Ecclesiae, cui inservit, sejungendum non est; et eo tantum in casu digniorem locum cedit Parochis et Collegiatis, si omnis Clerus sub unica Cathedralis cruce incedat. Vide hac de re ejusdem S. C. decreta in Rodigien. Andren. dioecesis die 21. Mart. 1620., Pennen. die 1. Mart. 1636., Capuana 14. Jan. 1640., Placentina 13. Jan. 1661., Nucerina Paganorum die 19. Jan. 1704 et 26. Apr. ejusdem anni. Nec afferi potest consuetudo, quia agitur de Seminario erecto anno 1803, in quo admissi fuerunt Clerici mense Novembris anno 1805, qui proinde advenientibus Litaniis majoribus die festo s. Marci 1806 interesse caeperunt processioni sub cruce Capituli Cathedralis. Cum itaque contrariam Parochi habeant dispositionem juris, nec consuetudine (quia revera consuetudo neque habuit initium, nisi Clerici simplices respectivis Parochiis subjecti et

inservientes confundantur cum Seminarii alumnis) tueri se possint, consilium dimittant exigendi, quod Seminarium ipsorum crucem sequatur. A Clero quippe Cathedralis separandum non est. Quod si ipsi nolint supplicationibus interesse ante Clerum et Canonicos Cathedr. et post Clericos Seminarii simplicesque Presbyteros, servata forma Caeremonialis Episcoporum, velint antiquum morem sequi et seorsim a Cathedrali publicis, ut debent, supplicationibus interesse, sub propria Cruce elevanda ab illa Parochia, ad quam per turnum pertinent, cum id eis libet veluti declaravit S. Congr. *ad 1. dubium.*

Ad dub.: An censeri debeant *professores* Seminarii unum et idem corpus efformare cum Clericis Seminarii in publicis processionibus?

S. C. resp.: Negative, quia nullibi adest consuetudo.

Die 17. Julii 1830. *In Januen.*

Sorana.

Episcopus Soranus declarari supplicavit, quinam locus competat Clericis Seminarii in processionibus, in quibus unica crux Cathedralis adhibetur, quinam, quando unusquisque secularium capitulorum et regularium coetus sub propria cruce incedit? Et quid tandem servandum, si consuetudo loci se habeat, ut Clerici praedicti semper incedant ante primam vel unicam crucem? Et S. Congregatio respondit: servari solitum et nihil innovari.

Die 20. Novembris 1660.
(Anal. J. P. 1863 p. 368.)

Murana.

Bmmo Padre: Il Canonico Teologo Filippo Martuscelli Vicario Generale della Citta, e Diocesi di Muro nel Regno di Napoli, rispettamente espone, che nel passato Gennaio insorse una questione di precedenza ra il Seminario, ed i Chierici fuori di esso nelle Processioni. L'Oratore all' appoggio del Decreto della sagra Congregazione de' Riti in *Andriensi: Clerici Seminarii praecedant aliis Clericis;* e del Ceremoniale de' Vescovi, che situa i Seminaristi immediatamente avanti i Curati; e della prattica di altre Cathedrali; e prendendo in considerazione che il corpo deve precedere a degl' individui particolari, ed in picciol numero a fronte del Seminario, nel passato Febraro decreto a favore del Seminario sopra gli altri Chierici non Sacerdoti, e che non hanno nella Cathedrale alcun Beneficio, anche sul riflesso che i detti pochi Chierici non hanno a favor loro una legittima consuetudine. Il supplicante pero a quiete e tranquillita proria implora l'oracolo della Santita Vostra. Che ec.

S. Congregatio Rituum ad Quirinale sub infrascripta die in ordinario coetu coadunata rescripsit: „Serventur omnino decreta in Rodigien. dioecesis Andrien. diei 21. Martii 1520 et in Pennen. die 1. Martii 1636, praecedentiam nimirum competere Clericis seminarii". Die 16. Aprilis 1831 n. 4667.

7) Visitatio.

Vd.: *Visit. Seminarii.*

SEPARATIO FESTORUN.

Vd.: *Festum* (separ.); *s. Sebastianus* n. 1.

SEPTEM DOL. B. V. M.

1) Fer. VI. post dom. Pass.

a) Commemoratio.

Si festum 7 dol. B. V. M. in 1. et 2. vesp. cum festo Annunt. b. V. M. concurrat, non faciendum esse commemorationem de festo dolor. N. 2594 ad 4 die 3. Septembris 1672; n. 4119 ad 10 die 2. Septembris 1741.

Vd.: *Sept. dol. B. V. M.* (transl.; decr. n. 2888). *Commem. b. V. M.*

b) Missa.

Quid mutandum in hac missa?
Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 25.)

Missam B. V. M. sub invocatione septem dol. B. M. V. celebrari debere cum *Glor. Patri* ad introitum, scilicet fer. VI. infra hebdomadam Passionis ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, ac propterea cum psalmo: *Judica me Deus* ad confessionem, sed sine *Gloria*. N. 2492 die 31. Aug. 1669.

In missa 7 dol. B. V. M. non esse recitandum hymnum *Gloria* neque in Officio *Te Deum*, sed ejus loco 9. ℟. N. 2594 ad 7 die 3. Sept. 1672.

Fer. VI. hebdom. Passionis, quo Officium 7 dol. B. V. M. recitari in Regno Neapolis et aliis Majestati subjectis regionibus concessum fuit, uti debere colore violaceo ita ut omittatur in Officio *Te Deum*, cujus loco dicitur 9. ℟. et in missa *Gloria*. N. 2565 ad 2 die 3. Sept. 1672; n. 2602 ad 2 die 3. Sept. 1672.

Recedendum esse a decreto sub die 3. Sept. 1672 super Officio et Missa 7 dol. B. V. M. et in posterum adhibendum esse colorem album et in Officio dicendum esse Te Deum et 9. l. de homilia feriae et in Missa Gloria et in fine missae Evangel. ejusdem feriae. N. 2622 die 4. Mart. 1673; n. 2656 ad 1 die 16. Sept. 1673; n. 2664 ad 1 die 2. Decbr. 1673.

Bened. PP. XIII. benigne indulsit, ut Officium 7 dolor. B. V. M. pluribus Regnis, Dominiis etc. jam concessum in posterum fer. VI. p. dom. Pass. ab omnibus Christifidel. saecul. et regul. utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu dupl. maj. recitari et missa resp. celebrari possit et debeat. Die 22. Aug. 1727; 23. Aug. 1725. *In decr. totius Status Eccles.*

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii superior et conv. fratrum ordinis s. Francisci de Paula minimorum nuncupatorum regni Majoricae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ad satisfaciendum piae devotioni, quae apud populum dicti regni Majoricae summopere viget erga beatissimam virginem Mariam septem dolorum, facultatem celebrandi singulis sabbatis in ecclesiis praedictorum ordinis et regni missam propriam ejusdem B. M. V. semptem dolorum cum cantu sibi per Nos concedi plurimum desiderent, Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum in ecclesiis praedictorum ordinis et regni missa propria ejusdem B. M. V. septem Dolorum cum cantu exceptis tamen duplicibus primae et secundae classis celebrari possit et valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus.

Datum Romae die 3. Juni 1785.

(Bull. r. Continuat. t. VII. p. 401. Ed. Rom. 1843.)

c) Oratio.

Oratio, quae habetur in hujusmodi missa 7 dol. B. V. M., recitanda est etiam in ejus Officio, et altera, quae in dicto Officio habetur, deleatur. N. 2656 ad 4 die 16. Sept. 1673; n. 2664 ad 1 die 2. Decbr. 1673.

d) Ritus.

Fest. 7 dol. B. V. M. (fer. VI. p. Dom. Pass.) celebrandum esse sub ritu dupl. maj. N. 2694 ad 1 die 3. Sept. 1672.

Vd.: *Sept. dol. B. V. M. fer. VI. etc.* (Missa, decr. de die 22. Aug. 1727); *Fest. B. M. V.* (cujus ritus etc.)

Pius PP. VII.

Apostolici muneris, quod ineffabilis Dei bonitas humilitati atque infirmitati Nostrae committere dignata est, ratio

est, ut B. M. V. praesertim, quae in suae peregrinationis tempore caeteras creaturas tot coelestibus gratiis ac favoribus longe praestitit et nunc in coelis Nos homines peculiari modo protegit ac fovet quaeque in acerbissima Christi domini passione fuit atrocibus doloribus perfixa, cultum ac venerationem in terris eo meliori modo, quo in Domino credimus, ad omnipotentis Dei gloriam fideliumque aedificationem, ac solamen promovere studeamus.

Cum itaque Capitulum Ecclesiae Metropolitanae et Clerus civitatis et dioecesis Mexicanae in Indiis Nobis exponi fecerint, officium et missam B. M. V. sub invocatione septem dolorum, quod ab ipsis usque adhuc sub ritu duplicis majoris feria sexta post dominicam Passionis recitatum et respective celebrata fuit, sub ritu duplici secundae classis celebrari ac recitari posse plurimum desiderare, Nos piis ejusdem capituli ac Cleri votis hac in re, quantum cum Domino credimus, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum in civitate ac tota dioecesi Mexicana fer. VI. post dominicam Passionis officium *sub ritu duplici secundae classis* recitari ac missam celebrari libere et licite possint, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis.

Datum Romae die 29. Novbr. 1777.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 436 Ed. Rom. 1827.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Didaco Archiep. Calaritano.

Id officii debent profecto christiani fideles B. M. V., tamquam parenti dulcissimae filii, ut memoriam dolorum, quos acerbissimos illa stans praesertim juxta crucem Jesu singulari et invicta fortitudine constantiaque pertulit, ac pro eorum salute aeterno patri obtulit, assiduo studio et benevolentia colant sibique praeceptum existiment, quod s. Tobias de matre injunxit: *Memor esse quae et quanta pericula passa sit propter te* (Tob. 44). Quantum vero perfugium ac solatium polliceri Nobis ac sperare a Maria virgine in adversis nostris rebus possumus, ubi societatem ejus sollicitudinum et angustiarum ultro ipsi appetiverimus! Ecquod etiam adjumentum majus quisquam quaerat, ad eum in animo dolorem ciendum, quem Deus jure postulat, ut nostrum misereatur, praeter Mariae dolorum crebram piamque meditationem?

Quamobrem gratulamur magnopere Sardiniae incolis, quos quidem accepimus inflammatos esse vehementibus ad honorem habendum et cultum Dei matri doloribus in hac vita cum Christo misserimis adfectae. Qui sane eorum in illam pietatis et grati animi sensus, non dubitamus, quin ipsorum in mentes profluxerint multum a charissimis in Christo filiis Nostris Emmanuele rege et Maria Clotilde regina; verissimum enim est illud, quod a Spiritu sancto edocemur: *qualis rector est civitatis tales et inhabitantes in ea* (Eccl. 10, 2). Quare et ut duobus his regiae virtutis absolutissimis exemplis gratificemur, quorum ora intueri, quibuscum saepe colloqui, quos demirari coram ac suspicere, quorum fidei erga Nos et observantiae praecipuae fructus capere jucundissimum Nobis fuit, et ut Sardiniae incolarum, de quibus non minor certe Nos cura attingit, quam sanctum olim Gregorium Magnum praedecessorem Nostrum, faveamus tam justae tam fructuosae devotioni, libertissime precibus, quibus tu venerabilis frater cum tuo tum illorum nomine Nos obsecrari fecisti, annuimus.

Itaque auctoritate apostolica tenore praesentium literarum in perpetuum constituimus et praecipimus, ut in *tota Sardiniae* insula seu regno *feria VI. ejus hebdomadae quadragesimae*, quae dicitur Passionis, quo die commemoratio in catholica Ecclesia recurrit dolorum B. M. V., ex decreto praesertim sanctae memoriae Benedicti XIII. praedecessoris Nostri, *is dies festus sit de praecepto secundae classis, eoque propterea Christifideles omnes in ejus insulae seu regni finibus teneantur divino sacrificio interesse, ab operibus servilibus se abstinere, sacerdotes quilibet missam celebrare et qui ad horas canonicas obligantur de clero seu saeculari seu regulari utriusvis sexus eas persolvere de illa festivitate sub duplici ritu secundae classis.*

Tuum porro erit, venerabilis frater, hanc Nostram ordinationem cum Archiepiscopis aliis et Episcopis collegis tuis in ista insula communicare eaque ut ubique promulgetur et observetur initio facto ab hoc anno diligenter curare. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeteris contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub die 9. Januarii 1801.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 99.)

e) Sequentia.

Sequentia missae 7 dol. dicenda est in ejus solemnitate; in missis vot. autem omittenda est. N. 2656 ad 2 die 16. Septbr. 1673.

f) Translatio.

Vd.: *Annuntiatio B. M. V.* (Vesp.); *s. Joseph.*

Dato, quod sit faciendum Officium de s. Josepho (in die festo occurrente septem dolor. B. V. M.), quia est 2. cl., cum die sequenti non possit celebrari festum septem dolorum, eo quod illa die sit festum duplex s. Joachim, quaeritur: an praedictum festum septem dolor. sit transferendum ad aliam diem non impeditam festo novem lectionum infra hebdomadam Passionis vel sit celebrandum post dominicam in Albis? S. C. resp.: Eo anno omittendum officium septem dolorum. N. 2883 ad 3 die 6. 1679.

Quando festum septem dol. celebrari non potest in fer. VI. post domin. Passionis vel in Sabb. sequenti, illo anno esse omittendum et non transferendum ad tempus paschale. N. 2594 ad 3 die 3. Septembris 1672. Festum 7 dol. non transferatur ad tempus paschale, sed eo anno ommittatur, quando Fer. VI. et Sabbatum post dom. Pass. sunt dies impediti ab altero officio 9 ll. n. 2664 ad 2 et 3 die 2. Decembris 1673. — Quando officium de septem dolor. B. V. M. fer. VI. post dominicam Pass. occurrat cum alio festo majoris ritus, eo anno omitti debere, nisi tamen alibi S. C. aliter in concessione indulserit. N. 3019 ad 6 die 20. Martii 1683; n. 3040 ad 5 die 20. Novembris 1683: n. 3565 ad 6 die 19. Junii 1700; n. 2595 ad 2 die 3. Septembris 1672.

Ad dub.: Quid agendum sit, si festum septem dol. B. V. M. coincidat in Annuntiatione B. V. vel festo s. Josephi, duplicib. 2. cl.? S. Congregatio respondit: Officium dupl. majus cedit officio dupl. I. vel II. cl. et ideo, omisso in casu praesenti officio septem dol. est faciendum officium Annuntiationis B. V. M. vel s. Josephi et eo anno officium septem dol. locum non habet et non potest extendi ad alios dies, imo de rigore rubricae, nec de eodem fieri debet commemoratio. N. 2888 die 6. Maii 1679; n. 2595 ad 2 die 3. Septbr. 1672.

Occurrente festo septem dol. B. V. M. mobili cum aliquo festo Calendarii forte classico, festum classicum

non esse transferendum. N. 2594 ad 2 die 3. Septembris 1672.

S. C. Dioecesi Angelopolitanae in Indiis concessit: ut ab universo Clero saeculari et regulari utriusque sexus officium 7 dol. B. V. M., quando in Fer. VI. post dominicam Passionis ob occurrentiam festi dupl. 1. vel 2. cl. recitari minime valet, ad Sabb. sequens et non ulterius transferatur. N. 3982 die 11. Decembris 1728.

Si festum de 7 doloribus B. V. M., quod multis in locis celebratur fer. VI. p. dom. passionis, impediatur ab officio altioris ritus vel majoris dignitatis, transf. in Sabb. sequ. non impeditum et non ulterius. S. R. C. 26. Februarii 1693.

Cum off. B. V. M. 7 dolor. ecclesiae universali pro fer. VI. p. dom. Pass. assignatum multoties in dicta fer. VI. ob occurrentiam officii 2. cl. recitari minime valeat, propterea SS. DD. N. Bened. XIII. ob specialem devotionem erga B. V. M. 7 dolor. idem officium die Sabb. immediate sequenti, non obstante quod dicta die occurat aliud officium alterius sancti, dummodo non sit altioris ritus, ab ecclesia universali in posterum celebrari et festum sancti occurrentis juxta rubr. gen. transferri mandavit. Die 25. Jan. 1729. *In decr. urbis et orbis.*

Congregatio Galliarum Ord. Eremit. s. Augustini discalceat. recitat. singulis annis ex indulto ap. Sabbato hebdomadae Passionis officium de septem dol. B. V. M. Procurator ejusdem Congregationis supplicavit, incidente in Sabbato praedicto festo Annunt. B. V., pro tota Congregatione facultatem recitandi off. de septem dolor. Fer. VI. ejusdem hebdomadae. S. C. respondens gratiam petitam oratoribus concessit. N. 3413 die 16. Martii 1697.

Anno sequenti 1728 eadem die, scilicet 19. Martii, occurunt festum s. Joseph (quod est festum Fori in dioecesi Fulden. et celebratur sub ritu dupl. II. cl.) et festum septem dolorum B. M. V., quod in praepositura s. Michaelis tamquam primariae patronae celebratur sub ritu dupl. 1 cl.; quaeritur: an debeat in dicta ecclesia celebrari festum septem dolorum, quod et habet adnexas indulgentias plenarias et transferri festum s. Josephi vel transferri festum septem dolorum in primum Sabbatum?

Et s. eadem R. C. respondendum censuit: „Festum septem dolorum celebrandum esse in praepositura s. Michaelis, illud vero s. Josephi in ecclesia Fuldensi, in eaque omitti festum septem dolorum pro illo anno. N. 3973 ad 1 die 6. Septembris 1727.

Theatina.

Quum a Clero archidioecesis Theatinae VII. Kal. Apr. quotannis persolvatur officium s. Dismae boni Latronis, evenit interdum ut enunciata die reponi debeat officium VII dolorum B. M. V., utpote quia Feria VI. post Dom. Passionis praepeditur officio potioris ritus, uti insequenti anno 1836 eveniet, nam enunciata Feria VI. fieri debet de Annunciatione Deiparae. Ex peculiari rubrica circa festum dolorum, qua edicitur, festum ipsum, quoties fieri nequit Feria VI. post Dom. Passionis, reponendum esse Sabbato insequenti, dilucide eruitur festum s. Dismae boni Latronis tunc locum cedere debere officio dolorum, ac propterea transferendum juxta rubricas; verum quum a S. R. C. aliter constitutum reperiatur in decreto Hispalen diei 2. Decembris 1673, dubitatum est, quid faciendum in casu sit et pro opportuna declaratione eidem S. R. C. humillime porrectae sunt preces. Emmi itaque ac Rmi P. S. tuendis ritibus praepositi in ordinario coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relati-

one ab infrascripto secretario facta, rem mature perpendentes, probe senserunt enunciatum decretum Hispalen utpote evulgatum antequam ad universalem ecclesiam extenderetur officium dolorum B. M. V. impedimento minime esse, quominus servetur specialis memorata rubrica de translatione ad Sabbatum officii dolorum, proposito dubio hisce concepto verbis: „An officium dolorum in casu, de quo agitur, sit ommittendum vel persolvendum die 26. Mart. assignata officio s. boni latronis? resp. censuerunt: „Servanda est peculiaris rubrica".

Atque ita servandum mandarunt die 23. Maii 1835. N. 4754.

De occurentia in hujus festi cum anniversario consecrat. Episcopi, vd.: *Consecratio Episcopi* (anivers., dies; decr. n. 4898).

Ad dub.: Duo festa septem dolorum B. M. V., quorum alterum affixum est Feriae VI. post dominicam Passionis, alterum vero dominicae III. Septembris, reguntur quoad modum translationis non a generalibus Breviarii et Missalis romani rubricis sed a legibus omnino propriis, quae inter praedictas rubricas minime continentur. Siquidem de primo illo festo cautum est, ut quando celebrari nequit Feria VI. post dominicam Passionis vel in sequenti Sabbato, illo anno omittatur nec transferatur ad tempus paschale. Ita definivit S. Rituum Congregatio in Corduben. die 3. Septembris 1672 ad 3 et 4. De secundo autem festo duo extant decreta urbis et orbis dierum 18. Septbr. 1814 et 13. Aug. 1817, quibus regulae illud transferendi de una in aliam dominicam fuse declarantur. Jam vero quum ad sacerdotum instructionem peropportunum videatur, ut de modo eadem festa transferendi aliquid adnotetur in novo Missali, quaeritur: an ante Missam utriusque festi sit apponenda peculiaris rubrica, qua ordo translationis declaretur ad formam praedictorum decretorum?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 25. Septembris 1860.

2) In mense Septemb.

a) Festi celebratio et transl.

Vd.: *Patrocinium s. Joseph.* (decr. n. 4442); *festum Nomin.* B. *V. M.* (decr. n. 4900); *s. Matthaeus ap.; de die octava* cf.: *Transl. festor. ejusdem ritus B. V. M.* (decr. de die 22. Julii 1848); *de mutation. hujus missae* vd.: *Missale* (correctio D. n. 41): *Septem dolor. B. V. M. Fer. VI. p. dom. Pass.* (transl., decr. diei 25. Sept. 1860).

Urbis et Orbis.

Cum in publicis ecclesiae calamitatibus aucta plurimum fuerit devotio erga beatissimam Virginem, juxta Simeonis prophetiam in anima gladio transfixam, cujus commemoratio fit dumtaxat Feria VI. post dominicam Passionis, dum ecclesia ob sublimia redemptionis mysteria, quae eo tempore celebrantur, in tristitia versatur et luctu; cumque propterea apostolica Sedes jampridem indulserit, ut in ordine servorum B. M. V. iterato idem festum solemniter perageretur in dominica III. Sept., quod postmodum extendit ad plurimas provincias et dioeceses: hinc S. D. N. Pius VII. P. M. pia devotione motus erga Beatissimam Virginem Mariam dolore transfixam, accedentibus etiam precibus Sermmi Caroli Emmanuelis Sardiniae regis ac voto Emmi et Rmmi D. Card. Julii Mariae de Somalia uti S. Rit. Congr. Praefecti, suae vocis oraculo mihi infrascripto Subpromotori Fidei sub hac die praecepit, ut in posterum in universa ecclesia ubique terrarum dom. III. Sepbr. celebretur festum dolor. B. M. V., extendendo ad omnes tam saeculares quam regulares, qui ad horas canonicas tenen-

tur officium, et missam jam concessam ordini servorum ejusdem B. M. V. sub ritu dupl. maj. Sed quoniam in ea dom. III. Sept. aliquando occurrit octava Nat. B. M. V. aut festum s. Matthaei Apostoli, alteratro adveniente casu mandavit, ut festum dolorum transferatur in primum ex sequentibus dominicis, quae non sit impedita officio ritus dupl. I. vel II. cl., firma nihilominus remanente ejusdem festi commemoratione, quae fit in Feria VI. post dominicam Passionis. N. 4513 die 18. Septembris 1814.

(Vd.: Sept. dolor. etc. *Ritus*; decr. n. 4682.)

1. S. R. C. ad preces ejusdem Cleri Balneariae dioecesis nullius concessit in dominica II. post Pascha officium Patrocinii s. Joseph Sponsi B. M. V. sub ritu duplici minori; in dominica III. Sept. officium septem dolorum B. M. V. sub ritu duplici majori; in dominica II. Oct. officium maternitatis B. M. V. sub ritu duplici majori, in dominica III. Oct. officium puritatis B. M. V. etiam sub ritu dupl. maj. cum hac clausula: Addita facultate praefata quatuor officia transferendi in proximiorem sequentem dominicam non impeditam, quoties dominicae assignatae fuerint impeditae. Clerus praedictus humiliter petit edoceri quales hoc casu intelligantur dominicae impeditae, nam cum ex rubricarum praescripto officium duplex, etiam minus, impediat officium dominicale, videtur quod praedicta officia recitari debeant solummodo in iisdem dominicis, in quibus non cadit festum dupl. etiam minus. Et ratio dubitationis est validior relate ad officium Patrocinii s. Joseph et septem dolorum B. M. V., quorum primum in toto regno Neapolitano celebratur ut assignatum dictae dominicae sub ritu dupl. II. cl., et secundum in dominica III. Sept. etiam ut assignatum celebratur sub ritu dupl. maj. ex concessione in toto regno utriusque Siciliae.

2. Insuper petiit, an impedita dominica assignata et proximiori, possint eadem officia celebrari qualibet Hebdomadae die non impedita?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. Dominicas impeditas esse illas, in quibus festum ritus dupl. occurrit."

Ad 2. „In casu proposito, negative."

N. 4416 ad 3 et 4 die 15. Septembris 1815.

Decretum generale.

Ad dub.: 1. An simul, occurrente festo dolorum cum die octava Patroni, Titularis aut dedicationis ecclesiae, quae, licet sit rit. dupl. min., ex rubricarum tamen praescripto praevalet festo etiam ritus dupl. maj, fieri debeat de eodem festo dolorum an potius de octava?

2. In casu translationis, si in sequentibus dominicis, in quarum altera reponendum esset festum dolorum, occurrat aliud festum ejusdem B. M. V. vel de Mercede vel Rosarii, Puritatis, Maternitatis etc. sub eodem ritu dupl. maj., faciendum erit de occurente an de translato?

3. Si omnes dominicae usque ad adventum fuerint impeditae, ommittendumne erit eo anno festum dolorum an potius transferendum juxta rubricas in primam diem non impeditam post dominicam tertiam Septembris? S. C. resp.

Ad 1. „Negative ad primam partem; afffrmative ad secundam".

Ad 2. „Affirmative ad primam partem; negative ad secundam".

Ad 3. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam".

„Praeterea ad amputandas quaestiones, quae ulterius ex non praevisis casibus oriri possent, si SSmo videbitur, moderando decretum 18. Sep-

tembris 1814, declaratum fuit per modum regulae generalis, quod, impedita dominica III. Sept. ob occursum festi ritus dupl. 1. vel 2. cl. vel diei octavae Patroni, Titularis, Dedicationis etc., praefatum festum dolorum transferri debeat in proximiorem dominicam, etiam si incidat cum festo rit. dupl. min.; dummodo non sit dies octava Patroni, Titularis, Dedicationis etc., quae licet gaudeat ritu dupl. min., nihilominus, cum transferri nequeat, ab hac regula excipitur, provisum est supra ad primum".

Et facta per infrascriptum secretarium relatione, Sanctissimus, in omnibus benigne annuendo, praelatas responsiones et declarationes approbavit et confirmavit et per decretum generale publicari mandavit. N. 4541 die 19. Augusti 1817.

Ad dub.: Occurrente praedicto festo dolorum cum die octavae, uti accidit in dioecesi Neapolis anno 1819, quod occurrit festum dolorum cum die octavae s. Januarii Ep. et Mart., fieri debeat festum dolorum cum commemoratione octavae vel de die octavae? Et in casu, quod fieri debeat de die octavae et transferri in diem dominicum sequentem festum dolorum, tunc occurente festo dolorum cum festo s. Rosarii B. M. V., quod est ritus dupl. maj., quaeritur: an fieri debeat festum dolorum an festum SSmi Rosarii?

Et S. C. respondit:

„Provisum per decretum generale diei 19. Aug. 1817".

Et ita etc. N. 4553 ad 14 die 18. Octobris 1818.

Nota gardell. ad hoc Decretum.

Cum aliqua dubia exorta fuerint circa festum dolorum B. M. V., quando accidit, ut sit transferendum, S. R. C. per subsequens decretum *die 19. Augusti 1817*, praevio maturo examine, quaestiones omnes exortas, et quae oriri possent in posterum, solvit, et quid agendum juxta diversas occurrentias provide sancivit. Praesertim vero, annuente SSmo, *declaratum fuit per modum regulare generalis, quod impedita dominica III. Sept. ob occursum festi ritus dupl. 1. vel 2. cl. vel diei octavae Patroni, Titularis, Dedicationis etc., praefatum festum dolorum transferri debeat in proximiorem dominicam, etiamsi incidat cum festo ritus dupl. min., dummodo non sit dies octava Patroni, Titularis, Dedicationis etc., quae, licet gaudeat rit. dupl. min., nihilominus, quum transferri nequeat, ab hac regula excipitur.*

Ad dub.: Cum festum titul. Archiconfratern. septem dol., quod pro regnis et provinciis haereditariis domus austriacae ab utroque Clero sub ritu dupl. celebrari deberet, indultum est 3. dom. Sept., cum in nostra s. religione (Ord. ffr. excalceator. s. Augustini provinciae Austriae) idipsum saepe impediatur ab octava B. V. M. et s. Nicolai et festo s. Thomae de Vill. eadem dominica celebrari, possit similiter transferri? S. C. resp.: Affirmative. Quia pro statibus austriacis tale officium est de praecepto; dicitur enim in decreto concessionis die 28. Aug. 1734: *Recitari debere.* Officia autem de praecepto, licet sint fixa certis diebus, si in his impediantur, transferri possint juxta decr. 5. Maii 1737 in Einsidl. N. 4198 ad 3 die 11. Jan. 1749.

Leodii in Belgio dies 16. Sept., in quo celebratur festum s. Lamberti Patroni dioeces. si cadit in dominicam, festum septem dol. B. V. M. ex decr. PP. Pii VII. in sequentem dominicam transfertur; quaeritur: an cum vel sine octava? S. C. resp.: In casu translationis faciendum esse officium sine octava. N. 4842 ad 5 die 1. Sept. 1838.

Fest. 7 dol. occurrens cum festo SS.

Nom. B. V. M., vd.: *Festum SS. Nom. B. V. M.* (Non transfert. decr. n. 5161.)

Ad dub.: Quum ex S. Rituum Congregationis indulto die vigesima Septembris Missa solemnis celebratur propria B. M. V. sub titulo *Humilitatis*, etiam si occurrat aliud officium ritus duplicis, quaeritur: an occurrente praedicta die officio dolorum B. M. V. aut die octava, Missa cum cantu celebrari debeat de Humilitate aut dolorum?

S. C. resp.: „Detur decretum in una Bahien. diei 26. Januarii 1793 ad secundum dubium, nimirum celebrandum esse Missam festivitatis tamquam non votivam.“ N. 4670 ad 1 die 12. Novbr. 1831.

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii superiores Congregationis titulo B. M. V. septem dolorum erectae *in ecclesia parochiali villae de Medellin dioecesis sanctae fidei in Indiis* exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparem praeseferunt devotionis, affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum a consodalibus ejusdem Congregationis et a Clero eidem ecclesiae addicto in dominica tertia Septembris recitari possit ritu *duplici majori sine octava* officium cum missa septem dolorum B. M. V. approbatum auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 30. Mart. 1796. (Bull. r. Continuatio t. X. p. 3.)

Ad dub. 1.: Quando festum s. Matthaei Apost. occurrit Dom. III. Sept., debetne agi de s. Matthaeo, quia unicum festum per annum habet vel potius an agi debeat de septem doloribus B. M. V. huic dominicae assignatae, quamvis iteratum sit festum de septem deiparae doloribus et solemnitas non sit una de praecipuis B. M. V.?

2. Quatenus transferri debeat officium septem dolorum, debetne officium istud reponi prima die libera juxta rubricas vel an sit omnino transferendum ad primam ex insequentibus dominicis non impeditam?

3. Et si officium septem dolorum deiparae in casu reponi debet in prima sequenti dominica, debetne retinere suam octavam ex eo, quod sequens ista dominica habeatur veluti sedes propria?

4. Et quatenus saepedictum festum dolorum transferri debeat cum octava, debetne haec octava cessare post nonam insequentis sabbati, ne impediatur festum sacratissimi Rosarii B. M. V., quod speciali fidelium pietate celebratur?

5. Occurrente Dom. III. Sept. die 17. mensis ipsius, dum in dioecesi Aretina impressio s. Stigmatum in corpore s. Francisci commemoratur cum officio sub ritu dupl. II. cl., debetne et in hoc casu officium septem dolorum transferri, quamvis haec non sit unica intra annum solemnitas s. Patriarchae Assisiensis?

Et s. eadem C. respondendum censuit:

Ad 1. „Servandum Generale Decretum.“

Ad 2. „Provisum in eodem Decreto.“

Ad 3 „Ut ad proximum.“

Ad 4. „Affirmative in casu.“

Ad 5. „Provisum in memorato Decreto.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 5194; die 17. Septbr. 1853.

Indultum recitandi in cunctis regnis et dominiis regis cathol. Hispaniarum dominica teria Septbr. officium septem dolor. B. V. M. esse concessum sub ritu dupl. maj. et pro dominica, quae est tertia mens. Septbr. et sic quae habuit ante se duas in eodem mense. N. 4090 die 11. Julii 1739.

Collen.

Ut in divinis persolvendis laudibus omnia rite et juxta sanctas leges peragantur, S. Rituum Congregationi sequentes quaestiones et dubia enodanda proposuit Canutus Bruschi Canonicus Collegiatae Ecclesiae Oppidi Podiibonitii dioecesis Collen. nomine etiam Cleri ejusdem Oppidi, nimirum:

1. Utrum decretum Urbis et Orbis ser. me. Pii VII. Pontificis maximi datum sub die 18. Septembris 1814, quo praecipit ut in posterum in universa Ecclesia ubique Terrarum quotannis in dominica tertia Septembris celebretur festum dolorum B. M. V. sub ritu duplicis majoris, abrogaverit atque aboleverit omnia peculiaria decreta aliquibus dioecesibus antea concessa celebrandi idem festum sub ritu duplicis secundae classis cum octava?

2. Utrum nostra dioecesis, quae suscepit decretum supramemoratum illudque servavit usque adhuc, possit modo inconsulta Sede apostolica, resumere observantiam alterius decreti ejusdem summi Pontificis Pii VII. pro regno Hetruriae emanato sub die 18. Novembris 1807, cum quo concessit recitari posse officium septem dolorum in dominica tertia Septembris sub ritu duplicis secundae classis et cum octava?

Si responsio ad secundum dubium erit affirmativa, oriuntur sequentes quaestiones, nimirum:

1. Cadens in dominica tertia Septembris festum s. Matthaei Apostoli et Evangelistae, quale de duobus Officiis ejusdem ritus remitti debeat juxta rubricas?

2. Si in die octava septem dolorum B. M. V. occurrat festum ejusdem beatae virginis sub titulo de Mercede, quaeritur: an eo anno transferendum sit vel octava omittenda, uti evenit quando in octava nativitatis B. M. V. occurrit festum SSmi Nominis ejusdem? Et sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario coetu, audita relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis atque libratis, respondendum censuit:

Ad 1. „Negative."

Ad 2. „Affirmative", et ad primam quaestionem: „servetur generale Decretum diei 19. Augusti 1817", ad secundam quaestionem: „affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7. Aprilis 1832. N. 4682. (Vd. decr. n. 4513.)

b) Graduale.

In plerisque missalibus Graduale in festo dolorum B. M. V. sic legitur: „Hoc crucis fert supplicium vitae factus homo" in aliquibus autem: „auctor vitae factus homo"; quaeritur: quaenam lectio sit retinenda?

Resp.: Tristi quidem experientia compertum est, evenire aliquando, ut in novis quibusdam missalium, breviariorum etc. editionibus, quoniam ea religiose non observantur, quae sapientissime constituta sunt, excidat aliquoties diversa lectio. Neque haec s. Congregatio ignorat anno 1804 petitum fuisse: quaenam lectio retinenda esset in *Communicantes* in die et octava Pentecostes, eo quod in quibusdam missalibus legebatur *igneis linguis*, in

aliis quam pluribus: *innumeris linguis.* Simili de causa proponitur hodie primum hoc dubium circa id, quod in discrepantia missalium legendum vere sit in graduali missae in festo dolorum beatissimae virginis Mariae. Jamdiu sacra haec Congregatio, ad relationem Emmi Cardinalis Chisii, missam de septem doloribus beatissimae virginis approbavit et a fratribus Ordinis servorum ejusdem beatissimae virginis celebrari posse indulsit, nempe inter missas votivas diebus a rubrica non impeditis, dominica vero tertia Septembris solemniter cum Gloria et Credo cum indumentis violaceis, eamdemque missam ad eorum usum tantum imprimi posse concessit. Constant haec ex decreto ejusdem sacrae Congregationis die 9. Junii 1668. Benedictus XIII. per decretum ejusdem S. Congr. diei 22. Augusti 1727, ut refert Cavalerius, concessit officium et missam septem dolorum B. M. V. celebrandum fer. VI. post dominicam Passionis. Pius VII. tandem pia devotione motus erga B. V. M. dolore transfixam per generale decretum Urbis et Orbis diei 18. Septembris 1814 praecepit ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis recurrente dominica 3. Septembris celebraretur festum dolorum B. M. V. extendendo ad omnes tam saeculares quam regulares, qui ad horas canonicas tenentur, officium et missam jam concessam Ordini servorum ejusdem B. M. V. situ dupl. maj. firmaque nihilominus remanente ejusdem festi commemoratione, quae fit in fer. VI. post dominicam Passionis.

Cum itaque missa, quae celebratur dominica 3. Septembr., eadem sit, quae Ordini servorum B. M. V. jam diu ab anno 1668 concessa fuit, operae pretium duxi, ut propositae quaestioni satisfacerem, eam missam inspicere, cum eaque expositam lectionis varietatem in graduali conferre. Non autem in hac re multum adlaborandum fuit, nam mihi, benignissima habita venia, obtigit habere ob oculos manuscriptum originale exemplar illius missae, quae primitus concessa fuit fratribus Ordinis praefati, quod asservatur in regesto secretariae hujus S. Congregationis anni 1668 pag. 45. In eo autem aperte legitur: *hoc crucis fert supplicium vitae factus homo.* Nihil igitur superest, nisi ut quemadmodum quaestioni supramemoratae die die 3. Maii 1804 S. Congregatio respondit ad 2: *lectionem innumeris linguis esse conformem missali ab Urbano VIII. recognito*, ita vos primae huic quaestioni, si placet, rescribatis: *Lectionem „hoc crucis fert supplicium vitae factus homo," conformem esse originali exemplari missae primitus concessae.*

S. C. resp.: Retinendam esse lectionem: „Hoc crucis fert supplicium auctor vitae factus homo."

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 331.)

c) Officium.

Ordini Servorum, in solemni commemoratione septem dolorum B. M. V. dicti ordinis titularis et patronae.

Cum S. Rituum Congregatio alias approbaverit et ad usum universo ordinis servorum B. M. V. officium proprium in commemoratione septem dolorum ejusdem B. V. dicti ordinis titularis et patronae, in dominica tertia Septembris et semel in hebdomada, nec non cum lectionibus pariter propriis pro singulis mensibus, uti devotionem proprie et principaliter ad dictum ordinem spectantem, recitandum concesserit; mox ad reiteratas et supplices preces R. P. Joannis Francisci Mariae Poggi generalis praefati ordinis servorum ac P. Petri Antonii Rossi

procuratoris generalis totius suae religionis nomine in S. Rituum Congregatione porrectas et ab Emo Albano relatas, eadem S. Congregatio benigne inclinata, concedendum esse censuit, ut in posterum omnes et singuli religiosi utriusque sexus ordinis praedicti, qui ad horas canonicas tenentur, celebrare possint et valeant quolibet anno, dicta dominica tertia Septembris idem festum ipsius B. M. V. septem dolorum cum officio et missa sub ritu duplici secundae classis cum octava. Lectiones vero pro secundo et tertio nocturno infra dictam octavam desumendas esse ex praedictis mensibus, servato earum ordine in qualibet die per totam octavam successive recitandas, si SSmo D. N. placuerit. Die 2. Augusti 1692. Facta igitur deinde SSmo D. N. Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit. Die 9. ejusdem mensis Augusti et anni 1692.

(Anal. J. P. 1865 p. 1327 n. 2471.)

d) Vigiliae.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

1. Qui ob peculiarem servitutem, qua erga Deiparam devicti sunt, viri regulares Servitae dicuntur, petitionem suam sacro huic Ordini hodierna die exhibent, qua ut sibi concedatur novo honore cultum erga B. V. augere humiliter exposcunt. Facultatem nempe petunt peragendi vigiliam ante festum septem dolorum B. M. V., addita officio illius diei homilia pro nona lectione et celebratione missae propriae de vigilia post nonam, celebrata jam post tertiam missa conventuali de festo currenti. Quam ego petitionem, Patres Eminentissimi, libenti animo vobis exponendam suscepi, cum enim undequaque opportuna videatur, facile confido ut postulatores per vos sui voti compotes fiant concessa nimirum vigilia et approbata homilia et missa, quae in adnexo summario proponitur.

2. Nam, cum vigliae peragantur in Ecclesia ad praeveniendas solemniores ac praecipuas festivitates, festum septem dolorem B. M. V., etsi ex solemnioribus et praecipuis non sit, quae Ecclesia ipsa in honorem Deiparae celebrare consuevit, attamen solemnissimum illud est Ordini illñ. Et quidem qua pompa, quo externo apparatu, quo splendidissimo cultu celebrent, neminem profecto latet. Testis est romanus populus, qui frequentissimus eo die ad templum s. Marcelli adcurrit, ad solemnem supplicationem affluit ac per integram octavam Virginis dolorosissimae sacram effigiem publicae fidelium pietati ibi expositam veneratur. Festi autem ritus pariter ex solemnioribus est, scilicet duplex primae classis cum octava privilegiata. Nec satis, praeter quod enim in singulis sextis feriis ac dominicis diebus memoriam dolorum B. Virginis appositis precibus recolunt, in singulis item sextis feriis non impeditis officium recitant missamque celebrant septem dolorum, ut reapse cultus, quo regulares ii martyrum Reginam prosequuntur, sit prorsus specialis.

3. Et jure quidem meritoque, eam namque Ordinis sui non modo principalem patronam habent, sed et fundatricem primam, quae septem beatos fundatores in peculiare sui servitium adsciscere dignata est, iisque non solum regulas, quas servarent, sed et habitum, quem gestarent, in suorum dolorum memoriam praescribere, uti ipsius Ordinis enarrant historiae, ad quas ipse summus legifer noster Benedictus XIV. appellat. (Lib. 2. p. 1. cap. 21. n. 9).

4. Quamobrem petita vigiliae concessio justa omnino videtur jejunio-

que, quod ea die ex Ordinis constitutionibus servant, consentanea. Ne difficultas ex eo derivari posset quod aliquando ejusmodi vigilia cum feria quatuor temporum Septembris concurrat. Locum enim tunc habebit quod rubricae praescribunt. Scilicet quando ea concurrentia non aderit (ut in hoc anno eveniet), officium et missam, uti par est, de vigilia celebrabunt: secus autem nil die vigilia fiet in officio, in missa vero commemoratio. Qua de re Joannes Michael Cavalieri in suis comment. in authent. S. Rituum Congr. decreta etc. cap. XV. de vigiliis decret. I. n. XVIII. ait: Incidit nonnunquam vigilia in ferias majores, adventus scilicet, quadragesimae, aut quatuor temporum, et nil prorsus de ea in officio agendum esse disponunt rubricae... Et de commemoratione in missa peragenda subdit inferius ibi: hanc in missa fuisse permissam, quia cum consistat in pura oratione, quae propria est, non censetur commemoratio de feria sed magis de Sancto, cujus festum vigilia praevenitur. Et n. XX.: Sive autem duae eadem die occurrant vigiliae aut vigilia incidat in ferias quadragesimae aut quatuor temporum, non propterea plures missae in collegiatis cantandae erunt sed solum in missa de feria, de qua fit aut fieret officium, vigiliae ulterius commemoratio fiet et in casu occurentis festi alicujus altera dumtaxat cantabitur conventualis missa de vigilia aut feria cum commemoratione, ut supra, quemadmodum eruitur e rubrica III. missalis et cum Gavanto communiter tradunt auctores.

5. Quae cum ita sint, preces, quas vobis, Emmi Patres, superior generalis Ordinis servorum B. M. V. quoad vigiliam ante festum septem dolorum ipsius celebrandam totius ordinis nomine exponit non irritas fore confidimus, praesertim cum non agatur de concessione, quae universum Clerum respiciat, sed unum ex regularibus ordinibus, qui proprio utitur breviario, ac de quodam veluti additamento peculiari cultui, quo festum patronae suae ordo ille celebrat. Qua quidem concessione gaudent, tum etiam eam obtinuerunt paucis ab hinc annis religiosi Franciscales in pervigilio immaculatae Conceptionis B. M. V., qui, quamquam Deiparam sub hoc titulo maximo honore prosequantur attamen de suo ordine ab ipsa fundato, haud certe possunt gloriari. Et de gratia etc.

Actum S. C. R. 9. Julii 1859.

(Anal. J. P. 1860 p. 1886.)

SEPTEM FRATRES.

(Officium.)

Ad dub.: an homilia propria, quae habetur in festo septem fratrum et sociorum martyrum, et legenda sit, quando de eorum uno tantum fieri debet festum? S. C. resp.: Si officium celebrandum sit sub ritu dupl. 1. vel 2. cl. doceatur de casu particulari, si sub ritu inferiori, non esse separandum festum ss. septem fratrum, sed de omnibus officium conjunctim peragendum sub eo ritu convenienti uni ex septem fratr., cujus peculiaris festivitas peragitur, translato juxtra rubricas festo ss. Rufinae et Secundae.

N. 4474 ad 9. die 2. Mai 1801.

Vd.: *S. Alexander mart.*

SEPULCHRUM.

1) Beatorum.

(Insignia.)

Vd.: *Sepulchr.* (inscriptio etc.)

2) Defuntorum.

a) In Ecclesia.

Vd.: *Dedicatio ecclesiae* (sepulchra); *Altara* (super quo sunt cadavera etc.); *sepultura* (in eccles. erig.; juxta altare; modus).

b) Inscriptio, Insignia.

Arma seu insignia in ecclesia vel capella aut sepultura posita a primo Fundatore nullo modo amovere possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et ne quidem ab ejus haerede mutari possunt, qui novus Heres, si sit alienae familiae a Fundatore, potest quidem etiam sua arma et insignia reponere, at semper remanentibus illis primis fundatoris cum perpetua inscriptione fidem faciente de primo Fundatore; *l. Qui liberalitate* §.: *Nec ejus nomine*, *ff. De operibus public.* ibi: „Nec ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, eraso, alia nomina inscribantur."

In *sepulchro servi Dei cum fama Sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliquod signum insolitum ad dignoscendum, quod ibi sit sepultus*; cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus servi dei tumulatum sit in sepulchro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsa collocata in sepulchro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulchro magnifico; sic egregie et erudite suo more plurimis adductis docet Card. de Lambertini (fuit Summus Pontifex), *lib.* 2. *de servor. Dei Beatific. et Beat. Canonizat. cap.* 12. *n.* 12. *et sequ.* Et ratio est, quia si haec et his similia libere fiunt erga illos etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri potuerunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: cum isti nedum deterioris sed multo melioris et excellentioris conditionis prae illis haberi debeant, tum quia, absque eo quod ob id quidpiam commissum dici queat seu contra jus commune seu contra Urbani VIII. decreta aliasque apostolicas sanctiones, summe hoc juvat ad probandam identitatem, de qua trac u temporis posset exoriri dubitatio, sicque difficilius fieri probatio, ut contigisse in casu nostrae beatae Hyacinthae de Marescottis testatur supralaudatus de Lambertinis loc. cit. n. 13. Unde ad avertendum dictum periculum supradicta licere tradunt *Pignatell.* tom. 4. consult. 48.; *Castellin.* de certitudin. Glor. Sanctor. cap. 2. punct. 32. n. 41. et *Molphes.* cons. 45. n. 14. ibi: „Si enim hujusmodi viris sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus non daretur, sed simul cum aliis humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari et distingui et sic ecclesia careret corporibus et aliis sanctorum reliquiis, et sanctorum cultus maximam pateretur jacturam". Sic refert et tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis loco cit. n. 12. et sequent. merito ibi et per tot. attente et fructuose legendus.

Supra sepulchri tabulam pro libito ornamenta plana quaelibet haeredes efformare valent, dummodo e solo non emineant et absint coronae, vulgo cornici. S. Congr. Episcop. et regul. 26. Maii et 6. Octobris 1645.

c) Visitatio.

Vd.: *Visit. de funeribus.*

3) SS. Reliquiarum.

Vd,: *Reliquiae; altare* (reconcil.); reliquiae (in altari); *consecratio altar. plurium* (decr. n 4914 ad 9); *consecratio altaris portat. execrati; altare portatile* (execratio).

4) Sanctorum.

a) Aperitio.

Reliquiae (asservatio etc. praecipue decr. Greg. XVI. de die 16. Febr. 1833); *s. Francisc. Ass.* (Inventio s. Corp.)

b) Insignia.

Vd.: *Sepulchrum* (inscriptio etc.)

SANCTUM SEP. IN PARASC.

a) Erectio.

Vd.: *SS. Sacramentum* (asserv. in C. D.) *Oratorium* (missa etc.)

In ecclesiis, in quibus non asservatur SSmum, non licet idem SS. Sacramentum in sepulchro asservari. N. 1990 die 14. Junii 1659.

Non licere in sodalitatum laicorum orotoriis, quibus animarum cura non est adnexa nec hospitalitatis jus exercetur, quotidie asservare SSmum et in majori hebdomada facere sepulchrum. N. 1558 die 14. Junii 1646.

Non licet confraternitati SSmi montis Marciani facere sepulchrum fer. V. coena Dom. et in eo asservare SSmum. N. 3467 ad 3 die 25. Jan. 1698.

Orien.

Supplicavit capitulum et plebs loci coenobii novi dioecesis Orien. in provincia Otranten. pro licentia continuandi et faciendi sepulcrum in ecclesia collegiata dicti loci ad effectum reponendi SS. Sacramentum a die feria V. in coena Domini usque ad Sabbatum sanctum, donec intonetur Gloria in excelsis. Et S. R. C. respondit: Serventur rubricae. Die 18. Martii 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1220 n. 2990.)

Calaritana.

Supplicante confraternitate SSmae Trinitatis de Mariana Calari pro concessione facultatis faciendi sepulchrum fer. V. coenae Domini in ejus ecclesia S. R. C. remisit hujusmodi concessionem arbitrio ordinarii. Die 15. Decembris 1679.

(Ibid. p. 1225 n. 2118.

Neapolitana.

Priori montis pauperum Neapolis supplicanti pro licentia faciendi sepulchrum fer. V. in coena Domini in eorum ecclesia: audita relatione Emmi Archiepiscopi ordinarii S. C. respondit: Instent coram Emmo Archiepiscopo. Die 6. Decembris 1680.

Ibid. p. 1231. n. 2151.

b) Expos. SS. Sacramenti in eo.

Vd.: *SS. Sacram.* euchar. (exp. in s. Sep.)

c) Ornatus.

Vetitum est adhibere quaecumque indumenta nigri coloris ad ornatum sepulchri fer. V. et VI. hebdom. maj. cum intra tum extra locum ipsius sepulchri. Ideo debet ordinarius praecipere, ut debita praeventione Vicarius mandet custodibus societatum, ut omnino hujusmodi abusum devitent et quatenus non acquiescant, illis apparatum nigri coloris interdici. N. 2146 die 21. Jan. 1662.

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

ET

INSTRUCTIO CLEMENTINA

EX

ACTIS EJUSDEM COLLECTA

AB

ALOISIO GARDELLINI,

IN USUM CLERI COMMODIOREM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATA

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER

CAEREMONIARII ETC. ECCLESIAE METROP. MONACENSIS.

TOMUS TERTIUS. PARS II.

Sepultura — Zona Canonicorum.

MDCCCLXVII.

MONACHII.
LIBRARIAE J. J. LENTNERIANAE.
(E. Stahl.)

PARISIIS.
P. LETHIELLEUX
Via vulgo Cassette, 23.

Neo-Eboraci, Fried. Pustet.

Index Verborum Tomi III. Part. II.

S.

T.

U.

V.

W.

Z.

S.

SEPULTURA.

1) Juxta altare.

Altaria, sub quorum pradellis cadavera sunt sepulta, licet propterea consecrationem non amittant, debent tamen interdici donec cadavera in alium deferentur locum. S. C. Ep. 10. Novbr. 1599.

Non licet corpora defunctorum sepelire prope altaria et sub pradellas et servandam dispositionem s. Canonum in *cap. percipiendum 13. quaest. 2.*, necnon Constitutionem s. Pii V. in Bullar. novo *Quinam in ordine* §. 6. N. 1460 die 11. Julii 1643.

Tiburtin.

Rme D. uti Frater.

Expositum fuit S. R. C. ab Archipresbytero Terrae Poli nuncupatae istius dioec. sacerdotem Josephum Rosa ceu Patronum Aediculi Deo sub invocatione s. Rochi conf. erectae intra Eccl. archipresbyteralem ibi exstruxisse sepulchrum pro se suisque, quod nimis altari adhaeret contra leges canonicas, atque de opportuno remedio Emorum PP. auctoritas interpellatur. Sacerdos vero Rosa praedictus recursus in se facti bene conscius eidem S. C. totius rei seriem aperiens supplicem libellum exhibuit, una cum Peritorum testificationibus, ac sepulchri ipsius ichnographiam ac totius Aediculae, quo facile pateret etiam posita areae angustia recensitas leges fuisse servatas earumque dispositionem sartam tectamque manere cum accessione sepulchri. Haec omnia in ordinariis ejusdem C. Comitiis habitis subscripta die apud Vaticanas Aedes distincte per infrascriptum R. P. D. Secretarium relata ac rite ab Emis PP. examinata, communi in sensu ipsi fuerunt ut amplitudini tuae scriberetur, quatenus super faciem loci, omnibus perspectis, ac diligenter consideratis eadem amplitudo tua cognoscat, utrum necne revera spatium trium cubitorum intercedat inter sepulchrum et altare praedicta ad tramites eorum, quae sancita sunt in una Volaterrana die 17. mense Mart. anno 1663; quo posito per opportunum decretum quaestionem componas remque definias, ne locus amplius alicui contestationi remaneat. Curet propterea amplitudo tua hoc S. C. mandatum exequutioni dare, ac diu felix et incolumis vivat. N. 5046.

Romae 23. Maii 1846.

Rmo D. uti Fratri Ep. Tiburtino.

Vd.: *Sepultura* (modus); *Altare* (super quo sunt etc.); *Sepult.* (in Eccles. etc.); *Visitat. de funerib.*

Sepulturae debent esse remotae ab altaribus, ita ut sepulturae ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, seu praedella cubitis ad minus tribus. *Concil. Mediolanens. I. part. 2. Decret. Visitat. Apostolic. verb.: Sepultura,* ibi: „Sepulchrorum ipsorum inposterum aedificandorum ostium longe ab altaris scabellis ligneis vel praedella cubitis ad minus tribus, sepulchra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant. Hinc nemo sepeliendus est prope altaria seu sub praedellis et si quae inibi reperiantur constructae sepulturae, interdicuntur altaria, donec amotis ossibus ibi sepultorum sepulturae terra repleantur et muro obstruantur.

2) Associatio.

a) Quis convocat?

Vd.: *Convivium in aniv. Def.; Quarta funer.* (decr. de die 17. Mart. 1579). *Process. funebr.* (Crux eccles. tumul. decr. n. 4088; exit. ab eccles. paroch. t. II. p. 820 decr. n. 4316, 808, 2065.

Posse parochum ad libitum vocare Clericos vel presbyteros, quos voluerit, ad funera et exequias, quae fiunt et celebrantur in sua Parochia, dummodo illi sponte velint accedere, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse. N. 476 die 7. Septbr. 1613.

In arbitrio haeredum defunctorum residere numerum regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntate parochorum, non obstante contrario decreto synodali. N. 1363 die 7. Decbr. 1641; n. 1478 die 22. Novbr. 1643; n. 1196 die 14. Jan. 1640.

Haeredes non tenentur vocare nisi parochum. S. C. Ep. 28. Sept. 1646.

Haeres defuncti invitare potest numerum sacerdotum seu saecul. seu regul. immo et confraternitatum sibi benevisum. S. C. Ep. 5. Maii 1617.

Quoties electio fit a parocho, Clerici Ecclesiae debent externis praeferri. S. C. Ep. 23. Apr. 1649.

Ad dub.: an parochi civitatis prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsas confraternitates invitent ad associanda cadavera, quae in eorum ecclesiis paroch. deferuntur? S. R. C. resp.: Non posse prohiberi. Die 17. Junii 1673.

b) Modus.

Non licere, ut nonnulli ex Confraternitatibus cum intortitiis incedentes ad feretrum illiusque partem anteriorem occupantes usurpent locum parocho designatum, quod ex incuria nonnullorum parochorum toleratum fuit. N. 2729 die 18. Maii 1675.

Vd.: *Confraternit.*

Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes aliique Ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicut in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviae et noctis, prout disponit rituale romanum *titul. de process.*, et ut saepe resolvit S. R. C. Quae quidem pilei prohibitio non solum est pro Ecclesiastico saeculari sed etiam regulari, licet sint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decbr. 1704. Constit.: *La Santita di Nostro Signore.*

Vd.: *Visit. de funerib.*

c) Obligatio Cleri saecul.

Ad dub.: an Canonici non invitati accedere possint ad funera tam lucrandi stipendia causa quam non? S. C. resp.: Negative. N. 4240 ad 8 die 16. Febr. 1754.

Occasione electionis Sepulturae factae ab aliquo ex participantibus in eorum respective Ecclesiis receptitiis, non tenetur Capitulum Cath. intervenire ad cadaveris associationem et e converso, decedente aliquo ex Canonicis Cath. non tenentur Archipresbyteri et Presbyteri. N. 4262 ad 12 die 18. Decbr. 1756.

De oblig. associandi cadavera et *ex quo loco* vd. praecipue: *Process. funebr.* (exitus.)

d) Obligatio Regular.

Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectant ad januas. N. 2733 ad 4 die 22. Junii 1675; n. 3241 ad 1 die 11. Aug. 1691.

Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quascunque Ecclesias

deferenda una cum Clericis, non possunt impediri. N. 983 ad 1 die 22. Apr. 1633.*)

Regulares vocatos a confratribus non posse prohiberi ab Archipresbytero, quin accedant ad processiones et ad celebrationem missarum. N. 1003 die 19. Aug. 1634.

Vd.: *Process. funebr.* (exitus ab Eccl. paroch.)

Regulares primi debent invitari, quando cadaver sepeliendum est in eorum Ecclesia. S. Congr. Episc. et Regular. Die 9. Januarii 1595.

Parochus minime excluditur, licet a defuncto accersiri tantum regulares jubeantur. Ead. S. Congr. Episc. et Regul. Die 21. Aprilis 1594.

Concedit Papa quod Regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum et quod Curati non possint cogere haeredes defunctorum celebrari facere missas in suis Ecclesiis parochialibus.

Urbanus VIII.

Ad futuram rei memoriam.

1. Nuper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum generalium ordinum praedictorum s. Francisci, s. Augustini et beate Mariae de monte Carmelo, discalceatorum nuncupat., Nobis expositum fuit, quod alias a venerabilibus fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus, s. Ritibus praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet: Instantibus Procuratoribus generalibus ordinum praedictorum s. Francisci, s. Augustini et discalceatorum Carmelitarum declarari primo: an liceat Curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire, contra voluntatem haeredum defunctorum, ne regulares Curati ad funus corpora defunctorum ad quasvis Ecclesias deferenda, una cum Parochis et Clericis processionaliter associent. Et ad hoc S. Rituum Congregatio respondit: regulares in casu proposito non posse impediri. Secundo: an praedicti Curati possint cogere haeredes seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis regularium, missas celebrare faciant in ecclesiis parochialibus? Et S. Rit. Congr. respondit: non posse cogere. Die 23. Aprilis 1633.

2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum praeinsertum Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent, Nos illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos, tam juris quam facti, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 25. Junii 1633.

(Bull. r. t. V. p. 250. Ed. Luxbg.)

3) Canonicorum.

Vd.: *Canonici* (sepult.); *Mitra ad exequias. Cadaver. Sepultura* (a parocho etc. decr. n. 2827, 2442); *Quarta fun. pro sepult. can. cathedr.; Visitatio de funerib. SS. Viatic.* (port. Canon.)

In ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici Cathedr., sive

*) Hoc decr. confirm. est per infrascr. Breve *Urbani VIII.* de die 25. Jun. 1633: *Nuper pro parte etc.*

habuerit sive elegerit sepulturam, ad parochum ipsius ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Vd.: t. II. p. 819 nota ad decr. n. 4592 *ad 5. Sepultura Clericor.* (a quo facienda? decr. *Fulginaten.* §.: *Plures.*)

Notissima est generalis regula constabilita a S. Congregatione in *Tyburtina juris administrandi Sacramenta 12. Maii 1685,* in qua proposito dubio? *An Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali vel in Parochia domicilii vel potius in Ecclesia, in qua adest sepulchrum suorum majorum?* respondit: *In Cathedrali, si in ea adsit sepulchrum proprium Canonicorum, sin minus, in sepulchro majorum.* Idque ipsum edixit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in una *Senogallien. 13. Maii 1650 apud Nicol. Tom. 1. lib. 4. tit. 15. n. 23. Clericus non sepelitur in sepulchro majorum, quando in Cathedrali vel matrice adest proprium Clericorum sepulchrum a laicalibus separatum.*

(Ex resol. S. C. C. die 18. Aug. 1770. *Andrien.*)

Etiam Canonici aliique addicti Ecclesiae Cathedrali sepeliendi sunt in Parochia domicilii, quando in Cathedrali desit proprium Canonicorum sepulchrum vel non habeant majorum sepulchrum, *ut in Tyburtina juris administrandi Sacramenta et funerandi 11. Maii 1684 et in Derthonen. Jurium parochialium die 3. Decbr. ad dubium XVI.*

(Ex resol. S.C.C. diei 19. Sept. 1778. *Avenionen.*)

4) Qui sunt capaces sepulturae?

Vd.: *Sepult.* (Qui non sunt capaces etc.)

Ordinarius mandet *cadaver olim excommunicati et in articulo mortis absoluti ab ejus simplici confessario sepeliri in loco sacro.* S. Congr. immunit. in Sipontina die 3. Apr. 1661 lib. decret. Rocci p. 329.

Cadaver excommunicati, qui non tantum dedit signa poenitentiae sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat ecclesiasticae sepulturae ad formam cap.: *A nobis de sentent. Excommun.* S. Congr. Immun. in Nicoteran. 12. Novbr. 1668 lib. 1. Decret. Altovit. 288. Quando quis non fuit declaratus Excommunicatus vel non fuit notorius, non potest impediri sepultura. S. Congr. Immun. in Catacen. 12. Nov. 1647 lib. 4. decret. Pauluc. p. 30.

Cadaver correi homicidae in persona Sacerdotis, mortui in Excommunicatione, non est tradendus ecclesiasticae sepulturae. S. Congr. Immun. in Feretrana die 31. Julii 1675 lib. 1. decret. Alt. p. 974.

Nisi Curia saecularis amoveat impedimentum appositum sepulturae, ne Clerici cadaver sepeliatur, cum hoc sit contra christianam pietatem et contra Jurisdictionem ecclesiasticam, Episcopus procedat prout de Jure; S. Congr. Immun. in Sorana die 12. Maii 1674 ibi p. 939.

Quoad excommunicatum defunctum S. Congr. injungit Episcopo, ut praecise informet super denegatione sepulturae ecclesiasticae. S. Congr. Imm. in Meliten. die 12. Jan. 1694 lib. 1. decet. Vallem. p. 98.

5) Qui non sunt capaces sepulturae?

Vd.: *Profanatio ecclesiae.*

Ecclesiastica sepultura carere debent omnes non baptizati, uti sunt Judaei, Turcae seu Pagani, cap.: *Ecclesiam* 26., cap.: *Ecclesiam* 27. distinct. 1. de consecrat. Huc pertinent etiam infantes catholicorum certo decedentes sine Baptismo: si vero dubium sit, an sint vel non valide baptizati, non sunt privandi ecclesiastica sepultura: *Engel* lib. 3. decret. tit. 28.

n. 17., *Reiffenstul.* ibid. n. 77., *Samuel.* de sepultur. tract. 2. controv. 3. conclus. 13. cum aliis ibi allegatis, arg. cap.: *In obscuris* 30. de Regul. Jur. in 6. Item huc reducuntur Catechumeni, quia et ipsi Baptismo carent., *Paludan.* in 4. dist. 4. quaest. 3. art. 1., *Layman* lib. 3. tract. 6. cap. 12. n. 10., *La Croix* lib. 17. n. 150. cum aliis ibi allegatis, *Pirhing* lib. 3. Decretal. titul. 28. n. 61., *Reiffenst.* ibid. n. 77., ubi testatur etiam de communi. Quamvis tamen *Samuel* loco cit. conclus. 13. dicat. Catechumenos esse sepeliendos in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur, uti etiam tenet *Gobat* de Baptismo n. 620. vers.: Cum ad Apostolicam, de Presbyt. non baptizato.

Item ecclesiastica sepultura carere debent Haeretici et in puncto Haeresis eorum receptores, defensores, fautores etc., cap.: *Sicut* 8., cap.: *Excommunicamus* 13. §.: Credentes, de Haeretic., cap.: *Quicumque* 2. eodem in 6.; etiamsi Haeresis solum per mortem eorum fuerit detecta; argum. cap. *Sane* 6. caus. 24. quaest. 2.

Item notorie Excommunicati; cap.: *Communione* 1. caus. 24. quaest. 2. cap.: *Sacris* 12. de sepulturis, nisi in articulo mortis signa poenitentiae dederint, ac per eos non steterit, quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesia praescripto absolvi sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt ac debent, cap.: *A nobis* 28. de sentent. Excommun. in 6. Et sic expresse declaravit S. Congr. Episc. et Reg. in Notana 19. Julii 1619 apud *Barbos.* lib. 2. jur. Eccles. univers. cap. 10. n. 40. et de Offic. et potestat. Parochi part. 3. cap. 26. n. 40.

Item interdicti notorii et denunciati. Clement. 1. de sepultur. Generaliter enim per omne Interdictum, sive locale sive personale, usus ecclesiasticae sepulturae prohibetur; cap.: *cum et plantare* §.: Quod si Templarii de privileg.; et idem de suspensis ab ingressu Ecclesiae deciditur, cap. *Is cui* 20. §.: Talis quoque, de sentent. Excom. in 6.

Item publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint vel idoneam dederint de restituendo cautionem, cap.: *quia* 4. de usuris, cap.: *Quamquam* 2. eod. in 6.

Item manifesti raptores et Ecclesiarum violatores, cap.: *Super eo* 2. *de Raptorib.* Secus vero est dicendum, si occulti sint et confessi ac restitutionem fecerint per se vel per alios. At tunc sunt in Coemeterio tumulandi absque Clero, ex citat. cap.: *Super* eo 2. de Raptoribus.

Item decedentes in Torneamentis; cap.: *Felicis* 1., et cap.: *Ad audientiam* 2. de Torneamentis.

Item qui per annum integrum non confitentur et tempore paschali sacram Synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio Sacerdotis prorogassent, cap.: *Omnes utriusque* 12. de poenit. et remissionibus.

Item publice blasphemantes Deum, ac Sanctos et praesertim B. M. V. et impoenitentes morientes seu Poenitentiam eis injunctam non facientes, cap.: *Statuimus* 2. de Maledicis.

Sepultura sacra denegatur decedentibus ex vulnere in duello accepto, licet extra locum pugnae obierint: Bened. XIV. Constitut. incip.: *Detestabilem* §. 9. Vd.: *Profanat. Eccles.*

Ad dub.: An ecclesiastica sepultura carere debeant, qui decedunt ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint et obtinuerint a peccatis simul et censuris absolutionem? Attenta Constitutione Benedicti XIV., cui initium est: *Detestabilem*, et hi carere debent ecclesiastica sepultura. Videtur enim Summus Pontifex imitatus sanctionem

Concilii Lateranensis relatam in cap.: *Felicis de Torneamentis*, qua cautum fuit ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamentis decedebant, tametsi, antequam extremum vitae spiritum ederent, non incerta poenitentiae signa exhibentes, absolutionem retulissent. „Quod (sunt ipsissima verba) si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentia non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura."

Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira et desperatione et alia simili causa occidentes; cap.: *Placuit* 12. caus. 23. q. 5.

Advertunt tamen *Covarruv.* lib. 2. variar. resolut. cap. 1. n. 11., *Navarr.* lib. 3. consil. 7. de sepultur., *Socinus* jun. consil. 51. lib. 1., *Pirhing* lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 65., *Reiffenstuel* loco cit. n. 89., *Barbosa* lib. 2. jur. Eccles. univers. cap. 10. n. 49. et de Offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 26. n. 49., *Burghab.* centur. 3. cas. 20., *La Croix* l. 7. n. 156., *Samuel.* de sepultur. tract. 2. controvers. 5. conclus. 2. et plures alii, quod si quis reperiatur in puteo vel in flumine submersus aut laqueo suspensus, veneno seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi abunde constet, quod se ipsum voluntarie et sui compos occiderit; quod tamen in dubio non est praesumendum, cum in dubio delictum praesertim tam grave de nemine praesumatur, *argum. l. Merito 52. Pro socio;* tum quia potuit talis per insidias aut vi per alium in puteum vel flumen praecipitari aut laqueo suspendi, seu, quod satis probabile est, ex amentia vel mentis alienatione se ipsum occidere, ut recte notant citati doctores et alii; signum autem sufficiens suspicandi, quod adfuerit alienatio mentis, est, si antea animadversus est defigi in melancholia: *Gobat* in Quinar. tract. 5. cap. 5. n. 15., *La Croix* loco cit. n. 256. et alii. Item si mane sit confessus, communicarit et postea inveniatur mortuus cum laqueo in collo seu demersus in puteo vel flumine: *Gobat* loco cit. n. 54.; *La Croix* loco citat. n. 256. cum Navarr. et Rodriq. ibi allegatis, ubi subjungit, quod Lohner putat, si commode fieri potest et sit suspicio voluntariae caedis, quod melius expectetur judicium Episcopi; sic etiam si reus non confessus nec legitime convictus reperiatur mortuus in carcere, non ideo statim privandus est sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus aut a se ipso vel daemone occisus, qui praesumendus est semper pro reo et pro innocentia; multa sunt enim mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia et hujusmodi, ut dicit *s. Augustinus de civitate Dei l. 19. cap. 6.* Et si non morte puniantur, in ipsis vel ex ipsis, plerumque tormentis moriuntur, *La Croix* lib. 4. n. 1477 cum aliis ibi citatis; unde in similibus caute attendendae sunt omnes circumstantiae talis mortis, personae, loci et temporis ad dignoscendum, an quis sit a seipso sibi bene praesente voluntarie occisus vel ex amentia seu mentis alienatione, aut ab alio seu daemone sit interfectus, aut ob aliquam ex assignatis causis obierit et sic an privandus sit necne ecclesiastica sepultura.

Item sepultura ecclesiastica privantur suspensi impoenitentes; cap. *final. caus. 13. q. 2.* Et sic omnes, qui in notorio ac certo peccato mortali absque poenitentia decedunt, ut qui in actuali furto, rapina, fornicatione, adulterio et hujusmodi occiduntur, ut habet communissima doct., *arg. quibus peccata 6. caus. 13. quaest. 2.*, cap.: *Non aestimemus 19.*, cap.: *Pro obeuntibus* 21. cum seq. eadem caus. 13. quaest. 2., cap.: *Fures,* de Furtis, cum similibus.

Item regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a Superiore absque emendatione et poenitentia decesserint; cap.: *Monachi* 2., cap.: *Super quodam* 4., cap.: *ad Monasterium* 6. de statu Monachor.

Recte tamen advertunt quoad hoc *Barbosa* loco cit. n. 47, *Samuel.* de de sepulturis controv. 6. conclus. 1. cum pluribus ibi allegatis, *Roderic.* in Compend. quaest. Regular. resolut. 188. n. 20., *Portell.* in dub. Regul. verb.: sepultura n. 11. et alii plures, non esse ita praecipitanter privandum ecclesiastica sepultura religiosum inventum mortuum cum bursa denariorum; praesumi enim debet seu saltem potest, denarios non esse proprios vel quod ex oblivione aut negligentia alterius inibi remanserint, aut quod tales denarii essent sui consanguinei vel amici seu quod illos habuisset ad faciendam secretam restitutionem seu eleemosynam et hujusmodi, unde in tali casu non esset religiosus privandus ecclesiastica sepultura, nisi certo constaret, quod esset mortuus vere proprietarius et impoenitens; eo vel maxime quod citata jura loquuntur solum de religioso a suo Superiore prius admonito et nihilominus proprietario et impoenitente defuncto.

Omnes quamvis exempti et privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore interdicti vel aliquem nominatim excommunicatum vel personaliter publice interdictum vel manifestum usurarium vel Haereticum aut ejus defensorem, fautorem vel receptorem et peccant mortaliter et eo ipso excommunicationem incurrunt, Clem. 1. de sepulturis et cap.: *Quicumque* 2. de Haeretic. in 6.

Sepelientes autem alios sepultura indignos, ut suicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, Catechumenos, religiosos proprietarios etc. peccant quidem mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiae, possuntque poena arbitraria ab Episcopo puniri, utpote qui potest transgressores legum ecclesiasticarum punire; at non incurrunt dictam excommunicationem, quia talis lex, utpote poenalis, non est extendenda ultra casus et personas expressas; *l. interpretatione* 42. *ff. de poenis*, ibi: „Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam asperandae," cap.: *In Poenis* 49. de regul. juris in 6. ibi: „In poenis benignior interpretatio est facienda;" juncto cap.: *Odia* 15. eod. ibi: „Odia restringi et favores convenit ampliari;" *Reiffenstuel* loco cit. n. 95.; *Samuel.* loco cit. tract. 2. conclus. 1. et alii passim.

A tali poena etiam ex praedictis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia vel gravi metu coacti id faciunt; argum. cit. Clement. 1. de sepulturis, ibi: „Qui propriae temeritatis audacia non sine contemptu clavium Ecclesiae... scienter sepelire praesumunt" et cit. cap.: *Quicumqne* 2. de Haeretic. in 6., ibi: „Quicumque Haereticos credentes receptatores, defensores vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae." Sic Glossa ibi verb.: *Scienter*, *Pirhing* loc. cit. n. 79., *Reiffenstuel* loco cit. n. 95. et alii passim. Item a tali poena excusantur, qui tempore interdicti sepeliunt in casibus a Jure vel apostolicis privilegiis concessis: *Glossa in d. Clement.* verb.: *a Jure; Reiffenstuel* loco cit. n. 95. et alii passim.

Nomine sepelientium ad incurrendam dictam excommunicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes aut concedentes et procurantes. Anchar. in cit. Clement. 1. de sepulturis n. 10., *Pirhing* loco cit. n. 80.; *Reiffenstuel*

loco cit. n. 79.; *Samuel.* loco cit. tract. 2. controv. 10. conclus. 3. cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, associantes seu Crucem portantes et luminaria deferentes: *Anachr.* loco cit., *Samuel* loco cit. cum aliis allegatis; et ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso adeoque omnes isti subjacent dictae poenae, *arg. c.*: *Nuper*, et cap.: *Concubinae* de sentent. Excomm.

Cadavera excommunicatorum denunciatorum sepulta in loco sacro debent iterum exhumari, si ossa discerni possunt et Ecclesia propter talem sepulturam polluta reconciliari. Communis textu expresso in cap.: *Sacris* 12. de sepulturis, et cap.: *Consuluisti* 7. de consecration. Eccles. Idem procedit de infidelibus et paganis. *Communis*, textu expresso in cap.: *Ecclesiam* 27., et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. 1. de consecrat. ibi: evulsis corporibus. Donec autem praedicta excommunicatorum et infidelium seu paganorum cadavera exhumentur et Ecclesia reconcilietur, nemo ibidem sepeliri potest: *Communis*, textu expresso in cap.: *Unic.* de consecrat. Eccles. in 6.

6) Carceratorum mortuorum.

Moriens in carcere, in quo detinetur custodiae et correctionis causa, si non sibi elegerit sepulturam vel non habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia sui proprii domicilii; si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum vel ad certum tempus, sepeliendus est in Parochia, cui subest carcer. Sic expresse per viam legis determinatum fuit in statuto Cleri rom. juxta ipsius novissimam compilationem, c. 3. lit. F. fol. 20. ibi: „Carceribus quoque ex quavis causa ad custodiam vel correctionem mancipati, si in illis mori contingat non electa sepultura, sepeliendi in Ecclesia parochiali, in cujus Parochia retinet domicilium, damnatos vero ad carceres in perpetuum vel ad tempus, in Ecclesia parochiali, cui subsunt carceres, tumulandos esse declaramus.“ Et in effectu ita practicatum fuit de mense Martii 1707 favore Eccles. s. Mariae trans Tyberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitolinis. Atque demum in praecisis nostris terminis probatur id practicari in carceribus novis ex attestatione eorumdem Officialium in Secretaria exhibita. Sic refert D. *Ursaya* tom. 1. part. 2. discept. 30. n. 24. et seq. Et de facto S. Congr. Concilii in Farfen. Matrimonii 26. Martii 1707 declaravit, quod Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem coram Parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in poenam perpetuo vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc decretum legitur impressum in statuto Cleri romani cap. 3. de jure eligendi sepult. n. 4. in addit. et sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenent *Pignatell.* tom. 7. consult. 86., ubi in fine adducit etiam ipse ad id statutum Cleri romani dicitque extare decretum pro Ecclesia parochiali s. Mariae Transpontinae et Ecclesia s. Blasii in via Julia pro captivis pariter in poenam in carceribus novis, ac concludit: tenendum esse, quod mancipati carceribus in poenam per aliquod tempus, si ibi moriantur, debeant sepeliri in Parochia carcerum et si contingat alibi sepeliri, debeatur quarta funeralis eidem Parochiae, quia, cum sint servi poenae, contrahunt habitationem, ubi luunt poenam, uti dicitur de relegatis per text. in l. Filii libertorum 22. §. Relegatus, ff. ad municipalia, ibi:

„Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet;" quod *Glossa in l. Ejus qui 27. §. final. vers.: Unde arcetur eod. titul.* et cum multis aliis *Samuel* de sepulturis disp. 5. controv. 9. conclus. 10. n. 14. intelligunt de relegatis in perpetuum; relegati autem ac confinati ad tempus sunt sepeliendi in eo loco et civitate, ubi debuissent sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit *Samuel.* loco cit. allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Joan. Andream, Zaborellam, Lavorium, Florian. et alios.

7) Cardinalium.

Pro exequiis Rmorum DD. Cardinalium.

Cum per manus omnium Illmorum et Rmorum DD. Cardinalium Congregationis SS. Rituum transmissum fuerit decretum factum et approbatum in Consistorio secreto a SSmo D. N. Clemente Papa VIII. sub die 5. Maii 1600 de celebrandis in Capella exequiis pro quolibet Cardinali defuncto et aliis faciendis in funeribus et exequiis dictorum Cardinalium defunctorum, S. Rituum Congregatio mandavit et ordinavit, ut in futurum omnino dictum decretum servetur. Die 6. Septembris 1603.

Cujus quidem decreti consistorialis tenor est qui sequitur videlicet:

Die 5. Maii 1600 fuit Consistorium in aula solita palatii Apostolici apud Vaticanum, in quo ante audientias solitas SSmo D. N. Clemens Papa VIII. vocatis ad circulum ante se tribus Cardinalibus capitibus ordinum, una cum camerario, videlicet, Illmis et Rmis DD. Gesualdo Priore episcoporum, Florentino Priore Presbyterorum et Sfortia Priore Diaconorum ac Aldobrandino camerario, cum illis tractavit de observandis in funeribus et exequiis Illmorum et Rmorum D. Cardinalium defunctorum. Et in futurum mandavit fieri ut infra, scilicet:

Quod post mortem alicujus Cardinalis quamprimum omnes Cardinales viventes pias pro anima defuncti ad Deum preces fundant. Cardinales nempe Episcopi et Presbyteri private pro ejus anima unam missam et Diaconi Cardinales officium defunctorum pro eadem anima private similiter recitent.

Item quod aliqua die non impedita infra octavam obitus seu post quamprimum licuerit, celebretur in Capella palatii solita vel quando Papa habitat in palatio s. Marci vel in Quirinali, apud s. Marcum vel in alia ecclesia commoda missa solemnis exequialis per aliquem Cardinalem, pro anima ejusdem Cardinalis defuncti cum interventu S. Collegii et omnium Praelatorum et Officialium, qui in Capellis ordinariis solent intervenire, prout statutum legitur in lib. caeremon. lib. 2. sect. 2. cap. de missa, quae pro animabus imperatoris, Cardinalium et regum noviter defunctorum in Capella dici consuevit. Et haec omnia fiant tam pro Cardinalibus decedentibus in Curia quam pro Cardinalibus decedentibus extra curiam.

Quod relinquatur facultas et arbitrium haeredibus et executoribus Cardinalis defuncti celebrandi in ecclesia, ubi defunctus sepelitur vel in alia ad eorum libitum vel exequias novemdiales, prout cavetur in lib. caeremon. lib. 1., sect. 15., cap.: De morte et exequiis Rmorum Cardinalium, vel si magis placuerit, una die tantum cum castro doloris, quatuor solitis absolutionibus et interventu S. Collegii, si ab haeredibus invitetur.

Quod vigiliae, nempe: Vesperae et matutinae defunctorum cum laudibus, quae hactenus celebratae fuerunt in domo Cardinalis defuncti, in futurum non in domo sed in aliqua ecclesia viciniori domui vel commodiori cele-

bretur, ubi privale portetur corpus Cardinalis defuncti et ibi indutum pontificalibus indumentis juxta solitum collocetur super lectum praealtum. Et in eadem ecclesia conveniant Cardinales et ad vigilias praedictas more solito assistant.

Quibus finitis, si corpus non erit ibi sepeliendum seu depositandum vel nisi aliter defunctus testaverit, deducatur inde ad aliam ecclesiam, ubi sepeliendum erit cum pompa solita associatum a familia SSmi prout hactenus factum fuit.

Quod Cardinales Priores ordinum, si defunctus decedat sine testamento vel sine haeredibus, curent omnia praedicta exequi facere prout melius et decentius eis videbitur.

(Anal. J. P. 1863 p. 26. n. 97.)

De curando Cardinalis Cadavere in ejus domo.

Cum Cardinalis spiritum creatori reddiderit, ministri, deposito ex lecto post morulam cadavere, illud calida aqua lavent, barbam radant, mundetur et ita curent opportunis remediis, ut corpus sine foetore usque ad praestitutum tempus reservari possit. Significent executoribus horam transitus, ut illi de hora funeris deliberare valeant; quam deinde per cursores aliis Cardinalibus, Praelatis et Curialibus atque etiam Collegiis et Conventibus Clericorum ac Religiosorum, quos funeri interesse voluerint, intimabunt.

Sed nota, quod ante Sixti IV. tempora Cardinales non consueverunt ire ad domum Cardinalis defuncti, nisi executores tantum, mittebant autem familias suas; post ea vero tempora fere omnes intersunt, quando Vigiliae dicuntur, non tamen sequuntur funus. Quid magis deceat, alii viderint. Ministri Cardinalis defuncti, ut corpus mundaverint, illud vestiant omnibus quotidianis indumentis usque ad Rochetum inclusive; deinde ornent eum sacris vestibus, ac si missam esset celebraturus. Si est Presbyter aut Episcopus Cardinalis, imponant Sandalia, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Manipulum, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Planetam, Mitram simplicem et Anulos. Si vero esset Diaconus, super Stolam transversam, Dalmaticam tantum imponerent et Mitram simplicem in capite, ea scilicet ornamenta, quibus uterentur, si Evangelium esset dicturus; et ita indutum deponant in terra super aliquem pannum sive tapetum cum cereis ardentibus a capite et a pedibus. Ponent super ejus pectus crucem aliquam, quam manibus teneat. Interea tota domus nudetur ornamentis omnibus. In majori Aula domus quasi in medio paretur lectica ex tabulis, quae a terra distet circa sex palmis, latitudine decem, longitudine duodecim palmorum aut circa; et super eam ponatur lectus ex lana sive pluma cum cervicali longo et magno panno aliquo cooperiatur lectus et lectica circa a lateribus. Hinc inde parentur scamna cum foraminibus, ut ibi ponantur sexdecim aut viginti intorticia. Ad pedes lecti erit mensula cum mappa munda et super eam duo candelabra cum luminaribus, Superpelliceum unum, una Stola cum Pluviali nigri coloris; item vas cum aqua benedicta et aspersorium et thuribulum cum navicella incensi et libellus pro dicendis orationibus. Circumcirca per totam Aulam ponantur sedilia pro Cardinalibus, Praelatis et aliis Curialibus, qui veniunt ad honorandum defunctum. Familiares in istis Vigiliis et in deducendo funere non intersunt adhuc induti veste lugubri; habebunt tamen singuli nigrum biretum expensis defuncti. Cum aderit hora praestituta, corpus defuncti ita ornatum,

ut diximus, ponetur super lectum in Aula et accedentur intorticia. Cardinales, Praelati et alii, qui venerunt, sedebunt circumcirca. Religiosi per singula Collegia sive per singulos Conventus incipient Vigilias et primi dicent Invitatorium cum primo Nocturno et post Responsorium tertiae lectionis dignior ex eis indutus Superpelliceo, Stola et Pluviali, stans apud mensam ad pedes lecti dicit: *Pater noster*, asperget et incensabit per circulum; et deinde sequitur: *Et ne nos inducas*, cum Versiculis et Orationibus consuetis. Cum incipient cantare, distribuentur cantantibus aliquae candelae; cum primi finierint, aliqui sequentur secundum et deinde tertium Nocturnum et deinde Laudes et digniores, qui aderunt, incipient. Et si essent plura Collegia sive plures Conventus, poterunt duo simul cantare unum Nocturnum. Paretur interim feretrum ad portandum corpus et quinquaginta aut sexaginta intorticia, quae ante corpus per stabularios deferantur.

De Cadaveris delatione ad Ecclesiam et quae in ipsa praeparanda.

Finitis Vigiliis ponitur corpus super feretrum et religiosi suo ordine praecedunt, deinde luminaria, postea corpus, quod per religiosos defertur, postremo sequuntur Praelati et Curiales, et cum pervenerint ad Ecclesiam, ubi sepelitur finito officio, omnes descendunt, quisque ad suam habitationem. Haec funeris deductio saepe intermittitur propter varias causas et tunc factis Vigiliis in domo defuncti, discedunt omnes et in nocte portatur corpus ad Ecclesiam per familiam cum aliquibus religiosis. Post haec executores statuunt diem, in quo exequiae inchoentur et interim distribuunt pannum nigrum familiae, Praelatis quinque cannas, Capellanis quatuor, scutiferis tres, stabulariis duas cum dimidia. Ordinant, ut fiat pallium aureum pro lecto sub campana, sive castro doloris, quod fiet ipsum castrum doloris cum lectica, scamnis pro intorticiis et banchis, in quibus sedeat familia. Item pingantur arma suspendanturque circa Ecclesiam, altare et castrum doloris. Fiat cera ad sufficientiam. Consueverunt esse ad sex vel octo millia librarum cerae. Suspenduntur intorticia circumcirca in Ecclesia unius lanceae spatio inter se distantia. A lateribus lecti hinc inde super scamnis ponantur duodecim aut sexdecim intorticia in quolibet latere. Praeficiantur aliqui, qui teneant computum cerae et qui illam subministrent distributoribus. Alii, qui curent, ut missae vere et suo ordine legantur et dent eleemosynam celebrantibus. Ordinent, qui Cardinalis primam et qui ultimam missam sit celebraturus, qui Praelati intra Novenam celebrent; et aliae missae legantur; quod Cantores cum Capella, cum paramentis et libris opportunis ex Palatio Apostolico adsint; quod ibidem sint quinque Pluvialia nigra cum suis stolis; quod committatur quatuor Cardinalibus, ut cum Celebrante in fine missae apud Castrum doloris absolvant, ut inferius dicemus, quod parentur quatuor scabella apud primas et postremas columnas castri et alia necessaria.

De exequiis celebrandis Cardinali defuncto ac primum de missa et Oratione funebri.

Omnibus opportune dispositis vesperi ante statutam diem per cursores faciunt intimari Cardinalibus, Praelatis, oratoribus et officialibus Curiae, quod in tali loco cras incipientur exequiae bonae memoriae Reverendissimi Domini Cardinalis et Reverendissimus Dominus A. celebrabit et Dominus vel

Magister B. faciet orationem. Mane deinde hora competenti Reverendissimi Domini Cardinales conveniunt ad Ecclesiam, sedebunt prope altare majus in sedilibus pro eis praeparatis, nudis tamen et sine aliquo panno. Praelati et alii Curiales sedebunt in locis suis. Familiares defuncti Cardinalis summo mane omnes nigris vestimentis induti simul bini et bini e domo defuncti venient ad Ecclesiam. Duo cursores eos praecedent et sedebunt in banchis circa castrum doloris pro eis locatis. Supra lectum, qui erit sub castro doloris, erit pannus aureus cum insignibus defuncti et duo cervicalia nigra. Ad caput lecti et ad pedes duo Pilei rubri ipsius defuncti. Hinc inde astabunt duo parafrenarii mortui Cardinalis, qui cum duobus flabellis factis cum insignibus Cardinalis ex serico nigro videantur abigere muscas, etiamsi sit tempus hyemale, qui sedulo flabella placide movent. Omnibus paratis incipitur missa pro defunctis et cum fuerit dicta prima Collecta, Clerici Caeremoniarum incipiunt distribuere ceram Dominis Cardinalibus primum, tum Oratoribus et Praelatis, inde Familiae defuncti, deinde officialibus Curiae, demum ceteris praesentibus, tam mulieribus quam viris. Quae profecto dispensatio cerae sive potius dissipatio est valde importuna et tumultuosa et meo judicio satis inconveniens; nam ob strepitum et clamorem petentium et rapientium candelas, divinum officium et funebris oratio admodum conturbatur. Antequam incipiatur Evangelium, accenduntur dictae candelae et per ministros tenentur accensae usque ad finem missae. Finita missa post *Requiescant in pace,* fit Sermo in laudem defuncti; et Cardinalis, qui celebravit, dimissa planeta, accipit Pluviale et sedet cum mitra alba, dum fit Sermo.

De ritu et officio Absolutionis circa Castrum doloris.

Illo finito iterum accenduntur candelae et quatuor alii Cardinales, si mortuus erat Episcopus Cardinalis, Episcopi Cardinales, si tot numero fuerint praesentes, et si deficiat numerus, Presbyteri supplent. Si vero mortuus erat Presbyter sive Diaconus, quatuor Presbyteri Cardinales capiunt Superpelliceum, Amictum, Stolam, Pluviale nigrum et mitram albam in capite et simul cum celebrante vadunt ad castrum doloris hoc ordine. Primo procedunt duo ex Capellanis celebrantis cum Superpelliceis, unus defert thuribulum et navicellam, alius vas aquae benedictae cum aspersorio; deinde duo alii cum candelabris et luminaribus. Inde Subdiaconus paratus cum cruce. Deinde duo Cardinales juniores parati, tum duo seniores parati, ultimo Cardinalis, qui celebravit et post eum Diaconus paratus et alii sui Capellani cum Superpelliceis. Unusquisque Cardinalis habet secum unum Capellanum cum Superpelliceo, qui servit ei de mitra, et aliquos Scutiferos, qui ei assistunt, quorum unus defert cereum accensum. Cum pervenerint ad castrum doloris, Subdiaconus cum cruce et ceroferariis ponit se ad pedes lecti in medio extra Castrum tamen. Post eum sunt Cantores. Ad caput lecti ponitur in medio contra crucem Faldistorium celebrantis, super quod ille sedet, et apud eum stat Diaconus Evangelii, qui defert incensum et aquam benedictam, et alii Capellani; senior Cardinalis ponit se juxta columnam ad humerum dextrum, secundus in dignitate juxta columnam ad pedem sinistrum, tertius Cardinalis ad humerum sinistrum, ultimus ad pedem dextrum et ibi aliquantulum quiescunt. Caput lecti figitur proximior pars altari, et pedes pars propinquior portae Ecclesiae. Post

morulam surgunt omnes deposita mitra et tenente librum uno ex Capellanis celebrans cum Diacono incipit Absolutionem:

„Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio: non eum ergo quaesumus Domine tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianae commendet; sed gratia tua illi succurrente mereatur judicium evadere ultionis aeternae, qui dum viveret, insignitus est signaculo s. Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum, Amen."

Finita Oratione, Cardinales omnes sedent cum mitra et cantores cantant primum Responsorium: *Subvenite* etc. Antequam finiatur Responsorium, Diaconus cum deferentibus incensum et aquam benedictam accedit ad seniorem Cardinalem ad humerum dextrum sedentem; et cum cantatur: *Requiem aeternam*, Clericus Caeremoniarum accipit thuribulum et navicellam et accedit ad ipsum seniorem Cardinalem et offert thuribulum, Diacono vero navicellam. Cardinalis imponit incensum in thuribulum dicens: Ab illo benedicaris etc. Deinde cum Cantores cantant: *Kyrie eleison,* surgunt omnes sine mitra et ipse primus Cardinalis dicit voce competenti: *Pater noster* et mox capit aspersorium de manu Diaconi et circuit lectum, aspergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat a manu dextra fimbriam Pluvialis. Cum vero Cardinalis transit ante alios Cardinales ibi astantes, facit unicuique reverentiam inclinando caput et idem etiam facit cruci; Diaconus vero, qui simul pergit, genuflectit. Facto circuitu, reddit aspersorium Diacono et de ejus manu capit thuribulum et simili modo incensat circumcirca, inclinando se Cardinalibus et cruci. Ut autem complevit gyrum, reddit thuribulum Diacono et revertitur ad locum suum. Diaconus quando dat aliquid Cardinali vel recipit ab eo, osculatur ejus manum. Cardinalis stans in loco suo, voce competenti, tenente librum ante ipsum Diacono, dicit: *Et ne nos inducas* etc. ℟.: *Sed libera* etc. ℣.: *A porta inferi.* ℟.: *Erue Domine animam ejus.* ℣.: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.* ℣.: *Domine exaudi orationem meam.* ℟.: *Et clamor meus ad te veniat.* ℣.: *Dominus vobiscum.* ℟.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Deus, cui omnia vivunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinum Amici tui Abrahae Patriarchae, resuscitandam in novissimo judicii magni die; et quicquid vitiorum fallente diabolo contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟.: Amen."

Finita Oratione Cardinales sedent et chorus cantat Responsorium: *Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, tu ei Domine dona requiem et locum indulgentiae.* ℣.: *Qui venturus es judicare vivos et mortuos et seculum per ignem. Tu ei Domine* etc. *Requiem aeternam* etc. *Kyrie eleison.* Diaconus interim cum portantibus incensum et aquam benedictam accedit ad secundum Cardinalem apud sinistrum pedem; et cum dicitur: *Requiem,* imponitur incensum. Ad Kyrie eleison surgunt omnes; et deinde ipse secundus Cardinalis dicit: *Pater noster,* aspergit et incensat, ut primus et reversus ad locum suum dicit: *Et ne nos* etc. ℟.: *Sed libera* etc. ℣.: *A porta inferi.* ℟.: *Erue Domine animam ejus.* ℣.: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.* ℣.: *Domine exaudi ora-*

tionem meam. ℟.: *Et clamor meus ad te veniat.* ℣.: *Dominus vobiscum.* ℟.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Fac quaesumus Domine hanc cum famulo tuo misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic eum vera Fides junxit Fidelium turmis, ita eum illic associet angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟.: Amen."

Finita Oratione sedent Cardinales cum mitra et chorus cantat Responsorium: *Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu irae tuae? Quia peccavi nimis in vita mea.* ℣.: *Commissa mea pavesco et ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi* etc. *Requiem* etc. *Quia peccavi* etc. *Kyrie eleison.* Interim Diaconus cum sociis accedit ad tertium Cardinalem apud sinistrum humerum sedentem et in tempore ponitur incensum et ad Kyrie eleison omnes surgunt ut supra et ipse tertius Cardinalis dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat ut alii et reversus ad locum suum dicit: *Et ne nos inducas* etc. ℟.: *Sed libera* etc. ℣. *A porta inferi.* ℟.: *Erue Domine animam ejus.* ℣.: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.* ℣.: *Domine exaudi* etc. ℟.: *Et clamor* etc. ℣.: *Dominus vobiscum.* ℟.: *Et cum spiritu tuo.*


Oremus.

„Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tum supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc seculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. Amen."

Oratione completa sedent Cardinales. Chorus cantat Responsorium: *Ne recorderis Domine peccata mea, dum veneris judicare seculum per ignem.* ℣.: *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Dum veneneris* etc. *Requiem* etc. *Dum veneris* etc. *Kyrie eleison. Christe. Kyrie.* Interim Diaconus cum sociis accedit ad ultimum Cardinalem apud dextrum pedem et in tempore imponitur incensum. Surgunt ad Kyrie eleison; et ipse Cardinalis quartus dicit: *Et ne nos* etc. ℟.: *Sed libera* etc. ℣.: *A porta inferi.* ℟.: *Erue Domine animam ejus.* ℣.: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.* ℣.: *Dominus vobiscum.* ℟.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Absolve quaesumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum." His finitis sedent et chorus cantat: *Libera me Domine de morte aeterna in die illa tremenda, quando Coeli movendi sunt et terra: dum veneris judicare seculum per ignem.* ℣.: *Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. Quando coeli* etc. ℣.: *Dies illa dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. Dum veneris* etc. *Requiem aeternam* etc. *Libera* etc. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Interim Diaconus cum sociis accedit ad Cardinalom, qui celebravit, sedentem ad caput et in tempore imponitur incensum. Ad Kyrie eleison surgunt Cardinales sine mitra et qui celebravit dicit: *Pater noster*, aspergit et incensat, ut fecerunt alii quatuor et reversus ad locum suum stans dicit: *Et ne nos* etc. ℟.: *Sed libera* etc. ℣.: *A porta inferi.* ℟.: *Erue Domine animam ejus.* ℣.: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.*



℣.: *Dom. exaudi, etc.* ℟.: *Et Clamor etc. Dominus vobiscum.* ℟.: *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

„Absolve quaesumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus seculo tibi vivat et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis tuae absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟.: Amen."

Deinde dicit idem Cardinalis: *Requiem aeternam dona ei Domine.* ℟.: *Et lux perpetua luceat ei.* Et in fine duo Cantores dicunt: *Requiescat in pace.* ℟.: *Amen.* His completis omnes ordine, quo venerant, revertantur ad loca, ubi acceperunt paramenta et exuant sacras vestes. Alii autem Cardinales et Praelati, dum haec fiunt circa Castrum doloris, remanent sedentes in locis suis, expectantes finem. Demum omnes discedunt ad suas habitationes.

De Novendialibus Cardinali defuncto celebrandis et quibus ritibus.

In prima et nona die, quae est ultima, in quibus fiunt eaedem caeremoniae, nisi quod in ultima non fit sermo, consueverunt legi in Ecclesia, ubi fiunt exequiae, centum quinquaginta missae et datur pro eleemosyna cuique celebranti unus grossus Papalis et duae parvae candelae. Aliis septem diebus intra novenam dicuntur centum missae quolibet die et hora competenti cantatur missa pro defunctis per aliquem Episcopum et familia defuncti adest sedens in loco suo. Intorticia non accenduntur circa Ecclesiam, sed super scamnis a lateribus lecti et novem supra Castrum doloris sine aliis candelis. Cardinales non veniunt; distribuitur cera Celebranti et Ministris, Clericis, sive religiosis illius Ecclesiae, familiae defuncti et aliis, qui adsunt. Apud sepulchrum vero, ubi jacet corpus, quotidie ponuntur duo intorticia, quae ardent, dum dum Divina celebrantur. Finita missa inter Novenam Praelatus, qui celebrabit, deponit planetam et accipit pluviale et mitram et praecedente Subdiacono cum cruce, ceroferariis, incenso et aqua benedicta, vadit ad Castrum doloris. Eum sequuntur Diaconus et alii ministri altaris; religiosi autem sive Clerici Ecclesiae disponunt se circa Castrum, Subdiaconus cum cruce et ceroferariis ad pedes. Praelatus vero stans ad caput in medio sine mitra absolute incipit: *Non intres in judicium,* ut supra; et in fine chorus cantat primum Responsorium; et post Kyrie eleison, Praelatus sine mitra dicit: *Pater noster,* aspergit et incensat per circuitum, ut supra diximus de Cardinalibus et deinde stans in loco suo dicit: *Et ne nos inducas* etc. cum aliis versiculis et prima oratione, in fine cujus dicit: *Requiem aeternam dona ei Domine.* ℟.: *Et lux perpetua luceat ei.* Et chorus dicit: *Requiescat in pace.* Et sic revertitur ad exuendum. In secunda die dicitur secundum Responsorium et secunda oratio et sic deinceps et cum finierint, reincipitur a primo. In nona die fit omnino, ut in prima, nisi quod non fit Sermo. Cantatur missa per Cardinalem et per Cardinales fit absolutio apud Castrum doloris. A die vero, quo sepultum est corpus, usquequo incipiantur exequiae, consueverunt in ea Ecclesia celebrari aliquot missae pro defunctis, non tamen per Praelatos, et fiunt ad partem ibi aliquot eleemosynae propter hoc.

Catalanus, Caerem. Eccles. rom. t. I. p. 388—398.

Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulchrum majorum nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt non in Parochia sed in Ecclesia proprii tituli; sic articulo

late discusso firmavit Rota in romana Juris tumulandi 20. Febr. 1702 coram Priolo in causa sepulturae Eminentissimi Cardinalis *Pallavicini*, quae decisio refertur a *Monac.* tom. 4. in Appendic. decis. 18. et a Pitonio discept. ecclesiastic. tom. 2. post discept. 51. eamque citant et sequuntur ultra pradictos etiam *Card. Petra* loc. cit. Comment. ad Constit. 2. Honorii III. n. 32., *Matthaeucc.* official. Curiae quoad sepulturas cap. 48. n. 9., ubi citat etiam aliam decisionem de quinta die Mart. 1703 refertque tali anno ratione dictarum decisionum cadaver Cardinalis Radolovich titularis s. Bartholomaei in Insula, qui suum corpus reliquit esse tradendum sepulturae in Ecclesia prout de Jure, redditum fuisse Ecclesiae titulari et in ejus solo tumulatum, cum prius pendente lite inter Parochiam et titulum, fuerit interim depositum in sua Parochia s. Marcelli.

Et hoc etiamsi Cardinales non resideant in titulo, cum non omnes Ecclesiae Cardinalium Titulares habeant contiguas habitationes. Rota cit. in romana Juris tumulandi 20. Febr. 1702 n. 28. et 31., *Card. Petra* loc. cit. n. 32. et alii.

Et hoc procedit etiam in Cardinalibus regularibus. Non enim ipsi in tali casu sepeliendi sunt in Ecclesia regulari, si specialiter eam non elegerit, quia magis stringit vinculum speciale proprii tituli Cardinalitii, quam generale religionis; tum quia, dum regulares assumuntur ad Cardinalatum, eximuntur ab obedientia religionis, adeoque sicuti remanent soluti a lege vetante electionem sepulturae, ita praesumptio oritur, ut electio debet esse in eo loco, in quo uti Cardinales et non uti regulares sepeliri debuerant, etiamsi alibi Cardinales Sacramenta recipiant, ut prosequitur citata *Rotae* decisio n. 34. et 35., *Card. Petra* loc. cit. n. 33. Et alii *Cardinales autem decedentes extra Urbem sine electione sepulturae sepeliri debent in Ecclesia majori loci*, ubi decedunt, quia, ut dicit Rota in cit. dec. n. 16. ratione Dignitatis illa Ecclesia censetur Parochialis Cardinalis defuncti, sicuti censeretur in casu simili obitus Summi Pontificis: Sic *Card. Petra* n. 34., *Murga* de sepulturis tract. 8. sect. 2. dub. 7. conclus. 4., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 9. et alii passim. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui Parochiae, ut notant *Card. Petra* loc. cit. n. 34., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 9. et alii, arg. cap.: *Instituta* 1. cap.: *Ex parta* 5., cap.: *In uostra* 10. de sepultur., cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6.

Debetur tamen semper quarta canonica Ecclesiae parochiali ratione administrationis Sacramentorum, prout debetur, si quis decedat sine electione sepulturae et sepeliatur in sepulchro majorum vel in Cathedrali. Sic *Rota* in cit. decis. n. 34., *Card. Petra* loc. cit. n. 35., *Matthaeucc.* loc. cit. n. 3., *Antonell.* de regim. Eccles. lib. 1. cap.: 12. n. 30., *Pitonius* in addit. ad dictam disceptat. 51. in fine. Et alii.

8) Clericorum.

Vd.: *Sacerdos defunct.; Sepult. Sacerd. defuncti.*

Clerici et Presbyteri decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in Cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata pro Presbyteris et Clericis, etiam non attento sepulchro majorum. S. Congr. Episcop. in Forosempronien. 1. Septembris 1690, *Monacell.* tom. 1. tit. 2. formul. 4. n. 17., *Samuel.* de sepultur. discp. 5. tract. 1. controv. 9. conclus. 20. n. 30., *Nicol.* lucubrat. Canonici lib. 4. tit. 15. de

sepultur. n. 15., *Matthaeucc.* l. cit. n. 11. vers.: Canonici; *Passerin.* n. 325. cum seq. et alii. *Si vero non adsit in Cathedrali sepultura propria separata pro Presbyteris, et Clerici et Presbyteri decedentes sine electione sepulturae sepeliendi sunt in sepulchro majorum, si habeant, et si non habeant, in propria Parochia: Communis;* arg. cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1., cap.: *Is qui* 3 et cap.: *Licet* 4. eod. in 6. Et ratio est, quia Jura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discurrendum de eorum sepultura ac de sepultura catholicorum saecularium, cum, ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus; *l. de pretio 8. ff. de Publiciana in rem action.;* et verba generaliter sint intelligenda, c. *quia circa 22. de privil.* Unde cum quaesitum fuisset a S. Congr. Conc. in una Fulgenat. die 10. Julii 1694:

An liceret Capitulo Cathedralis privative quoad omnes alias Ecclesias, tumulare cadavera personarum in sacris vel in minoribus ordinibus constitutarum, etiam prima tonsura initiatarum, decedentium absque electione sepulturae? Sacra Congr. noluit decidere sed remisit causam ad Judices suos. Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem, ut dicit Card. *Petra* n. 40. subdens ibid. n. 41.: bonum Jus favere Parochis, si non probetur legitima consuetudo; nam ipsi habent assistentiam Juris in tumulatione istorum carentium Sepulchro majorum decedentium sine electione inter fines propriae Parochiae per Jura supra adducta: Card. *de Luca* de Parochis disc. 27. n. 2.; *Panimol.* decis. 5. n. 1. et 5., *Rota* part. 11. recent. decis. 348. n. 9. et in his terminis *Passerin.* n. 325. cum sequent. et alii.

Si autem adesset consuetudo quadragenaria cum titulo, tunc deberet attendi, prout etiam quando Ecclesia Cathedralis teneatur solvere quartam funeralem Parocho alterius Ecclesiae, si ibi sepulturam quis elegerit, ut declaravit S. Congr. Concilii in Mantuana die 23. Julii 1694 et confirmavit die 30. Aprilis 1695. Et ita si sibi reservatum fuisset tale Jus in signum Superioritatis, quando Parochiae fuerunt distinctae seu creatae: Sic Card. *Petra* loc. cit. n. 41., *Panimoll.* decis. 5. adnotat. 4. n. 8. et seq., *Barbosa* lib. 3. Jur. Eccles. cap. 24. n. 16., *Cavaler.* decis. 649. n. 2. et decis. 295. n. 3. coram Bichio. Immo sufficeret etiam consuetudo immemorabilis sine titulo, cum ista quemcumque titulum praesumere faciat.

Clerici Beneficiati cum onere residendi, tam simplices quam Curati, decedentes sine electione sepulturae et carentes sepulchro majorum, sepeliri debent in Ecclesia sui beneficii et residentiae et non in propria Parochia: Barbosa in cap.: *Nos instituta* 1. n. 4. de sepulturis, *Pirhing* lib. 3. Decretal. tit. 28. n. 9., *Sannig.* ibid. n. 8., *Vallensis* ibid. n. 6., *Reiffenstuel.* ibid. n. 24., *Fusch.* lit. P. conclus. 99. n. 5., *Bursat.* Consil. 226. n. 18. et 19., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 3. n. 9., 10., 11. et 20., *Joan. Asin.* in l. Familiaria, ff. de rel. et sumpt. Funer., *Murga* et *communis* aliorum teste *Reiffenstuel* loco cit., arg. cap.: *Nos instituta* 1. de sepult. ibi: „In qua coelesti pabulo refici consueverunt, ut juxta apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum,“ cap.: *De his* 5. eod. ibi: „A quibus receperunt salutis pabula,“ et cap.: *Cum quis* 2. eod. in 6. ibi: In qua ille officia consuevit audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta.“ Ubi, ut vides, statuitur, decedentes sine electione sepulturae et

carentes sepulchro majorum sepeliendos esse in Ecclesia, in qua consueverunt audire officia divina et ecclesiastica recipere Sacramenta: Atqui Clerici beneficiati cum onere residendi ibi divina audiunt et Sacramenta percipiunt; immo etiam divina faciunt et Sacramenta ministrant, ubi beneficium habentes servitium cum residentia praestant, ergo etc. Et ratio est, quia Clerici beneficiati cum onere residendi sunt potius Parochiani Ecclesiarum suorum respective beneficiorum quam suorum domiciliorum, quia alias non in illis sed in istis Sacramenta percipere et divina audire statutis a Jure temporibus deberent, arg. cap.: *Omnis utriusque sexus* 12. de Poenitent. et remissionib., ubi statuitur, quod „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum;" adeoque cum Clericis beneficiatis cum onere residendi, non Parochus domicilii sed Parochus beneficii residentialis divina administret, potius iste quam ille censendus est eorum proprius Parochus cum jure eos sepeliendi. Nec valet objicere, quod Clericis Beneficiatis viaticum et extremam unctionem administret Parochus domicilii et non Parochus beneficii, adeoque potius ille quam iste censendus est eorum proprius Parochus cum jure eos sepeliendi.

Non valet, inquam, quia, concesso antecedente, negatur consequentia, cum in ordine ad sepulturas sacri Canones non attendant locum, ubi quis in extremis recipit Sacramenta, sed locum, ubi in vivis sanus Sacramenta recipere consuevit et patet ex cit. Jurib. n. anteced. et clare denotant illi termini: *Consueverunt*, *consuevit*, adeoque cum Clerici beneficiati in vivis et sani Sacramenta recipere consueverint in Ecclesiis suorum beneficiorum cum residentia et non in illis suorum respective domiciliorum, sunt tumulandi in illis, non obstante, quod in extremis ab istis receperunt viaticum et extremam unctionem, quia hoc non evenit, quasi ipsi sint eorum proprii Parochi sed quia proprii Parochi Ecclesiarum dictorum suorum beneficiorum fines et territorium Parochorum suorum respective domiciliorum intrare ibique ipsis invitis Sacramenta ministrare nequeunt, arg. cap.: *Ecclesias* 1. caus. 13., 9., 1., cap.: in *Ecclesiis* 1. de Capellis Monachor., cap.: *Cum singula* 32. de Praebend. in 6. cum similibus. Et de facto si quis recreationis vel negotii causa in Villam extra suam Parochiam sitam se conferat et ibi moriatur, non ibidem sed, si non habeat sepulchrum majorum nec sibi elegerit sepulturam, in propria Parochia sepeliri debet, non obstante, quod in aliena viaticum et extremam unctionem receperit, text. expresso in cap.: *Is qui* 3. de sepulturis in 6.

Clerici non sepeliantur in sepulchro suorum majorum, ubi est consuetudo eosdem sepeliendi in sepulchris separatis a laicalibus. S. Congr. Episc. et Regul. 13. Maii 1610.

Clericus, qui sibi non electa sepultura decedit, sepeliri debet in sepulchro majorum et non Clericorum.

S. Rituum Congr. 6. Maii 1705 in Senogall.

Fulginaten.

Frequentissimae ab anno 1648 ad hodiernam usque diem exarserunt lites inter Canonicos Cathedralis et Parochialis Ecclesiae civitatis Fulginei et Parochos aliarum Ecclesiarum ejusdem civitatis super tumulatione cadaverum

Ecclesiasticorum ac super traditione cerae et emolumentorum funeralium, contendente Capitulo, jus sibi esse tumulandi in propria Ecclesia omnes Presbyteros et Clericos, qui non electa sepultura decederent, vel quartam funerum partem percipiendi, si alibi sepulchrum elegissent.

Mota primum hac de re fuit quaestio eodem anno 1648 occasione obitus Sacerdotis Antonii Juliani, qui sepulturam elegerat in Parochia sui domicilii, nempe Ecclesia s. Francisci; tunc enim, cum Capitulo Cathedralis denegata fuisset quarta funeralis, Vicarius generalis vivus *testium depositionibus hinc inde examinatorum* pronuntiavit, *quartam cerae Funeralis delendam esse dd. Patribus Quardiano et Fratribus s. Francisci.* Interposita appellatione, juxta illorum temporum morem ad praesidem Perusiae causa delata est ad Vicegubernatorem Fulginei, qui praevio formali examine quinque testium *super quadragenaria ac immemorabili consuetudine* die 17. Augusti anno 1649 sententiam protulit favore Ecclesiae Cathedralis jussitque, *servandam esse antedictam quadragenariam ac immemorabilem consuetudinem ad favorem dictae Ecclesiae Cathedralis,* eidemque quartam funeris ejusdem Sacerdotis consignari mandavit. Provocatum hinc fuit ad Tribunal A. C., a quo, novo praemisso formali testium examine, die 31. Augusti 1652 relaxatum fuit mandatum *de manutenendo in praedicta possessione humandi in praedicta Cathedrali Ecclesiae Fulginaten. omnia corpora Presbyterorum, qui alibi sepulturam non elegerint, et recipiendi quartas funerum illorum, qui sepulturam alibi elegerunt*, quod quidem Episcopus Fulgnaten. Montecatinus in actu visitationis habitae die 21. Augusti 1653 exequi praecepit.

Nonnullos post annos Parochi omnes Fulginatenses ad hanc S. Congregationem confugerunt, quae audito de more Episcopo Pallotta propositisque duobus dubiis super jure Capituli Cathedralis die 10. Julii 1694 rescripsit: *Ad Judices suos.* Novis iterum excitatis contentionibus a Priore et Parocho Ecclesiae Collegiatae s. Mariae Capitulum Monitorium anno 1707 expedivit super executione Judicati alias ab A. C. editi et quamvis Patres deinde quieverint, nihilominus eadem postea promota quaestione Curia episcopalis anno 1727 decrevit, Ecclesiam Cathedralem ejusque Capitulum manutenendum fore et esse in possessione et mandatum de manutenendo contra quoscunque Ecclesiam super praemissis perturbantes relaxavit.

Similis tandem controversia exarsit occasione funeris Francisci Maria Genga Clerici conjugati ac simul Medici in civitate Fulgenei, qui praevia sepulturae electione conditus fuerat in Ecclesia s. Augustini. Cum enim Prior Curatus Ecclesiae s. Marcelli, cui defunctus subjectus erat, quartam funeralem sibi vindicasset, Ecclesia Cathedralis quaerelam detulit turbati sui juris ad Tribunal Episcopi, coram quo die 7. Januarii 1767 Prior vocatus fuit in judicium. Interim vero tum Prior tum alii civitatis Parochi recursum habuerunt ad S. Congregationem, a qua cum declaratum fuisset, hujusmodi recursum impedire minime posse prosecutionem et terminationem causae pendentis in Curia episcopali, hinc Vicarius generalis resumpta causae cognitione die 27. Aprilis 1767 sententiam protulit favore Cathedralis Ecclesiae: sed postea ad omnes omnino contentiones imposterum praecidendas quatuor subscripta fuerunt dubia, in quibus singula controversiae capita exhibentur.

Ad I. dubium triplici ex capite contendit Capitulum jus sibi competere tumulandi in propria Ecclesia Presbyterorum et Clericorum cadavera; primo scilicet quia ibi tantum sepulchrum pro iis destinatum invenitur: secundo quia hoc jus privative sibi reservavit in primaeva Parochiarum additione. Sepulchri existentiam in sola Cathedrali pro Presbyteris et Clericis resultare dicit tum ex libris mortuorum, in quibus usque ab anno 1579 recensentur Cadavera tumulata in sepultura communi Presbyterorum, ac praeterea ex antiquis et recentioribus ejusdem Ecclesiae inventariis et demum ex testibus examini subjectis annis 1649 et 1650, qui de illa deponunt. Neque sepulchrum hoc confundi posse cum altero ibidem existente pro Societate XII Presbyterorum; quia mortuorum libri, inventaria et testes utrumque egregie distinguunt. Nihil vero faciendos sepulchrales lapides, qui in Ecclesia Parochali s. Jacobi et in altera s. Salvatoris modo observantur, cum ii recentes sint et clam ac per fraudem invecti, prout ex testibus deprehenditur.

Quo vero ad reservationem juris tumulandi Presbyteros et Clericos animadvertit, Ecclesiam Cathedralem Fulginaten. unicam olim fuisse Parochialem in tota civitate et in ea tantum esse fontem baptismalem. Hinc infert, quod sicuti unicus ille fons baptismalis indicat superioritatem et reservationem juris baptizandi *Butr. in cap. ad audientiam 1. circ. fur. de Eccles. aedific., Rot. in Cerunden. Juris Sepeliendi 28. Martii 1757 §. 17. coram. Stadion*, ita unicum sepulchrum pro Sacerdotibus et Clericis in sola Cathedrali indigitat reservationem juris eorum Cadavera tumulandi. Observat praeterea, in antiquissimis Constitutionibus Sixti IV. moderatis ann. 1481 per Cardinalem s. Marci cautum fuisse, ut omnes Clerici minores et Beneficiati civitatis et dioecesis Fulginaten. quolibet die solemni interesse tenerentur divinis officiis et Ecclesiae Cathedrali inservire.

Arguit proinde non alio titulo quam jure retentae Parochialitatis ad id compelli potuisse S. Congregatio *in Ferentina 12. Novembris 1639 ad III. et Episcopo Nicien. ad Visitationem SS. LL. 6. Aug. 1677 ad dub. XIII.* Hoc autem in loco provocat ad decretum quoddam Episcopi, de quo meminit anno 1650 Vincentius Butaronus annosus Cancellarius episcopalis. Addit, diu invaluisse morem, ut Clerici totius Civitatis, etsi in alienis Parochiis commorantes, nonnisi in Ecclesia Cathedrali satisfacerent praecepto paschali, aut saltem de licentia Prioris Cathedralis in aliis Ecclesiis, item aliquando obtinuisse, ut Vicarii curati et Sacristae Cathedralis possent praebere Sacramenta quibusvis Clericis et Sacerdotibus infirmis, iisque adstare in mortis agone, ex quibus omnibus conatur inferre, evulgari potuisse dicterium, quod *Clerici non faciunt Parochiam.* Ac demum innititur capitularibus Constitutionibus probatis ab Episcopo Battistelli *cap. 15. tit. de jure funerandi Clericos et Presbyteros*, ubi aperta fit mentio reservationis juris Cathedralis pro tumulandis Clericorum cadaveribus.

Ad *centenariam* vero et *immemorabilem* consuetudinem quod attinet, de ea constare asserit ex testibus usque ab anno 1649 et 1650 formiter examinatis; quos inter plurimos recenseri servitio Ecclesiae Cathedralis minime adscriptos; nullosque utilitatem aliquam ab exitu hujusmodi litis fore percepturos, singulos vero fuisse intactae fidei et provectae aetatis, quibus proinde innotescere poterat res in controversiam adducta; omnes

denique testatos esse, sic semper vidisse et audivisse a majoribus. De eadem quoque consuetudine constare tum ex libris mortuorum ab anno 1579 ad haec usque tempora, tum etiam ex rebus a judicibus Fulginei et ab A. C. judicatis, quibus decretum Episcopi Montecatino et Parochorum aquiescientia robur addiderunt.

Contendit, *rei judicatae* obstaculum plenius probasse anno 1694 hanc S. Congregationem, *dum ad judices suos* Parochorum quaestionem remisit. Nec momenti esse auctoritatem Card. *Petra. tom. 3. ad Constit. 2. Honorii III. sect. unic. n. 40.*, qui commemorans resolutionem captam anno 1694 ab hac S. Congregatione sic inquit: *Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem.* Legerat enim, hunc auctorem magis ex propria quam ex S. Congregationis mente fuisse locutum, cum praesertim, tempore editae resolutionis non fuisset Secretarius S. Congregationis. Caeterum ex allegationibus et scriptis tunc vicissim distributis resultare causam fuisse remissam ad judices suos, non quia ageretur de consuetudine probanda sed ad instantiam Ecclesiae Cathedralis, ne scilicet eluderetur a Parochis *rei judicatae* auctoritas et obstaculum. Atque his omnibus accedere sententiam anno 1727 a Vicario generali obsignatam necnon Constitutiones capitulares ab Episcopo Battistelli anno 1729 solemniter approbatas et alteram sententiam anno 1767 a Curia episcopali editam.

Ait minime audiendos esse Parochos excipientes, Parochiarum divisionem usque ab anno 1591 sub Episcopo Bizzono initam nullam prae se ferre Rris reservationem favore Cathedralis. jespondet enim eo anno secutam non fuisse primam et originariam Parochiarum erectionem; sed nudam et simplicem divisionem materialium limitum singularum Parochiarum, quae jam ante certa sub lege erectae fuerant, nec alia de causa, nisi ut melius Consilii Tridentinii decretis satisfieri posset, quemadmodum in proemio instrumenti divisionis anno 1591 habetur; hinc mirum non esse, si in eo nulla fiat mentio reservationis juris tumulandi, prout nec sermo habetur de privativo jure baptizandi, quod tam ante quam post divisionem Ecclesia Cathedralis petita fuit.

Despiciendas vero exceptiones, quae proponuntur adversus testes super immemorabili interrogatos anno 1649 et 1650. Contendit enim, ex octo illis testibus unicum tantum fuisse olim Ecclesiae Cathedralis Canonicum et jamdiu Canonicatui renuntiasse, et etiamsi omnes fuissent Canonici, cum de nulla illorum peculiari utilitate ageretur planam idcirco etiam pro ipsa Cathedrali probationem constituere *Rot. in Urbeventana jurium parochialium super Quarta funerali 4. Maii 1768. §. 5. coram Azpun.* Praeterea nititur probare, eosdem testes deposuisse cum omnibus conditionibus, quae requiruntur a Glossa *in cap. 1. verb. memoria de Praescription. in 6.* Subdit demum, perperam nunc improbari testes, quos probavit res judicata judicis fulginatensis anno 1649 et altera confirmatoria A. C. anno 1652, quibus Episcoporum decreta aliaeque judicatae accesserunt.

Nec obesse, quod Sententiae hujusmodi non contra omnes sed contra unum vel alterum Parochum prodierint. Observat enim, Sententias in causa omnino simili seu in eadem quaestione adversus unum contradictorem emanatas legitimum statum facere contra omnes aequale jus habentes, perinde ac si citati omnes additique fuissent

Rot. in Nullius seu Sabinen Decimarum 21. Februarii 1763 §. 14. cor. Herrores, et in Romana Funeris 19. Junii 1749 §. 11. coram Vicecomite. Fatetur quidem non semel novas exortas fuisse contradictiones, semper succubuisse; atque hinc ex hujusmodi contradictionibus non solum infirmari, quinimo maxime confirmari inconcussae observantiae efficaciam et rerum judicatarum auctoritatem. *Rot. in Leodien. seu Colonien Jurisdictionis super III. Dubio 17. Januar. 1744 §. 6. cor. Card. Molino et in cit. Nullius seu Sublacen. §. 19.*

Pro certo statuit, jura parochialia acquiri posse non solum a parochiali Ecclesia sed etiam a non parochiali adversus parochialem ex centenaria vel immemorabili praescriptione; *cap. 1. de praescript. in 6., Rot. in Barchinon. Jurium Parochial. 13. Januar 1720. §. 25. coram Aldrovando;* praesertim quando agitur de uno tantum vel altero parochiali jure acquirendo, *Loter. de re Benef. lib. 1. quaest. 20. n. 5. et seq., Ursaya discept. 17. tom. 4. part. 2. num. 63 et seq.* Hinc colligit, multo magis ab Ecclesia Cathedrali et Matrice acquiri potuisse jus tumulandi ex immemorabili consuetudine, *Rot. in Gerunden Juris sepeliendi super Parochiale 28. Mart. 1758. §. 23. coram Stadion.;* cum immemorabilis consuetudo praesumptionem inducat vel stipolatae in primaeva Parochiarum divisione reservationis vel privilegii apostolici vel alterius cujusque optimi tituli, *Pignatell. Consult. Canon. 43. n. 60., Card. De Luc. de Jurisdictione disc. 34. n. 29.,* adde ex his titulis resultare privativum jus tumulandi aut actus alterius parochialis favore Ecclesiae etiam non Parochialis, *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. Clos. 6. n. 53. et seq., Card. Petr. tom. ad Constit. 9. Innocentii III. sect. 3. n. 51., Rot. in praedicta Barochinonen Jurium Parochialium §. 16., 17.,* eo magis quia immemorabilis consuetudo magis operatur quam privilegium apostolicum expressum, *ad text. in cap. super quibusdam §. praeterea de verb. signif., Rot. in dict. Barchinonen. §. 11.*

Frustra opponi, Sententias favore Cathedralis prodiisse *non in petitorio sed in possessoris tantum judicio.* Respondet enim, immemorabilem consuetudinem praebere quemcumque titulum itaut illius vigore admittatur non solum possesio sed quicunque titulus ex ea possessione desumptus, *Gagliard. de Jurepatron. cap. 7. n. 1. et seq., Ferrar. in Bibliothec. verb. praescriptio §. 3. n. 10.* Hinc infert, Ecclesiam Cathedralem titulo innixam fuisse, cum variae prodierint Sententiae anno 1649, 1652, 1707 et 1767 approbantes immemorabilem consuetudinem tumulandi Presbyteros quoscumque et Clericos: atque idcirco judices, qui eam probarunt et servari mandarunt, non in nudo possessorio sed in petitorio et super bono jure judicium protulisse.

Inquit, nihil adversari juri Ecclesiae Cathedralis Synodum dioecesanam ann. 1722 sub Episcopo Battistelli, in qua *cap. 27. n. 5.* praecipitur, ut in qualibet Parochiali extruantur sepulchra pro Clericis, cum hujusmodi synodale decretum intelligi debeat de iis Clericis, qui in aliqua Parochiali sepulchrum elegissent, vel referri debeat ad jus commune, absque ulla quoad factum innovatione. Addit Episcopum nec *potuisse* nec *voluisse* quidquam detrahere privativo juri Cathedralis. Non *potuisse*, quia agebatur de jure quaesito tollendo. Non *voluisse*, quia paullo post, id est anno 1727 sub eodem Episcopo, prodiit ex ejus Tribunali solemnis Sententia comprobans immemorabilem illius consuetudinem: et quia idem Episcopus anno 1729

confirmavit capitulares Constitutiones, quae *in cap. 15.* totae sunt de jure privativo Ecclesiae Cathedralis humandi Presbyteros et Clericos. Ex his atque ex observantia ab anno 1722 concludit, synodale decretum sine effectu remansisse, praesertim quia nunquam nisi novissimis temporibus et in fraudem constructum a Parochis fuit sepulchrum pro Clericis.

Pergit inde ad suadendum, jus hoc privativum ecclesiae Cathedralis protrahi etiam ad eos Clericos, qui relicta ecclesiastica militia ad munia Laicorum obeunda et ad artes exercendas digrediuntur. Hoc autem in loco observat, privilegia clericalia firma remanere, si agatur de iis, quae tantummodo respiciunt superioritatem, commodum et favorem Episcopi vel Ecclesiae vel ipsius ordinis clericalis, secus vero, si agatur de commodo et favore privato ipsius Clerici in praejudicium tertii, *Card. de Luc. in voto pro veritate edito* jussu sacrae hujus Congregationis *et relat. substit. de jurisdict. disc. 112. in supplemen. tom. 16.* Provocat inde ad testes anno 1650 examini subjectos et ad sententias Cathedralis editas, ubi fit mentio de Clericis *cujuscumque qualitatis et conditionis.*

Perperamque apponi, quod in libris mortuorum non exprimuntur Clerici, qui a clericali militia recesserint. Primo enim animadvertit, argumentum hujusmodi negativum nullius roboris esse e conspectu affirmativae probationis desumptae ex testibus et judicum sententiis. Deinde subdit, nihil causae fuisse, cur in libris mortuotum nominatim exprimeretur qualitas et conditio Clerici defuncti. Ceterum ait, ab anno 1725 hoc saepissime descriptum occurrere in libris mortuorum ob novas cavillandi occasiones, quae quotidie captabantur. Spernendum vero quidquid dixerit Procurator Ecclesiae Cathedralis occasione litis institutae anno 1692 apud hanc S. Congregationem de jure Cathedralis respectu tantum Presbyterorum et Clericorum, qui in via ecclesiastica progressi fuissent; nam his verbis potentiora esse facta et illimitatum jus ab Ecclesia Cathedrali continuo deinceps exercitum.

Sustinet denique nullo in pretio habenda esse exempla fortasse adducenda interruptae aliquando consuetudinis, quia si illa praecedant antiquam rem judicatam, rejecta ab ista jam fuerunt. Si vero potentiora sunt, tamquam actus in fraudem legitimae consuetudinis esse omnino abrogandos, prout re vera nova decreta et sententiae abrogarunt.

His quoad primum dubium fuse perpensis paucis se expedit a reliquis dubiis, quae a priori pendent. Itaque ad II. animadvertit, testes non solum probasse in genere *universalem* consuetudinem sed etiam nominatim quoad Parochos, quinimo aliquem in specie casum attulisse tumulationis in Ecclesia Cathedrali Cadaveris alicujus Parochi, qui non electa sepultura decesserit.

Addit, cohaerere libros mortuorum, in quibus aperta fit mentio Parochorum, quorum Cadavera in Cathedrali, si alibi quis elegerit sepulchrum. Rem confirmari dicit exemplo resolutionis hujus S. Congregationis in *Andrien. die 19. Septembris 1767.* Ac tandem observat, doctores spirituale conjugium asserentes Parochum inter et Ecclesiam non loqui de stricto, indissolubili conjugio, cum eamdem loquendi formam adhibent quoad Canonicos et Beneficiarios. *Rot. in Romana juris tumulandi coram Priolo apud Monacell. dec. 18. n. 22. et in confirmatoria apud eanden. dec. 7. n. 11. et seq.*

Iisdem ad III. dubium utitur argumentis desumptis ex testium locutioni-

bus et ex libris mortuorum, in quibus humatio cadaverum Clericorum conjugatorum describitur. Ait, minus vere initium tumulationis istorum Cadaverum desumi tantum ab anno 1725, sed etiam si ab eo tempore desumi vellet, sustinet nihilominus, adesse quadragenariam, quae sufficiat. Tandem pro IV. dubio provocat ad saepe dictos testes et ad immemorabilem consuetudinem.

Parochi e contra ad I. dubium sustinent, tantum nunc agi *de bono jure* et non de *simplici possessione*, de quo semper actum fuisse dicunt in praecedentibus judiciis ab anno 1646 ad 1767. Bonum autem jus aperte resultare ex *cap. 10. de Sepulturis, et cap. 1. eodem tit. in 6. in Clement. 2. eodem tit.*, *Concil. Trident. cap. 13. sess. 24. et cap. 13. sess. 25. de reform.*, et quidem cum exclusione Ecclesiae Cathedralis nominatim quoad jus tumulandi, *Card. Petra ad Constit. 2. Honorii III. tom. 2. sect. unic. n. 41.*, *Sac. haec Congregatio in Tolentina juris sepeliendi 11. Augusti 1753.*

Quoadvero ad consuetudinem animadvertunt, eam contra Parochorum jura rejici a Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.*, et signanter quoad quartam funeralem *cit. sess. 25. cap. 13. de reform.* et a san. mem. Pio quinto *in Constit.* edita pro ejusdem Concilii confirmatione cum adjectione clausulae *sublata* et decreto irritanti, quae clausulae tollunt omnem contrariam observantiam. *Ursaya disceptat. Eccles. 19. tom. 6. par. 2. n. 105.* Sed etiamsi contraria consuetudo admitti posset, contendunt, eam probandam esse complete et cum requisitis immemorabilibus. *Fagnan. in cap. Irrefragabile de offic. ordinar. n. 8. Rot. cor. Molin. decis. 962. tom. 4. n. 17.* Asserunt autem, demendum esse tempus, quod ab anno 1646 ad hanc usque diem praeteriit, tum quia per hoc tempus observantia pluribus actis contrariis fuit intermixta, tum etiam quia plurimae obortae fuerunt, ac saepius repetitae ea super re controversiae et contradictiones, cum tamen vel unicus actus contrarius et unica contradictio sufficiat ad evertendam et interrumpendam immemorabilem; *Rot. cor. Falconer. in Miscellan. decis. 74. n. 16. cor. Caprara dec. 398. n. 8. dec. 87. n. 5. par. 10. rec. et dec. 304. n. 13. part. 11. recent.*

Ex pluribus autem despiciendam sustinet probationem erutam ex Codicibus Cathedralis, in quibus defunctorum nomina describuntur; ac primo scilicet quia iidem Codicis initium ducunt ab anno 1579, a quo quidem tempore ad annum 1646 numerantur solum 67 anni, qui nec immemorabilem nec centenariam constituunt.

Praeterea quia in iisdem Codicibus nullo modo indicatur, cujus Parochiae essent Clerici sepulti in Cathedrali, ac proinde conjici potest, eos vel fuisse de Parochia Cathedrali vel ibidem sepultos ratione Canonicatu aut beneficii residentialis aut ex voluntaria electione aut ob existentiam sepulchri gentilitii, idque resultare dicunt ex parvo numero 35 tantum defunctorum, qui ibidem descripti sunt, cum verosimile non sit, ab anno 1579 ad 1646 in ampla et conspicua civitate per octo Parochias distributa, solum 35 ex Clericis et Presbyteris occubuisse, cum de caetero constet, alios plures eo temporis spatio in aliis Parochiis degentes obiisse, qui in libris Cathedralis non commemorantur.

Addunt, nihil habendam esse probationem desumptam ex testibus formiter examinatis annis 1649 et 1650. Nam quoad primum examen asserunt, illud irritum fuisse ex defectu jurisdictionis, cum factum fuerit coram

Vice-Gubernatore Fulginei Judice laico in causa ecclesiastica, *ad text. in cap.: At in Clerici* de Judic. Rot. decis. 260. par. 1. Recent. n. 5. De nullitate quoque redarguunt alterum examen et revelata dicta testium; non licuit eosdem testes iterum interrogare aut novo super eadem re inducere ob praesumptam illorum seductionem; *ad text. in cap.: Fraternitatis de Haereticis, ibique doctores, Rot. cor. Seraphino dec. 688. n. 1.*

Plures hinc congerunt exceptiones adversus testes eorumque depositiones.

Ajunt enim, eos fuisse addictos servitio Cathedralis uti Canonicos aut Beneficiatos aut Sacristas atque idcirco illorum testimonium esse maxime suspectum, *cap. literis de testib. leg. 2. cod. eod. tit., leg. nullus ff. eod. tit.* Inter hos testes advertunt Canonicum Marchesium Orphini mendacem, varium sibique contradicentem inventum fuisse. Subdunt, omnes ultro admissise, non alios fuisse tumulatos in Cathedrali, nisi qui canonicatum vel dignitatem in eo obtinuerint, ac proinde illorum tumulationem referunt ad titulum Beneficii residentialis, non ad jus privativum Ecclesiae; *Amostaz. de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 50., Rota coram san. mem. Clementis XIII. decis. 239. n. 47.;* vel quia gentilitium sepulchrum in eadem Cathedrali habuerint, in eoque non electa alibi sepultura tumulari debuissent, *Reiffenstuel in jus canon. tom. 3. tit. 28., Rot. coram Ansaldo decis. 633. n. 12. et seq.* Praeterea observant, eosdem testes non negare, alios Presbyteros potuisse in aliis Parochialibus tumulari, immo fateri, plures revera in sua Parochiali Ecclesia fuisse sepultos, et omnes affirmare, varias hac de causa et frequenter exortas fuisse contentiones et nihil ea de re audivisse a majoribus vel solum aliquid audivisse a Canonicis Ecclesiae Cathedralis, quorum assertio tamquam suspecta objicitur, *cap. Licet ex quadam de testibus, cap. Fraternitatis de Haereticis. cap. nullus 3. et 4. etc. Nullus ff. de testibus*, ac demum observandum proponunt, testem Vincentium Butaroni, qui Cancellarius fuerat episcopalis et qui decretum incertum Episcopi jactaverat, quod *Clerici non faciant Parochiam,* dissertis verbis postea declarasse, hujusmodi decretum non inveniri.

Ad refellendam consuetudinem afferunt sententiam contra Cathedralem latam anno 1648 a Vicario generali, a quo tamquam civi et patricio Fulginatensi eadem consuetudo ignorari non debuisset. Affirmant, hujusce sententiae validitati nihil fuisse detractum per sententiam Vice-Gubernatoris Fulginei anni 1649, quam nullam et irritam dicunt, tum quia lata fuit a judice laico super re ecclesiastica, *cap. decernimus de judic., cap. Ecclesiae de Constit.,* tum quia edita, a Vice-Gubernatore, quem Gubernator Fulginei delagatus non poterat subdelegare, *Bald. in lege more majorum n. 2. ff. de Jurisdict., Castren. in leg. et judice n. 1. cod. de Judic.* Nihilque pariter detractum per contumnacialem sententiam A. C. anno 1652, quam pariter nullam esse contendunt, quia confirmavit sententiam irritam gubernatoris Fulgenei, *Card. de Luc. de Benef. disc. 92. n. 8., Rot. coram Dunozet. jun. dec. 420. n. 6.*, neque per alia decreta et sententias successive latas, utpote quia prodierunt in judicio tantum manutentionis et simplici possessorio, nunquam *vero super bono jure.*

Praeterea allegant Parochiarum divisionem anno 1591 factam ab Episcopo Bizzoni, cujus vigore constituti fuerunt cuilibet Parochiae certi limites et adscripti *omnes et singuli utriusque sexus intra statutos unicuique terminos*

habitantes, nulla prorsus adjecta reservatione favore Ecclesiae Cathedralis juris privativi tumulandi. Atque ex hoc inferunt aut divisionis tempore extitisse jus privativum aut illud fuisse abrogatum, *Rot. in Barchinonen. Jurium Parochialium 13. Januarii 730. §. 4. et seq. cor. Aldrovando.* Ulterius allegant existentiam sepulchrorum a priscis usque temporibus in tribus parochialibus Ecclesiis cum vetustissima inscriptione: *pro Presbyteris.* Denique confugiunt ad Synodum dioecesanam anno 1722 sub Episcopo Battistelli celebratam, in qua *cap. 25.* statutum fuit, ut inter cetera sepulchra in qualibet Parochiali ab aliis distincta unum adesset *pro Sacerdotibus et Clericis, ubi ipsi tumulentur decendentes non electa sepultura, quamvis alibi esset illa majorum.* Qua super re advertunt, quod pluribus exortis super synodalibus Constitutionibus controversiis, eae omnes accurato examini subjectae fuerunt a particulari Congregatione a summo Pontifice anno 1725 deputata, a qua confirmationis robur obtinuerunt. Hinc colligunt, non amplius posse in quaestionem adduci, quae synodali decreto, ejusdem Congregationis auctoritate probato, fuerunt definita, *Barbos. de offic. et potest. Episc. part. 3. allegat. 93. n. 23., Gonzalez ad regul. 8. gloss. 9. 1. n. 18.*

Sustinent demum, nihili faciendas esse constitutiones capitulares anni 1729, in quibus jus privativum ex antiquissima consuetudine eidem Cathedrali asseritur. Has enim constitutiones irritas proclamant, tum quia conditae sunt ab ipsomet Capitulo, cui nulla est potestas condendi statuta in detrimentum aliarum Ecclesiarum, *Garz. de Benef. par. 8. cap. 1. n. 87. Sac. haec Congregatio in Leodien. capitulationum contra Piginoten. Funeris. 29. Julii 1752,* tum quia editae fuerunt postquam super asserto jure privativo lites exarserunt cum Parocho s. Mariae Infraportas; tum demum, quia innituntur assertae juris reservationi adjectae pro parte Cathedralis in divisione Parochiarum, ubi tamen nulla de ea fit mentio.

Ad II. animadvertunt, Parochum quemlibet tamquam sponsum conjungi cum Ecclesia sua, *cap. Sicut. quaest. 2., et cap.: Non ignores de Praebend.* Hinc repugnare quod sponsus a sua sponsa post mortem sejungi debeat. *Samuel* de Sepultur. disput. 5. controv. 13. conclus. 3. n. 4, *Passerin.* de stat. hominum tom. 1. quaest. 187 art. 4. n. 329., etiamsi Parochus defunctus extra suam Parochiam vixerit et obierit, *Wester ad decretal. lib. 3. tit. 28. n. 41, Amostaz. de caus. piis tit. de funer. lib. 6. cap. 8. n. 79.* Addunt, assertam contrariam consuetudinem non probari et etiam, si probaretur quoad alios Presbyteros et Clericos, non tamen protrahi posset de uno ad alium casum non praecise comprehensum, *Rot. in Hispalen. Juris sedendi in Synodo 20. Junii 1697. §.: Prout coram Muto et cor. Molin. dec. 761. tom. 3. part. 1. n. 17.* Nec ullum haberi exemplum in libris mortuorum ab anno 1579 ad annum 1646 tumulationis cadaverum Parochorum in Cathedrali Ecclesia secutae.

Ad III. observant, Clericos conjugatos, quamvis servent requisita a Concilio Tridentino praescripta *sess. 23. cap. 6. de reform.*, duobus tantum exceptis privilegiis clericalibus: *Fori et Canonis,* quoad reliqua a laicis non differre, *cap. unic de Cleric. Conjugat. in 6., Rot. dec. 207. part. 15. rec. n. 1.* Subdunt Capitulum anno 1692, quo institui lis coepit, in S. Congregatione de hujusmodi Clericis conjugatis nullam mentionem fecisse, nec in libris mortuorum Ecclesiae Cathedralis ullum describi ibidem tumulatum anno 1725 Clericum conjugatum.

Denique ad IV. contendunt, Quartam funerum deberi non ratione tumulationis sed ratione administrationis Sacramentorum, *cap. 1. de Sepultur. in Clementin. Dudum* §.: *Verum eod. tit.*, *Wiestner ad decretal. lib. 3. tit. 28. n. 51.*, *Lanfred. Respons. Eccles. 33. n. 30. et seq.* Hinc eam pertinere ad Parochum domicilii, *Barbos. de offic. et potest. Paroch. cap. 25. n. 16. et 19.*, etiamsi subditus alienae Parochiae in Ecclesia Cathedrali tumuletur, immo etiamsi sit Canonicus vel Beneficiatus ejusdem Cathedralis, *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 1. cap. 12.* §. *1. n. 30.*, *Frances. de Eccl. Cathedral. cap. 21. n. 138. et seq.*, *Passerin. de stat. homin. quaest. 147. art. 4. n. 545.* Nec ullam afferi a Capitulo probationem, quae appositum suadeat. Indubii juris est, omnes christifideles decedentes absque electione sepulturae nec sepulchrum gentilitium habentes, in propria parochiali Ecclesia fore tumulandos. Tamdiu vero hoc jus Parochis favet, quamdiu contraria consuetudo non probetur. Consuetudine enim fieri potest, ut defunctorum cadavera, eorum praesertim, qui in sacris Ordinibus constituti fuerint vel minoribus initiati, si nulla electa sepultura decesserint, in Cathed. Ecclesia privative quod omnes alias tumulari debeant. Requiritur autem consuetudo, quae sit quadragenaria cum titulo, *Card. Petra tom. 2. ad constitut. II. Honor. III. sect. unica n. 41.*, vel centenaria aut immemorabilis, quae titulum praesumat.

Hujusce igitur consuetudinis in praesenti causa habenda ratio est ac sedulo expendendae testium depositiones, qui iterato examini subjecti fuerunt, necnon partitae extractae ex libris mortuorum, in quibus descripti sunt Presbyteri et Clerici in Cathedrali Ecclesia tumulati. Ponderandum quantum roboris tribui debeat sententiis, quae favore Ecclesiae Cathedralis variis temporibus et a diversis judicibus prodierunt. Emmi PP. definire valeant:

I. *An Ecclesiae Cathedrali Fulginei jus competat privative tumulandi corpora tum Presbyterorum tum Clericorum omnium cujuscumque ordinis et conditionis in dicta civitate decedentium absque electione sepulturae et percipiendi omnia emolumenta funeralia in casu etc.?*

II. *An idem jus competat Cathedrali etiam quoad cadavera omnium Parochorum saecularium praedictae civitatis in casu etc.?*

III. *An etiam competat quoad cadavera Clericorum conjugatorum in casu etc.?*

IV. *An praedictis omnibus decedentibus electa sibi sepultura in quacumque alia Ecclesia eidem Cathedrali debeatur quarta funeralis in casu?*

S. C. resp.: Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Die 28. Aug. et 27. Nov. 1773.

Vd.: *Sepult. Canonic.*

9) Confratrum Confraternit.

Confratres confraternitatum existentium in Ecclesiis regularium sepeliendi sunt in Parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Sic S. Congr. Concil. prout in constitutione Innocentii X. in cap.: *Ex injuncto* §. 6. ibi: „An liceat regularibus sepelire in suis Ecclesiis confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt? Respondit: Confratres laicos, si non praecedat eorum electio sepulturae, sepeliendos esse in eorum propria parochiali Ecclesia.“ Et hoc procedit, etiamsi in Ecclesiis regularium adesset communis sepultura pro dictis confratribus, ut respondit S. Congr. Concilii in Neapolitana die 12. Febr. 1666 ad septimum dubium.

Confratres ut possint sibi eligere sepulturam in oratorio confraternitatis habente jus sepulchri, requiritur, quod per sex menses ante obitum fuerint adscripti. Sic cavetur in Concilio V. Mediolanen. relato a Gavant. in Manual. verb.: Confraternitas n. 46., a Monacell. part. 4. supplem. ad 1. tom. n. 131.

Sepulchrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest sed de licentia Episcopi, uti saepe decisum a s. Congr. *Instit. Eccles.* 105. §. 124.

Si confrater obeat non electa sepultura, moderari non potest sepultura in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a S. Congregatione *Ibid.*

Vd.: *Sepult.* (facienda a Capellano etc.; in eccl. confr.)

10) Damnatorum.

Vd.: *Sepult. carcerator.*

Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnae devotionis, si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiae minus frequentandae. S. Congr. Episc. et Regul. 18. Martii 1590.

11) Delatio cadaveris.

Ad feretrum cum cadavere Episcopi defuncti deferendum Capellanos Beneficiatos nondum teneri sed a Capitulo opportunis remediis compelli posse. N. 1815 die 10. Mart. 1657.

12) Dilatio.

Sepultura non potest differi propter debita civilia. Sacra Congr. Episcop. 23. Aug. 1652.

Vd.: *Sepult.* (tempus); *Visit. de funerib.*

Sepultura ecclesiastica non est a Parocho retardanda seu differenda cadaveribus sub praetextu compositionis quartae funeralis. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. in Cassanensi 5. Maii 1617. Nec etiam propter jus sepulturae minime solutum, cum nulla ratio patiatur christianaeque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarum interesse, cadavera insepulta remanere. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Crotoniensi 17. Septembris 1617.

13) Intra ecclesiam.

Vd.: *Sepult.* (electio; qui non sunt capaces etc.?; damnatorum); *Visit. de funerib.*

Quamvis olim in solis coemeteriis et nullus in ecclesia sepeliri potuit, ut patet ex *cap. praecipiendum* 15. caus. 13. q. 2. et *cap.: nullus* 18. ead. caus. 13. quaest. 2. ibi: „Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates aut digni Presbyteri aut fideles laici“, id est fama Sanctitatis et miraculis clari, ut explicat *glossa* ibid. verb.: *Fideles,* tamen hodie et jure et consuetudine introductum est, ut omnes catholici sive clerici sive laici in ecclesiis sepeliantur, cap.: *Fraternitatem* 3., cap.: *Ex parte* 5. et cap.: *Cum liberum* 6. de sepulturis, juncto cap.: *Cum gravia* 17. caus. 13 quaest. 2. ubi additur ratio, ibi: „prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt.“

Sepulturae construi possunt in quovis loco religioso, id est ubi divina officia celebrantur: *Communis, argum.* cap.: *Cum quis* 2. §: *Si quis,* de sepulturis in 6. ibi: „Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari.“ Pro loco autem minus religioso intelligitur talis locus, qui religiosus quidem est, sed tamen minus talis, utpote in quo minus fre-

quenter officia divina, missae aut publicae orationes fiunt, ut explicat glossa communiter recepta in cit. cap.: *Cum quis,* verb.: *Casus.*

Admonet tamen Glossa ibid. melius et utilius esse sepulturam construere et sibi eligere in magis religioso loco, ubi magis celebrantur divina. Quod idem expressius docet rationem reddens alia Glossa in cap. *fraternitatem* 3. de sepulturis verb.: frequentius, ibi: „Haec est ratio, quare potius sepeliuntur homines in locis religiosis, quia frequentius ibi divina officia celebrantur." Ad quod aperte facit expressus textus in cit. cap.: *Fraternitatem,* ibi: „Fraternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulcra et caemeteria apud illas ecclesias et monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti et orationes atque missarum solemnia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur."

Hinc *Bordonus* tom. 2. resolut. 51. num. 87., *Pellizzarius* tom. 2. sui manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. subsect. 24. sub. n. 144., *Donatus* tom. 3. tract. 10. de sepultur. q. 8. et *alii expresse docent, melius et utilius esse sepulturam sibi construere et eligere in ecclesiis regularium* quam aliorum. Et ratio est clara, quia sepulti in ecclesiis Regularium ex frequentiore divinorum officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori frequentatione populi occurrentis ac divina officia in dictis ecclesiis audienda frequenter de ipsis fiat memoria, sicque frequentius orationes et suffragia pro ipsis Deo offerantur. Quod clara indicant verba ipsa cit. cap.: *Fraternitatem,* ibi: „In quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti et orationes atque missarum solemnia tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur." Tum quia in dictis ecclesiis sepulti cum habitu religioso lucrantur indulgentiam plenariam ex indulto Leonis X. ut patet ex dictis sub verb.: *Habitus.*

Quamvis enim olim de jure communi sepulturae construi et eligi potuissent solum in ecclesiis parochialibus earumque caemeteriis, utpote solis habentibus fundatam pro se intentionem, ita omnes Parochiani ibidem sepeliri deberent, pro text. in cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Fraternitatem* 3., cap.: *In nostra* 10 de sepulturis, cap.: *Cum quis* 2. cod. in 6., *Clementin. Dudum* §.: *Verum* de sepulturis, cum similibus, tamen hodie possunt etiam construi et eligi in ecclesiis Regularium ex speciali privilegio juri communi inserto, fratribus praedicatoribus et minoribus concesso in *Clementin. Dudum* 2. §.: *Hujusmodi*, de sepulturis, et *Extravagant.: Super Cathedrales* 2. §.: *Hujusmodi,* de sepulturis; quo privilegio gaudent omnes alii Regulares tum per communicationem tum per speciales sibi ad id factas a Sede apostol. concessiones, ut videre est in compendiis privilegiorum Regularium testaturque communis doctorum et docet praxis universalis.

Sepulchra nova construi non possunt in ecclesiis saecularibus absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo et in ecclesiis Regularium saltem a Provinciali: Concilium mediolanense I. n. 2. tit. de sepultur. vers.: *Verum curet*, et s. Pius V. in constit.: *Cum primum Apostolatus*, *Barbos.* lib. 2. juris eccles. univers. cap. 10. n. 9. cum pluribus ibi citatis et alii passim. Ut in ecclesia nihil indecens relinquatur, Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristae, Ostiarii et alii Custodes etiam Regulares provideant, *ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria, super terram existentia*, *omnino amoveantur*, prout

alias statutum fuit et *defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur;* Pius V. constitut.: *Cum primum apostolatus* 1. April 1566.

Ecclesiae non debent fodi neque excavari pro sepultura, sed in sepulturis sive tumbis profundis infra terram christianorum cadavera sepeliri. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. 23. Jul. 1603.

Fundana.

(Conc. Trid. c. 13. Sess. 25. De refor.)

Indecorum existimans Episcopus, quod in omnibus fere ecclesiis suae dioecesis abusus inoleverit passim effodiendi earumdem ecclesiarum pavimenta pro contumulandis defunctorum cadaveribus, de mense Aprilis anni 1706 inhaerens constitutioni fel. record. B. Pii V., quae incipit: *Cum primum Apostolatus,* prolato edicto vetuit, ut cadavera defunctorum non ibi collocarentur quam in tumbis profundis, ad hunc effectum destinatis, apposita poena ducat. 50. locis piis applicandorum aliisque corporalibus in contravenientes, ut ex tenore edicti. Contigit porro, ut de mense Julii praelibati anni, occasione obitus cujusdam mercatoris Antonini Micii, illius haeredes supplicem porrexerint libellum eidem Episcopo pro facultate excavandi pavimentum ecclesiae collegiatae s. Mariae de Plataea, ad effetum ibidem intra capsulam recondendi praedicti defuncti cadaver et praedictus Episcopus in calce praefati libelli hoc rescriptum edidit: *Solutis prius actualiter in manibus camerariae collegiatae ducatis viginti, quorum sex inter Canonicos dividantur, reliqui vero in beneficium ipsius ecclesiae nostro arbitrio impendendi conserventur, facultatem concedimus juxta petita.* Renuentibus autem praedictis haeredibus persolvere majorem summam, quam consuetam ducatorum sex ad beneficium Collegiatae, eaque jam per ejusdem Canonicos recepta, Episcopus reputans ex hoc suam episcopalem dignitatem spretam quorundam Canonicorum carcerationem demandavit, hinc iidem Canonici obtinuerint ab A. C. monitorium super manutentione cum inhibitione, etsi subinde, Episcopo instante, fuerit causa remissa a R. P. Auditore Sanctissimi ad hanc S. C. Super quibus informans Episcopus, eadem non inficiatur, sed lato calamo, tum edicti tum rescripti justitiam sustinere conatur, ut ex ejusdem relatione in summario exhibita; hinc concordatis infrascriptis dubiis, reverenter expetitur ab EE. VV. oraculum pro declaratione:

I. *An Episcopo volenti concedere licentiam frangendi pavimentum pro tumulandis cadaveribus licitum sit praetensam taxam ducatorum sex diminuere, augere, seu etiam in totum tollere? Et quatenus augeatur ultra ducat. sex,*

II. *An exactio augmenti injungi possit, ut fieri debeat a Capitulo in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad utrumque: Negative et servetur Bulla PP. Pii V.

Die 19. Maii 1708.

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

Intra Ecclesiam parochialem castri s. Felicis hujus dioecesis nonnisi duo sepulchra constructa extant certarum familiarum particularium cum jure privativo sepeliendi quoad alios, caetera autem defunctorum cadavera contumulantur in caemetorio prope eandem ecclesiam existen. nullo, ut dicitur, praestito emulumento Parocho; si quis vero inter eandem ecclesiam consepeliri cuperet, consueverunt Parochi exigere certam praestationem scutorum nempe trium pro adultorum

et juliorum 16. pro impuberum cadaveribus. De praetensa excessivitate hujusmodi exactionis conquesti sunt apud hanc S. C. communitas et homines castri, quam sane improbavit Episcopus informare requisitus plurimis cumulatis s. canonum et doctorum auctoritatibus in ejus relatione exhibend. in summar. Cumque ulterius communitas constituerit exaedificare intra eandem ecclesiam bina sepulchra pro universali commoditate, alterum pro viris, alterum pro mulieribus, et ex adverso renueret Parochus assentiri, nisi soluto certo emolumento pro suo jure, sub die 12. Febr. 1707 rescriptum fuit per S. C. Episcopo, qui conficeret taxam, auditis interesse habentibus, et transmitteret. Quibus parendo Episcopus novis literis retulit sese processisse ad injunctam taxam decernendo, ut pro duobus tumulis ad communem vel plurium familiarium usum earumque expensis in ecclesia construendis Parocho scuta sex pro quolibet tumulo semel tantum et titulo eleemosynae forent solvenda, ductus informans exemplo primodictarum familiarum, quae pariformem summam in constitutione suorum respective sepulchrorum charitatis intuitu exsolverunt. Concordatis itaque inter partes infrascriptis dubiis ex hinc inde deducendis humiliter petitur ab EE. VV. resolutio:

I. *An Parochus possit impedire constructionem tumulorum in ecclesia, de qua agitur?* Et quatenus negative,

II. *An sit confirmanda taxa confecta ab Episcopo in casu etc.*

S. C. C. resp. *ad I.*: Negative;

ad II.: Taxam esse augendam arbitrio Emmi Praefecti.

Die 24. Aug. 1709.

Prohiberi non potest, quin cadavera intra ecclesiam sepeliantur; sed alia via arcendi sunt foetores. S. C. Ep. 3. Febr. et 16. Dec. 1603.

Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnae devotionis si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiae minus frequentandae. S. C. Ep. 17. Mart. 1579.

Posse concedi licentiam erigendi sepulturam in *medio chori*, dummodo sepulchrum non emineat supra chori planitiem, neque immineat alteri constructo vel construendo in confessione. N. 674 die 20. Febr. 1627.

Valere reservationem sepulturae pro Alicornio et successoribus in ecclesia per ipsum aedificata existente intra fines Ecclesiae parochialis, reservata tamen quarta funerali debita parochiali Ecclesiae, nec posse prohiberi celebrationem missae in propria ecclesia diebus festivis ante Missam parochialem. N. 805 die 31. Mart. 1629.

(Ad decr. n. 805.) Si Curatus requisitus hujus ecclesiae ab Alicornio aedificatae interesse recuset, posse in dicta ecclesia tradi sepulturae Alicornii et successorum cadavera sine ipsius interventu et licentia. N. 842 die 22. Decb. 1629.

Posse corpora defunctorum juxta eorum dispositiones vel haeredum voluntatem directe deferri ad ecclesiam, ubi sepelienda erunt, absque eo quod prius ad ecclesiam matricem deferentur, dummodo Curato jura et emolumenta solita sepulturae solvantur. Nr. 296 die 25. Febr. 1606.

Familia, quae a fundamentis exstruit capellam in Ecclesia parochiali eamque sufficienter dotat, non potest affigere inscriptiones virorum in dignitate ecclesiastica constitutorum ex eadem familia cum imaginibus et statuis ipsorum. N. 1292 die 2. Mart. 1641.

Licet confratribus et sororibus in oratorio eligere sepulturam, reservatis

Parocho emolumentis ad formam constitut. synodal. et juxta solitum. N. 3832 ad 11. Die 22. Novbr. 1710.

Vd.: *Sepultura* juxta altare; *Sepulchrum mort. in Ecclesia. Dedicatio Eccles.* (Sepulchra); *Sepult.* (locus, decr. de die 17. Mart. 1579); *Visit. de funerib.*

Nuscana.

Ad dub. 1.: An pro constructione novae sepulturae per Confratres societatis SSmi Rosarii oppidi Montellae factae in parochiali Ecclesia s. Nicolai satis fuerit licentia Episcopi vel potius requireretur expressa licentia Capituli Ecclesiae Collegiatae s. Mariae ejusdem terrae?

2. An electio sepulturae a dictis Confratribus Societatis SSmi Rosarii fieri possit in pradicta nova sepultura specialiter constructa in parochiali Ecclesia s. Nicolai pro Confratribus ejusdem Confraternitatis?

3. An cadaver Salvatoris de Nenna loco depositi conditum in sepultura veteri ejusdem parochialis Ecclesiae s. Nicolai sit humandum et sepeliendum in nova sepultura ab eodem Salvatore electa vel potius sit alio ferendum in casu?

S. C. C. resp. ad I.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam;

ad II.: affirmative;

ad III.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam.

Die 28. Jan. 1736.

Pius PP. V.

Ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur Episcopi provideant ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Die 1. Apr. 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 436. Ed. Aug. Taur.)

14) In Ecclesiis Confratern.

(Licita.)

Vd.: *Sepult. Confr.*

Ad dub.: An liceat confraternitati salutis terrae Medicinae sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum et consororum, qui ibidem elegerint sepulturam et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat officium aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere?

S. C. C. resp : Affirmative ad primam partem et quoad secundam negative nisi Parochus vocatus renuat vel alium sacerdotem non substituat.

Die 28. Juli 1724 ad 9. *Bonon.*

Ad dub.: An in sepulchro confraternitatis in propria Ecclesis sito sepeliendi sit confratres, qui sine sepulturae electione decedunt? S. C. C. resp.: Negative. Die 13. Febr. 1666.

Ad dub.: An liceat in Eccles. confratern. habere sepulchra et respective possunt cadavera tumulari absque licentia parochi et in praejudicium jurium paroch.? S. C. C. resp.: Licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia Parochi sed salvis juribus paroch. Die 10. Maii 1727.

15) In Eccles. Monialium.

Vd.: *Sepult. Regul.; Visitat. de funerib.*

Excipiuntur Ecclesiae monialium, in quibus non possunt construi nec eligi sepulturae a laicis seu saecularibus utriusque sexus absque speciali licentia S. Congregationis et co-

pulativa monialium. Sic pluries decrevit S. Congr. Episc. et Regul. et signanter in Montefeltrin. 21. Novbr. 1603 in Gravinen. 1. Octobris 1650 his verbis: „Nella Chiesa anco esteriori delle Monache non si possono sepelire esteri, e forestieri, ne uomini, ne donne, ne anco Principi, ancorche vi fossero sepolti i loro Maggiori.“ Sic ex *Pignatell.* tom. 4. consult. 117. n. 1. refert et tenet *Card. Petra* n. 29. Idem decrevit in Forosempronien. 25. Augusti 1652 et in Maceraten. 8. Novembris ejusdem anni; quae decreta bene ponderata iterum probavit eadem S. Congr. Episcop. et Regul. in Vercellen. 18. Maii 1695 non obstante solito, referente Eminentis. Pamphil., et in Mantuana 14. Mart. 1697, ponente Eminentis. Acciajolo, et in Camerinen. 6. Mart. 1713, ponente Eminentis. Corsino ex post summo Pontifice sub nomine Clementis XII., et saepe alibi teste Ursaya tom. 1. p. 1. discept. 36. n. 18.

Solet tamen concedi licentia in S. Congregatione tam pro construendo sepulchro quam pro eligenda sepultura in Ecclesiis monialium, ut declaravit requiri in Ferrarien. 13. Julii 1660 pro personis benemeritis vel cum eleemosyna competenti: Ead. S. Congr. Episcop. et Regul. in Messana 6. Augusti 1601 in d. Camerin. 6. Martii 1713, ponente D. Eminentis. Corsino. Et tunc officium facit Parochus usque ad portam Ecclesiae et non ultra, exequias complente ex post confessario monialium: Ead. S. Congr. Episcop. et Regular. in una observantium 9. Junii 1615 et S. Congr. Conc. 19. Mart. 1639 teste Ursaya tom. 1. part. 1. disc. 8. n. 13., 27., 28., 29. et 30.

In casu autem, quod quis electa sepultura in Ecclesia monialium non posset defectu licentiae in ea sepeliri, tunc, si is non haberet sepulchrum majorum, deberet sepeliri in Parochiali per dicta et jura adducta supra n. 93. et in terminis tenent *Passerin.* de statib. hom. t. 2. q. 187. art. 4. n. 260., et *Card. Petra* l. cit. n. 33. in fine dicentes, si impedimentum esset temporaneum et speraretur obtinenda licentia, posset tunc expectari, deposito cadavere in aliquo loco: *Matthaeucci* 5. et alii.

Quaeres: *utrum eligi sepultura etiam possit in ecclesiis monialium? Affirmant* Samuel, Murga, Gonzalez, Tellez, Ventriglia; quod concedunt de Ecclesia exteriori, quamvis de interiori, scilicet intra septa monasterii, negent. Sed dicendum, neque in Ecclesia exteriori monialium eligi sepulturam aut recipi corpora defunctorum posse absque licentia S. Congregationis. Et profecto valde contradicit monialium sexui ac statui talis tumulatio mortuorum in earum Ecclesiis etiam exterioribus, ne turbentur in earum quiete ab officio in funeralibus ibi necessario faciendo et quidquid sit in puncto juris, expresse declaratur a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in Maceraten. 8. Novbr. 1652 scilicet, quod corpora laicorum, sive virorum fuerint sive mulierum, nequeant sepeliri in Ecclesia exteriori monialium, licet solvere vellent poenam synodalem, et ad talem effectum saltem requiritur licentia S. Congregationis necnon consensus monialium, ut in Feretrana 21. Novbr. 1603, et eadem S. Congregat. in Forosempronien. 23. Aug. 1652 scripsit Episcopo: Essendo portata la notizia a questa S. C. che si pensi di sepellire il cadavere di d. Marchionne moglie del Cirusico di cotesta citta nella Chiesa delle Monache die S. Bernardo, dove si ha eletta la sepoltura, questi Eminentissimi miei signori mi hanno comandato di avvertire a V. S. che essendo cio contro i Decreti della medesima S. Congregatione, non lo permetta in verum

modo senza expressa licenza dell' Eminenze loro, et in Gravinen. 1. Octobris 1650: Nelle Chiese, anche esteriori delle Monache, non si possono seppellire esteri, e forestieri, ne uomini, ne donne, ne anco Principi, ancorche vi fossero sepolti i loro maggiori.... Quare cum dictae declarationes sint maximae auctoritatis omniaque Tribunalia eas recipiant, praesertim sacra Rota, ut est notum, tollunt proinde omne dubium..., (et) cum emanaverint praefata decreta per viam peculiaris dispositionis..., videntur cessare omnia privilegia, non obstante consuetudine, nisi sit immemorabilis vel quadragenaria cum titulo. Immo ex declaratione S. Congregationis praedictae in Sarzanen. 29. Novbr. 1622 tenerentur moniales restituere corpora defunctorum in earum Ecclesiis tumulata, si petantur, et omnia, quae perceperunt, praesertim si non fuerint commixta cum aliis ossibus, necnon annuum legatum Ecclesiae tumulanti relictum, ut in Mediolanen. 17. Febr. 1583, 13. Juli 1618 et 5. Juli 1647. *Ita Cardinalis Petra comment. ad Constit. Apost. tom. 2., comment. ad Constitut. 3. Coelestini 111. sect. 1. n. 29.*

Quod si quis decederet electa sepultura in Ecclesia monialium, sepeliendus erit in sepultura majorum vel, si talem non habeat, in Parochiali ac si nullam elegisset sepulturam. „Nam cum electio sepulturae non possit sortiri effectum, perinde se habet ac si non elegisset, *1. si quis sub condit. ff. de test. tutor. et l. ex sensu* §. *1. ff. de appellat.*, ac proinde subintrat dispositio legis, cessante dispositione hominis.“ Haec Pignatell. tom. 4. consultat. 177. n. 11.

Prohibitio quod de cetero nulla corpora defunctorum, praeterquam regalia, in choris et aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium in regnis Hispaniarum sepeliri valeant.

Sixtus PP. V., servus servorum Dei, dilecto filio nostro et Sedis apostolicae in partibus Hispaniarum commoranti, cum potestate legati de latere nuntio, salutem et apostolicam benedictionem.

Circa pastoralis officii curam nobis, meritis licet imparibus, desuper commissam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea, per quae perniciosis abusibus et exinde provenientibus scandalis obvietur, ac in monasteriis singulis, praesertim foeminei sexus, debita clausura servetur et sanctimonialium in eis sub religionis jugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulatum affectantium quieti et animarum saluti consulatur, libenter intendimus ac in his nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout in domino salubriter expedire conspicimus.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae personae laicae in regnis Hispaniarum degentes saepius eo temeritatis deveniant ut, sub praetextu quod alias suorum defunctorum corpora in certis eorum capellis seu monialium choris vel aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium s. Augustini vel alterius ordinis, sub cura et regimine fratrum et superiorum ordinis fratrum praedicatorum viventium, existentibus, sepelire seu deponere consueverint, ab hujusmodi scandaloso abusu desistere non curantes, murum chori ecclesiarum monasteriorum hujusmodi pro introducendis cadaveribus rumpere et clausuram hujusmodi violare praesumant, in non modicum christifidelium scandalum,

§. 2. Nos, pro nostri pastoralis officii munere, scandaloso abusui et pernicioso exemplo hujusmodi obviare ac monasteriorum clausurae et monialium in illis degentium quieti et ani-

marum saluti, quantum cum Deo possumus, providere volentes ac certam de praemissis notitiam habentes motu proprio, non ad alicujus desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus ut auctoritate nostra prohibeas et statuas, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, nulla prorsus defunctorum corpora, praeterquam regalia, in choris, capellis, capitulis vel aliis locis intra septa ecclesiarum hujusmodi existentibus, quovis praetextu aut colore sepeliri aut deponi, perpetuo vel ad tempus, neque tumbae aut sepulturae intra septa et clausuram hujusmodi, cum stemmatibus aut insignibus vel alias quomodolibet, exceptis regalibus, fieri aut construi vel refici possint aut valeant quoquomodo.

§. 3. Et quod de praesenti forsan constructae ex dictis locis *intra clausuram hujusmodi existentibus*, *penitus et omnino amoveri et ad alium locum in ecclesiis monasteriorum praedictorum*, *extra tamen clausuram*, arbitrio superiorum praedictorum et partium interesse habentium *transferri debeant.*

§. 4. *Si quae vero capellae*, etiam ad aliquas particulares personas quovis jure spectantes, intra eamdem clausuram reperiantur, ad quas, pro defunctorum corporibus inibi sepeliendis, ex ipsa ecclesia non nisi diruto muro pateat ingressus, earumdem capellarum januae, quae de praesenti intra eamdem clausuram aperte existunt, occludi, et illis penitus clausis alia ostia extra clausuram hujusmodi in eadem ecclesia aperiri et fieri debeant, ita quod pro ingressu capellarum hujusmodi vel alias quomodolibet nullo modo eadem clausura de cetero violetur.

§. 5. Ac etiam ita in futurum, sub excommunicationis majoris latae sententiae ipso facto per contravenientes incurrendae poena, a qua nonnisi per Nos aut successores nostros romanos Pontifices pro tempore existentes absolvi possint, perpetuo observari eadem auctoritate praecipias et mandes, monialesque et conventus monialium seu domorum hujusmodi super praemissis a quoquam, etiam praetextu cujuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, quam eadem auctoritate revoces et annulles aut alias quovis colore nullatenus molestari, perturbari aut inquietari posse; necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernas, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Datum Romae apud S. Petrum die 7. Maii 1586.

(Bull. r. t. VIII. p. 701. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Feretrana.

Quaestio inter Jos. Angelum Calbinum Archipresbyterum sive Parochum loci Maceratae Feltriae ac moniales s. Clarae ejusdem loci novissime est orta: num licuerit praefatis monialibus tumulare in Ecclesia sui monasterii cadaver Puellae Annae Bartolli Fanensis dioecesis, quae in eodem monasterio, dum degebat educationis causa, decessit, vel potius ea sepelienda foret in Ecclesia parochiali, intra cujus limites monasterium ipsum est situm?

Binis potissime rationum momentis probare nititur memoratus Archipresbyter nonnisi cum manifesta jurium

suorum violatione praefatum cadaver traditum fuisse sepulturae in enunciata monasterii Ecclesia; primo nimirum ex juris praescripto, quo monialibus omnino interdictum est, quascumque laicas personas in suis Ecclesiis sepelire vel pro Laicis sepulchra construere, ut communiter tradunt *Nicol.* in Flosc. verb.: sepultura n. 5., *Matthaeuc.* in official. cur. Eccl. verb.: offic. quoad sepultur. cap. 48. n. 4., *Monacell.* form. leg. pract. tom. 1. formul. 22. tit. 11. n. 5. tom. 2. et alii passim, quod adeo verum esse authumat, ut nullius etiam consuetudinis praetextu id jus moniales queant sibi adsciscere ex adductis per *Ursayam* in instit. crimin. lib. 3. tit. 8. decrim. viol. sepult. n. 65., *Pignatell.* cons. 175. n. 4. tom. 4. Secundo vero *ex addit. ad statuta Cleri rom. in cap. 3. de jure eligendi sepulturam ad* §. *9.*, ubi habetur, quod puellae sive quaelibet alia persona laica, quae vel famulatus vel alia quacumque causa in monasteriis sive virorum sive monialium decedunt, tumulandae sint in sepulchro majorum, si habeant, sin minus, in Parochia, sub qua degit monasterium.

Contra vero moniales (juxta ea, quae ipsis auditis sacrae huic Congregationi rescripsit Episcopus) asserunt sibi jus tumulandi cadavera puellarum intra monasterii septa morientium, non solum quia Puellae istae aeque ac moniales prorsus exempta sint a quibuscumque juribus Parochorum, proptereaque non a Parocho sed a proprio confessario Sacramenta percipiant, verum etiam quia duplex jamdiu in ipsa Ecclesia sepulchrum reperiatur extructum, alterum scilicet pro monialibus, alterum vero pro Puellis, quae ibidem educationis causa commorantes forte decedant. Addunt ulterius id etiam confirmari ex consuetudine Feretranae dioecesis a nonnullis, quae proferuntur, exemplis comprobata, juxta quam ejusmodi Puellarum cadavera in monasteriorum Ecclesiis sepulta sunt nullo Parochis tradito funeris emolumento. Has autem ob rationes Episcopus ipse ita concludit: „Crederei che per questi motivi, e per quello dell' esenzione de monastero dalla giurisdizione parochiale abbino potuto esse monache sepelire l'Educanda defonta independemmente dal Paroco, ne potersi da questo pretendere aliuna quantita dicera, e neppure la Quarta, che solo vien dovuto per ragione delli amministrati Sagramenti.“

De simili controversia actum fuit in una Pennen. sepultura 6. Julii 1737 (ubi tamen ea concurrebat peculiaris circumstantia quod Puella sepulturam elegerat in Ecclesia monasterii) et propositis hisce dubiis:

I.: An licuerit tumulare cadaver Mariae Nolli in Ecclesia monial. s. Clarae civitat. Pinnae? et quatenus negative;

II.: An sit locus exhumationi et respective restitutioni dicti cadaveris una cum funeris emolumentis favore Ecclesiae Collegiatae et Parochialis s. Joannis Evangelistae ejusdem civitatis in casu?

S. C. rescripsit ad I.: affirmative;

ad II.: provisum in primo et amplius. Eamdem vero quaestionem late pertractant doctores in folio illius causae adnotatis, quibus addi potest *Scarfanton.* ad Ceccoper. part. 3. addit. 48. n. 58 et seq.

His itaque perspectis grave non erit Eminentissimis PP. respondere:

I. An Ven. monasterio monialium s. Clarae terrae Marceratae Feltriae liceat sepelire in ejus Ecclesia cadavera Puellarum educationis causa ibidem commorantium et in eodem monasterio decedentium? Et quatenus negative;

II. An sit restituendum Parocho ejusdem terrae cadaver Annae Bartoli educationis causa in dicto monasterio degentis ibique defunctae et sepultae, sive saltem facienda sit declaratio de ea retinenda nomine Parochiae?

III. An eidem Parocho restituenda sint una cum cera integra emolumenta funeris ejusdem Annae Bartoli in casu?

S. C. resp. ad I.: Affirmative constito de electione sepulturae.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Deberi quartam funeralem tantum.

Die 21. Apr. 1742.

16) In Ecclesia Regularium.

Vd.: *Sepult. (facienda a Regul.; intr. eccl.; Regular.)*

Bituntina.

In causa Bituntina juris sepulturae in S. Rituum Congregatione vertente inter Capitulum et Canonicos ecclesiae Cathedralis ex una et Clericos regulares ejusdem civitatis ex altera partibus, quae ab eadem S. Rituum Congregatione Illmmo et Rmmo D. Cardinali de monte commissa fuerat, coram eodem Illmmo et Rmmo D. Cardinali ambae partes convenerunt et ad evitandas lites et pro majori quiete ambarum partium et totius civitatis Bituntinae ad hanc concordiam devenerunt, nempe:

„Quod si quis in ultima ejus voluntate voluerit seu mandaverit post ejus mortem corpus suum sepeliri in ecclesia s. Nicolai dictorum regularium Clericorum, in arbitrio Capituli et Canonicorum sit, illud associare vel non associare usque ad ecclesiam praedictam, sed si illud associent, non debeant dicti Canonici et Capitulum officium facere sed associato corpore usque ad portam ecclesiae praedictae ad Cathedralem redire.

Quod si Capitulum et Canonici praedicti nullo modo praedictum corpus defuncti ad ecclesiam praedictam Clericorum regularium associare voluerint, possint illud associare una tantum religio fratrum seu regularium et una tantum societas seu confraternitas Laicorum eligenda in testamento defuncti vel haeredum ipsius arbitrio. Quae religio et confraternitas associato corpore ad praedictam ecclesiam Clericorum regularium redire debeant ad proprias ecclesias, relinquendo curam officium faciendi circa corpus defuncti in ecclesia praedictis Clericis regularibus.

Quod quando Capitulum et Canonici praedictae ecclesiae Cathedralis corpus defuncti, ut supra, associabunt usque ad portam ecclesiae dictorum Clericorum regularium, licet in ecclesiam non ingrediantur nec circa corpus officium faciant, teneantur dicti Clerici regulares dare dictis Canonicis et Capitulo medietatem totius cerae, quae pro funere defuncti paratur, tam funalium seu intorticiorum, quae circa corpus defuncti deferuntur a domo defuncti usque ad ecclesiam praedictam, quam aliorum omnium funalium et candelarum, quae erunt in ecclesia praedictorum Clericorum regularium tam super altare quam circa corpus defuncti in die funeris, sicut solent dicti Canonici et Capitulum habere in omnibus aliis ecclesiis regularium, ad quas defunctorum corpora associant et circa ea officium faciunt juxta ejusdem Capituli et Canonicorum immemorabilem consuetudinem, attento quod si in ecclesia dictorum regularium Capitulum et Canonici praedicti non ingredientur nec officium facient per eos non stabit.“

Et haec omnia concorditer et pacifice ambae partes tam dictorum Capituli et Canonicorum quam dictorum Clericorum regularium acceptaverunt, citra tamen praejudicium quoad Capitulum et Canonicos omnium jurium spectan-

tium ipsi Capitulo et Canonicos, quoad alias religiones, juxta constitutiones et immemorabilem consuetudinem ipsius Capituli et Canonicorum, quibus non intelligatur aliquod praejudicium per hanc concordiam inferri super officiatura et jure sepulturae aliarum ecclesiarum regularium.

Quae quidem concordia ab Illmmis et Rmmis DD. Cardinalibus in plena Congregatione fuit approbata et ab S. Congregatione mandatum, ut in posterum in perpetuum in dicta civitate Bituntina observetur; et ita censuit et declaravit.

Die 21. Februarii 1604.

(Anal. J. P. 1863 p. 29. n. 109.)

Urbanus PP. II. Petro abbati coenobii Cavensis.

Si quis ad eundem locum vel ejus ecclesias sibi sepulturam elegerit, licitum sit tibi tuisque successoribus et fratribus in ecclesiis ipsius coenobii commorantibus, ipsum in suo coemeterio sepelire absque cujuslibet contradictione, dummodo christianus et catholicus habeatur.

Die 14. Septbr. 1092.

(Bull. r. t. II. p. 145. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Bernardo abbati Rivipolensi.

Sepulturam sane ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepiliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 16. Juli 1096.

(*Ibid.* p. 171.)

Paschalis PP. II. Heinrico abbati Admontensi dioec. Salisb.

Sane sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 25. Octbr. 1105.

(*Ibid.* p. 240.)

Innocentius PP. II. Gotifredo abbati Admontensi dioec. Salisb.

Sane sepulturam ipsius loci liberam esse censemus, ut qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati sint, extremae voluntati eorum nullus obsistat.

Die 13. Apr. 1139.

(*Ibid.* p. 435.)

Innocentius PP. III. abbati Averbatiensi.

Sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse concedimus, ut videlicet eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 16. Apr. 1139.

(*Ibid.* p. 437.)

Innocentius PP. II. abbatissae s. Ambrosii Florent. dioeces.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberavint, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiae.

Die 12. Maii 1141.

(*Ibid.* p. 453.)

Innocentius PP. II. Gregorio abbati s. Barthol. dioec. Fesul.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut quicunque se illic sepeliri decreverint, nisi forte excommunicati fuerint, eorum devotioni et extremae voluntati nullus obsistat, salvo tamen jure matricis ecclesiae.

Die 22. Septbr. 1141.

(*Ibid.* p. 456.)

Lucius PP. II. Guidôni abbati s. Joannis Parmen. dioec.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, extremae voluntati et devotioni nullus obsistat, nisi fuerint excommunicati; salva tamen justitia matricis ecclesiae suae.

Die 7. Martii 1144.

(*Ibid.* pag. 485.)

Eugen. PP. III. Gebhardo Praeposito Ecclesiae Widberg.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva justitia matricis ecclesiae.

Die 23. Decembris 1146.

(*Ibid.* pag. 536.)

Hadrianus PP. IV. Roccho Praeposito s. Constantii de Urbe veteri.

Sepulturam ipsius loci liberam esse sancimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum, unde assumpti fuerint.

Die 15. Octobris 1156.

(*Ibid.* pag. 635.)

Adrianus PP. IV. Megenardo Praeposito Renshovensis Ecclesiae.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat: salva tamen justitia matricis ecclesiae.

Die 29. Januarii 1157.

(*Ibid.* pag. 638.)

Alexander PP. III. Raymundo abbati Monasterii Cannigonensis.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat: salva matricis ecclesiae justitia aliarumque ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Die 10. Junii 1163.

(*Ibid.* pag. 681.)

Confirmatio nonnullorum decretorum pro associandis et sepeliendis cadaveribus in ecclesiis Regularium factorum.

Clemens Papa X.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi de Alarcos Presbyteri regularis Procuratoris generalis provinciarum Hispaniarnm et Indiarum societatis Jesu, Congregationis venerabilium fratrum nostrorum s. romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod eadem Congregatio die 7. Decembris 1640 ad instantiam Commissarii Curiae fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum declaravit, Parochos et Presbyteros terrae de Levano ac alios dioecesis Brundusin. non posse accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in ecclesiis fratrum, quam accipiebant ab iis, qui sepeliebantur in ecclesiis dictorum Parochorum et Presbyterorum saecularium, et deinde 31. Augusti 1657 ad instantiam fratrum provinciae Dalmatin. ejusdem ordinis declaraverat, functiones funerales super cadaveribus defunctorum, quae sepelirentur in ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum Regularium pervenissent, ad eosdem Regu-

lares, non autem ad Parochos pertinere. Similiterque declaraverat die 16. Decembris 1661 super controversiis, quae inter Parochos civitatis Placentini et monachos monasterii s. Sixti Congregationis Cassinensis ordinis P. Benedicti occasione funerum erant exortae; prout etiam die 17. Novembris 1671 ad instantiam Procuratoris generalis dicti ordinis fratrum minorum declaraverat, Parochis, qui associabant cadavera defunctorum, qui in ecclesiis Regularium sepeliebantur, non licere ea occasione ingredi ecclesias Regularium, sed ad januas ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera hujusmodi et solum posse benedicere ac dare ultimum vale, officiaque et alia munia, quae in similibus fieri solebant, debere fieri a Regularibus, non autem a Parochis.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod licet praefatae dispositiones seu declarationes essent adeo justae et militarent eaedem rationes illas observandi circa cadavera, quae sepeliebantur in ecclesiis domorum et collegiorum dictae societatis Jesu, nihilominus assidue exoriebantur gravissimae discordiae et scandala ex eo, quod Parochi illis stare nollent, in gravissimum praefatae societatis et christifidelium, qui post obitum sua cadavera in ipsius societatis ecclesiis sepeliri volebant, detrimentum; ideoque supplicato ut Congregatio praefata declararet supradicta decreta seu declarationes circa cadavera, quae in ecclesiis domorum et collegiorum praefatae societatis Jesu sepelirentur, perinde observari debere ac si ad instantiam ipsius societatis emanassent,

§. 2. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congr. Eminentissimorum s. romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita oratoris precibus benigne indulgens censuit dandas esse petitas declarationes saepe alias editas easque etiam in praenarratis ecclesiis societatis esse observandas, videlicet, Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam ecclesiarum, ibique solum benedicere et dare ultimum vale: Officia vero et alia munia, quae in hujusmodi monasteriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis. Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi aliique de Clero saeculari majorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu alia ipsius Cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent.

§. 3. Functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, contrariis quibuscumque circa suprascripta omnia minime obstantibus. Romae 6. Maii 1672.
(L. † S.) F. Cardinalis Brancarius,
C. de Vechis, Archiepiscopus Athenarum.

§. 4. Cum autem, sicut praefatus Alphonsus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat conse-

quendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 3. Augusti 1672.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 25. Ed. Luxbg.)

17) Electio.

Vd.: *Sepult.* (Parvul.; Regul.)

Ad dub.: An ad validitatem electionis sepulturae requiratur testamentum in ultima infirmitate vel sufficiat, quod deligatur antea per alium actum publ., qui testamentum non sit? S. C. C. resp. censuit non requiri necessario testamentum. Die 13. Febr. 1666.

Ad dub.: An sit nulla electio sepulturae, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita et non in morte? S. C. C. resp. censuit non esse nullam. *Ibid.*

Ad dub.: An valide eligatur sepult. coram duobus *testibus*? S. C. C. resp.: Esse validam. *Ibid.*

Ad dub.: An sit valida electio sepulturae, quam quis sive sanus sive infirmus coram parocho elegerit? S. C. C. censuit: Esse validam, dummodo Parochus non testetur ad proprium commodum. *Ibid.*

Ad dub.: An electio sepulturae per nutus et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida? S. C. C. censuit: Esse validam, dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis. *Ibid.*

Sepulturam eligere licet parentibus, in quacumque ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regul. ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum. S. C. Ep. et Reg. 12. Jan. 1640.

Quicumque sive impuber sive adultus sive infans, qui sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro suorum majorum. S. C. C. die 21. Oct. 1616.

Restituendum esse cadaver ecclesiae, in qua defunctus sepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta. S. C. C. 1. Apr. 1650; 22. Septembris 1657.

Illi, qui coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, in Regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, sunt in dictis ecclesiis sepeliendi sine praejudicio tamen parochialium. S. C. Ep. die 11. Decb. 1815.

Electio sepulturae sufficienter probatur per duos testes fide dignos. S. C. Ep. die 28. Aug. 1589.

De sepulturae electione Graecorum vd.: *Unctio in Baptismo Italo-Graecor.* N. 11.

Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet

ecclesia ad id jus habente: *Communis* per claros textus in cap.: *Nos instituta* 1., cap.: *Fraternitatem* 3., cap.: *Cum liberum* 6., cap.: *Cum super* 8., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Cum quis* 2. de sepulturis in 6.

Et si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam regulari, et per vim Parochi aut alterius non ibi sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiae electae, textu expresso in cap.: *Ex parte* 5., cap.: *Cum liberum* 6. de sepulturis, cap: *Animarum* 2. eod. in 6. Et sic pluries decrevit S. Congr. in facti contingentia.

Vd. Alexandri VII. constitut. incip.: *Alias pro parte.*

Qui sepulturam non elegit, sepeliri debet in sepulchro Majorum suorum, textu expresso in cap.: *Nos instituta* 1. de sepulturis, ibi: „Statuimus, unumquemque in Majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus docet", cap.: *Cum quis* 2. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6. ibi: „Is qui ... non electa sepultura decedit ... in ea, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari".

Majorum nomine ad hunc effectum veniunt Pater, Avus, Proavus et alii ascendentes in linea recta, l. juris consultus 10. ff. de gradibus, l. appellatione 51. ff. de verb. significat., *Panimol.* decis. 5. adnot. 3. n. 15., *Barbos.* de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 32. Decretal. tit. 28. n. 10. et alii passim. *Si majores non in uno et eodem sepulchro sepulti fuerint sed in diversis,* verbi grat.: Avus, Proavus, Abavus aliique omnes majores in uno, Pater vero in alio, tunc secundum Glossam in cap.: *Is qui* 3.: Antiquo, de sepulturis in 6., *Engel* l. 3. Decretal. tit. 28. n. 6., *Reiffenstuel* ibid. n. 11., *Silvester* verb.: Sepultura q. 8. et alios, filius decedens, non electa sepultura sepeliri debet in sepulchro majorum et non Patris, nisi Pater pro se et posteris aliam sepulturam expresse elegisset. Et id tenent et probant, ex quo semper in jure fiat locutio in plurali, ut patet in cap.: *Nos instituta* 1. de sepulturis, ibi: *in majorum suorum sepulchris,* cap.: *Fraternitatem* 3. eod. ibi: „Patrum aliorumque parentum sepulturis", quo nomine etiam majores veniunt cit. l. juris consultus 10. §. 8. ff. de gradibus affinit., ibi: Parentes usque ad Tritavum nominantur, et cap.: *Cum quis* 2. de sepulturis in 6., ibi: „Cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri", cap.: *Is qui* 3. eod. in 6., ibi: „In qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit".

Multi autem alii tenent contrarium, nempe quod filius decedens, non electa sepultura, debeat in tali casu sepeliri non in sepulchro omnium majorum sed in sepulchro Patris, dummodo Pater ex propria electione et non casu vel ex aliquo accidenti sepultus fuerit in sepultura diversa ab antiqua majorum; sic late *Oldrad.* Cons. 24. n. 2. vers. contrarius usque ad fin., *Abbas* in cit. cap. Nos instituta 1. n. 5. de sepulturis, *Sperell.* tom. 1. dec. 88. n. 9. cum aliis ibi relatis, *Barbosa* de offic. et potestat. Parochi cap. 27. n. 32. et lib. 2. jur. eccles. univers. cap. 10. n. 32. medic. de sepultur. qu. 7. n. 22. 1 part., *Panimol.* decis. 5. adnot. 3. n. 19. ubi dicit, quod haec est receptior sententia, *Ventriglia* part. 1., *Annot.* 52. §. unic. 24., *Matthaeucc.* official. cur. quoad sepulturas cap. 48. n. 23., *Zecchius* de republic. ecclesiast. lib. 1. cap. 28.

de Parocho num. 27. vers.: Fallit, *Cardin. Petra* tom. 2. commentar. in constit. 2. Honorii III. n. 25., *Pirching* lib. 3. decretal. tit. 28. n. 4. et alii; ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando Proavus, Abavus et ascendentes majores sepulti sunt in uno sepulchro, Avus vero et Pater sepulti sunt in alio, et non quando omnes majores sepulti sunt in uno et solus Pater in alio. Sicque non videntur dissentire a doctoribus primae sententiae.

Et revera si Abavus et Proavus sepulti sint in uno sepulchro, Avus vero et Pater in alio, Filius decedens, non electa sepultura, sepeliendus est cum Patre et Avo: Pirching loco cit. n. 4., *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. *Engel* loco cit. n. 6., *Petra* loco cit. n. 25., *Matthaeucc.* loco cit. n. 23., *Oldrad.* cit. consil. 25., *Barbosa* de offic. et potestate Parochi cap. 26. n. 32. et in cap.: *Nos instituta* 1. n. 2. de sepulturis; *Silvester* loco cit. q. 8. et alii; et ratio est, quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; atqui Filius sequitur originem et domicilium proximiorum parentum seu majorum, Patris scilicet et Avi, et non remotiorum ascendentium, l. assumptio 6. §.: Filius, ff. ad municip., cap.: *Fraternitatem* 3. de sepulturis, ergo etc. Tum quia, in dicto casu, usque satis fit juris textibus ac si in sepulchro remotiorum sepeliretur. Si autem Pater pro se et posteris aliam sepulturam elegisset expresse, tunc utique Filius, ut dictum fuit supra, deberet sepeliri in sepultura Patris, arg. cap.: *Unaquaeque* 3. §.: *Item in novo* caus. 13. q. 2., quia si posteri aliam sepulturam non eligant, in similem Patris electionem consentire sicque ipsis sepulturam tacite elegisse censentur. *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. et a fortiori omnes citati doctores.

Si adsit sepulchrum gentilitium seu familiare et sepulchrum haereditarium, attendendum est primum et postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulchrum majorum. Sic cum aliis *Card. Petra* cit. tom. 2. Commentar in constitut. 2. Honorii III. sect. unic. num 35., *Matthaeuc.* loco cit. n. 23. vers.: *Sicut*; *Passerin.* de statu homin. tom. 2. quaest. 187. art. 4. inspect. 4. cap. 2. et alii.

Etiam infantes, quamvis juxta Rituale romanum tit. de exequiis puer. debeant sepeliri in sepulchro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in sepulchro majorum. Sic expresse decrevit S. Congr. Episc. et Regul. in Asculana 21. Octobris 1616 apud *Barbosam* de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 8., *Card. Petram* loco cit. n. 26., *Panimol.* loco cit. n. 18., *Sperell.* cit. decis. 88. in fine, et novissime S. Congr. Concil. in Novarien. Funerum 15. Mart. 1704 in respons. ad primum.

Filii illegitimi et naturales sepeliendi sunt in sepulchro Patris, nisi is in dignitate sit constitutus. Non item Filii spurii, quia isti sepeliendi sunt in sepulchro Matris, nisi sit femina illustris: Silvester verb. sepultura qu. 8. dict. 4., *Pirching.* loco cit. sub. n. 4. et alii.

Filii adoptivi et arrogati, si moriantur vivente Patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulchro ejusdem; secus autem si eo jam mortuo decedant, quia tunc debent sepeliri in sepulchro Patris naturalis, cum jam expiraverit in tali casu adoptio: *Silvester* loco cit. dist. 4., *Pirching* loco cit. n. 4. et alii.

Infantes expositi non in sepultura Patris seu majorum sed in sepultura hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi, arg. cap.: *Si a Patre* unic. de infantibus exposit.,

Sebastianus Medices p. 1. de sepultur. quaest. 7. n. 25., *Ventrigl.* loco cit. n. 25. et alii. Si autem tales infantes non essent expositi in hospitalibus nec hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in parochia, qua contingeret eos decedere, quia decedentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in sua respectiva Ecclesia parochiali; cap.: *Ex parte* 5, cap.: *Cum sit liberum*, cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cum similibus.

Supradicta regula, quod decedens sine electione sepulturae sepeliendus sit in sepulchro majorum, non praecedit e converso, taliter quod, si moriatur Pater vel Avus, sepeliendus sit in sepulchro Filii vel nepotis; et ratio est, quia ascendentes non sequuntur sepulchrum descendentium, nec transversales sepulchrum transversalium, nisi sint haeredes et sepultura sit haereditaria nec sit ibi facta electio, *Lovarius* variar. lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 121., *Sebastianus Medices* loco cit. n. 24., *Ventriglia* loco cit. n. 24. et alii.

Si quis nullam habeat sepulturam majorum nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria Parochia ubi Sacramenta suscepit. Communis per text. in cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepultur., cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6. Et nullam habere sepulturam majorum censetur etiam Filius ille, cujus majores singuli sepulti sunt in diversis sepulchris, nempe Proavus in uno, Avus in alio, Pater in altero, cum ad hunc effectum requiratur concursus plurimorum, qui ab antiquo in eodem sepulchro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulchrum majorum; unde, cessante hoc casu majorum sepulchro, talis filius sepeliendus erit in sua Parochia: Sic *Ancharanus* in cap.: *Is qui* sub n. 4. de sepultur. in 6., *Silvest.* verb.: Sepultura sub n. 8., *Barbosa* in cap.: *Nos instituta* 1. n. 2. de sepultur., *Reiffenstuel* loco cit. n. 11. in fin., *Engel* loco cit. n. 6. et alii. Contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulchrum Patris, tenet *Abbas* in cap. 1. n. 6., *Extrav. de sepulturis* et ita de consuetudine servari testatur *Lavorius* variar. lucubration. tit. 2. cap. 11. n. 113., *Sperell.* tom. 1. dec. 88. n. 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo Pater pro se et posteris sepulturam elegisset, juxta dicta supra. Alias non esset, qui non haberet sepulchrum majorum, cum quilibet habeat suum Patrem in aliquo sepulchro sepultum loquendo de Patribus jam suis filiis praemortuis.

Peregrini pertranseuntes et viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in Cathedrali; advenae autem seu exteri et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua Parochia, sepeliendi sunt in ipsa. Sic S. Congr. Episc. et Regular. in Fulginaten. 3. Julii 1592 rescribens Episcopo: „Etiam circumscripta consuetudine advenas et pertranseuntes in Cathedralibus, et reliquos in Parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverint, esse sepeliendos“, *Sperell.* decis. 87. n. 14., *Lavorius* loco cit. n. 144., *Card. Petra* tom. 2. comment. in constit. 9. Innocent. III. sect. unic. n. 50., *Matthaeuc.* loco cit n. 12. et alii referentes dictae S. Congr. resolutionem. Si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore Cathedralis quam Parochi, esset servanda, ut concordant doctores apud *Sperell.* loco cit. n. 14., *Panimol.* loco cit. n. 43., *Card. Petra* loco cit. n. 50. arg. cap.: *Cum dilectus* 8. et cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine, l. si de interpretatione 37. ff. de legibus.

Studiosi famuli conductitii, milites, officiales aliique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in Parochia, ubi sic habitabant et decesserunt. Communis, et servat recepta consuetudo, quae non solum est in dubiis optima legum interpres, cit. l. si de interpretatione 37 ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 7. de consuetudine, sed etiam clarae legi derogat; cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine. Miles tamen praesidiarius sepeliri debet in Parochia arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia Parochia, ubi retinet domum apertam cum uxore et filiis. S. Congr. Conc. in Romana 17. Aug. apud Ursayam in Miscellaneo sacr. et profan. litt. M.

Qui habet domicilium in civitate vel castro et ad villam ruralem se transfert recreationis gratia vel ut ruralia exerceat et inibi non electa sepultura nec habens sepulchrum majorum decedat, debet sepeliri in propria Parochia civitatis vel castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresso in cap.: *Is, qui* 3. de sepulturis in 6. ibi: „Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari". *Qui autem habet domum hyemalem v. gr. in civitate, et aestivam in rure et sic aequali tempore modo in una modo in altera habitat seu moratur, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit.* Et ratio est, quia parificatur cum eo, qui in duobus locis aeque principale domicilium habet, et sic efficitur utriusque Parochiae Parochianus adeoque sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius Parochia; argument. cap.: *Ex parte* 5. cap.: *In nostra* 10. de Sepulturis, cap.: *Animarum* 1. eod. in 6.

Eligere sepulturam sibi benevisam potest quilibet sive masculus sive femina, dummodo habeat debitam aetatem et a Jure non prohibeatur: Communis, per text. in cap.: *Nos instituta 1.*, cap.: *Fraternitatem 3.*, cap.: *Cum super 8.*, cap.: *In nostra 10.* de sepulturis, cap.: *Animarum 1.*, cap.: *Quis 2.* eod. in 6.

Et potest quis libere sibi eligere sepulturam, etiam extra propriam Patriam in diversa et remota provincia, etiam aliena: *Communis*, textu expresso in cit. cap.: *Nos instituta.* de sepulturis, ibi: „Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et aliam alienam, dominus enim et magister alienam eligit ut propriam", juncta Glossa ibidem verb.: *Alienam* id notante de domino nostro Jesu Christo. „Qui natus in Bethlehem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit Hierusalem in sepulchro Joseph."

Si quis autem eligat sepeliri in sepultura aliena, non potest ibi sepeliri, nisi consentientibus Patronis sepulturae, quia quod nostrum est, absque facto nostro auferri a nobis non potest. *Sebastianus Medices* de sepultur. cap. 9. n. 4., *Barbosa* lib. 2. Juris Eccles. univers. cap. 10. n. 12., *Ventriglia* tom. 1. Adnotat. 52. §.: Unic. n. 3. et alii passim.

Quoad hunc effectum autem non dicuntur Patroni rectores Ecclesiarum vel superiores regulares sed illi, quibus per dictos rectores seu superiores regulares concessa est sepultura. Unde in similibus casibus est expresse petenda praedicta licentia a dictis Patronis vel eorum successoribus, sine

qua licentia rectores vel superiores regulares in praedictis sepulturis aliquem sepelire non possunt, quia de Jure in fundo, in quo quis habet usum, non potest dominus inhabitare, invito usufructuario, *1. Heres 12. ff. de usu et usufructu et habitatione.* Patroni enim prohibere possunt, ne alii in suis sepulchris tumulentur, l. locum 2. l. familia 5. l. vel quod 7. l. si plures 41. ff. de religiosis et sumptibus funer. l. jus sepulchri 13. cod. ead., *Ventriglia* loc. cit. n. 3., *Barbosa* loc. cit. n. 12. et alii. Extinctis autem Patronis omnibus tunc rectores Ecclesiae seu regulares possunt non solum alios mortuos ibi sepelire sed etiam sepulturam alteri concedere, quia mortuo usufructuario ille usus redit ad proprietatem libere; *l. Corruptionem ususfructus* 16. cod. *de usufructu et habitatione*, *Sebastian. Medices* loc. cit. q. 8. n. 3., *Ventriglia* loc. cit. n. 3. et alii.

Filius familias, dummodo pubes sit et sit sui juris, potest etiam sine consensu Patris sibi libere eligere sepulturam. Communis, cap.: *Unaquaeque* 4. §.: Exemplo caus. 13. q. 2., cap.: *Nos instituta* de sepulturis, cap.: *Licet* 4. eod. in 6. cum similibus; et ratio est quia quoad jura spiritualia, quale est etiam jus sepulturae, cap.: *Quaesita* 12. caus. 13. q. 2., filius familias patriae potestati subjectus non est.

Item servus, si pubes sit, potest ex eadem ratione sibi libere eligere sepulturam, quia servitus est de Jure temporali et nequit extendi ad spiritualia: *Card. Petra* tom. 2. Commentar. ad Constitut. 2. Honorii III. n. 18., *Samuel* de sepultur. tract. 1. disput. 5. controv. 1. conclus. 8., *Lavorius* loc. cit. cap. 11. tit. 2. n. 146., *Ventriglia, Panimol., Morga* et alii passim.

Item sepulturam sibi eligere libere possunt Novitii etiam extra monasterium et in alia Ecclesia, quia cum hi possint vivi libere discedere a monasterio et ad saeculum redire, cap.: *Consuluisti* 19., cap.: *Statuimus* 23. de regularib. cum similibus, id illis debet etiam permitti in morte, arg. cap.: *Religiosi* 5. de sepulturis in 6., ubi ideo praecise prohibetur religiosis *professis* eligere sepulturam, quia velle et nolle non habent, ergo a sensu contrario, quia Novitii velle et nolle adhuc habent, cum obedientiam nondum promiserint, sine dubio possunt sibi libere eligere sepulturam: *Pirhing* loco cit. n. 25., *Reiffenstuel* loco cit. n. 43., *Engel* loco cit. n. 12., *Donat.* tom. 3. tract. 10. q. 4., *Armilla* verb.: Sepultura n. 6. et alii passim.

Religiosi tamen professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam: *Communissima*, textu expresso in cit. cap.: *Religiosi* 5. de sepulturis in 6. ibi: „Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle et nolle non habeant) sibi eligere sepulturam sed sunt apud sua monasteria tumulandi.“

Et hoc procedit etiam de Praelatis et Superioribus regularibus; quia licet Praelati habeant aliquod velle et nolle, non tamen proprium et absolutum a regula et constitutionibus sed commensuratum illis et dependenter ab illis, adeoque si regula et constitutiones hoc illis non concedant, standum est juri canonico in cit. cap.: *Si religiosi* 3. de sepulturis in 6., quod loquitur de religiosis indistincte et universaliter; ubi enim jus non distinguit nec nos distinguere debemus, *l. de pretio 8. de publicana in rem action.;* et verba generalia generaliter sunt intelligenda, cap.: *Quia circa* 22. de privileg. Tum quia regulares per Praelaturas seu Superioritates non desinunt esse regulares

et in ipsis perseverat dispositio juris canonici in dict. cap.: *Si religiosi*, quia quamvis respectu suorum subditorum habeant velle et nolle, secus autem respectu suorum superiorum, ut patet de Superioribus seu Praelatis localibus respectu provincialium, de provincialibus respectu Generalium et de Generalibus respectu summi Pontificis. Sic expresse *Donatus* tom. 2. resolut. 51. n. 158. et alii contra multos alios.

Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam: Communis, textu expresso in cit. cap.: *Licet* 4. de sepultur. in 6. ibi: „Nequeunt, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eligere sepulturam." Nisi tamen malitia suppleat aetatem, quia tunc posse sibi eligere sepulturam, tenent *Ventriglia* l. cit. n. 11., *Zerola* in praxi Episcop. part. 1. verb.: Sepultura §. 1., *Sperell.* decis. 89. n. 2., *Lavorius* variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 109; *Sebastian. Medic.* de sepultur. q. 8. n. 3., *Lupus* allegat. 59. n. 2., *Barbos.* lib. 2. Jur. Ecclesiastic. univers. cap. 10. sub n. 27., *Didacus Narbona* in tract. de aetat. ad omnes humanos actus requisit. anno 14. q. 4. in princip., *Card. Petra* loc. cit. n. 3. et alii.

Pro impubere nequeunte sibi eligere sepulturam potest ipsi illam eligere Pater, ubi ad id adest legitima consuetudo: Communis, textu expresso in cit. cap.: *Licet* 4. de sepulturis in 6., ibi: „Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit, (si consuetudo terrae id habeat) quo voluerit, sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali Ecclesia tumulandi."

Nequit tamen Pater sepulturam eligere Filio impuberi, ubi non adest talis consuetudo, ut expresse loquitur citatus textus, ibi: „Hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur." Et sic tenent *Barbosa* in cap.: de sepultur. n. 5., *Gratian.* disceptat. 94. n. ultim., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Cleric. debitor. §. 3. n. 17., *Sperell.* decis. 89. n. 3., *Pignatell.* tom. 7. consult. 21. n. 1., *Passerin.* de statib. homin. tom. 2. 9. 187. art. 4. n. 270., *Matthaeucc.* loco cit. n. 25., *Genuens.* in prax. Cur. Episcop. Neapolit. cap. 76. n. 4. impress. Venet., ubi tradit, hanc consuetudinem non esse Neapoli; *Card. Petra* loco cit. sub n. 9. vers.: Verum, ubi refert, sic in terminis firmasse sacram Congregationem Concilii in Placentina 27. Novembris 1619, in qua respondit ad primum: „Patrem, si legitima consuetudo loci id non habeat, eligere non posse." Et sic censuit novissime S. Congregat. Concil. in Alexanen. Funerum 13. Julii 1743 in responsione ad IV. et V. dubium.

Non desunt tamen doctores magni nominis defendentes, quod hodie generaliter et nulla attenta consuetudine permittitur parentibus eligere sepulturam Filio impuberi in quacumque Ecclesia etiam regularium. Sic *Ventriglia* in prax. Annotat. 52. §. Unic. n. 13., *Barb.* in summ. apostolic. decis. verb.: Sepultura n. 14., *Laurent. de Peirin.* de privileg. regul. tom. 3. in fine pag. 570, *Samuel.* de sepultur. tract. 1. disp. 4. controv. 1. conclus. 4., *Murga* disquisit. 9. §. 1. Conclus. 2. n. 4., *Nicolius* Lucubrat. utriusque Jur. tom. 1. lib. 4. tit. 15. de interdict. n. 21., et videtur facere Rota decis. 16. n. 8. post Antonell. de juribus Clericor. in Casalen. quartae funeralium super bono jure 16. Jan. 1697 coram Eminentissimo Caprara, ubi non requirit licentiam Parochi aut Capituli, et alii, qui omnes se fundant in resolutione S. Congregationis Regularium sub die 20. Januarii 1640 penes *Peirin.* loco cit., *Barbosam* loco

cit. n. 14., *Murgam* loco cit. n. 7., quae sic habet: „S. Congregatio negotiis Regularium praeposita saepius censuit, licere parentibus, in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, eorum Filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere sepulturam, nec a Parochis locorum impediri posse aut debere; praesertim vero si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchra majorum." Et ad id facit decret. S. Congregat. Concil. in Novariens. 15. Martii 1704 in respon. ad primum.

Si adsit sepulchrum majorum in Ecclesia Regularium, tunc, praecisa consuetudine, debent impuberes ibi sepeliri, ut declaravit S. Congregat. Concilii in Firmana jurium parochialium ad tertium et in Novariens. 15. Mart. 1704 ad primum, teste *Card. Petra* loco cit. n. 9. in fine.

Facultas permissa Patri eligendi sepulturam Filio impuberi non potest exerceri post mortem ipsius Filii sed solum pendente ipsius vita. Sperel. dec. 89. n. 5., *Card. Petra* loco cit. n. 11., *Nicolius* loco cit. tit. 15. de interdict. n. 21., *Murga* loco cit. tract. 7. sect. 2. disp. 9. §. 9. n. 3., *Lavorius* loco cit. tit. 2. cap. 11. sub n. 18., *Aldan.* in Compend. canonic. resolut. lib. 2. tit. 17. n. 5., *Barbosa* cit. cap. 20. n. 28. et in summa apostol. de verb.: Sepultura n. 6., *Ventriglia* loc. cit. n. 18., *Diana* tom. 5. tract. 3. de casib. occurrent. tempore mortis resol. 107. circa med., et sic declarasse S. Congreg. Episcop. et Regul. in Fulginaten. 27. Octobris 1587 nempe quod „sepulturam pro Filio minori in vita, non post ejus mortem, potest Pater eligere," testantur *Barbosa* in Summa loc. cit. n. 6., *Ventriglia* loc. cit., *Lavorius* loc. cit., *Aldan.* loc. cit. et alii et *Pignatell.* tom. 7. consult. 21. plura adducit dereta ad rem. Vide tamen *Sperel* loco cit. 5. subdentem etiam sic rescripsisse in una Montis Pelusii 6. Junii 1659 sub verb.: Quarta funeralis n. 32. decret. S. Congregat. Concilii in responsione ad 1.

Deficiente Patre potest Mater eligere sepulturam Filio impuberi, si ad id concurrat legitima consuetudo, secus non: Card. Petra loco cit. n. 6., *Barbosa* cit. cap. 10. n. 38., *Panimol.* tom. 1. decis. 5. adnotat. 3. n. 24., *Lavorius* loco cit. cap. 11. n. 119. et alii passim. Et declaravit S. Congregat. Concilii in Majoricens., quae refertur in constit. 6. Innocentii XI. §. 6. tom. 5. Bullarii, et adducitur a a *Matthaeucco* loco cit. n. 25., ibi: Ad dubium: „An Mater pro Filiis impuberibus possit eligere sepulturam?" respondit: „Non licere Matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine." In Avellinen. tamen 15. Septembris 1605 statuit sic: „Etiam Mater, cum Pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere vivente tamen filio;" apud Pignatel. loc. cit.

Talis consuetudo pro eligenda sepultura filiis impuberibus debet esse generalis in loco vel civitate, alias consuetudo particularis alicujus Ecclesiae ceteris ejusdem Urbis Ecclesiis praejudicaret; colligitur ex cit. cap.: *Licet*, de sepulturis in 6., ibi: „Consuetudo Terrae", et expresse ibid. notant *Archidiacon.* ante n. 1., *Franch.* ante n. 2. et *Ancharan.* n. 3. et alii, *Sperel.* cit. decis. 89. n. 34. cum seq. allegans ad id casus decisos et alios doctores.

Item talis consuetudo debet esse legitime praescripta, quae quoad Patrem sufficit decennalis, cum ipsi assistat jus, in cit. cap.: *Licet*, approbante talem consuetudinem: *Card. Petra* loco cit. n. 7. cum Glossa, *Barbosa, Ventriglia, Passerin.* ibi allegatis, *Matthaeucc.* loco cit. n. 25., *Sperel.* loc.

cit. n. 20. cum aliis ibi adductis et alii.

Quoad Matrem autem, cum jus non assistit, requiritur consuetudo quadragenaria nec sufficit decennalis: Card. Petra loc. cit. n. 12., *Sperell.* loco cit. n. 20. cum aliis ibi allegatis, *Matthaeucc.* loco cit. n. 25., *Bursat* consil. 226. n. 218. col. 3., *Sebastian. Medices* loco cit. q. 8. n. 23., *Moronus* resolut. 51. n. 43. et alii.

Electio sepulturae potest variari toties quoties eligenti videbitur usque ad finem vitae; electio enim sepulturae est pars ultimae voluntatis; omnis autem actus ultimae voluntatis sua natura est revocabilis, adeoque etc. *Communis.* Et haec revocatio potest fieri non solum expresse sed etiam tacite per secundam electionem; regulare enim est in actibus causa mortis ut secunda voluntas revocet primum: *Communis.*

Electio sepulturae semel legitime facta, si non revocetur, perseverat usque ad mortem. Unde si infirmus eligens sepulturam convalescat et postea moriatur ex alia infirmitate, etiam per longissimum tempus, censetur mori cum electione sepulturae et est sepeliendus in ipsa sepultura semel ab ipso electa, nam illa electio facta non censetur revocata nec infirmata, ex quo infirmus pro tunc non decesserit, sicuti testamentum factum in articulo mortis non infirmatur ex eo, quod testator convaluerit: l. fin. et ibi Bald. et alii ff. de hered. instit. cap.: Licet de Procuratoribus in 6. cum similibus, et in terminis firmavit S. Congr. Concil. 14. Februarii 1666 in responsione ad 3., ut mox infra patebit.

In materia electionis sepulturae valde notanda sunt responsa S. Congregation. Concilii ad infrascripta dubia:

I.: An sit valida electio sepulturae, quamvis sive sanus sive infirmus coram Parocho elegerit?

II.: An ad validitatem electionis sepulturae requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit?

III.: An sit nulla electio sepulturae, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita et non in morte?

IV.: An qui habet capellam suae familiae cum propria sepultura aut capellam erexerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturae electione sepeliendus sit in Cathedrali?

V.: An valide eligatur sepultura coram duobus testibus?

VI.: An electio sepulturae per nutus et signa in casu, quo quis loqui non possit, sit valida?

VII.: An confratres sodalitatum, non electa sepultura, possint sepeliri in sepulchro suae Ecclesiae?

VIII.: An electiones sepulturae, quae jure praesumuntur, sicut uxoris respectu mariti, filii respectu patris eorumque majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validae?

IX.: An, qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regularium?

Ad quae sub die 13. Februarii 1666 respondens declaravit, censuit et decrevit, ut sequitur:

Ad I.: Censuit esse validam, dummodo Parochus non testetur ad proprium commodum.

Ad II.: Censuit non requiri necessario testamentum.

Ad III.: Censuit non esse nullam.

Ad IV.: Non sepeliendum in Cathedrali.

Ad V.: Esse validam."

Ad VI.: Esse validam; dummodo sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad VII.: Negative.

Ad VIII.: Censuit, quatenus electa

non fuerit sepultura, uxorem in sepulchro ultimo viri sepeliendam, filios vero in sepulchro majorum, servus autem in Parochia.

Ad IX.: Censuit negative. *Pignatell.* tom. 1. consult. 17.

18) Electionis in ecclesia licentiam quis concedit?

Vd.: *Sepult. intra ecclesiam.*

Ad dub.: Num illi, qui coram testibus dumtaxat, licet absque scriptura, in Regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi? S. Congr. Episc. et Regul. respondit in dictis ecclesiis esse sepeliendos, sine praejudicio tamen jurium parochialium," die 11. Decembris 1615.

Sepulchrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest, sed de licentia Episcopi, uti decisum a S. Congreg.: Instit. eccles. 105. §. 124.

19) Eorum, qui in habitu religioso sepeliri volunt.

Vd.: *Sepult.* (Tertiar., Regul.)

Volentes sepeliri in habitu Religiosorum, non est de necessitate, quod tumulentur in ecclesiis eorum, quorum est habitus, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint, prout eorum relinquitur arbitrio a Leone X. constit. incip.: *Dum intra*, ibi: Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustro non degentes sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint." Et sic statuit etiam S. Congr. Episcop. et Regular. in Novarien. 23. Novembris 1582 apud Pignatell. tom. 1. consult. 17. n. 20. rescribens illius civitatis Episcopo in haec verba: „V. S. non permetta in modo alcuno, che i Terziarj si confessino, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle Confessioni da lei, benche siano Frati, perche niun deve confessare senza l'approvazione dell' Ordinario. Facendo intendere inoltre alli Terziarj, che abitano nelle case loro, che s'ingannano pensando, che tutti quelli, che hanno l' abito da Terziario, si debbano senz' altro, quando muojono, sepellire nelle Chiese de Frati, se essi non si sono eletta quella sepoltura, e gli faccia capaci, che non hanno tanti privilegi, quanti forse si persuadono, come si può vedere nel Concilio Lateranense ultimo nella sess. 11. Ne meno e vero, che ognuno, che lascia morende d' esser vestito con l'Abito di Terziario, o di Frate, percio debba esser sepolto nella Chiesa de Frati, se non hanno mostrato più che chiaramente la loro volontà circa l' elezione della sepoltura, ma doveranno esser portati, dove di ragione sarebbero andati senza qell' Abito." Et idem censuit S. Congr. Concilii in Neapolitana 13. Februarii 1666 in responsione ad 9. dubium, quod erat conceptum his verbis:

„*An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia Regularium?*"

S. Congregat. censuit: Negative.

Barbosa tamen lib. 2. jur. Eccles. univ. cap. 10. n. 73 et de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 73. refert sequens decretum: „Suscipientes habitum a Guardiano vel ab alio, cui ille committendum duxerit, et cum eo decedentes, in Ecclesiis ejusdem ordinis ecclesiasticae sepulturae sunt tradendi, si Guardianus propter habitus concessionem et receptionem eos praemonuit, eorum cadavera ibi sepelienda esse," ut censuit S. Congr. in Nepesina 11. December 1615 ad 2, et *Samuel.* de sepultur. tract. 1. controvers. 15. conclus. 12. allegat, ut sequitur, Bullam auream Sixti IV. ibi: „Cum autem nonnulli ad ordines praedictos praedicatorum et minorum spe-

cialiter gerentes devotionis affectum eorum cadavera cum habitu FF. praedicatorum et minorum seu fratrum vel sororum de Poenitentia utriusque ordinis praedicatorum et minorum sepeliri mandent et persaepe antequam moriantur habitum hujusmodi eis postulent exhiberi,"

„Decernimus, habitum hujusmodi per Priorem domus ordinis praedicatorum, Guardianum domus ordinis minorum loci, in quo tales decedere contingit, vel per superiorem Praelatum ipsorum ordinum, domorum seu prioris et Guardiani vel cui illi duxerint committendum dumtaxat et non per alium quavis auctoritate vel praelatione fungentem exhiberi debere. Qui praedictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiunt, et illorum sic indutorum cadavera discooperta nullo pallio seu tegumento superposito deferri posse; Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus."

Adest praeterea declaratio S. Congr. Episc. et Regul. sub his verbis: „Praedicta cadavera recto tramite sunt ad Ecclesias Regularium deferenda cum Parocho, quo requisito expresse, si venire recusaverit, licere tunc eisdem regularibus, etiam ipso invito, portare ad suas Ecclesias."

Rota die 11. Decbr. 1615.

(L. † S.) Antonius Maria, Cardinalis Gallius. V. Theatinus Secr.

„Eadem interrogata S. Congr. a Patribus minoribus: *An in eorum Ecclesiis sepelienda sint cadavera illorum, qui dicti ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt?* Respondit: Id fieri debere, si tamen a Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit aut ab alio Superiore vel altero, cui id Superior committendum duxit, habitum receperunt, ac praedicti Guardianus vel alius Superior hujusmodi suscipientes praemonuerint, eorum cadavera propter habitus concessionem ac receptionem penes ipsos Fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda." Hactenus apud Samuellium loc. cit. concl. 12.

Ad dub.: An in Ecclesiis Fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui ejusdem ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Resp.: Si conditiones in Bulla aurea fel. rec. Sixti Papae IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod a Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint et praedictus Guardianus vel alius Superior eosdem praemonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu religionis decedentes in Ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticae sepulturae esse tradendos: S. Congr. Episcop. et Regul. Die 11. Decbr. 1615.

20) Episcopi.

Ad dub.: Ad quem spectat Episcopo defuncto officia facere? S. C. resp.: Servetur Caer. Ep. lib. 2. cap. 38 n. 3593 ad 1 die 13. Aug. 1701.

Ad dub.: An spectet ad Dignitates gradatim juxta eorum ordinem vel potius ad Canonicos Episcopo defuncto officia celebrare? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. N. 3855. ad 3 die 26. Aug. 1713.

De vestib. def. Episcopo induendis vd.: *Sepult.* (Sacerd. def.); *Paramenta Episcopi post obitum.*

Sepult. (Cardin.; delat. cadav.)

Episcopi decedentes in propria dioecesi, non electa Sepultura nec habentes sepulchrum majorum, sepeliri debent in propria Cathedrali tamquam sua sponsa; si vero decedant extra dioecesim et commode possint deferri ad propriam Cathedralem, sunt in ea tumulandi. Si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in Ecclesia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea ratione dignitatis eorum praesumitur voluntas. *Card. Petra* n. 36., *Sperell.* decis. 87. n. 42., *Antonell.* loc. cit. n. 28., *Panimoll.* decis. 5. Adnot. 3. n. 45., *Matthaeucc.* n. 11. et alii passim. *Quod si habeant duas Ecclesias aequaliter unitas, sepeliendi sunt in ea, in qua deceserunt, at si non sunt aequaliter unitae sed una alteri subjecta, sepeliri debent in principali. Card. Petra* n. 23. et alii.

21) Facienda.

1) A Canonicis parochis Cathedr. etc.

Vd.: *Processio funebris.* (Praecedent.; praecipue decr. n. 4673); *Sepultura* (a par. fac. de die 5. Julii 1592 et n. 2827; 2442.) *Paroch.* (praec.) Vd.: t. II. p. 819 nota ad decr. n. 4592 *ad 5.*)

Ad dub.: An electa a parochiano s. Victoris sepultura in Ecclesia Colleg. et recusante illius Curato levare cadaver liceat Capitulo levare et deferre illud ad propriam Ecclesiam? S. C. resp.: Perquisito, expectato per congruum tempus et renuente Parocho affirmative. N. 4407 ad 16 die 10. Septembris 1782.

Quando cadavera Canonicorum Parochiae Cathedralis cum interventu Capituli ad eandem Ecclesiam tumulanda deferuntur, officium facere super eisdem cadaveribus, ad Archipresbyterum, cui adnexa est cura animarum Cathedralis, spectare. N. 3200 die 30. Julii 1689.

Ultra associationem cadaverum et recitationem officii Capitulum Cathedralis non potest levare cadavera decedentium in parochia s. Martini, qui sepulturam elegerint in dicta Cathedrali vel ibi Capellas aedificaverint, nisi requisito parocho s. Martini. N. 836 die 18. Aug. 1629.

Capitulum Navar. conquestum est de Canonicis Colleg., quod ausi sint processionaliter ingredi limites parochiae Cathedralis pro efferendo quodam cadavere ad eorum Collegiatam absque licentia et interventu Parochi proprii. S. C. resp.: Nullo modo licuisse Canonicis Colleg. ingredi parochiam Cathedr. irrequisito et non expectato proprio parocho et cadaver fuisse sepeliendum in Parochia, sub qua decessit, sed non propterea justis de causis esse exhumanandum; omnia autem emolumenta funeralia esse per Canonicos restituenda parochiae Cathedr. absque ulla replicatione, prout in effectu integraliter restitui, et a similibus in posterum abstineri. N. 798 die 15. Jan. 1633.

Non licere Canonicis *extra* Cathedralem officium facere super cadaveribus sed hoc munus spectare ad Curatos illarum Ecclesiarum, in quibus cadavera debent tumulari. N. 980 die 5. Mart. 1633.

Quando aliquis Parochianus s. Petri eligit sepulturam in Ecclesia s. Georgii, praepositus s. Georgii officium super cadavere etiam praesente Archipresbytero et Clero s. Petri facere debeat. N. 1047 ad 10 die 6. Septbr. 1636.

In funeralibus defunctorum parochiae Cathedralis, quae deferuntur ad sepeliendum in Ecclesiis Regularium existentibus intra fines parochiae Collegiatae, onus functionis tum in via tum ante januam Ecclesiae spectat ad parochum Cathedralis. N. 2119 ad 3 die 2. Julii 1661.

In funeribus defunctorum, qui veniunt extra civitatem ad sepeliendum in Ecclesia societatis Jesu sita intra fines parochiae Collegiatae, onus functionis spectat ad parochum Cathedr. N. 2119 ad 4 die 2. Julii 1661.

Dum Capitulum Colleg. fuerit invitatum ad funus, potest requisito et exspectato Parocho nolente funus levare. N. 2286 ad 6 die 12. Julii 1664.

Officium super cadaveribus sepeliendis in Colleg. Itri et ex occasione canere missam spectare ad Parochum Collegiatae ac eo absente ad rectorem aut istius digniorem Capellanum dictae Ecclesiae. N. 2516 ad 1 die 13. Septbr. 1670.

Officium faciendum in Ecclesia Collegiata circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectat ad dignitatem Colleg. N. 2286 ad 7 die 12. Julii 1664.

Andrien.

Ad dub.: An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione parochianorum defunctorum intra ambitum Cathedralis et tumulandorum in Ecclesia s. Nicolai aut in alia ambitus ejusdem Ecclesiae in casu? S. C. resp.: A. Vicario Cathedr. Die 15. Septbr. 1770.

2) A Capellanis confraternit.

Ad dub.: An possint Capellani Confraternitatis mortis facere off. funebre super cadaveribus defunctorum sive Confratrum sive eligentium sepulturam tam eorum, qui subjecti sunt parocho, quam tumulandorum de aliena parochia sine interventu parochi s. Severi? S. C. resp.: Affirmative, quatenus tumulandus sit de aliena parochia. N. 3911 ad 4 die 9 Julii 1718.

Ad dub.: An pertineat ad parochum vel potius Capellanum Confraternit. facere off. funebre super cadaveribus eorum, qui non sunt parochiani, sepeliendis in Ecclesia Confraternitatis? S. C. resp.: Negative ad parochum, affirmative ad Capellanum. N. 3928 ad 7 die 13. Maii 1719.

Cf.: *Stola in funeribus; Sepult.* (a par. fac. decr. de die 12. Jan. 1704; *in eccles. Confrat.*)

Ad dub.: An liceat Confraternitati sepelire in paroch. eccles. cadavera confratr. et consororum, qui ibidem elegerint sepulturam, et an ejusdem Capellanus absente parocho valeat officium aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere? S. C. C. resp.: Affirm. quoad primam part., negat. quoad secundam, nisi parochus vocatus renuat vel alium sacerdotem non substituat. Die 28. Julii 1724.

Orator. publ. (functiones etc.)

3) Ab eo, cui consuetudo immemorab. est.

Jus sepeliendi per consuetudinem acquiri posse affirmant *Ursaya* disc. 17. n. 63 et seq. tom. 4. part. 2., *Scarfanton.* ad Ceccoper. addit. 48. n. 64.

(Ex resol. diei 13. Junii 1789. *Ravenaten.*)

4) A Parocho saeculari.

Cf.: *Stola in funerib.; Moniales* (sepultura). *Diaconus.; Sepult. Canonicorum.; Cadaver* (jurisdictio); *Process. fun.* (via per al. paroch.); *De sepultura Graecor.* vd.: *Unctio in Baptismo Italo-Graecor.* n. XI.; *Paroch.* (praeced.) *Sepultura* (electio); *sepult.* (eorum, qui in habitu etc.; *sacerdotis defuncti.*)

Regulares non debere aspergere cadavera defunctorum sepelienda in ipsorum ecclesia et intonare psalmum: *Exultab. dom. extra eorum ecclesiam,* sed id spectare ad Archipresbyterum Collegiatae parochialis Corinaldi. N. 2652 ad 4 die 12. Augusti 1673.

Non licere haeredibus defuncti vocare aliquam Dignitatem vel Canonicum aut Presbyterum sibi visos ad peragendas funtiones cum stola super cadaveribus invitis et contradicentibus Parochis. N. 2615 die 21. Jan. 1673.

In ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, *etiam Canonici Cathedr.*, sive habuerit sive elegerit sepulturam, ad Parochum ipsius ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Ad dub.: An moriente aliquo Canonico Cathedr. in alia Parochia quam Cathedral. possit Capitulum excludere Parochum ab interventu cum stola et pluviali ad funera seu ei adimere quartam funeralem? S. C. resp.: Manutenendum esse Parochum in exercitio functionum parochial. privative quoad Capitulum. N. 2827 ad 5 die 10. Julii 1677.

Officium super cadaveribus peragere debere rectorem in sua parochiali, etiam quod interveniat Capitulum Collegiatae. N. 1045 ad 3 die 21. Junii 1636.

Jus faciendi functiones in parochiali super cadaveribus spectare ad Parochum non autem ad Capitulum Cathedr. N. 4262 ad 13 die 18. Decembris 1756; n. 2546 die 13. Junii 1671.

Ad Curatos, in quorum Parochiis defuncti obierunt, benedictionem corporum pertinere, non autem ad Regulares extra eorum ecclesiam. N. 328 die 18. Novembris 1606.

Regulares non posse sub praetextu, quod in vita mandaverint testatores, velle sepeliri cum *habitu s. Francisci*, eorum cadavera extrahi de Parochia sine interventu aut de consensu proprii Parochi. N. 1060 die 12. Junii 1638.

Quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, benedictionem in *domo* mortui faciat proprius Parochus, qui stolam deferrens a domo defuncti usque ad ecclesiam, in qua corpus sepelitur, aliis omnibus praecedere debet. In ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, officium faciat et aliis praecedat Parochus ipsius ecclesiae ... quibuscumque non obstantibus. N. 493 dIe 5. Junii 1614.

Parochum teneri associare cadavera in ecclesiis Regularium sepelienda. N. 2733 ad 5 die 22. Junii et 13. Julii 1675.

Quando ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad ecclesiam, non Parochus sed alius sacerdos ejusdem ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris, prosequatur officium a rituali praescriptum. S. R. C. 3. Sept. 1746.

Regularibus nullo modo licere etiamsi specialis alicujus consuetudinis praetextu parochias cum cruce processionaliter aut aliter ad levanda et efferenda cadavera intrare vel illa efferre nisi vocato et exspectato proprio Parocho eoque ibidem praesente, nisi tamen ipse aliter consentiat vel requisitus venire expresse omnino recuset; neque etiam licere eisdem aut in domo aut per viam, dum cadaver ad sepeliendum defertur, illud aspergere neque ante januam Ecclesiae orationem cantare, antequam cadaver intus illam collocetur, etiamsi in eorum Ecclesiis suam defuncti elegerint sepulturam, haec enim omnia proprio parocho competere; ad regulares vero solum spectare facere officium circa cadaver, postquam intus eorum Ecclesias fuerit delatum. N. 576 die 12. Oct. 1619; n. 1611 ad 8 die 25. Sept. 1649; n. 2840 die 20. Novbr. 1677; n. 2909

die 27. Jan. 1680; n. 3722 ad 11 die 9. Maii 1705.

Non licere regularibus intonare *Miserere* sed omnia officia domi et per viam supra corpus defuncti facere ad parochum spectare et pertinere. N. 2771 die 21. Mart. 1676.

Nullo modo licere regularibus levare cadavera de domo propria absque licentia et consensu proprii parochi, in cujus parochia decesserunt, non obstante, quod cadavera sint sepelienda in eorum propriis Ecclesiis. N. 936 ad 1 die 22. Novbr. 1631; n. 2332 ad 3 die 31. Julii 1665; n. 1854 ad 2 die 1. Decbr. 1657.

Cadavera non posse lavari de domo propria nisi cum interventu vel licentia parochi, *quocum concordari debet de hora illa deferendi.* N. 942 ad 1 die 6. Decbr. 1631.

Corpora defunctorum, qui in Ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam paroch. deferenda sed parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae regular., etiam ipsis regularibus non associantibus. N. 1337 die 6. Julii 1641; n. 1574 die 15. Decbr. 1646.

Ad controversiam inter parochos Ecclesiae s. Babilae et Canonicos ejusdem Ecclesiae S. C. resp.: Capitulo interessente alicui funerali seu officio mortuor. etc. spectare ad parochum officium facere et stolam deferre. N. 3048 ad 2 die 11. Mart. 1684.

Curati Cathedralis Navar. conquerebant societatem montis Pietatis velle cum cruce, cotta et stola ingredi eorum parochiam ad deferenda cadavera eorum, qui sunt in dicta societate descripti, contra stylum universalem; S. C. prohibuit, nisi de consensu parochi. N. 689 die 12. Junii 1627.

Ministri Ecclesiae s. Juliani conquesti sunt de Curatis loci praetendentibus facere officium super cadaveribus, quae deferuntur in eorum Ecclesiis sepelienda, nec non cantare missas aliaque facere, ac si essent in propria Ecclesia. S. C. resp.: Non licere. N. 779 die 20. Novbr. 1628.

Jus intonandi antiphonam *Exultabunt* in funeralibus juxta rituale romanum spectare ad parochum non autem ad primam Dignitatem Cathedr., quando Capitulum capitulariter intervenit, et non obstante, quod ipsa Cathedr. in processione praecedere debeat ipsis parochis et quod dictum rituale non disponit in casu, quo Cathedralis interveniat sed parochus cum suo Clero. N. 2538 die 21. Mart. 1671.

Ad parochum solum spectare aqua benedicta cadaver aspergere, antequam levetur e domo et ad eundem pertinere intonare antiphonam: *Si iniquitates* ac officium super cadavere in sua Ecclesia facere. N. 1260 ad 3 die 15. Septbr. 1640; n. 2576 ad 3 die 26. Mart. 1672.

Spectare ad Sacerdotes Societatis Jesu facere funeralia in Ecclesiis propriis super corporibus ibidem sepeliendis, si per se ipsos exercere voluerint, sin vero noluerint, non per exteros presbyteros sed per proprium parochum esse peragenda. N. 1380 die 10. Mai 1642.

Regularibus assentientibus posse clerum saecularem absolutionem et missas defunctorum (exequias) celebrare. N. 1854 ad 1 die 1. Dec. 1657.

Non licuisse neque licere Capellanis sese in obeundis parochialibus functionibus immiscere, cum eaedem ad Parochos privative quoad alios quoscunquae pertineant. N. 1891 ad 2 die 8. Junii 1658.

Confessario monialium s. Clarae,

nullius dioecesis, provinciae Taurin., non competere usum stolae sed neque officium facere super cadaveribus, quamvis in Ecclesia monialium humanda sunt. N. 2162 die 1. Apr. 1662.

Canonicorum Collegiatae sine cura animarum erectae cadavera levare et officium facere circa illa, dum deferuntur ad sepeliendum, spectare ad parochum, in cujus districtu Collegiata posita est, nisi Collegiata gaudeat privilegio apostolico. N. 2209 ad 5 die 17. Martii 1663.

Regulares s. Francisci Vienae non possunt absque parochi consensu in domo defuncti canere officia def. resp. preces aliasque Orationes. N. 2273 ad 7 die 24. Maii 1664.

In Ecclesia, ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici Cathedr., sive habuerit sive elegerit sepulturam, ad parochum ipsius Ecclesiae pertinere officium facere. N. 2442 die 9. Junii 1668.

Ad parochum spectat facere officium super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis confraternitatum et eorum Oratoriis publicis, dummodo tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium. N. 3670 ad 20 die 12. Jan. 1704.

Ad parochum spectat canere missam et facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Oratorio confrat. s. Josephi Terrae majoris Curtis. N. 3832 ad 3 die 22. Novbr. 1710.

Precibus parochorum civitatis et dioecesis Venusinae reclamantium jus canendi missam in funeribus suorum parochianorum, quod quidem jus controvertitur a Capellanis confraternitatum, in quorum Ecclesiis defunctorum cadavera efferuntur, S. R. C. inhaerendo alias statutis rescribendum censuit: „Detur Generale Decretum diei 11. Jan. 1704 ad dub. 20., dummodo defunctus sit parochianus.“ N. 4792 die 27. Aug. 1836.

Ad dub.: An Capellani seu Rectores et Gubernatores Ecclesiae s. Joannis Baptistae seu montis mortuorum de jurepatronatu familiae de Jordano sitae intra fines Parochiae s. Angeli a Macerata Terrae s. Severini possint et valeant anniversaria necnon funeralia circa tumulum et praesente etiam cadavere missam solemnem aliasque functiones tam publicas quam privatas de per se facere absque ulla dependentia a Parocho, eoque minus illius interventu et assistentia? Et S. Rituum Congregatio tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis censuit respondendum: „Affirmative, ita tamen, ut spectet ad parochum peragere officium funebre praesente cadavere ad formam decretorum generalium n. 20.“ Et ita decrevit ac servari mandavit. N. 3721 ad 1 die 9. Maii 1705.

Parocho Mordani competit jus exercendi funeralia super cadaveribus in Ecclesia s. Francisci, olim regulari, nunc suppressa, existente intra fines suae parochiae, maxime si cadaver non est de ejus parochia. N. 3812 ad 2 die 13. Julii 1709.

Potest Parochus super cadavere exposito in Oratorio confraternitatis intra limites suae parochiae existente officium funeris peragere et missam sol. celebrare privative quoad Capallanos confraternitatis. N. 3784 ad 2 die 28. Apr. 1708. Idem decr. pro confraternitate s. Mariae Confalonis sub n. 3850 ad 1 die 11. Febr. 1713.

Prior ... Congregationis s. Philippi N. Placent. non potest facere officium funebre super cadaverib. def. in suo Oratorio. N. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714.

In Ecclesiam restituto funere, in qua Capitulum nullam habet parochialem

jurisdictionem, non ad primam Capituli dignitatem spectat funeris officium peragere seu exequias celebrare cadaveris sibi non subjecti sed potius ad parochum, intra cujus parochiae fines sita est Ecclesia, in qua cadaver eidem parocho ratione domicilii subjectum est tumulandum. N. 4484 ad 2 die 22. Jan. 1803. *Tiburtina.*

Parochi jurisdictio supra defunctum durat quousque transeat in aliorum jurisdictionem; non transit autem in jurisdictionem regularium, nisi quando pervenit ad fores Ecclesiae eorum (28. Febr. 1708). Et sicut non licet parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiae regularium, consuetas recitare preces supra cadaver, ita non poterunt regulares antequam vere et realiter sit cadaver intra limites propriae jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico, qui actus ad summum unice spectaret ad parochum. N. 4119 ad 13 die 2. Septembris 1741.

Sorana.

Quum intra limites parochialis Ecclesiae s. Restitutae civitatis Soranae sit Ecclesia, antea juris ordinis Conventualium, s. Francisco Assisiensi dicata et modo cuidam sodalitati concessa, enunciatae s. Restitutae parochus a S. Rituum Congregatione humillime petiit declarari, an in casu, quo aliquis ex suis parochianis vita functus in Ecclesiae praedicta sodalitatis ecclesiastica sepulturae demandari debet, de quo ipse parochus officium funebre ducere tenetur, in hoc funebri officio comprehendatur etiam missa solemnis ante tumulationem? Et sacra eadem Congregatio ad Quirinales aedes hodierna die in Ordinario coetu coadunata ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „Affirmative ut in una Imolen. Jurium Parochialium die 13. Julii 1709.“ Et ita rescripsit atque decrevit. Die 28. Julii 1832, n. 4693.

Etiam circumscripta consuetudine advenas et pertranseuntes in Cathedralibus et reliquos in parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos. S. C. Ep. 5. Julii 1592.

Spectare ad parochos sepelire et ad proprias parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio *recepti* sepultura non electa decesserant. S. C. C. 20. Jan. 1674.

Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur. S. C. Ep. 5. Maii 1617 et 31. Maii 1646.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

Vita functo de mense Decembris anni 1704 Balthasare Cenzio parochiano Ecclesiae s. Gregorii de Curiis hujus civitatis nulla facta electione sepulturae contenderunt PP. s. Francisci minorum Conventualium ejusdem pariter civitatis defuncti cadaver contumulandum in eorum Ecclesia in sepulchro Antonii Croti, sub praetenso fundamento, quod esset sepulchrum majorum, nec non ratione consuetudinis: sed ex adverso renitente Felice Forlano altero ex rectoribus praefatae parochialis Ecclesiae s. Gregorii controversia inducta fuit coram Vicario Capitulari tunc temporis, qui sine praejudicio Ecclesiae parochialis decrevit praedictum cadaver contumulari in dicta Ecclesia s. Francisci in sepultura praefati Antonii Croti. Recursum proinde habuit praedictus rector ad hanc S. C. pro restitutione cadaveris ad propriam parochiam una cum emolumentis funeralium, et requisitus modernus Episcopus desuper informare praemissa confirmando retulit ex constitutione synodali Episcopi Altini sui Antecessoris praescribi cadavera de-

functorum tumulari debere in Ecclesiis parochialibus, sub quibus degunt, dummodo alias non extet sepultura Patris, minime comprehensa sepultura Matris, et quatenus ante obitum illam non elegerint; afferuntque ulterius defunctum Balthasarem extitisse haeredem et nepotem ex latere materno Antonii Croti, praetereaque unicum sepulchrum adesse in antedicta Ecclesia s. Gregorii, in quo aliquando humata fuerunt cadavera parochianorum tam civium quam rusticorum, atque PP. e contra allegasse consuetudinem contumulandi alienos parochianos; iisdemque PP. informans subdidit jussu hujus S. C. usque sub die 2. Aprilis anni prope defluxi se terminum unius mensis praefixisse ad deducenda jura in eadem S. C., in qua hodie proponitur EE. VV. decidendum infrascriptum dubium:

An sit locus exhumationi cadaveris Balthasaris et restitutioni emolumentorum per Patres perceptorum in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad utramque partem sed stante lapsu temporis non esse deveniendum ad exhumationem.

Die 12. Januarii 1709.

Ad dub.: An Confraternitas SS. Conceptionis terrae Brixilli salvis juribus parochialibus jus habeat sepeliendi cadavera defunctorum, qui in ipsius Oratorio sepulturam elegerint?

S. C. resp.: Negative.
Die 20. Novbr. 1762.

Ad dub.: I. An in occasione delationis cadaverum sive Parochiae s. Crucis sive alienae ad ecclesiam exteriorem monialium Capucinarum Parocho s. crucis pertineat jus funerum cum cruce et stola privative ad confessarium dictarum monialium, et an in supposito debeatur ipsi Parocho quarta funeris cerae etiam positae super altare, esto quod cadaver sit alienae parochiae?

II. An possit Parochus in eadem ecclesia et in suffragium defunctorum inibi tumulatorum explere anniversaria cum officio et missa in cantu, sive ex devotione haeredum sive ex dispositione testatorum?

S. C. C. resp. ad I.: Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative;

ad II.: Affimative quoad anniversarium relictum a Petrellio, quoad alia coadjuventur probationes.

Die 23. Aug. 1727.

Ad dub. I.: *An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae s. Nicolai et tumulandorum in Ecclesia Cathedrali in casu?*

II.: *An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiae s. Nicolai et tumulandorum in Ecclesiis saecularibus sitis in ambitu Ecclesiae Cathedralis?*

III.: *An et a quo exercitium parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorm in ambitu Cathedralis in casu?*

S. C. resp. ad I.: A Vicario s. Nicolai;
ad II.: A Vicario s. Nicolai;
ad III.: A Vicario s. Nicolai.
Die 15. Septbr. 1770.

Advenae seu hospites aliique casu decedentes in regularium Conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in Parochiali; cap.: *In nostra 10* de sepulturis, ubi expresse cavetur non posse regulares sepelire nisi eos, qui vere in suis Ecclesiis sepulturam elegerint. Et ita censuit S. Congregatio Concilii in Ripana 3. Februarii 1652,

nempe non licere regularibus commoranti per aliquot dies in eorum Conventu ibique defuncto omnia Sacramenta ministrare et in eorum Ecclesiis dare sepulturam sine licentia Parochi, cui quarta funeralis debetur. Sic referunt *Pignatell.* tom. 1. consult. 306. n. 1., *Card. Petra* tom. 1. Comment. in Constitut. 9. Innocentii III. n. 49. et alii. Idem eadem S. Congregatio Concilii in Ravennaten. 20. Jan. 1674 censuit: „Spectare ad Parochos sepelire et ad proprias Parochias deferre cadavera eorum, qui in monasterio recepti sepultura non electa decesserant.“ Item eadem S. Congregatio Concilii in Gerunden. 3. Februarii 1694. Expugnato enim a Gallis praesidio de Roses in eodem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad Conventum s. P. Dominici Gerundae, ubi Parocho irrequisito Sacramentis munitus decessit et sepultus fuit. Qua de re proposito dubio:

„An dicto militi Fonsecae potuerint religiosi, irrequisito Parocho, Sacramenta ministrare et corpus deponere?“ S. Congregatio respondit: Detur decretum in Nullius 19. Septembris 1637 tenoris sequentis. „Quidam miles occasione infirmitatis divertit in monasterium regularium ibique ab eisdem Sacramentum Eucharistiae pro Viatico et extremam unctionem recipit et exinde obiit, Parocho, intra cujus fines monasterium existit, reluctante.“

Quaeritur: *an administratio hujusmodi regularibus esset permissa?* S. Congregatio respondit: Non esse permissam; *Card. Petra* tom. 2. Comment. ad Constitut. 9. Innocent. III. sect. unic. unic. n. 49., *Pignatell.* tom. 1. consult. 306., *Passerin.* de statib. hominum tom. 2. pag. 187. art. 2. n. 229. et seq., *Bordon.* oper. moral. tom. 3. resolut. 51. n. 216., *Matthaeuccius* offic. Curiae quoad sepulturam cap. 58. n. 14., *Antonell.* de regimine Eccles. lib. 1. cap. 12. n. 11. vers.: Infertur tertio, ubi sic expresse dicit: „Infertur tertio, eos, qui hospitii causa recipiuntur in Conventu regularium ibique infirmantur et moriuntur, in parochiali Ecclesia sepeliendos esse;“ et sic alii.

Si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens et casu moriatur in aliena Parochia, non debet sepeliri in hac aliena sed in Parochia proprii sui domicilii, quia per istum egressum vel brevem absentiam non amisit propriam Parochiam nec alteram acquisivit: *Pignatell,* tom. 4. consult. 151., La Croix loco cit. n. 230. et alii.

Occisus seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum; *l. cum in diversis 44. ff. de relig. et sumptib. funer.* Et sic servat praxis et communis consuetudo, quae est optima legum interpres; cap.: *Cum dilectus 8. de consuet. l. Si de interpretatione 37. de legib.*

Ad Parochum spectat officium facere supra corpus defuncti domi et per viam et non ad regulares, quamvis in eorum Ecclesiis sepeliri debeat. S. Congregat. Concil. in Catanien. Civitatis Platiae 12. Octbr. 1619.

5) A Rectore Ecclesiae.

Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam non Parochus sed alius Sacerdos ejusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris prosequatur officium a Rituali romano prae-

scriptum. Sic S. R. C. servandum esse censuit in Ecclesia PP. Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii in civitate Mexicana ... die 3. Sept. 1746 *in Mexicana in Indiis occidentalibus.*"

Mediolanen.

Inservientes ecclesiae non parochiali s. Mariae apud s. Celsum Mediolani turbati a Parochis defunctorum, qui in dicta ecclesia sepulturam elegerunt, praetendentibus ad ipsos Parochos pertinere officium facere super cadaveribus, quotiescumque defunctus obiit in aliqua ipsorum ecclesia parochiali, supplicarunt pro bono pacis et ad evitanda scandala declarari, hoc eis non licere extra proprias parochias, juxta alias resoluta. Et S. Congregatio, ad relationem Emmi D. Gregorii, inhaerendo decretis alias in similibus factis, respondit, excepto proprio Parocho, inter cujus limites ecclesia s. Mariae apud s. Celsum existit, aliis Parochis in supradicta ecclesia non licere officium facere aut alia munera funeralia exercere super cadaveribus, quae ibi tumulari debent, et in ita proposito casu servari mandavit.

Die 29. Novembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 246.)

6) A Regularibus.

Vd.: *Processio funebr.*, (crux etc., exitus); *Confrater.*; *Quarta funer.*; *Stola*; *Sepult. in eccles. (Regul., Monial.; Canonici)*; *Defunctus.*; *Eleemosyna pro funer.*; *Sepultura parvul.*; *Commun. pasch.* (Ecclesia). Vd.: *Constitutio Innocent. X. in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 414.* (ed. Luxenburg 1727) *de die 22. Februarii 1645.*

Non licere *Capitulo* ingredi Ecclesiam monachorum cum cruce et officia supra cadavera et alia munia peragere. N. 2708 ad 3 die 4. Aug. 1674; n. 4430 ad 3 die 18. Septbr. 1787.

Rector loci non potest facere officium super cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesia fratrum s. Georgii. N. 853 die 23. Mart. 1630.

Regulares posse *in eorum Ecclesiis* sepelire absque Parochi interventu viros hujusmodi collegialiter viventes aut cum claustralibus habitantes necnon mulieres, virginalem vel caelibem aut castam vidualem expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes. Quodsi Tertiarii vel Tertiariae his carent qualitatibus, non esse sepeliendos in Ecclesia regularium, nisi ipsi, dum vixerint, in ea elegerint sepulturam. S. R. C. n. 407 ad 4 die 30. Junii 1609. S. C. E. 11. Decbr. 1615.

Ad dub.: An in ecclesiis fratrum sepelienda sunt cadavera eorum, qui ejusdem Ord. habitu induti ex hac vita discesserunt? S. C. Ep. resp.: Si conditiones in bulla aurea fel. rec. Sixti P. IV. contentas in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet, quod a Quardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac praedictus Quardianus vel alius Superior eosdem praemonuerit, eorum cadavera propter habitus concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda; eo casu cum habitu religionis decedentes in ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticae sepulturae esse tradendos.

Die 11. Decbr. 1615.

Si contingat aliquas ex Tertiariis sine sepulturae electione decedere, eae sic decedentes ita demum in ecclesiis Ord., cujus habitum assumserunt, sepeliri debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur; sin minus, in eccles. par. sepeliendas esse. S. C. Ep. 20. Decbr. 1616.

Vocato Parocho et ipso renuente intervenire vel alterum mittere regu-

laribus licere absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. Quo vero ad emolumenta per Parochum praetensa nihil dandum ultra solitum. N. 2733 ad 6 die 22. Junii 1675; n. 2846 ad 1 die 20. Novbr. 1677.

Parochus se ingerere non posse in faciendo super cadaveribus officio in Ecclesiis regularium sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare. N. 1337 die 6. Julii 1641; n. 1574 die 15. Decbr. 1646; idem decret. n. 1576 die 12. Jan. 1647 cum append: „Et Clerum teneri usque ad portam Ecclesiae defunctos comitari." N. 2909 die 27. Jan. 1686; n. 3722 ad 10 die 9. Maii 1705; n. 3881 ad 3 die 14. Decbr. 1715.

Non licet aditus Parocho processionaliter cum cruce, stola et superpelliceo ingrediendi Ecclesias regularium, quando cadavera in eorum Ecclesiis sepeliuntur, comitando tantummodo defuncto, nisi adsit contraria consuetudo immemorab. formiter et legitime probanda. N. 2836 ad 1 die 20. Novbr. 1677; n. 2840 die 20. Novbr. 1677; n. 3722 ad 9 die 9. Maii 1705.

Parochum teneri relinquere cadaver ad januam Ecclesiae regularium. N. 3603 ad 3 die 3. Decbr. 1701.

Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium sepeliendis fieri debere ab ipsis Regularibus, non autem a Parochis defunctorum. N. 2902 die 2. Septbr. 1679; n. 745 ad 2 die 28. Junii 1628.*)

Delato et exposito cadavere in Ecclesia regularium Parochus non potest super eo intonare: *Regem, cui omnia* etc. et alia. N. 2309 ad 3 die 24. Jan. 1665. Idem decretum n. 2375 die 26. Junii 1666 cum appendice: „non autem ad Parochum vel alios de Capitulo Cathedr. spectare intonare antiphonas etc.

Non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quo minus juxta dispositionem juris communis possint in eis sepelire corpuscula parvulorum, quando in eorum Ecclesiis adest sepulchrum majorum vel concurrente consuetudine ab eorum Patribus est electa sepultura in praedictis Ecclesiis; curare autem debere eosdem Regulares, ut habeant coemeterium separatum pro sepulturis parvulorum. N. 590 die 12. Decbr. 1620.

Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium fieri debere per ipsos Regulares, non autem per alios Curatos etiam Cathedralium, non obstante quacunqne contraria consuetudine. N. 795 die 10. Febr. 1629; n. 831 die 18. Aug. 1629.

Immemorabilem consuetudinem per Capitulum Andrien. praetensam non esse probatam et officium super cadaveribus in Ecclesia PP. minorum ad ipsos spectare, non obstante contraria immemorabili. N. 913. die 5. Julii 1631.

In his decretis includi et comprehendi proprios Parochos seu Curatos defunctorum. N. 956 die 30. Apr. 1632; n. 1099 die 27. Novbr. 1638*); n. 1103 die 9. Decbs. 1638; n. 1289 die 26. Jan. 1641; n. 1329 die 11. Maii 1641; n. 1347 die 11. Novbr. 1641; n. 1549 die 13. Jan. 1646.

Patres Dominicanos Balneoli manutenendos esse in possessione libertatis de jure competentis in eorum

---

*) Confirmat. per decr. S. C. Ep. et Regul. die 16. Decbr. 1661 et per Breve Clem. X. die 18. Jan. 1672. (Bullar. mag. tom. VI. p. 381 ed. Luxenburg 1727); *et per Breve Clem. X. die 3. Aug. 1672.* (Ibid. append. ad tom. VI. p. 25.)

*) Confirmatum per Breve Alex. VII. die 30. Apr. 1660. (Bull. mag. rom. tom. VI. p. 123; ed. Luxenburg. 1727.)

Ecclesiis faciendi super cadaveribus asportandis omnes functiones necessarios n. 2390 die 15. Jan. 1667.

Regulares oppidi Massae non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in eisdem sepelienda, sed sufficere, quod illi expectent ante januas.

S. R. C. die 22. Junii et 13. Julii 1675. S. C. Ep. et Reg. 17. Aug. 1708.

Canonicis Cathedr. Gravinae non licet asportare ad eandem Ecclesiam cadavera quorumcunque Clericorum, licet elegerint sepulturam in aliis Ecclesiis etiam Regularium, atque in eadem Ecclesia funus peragere et postea consignare hujusmodi cadavera clero Ecclesiae tumulantis cum retentione tamen illius partis cerae dumtaxat, quae circa cadavera exposita fuerat. n. 3533 die 3. Octbr. 1699.

Quando religiosi s. Francisci Vienae defunctum non comitantur, tenentur exire conventualiter cum cruce elevata extra portam conventus quotiescunque defertur defunctus sepeliendus in Ecclesia Conventus, et permittere ut beneficiati ingrediantur Ecclesiam et possint assistere exequiis sed non canere. N. 2273 ad 8 die 24. Maii 1664. Quando cadaver est sepeliendum in Ecclesia regularium, si Parochus vocatus recusat accedere vel alium mittere, regulares possunt ducere cadaver ad Ecclesiam etiam sine Parocho. N. 3750 ad 4 die 18. Septbr. 1706. Capitulum et clerus Cathedr. Alexani accedentes cum canonico curato ejusdem Ecclesiae ad assoc. cadav. sepelienda in ecclesiis min. conv. et Capucinorum possint ingredi Ecclesias dictas cum cruce elevata et sine stola sed ipse et Capitulum funeri *tantum assistere* possunt. N. 4082 ad 1 et 2 die 21. Mart. 1739.

Ad dub.: An Parochus ingredi possit Ecclesias regularium cum stola et cruce ibique officium et functiones peragere?

S. R. C. resp.: Negative.

Die 2. Aug. 1698.

Ad dub.: An postquam patres reformati per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum vel illius coadjutorem, possint absque iisdem asportare cadaver ad eorum Ecclesiam?

S. C. resp.: Affirmative, intimato tamen prius et expectato per horam Archipresbytero vel canonico coadjutore.

Die 24. Julii 1734.

(Anal. J. P. 1858 p. 779.)

Bononien.

Ut consuleret princeps optimus Paulus III. indemnitati Patrum minorum s. Francisci de observantia, qui incolebant monasterium extra moenia Terrae Centi perpetuis Rheni fluminis exundationibus perculsum separavit anno 1538 ab Ecclesia ss. Petri et Pauli ejusdem Terrae ecclesiasticum beneficium, cui animarum cura annexa erat, eoque ad simplicis naturam redacto Ecclesiam aedesque conjunctas iisdem patribus concessit, ea data lege ut Sacerdotem eligerent, qui curam animarum exerceret. Servata fuit haec lex ad nostra haec tempora; at cum curam illam obtinuisset Sacerdos Jo. Philippus Monteforti, exortis inter eum et patres pluribus controversiis, sacratissimus princeps noster eas praecidit anno 1749 constitutione sua, qua separavit curam animarum a dicta Ecclesia ss. Petri et Pauli eamque transtulit in Ecclesiam saecularem sodalitii s. Sebastiani et Rocchi. Nova tamen inter eumdem Parochum et patres exorta est controversia; contendit enim Parochus jus sibi esse ingrediendi Ecclesiam patrum cum stola et cruce elevata, si ad illam deferenda sint corpora eorum, qui condi in ea voluerunt. Ut igitur patres iis turbis oc-

currerent, quae hisce casibus evenire solent, preces obtulerunt sacro huic tribunali auditoque Vicario generali Bononiensi censuit hic secundum Parochum esse respondendum, quod generalis et vetustissima in Terra Centi sit consuetudo, ut Parochi in elatione cadaverum ingrediantur Ecclesias regularium cum stola et cruce elevata.

Proponitur nunc causa et disputant patres hanc consuetudinem, si vera esset, contra jus esse: placuisse siquidem in hac crebris doctorum disputationibus vexata quaestione negativam sententiam hanc sequi sacras Urbis Congregationes, hanc probasse Summos Pontifices, *sublata* cuicumque judici facultate secus judicandi cum *decreto irritanti;* cum igitur res sit de consuetudine contra jus, necesse omnino esse, ut plenissime probetur et contradicto etiam judicio confirmatam fuisse monstretur: nihil horum probari a Parocho, et si probaretur, nihil esse, quod non monstretur eam locum habuisse in hac, de qua agitur, Ecclesia, cum Parochus eam ingressus quidem fuerit cum stola et cruce a duobus retro saeculis, at non jure servitutis, neque animo acquirendi jus contra libertatem regularium, sed quia parochialis erat et in ea exercitium curae animarum habebat electus ab ipsis Patribus: quidquid igitur de hac consuetudine sit ratione aliarum Ecclesiam regularium, quae sunt in Terra Centi, non posse eam concludi ratione hujus Ecclesiae Patrum minorum, neque porrigi posse ad eas Ecclesias, quae suam libertatem servarunt. Cessare autem disputationem omnem, cum consuetudo haec generalis et vetustissima ex facto desit etiam ratione aliarum Ecclesiarum regularium, ut testibus probatur, qui de facto proprio deponunt: Ratione vero Ecclesiae ss. Petri et Pauli rem esse apertam ex facto ipsius Parochi Monteforti, qui in elatione cadaveris Lucretiae Gatti perventus ad fores Ecclesiae Patrum deposuit illud abiitque. Haec Patres: a Parocho nihil habuimus. Dubium est:

An in associando cadavera sepelienda in ecclesia s. Petri minorum de observantia Terrae Centi liceat Parocho ingredi cum stola et cruce elevata; seu potius teneatur ad ejusdem Ecclesiae fores sistere ibique ultimum vale defuncto dare in casu?

S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Die 18. Septbr. 1751.

„Officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium per ipsos Regulares, non autem per Parochos defunctorum peragi debere. Die 9. Decbr. 1638 in Albanensi.“

Non potest Parochus (nisi adsit consuetudo) occasione funerum ingredi Ecclesiam regularium cum stola et cruce. S. Congr. Rit. in Vadens. juris funerandi 2. Aug. 1698 et S. Congr. Concil. in Ebrunden. Jur. Paroch. 25. Jun. 1695 in responsione ad X. Potest tamen Parochus assistere functioni tamquam unus de populo. S. Rit. Congr. in Mantuana funerum 21. Novembris 1699, apud Monacell. form. legal. pract. tom. 1. tit. X. fom. 18. n. 13.

Parochi defunctorum in regularium Ecclesiis humandorum possunt eorum corpora usque ad easdem Ecclesias associare ac etiam in illis permanere absque tamen eo, quod in officio decantando nullatenus se intromittant, nisi contraria adsit consuetudo. S. Congr. Episcop. et Regularium in Nicoteren. 6. Jun. 1614.“

7) Ab uno eodemque Sacerdote, qui missam celebrat.

Vd.: *Absolutio* (decr. n. 5221.); *t. II. p. II. pag. 57 decr. Sorana.*

22) Gestus Moerentium.

Episcopus impediat cum omni diligentia ac pastorali solicitudine abusum gentilitatis, quod feminae in funere suorum liberorum, parentum aut maritorum capillos vellant; poenas autem exigendas ipse non retineat sed apud depositarium deponat. S. Congr. Episcop. et Regular. 20. Apr. 1587.

Vd.: *Visit. de funerib.*

23) Graecorum inter Latinos viventium et viceversa.

Vd.: *Ritus graec.* (const. Bened. XII. *Et si pastoralis* §. 2. n. 11. 12.)

24) Gratis facienda.

Ad dub.: An Presbyteri tumulare gratis teneantur cadavera personarum miserabilium, quaeque dicendae sint personae miserabiles?

S. C. C. resp.: Servetur Synodus Dioecesana.

Die 26. Jan. 1726. Montis Cassini ad 11.

Vd.: *Sepult. paup.; t. III. p. II. pag. 57.*

25) Haereticorum et Excommunicatorum Ecclesiam polluit.

Vd.: *Profanatio Eccles.* (Modi); *Sepult.* (qui capac. non sunt.)

26) Impuberum.

Vd.: *Sepult.* (electio p. 47.; parvulor.) *Visit. de funerib.*

27) Ingressus in Eccles.

a) Licet.

Vd.: *Sepultura* (Ingressus non licet; decr. n. 2846.) *Sepultura* (a Parocho, a Regul. facienda); *Process. funebr.* (crux Cathedralis, Colleg., eccles. tumul.)

Parochi saeculares cadavera deducentes ad Ecclesias regularium ingredi possunt cum stola et cruce ad Ecclesias praedictas, dummodo statim discedant et ad propria revertantur, absolutionem regularibus peragendam dimittentes. N. 1801 die 10. Junii 1656; n. 244 ad 6 die 9. Junii 1668.

Licere Parocho ingredi Ecclesias regul., dummodo non faciat officium. N. 3603 ad 2 die 3. Decbr. 1701.

Licet Parocho et Canonicis Cathedr. Tusculi occasione funerum ingredi Ecclesias PP. Societatis Jesu cum stola et cruce. N. 3731 die 22. Aug. 1705.

Licet Parocho Camerini in associandis cadaveribus ad Ecclesiam s. Francisci minor. de observ. ingredi dictam Ecclesiam cum cotta et stola. N. 3961 die 23. Septbr. 1734.

b) Non licet.

Vd.: *Processio funebr.* (crux Cathedr. etc.; exitus a Cathedr., Colleg. etc.)

In associatione cadaverum Plebano non licet ingredi Ecclesiam PP. minorum Cacelli cum stola et cruce elevata sed potius tenetur ad fores sistere ibique ultimum vale defuncto dare. N. 4210 ad 2 die 19. Septbr. 1750.

Ad dub.: An Parochi teneantur associare cadavera tumulanda in Ecclesia regular. usque ad crucem vel potius ad januam Ecclesiae ibique dare ultimum vale?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et Regulares, quatenus ad associationem cadaveris non fuerint invitati, tenentur expectare et recipere cadavera in janua Ecclesiae eorum. N. 4316 ad 1 et 2 die 7. Maii 1763.

Parochi, postquam cadavera associarunt ad januas Ecclesiae regul., tenentur ab ea recedere, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis legitime probanda vel saltem admitti potest dimissa stola in loco distanti ab officiatura. N. 2846 ad 2 die 20. Novbr. 1677; n. 2902 die 2. Septbr. 1679.

Parochus ingredi non potest Ecclesias regul. cum stola et cruce ibique officium et functiones peragere. N. 3485 ad 2 die 2. Aug. 1698.

Ad dub.: An Parochi Petritoli, postquam cadavera associaverunt ad januam Ecclesiae regul., teneantur ab ea recedere et stolam dimittere nec se ingerere officiatura vel potius liceat eisdem assistere in eadem Ecclesia in decantatione Nocturni et Laudis super cadavere? S. C. resp.: Ad Archiepiscopum in omnibus pro concordia. N. 3750 ad 1 die 18. Septbr. 1706.

Parocho Cathedralis Camerin. occasione associationis defunctorum ad Ecclesiam regul. deposito feretro ante limina Ecclesia non licet preces consuetas recitare; et amplius proponi vetuit. S. R. C. n. 3793 die 1. Septbr. 1708.

Non licet Parochis in associatione cadaverum ingredi Ecclesiam PP. Barnabitarum Spoleti cum superpelliceo, stola et cruce ibique exequiis assistere, reservato jure probandi consuetudinem. N. 3829 ad 1 die 19. Julii 1710.

Parocho Cathedralis Camerini in associandis cadaveribus ad Ecclesiam s. Francisci minor. de Observ. non licet ante discessum a dicta Ecclesia recitare antiphonam: *Exultab.*, et aliam: *Sit nomen Domini* etc. N. 3691 die 23. Septbr. 1724.

Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam non Parochus sed alius sacerdos ejusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et stola vel etiam pluviali nigri coloris prosequatur officium a Rituali romano praescriptum. N. 4184 die 3. Septbr. 1746.

Confirmantur Decreta Congregationis Episc. et Regul. super quarta funerali et ingressu Parochorum cum stola et cruce in Ecclesias regularium.

Innocentius Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Emanarunt nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Ep. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita decreta tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 1. *Parmen.* Funerum. Ab immemorabili in dicta civitate viget consuetudo stabilita, etiam ex constitutionibus plurium summorum Pontificum signanter s. me. Julii II. ac Clem. VIII. et comprobata per constitutiones synodales et canonicata in contradictorio judicio ac per varia decreta hujus S. Congregationis de annis 1671 et 1675, non solum, quod occasione funerum regularibus pateret ingressus cum stola et cruce in Ecclesias saecularium absque tamen aliquo exercitio et idem practicaretur a Parochis intra Ecclesias regularium, sed etiam, quod omnes praefati Regulares persolverent, prout semper persolverunt, quartam eisdem Parochis. Quia vero PP. s. Francisci strictioris observantiae nuper acciti ad dictam civitatem, postquam jam itidem ipsi acceptaverunt dictas laudabiles consuetudines, renuerunt admittere Parochos ad ingressum in eorum Ecclesias cum stola et cruce occasione associandi cadavera, et similiter eisdem quartam persolvere. Habito deinde desuper a Collegio Parochorum ipsius civitatis recursu ad S. Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, eadem S. Congregatio visa relatione Episcopi Parmen., partibus auditis et informantibus, ad relationem SS. D. N. PP. Innocentii XIII. tunc causae ponentis, censuit et decrevit, servandam esse consuetudinem, favore Parochorum in omnibus, sub 21. Martii 1720. Non acquiescentibus partibus adversariis hujusmodi resolutioni reproposita causa ab Eminen-

tissimo Priolo in locum Sanctitatis Suae in ponentem suffecto: Ipsamet S. Congregatio stetit in decisis sub dicta die 21. Martii 1720.

Romae die 14. Novembris 1721.

F. Cardinalis Paulutius J. Archiepiscopus Damascenus Secretarius.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Parochi dictae civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decreta hujusmodi, quo firmius subsistant apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas et validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Mariam majorem sub annulo piscatoris die 24. Augusti 1722.

(Bull. r. t. XIII. p. 57. Ed. Luxbg.)

28) Italo-Graecorum.

Vd.: *Ritus graecus* (constit.: *Etsi pastoralis* t. III. p. I. p. 247. n. XI.—XII.)

29) Jus sepulturae quomodo amittitur?

Jus sepulturae amittitur per simoniam, per rectoris occisionem, per haeresim, per crimen laesae majestatis aut si vivus in ea sepeliatur et aliis modis, de quibus *Lambertin.* de Jurepatronat. lib. 3. q. 9. art. 7., *Samuel.* de sepulturis tract. 1. disput. 1. controv. 8. conclus. 1. et aliis ibi allegatis, *Barbosa* n. 39. et alii.

Sepultura seu capella alicui concessa pro se et suis descendentibus, conventus seu monasterium eis illam auferre nequit, cum talis sepultura vel capella reputentur tamque hospitium, cap.: *Ebron.* 2. caus. 13. quaest. 2. Extinctis vero domino et illius descendentibus tunc potest Conventus libere sepulturam alteri concedere, nam mortuo Usuario usus ille redit ad proprietarium libere, *leg. pen. cod. de usufruct. et l. Si habitatio* §. *final. ff. de usu et habitat.*, *Samuel* de sepultur. tract. 1. controv. 14. concl. 7. et 8. cum pluribus ibi allegatis.

30) Lumina.

Nucerina Paganorum.

De delatione defunctorum sine luminibus s. Congregatio respondit non licere, ac posse ab Ordinario super hoc provideri.

Die 20. Aprilis 1624.

(Anal. J. P. 1863 p. 168.)

Vd.: *Visit. de funerib.*

31) Modus.

Ordinarium non debere permittere, quod in altum cadavera ponantur, sed subtus terram jacere debere. N. 1036 die 16. Febr. 1636.

Nullo modo est tolerandus abusus quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam.

S. C. Ep. et Reg. 17. Mart. 1650.

Ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristae, Ostiarii et alii Cu-

stodes, etiam Regulares, provideant, ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Const. *Cum primum Apostolatus.* 1. Apr. 1566.

Ecclesiae non debent fodi neque excavari pro sepultura sed in sepulchris sive tumbis profundis infra terram Christianorum cadavera sepeliri.
S. C. Ep. 23. Julii 1603.

32) Monachorum.

Vd.: *Sepult.* (electio p. 46.; a Regul. fac.; Regular.); *Quarta fun.* (decr. de die 24. Novbr. 1634); *Breve PP. Urbani VIII. in Bullar. magno rom. tom. 5. p. 384* (ed. Luxemburg 1727.)

Ad dub.: An cum fratres aliqui extra monasterium moriuntur et a curatis sacramenta receperunt, possint ab eorum superioribus ad suas Ecclesias deferri, parochis inconsultis? S. C. C. resp.: Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri etiam Parochis inconsultis. Die 2. Julii 1620.

Episcopo et Parocho nullum jus competit sepulturae super regularem etiam extra claustra vel in domo parentum suorum defunctum. S. C. Ep. 22. Maii 1615.
Vd.: *Lumina.* (In exequiis.)

Clerus saecul. nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra. S. C. Ep. 24. Novbr. 1634; 24. Sept. 1636.

33) Mulierum.

Vd. *Sepultura* (electio.)

Uxor, licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere sibi sepulturam, quia in hoc est sui juris: *Communis*, textu expresso in cap.: *De uxore* 7. de sepulturis, juncto ejus Summario sic expresse dicente: „Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam“.

Si autem uxor decedat non electa sepultura et adhuc superstite suo Marito, debet sepeliri in sepultura Mariti, si hic aliquam jam sibi elegit et determinavit aut jam determinavit sepeliri in sepulchro majorum: *Abbas* in cit. cap.: *De uxore* n. 6., *Barbosa* ib. n. 3., *Pirhing* n. 12., *Reiffenstuel* n. 14., Sylvester verb.: *Sepultura* qu. 8. dict. 5. et alii arg. cap.: *Ebron.* 2. caus. 13. quaest. 2. et sic censuit S. C. R. in Senogallien. 15. Januar 1633 apud Panimol. dec. 5. adnotat. 3. n. 32. Et ratio est, quia Maritus destinatione et determinatione animi jam censetur esse sepultus in tali sibi electa et destinata sepultura. Si autem maritus nondum sibi sepulturam elegerit nec voluntatem suam circa ipsam adhuc declaraverit, uxor est sepelienda in sepulchro suorum majorum, si habeat, vel si non habeat, in Parochia, ubi decedit. arg. cap.: Nos *instituta* 1., cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepultur., cap.: *Animarum* 1., cap.: *Is qui* 3., et cap.: *Licet* 4. eod. in 6.

Si vero uxor remaneat vidua et decedat, non sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulchrum majorum, debet sepeliri in sepulchro mariti: Communis textu expresso in cap.: *Ebron.* caus. 13. qu. 2. ubi etiam redditur ratio his verbis: „Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia uno caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet“; et concordat cap.: *Unaquaeque* 3. ead. caus. et qu. ibi: „Unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita sive in morte.

Et si talis uxor vidua plures habuerit maritos, sepeliri debet in sepulchro ultimi, textu expresso in cap.: *Is qui* 3. de sepulturis in 6. §.: *Mulier,* ibi: „Mulier autem, quae plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda".

Uxor vidua debet sepeliri in sepulchro mariti, etiamsi locum habitationis mutet et redierit ad domum paternam vel aliorsum se retulerit, arg. cit. cap.: *Ebron.* 2. caus. 13. qu. 2. quia in tali vidua aliorsum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe: „Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum"; tale enim privilegium est datum personae et non loco et mulier vidua viduilem vitam servando censetur durare in conjugio viri: *Joannes Andreas* in cit. cap.: *Is qui* 3. de sepultur. in 6., *Silvester* verb.: Sepultura qu. 8. dict. 5., *Pirhing* lib. 3. decretal. tit. 28. n. 12., *Reiffenstuel* ibid. n. 12., *Donat.* tom. 3. tit. 9. qu. 24. n. 9. cum aliis ibi allegatis, *Sperell.* tom. 1. decis. 88. n. 15. cum pluribus aliis ibi citatis, *Panimol.* cit. decis. 3. adnotat. 3. n. 36. et alii.

Non esset tamen uxor sepelienda in sepulchro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta et ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium nec fuisset facta una caro cum ipso, quae sunt motiva, ob quae ex cit. cap.: *Is qui* 3. de sepulturis in 6. et cit. cap.: *Ebron.* 2. caus. 13. qu. 2. uxor debet sepeliri in sepulchro mariti. Sic doctores citati et alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulchro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divortium et totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus domicilium juridice amiserit. Sic citati doctores et alii.

Si uxor moriatur praegnans, foetus in utero existens una cum matre mortuus et non extractus, tamquam pars ventris sepelitur una cum matre in ecclesia, si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, et mater in ecclesia: Communis cum supra citatis doctoribus.

Ad dub.: An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulchro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulchro uxoris? contendunt doctores; *Abbas* enim in cap.: *De uxore* 7. de sepulturis, n. 7. tenet affirmativam sententiam, quam sequitur et probabiliorem asserit Reiffenstuel loc. cit. 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat juris ratio in marito, quae in uxore, cit. cap.: *Ebron* 2. caus. 13. qu. 2. adducta, nempe, „ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt et quos Deus conjunxit, homo non separet". Ubi autem eadem est ratio, eadem quoque est juris dispositio, cap.: *Inter corporalia 2. de translation. Episcop. l. ideo 27. ff. de legibus,* ibi: Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas et ad eas res pertinerent, quae quandoque similes erunt, quia ut expresse dicitur in l. *Non possunt 12. ff. eod.* ibi: „Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut senatus consultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia praecedere atque ita jus dicere debet". *Silvester* loco cit. dist. 5., *Pirhing* n. 10., *Donat.* tract. 9. q. 24. n. 11., *Riccius* 4. part. prax. resolut. 293. n. 3. et

alii partem negativam defendunt, argum. cap.: *Unaquaeque* 3. caus. 13. qu. 2. ubi solum dicitur, quod „unaquaeque mulier sequatur virum suum sive in vita sive in morte", non autem dicitur e contra de viro. Tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, arg., l. *Si ita 45. ff. de legat. 2.*

At hae rationes et jura per auctores secundae negativae sententiae adductae de facili et recte solvuntur a Reiffenstuel loco cit. n. 25., quia dicit ipse, licet maritus non teneatur sequi uxorem et in vita et in morte, sicut uxor tenetur sequi maritum, tenetur tamen maritus sequi uxorem post mortem, si non vigore citati canonis *Ebron* ob rationis et juris omnimodam identitatem, nempe: „Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet"; tum quia canon *Ebrôn* majorem vim praeseferre videtur, utpote depromptus a Papa, nempe Gelasio, quam canon: *unaquaeque mulier* depromptus a non Papa, nempe a s. Augustino, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem uxoris, si aut jura ita exigant aut uxor rationabiliter disponat. Immo est summe laudabile et quandoque necessarium, quod maritus sequatur dispositionem mulieris, praesertim in piis operibus ad salutem aeternam tendentibus; dicit enim apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. n. 14. quod sic faciendo „sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem". Nec in contrarium stat cit. l. Si ita 45. ff. de legat. 2. ab adversariis adducta; ibi enim non id, quod ipsi dicunt, sed solum dicitur quod vocabulo femineo masculum non contineatur, ibi: „Exemplum enim pessimum est feminino vocabulo etiam masculos contineri".

Sepultura non electa si uxor praemoriatur et maritus habeat proprium sepulchrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites Parochiae, ubi mortua est. S. R. C. die 15. Januarii 1633 in Senogallien.

Nulla est inter doctores quaestio, quod, si uxor decedat, nulla sibi electa sepultura, debeat in viri sepulchro tumulari, *ex text. in can. Ebron. 2. caus. 13. quaest. 2.* An autem idem ferendum sit de viro judicium et an cum uxore et in electa ab ea sepultura tumulandus, una non est doctorum opinio. Oratores in exhibita mihi jurium allegatione, ad sociandum viri cadaver cadaveri uxoris se fundant in ratione *textus in cit. can. Ebron.*, ubi habetur, ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt et quos Deus conjunxit, homo non separet. Eadem porro ratio, ajunt, in utroque militat casu, tam viri quoad uxorem quam uxoris quoad virum. Jam vero si eadem militat ratio, eadem quoque ex legali juris regula militare debet juris dispositio. In hac vero et utraque probabili opinionum varietate meam ego sententiam proferre non audeo; sed eam a sapientia EE. Patrum, quorum responsa tamquam leges coli semper consueverunt, ea qua par est veneratione expectabo .... Notandum contra, quod Constantiae praeobiit vir jusque sepeliendi ejus cadaver quaesivit Parochus, cap. *ex parte* et cap. *in nostra de sepult.* Ideoque ex *can. Ebrôn. cap. 13. quaest.* de uxore dici posset, quos conjunxit unum conjugiam, conjungat unum sepulchrum, sepulchrum nempe viri.

(Ex resol. S. C. C. die 15. Decembris 1792 *Vilnen.*)

34) Monialium.

Vd.: *Sepult.* (regul.; electio).

35) Occisorum.

Vd.: *Sepult.* (a Parocho etc.)

Occisus seu casu moriens in confinio duarum Parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam, nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in Parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum; l. *Cum in diversis 44. ff. de relig. et sumptib. funer.* Et sic servat praxis et communis consuetudo, quae est optima legum interpres; cap.: *Cum dilectus 8. de consuet. l. Si de interpretatione 37. ff. de legib.*

36) SS. Papae.

Vd.: *Sepult. Cardinal.*

De obitu Pontificis et de curando ejus corpore ac de vigiliis persolvendis.

Postquam spiritum Creatori reddiderit, legant poenitentiarii officium mortuorum. Cardinales vero debent mox intrare et singuli absolvere defunctum Pontificem, dicentes unum responsorium cum suis versiculis et orationem pro defunctis, videlicet: *Deus, qui inter apostolicos* etc., et ut quisque absolvit, discedit. Cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis et fratres plumbatores lavent ejus corpus, tonsor vero radat barbam. Interim lavetur corpus cum optimo vino albo aromatizato et calido et loca spumantia impleantur aromatibus, mirrha, thure et aloe. Nares et aures impleantur musco et demum bene fricentur manus et totum corpus balsamo, quod cubicularii et sacrista subministrabunt. Post haec poenitentiarii induant eum communes vestes usque ad Rocchetum, deinde sacras ac si esset celebraturus, incipiendo a sandaliis usque ad mitram simplicem, tum et Anulo cum Fanone, Pallio, spinulis et omnibus ornamentis. Paramenta erunt *rubei* coloris; ponent inde corpus ita ornatum super feretrum sive lecticam coopertam aureo panno cum Pontificis et ecclesiae armis et subtus caput cervical ex panno aureo et ad pedes duo alii, super quibus erunt duo pilei pontificales. Corpus lavabitur et ornabitur in camera secreta et ornatum ponetur in lectica sive feretro in camera papagalli; et ibi usque ad diem, si Pontifex in nocte morietur, Poenitentiarii vigilantes et psallentes custodient corpus et habebunt expensas et omnia necessaria a Palatio. Deinde hora competenti, praecedente Subdiacono apostolico cum cruce, et cum cappa sua obscuri coloris, videlicet violacea, cantores capellae cantabunt *Subvenite*; et Poenitentiarii portabunt corpus ad capellam majorem. Portabuntur ante corpus viginti sex aut viginti octo intorticia accensa per scutiferos defuncti. Reliquum familiae sequetur. Cantores et Poenitentiarii cantabunt vesperas et vigilias pro defunctis, quousque venient alii Religiosi. Et nota, quod Camerarius, si non est Cardinalis, debet omnibus, dum fiunt, personaliter interesse. Si vero est Cardinalis, non ipse, sed Vicecamerarius intererit. Collegia Clericorum et Conventus Religiosorum, ut venerint, cantant vigilias, aspergunt et incensant corpus et absolvunt, ut in exequiis Cardinalium diximus.

De funeris deductione et exequiis celebrandis in Basilica s. Petri et de panni distributione.

Postquam omnes absolverint, deducunt funus ad Ecclesiam s. Petri et ibi ponitur corpus in medio ecclesiae; praeferuntur multa intorticia et familia sequitur. Finito officio remanet ibi corpus per biduum aut triduum, ut populus possit illum visitare et os-

culari manum. In nocte reponitur in capella majori et tandem noctu sepelitur. Interdum vigiliae per collegia et conventus non cantantur sed per Canonicos beati Petri defertur corpus ad ecclesiam cum Capitulo et familia. Interim parantur exequiae, erigitur castrum doloris cum lecto et alia fiunt, quae in exequiis Cardinalium supra notavimus; sed largius et abundantius familiares Papae, officiales curiae et urbis officiales, si Romae fit, vestiuntur panno nigro, ut in libris Camerae apostolicae plenius apparet, ad quos vos remittimus. Fiant largae eleemosynae pro anima Pontificis religiosis viris et mulieribus per Camerarium et thesaurarium et maxime si camera est dives. In prima die exequiarum leguntur ducentae missae cum eleemosyna. Missam solemnem cantabit Prior Episcoporum Cardinalium. Fit sermo de laudibus Pontificis et in fine fiunt absolutiones a senioribus, ut in sepultura Cardinalium scriptum est. Accenduntur hac die intorticia multa circumcirca in ecclesia et candelae super castrum doloris et idem fit in die nono. Missam tunc cantat Superior Episcoporum Cardinalium.

De Novendialibus Papae defuncto celebrandis.

Intra novenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo a senioribus post Subpriorem Episcoporum, et leguntur centum missae. Intorticia circa ecclesiam et candelae supra castrum doloris non accenduntur; reliqua fiunt, ut in primo et novo die. Distributio cerae fit quotidie Cardinalibus, Praelatis, Familiae, Curialibus et aliis, qui aderunt et quotidie fiunt absolutiones a Cardinalibus in fine missae circa castrum doloris. Quotidie post missam conveniunt Cardinales in loco congruo, consulentes de rebus ecclesiae et ordinantes conclave. Nona die post missam de defunctis cantatur missa de Spiritu sancto et fit sermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

Catalanus, Caerem. Eccles. rom. l. I. pag. 403—407.

Papa decedens Romae sine electione sepulturae sepelitur in Basilica vaticana, in qua non possunt sepeliri nisi summi Pontifices et personae regales prout patet de principissa Mathilda tam bene merita Ecclesiae romanae, et novissime de Christina regina Suecorum ibi sepultis. Et ne quidem Eminentissimis Cardinalibus permissum est inibi sepeliri: *Cohel* not. Card. privil. tit. 90., *Passer* de statib. hom. tom. 2. 9. 187. art. 4. n. 139., *Card. Petra* n. 27. referens dictam Basilicam amisisse legatum cujusdam, qui mandaverat ibi sepeliri. Et de sepultura Pontificis Rota romana juris tumulandi n. 14. die 20. Febr. 1702.

Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulturae decedere extra urbem nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in Ecclesia Cathedrali loci, ubi decedit, cap.: *Is qui* 3. de sepultur. in 6., *Rota* in romana juris tumulandi n. 16. die 20. Februarii 1702 coram D. Priolo; *Lavorius* tom. 1. variar. tit. 2. n. 45., *Sebastianus Medices* de sepultur. part. 1. cap. 11. qu. 7. n. 2., *Card. Petra* loco cit. n. 29. referens id de facto evenisse in aliquibus civitatibus, ut Neapoli et Salerni etc.

Papa potest sibi eligere sepulturam in quacumque sibi benevisa ecclesia, etiam Regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quae videntur in diversis etiam Regularium ecclesiis in urbe. Corpus tamen solet deferri semper ad dictam Ecclesiam s. Petri pro functionibus exequiarum explendis et deinde defertur ad ecclesiam electam. *Card. Petra* n. 37.

37) Parochi, a quo facienda?

Secundum synodales Constitutiones defuncti Parochi funus a viciniore Parocho fieriposse cum omnibus Clericis tam suae quam demortui parochiae, quae quidem constitutiones de Clericis tantum non vero de Canonicis possunt intelligi, *Rot.* in Cracovien. Praepositurae s. Floriani die 18. Martii 1757 §. 7. coram Frangipane, et Constantien. subsidii parochialis die 9. Junii ejusdem anni §. 12. cor. Bussio.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Januarii 1773. *Pisaur.*)

Vd.: *Sepult. sacerd. defuncti.*

38) Parvulorum.

Cf.: *Exequiae parvul.; Sepult.* (elect., in Eccles. erig., per Triduum, ritus.) *Missa de Req.* (pro infant.) *Visit. de funerib.; Sepult. impub.*

Ad dub.: An Patres Dominicani Andrien. possint asportare ad sepeliendum in eorum Ecclesia cadavera parvulorum ante septennium sine licentia Parochi? S. C. resp.: Negative, salvo jure probandi immemorabilem consuetudinem. N. 3828 ad 8 die 19. Jul. 1710.

Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in ecclesiis regul., si ibi est sepulchrum majorum vel concurente consuetudine, si ibi pater eligat sepulturam. S. R. C. 12. Decbr. 1620.

Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse separatum. S. R. C. die 12. Decembris 1620.

Quicumque, sive sit infans sive impubes sive adultus, sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum, cum ibi tacite sepulturam elegisse videtur. S. C. Ep. die 21. Octbr. 1616.

Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent, quicunque carent facultate sibi eligendi sepulturam. S. C. Ep. *ibid.;* et praesertim si pater sic sepeliri intendat. Die 22. Febr. 1641.

Mortuus est puer annorum novem non completorum, cujus simplicitatem, innocentiam, ingenuitatem cum ejus Parochus perspectas et evidentes haberet intimeque certus, quod malitia in eo non supplesset aetatem, prudenter et in domino judicavit ante annos discretionis et usum rationis ipsum obiisse, ideoque inter angelos recensendum censuit; quaeritur:

1) an praedictus Paroch. et pastor, qui oves suas cognoscere debet, in simil. casibus sit judex ordinarius ad dignoscendum, an infantes frui debeant honoribus in exequiis parvulorum a Rituali praescriptis, adhibitis cautelis omnibus ad inquirendum si malitia suppleret aetatem?

2) Quid dicendum de Parocho, qui ita se gessit? S. R. C. resp.

Ad 1.: Strictim servandum Rituale;

Ad 2.: Male se omnino gessit.

Die 7. Septbr. 1851 in *Interam.*

(Vd. etiam Correspondance de Rome die 11. Maii 1851 p. 263.)

Ad dub.: An in funeribus, etiamsi defunctus parvulus sit, possit fieri *off. de adultis* et missa vot. de angelis? S. C. resp.: Negative et debent tolli omnino consuetudines, seu ut melius dicam abusus uti repugnantes rubricis. N. 2811 ad 5 die 16. Jan. 1677.

Pater potest eligere sepulturam pro filiis impuberibus in vita non post mortem eorum. S. C. C. die 6. Junii 1659.

Et mater, si pater non adest. Die 6. Decbr. 1641.

Ad dub. I.: An cadavera impuberum oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura designata existente in Ecclesia parochiali vel potius licitum sit parentibus tam ante quam post mortem

illorum pro eis sepulturam eligere, eaque tumulari facere in proprio sepulchro majorum in Ecclesia PP. Reformatorum existente? Et quatenus affirmative quoad secundam partem;

II.: an dicta cadavera deferri possint ad dictum sepulchrum majorum absque associatione Parochorum et Cleri saecularis post eorum monitionem ad interveniendum funeri et recusantium?

S. C. C. resp. ad I.: Negative quoad primam partem, affirmat. quoad secundam;

ad II.: Affirmative.

Die 15. Mart. 1704 *in Novarien.*

„Attendenda est ad rem sequens resolutio particularis Congregationis a Clemente XI. deputatae et adjecta statuto Cleri romani §. 7. et 8. ac relata a saepius laudato Cardinali de Lambertinis volumine 5. notificatione 17. his verbis: Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia parentum atque ad illam pertinent, licet in alia Parochia decedant. Patre vero orbatos quousque apud ipsam Matrem aluntur, licet in potestate tutorum non Matris existant, de Parochia Matris, non tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam dentur a Matre, domicilium in Parochia Matris, si vero utroque parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur."

Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse separatum. S. Rit. Congr. 10. Decbr. 1620 in civit. Castellan. Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in Ecclesiis regularium, si ibi est sepulchrum majorum vel concurrente consuetudine, si ibi Pater eligat sepulchrum: S. R. C. 12. Decbr. 1620 in una civit. Castellan.

Sepulchrum eligere licet parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum. S. Congr. Episc. et Regul. die 20. Jan. 1610.

S. Congr. Regul. et Episcop. examinata prius diligenter relatione Episcopi censuit licuisse et licere parentibus in Ecclesia fratrum minorum Conventualium s. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum Ecclesiae cadavera infantium jam deposita, praemissis ceterisque quibuscumque non obstantibus.

Die 20. Martii 1643.

Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent, quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam: S. Congr. Episc. et Regul. 11. Octbr. 1716; et praesertim si pater sic sepeliri intendat: Ead. Congr die 22. Febr. 1641.

Infantes aliique quicumque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulchro suorum majorum vel in parochiali Ecclesia. S. Congr. Episcopor et Regul. die 16. Novbr. 1625.

39) Parvulorum non baptizat.

Ad dub.: An liceat sepelire in loco sacro infantes sub dubiis reviviscentiae signis baptizatos? Tantum abest ut liceat, ut Congregatio s. officii pluries decreverit, ne baptizandos quidem esse infantes hosce.

Benedict. XIV. de synod. dioecesan. lib. 7. cap. 6. §. 11. et duob. seq.

Vd.: *Sepult.* (Mulier.; qui non sunt capaces?); *Visitat. de funerib.*

40) Parvulorum in sepulturis gentilitiis absque licentia Parochi.

Vd.: *Sepult.* (electio.)

Reatina.

Complures in civitate Reatis ex quovis ordine familiae sepulchra habent gentilitia tum in Cathedrali tum etiam in ecclesiis Regularium. Contendunt autem Parochi, puerorum cadavera ante septennium decedentium in parochiali esse omnino tumulanda, nec nisi de ipsorum licentia ad sepulchra gentilitia deferri posse, ita tamen ut in isto casu omnia funeris emolumenta Parochiae integre persolvantur. Aegre id ferentes ejusdem civitatis Patresfamilias ad omnem in posterum dirimendam controversiam infrascripta dubia EE. PP. decidenda proponunt.

Ad primum quod attinet, sustinent ex juris dispositione licere Patri filio pubertatem non egresso sepulchrum eligere, *cap. de uxore* §. *Virum autem de sepult.*, *et cap. licet. 4. eod. tit. in 6.* In hoc convenire omnes doctores et consentanea esse sacrarum Urbis Congregationum decreta necnon statutum Cleri romani *cap. 3. de jure eligen. sepul.* §. *4. et 24.* Hinc inferunt innixam juri deprehendi libertatem deferendi ad sepulchra gentilitia filiorum cadavera in infantili aetate decedentium, juxta *text. in cap. 1. de sepulturae.*

Juris dispositioni consonam esse inquiunt consuetudinem, cujus testes proferunt Praefectos sacrarii Ecclesiae Cathedralis et aliarum Ecclesiarum s. Dominici, s. Francisci et Augustini, qui omnes juramento affirmant, cadavera impuberum utriusque sexus tumulata fuisse in sepulchris gentilitiis in iisdem Ecclesiis existentibus. Hisce autem testibus eo magis deferendum, tum quia deponunt de observantia, quae juri conformis est, *cap.: Quia saepe de praebend. in 6.*, *Rot. in recent. decis. 58. n. 2. part. 2. et dec. 54. n. 14. part. 4. tom. 2.*, tum etiam quia testimonium perhibent de re ad proprium officium spectante, *Rot. cor. Lancetta dec. 51. n. 3. tom. 1. coram Molin. dec. 1027 n. 15. et seq. tom. 4.*

Addunt rejiciendam omnino esse contrariam a Parochis jactatam consuetudinem, quae vel nullo documento probatur vel probata nihil relevaret, nisi canonizata monstretur in contradictorio judicio et legitime admissa cum subsequuta acquiescentia, *cap. final. de consuetud. in 6.*, *Rot. coram Cavaler. dec. 172. n. 5. et coram Burat. dec. 129. n. 6.*, alias tamquam abusus et corruptela sperni debeat *cap.: Jamdudum de probat.*, *Pignatell. consult. 140. n. 29.*, *Sperel. dec. 139. n. 10.* Caeterum ad ejusdem contrariae consuetudinis eversionem unicum etiam actum in contrarium gestum sufficere, *Rot. coram Ludovis. dec. 162. n. 9. et coram Falconer. tit. de Miscellan. dec. 74. n. 16.*, nec in praesenti casu plures deesse contrarios actus, quos iidem testes specialiter recenseant.

Neque obstare putant a Rituali romano tit. 6. cap. 6., Ecclesiis tantum parochialibus injunctum esse praeceptum retinendi sepulchra pro infantibus. Animadvertunt enim nequaquam ex hoc sublatum fuisse jus Patris eligendi sepulchrum pro filiis infantibus vel eorum cadavera humandi in sepulchro gentilitio, *Barbosa de offic. et potest. Paroch. cap. 26. n. 28.*, *Rot. dec. 88. tom. 1. cor. Sperell. et dec. 5. ad notat. 3. n. 18. cor. Panimoll.*

Quo vero ad alterum dubium emolumenta respiciens, ea deberi asserunt in quarta parte, prout disponitur in Synodis annorum 1716 et 1746, eamque a sola Ecclesia tumulante praestandam esse, non autem ab haeredibus, qui ultra consuetum funus praegravari non debent, *cap. de his 4. de Sepult., cap. cum super., cap. certificari, cap.: In nostra 10. eodem tit. et cap. 2. eod. tit. 1. in 6.*

Parochi contra animadvertunt ad primum, jus esse parochiali eccles. defunctos sepelire, qui absque electione sepulturae obierint, *cap. 1. 2. et 5. de sepultur. in 6.*, *Fagnan. cap.: Fraternitatem eodem tit. n. 4.*, *Card. de Luca de Paroch. discurs. 31. n. 8.*, proindeque puerorum cadavera ante septennium decedentium nonnisi quam in Parochiali fore tumulanda.

Negant ullum jus competere Patribus familias eligendi sepulturam pro filiis infantibus eorumque cadavera tumulandi in sepulchris gentilitiis, cum neutrum jure ipsis liceat, nisi id invexerit consuetudo, *cap.: Licet. 4. de sepultur. in 6.*, *Vavar. consil. 2. n. 1. de sepult.*, *Pyrrhing. lib. 3. decret. tit. 20. n. 9.*, quae concludentissime probanda esset, *Card. Petra tom. 2. comment. ad constit. 2. Honorii III. sect. unic. pag. 39., sub n. 9.*, *Rot. coram Ludovis. dec. 276. n. 1.* Tantum vero abesse dicunt, ut Patres familias consuetudine juvari possint, quin potius contraria prorsus vigeat in civitate Reatis consuetudo sepeliendi in parochialibus Ecclesiis puerorum cadavera, qui ad annum aetatis septimum nondum pervenerint.

Hanc autem consuetudinem testibus probare nituntur deponentibus ex certa scientia, tum ex majorum traditione, iisque inquiunt omnimodam fidem adhibendam esse, quia de facto proprio testantur, *Constantin. oct. decis 213. n. 9.*, *Rot. in recent. decis 324. n. 29. part. 17.*, et qui deponunt cum qualitatibus ad constituendam immemorabilis consuetudinis probationem requisitis, *Gloss. in cap. 1. verb. Memoria de praescript. in 6.*, *Rebuff. de decim. quaest. 15. n. 94.* Hujusmodi vero consuetudinem, tamquam legem omnino servandam sustinent *cap. final. de consuet. et §. Ex non scripto instit. de jur. nat. gent. et civil.*, et ab illius observantia nullo modo deflecti posse, *L. Vetustissima cod. de jur. domin. impetr.*, *Rot. in Constantien. subsidii Parochialis die 9. Junii 1755 §. 4. coram Bussio*, maxime quia si aliquando contingit, ubi Patresfamilias filiorum cadavera humare desideraverint in sepulchris gentilitiis, licentiam a proprio Parocho expostularint, quae fuit ipsis quandoque denegata, frequentius vero concessa. Et de his humationibus factis cum licentia Parochorum verificari casus, quos referunt Praefecti sacrarii tum Ecclesiae Cathedralis tum ecclesiarum s. Dominici, s. Francisci et s. Augustini.

Hinc ad II. dubium Parochi eamdem allegant consuetudinem. Ajunt enim, licentias tumulandi puerorum cadavera in sepulchris gentilitiis non aliter fuisse concessas, nisi cum reservatione jurium parochialium et cum onere persolvendi omnia funeris emolumenta, perinde ac si in Parochiali tumularentur. Id ex libris parochialibus et ex testibus resultare, atque idcirco concludunt, integra emolumenta juxta hanc consuetudinem eisdem esse adscribenda, *Rituale rom. tit. de Exequiis vers. caveant*, *Ursaya discept. Eccles. tom. 3. part. 1. disc. 12. n. 15.*

Quaestio, quae modo agitur, ex facto et ex jure pendet. Ex jure habemus, quod filii impuberes sepeliri debeant in sepulchro majorum aut in parochiali Ecclesia, nec nullo modo liceat Patri-

busfamilias alibi pro filiis sepulturam eligere, nisi contraria regionis consuetudo arbitrium hoc ipsis adscripserit. Id statutum legimus in *cap.: Licet de sepultur. in 6.: Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habet) quo voluerit sepelire; hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus vel in parochiali Ecclesia tumulandi.* Notat autem *Gloss. in citato cap. vers. parochialis*, necnon *Barbos. de offic. et potest. Paroch.*, *Anaclet. in lib. 3. decret. tit. 27. n. 41.* aliisque, posteriora illa verba juxta scripturae ordinem non esse intelligenda in sensu diviso, ut scilicet seposita consuetudine possit pater filium impuberem pro libito vel sepulchro majorum vel in Parochiali sepelire sed illum humare omnino debere in sepulchro majorum, si adsit, si vero non adsit, in Parochiali.

Cohaeret quoque textus in *cap.: Nos instituta 1. de sepulturis*, ubi haec habentur: *Nos instituta majorum Patrum considerantes statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus decet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam et etiam alienam.* Quo in loco Leo III. decrevisse videtur, ut possit unusquisque sibi sepulturam eligere, et si non elegerit, humari debeat in sepulchro majorum, eoque deficiente, in parochiali ecclesia tumuletur. Ad rem etiam conferunt, quae disponuntur *in cap. Ebron et cap. Unaquaeque 13. quaest. 2.*, ex quo exemplo veterum Patrum et Patriarcharum eruitur, filiorum cadavera in sepulchro parentum esse collocanda, proindeque *lib. 1. regum. 13.* poenam dictum legimus prophetae, qui contra praeceptum domini comederat in Bethel: *Non infertur cadaver tuum in sepulchro Patrum tuorum.*

His consentaneae sunt nonnullae decisiones, quae diversis temporibus prodierunt S. Congreg. Episcoporum et Regularium, quas refert. P. *Cavalieri tom. 3. cap. 7. in decret. 9. n. 1. te sep.* Die namque *21. Octobris 1613* ita statuit: *Quicumque, sive sit infans sive impubes sive adultus, qui sepultura non electa decedit, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum, cum ibi tacite sepulturam elegisse videatur.* Et die *16. Novbr. 1645* declavavit: *infantes aliique quicumque, qui facultatem non habent sibi eligendi sepulturam vel non electa decedunt, sunt tumulandi in sepuchro suorum majorum vel in parochiali ecclesia.* Super quo quidem decreto observat P. Cavalieri, per particulam disjunctivam non concedi optionem electionis magis pro una Ecclesia, quam pro alia; sed juxta ordinem scripturae ita intelligendam esse, ut in sepulchro majorum, si adsit, si vero non adsit, in Parochiali debeant tumulari.

Insuper eadem S. Congregatio *die 20. Januarii 1740* respondit: *Sepulturam eligere licet parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri possunt aut debent, praesertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint vel in eis habeant sepulchrum majorum.* Cumque evenerit in civitate Asculi, ut cadaver ejusdam puellae tumulatum fuerit in Ecclesia Cathedralis, non autem in Ecclesia, ubi sepulchrum majorum constructum reperiebatur, *die 22. Februarii 1641* ita decrevit: *Exhumetur puella et sepeliatur in sepulchro majorum, in quo sepeliri debent quicumque carent*

facultate sibi eligendi sepulturam et praesertim si Pater sic sepeliri intendat.

Ac tandem cum in civitate Forosempronii decessissent nonnulli infantes, quorum parentes humari illorum cadavera optabant in sepulchro majorum sito in Ecclesia fratrum minorum conventualium s. Francisci, orta controversia est, num in ista Ecclesia tumulari deberent vel potius in Cathedrali, ubi aderant separata sepulchra pro parvulis. Verum S. Congregatio *die 20. Martii 1643 examinata prius diligenter relatione Episcopi censuit: licuisse et licere parentibus in Ecclesia fratrum minorum conventualium s. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum Ecclesiae cadavera infantium jam deposita, praemissis caeterisque quibuscumque non obstantibus.*

Perpendi tamen etiam debent, quae in Rituali romano his verbis exposita sunt: *Inprimis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum et Ecclesiarum sepulchris sed ut pro illis in parochialibus Ecclesiis aut illorum coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis locos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes vel pueri, qui ante annos discretionis obierint.* Verum hujusmodi verba hortari magis quam cogere Parochos videntur, ut reparata sepulchra pro infantibus retineant, neque vetant, quominus cadavera impuberum in sepulchro majorum sepeliantur.

Hinc quamvis S. Rit. Congregatio civitatis Castellanae die 12. Decbr. 1620 edixerit: *Parvulorum sepulchrum ab aliis debet esse distinctum:* nihilominus eodem die et anno in alia causa declaravit: *Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in Ecclesiis regularium, si ibi est sepulchrum majorum vel concurrente consuetudine, si ibi Pater eligat sepulturam.*

Non dissimilis fuit sac. hujus Congregationis sententia in Novarien. Asserebat Episcopus, nullam fuisse electionem sepulturae pro filio impubere a Patre factam, quia in loco Varalli nulla aderat consuetudo Patri favorabilis. Verum cum Pater elegisset sepulchrum majorum, ubi filii cadaver tumulari voluerat, animadversum fuit, non ex consuetudine sed ex jure cadavera impuberum, qui absque electione sepulturae obierint, in sepulchro majorum fore tumulanda, ut docent *Monacell. tom. 2. tit. 13. form. 1. n. 93.* Hinc proposito die 15. Martii 1704 dubio: *An cadavera impuberum oppidi Varalli debeant ex aliqua speciali consuetudine sepeliri in sepultura destinata existente in Ecclesia parochiali vel potius licitum sit parentibus ea tumulari facere in proprio sepulchro majorum in Ecclesia Patrum reformatorum.* Responsum fuit: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

In Fanen. Sepulturae. Cum Pius Georgius post erectum sacellum in Ecclesia PP. Capuccinorum, in eo sepulchrum construxisset pro se suaque familia, ibique sepeliri curasset cadaver filii in pupillari aetate defuncti, Parochus Mondarii proponi curavit dubium: *An electio sepulturae sustineatur pro persona tantum Pii Georgii vel potius pro tota ejus familia in casu etc.? Sed die 9. Maii 1719* S. Congregatio respondit: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.*

Haec omnia in praesenti controversia

erant ex jure animadvertenda. In facto vero ponderandum superest, an revera adsit in civitate Reatis contraria consuetudo? An sit immemorabilis? An juris dispositioni praevalere debeat? Perpendendum quoque quanti faciendae sint adversus assertam hujusmodi consuetudinem dispositiones Sacristae Cathedralis et aliarum Ecclesiarum, qui speciatim recensent, pueros impuberes in majorum sepulchro fuisse tumulatos.

Quoad emolumenta Parochis debita, de quibus in altero dubio disceptatur, animadvertere praestat, quid in Synodis Reatinis disponatur. In Synodo habita ab Episcopo Bernardino Guinisio anno 1616 ita sancitum legitur: *Pro regulanda vero quarta sive funerum juribus observari omnino volumus immemorabilem consuetudinem a majoribus in hac civitate introductam, qua attenta dimidium candelarum feretrum cadaveris comitantium ad Parochum spectat, si in ejus Ecclesia vel Parochia sepeliatur cadaver. Sin autem in alia Ecclesia extra Parochiae limites sepeliatur, ad Parochum quarta tantum cerae pars spectet et altera quarta ad Ecclesiam, in qua sepelitur: altera vero medietas inter religiosos et Clerum ita dividatur, ut unicuique ordini religioso et Clero saeculari cadaver comitantibus una detur candela, reliquae vero candelae ad libitum haeredis distribuantur.* Id ipsum dispositum quoque fuit in Synodo anno 1747 sub Episcopo Camarda celebrata, per haec verba: *Volumus, quod si in eorum (Parochorum) Ecclesia vel Parochia sepeliatur cadaver, dimidium candelarum feretrum cadaveris comitantium ad Parochum spectet; sin autem in alia Ecclesia vel extra paroeciae limites sepeliatur, inhaerentes constitutioni Benedicti XIII., quae incipit: Romanus Pontifex, declaramus ad Parochum quartam pertinere partem intortitiorum et candelarum etiam quae in altaribus accenduntur. Quod si funus non fieret in die tumulationis sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differatur, Parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa tumulum honorarium sunt, atque etiam in immemorabili in contrarium non obstante, altera autem ad Ecclesiam, in qua sepelitur, et altera medietas inter religiosos et Clerum ita dividatur, ut unicuique ordini religioso et Clero saeculari cadaver comitantibus una detur candela et reliquae si superfuerint ad libitum haeredis distribuantur.*

Episcopus in sua informatione super precibus a patribusfamilias huic S. Congregationi oblatis nihil peculiare habet. Quare ab EE. VV. definiendum erit:

I. *An Patribusfamilias competat jus eligendi sepulturam pro infantibus ante septennium morientibus et respective tumulandi eorum cadavera in sepulchris absque licentia Parochorum, seu potius illa sepeliri debeant in ecclesiis parochialibus in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. *An et quae emolumenta funeralia debeantur Parochis in casu?*

S. C. resp. ad I: Licere patribusfamilias tumulare filiorum impuberum cadavera in sepulchris gentilitiis sine licentia Parochorum et amplius;

ad II: Affirmative ad formam synodalium Constitutionum et amplius.

Die 10. et 31. Mart. 1770.

41) Pauperum.

Vd.: *Quarta funer.* (in tumul. paup.); *visitat. de funerib.*

Cadavera pauperum fidelium gratis omnino tumulari et sepulturae tradi debent. S. Congr. Episcop. et Regul. in Cassanensi 5. Maii 1617. Clemens IX. in constitut. 38. incipiente: *In excelsa.*

Vd.: *Sepultura* (gratis facienda.)

42) Personar. regal.

Vd.: *Const. Sixti V. t. III. p. II. pag. 34. 71.*

43) Regularium vel Regularibus inservientium.

Vd.: *Sepultura* (facienda a Regul.; Monachor.); *Quarta funeralis* (Parocho non debetur); *Sepult.* (electio p. 46., parvulorum, Cardinalium.)

Oblati, Donati seu Tertiarii atque etiam Saeculares, qui Regul. deserviunt et intra eorum monasteriorum septa ac domos resident et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti sed ratione servitutis, sunt inibi irrequisito Parocho tumulundi; isti namque eximuntur a subjectione ordinariorum et parochorum et gaudent privilegiis Religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati, cum sepultura potissimum dependeat ab administratione Sacramentorum, ut ponderavit Rota recent. part. 41. decis. 384. n. 9. et notant doctores communiter, si supradicti omnes recipiunt Sacramenta independenter ab Ordinario et Parocho in Regularium ecclesia; et sic in terminis firmat *Card. Petra* loco cit. n. 42.; *Card. Petra* loco cit. n. 42., *Card. de Luca* de Regularibus disc. 1. n. 50., *Passerin* cit. tom. 2. de statib. hominum quaest. 187. art. 3. a. n. 228., *Matthaeucc.* loco cit. n. 9. et alii communiter.

Secus autem saeculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia nec continui commensales et cum saeculares exteris extra monasteria habitant et vivunt; isti enim, si non habeant sepulchrum majorum vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria Parochia, juxta resoluta.

Novitii et Novitiae sepulturam sibi non eligentes, debent sepeliri in monasterio, ubi decedunt et absque ulla obligatione solvendi portionem canonicam Parocho loci: *Engel* lib. 3. decretal. tit. 18. n. 12., *Reiffenstuel* ibi n. 20., *Cardinal. Petra* loco cit. n. 38. et alii communiter; et ratio est, quia in favorabilibus Novitiis et Novitiae veniunt nomine religiosorum et religiosarum, arg. cap.: *Religiosa* §.: Quamvis 21. de sentent. excommunication. in 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa, de quibus testatur *Donatus* tom. 3. tract. 10. quaest. 4. n. 2. et etiam universalis consuetudo religionum, quae derogaret legi contrariae, si quae adesset, cap.: *Cum tanto 11. de consuetudine.*

Insuper debent Novitii et Novitiae sepeliri in monasterio, ubi decedunt, etiamsi habuissent animum determinatum exeundi a religione: Card. Petra loco cit. n. 38. cum Palao et aliis ibi citatis, *Silvester verb. sepultura* quaest. 8., *Engel* loco cit. n. 20. et alii: et ratio est, quia non voluntas et affectus sed factum mutat statum et domicilium, l. *domicilium 20. ff. Ad municipalem.*

Immo in monasterio, ubi decedunt, sepeliri debent etiam juvenes saeculares et puellae nondum habitu regulari induti seu indutae, sed de brevi induendi seu induendae et jam ut Novitiatum admissi seu admissae, et sic sub obedientia regulari per aliquos dies incipiant experiri religionis austeritates.

Novitii et Novitiae et a fortiori dicti juvenes et puellae adhuc saeculares, si habeant patrimonium, debent sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper monasterii sepelirentur. Si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis monasterii: *Card. Petra* loco cit. n. 38. cum aliis ibi citatis, *Ventriglia* loco cit. n. 8. cum aliis ibi adductis et plures alii apud Donat. loco cit. quaest. 4. n. 1. et 3.

Regulares professi decedentes extra Conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debent in eo sepeliri. Communis, textu expresso in cap.: *Religiosi* 5. de sepulturis in 6. ibi: ,,Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sib eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi''.

In tali casu non tenentur Regulares solvere portionem canonicam Parocho loci, in quo Regularis decessit, quamvis religioso infirmo viaticum et extremam unctionem ministraverit: S. Congr. Episcop. et Regul. in Puteolana die 22. Maii 1615 apud Barbos. de offic. et potest. Parochi cap. 26. n. 68. Possuntque Regulares dictos defunctos suos religiosos defere ad suum monasterium inconsulto Parocho; S. Congr. Concilii in Bononien. die 3. Julii 1620 in responsione ad 10, quod erat his verbis conceptum: ,,decimo, morendo fratri, come avviene alle volte, ed in particolare de'Canonici Lateranensi, fuori del monastero in casa de'loro parenti, ed avendo i Curati amministrato loro i sanctissimi Sacramenti; se possono i loro Superiori farli portare di notte allo loro Chiesa, senza dirne cosa alcuna al Curato, e senza darli le ragioni parocchiali''? Sacra Congregatio Concilii respondit: ,,*Regulares extra claustra decedentes posse ad ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis*''. Sic referunt *Passerin.* tom. 2. quaest. 187. art. 4. n. 211., *Card. Petra* loco cit. n. 7., *Donat.* loco cit. qu. 9. n. 1. et alii passim. Talis autem delatio inconsulto Parocho est facienda modo privato sine pompa, sine cruce et processione, ut affirmant *Card. Petra* loco cit. n. 9., *Pignatell.* tom. 4. consult. 199. n. 9., *Matthaeucc.* loco cit. n. 16. referens sic in casu fuisse observatum Romae. Si autem quandoque ex quibusdam circumstantiis congrua videretur solemnis delatio defuncti Regularis cum cruce et processione ad monasterium suae religionis, deberet fieri cum assistentia vel saltem de consensu Parochi, cum ratio et consuetudo non patiatur, ut Regulares sine Parocho aut ejus Delegato, qui posset in casu esse etiam aliquis regularis causa exequiarum, procedant extra monasterium personaliter; *Card. Petra* loco cit. n. 16. et alii. Attamen in hoc dicerem, servandam esse locorum consuetudinem, cum ipsa non solum sit in dubiis optima legum interpres; leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 8. de consuetudine, sed etiam clare legi deroget; cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine.

In casu autem, quod Regulares decedant in locis a suis monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in ecclesia ab ipsis electa, cum ad id in simili casu facultatem habeant a jure sibi concessam per dictam limitationem in cit. cap.: *Religiosi* 5. de sepultura in 6. ibi: ,,Nequeunt . . . sibi eligere sepulturam . . . nisi a propriis monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint''. Sic Glossa ibid. verb: Nota, *Donat.* loco cit. q. 2. n. 3., *Engel* loco cit. n. 11., *Reiffenstuel* loco cit. n. 18. et alii passim.

Si tamen in dictis locis remotis decedant Regulares, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii monasterii, si bona iu communi possideat: *Donat.* loco cit. qu. 2. n. 4. cum aliis ibi citatis, *Reiffenstuel* loco cit. n. 18., *Glossa* in cit. cap.: *Religiosi*, verb.: Nota, ubi citat communem doctorum his verbis: „Sed quid, si moriatur, non electa sepultura? Communis opinio doctorum est, quod sepeliendus est in Ecclesia parochiali, in cujus Parochia mortuus est".

Tunc autem dicitur Religiosus mori in loco remoto, ut detur ei locus electioni sepulturae, quando ejus cadaver distat a suo monasterio per iter unius diei, id est, ad quod per unicum diem cadaver transferri nequit, nec forte putrescat et inficiat aerem, *Donat.* loco cit. quaest. 2. n. 5., *Bord.* tom. 2. resol. 4. n. 161., *Pelliz.* in Man. Regul. tom. 2. tr. 8. cap. 5. n. 29. et alii; vel relinquitur arbitrio prudentis judicandum, ut not. *Card. Petra* loco cit. n. 31., *Matthaeucc.* loco cit. n. 16. in fin. et alii.

Quod dictum est de professis decedentibus extra claustra, dicendum est etiam de Novitiis, praesertim cum extra claustra decedunt, quando ad exequendam Superiorum voluntatem exierunt seu quando de consilio Medici et licentia sui Superioris se transtulerunt ad domum suorum parentum pro recuperanda inibi sanitate. Tunc enim sepeliendi sunt in monasterio sine obligatione solvendi canonicam portionem Parocho, quia gaudent juribus et privilegiis ordinis et in favorabilibus veniunt nomine professorum: arg. cap.: *Religioso* §.: Quamvis 21. de sentent. excomm. in 5., Donat. loco cit. q. 8. n. 5., *Pelliz.* tom. 1. Man. tr. 8. cap. 5. sect. 4. qu. 10. n. 137., *Mancin.* in brevi tract. de infirmitat. in ordine ad sepulturam dub. 9., *Dicastill.* de instit. lib. 2. tract. 19. d. 3. n. 209., *La Croix* lib. 6. n. 248. cum Sanch. ibi cit. et pluribus declarat, *Pignat.* tom. 7. consult. 70.

Regularis Confessarius monialium pro earum cura spirituali habitans in domo prope monasterium ad praescriptum Alexandri VII. constitut. incip.: Felici §. 11., si infirmetur ad mortem, recipit viaticum et extremam unctionem a suis Religiosis et non a Parocho. Quamvis enim Regulares, qui infirmantur ad mortem in domibus saecularium, talia Sacramenta recipere debeant a Parocho, ut declaravit S. Congregatio sub anno 1620 apud *Donat.* tom. 3. tract. 10. q. 9. n. 6., itemque ead. S. Congr. in Collen. 11. Aprilis 1609 et Messanen. 20. Septembris 1598, tamen haec declaratio non videtur comprehendere dictum confessarium, quia ipse non infirmatur proprie in domo saeculari, sed potius in domo quasi religiosa et exempta ad hunc effectum et quidem a Summo Pontifice praescripta quasi domo parochiali seu conventuali ipsius regularis confessarii inibi habitantis tamquam Parochi ad curam spiritualem monialium. Unde non est censendum, quod Pontifex statuendo talem mansionem pro dicto confessario regulari, ipsum reddere inferioris conditionis, quam sint alii Religiosi commorantes in suo Conventu, adeoque exempti a Jurisdictione parochiali, cum ipse sibi manendo censeatur quoad hunc effectum manere in Conventu et de facto ibi maneat sub obedientia sui Superioris et sibi tamquam conventuali mansione designata a Pontifice; alias non requireretur, qui vellet hoc onus subire sicque moniales remanerent destitutae tam necessaria cura spirituali; tum quia si infirmetur Pa-

rochus in propria sua domo parochiali recipit Sacramenta a sua Parochia independenter a quolibet, ergo etiam dictus confessarius regularis, qui velut Parochus habitat in dicta domo sibi a Pontifice praescripta tamquam sua domo parochiali, potest independenter a quolibet recipere haec Sacramenta ab ecclesia monialium tamquam a sua exempta Parochia. Talis enim Regularis nedum gaudet exemptione personali, sed quoad hunc effectum etiam exemptione locali; tum etiam quia nemo potest rationabiliter asserere, quod ipse confessarius infirmus non possit refici eodemmet Sacramento, quod ipsemet sanus in sua velut parochiali monialium Ecclesia confecit, argum. epist. 1. ad Corinth. cap. 9. n. 7. ibi: „Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit"? Accedit etiam recepta consuetudo, quae non solum in dubiis est optima legum interpres, l. Si de interpretatione 36. ff. de legibus, cap.: *Cum dilectus* 8. de consuetudine, sed etiam clarae legi derogat, cap.: *Cum tanto* 11. de consuetudine.

Regularis viator et hospes in Conventu alterius religionis, v. g. Dominicanus in Conventu Franciscanorum, si ibi decedat, non sibi electa sepultura et valde remotus et distans sit conventus proprii ordinis, sepeliendus est in Ecclesia parochiali, intra cujus fines est Conventus, in quo decedit; de ipso enim discurrendum est ac de Regularibus decedentibus in locis saecularibus, ita remotis a suis monasteriis, ut ad ea deferri commode non possint, qui ut diximus supra sepeliendi sunt in parochiali.

Et inibi sepeliendus est expensis sui peculii, si habeat, vel, eo carente, expensis proprii monasterii. *Card. Petra* loco cit. n. 36., *Sanchez* lib. 6. in decalog. cap. 14. n. 4., *Castropal.* part. 3. tract. 19. disp. 4. punct. 13. §. 8. n. 6. et alii. Et ratio est, quia monachus in vita acquirit monasterio, cap.: *Statutum* 15. caus. 18. q. 1., cap.: *Quia ingredientibus* 7. caus. 19. q. 3. cap.: *In praesentia* 8. de prob. cum similibus, ergo monasterium in ejus morte debet ipsius sepulturae onus sentire; qui enim sentit commodum, sentire debet et onus, *leg. Si merces* 25. §. 6. ff. Locati, cap. *Qui sentit* 15. de regul. jur. in 6.

Quod usque nunc dictum est de Regularibus, est dicendum etiam de monialibus, ita est in omnibus dispositio cit. cap.: Religioso 5. de sepulturis in 6. cum eisdem procedat. Hinc si contigerit, quod aliqua monialis moriatur extra suum monasterium, idem est concludendum, quod ibi statuitur de viris regularibus: *Murga* disp. for. tom. 1. disp. 8. de electione sepulturae §. 9. et 10., *Card. Petra* loco cit. n. 40. et alii passim.

Regularis expulsus seu ejectus, si non eligat sepulturam, ad quod habet facultatem, cum statim ac ejicitur a religione censeatur relinqui, ac si Religiosus non esset et videatur nolle ejus corpus cum illis Religiosorum sociari, ut docent *Murga* loco cit. disp. 8. §. 3., *Molina* tract. 2. disp. 276., *Lessius* de justit. et jur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 113., *Card. Petra* loco cit. n. 37. et alii passim, sepeliendus est in Parochia, in qua decedit, arg. cap.: *Nos instituta* 1. cap.: *Ex parte* 5., cap.: *In nostra* 10. de sepulturis, cap.: *Animarum* 1. et cap.: *Is qui* 3. eod. in 6.

Et tunc expensae faciendae sunt de ejus peculio, si habeat, seu de peculio parentum et in casu omnimodae paupertatis debet a Parocho tumulari gratis, sicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut statuit

S. Congr. Episc. et Regul. in Cassanen. die 5. Maii 1617.

An cum fratres aliqui extra monasterium moriuntur et a Curatis Sacramenta receperunt, possint ab eorum Superioribus ad suas ecclesias deferri, parochis inconsultis? Resp.: *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.* S. Congr. Conc. die 2. Julii 1620.

44) Ritus.

Vd.: *Absolut. mortuor.* (ritus.)

Ad dub.: Quae ratio vel forma servanda sit in funeralibus alicujus defuncti tam adulti quam parvuli in fer. 5., 6. et Sabb. s.? S. C. resp.: Non debet alterari usus communis; alias enim omissa non fuisset regula: in psalmis tamen, qui dicuntur pro *parvulis* posset omitti v. g. *Gloria Patri* etc. pro conformitate temporis. N. 2812 ad 6 die 16. Januarii 1677.

Ad dub.: In exequiis *parvul.*, quae fiunt in hebdom. majori, debetne in fine psalm. dici: *Glor. Patri?* Quid in eo casu exigit uniformitas? S. C. R. resp.: Non est necesse in fine psalm. tribus dieb. hebd. majoris recitari *Glor. Patri*, sed tantum psalmos sine *Gloria* etc. Die 4. Sept. 1745 ad 7. in Aquen.

Ad dub.: Quamvis rubrica ritualis praescribat resp. *In Paradisum* decantari solummodo debere, cum cadaver ad sepulchrum defertur, tamen in civitate Brixiensi ob sepulchri distantiam usus invaluit praedictum resp. cum aliis precibus tempore absolutionis decantari; quaeritur: utrum usus an rubrica servari debeat? S. R. C. resp.: Posse continuari juxta consuedinem aliarum ecclesiarum. N. 4694 ad 2 die 28. Julii 1832.

Vd.: *Sepult. sacerdotis def.* (decr. de die 20. Septembris 1681); *Sepult.* (per triduum etc.)

Ad dub.: An in associatione cadaverum sacerdotum attendi debeat dispositio Ritualis rom. tit. de exequiis seu potius servari consuetudo canendi per viam invitatorium cum psalmo: *Venite*, et in ecclesia residuum officium def.? S. C. resp.: Servetur Rituale. N. 4133 die 1. Dec. 1742.

Exposuit S. R. C. Cancellarius episcopalis Curiae Veronensis morem vigere Veronae defunctorum cadavera de sero ad ecclesiam deducendi eaque postmodum absque ulla pompa, sed uno tantum sacerdote associante noctu deferendi ad caemeterium extra moenia civitatis, atque insimul assentiente Rmmo Veronen. Episcopo ab eadem Congr. postulavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur, nimirum:

1. An canticum *Benedictus* recitari debeat de sero cum Antiphona *in Paradisum* ac reliquis exequiarum precibus?

2. An potius canticum *Benedictus* sit ommittendum de sero et recitandum die insequenti, quo explentur exequiae veluti corpore praesente post absolutum officium defunctorum missamque solemnem celebratam?

3. An ulla exstet singularis dispositio pro praesenti casu, quo civiles leges exsistunt ut ad extra moenia in uno eodemque caemeterio cujusque Paroeciae defuncti sepulturae mandentur?

Quae quidem dubia a subscripto Secretario relata quum fuerint in ordinariis S. R. Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis S. eadem Congr. omnibus acurato examine perpensis, respondendum censuit

Ad 1. et 2: „In casu servandum ordinem in Rituali praescriptum".

Ad 3. „Dentur decreta in Florentina diei 25. Aprilis 1781 et in Tri-

den. diei 7. Septembris 1816 ad dubium 43". N. 5217 die 21. Julii 1855.

45) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Sacerdos defunctus. Absolutio sacerd. def.; Calix* (sacerd. def.); *Param. Episc. def.; Planeta; Sepult. parochi.*

Expositum est per Archipresbyterum Altamurae, quod ibi anno praeterito decessit vir quidem nobilis et auctoritate praecipuus, hunc cum ceteri nobiles inusitato aliquo ac peculiari honore prosequi voluissent, apprehensis per quatuor principales viros extremi panni limbis feretrum operientis ad locum usque sepulturae funus duxerunt. Decedenti postmodum sacerdoti etiam nobili, eodem ferme modo, quo cum laicis consueverant, in s. vestibus a sacerdotibus elato, fimbrias itidem hujusmodi opertorii detulerunt. Quapropter supplicatum fuit pro declaratione, an id sit prohibendum?

Et S. C. resp.: Prohiberi ecclesiasticis tantum. Die 20. Septbr. 1681. *In Altamurae.*

Ad dub.: An cadavera sacerdotum def. Caballini recto tramite ducenda sint ad ecclesiam tumulantem seu potius liceat prius transferre per omnes capellas dicti oppidi et in eis decantare preces? S. C. resp.: Servetur solitum et amplius. N. 4187 die 17. Decembris 1746.

Decedente aliquo ex Presbyteris participantibus trium Ecclesiarum parochialium receptitiarum civitatis s. Silverii intra fines Parochiae Cathedr. absque electione sepulturae privative tumulandus est in Cathedrali; item decedente aliquo ex Capitulo cathedr., et non in parochiali Ecclesia. N. 4262 ad 10 et 11 die 18. Decbr. 1756.

Cadavera Episcoporum, sacerdot., Diacon. aliorumque de Clero debentne **sepeliri** cum vestibus proprio ordini congruentibus, an sufficit, ut cum his in ecclesiis exponantur? S. R. C. resp.: Servatur cujusque loci consuetudo. Die 20. Novembris 1831.

Gallien.

Callien. seu Urbinaten. Juris tumulandi. Castrum Plobici inter Calliensem et Urbinatensem dioecesim positum utriusque jurisdictioni aequis partibus subjicitur. In ea parte, quae ad urbinatensem Ecclesiam pertinet, posita est paroecia s. Stephani, in qua suos habet Lares familia Contini. Ex ea sacerdos Bernardinus elapso mense Februarii ad plures migravit, sed casu obiit in ea castri parte, quae subjacet Calliensi dioecesi intra fines paroeciae s. Mariae Patrum servorum, in quorum ecclesia eadem familia Continia sexaginta et ultra ab hinc annis gentilitium habet sepulchrum. Orta hinc est quaestio inter utrumqne Parochum super jure tumulandi. Neuter ex ordinariis poterat de ea jus dicere, cum neutri in aliena paroecia esset jurisdictio. At facto suo quaestionem diremit Parochus s. Stephani, qui funus extulit et defunctum in peculiari sepulchro sacerdotum in sua ecclesia tumulavit. Tunc alter Parochus s. Mariae emissa contra factum protestatione postulavit, ut S. haec Cengregatio de suo vel adversarii bono jure decerneret. Rogata est sententia tum Archiepiscopi urbinatensis tum calliensis Episcopi, iisque mandatum est, ut parochis terminum statuerent ad deducendum jura sua. Nec unus nec alter comparuit, sed uterque ordinarius sui Parochi jura deducit ac protuetur.

Parochus s. Mariae urget juris dispositionem, ut sacerdos Contini, qui nulla electa sepultura decessit, debeat sepeliri in sepulchro gentilitio, quod in sua parochiali Ecclesia extat, ad *text. in cap.: Nos 1. de sepult., cap.: Cum quis 2. et cap.: Is qui 3. eod.*

tit. in 6. Is qui ... non electa sepultura decedit, in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. Nec sibi obesse putat vel synodales urbinatenses Constitutiones anni 1793, quibus cavetur, „ut clerici et sacerdotes extra urbem decedentes sepeliantur in Ecclesia parochiali, nisi dum viverent, sepulturam delegerint“ vel sepulchrum distinctum, quod in paroecia s. Stephani constitutum est pro sacerdotibus. Nam Constitutiones synodales nullam vim habere possunt extra territorium et in aliena dioecesi ex doctrina *Benedicti XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. cap. 4. n. 9.* Ex decreto vero S. Congregationis Rituum in Senogallien. diei 9. Maii 1705 relato a *Monacell.* formul. tom. 4. suppl. ad tom. 1. n. 175. definitum fuit, clericum, qui sepulturam non elegit, in sepulchro majorum, non clericorum sepeliendum esse. Unde ex hoc distincto sepulchro sacerdotum in paroecia s. Stephani nullum Parochus sibi arrogare possit jus ad tumulandum sacerdotem, qui habet gentilitiam sepulturam.

Parochus vero s. Stephani jura sua plurimum a superius relatis synodalibus Constitutionibus urbinatensibus protueri confidit. Eas, utpote personam respicientes, vim omnem exercere posse autumat in hoc casu, in quo agitur de sacerdote degente in paroecia s. Stephani urbinatensibus constitutionibus subjecta, nec contra eas praevalere posse jus sepulchri gentilitii in alia dioecesi constituti. Nititur praeterea Parochus *Rituali romano tit. de exequiis* §. *sepulchra sacerdotum*, in quo praescribitur: „Sepulchra sacerdotum et clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata existant“. Quod Rituale vim legis habet, cum confirmatum sit auctoritate apostolica Pauli V., ut pluribus collectis auctoritatibus docet Ferrar. bibliothec. verb.: *Canon.* artic. 8. n. 12., hinc in casu non electae sepulturae sacerdotem sepeliendum esse in separato sepulchro sacerdotibus destinato, rejecto gentilitio, definivit S. Congregatio super negotiis Episcoporum et Regularium proposita in Senogallien. 13. Martii 1690 et in Forosempronien. 1. Septembris 1690, quas refert *Nicolius* in Lucubrat. utriusque juris lib. 4. tit. 15. n. 23. Quas s. Congregationis resolutiones praeferendas esse contendit Parochus s. Stephani aliis S. Congregationis Rituum, quia ex Sixti V. constitutione 74. illa juri definiendo, de quo nunc quaeritur, instituta sit, haec ritibus tantum approbandis. Tandem idem Parochus s. Stephani praesidium sibi quaerit ex resolutione S. hujus Congregationis in Tiburtina 12. Maii 1685. Disputatum namque fuit: An Canonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali tamquam sua paroecia vel in Parochia domicilii vel potius in sepulchro majorum? rescriptum prodiit: In Cathedrali, si in ipsa adsit sepulchrum proprium Canonicorum, sin minus, in sepulchro majorum: his vero non extantibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia Cathedrali vel parochiali, in alia videndum, quam ad verbum inveni in *lib. 35. decret. pag. 231. a tergo.* Ab hoc exemplo infert, ut aeque in sepulchro sacerdotum sepeliendus presbyter non electa sepultura potius quam in sepulchro gentilitio. Non eadem est ratio, scilicet praesumpta voluntas tum in Canonico tum in simplici sacerdote, ut in distincto sepulchro deponantur. His in utramque partem deductis pro meo munere aliquid addendum puto. Constitutiones synodales urbinatenses

nihil decernunt de casu, quo sacerdos sepulchrum habeat majorum, ita ut potius in Cathedrali, si in urbe decesserit, si extra, in parochiali, quam in sepulchro gentilitio sepeliatur. Interpretandae itaque sunt constitutiones ad juris censuram; aliter si ipso juri adversarentur, nullam vim haberent ad tradita per *Bened. XIV. de Synod. dioeces. lib. 12. cap. 4. n. 12.* Rituale vero romanum praescribit quidem, ut sepulchrum sacerdotum sit a laicorum sepultura separatum; sed videndum, utrum ex hoc sequatur, ut Presbyteri, qui habent sepulchrum majorum, debeant in sepulchro sacerdotum tumulari non obstante dispositione juris, quae gentilitio sepulchro praerogativam concedit.

Tandem resolutio S. hujus Congregationis in Tiburtina 12. Maii anni 1685 de canonicis agit, quos sepeliendos esse decrevit in Cathedrali, si in ipsa constitutum sit sepulchrum proprium Canonicorum, sin minus, in sepulchro majorum. Utrum vero haec transferri possint ad casum Presbyterorum, qui habent sepulchrum distinctum pro sacerdotibus in parochia, vestrum erit EE. PP. judicium. Videtur sane, non electa sepultura, praesumi posse in Canonicis voluntatem dormiendi cum sociis in servitio et ea in ecclesia, cui viventes servitium praestiterunt. Ita in sacerdotibus verosimile videri poterit voluisse inter suos sanquine conjunctos, cum sepultura inter mortuos domicilio inter vivos aequiparetur, ut ex *text. in cap. licet de sepultur. in 6.* docet *Barbos.* de offic. et potest. Paroch. cap. 26. n. 31., *Nicol.* Lucubrat. civil. lib. 4. tit. 12. n. 23.

Si EE. PP. censeant, constare de bono jure favore Parochi s. Mariae; tunc in secundo dubio statuendum erit: utrum sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris et emolumentorum ad ecclesiam tumulantem spectantium. Ita sane decernitur in cap.: *Animarum* de sepulturis in 6., et statuit S. Congregatio in Sorana funerum 24. Aprilis 1723. Aliquando vero justa concurrente causa et ad evitanda scandala remissus fuit illius Canonis rigor quoad exhumationem cadaveris, restitutis tantum emolumentis funeris, ut statuit *Rota* decis. 429. n. 1. part. 18. recen. et coram Bichio decis. 439. n. 2. Parochus s. Stephani non omni prorsus carebat jure et forsan in bona fide versabatur, cum niteretur Constitutionibus synodalibus urbinatensibus; attamen quodammodo jus sibi dixit, cum propria authoritate et contra protestationes Parochi s. Stephani defuncti corpore potitus est. Num igitur cum eo adhibenda sit indulgentia EE. PP. deliberabunt. Geminum proponitur dubium:

I. *An et de cujus bono jure constet ad effectum tumulandi cadaver sacerdotis Bernardini Contini in casu?*

Et quatenus affirmative favore Parochi s. Mariae;

II. *An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris atque emolumentorum ad ecclesiam tumulantem spectantium in casu?*

S. C. resp. ad I.: Affirmative favore parochi s. Mariae.

Ad II.: Affirmative in omnibus.

Die 9. et 30. Aug. 1817.

Tornacen.

Juris funerandi et emolumentorum funeralium.

Die 27. Augusti 1864.

In civitate Montium Hannoniae Tornacensis dioecesis inter alias paroecias et illa recensetur s. Elisabeth et altera s. Nicolai. In hac postrema

proprium sibi constituerat domicilium sacerdos quidam Nicodemus postquam nuntium miserat officio parochiali, quo antea functus fuerat, in eaque subita morte peremptus obiit die 6. Dec. 1861. Et quia missae sacrificium hora populo magis commoda quotidie celebrabat ad nutum tamen Parochi et officialium fabricae in altera parochiali Ecclesia s. Elisabeth accepto ad hoc annuo stipendio, Parochus hujus ecclesiae denuntiavit Parocho s. Nicolai se jus habere ad ducendum et peragendum funus illius Presbyteri utpote ecclesiae s. Elisabeth servitio addicti, licet in Parochia s. Nicolai domicilium habuisset. Cui parochus s. Nicolai reposuit, se, ne ex contentione scandalum oriretur, permissurum, ut funus in parochiali Ecclesia s. Elisabeth persolveretur, reservatis tamen juribus, si et quae sibi competerent, ceu parochus ipse etiam sub juramenti fide, si opus fuerit, se testari paratum esse renunciavit.

„Interim eadem die 7. Decembris literas dedit Episcopo, in quibus enarrata facti serie expostulabat: „Je me demande si a ce titre Monsieur le doyen de sainte Elisabeth a droit, comme on dit, a l'enterrement? C'est ce qu'il prétend parce qu'il considère M. Nicodème comme prêtre habitué. Cela suffit il, Monseigneur, pour établir le droit de M. le doyen? Les funérailles de M. Nicodème davant avoir lieu lundi prochain, je supplie Votre Grandeur de vouloir bien m'honorer d' une réponse le plus tôt possible.“ Subsequenti die 8. Decembris Vicarius Generalis rogationi responsum dedit affirmativum ea ductus ratione, quia nimirum defunctus „pour être prêtre habitué a s. Elisabeth, fait partie du clergé de cette église.“ In cujus opinionis confirmationem exemplum attulit alterius Presbyteri. „Duvillier Tornacensis, attaché a l'église de s. Quentin“ qui etsi decessisset intra fines Parochiae s. Margaritae, dans une maison qu'il occupait“ funus tamen illius in Ecclesia s. Quentini persolutum fuit.“

„Hujusmodi tamen Vicarii Generalis responso minime contentus Parochus s. Nicolai canonistarum sententias ea super re coepit inquirere easque sibi propitias unanimiter obtinuit, etsi diu plures per menses singulorum responsiones expectare debuerit. Haec inter ineunte mense Martio anni 1862 ipsummet Parochum s. Elisabeth rogavit ut suam de quaestione voluntatem et opinionem panderet. Hic vero die 10. ejusdem mensis respondit: „Quant à l'objet de votre lettre du 5. c. je n'ai pas d' opinion a émettre. L'affaire est devenue épiscopale; c'est donc devant le Vicariat qu'elle doit se traiter. Vous étes bien libre d'agir comme vous l'entendez; quant à moi il m'importe peu dans quel sens elle sera décidée et vous pouvez être bien sûr que je ne dirai pas un mot pour fait pencher la balance en un sens plutôt que dans l'autre. Mais si vous vouliez me permettre de vous donner un conseil d'ami, ce serait de laisser la cette affaire; je crains qu'elle ne vous cause plus de désagréemens qu'elle ne vaut; et d'ailleurs le cas ne se prèsentera peut être plus jamais chez vous; c'est la première fois dequis le commencement du siècle. Dans un pareï intervalle novus n'y serons certainement plus ni l'un ni l'antre. Pour tout vous dire, j'ai des raisons de penser quon ne vous donnera pas gain de cause a l'Evêché; et en ce cas votre conduite sera interprétée dans un sens peu honorable et en fin de compte on se moquera de vous.“

„Cum igitur jura sibi favere comperisset Parochus s. Nicolai acceptis ut innui canonistarum sententiis et e contra Parochus s. Elisabeth ex allata

responsione eadem jura agnoscere renueret, ab Episcopo juridiarie quaestionis solutionem ille formiter petiit. Nec aliud quam privatam obtinuit responsionem Vicarii Generalis die 27. Julii 1862 sequentis tenoris: „Selon le droit commun les chanoines même titulaires doivent ressortir a la paroisse de leur domicil, mais que l'usage est contraire a Mons, aussi bien qua Tournay et qu'il a acquis force de loi. Cest la persuasion du clergé de Tournay, car il n'est jamais venu dans la pensée d'aucun curé de cette ville de révoquer en doute la légitimité des droits et des pouvoirs du doyen du chapitre.“ Huic autem opinioni Vicarii Generalis non acquiescens validius institit coram Episcopo pro juridica sententia super jure funerandi et consequenti emolumentorum restitutione. Assertam enim consuetudinem juris dispositioni refragantem montibus haud extare quoad Presbyteros, ut ajunt, *habitués,* missae videlicet sacrificium in aliqua ecclesia quotidie celebrare solitos cum stipendio, literis ipsius Parochi s. Elisabeth supra relatis ostendit. Praeterea cum in contrarium sibi objicerentur duo casus de cantoribus, quorum exequiae persolutae fuerunt non in parochiali eorumdem ecclesia sed in ea, cujus servitio addicti erant, etiam ex hac parte objectam consuetudinem prorsus rejecit, adducto testimonio canonici *Conreur*, qui cum fuisset jam parochus Ecclesiae s. Nicolai testatus est, ideo funus cantoris cujusdam Rossignol expletum fuisse in ea ecclesia, quia Parochus domicilii praebuerat assensum, idemque etsi dubitans evenissse retulit in obitu alterius cantoris *Dubuisson.* Praemisso vero quod his in casibus facile a Parochis praestari soleat consensus, cum exequiae cantorum gratis plerumque expleantur ab Ecclesia, cui serviunt, prosequebatur animadvertens, quod consuetudo pro cantoribus aliisque, etsi extitisset montibus Hanoniae et Tornaci etiam pro Presbyteris *habitues*, (quamvis exemplum Presbyteri *Duvillier* a Vicario relatum contrarium demonstraret ex testimonio Parochi Tornacensis s. Margaritae affirmantis sese assensum praebuisse Parocho s. Quintini pro ducendo funere et tumulatione roganti), ea tamen observantia contra jus et in re odiosa de persona ad personam eoque minus de loco ad locum extendi non posset.“

„Elapso haec inter unius fere anni intervallo, cum juridicam super exorta controversia sententiam, iteratis etiam officiis, Parochus s. Nicolai non obtinuisset, Bmmo Patri preces obtulit die 4. Julii 1863 et de non reddito sibi jure conquestus petiit ut quaestio inter ipsum et Parochum s. Elisabeth orta ad juris tramites dirimeretur, allatis etiam documentis et testimoniis ad rem facientibus, ex quibus praemissam facti seriem breviter expositam collegi.“

„Communicatis cum Episcopo Parochi precibus eumdem scitu necessaria cum animi sui sententia rogavi, simulque percontatus sum, quare non fuerit ab Ordinariatu prolata in forma juris sententia super enunciata controversia. Transmisit quidem Episcopus animadversiones Parochi s. Elisabeth, at siluit omnino super non prolatae sententiae causis et a quolibet animi sui sensu aperiendo penitus abstinuit.“

„Summa vero animadversionum Parochi s. Elisabeth, qui funus Presbyteri Nicodemi et funeris emolumenta sibi addixit, haec quae nunc subdam complectitur. Sententiam sequutus quorumdam canonistarum affirmantium Clericos beneficiatos absque sepulturae electione decentes in Ecclesia sui beneficii fore sepeliendos ostendere nititur Presbyterum Nicodemum, nisi verum beneficiatum in sensu juris,

certe tamen beneficiatorum juribus honestatum et oneribus respective praegravatum reputandum fuisse quoad parochialem Ecclesiam s. Elisabeth, ita ut in ea debuerit sepeliri. Quod ut suadeat, praemonet, post deplorandam cladem, qua tum in Galliis tum in Belgio, tempore Gallicanae perturbationis et occupationis antiqua simplicia beneficia extincta fuerunt, nonnullas fundationes, quarum bona adhuc alienata permanserunt, restitutas fuisse a Gubernio Fabricis ecclesiarum, ad quas olim attinebant firma adimplendorum obligatione. Et ita favore fabricae Ecclesiae s. Elisabeth peractum fuisse narrat quinque recensitis antiquis fundationibus eidem restitutis. Arguta deinde ratiocinatione animadvertit sacerdotes qui habituati dicuntur praedictis oneribus sive missarum sive divinorum officiorum adimplendis electos (qualis erat praefatus Nicodemus respectu Ecclesiae s. Elisabeth) non minus arcte ecclesiis, in quibus beneficia olim existebant, devinctos esse, quam antiqui beneficiati, licet ipsi Presbyteri proprie dicti beneficiati non sint. Ex quo arguit, quod sacerdotes habituati quantum fieri potest in parochia, cui adscripti sunt, residere teneantur nec alibi domicilium habere possint nisi de consensu eorum quorum interest vel de Ordinarii licentia (uti cum Presbytero Nicodemo peractum fuisse arbitratur); iique praeterea ex obligatione in praedictis ecclesiis divinis officiis intersint, sacra myteria celebrent et ecclesiastica Sacramenta recipiant."

„Quae quidem omnia dum viveret praestitisse subdit sacerdotem Ecclesiae s. Elisabeth, cum ex beneficiorum illius Ecclesiae reditibus sustentaretur, missas pro fundatoribus ibi quotidie perlitaret et in choro divinis officiis cum reliquo Clero interesset, sub oculis et absque ulla querela Parochi s. Nicolai."

„Merito idcirco in Ecclesia s. Elisabeth eumdem fuisse sepultum contendit ad *text. in cap. 2. cum quis de sepulturis in 6.* et allata auctoritate Ferraris, qui voc: *Sepultura* n. 71, aperte docet, Beneficiatos cum onere residendi decedentes sine electione sepulturae et sepulchro majorum carentes sepeliri debere in ecclesia beneficii vel residentiae, non vero in propria Parochia, citans hac super sententia, quam communem appellat, innumeros auctores, quos inter Barbosam, Pirhing, Reiffenstuel; quam maxime enim decet, ut fideles in ea sepeliantur ecclesia, in qua coelesti pabulo reficiebantur; et ita juxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum."

„Propius deinde ad speciem affert Van Espen tit. 28. de sepult. cap. 3. n. 18." ubi ait: „Quotidiana praxis consonat, quae respectu beneficiatorum reputat propriam ecclesiam, cui sunt per beneficium incorporati, atque in ea sepeliri volunt si commode fieri possit, tametsi forsitan in alia Parochia habitent."

Idemque infert ex dispositione statutorum Tornacensium de anno 1761, in quibus proposito casu X.: „quis pastor habet jus ad sepulturam beneficiatorum, qui obligantur ad residentiam et in alia Parochia commorantur?" responsum datum est: jus competere pastori Parochiae beneficii, non vero domicilii."

Huic praeterea dispositioni conformem accedere subjungit observantiam. Licet enim non modo nec in Parocho s. Elisabeth nec in altera s. Nicolai sed insuper nec in ipsa Montium civitate valeat aliud hujusmodi exemplum afferri, quod probabiliter repetendum a domicilio generatim servari solito a sacerdotibus *habitualis* in parochia illius ecclesiae, cujus servitio sint addicti; consuetudinem tamen conformem mutuatur a civitate Episcopati Tornaci, cujus meminit supra Vicarius Generalis,

eamque confirmare studet ex casibus connexis et aequiparatis in ipsa civitate Montium. Testimonio namque, quod profert, Decani et Parochi s. Waltedrutis ejusdem civitatis, ostendit cantores, sacristas et bidellos, qui laici sunt, in ecclesia cui inserviunt Sacramenta etiam in Paschate recipere sibique sepulturam habere, etsi in alia parochia domicilium habeant: ,,Non enim alia de causa" ita ipse concludit ,,cantores et alii laici in ecclesia, cui adscribuntur, sepulturam recipiunt, nisi quia ei ecclesiae servitium praebent; porro sacerdotes habituati longe praestantius et magis continuum praebent ecclesiae suae servitium; a fortiori ergo in sua ecclesia sepulturam obtinere debent." Quod vero excipitur a Parocho s. Nicolai veniam in dictis casibus a parocho domicilii fuisse petitam, id tribuendum existimat actui urbanitatis mere gratioso vel ad summum necessariam esse licentiam ad cadaver exquirendum et funus ducendum intra limites alienae paroeciae. Postquam vero haec pro sui juris tuitione disseruerit Parochus s. Elisabeth, in causa, de qua agitur, exceptionem opponit rei judicatae, ita ut nequeat amplius de re disputari. Asserit enim controversiae definitionem utrinque judicio et arbitrio Episcopi fuisse commissam: cumque per suum Vicarium Generalem Episcopus quaestionem vi consuetudinis definierit favore Parochi s. Elisabeth in eaque ecclesiae funus et sepultura Nicodemi reipsa locum habuerit, rem actam esse ait et e limine fore rejiciendum Parochi s. Nicolai recursum."

,,Quia vero ex praemissa factorum historia documentis comprobata non modo de compromisso non constet, sed insuper satis pateat contrarius animus Parochi s. Nicolai saltem ex querelis, altera post Nicodemi obitum die subsecutis et petitionibus ad Episcopum pro juridica rei definitione, de hac exceptione nulla haberi posse ratio videtur in hac suprema judicii sede."

,,Haec pro Parocho vero s. Nicolai ita ratiocinari licet. Juris regula generalis est Christi fideles sive Clericos decedentes absque electione sepulturae et sepulchro majorum in parochiali Ecclesia sepeliri debere, ubi officia consueverunt audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta, ex *cap. 12. et 3. de sepult., et cap. 2. ejusd. tit. in 6.*, quam regulam confirmant passim auctores, quos inter *Barbosa* de offic. paroch. part. 3. cap. 27. n. 1., *Card. de Luca* de paroch. disc. 27. n. 2. et 3., *Reiffenstuel* lib. 3. decr. tit. 28. n. 13. tit. 3. tit. de sepult. n. 7. et 12. et *Ferraris* V.: sepultura n. 68. et 69. Et quamquam ex auctoribus nonnulli eam amplexati fuerint sententiam ut Clerici seu Presbyteri alicujus ecclesiae servitio addicti titulo tamen beneficii residentialis eoque perpetuo in ecclesia beneficii sepeliri debeant, cum arctius sit illis vinculum cum ecclesia, in qua residere tenentur ibique divina audiunt et Sacramenta percipiunt, quam cum parochia, ubi lares tantum habent, *Ferraris* loc. cit. n. 71. *Amost.* de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 16., *Frances* de Eccles. cathedr. cap. 17. n. 14., *Reiffenstuel* loc. cit. n. 14. et seq., *Schmalzgrueber* lib. 3. tit. 28. n. 47. de Jur. Eccl. lib. 2. cap. 10. n. 23. et de offic. Paroch. cap. 27. n. 37.: omnes tamen consentiunt ad hoc requiri duas praefatas conditiones, titulum videlicet beneficii residentialis eumque perpetuum. Tertiam praeterea conditionem omnino necessariam statuit ad nativum parochiae jus infringendum, maxime post Concilium Tridentinum parochiarum divisionem certis finibus praecipiens tum s. *Rota* in magistrali decis. in Hydruntina sepulturae 27. Novembris cor. *Arnoldo,* tum saepissimo et con-

stanter S. H. Ordo, quod nimirum in ecclesia beneficii peculiare et distinctum adsit sepulchrum pro Canonicis aliisque beneficiatis destinatum. Id quidem praeseferunt tam antiquae quam novae S. H. Ordinis resolutiones, quas inter recolere liceat praecipuas in *Narnien.* 26. Septembris 1677, in *Tyburtina* 12. Maii 1685, in *Mantuana* 16. Martii 1689, in *Derthonen.* 3. Decbr. 1718 et 7. Dcbr. 1720, in *Avenionen.* 1. Mart. et *Virterbien.* 10. Maii 1676 et in *s. Miniatis* 24. Novembr. 1821 aliisque innumeris. Et quia compertum erat nullum adesse sepulchrum pro Canonicis Collegiatae Clavari peculiariter extructum, in *Januen.* 21. Julii 1827 s. Congregatio resolvit Canonicum decedentem extra parochiam Collegiatae sepeliendum esse in parochia domicilii. Planum igitur esse videtur quid sit in praesenti themate statuendum, cum non modo sepulchro illud separatum et distinctum haud extet sed etiam exulare videatur in Nicodemo qualitas beneficiati, cum potius ad simplex missarum officium persolvendum electus dici queat in ecclesia s. Elisabeth et quidem *amovibiliter* ad parochi et officialium fabricae voluntatem: de priorum enim legatorum (hoc enim audiunt fundationes ita dictae) satisfactione tantum agebatur."

„Ad consuetudinem vero quod attinet objectam in contrarium, controverti profecto nequit de illius valore etiam in hac funerum et tumulationum materia si rite sit introducta, praescripta atque probata, ex *cap. 1. 4. 6. 15. et 18.* de praescriptione, et tradit *Piringh.* h. tit. n. 22., *Reiffenstuel.* lib. 2. decret. tit. 26. n. 140., S. Congr. in una *s. Miniatis* 12. Martii 1729.

At consuetudinem alleganti onus incumbit eam concludenter probandi, *ad tetxt. in cap. 1. de praescriptione in 6.*, *Barbosa* ad hoc cap. et *Schmalzgrueber* tit. 4. n. 33., quia nimirum consuetudo in facto consistit, ut ait Bonifacius VIII. in cap. 1. de constit. in 6. Cum dein agatur de jure alieno praescribendo et jus commune praescribenti resistat, ultra actuum frequentiam tempus ad praescribendum vel annorum quadraginta cum titulo vel tempus immemorabile necessarium putant passim DD. ex *cap. 1. de praescript. in 6.*, et prae caeteris *Barbosa* et *Schmalzgrueber* loc. nuper cit., *Maschat.* lib. 2. tit. 26. §. 2. q. 6. n. 40. et §. 3. q. 1. n. 29., *Reiffenstuel* lib. 2. tit. 26. n. 121. 147. et 164., ac *Ferraris* verb.: *Praescriptio* n. 9. et 10., tandem quia hujusmodi consuetudo odiosa est, ut ait *Fagnan. in cap.: Contingat. de decim.* n. 20, *Card. de Luca* de benef. disc. 30. n. 11. et 12. et *Barbosa* ad cap. 18. de praescript. n. 4.; hinc eam esse stricti juris et tantum habere de potentia quantum habere de usu et actu, ita ut extendi nequeat de loco ad locum, de persona ad personam aut de casu ad casum, etiamsi concurrat identitas imo et majoritas rationis, sed probandam esse in specie et in individuo docent *Card. de Luca* de benef. disc. 30. n. 12. et de feud. disc. 53. n. 4. ac disc. 109. n. 20., *Schmalzgrueber* lib. 1. n. 4. tit. 18. et *Reiffenstuel* ib. n. 160. et seq."

„In specie vero super materia funerum recolenda est resolutio s. Congregationis in *Eugubina* 2. Aprilis 1729, in qua contendente capitulo Cathedralis et simul parochialis Ecclesiae jus privativum administrandi Sacramenta clericis et sacerdotibus infirmis in aliena parochia commorantibus, et perantiqua consuetudine in synodalibus statutis anni 1637, agnita insuper et confirmata, Sacr. Congregatio ad dubium:

„*An parocho Cathedralis Eugubii licitum subministrare Sacramenta quibuscumque Clericis et sacerdotibus infirmis et in aliis parochiis commorantibus, etiam privative ad proprium parochum domiciliarium?*“

Resp.: „Negative et spectare privative ad parochos domiciliarios et amplius.“

„Hisce prae oculis habitis videant EE. PP. quid vel quantum objectae in contrarium consuetudini sit tribuendum, quippe quae non modo nec probata nec pacifica videatur sed dato etiam quod esset plene probata, extendenda foret de loco ad locum, pacificum est enim nullum extare Montibus exemplum, et de personarum genere ad genus diversum, de cantoribus videlicet et sacristis ad presbyteros.

Haec quoad primum dubium. Alterius autem resolutio pendere videtur a primi resolutione. Si igitur judicaverint EE. VV. funus et tumulationem Nicodemi spectasse ad parochum domicilii, consequenter emolumenta funeris percepta Parocho s. Nicolai forent restituenda; beneficia enim omnia occasione indebitae sepulturae recepta cum integritate esse restituenda praecipitur in *cap. 6. et 10.* de sepult., in *cap. 1. ejusd. tit. in 6.* Unanimiter consentiunt DD. et conformis itaque constans agnoscitur s. hujus Ordinis praxis; permultis enim in ejusmodi casibus una semper fuit resolutio, ut videlicet emolumenta funeris occasione percepta integre restituerentur: ceu decretum fuit, omissis aliis, in *Tudertina* 4. Jul. 1772, in *Sorana* 24. Aprilis 1773, in *Sabinen.* 18. Decembris 1734, in *Faventina* 7. Jun. 1760 et in *Viterbien.* 10. Maii 1766. Quae quidem regula adeo firmiter observata conspicitur ut in *Callien. seu Urbinaten.* Jur. tumul. diei 30. Aug. 1817, etsi quaedam bona fides et boni juris umbra concurreret in parocho dioecesis Urbinatis, qui funus et tumulationem peregerat cujusdam sui parochiani sacerdotis, qui casu obiit in parochia dioecesis Calliensis, in qua sepulchrum majorum eidem erat, minime obstante quod Parochus Urbinatensis dioecesis faventes pro se constitutiones synodales et sepulchrum appositum pro sacerdotibus in propria ecclesia haberet, coactus est emolumenta restituere parocho dioecesis Calliensis, quia s. Congr. judicavit de bono jure parochiae, in qua extabat sepulchrum majorum. Perpendant nihilominus EE. VV., utrum in casu de quo agitur a restitutione emolumentorum excusare valeat Parochum s. Elisabeth sive opinio emissa a Vicario Generali cum asserta acquiescentia Parochi s. Nicolai, sive allegata in contrarium consuetudo.

Dantur itaque dubia:

I. *An et de cujus bono jure constet super funere et tumulatione sacerdotis Nicodemi in casu?*

Et quatenus affirmative favore Parochi s. Nicolai;

II. *An et quae emolumenta occasione funeris percepta a Parocho s. Elisabeth sint restituenda in casu?*

S. Congregatio censuit ad I.: Affirmative favore Parochi s. Nicolai;

ad II.: Affirmative in omnibus.

Die 27. Augusti 1864.

(Anal. J. P. 1864 p. 860.)

46) Taxa, quando cadavera extra propr. parochiam tumulantur.

Ad dub.: An possint presbyteri exigere pro *jure sepulturae* emolumentum taxatum in conventione 1566, quando cadavera parochianorum tumulantur in sepulturis propriis et familiaribus aut in aliena Ecclesia?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad I. et II. partem et quoad tertiam expectetur exitus litis in S. C. Ep. et Reg.

Die 26. Jan. 1726. Montis Casini ad 14.

47) Tempus.

Vd.: *Sepult.* (dilatio.)

Ad dub. I.: An cadavera deferri valeant ad ecclesiam in quacumque hora diei et an de nocte absque expressa licentia Ordinarii?

II.: an Parochi sub aliqua et quacumque praetensione differre vel impedire possint, ne tempore debito cadavera ad sepeliendum deferantur? Et quatenus negative;

III.: an Parochis impedientibus licitum sit heredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus etiam de nocte ad Ecclesiam, in qua cadaver est sepeliendum?

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative de die, de nocte negative nisi de licentia Ordinarii;

ad II.: Negative,

ad. III.: Affirmative praeter quam de nocte ut supra.

Die 15. Mart. 1740 ad 4 — 6. In *Novarien.*

Cadavera defunctorum deferri possunt ad ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri nisi post competens tempus.

S. C. Ep. die 20. Febr. 1601.

Ante solis ortum aut post illius occasum absque licentia Ordinarii non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. S. Congr. Concil. in Novarien. 15. Mart. 1740 ad 4. dub. Et sic statuunt fere omnes Synodi dioecesanae et signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734 tit. de sepulturis vers.: *Ante solis ortum.* Non potest tamen Episcopus demandare sub poena excommunicationis latae sententiae, ut cadavera ante lapsum 24 horarum ab emissione spiritus ad ecclesiam non deferantur: S. Congr. Concil. in Horton. Censurarum 12. Decbr. 1705. Quamvis possit statuere, ut cadavera non sepeliantur, nisi 12 saltem horis ab emissione spiritus, seu 24, si agatur de subitanea aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina Synodo loco cit. et passim etiam in aliis.

Quamdiu sit exspectandum, ut sepulturae mandetur hominis cadaver? Nihil hac de re in jure definitum est. Caeterum constitutionibus plurium Synodorum receptum est, ut post duodecim horas sepeliatur, si mors sit ex morbo sequuta, et si repentina vel violenta, post viginti horas. Vide S. M. Benedictum XIV. *de Synod. dioecesana lib. 2. cap. 6. §. 8.* Adde etiam adnotat. ad Synod. Fulginat. Episcopi Baptistelli cap. 23. n. 6.

Vd.: *Visitat. de funerib.*

48) Tertiariorum.

Vd.: *Sepult.* (Eorum, qui in habitu etc.; Regularium etc.)

Tertiarii et Tertiariae habentes requisita a Leone X. in constitutione incip.: *Dum intra*, et alia incip.: *Nuper*, et in decreto S. Congregationis edito die 20. Decbr. 1616, si decedant non sibi electa sepultura et si in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiatur, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri in parochiali. Sic declaravit S. Congr. Concilii, ut ex *Novario* refert *Cardinalis Petra* n. 41. vers.: Si vero, his verbis: „Praeterea si contingat aliquos ex praedictis Tertiariis absque sepulturae electione decedere, eos sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis eorum sepultura communis reperiatur, sin minus, in

Ecclesiis parochialibus sepeliendos esse decrevit.“ Nam, ut prosequitur, Eminentissimus *Petra* loco cit., uti gaudentes privilegiis regularium pars dicuntur ipsius religionis, ut dixit etiam S. Congr. Episcop. et Regular. in Nepesina 11. Decbr. 1615 ad quintum, et 20. Decbr. 1617. Verum cadavera non possunt deferri a domo nisi cum praesentia parochi vel hoc requisito, S. Congr. cit. in Mutinen. 17. Junii 1636 apud *Dian.* part. 5. tract. 6. Miscell. resolut. 30. et *Passerin* de statib. tom. 2. n. 246 et seq., qui n. 248. adducit epistolam per extensum. Sic *Card. Petra* loco cit. n. 41. vers.: Si vero, *Panimoll.* decis. 5. Adnot. 3. n. 47. et 48., *Sellius* in Select. Canon. cap. 35. n. 20., *Gavant.* in Manual. Episcop. verb.: Tertiarii n. 10. et 11., *Tamb.* de Jure Abbatissar. disp. 7. qu. 3. vers.: Tertiariae, et vers.: S. Congr. Cardinal.; *Barbosa* de offic. et potest. parochi cap. 26. n. 69., *Sperel.* tom. 1. decis. 87. n. 17; *Lavor.* var. lucubr. tit. 2. cap. 11. n. 102. et 103., *Matthaeucc.* offic. Cur. cap. 48. n. 31. et cap. 52. n. 3. §. 2. et 3. et alii.

49) Per Triduum sacr.

In secundo triduo majoris hebdomadae non possunt celebrari exequiae defunctorum et officium et preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1636 in Placentina.

In exequiis parvulorum in feria V. et VI. et Sabbato majoris hebdomadae potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. Rit. Congr. 16. Jun. 1677 in Hispal.

Dubitatur: Quae ratio vel forma servanda sit in funeribus alicujus defuncti tam adulti quam parvuli in fer. V., VI. et Sabb. s. majoris hebd.? Hoc enim in ritu rom. nullatenus expressum invenitur.

S. C. resp.: Non debet alterari usus communis; alias enim omissa non fuisset regula; in psalm. tamen, qui dicuntur pro parvulis, posset omitti v. g. *Glor. P.* pro conformitate temporis. N. 2812 ad 6 die 16. Jan. 1677.

Vd: *Sepult.* (ritus.)

50) Via ad Sepulturam.

Vd.: *Process. funebr.* (via; crux Cathedr., Colleg., ecclesiae tumul., exitus etc.)

51) Visitatio.

Vd.: *Visit. de Funerib.*

SEQUENTIA.

1) In missa de SS. Nom. Jesu.

Ad dubium Episcopi Brugen.: an Sequentia in missa de ss. Nomine Jesu dicenda vel omittenda sit in ipso festo?

S. C. resp.: Esse omittendam. N. 4049 ad 9 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 9 die 16. Febr. 1737.

2) In missa de Requ.

Ad dubium: Utrum in missis quotidianis sive solemnibus sive absque cantu sequentia *Dies irae* semper et dici a celebrante et cantari in choro debeat? Ratio dubitandi est, quia fert missale: Sequentia *Dies irae* ad arbitrium sacerdotis. Et quatenus negative, pro speciali gratia postulat Rmus Episcopus Briocen. et Trecoren. dispensationem super sequentia *Dies irae* cantanda ob angustiam temporis et defectum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus. Rescriptum prodiit:

„Sequentiam *Dies irae* semper dicendam in missis *de Requie,* quae cum unica tantum oratione decantantur, verum aliquas strophas illius Cantores praetermittere posse.“ N. 2508 ad 12; 12. Aug. 1854.

Vd.: *Orat. in missa quot. de Req.* (Quot? decr. n. 4818 ad XI. 2.)

3) In missa de septem dolor. B. V. M.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*

4) In missa de SSmo.

In missa, quae celebratur in ecclesia monialium ord. s. Francisci de Laurizal de SSmo omnibus fer. V., 1. vel. 2. class. non impeditis, sequentia *Lauda Sion* dici non potest. N. 4464 ad 2 die 21. Mart. 1795.

5) A quo dicenda?

Ad dub.: Utrum in Missa solemni tam de festo quam *de requie*, dum sequentia cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debeat a solo Celebrante vel alternatim cum s. ministris?

S. eadem Congreg. respondendum censuit: „A solo Celebrante."

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 7 die 11. Septembris 1847.

SERMO.

Vd.: *Concio; Praedicatio; de sermone ante distribut. ss. Sacram.* vd.: *ss. Sacram.* (distrib., sermo.)

SERVITIUM CHORI.

Vd.: *Chorus; officium.*

SERVUS SERVORUM.

(Titulus ss. Pontif.)

Est antiquus mos, ut nimirum electus Pontifex in principio literarum, si prius erat Episcopus consecratus, scribatur, exempli gratia, ***Innocentius Episcopus, Servus etc.***, ut alias, si autem non esset consecratus, scribatur, Innocentius electus Servus Servorum Dei. Innocentius iste est Papa Innocentius VIII., cui hoc Caeremoniale Augustinus Patricius nuncupavit, uti videre est apud Mabillonium tom. II. Musei italici pag. 584, ubi legitur dedicatoria epistola ejusdem Patricii ad Innocentium VIII. Pontificem. Episcopi nomen reticendum esse a Pontifice nondum consecrato docent nos antiqua Romanorum Pontificum exempla ac praesertim Benedicti Papae II. exemplum, qui electum se appellavit initio literarum, quas ante ordinationem scripsit. Non consuevisse autem Pontifices ante consecrationem nomen suum Bullis seu Sigillis apponere notat Spondanus ad annum 1262 et post eum Pagius in Vitis Urbani Papae IV. n. 5., Gregorii X. n. 9. et Innocentii V. n. 1. Porro Gregorius ipse, dum Viterbii adhuc existeret, ad Philippum Francorum Regem literas dedit, Viterbii IV. Nonas Martii, suscepti apostolatus officii anno I., ex quibus constat, eum, antequam Romam pergeret, ut consecraretur, misisse ad laudatum Philippum Regem Archiepiscopum corinthium, qui validiora terrae sanctae subsidia ferre suaderet, a quo viginti quinque millium marcharum argenti ad id operis accepit, ut etiam ex aliis ad Carolum Siciliae Regem de eodem negotio scriptis per Patriarcham Hierosolymitanum hortatoriis literis intelligitur. Quales et ad Venetos, Januenses et alios dedit ipseque exemplum ceteris praebens, aere ecclesiastico quingentos conscripsit milites ac multos pedites tresque triremes a Venetis conduxit, iis transmittendis. Haec omnia egisse Gregorium Papam X., antequam consecraretur, diserte exprimit Gregorius ipse ad memoratum Philippum datis literis, quarum hoc est initium: Gregorius electus Episcopus Servus Servorum Dei etc. Ex quo et patet, quod et inter alios observavit Pagius citato loco, eum ante consecrationem Gregorium nomen sumpsisse, licet in bullando literas Gregorii nomen reticuerit; sic enim epistolam claudit: „Nec mireris, quod Bulla non

exprimens nostrum nomen est appensa praesentibus, quae ante consecrationis et benedictionis nostrae solemnia transmittuntur, quia semper ii, qui fuerunt in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis, ante suae consecrationis munus, modum hujusmodi observare". Unde non dicit epistolam datam anno Pontificatus primo, sed: suscepti a Nobis apostolatus officii anno I. Descriptam hactenus clausulam Literarum pontificiarum, quae datae scilicet sunt ante consecrationem, non modo legere est in hujusmodi pontificibus literis sed et in aliis caeremonialibus romanae Ecclesiae ac praesertim in eo, quod jussu Gregorii Papae editum fuit, et in uno membranaceo exarato labente Seculo XIV., quod mihi commendavit literarum bono natus pius aeque ac doctus Venantius Philippus Piersanctes apostolicarum caeremoniarum Magister. Ipsum itaque caeremoniale, ubi enarratur ritus servandus in electione Papae, sic inter alia inquit: Idem vero electus, in quocumque ordine fuerit, si scribat aliquas literas ante suam consecrationem, bullare faciat ipsas literas cum illa parte Bullae, in qua sunt capita Apostolorum ex una parte, ex altero vero erit plana, cum nondum sit consecratus in Papam; et in salutatione scribat nomen suum sic: N. electus Servus Servorum Dei dilecto etc. salutem et apostolicam benedictionem; et addit in fine literarum ante datam: Nec mireris, quod Bulla exprimens nomen nostrum non est appensa praesentibus, quae ante consecrationis et benedictionis nostrae solemnia non transmittuntur; quia hi, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante consecrationis suae munus modum hujusmodi observare; et ponitur *data in tali loco, X. Kal. Maii suscepti a Nobis praesulatus officii anno primo. Et Poenitentiarii dicunt in data literarum suarum:* Datum etc. anno primo praesulatus Domini N. Papae X. electi Romani Pontificis.

Reliquum est, ut eum explicemus titulum, quo initio literarum Romanus Pontifex uti solet; appellatur enim *Servus Servorum Dei.* Sane post insolentem illam Joannis Constantinopolitani Antistitis arrogantiam, qui se oecomenicum Patriarcham nominabat, ut constat ex epistola XXXIX. libri IV. registri Gregoriani, ad Sabinianum Diaconum, Contantinopoli Sedis apostolicae Apocrisiarium anno 595 data, S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus se semper Servum Servorum Dei inscripsit, teste Joanne Diacono in ejus Vita libro IV. cap. 58., ubi ait, primo illum coepisse ea formula in epistolis suis se inscribere, ut hanc etiam in successores transfunderet haereditatem verae apostolicae humilitatis: *Universalis vocabulum refutavit et primus omnium se in principio epistolarum suarum Servum Servorum Dei scribi satis humiliter definivit cunctisque suis successoribus documentum suae humilitatis haereditarium relinquat.* Hoc nempe persuasum habebat persuasumque omnibus volebat maximus simul et humillimus Pontifex, veram Episcopi magnitudinem totam esse in humilitate positam, nec aliud esse Episcopatum quam divinam quamdam servitutem, quam eorum Episcopi fierent, quorum viderentur esse Domini. Sacrilegum plane est, quod tartareo calamo scripsit impius Joannes Calvinus irridens Romanis Pontificibus, qui hi illum titulum, Servus Servorum Dei, a maledictione Chanaan acceperint, de quo inquit scriptura Geneseos cap. 9.: Maledictus Chanaan servus servorum erit. Quod quantum sit sacrilegum ineptumque atque insulsum dicterium, vel ipsi haeretici animadverterunt.

Sed ut ad memoratum Romani Pontificis titulum revertamur, cujus initium ut dixi Joannes Diaconus s. Gregorio Magno Papae adscribit, epistolae ipsae Gregorii, prima libri VIII. et prima libri IX. ita quidem inscriptae sunt: Gregorius Servus Servorum Dei romano Defensori Siciliae; et: Gregorius Servus Servorum Dei Innocentio Africae Praefecto.

Ad haec Beda lib. I. historiae gentis Anglorum plures epistolas refert, quibus Gregorium Laurentium Presbyterum et Monachos in Angliam proficiscentes commendat, in quibus se Servum Servorum Dei inscribit. Capite enim XXVIII. ejusdem libri unam adducit inscriptam Virgilio Episcopo Arelatensi cum hoc titulo: *Reverendissimo et sanctissimo viro fratri Virgilio Episcopo Gregorius Servus Servorum Dei.* Haec epistola est LXIII. libri IX. citatati Registri Gregoriani, in quo sine illa inscriptione refertur, sicut et quaedam aliae a Beda recitatae. Gussanvillaeus quidem in notis ad epistolam I. libri VIII. ejusdem registri, romano Defensori Siciliae inscriptam, dicit se dubitare, an nuncupatio illa: Servus Servorum Dei, a Gregorio ibi usurpata fuerit. Sed, ut observat Garnerius in Appendice ad notas capitis I. libri de ordine romano, nulla est in toto Gregorii registro epistola, quae non sit a Collectore suis, quas haberet, solemnibus formulis spoliata; habuisse tamen omnes vel ex eo uno apertum est, quod ad saeculares viros feminasque multae datae sint, nec ulla tamen domini dominaeque nomen in epigraphe praeferat, quamvis id nunquam omissum Joannes Diaconus in ejus vita asserat. Sed et laudatus Beda capite XXIX. refert epistolam ejusdem Gregorii ad Augustinum Cantuariensem Episcopum, quae in Registro Gregoriano est XV. libri XII. et capite XXX., epistolam ad Mellitum, quae in eodem registro est LXXI. libri IX., in quibus etiam Gregorius Servus Servorum Dei se inscribit, licet in eo registro ipsae epistolae ea formula spoliatae sint.

Observat et haec inter alios Pagius in vita memorati Papae s. Gregorii Magni estque communis scriptorum sententia egregio testimonio Joannis Diaconi fulta, ipsum Gregorium fuisse primum, qui e Romanis Pontificibus titulum initio pontificiarum Literarum adhibuerit. Non diffiteor, s. Augustinum quoque jam longe ante Gregorium quibusdam in episolis scripsisse se Servum Servorum Dei; ac deinde alios complures Episcopos idem fecisse. At recte docet Thomassinus parte I. ecclesiae disciplinae libro I. capite XI. haec nihil obstare, quin vere dixerit Joannes Diaconus, haereditarium nomen, Servus Servorum Dei, a Gregorio in romanos deinceps Praesules devolutum esse. Haec quippe est summae sedis prima gloria, quae sola humilitate exaltari potest, ut sola humilitate exaltatus est Princeps Pastorum Christus in aeternum Pontifex.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. p. 83).

SESSIO.

1) In choro.

Vd.: *Vicarius general.*; *Canonici Eccles. Cathedr.*; *Sedes*.

Presbyter simplex *doctor* non debet praeferri in sedendo, votando et similibus simplici sacerdoti non doctori primo promoto. N. 122 ad 1 die 8. Maii 1597.

2) Laicorum int. miss. sol.

Cf.: *Magistratus* (sedes); *Sedes laicor.*

Magistratus missis sol. aliisque ecclesiasticis functionibus adstans potest

assurgere et sedere, prout facit Clerus, qui interest. N. 3230 ad 4 die 2. Septbr. 1690.

3) Intra Solemnia Episcopi.

In sedento tam Assistentes quam Diaconus et Subdiaconus pro loci situ et commoditate ita se gerant, ut se *inferiores ministros* Episcopi, non pares et aequales ostendant. N. 15 ad 15 die 16. Mart. 1591. Omnes assistentes in eodem plano sedere debere, si locus sit capax. Nr. 898 die 8. Febr. 1631.

4) In Synodo.

Vd.: *Sedes; Synodus.*

SIGILLUM.

1) Jus deferendi.

Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia Collegia, Conventus, Praelati, Abbates, Archidiaconi et Superiores omnes ac Officiales et eo uti debent pro scripturis authenticis. *Conc. Londin. II. cap. 29.*

2) Regularium.

Sigillo aureo vel argenteo uti non possunt regulares: Concil. Nicaen. ex Arabico cap. 76. Minister generalis ordinis s. P. N. Francisci de observantia legitime usus fuit et uti potest titulo et sigillo cum inscriptione: „Minister generalis totius ordinis fratrum minorum,“ ut hoc titulo insigniri consuevit a Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis in orbe Seraphico tom. 1. lib. 3. cap. 10. circa finem, et signanter a Leone X., Clemente VIII., Paulo III., Sixto V., Urbano VIII., Greg. XV., Innoc. IX. et aliis sequentibus et novissime a Benedicto XIII. Constit. incip.: *Universalis Ecclesiae regimini*, et alia incip.: *Dilectis filiis*, ibi: „Dilectis filiis Ministro generali totius ordinis fratrum minorum s. Francisci, nec non Generali ministro fratrum Conventualium ejusdem ordinis.“ Et hoc, utraque parte informante, jam fuerat repetitis vicibus declaratum a S. Congregatione Rituum, prout ad literam referuntur decreta a supradicto Dominico de Gubernatoris loco citato tenoris sequentis:

Religionis s. Francisci.

„Cum Procurator generalis fratrum minorum Conventualium s. Francisci, sex ab hinc annis aegre ferret, Ministrum generalem de observantia in praeteritum usum fuisse et in praesentiarum uti titulo et sigillo cum inscriptione: *Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum*, recursum habuit ad SSmum supplicans mandari reformari hujusmodi titulum tamquam non legitime dicto Ministro generali de observantia competentem. Et supplicatione per SSmum ad hanc S. Rituum Congregationem remissa; eadem S. Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625 commisit Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Muto, coram quo formato dubio de consensu ambarum partium: „An titulus ministri Generalis totius ordinis fratrum minorum, quo insignitur Minister generalis observantium, si reformandus? Utraque parte saepe saepius in facto et jure desuper informante et audita ad relationem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Muti causa acerrime in plena Congregatione discussa S. Rit. Congregatio respondit: nihil innovandum et Ministrum generalem de observantia legitime usum fuisse et uti posse titulo et sigillo cum inscriptione: *Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum*; et ita servari mandavit die 22. Martii 1631.“

Religionis s. Francisci.

„Religio minorum Conventualium conquesta est apud SSmum de decreto ab hac S. Rituum Congregatione emanato ad favorem Ministri generalis de observantia s. Francisci circa usum tutuli et sigilli Ministri generalis totius ordinis fratrum minorum, supplicans tamquam non audita in suis juribus audiri in signatura gratiae et mandari illustrissimo datario, qui concedat ad hoc supersessoriam necessariam.“

„Ex adverso autem frater Alphonsus de Prato Procurator generalis minor. observantium adiens et ipse cum supplici libello eumdem SSmum supplicavit, quod, stante jure suae religioni quaesito tam ex Bullis pontificiis quam ex novissimno decreto, parte adversa super usu tituli et sigilli per quinquenium et ultra saepius audita et replicante, nemine ex Eminentissimis Patribus contradicente, ad sui favorem edito et etiam impresso; Sanctitas Sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per SSmum ad hanc S. Congregationem remissa eadem S. Congregatio unanimi Eminentissimorum Patrum consensu censuit: ex hactenus deductis non esse locum novae audientiae. Et mandavit Secretarium alloqui cum SSmo juxta mentem.“

Die 12. Aprilis 1631.

„Feria sexta die 21. Aprilis. Ego Secretarius allocutus fui cum SSmo juxta mentem S. Congregationis et Sanctitas Sua mandavit mihi, ut loquerer, prout feci, ad R. P. D. datarium pro imponendo perpetuo silentio.“

„Ita reperitur in regestis Congregationis sacrorum Rituum. In quorum fidem etc.“

Hac die 9. Junii 1682.

(L. † S.) Bernardinus Casalius, Secret.

(Ex statutis Ordinis. SS. Trinitatis Redempt. Capt. Cong. Hisp.)

Clemens XII.

I. Patres superiores generales habebunt tria sigilla. Primum magnum ad signanda negotia gravia et Capituli generalis. Secundum mediocre ad ordinaria et tertium parvum pro literis, hac sola differentia, quod in primo sculpta sit imago SSmae Trinit. et Pater Minister generalis habeat in circuitu verba ista: Signum primitivum SSmae Trinitatis et captivorum. Pater vero Commissarius in circuitu solum habebit haec: Signum discalceatorum SSmae Trinitatis et captivorum: In duobus aliis pro utroquè superiore incisum sit scutum ordinis et in circuitu verba haec: Pater Minister generalis, vel: Pater Commissarius generalis.

II. Deinde deffinitores habeant sua sigilla, in quibus incisum sit scutum ordinis cum inscriptione ista per circuitum: Deffinitorium generale ordinis discalceatorum SSmae Trinitatis et captivorum, vel pro alio deffinitorio generali, si familiam nominare non possit, in circuitu sint haec verba: Deffinitorium generale unius familiae discalceatorum SSmae Trinitatis captivorum. Et cum sigillo sui deffinitorii signabunt negotia, quae Superior generalis expedierit nomine illius, addendo etiam in illorum corpore: de consensu nostri deffinitorii generalis. Per haec enim verba et sigillum distinguenda sunt negotia deffinitorii ab expeditis a Superiore generali solo.

III. Singuli Patres deffinitores singula habeant sigilla parva pro epistolis suis et in illis sit scutum ordinis et inscriptio haec per circuitum: deffinitor generalis ordinis, quin addatur primus secundus nec tertius. At vero deffinitores generales familiae in inscriptione non habeant eadem verba sed solum habeant haec: Deffinitor ge-

neralis unius familiae, vel nominando familiam sit locus fuerit.

IV. Quilibet Provincialis tria etiam habeat sigilla, unum magnum pro suo Capitulo, in quo incisum sit ordinis scutum et per circuitum ista verba, exempli gratia: Provincia Spiritus Sancti. In aliis duobus, quorum unum mediocre ad ordinaria negotia sui officii, et alterum parvum pro epistolis suis, erunt in circuitu sequentia verba: Provincialis provinciae N.

V. Praeterea deffinitorium provinciae alterum sigillum habere debet, quod sculptum habeat scutum ordinis et in circuitu haec verba: deffinitorium provinciae N.; cum hoc enim sigillo Pater Provincialis signare debet, quae expedierit nomine deffinitorii sui et etiam addere in corpore: De consensu nostri deffinitorii provincialis; nec non provinciae deffinitores habeant sua sigilla parva cum hac inscriptione: Deffinitor provinciae N.

VI. Quilibet etiam Minister Conventualis habeat sigillum parvum pro epistolis et negotiis occurrentibus et in illo scutum sit ordinis et per circuitum titulus sui Conventus vel Collegii, verbi gratia: Minister Conventus matritensis.

VII. Visitatores delegati habeant etiam sigilla cum scuto ordinis et ista inscriptione: Visitator generalis, vel: Visitator provincialis. Sigilla autem ista sint apud Patrem generalem et provincialem respective, ut ea suo tempore tradant Visitatoribus ab eis delegatis, qui et finita sua commissione reddant illa delegantibus.

VIII. Insuper Patres Redemptores captivorum et Procuratores generales et provinciae pro negotiis et epistolis sigilla habeant parva et cum scuto ordinis insculpto et inscriptione per girum: Redemptor captivorum, vel: Procurator generalis ordinis vel familiae N. et similiter: Procurator provinciae.

IX. Praecipimus, quod nullatenus excedatur a disposito in hoc §. ne ullus alius extra praedictos (cujuscumque status et conditionis sit) sigillo utatur sub poena gravis culpae.


Die 2. Aug. 1738.

(Bull. r. t. XV. p. 243. Ed. Luxbg.)

SIGNA MARTYRII.

Decretum.

Postquam saeculo XVI. laboribus praesertim et studiis Antonii Bosi iterum suburbana patuere coemeteria, quae a saeculo VIII. exeunte summorum Pontificum cura penitus interclusa remanserant ne barbari romanum solum devastantes ibi aliquam inferrent prophanationem, in iis conquaeri coeperunt martyrum corpora, quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita. Tutissmum dignoscendi sacra haec pignora signum a majorum traditione receptum erant Phyalae vitreae vel figulinae cruore tinctae aut crustas saltem sanguineas occludentes, quae vel intra vel extra loculos sepultorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit viris eruditis alias praeter sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant. Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, placuit Clementi IX. Summo Pontifici singularem deligere Congregationem, quae ex sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque doctissimis viris constaret, cuique hac super re gravissimum commisit examen. Haec Congregatio, quae a sacris postea reliquiis et indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis die 10. Aprilis anni 1668 decretum hoc tulit: „Cum a s. Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita de notis desceptaretur, ex quibus verae s. martyrum reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint, eadem S. Congregatio, re diligenter



examinata censuit, palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse: aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit." Decretum hujusmodi duorum fere saeculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente saeculo nonnulli selecti scriptores de Phyalae sanguineae signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV. auctoritas obstitit, quum in literis apostolicis ad Capitulum metropolitanae ecclesiae Bononiensis de Proco martyre ex coemeterio Trasonis cum vase sanguinis effosso edoceret. „Ipsi debetur cultus et titulus sancti, quia procul dubio nulli unquam venit in mentem, quantumvis acuto ingenio is fuerit et cupidus quaerendi, ut aiunt, nondum in scripo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod corpus in catacumbis romanis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno aut tincto, non sit corpus alicujus qui mortem pro Christo sustinuerit." At nostris hisce diebus alii supervenere viri eruditione aeque pollentes et in sacrae archeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis vel etiam voluminibus editis adversus Phyalam sanguineam utpote indubium martyrii signum decertarunt. Sanctissimus autem Dominus noster Pius Papa IX. de decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, quum videret tamen eruditorum difficultates ephemeridibus tum catholicis tum heterodoxis divulgari, ad praecavendum quodlibet inter fideles scandalum sapientissime censuit, ut hujusmodi difficultates in quadam peculiari S. Rituum Congregatione severo subjicerentur examini, peculiaris vero Congregatio haec nonnullis ex ejusdem S. Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis, officialibus ac selectis ecclesiasticis viris pietate, doctrina, prudentia rerumque usu eximie praeditis constituta prae oculis habens universam argumentorum seriem necnon fidelem ejusdem Secretarii relationem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die 27. Novembris vertentis anni, duobus his propositis dubiis:

I. *An phyalae vitreae aut figulinae sanguine tinctae, quae ad oculos sepultorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperirentur, censeri debeant Martyrii signum?*

II. *An ideo sit standum vel recedendum a decreto S. Congregationis indulgentiarum et reliquiarum diei 10. Aprilis 1668?*

Respondit ad primum: „Affirmative."

Ad secundum: „Provisum in primo."

Ideoque declaravit confirmandum esse decretum anni 1668.

Facta autem de praemissis SSmo Domino nostro Pio Papae IX. a subscripto secretario accurata omnium expositione, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit atque praesens decretum expediri praecepit.

C. Episcopus Portunen. et s. Rufinae,
Card. Patrizi S. R. C. Praef., —
D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(Anal. J. P. 1864 p. 953.)

Vd.: *Reliquiae.* (Inventio.)

SIGNUM CRUCIS.

(In Officio faciend.)

Ad dub.: Utrum hebdomadarius signari debeat, cum in officio divino dicit: *Indulgentiam, absolutionem,* sicut etiam praescribitur in principio missae? S. C. resp.: Congruere, ut fert praxis universalis praesertim urbis. N. 4526 ad 39 die 7. Septbr. 1816.

Vd.: *Crux.*

SILENTIUM.

1) In Choro et Sacristia.

Vd.: *Sacrista* (munus.)

Tranen.

Capitulum et Clerus Baruli Tranen.

dioecesis S. Rituum Congregationi exposuerunt, cogi ab ordinario sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, reservata sibi absolutione, ad immutandam horam matutinarum recitandarum contra dispositionem constitutionum ecclesiae et ad silentium omnimodo servandum tum in choro tum in sacristia.

Quamobrem supplicarunt hujusmodi poenam moderari et in observantia constitutionum reintegrari. Et S. Congregatio censuit, praevia suspensione censurarum Episcopum audiri; verius tamen oretenus procuratori Episcopi aperiri, ut omnino revocet censuras et mitius agat quoad silentium; quoad matutinas mandet servari constitutiones ecclesiae quatenus ritui non adversas.

Die 24. Junii 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 366.)

2) In choro et ecclesia.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (ador. decr. Pragense t. III. p. 490); *Sacrista* (munus); *Laici* (quomodo se gerant); *Munditia Eccles.*

Clemens PP. IV. pro Eccles. Aniciensi.

Omnes tam Canonici quam Clerici quiqunque praedictae ecclesiae in choro, dum divina officia celebrabuntur, in stando et sedendo honeste se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Extra chorum intra ecclesiam nullus clamare, rixari seu invercuude ad invicem vel cum mulieribus seu aliis inhonestis personis fabulari audeat nec per viam currere seu currendo transire.

Stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil amodo percipiant in his, quae altaribus ecclesiae offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos adducant nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maxime inducant seu attrahant ad ipsius ecclesiae altaria vel capellas.

Dat. Viterbii IV. Nonas Junii 1265.

(Bull. r. t. IX. p. 76. Ed. Luxbg.)

Innocentii PP. VII. Approb. regulae ffr. et sor. de Poenit. Ord. s. Dominici.

In Ecclesiis dum celebrantur missae vel cantatur divinum Officium seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium servare studeant et orationi ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali et occurrente necessitate aliquid silenter loquantur. Die 26. Juni 1405.

(Bull. r. t. IV. p. 639. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Idem decr. Martini PP. V. ad fratres et soror. tertii Ord. Servorum B. V. M. Die 16. Mart. 1424.

(*Ibid.* p. 705.)

S. Agathae.

Episcopus s. Agathae certioravit hanc S. Rituum Congregationem de excessu quodam, qui accidit in sua Cathedrali, celebrante sacerdote, qui propter annorum multorum numerum et strepitum puerorum prope altare, oblitus de elevatione SSmi Sacramenti et Sanguinis et forsan etiam de consecratione sequuta, denuo elevavit corpus et sanguinem et, quod Deus avertat, iterato etiam consecravit, quod tamen ipse sacerdos haec patrasse non affirmat. Et S. Congregatio mandavit scribi Episcopo, qui vocari faciat dictum sacerdotem, illumque acerrime corrigat et suggerat illi dictum scripturae: maledictus homo qui fecerit opus Dei negligenter, et ipse Episcopus curet removere ab ecclesia sua indecentiam, strepitus et rumores, ne distrahantur celebrantes et orantes, quum domus Dei domus orationis sit.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863 p. 206.)

(Ex statutis FFr. B. V. M. de mercede redempt. captivorum.)

Innocentius XII.

Quoniam domus Domini domus orationis vocatur eamque idcirco deceat sanctitudo, enixe super hoc ministerii ejus invigilare praecipimus, ne colloquia habeantur in illa, praesertim temporibus celebrationis officiorum. Visitationes vero feminarum et alloquia politica quantumvis necessaria et honesta, etiam ad vesperam prohibemus in ecclesia, nisi cum expressa licentia Praelati. Quod autem cum facultate praedicta ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdicimus ne in locis confessionibus designatis hujusmodi misceantur alloquia, ne tam sancta, sed illa etiam decedentibus erubescant.

Die 2. Febr. 1692.

(Bull. r. t. XI. p. 88. Ed. Luxbg.)

3) Intra processionem.

Eugenius IV. ad Clerum Urbis.

Nullus, dum processionaliter incedit, cum aliquo confabulare praesumat, sed cantet aut orationibus a seipso, si cantare nescit, insistat, sub poena.

(Bull. r. t. V. p. 7. Ed. Aug. Taur. 1860.)

S. SILVESTER.

Cum festum dedicationis Ecclesiae PP. Minorum de Villa Franca semper occurret cum festo s. Silvestri et officium dicti sancti ad unum sequentem transferri minime valeat, fiat festum dedicationis cum com. s. Silvestri. N. 4166 die 23. Januarii 1745.

S. SIMEON PROPH.

(Officium.)

Congregationis Cassinensis.

Supplicatum fuit pro parte monasterii ssmae Trinitatis Cavensis ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis pro concessione sibi facultatis recitandi in officio s. Simeonis prophetae lectiones proprias et alia desumpta ex festo Purificationis B. M. V. Et S. Rituum Congregatio, ad relationem Emmi Cardinalis de Norfolcia, respondit: Negative.

Die 20. Septembris 1681.

(Anal. J. P. 1865 p. 1237 n. 2174.)

B. SIMON DE LYPNICA.

(Off. et Missa.)

Cracovien.

Piis precibus Poloniae regis SSmo exhibitis per Emmum Barberinum nomine majestatis suae, quibus enixe petiit, ut Sanctitas sua dignaretur indulgere in toto regno Poloniae recitari posse ab omnibus christifidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus officium et missam de b. Simone de Lypnica sacerdote ordinis s. Francisci de observantia et remissis a Sanctitate sua ad S. Rituum Congregationem eadem ad relationem Emmi Pampilii, per plures vices omnibus mature perpensis, audito in voce et in scriptis Rmo Dno fidei promotore, censuit, si SSmo placuerit, petitam gratiam concedi posse cum officio et missa de communi confessorum non pontificum sub ritu semiduplici; attento quod praedicta causa non sit comprehensa in decreto Urbani VIII. de anno 1628; et ita decrevit die 4. Septembris 1688. Et facta de praedictis SSmo relatione Sanctitas sua benigne annuit die 17. Januarii 1689.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1302 n. 2376.)

SS. SIMON ET JUDA APP.

Si festum omnium SS. occurrat vel in Sabbato vel in dominica vel in fer.

II. post festum ss. App. Simonis et Judae, eo tantum casu in iis locis, in quibus iidem ss. Apostoli sunt Patroni principales civitatis, oppidi vel pagi, eorum festum transferendum esse cum officio et missa ad dominicam praecedentem cum vigilia in Sabbato etiam praecedenti. N. 4444 ad 6 die 11. Septembris 1790.

De secreta missae vigiliae vd.: *Missale* (correctio, D. n. 43.)

SIMPLEX.

1) Commemoratio.

Vd.: *Festum* (mutatio decr. n. 4508); *Compatronus* (commem. decr. n. 4508); *Oratio imperata* (decr. n. 4560 nota): *Semidupl.* (commem. decr. n. 4378); *Orationes in missa sol.* (decr. n. 4879.)

Ad dub.: Utrum in dupl. 2. cl. locum habeat oratio Sancti simplicis, cujus ad laudes fit commemoratio, in omnibus missis cantatis cum s. Ministris vel sine ipsis aut omittenda solummodo sit in solemni missa conventuali? S. C. resp.: In missa quocumque modo cantata de festo dupl. 2. cl. omittitur commemoratio Simplicis, quae juxta rubricam fit in missis priv. tantum. N. 4507 ad 4 die 8. Aprilis 1808.

In missis non conventualibus, quae cantantur in diebus 2. cl. sine Diacono et Subdiacono, omitti debet commemoratio Simplicis. N. 4526 ad 10 die 7. Septembris 1816.

Ad dub.: An commem. Sancti simplicis occurrentis in dupl. 2. cl. omitti debeat in missa convent. sine cantu sed lecta a communitate religiosa? S. C. resp.: Affirmative. N. 4393 ad 18 die 27. Martii 1779.

Ad dub.: An in Missa conventuali plana omittenda sit in duplicibus II. cl. commemoratio Simplicis, quando ratione solemnitatis altera cantatur? Emmi atque Rmi PP... rescribendum censuerunt:

„Negative.“

Atque ita rescripserunt ae servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 8 die 12. Martii 1836.

2) Lectio.

De lectione nona alicujus Simplicis. Vd.: *Lectio nona.*

3) Mutatio.

Vd.: *Festum* (mutatio decr. n. 4508.)

4) Perpetuo impeditum.

Cf.: *Translatio festi perpetuo transl.*

Cum in quibusdam ecclesiis quaedam festa simplicia sint perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri possit, supplicatur: num loci Ordinarius possit assignare certam diem aliam illis festis impeditis et utrum consuetudo antiqua et immemorabilis dicendi officium de aliquo Sancto sufficiat ad licite continuandum et recitandum dictum officium? S. C. resp.: Quoad primam partem negative, quoad secundam affirmative, dummodo immemorabile respiciat festum in rom. martyrologio descriptum; sin minus, negative. N. 4181 ad 5 die 7. Maii 1746.

Si festum simplex perpetuo impediatur ob occurrentiam duplicis 1. cl., non esse ad aliam diem transferendum juxta rubricas. N. 4209 die 18. Julii 1750.

Vd.: *Simplex* (non transf.)

5) Translatio.

Quum usque ab anno 1742 17. Kal. Oct. concessum fuerit, ut aliqua officia ritus simp. occurentia in dupplicibus 1. cl. cum oct., in Kal. Patavino transferantur ad primas dies liberas, quaeritur: an standam sit me-

moratae concessioni, etsi pro aliis eccl. posterioribus temporibus sancitum fuerit a S. R. C., ut festum simplex quod perpetuo impeditur ob ritum dupl. 1. cl., non sit ad aliam diem transferendum? Emmi vero ac Rmi PP. s. tuendis Ritibus praepositi ... rescribendum censuerunt:

Affirmative juxta indultum anni 1742.

Atque ita rescribendum ac servandum mandarunt. N. 5000 die 7. Dec. 1844.

6) Non transfertur.

Nullum adest decretum de transferendis festis simplicibus a dupl. 1. cl. perpetuo impeditis. Quare apocriphum est, quod circumferri asseritur, decretum. N. 4299 ad 3 die 3. Mart. 1761.

Vd.: *Simplex* (perpetuo imped.)

SIMPLIFICATIO FESTORUM.

Vd.: *Officium* (translatio in sequent. annum); *S. Thomas Cantuar.* (lect. I. n. etc.)

Granaten.

Votum Magistri Apostol. Caeremoniarum.

Quae pietas in decore domus Dei promovendo, quae diligentia in pastorali munere rite explendo, qui zelus, qui amor pro ecclesiasticis functionibus juxta ordinem peragendis effulgeat in praeclarissimo Viro Salvatore de Reyes Archiepiscopo Granatensi, Vos probe nostis, Emmi et Rmi Patres, ex quo duobus circiter abhinc annis, eo instante, plura circa missam in anniversario tum electionis et consecrationis Episcopi, tum creationis et coronationis Romani Pontificis celebrandam, per responsiones septem dubiis ab eo propositis, decreto lato die 14. Augusti 1858, sapienter statuistis. Nunc autem eodem zelo ductus iterum ad hanc S. Congr. accedit, alia, quae ad divinorum laudum recitationem et uniformitatem spectant, imploraturus; cum enim ipsi (ut in supplici libello ingenue significat) „cordi maxime sit, quod in divinis laudibus persolvendis omnia rite et secundum ordinem fiant, ad hanc S. Congregationem, qua par est reverentia, orator accedit, quo sequentium dubiorum solutionem et postulatorum concessionem obtineat.“

Et quoniam per honorificum istud munus demandatum mihi fuerit, ut super iis, quae praeclarissimus Granatensis Archiepiscopus in supplici libello exposuit, meam aperiam sententiam, sic fungar munere meo ut dubiis et postulatis ex eodem supplici libello depromptis, per vices propositis, quae pro singulis opportuna mihi visa fuerint, maxima, qua par est, reverentia subjiciam.

Postulatum I.

Cum plura in Hispania ex apostolica concessione celebrentur festa cum octava, scilicet s. Vincentii Martyris, s. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, s. Juliani Episcopi Conchensis, s. Ferdinandi Hispaniarum Regis, s. Elisabeth viduae Reginae Portugalliae et s. Angeli Hisp. Custodis, ex hac octavarum multiplicatione simulque ex aliorum festorum, tam pro ecclesia universali quam pro hac Hispaniarum novissimis concessionibus fit, ut frequenter desint in anno dies pro assignandis festis accidentaliter translatis, quae ad ritum simplicem redigi coguntur; orator ergo postulat facultatem, ut memoratas octavas in suo dioecesano perpetuo calendario supprimere possit.

Postulatum II.

Ob eamdem pariter rationem potestatem sibi fieri precatur ad supprimenda quaedam festa secundaria, quae in Hispania generaliter celebrantur, conversionis nempe s. Augustini 5. Maii,

transverberationis s. Theresiae 27. Augusti et commemorationis s. Juliani Episcopi 5. Septembris, simplificatis hujusmodi festis et facta de ipsis commemoratione in utrisque vesperis, laudibus et missa et cum nona lectione historica ad matutinum, juxta facultatem ab hac. S. Congr. Episcopo Santanderien. per decretum 16. Januarii 1793 benigne concessam.

Postulatum III.

Cum ex hac octavarum et festorum suppressione calandarium perpetuum dioecesanum necessariam pati debeat mutationem, potestatem pariter sibi fieri postulat orator, quae praedicto Episcopo facta fuit ad omnimodam ejusdem calendarii instaurationem deveniendi, ita ut nonnulla officia jam fixe quibusdam diebus assignata, e loco suo movere diebusque juxta rubricas vacantibus rite et recte perpetuo assignare possit et valeat.

Resp.: Affinia sunt inter se tria enunciata postulata, quibus Rmus Archiepiscopus Granaten. exposcit facultatem: 1. supprimendi octavas nonnullorum festorum, quae cum octava in Hispania, ex apostolica concessione, celebrantur; 2. supprimendi item nonnulla ex iis festis, quae secundaria dicuntur, cum eorumdem simplificatione; 3. instaurandi novam calendarii dioecesani rationem. Has ipsas facultates jam alter Episcopus Hispanus, scilicet Santanderien., iisdem de causis petiit obtinuitque ab hac S. Congr. per decretum diei 16. Januarii 1793. Neque id dissimulat Archiep. Granaten., qui petitiones suas atque eam praesertim deveniendi ad omnimodo calendarii instaurationem ab exemplo ejusdem Episcopi Santanderien. similibus fere verbis expressit concinnavitque. Imo vero facultates, pro quibus reverenter instat, iisdem et potioribus fortasse deductis rationum momentis a benignitate Vestra se accepturum esse confidit. Diximus, *potioribus deductis rationum momentis,* quia cum ab eo tempore, scilicet ab anno 1793, plurimum excreverit numerus novissimorum festorum sive pro particularibus Hispaniarum ecclesiis, inde factum est, quemadmodum opportune monet Archiep. orator, ut praefatae tum octavarum tum festorum suppressionis magis hodie urgeat necessitas, qua obtenta, per novam calendarii efformationem quaelibet officia suis in posterum respective diebus juxta rubricas restituantur. Probe nostis, Emmi et Rmi Patres, quantum liturgicarum rerum amatores et praeclarissimi Liturgiae auctores de hac octavarum et festorum multiplicitate conquerantur, dolentes maxime in eo, quod exinde antiquus ecclesiae spiritus in horarum canonicarum recitatione sensim evanescat. Gavantus sect. 3. cap. 3. n. 5. se vehementer angi fatetur, quod per praedictam octavarum et festorum multiplicitatem omittantur officia praesertim feriarum quadragesimae; a quibus antiqui removebant festa sanctorum et a quibus in recognitione breviarii octavae sunt exclusae. Rudulphus in suo insigni libro de observantia canonum eamdem perturbationem acerrime insectatur, ea potissimum ratione, quod tollitur continuatio et recitatio totius psalterii *Guyetus* lib. 1. cap. 1. qu. 19. „carpit festorum pruriginem, quae multorum e clero tam saecularium quam regularium animos ita pervasit, ut nihil plus optent, nihil fere vehementius ambiant, quam abactis procul feriarum officiis continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et religioni magnum augmentum et ecclesiae suae vel ordini splendorem accivisse si corrigatis undique opportune importune sanctis, consertum et coagmentatum atque superffluens calendarium

proprium compegerint, quod profecto a prisco et legitimo ecclesiae sensu alienum est." Quid autem diceret, si compertum ei fuisset, ob eam festorum multitudinem non solum officia feriarum abigi, sed frequenter deesse in anno diem pro assignandis festis, ut habetur in postulato I., accidentaliter translatis, quae ad ritum simplicem redigi coguntur. Immoderatae huic festorum prurigini pro futuris temporibus prospicere ac mederi Vestrae erit sapientiae et auctoritatis, EE. et RR. PP. Interim pro Ecclesia granatensi prona atque opportuna vobis se praebet occasio, saltem ex parte, si Archiepiscopo oratori petitas in precibus facultates benigne concedatis iisdem verbis quibus Episcopo santanderiensi per citatum rescriptum 16. Januarii 1793 concessae fuerunt, videlicet: „Ad 1., 2. et 3: S. Rituum Congregatio facultatem tribuit Rmo Archiepiscopo granaten. reformandi calendarium juxta petita, pro suo arbitrio et prudentia, ita tamen ut de festis secundariis, quae supprimuntur, fiat commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa et quoad omnia serventur rubricae.

Die 11. Augusti S. R. C. ad suprascripta postulata et dubia respondit:

Ad I. II. et III.: Pro gratia et novum kalendarium subjiciatur examini S. Rituum Congregationis.

(Anal. J. P. 1861 p. 323 et 350.)

Ad dub. I.: An officia etiam duplicia, quae incidunt in dominicis feriisque privilegiatis quaeve ad anni terminum locum habere nequeunt, quia dies liberi pro eorum recitatione non suppetunt, reponi possint in diebus ritus semiduplicis, adeo ut de semiduplicis reductis ad modum simplicis fiat commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa cum IX. lectione historica? et quatenus negative;

II.: An id saltem permitti potest pro iis ecclesiis, quarum dedicationis anniversarium incidens in dominica officium duplex etiam secundae classis excludit in anniversario ipso et in die octava, ne Parochi aut Rectores, ob inevitabiles kalendarii dioecesani immutationes praegraventur onere variationes ipsa non semper rubricis conformes compilandi?

S. C. resp. ad I: Negative juxta alias decreta et de officiis, quae supersunt, faciendam esse commemorationem in die propria etiam si sint ritus duplicis.

Ad II.: Negative sed ad kalendarii directorem spectare particulares has ditiones pro singulis ecclesiis.

Die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. pag. 79.)

S. SINDON.

(Officium.)

Augustana.

S. Rituum Congreg. ad pias preces serenissimi Principis Maximiliani Philippi ex ducibus Bavariae, comitis palatini Rheni, per D. abb. Pompejum de Scarlattis serenissimi electoris utriusque Bavariae ducis in romana curia administrum porrectas, referente Emmo de Alteriis, benigne concessit, ut in Ecclesia parochiali oppidi de Tirkeim Augustanae dioecesis ejusque territorio ubi praefatus serenissimus dux Maximilianus Philippus construi fecit insignem capellam in honorem s. Sindonis, recitari possit officium alias approbatum pro civitate Taurinen. sub ritu duplicis majoris singulis annis die 21. mensis Julii. Die 28. Novembris 1682.

(*Anal. J. P. 1865 p. 1249, n. 2218.*)

Cum a Benedicto PP. XIII. concessum fuerit universo dominio Regis

Sardiniae indultum recitandi officium s. Sindonis in qualibet fer. 6. a festo dupl. vel semidupl. non impedita et specialiter in quadrag., ad tollendas dissensiones Magister caeremon. Fossanen. supplicavit, quatenus benigne declarari dignaretur: an dictum officium recitari debeat solum in quadrag. vel indistincte in aliis feriis adventus, vigiliarum, quatuor temp.? S. C. resp.: Suffragari indultum pro VI. feriis quadragesimae tantum. N. 4115 die 8. Julii 1741.

SINENSES.

Vd.: *Ritus Sinarum.*

SODALITAS.

Cf.: *Confraternitas; Oratorium; Titularis capellar. publ.*

SOLEMNITAS.

1) SS. Corp. Chr.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.; Festum ss. Corp. Chr.*

2) Initium.

Festivitatum exordia a primis vesperis et respective a missa, quae canitur in Sabbato sancto desumenda esse prosequitur *Hurtad.*: *Incipiunt autem singuli dies festivi a primis vesperis quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem exceptis festivitatibus Resurrectionis et Pentecostes quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus; finiuntur autem festivitates singulorum dierum in completorio inclusive. Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3.* ibi: *Notandum haec festa accipienda esse a primis vesperis juxta morem quo ecclesia solet festivitates inchoare. Adde festum Paschatis posse sumi a Sabbato a Gloria in Excelsis sacri diei Sabbati, quia ecclesia censetur tunc inhoare festum Resurrectionis, non tamen comprehenduntur octavae.*

(Ex resol. S. C. C. diei 9. Julii 1785. *Romana.*)

Ecclesiasticas celebritates incipit dies a praecedentibus vesperis ex doctrina *divi Thomae,* quam sequuntur *Azor instit. moral. lib. 10. cap. 9. qu. 5. tom. 1., Francol. de hor. canon. cap. 19. n. 1., Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. sub n. 18.;* hoc tamen limitatur in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus praescribit *Clement. I. de celebr. miss.,* ut *debitis horis psallatur* seu circa mediam noctem, secundum *Vega in summ. verb. horae n. 1. et Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 19.*

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Januarii 1790. *Abulen.*)

Rigida veterum temperata disciplina translata est matutini recitatio a media nocte ad auroram teste *Benedicto XIV. instit. 107. §. 4. sub n. 10.,* facileque immutari non debet hujusmodi institutio in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus ex *Clement. I. de celebrat. miss.* necesse est, *ut debitis horis psallatur*, ut recitetur nempe matutinum *mane diei propriae, non autem sero praecedenti post vesperas et completorium,* ad monitum *Braschii in prompt. Synod. cap. 86. n. 15.* Ubi justa tamen et rationabilis concurrit causa, opportunior ex auctoritate S. Congregationis fieri potest variatio, ut prosequitur *Brasch. loc. cit. n. 18* ac prae caeteris tradunt *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. n. 20. et Benedict. XIV. instit. 107. §. 4. n. 22.*

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Junii 1790. *Firmana.*)

Dies quoad divinum officium aliasque ecclesiasticas celebritates a praecedentibus incipit vesperis, *Azor* instit. moral. lib. 10. cap. 9. quaest. 5. tom. 1., *Francol.* de hor. canon. cap. 19.

tom. 1., *Ceccoper.* lucubrat. can. lib. 2. sub. n. 18.

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Maii 1794. *Parmen.*)

3) Paschalis et Nativit. Dom.

Sacerdos Joannes Fornici, possessor canonicatus Amidei in collegiata Ecclesia s. Eustachii de urbe, ex verbis illis fundatoris: *Quanto alle funzioni, ed obblighi del Coro, voglio, che il medesimo Canonico ne sia esente, e soltanto possa obbligarsi ad intervenire nelle solemnita del SS. Natale, di Pasqua, e di s. Eustachio,* sex in Congregatione diei 9. Julii 1784 disputavit dubia. Secundum, de quo agitur, ita erat conceptum: *An sub nomine solemnitatum ss. Natalis et Paschalis comprehendantur illi tres et respective duo. dies, qui primum consequuntur et interessentia incipere debeat a primis vesperis solemnitatum in testamento praescriptarum et Sabbato sancto?* Ac EE. vestrae rescripserunt: *Affirmative ad primam partem quoad duos dies consequentes festum Paschalis, quo vero ad dies consequentes festum Natalis, negative ad primam partem, et quoad secundam partem affirmative.* Huic igitur acquiescens rescripto in ejus declarationem postulat Canonicus, num priorum vesperarum nomine veniat Sabbati s. missa et integrum etiam illius diei servitium?

Ex ore Emmi Diaconi de Alteriis *Capitulum censet, cogendum non esse oratorem ad interessendum sacris functionibus Sabbati sancti, quae nil commune habent cum festo Paschali.* Haec autem Emmus ipse Diaconus habet: *Intimius re perspecta, statuendum videtur, in die Sabbati sancti interessentiam incipere debere vel ab initio missae solemnis vigiliae, quae per anticipationem de Paschatis festivitate celebratur, prout tradit Hurtad. de interdict. differ. 7. n. 24.,* ibi: „Incipiunt singuli dies festivi a primis vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festivitatibus Resurrectionis et Pentecostis, quae incipiunt a missa vigiliae, quia in earum vigiliis missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus“; *vel saltem* a Gloria in excelsis, *ejusdem missae solemnis, quia tunc Ecclesia festum Resurrectionis inchoat gaudiumque solemnitatis per sonitum tintinnabulorum evulgat, quemadmodum expendit Diana Concil. tom. 5. tract. 4. n. 3.* Atque hinc notat quod: *in alterutro ex praemissis interessentiae actibus submota remanent populi admiratio atque etiam obtrectatio, ubi Canonicus ejusque successores ad chorum accederent dum finem habet missae solemnis celebratio; ac vicissim satisfactum videtur testatoris voluntati, quae interessentiam Canonico praescripsit* nella solemnita del SS. Natale, di Pasqua etc., *quae quidem verba latiorem exigunt interpretationem.*

Praeter missam solemnem aliae plures in Sabbato sancto celebrantur functiones a sequenti Paschatis solemnitate distinctae, ut notum perspectumque est et observat *Benedictus XIV. de fest. D. N. Jesu Christi lib. 1. cap. 8. n. 1.*, ibi: *Hoc die* (Sabbati sancti) *sacram illam et mysteriis plenam Christi quietem in sepulchro ejusque descensum ad inferos seu statum illum Jesu Christi, quamdiu Anima a corpore fuit sejuncta, recolit Ecclesia. Sed ex ea, quae viget disciplina, sacrae complures aliae hoc Sabbato peraguntur caeremoniae, quae Resurrectionem domini respiciunt et ipsa missa hac die celebratur de Resurrectione.* Resumpto igitur folio diei 9. Julii 1785 deliberare dignentur Emi Patres:

An sub primis vesperis Paschatis comprehendi debeat missa solemnis Sabbati sancti et omnes etiam ejusdem diei functiones, in casu?

S.C.C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 23. Jan. et 27. Febr. 1790.

4) Pontificalis.

(Quae est?)

Vd.: *Episcop.; Pontificalia; Suffragan.*; *Dignitas Cath.* (d.); *Titularis Episc.* (C.); *Vesperae pontif.*

Eminentissimi et Reverendissimi Patres.

1. In cathedrali Ecclesia Nicoterensi inter dignitates et canonicos exorta est controversia quoad numerum pontificalium Functionum, scilicet missarum et vesperarum, quae impedito vel absente Episcopo a prima dignitate celebrandae sunt. Adsunt enim, qui putant innixi decreto hujus S. Congregationis lato die 3. Decembris 1672 in Andrien. inter ipsas functiones esse pariter accensendam missam omnium fidelium dsfunctorum diei commemorationis eorumdem, atque etiam officium feriae sextae in parasceve: adsunt et alii, qui oppositum tuentur nonnulla alia decreta sui favore afferentes. In hac opinionum discrepantia Rmmus Episcopus Nicoterensis et Tropiensis, ut omnia secundum ordinem fiant, sui muneris esse duxit hanc S. Congregationem consulere, eique per supplicem libellum, quem Eminentissimo Cardinali Praefecto porrexit, duo dubia proposuit per ejusdem oraculum resolvenda. Super iis vir clarissimus, qui est sacri ordinis vestri a secretis, in mandatis mihi dedit, ut meam sententiam scriptis ostenderem. Obsequens, ut par est, prompto animo opus suscipio, votumque meum, qualcumque tandem sit, sapientissimo EE. VV. Consilio libentissime submitto.

Dubia autem haec sunt:

Dubium Primum.

An, praecisa consuetudine, inter functiones pontificales, quae absente vel impedito Episcopo spectant ad primam dignitatem, sint etiam accensendae commemoratio fidelium defunctorum et officium feriae sextae in Parasceve?

Dubium Secundum.

An functiones pontificales praememoratae sunt illae tantum, quae recensentur cap. 1. et 34. libri II. Caeremonialis Episcoporum, prout ex declarationibus S. Rit Congr. diei 7. Aprilis 1696 et 22. Junii 1697 in Abellinen. et diei 7. Decembris 1771 Hydruntina praeeminentiarum n. 9 clarissime eruitur: vel potius illae omnes, quae in una Adrien. diei 3. Decembris 1672 nominatim designantur?

2. Ex ista dubiorum expositione apertissime patet totam quaestionem ad hoc reduci, ut dignoscatur, inter dies, quibus conveniat ut adsit missa pontificalis, sint pariter adnumerandi tum dies commemorationis omnium fidelium defunctorum tum alter feriae sextae in parasceve: ita ut vice Episcopi absentis vel impediti ad primam dignitatem celebrare pertineat.

3. Cum ego meam proferre debeam sententiam hac super re asserere non dubito praememoratos duos dies a functionibus episcopalibus esse excludendos, id sane eruitur ex libro caeremoniali Episcoporum, qui in describendis missis, ad quas pontificali ritu decantandas Episcopus quodammodo tenetur, silet omnino de die generalis commemorationis defunctorum: silet pariter de feria sexta in parasceve. Haec autem sunt ejus verba,

quae in cap. 34. lib. 2. §. 2. leguntur: „Celebrare igitur poterit Episcopus, nisi legitime fuerit impeditus, in die nativitatis D. N. Jesu Christi, in festo Epiphaniae domini, feria quinta in coena domini, in dominica resurrectionis, in die ascensionis, in dominica pentecostes, in festivitatibus annunciationis et assumptionis B. M. V., in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, in festo omnium sanctorum, in festo sancti titularis Ecclesiae et Patroni, in die anniversario dedicationis cathedralis Ecclesiae vel etiam arbitrio suo in aliis festivitatibus per annum etc.“ Profecto regula servanda ab Ecclesiis cathedralibus in suis functionibus desumi semper debet ex libro caeremoniali Episcoporum. Cum autem ex allato textu constet supradictos duos dies nominatim designatos non esse inter illos, qui pontificale officium simul important, nulla justa ratio afferri posse videtur, qua praedicti duo dies adjungi debeant.

4. Quapropter istam Caeremonialis regulam sequendo haec S. Rituum Congregatio saepius interrogata super numero singulorum dierum, quibus decet, ut locum habeat Episcopi missa, quae eo absente aut impedito a prima dignitate decantanda sit, ad formam Caeremonialis tales dies exigendos esse respondit. Ita siquidem in Regien. 24. Martii 1653 cum quaesitum fuerit: an missae SS. Sacramenti in die Corporis Christi et Assumptionis B. M. V. enumerari debeant inter episcopales? declaravit: attendendam et servandam esse dispositionem Caeremonialis. Sic etiam in Civitaten. seu s. Severi 25. Junii 1611 statuit functiones, quas Episcopus praesens in sua cathedrali Ecclesia facere solet aut debet juxta formam libri caeremonialis Episcoporum, eo absente ad primam dignitatem pertinere. Quod magis patet in aliis decretis, in quibus, dum praescribitur servanda regula Caeremonialis, supradictum caput trigesimum quartum libri secundi praecise assignatur. Ita videre est in Abellina 7. Aprilis 1696, cum favore Archidiaconi Ecclesiae cathedralis decretum fuit, ut loco Episcopi impediti ipse utpote prima dignitas solemniter celebrare valeat in omnibus festis expressis in caeremoniali Episcoporum libro secundo capite trigesimo quarto; quod confirmatum pariter fuit die 22. Junii 1697, cum ab eodem Archidiacono interrogata haec S. Rit. Congregatio: an celebrare posset pro suo arbitrio etiam in aliis festis non enunciatis in memorato Caeremonialis capite, negative respondit quoad alia festa non expressa in Caeremoniali. Tandem, ut cetera omittam, quae hac super re adduci possunt decreta, sufficit illud afferre, quod datum fuit in una Hydruntina praeeminentiarum die 7. Decembris 1771 ad 9. dubium; autem hoc erat: „*An absente vel impedito Archiepiscopo functiones ab eo peragendae competant Archidiacono et quae sint eaedem functiones in casu etc.?* Et S. Rituum Congregatio respondit: Affirmative juxta numerum solemnitatum praescriptarum in caeremoniali Episcoporum et amplius.

5. Cum itaque neque ex Caeremoniali Episcoporum neque ex hujus Congregationis decretis ad ejusdem libri formam latis aliquid deduci possit, quo demonstrari valeat praedictos duos dies inter pontificales functiones jure esse adnumerandos, illorum puto amplectendam esse sententiam, qua eos dies a Pontificalium numero expungere volunt.

6. Neque hoc Caeremonialis silentium quoad casum ulla ratione carere mihi videtur. Quamvis enim ex liturgicis libris simplices leges assignantibus non semper detur dignoscere causas, propter quas haec et illa caeremonia seu etiam tota sacra actio statuta sit, tamen ex contextu libri caeremonialis Episcoporum desumi posse mihi vide-

tur ratio, ob quam memorati duo dies praetermittendi sunt. Sane si pervolvuntur ea omnia Caeremonialis capita, ubi incidit sermo de functionibus pontificalibus, colligitur eas solum peragendas esse quando sacrae solemnitates, festivi, solemnes, imo solemniores dies recurrunt. Loquens enim lib. 1. cap. 12. de Ecclesiae ornatu splendidiorem apparatum praescribit pro diebus festivis „eoque magis quo dies festivi erunt solemniores" et postquam omnia descripserit, quae praecipue pro missa pontificali praeparanda sunt, concludit n. 21.: „Haec, ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiae festivitatibus ac celebrante Episcopo; sacras solemnitates appellat eos dies, quibus per Episcopum vesperae solemniter persolvuntur." Ita lib. 2. cap. 1. §. 1. et 2. legitur: „Sacrae solemnitates regulariter a primis vesperis initium sumunt... Si ergo Episcopus erit solemniter... celebraturus... quod praecipue in iis vigiliis observari solet, videlicet nativitatis domini etc."

„Festivos pariter et solemnes vocat eosdem dies lib. 1. cap. 15. §. 6. dicens: „Si fuerit festus solemnisque dies et ipsemet Episcopus vesperas sit celebraturus etc." Quibus consonat jam supralaudatum caput 34 libri secundi, ubi dum singillatim enumerat missas et vesperas pontificales toto anni decursu faciendas, dies, quibus istae recurrunt, festivitatum, festorum, solemnitatum nomine decorantur. Ubi est advertendum talia verba stricto sensu prorsus accipi debere, quatenus scilicet solemnitas aut festivitas, sive intrinseca nempe quoad ritum sive extrinseca idest quoad pompam et apparatum, perfecte absoluta intelligatur. Jam vero nec generalis commemoratio defunctorum nec feria sexta in parasceve hujusmodi solemnitatis titulo cohonestari possunt. Non prima: quia ritum duplicem non excedit et in ea, uti loquitur Durandus lib. 7., omnia laudis cantica subdicentur et solemnitates omnes subtrahuntur: non etiam secunda, quae etsi diei singularitatem ritum duplicem primae classis retineat, cum tamen acerbissimum Ecclesiae luctum ac tristitiam repraesentet in morte Domini, quidquid externae solemnitatis est omnino deponit. Ex defectu igitur absolutae solemnitatis ratio deduci videtur, qua juxta Caeremoniale praedicti duo dies inter episcopales non adnumerantur.

7. Hoc pariter melius apparet ex quo Caeremoniale diverso loquendi modo utitur cum describit functiones episcopales in solemnibus festivitatibus ac cum easdem exponit in praememoratis duobus diebus, qui vere solemnes dici non possunt. In primo siquidem casu aperte declarat conveniens esse excepto legitimo impedimento, ut Episcopus celebret, sicuti ex supra relato cap. 34. lib. 2. §. 2. et pro festo Epiphaniae etiam clarius innuit quod „in ipso die Epiphaniae deberet ipse celebrare si poterit, quod valde conveniens esset" (lib. 2. cap. 15. §. 3.); in secundo autem relinquit simpliciter Episcopi voluntati pontificalia peragere: „Si velit Episcopus celebrare die anniversario defunctorum etc." (lib. 2. cap. 11. §. 1.): „Si Episcopus velit ipse celebrare in die Parasceve."

8. Ubi pariter silentio praetermittendum non est, quod dum ex libri caeremonialis regulis, quoties rem divinam facturus est Episcopus, dignior ex praesbyteris sive dignitatibus sive canonicis assistere debet in officio Presbyteri assistentis: „Dignior est Presbyter assistens et idcirco debet esse dignior ex praesbyteris, tam canonicis quam dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent: nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter: sed atten-

ditur, ut sit dignior omnino ex omnibus" (lib. 1. cap. 7. §. 1.); ex quo desumi posse videtur causa, ob quam Episcopo absente aut impedito talis dignior supplendi jus acquirat: e contra feria sexta in Parasceve non digniori sed Canonico eidem proximo assistentia tribuitur: „Canonicus Praesbyter digniori Presbytero proximus servit hac die Episcopo in assistentia cum pluviali nigro," (lib. 2. cap. 25. §. 7.) ad indicandum scilicet, quod cum ea die ab Episcopi voluntate unice dependeat per se celebrare, in casu quod id non faciat, inferri potest non ad digniorem seu primam dignitatem sed ad proximiorem aut simplicem canonicum id spectare. Ex hoc inde procedit usus vigens in hac alma urbe, cujus uti magistrae exemplum in hujusmodi materia ceterae quoque civitates merito sectantur, ubi si solummodo excipias Patriarchalem Lateranensem, in qua prima vice hoc anno Praesanctificatorum actio per Episcopum simplicem canonicum, non vero Capituli dignitatem, peracta est, atque etiam Vaticanam ab antiqua consuetudine, in ceteris Ecclesiis numquam a dignitatibus aut saltem a prima ex iisdem exequi solet; dum e contra die praecedenti feria quinta in coena Domini, quae in Caeremoniali inter episcopales adscribitur, in omnibus urbis Ecclesiis per primam dignitatem, idest sive per Archipresbyterum sive per Decanum aut Priorem sive per Abbatem aut Generalem aut loci Superiorem solemne sacrum peragitur.

9. Ex quibus omnibus apertissime dignoscitur quam recte loquantur qui ita sentiunt, et quam a vero aberrent, qui oppositum tenentes appellant ad unicum decretum, quod illas functiones inter episcopales enumerat ac proinde in casu impedimenti primae dignitati attribuit. Illorum enim sententiae, ut vidimus, favet liber caeremonialis Episcoporum eos dies reticens e numero Pontificalium aut suo loquendi modo non admittens, consonant nonnulla hujus S. Congregationis decreta ad tramites Caeremonialis edita, respondet tandem usus Ecclesiarum urbis: Isti autem solummodo pro se referunt illud decretum, quo tamen ex sequenti observatione nec eis favere patebit.

10. Praeterquam quod enim dici primitus posset decretum istud latum die 3. Decembris 1672 non amplius vigere ob sequentes declarationes editas super eodem objecto 7. Aprilis 1696, 22. Junii 1697 et 7. Decembris 1771 ac supra relatum n. 4., cum posteriora decreta derogent prioribus, est tamen praecipue considerandum, quod illa resolutio, quam hic referre opportunum erit, sive ex dispositiva narratione sive ex aliis circumstantiis non generalem sed prorsus specialem regulam constituere demonstrat. Ita enim sic se habet decretum illud Andrien.: Proposita per Emmum D. Cardinalem Gualterium in S. Rit. Congr. habita die 28. Februarii 1671 controversia inter Carolum Capellanum Archidiaconum primam dignitatem et Antonium del Cantore Archipresbyterum secundam dignitatem Andrien. super eo, ad quem spectent, absente vel impedito Episcopo, functiones pontificales facere et celebrare ac vesperas decantare? et resoluta ad favorem dicti Archidiaconi, modo eadem S. Congr. ad tollendas differentias et ad conservandam pacem referente eodem Emmo Gualterio declaravit: „Functiones pontificales esse festum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, dedicationis Ecclesiae, Patroni civitatis necnon commemorationem omnium defunctorum, distributionem candelarum, cinerum, palmarum, celebrationem officii feriae V. in coena Domini, feriae VI. in Paras-

ceve, festum Paschatis Resurrectionis D. N. Jesu Christi, diem solemnem corporis Christi cum processione.“ Ex quibus verbis patet tale decretum ideo locum habuisse, ut tollerentur differentiae et servaretur pax inter duas illas dignitates Andriensis Ecclesiae, dum quaelibet sibi jus contendebat supplendi in functionibus ibi descriptis, ab illius Ecclesiae Episcopo peragi solitis. Quod clarius etiam dignoscitur ex antecedenti responsione diei 28. Februarii 1671, in hoc eodem decreto citata, ubi favore Archidiaconi primae dignitatis eadem S. Rit. Congr. rescripsit ad ipsum spectare functiones omnes ab Episcopo peragi solitas, id est quas quilibet Episcopus in Cathedrali ex particulari praxi quotannis celebrat. Insuper specialis haec lex evidentius apparet ex dierum pontificalium descriptione, quae ibi refertur. Sane in eorum numero deest festum Annunciationis B. M. V. cum Sabbato sancto, quae habentur in laudato cap. 34. lib. 2. caeremonialis Episcoporum, de quibus et praecipue de Annunciatione statuitur quomodo vesperae pontificales ordinandae sint (ibi §. 2. et 3.), additur e contra generale anniversarium mortuorum et feria sexta in Parasceve, de quibus silet Caeremoniale. Itaque decretum hujusmodi non continet nisi particularem dispositionem pro Ecclesia Andriensi fundatam in consuetudine, qua Episcopus Andriensis nunquam omittere soleat functiones ibi designatas. Hoc tamen ad ceteras Ecclesias, quae Caeremoniali subesse debent, non est applicandum, multo minus ad Ecclesiam cathedralem Nicoterensem, super qua, sicut innuit Episcopus in primo suo dubio huic S. Congregationi proposito, declarat praescindendum esse a quavis consuetudine: „An praecisa consuetudine etc.“

11. Quapropter cum praeter allatum decretum, quod ad rem non facere demonstratum est, nulla alia ratio exhibeatur pro admittenda inter dies episcopalium functionum tam commemoratione omnium fidelium defunctorum quam feria sexta in Parasceve, ita ut in casu impedimenti ad primam dignitatem vices facere competat; potius ob adductas rationes Episcoporum Caeremoniali conformes, ab hujus S. Congregationis legibus depromptas et almae urbis exemplis firmatas, praedicti duo dies ab illorum numero expungendi sunt.

12. Hinc est quod propositis dubiis respondendum putarem. „Ad primum: Negative; ad secundum: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

13. Haec quidem sunt, quae pro demandato mihi munere super propositis dubiis observanda putavi. Nunc autem vobis, Emmi Patres, spectat, ut judicium pro sapientia vestra feratis. S. R. C. rescripsit: *In voto consultoris.*

Die 11. Augusti 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 217.)

In SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTES.

Cf.: *Assist. in Solio etc.* Vd.: *Constitut. Julii III.* diei 6. Apr. 1551 in Bull. r. t. I. p. 800.; *Constitut. Greg. XV.* diei 17. Aug. 1622. (Ibid. t. III. p. 464.)

SORTILEGIUM.

SS. D. N. sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui ss. missae Sacrificio ac salutaris poenitentiae Sacramento ad animarum reparationem a Christo dom. institutis in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam saec. quam reg. cujuscunque Ordinis, Instituti, Congr. et Societatis etiam de necessitate exprimendae vel in actu sacramentalis confessionis sive illius occasione aut praetextu ad turpia

sollicitantes vel sacrificio missae abutentes ad sortilegia praeter poenas a jure et ap. constitutionibus ac signanter s. m. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem.

Decret. s. univ. Inquis. Bened. XIV. affirmante die 5. Aug. 1745.

(Bull. r. t. XVI. p. 281.)

SPECTACULA.

Vd.: Repraesentationes etc.; *Theatrum.*

S. SPINEA CORONA D. N.

1) Officium et Veneratio.

Vd.: *SS. Philippus et Jacobus; Processio SS. Corp. Christi;* (quae res etc.); *Officium* quinque vuln. Chr.

Ad dub.: An consuetudo exponendi fer. VI. in Parasc. s. spinam D. N. ante missam Praesanctific. et consummationem SSmi sit retinenda, seu potius s. reliquia post peractam missam et consumat. SSmi sit proponenda? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. N. 4399 die 29. Julii 1780.

Non licuisse eligere in Patronas s. spinas coronae D. N. N. 2964 die 20. Septbr. 1681.

Licet proponere spinam D. N. ab immemorabili praesertim in Parasceve, capite scilicet aperto sub baldachino processionaliter propositam. N. 3700 ad 2 die 12. Julii 1704.

Spinae de corona Domini Jesu Chr. inter reliquias computantur et speciali nota et cultu dignae sunt. S. R. C. die 21. Jun. 1632 in *Conchen.*

Ut secunda ex sextis feriis mensis Martii celebrari possit officium proprium cum missa SSmae spineae coronae D. N. Jesu Chr., uti concessum est pro dioecesi Venetiarum sub ritu dupl. maj., eo quod apud dioecesim Brixien. extat altera ex SSmis spinis et quia populus in istis feriis solemni cultu ac animi affectu et praesertim cum laudabili frequenti accessu ad SSma Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae recolit memoriam passionis D. N. Jesu Chr., S. eadem Congr. rescribendum censuit: „Citra approbationem identitatis reliquiae pro gratia officii et missae SSmae spineae coronae in secunda ex sextis feriis mensis Martii sub ritu dupl. maj., dummodo non occurrat officium ritus dupl. etiam min., quo casu officium spineae coronae transferatur in aliam feriam VI. Quadragesimae similiter non impeditam, et quatenus fieri nequeat, ad primam diem non impeditam, juxta rubricas. Et ita declaravit et servari mandavit.“ N. 4500 ad 1 die 20. Septbr. 1806.

S.S. benigne concessit omnibus foederatae Americae septemtrion. dioecesibus sequentia officia singulis fer. VI. Quadrag. ad libitum recitanda sub ritu dupl. maj., nempe SSmae passionis D. N. Jesu Chr., spineae coronae, lanceae et clavorum, sacrorum V vulnerum, pretiosissimi sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat festum altioris ritus, quaeritur: an supramemorata officia transferri possint ad primas dies non impeditas intra Quadrag. tantum?

Emus itaque ac Rmus D. Card Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen... rescribi mandavit:

„Affirmative et intra Quadrag. tantum.“

N. 4928 ad 6 sine dato. (Esse videtur dies 22. Maii 1841.)

Pius PP. VIII.

Dilecto filio Fr. Xav. Praesb. Card. Castiglioni Cathedralis Caesenatensis Praesuli et Canonicis ejusdem Cath.

Quum urbem istam, in qua divina providentia ita disponente lucem adspeximus, paterna prorsus charitate prosequimur, tum potissimum Cathedralem ejus urbis Ecclesiam, in qua etiam salutari lavacro Nos ipsos regenerari contigit, praecipuo quodam amore studioque complectimur. Hujus autem benevolentiae Nostrae pignus aliquod utrique praebere volentes sacrum ei munus, insigne illud quidem sanctissimaeque religionis Nostrae monumentum destinavimus. Mittimus itaque ad vos sacram spinam de corona D. N. Jesu Christi ex authenticis locis desumptam, quam reverenter collocari fecimus in theca seu reliquiario aureo affabre elaborato altitudinis circiter palmi unius, in anteriori parte referente instrumenta passionis D. N. Jesu Christi crystallo ovalis figurae munito, in posteriori parte vero filo serico coloris rubri colligato ac pontificii sigilli Nostri impressione in cera Hispanica rubra obsignato: insignem hanc reliquiam in vestra cathedrali Ecclesia reverenter asservari volumus publicae fidelium venerationi statis diebus, quos infra declarabimus, exponendam. Ad augendam autem eorundem fidelium erga sacrum hoc pignus ac memoriam passionis Dominicae devotionem atque spiritualem utilitatem, hac etiam ratione promovendam, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus ac confessis et sacra communione refectis, qui praedictam sacram reliquiam diebus, in quibus publice exposita manebit, nempe prima feria sexta mensis Martii, feria sexta in Parasceve, necnon in festis Inventionis et Exaltationis sanctae crucis singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, s. Matris Ecclesiae exaltatione et juxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concedimus.

Insuper singulis feriis sextis quadragesimae eisdem christifidelibus vere etiam poenitentibus ac sacra communione refectis, qui ecclesiam Cathedralem praedictam, in qua sacra illa reliquia asservabitur, quamquam publice illis diebus exposita non sit, devote visitaverint et ut supra oraverint, qua feria praedictarum pariter id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer etiam in Domino indulgemus.

Concedimus denique ut a Cathedralis ecclesiae clero in *secunda ex sextis feriis mensis Martii,* quae semper in quadragesimale tempus incidit, nec a festis Annunciationis beatae Mariae virginis aut s. Josephi impediri potest, officium et missa de spinea corona prout in fine missalis et breviarii Romani habentur, sub *ritu duplici secundae classis* perpetuo celebrari possint, in contrarium non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 26. Februarii 1819.

(Bull. r. Cont. t. XV. p. 179.)

2) Utrum in Patronam eligi possit?

Celsonen.

Ad instantiam factam pro parte Rectoris et Canonicorum Ecclesiae parochialis et universitatis castri de Tarraga dioecesis Celsonen. supplicantium pro concessione facultatis, ut festum Coronae Domini celebretur de praecepto in dicto loco et districtu sub ritu duplici majori et cum octava, attento quod duae spinae Coronae Domini, quae in praedicta ecclesia asservantur, electae fuerint in patronas. Et S. R. C., referente Emmo Cardinali Albitio, respondit: Videatur inter Dominos consultores Theologos, an Spinae Domini eligi possint in patronas et Congregatio fiat coram Emmo Ludovisio et Rmus Episcopus promotor fidei scribat. Die 7. Junii 1681.

(Anal. J. P. 1865 p. 1234 n 2165.)

Celsonen.

S. Rituum Congregatio declaravit, non licuisse eligere in patronas sacras Spinas Coronae Domini Nostri Jesu Christi et ideo mandavit scribi Episcopo Celsonen., qui declaret nullitatem electionis factae ab universitate castri Tarragae Celsonen. dioecesis et certioret de executione. Die 20. Septembris 1681.

Ibid. p. 1237 n. 2173.

3) Reliquia insignis.

Vd.: *Reliquia insignis* (quae est?)

Conchen.

Circa dubium: an Spinae D. N. Jesu Christi comprehendantur inter reliquias insignes? ad relationem Emmi Spinulae S. Rituum Congregatio censuit: esse reliquiam insignem et dignam speciali nota et veneratione, facto verbo cum SSmo. Qui SSmus approbavit constito, quod Spinae sint de Corona D. N. Die 21. Junii 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 2421.)

SPONSALITIUM B. V. M.

Hispaniarum.

Hispaniarum regis Orator SSmmo supplicem libellum praesentavit, quo Sanctitati Suae supplicavit, ut in regnis et ditionibus catholici regis festum sponsalitii B. M. V. cum missa et officio propriis celebrari posse indulgere dignaretur. Cumque SSmus libellum praedictum ad Congregationem transmisisset, censuit ipsa, nihil concedendum esse et verbo: *lectum*, tantummodo respondendum fore. Die 27. Novembris 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 335.)

SPONSI.

1) Benedictio.

Ad dub.: An PP. Carmelitae Aquen. possint benedicere sponsos cum licentia Parochi vel sine?

S. C. C. resp.: Posse cum scientia tamen Parochi.

Die 5. Martii et 19. Maii 1708 ad 8.

Vd.: *Nuptiae.; Missa vot. pro Spons.; Bened. anuli nupt.*

Benedicendi sunt sponsus et sponsa, licet contractis sponsalibus per verba de futuro, antequam coram Parocho et testibus matrimonium contraxerint, et invicem se cognoverint. S. C. C. die 2. Octobris 1593.

Jus benedicendi sponsos spectat privative ad Parochos. S. C. C. die 3. Decembris 1718.

De testibus in sponsalibus faciendis et interrogationibus vd.: Bullam Clem. X. die 30. Augusti 1670. (Bull. r. t. VI. p. 313. Ed. Luxbg. 1727.)

2) Pax in missa eis estne danda?

Ad dub.: An in missa pro sponso et sponsa celebrata dari possit pax

sponso et sponsae cum patena, an vero hoc in casu et in aliis similibus utendum sit instrumento pacis?

S. C. resp.: Pacem, dummodo adsit consuetudo, in casu dandam esse semper cum instrumento, nunquam vero cum patena.

Die 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1430.)

STALLUM.

Vd.: *Sedes*; Chorus; *Praecedentia*.

S. STANISLAUS E. M.

Clemens PP. VIII.

Cum s. Stanislaum e. m. in Cal. rom. referri ac de illo dupl. off. per universum orbem christianum a clero saec. et reg. eo die, qui ejusdem s. Martyris festo proximior nullo alio festo esset impeditus, celebrari jusserimus, cumque S. R. Congr. officium sic celebrandum ad diem 7. Maii ejusdem s. M. diem festum proxime praecedentem nullo alio festo impeditum adscribendum esse atque in eodem officio, quod erit de communi un. m., orationem et tres ll. de ipsius vita approbatas in 2. n. recitandas censuerit, Nos officium de s. Stanislao e. m. die 7. Maii ejus diei festo proxime praecedenti, quatenus nullo alio festo sit impeditum, celebrandum esse et in eo orationem et lectiones praedictas recitandas esse; si vero dies 7. Maii hujusmodi alio festo fuerit impeditus, in alium diem non impeditum juxta rubr. transferri debere tenore praesentium decernimus et ordinamus.

Datum Romae 1. Julii 1595.

(Bull. r. t. III. pag. 50.)

S. STANISLAUS C.

Vd.: *S. Raymundus.*

Ad dub.: An in officio s. Stanislai Lorca C. sub ritu dupl. min. persolvendo ll. 1. n. esse omnino debent de script. occur., etsi ut plurimum apponantur illae de communi?

S. C. resp.: De scriptura. N. 5157 ad 2 die 29. Martii 1851.

De ejus Canonis. vd.: Bull. Benedictis XIII. prid. Cal. Jan. 1724. (Bull. r. t. X. p. 269); die 31. Decembris 1726. (Ibid. t. XIII. p. 265.)

STATIONES.

1) Basilicarum Romae.

Stationum indulgentias per christifideles tam in Liberiana s. Mariae Majoris Basilica quam in Ecclesia s. Mariae in Dominica lucrari decernit

Pius V. servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui pro redemptione generis humani, de summo coelorum solio ad hujus mundi infima descendere et carnem nostram ex castissimo sanctissimoque utero gloriosissimae semperque Virginis Dei Genitricis Mariae assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes, basilicas et ecclesias in ejusdem B. M. V. advocatae nostrae honorem ac venerationem dedicatas spiritualibusque gratiis et indulgentiis decoratas et praesertim insignes, quae nunquam satis venerari frequentarique possunt, non solum per amplius semper ornare, sed quae ab illis etiam translata esse reperiuntur, eis, favente Domino, restituere pie sancteque studemus, ut, quo frequentius christifideles eas visitaverint, per devotionis sinceritatem, redemptionis suae fructum facilius consequi et ad sempiternae gloriae beatitudinem feliciter pervenire mereantur.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias felicis recordationis Leo Papa X., praedecessor noster, Ecclesiam s. Mariae in dominica de urbe, vulgariter

ad Navicellam nuncupatam, celebriorem reddere volens et ut eo libentius christifideles ad eam visitandam confluerent, quo majora spiritualia munera exinde si adipisci posse cognoscerent, quascumque stationum indulgentias et peccatorum remissiones, quae qualibet secunda dominica cujuslibet quadragesimae a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris christifidelibus Basilicam S. Mariae Majoris de dicta urbe visitantibus concessae erant, ad eamdem Ecclesiam s. Mariae in dominica apostolica auctoritate transtulerit illasque ipsis christifidelibus Ecclesiam s. Mariae in dominica hujusmodi in dicta secunda dominica quadragesimae, visitantibus, eadem auctoritate concesserit, prout in ipsius Leonis praedecessoris literis desuper confectis,

§. 2. Nos, bonum et christifidelium animabus salutare esse simulque ad divini cultus honorem plurimum tendere existimantes, ne ipsa Basilica s. Mariae Majoris, quae quidem divina revelatione, ut pia historia legitur, erecta fuit et plurimis sanctorum reliquiis referta reperitur, suis solitis honoribus et visitationibus destituta remaneat, verum cupientes pro pastorali nostro officio utramque, et Basilicam s. Mariae Majoris et Ecclesiam s. Mariae in dominica hujusmodi, dicta secunda dominica quadragesimae ab eisdem christifidelibus pariter visisitari et devote frequentari, omnibus singulis utriusque sexus christifidelibus, qui secunda dominica quadragesimae, singulis annis, perpetuis futuris temporibus vel Basilicam s. Mariae Majoris vel Ecclesiam s. Mariae in dominica devote visitaverint et pias ibi ad Deum preces effuderint aliaque solita ad id requisita adimpleverint, praedictas et easdemmet stationum indulgentias et peccatorum remissiones consequantur et consequi possint, dicta auctoritate apostolica et de apostolica potestatis plenitudine perpetuo concedimus et ita tam Basilicam s. Mariae Majoris, ut illae ipsae stationum indulgentiae in Ecclesia s. Mariae in dominica secunda dominica quadragesimae integre perpetuo remaneant, plenarie restituimus.

Non obstantibus ipsius Leonis praedecessoris translatione hujusmodi ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 12. Martii 1569.

(Bull. r. t. VII. p. 743. Ed. Aug. Taur.)

Renovatio pontificalium capellarum in basilicis certisque almae urbis ecclesiis dominicis quadragesimae et adventus aliisque statis solemnibus diebus celebrandarum.

Sixtus PP. IV. servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Egregia populi romani pietas, magnis sanctorum patrum laudibus celebrata, posteaquam terrarum princeps civitas, beatissimis apostolis evangelii lucem annunciantibus suave Christi jugum accepit et, per beati Petri sedem vere caput orbis terrae effecta, latius coepit praesidere potestate divina quam dominatione terrena, praeclara adhuc, singulari Dei benignitate, religiosae antiquitatis monumenta conservat, inter quae vetus admodum est ab apostolicis usque ducta temporibus sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad apostolorum sepulchra et fortissimorum martyrum memorias conveniens, hymnis et cantibus spiritualibus Deum in sanctis suis mirabilem laudabat et salutaribus immaculatae hostiae sacrificiis placabat et adversus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tamquam in castris Dei, statione tutissima consistebat.

§. 1. *Quam memoriam a majoribus acceptam nunc etiam Roma, antiquissimis urbis basilicis martyrum ecclesiis visitandis, statis dominicis aliisque solemnibus diebus, in primis vero sacro adventus Domini et quadragesimae tempore, magna populi frequentia, anniversaria celebritate devote observat.* Nos autem, quibus pro nostra pastorali sollicitudine nihil optabilius est quam animas Christo lucrari, tam pium ac salutare institutum non solum retinere cupimus, sed etiam ornare ac omni religionis officio propagare summopere studemus, his praesertim luctuosis christianae reipublicae temporibus, quae ad placandam Dei iram, ad detestabiles haereses extirpandas, ad pacem et tranquillitatem ecclesiae obtinendam, ad vitia et peccata hominum corrigenda, crebriora poenitentiae et pietatis opera ad multiplicatas sanctorum cum Christo regnantium preces et intercessiones maxime requirunt, sed potissimum sanctorum omnium reginae, Dei nostri Genetricis semperque Virginis Mariae, christiani populi advocatae, coeleste patrocinium desiderant.

§. 2. Et vero cum multis antiquis et religiosissimis ecclesiis, quas majorum pietas magnifice extruxit, haec alma urbs ornatissima sit, tum illae potissimum intra atque extra moenia positae *septem basilicae, quas veteri instituto fideles pia ac salutari peregrinatione obire solent, magnam,* jure optimo, non solum apud cives sed apud externos populos venerationem habent; sunt enim antiquitate, religione, sanctorum martyrum venerandis reliquiis, sacris indulgentiis et denique mystica septenarii numeri ratione celeberrimae; nam quemadmodum Joannes apostolus admirabilem illam Apocalypsim septem Asiae ecclesiis scribens universam ecclesiam adumbravit, quam Deus coelestibus Spiritus sancti donis perficit et in qua una habitat et requiescit, ita Romae septem ecclesiae magno ejusdem numeri mysterio sunt institutae, ut totius ecclesiae unio et perfectio in ipso capite, unde omnium ecclesiarum unitas dimanat, illustrius appareret.

§. 3. Quod cum ita sit, *sane non possumus non dolere numquam fere nostris quidem temporibus, apud eas, una Vaticana excepta, pontificales capellas celebrari,* cum tamen primariae illae urbis basilicae, toto terrarum orbe illustres, a summo romano Pontifice et sacro Cardinalium collegio ita interdum adiri deberent, ut ibi quoque divina missarum officia solemniter fiant; et ipsarum ecclesiarum majestas, in quibus divinae gratiae redundant, et pontificalis officii ratio et majorum nostrorum exempla id a nobis omnino requirere videantur. Notum est enim ex ecclesiasticae antiquitatis monumentis, veteres illos sanctissimos Pontifices praedecessores nostros in his basilicis frequenter admodum divina officia cum clero et populo obivisse, quod duorum beatissimorum Pontificum, quos ob sanctitatem et rerum gestarum gloriam merito magnos appellamus, Leonis et Gregorii sermones complures, divina quadam spiritus eloquentia pleni, inter ipsa missarum solemnia ad populum habiti, aperte declarant.

§. 4. Quare cum septem sint (paschali connumerata) quadragesimae dominicae et rursum quatuor illae adventus, cum natali, circumcisione et epiphania Domini, septenarium item numerum conficiant, in quibus omnibus celebritatibus capellae in apostolico Palatio aut in basilica Vaticana de more fieri solent, *decernimus,* de consilio venerabilium fratrum nostrorum, verbo cum eis ea de re in consistorio nostro secreto mature facto, ad Domini et sanctorum gloriam et ecclesiarum ipsarum vene-

rationem ac fideles populi devotionem augendam, senectuti nostrae nequaquam parcentes, sed pastoralis officii munus exequentes, tametsi gravissimis pro universae ecclesiae cura occupationibus distineamur, *in eisdem basilicis solemnes missarum capellas facere uno ex S. R. E. Cardinalibus missam celebrante:* idque, quotiescumque in eisdem basilicis capella pontificalis fiet, ritu perpetuo observabitur. Sermo item tempori accomodatus, ad divinas sanctorumque laudes praedicandas et audientium pietatem inflammandam, de more semper habebitur, ut, duplicato septenario numero, sacrosancta sacrificia et septem capitalium peccatorum veniam et septiformen sancti Spiritus gratiam christiano populo a Deo impetrent.

§. 5. Ad quas quidem venerandas basilicas ut commodius et decentius adiri possit atque ut in eis frequentius celebrandis populi religio augeatur, jam vias latas et discretas patefecimus.

§. 6. Caeterum, *cum Ecclesia s. Sebastiani martyris, vetustissima illa quidem et religiosissima, cum, propter loci distantiam tum etiam angustiam aliaque incommoda, minus idonea sit ad pontificalium missarum celebrationem, decrevimus in ejus locum Ecclesiam s. Mariae, quae de populo dicitur,* substituere, non solum amplitudine et loci commoditate opportunam sed magna etiam religione venerabilem. Saepe enim et pluribus locis ad sanctissimam illam gratiarum matrem et misericordiae parentem recurrendum est, ut ibi potissimum, ubi populi nomine insignata et ubi multa illius clementiae extant monumenta, precibus nostris invocata pro populo oret, pro clero interveniat et pro devoto foemineo sexu intercedat. Nec vero Ecclesiae s. Sebastiani sua privilegia et indulgentias adimimus, quae etiam in altera septem ecclesiarum visitatione, quas pia multorum fidelium devotio lustrari solet, suo loco atque ordine permanebit. Sed Ecclesiae s. Mariae de populo easdem indulgentias concedimus, quemadmodum nec ulla stationum translatione aut mutatione in quadragesima sive in adventu ceterisque diebus quicquam detrahimus, sed gratias gratiis cumulamus, ut apud plures ecclesias, majore pietatis zelo, Deo et sanctis ejus honor et cultus tribuatur. *Ipsas vero pontificales capellas hoc ordine distribui volumus.*

§. 7. *In quadragesima:* dominica prima ad s. Mariam de populo; secunda ad s. Paulum; tertia ad s. Laurentium extra muros; quarta ad s. Mariam Majorem; sexta in palmis ad s. Petrum; dominica Paschae ad s. Joannem in Laterano, ubi populo solemniter benedicemus. *In adventu vero:* dominica prima ad s. Laurentium: secunda ad s. Joannem; tertia ad s. crucem in Hierusalem; quarta ad s. Paulum; in Natali Domini ad s. Mariam Majorem ad Praesepe Domini, more antiquissimo, in Circumcisione Domini ad S. Mariam de populo; in epiphania ad s. Petrum.

§. 8. *Praeterea, cum festi anniversarii dies advenerint sanctorum illorum, quorum nomine basilicae ipsae Deo dicatae sunt, apud eas pariter pontificias capellas faciemus;* nimirum in assumptione beatissimae Virginis ad s. Mariam Majorem, de more, in ejus nativitate ad s. Mariam de populo; in inventione s. crucis ad s. crucem in Hierusalem; in natali s. Petri in basilica ejus Vaticana; in conversione s. Pauli in ejus basilica; in natali s. Joannis Baptistae in basilica lateranensi; in die festo s. Laurentii martyris in ejus basilica extra moenia. Missam item annunciationis beatissimae semper Virginis Mariae ejusque pontificalem capellam faciemus

apud Ecclesiam s. Mariae supra Minervam dotesque de more pro maritandis puellis distribuemus; in tribus vero celebritatibus, hoc est in die Ascensionis Domini, quo etiam die romanus Pontifex populo solemniter benedicit, item Pentecostes et omnium sanctorum pontificales Capellae fient in Basilica s. Petri, in die vero festo sacratissimi Corporis Christi post missam solemnem, quae de more in capella palatina habebitur, erit pontificalis processio et sacrosanctae Eucharistiae repositio in eadem basilica Vaticana; caeteris festis solemnibusque diebus missae in capella Palatii apostolici de more celebrabuntur.

§. 9. Ut igitur hunc sacrum solemnemque ritum pontificales capellas apud nobilissimas basilicas celebrandi sanctissimorum Pontificum praedecessorum vestigiis insistentes et venerandae vetustatis memoriam renovantes felicius ac religiosius inchoemus *quarta proxima feria in capite jejunii Ecclesiam s. Sabinae martyris non modo de more superiorum Pontificum adibimus*, *sed Cardinali majore poenitentiario*, *ut mos est, missae sacrum faciente,* unacum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in eadem ecclesia consistemus sacrosque cineres, a nobis solemni more benedictos, supra capita ad poenitentiae testificationem spargemus ac deinde sequentibus dominicis diebus, ad basilicas et ecclesias supranotatas missarumque celebrationem, cum sacro Cardinalium collegio et aliorum Praelatorum praesentia, conveniemus; idemque suo tempore in adventu caeterisque diebus, Deo auctore, praestabimus; quem ritum statum atque solemnem et nos quamdiu, disponente Domino, vixerimus, perpetuo annis singulis observare statuimus et a successoribus nostris observari optamus ac sane etiam pro eorum pietate et rei condecentia speramus.

§. 10. *Quod igitur ab omnibus christifidelibus acceptabili quadragesimae tempore*, quod jam advenit, ubique terrarum faciendum est, ut in toto corde suo, in jejunio et lacrymis convertantur ad Dominum, id quidem Romae, ubi religionis est domicilium, ubi sacrarum indulgentiarum thesauri uberius dispensantur, ubi innumerabilium martyrum, quorum sacra corpora apud nos magno Dei munere requiescunt, peculiari patrocinio sublevamur, multo certe impensius et devotius faciendum est; atque, ut re ipsa fiat, pro nostra erga hanc almam urbem paterna et praecipua charitate, omnes in Domino etiam atque etiam hortamur, zelo incensi domus Dei, quam decet sanctitudo, satanae astutias non ignorantes.

§. 11. *Illud quoque vehementius admonemus ut omnes et singuli stationales ecclesias* cum omni timore, ut vere poenitentes, *caste et pie adeant*, nemini dantes ullam offensionem, ne illis in locis iisque diebus, quibus aliorum temporum culpae piis operibus et castis jejuniis redimendae sunt, inter ipsa martyrum sepulchra Deus ad iracundiam magis provocetur, sed contra potius hujus civitatis poenitentia, eleemosynis, orationibus sanctorumque intercessionibus placatus Pater misericordiarum Deus nobis et cunctis populis curae nostrae commendatis (omnes enim unum sunt in Christo) propitius et placabilis efficiatur et quorum fides apostolico ore laudata est et in universo mundo annunciatur, eorum etiam modestia et disciplina et pietatis et sanctitatis exemplum omnibus nationibus proponatur.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Februarii 1586.

(Bull. r. t. VIII. p. 663. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Paulus PP. IV.

Restituit stationem, quae antiquitus habeatur in Ecclesia sanctorum Silvestri et Martini in Montibus de urbe.

Paulus IV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Etsi ex injuncto nobis apostolatus officio singulas orbis ecclesias, quae domus Dei sunt, spiritualibus muneribus ornamus: decorem tamen earum, quae in hac alma urbe nostra consistunt, eo majori procuramus affectu, quo saepius ad illas, tamquam ante oculos nostros constitutas, dirigimus nostrae considerationis intuitum.

§. Sane ex diversis non vulgaribus scripturis *accepimus quod antiquitus quinta feria quartae hebdomadae Quadragesimae, qua nostris temporibus statio in Ecclesia monasterii monialium s. Silvestri de Urbe, ordinis s. Clarae, habetur statio praedicta etiam in Ecclesia s. Martini in Montibus de eadem urbe*, quae titulus Presbyteri Cardinalis existit et apud quam complures ordinis fratrum Carmelitarum professores, divina inibi celebrantes, ad praesens resident, *publice habebatur*, diversaeque christifidelibus ipsam Ecclesiam s. Martini dicta feria visitantibus concessae dicebantur indulgentiae et peccatorum remissiones.

§. 2. Quamobrem nos, qui juxta nostri pastoralis officii debitum, salutem singulorum paterna affectamus charitate, ad hoc etiam excitati per dilectum filium nostrum Diomedem, tituli ejusdem s. Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem de Ariano nuncupatum, qui eidem Ecclesiae s. Martini in Presbyterum Cardinalem praeest et illam suis sumptibus et expensis non parum ornavit seu reparavit, *omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, eandem Ecclesiam s. Martini praedicta feria visitantibus concessas ratas et gratas habentes atque approbantes et innovantes ac fidelibus praefatis suffragari debere decernentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de caetero perpetuis futuris temporibus statio hujusmodi etiam in ipsa Ecclesia s. Martini dicta feria habeatur*, itaut eamdem ecclesiam feria praedicta visitantes omnes indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequantur et consequi possint. Non enim sperantes quod fideles praefati, ut suffragia eorumdem ss. Silvestri et Martini consequantur in coelis, eorum ecclesias in terris visitare non gravabuntur, eosdem fideles hortamur et in Domino requirimus ut ecclesias ipsas dicta feria devote visitare et indulgentias ac remissiones praedictas consequi studeant, ut exinde, etiam ipsorum sanctorum precibus adjuti, salutem suam facilius consequi possint. Per hoc autem non intendimus eidem ecclesiae s. Silvestri in aliquo praejudicare.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Februarii 1559.

(Bull. r. t. VI. pag. 256. Ed. Aug. Taur. 1860.)

2) Indulgentiae.

Decretum S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae.

Quamvis S. Congregatio indulgentiis reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem usque ab anno 1696 interrogata, quae essent indulgentiae stationum plenariae, an partiales, dierum vel annorum, decreverit indulgentias stationales simpliciter enunciandas esse, non addendo an plenariae illae sint an partiales, attamen cum eidem s. Congregationi postmodum innotuerit, nonnullos etiam

ecclesiasticos viros atque ecclesiarum rectores allato decreto minime acquiescentes diversimode interpretatos fuisse indulgentias stationales, quarum elenchi typis editi mire inter se discrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala, hinc ut ista penitus amoveantur, utque Christi fideles scire possint, quid sibi indulgentiarum in hujusmodi stationibus obeundis concessum sit, sacra eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die Julii 1777 re praevio diligenti ac maturo examine discussa fuit in voto: ,,Consulendum Sanctissimo, praevia revocatione aliarum indulgentiarum pro concessione indulgentiae plenariae in aliquibus festis solemnibus: partialis vero in reliquis, ad normam earum, quae conceduntur in capellis pontificiis," videlicet:

In Quadragesima:

In feria IV. Cinerum et Dominica IV. indulgentiae quindecim annorum, totidem quadragenarum.

Feria V. in coena Domini plenaria.

Feria VI. in Parasceve et Sabbato sancto triginta annorum, totidem quadragenarum.

In reliquis tam dominicis quam feriis decem annorum, totidem quadragenarum.

In Paschale Resurrectionis D. N. Jesu Christi:

In Dominica indulgentia plenaria.

In duobus aliis festis immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in albis inclusive quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis:

Indulgentia plenaria.

In Pentecoste:

In Sabbato ante Dominicam decem annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad Sabbatum inclusive quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus:

In Dominica I., II. et IV. indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate Domini Nostri Jesu Christi:

In vigilia, nocte ac missa aurorae indulgentia quindecim annorum, totidemque quadragenarum.

In die Indulgentia plenaria.

In subsequentibus tribus festis diebus et

In Circumcisione ac Epiphania Domini nec non

In Dominicis septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae indulgentia triginta annorum totidem quadragenarum.

In tribus feriis quatuor temporum decem annorum totidemque quadragenarum.

In festo s. Marci Evangelistae ac tribus feriis rogationem indulgentia triginta annorum, totidem quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem S. C. Secretarium relatione SSmo D. nostro in audientia die 9. Julii 1777 Sanctitas Sua S. C. votum benigne approbavit illudque cum novo indulgentiarum stationalium praeinserto elencho publicari mandavit non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex secretaria S. C. indulgentiarum.

Die et anno praefatae Audientiae.

L. Card. Calinus Praef.

J. M. de Somalia S. C. indulgentiarum secretarius.

(Anal. J. P. 1857 p. 2207.)

Participatio indulgentiarum concessarum visitantibus stationes urbis favore eorum, qui utuntur diplomate „Cruciatae“ in regno Lusitaniae Brasiliarum et Algarbiorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Salus humano generi et de coelo oborta lux Christus in ara crucis (ut loquitur felicis recordationis Clemens VI. praedecessor Noster in extrav. *Unigenitus* de poenitentia et remissione) innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset sed copiose velut profluvium sanguinis noscitur effudisse, volens suis thesaurizare filiis pius pater ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quem quidem thesaurum non in sudario repositum nec in agro absconditum, sed per beatum Petrum coeli clavigerum ejusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum beatae Dei genitricis omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur.

§. 2. Quum igitur expositum nobis sit, plurimos e catholicis in regno unito Lusitaniae, Brasiliae et Algarbiorum degentibus opera studiose peragere, quae valent ad privilegia obtinenda pontificio — Cruciatae — diplomate consignata, in quibus illud est quoque ut certis sub conditionibus indulgentiarum participes fiant, quas obeuntibus stationes sacras hujus almae urbis adipisci conceditur; fuerit autem a Nobis suppliciter postulatum ut augeamus latiusque protendamus eas stationum indulgentias quarum in partem veniunt quicumque unito illo in regno diplomate — Cruciatae — juvantur; paterna charitate inducimur, ut amplissima spiritualia emolumenta ac praesidia obvia illis esse velimus.

§. 3. Quapropter omnipotentis Dei in genus hominum misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi omnibus ac singulis, quibus in illis regionibus pontificium — Cruciatae — diploma, eique juncta indulgentiarum stationum urbis communicatio suffragatur, dummodo illos de peccatis suis vere poeniteat et impositis ad earum indulgentiarum participationem conditionibus satisfaciant, plenariam indulgentiam poenarum, quas pro peccatis admissis debent, concedimus et elargimur diebus lucrifaciendam, qui sequuntur, videlicet: cunctis diebus dominicis adventus Domini nostri Jesu Christi, item in feria quarta sexta et sabbatho hebdomadae adventus, in quam incidit jejunium quatuor temporum; item in vespere Nativitatis Domini, et in tribus sacrificiis ipsius diei nativitatis itemque diebus tribus, qui nativitatem Domini subsequuntur, item die circumcisionis; item in Epiphania Domini, item dominicis diebus septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae; item in feria quarta cinerum diebusque reliquis jejunii quadragenarii usque ad sabbathum sanctum eo ipso sabbatho comprehenso; item die dominico resurgentis Domini usque ad diem dominicum, qui in albis dicitur, eo ipso die minime excepto; item in pervigilio Pentecostes, die Pentecostes diebusque insequentibus usque ad proximum sabbathum, eo ipso sabbatho comprehenso; item in feria quarta, sexta et sabbatho jejunii quatuor temporum, quod incidit in mensem septembris; denique die festo s. Marci Evangelistae. Haec futuris temporibus perpetuo valitura concedimus et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 4. Martii 1823.

3) Origo.

Statio saepe sumitur pro concursu populi ad ecclesiam indictam, in qua statis diebus processio clericorum ad statas preces faciendas consistebat. Vetustus enim in urbe ritus fuit, ut certis diebus clerus in unam aliquam ecclesiam supplicationis causa conveniret, ubi sacra fiebant aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniorum erant; unde solvere stationem idem erat, quod solvere jejunium; *Isidorus lib. 6. c. ult. Etymol.* Discernunt autem quidam inter jejunium et stationem: nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio autem est observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartae et sextae feriae vel quadragesimae. *Et s. Ambrosius serm. 36.*: „Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis inimicorum insidias repellimus“.

Porro cleri romani processio in illas stationes duplex est, solemnis aut privata. Haec fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit: solemnis vero, cum solemni more, decantando litanias aliaque preces, Pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. *Processiones solemnes* praecedit collecta, id est coadunatio Clericorum in una Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur: sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem solemnem. Et quia in loco, ubi sit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit, quod ejusmodi orationes etiam Collectae appellantur quoniam „super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Ecclesia in aliam ad stationem faciendam“, ut loquitur Micrologus in cap. III. Sic in capite jejunii illa oratio: concede quaesumus apud s. Anastasiam super collectam populi dicitur, qui stationem apud s. Sabinam celebraturus est. Sed ejusmodi collectae fiebant praecipue in quadragesima et in singulis triduis quatuor temporum, propterea quod illis diebus solemnis processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus processio, nullae collectae assignantur in veteri indice collectarum et stationum, quem Mabillonius exhibuit tom. II. musei italici p. 544.

Gregorius Magnus stationes antea vagas vel certis ecclesiis scripto non addictas in suo sacramentario constituit *ordinavitque per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria*, testante Joanne Diacono in ejus vitae lib. III. cap. XVIII. Primitus vero stationes illae institutae fuerant vel ob sanctorum natalitia vel ob dies publicae processionis sive missae sacratiori tempore celebrandae. Stationes ob sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis vel in coemeteriis, id est in ecclesiis super eorum tumulos constructis, quae ob id coemeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimae essent sanctorum festivitates et memoriae, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in sacramentariis, in quibus quaecumque propriae sanctorum missae habebantur; publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta quadragesimae, quatuor temporum, adventus, natalis Domini, paschatis et similium, cum incertae essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas constituit passim in basilicis prae-

cipuis, scilicet patriarchalibus et titulis, aliquando tamen in diaconiis et oratoriis, ut in oratorio s. Pancratii, in quo idem s. Pontifex homiliam habuit. Gregorius II. supplevit vacantes aliquot quadragesimae dies, nempe in feriis quintis: quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est, quod significare voluit scriptor libri de gestis Pontificum his verbis: „Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, id est statio atque missarum celebritas fieret, in ecclesiis (quod non agebatur) instituit. Attamen singulas quadragesimae ferias quintas ante Gregorium II. festivitates fuisse instar dominicae Micrologus auctor est in cap. I.

Etsi autem fixae ac ratae essent in sacramentario stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab Archidiacono in publica missa praecedente. Postquam enim Pontifex communicaverit, veniebat „Archidiaconus cum calice ad cornu altaris et annuntiabat stationem"; quae verba leguntur in primo libello ordinis romani n. 19. Olim igitur ex primaevis romanis ordinibus post: Pax Domini etc. denuntiabatur ab Archidiacono, stante cum calice ad cornu altaris, statio futuri diei. Ita perhibet ordo romanus I.*) et II.**) Saeculo vero XII. haec denuntiatio fiebat ante communionem a Subdiacono regionario; ita docet ordo romanus Benedicti Canonici, ubi de ritibus in missa feriae IV. initii quadragesimae his verbis: „Ante communionem vero stat Subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: „Crastina die veniente, statio erit in Ecclesia s. Georgii martyris ad velum aureum." Respondet schola: Deo gratias.

Ad locum stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranensi vasa sacra, praeeunte cruce stationali, de qua extat V. cl. Ciampinii pererudita dissertatio; Pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV. instauravit „crucem auream, quae (ut mos antiquitus est, ait Anastasius) Subdiaconi manibus ferebatur, praedecessorum Pontificum". Presbyteria etiam, id est, erogationes fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes et acclamationes. Immo Pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat aut certe ad ejus nutum nomenculator et sacellarius, ut in primo ordine romano num. 2.

Stationum aliquod vestigium saeculis XIII. et XIV. perdurabat. Vide *Garampium in vita b. Clarae p. 555.* Nunc vero stationum nomine veniunt indulgentiae illae, quae certas ecclesias visitantibus conceduntur.

*) Num. 20.
**) Num. XIV. ord. rom. XI. n. 34.

4) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis; Indulg. viae crucis.*

STATUA.

Vd.: *Imago.*

STATUS ECCLESIARUM.

Exhibendus ab Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis etc.

Instructio

Sacrae Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum quas occasione visitationis sacrorum Liminum eidem S. C. exhibere tenentur.

Summus Pontifex Sixtus Papa quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et patriarchae per seipsos vel per eorum certum nuntium visitare tenentur

limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli antiquissimae observantiae haerendo nedum voluit, ut ultra sacrorum liminum visitationem Romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastorali officio et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem, quovis modo pertinentibus, rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis constitutione, quae incipit: *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam constitutione, quae incipit: *Immensa aeterni Dei*, S. Congregationi praepositae interpretationi sacrosancti Concilii Tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur relatio status ecclesiae, perpendi et examinandi ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinae hae constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad s. liminum visitationem tum quoad relationem statuum ecclesiarum, sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis et aliquae aliquando deficientes in necessariis: cumque ad haec avertenda in Synodo romana hoc anno 1725 a sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi praescriptum sit, ut instructio hactenus ommissa a S. Concilii Congregatione ederetur, haec idcirco instructio publici juris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum ad eamdem S. Congregationem in posterum transmittendis curent Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae ipsi se conformare et suas relationes ad quaedam distincta capita reducere.

§. 1.

De primo relationis capite pertinente ad statum Ecclesiae materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

I. *Institutio*,

II. *Confinia*,

III. *Privilegia et praerogativae* Episcopatus, Archiepiscopatus aut Patriarchatus.

IV. *Numerus* civitatum, oppidorum aut locorum, qui Episcopatui, Archiepiscopatui aut patriarchatui subjecti sunt.

V. *Status cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis Ecclesiae*, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori addictorum, et an erectae fuerint praebendae poenitentiaria et theologalis.

VI. *Status Ecclesiarum Collegiatarum* una cum numero pariter canonicorum et caeterorum, qui choris earum intersunt et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

VII. *Status et numerus ecclesiarum parochialium* nec non aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu existentium, referendo signanter, an Cathedralis, Metropolitanae aut Patriarchalis et Collegiatae oratoria nec non parochiales caeteraeque Ecclesiae sint sacris supellectilibus instructae et quaenam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.

VIII. *Numerus monasteriorum* tam virorum quam mulierum, exprimendo an aliqua ex monasteriis virorum sint subjecta suae jurisdictioni, et an et quae mulierum Monasteria sibi subjectae sint vel Praelatis regularibus.

IX. *An adsit in dioecesi seminarium clericorum*, quot Clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa et in qua quantitate et an aliqua Be-

neficia fuerint eidem unita et in universum quinam et quot sint redditus praedicti seminarii.

X. *Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum* et aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu et quinam sint eorum redditus.

XI. *An adsint montes pietatis, quot sint*: una cum aliis consimilibus, ad statum materialem Ecclesiae spectantibus, cum advertentia tamen, *ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum,* quae sit, ab Episcopo aut Patriarcha *exhibeatur, in subsequentibus etenim relationibus satis erit quod ipsi se referant ad primam nisi aliquid novi,* pertinens ad dictum statum materialem, *contigisset,* quod referens notificandum S. Congr. existimaret.

§. 2.

De secundo relationis capite pertinente ad ipsum Episcopum, Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham.

In hoc capite exponi debebit:

I. *An residentiae praeceptum,* a sacris canonibus, concilio Tridentino et constitutione Urbana praescriptum adimpleverit et an aliquo et quo tempore abfuerit et an ultra menses conciliares et an cum vel sine sedis apostolicae licentia.

II. *An et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.*

III. An per se vel per alium Episcopum s. *Ordinationes expleverit* et Sacramentum confirmationis administraverit.

IV. *An et quoties synodum dioecesanam coëgerit:* et, si Episcopus nulli Archiepiscopo subjectus sit, an ad Synodum provincialem ejus Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit Archiepiscopus, an Synodum provincialem habuerit et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. *An verbum Dei per seipsum praedicaverit* et an legitimo concurrente impedimento viros idoneos assumpserit ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.

VI. *An habeat depositarium poenarum* et mulctarum pecuniariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae.

VII. *Quaenam taxa* et an Innocentiana in *sua Cancellaria observetur.*

VIII. *An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii,* jurisdictionis ecclesiasticae, necnon tuendae libertatis et immunitatis Ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, pro populo aut pro clero.

§. 3.

De tertio capite ad clerum saecularem pertinente.

In hoc capite reponendum erit:

I. *An canonici* caeterique choro addicti cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis Ecclesiae necnon collegiatarum, *choro jugiter intersint.*

II. *An ultra matutinum, laudes* caeterasque alias horas canonicas quolibet die celebrent *Missam conventualem.*

III. *An quolibet die eam applicent* pro Benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones et eas punctualiter observent.

V. *An, qui obtinent praebendam poenitentiariam aut theologalem,* adimpleant, quae adimplenda sunt et quomodo.

VI. *An parochi in suis parochiis resideant.*

VII. *An librum Matrimonii et Baptizatorum* aliosque libros, quos ad normam ritualis romani retinere debent, retineant.

VIII. *An aliqui ipsorum indigeant*

aliorum sacerdotum opera, ut Sacramenta Populo administrent.

IX. *An iidem* per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus *plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis*, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem juxta monitum Tridentini et praecitati Concilii romani.

X. *An saltem dominicis* et aliis festis diebus in suis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes pueros caeterosque hoc adjutorio indigentes doceant et an et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. *An singuli parochi* caeterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto *missam applicent pro populo* eorum curae commisso.

XII. *An et quae praemittantur, antequem quis ad primam tonsuram* et minores ordines admittatur et an s. ordinibus initiandi, ante cujuscumque Ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo *spiritualibus exercitiis*, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. *An omnes praedicti vestes jugiter deferant clericales* et an quoad fori privilegium serventur deposita a sacrosancta synodo Tridentina sess. 23. cap. 6 de reformat. et a constitutione sanctissimi domini nostri Benedicti Papae XIII. in eodem concilio romano emanata.

XIV. *An habeantur conferentiae* theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. *Quinam sint mores cleri saecularis* et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§. 4.

De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

I. An regulares, curam animarum exercentes, qui episcopali jurisdictioni, visitationis et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant juxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de Parochis saecularibus.

II. *An aliquis regularis extra monasterium degat:* an aliqui adsint in dioecesi, a suis superioribus, servatis servandis, ejecti vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens vel qui extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo fuerit et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. *An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum* et granciarum monasteriorum in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus praefixo et quinam sint religiosorum mores in dictis conventibus et granciis degentium.

IV. Denique an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a s. Concilio Tridentino vel a summorum Pontificum constitutionibus et signanter a bulla Clementis Papae X. quae incipit: *Superna.*

§. 5.

De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An moniales, Episcopo subjectae, suas servent constitutiones.

II. *An clausura* in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio S. Congregationis indigeant.

IV. *An praeter ordinarium confessorem alius extraordinarius* ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum redditus fideliter administrentur et monialium dotes fuerint persolutae et quomodo erogatae.

VI. *An in monasteriis monialium,* quae sunt praelatis regularibus subjecta, *curaverit, ut clausura* dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata, et an contra inobedientes et contradictores per censuras ecclesiasticas et alia juris remedia processerit.

VII. *An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati,* antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec monialium monasteria regularibus subjecta: et an fideliter eorum redditus administrentur et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

§. 6.

De sexto relationis capite pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit:

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent et quo profectu.

IV. An cathedrali et aliis locis ecclesiae diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum a se electorum necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini eademque exigatur et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§. 7.

De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. *An in sacristiis* omnium et singularum ecclesiarum exposita sit *tabella onerum missarum* et anniversariorum ad tramites decretorum san. mem. Urbani VIII. et an in eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis sive charitatis visitaverit et an idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi ministrorum aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam aut frumentum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. *An infirmorum hospitalia visitaverit*, reddituum rationes ab administratoribus exegerit et an infirmis necessaria, quoad salutem animae et corporis in eis subministrentur.

§. 8.

De octava relationis capite ad populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. *Quinam sint populi mores* et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam in eodem inotuerit consuetudo, quae consilio indigant et sedis apostolicae adjutorio.

§. 9.

De ultimo capite ad Postulata pertinente.

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt Congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione et quatenus postulata spectent ad negocia forensia exponant an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut omnibus mature pensatis possit S. Congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesum addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere, quae ipsis addenda videbuntur, et ad notitiam S. Congregationis deferre, quae ex charitatis et justitiae norma per se expedit, quae poterit et majora ad summum pontificem deferet[1], qui fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

(L.†S.) C. Card. Origus, Praefectus

P. Archiepisc. Theodosiae Secretarius.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* 23. Nov. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 73.) *De Congregatione pro examinando hoc statu* vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 23. Nov. 1740. (Ibid. p. 16.)

STEARINA.

Utrum utenda in celebr. missae?

Vd.: *Lumina*; *Candela* (materia).

Haud levis momenti hodierna die Emmi et Rmi Patres sapientissimi vestro judicio definienda proponitur quaestio, quae ex novis inventis achymiae, ut ajunt, progressu derivantibus, suboritur. Et quamvis ecclesia prudenti quadam oeconomia caveat se hujusmodi quaestionibus immiscere, attamen cum res vel fidei doctrinam vel populi christiani mores vel Dei cultum ejusque ritus aliquo modo attingat, tunc quin aliquid de novi adinventi natura proferat aut decernat, ea praesribit, quae sive fidelibus sive a sacris ministris tuenda sunt et observanda.

Ita profecto videtur in praesentiarum quoad ea, quae sacros ritus respiciunt. Conficiuntur enim paucis ab hinc annis quaedam candelae quae specietenus eas ex cera conflatas optime imitantur. Hinc factum est ut quidam vehementer dubitarent utrum easdem candelas pro Dei cultu ecclesiasticisque functionibus adhibere liceret illarum loco, quibus vel a suis primordiis hujusque ecclesiae usa est. Primi, qui hac de re hanc s. Congregationem adierunt, nonnuli fuere cereorum opifices ex civitate Massiliensi. Hi enim ex eo commoti sunt, quod ob novam inventionem cereos perficiendi ad usum ecclesiarum grave damnum sibi suisque familiis pertimerent. Eorum precibus in ordinario conventu habito die 23. Febr. 1839 relatis placuit Vobis Emmi et Rmi Patres hoc negotium Episcopo Massiliensi pro informatione et voto remittere, quibus acceptis unacum nonnullis observationibus alterius ex recentioribus opificibus iterumque causa proposita, responsum est: „Ponatur in folio exquisito voto magistri caeremoniarum".

Quod autem a S. Congregatione Massilienses opifices suppliciter postulabant, idem paulo post in Luburnia cereorum opifices ab eorum Episcopo Zagabriensi enixe exquirebant. Is dubius haerens quid illis responderet, praesertim quod certo sciebat nonnullos Galliarum Episcopos editis literis encyclicis cereorum usum, de quibus sermo, in eorum dioecesibus pro sacris functionibus prohibuisse, suum hac de re Metropolitanum consuluit, a quo epistolam accepit, ubi, licet expositis validis rationibus, ob quas Archiepiscopus Colocensis opinabatur haud quaquam fas esse in sacris functionibus novis uti cereis, nihilominus quoniam referebatur eosdem aliquam cerae partem continere, ideo sui muneris duxit totum negotium huic S. Congregationi subjicere, quod et praestitit ejus Vicarius generalis literis ad suum in urbe procuratorem datis sub die 19. Maii anni 1842. Tandem delata est ad hanc S. Congregationem epistola alterius novorum cereorum opificis in civitate Mediolani ad adm. R. P. Vincentium Modena ex ordine s. Dominici et Rmi P. S. Palatii apostolici Magistri socium conscripta, qua auctor expostulat, ut eorumdem cereorum usus pro ecclesiasticis functionibus ab hac apostolica Sede declaretur.

Ex hisce autem documentis perspicue apparet totam quaestionem in eo esse, utrum nempe nova cereorum species toleranda sit, an potius prohibenda. Antequam meam, qualiscumque sit, sententiam Vobis Emmi et Rmi Patres aperiam, ut munere mihi demandato satisfaciam, nonnulla mihi videntur necessario esse praemittenda, ut ipsamet quaestio clare innotescat. Atque in primis inquirendum est quaenam sit eorum materies, qua conficiuntur. Omnibus utique notum exploratumque est candelas, de quibus agitur, confici ex adipe sive bovis sive arietis sive similium animalium, qua vero ratione id fiat breviter exponam.

Adeps prius in sua elementa resolvitur, ut ab oleo, quod continet, expurgetur. Primus qui Parisiis analysi adipes subjecit ac methodum id perficiendi adinvenit, est clarissimus Chevreul, qui ope acidi sulphurei alteriusque substantiae separavit atque divisit ex adipe materiem liquidam, oleo persimilem, quam dixit *oleinam,* materiem vero crassam solidamque, quae remanet, a graeco vocabulo appellavit *stearinam* *). Porro ex stearina fit acidus stearicus atque ex eo Cambacéres docuit methodum novas candelas conficiendi, quaeque propterea a plerisque ex cera animali appellantur. Hinc est quod cum adeps ea parte careat, quae dicitur *oleina*, candelae ex ea formatae non amplius male oleant albaeque appareant: quinimo opifices ita pannis laneis *alchool* madefactis exterius defricant, ut praeter nitorem etiam cerae odorem exhalent. Verum ob olei defectum ita fragiles sunt, ut si in terram decidant, ac si vitreae essent, in minutissima fragmenta conterantur. Utrum una cum *stearina* aliqua cerae pars in aliqua officina commisceatur, ad rem nostram, ut inferius ostendam, parum refert; illud autem pro certo habendum est juxta novam inventionem candelas, quae venales prostant, generatim ex sola *stearina* absque cerae mixtione elaboratas esse. Praeterea mei non est inquirere an revera alicubi etiam arsenicum in novis candelis commisceatur, prout in ephemeribus referebatur.

Haec de novorum cereorum materia et qualitate, modo dicendum est de quibusdam sacris ritibus, in quibus

*) Inter caeteros videri potest Joseph Gazzerri in opere, cui titulus: Compendio di un trattoto elementare di chimica tome 2 edit. 3. Flor. 1833.

cerae usus ita est praescriptus, ut nullo modo alia materies eidem possit substitui. Occurrit inprimis ritus cerei paschalis, quem cum Diaconus benedicendo accenderit, ita ex praeconio prosequitur: „qui licet sit divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit. Aliter enim liquantibus cereis, quas in substantiam pretiosae hujus lampadis apis mater eduxit“. Item in benedictione candelarum, quae habetur in festo Purificationis B. Mariae Virginis in prima oratione ita legitur: „Domine s. Pater omnipot. aeterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti“. Jam vero, quaeso, haec dicine possunt de cereis ex *stearina* confectis? Praeterea in *caeremoniali romano* lib. 2. cap. 22. de matutinis tenebrarum quartae, quintae et sextae feriae majoris hebdomadae, num. 4. hac ratione praescribitur: „A latere epistolae ponitur candelabrum triangulare accomodandum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis ... qui paulo ante adventum Episcopi acceduntur simul cum cereis altaris ex *eadem cera communi*“. Idem legitur cap. 25. pro officio feriae sextae in Parasceve; hujusmodi autem *cera communis*, quae colore suo moestitiam praesefert, nonnisi apum opera haberi potest.

Ex dictis igitur statuendum est candelas juxta novam inventionem elaboratas constare ex adipe animalium, quae nisi oleo expurgeretur esset sevum; atque insuper in quibusdam sacris functionibus vel ex ipso ritu vel ex statuta ecclesiae lege ita ceram apum opera eductam esse adhibendam, ut alteram alterius speciei induci omnino nequeat. Praeterea addendum est multis in ecclesiis candelas ex stearina confectas jam adhiberi, Episcopis quibusdam reprobantibus, aliis saltem conniventibus. Quapropter quae sequuntur mihi discutienda videntur.

Dubia.

I. *An exceptis praedictis ecclesiasticis functionibus in reliquis usus novarum candelarum sit tolerandus?*

II. *An et quid respondendum Archiepiscopo Colocensi, Episcopo Massiliensi aliisque hanc S. Congregationem interrogantibus?*

III. *Quatenus ad I. negative: An expediat generale prohibitionis edere decretum?*

A primo exordiamur. Ex sacra historia compertum habemus ecclesiam a novitatibus semper abhorruisse etiam in iis quae disciplinam sacrosque ritus respiciunt, ut sartas tectasque Patrum Majorumque traditiones custodiret. Multa possem in medium afferre exempla, sed brevitatis gratia in eo sistam, cujus et nos testes sumus et maximum cum re nostra habet affinitatem. Nemo vestrum ignorat Emmi ac Rmi Patres non multis abhinc annis paulatim tum in urbe tum extra consuetudinem seu potius corruptelam irrepsisse in sacris supellectilibus tam pro sacerdotibus celebrantibus, quam pro usu altarium, in tobaleis videlicet, amictis, albis, purificatoriis ac etiam in corporalibus eorumque pallis utendi tela ex gossipio loco lini contexta. Re ad hanc S. Congregationem delata ac in sacris comitiis die 15. Maii anni 1819 habitis, mature perpensa auditoque alterius apostolicarum caeremoniarum magistri voto latum fuit generale decretum a Pio VII. fel. rec. approbatum, quo praedictus gossipii usus est interdictus. In eo autem decreto inter caetera haec leguntur:

„Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam studia converterunt Emmi ac Rmi Patres Domini Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi: solliciti idcirco ut quod

usque ab ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex quacumque alia materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante". *)

Ex hoc decreto satis constat quaenam fuerit ratio in sacris indumentis et supellectilibus prohibendi usum gossipii loco telae ex lino vel cannabe contextae, nempe quod *usque ab ecclesiae primordiis* mos ille inductus est et *ob reales et mysticas significationes.* Hoc posito inquiram, utrum idem de luminibus ex cera confectis sit dicendum. Quoad usus antiquitatem audiatur clarissimus Baronius, qui ad annum 58 demonstrat non solum ad noctis tenebras expellendas vel laetitiae causa, sed etiam religionis ergo apud Judaeos in more positum fuisse lucernas incendere, quem quidem morem in Christi ecclesiam dimanasse tenendum est. Et quamvis fortasse apud primaevos christianos lucernae tantum oleo factae in usu fuerint, attamen cereorum usum esse antiquissimum et non minus quam acolythorum institutionem, quorum munus erat accensos ferre cereos, optime arguit laudatus Baronius. Et re quidem vera exploratissimum est jam a tempore s. Hieronymi consuetudinem cereos incendendi tum in Oriente cum in Occidente invaluisse. Cum enim Vigilantius fidei desertor eorum pium cultum derideret, qui pro martyrum honore cereorum moles, sole fulgente, accendere in ecclesiis solebant, sic respondet Hieronymus; „cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, ut vigilemus ad lumen, ne caeci tecum dormiamus in tenebris." *) Caeterum ea verba: *cereos non clara luce accendimus* metaphorice sunt intelligenda, alioquin quonam pacto paulo post in eadem epistola dicere potuisset: „Nam et absque martyrum reliquiis per totas Orientis ecclesias, quando legendum est evangelium, accenduntur luminaria, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Unde et virgines illae evangelicae semper habent accensas lampades suas ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in psalterio legimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine*, *et lumen semitis meis.* Neque vero quispiam de hujusmodi ritibus certior fieri potuerat, quam idem s. Doctor, qui Gallias ac prope universam Occidentis ut et Orientis, ubi degebat, ecclesiam inviserat.

Quod in Orientis ecclesiis perspicitur, id etiam apud ecclesias occidentales in more positum fuisse testis est Paulinus ipsi Hieronymo aequalis, qui in natali 6. s. Felicis sic canit:

„Ast alii pictis accedunt lumina ceris **)
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent.
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas."

Praeiverat autem Prudentius christianus vates in hymno s. Laurentii, in persona tyranni canens:

Argenteis schyphis ferunt
Fumare sacrum sanquinem
Adstare fixos cereos.

Et s. Isidorus ad annum 600 asserit:

*) Vd.: *Paramenta* (materia).

*) Epistola ad Vigilantium.

**) En mos cereos pingendi qui usque ad nos pervenit.

„Acolythos, latine ceroferarios, dici a cereis, quos afferunt ad evangelium vel cum sacrificium offertur, tunc enim lumina accendunt feruntque non ut tenebras amoveant, quandoquidem sol emicat, sed veluti in laetitiae signum, ut haec corporea lux eam lucem significet, de qua loquitur evangelium: „*Haec est lux vera*“*). De sequentibus temporibus nemo dubitat. Caeterum de cereorum in sacris functionibus usus antiquitate videri possunt Cardinalis Bona**), Durandus***), Joseph Vicecomes†), Petrus le Brun††), Meratus apud Gavantum†††), Joseph. Languet Episcopus Suessionensis *†) aliique permulti.

Haec de veteri cereorum usu; quod autem ad mysticam significationem attinet adeo mira sunt symbola, quae ecclesiastici scriptores ac rerum lyturgicarum peritissimi in cera perhibent repraesentari, ut verum intelligatur quod docet S. Petrus Damian.**†) nempe: „Nonnulla sunt in ecclesiasticis observationibus, quae in superficie quidem frivola videntur et levia: considerata vero subtilius magnae virtutis videntur veritate subnixa“. Et sane Amalarius Fortunatus qui obiit anno 814 in cereis Christi humanitatem affirmat praefigurari: „Cera, inquit, humanitatem Christi designat. Unanimitatem significationis vult habere cereus iste“***†). Et Fulbertus Carnotensis, qui undecimo saeculo floruit, in sermone ad populum de Purificatione Beatae Mariae: „Volumus, ait, breviter exponere fratres, unde coepit solemnitas purificationis, quam hodie celebratis, et quid significant cerei quos vos offertis per lumen cerei divinitatem Christi, per ceram significantes carnem ipsius virginalem, apis enim et cerae et mellis opifex sine coitu maris et faeminae procreatur*)“. Yvo Carnotensis Episcopus, ita refert Benedictus XIV.**), in sermone de Purificatione s. Mariae, ait: „quemadmodum scilicet humanitatem excepit manibus, interiorem vero cognovit majestatem, quae suo lumine infidelitatis nostrae tenebras illustrabat, ita quemlibet in hac die fidelem ceram gestantem manu sic eam gerere, ut ad suam ipsius carnem alludat et in candelae lumine lucem agnoscat, qua aeris nostri tenebrae collustrantur. Addit ceram, quae hac die a fidelibus manu geritur, ex odoriferis fioribus depromptum fructum esse apis: *Virginis videlicet animantis, cujus, sicut legitur, sexum nec masculi violant nec foetus quassant;* atque ita symbolum illius divini infantis, *qui nec in egrediendo matris integritatem violavit*“. His consona sunt quae habet Petrus de Natalibus Episcopus Exquilinus, inquiens: „Tertio propter mysticam significationem et in capite et in membris. In capite enim candela accensa Christum significat, in cereo enim tria sunt, quae denotant tria, quae in Christo fuerunt. Nam cera, quam apes gignunt, sine commixtione significat carnem Christi natam de Virgine sine corruptione, lychnum in cera latens significat animam candidissimam in carne latentem. Ignis vero sive lumen significat divinitatem, quia Deus noster ignis consumens est. In membris vero quia per hoc instruimur quomodo coram Deo purificari debeamus, ut sci-

*) Origin. l. 7. c. 22.
**) Rerum liturgicarum l. I. c. 23. §. 7.
***) De ritib. Eccles. cath. l. 1. c. 8.
†) De miss. appar. c. 25. I. 7.
††) Expl. miss. t. I. art. 5.
†††) Part. tit. 20. n. 8.
*†) In confutat. Clandii de Vert. §. 26.
**†) Libro, qui inscribitur *Dom. vobiscum* c. 17.
***†) De Eccles. Off. l. I. c. 18.

*) Biblioth. Pat. Lugdun. t. 18. p. 37.
**) De fest. B. V. M.

licet habeamus fidem veram, actionem bonam et intentionem rectam"*). Brevius idem exponit Durandus: ,,Recte quidem, ait, cereus Christum significat propter tria quae in eo sunt; lychnum namque animam, cera corpus et lumen divinitatem significat**). Eadem habet s. Anselmus***), Raymundus †) aliique. Praeclara utique haec sunt symbola, quae tamen in candelis ex *stearina* confectis omnino evanescerent. Quanam ratione Christi carnem virginalem poterit per eas candelas significari, quae ex adipe sive suis, arietis, sive bovis constant esse elaboratas? Neque officit rei nostrae nonnullos ex laudatis scriptoribus allatas significationes de illis candelis exposuisse, quae a fidelibus in die Purificationis B. M. V. manu gestantur; ea enim tantum occasio fuit id explicandi, quod cerei, qui pro divino cultu adhibentur, semper repraesentant. Quapropter, ni fallor, eaedem omnino pro retinendo cereorum usu adsunt rationes ac pro tela ex lino contexta adfuere, nempe ritus antiquitas ab ecclesiae primordiis et mysticae significationes quae nullimode obtinerentur quoad cereos, si ex *stearina* conficiantur.

His accedit et alia ratio, quae in rebus lyturgicis maximi est facienda scilicet *convenientiae et decentiae.* Atque ut melius ejus vis intelligatur ad mentem revocandum est usque a primis ecclesiae saeculis fideles cereos pro Dei cultu obtulisse, quemadmodum patet ex sermone, qui s. Augustino tribuitur, ubi auctor certe antiquissimus populum exhortans ait: ,,Qui possunt, aut cereolos aut oleum quod in cincindelibus mittatur exhibeant ††).

*) Lib. 3. cautal. Sanctor. c. 72.
**) Ratio divin. off. l. 6. de bened. cereo.
***) 2 feb. art. 3. §. 3. quaest. 1.
†) t. I. l. 3. sect. 3. c. 5. n. 345.
††) Serm. de temp. 215.

Hinc hujusmodi mos usque ad nos pervenit, ut in ordinatione Clericorum, Episcoporum consecratione Sanctorumque Canonizatione cerei offerantur. Et quamvis oblationes in missae sacrificio paulatim desueverint, attamen usque modo fideles licet privatim passim pro cultu divino cereos offerre omnes norunt. Itaque cera duplici sub respectu potest considerari: vel quatenus est fidelium oblatio Deo facta, vel quatenus pro Dei Sanctorumque honore incenditur et crematur. At sub utroque respectu ratio postulat ut inter diversas rerum species, ex quibus lumen haberi potest, nobilior seligatur, quae absque dubio est cera apum munere ex odoriferis floribus deprompta, non autem stearina, quae ex animalium adipe obtinetur; atque ideo indecens omnino est ut adeps pro Deo colendo comburatur. Quare eximius Suarez quaerens ex qua materia constare debeat lumen pro missae sacrificio ita statuit: ,,Ecclesiae consuetudinem esse ut cerea candela accensa, et hoc servandum;.. inferior autem materia nullo modo adhibenda est, ut ex sevo vel simile: est enim valde indecens et ab ecclesiae usu prorsus aliena"*).

Hoc adeo verum est, ut in casu necessitatis, quo candelae ex cera pro missae sacrificio haberi non possint, plerique doctores tradunt potius lucernam ex oleo, quam lumen candelae sebaceae esse adhibendum. Hujus sententiae ratio validissima est, quia oleo ex Dei praecepto pro divino cultu usi sunt Hebreai; eoque utitur etiam Christi Ecclesia ob plures quas in se continet mysticas significationes. Rem optime exponit clarissimus De Albertis in opere de sacris utensilibus**), ubi allata prius eorum sententia, qui in

*) De miss. seu sacrif. legis novae quaest. 83. disp. 81. sect. 6.
**) t. I. c. 3. n. 154 etc.

praedicto necessitatis casu candelas ex sevo confectas adhiberi posse censebant, sic subjungit: „Sed Silvius paulo superius adductus, *Suarez.* de Euch. disp. 81. sect. 6., *Reginaldus* Prax. for. poenit. l. 29. c. 9. sect. 7. n. 196., *Leand.* de Sacram. tract. 8. disp. 7. quaest. 19., *Ricc.* decis. 213. n. 1. p. 3., *Garz.* in summa tract. 3. diffic. 8. dub. 3. punct. 1. n. 18., *Pontas.* dict. cas. consc. verb. miss. 7. et Benedictus XIV. loc. sup. cit. defendunt oleum semper praeferendum sevo hocque adhibendum in extrema necessitate. Et quamvis momenta a Pasqualigo loco superius citato adducta apparentia sint nec contemnenda videantur, ratio tamen illa me admodum movet, quod ecclesia in sacris ministeriis usu quidem habet oleum, quod plures continet in se mysticas significationes, quas longum esset recensere, non vero adipem, qui immundum ac corruptibile praesefert. Qua de re decentius semper erit lumen ex primo quam ex altero. In sacrificio autem omnium maximo semper usurpanda esse quae decentissima sunt omnes omnino fatentur". Quamvis autem laudatus auctor agat hic de luminibus, quae necessario ex ecclesiae lege requiruntur pro missae sacrificio, nihilominus data proportione ratio eadem esse debet ac pro caeteris ecclesiasticis functionibus, quibus Deus ejusque Sancti honorantur et coluntur.

Quae hactenus dicta sunt confirmari possunt auctoritate S. Congregationis christiano nomini propagando praepositae. Anno enim 1833 Vicarius apostolicus regni Coreae apud Sinas ita suppliciter expostulavit. „Poterone uti in celebratione missae cera ex quadam arbore fluente? Cerae hujus species satis similis est cerae communi: facile invenitur et vilis est pretii, dum cera ex favo mellis extracta ex remotissimis provinciis affertur et nonnisi cum maximis expensis comparari potest". Hujusmodi precibus in particulari conventu super rebus Sinarum habito die 13. Augusti anni 1834 relatis ab eo viro Emmo, qui summa cum laude jam ab eo tempore hujus S. Congregationis praefecti munere fungebatur, rescriptum fuit: „Supplicandum SSmo pro gratia a Vicario apostolico petita, ut durantibus circumstantiis ille possit pro suo arbitrio et conscientia permittere in missae sacrificio usum cerae ex quadam arboris specie fluentis". Hoc autem rescriptum meae sententiae optime favet. Etenim hic agebatur de cera vegetali, quae absque dubio nobilior est cera animali, agebatur de locis ubi cera ab apibus elaborata minime reperitur et nonnisi ex remotissimis regionibus magna cum expensa comparari potest, et tamen illi Emmi Patres arbitrati non sunt eo in casu declarare fas esse Vicario apostolico ejusque missionariis candelas ex ea cera confectas adhibere, sed duxerunt supplicandum SSmo pro dispensatione et quidem non absoluta, sed cum conditione, durantibus nimirum circumstantiis. Curnam non declararunt licere? Non alia de causa quia optime noverant cerae usum apis munere eductae ab ecclesiae primordiis inductum esse atque miras continere mysticas significationes.

Sed jam ratio postulat ut momenta quae pro novis cereis afferuntur sedulo perpendantur. Praecipua autem haec sunt. Inprimis quia, si tum cera ex apibus, cum illa ex adipe analysi subjiciatur, constat de utriusque identitate. Nam utraque materia non solum in eadem resolvitur elementa *carbonium, hydrogenum et ossigenum*, verum etiam ipsorum elementorum eadem ferme adest quantitas ponderibus atomisticis mensurata, quinimo *l'acide stéarique contient plus de gaz oxigène et il est par consequent plus*

propre à la lumière. Ita auctor observationum, quas transmisit Episcopus Massiliensis, qui ex eo quod in quibusdam plantis et floribus cera reperiatur, statuit, que la eire n'est pas le produit immédiat de l'abeille et que l'on est fondé à croire que cet insecte la cueille sur les plantes semées dans la nature et la dêpose dans la ruche". Ex his autem qui nobis favent candelis inferunt stearinam aut veram esse ceram aut saltem „sebum nunc chymica arte taliter immutatum fuisse, ut aliud vere quippiam evasisse credi deberet" et ceram huic sebo, etsi pro parva quantitate adjunctam, ita misceri, ut unum quid ejusdem generis censeri posset": addunt tandem sebum ita esse purgatum „ut deposito factore, duritiem albedinemque, quiddamque perlucidatis assumpserit" ac propterea „novae antiquis candelae praeferuntur propter munditiei atque nitoris parciorisque sumptus rationem".

Est et alia ratio ob quam novae candelae antiquis praeferuntur, nempe quia ex opificum confesso constat triginta atque quadraginta et quinquaginta usque sebi pro centum cerae partibus in antiquis cereis adjungi, unde putide defluunt et cuncta quae supponuntur... maculantur". Idem refert opifex mediolanensis. Tandem nonnulli ex eo moventur quod jam in quibusdam ecclesiis in Germania, in Galliis et Italia novi cerei pro divino cultu usurpantur; alii vero, etsi illas non audeant approbare, nihilominus dubitant utrum eas liceat adhibere, ea tantum de causa quia ferunt aliquam cerae partem *stearinae* esse commixtam. Hae sunt rationes quas novorum cereorum opifices vel patroni urgent, ut eorumdem usus pro sacris functionibus licitus declaretur. Et primo quidem contendunt *stearinam* habendam esse tamquam ceram ab apibus collectam quia iisdem elementis componitur. Verum ut hujusmodi momenta diluantur statuendum est fallacem omnino esse eorumdem methodum, qui ex analysi elementorum, quibus corpora componuntur, eorum naturam assequi arbitrantur. Etenim ratio, qua natura praeparat, disponit simulque miris modis connectit primigena elementa, adeo obstrusa est, ut humanae mentis acies eo usque nequeat penetrare. Hinc est ut uniuscujusque corporis natura, praesertim si de corporibus organicis, ut ajunt, agatur, si analysi subjiciatur, natura ipsa destruitur; hinc est ut si iisdem elementis, eademque quantitate ope artis chymiae aliquod corpus conficiatur erit specietenus alteri simile, quod quisque imitandum vel fingendum sibi proposuit, sed natura et proprietatibus potest esse omnino diversum, quod et notorici chymiae periti fateri coguntur. Quid autem si elementa quantitate et proportione sint diversa? Nonne et pleraeque plantae carbonio, hydrogeno et ossigeno componuntur et tamen cum in unaquaque specie elementorum proportiones sint diversae, una ab altera virtute, sapore caeterisque proprietatibus differt? Quod de plantis dictum est, etiam de caeteris corporibus esse intelligendum nemo ignorat. Haec autem non solum apud veteres, sed etiam apud recentiores verissima sunt semperque erunt, quia natura rerum nunquam mutatur. Caeterum bene nostis Emmi ac Rmi Patres ecclesiam numquam suas leges mutavisse ob aliquod physicae vel chymiae adinventum, alioquin omnia verterentur, neque liceret ex gr. diebus jejunii vel abstinentiae pane triticeo vesci, eo quod celebris Brugnatelli Papiae professor Beccari Bononiensis observationes et experimenta perficiens demonstravit illud, quod ex farina, cui amylum subtrahatur, remanet, *fibrinae* animali quoad es-

sentiales proprietates esse persimile, seu farinae glutem iisdem, ac caro, elementis constare.

His semel positis, quibus nemo cordatus poterit contradicere, jam nullius roboris rationes, quae ex analysi tum cerae cum *stearinae* sunt allatae esse intelliguntur. Et re quidem vera, etiamsi probaretur stearinam iisdem numero et quantitate ac ceram constare elementis, nihilominus de utriusque substantiae identitate jure esset dubitandum et cuique exploratum esset *stearinam* a cera omnino esse diversam, quia semper erit diversa ratio naturae a ratione artis. Verumtamen ex ipsa analysi, quam auctor observationum superius laudatus exhibuit, apparet discrimen quantitatis ossigeni inter ceram et stearinam, ex quo necessario oritur diversitas utriusque substantiae. Hujusmodi disrimen animadvertit ille auctor et contra ipsas physicas leges asserere non dubitavit *plus de gaz oxigene, et il est par conséquent plus propre à la lumiere*, dum certo constat ossigenum, quod compustioni inservit, esse illud, quod in aere habetur, minime vero quod in se corpora continent, quae comburuntur. Igitur stearina a cera est omnino diversa, quod adeo verum est ut clarissimus Chevreul, qui, ut superius dixi, primus fuit qui adipes analysi subjecit ac methodum proposuit, qua ab oleo posset purgari, non sit ausus eam lapidis partem, quae solida est, ceram appellare, sed nomen imposuit stearinae a graeco vocabulo, quod idem esse ac sevum pernotum est. Quapropter candelae ex stearina nil aliud sunt nisi candelae ex sevo oleo purgato ac propterea nunquam comparandae cum iis, quae cera ab apibus elaborata conficiuntur.

Sed praefatus auctor in dubium revocat apes ceram elaborare eamque ipsarum esse opus ac potius existimat illas ex floribus et plantis ceram colligere ac in alveari recondere. Si hoc verum esset, quin ille auctor sciat, valde infirmata esset vis argumenti ex mystica cerae significatione, quod jam in medium attulimus. Ast res aliter se habet; et in primis animadvertendum est aliud esse quasdam plantas ceram exhibere, aliud esse apes vel eam tantum colligere et recondere vel inficiari ceram, non conficere. Quidquid sit quoad speciem cerae illarum plantarum et an ubique plantae illae reperiantur, non est hic inquirendi locus, dicam tamen etiam in sententia illorum, qui celebris Reaumur observationibus obsequuti arbitrabantur in plantis quamdam cerae speciem reperiri, firmam atque inconcussam remanere veterum doctrinam. Nam ipse Reaumur pluries testatus est se vidisse apes hujusmodi cerae speciem postquam collegerant deglutire et tandem in stomacho elaboratam omnino ab ea, quam manducaverant, diversam evomere. Ita profecto omnes historiae naturalis periti tenuerunt. Verum anno 1792 Joannes Hurter adhibitis diligentissimis observationibus ostendit ceram quamdam esse apum excretionem atque insuper adinvenit et descripsit organa huic excretioni a natura destinata. Ejus vestigia premens F. Huber eo pervenit, ut demonstraret non solum ceram veram esse apum excretionem, verum etiam apes ceram conficere etiamsi cibum vegetalem nullimode gustaverint.

Deinde novarum candelarum patroni affirmant eas antiquis praeferendas propter munditiei, nitoris parciorisque sumptus rationem. Hujusmodi argumenta eadem omnino esse ac illa quae pro usu gossipii afferebantur anno 1819 luce clarius videtis et tamen haec S. Congregatio decrevit *ab antiquo more non esse recedendum*, neque sacra supellectilia conficienda esse

ex alia materia, *etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannapem aemulante et aequante.* Curnam illi Emmi patres in hac sententia ita obfirmati fuere? Quia mos ille et *ab Ecclesiae primordiis et ob reales et mysticas significationes* erat inductus. Atqui idem de usu cerae esse dicendum jam, ni fallor, demonstravi. Rationem vero majoris oeconomiae etiam pro utendo gossipio adfuisse perspicue patet. Huic difficultati optime satisfecit Archiepiscopus Colocensis in sua epistola ad Episcopum Zagabriae inquiens: „Parsimoniae denique, ubi de decore et magnificentia cultus divini et de gloria Dei promovenda quaestio est, rationem haberi haud convenire res ipsa loquitur". His consona sunt, quae jam de ratione *convenientiae et decentiae* exposuimus.

Aliud argumentum pro novis caudelis ex eo sumunt, quod illis ex cera confectis haud parva sevi pars ab opificibus nunc commiscetur. Hoc verum est et fortassis etiam in urbe hujusmodi candelae ab aliquo opifice conficiuntur; sed quid inde? Estne propter fraudem et malitiam, qua hodie pene omnia corrumpuntur et adulterantur, ab antiquo more recedendum et non potius episcopis praecipiendum ut sedulo invigilent, ut pro divino cultu sacrisque functionibus nonnisi candelae ex sola cera ab apibus confecta adhibeantur? Ita profecto arbitrarer quemadmodum dicam inferius.

Denique posset aliquam difficultatem facessere vel quod jam in multas Ecclesias Episcopis conniventibus vel tacite probantibus candelae ex stearina sint inductae vel quod revera aliqua cerae pars candelis stearicis sit commixta. Quoad primam difficultatem respondeo etiam in urbe ita invaluisse *ut quam bene multi eam corruptellam consuetudinis nomine cohonestari niterentur,* quemadmodum legitur in laudato decreto. Porro in re nostra cum stearinae adinventio adhuc sit recens, ejusdem usus nondum consuetudinis nomine potest donari. Praeterea si aliquibus in locis episcopi tacite videntur novas candelas approbare, in aliis vero et praesertim in Galliis earumdem usum datis encyclicis epistolis omnino prohibuerunt.

Quapropter, si ita Vobis Emmi et Rmi Patres videtur, ne hujusmodi usus seu corruptela tractu temporis in consuetudinem transeat, quam evellere perdifficile sit, non amplius expedit cunctari, sed opus est ut haec S. Congregatio pro tuendis sacris ritibus statuta aliquo modo vocem extollat.

Quoad vero alteram difficultatem ex cerae cum stearina mixtione, ego non inficior in aliqua officina fortassis hac ratione confici candelas, sed affirmo eas, quae generatim venales prostant, ex sola constare stearina absque ulla vel pene ulla cerae inmixtione. Et sane quamvis Episcopus Massiliensis in sua informatione dicat stearinae immixtam *esse perexiguam cerae quantitatem*, nihilominus auctor observationum, quas ad hanc S. Congregationem ipsemet Episcopus transmisit, ne verbum quidem de cerae commixtione, quod utique, si verum esset, fecisset. Idem dicendum de altero opifice mediolanensi prout legenti patet. Archiepiscopus vero Colocensis seu ejus vicarius ait: „Quod materia dictarum candelarum per factores earum in arcano servetur adeoque pro certo determinari per nos non possit, communiter tamen censeant illas ex mixtura sebi et cerae constare, ita ut exterius cortex harum candelarum ex tenuissima cerea membrana constet". Verum quod apud Hungaros in arcano servatur, penes nos luce clarius apparet, cum omnes recentiores chymiae tractores absque ullo mysterio doceant quomodo ex adipe acidus stea-

ricus obtineatur, atque ex eo candelae conficiantur. Utrum vero, cera excepta, alia substantia ab aliquibus opificibus stearinae clam adjungatur jam praemonuimus nos non inquirere. Quare si fas est suspicari timeo ne aliqua aequivocatio intercedat, etenim a quibusdam recentioribus stearina habetur et dicitur cera. Sed etiamsi daretur in quibusdam officinis confici candelas ex stearina, cui aliqua cerae pars adjungatur, contendo tamen nullam contra ea, quae dicta sunt, difficultatem exoriri, quia etiam in hac hypothesi candelae ita praeparatae non essent illae quibus a primis saeculis Ecclesia usa est, quae relata symbola repraesentant. Quanam ratione *perexigua cerae pars* bovis, arietis, suis adipi commixta poterit immaculatam et virginalem Christi carnem seu assumptam humanitatem symbolice exprimere et adumbrare? Tandem cum in arbitrio sit opificis ceram immiscere vel non, quaero quonam modo aedituus, sacrista aut quis alius, cujus muneris est pro sacris functionibus cereos comparare, poterit specietenus eos discernere quibus cera adjuncta sit ab illis, qui carent? Praesertim cum opificos candelis stearinicis cerae nitorem et odorem conferant confugiendumne erit qualibet vice ad analysim vel ad peritos? Ergo utcumque res consideretur patet nullius esse momenti rationem, quae pro usu novorum cereorum ex cerae cum stearina mixtione affertur.

Ex iis, quae hucusque disputata sunt, abunde ac perspicue mihi videtur probari Ecclesiam a novitatibus etiam quoad ea, quae ad divinum cultum sacrosque ritus spectant, semper abhorruisse, cerae usum ab ejusdem Ecclesiae primordiis inductum mysticam eamque praeclaram habere significationem ac propterea easdem prorsus pro cera in ecclesiasticis functionibus esse rationes ac pro retinenda tela ad sacra supellectilia conficienda ex lino vel cannape contexta adfuere; ac tandem argumenta, quae a novarum candelarum patronis sive ex physica et historia naturali sive aliunde excogitata, parvi aut nullius esse roboris ac momenti, dum e contra pro adhibendo gossipio in sacris supellectilibus, exceptis corporali et palla, haud parva theologorum et canonistarum acies pugnabat, nec contemnenda praesto erant argumenta, uti videre est apud De-Albertis aliosque doctores. Quaecum ita sint ego arbitrarer usum praedictarum candelarum in sacris functionibus non esse permittendum neque tolerandum. Quare ad primum dubium responderem: *Negative.*

Tandem quaeri posset utrum tolerandus sit usus stearinae cum aliquod festum extraordinario apparatu celebratur pro iis luminibus, quae circa altaria accenduntur, ex gr. pro lychnuchis pensilibus vulgo lampadari? Ego ut dicam quod sentio, in contrariam abirem sententiam tum quia adipis usus utcumque pro divino cultu induceretur, tum etiam quia ex candelarum pars residua facile postea adhiberetur etiam pro aliis functionibus ne dicam pro missae sacrificio. Caeterum expectandum mihi potius videtur ut hujusmodi dubium proponatur et interim nihil esse addendum putarem.

Haec omnia quae pro ingenii mei modulo ut mandatis obtemperarem utcumque exposui sapientissimo vestro judicio humiliter subjicio.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. p. 139—150.)

Continuatio.

(Aliud votum.)

Ad caeteras novitates, de quibus aetas nostra gloriari videtur in inventionibus artiumque praecipue mechanicarum progressibus, accedunt candelae, quas stearicas vocant a graeca voce, quae

sevum seu adipem denotat. Harum usus nostris hisce temporibus adeo invaluit, ut non apud privatas tantum sed etiam apud splendidissimas familias eae ad illuminandas nocturno tempore domos et apud exteras nationes etiam in ecclesiis coeperint adhiberi. Atque haec consuetudo eo pervenit ut nonnulli opifices cereorum civitatis Massiliensis ex novis hisce candelis grave sibi familiis negociisque suis praejudicium inferri suspicantes et ea damna praecavere cupientes supplicem libellum SSmo Domino Nostro humillime porrexerunt, ut amota qualibet hac super re novitate, antiquissimus cerearum candelarum usus in Ecclesia custodiatur. Jam inde a die 23. Febr. 1839 res est ad Vos delata Patres Emi in hac S. Rituum Congregatione ordinaria, sed priusquam Vos quidquam decerneretis, mandavistis ut informatio et votum Episcopi Massiliensis exquireretur. His autem acceptis propositisque iterum precibus in ordinario concessu Vestro habito die 3. Augusti ejusdem anni placuit Vobis in mandatis dare: — Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum. — Et quoniam ad honestissimum hoc munus per humanissimum epistolium Illmi et Rmi Domini Secretarii, quem honoris causa nomino, ego fui benigne designatus; humillime obsequens, ut par est, hujusmodi mandatis meam de eadem re sententiam, qualiscumque ea tandem futura sit, imparibus licet viribus sapientissimo tamen judicio Vestro subjiciam.

Ex ipso Ecclesiae nascentis exordio lumina in sacra liturgia adhibita fuisse sive ad depellendas tenebras primis tribus saeculis, ut Vertus et Hisdebrandus contendunt, sive, quod magis nobis arridet et quod posteriori etiam tempore factum est, ad majorem cultum exhibendum ad celebritatem, ad laetitiae signum et symbolicam rationem indubie constat. *Juxta ordinem romanum*, inquit de hoc ritu Micrologus cap. XI., *nunquam Missam absque lumine celebramus.* Quod autem haec lumina ex cereis candelis esse deberent, adeo constans perpetuusque viguit usus, ut, quidquid fuerit de primis ecclesiae saeculis, posterioribus certe vilior crassiorque materia penitus exclusa semper fuerit. Missale Romanum ex decreto S. Concilii Tridentini restitutum, s. Pii V. Pontif. Max. jussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. auctoritate recognitum in Rubricis generalibus tit. X. inter defectus, qui in ministerio occurrere possunt, illum enumerat: *si non adsint luminaria cerea.* Et in Rubricis particularibus die 2. Februarii in festo Purificationis B. M. V. candelarum cerearum usus praescribitur; siquidem orat Ecclesia: „Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire jussisti". Et in Sabbato sancto in benedictione Cerei Paschalis: „Suscipe, sancte Pater . . . sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni . . . . de operibus apum sacrosancta reddit ecclesia". Et paulo inferius: „Alitur enim, liquantibus Ceris, quas in substantiam pretiosae hujus lampadis apis mater eduxit."

An vero hujusmodi lumina ex oleo vel sevo possint adhiberi, quaestio est inter Theologos. Id fieri posse in necessitate concedit Azoris lib. 20. cap. 8. quaest. 5 et s. Alphonsus Ligorius Oper. Moral. tom. 2. lib. 6. tract. 3. de Eucharist. prout est Sacrif. n. 394. §. XI., dum ait: *Communiter et probabiliter DD. dicunt licitum esse celebrare cum oleo vel sebo in necessitate.* Et Benedictus XIV. immortalis memoriae de Sacrificio Missae lib. 3. cap. 7. num. 2. ait: *addit idem*

Pontas Sylvii auctoritatem secutus esse oportere vel ex oleo aut si desit ejusmodi, e sevo, urgente necessitate.

Haec autem loquens videar fortasse canere extra chorum, quia hodierna quaestio nec cereas candelas, nec sevum nec necessitatis casum directe respicit, quae tota in eo posita est, an candelae, quas stearicas appellant et quae partim ex cera partim ex materia suilla conficiuntur (ex folio praestantissimi Domini Secretarii hujus Sacrae Congregationis) impune possint in praesenti ecclesiae disciplina citra necessitatem adhiberi. Sed omnia haec ego veluti in antecessum adduxi, ut nimirum pateat, cerearum candelarum usum, licet is ex vetustissimo ecclesiae instituto derivet, esse tamen rem mere disciplinarem atque idcirco, si idonea causa adfuerit ac Sedes apostolica probaverit, mutationi obnoxiam esse posse. Itaque in eo nunc tota quaestio versatur, an scilicet in rerum statu, omnibus circumstantiis perpensis, candelae stearicae hujusmodi sint, ut earum usus in ecclesiis permitti queat.

Jam vero ex una parte candelarum cerearum usus licet disciplinaris sit ita tamen positive in rubricis tum generalibus tum particularibus Missalis romani, sicut paulo ante vidimus, praescribitur, ut doctores, quantumvis asserant, in casu necessitatis licere cum sevo et oleo celebrare, si scandalum absit, aperte tamen dicant extra necessitatem sine gravi culpa id fieri non posse. Vid. s. Alphonsum loco citato. Praeterea tales sunt nonnullae ecclesiae precationes et preconia, ut sine cereorum luminum usu ea proprie non consistant, id quod aperte patebit, si quae superius memoravimus tum de prima oratione pro candelarum benedictione dicenda die 2. Febr., tum de benedictione Cerei paschalis in Sabbato sancto recolantur.

Ex altera vero parte affirmari jure posset, ideo candelas cereas praescriptas hactenus esse, quia nulla aptior materia inventa hucusque fuerit et quia cera majorem praeseferat munditiem ac nitorem. Videndum itaque est, utrum candelae stearicae, de quibus quaestio est, licet ex animalium adipe partim conficiantur, tamen per chimiae artem ita elaborentur, ut sive ob materiam, qua constant, sive ob quantitatem cerae, qua miscetur, sive ob nitorem, quem praeseferunt, et ob splendorem, quem emittunt absque fumo maloque odore, in praesenti disciplina ecclesiae usurpari possint.

Sane sebum, quod nonnisi in necessitate adhiberi posset, iis quae superius retulimus sententiis nunc chymice adeo immutatur, ut res prorsus alia evadere videatur, cera autem, etsi in valde minori quantitate, ita tamen sevo adadjungitur et cum eo miscetur, ut ex utroque unum quid ejusdem generis quodammodo assurgat. Id continet testimonium Illmi et Rmmi Episcopi Massiliensis in ejus ad S. Congregationem responso, quod dedit re per ipsum explorata. Testis praeterea hujus rei est opifex Agenon, qui explicationes de eadem re suppeditavit, quae ex scientia et arte desumptae rei, de qua agitur, valde opportunae sunt. Testis alter opifex Mediolanensis De Filippi in sua epistola ad adm. Rev. P. Vincentium Modena inclyti Praedicatorum ordinis et sacri P. apostolici Magistri socium, quem honoris causa nomino, conscripta. Et ne quid hac in re mihi deesset, consului nuper praestantissimum Dominum Antonium Chinenti in hac Almae Urbis Universitate Chimiae professorem tribus quaestis, queis is ea qua pollet peritia concinne satisfecit totidem responsionibus, quibus omnia haec mirifice confirmantur.

Neque est silentio praetereunda

quaestio hac super re excitata ab Episcopo Zagabriensi et Metropolitano suo Archiepiscopo Colocensi proposita itemque responsio, quam eidem Archiepiscopi nomine reddidit e Consistorio Colocensi Metropolitanum Consistorium sub die 19. Martii 1842. Etenim in eo responso, licet declaretur retinendum quidem esse usum candelarum cerearum, animadvertit tamen ad S. Congregationem pertinere, ut decernatur, num ad ecclesiasticum usum candelae, de quibus agitur, adhiberi possint, quae cum affabre elaborata cerae permixtione compositae sunt. At quorsum ergo haec disputo? Ut nimirum muneri mihi imposito satisfaciam atque ut ad aperiendam sententiam meam aditus mihi patefiat.

Sententia autem mea Patres Emi non est ejusmodi, ut quidquam aperte decernat quod positive antiquissimum Ecclesiae usum contra Liturgicorum auctoritatem Rubricarumque leges in ista re generatim immutet, donec alia materia evidentissime aptior non prodeat. Verum cum nonulli Galliarum Episcopi literis circularibus in suis Dioecesibus id prohibuerint, cum praeterea isthaec quaestio jamdiu apud Vos pendeat et aliae hujusmodi fortasse deferri facile possint, cumque Episcopus ipse Massiliensis, dum judicium vestrum expectat, non obscure candelis stearicis favere quodammodo videatur, ratione habita etiam, quod Rubrica Missalis: *De praeparatione Altaris et ornamentorum ejus tit. XX.* utatur simplici vocabulo: *candelabra cum candelis accensis*, quo utitur etiam Concilium Tridentinum sess. 22: *De extirpendis in celebratione Missae*, quando prohibet certum *candelarum numerum*, precibus Opificum Massiliensium responderi posse putarem: Dilata et ad mentem. Quae mens esse deberet, ut scribatur Episcopo Massiliensi, quod firmo omnino remanente usu candelarum cerearum in Altaribus quocumquae tempore et in iis functionibus, quae proximius Eucharistiae Sacramentum respiciunt, vel pro quibus Ecclesia peculiares adhibet orationes, in quibus mentio fit candelarum cerearum, prout die 2. Februarii et Sabbato Sancto in benedictione Cerei Paschalis, in reliquis ejusdem Episcopi prudentiae et conscientiae tribuitur et remittitur, candelas stearicas, de quibus agitur, in sua Dioecesi pro nunc tolerare dummodo novitas admirationem et scandalum non pariat.

Atque haec sunt, quae ego dicenda putavi et quae auctoritati sapientiaeque vestrae, Patres Emi, humillime libentissimeque submitto. Die 13. Febr. 1843.

Massilien. Resolutionis dubiorum super usu novarum candelarum ex Stearina confectarum. Instantibus nonnullis episcopis permultisque cereorum fabricatoribus cum Reverendissimo Episcopo Massilen. ac referente Emmo ac reverendissimo Cardinale Cosimo de Corsi Ponente rescriptum fuit: *Consulantur rubricis.* Die 14. Sept. 1843.

Et ad usum candelarum ex stearino in dioecesi Dijon vigentem S. C. resp.: *Nihil inovetur.* Die 7. Sept. 1850.

(*Ibid. 1851. p 197.*)

STEMMA GENTILITIUM IN VASIBUS ECCLES.

Precibus Sacerdotis Seb. Ricci Can. Cath. Reatin. Eccles. exquirentis an remo ere debeat Stemma gentilitium familiae suae impressum tam Ostensorio quam nobilibus aliis Supellectilibus a se donatis Cath. ipsi Eccl., ut expositio SSmi Sacramenti in Cath. ipsa solemniori apparatu fiat, quam quidem remotionem indixit Rmus Ep., S. R. C. pro Informatione et Voto audito eodem Ep. omnibus maturo examine perpensis ad relationem sub

scripti Secretarii respondendum censuit: „Quum non obstent Decreta, nihil esse inovandum".

Die 7. Dec. 1844 n. 4989.

Vd.: *Supellectilis.*

S. STEPHANUS PROTOM.

1) De Commem. Omn. SS. Martyr. in ejus Festo.

Vd.: *Commem. Omn. SS. Apost.*

Pius PP. VI.

Fr. Ignatio Massalski Ep. Wilnensi.

Dum populorum conscientiae consulimus et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum et solemnitatum officia et missas jam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacunque ecclesia celebrari mandamus.

Sacrum vero jejunium, quod in praedictis vigiliis habebatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum ibidemque servandum edicimus et constituimus.

Ut autem non solum Clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis SS. Missae Sacrificio et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, *SS. Apostolorum et Martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent et venerentur, volumus ac praecipimus, ut die 29. Junii ultra praecipuam ss. app. Petri et Pauli solemnitatem etiam aliorum apostolorum, et die 26. Decbr. ultra praecipuum s. Stephani festum etiam aliorum ss. Martyrum memoria celebretur. Quare die 29. Junii in Calendariis eccles. ita festum inscribendum erit: „SS. Petri et Pauli et commemoratio Omn. ss. Apost."; ac tam in officio quam in missa addatur commemoratio de communi apost.; die vero 26. Decbr. ita notetur: „Fest. s. Steph. protom. et Commem. omn. ss. Martyrum", ac tam in offieio quam in missa addenda erit Commem. de comm. pl. mm.*

Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae die 3. Maii 1775.

(Bull. r. *Continuatio.* t. V. pag. 85 Ed. Rom. 1847).

Eadem Bulla *ejusdem tenoris* ad Episcopum Dioeces. *Posnamiensis* die 23. Maii 1775 ab eodem PP. Pio VI. missa est (*Ibid.* p. 61);

Ad Episcop. Uladislaviensis dioec. eodem die et anno. (Ibid. p. 63.)

Ad Episcop. Luceoriensis dioec. (Ibid. p. 65.)

Ad Episc. Cracoviens. dioec. (Ibid. pag. 66.)

Ad Episcop. Plocensensis dioeces. (Ibid. pag. 68) et ad alios Episcopos, ut videre est loco cit. a pag. 70—82 et p. 537; tom. VI. p. 205. 428. 477.

2) Festum titulare.

Diem s. Stephani protom. titularis Ecclesiae Cathedr. Papien. esse celebrandum cum pontificalibus, cum sit de prima classe. N. 2640 die 17. Junii 1673.

3) Inventio.

Vd.: *Reliquia insignis; Inventio s. Stephani.*

S. STEPHANUS REX HUNGARIAE.

Secreta missae s. Stephani reg. Hung. concludenda est verbis: *Per eumdem* etc. S. R. C. 25. Septembris 1860.

Urbis et Orbis.

Piis precibus augustissimi imperatoris Leopoldi per suas literas SSmo Domino Nostro Innocentio Papae XI. porrectas et ad S. Rituum Congregationem remissas, quibus supplicabatur, ut Sanctitas Sua dignaretur assensum praebere et demandare, ut officium divi Stephani Hungariae regis, quod hactenus ab ecclesia universali sub ritu simplici recitatum est, imposterum ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, utriusque sexus sub ritu semiduplici de praecepto recitaretnr. Eadem S. Congregatio habita die 23. Novembris 1686, re mature perpensa, censuit petitam gratiam, si SSmo Domino Nostro placuerit, esse concedendam ac etiam assignari posse diem secundum Septembris pro celebratione supradicti festi in perpetuam memoriam insignis et gloriosae victoriae ab armis caesareis contra Turcas ope divina obtentae in strenua expugnatione propugnaculi Budensis, olim dicti Sancti residentiae. De quibus facta per Emmum Cybo SSmo relatione Sanctitas Sua benigne annuit et hujusmodi decretum expediri mandavit. Die 28. ejusdem mensis Novembris et anni 1686.

(Anal. J. P. 1865 p. 1283. n. 2315.)

S. STEPHANUS M.

(Officium.)

Lugdunen.

Fratres minimi conventus s. Stephani Lugdunensis dioecesis S. Rituum Congregationi supplicarunt ipsis indulgeri, ut possent quotannis die 31. Augusti recitare officium duplex cum octava s. Stephani Martyris intuitu corporis ejusdem sancti, quod asseruerunt asservari in eorum ecclesia. At Emmi PP. eidem Congregationi praepositi petitioni praefatae ea moderatione annuerunt, quod scilicet, praevia ejusdem sancti corporis approbatione ab ordinario facienda, die tamen Martyrii vel translationis, hisce etiam incertis alia die arbitrio ordinarii statuenda fratres oratores possint officium sub ritu duplici e communi unius Martyris assumendum ad formam decretorum S. Congregationis recitare. Die 19. Junii 1656.

(Anal. J. P. 1863 p. 329.)

STIGMATA S. FRANCISCI.

1) Approbatio veritatis Stigmatum.

Gregorius PP. IX.

Confessor Domini gloriosus b. Francisus qualibus vitae meritis processerit ad patriam perpetuae claritatis explicare literis arbitramur fore superfluum, cum idem fere pervenerit ad fidelium notitiam singulorum.

Verumtamen grande ac singulare miraculum, quo ipsum SSrum splendor et gloria Dominus J. Chr. mirabiliter decoravit, universitati tenore praesentium non indigne duximus exprimendum. Videlicet, *quod idem Sanctus, cum adhuc spatium praesentis vitae percurreret et postquam illud feliciter consummavit, manibus, latere ac pedibus, specie stigmatum divinitus exstitit insignitus.* Quoad nostram et fratrum nostrorum notitiam et cum caeteris ejusdem miraculis per testes fide dignissimos probatis, solemniter ex ipso specialem causam habuimus, quod confessorem eumdem, de dictorum et omnium Praelatorum consilio, qui tunc apud Sedem apostolicam existebant, SSrum catologo duximus adscribendum.

Datum Viterbii 22. Maii 1237.

(Bull. r. t. III. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Alexander PP. IV.

Quia longum esset exarare per sin-

gula clara virtutis divinae prodigia, eumdem Confessorem (s. Franciscum) tenere cum sanctis solium gloriae in excelsis signanter vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentius et vehementius admiranda illa satis jucunda dominicae passionis insignia, quae in ejusdem Sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foveretur, manus coelestis operatio impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes et certissimi contrectantium digiti palpaverunt, quod in manibus ejus et pedibus expressa unique similitudine clavorum, de subjecto propriae carnis excrevit vel de materia novae creationis accrevit, quae equidem idem Sanctus studiose ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abscondebat. Inventa est patentius in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitus nec facta plaga vulneris lateralis, quasi aliquod instar lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae in Redemptore nostro protulit Sacramentum, quae quidem plaga, sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhaerentibus latere non potuit, propter defluxum humoris, diu antea viruerat in vivente.

Haec igitur mira et decora novae demonstrationis indicia magnae dicuntur esse devotionis divitiae christianis et inaestimabiles religionis deliciae in spiritualibus communis ecclesiae orthodoxae thesauris. Cum ex his sincera fides accipiat, quod etiam illi fuerint passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro ejus amore carnem suam cum vitiis et concupiscentiis voluntarie crucifigunt, sane de praefato Sancto haec certius asserentes, indoctas fabulas seu vanae adinventionis deliberamenta non sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videlicet Nos in minoribus constituti confessoris ejusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam, praedecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo ...

Si quis spiritu temerariae praesumptionis insaniens, divini muneris invidus, ap. judicia, sacrilegus impugnator, praemissa vel alia prodigiorum signa, quibus sanctitas praedicti confessoris eluxit, improbae contradictionis morsibus obtrectanda crediderit, volumus et mandamus, ut eum sanae mentis restituat judicialis severitas disciplinae; ita, quod districta proprii Praelati colligatione correctus, Dei opera blasphemate dediscat et fidei cathol. fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans non arescat.

Datum Anagniae die 29. Oct. 1255.

(Bull. rom. tom. I. p. 110. Ed. Luxbg. et t. III. pag. 626. in edit. Aug. Taur.)

2) Color Parament.

Urbis.

Colorem in festo Stigmatum s. Francisci album esse adhibendum. Die 27. Novembris 1623.

(Anal. J. P. 1863 pag. 167.)

3) Officium et Missa.

Vd.: *S. Thomas de Villan.*

Ad dub. Minorum Observ. Refor.: An in benedictione 8. lectionis in Mat. Officii s. Stigmatum una tantum vice in quolibet mense per annum dici debeat: *Cujus* festum vel: Cujus commemor. colimus? S. C. resp.: *Juxta rubr. Brev. rom.* N. 2360 ad 2 die 13. Februuris 1666.

In regno *Neapolis* et aliis Majestati subjectis die 18. Septembris esse recitandum officium impress. Stigmatum s. Francisci de praecepto et translatum ad dictam diem, quod die 17. ejusdem propria sit impeditum officio

Nom. B. V. a Clemente X. in dictis regnis hac die recitari concesso sub ritu dupl. maj., non autem illud s. Thomae de Villan. ad libitum cadens eadem die 18. N. 2595 ad 1 die 3. Septembris 1672.

In festo translato Stigmatum s. Francisci nulla est facienda mutatio in hymno. N. 4119 ad 8 die 2. Septembris 1741.

Urbis et Orbis.

S. Rituum Congregatio ad preces Primicerii, Guardiani et confratrum Archiconfraternitatis sacrorum Stigmatum s. Francisci in urbe benigne concessit, ut officium dictorum sacrorum Stigmatum recitari solitum die 17. Septembris sub ritu semiduplici ad libitum, in posterum recitetur ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, de praecepto, et sic etiam apponatur in Breviario romano, si SSmo placuerit. Die 20. Julii 1669. Et facta SSmo relatione per me Secretarium Sanctitas Sua benigne annuit. Die 13. Augusti 1669.

(Anal. J. P. 1865. p. 1158 n. 1862.)

Urbis et Orbis. Approbatio officii et missae s. Stigmatum s. Francisci.

Officium hoc et missam impressionis sacrorum Stigmatum in corpore s. Francisci ad instantiam R. P. D. fratris Antonii Atreso Vicarii generalis totius ordinis s. Francisci observantium et de mandato SSmi D. N. Pauli Papae V. in S. Rituum Congregatione proposita et de ejusdem S. Congregationis ordine recognita et subscripta ab Illmo et Rmo D. Cardinali Bellarmino, eadem S. Rituum Congregatio approbavit et, si eidem SSmo D. N. placuerit, censuit posse concedi, ut omnes viri ecclesiastici tam regulares quam saeculares et etiam moniales in universo orbe, qui et quae officium praedictum recitare voluerunt, illud recitare possint et valeant die 17. mensis Septembris, quo die beati Francisci Stigmatum festum celebratur, et omnes sacerdotes tam regulares quam saeculares missam praedictam dicta die celebrare possint et valeant. Et idem SSmus D. N. Paulus Papa V. vivae vocis oraculo nobis facto sententiam Congregationis laudavit et approbavit ac concessit ut praedicto die festo Stigmatum s. Francisci officium et missa, ut supra, ab omnibus christifidelibus illa recitare et respective celebrare volentibus in universo orbe recitari et celebrari possit et valeat. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes manu nostra subscripsimus et soliti nostri sigilli impressione muniri fecimus. Die 28. Augusti 1615.

(Anal. J. P. 1863 pag. 138.)

Ordinis Minorum de Observantia.

S. Rituum Congregatio fratris Antonii de Heso totius ordinis Minorum de observantia Vicarii generalis piae annuens petitioni censuit posse concedi, prout concessit, ut sicut fratres minores Conventuales semel in mense prima die non impedita alio festo novem lectionum ex concessione hujus S. Congregationis et SSmi D. N. recitant officium s. Francisci, ita illius loco et vice, a toto ordine Minorum de observantia prima die cujuslibet mensis pariter non impedita (quadragesimali et dominici adventus tempore excepto officium sacrorum Stigmatum alias ab hac S. Congregatione sub die 28. Augusti approbatum libere et licite recitari possit; et ita declaravit. Die 12. Julii 1618.

(Anal. J. P. 1863 p. 446 et 493.)

4) Off. Monialium.

Bracharen.

S. Rituum Congregatio facultatem indulsit priorissae et monialibus s. Clarae Villae Condé Bracharen. dioecesis recitandi privatim officium Stigmatum s. Francisci tempore quadragesimae et adventus, non omisso tamen currenti, et quidem horis canonicis vel alias suetis, ac solemniori ritu, recitando. Die 13. Julii 1658.

(Anal. J. P. 1863 pag. 349.)

5) Translatio.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.* in mense Septembris (decr. 5194 ad 5.)

STIPENDIA MISSARUM.

1) Num acceptatio licita sit a Sacerdotibus et Ecclesiis, a quibus int. temp. destinat. celeb. non possunt?

Vd.: *Stipendia* (superflua etc.; transmissio.) *Tabella missar.*

Ad dub.: An prohibitum sit absolute, quominus accipiant novas eleemosynas illi, qui acceptis non satisfecerint; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

S. C. C. resp.: Non prohiberi absolute ac propterea, etsi omnibus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Die 23. Novembris 1697.

Ad dub.: Quid si Offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret, cum primum poterit?

S. C. C. resp.: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis omnibus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxta Benefactoris consensum celebrandis. Die 23. Novbr. 1697.

Ad dub.: An Administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi per longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio et concursus fidelium, ut ajunt, minuatur?

S. C. resp.: Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt. Die 23. Novembris 1697.

Vd.: Decr. sequ. Urb. VIII. *Declarat.* n. 14. 15.

Si de Missis adventitiis sermo sit, eleemosynae recipi non debent, nisi infra modicum tempus, scilicet *unius mensis*, celebrari possint, seu pios offerentes admonendos esse: „Tot missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent missae, quas sibi eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus missarum, quae in ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut missae per eos optatae in alia ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur; idque publico patentique loco appensa tabella omnibus nunciaretur“, veluti totidem verbis legere est in Synodo dioec. l. 13. c. ult. §. 11., ubi in §§. sequ. Resolutiones S. hujus Congregationis transscribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1783. *Anagnina.*)

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo prov. Castellae.

Pius PP. VI.

... Insuper sancivit admodum reve-

rendum definitorium, quod in nullo Conventu recipiantur missae, quae a respectiva communitate *infra triginta dies* a die accepti stipendii computandos nequeant celebrari, si vero, dum celebrantur missae jam acceptae, aliae superveniant, admitti tantum potuerunt, quae infra triginta dies satisfieri valeant, computatis iis, quae supersunt de jam acceptis; id enim cohaeret decretis Clementis Papae VIII. uti etiam illis de reformatione capite quinto, declarationi S. Congregationis Concilii relatae a Benedicto Papa XIV. in institutione quinquagesima sexta numero decimo quarto et regulis ac sensibus bonae moralis.

Si quis autem Prior vel Subprior missas ultra praefinitum numerum admiserit, irremissibiliter officio privetur.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 167. Ed. *Romae.*)

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Stricte praecipimus, ne in aliquo Conventu recipiantur plures eleemosynae pro missis, quae *intra mensem* persolvi non possint, sub poena suspensionis ab officio per tres menses Prioribus aut Vicariis infligenda. Potissimum vero Provincialibus sub poena inobedientium praecipimus, ut poenam praedictam exequantur ordinationemque nostram maximo zelo curent adimpleri. Quod non tantum de eleemosynis ab ipso Praelato receptis, sed strictius, de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Ut autem rectius observetur, Priores in Capitulo provinciali per instrumentum juratum a tribus clavariis subscriptum fidem reddere de ejus adimpletione teneantur. Qui secus fecerit in Capitulo provinciali ad officia ordinis nominari aut eligi nequeat. Prius autem Provincialis, in ejus conventu mature discussione facta, si exploratum habuerit, debito non satisfecisse atque testimonium praedictum malitiose non attulisse teneatur Capitulo provinciali rem totam in forma faciente fidem aperire.

Die 14. Martii 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 505. Ed. *Romae.*)

Ex constit. Ord. FFr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

Nullus Superior plures numero missas accipiat simul quam quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum vel a voluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis aut visitator suae visitationis tempore in perfectam hujus constitutionis expletionem sedulo inquirat et meritas poenas delinquentibus imponat; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis quotquot et acceptae et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero Prior generalis aut ejus vicem gerens hanc remissius inquisitionem exequatur a generali Capitulo severe puniatur, et postquam praefecturam absolverit, voce activa et passiva per tres menses privetur.

Teneatur etiam quisque consiliariorum socio, qui a suo Conventu ad generale Capitulum iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram Capitulo patescat, utrum soluta an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum sive manualium, ad id usque temporis in monasterio acceptorum, proindeque

congruat istius Priorem absolutum aut punitum dimittere.

Die 17. Martii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 28. Ed. *Romae*.)

Urbanus PP. VIII. *)

1. Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter caeterum fomentum praebeat aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis sorte pecuniarum absumpta plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam charitatique ac justitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc deterrimum abusum e christiana republica convellere atque eradicare, SSmi D. N. Urbani divina providentia Papae VIII. auctoritate sibi specialiter attributa infrascripta decreta edidit:

2. Ac primo districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

3. Deinde ubi pro pluribus missis ejusdem qualitatis celebrandis stipendia quantumcumque incongrua et exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus ac Locis piis quibuscumque, tam Saecularibus quam Regularibus Sacra Congregatio sub obtestatione divini

*) Notandum, quod loquuntur decreta Urbani VIII. etc. de Missis manualibus ac trahi fortasse nequeunt ad eas celebrandas ex fundatione capellaniae, juxta *Piton.* de controv. patron. alleg. 67. num. 8. ibi: „Neque obstare puto decretum Urbani VIII. super celebratione in ea parte, in qua disponit, sacerdotem, cui commissa fuit celebratio missae cum certo stipendio non posse committere missam alteri celebrandam cum minori stipendio, quam acceperit, quia loquitur de missis manualibus, neque applicatur ad missas fundatas seu capellanias, ubi Capellanus dicitur dominus fructuum capellaniae". Et ratio est, quia assignata censetur eleemosyna in capellaniis ratione sustentationis capellaniae. *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. quaest. 970., *Amost.* de caus. piis lib. 2. cap. 4. de miss. earumque stipen. num. 31.

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Augusti 1792. *Nullius s. Salvatoris.*)

judicii mandat ac praecipit, ut *absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.*

4. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate *revocat privilegia* et indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac Locis piis, tam Saecularibus quam Regularibus cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, *ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus Collectis seu orationibus plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*


5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, *ne eamdem missam alteri, partem ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.*

6. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac Locis omnibus, tam Saecularibus quam Regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis statim deponi debeant penes Aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

8. Ac haec S. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus et Congregationibus, nec non omnibus et singulis Ecclesiarum ac piorum Locorum, tam Saecularium quam Regularium, Superioribus vel aliis, ad quos pertinet, distincte *prohibet ne imposterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, Saeculares quidem sine Episcopi vel ejus generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia* in scriptis et gratis concedenda; alioquin Saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda vocisque activae ac passivae absque alia declaratione incurrat.

9. Eleemosynas vero *manuales et quotidianas* pro missis celebrandis ita demum iidem *accipere possint, si oneribus ante impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant*; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa: Eleemosyna pro missis, vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.




10. Episcopus vero seu ejus Vicarius, aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiae aut Loco pio incumbentibus; nec autem assensum hujusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis et Locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die hujus praetermissi muneris rationem esse redditturos.

11. Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant reditus et eleemosynae cujusque Monasterii, inhaerentes Summorum Pontificum ac sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, SSmi D. N. auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus Regularibus sui ordinis vel Congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum et Domorum ejusdem Provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas in communem usum deinceps conferentes, decem annorum inmediate praecedentium habita ratione, diligenter et maturo recognoscant iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, sterilitates aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere. . . . . .

12. Eaque omnia scripto fideliter exarata idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo seu Congregatione Generali vel Provinciali coram tribus judicibus ab ipsomet Capitulo seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis et oneribus, ut supra detractis, sedulo examinent, quod religiosi homines, connumeratis etiam laicis aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio et Domo regulari, juxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum reddituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet Capitulo seu Congregat. exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiae Monasterii, Conventus ac Domus regularis, in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus Patrum Capitularium voto, praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

13. Ne vero Superiores, qui id praestare debent, serius aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant: mandat S. Congr. ut infra annum post proximum Capitulum generale vel



provinciale computandum omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam reducta ad S. ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

14. Numerumque familiae singulorumque Conventuum, Monasteriorum et Domorum hujusmodi Regularium, Capituli seu Congregationis generalis vel provincialis sententia et auctoritate praefinitum iidem Superiores, tam Generales et Provinciales omnes quam Locales, perpetuo servare omnino tenentur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti reddituum absque S. ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint vel numerum, ut supra praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae ac passivae et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere atque aliis, etiam gravioribus, a Sede apostolica infligendis poenis S. Congreg. subjacere voluit et declaravit.

15. Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religiosorum seu Regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi degere et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum Decreti fel. recor. Gregorii XV. hac de re editi: alioquin Monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, Ordinarii Loci Visitationi, Correctioni atque omnimodae Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

16. Porro ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem abeant, Superiores Locales cujusque Monasterii, Conventus ac Domus regularis curare atque efficere teneantur sub poena privationis officii vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post Octavam Corporis Christi praesentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

17. Omnibus tam ecclesiasticis personis cujuscumque honore et potestate praeditis praesentia Decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta.

18. Non obstantibus etc.

19. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem S. Congregatio, ut praesentes ordinationes in Valvis Basilicarum s. Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe ac in Acie Campi Florae, ut moris est, affixae omnes, ad quos pertinent, ita arctent et afficiant ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Utque eorumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae die 21. Junii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Declarationes.

Excitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis prodierunt a memorata Congregatione, simili auc-

toritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendae.

Super primo S. Congregationis decreto de celebratione Missarum, quo prohibentur ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis.

Quaeritur: Quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire et si recurrendum sit ad sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione ut possit hujusmodi onera moderari?

II. Super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint?

Quaeritur: an verba illa: *praescriptae fuerint,* intelligenda sint de praescriptione facta ab Offerente vel ab Ordinario?

III. An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur Missas illis ab Offerente praescriptas celebrare?

IV. An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellae, Legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unico Missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

V. Posito, quod Testator relinquat ut celebrentur pro ejus Anima centum Missae absque ulla praescriptione eleemosynae,

Quaeritur: An liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

VI. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Quaeritur: An verba: *in futurum suscipiendis,* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

VII. Super quarto ejusdem Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat,

Quaeritur: An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiae et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

IX. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

X. Super quinto ejusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba: eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita

satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis et capsulas auferant etc.

Quaeritur: An hoc Decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XI. Quid, si offerens eleemosynas audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

XII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptum, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

XIII.: An in hoc Decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Defunctorum et vulgo dicuntur: *Casse de' Morti*?

XIV.: An Administratores Ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, nonnisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiae et devotio ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

XV.; Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis Collegiis, Societatibus, Congregationibus nec non omnibus et singulis Ecclesiarum, piorum locorum tam saecularium quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali: *et aliis ad quos pertinet* supplicatur pro opportuna declaratione.

XVI.: Super septimo ejusdem S. Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possint sustentari:

Quaeritur: An ubi haec praefixio facta jam fuit in vim similis decreti sanctae memoriae Pauli V. absque tamen computatione redditUum cujusque Religiosi, sit denuo facienda necne?

XVII.: An novitii ad habitum regularem admissi possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita ut supra praefixione numeri commode ali non possunt?

XVIII.: Super ultimo, quo cavetur ut nullibi recipiantur Conventus Regularium nisi praeter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere et competenter sustentari valeant ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariae,

Quaeritur: An hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum ac Societatis Jesu?

Ultimo: An idem decretum, ubi disponit uti nullibi recipiantur Monasteria nisi etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes seu Responsiones ad supradicta Dubia.

S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a SSmo Domino nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit videlicet,

Ad I.: etsi legatum sit adeo tenue nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet

quod magis in Domino e re esse judicaverit: verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad II: Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem Civitatis vel Provinciae.

Ad III: Tenere.

Ad IV: Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellae, Legati aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad V: Censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem Civitatis vel Provinciae.

Ad VI: Ita esse intelligenda.

Ad VII: Permittendum non esse ut Ecclesiae ac pia loca seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et Loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII: Non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad IX: Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad X: Non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XI: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, illae ut tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad XII: Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel ejus Vicarii generalis aut Generalis vel Provincialis,

Ad XIII: Comprehendi.

Ad XIV: Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

Ad XV: Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad XVI: Numeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad XVII: Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad XVIII: Comprehendere.

Ad ultimum: Habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.
Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

(Anal. J. P. 1864. pag. 959—969; Bull. r. t. VII. pag. 307 et Bull. r. t. IV. pag. 90—96. Ed. Luxbg., t. V. pag. 89—92. Ed. 1742.)

Proponen. in Congreg. Concilii 13. Maii 1679.

De Celebratione Missarum.

SSmus. D. N. pro suae pastoralis providentiae inclito zelo animadvertens in missarum celebrandarum ommissionibus piorum fidelium voluntates frequenter defraudari malis hujusmodi obviare decrevit.

Id praesertim contigit in Regularibus et Exemptis, qui ultra conventuum et monasteriorum vires eleemosynas, quantae quaeque offerantur, pro missis celebrandis recipiunt illisque consumptis missisque non celebratis pro compositione vel condonatione in dies recurrunt.

Quoad onera quidem perpetua per decretum S. M. Urbani VIII. per hanc S. Congr. editum 21. Junii 1652, si illius observantiae invigiletur, satis forte consultum est, nisi in hoc etiam aliquid addendum videatur. Tota provisio versari debebit circa eleemosynas quae dantur ad manus.

In notula remissa suggerit fore opportunum si etiam regularibus et exemptis prohibeatur in posterum ne pro missis eleemosynas recipiant nisi prius per libros coram ordinario docuerint antea susceptis oneribus esse satisfactum deindeque de mense in mensem tam eleemosynarum susceptarum quam missarum celebratarum notulas eidem ordinario exhibere teneantur. Cum caeteroqui tabellarum in Sacristia retentio nequaquam videatur sufficere, cum praecipuus defectus consistat in manualibus eleemosynis, quae dictim obveniunt, opportunum etiam futurum suggerit si praesertim regularibus prohibeantur capsulae et liberculi, quos sacristani retinere consueverunt, mandando ne in posterum eleemosynae recipi possint nisi a superiore cum assistentia duorum Patrum gravium, imponendo poenam praesertim vocis activae et passivae non solum ad superiores locales sed etiam ad provinciales et generales in casu contraventionis. Si vero hujusmodi remedia non existiment adaequata, non graventur EE. PP. pro eorum summa prudentia decernere quod magis in Domino expedire judicaverint.

Votum Card. Casanate ad dubia S. Congregationis Concilii additionalia pro die 13. Maii 1679 de celebr. miss.

In decretis editis sub die 21. Junii 1625 ut apud Barbos. de offic. Episcopi tom. 2. pag. 56. cum tribus seq., et apud Novar. in Summa Bullar. pag. 134 cum duabus seq. optime sancitur ,,Eleemosynas manuales et quotidianas pro missis celebrandis suscipi non licere, nisi oneribus antea susceptis fuerit satisfactum, alioqui omnino abstinendum ab hujusmodi eleemosynarum receptione ac etiam capsulas cum inscriptione illa: Eleemosinae pro missis, omnino amovendas ut §. 5 eorumdem decretorum vers.: eleemosinas vero“. Nulla tamen imposita est poena in transgressores neque modus reddendae rationis praescriptus

aut animadversionis. Quinimmo sequenti anno 1626 relaxatus est rigor, quia in responsione ad X. quaesitum indulgetur receptio eleemosynarum manualium etiam non satisfactis praecedentibus oneribus, dummodo infra modicum tempus satisfiat, et in responsione ad XII. dicitur: poenas solummodo impositas quoad onera perpetua missarum. Ideo non mirum si relaxata est observantia et subrepit detestabilis transgressio quoad missas manuales.

Opportunum igitur foret ac sufficiens imponere poenam privationis officiorum ac inhabilitatis ad illa, ulterius etiam regularibus ut magis in hac materia deprehensis, poenam privationis de voce activa et passiva, quatenus formam primi decreti quoad missarum manualium eleemosynas fuerint transgressi, earumque poenarum exequutionem Episcopis aliisque locorum Ordinariis etiam contra exemptos et cujuscumque instituti regulares autoritate apostolica committere, adjecta ulterius obligatione reddendi rationem iisdem Ordinariis ipsorum arbitrio vel saltem bis in anno, prout de piis dispositionibus provide statuit S. Concil. Trid. Sess. 22 de reform cap. 8 cum seq.

Decret de la S. C. du Concile.

Scribatur Ordinariis locorum et notificetur superioribus regularibus in Urbe ut pro eorum munere incumbant pro observatione omnimode decretorum S. Cong. approbatorum per s. m. Urbani VIII. de anno 1625 et de adimplemento juxta instructionem mittendam doceant quolibet anno S. Congr. Concilii.

Die 13. Maii 1679. (Anal. J. P. 1864 pag. 981).

Projets de décret et d'instruction.

A.

Ex pluribus Christi fidelium querimoniis immo frequentibus instantiis Sacerdotum saecularium et regularium considerabilis numeri missarum non celebratarum condonationem petentium Apostolicae Sedi notuit quanti in hac materia abusus irrepserint. Ex quo piae testantium voluntates defraudantur, obstricta benefactoribus fides violatur ac defunctorum animae suffragiis privantur. Et quamvis malis hujusmodi saepe alias opportunis Decretis consultum fuerit, exigit tamen renascens malitia ut iisdem repetitis aliisque super auditis remediis radix tantopere perniciosa evellatur. Proinde S. Congr. Emmorum S. R. C. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum etiam auctoritate SSmi D. N. divina providentia Papae Innocentii XI. omnibus et singulis Episcopis, generalibus commissariis ac praesidentibus cujuscumque ordinis Regularium, Congregationis vel Instituti districte mandat ac praecipit quatenus ex eorum debito munere saedulo incumbant ut decreta hujus S. Congregationis de celebratione missarum S. Me. Urb. VIII. auctoritate edita 21. Junii 1625 ab omnibus et singulis Sacerdotibus saecularibus et respective provincialibus Ministris, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus ac Religiosis Monasteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium, cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti existentium intra fines Italiae ac Insularum adjacentium omnimode et exacte observentur ac singulis annis eamdem S. Congr. de adimplemento certiorent juxta infrascribendam instructionem: quod si negligentes fuerint, sciant se praetermissi muneris rationem esse reddituros, quodque quoad regulares eorum subditi circa praetermissa subjicientur ordinariis locorum, quibus propterea exequutio demandabitur.

Ne autem praesens decretum absolescat neve ullo unquam tempore

ejus ignorantia praetendi valeat, mandat eadem S. C. illud inseri et asservari in libris constitut. cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti declarando ulterius, quod notificatio decreti superioribus de praesenti existen. semel facta ligat omnes et quoscumque eorum successores, aeque ac si ipsis successoribus specialiter ac legitime fuisset intimatum.

(*Mss. Card. Casan.* t. VI. lett. M. pag. 52).

Instructio,

de qua est sermo in designando decreto, per Vicerium Cardinalem idiomate italico redacta est, qui in initio sermonis perturbationes ex inobedientia erga decreta S. C. C., S. ap. Visitationis et Vicariatus exortas in memoriam redigit sicut et mandatum vivae vocis S. S., ut omnia, quae res tractanda complectitur, componantur. Quapropter Eminentissimus has dispositiones ex hoc in omnibus Sacristiis observandas praescripsit.

1) Duo libelli efficiantur; in quorum uno describendae sunt obligationes perpetuae cum designatis capellanis vel administratoribus, qui occasione absentiae capellanorum vel vacaturae funguntur, ne oriatur interruptio onerum complendorum; in altero discribentur missae manuales designando intentionem benefactoris eleemosynam pro missa celebranda offerentis, e. g. pro defunctis, in honorem alicujus Sancti vel etc. Quoad easdem obligationes omnis sacerdos, qui missam fundatam persolvit vel persoluturum pollicitur, et nomen et diem designet quo obligationem compleverit.

2) Superior ecclesiae designet sacristam vel aliam arbitrio suo eligendam personam, quae praesente benefactore eleemosynas manuales accipiat, in libello ad hoc designato describat et in capsula separata reponat.

3) Capellani fundationes perpetuas explere demandati obligationibus ipsi religiose satisfaciant sicut et eorum Substituti, qui funguntur occasione justi impedimenti; itidem celebrationem missarum obligatoriarum nec differant nec eas deperituras esse permittant.

4) Missae, quae in specialiter designata ecclesia vel altare celebrandae offeruntur, nec in variis ecclesiis nec altaribus persolvantur.

5) Syndicus apostol. monachorum mendicantium etiam Capuccinorum in libello eleemosynam et oblata, quae ei offeruntur, praesente benefactore designet et postquam missae sunt celebratae, Sacrista eas in alio libello describat, qui cum eo sub n. 1. designato concordat. Denique superior localis eleemosynas vel oblata a Syndico designata in tertio libello describat.

6) Praeter hoc praescriptum modum missas mendicare vel legendas offere nemini licet, nam alias earum implementum nullatenus est certum.

7) In fine mensis uniuscujusque Superiores saeculares et regulares missas fortuito oblatas reputent, quae ex eis in mense subsequenti celebrandae sint, ut cito impleantur; est enim interdictum plures acceptare missas, quam quae infra spatium *unius mensis* praeteriti nondum sunt impletae.

8) Quae quidem praescriptiones Sacristas, Superiores locales, clerum omnesque ecclesias saeculares sub poena viginti quinque scutorum piis locis applicandorum obligant, Regulares vero sub poena privationis munerum, perpetuae inhabilitatis alia obtinendi et vocis activae et passivae sine praejudicio aliorum atque aliis arbitrio Vicarii Cardinalis poenis imponendis.

Animadvertemus infra hanc instructionem in primo edicto approbatam

et a Secretario Visitationis apost. sub Clem. PP. XI. anno 1704 esse publicatam.

B.

Perché le provisioni altre volte fatte per decreti della Sacra Congregazione e della Sacra Visita Apostolica, edanco del nostro Tribunale concernenti la celebrazione delle messe tanto perpetue come manuali, oltre la puntuale esecuzione che devono avere trovino anco pronte la giustificatione dell' ad empimento, per ordine espresso della Santita di N. S. datoci a bocca abbiamo voluto prescrivere la forma di dette giustificazione da osservarsi in tutte le sagrestie delle chiese etc. Ed è

1) Che si abbiano a tenere nelle sagrestie due libri in uno dei quali siano notati conordine tutti li pesi ed obblighi perpetui per l'adempimento dei quali s'assegnino particolari capellani ed in vacanza, o impedimento se ne sostiturianno altri, quali a giorno, o nei tempi, che sono prescritti dalle lascite dei fedeli debbano di propria mano notare il giorno, mese ed anno nel quale avranno celebrata la messa. Nell' aitro libro poi si noteranno l'elemosine manuali con notificazione della causa in che sono date cioé per messa di defonti, di tal santo secondo l'intenzione, o altro e semilmente di contra di detta annotazione d'elemosine s'esprime da celebranti l'adempimento della forma ingiunta da che ha dato l'elemosina con sottoscrizione del medesimo celebrante comedi sopra delle messe perpetue si è detto.

2) Che queste elemosine di messe manuali si notino al libro, e si ponghino in una cassetta distinta per il ricevimento di esse, il tuto a visita di chi avra data l'elemosina quale non possa riceversi, se non dal sagrestano o alto depositario, che sara a ciò destinato dal superiore della chiesa.

3) Che li Capellani assegnati per la sodisfacione dell' obblighi perpetui non possimo per qualsivoglia urgente causa ancorche d'esequie di defonto esposto in chiesa posporre la precisa e dovuta sodisfazione pel suo obligo se non in caso di legittimo impedimento e con sostituire altro, che adempia in suo luogo in modo, che non s'alteri ne si differisca la celebrazione che a lui tocca.

4) Che le messe lasciate a dirsi in chiesa o altare particolare non possono celebrarsi in altre chiese o altari se non a quelle o quelli contemplati da chi ha data l'elemosina, ogni volta che non vi sia qualche indulto o privilegio particolare in contrario.

5) Che il Sindaco chiamato Apostolico de religiosi mendicanti etiam Cappuccini quali non possono ricevere denaro, debba avere un libro dove a vista dell' offerente o benefattore debba descrivere tutti li danari, e robbe, che si daranno per celebrazione di messe, ed il superiore locale parimenti debba avere un simile libro per registrare tutte le polize e robe, che ricevera da detto Sindaco, e dall' offerenti ad effeto di celebrar messe, per la sodisfazione delle quali messe dovra il Sagrestano tenere libro o libri nella conformita che si dice di sopra accio che sempre apparisca la specifica sottisfacione di quelle.

6) Che non sia lecito a qualunque persona tanto religiosa come secolare fuori di questo modo prescritto questuare o ricevere elemosyna tanto in danaro come in robbe in celebrare messe, advertendo li fedeli quali fuori di questo modo daranno elemosyne per messe, che non saranno sicuri della soddisfacione.

7) Che nel fine di ciasum mese tanto i superiori secolari quanto regoiari debbano rivedere l'obblighi delle messe per eleemosyne ricevute, per

sodisfarle onninamente nel mese futuro con proibizione o interdetto di non poterne ricevere più del messe susseguente finchè non avrano sodisfatto all' oblighi dell' elemosine date nel mese passato, e conoscendo non potere commodamente adempire nelle loro chiese le messe per le quali viene lasciata l'elemosina, lascino onninamente di riceverla perchè non resti defraudata l'intenzione di chi l'offerisce o piú lungamente del dovere pro crastinato di sottisfare all obligo che vien loro imposto dall' intenzione dei decreti.

8) Tutte le quali e singole cose dovranno adempire, ed inviolabilmente osservare tanto li superiori locali, come li sagrestani sotto pena per il Clero, e chiese secolari a scudi 25 per ogni contravenzione da applicarsi ai luoghi pii, e per li regolari di privazione de loro officii e di perpetua inabilita d'ottenerli in avvenire ed anco di voce attiva e passiva senza altra dichiarazione precedente ed altri tanto come per l'uni come per l'altri a nostro arbitrio. Datum Romae ex aedibus nostris hac die . . . . . (*Mss. Casanat.* t. VI., lett. M. p. 54).

Vota Emorum PP.

Die Martii 26. 1860 in aedibus Em. Fachenetti habita fuit Sacra Cong. particularis super negocio missarum non celebratarum propositisque tribus dubiis seu inspectionibus in folio descriptis

Emmus Fachenettus

censuit expediendum decretum A cum instructione B illudque ubique observandum, non solum in Italia. Caeterum Rev. Fabrica S. Petri prosequatur in compositionibus faciendis.

Emus Othobonus

censuit: quoad onera et legata perpetua sufficienter provisum. Quo vero ad eleemosynas, quae dantur ad manus, delendam esse praefationem decreti A utpote quae videtur injuriosa sacerdotibus et potius dicendum ut securius ac tutius adimpleatur mens testatoris, donatoris etc.“

Circa idem decretum animadvertit non esse possibile, quod observetur conditio illa de dandis eleemosynis Sacristae vel Superiori, quia fidelium devotio arctaretur iique ut plurimum dant sacerdotibus benevisis.

Suggessit tamen e re futurum si hoc ponatur inter casus reservatos et quod obligati sunt ad restitutionem.

Rursus praescribi posse, ut unusquisque Superior localis in fine officii reddat rationem Capitulo de eleemosynis perceptis et de adimplemento sub poena privationis vocis activae et passivae, dum caeteroquin existimat clausulam illam de subjiciendis regularibus Episcopo esse delendam. Quo vero ad parochos posse cogi sub poena suspensionis et Episcopi partes erunt in actu visitationis de istis inspicere. His aptatis pro observantia resolutionis scribendum ad omnes, non solum pro Italia, et Rev. Fabrica prosequatur. Descendendo itaque ad dubia proposita respondit:

Ad 1: *Minuenda et respective addenda supra notata.*

Ad 2: *Edendum decretum pro toto orbe.*

Ad 3: *Providendum in casibus particularibus prout hactenus fuit servatum.*

Emmus Pius

stetit in voto Emmi Othoboni.

Emmus Carafa

censuit videndum de qualitatibus onerum, quae distinguantur per capita in missis perpetuis, et in sola Italia.

Emmus de Carpineo

ad 1. respondit: distinguendum pro missis perpetuis ut ad proximum.

Ad 2: Edendum pro toto orbe.

Ad 3: Salvis juribus Rev. Fabricae S. Congr. Concilii procedat juxta solitum.

Emmus Columna

ad 1. respondit: non esse necessarium decretum sed observantiam jam editorum; sed quatenus requiretur moderandum, etiam juxta sententiam Emmi Othoboni.

Ad 2: Edendum pro toto orbe.

Ad 3: Providendum in casibus particularibus.

Hac occasione consideratum fuit difficultatem etiam orituram ab ordinibus datis de non promovendo ad titulum patrimonii, quoniam, quo minor erit sacerdotum numerus, eo major erit numerus omissionis missarum.

Votum Patris Lamiae Procuratoris Generalis Congregat. Canonic. Lateranensium.

Quid dicendum sit de Missis, quae omittuntur, et quale remedium adhibendum sit, ne imposterum omittantur.

Onera missarum *ex fundatione* instituta vel negliguntur, quia redditus attenuati sunt et nullum remedium nisi reductio, unde posset S. C. ordinare Episcopis et Regularium praelatis, ut exponerent similia onera in eorum ecclesiis respective subjectis ad effectum illa reducendi.

Vel negliguntur eo quia collegium non tenet numerum sufficientem sacerdotum pro celebratione missarum. Huic jam applicavit remedium Sac. Congr. in Decreto anni 1625. §. postremo, ibi taxando cuique monasterio numerum regularium sufficientem onera portare juxta quantitatem reddituum seu eleemosynarum. Unde nil peragendum de novo, nisi inquirere an observetur.

Vel negliguntur, quia nova onera recipiuntur, cum vix numerus taxatus sacerdotum sufficiat pro oneribus jam antiquitus impositis. Huic malo subvenit in §: *Ad haec,* ubi prohibet susceptionem onerum similium cuicumque Collegio, quovis nomine nuncupetur, sine licentia superiorum respective modum suscipiendi onera de novo.

Vel denique omittuntur, qui eleemosynae in pecunia numerata vel mobilia consumantur in alios usus et ipsis expensis ac decoctis non remanet capitale fructiferum, et sic negligitur missarum celebratio.

Huic occurrit etiam S. Congreg. in §: *Praeterea*, ubi vult statim deponi hujusmodi pecunias vel mobilia penes tertiam personam, donec implicentur in bonis immobilius fructiferis etc.; certe non ob aliam rationem praeter expressas mihi videtur posse omitti missarum perpetuarum celebratio. Unde cum provisum jam sit, sufficit nunc exigere observantium decreti.

Onera missarum *manualium* vel negliguntur quia administratores Collegii recipiunt eleemosynas pro novis oneribus et non possunt intra modicum tempus istic satisfacere, eo quia sunt antiquis etiam nunc onerati et sic tractu temporis redduntur impotentes etc. Huic manum posuit S. Cong. in citato §: *Ad haec*, ubi prohibet cuicumque novas eleemosynas recipere nisi satisfactis prioribus oneribus. Et rursus se declarat in responsione ad undecimum, ubi concedit posse quidem novas eleemosynas recipere dummodo possint prioribus satisfacere intra modicum tempus. *In praesens posset declarare S. Congr. quid intelligat pro modico tempore.* Doctores fere communiter intelligunt spatium duorum mensium ad summum. Ita Quartus in rubricis Missal. Appendice de sacrificio punct. primo difficult. 2, ubi dicit quod colligitur ex Can. *Praesertim* 7. q. 1 et ex Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1. docentibus absen-

tiam Parochi per duos menses a sua parochia esse modicum tempus. Unde doctores, quos ipse Quartus citat, deducunt etiam in celebratione Missarum dictam dilationem esse modicam.

Vel non celebrantur missae manuales quia sacerdotes avaritiae studentes attenuant stipendia recepta retinendo sibi partem pitantiae et alteram tradendo sacerdoti ut celebret; hic vero ob tenuitatem stipendii non curat missam celebrare. Huic pariter subvenit S. C. in §. *Ac similiter*, ubi prohibet retinere partem stipendii et se explicat in responsione ad 7., similiter in §. *Deinde* vult, ut cuicumque stipendio etiam exiguo debeatur una missa, et sufficienter super hoc se explicat in responsione ad 2. Hoc tamen non obstante, ut etiam collegiis et sacerdotibus imposterum provideat de justo stipendio in §. *Ad haec*, prudenter ac sanctissime praecipit, ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae.

Vel omittuntur missae, quia ex privilegio poterant aliqui unica missa satisfacere pluribus et etiam poterant pluribus collectis seu orationibus in una missa recitatis coaequare celebrationes plurium missarum. Hoc pariter privilegia quibusvis personis et quavis causa concessa omnino revocat et annullat.

Vel tandem omittuntur missae quia malus sacerdos illas vult omittere, plures eleemosynas congerit, licet sciat se peccare mortaliter et teneri ad restitutionem, ut ipsum docet S. Congr. in eodem decreto §. 1; sed huic malo quod remedium? Qui sprevit primam legem forsan secundam servabit? Suspendio puniuntur fures et sub ipsa furca fures novi enascuntur.

Attamen dico, quod sicuti quoad commutationem oneris omissio missarum est casus reservatus Papae ad quem delinquentes necessario recurrere debent, ut supra diximus §. 2. assertione 2., ita quoad absolutionem posset declarari casus reservatus superiori immediato, ad quem tantum deberet reus mitti in brevi commutantem onus, sicuti nunc solet delegari aliquis ex doctoribus Theologis ad confessiones approbatis ab ordinario.

Multis de causis mihi suadetur fore optimum hocce remedium:

1) Quia non minus in hoc casu quam in aliis reservatio esset fraenum cohibens licentiam delinquentium.

2) Quia superior immediatus tamquam medicus assistens infirmo cognoscit naturam, causas et symptomata morbi et sic potest applicare congruens remedium ad sanitatem ultra onus impositum a Pontifice in comnutatione;

3) Quia superior immediatus sciens facultates delinquentis posset ipsum compellere ad restituendum et posset monere collegium, si illud esset obligatum pro ministro, unde fieret restitutio ejusdem in eodem, non tantum fieret in aeqivalenti.

4) Denique loquendo de regularibus, quibus res permittuntur ad usum, puto esse omnino necessarium hoc remedium, quia quousque monasterium possidet rem alienam bona fide (puta ornamenta Ecclesiae, constructionem fabricae et alia hujusmodi facta in praedictis eleemosynis) non tenetur ad restitutionem, nisi prius constituatur in mala fide, quod fit per notitiam rei alienae a se possessae. Idem dicerem si monasterium possideret aliquid causa illius regularis, puta substantias haereditarias vel acquisitas ejus industria, concionando, legendo etc.

Neque dicas, quod superior uteretur scientia confessionis cum gravamine

poenitentis, quod fieri nequit ex decreto S. Congr. universalis Inquisitionis sub die 18. Novembris 1682. Respondeo enim negative, quia nullum esset gravamen poenitentis; qui ideo confitetur superiori, et dat pecuniam restitutam confessario, non potest dici gravatus. Addo etiam specialiter regularem non posse dici gravatum neque per usum scientiae neque per applicationem remedii, quia ex vi suae professionis tenetur pluries in anno ad nutum superioris ipsi revelare non solum quantitatem et pretium rerum eidem permissarum ad usum, sed etiam credita et debita. Hoc stante quod debitum magis urgens revelare suo superiori, quam illud quod contraxit ex talibus eleemosynis sic perceptis.

His igitur positis ad tria quaesita proposita sic responderem;

Ad 1: Non esse faciendum novum decretum, sed instandum in observantia primi, in quo quid ultra potuit facere S. Congr. et non fecit, ut constat ex dictis.

Ad 2: Pro casibus elapsis procedendum esse a S. C. et a Fabrica s. Petri, prout hactenus. Pro futuris vero declarari posse inobservantiam decreti esse casum superioribus reservatum.

Ad 3: Ubique terrarum instandum pro ejus observantia, quia ubique serpit malum. Sic v. g. posset ordinare ut ab ecclesiis certiorarentur episcopi et superiores respective, ab his vero certioraretur ipsa S. C. Concilii quotannis de hujusmodi onerum satisfactione.

(*Mss. Card. Casan.* t. VI. p. 67.)

Votum Patris Dominici Carmelitae discalceati.

1. Agendo de remediis adhibendis ne deinceps tanta et tam frequens contingat missarum omissio sive culpabilis, sive inculpabilis dico prudentissima et optima esse illa quae offerunt in decreto S. Cong. Concilii Tridentini edito die 21. Apr. 1623 et primo, quod revocatis omnibus in hac re privilegiis aut juribus ad alios spectantibus soli summo pontifici fuerit reservata.

An autem si novum fiat decretum vel Bulla, in quo statim reservari quoque illi debeat hic casus inobservantiae, magni ponderis esse non crederem sed sufficeret poena istud violantibus jam imposita, potius reservandum esset peccatum eorum qui culpabiliter et malitiose consumerent imposterum missarum stipendia et inde illas omitterent.

Hujusmodi vero consumptio tunc maxime culpabilis ac malitiosa censenda esset quando fieret animo habendi compositionem a Rev. Fabrica S. Petri, quae idcirco tunc illam admittit, vel quando mali sacerdotes nec non superiores aut alii, ad quos pertinet onera Missarum suscipere et illis satisfieri curare, vellent tantum illas omittere vel absolute vel etiam illas intra praescriptum tempus non celebrare congerendo novas semper Missarum eleemosynas, quamdiu sciant se peccare mortaliter.

Talis peccati reservatio Summo pontifici vel Sacrae Poenitentiariae satis persuadere videtur tum illius gravitas dum in decreto teterrimus vocatur abusus, tum quia, ne ita facile deinceps committeretur, non mediocre fraenum esset.

2. Quia, loquendo de Missis perpetuis, earum ommissio provenire potest vel ex eo, quod illarum onera cum nulla aut parum sint utilitate conjuncta vel nova earumdem onera recipiantur, plus quam per taxatum sacerdotum numerum satisfieri possit. His abusibus decretum viam sufficienter praeclusit §: *Praeterea* et §: *Ad haec.*

Solum advertendum est circa verba in hoc §. contenta de eleemosynis

manualibus et quotidianis pro missis celebrandis, scilicet accipi posse si oneribus antea impositis ita satisfactum fuerit ut nova quoque onera suscipi valeant, alioquin omnino abstinendum esse ab hujusmodi eleemosynis et sponte oblatis in futurum recipiendis: advertendum inquam circa haec verba dubitatum fuisse an prohibeant absolute quominus accipiant eleemosynas qui acceptis non satisfecerunt et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere. Responsum autem fuisse non prohiberi absolute ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Per modicum tempus, quantum sit intelligendum, omnino determinandum est et non relinquendum unius cujusque arbitrio, rationabile autem videtur esse illud *duorum saltem mensium*, conformiter ad Concil. Trid. Sess. 23 de refor. cap. 1., ubi absentia parochi per duos menses a sua parochia modicum reputatur tempus.

Insuper cum in responsione ad 11. dub. habeatur quod quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non perhibeat, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxta benefactoris consensum celebrandis. Valde conveniens mihi videretur quod ad omnem tollendam fraudem nec non occasionem calumniandi illas accipientem, quasi decreta violasset, specialem de praefato consensu mentionem fieri juberet in libro missarum, praesertim quando magnus esset illarum numerus.

3. Quia omissio missarum manualium praesertim inter regulares oriri potest ex majori eorum numero quam ferunt redditus et eleemosynae cujusque Monasterii; huic etiam malo debitum adhibuit remedium decretum §. postremo.

Si dicatur dicta remedia posse esse nociva, quatenus possunt retrahere fideles ab elargiendis eleemosynis pro celebrandis missis, respondeo id minime sequi imo potius contrarium, servata enim debita benefactoribus charitas et justitia in celebrandis missis eo magis excitabit corda eorum in erogandis eleemosynis.

Sed esto quod aliqui id non facerent, hujusmodi incommodum nullius est momenti respectu gravis injuriae, quae contra praefatas virtutes fit illis, qui stipendia offerunt pro missis pro se dicendis, ita ut tot dicantur quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae sunt et tamen omittuntur.

Quare S. Congr. ut tantum deinceps malum impediret, proportionata, qualia sunt dicta, remedia jure merito adhibuit et eorum observantiam quantum potest intendit.

Ad cujus majorem adhuc perfectionem valde expediret quod novum saltem fieret decretum universale et responsionibus ad dubia super illud aliisque de novo animadversionibus compositum ad majorem explicationem, nec non etiam condemnarentur opiniones docentium sacerdotes posse saltem accipere duo stipendia pro una missa vel applicare uni partem solitam et alteri partem quae correspondet ipsi sacerdoti vel indulgentiae. Sed melius foret si concederetur bulla vel Constitutio apostolica universalis: primo ratione gravitatis mali, secundo ratione universalitatis, tertio quia pluribus in locis non recipiuntur congregationum decreta, ubi cum reverentia pontificiae acceptantur bullae.

Ita salvo semper meliori judicio ego censeo pro mea tenuitate.

(Mss. Casanat. t. VI. M. p. 67.)

Votum P. Esparza S. J. circa eleemosynas pro Missis.

1. Videtur omnino necessariam pro rei maximo momento decretum universale pro toto orbe, ut plerique Emmi censuere. Imo est opportunior Bulla Pontificia, cujus haec est materia decentissima atque fideles multo magis et quod caput est reverentur universalius Bullam Pontificiam.

2. Idea seu decreti seu bullae est optima, quae habetur in directione Emmi Vicarii, in qua tamen videretur distinguendum inter eos, qui dant eleemosynas et imponunt onus missarum communitati alicui sive saeculari sive regulari, et inter eos, qui agunt cum singulis seorsim sacerdotibus, ut videlicet priores contractus notentur in libris prout in directione, posteriores non perinde necesse sit notare; distinguendum rursus inter eos, qui ex obligatione aliunde sibi imposita tenentur ad erogandas eleemosynas pro missis, et inter eos, qui illas erogant ex propria spontanea devotione aut voto, ut videlicet priores teneantur accipere syngrapham satisfactionis mutuae eamque exhibere suo quisque superiori; posteriores ad id non teneantur de necessitate.

3. Taxa poenae pecuniaria pro singulis transgressionibus sacerdotum secularium videbitur committenta episcopis in synodo dioecesana, ut eam statuant et publicent juxta conditionem cujusque regionis. Sed melius forte statueretur universaliter lege inserta in decreto aut bulla, ut transgressor solvat in poenam plus decuplo v. g. quam surripuerit ex missis injuste omissis. Sacerdotes vero, qui non fuerint solvendi, patiantur vel reclusionem vel suspensionem vel obsequium hospitalis per tot determinatas dies vel quid simile.

4. Respectu regularium privatio vocis activae et passivae quoad aliquos videtur poena nimis levis, quoad alios nimis gravis et nonnunquam in praejudicium etiam communitatis. Nimis quidem levis quoad aliquos imo quoad plerosque, quia plerique religiosi sunt tam parvi, ut nullam omnino habeant spem quod possit illis aliquando prodesse vox passiva, vocem vero activam habeant serviliter in obsequium fere involuntarium magnatum ut sic dicam Religionis. Nimis vero gravis ac vehemens erga quosdam alios, qui ad maxima quaeque nati et in praecipuis muneribus antecedenter occupati cum utilitate communi, non possunt privari voce activa et passiva absque ingenti moerore et absque nota valde praejudiciosa, quia et religio ipsa patietur nonnunquam detrimentum non leve, si habeat, velut emortuos, homines alioquin utilissimos pro directione et gubernatione aliorum, idque propter transgressionem unam vel aliam in missis, quae non raro contingit ex negligentia non admodum culpabili et cum praetextu indigentiae propriae aut communitatis nec non distractionis eleemosynarum ejusmodi, alioquin piae possent igitur poenae infligi in alium modum, ut reclusio per tot dies, tot jejunia, genuflexio continua tempore officii etc. per tot horas ac dies etc.

5. Regulares comprovinciales seu qui sunt ejusdem provinciae, facilius sibi invicem convivent propter dependentiam mutuam in Capitulis et quoad officia mutua saepe occurentia, et contingit esse complices superiores et subditos quoad usurpanda stipendia missarum; quapropter expediret, ut concederetur facultas specialis et imponeretur obligatio generalibus religionum accipentium stipendia missarum, admittendas singulis quinquenniis vi-

sitationes ex aliis in alias provincias cum facultate speciali revidendi rationes missarum et puniendi juxta modum praescriptum modo in numero praecedenti. Circa praecedentem missarum omissionem seu culpabilem seu non culpabilem mihi occurit aliud quam quod semperrespondetur in sacra Poenitentiaria, nempe ut hi, ad quos pertinet, quantum et quomodo possunt, satisfaciant. Quae enim producunt quoad compositiones in allegato pro Fabrica revereri magis debeo, quam possim approbare. Res est ut ingenue fateor et humiliter apud me valde difficilis.

(*Mss. Card. Casanat.* t. VI. M. pag. 65.)

Votum du P. Angeli Memanni, de la Campagnie de Jésus.

Ce *votum* comprend six articles, qui se resument ainsi:

Modification de l'escorde du décret, dans le sens du cardinal Ottoboni, car toutes les omissions de fondations ne sont pas coupables, puisqu'elles proviennent ou de la perte ou de la diminution des revenus aux quels ces charges sont annexèes.

Explication au sujet de l'aumône que les simples prêtres peuvent recevoir, car souvent elle est relative a leur personne même.

Facilité d'accepter des messes pour le mois suivant, quand le mois précédent n'est pas encore acquitte', mais en ayant soin de prévenir les fidéles de ce retard.

Rejet de la privation de voix active et passive pour les religieux et d'une amende de vingt-cinque écus pour les séculiers; substitution de reclusion, du fouet et de jeûnes. L'infraction réservée pour l'absolution, soit à l'évêque ou au supérieur, soit au Pape.

Recours, pour les fautes passées, a la S. C. du Concile ou la Sacrée Pénitencerie; affectation des amendes exigées, non plus à la Fabrique de s. Pierre, mais à la célébration de messes, ce qui est conforme à la volonté des testateurs.

Enfin, résumant sa pensée dans trois responses aux questions proposées, le P. Esparza insiste pour qu'un décret général soit rendu et q,uil soit insére dans une bulle pontificale.

Votum P. Angeli Alemanni e Societate Jesu.

Circa Decretum A. et Instruct. B. haec ea quae par est summa reverentia propono.

1. In Decreto A. mutari posset exordium juxta votum Emmi Ottoboni, praesertim cum omissio in celebrandis missis perpetuis plerumque oriatur non ex malitia aut negligentia Sacerdotum, sed ex magna immutatione aut totali amissione reddituum, quibus annexa est haec obligatio celebrandi, ut patet ex instantiis petentium condonationem missarum non celebratarum.

2. In Instructione B. videtur in 2. §. explicandum quod non intendat S. Cong. prohibere privatis sacerdotibus eleemosynas pro missis celebrandis accipere; dantur enim istae saepe a fidelibus in gratia ipsorum sacerdotum. Idem explicandum videtur in 7. §., alioquin arctaretur devotio fidelium et pauciores longe eleemosynae darentur pro celebrandis missis.

3. In eadem instructione §. 8. non videtur omnino prohibendum ne eleemosynae pro missis manualibus accipiantur mense subsequenti nisi sint prius celebratae omnes missae pro eleemosynis acceptis mense praecedenti. Cum enim non pauci sacerdotes saeculares vivant de his eleemosynis et istae uno mense copiosae sint, alio saepe nullae, redigerentur iidem sacerdotes in non leves angustias. Videtur igitur sufficere si teneantur de-

clarare eleemosynas offerentibus quanto tempore necesse habeant differre celebrationem missarum. Ita enim nullatenus defraudabitur intentio fidelium eleemosynas praedictas offerentium.

4. In ultimo §. privatio vocis activae et passivae, omissio officiorum et inhabilitas ad eadem iterum obtinendi est poena fere gravissima, quae infligi non posset Regularibus, mulcta vero vigintiquinque scutorum est poena levis respective sacerdotum saecularium praesertim si habeant redditus non adeo tenues: videtur igitur poenas imponendas utriusque generis sacerdotibus ad aequalitatem reducendas, ut ubi par est culpa, par etiam sit poena, ut esset exempli gratia inclusio in carcere etc. aliquot dies pro Regularibus aut flagillationes et jejunia, quae utpote leviores quam praefata privatio vocis activae et passivae amissio et inhabilitas magis correspondent mulctae 25 scut. impositae saecularibus pro singulis transgressionibus. Addoque eidem privatio, amissio et inhabilitas non solum est gravis poena respective ad singulos Regulares, sed etiam vergit in grave damnum totius religionis, quae non poterit uti hominibus aptissimis ad gubernationem et directionem religionis utpote voce activa et passiva privatis ob transgressionem, saepe quidem contingente sed vero admodum culpabile in omissione Missarum, quodquod dabitur ansa subditis accusandi superiores plerumque minus benevisos ut in poena abjectae amissionis a gubernatione et caeteris muneribus arceant.

5. Sacerdotibus tamen culpabiliter omittentibus, sive Regulares sive Saeculares sint, celebrare Missas sive perpetuas sive manuales, possent reservari casus respective Episcopo aut Superiori totius religionis aut Summo Pontifici.

6. Pro omissionibus hactenus sequutis recurrendum ad S. Congregationem Concilit et Poenitentiariae, ut hactenus: an etiam admittendae compositiones in S. Congr. Fabricae s. Petri dubitari fortasse posset, quamvis enim certum omnino sit quod de thesauro utpote infinito Ecclesiae possit Pontifex justa de causa defectum quemcumque Missarum celebrandarum pro vivis aut defunctis supplere, possit aliquod onus etiam pecuniarum imponere convertendum in aliquem usum pium etiam fabricae s. Petri, quia tantum haec in eam magnitudinem et magnificentiam exercuit, quam omnes suscipimus. Videri nonnulli poterit consultius et magis ad mentem testatoris aut donatoris, si defectuosi obligentur quantum et quomodo possunt oneri missarum satisfacere et cum ad componere admittuntur, totam pecuniam quam erogant in Missis celebrandis impendant. Quae tamen omnia meliori judicio submitto.

Ad 1. Itaque considerandum an addenda, minuenda et declaranda supranotata.

Ad 2. Edendum pro toto orbe et pro majori ejusdem Decreti robore et reverentia Bullae Pontificiae inserendum.

Ad 3. Recurrendum, ut hactenus ad S. Congregationem juxta dicta in §. sexto.

Angelus Alemanus S. J. (*Mss. Card. Casan.*, t. VI. M. p. 62.)

(Anal. J. P. 1864 p. 980—996.)

Decretum Clementis PP. XI. de eadem re vd. in art.: *Missa* (descriptio)

Alexander PP. VIII.

DECRETUM GENERALE.

SSmus D. N. audito me referente tot onera perpetua missarum omittentibus nec non manuales in maxima quantitate quaesitas captantibus et vigesimam earum partem pro obtinenda

compositione et respective condonatione in arca deponentibus, maxime in regno Portugalliae, mandavit duplex confici Decretum tam generale tam particulare pro dicto regno eaque per manus circumferri: quare utriusque exemplar annectitur quanto citius judicio E. V. corrigendum, praeterquam quoad poenas in decretis contentas et a SSmo nihil demandatas, immo si opus fuerit majores injungendas.

Attamen pro mea tenuitate, ubi justus rigor in futurum praescribitur, videtur in praeteritum consulendum animarum detrimenta, quae in hujusmodi forsan fraudulenter omissione perdurant, eo in regno Hispaniarum ut subaudivi traditione assertae facultatis apostolicae unius Missae sacrificio tamquam veri infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri.

Dignentur Eminentiae Vestrae notulas reformationis decretorum transmittere ad Secretariam Concilii SSmo Domino Nostro referendas.

Cum nihil magis in Ecclesia Dei noceat quam qui opus Dei negligenter agens nomen vel ordinem Sanctitatis et Sacerdotis habet, cujus culpa in exemplum vehementer extendit, quando pro reverentia ordinis in eadem maxime et in dies confovetur. Conquaerentibus itaque Christifidelibus de ordine sacerdotali tam saeculari quam regulari, perpetuis non adimpletis et magna quantitate manualibus missis acceptis, confisam a piis largitoribus et demandatam celebrationem missarum suarum omittente, ut in posterum tutius et securius procedendum sit in re tam gravi pro animarum suffragio neglecta sub irrationabili et malitiosa quorumdam spe condonationem a Sede apostolica seu a R. Fabrica compositionem habendi, et ut abusus hujusmodi, quotquot hucusque irrepserint, evellantur, proinde S. Congr. Emmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum etiam auctoritate SSmi D. divina providentia Papae Alexandri VIII. omnibus et singulis Episcopis, Generalibus cujuscumque ordinis vel instituti, etiam Societatis Jesu, Commissariis ac Praesidentibus cujuscumque ordinis Regularium, Congregationis vel instituti distincte mandat ac praecipit, quatenus pro eorum debito munere sedulo incumbant et exequantur decreta hujus S. Congregationis de celebrat. missarum sa. me. Urbani VIII. auctoritate edita 21. Junii 1625 et exequi faciant ab omnibus et singulis Sacerdotibus saecularibus et respectve Ministris provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus ac Religiosis Monasteriorum, Conventuum ac Domorum regularis cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti ubique terrarum existentium, ut tabellam onerum in ecclesiis exponant et exponi faciant dictaque onera missarum perpetua prius adimpleant, antequam manualia impares suscipiant, singulis annis de adimplemento in Capitulis conventualibus quibuscumque rationem reddant redditamque ad S. Congregationem transmittant sub poena in casu omissionis et non adimplementi suspensionis ipso facto incurrenda a quibuscumque et singulis, SSmo D. N. reservata nec occasione cujuscumque jubilei dimittenda, nec Superioribus localibus Regularium privationis vocis activae et passivae, depositionis ab officio aliis poenis arbitrio injungendum.

Ne autem praesens decretum obsolescat neve ullo unquam tempore ejus ignorantia praetendi valeat, mandat eadem S. Congr. illud inseri et asservari in libris constitutionum cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti et quotannis legi in singulis Parochiis et Monasteriis, declarando ulterius, quod notificatio praesentis decreti superioribus de praesenti exi-

stentibus semel facta liget omnes et quoscumque eorum successores sub eisdem poenis, ut supra contentis, aeque ac si ipsis successoribus personaliter ac legitime fuisset intimatum.

Minuta decreti in causa Portugall. celebr. Miss.

Planctu ecclesiae ac ejulatu fidelium innotuit Sedi apostolicae abusus, quo saepius in isto regno tam catholico neglectis perpetuis missarum oneribus profusiores in dies eleemosynae manuales recipiuntur, quinimo surripiantur in fraudem suffragii animarum, relicta ex his vigesima parte pro quolibet centenario, quae in arca ad id designata callide deponatur ad effectum malitiosae compositionis a R. Fabrica extorquendae, quam et quas utique facultatem admittendi habet, cum solita tamen clausula, *dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem,* alias nullo modo gratia suffragetur prout suffragari non potest nec debet. S. Congregatio, facto verbo cum SSmo, censuit scribendum Nuncio apostolico Portugallen. *eique injungendum,* ut quoscumque tam Regulares quam Saeculares inquirat, visitet, cogat ad satisfactionem in praeteritum, eorumdem tabellam in ecclesiis exponi, singulis annis in Conventibus capitularibus legi, de his omnibus rationem reddi, eidem Nuncio exhibendi et transmittendi, praedictam capsam sive arcam aboleri, compositiones hujusmodi interdici, quae non fuerint factae monasteriis et aliis locis piis tamquam haeredibus vel legetariis institutis, manuales in libro sacristiae describi et si quae receptae fuerint ab uno quoque religioso, Superiori Conventus notificari, districtius mandet et praecipiat sub interminatione praecepti divini poenisque suspensionis ipso facto incurrendis, privationis vocis activae et passivae, inhabilitatis ad confessiones et aliis ad formam et tenorem Decreti generalis de mandato SSmi emanati sub die.......

Per manus Emmorum DD. Card. Panciatici, Casanate, Marescotti, De Aghirre et Spinulae.

Ricevuta ai 8. Juglio 1690.

(Anal. J. P. 1864 p. 1019.)

Annotationes Secretarii.

Cum alias fel. record. Alexander VIII., me referente, acceperit, Episcopis et Christifidelibus ad S. Congregationem pro opportuno remedio recurrentibus, tot onera perpetua missarum omitti, tot interim eleemosynas manuales expiscari, quinimo in regno Portugalliae ex his in notabili quantitate emunctis detractam vigesimam partem pro quolibet centenario in quadam arca ad id destinata deponi ad effectum compositionis obtinendae cum Rev. Fabrica sive magis de non celebratis et surreptis obtinendae condonationis, injunctum fuit duplex efformari Decretum particulare pro dicto regno et generale pro omnibus, quorum exemplar adnectitur, EE. VV. judicio et providentia in re tam gravi alias subjectam et in hanc formam redactam, denegata tamen ex oraculo Sanctitatis Suae die 5. Januarii 1690 Episcopis in Regulares facultate inquirendi de delata poena suspensionis ipso facto, nec non de voto, de mandato SSmi, audientia habita die 18. Februarii proximi praeteriti, subjiciendum Emmis Carpineo, Casanate, Mariscotto, Coredo, s. Clementis, Noris, Sfondrato et Sacripanti praefecto ad effectum publicationis Bullae sive Brevis prout magis expedire videbitur.

Attamen pro mea tenuitate, ubi justus rigor in futurum praescribitur, videbitur in praeteritum consulendum animarum detrimento, quae in hujusmodi forsan fraudulenta omissione

perdurant, ea in illis et finitimis regionibus, ut subaudivi traditione assertae facultatis apostolicae sive opinione unius missae sacrificio tumquam veri infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri.

Die 13. Martii 1696.

In Congr. particulari EE. DD. CC. Carpineo, Casanate, Mariscotti, Colloredi, s. Clementis, Sacripanti, Sfondrati et Noricii.

Minuta decreti generalis.

Conquerentibus Christifidelibus de quamplurimis a Clero tam saeculari quam regulari, qui onera perpetua missarum jam diu legitime acceptata omittant ac majora in dies manualia ex tot eleemosynis quaesita recipiant, nec recepta adimpleant sub irrationabili et malitiosa spe condonationem a Sede apostolica sive compositionem a Rev. Fabrica consequendi, ut in re tam gravi procedendum sit, S. Congregatio Eminentissimorum etc. de ordine SSmi ad effectum hujusmodi abusus, quotquot irrepserint, evellendi et radicitus quantum fieri potest extirpandi, omnibus et singulis Episcopis, Generalibus, Commissariis ac Praesidentibus cujuscumque Ordinum regularium, Congregationis vel instituti districte mandat et praecipit, quatenus pro eorum munere sedulo curent decreta dictae S. Congregationis sa. me. Urbani VIII. auctoritate edita 11. Julii 1627 in calce praesentis decreti annectenda ab omnibus et quibuscumque Rectoribus Ecclesiarum saecularium, Cathedralium, Capitulis, Collegiatis, Gubernatoribus confraternitatum Generalis ordinum et respective Ministris provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis aliisque quomodolibet nuncupatis Superioribus Monasteriorum, Conventuum ac Domorum regularium cujuscumque ordinis s. Joannis Hierosolymitani ubique terrarum existen., *super quibus Episcopi uti apostolicae Sedis delegati cumulative cum Nunciis apostolicis inquirant, etiam contra Regulares* super celebratione et applicatione missarum, de quibus in earumdem ecclesiarum status relationibus super adimplemento sive ommissione S. C. certiorent, et Regulares non possint promoveri ad quodcumque ordinis officium nec gradum, nisi de dicto adimplemento onerum tam perpetuorum quam manualium liquido constare fecerint ideoque ad praemissa in Domino utiliter peragenda omnes et singuli praedicta tabellam onerum perpetuorum in loco magis patenti et obvio literis perspicuis ac intelligibilibus descriptorum in quibuscumque ecclesiis exponere et exponi faciant, quibus si numerus sacerdotum ad satisfaciendum consuetas non officiat, exprimere debeant in dicta tabella sese ad manualia recipienda impares esse et manualia ipsa recipere non valeant neque per se neque per interpositas personas, et dd. onerum manualium librum in sacristia asservare, dietim a quocumque celebrante adnotari et Superioris manu in fine cujusque anni de celebratione testantis subscribere teneantur, praevia jurata declaratione de non receptis manualibus per se neque per alios praeter descripta in dicto libro ac de adimplemento docere, singulis annis rationem reddere redditamque ad S. Congregationem transmittere et non casu et casibus praedictis et singulis contraventionis sub *poena suspensionis* ipso facto a quibuscumque transgressoribus singula praedicta non adimplentibus incurrenda huic S. Congregationi reservata nec occasione jubilaei sive in vim Bullae cruciatae non relaxanda et injuncta Superioribus generalibus, provincialibus et localibus Regularium ipso facto poena privationis vocis ac-

tivae et passivae, depositionis ab officio aliisque arbitrio pariter incurrendis.

Ne autem contra praesentis decreti formam et tenorem ullo unquam tempore ignorantia allegari valeat, eadem Sacra Congregatio mandat illud de verbo ad verbum inseri et inscribi libris constitutionum cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti et libros per Parochos et Ministros cujuscumque ecclesiae tam Saeculares quam Regulares pro adnotatione manualium retinendos, quos omnino retinere teneantur sub poenis in omnibus et singulis praedictis casibus incurrendis et quotannis legi in die Epiphaniae D. N. Jesu Christi et Assumptionis B. V. M., tam in singulis Parochiis et Ecclesiis quam Monasteriis, convocatis omnibus ad sonitum campanae Regularibus, ne praetextu cujuscumque ignorantiae hujusmodi decreti excusationem obtendere possint, praevia declaratione quod notificatio Superioribus de praesenti existen. semel facta liget omnes et quoscumque eorum successores sub eisdem poenis ut supra contentis ac si ipsis successoribus personaliter ac legitime fuisset intimatum praesens decretum et in omnibus et singulis praedictis casibus contravenientes nec absolvi nec ad officia ac honores religionum admitti et reintegrari valeant, priusquam ab hac S. Congregatione beneficium absolutionis et respective rehabilitationis consequantur.

(*Mss. du Card. Casanate*, t. VI. p. 461.)

Minuta decreti particularis.

Innotuit Sedi apostolicae abusus, quo saepius a quibusdam in isto regno neglectis perpetuis missarum oneribus profusiores in dies eleemosynae recipiantur, quinimmo surripiantur in fraudem suffragii animarum, sub eo et quaesito colore quod detracta ex his vigesima pars pro quolibet centenario in arca ad id designata deponatur pro componendo cum R. Fabrica, quae licet utens facultate sibi legitime competendi compositiones admittat, easdem tamen non admittit, nisi cum clausula „dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias nullo modo gratia suffragetur prout eisdem hac intentione impetrantibus suffragari non potest nec debet“. Hinc S. Congregatio etc. approbante SSmo D. N. Innocentio providentia PP. XII. censuit dandas esse literas Nuncio apostolico Portugallen. eique serio injungendum, ut quoscumque tam Saeculares quam Regulares super praemissis inquirat, visitet et cogat juris remediis ad integram satisfactionem onerum in praeteritum, non admissa ad hunc effectum opinione tenentium unius missae sacrificio tamquam infiniti valoris plurium missarum debitae celebrationi satisfieri, et in futurum eorumdem tabellam in ecclesiis exponi faciat, quae singulis annis in Conventu capitulariter legi debeat, et de celebratis rationem reddi coram deputatis, qui merita vocalium disquirunt, ac repertus in culpa non adimplementi, ad quos spectare contigerit, a vocis activae vel passivae beneficio omnino excludat et pro exclusis ipso jure habeantur redditamque rationem Nuncio apostolico exhibitam esse. Nuncius transmittat ad hanc S. Congregationem; praedictam vero capsam sive praefatam arcam aboleri ipso facto mandet, compositiones hujusmodi affectatas et seclusa via interdicat et juxta decretum S. M. Innocent. XI., quas a Monasteriis et aliis Locis piis peti contingat, prohibeat nisi fuerint d. Monasteria et Loca pia haeredes vel legatarii ex testamento instituta; manuales insuper receptas vel ab ipsis nominari recusantibus in libro sacristiae adnotari et si quae receptae fuerint ab unoquoque

religioso Superiori Conventus revelari districtius praecipiat sub interminatione judicii divini contra quoscumque et qualitercumque clam recipientes ac in praemissis singulis transgressores poenis suspensionis ipso facto incurrendis et respective privationis dictae vocis activae et passivae, inhabilitationis ad confessiones et officia aliisque arbitrio S. C. ad formam et tenorem Decreti generalis de mandato SSmi emanati sub die .... obnoxios esse decernat. (*Mss. du Card. Casanate*, t. VI. p. 460.)

Innocentius PP. XII.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Alias super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis apostolicae licentia nec non supra earumdem oneribus perpetuis suscipiendis et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis:

(Hoc Decretum Urbani VIII. vd. supra pag. 152.)

Cum autem supra praemissis diversi irrepserint abusus illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus a christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus ac emendata negligentia piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia itidemque Dei major gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur praevia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina prövidentia PP. XII. ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata et postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita et examinata redidit.

In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis, penitus observari et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

Insuper, uti in re tanti momenti consultius ac majori, ut par est, circumspectione procedatur: si qui forsan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes Missarum celebrationem omittant sub malitiosa vel irrationabili spe, earundem condonationem a Sede apostolica vel compositionem a Reverenda Fabrica s. Petri de Urbe obtinendi, Congregatio praefata tum eosdem tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis et praesertim cum illa: dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, gratia nullo modo suffragetur“, admitti

consuevisse et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in aliam quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas illasque omnino reprobat, damnat et interdicit.

Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli Rectores, Superiores et Ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium Ecclesiarum seu illarum Capitula, ne onera seu Missas, tam perpetuas tum temporales tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium literis perspicuis et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter et intra praescriptum, sed breve tempus, satisfacere non posse seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas sive temporales sive manuales, per se vel interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis et celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte ac diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere ac omnes et singulas rationes hujusmodi praefatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam praefati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

Quibus semper salvis debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas, tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera penes alium a Capitulo conventuali deputandum retineatur ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram Patribus discretis seu Consiliariis vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint et Superiores tum saecularium tum regularium Ecclesiarum rationem praedictam non exegerint seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, non satisfaciant in singulis respective casibus, Saeculares poenam suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, passiva ac gradibus et officiis obtinenda similiter inhabilitentur et inhabilitati sint et intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores seu Capitula Ecclesiarum saecularium illa retineant

publice exposita in eorum Sacrario; Superiores vero locales cujuscumque Monassterii, Conventus ac Domus regularis curare et efficere teneantur sub poena privationis officiorum, quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes, una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in Ecclesiis quoquo modo, etiam in vim Decretorum Concilii Trid. sibi subjectis, Missae ea, quae par est, fide et diligentia celebrentur et cuncta et singula Decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam requirentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus tum in aliis actibus et modis, quos expedire et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, disseratur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

Caveant etiam respective omnes Regulares tum subditi cum Superiores quicumque, nedum locales sed etiam provinciales et generales, ne Missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praejudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligentur seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem poenam privationis vocis activae et passivae ac graduum et officiorum, quae obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea praefati superiores Regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli Superiores locales in provincialibus Capitulis seu Congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii seu cujuscumque Domus regularis subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis, tum perpetuis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus ad limites et tenorem horum praesentium decretorum tempore regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum, distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri et ea adjecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis Capitulis seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Praeterea Provinciales, Vicarii, Visitatores Provinciarum seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint et ad eorum tenorem in omnibus et singulis Conventibus seu Monasteriis vel Domibus regularibus Provinciae seu Congregationis, de omnibus et singulis oneribus et obligationibus ac insimul satisfactionibus Missarum exactam et diligentem rationem exegerint ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint et de adimplemento circa ea, quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad vocem activam et passivam in

Capitulis generalibus nullatenus admittantur.

Caeterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria et Ecclesias ac alia loca et opera pia, quomodolibet nuncupata, quae cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis et praeeminentiae, etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat vel quorumque Ecclesiasticorum et Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis Missarum sive manualium sive ad tempus vel in perpetuum pertinent, hinc salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum et Ecclesiarum ac aliorum locorum et Operum piorum Rectores seu Administratores vel Directores et alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellam, libros et haec decreta respective juxta modos superius expressos similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio et in subsidium excommunicationis teneantur.

Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis, cujuscumque Ordinis, Status, Gradus, Regulae, Congregationis, Societatis, Conditionis et Dignitatis existant, quam Laicis quocumque honore ac potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in hujusmodi decretis relaxandi seu quoquomodo circa praemissa dispensandi omnis et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia et singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, Militiarum, etiam s. Joannis Hierosolymitani.

Datum Romae die 23. Nov. 1697.

Joseph. Card. Sacripantes, Praef.
Ferdinandus Nuptius S. C. Secr.

Quocirca cum dilectus filius noster Joseph. tituli s. Mariae Transpontinae, S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata Decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia et singula Decreta, ea, quae decet, maturitate digesta et examinata ac in vim apostolicae Auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut praefertur, attributae, peracta, perutilia fore censentes illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostrae munimine roborare volentes: motu proprio, non ad cujuspiam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine praeinserta Decreta omniaque et singula in eis contenta tenore praesentium auctoritate apostolica confirmamus et approbamus illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adjicimus: quinimo motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine omnia et singula in supradictis Decretis contenta de novo statuimus, decernimus et ordinamus ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individua nota dignis, omnino exacte et perpetuo servari volumus et mandamus.

Decernentes praesentes literas cum

omnibus et singulis inibi contentis semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia, plenissime et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentia aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum Palatii apostolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Sedis apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. et respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quae pariter et iterum Nos tenore praesentium non obstare decernimus et mandamus: quibus omnibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, etiam harum serie plenissime, specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes literae in Valvis Ecclesiae Lateranensis ac Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae Curiaeque generalis in monte Citatorio ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.

Pariterque, ut earumdem praesentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum et Derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo, decimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri anno septimo.

(Anal. J. P. 1864 p. 1022—1029.)

Eleemosynae pro missis celebrandis recipi non possunt ab Ecclesiis, ubi iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi de consensu illorum, qui eleemosynas tribuerent. Missae ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiae traditae non sunt celebrandae per exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiae. S. Congr. Rit. 28. Januarii 1606. Et S. Congr. Conc. 5. Septembris 1616; 19. Novembris 1726; 13. Jan. 1732 et 12. Maii 1736.

2) Num acceptatio licita sit parocho in iisdem diebus, in quibus applicare debet pro populo?

Vd.: *Stipend. pro missa pro populo.*

3) Utrum, quando et quomodo augenda?

Civitatis Castellanae.

In postrema relatione status ecclesiae suae haec habet Episcopus:

„Episcopus de Dominicis praedecessor meus recolendae memoriae supplicem porrexit libellum ut sibi fas esset augere eleemosynam missarum tum manualium tum perpetuarum beneficiis seu ecclesiis locisve piis ex legato aut alia dispositione inhaerentium. Et en rescriptum:

Ex audientia SSmi die 19. Augusti 1801 SSmus attentis expositis circumstantiis remisit preces ad eumdem Episcopum oratorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ut eleemosynas missarum tam manuales quam alias, quae ecclesiasticorum beneficiorum seu quorumcumque piorum legatorum oneribus sunt adnexae, pro suo arbitrio et conscientia augere possit et valeat. Quibuscumque contrariis non obstantibus. J. B. Quarantotti. S. C. Visitationis Apostolicae pro-secretarius."

„His utendo facultatibus praefatus Episcopus decernebat ut stipendia sive eleemosynae pro missarum celebratione, quae manuales dicuntur, ad obolos quindecim romanos, et pro missis perpetuis adnexis beneficiis sive quibusque piis legatis ad obolos viginti augerentur. Ne vero hac eleemosynarum auctione beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, permisit, sunt verba decreti,

Ut missae sive pro beneficiis sive pro legatis piis minuantur adeo, ut interim tot relictae sive impositae habeantur, quot solum earumdem exceperit medietatem. Atque hinc declaramus ipsam eleemosynarum auctionem et missarum reductionem ad medietatem ut supra quoad manuales a die prima Octobris currentis anni solummodo esse exordiendam, quoad vero onera perpetua nisi postquam a beneficiatis, capellanis et legatariis fuerint exhibita in nostris cancellariis generalibus nova jurata inventaria legalia ... Quae omnia tamdiu servari volumus quamdiu decretum hoc nostrum sive per nos sive per successores nostros expresse fuerit revocatum. Datum in Civitate Castellanae die 1. Septembris 1801. — Laurentius, Episcopus."

„Hoc suffultae decreto innumerae fere reductiones ad medietam exierunt, nedum in longo praesulatu ejusdem Episcopi De Dominicis, verum etiam successorum usque ad haec tempora. Putant enim quod sufficiat exhibere juratum inventarium ad hoc ut missarum numerus a testatoribus praestitutus ad medietatem redigatur, quia tunc unius julii stipendium erat, nunc duplicatum appareat. An valeant hujusmodi reductiones vel saltem nunc fieri possint ex praedicto decreto, a sapientia vestra, Emi Patres, enixe rogo, pro meae aliorumque conscientiae tranquilitate, ut resolvatur."

Quum ex apostolica concessione facultas data fuerit Episcopo De Dominicis augendi eleemosynas missarum tam manualium quam beneficiis et piis legatis perpetuo inhaerentium, et ratio augmenti ejus arbitrio et prudentiae tota permissa extiterit, haud inficiandum videtur quin ipse jure sibi delegato usus rite sit augendo eleemosynas missarum ad quindecim obolos pro manualibus, et duplo ejus quod antea percipi consueverat pro missis inhaerentibus vel beneficiis vel piis legatis quibuscumque, atque insuper praescribendo modum quo beneficiati vel legatarii hujusmodi indulto uti valerent, exhibito scilicet legali jurato inventario apud acta episcopalis cancellariae. Ex quo vero augmentum eleemosynae concessum fuerat, necesse plane proportionabiliter reducerentur etiam onera missarum, ne scilicet beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, quibus hujusmodi onerum satisfactio incumberet. Itaque, ubi haec consistant, consequitur rite peractas

fuisse hucusque reductiones ac rite in posterum fieri posse pro iis legatis ac beneficiis, in quibus hactenus reductio sequuta non fuerit, ad rationem scilicet augmenti eleemosynae in episcopali decreto praescripti.

Caeterum cum Episcopus excesserit in usu concessae facultatis vel alia praescribenda sit norma in futuris perficiendis reductionibus quoad antiqua legata et onera missarum, super quibus quaestio moveri unica potest, judicabunt EE. VV.

Quare etc. Sacra etc. resp.: *Servandum esse decretum diei 1. Septembris 1801 tam pro reductionibus peractis quam pro peragendis, dummodo agatur de beneficiis seu legatis existentibus ante ejusdem decreti promulgationem.* Die 28. Aprilis 1860. (Anal. J. P. 1861, p. 609.)

Ob auctum servitium Chori aucta quoque fuit in Bononien. ad obolos 30 eleemosyna canonicalium Missarum ex reditu in alias Missas destinato.

(Ex resol. S. C. C. diei 26. Sept. 1795. *Faventina.*)

Qui sentit celebrationis commodum, sentire debere videretur majoris eleemosynae incommodum, *per Text. in leg. secundum naturam 1. ff. de regul. jur.*

(Ex res. S. C. C. diei 19 Decbr. 1795. *Caesenaten.*)

Erit examinandum, an, attenta maxima Missarum manualium copia, nullus inveniri Sacerdos possit, qui pro hac eleemosyna Sacrum celebret praesertim quoad illa duodecim die 3. Julii celebranda, et hinc augenda sint ultra manualem, ut definitum fuit ab hac Sacra Congregatione in *Syracusana* Missarum 10. Martii 1759. quoad I. dubium sic conceptum: *An sit locus reductioni Missarum et respective augumento eleemosynae, et qua quantitate in casu?* — Cui fuit responsum: *Affirmative pro reductione et pro augumento arbitrio Episcopi.*

(Ex resol. S. C. C. diei 16. Mart. 1782. *Anconitana.*)

Neapolitana.

(Conc. Trid. C. 4. Sess. 25. De ref.)

Carolus de Baldesiis in novissimo, cum quo decessit, elogio anno 1669 omnes reditus et introitus ipsi debitos ex fisci vectigalibus seu regiis arrendamentis olei et saponis in pia opera erogari per heredem mandavit nempe pro duabus Capellaniis erigendis in ecclesia s. Joan. Nationis florentinae Neapoli existente cum onere capellanis celebrare missam quotidianam et cum emolumento seu salario per haeredem concordando; residuum in dotes et celebrationem missarum expendi voluit hoc tamen servato ordine (operae pretium erit testatoris verba referre), *„e sodisfatti li detti due sacerdoti ordina d. testatore, che col restante delle rendite si diano due dote di scudi venti l'una etc., e sodisfatte le dette officiature et dette due doti ordina, che d'ogni restante delle rendite si faccino celebrare ogni anno tante messe di requie etc.* Gubernatori arrendamenti et consuli nationis Florentinae delegavit jus nominandi unum pro quolibet capellanum unamque dotem conferendi. Anno 1621 in erectione dd. Capellaniarum a vicario generali Neapolis taxata fuit dos cujuslibet capellaniae in ducatis annuis 65 et residuum reliquis piis operibus assignatum; verum diminutis ex temporum infortuniis reditibus ita ut neque attingerent summam debitam capellanis, sac. haec Congregatio die 22. Septembris 1708 decrevit reductionem faciendam esse ad manualem ad instantiam gubernatorum d. arrendamenti, pro cujus decreti exequutione

sub die 9. Aprilis 1709 per curiam archiepiscopalem facta fuit reductio ad rationem granorum duodecim cum dimidio pro eleemosyna cujuslibet missae incluso jure sacristiae. Auctis autem ex post redditibus, ita ut dimissis capellanis cum manuali eleemosyna ducatorum 45 superessent ducati octuaginta, Dominicus Matuscellus unus ex capellanis die 26. Januarii 1715 obtinuit ab EE. VV. relatis per summarium ejus precibus sequens decretum „*Augeatur redditus capellaniarum juxta primam assignationem et quatenus ulterius augeatur, servetur voluntas testatoris quoad subsidia dotalia*". Gubernatores arrendamenti cum praetendant manualem tantum eleemosynam debitam esse capellanis et omnia pia legata per contributa reducenda, hinc monito procuratore Matuscelli sequentis dubii decisionem ab EE. VV. exorant:

An augmentum reddituum capellaniae, de qua agitur, ad rationem ducatorum 65 quolibet anno juxta primam assignationem substineatur seu potius servanda sit reductio eleemosynae ducatorum 45 seu granorum 12 cum dimidio pro qualibet missa?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 2. et 16. Maii 1716.

Iterum proposito dubio S. C. C. sub die 3. Oct. 1716 resp.:

In Decisis facta tamen erogatione in fine cujuslibet anni de eo, quod superest ultra summam ducatorum 65, in causam dotium et missarum de requie ad formam testamenti et in quocunque casu deminutionis semper celebrentur missae saltem ad manualem.

Urbis.

Exhibitus fuit SSmo Domino nostro supplex libellus, in quo pauperes sacerdotes, qui ut plurimum vivunt ex eleemosyna missae, instant ut eleemosyna missae manualis, quae in urbe est ad rationem unius julii pro qualibet missa, augeatur. Cumque a Sanctitate Sua preces fuerint remissae ad hanc sacram congregationem, et eminentissimus urbis Vicarius remissive se habeat ad id, quod ab hac sacra congregatione determinabitur, disputandum in praesenti proponitur dubium mox referendum. Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit pro instantia, et nonnulla contra instantiam, quibus solita maturitate perpensis dignabuntur EE. VV. decernere.

An et in qua quantitate eleemosyna manualis missae augenda sit in urbe in casu?

S. C. C. resp.: Nihil esse innovandum et ad mentem.

Die 13. Apr. 1726.

Discursus Secretarii, in quo referuntur fundamenta tam pro quam contra instantiam promotam de augmento eleemosynae missae manualis in Urbe.

Nonnulla sunt praemittenda: primum est, *antiquum esse morem offerendi denarium pro missa.* Caeteris etenim praetermissis Joannes monachus in vita S. Petri Damiani haec habet cap. 2 de eodem Petro adhuc puero: „*Petrus quadam die nummum reperit, et tanquam subito dives effectus gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere caepit; divinitus tandem inspiratus ait: melius est, ut tradam presbytero, qui Deo sacrificium offerat pro patre meo defuncto.*" Et quod caput est, fidelis populi ad sacrificium oblatio est antiquissima et ab ipsis apostolis instituta, ut habetur ex Justino Martyre, Tertulliano et aliis vetustissimis patribus; cumque haec oblatio consisteret in pane et larga vini amphora, quorum solummodo modica pars consecrabatur et reliqua massa in

commodum sacerdotis et cleri cedebat, variatio temporum et circumstantiarum suasit, ut dicta oblatio in denarios mutaretur, et quia devotionem hanc avaritia laicorum diminuerat aut propemodum extinxerat, opus fuit, ut episcopi taxarent missae denarium, uti erudite ostendit *Christianus Lupus* ad concilia generalia et provincialia tomo 3. editionis Bruxellensis, pag. mihi 182 et seq.

Secundum est, quod licet a sacrosancta Tridentina Synodo prohibeantur cujusvis generis conditiones et pacta pro missis celebrandis, uti habetur sessione 23. in decret. de observandis et vitandis in missae celebratione, *licitum nihilominus est sacerdoti pecuniam recipere pro missa*, non quasi pretium missae sed in causam suae substentationis, juxta doctrinam divi Thomae Secunda Secundae quaest. 100 art. 2. ad secundum; ibi: „*Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis eucharistiae aut missae decantandae; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae substentationis*“, et rursus in quartum sentent. dist. 25 quaest. 3 art. 2. quaestiuncula prima ad quartum; ibi: „*facere pactionem de missa celebranda est simoniacum semper, si tamen non habeat alios sumptus, et non tenetur ex officio missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti sacerdotes faciunt, non quasi pretium missae, sed quasi sustentamentum vitae*“, quod ipsum prosequuntur Theologi recentiores; *Cardinalis de Lugo* de sacram. eucharistiae disput. 22. sect. I. num. 13; *Pasqualig.* novae legis quaest. 903 num. 5; *Maurus* in theolog. tom. 3 lib. 12. quaest. 218 n. 4; *Grandin.* in theolog. tom. 5 disput. 2 de eucharistia ut sacrificium sect. proxima de stipendio num. I.

Tertium est, communiori calculo *reprobatam esse opinionem illorum, qui voluerunt, justam pro missa eleemosynam esse illam, quae requiritur, ut sacerdos celebrans die celebrationis vivere possit*, tum quia inutilis esset sacrorum canonum dispositio, quae praescribit, ut nemo ordinari possit nisi ad titulum beneficii vel patrimonii, uti argumentatur *Gibelin.* de simonia quaest. 18 consect. 7, n. 4, tum quia per alia media honesta potest sacerdos celebrans sibi quaerere victum qualibet die, uti bene ponderat *Suarez* in tertiam partem divi Thomae tom. 3 disput. 86 art. 6 sect. 2 conclus. 3; ibi: „*quia sacerdos non tantum habet hoc ministerium, sed etiam exercet alias actiones sacras, ratione quarum potest aliquid in sustentationem recipere ex fidelium largitionibus vel aliis ecclesiasticis redditibus*“, et late prosequuntur *La Croix* in theolog. moral. tom. 2. par. 2 de sacrif. miss. num. 126; *Rosignol.* de eucharist. tom. 15. quaest. 12. art. I dissert. 3. num. 11 et seq.; *Diana* in edit. coordinata tom. 2. tract. I. resolut. 22. num. 17. Adeoque bene subdit *Juennin.* de sacram. dissert. 5. quaest. 7., de sacrificio eucharistiae art. 5; ibi: „*Sed monitum velim lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quae illud stipendium definit ex summa, quae satis sit sacerdotis in unam diem sustentationi, ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram presbyteri substentationem sed ad illius adminiculum; nec mirum, quippe quod saeculares sacerdotes fruantur aut titulis patrimonialibus aut beneficiis quae teneant eorum locum, vetant nempe canones, ne saeculares ordinentur, quin suffulti ad vitam titulo, mendicantes vero a populo fideli supponuntur recipere eleemosynas, quibus vescantur, nec enim ad monasterium admitti debent plures, quam consuetae eleemosynae substentare valeant.*“

Quartum est, *quantitatem eleemosynae et justam ejus taxam desumendam esse vel a communi consuetudine, quae*

vigeat in diocesi, vel a lege synodali aut a decreto episcopi, uti docent *Suarez* in tertiam partem divi Thomae tom. 3. quaest. 80. sect. 2 in prima et secunda conclusione; *Maurus* tom. 3. loco citato num. 8; *Rosignol.* de eucharistia tom. 15. quaest. 12. de stipendio missae art. 3. num. 5; *Bonacin.* oper. moral. tom. I. disput. 4 de sacram. eucharist. punct. 8. proposit. 2. num. 8; *Tamburin.* de sacrif. missae lib. 3. cap. 1. num. 2; et est sententia hujus sacrae Congregationis, quae die 15. Novembris 1698 lib. 48. decret. pag. 548. in causa Aprutina ita respondit: „*Episcopus disputanda proposuit haec dubia: primo, quanta esse debeat eleemosyna missarum manualium? Secundo, quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus? Sacra etc. ad primum et secundum censuit: attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus, statuendam esse per espiscopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.*"

Taxataque per consuetudinem localem vel legem synodalem aut episcopi decretum eleemosyna id operatur ut *sacerdotes plus exigere non possint aut accipere, praecedente pacto implicito vel explicito, sed non facit, ut ampliorem eleemosynam sibi sponte oblatam acceptare non possint. Cardinalis de Lugo* resp. moral. lib. 5. dub. 18.; *Pelizzar.* in manual. regul. tom. 1. tract. 5. cap. 9. num. 56.; *Bonacin* operum moral. tom. 1. de sacram. eucharistiae disput. 4. quaest. ultima punct. 8. proposit. 2. n. 9 et seq. Fuitque resolutum ab hac sacra congregatione in in causa Pistorien. 16. Januarii 1649 lib. 18. decret. pag. 575 a tergo, proposito enim sequenti dubio: „*an possit episcopus prohibere sub poena censurarum laicis, ne pinguius stipendium taxa solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus missam celebrantibus et quod idem sacerdotes illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus*", sacra congregatio respondit: *prohibere non posse, ideoque moderandum decretum*, ita ut sola difficultas consistat in puncto: an ordinarius statuere valeat, quod sacerdotes pro missa non recipiant quid minus eleemosyna taxata, in quo nonnulli negative responderant, *Gaballin.* de simonia quaest. 18. sect. 7. sub num. 5; *Azor.* institut. moral, part. 3. lib. 12, cap. 6. in fine; alii affirmative respondent concurrentibus circumstantiis, uti habetur apud *Pasqualig.* de sacrific. missae quaest. 928. num. 3. et seq.; et adhaesit haec sacra Congregatio in S. Severini eleemosynae missarum 16. Julii 1689; ibi: „*Episcopus narrat, sacrosanctum missae sacrificium quodammodo vilescere, dum sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae, dimidii julii pro qualibet missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualis unius integri julii pro qualibet missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate? Sacra etc. respondit: affirmative quoad eleemosynam manualem.*

Ultimum tandem est, quod *in taxatione eleemosynae habenda est ratio circumstantiarum loci et temporis, et signanter caritatis vel vilitatis annonae*, uti caeteris allegatis prosequitur *Pasqualig.* quaest. S25; ibi: *Stipendium datur propter substentationem, licet non totalem, ergo debet esse proportionatum illi partiali sustentationi, pro qua datur, itaut sufficiens sit pro illa comparanda. Ergo ubi victualia pluris vaeneunt, requiritur majus stipendium, ut possint comparari, et ubi minoris vaeneunt, sufficit minus stipendium*", et confert resolutio hujus sacrae Congregationis in Nullius Lerenae 7. Decemb. 1675 lib. 29. decret. pag. 178. a tergo; ibi: „*Clerus stante augmento pretii rerum pro victu necessariarum*

petit augumentum etiam eleemosynae missarum. Sacra etc. audita relatione Prioris Lerenae S. Jacobi de Spatha in provincia Legionensi eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis pro missis perpetuis in posterum fundandis taxam eleemosynae augeat ad octo regalia monetae nuncupatae di Villon, pro missis autem manualibus ad quatuor. Et perspectis tabellis, fundationibus, testamentis aliisque documentis et vocatis, qui fuerint vocandi, onera hactenus acceptata vel fundata gratis moderetur atque reducat ad rationem quatuor regalium pro qualibet missa; ita tamen, ut si reditus augeantur vel causae augmenti taxae hujusmodi cessent, augeatur proportionabiliter numerus ipse missarum, quod in actu visitationis praesertim erit inspiciendum."

His praemissis facit pro augmento eleemosynae manualis missae in urbe, quod si ex supradictis datur eleemosyna pro partiali substentatione sacerdotis missam celebrantis, si pariter ex supradictis justitia taxae constituitur in circumstantiis loci et temporis, et signanter in majori vel minori pretio rerum pro substentatione necessariarum, nemo est qui non videat, julium unum pro qualibet missa non constituere posse in urbe partialem subsentationem sacerdotis celebrantis, et eo fortius, cum eleemosyna missarum in civitate Viennae sit obolorum viginti quinque, in civitate Mediolanensi diebus ferialibus sit unius julii et tertiae partis ejusdem julii, et diebus festivis quantitas praedicta duplicetur; et in civitate Venetiarum sit in julio uno cum dimidio diebus ferialibus, et diebus festivis augmentum suscipiat, et demum in civitatibus Bononiae et Ferrariae memorata eleemosyna sit in duodecim obolis, et Ferrariae in quindecim obolis diebus festivis, quae profecto exempla suadent esse posse locum petito augmento in Urbe, in qua absque dubio annona carior est quam in praedictis aliis civitatibus, et ad quam tot exteri confluunt miserabiles sacerdotes, qui vivunt cum sola eleemosyna missae et carent beneficio et patrimonio aut propter passa infortunia aut ex aliis causis, quae etiam si culposae essent, id tamen non facit, quin eis succurrendum sit, ne in dedecus characteris sacerdotalis ad mendicitatem redigantur.

Plura contra sunt, quae suadent, locum esse non posse petito augmento eleemosynae missae. Primum est, quod a qualibet novitate cavendum esse videtur. Secundum est, quod eo fortius a novitate cavendum est, quando eadem viam aperire posset dicteriis laicorum, prout contingeret in casu, de quo nunc agitur, in quo laici augmentum referrent ad avaritiam. Tertium est, quod victualia Romae non sunt in pretio excessivo, si tractetur de victualibus necessariis et non voluptuosis. Quartum est, quod a tempore, quo introducta fuit taxa unius julii pro missa ad tempus praesens, ignoratur, quod ulla contigerit variatio pretii in victualibus, qua variatione deficiente etiam juxta supradicta cessat augmentum eleemosynae. Quintum est, quod experientia teste aut quia calamitates temporum excreverunt aut quia fidelium devotio decrevit, minor hodie est in Urbe numerus missarum manualium, quam esset annis praeteritis, et incongruum profecto esset, quod decrescente numero missarum manualium augeretur eleemosyna earumdem. Sextum est, quod abundantia missarum manualium in urbe ut plurimum provenit ex obitu magnatum, qui conspicuum numerum missarum pro suis animabus celebrandarum in testamento relinquunt, cum existiment, multiplicationem suffragiorum sibi esse maximopere profuturam, quia licet valor sacrificii ex opere operato sit infinitus in actu primo, talis tamen

non est in applicatione et in actu secundo juxta doctrinam divi Thomae in quart. sent. dist. 45. quaest. 2. art. 4. quaestiunc. 2 et 3, parte quaest. 79. art. 5 cum aliis, quos cumulat et sequitur *Pasqualig.* quaest. 119 num. 4 et 5, et adhaeret *Clericat.* de sacrif. miss. decis. 33 num. 35 et seq., quo stante, si augeretur eleemosyna manualium missarum, nullo negotio aut testatores aut haeredes missas relictas demandarent celebrandas aut celebrare facerent extra urbem in locis, in quibus minor est eleemosyna missae manualis. Octavum est, quod in civitate Neapolis, in regno Neapolitano, in Piceno et Umbria aliisque finitimis regionibus multi absque dubio et multi pauperes reperiuntur sacerdotes, qui audito augmento eleemosynae in Urbe ad eam cito advenirent, ut majorem consequerentur eleemosynam ea quam habent aut unquam sunt habituri in patria sua, praetermissisque inconvenientibus, quae ex multiplicato pauperum sacerdotum numero in Urbe facile sequerentur, illud ad rem, de qua nunc agitur, magna ponderatione dignum esse videtur, quod augeretur numerus sacerdotum, quando numerus missarum minoratur, aut quia minoratio causam habet a temporum infortuniis vel a tepidiori fidelium devotione seu denique ex transmissione, quae fiet, missarum extra urbem celebrandarum, quoties in urbe earum eleemosyna augeatur, juxta ea, quae in superioribus dicta sunt. Ultimum denique est, quod in nulla alia civitate possunt sacerdotes magis honestam, si velint, habere substentationem, ultra missae eleemosynam, quam habeant in Urbe. Praetermisso quippe, quod in urbe tot degunt eminentissimi Cardinales, tot degunt illustrissimi Praesules, tot demum Magnates, quorum famulatui in officio ipsorum characteri proportionato adscribi possunt, si sint idonei, possunt esse coadjutores parochorum et confessarii monialium, aut confessiones excipere in ecclesiis, pro quo munere adimplendo congrua non desunt salaria, si aliqualem cantus peritiam habent, plures adsunt pro his capellaniae nedum in choris Basilicarum et Collegiatarum sed etiam in choris aliarum ecclesiarum, puta Sanctissimae Trinitatis Peregrinorum, S. Jacobi Incurabilium, S. Rocchi et aliarum: si grammaticam calleant, possunt esse magistri et repetitores scholarum, si competenter scribere sciant, promptae et paratae sunt occasiones, scripturas in suis domibus exemplandi; si denique his omnibus qualitatibus careant, paedagogi esse possunt puerorum in collegiis et etiam extra collegia, et demum cum multi sint, qui ex obligatione tenentur ad faciendum missas celebrare diebus festivis in ecclesiis ruralibus, si pro hac celebratione juxta morem duplicata aut etiam triplicata persolvitur eleemosyna, omnia haec aut singillatim aut collective sumpta ostendunt, quod ultra beneficium aut patrimonium, sine quo sacerdotes ordinari non possunt, ultra eleemosynam missae manualis plures alii supersunt in urbe modi, quibus sacerdotes aut totalem aut partialem possunt recipere substentationem, itaut locus non sit petito augmento eleemosynae sed alicui potius providentiae, quod missae in urbe celebrandae ad rationem unius julii pro qualibet extra urbem, uti fit, non transmittantur, ut celebrentur in locis, in quibus eleemosyna est julio minor, et *quod ulterius julius integer sacerdoti celebranti persolvatur*, cum in plerisque sacrariis unus obolus retineatur pro utensilibus in praejudicium celebrantis contra edictum sanctae mem. Clementis XI. in ejus bullario pag. 319. Sumpta quippe hac providentia amplior erit numerus missarum manua-

lium in urbe, et sacerdotes integram habebunt manualem.

Et haec sunt, quae pro utraque parte dici possunt, et quae operae pretium existimatum fuit EE. VV. exponere, ut prudens et de more aptum in re, de qua nunc agitur, consilium Sanctissimo praestari possit.

Die ut supra.

Faventina.

Postremis tabulis annis 1598 heredem scripsit Dianora ad Monteveteri Montem Pietatis Brixichellae, ejusque inter caetera praescripsit nominare unum Capellanum in Ecclesia S. Crucis de Brixichella ad satisfactionem Priorum et Hominum dictae Societatis, qui quotidianum ibi celebraret Sacrum; et in casu in adimplementi ex ordine substituit Sodalitia S. S. Conceptionis et S. Mariae Hospitalis ejusdem oppidi, ultimoque loco Conventum Fratrum Praedicatorum S. Dominici Faventiae. Vix pene obita Testatrice ortae fuerunt inter heredem, et societatem S. Crucis quaestiones super electione Capellani ejusque stipendio. Res tamen sequenti anno 1599. composuerunt Arbitri, idque praesertim circa stipendium Capellani edixerunt: che debba essere di quaranta scudi di moneta l'anno, cioè lire 160. di bolognini: con questo però, che la Compagnia del Montesia tenuta a somministrare tutte le spese della cera, vino, ostie e Chierice. Laudum hoc exequutum acseritur ad annum 1791., at duo ex novissimis Capellanis annuum consequuti sunt stipendium scutorum 33. (ob variatam fortasse antiquam monetam). Quum eo autem anno vacaverit Capellania et nullus post edicta comparuerit, qui eam acciperet, Sanctissimo propterea supplicavit Societas, ut Montem compelleret Pietatis ad augmentum stipendium; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, respectiva Faventinus Episcopus exposuit Partium jura, et a suo abstinuit voto.

Cogi non posse contendit Mons Pietatis ad praestandum Capellano stipendium ultra summam praefinitam in Laudo anni 1599., seu scuta 33., currentis monetae. Nil enim sanctius re judicata ad *Text. in leg. res judicata ff. de regul. jur.* Potissimum quia eum Dianora ad pium augendum ipsius opus instituit heredem, eique contra damnosa esset hereditas, si augere deberet stipendium Capellani; nam juxta informe ceteroquin folium ab ipso exhibitum consistit activus status in annuis scutis 63., passivus in scutis 61. 90. comprehenso stipendio Capellani in scutis 33. Inverisimilem de cetero dicit defectum concurrentium ad Capellaniam ob multitudinem Sacerdotum, qui a suppressa Societate Jesu Missas celebrant tenuiori stipendio.

Ponderandum altera ex parte rogat Societas, indefinite Testatricem et sine ulla assignatione fundi aut stipendii praescripsisse Monti Pietatis manutenere unum Capellanum; ideoque incumbere eidem Monti onus praestandi stipendium illud, quod secundum varietatem temporum ad manutentionem requiritur Capellani, quodque nostra aetate majus certe est scutis 33, pro Missa quotidiana et utensilibus. Neque obesse ait Laudum anni 1599., quum praefinitum in eo fuerit stipendium demonstrative, in ea scilicet summa, quae juxta valorem tunc currentis monetae satis erat ad manutentionem Capellani, non item taxative ad excludendum augmentum stipendii, quod futura monetae varietas temporisque circumstantiae ad justam manutentionem exigerent. Haud enim in se assumpsit Societas onus manutenendi Capellanum cum taxatis scutis 40., seu libellis 160. antiquae monetae, sed hanc Mons Pietatis demonstravit summam, ut suum onus adimpleret; eique propterea in-

cumbit vel Capellanum quaerere, qui cum antiquo celebret stipendio, vel stipendium augere, ut ad praescriptum Testatricis valeat modo manutenere unum Capellanum. Tantum vero abesse inquit Societas, quod principaliter Testatrix ad commodum respexerit montis, ut eum immo in casu non implementi onerum privaverit hereditate; et nihilomnius per publicum Ratiocinatorem probat, annuos hereditatis reditus ad scuta saltem ascendere 77. 52. 11., onera ad scuta 54. 44. 6., ita ut supersint quotannis scuta 23. 08. 5., ex quibus supplere tenetur haeres stipendium Capellani et Missarum legatum adimplere, per *Text. in leg. legatum est ff. de legat. secundo.* Quod re ipsa autem tales sint et fortasse majores haereditatis reditus, ex oblatione confirmatur Societatis assumendi haereditatem et onera, quatenus Mons Pietatis succedere valet juri.

An et ad quam summam sit augendum stipendium Capellani in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro summa per Ordinarium praefinienda.

Die 21. Junii 1794.

Eugubina.

Procul ab Oppido Canthiani passibus quatuor millibus est pagus Claserna in Apenninis positus, cujus habitatores sub cura olim erant Prioris S. Nicolai Canthiani, Anno 1660. Episcopus Eugubinus Sperelli cum in S. Visitatione novisset quod hyemis praesertim tempore difficile est iter ad pagum, proprium Sacerdotem in Claserna constituit Priori S. Nicolai subjectum eique stipendium constituit scutorum 40, quorum viginti percipiebat a Sodalitio S. Michaëlis Archangeli in Ecclesia S. Anastasiae ejusdem pagi erecto, alia sc. viginti a familiis, quae pagum incolebant. Tenue sane stipendium, quod huic capellano rependitur, causa est, cur in vacationibus nec tam facile Capellanus inveniatur nec inventus permanere velit. Ita sane fit, ut modernus Capellanus, qui idoneus est et Populo acceptus necessitate ductus velit curam Clasernae derelinquere. Ut ejus stipendium augeatur, cum alia deficiant media, postulat Prior S. Nicolai, ut applicetur in hanc causam Haereditas Sacerdotis Augustini Minelli. Hic qui Capellanus fuit in Pago Claserna in postremis testamenti tabulis anni 1775: volendo per l'amore, ed affetto, che ho sempre portato a a miei diletti Parrocchiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di S. Anastasia rimostrare un contrasegno di più divozione, ed a gloria di Dio — instituit Haeredem usufructuariam Virginiam neptem suam cum onere celebrationis Missarum singulis mensibus prima die dominico, ita ut Capellanus, qui esset celebraturus sacramentales quoque confessiones exciperet, eique singulis vicibus daretur stipendium obolorum 25. Quod si Sebastianus quidam Benedetti ex suis bonis Capellaniam erigeret, tunc jussit Testator Minelli, ut bona sua haereditaria cum illis Sebastiani pro fundo Capellaniae unirentur. Quod si a Sebastiano Cappellania non erigeretur, tum instituit haeredem proprietarium Sodalitium S. Michaëlis Archangeli cum onere celebrationis triginta Missarum comprehensis illis celebrandis diebus dominicis.

A septem annis occubuit Virginea haeres usufructuaria, quae tamen paupertate laborans numquam impositam celebrationem praestavit. Neque Sebastianus Benedetti Capellaniam erexit, ut propterea bona hujusmodi nunc pertineant Sodalitio, qui petitae a Priore S. Nicolai applicationi assensum praebet. Episcopus de sua sententia rogatus refert: constare de congruae insufficientia, de non obligatione alicujus ad supplementum, de impotentia Sodalitii et incolarum ad ulterius sup-

plementum, egestate premantur omnes, et illud Capitalia perdidit censuum; non aliam suppetere viam, quam indigitatam a Priore supplicante, unionis videlicet et incorporationis piae haereditatis Sacerdotis Augustini Minelli. Ex ejus particula testamentaria constat pium sacerdotem in sua dispositione pro fine habuisse Dei Gloriam, Ecclesiae amorem, zelum animarum. Jam vero finis hic etiam in derogatione subsisteret, quinimmo amplificaretur. Status activus et passivus haereditatis ostendit agi de paupere Regno. Non enim annua scuta duodecim excedit haereditas ista detractis oneribus. Ex ea Clasernensis Vice-Parochus retrahet complementum Pianae Congruae scutorum quinquaginta duo.

Cum insufficiens sit stipendium Capellani Curati, qui est in pago Claserna, nec alio modo ejus paupertati consuli possit, inquirendum erit, num in hanc causam applicanda sit haereditas Minelli. Sane ex Tridentino sess. 21. cap. 3. de reform. ad sublevandam inopiam Paroeciarum fieri potest unio beneficiorum. Quamquam hic proprie de beneficio non agatur, sed de Legato pio, attamen S. Congregatio Paroeciarum tenuitate consuluit etiam per applicationem Legati pii, ut in Cortonen. Applicationis Haereditatis 15. Februarii 1791, in Pisauren. Applicationis Haereditatis 23. Julii 1803 et in Asculana Paroeciae 25. Maii 1805. Praecipue cum in casu non repugnare videatur Testatoris praesumpta voluntas, qui legatum pium fecit per l'amore, ed affetto che ho sempre portato ai miei diletti Parochiani, ed a questa mia Chiesa Sposa di s. Anastasia rimostrare un contrasegno di piú devozione, ed a gloria di Dio. Quare non praetergreditur finis ab ipso sibi propositus, si erogetur ejus haereditas stipendium Capellani Curati. Neque ejus expressa voluntas derogatur, cum Missae triginta, quas celebrandas reliquit, a Parocho impleri poterant.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus applicationi in casu etc.?

S. C. resp.: Affirmative impletis oneribus per Capellanum.

Die 26. Martii et 7. Maii 1808.

Firmana.

Dominicus Clerichetti de Oppido Molleani ita de re sua disposuit in suo postremo testamento anni 1665: Voglio, che siano miei Eredi li Sindaci dell' Ospedale di s. Michele di Mogliano pro tempore, e tutti quelli saranno eletti dall' Illustrissima Comunità di Mogliano, e suo Consiglio, come si è fatto per il passato in quella lascita dell' Ospedale con patto però che ci si abbiano da tenere dei Preti Confessori approvati dalla Communità in perpetuo, che dicano Messa ogni giorno per l'anima mia. Duobus hisce Capellanis data singulis fuere annua scuta quadraginta scilicet scuta triginta sex pro manuali eleemosyna Missae quotidianae ad taxam, quae hactenus obtinuit obolorum decem, et scuta quatuor pro onere excipiendi sacramentales confessiones.

Cum vero anno 1800 eleemosyna manualis in Archidioecesi Firmana accreverit ab obolis duodecim cum dimidio et utensilia a scutis septem ad scuta decem, moderni Capellani Joannes Baptista Gianetti et Attilius Marchetti utrumque augumentum postularunt. Sed bona haereditatis Dominici Clerichetti retinent ex chirographo anni 1788 S. M. Pii VI. Fratres Ermenegildus et Jacobus Clerichetti. Isti vero pro annuo canone sponderunt di sodisfare pianamente tutti, e singoli

pesi ordinati, e prescritti dal defonto Domenico Clerichetti, ed annessi alla di lui eredità, e beni ereditari, cioè lo stipendio de due Capellani le supellettili dovute alla Chiesa per le due Messe quotidiane, e di pagare scudi dieci in ogni anno in mano dell' Administratore pro tempore di detta eredità. Additum in chirografo fuit: Esembrato a Monsignor Vescovo, che lo statto attivo di detta eredità possa fissarsi in annui scudi 252. 66. dal quale si deve detrarre l'essito annuo, che considerata con li medesimi supprosti puo essere, e considerarsi in annui scudi 160.

Hinc Sindacus sive Administrator et Fratres Clerichetti Emphitheutae alter in alteros rejiciebat onus solvendi augumentum eleemosinae Missarum et utensilium. Quare Capellani preces huic S. Congregationi dederunt, ut alteruter sive Administrator sive Emphitheutae compelleretur ad augumentum hujusmodi. Eminentissimus Archiepiscopus Firmanus, cujus sententia rogata est, refert rationes a Clerichettis deductas inferius recensendas et affirmat S. Congregationis mandato parens competentem terminum unius Mensis eisdem Fratribus praefixi ad deducendum jura in S. Congregatione. Negant Fratres Clerichetti se teneri ad augumentum eleemosinae, quia ipsi sponderant quidem di sodisfare tutti e singoli pesi ordinati, e prescritti da Domenico Clerichetti, ed annessi alla di lui Eredità e beni Ereditari, sed tamen in taxativa summa scutorum 160. Aliter enim annuus Canon augeretur contra legem chirographi. Verum ipsi non susceperunt taxativam obligationem solvendi annua scuta 160 pro oneribus haereditariis, sed implendi onera haereditaria, sive exitum, che considerato con i medisimi supposti può essere, e considerarsi in annui scudi 160. Non itaque videtur taxativa sed demonstrativa eorum obligatio. Sed Capellani pro augumento eleemosinae Missarum habent obnoxia bona haereditaria, quae a Fratribus Clerichetti retinentur et ea persequi possunt.

Dubium est:

An et a quo sit praestandum augumentum eleemosinae Missarum et utensilium in casu?

S. C. resp.: Affirmative a Fratribus Clerichetti Emphitheutis.

Die 8. Augusti et 15. Septbr. 1804.

4) Capsa.

Vd.: *Stipend.* (num acceptatio licita etc., decr. Innoc. XII.; liber.) *Tabella* (missar. conscrib.); *Stipend.* (quaestuatio in eccles. etc.)

Ord. Min. Observ.

(Conc. Tr. C. 1—3. Sess. 25. De Regul.)

Quemadmodum probos decet Religiosos, cupientes hujus Ordinis Patres non minus eorum Regulae puritatem custodire, praecipue circa paupertatis Votum tantopere a s. Fundatore injunctum, quam apostolicis jussis obtemperare, humillime expedierunt hujus S. Congregationis oraculum super declaratione emergentis casus, qui est ejusmodi. Urget ex una parte novissima Constitutio s. m. Innocentii XII. super celebratione Missarum, quae incipit: *Nuper*, decreto irritanti et clausula sublata, nec non cum derogatione expressa omnium Constitutionum apostolicarum et Statutorum Ordinis tam Mendicantium atque consuetudinum immemorabilium, quae inter alia provide decreta demandat retentionem Capsularum pro Missis celebrandis per haec verba: *Debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascunque eleemosynas, tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo conventuali de-*

putandum retineatur ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram Patribus Discretis seu Consiliariis vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

Obstare ex alia parte videntur hujusmodi Capsae retentioni bina Decreta, alterum editum in Generali Congregatione Cismontanae familiae habita in Conventu Araecoeli anno 1615 relatum in *tom. 3. Orb. Seraph. p. 613,* alterum vero per eadem verba conceptum itidem in Generali Congregatione in eodem Conventu celebrata anno 1628 coram cl. mem. Card. Gypsio a s. m. Urbano VIII. specialiter Delegato, recensitum quoque in *tom. 4. ejusdem Orbis Seraph. pag. 11.*, quod et pariter eorundem verborum textura, relatum reperitur post Constitutionem: *Injuncti nobis* praelaudati Pontificis 49. in ordine Bullar. tom. 4. sub dato 14. Junii 1628 et publicatum die 15. ejusdem mensis et anni, ibi: *Capsae vel Trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias, etiam pro Missis oblatas, non solum ab Ecclesia sed etiam a Sacristia et a quacumque parte, quae sit intra clausuram Conventus, omnino prohibentur sub poena inobedientiae et excommunicationis majoris: oblatae autem eleemosynae pro missa nullo modo intra Clausuram Conventus aut intra Ecclesiam vel Sacristiam ab aliquo recipi permittantur, sed ad Syndicum apostolicum offerens remittatur, quod si id grave illi fuerit et voluerit Tertiario vel Servitori Conventus tamquam Syndici substituto illam tradere ut ad Syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intra Claustra Conventus aut Ecclesiae nec Tertiarius nec Servus illam recipiat et Guardianus, qui contrarium permiserit, privetur officio suo.* Et ibidem infra: *Praeterea nullo modo habeant in eorum Ecclesiis vel Sacristiis aut alibi cippos aut truncos ordinatos ad offerentium seu donantium pecunias nec capsulas pro eleemosynis Missarum.*

Insuper obstare videntur typis traditae Constitutiones editae in Capitulo generali celebrato in eodem Conventu Aracoelitano die 29. Maii 1700 pro Cismontana Familia §: *Ad propositionem num. 1. pag. 30.* ubi haec habentnr: *Ad propositionem factam in Discretorio Observantium, an supplicari deberet Sanctissimo, ut dispensare dignetur cum Observantibus in praecepto de retinendo Capsulas in Sacristia pro recipiendis eleemosynis pro Missis, prout insinuari videtur in decretis* de celebratione Missar. *Diffinitorium Generale (attenta dispositione regulae nostrae cap. 4. ac apostolicarum declarationum illius aliorumque Pontificum Constitutionum, praesertim Nicolai III:* Exiit, *Clem. V.:* Exivi, *Pauli VIII.:* Exponi nobis, die 30. Martii 1536, *Innocentii XI.:* Solicitudo pastoralis, *Innocentii XII.:* Alias a felicis, *nec non Decreti S. Congregationis Consultationibus hujus nostrae Familiae praepositae, approbante Sanctissimo, sub dat. die 4. Junii 1628) declarat ejusmodi Capsulas statui ac professioni Fratrum Minorum de Observantia esse repugnantes et proinde Fratres nostros non comprehendi sub praecepto hujusmodi de retinendis praedictis Capsulis in Sacristiis vel suis Conventibus et si opus fuerit supplicetur Sanctissimo pro confirmatione hujus declarationis per Officiales Familiae.* Harum autem Constitutionum legalitatem impugnat modernus Commissarius Generalis Familiae Cismontanae, autumans eas fuisse efformatas proprio marte mox defuncti P. Generalis Ordinis, citra consensum Generalis Capituli; sed earum loco hoc aliud ex-

hibuit documentum. In regesto Curiae Aracoelitanae facto ab anno 1700 usque ad annum 1704 fol. 22. num. 7. inter alia sic legitur: *Circa Capsulam pro conservatione eleemosynarum pro Missis celebrandis recipiendarum in Sacristiis omnium Regularium etiam Mendicantium cum amplissimis derogatoriis omnium in contrarium quomodolibet disponentium a S. Congregatione Concilii in novissimis Decretis de celebratione Missarum observari mandatam cum circumstantiis in ea materia dispositis, Discretorium Generale optat, ut supplicetur Sanctissimo pro dispensatione Observantium ab obligatione eas Capsulas retinendi; at Diffinitorium Generale rogat Reverendissimum P. Generalem, ut perpensis perpendendis mandet id fieri et respective supplicari, quod sibi melius in Domino ac Ordini utilius videbitur expedire.*

Ancipites valde sunt Religiosi praefati Ordinis, utram in partem se dent super hujusmodi Capsularum retentione exindeque in varias abierunt interpretationes, cum praejudiciali difformitate regularis Instituti, utpote qui Innocentianam Constitutionem servandam contendunt, Capsulas ad usum revocarunt, caeteri vero, qui super relatis Ordinis Statutis conn͏ituntur, easdem abjecerunt. Propterea praenominatus Commissarius Generalis ad restituendam in hac parte debitam Regulae uniformitatem reverenter expedit ab EE. VV. declarationem: an sui Religiosi observantes Regulae D. Francisci comprehendantur sub primodicta Constitutione Innocentiana de Capsulis retinendis pro Missis celebrandis?

Eminentissimus Ordinis Protector informare desuper requisitus praeallegatas dispositiones librando, non dubitat hosce Fratres Minores Observantes comprehendi sub cl. Constitutione Innocentiana, eo quod illa specifice de Regularibus Mendicantibus loquatur atque praememorata Religionis statuta ex adverso recensita non obstare subdit, attenta speciali eorundem derogatione in eadem Innocentiana contenta, quin et ulterius Eminentissimus Relator allegando Indultum s. m. Gregorii XIII. permittentis usum hujusmodi Capsularum in Sacristiis Fratrum pro asservandis eleemosynis in dies oblatis, quod refertur ab Auctore *Orb. Seraph. tom. 3. pag. 382. col. 2. et pag. 446. col. 1.;* censent nullum sese deprehendere inconveniens in earum usu, quoties tamen retineantur cum cautela, in locis non publicis, ne in apparentia offendatur paupertas, sed asserventur in Sacristiis, in locis non apparentibus cum retentione Clavium apud Syndicum apostolicum et superiorem localem respective ad formam Constitutionis Innocentianae, uti latius in ejusdem relatione per manus circumferenda. His ita expensis emergit dubium sapientissime ab EE. VV. resolvendum.

An et quomodo Minores Observantes valeant retinere Capsulas pro Missis celebrandis in casu?

S. C. resp.: *Negative.*

Die 7. Julii 1708.

Ad dub.: An Capellano seu Rectori liceat Oratorii publici Capsulas habere in parietibus Oratorii pro eleemosynis recipiendis vel quaestuas peragere per se ipsum et per alios?

S. C. resp.: Affirmative de licentia Ordinarii.

Die 13. et 27. Junii 1744.

Ad dub.: An eleemosynae manuales Missarum a piis Benefactoribus reponi debeant in Capsula et una Clavis ejusdem Capsulae retineri debeat a Priore Conventus ad formam Capituli

7. Instrumenti diei 2. Decembris 1577 in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 26. Januarii 1760.

5) Conventiones.

Vd.: *Stipendium* (minus etc.; Patronus etc.); *t. III. p. II. pag. 183, 184.*

Neapolitana.

Num vitio aliquo inficiatur conventio inter Patronum et Capellanos inita, ut isti portionem aliquam stipendii remitterent, quod a Fundatoribus assignatum fuit ultra consuetam eleemosynam manualem?

Conventiones, quae respiciunt eleemosynam Missae celebrandae, aperte reprobat Tridentinum sess. 22. Decret. de observ. et evit. in celebrat. Missae, ubi Episcopos ita admonet: Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta etc. aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.“ Nam „facere pactionem de Missa celebranda est simonia“ ut ait D. *Thomas* in 4. sententiar. disst. 25. quaest. 3. art. 2. quaest. I. ad 4. et S. Congr. (in Decretis probante Urbano VIII. anno 1625 supra p. 152 etc. latis super celebratione Missarum) omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta celebrandam committere. Aeque igitur suspecta esse debet conventio inter Patronum et Capellanos super minori percipiendo stipendio Missarum et omnino reprobanda tamquam infecta simoniaca labe et turpi quaestu, nisi justo probatoque titulo niti detegatur.

Duo afferri possunt tituli ad repellendum turpem quaestum. Primum, quod, quibus est commissa celebratio Missarum perpetuarum, non tenentur nisi ad subministrandam consuetam eleemosynam, si per alios ceu celebrare faciant et tuto possunt percipere pinquius stipendium in fundatione constitutum, ut tradit *Card. Lugo* disput. 21. de Eucharist. sect. 2. n. 30., *Aversa* quaest. 11. de Eucharist. sect. 17., *Franc. Lugo* lib. 5. de Sacram. cap. 12. quaest. 7. num. 13., *Tambur.* Opusc. de Sacrific. Missae lib. 3. cap. 2. §. 5. num. 10., *Enarant.* in rubr. missal. in appon. quaest. 4. n. 10. diffic. 3. Rursus quod ex condonatione celebrantis potest committens retinere partem stipendii, ut summa consentione docent *Homo bon.* Exam. Eccles. part. I. tract. 4. cap. 14. quaest. 191., *Jo. a Cruce* direct. conscien. part. 2. quaest. 2. de Sacrific. Missae dub. 8. conclus. I., *Faustus* lib. 2. de Eucharist. quaest. 164., *Pasqualiq.* de Sacrific. novae leg. quaest. 975. tom. 2. Quibus ita se habentibus, si Cajetanus Janni Patronus poterat curare celebrationem Missarum cum eleemosyna manuali sibique stipendium pinquius retinere, si hoc ipsum stipendium retinuit ex condonatione Capellanorum celebrantium, justo quidem titulo niti videtur conventio et a turpi quaestu longe abesse.

Verum haec omnia parum controversiae propositae convenire videntur. Nam tum demum retineri potest assignatum stipendium pro Missis perpetuis et alteri mandari celebratio soluta consueta eleemosyna, cum qui mandat celebrationem sit is, cui commissa est celebratio et assignatum stipendium. Hoc enim assignatur tum intuitu ministerii oblationis Sacrificii tum intuitu officii Capellani, cui commissa est celebratio. Quare si Capellanus alteri celebrandas Missas comittit, non debet tradere totum stipendium, sed illud, quod debetur pro Ministerio celebrationis et propterea

potest sibi retinere, quod superest, dum hoc ei aquiratur ratione officii Capellani. At Patronus solo fruitur jure nominandi Capellanos, nec potest praecipere stipendium ratione Ministerii, quia Missas non celebrat, nec ratione officii, quia Capellanus non est, cum ei numquam commissa fuerit celebratio vel assignatum stipendium. Nam in utraque fundatione onus Missae quotidianae Capellanis non Patrono imponitur, et illis non huic stipendium relinquitur: scilicet: „a beneficio della Capellania, e per essa de Capellani pro tempore" et rursus „possano li Capellani pro tempore intestare in testa loro detta annualita, e quella essigere". Quare Patronus, qui exequutor tantum est, non potest sibi retinere aliquam portionem stipendii, quod Capellani sequuta nominatione statim acquiritur, ut tradit *Simon de Petris* de interpret. ultim. voluntat. lib. 8. dub. 2. num. 57. et *Pasqualig.* de Sacrific. nov. leg. quaest. 973. per tit. et praecipue num. 2. et 4.

Neque, si Capellani ultro portionem sibi debitam stipendii remiserunt, idcirco Patronus eam percipere valet.

Potest quidem committens retinere stipendium vel ejus partem, si alter gratis celebret vel partem stipendii donet. Secus vero dicendum est „non posse comittentes missas ab aliis celebrandas, si interveniat conventio aliqua etiam tacita de relaxanda dicta portione, ut continuetur subministratio Missarum, quae alia non esset continuanda, aut ex aliquo simili motivo, quae reddat necessariam relaxationem partis stipendii tamquam medium ad obtinendas eleemosynas," ut iisdem verbis tradit *Pasqualig* loc. citat. quaest. 975. num. 5. Etenim ubi interponitur conventio cessat liberalis donatio, qua remota nullus subest justus titulus retinendi partem stipendii ad tradita per *Lezana* in sum. verb. Missa num. 35., *Martin a s. Josepho* in Moral. tom. I. lib. I. tractat. 17. de Eucharist. num. 8., *Leander* de Sacr. tract. 8. disput. 4. num. 8. Hinc in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1664 cum quaesitum esset, an Decretum Urbani VIII. locum haberet, „cum Sacerdos, cui Missae celebratio minori cum eleemosyna commissa sit, haud ignorat majorem primo Sacerdoti attributam fuisse ejusque partem ab eo retineri, at nihilominus ipse minori contentus sit, intelligens aliter a dicto primo Sacerdote celebrationem sibi non committendam et proinde vel ipsa minori eleemosyna se cariturum, S. Congregatio respondit: etiam in hoc casu locum habere."

Dum itaque Emmus Archiepiscopus affirmat Cajetanum Patronum nominasse due Sacerdoti citranei per Capellani coll' obligo della Messa quotidiana ubique, e con convenire d'accordo annui ducati 36. all' uno per eleemosyna et annui ducati 40. all' altio per l'altra eleemosyna ricevendosi da detti Capellani estranei tutto il di piu delle sudette limosine brevi manu"; jam ex his errumpit illicita conventio, quae licet non praeseferrat expresse, quod donatio partis stipendii facta sit intuitu commissae celebrationis, satis tamen eruitur ex eo quod donatio sit correspectiva commissae celebrationi, unde suspicari licet, quod Capellani non fuissent nominati, nisi partem stipendii condonassent, quemadmodum concludit *Pasqualig.* citat. quaest. 975. num. 11.

Haec habui, quae in utramque partem exponerem.

Dignentur EE. VV. decernere: *An sit probanda conventio seu potius sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et

Capellani dimissis Capellaniis consulant conscientiae suae.

Die 26. Novembris 1802.

6) Duo Stip. pro una missa accipi non deb.

Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam pro commodo Monialium vel Confratrum non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eamdem Missam. Sacra Congreg. Concilii in Alexandrina 18. Martii 1719.

Vd. *Stipendium* (num acceptatio licita sit a Sacerd. etc., a quibus intra etc., *decr. Urb. VIII.* n. 4. et *declarat.* n. 4. et decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679). *Stipend.* (num acceptatio licita sit a parocho iisdem diebus etc.); *Ritus graec.* (de ritib. observ. graecor. Melchit. § 10.); *t. III. p. II. pag. 156 n. IV. p. 165 §.: Vel.* Generali applicatione unius Sacrificii satisfieri non licet oneri Capellaniae aliisque simul familiae Naro impositis juxta decreta generalia in constit.: *Cum saepe* Urbani VIII. confirmata in const.: *Nuper* Inocent. XII, et declarationes S. Congreg. ad IV. dub. relat. per Girald. in jus pontif. t. 3. p. 8969.

(Ex resol. S. C. C. 25. Maji 1816. *Romana.*)

Cappellani divisi per hebdomadas ferialibus diebus missas canunt conventuales, diebus festivis et ordinatis in tabella canonici, ex quibus aliqui dubitant utrum missae conventualis onus tale sit, ut pro ea eleemosyna ab aliquo benefactore recipi non liceat. S. Congregatio Concilii censuit non licere.

Die 10. Jan. 1660. *Fulginaten.*

(Corresp. de Rome. Ed. II. die 4. Juillet 1850. N. 33.)

Hydruntina.

Dubio, an capitulum et canonici diebus, quibus alternis vicibus ex ordinatione ecclesiae tenentur celebrare missam conventualem, teneantur etiam applicare pro populo et benefactoribus nec eleemosynam pro illa recipere et an idem statuendum stante consuetudine in contrarium non applicandi et eleemosynam recipiendi? S. C. C. resp.: Ad primum: responsum affirmativum, et non posse recipere eleemosynam. Ad secundum: ut ad primum, non obstante asserta consuetudine.

Die 1. Mart. 1692.

(Ibid. p. 10.)

Pampilonea.

Parochi et beneficiati loci de Echalar missam, quam popularem vocant et quam celebrare et applicare tenentur quotidie pro populo, celebrant et applicant, accepto stipendio, pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus. Hanc duplicem unius missae applicationem et stipendii receptionem illicitam credens promotor fiscalis curiae episcopalis Pampilonen. eosdem parochum et beneficiatos ad judicium vocavit coram officiali episcopali, qui per sententiam declaravit, missam popularem applicandam esse quotidie pro populo, illamque non posse confundi cum missis funerum, exequiarum, anniversariorum et similium, sed singulas fore seorsim et separatim celebrandas; provocarunt ab hujusmodi sententia parochus et beneficiati ad Rotam; verum remissa causa ab auditore Sanctissimi ad hanc sacram congregationem, audito episcopo omnia comprobante, exquiritur ab EE. VV.:

An parochus et beneficiati loci de Echalar possint pro missa populari recipere stipendium illamque applicare pro defunctis aliisque satisfaciendis oneribus?

Sacra Congregatio die 18. Novembris 1702 respondit: Negative, et censuit danda esse decreta — ut in lib. 52. Decr. pag. 405.

Ad dub: An Sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione Beneficii seu capellae, Legati aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut Def. recipere et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere? S. C. resp.: Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione Beneficii etc., si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.

Die 23. Nov. 1697.

Nulli Sacerdoti licitum esse, aliam eleemosynam accipere praeter illam, quam acceperit ab eo, pro quo missam offere tenetur ac proinde prohibetur, ne dupl. Stipend. pro unica missa recipiatur. S. C. C. 25. Jan. 1659. Aprob. Alex. VII. 29. ejusd. mensis.

Ad dub.: An Sacerdos, qui unum Stipendium accipit pro celebratione missae, v. g. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud Stipendium pro celebratione missae, v. g. pro infirmo, et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa utrique obligationi satisfacere, applicando pro defuncto satisfactorium et pro infirmo impetratorium? S. C. C. resp.:

Non posse satisfacere. Die 13. Dec. 1659.

Alex. VII. damnavit sequ. propositiones:

1. Duplicatum Stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decr. Urb. VIII.

2. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificium unum offere; neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam juramento confirmata danti Stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Romae die 14. Sept. 1665.

(Bull. mag. append. ad tom. VI. p. 1. Ed. Luxemb. 1727.)

7) Integra stip. solvenda sunt.

Vd. *Stipendia* (num accept. licita sit decr. Urbani VIII., Alex. VIII., Innocent. XII., pro missis manualibus; pro missis fundatis.)

8) Liber, in quo describ. Stipend. missar.

Vd. *Missa* (descriptio); *Tabella missar. etc.*; *Stipend.* (num acceptatio etc. et decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679; *decr. Innocent. XII.*), *Visit. de missae celebr.*

9) Majora Stip. quam ab Episcopo taxata.

Episcopus non potest prohibere laicis, ne pinguius stipendium taxa solvant sacerdotibus missam celebrantibus et ne iidem Sacerdotes illud accipere possint etiam a sponte dantibus. S. C. C. 16. Jan. 1749.

Ad dub. An sacerdotibus comprehensis in indulto, de quo agitur, prohibitum sit recipere pro prima missa diei Commemorationis omnium fidelium defunctorum eleemosynam majorem ea quae a taxa synodali seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit, quamvis sponte oblatam in casu? S. C. resp.: Affirmative.

Die 2. Martii 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2277.)

Vd. *Missa in comm. omn. fid. etc.* (t. II p. 108 etc.)

Decretum S. C. Indulgentiis et sacris reliquiis praepositae.

Cum ex veteri more et laudabili Ecclesiae instituto die secunda novembris omnium defunctorum memoria recoli, eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et Ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili

sacrosanctae Missae sacrificio juvari soleant, SSmus Dmus Noster Clemens ex paterna sua caritate erga omnes fideles, tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et caritate Dei nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inhexausto catholicae ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e Purgatorii poenis liberatae ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositorum universali hoc decreto perpetuis temporibus valituro benigne concedit ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum a quocumque Sacerdote saeculari vel cujuslibet Ordinis et Instituti regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata, decernendo tamen ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa licet privilegiata accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Dat. die 19. Maii 1761.

P. Card. Antonellus, Praef.
J. de Comitibus S. C. Ind. Secr.

(Anal. J. P. 1857. p. 1693.)

10) Majora pro Missa in certo altari celebranda.

Celebratio Missae ad certum Altare diebus festis majorem exigit eleemosynam, *Tambur. opusc. de Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 35. et seq., Pasqualig. de Sacrific. nov, Leg. quaest. 913. num. 2.*

(Ex resol. S. C. C. die 17. Sept. 1791. *Spoletana.*)

Celebratio ad certam Ecclesiam vel certum Altare illudque dissitum majorem exigit eleemosynam. *Tamburrin.* opus de Sacrif. Miss. lib. 3. cons. 1. §. 3. num. 35. et seq., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. quaest. 913. num. 2.

(Ex resol. S. C. C. diei 12 Maji 1792. *Novarien.*)

Habenda est ratio de celebratione volita in certa Ecclesia et sub praefixis diebus, quae idcirco ratione majoris incommodi majorem etiam exigit eleemosynam; *Tamburrin.* de Sacrif. Missae lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35., et seq., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. quaest. 913. num. 2., et Sac. Congregatio in Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Maji 1793. *Civit. Plebis.*)

Pro Missis perpetuis et ad certum designatae Ecclesiae Cathedralis Altare celebrandis majus requiritur stipendium, *Tamburrin.* de Sacrific. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35. et 109., *Pasqualig.* de Sacrific. nov. Leg. quaest. 913. num. 2., et Sacra haec Congregatio in Aquen. Reductionis 19. Decembris 1772.

(Ex resol. S. C. C. diei 5. Apr. 1794. *Forosembron.*)

In dissita Ecclesia S. Francisci de Paula ad Montes et ad designatum Altare SS. Conceptionis celebrantes sacerdotes majus ratione majoris incommodi merentur stipendium, *Tamburrin.* de Sacrif. Missae. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 35. et seq., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. Leg. qeaest. 913. nam. 2.

(Ex resol. S. C. C. diei 22. Aug. 1795. *Romana.*)

11) Minora Stip. quam ab Episcopo taxata fuerunt.

Vd. *Stipend.* (taxatio); *Stipend.* (taxatio ab Ep.; decr. *Alexanen;* pro missis manual.; pro missis fundatis.)

Ad dubium: An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam

juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur missas illas ab offerente praescriptas celebrare? S. C. C. resp.: *Teneri.* Die 23. Nov. 1697.

Episcopus potest eleemosynam manualem statuere, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate. S. C. C. 26. Jul. 1689.

(Anal. J. P. 1866. p. 1018.)

Eleemosyna pro unaquaque Missa manuali non potest tradi minor uno Julio, sic expresse statutum est de mandato Clementis XI. die 23. Decembris 1706. ut patet in ejus Bullario, Edicto XII. et sic etiam statuit Sacra Congregat. Concil. 13. April 1726. Unde Episcopus statuere potest, *ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata.* Sacra Congregat. Concil. in S. Severini Eleemosynae Missarum 16. Julii 1697. et in Alexanen. 26. Januar, 1743. Ed id habetur etiam in Notificatione super Eleemosyna Missa edita ab Eminentissimo Card. Lambertino, postea Summo Pontifice Benedicto XIV.

12) Pro missis anticipatis.

Die 14. Decembris 1680.

De anticipata applicatione missarum explodenda. In regesto literarum Sacrae Congregationis (lib. 9., p. 259.) reperitur epistola D. Nuntio Apostolico Hispaniarum directa tenoris sequentis:

Perillustris et Illmus D. Cardinalis Hispalensis superioribus diebus SSmo D. N. literis significavit in sua dioecesi atque adeo in universa Hispania viginti abhinc annis novam consuetudinem recentiorum aliquod theologorum opinione nixam sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes ejus valorem generatim applicent his, qui postea missae celebrationem postulari ac pro ea eleemosynam praebituri sunt, tametsi, antequam missae sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam praestitissent. Quam rem ut Sanctitas Sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro materiae gravitate examinandam rejecisset, in ipsa Congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quae ex ejusdem Congregationis sententia hujusmodi consuetudinem, tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis ac offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimium abhorrentem explosit ac improbavit atque Ampl. Tuae literas dari, quod facimus, mandavit, ut omnibus ipsius regni archiepiscopis atque episcopis, in quorum dioecesibus hujusmodi applicatio in usum inducta fuerit, per literas aut alias scripto injungat, ut talem usum aboleant ac prohibeant, excommunicationis etiam atque aliis quas opportunas et necessarias existimaverint poenis. Idque praecipiat generalibus et capitibus ordinum, quos in ipsis regnis nunc noverit commorari, ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis talibus applicationibus eisdem poenis positis interdicunt. Quae omnia pro tua pietate et SSmi D. N. jussis obsequendi studio Amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem rogamus Deum, ut eam quotidie coelestis suae gratiae donis velit auctiorem. Romae XV. Novembris 1605.

Sed quoniam dubitatur nonnullos adhuc in priori opinione persistere, ex eo fortasse, quod praemissa resolutio non innotescat, quaeritur:

An expediat dictum decretum confirmare et publicare?

Sacra Congregatio Concilii censuit: *Affirmative.*

Votum Cardinalis Casanate.

De anticipata missarum applicatione: An expediat decretum Sacrae Congregationis alias editum sub die 15. novembris 1605 generaliter confirmare ac publicare.

Affirmative per rationes adductas in eodem decreto ac literis desuper expeditis jussu S. M. Pauli V., quae ihodie per extensum proponuntur ac mpressae habentur apud Pasqualig. de Sacrif. tom. I. quaest. 168. n. 3. vers. Tenor autem: Et quamvis contraria opinio a pluribus Theologis fuerit approbata ut refert Pasqualig. ibidem §. 1, attamen receptior ac communior est sententia negativa, ut apud eumdem Pasqualig. n. 2. et nefas hodie foret de ista dubitare, cum extet sanctio S. Cong. et Papae, immo etiam optima ratio quia omnis intentio in sacrificiis debet esse certa et determinata, non vaga et suspensa in futurum: ulterius indecentia patet, cum hujusmodi applicatio pro futuris benefactoribus aquipararetur apothecae, in qua conficiuntur res venales pro futuris emptoribus qui ad apothecam accedent.

Conferunt quae cumulat idem Pasqualig. quaest. 164 et 166 ubi n. 3. applicationem collatam in alienam intentionem limitat, si aliena intentio antecedat, concomitetur oblationem sacrificii, non autem si subsequatur applicationem. Ideoque omnino interdicendi sunt thesauri spirituales, qui conficiuntur ex numero missarum, et applicatione collata in alienam intentionem de futuro, quod etiam Theologi regulares detestantur.

(Anal. J. P. 1864 p. 1004.)

13) Pro missa convent.

Herbipolen.

Episcopus haec exponit: „Ex quo vi conventionis inter SSmum Dominum Pium VII. Summum Pontificem et majestatem suam Maximilianum Josephum Bavariae Regem initae Capitulum Ecclesiae cathedralis Herbipolensis noviter erectum est, usus hucusque erat, ut Dignitarii et Canonici Missam conventualem quotidianam legerent, praebendati autem sive Vicarii munere hebdomadarii in choro fungerentur. Cum autem nunc postuletur, ut etiam Vicarii sive praebendati in turnum celebrandae Missae conventualis intrare debeant, humillime rogo, ut clementissime mihi permittatur sequentes duas quaestiones Eminentiis Vestris omni qua par est reverentia ac devotione decidendas submittere.

1. *An eodem modo, quo Dignitarii et Canonici, etiam praebendati sive Vicarii teneantur ad celebrandam Missam conventualem? Et si forsan affirmative;*

2. *An tunc etiam juxta eumdem turnum Dignitarii et Canonici, sicuti hucusque Vicarii sive praebendati, munere hebdomadarii in choro fungi teneantur?*

„Addo, quod reditus annui sint sequentes. Pro utroque Dignitario Praeposito et Decano 2000 florenorum, pro quolibet e quatuor Canonicis senioribus 1600 florenorum. Pro quatuor Canonicorum juniorum quolibet 1400 florenorum, pro quolibet e tribus Vicariis senioribus 800 florenorum, et pro quolibet e tribus Vicariis junioribus 600 florenorum. Addo porro quod tam ambobus Dignitariis quam quatuor Canonicis senioribus, sicut et tribus Vicariis sive praebendatis senioribus habitatio assignata sit.“

Scriptum fuit eidem Episcopo ut audito Capitulo ac Vicariis referret, an praeter praebendas adsit etiam communis massa distributionum quotidianarum et eorumdem portio assignata sit etiam pro cantu quotidiano Missae conventualis ac responsum hujusmodi

accepit „vi conventionis inter SSmum Dominum Pium VII. Summum Pontificem et Majestatem suam Maximilianum Josephum Regem Bavariae die 5. Junii 1817 initae reditus tum Sedis episcopalis tum Capituli Ecclesiae cathedralis in bonis fundisque stabilibus constituendi essent. Quia autem horum bonorum ac fundorum extraditio ex parte Gubernii civilis nondum facta est, reditus ipsi ex aerario publico, hucusque pecunia, et quidem quolibet mense pro parte rata, solvuntur, ita quidem, ut dignitarii, canonici et vicarii quotannis summam pecuniae illam eamque integram percipiant, quam literis meis designavi . . . Cum itaque hoc modo quilibet dignitarius, canonicus et vicarius reditus suos integros ipse percipiat, nec alia bona capitulum cathedrale possideat, hinc est, quod praeter praebendas nulla adsit massa communis distributionum quotidianarum, ac proinde etiam portio nulla pro cantu quotidiano missae conventualis assignata sit.“

„Interim (exceptis diebus Dominicis, festis de praecepto aliisque aliquibus festis non de praecepto quidem, attamen ritus majoris, e. g. SS. Apostolorum, in quibus missa solemnis cantatur), diebus ferialibus missa conventualis quotidiana sine cantu celebratur, et inter eam horae minores tertia, sexta, et nona a choro recitantur. Dignitarii et canonici juxta ordinem dignitatis et senii hanc missam legunt et pro fundatoribus et benefactoribus applicant, vicarii autem, pariter juxta turnum senii, munere hebdomadarii in choro funguntur. Porro hi eidem vicarii diebus Dominicis et festivis per annum vesperas, quae cantantur, celebrant, exceptis vesperiis iis, quas vel Episcopus vel dignitarii cantant.“

Juxta doctrinas late expositas in Maceraten. missae conventualis nuper propositas inter summaria precum in Congregatione mensis martii patet, celebrationem et applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere incumbere nedum canonicis, sed beneficiariis quoque, mansionariis aliisque, quocumque appellentur nomine, chori servitio addictis. Ceterum pluries S. Congregatio decrevit, ut hujusmodi celebrationi provideretur per eleemosynam ex massa distributionum desumendam, ut constat ab exemplis relativis in Monasterien. Visitationis SS. LL. 6. decembris 1843.

„*Cum vero in praesenti casu constet non adesse hujusmodi massam distributionum, unde eleemosyna haec desumatur, videndum an nihilominus praedictum onus imponendum sit etiam vicariis, ut illum unacum canonicis per turnum subeant, sola praebenda qua fruuntur contenti*, ut quoad mansionarios resolutum fuit in cit. Maceraten., seu potius expediat decernere ut communis massa per contributum conficiatur, ex qua eleemosyna tam pro dignitariis et canonicis quam pro vicariis missam conventualem celebrantibus desumi in posterum debeat, ceu in simillimo casu decisum fuit in cit. Monasterien., in qua proposito 1. dubio:

„*An vicarii ecclesiae cathedralis Monasterien. missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur seu potius illis pro hac applicatione sipendium debeatur a capitulo in casu? Responsum fuit: Negative ad I. partem; affirmative ad II., ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum.*“

„Ceterum illud prae primis interest, ut quotidiana missae conventualis applicatio, sive a solis canonicis sive a mansionariis in canonicorum substitutionem fiat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis non desideretur.

In casu autem quaedam veluti choralium munerum distributio canonicos inter et vicarios consuetudine invecta esse videtur, ut illi nimirum missae conventualis applicationem curarent, isti hebdomadarii officio fungerentur. Hinc ubi ab hujusmodi consuetudine recedendum videatur, et mansionarii sive gratis sive cum canonicis ad sustinendum obligentur, decernendum, an munus etiam hebdomadarii omnibus, dignitariis scilicet et canonicis non exceptis, commune reddendum sit. Quare etc.

„Sacra etc.: *Vicarios teneri ad applicationem missae conventualis per turnum una cum Canonicis, soluto tamen iisdem stipendio ex massa conficienda prudenti judicio episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum; munus autem hebdomadarii explendum esse a dignitatibus et Canonicis diebus festis tantum.*

Die 2. Junii 1860."

(Anal. J. P. 1861. p. 468.)

Injustum est onus celebrandi missam conventualem cum eleemosyna ex massa capitulari detrahenda, quam a se celebranda non esse propugnat Archidiaconus, quia, cum hoc onus inhaereat Canonicis Divina Officia celebrantibus, pro quibus canonicales fructus percipiunt, illud ab ipsis Canonicis per turnum implendum est nullo recepto stipendio juxta *Encyclicam s. m. Benedicti XIV.*, quae incipit *Cum semper*, *Pignatell. tom. I.* Consult. 321. num. 1. et seq., *Ursay.* tom. 2. part. 1. disput. 32. num. 7. et seq.

(Ex resolut. S. C. C. diei 15. Apr. 1780. *Fanen.*)

Ad dub. 1: An Dignitatibus et Canonicis et Vicario perpetuo Cath. Burgi debita sit eleemosyna unius Julii pro qualibet missa conv. ultra emolumenta praebendarum et Vicariae? Et quatenus affirmative, 2. An dicta eleemosyna pro missa conv. Dignitatibus, Canonicis et Vicario perpetuo solvenda sit ex reditibus capituli? 3. An pro missa secunda conv. celebranda in diebus quatuor tempor. et vigiliarum debeant distributiones tam canonicis quam Vicario perpetuo et aliis residentibus? 4. An dictum augmentum sumi debeat ex reditibus Capituli seu potius sit aliunde providendum per Episcopum?

S. C. C. resp. *ad 1*: Per modum distributionis;

ad 2: Affirmative;

ad 3: Affirmative;

ad 4: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 2. et 16. Mai 1716.

Ad dub. 1: An celebrantibus et applicantibus missas conv. solvenda sit eleemosyna a Capitulo?

2. An pro eleemosyna dictarum missarum conv. teneantur contribuere omnes constituentes corpus capituli, sive sint Sacerdotes sive Diaconi sive Subdiaconi et sive participent sive non de massa distributionum?

S. C. C. resp. *ad 1:* Affirmative;

ad 2: Affirmative sed ex massa distributionum.

Die 18. Mart. 1719 ad 2 et 3. *Ferrarien.*

S. Severini.

Septempedana seu Sancti Severini ecclesia nunc duodeviginti praebendas numerat. Non autem una earum aetas, non una conditio. Antiquitus septem habebat, nimirum duas dignitates et quinque canonicatus. Horum usque ad haec tempora vetus commune aerarium, at Sixtus V., qui cathedralem fecit, quinque praebendas addidit, quae alia pecunia gaudent, at iisdem honoribus potiuntur, eadem onera ferunt. Octoginta post et ultra annos duae adjectae sunt ex legato Valerii

Pelliri, quas capitulum admisit, data lege, quod allecti tenerentur, cantare la messa nella sua eddomada, assistere alle procesioni, fare l'eddomade come gli altri canonici," quodque nullum jus haberent a prendere frutti, ne di praebende, ne di distribuzioni del capitulo vecchio, ne del capitulo nuovo. Secutis temporibus aliae quatuor admissae sunt, sed conditionibus iisdem, et peciatim, quae ex legato Amantiae Marguercui anno 1700., et quae ex legato Caroli Casciani anno 1713 erectae sunt.

Usus tulerat, ut quilibet canonicus, qui sua hebdomada *missam conventualem* celebrare debeat, eam quasi pro dignitate die festo tantum caneret, reliquas suae hebdomadae quatuor capellanis, qui in ecclesia sunt, mandaret, soluta tamen a quolibet proprio aere eleemosyna. Hinc fortasse factum. ut aliqui ex canonicis postea existimarent onus hoc capéllanorum proprium esse, atque eleemosynam denegarent; hinc, ut non data eleemosyna, celebratio negligeretur. Huic malo providit Episcopus suo decreto anno 1761., quo neglectas celebrandas jussit, et in posterum a singulis omnino celebrandas edixit.

Obtemperarunt ceteri praeter duos, et quidem novissimae erectionis Margarucci et Casciani, scilicet Severinum Margarucci et Ludovicum Fidi, qui a decreto Episcopi reclamarunt. De eorum quaerelis causa agitur, contradicente tum capitulo tum capellanis.

Ajunt duo, qui repugnant, capellanos servire ecclesiae nullo eisdem circumscripto onere, ideoque hoc celebrandi *Missam conventualem*, ad quam omnes tenentur, qui ecclesiae inserviunt, eis jure ipso injunctum videri, contrarium tantummodo habere locum ubi certis limitibus definitum servitium sit, ultra quos extendi nequeat; atque ita literam encyclicam Benedicti XIV. intelligendam. Praeter haec tenuitatem suorum redituum ostendant, qua ex ipsa lege Benedictina ab hoc onere liberantur.

Ubi vero eleemosyna cappellanis danda esset, illam propugnat eis dandam ab antiquiori capitulo septenario, cui ex liberalitate Innocentii VIII. conspicui reditus accesserunt anno 1489 unione commendae duorum monasteriorum Sancti Benedicti cum onere eos capellanos retinendi; capitulum ipsum eligere, illos suo arbitrio removere: convenire hoc literae encyclicae Benedictinae, qua cavetur *Beneficiatos seu Mansionarios ad Missam conventualem teneri eleemosyna desumpta ex massa distributionum.* Contra haec capellani tuentur, sibi etiam oblata eleemosyna liberum esse hoc officium praestare canonicis: se nullum titulum perpetuum ecclesiae habere, arbitrio veteris capituli admitti, arbitrio retineri; propterea nullo jure cautum, ut hoc onus aliis injunctum impleant: sufficere novis canonicis, et praesertim hisce duobus novissimis, si videant ex majori numero ecclesiasticorum melius decori et ecclesiae consultum sine ulla eorum impensa: injuriam esse, ut alios non legitimo onere gravent, quo suo necessario se ipsos liberent.

His, quae capellani viriliter asserunt, addit vetus capitulum, omnes novos et praesertim sex adlectos post erectionem cathedralis expresse admissos cum onere adimplendi omnia onera; ideoque ad hoc a jure expresse impositum onus teneri, reditus ex beneficentia Innocentii VIII. ipsi capitulo speciatim addictos suos esse integre; ex his unicam consuetam mercedem dandam capellanis: capellanos ipsos suo arbitratu accipi, pro libitu dimitti, eos veluti ecclesiasticos quosdam habendos, quos pro decentiori cultu ecclesiae servando recipi constitutum usque ab initio fuerit: praeterea in-

civile propemodum esse, ut, nullo quaerelas excitante contra id quod antea ab omnibus factum est, quod modo omnes faciant, hi solum et novissimi exsurgant.

Episcopus multa dicit, quo decreti sui justitiam ostendat, multa de recepto usu ante ipsum decretum, quod tantummodo abusum abstulit; tenuitatem redituum excludit, ut patet in ejus relatione, quae circumferetur.

Ad rem facere videtur Lucana Missae conventualis 4. Maji 1750.

Quaeritur:

I. An capellanis seu Mansionariis ecclesiae cathedralis Santi Severini. celebrantibus et applicantibus Missam conventualem in diebus ferialibus debita sit particularis eleemosyna?

Et quatenus affirmative;

II. An et de quibus reditibus ea sit praestanda in casu?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Affirmative a singulis canonicis ex reditibus parochialibus et amplius.

Die 18. Febr. et 24. Mart. 1764.

Caesenaten.

Eminentissimus Episcopus in Visitatione cathedralis exquisivit, num missa conventualis applicaretur pro collegio. Varie responsum fuit. Pars canonicorum responderunt applicari, complures: sub conditione, reliqui: non. Quatuor vero mansionarii, qui per turnum celebrant diebus ferialibus, pariter non applicare. Stantes pro applicationis libertate sese fundant tum in opinione antecessorum, qui paucis exceptis ita existimabant, tum quia in constitutionibus antiquis canonico celebranti dabatur ex massa capitulari eleemosyna, licet sub titulo distributionis, ac demum ultra DD. doctrina quia praebendae canonicatuum sunt adeo tenues ut varii decem, triginta vel quadraginta scuta non excedant; immo aliqui prorsus carent. Mansionarii vero libertatem praetendunt et propter tenuitatem, et quia ita in actis visitationum enunciatur, immo unus ex mansionariis de jure patronatus habet onus missae quotidianae pro fundatore, licet in eadem cavetur de celebranda conventuali in suo turno.

In hac sententiarum discrepantia eminentissimus episcopus, capitulum et mansionarii scriptis amicabiliter precibus Sac. Congregationem consulent super dubiis infrascriptis:

I. An ecclesiae cathedrali adsit obligatio quotidianae applicationis missae conventualis pro collegio?

II. An canonici, qui solis diebus festis de praecepto, tenentur ad celebrandum conventualem per turnum, teneantur applicare pro collegio.

III. An ecclesia teneatur ex massa capitulari (prout hactenus) stipendium eisdem canonicis, hujusmodi missam conventualem celebrantibus, erogare?

IV. An stante paupertate ecclesiae, quae in praesenti non est solvenda, teneantur ipsi canonici subire onus, non obstante praebendarum tenuitate?

V. An dicti mansionarii in eorum turnis teneantur pariter applicare pro collegio? et quatenus negative;

VI. An ad habendam applicationem pro collegio massa capitularis teneatur erogare stipendium celebrantibus?

VII. An in casu impotentis massae capitularis, teneantur canonici onus subire obstante praebendarum tenuitate?

Die 24. Martii 1661 Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, concilii tridentini interpretum, ad suprascripta dubia respondit ut infra scilicet ad primum: affirmative pro benefactoribus, ad secundum: ut ad proximum. Ad tertium et quartum: affirmative. Ad quintum: teneri. Quod

vero ad sextum et septimum: non esse opus responsione.

(Corresp. de Rome 4. Juillet 1850 n. 33. p. 10. Ed. II.)

Hydruntina 1. Martii 1692.

Dubiis: an capitulum et canonici diebus quibus alternis vicibus ex ordinatione ecclesiae tenentur celebrare missam conventualem, teneantur etiam applicare pro populo et benefactoribus, nec eleemosynam pro illa recipere? An idem statuendum stante consuetudine in contrarium non applicandi et eleemosynam recipiendi?

S. C. resp. ad primum: affirmative, et non posse recipere eleemosynam. Ad secundum: ut ad primum, non obstante asserta consuetudine?

(Ibid.)

Tenentur canonici quotidie missam conventualem applicare pro benefactoribus, quia talis missa est pars officii divini et non possunt stipendium aliquod aliunde pro tali sacrificio percipere, consuetudine quacumque in contrarium minime refragante.

(Merat. Rubr. miss. part. 3. tit. 12. et Corresp. de Rome ibid. p. 11.)

Ad dub.: An capellani, beneficiati seu mansionarii ecclesiae cathedralis lucanae teneantur applicare pro benefactoribus in genere missas conventuales, quas celebrant per turnum in casu etc.? et quatenus affirmative,

2. An idem beneficiati seu mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu etc.?

3. An ipsis beneficiatis seu mansionariis, ultra distributiones assignatas omnibus de choro adstantibus eisdem missis conventualibus debeatur eleemosyna pro dictarum missarum conventualium applicatione? et quatenus affirmative,

4. An haec eleemosyna sit detrahenda ex massa communi et propria dictorum beneficiatorum seu mansionariorum, seu potius ex distincta massa canonicorum in casu etc.?

S. C. respondit ad primum: Affirmative et amplius. Ad secundum: ad D. secretarium cum Sanctissimo. Ad tertium: affirmative et amplius. Ad quartum: affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 28. Febr. 1750.

(Corresp. de Rome ibid. p. 35. p. 26.)

Abellinen.

Capitulum cathedralis Ecclesiae Abellinae octo Canonicorum et trium Dignitatum numero componebatur. Anno 1649 placuit Episcopo, Capitulo et Rectoribus trium capellaniarum ss. Annunciationis, ut hae capellaniae in canonicatus erigerentur. Id factum est ea lege a Capitulo indicta novis Canonicis pactoque convento, ne participes essent fructuum atque obventionum sive ordinariorum sive extraordinariorum utque pervices suas servitium praestarent cum aliis antiquae primaeque institutionis Canonicis absque ullo compendio sive eleemosyna aut sacri conventualis aut aliorum Ecclesiae Officiorum: contra vero novos Canonicos participes fecerunt Juris sedendi, honoris cappae magnae et honorum similium. Post has capellanias in Canonicatus erectas nova facta fuit accessio canonicatuum, unius ex duabus capellaniis Rectorum Sodalitii ss. Sacramenti et alterius canonicatus fundationem et dotem contulit Franciscus Imbibo, quae novae accessiones factae fuerunt iisdem Legibus, conditionibus et oneribus, quae data atque imposita fuerant primis novis Canonicis. Demum alterum incrementum factum fuit anno 1701 a sodalitio montis mortuorum erectione novem capellaniarum in canonicatus: his vero superadditis Canonicis montis mortuorum placuit veteribus Canonicis praeter illud agendi

per turnum sacrum conventuale aliud onus adjicere implendi ministerium Diaconi et Subdiaconi in sacris solemnibus, quod ea mente facere expresserunt veteres, ut ipsi, qui de Corpore seu de Massa appellantur, levarentur inde onere sacrorum conventualium et diaconalis ministerii, totum illud rejicientes in alios, quos nuncupabant adjunctos seu della giunta contra morem et consuetudinem retroacti temporis, quo soli primum, inde cum primis adjunctis pertiebantur Sacrorum atque Ecclesiae servitium, retinentes tamen semper stipendium et eleemosynam, quae praestatur ex massa distributionum.

Ab anno 1701 tam primi quam secundi adjuncti impleverunt onus indictum conventumque sacri conventualis agendi, cum vero anno 1744 edita fuisset constitutio: *Cum semper*, optimi sacratissimique Pontificis Benedicti XIV., quae data fuit Vol. 13. Thes. Res. S. Congr. pag. 122. et quam servari jussit Episcopus Abellinensis, adjuncti Constitutionis illius aperta lege et veteres de Corpore, ad sacrum conventuale agendum et sibi ipsis pendendam esse eleemosynam rati preces hac de re obtulerunt amplissimis Patribus, auditoque, ut fieri solet, Episcopo. qui secundum adjunctos respondit, causa definienda proponitur. Veteres urgent pactum conventum, novi urgent pacti iniquitatem: Judicium itaque erit Eminentissimorum Patrum in hac controversia, ut expediant caput unicum, quod subjicimus.

An soli Canonici supranumerarii sive de Adjuncta teneantur subire onus Hebdomadae in Ecclesia cathedrali ac celebrationis Missae conventualis illiusque applicationis pro Benefactoribus absque eo, quod petere valeant eleemosynam a Canonicis antiquioribus in casu?

S. C. resp.: Negative.
Die 6. et 27. Augusti 1746.

Sub die vero 17. Jan. 1747 S. C. resp.: Prae recessu a decisis affirmative soluta tamen a Canonicis antiquioribus eleemosyna missae conv. pro rata servitii debiti ab iisdem Canonicis antiquioribus, Iterum proposito dubio S. C. resp.: *In primo loco decisis esse standum.*
Die 18. Martii 1747.

Ad dub. I.: An onus eleemosynae Missae conventualis sit infixum massae communi distributionum? Et quatenus affirmative,

II.: An idem onus eleemosynae sit deducendum ab eadem massa communi distributionum, antequam fiat earum repartitio, etiam quoad Canonicos jubilatos, in casu?

S. C. resp. ad I: Providebitur in tertio.
Ad II: Negative.
Die 9. Februarii 1760.

Forosempronien.

Archidiaconus cathedralis supplicat declarari: 1. An illis diebus, quibus juxta tabellam Missa conventualis non habet onus certae et particularis applicationis, Canonicus vel Capitularis, qui jure turni illam celebrat, possit pro illius celebratione vel applicatione eleemosynam recipere vel omisso stipendio satisfacere aliis oneribus sibi inhaerentibus ratione alicujus beneficii vel capellaniae? 2. An praefatis diebus, quibus juxta tabellam Missa conventualis non habet onus certae et particularis applicationis et ulterius occurrit casus celebrandi aliam Missam cantatam ratione officii anniversarii vel ex alia causa hujusmodi, possit dumtaxat cantari Missa haec extraordinaria et oneri Missae conventualis satisfieri, mediante celebratione Missae

planae? et quatenus negative; 3. An in casibus et ad effectum de quibus suffragetur consuetudo immemorabilis? 4. An suffragetur tenuitas praebendarum et distributionum capitularium? S. C. respondit in omnibus negative, idemque declaravit atque confirmavit in Lavellen. 22. Martii 1680, non obstante quacumque consuetudine in contrarium et non attenta tenuitate redituum (Mérati Rubr. missal. part. 3. tit. 12.)

Corresp. de Rome II. Ed. 1848—49 pag. 10. 4. Julii 1850.

Ad dub.: 1. An Dignitates, Canonici, Mansionarii et Capellani Capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali Ecclesia Missas conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro Benefactoribus? et quatenus affirmative; 2. An celebrantibus vel applicantibus Missas conventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo? et quatenus affirmative; 3. An pro eleemosyna dictarum Missarum conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes sive Diaconi sive Subdiaconi et sive participent sive non participent de massa distributionum?

S. C. respondit 18. Martii 1619 ad I. affirmative; ad II. affirmative; ad III. affirmative sed ex massa distributionum.

Corresp. de Rome II. Ed. 4. Julii 1850 num. 33. pag. 11.

14) Pro missis fundatis totum stipend. a fundatore designatum solvendum est.

Vd.: *Stipend.* (pro missis manual., pro quibus legendis Sacerdos majus solito etc.; conventio.)

Joseph. Ciambella de Terra Vineanelli civitatis Castellanae in ejus postremis, sub quibus anno 1733 decessit, tabulis disponere volens de scutis tercentum, quae ipse reservaverat in actu universalis donationis per eum initae favore filii Gregorii filiaeque Hieronymae; reliquit uxori suae scuta centum: In reliquis vero scutis biscentum haeredem instituit: *Un opera, o Legato pio, cioe, che seguita la mia morte, li miei Donatarii debbino assegnare per quest' opera, o Legato li sudetti scudi duecento in tanti Censi attivi, e dal fruttatto di essi debbano celebrarsi tanto Messe basse alla ragione di giuli due per Messa in perpetuo per suffragio dell' Anima mia, e remissione de miei peccati nell' Altare della Madona SSma della Presentazione dell' insigne Collegiata di questa Terra di Vignanello, e per l'efetto sudetto subito seguita la mia morte debba la sudetta Girolama mia figlia nominare un Capellano a sua requisizione, ed amobile.* Jus autem nominandi Capellanum reliquit eidem Hieronymae ejusque Descendentibus in infinitum subditque: *volendo et ordinando, che questo sia un mero semplice legato laicale, ne mai in alcun tempo possa mettersi mano ne Monsignor Vescoro, ne la Rev. Fabrica, ne altra Persona privilegiatissima, e non altrimenti etc*

Sequuto Testatoris obitu fuerunt pro hujus pii Operis assignati tot Census in sorte scutorum biscentum, annuique redditus scutorum quatuordecim. Neglexit Hieronyma Testatoris filia neglexitque pariter Joannes Florentini Hieronymae filius Capellanum a Testatore volitum nominare pro praescriptarum Missarum adimplemento sed ipsi solummodo ab obitu ipsius Testatoris integros Legati fructus percipientes celebrare fecerunt anno quolibet a pluribus diversisque Praesbyteris Missas tantum sexaginta soluta eleemosyna unius tantum julii pro qualibet, julio altero penes se retento.

Hos inter Praesbyteros, qui Missas

celebrarunt, recepta eleemosyna julii minus, fuit Sacerdos Eutitius Ciambella, qui cum detexisset eleemosynae retentionem a Patrono factam, supplicavit hanc S. Congregationem pro definitione, an Orator aliique Praesbyteri, qui Missas cum eleemosyna unius tantum julii celebrarunt, integram petere valeant eleemosynam juliorum duorum a Testatore pro qualibet Missa praefinitam. Episcopus narrata confirmans retulit, quod *auditus a me Joannes Florentini respondit, quod se licite gessisse censet, eo quia Clericus conjugatus est, prout talis etiam erat Simon ejus Pater et quia supradictum Missarum onus continuo et integraliter adimpletum pro tempore, quo nonnulli ex praefatis Censibus extincti reperiebantur et rata Capitalis otiosa et infructifera, quae responsio minus apta, immo prorsus inefficax mihi videtur post satis claram super hac re definitionem san. mem. Benedicti XIV. in ejus Apostolica Constitutione, quae incipit: Quanta cura: Quare mihi videtur, quod praefatus Florentini Conscientiae suae providere debeat, restituendo quidquid sibi de fructibus praedictorrm Censuum pro Missarum celebratione integraliter detinuit annuatim ad effectum erogandi vel in aliis piis operibus, prout altiori EE. VV. judicio visum fuerit.*

Et revera Patronum committentem missarum celebrationem non posse sibi retinere partem eleemosynae, quam celebranti dandam praescripserat Testator firmarunt Canonistae et praesertim late *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 4 n. 27. et seqq. et Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2. quaest. 968. cum plur. seqq.*

Ad rem, de qua agitur, quod sequitur, ob oculos habendum est.

Inter Decreta generalia hujus S. Congregationis edita *anno 1625* et approbata a san. mem. Urbano VIII. *in Constitut. 43. Bullar. tom. 4.* a san. mem. Innocentio XII. *ad X. dubium* his verbis conceptum: *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?* responsum fuit: *Debere absolute integram eleemosynam tradere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Item cum *in Romana eleemosynae* diei 23. Augusti 1664 quaesitum fuisset: An id locum haberet etiam, quando Sacerdos, cui Missae celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat, majorem primo Sacerdoti tributam fuisse et nihilominus ipse contentus est minori, S. Congregatio censuit, in hoc etiam casu locum habere praemissum Decretum anni 1625 ut *in lib. 24. decr. pag. 246.*

Rursus in *Causa romana Retentionis eleemosynae Missarum 21. Februarii 1688* cum praepositum fuisset dubium: *An Sacerdos sic electus a Patre Rectore possit dari alteri Sacerdoti ad hoc ut celebret dictas Missas in dicta Ecclesia s. Gregorii juxta eleemosynam currentem,* retento sibi eo, quod superest: S. Congregatio respondit: *Negative, ut in lib. 38. Decret. pag. 90.*

Ac demum in Romana eleemosynae missarum cum praepositum dubium: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probstat sit solvenda ad rationem manualis, itaut liceat Archiconfraternitati unum Julium pro singulis Missis sibi retinere?* S. *Congregatio die 16. Junii 1713* rescripsit: *Ne-*

gative, solutis tamen utensilibus et amplius.

Videndum igitur erit, quatenus Patronus hujus pii Operis restituere deberet, quod sibi retinuit ex eleemosyna celebratarum Missarum, an sit adjudicandum Praesbyteris cum minori stipendio celebrantibus seu potius erogandum in aliarum Missarum celebrationem vel in alia pia opera, ut sentit Episcopus in sua relatione.

Atque hinc ponderandum est quod, quamvis licitum Sacerdoti sit pecuniam recipere pro Missa, illam tamen recipit non quasi pretium Missae sed in causam suae sustentationis juxta doctrinam *divi Thomae Secunda secundae quaest. 100. art. 2. ad secundum ibi: Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiae aut Missae decantandae, hoc enim esset simoniacum sed quasi stipendium suae sustentationis*; et rursus *in quartum sentent. dist. 25. quaest. 3. art. 2., quaestiuncula 1. ad quartum*, et ad ipsum prosequuntur Theologi recentiores, *Card. de Lugo de Sacram. Eucharistiae disc. 22. sect. 1. num. 13., Pasqualig. de Sac. nov. leg. quaest. 903. n. 5. et Maurus in Theolog. t. 3. lib. 12. quaest. 218. n. 4*

Quamobrem si res est de stipendio jam recepto, si eo contentus fuit Sacerdos et si illud jam cessit in ejusdem Sacerdotis sustentationem, quid definiendum sit in hoc casu pertinet ad EE. VV.

A Joanne Florentini Patrono, qui in contradictorem Oratoris se praebuit, nihil habuimus. Quaeritur:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.: Affirmative quoad Oratorem et ad mentem et mens est, quod Episcopus inquirat a Florentinis an haeredes celebrare fecerint annuatim Missas 70 et cogat haeredes eosdem nominare Capellanum ad formam Testamenti Fundatoris.

Die 29. Aprilis et 3. Junii 1780.

Vd.: *Stipend.* (num acceptatio licita sit a Sacerd. etc. a quibus etc., decr. Urb. VIII. n. 6—8. 10.; *Declarat.* n. 6.) *Stipend. pro miss. perpetuis.*

Romana.

Caspar Probstat haeredem esse scripsit Archiconfraternitatem s. Stigmatum s. Francisci. Duo etiam praelegata ei reliquit, alterum nempe scutorum 150 cum annuo onere duodecim Missarum in perpetuum et unius itidem perpetui Anniversarii, alterum unius loci montis, cujus tamen usufructu prius potiri voluit Mariam Lauram Monialem, donec vixerit. Haereditatem vero totam subjecit oneri his verbis exposito: Doppo a sodisfacione de medesimi legati debbano i detti Signori Guardiani vendere, ed alienare tutti li beni ed effetti della mia eredita, ed il ritratto di essi erogare nella celebrazione di tante Messe per suffragio dell' Anima mia, e secondo la mia intenzione, valutando la limosina di esse Messe a ragione di due giulii per ciscuna di esse. Archiconfraternitas die 15. Mai 1720 per modum provisionis deputavit quatuor Sacerdotes, ut Missae Sacrificium quotidie facerent in suffragium Testatoris eisque eleemosynam persolvit in uno dumtaxat Julio: simul tamen postulavit declarari a S. Congregatione num sibi liceret hanc solutionis peragendae normam servare, sibi scilicet adjudicando alium ex duobus juliis, quos Testator assignavit in eleemosynam pro singulis Missis, an vero debeat integra haec eleemosyna Sacerdotibus celebrantibus tradi. Ad rem, de qua agitur, ea, quae sequuntur, ob oculos habenda videntur.

Inter Decreta generalia hujus Sacrae Congregationis edita anno 1625 et

approbata ab Urbano VIII. in ejus Const. 43. Bullar. tom. 4. ac recentius quoque ab Innocentio XII. ad X. dubium conceptum: *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?* — Responsum fuit: *Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Cumque in *Romana* eleemosynae 23. Augusti 1664 quaesitum fuisset: *An id locum haberet etiam, quando Sacerdos, cui Missae celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat majorem primo Sacerdoti tributam fuisse et nihilominns ipse contentus est minori, intelligens alioquin ab eo primo Sacerdote celebrationem sibi non committednam proindeque minorem etiam eleemosynam sibi defuturam esse?* S. Congregatio censuit: In hoc etiam casu locum habere praemissum decretum anni 1625 ut in lib. 24. dec. pag. 246.

In alia Causa *Romana* Legati species facti haec erat. Testator reliquit Ecclesiae s. Joannis Nationis Bononiensis scuta quingenta, quae investiri voluit ad favorem dictae Ecclesiae et perpetuo ex fructibus dictorum scutorum quingentorum dicta Ecclesia seu ejus Deputati pro ea teneantur celebrari facere tot Missas defunctorum pro anima dicti Testatoris, quot importabunt fructus, valutando dictas Missas ad rationem Juliorum trium pro qualibet Missa: cum vero quaesitum fuisset: *An Sacerdoti celebranti pro Anima Testatoris debeatur eleemosyna Juliorum trium in singulis Missis sive potius eleemosyna solita unius et reliquum cedat commodo Ecclesiae?* Die 2. Augusti 1659 S. Congregatio respondit: *Debere Sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum, reliquum vero cedere ad commodum Ecclesiae*, ut in lib. 21. decr. pag. 933.

In *Theatina* cum pio monti mortuorum relicta fuisset Massaria quaedam adjecto onere celebrare faciendi ex ejus fructibus tot Missas ad rationem duorum carolenorum pro unaquaque et expeteretur declaratio, an pius mons teneretur tradere celebranti dictos duos carolenos, an vero unum juxta solitam eleemosynam manualem et alium sibi posset retinere, titulo et causa impensarum? Sac. Congregatio die 7. Julii 1668 rescripsit: dandas esse declarationes editas in Romana 3. Augusti 1658., ut in lib. 26. Decret. pag. 29).

In alia autem Causa *Romana* Retentionis eleemosynae Missarum, cum Cardinalis Corradus in Testamento jussisset celebrari singulis annis Missas triginta in Ecclesia S. Gregorio dedicata per Sacerdotem eligendum a Rectore Domus Professae Societatis Jesu, cui solvi mandaverat pro eleemosyna scuta decem annua ex redditibus suae haereditatis, propositum fuit hoc dubium:

An Sacerdos sic electus a Patre Rectore possit dare alteri Sacerdoti ad hoc ut celebret dictas Missas in dicta Ecclesia S. Gregorii, juxta eleemosynam currentem, retento sibi eo, quod superest?

Sacra Congregatio die 21. Februarii 1688 rescripsit: Negative — ut in lib. 38. Decret. pag. 90.

Recentius vero in una Sancti Severi cum Catharina de Zuccaris imposuisset haeredi onus tot Missarum, quot ferre possent fructus percipiendi ex bonis haereditariis, praescripta eleemosyna ad rationem trium caroleno-

rum pro quaque Missa, Officiales Seminarii, cui portio haereditatis obvenerat, supplicarunt declarari: *An ipsis liceret Missas celebrari facere per proprium Capellanum, soluta eleemosyna manuali unius caroleni, applicando in usus Seminarii alios duos carolenos?*

Et Sacra Congregatio die 18. Julii 1699 respondit:

Affirmative — ut in lib. 49. Decret. pag. 261.

Quaestionem hanc fuse variisque distinctis casibus tractant etiam *Amostaz.* de Caus. piis lib. 2. cap. 4. n. 27. et seq., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. tom. 2. quaest. 968. cum plurib. seq.

Caeterum in casu, qui nunc proponitur, perpendendum videtur, quidnam momenti in utramque partem habere possint plures circumstantiae; prima nimirum, quod non agitur de Missis in perpetuum quotannis celebrandis, sed semel juxta vires haereditatis; secunda, quod Archiconfraternitas non habet solum titulum Executoris, sed etiam Haeredis; tertia, quod eleemosyna duorum Juliorum pro singulis Missis fuit per Testatorem taxata in eadem oratione, in qua Custodes dictae Archiconfraternitatis jussi fuerunt vendere omnia bona haereditaria eorumque pretium erogare pro celebratione tot Missarum; id quod fieri non videretur, si dimidia pars haereditatis cederet commodo Archiconfraternitatis; quarta, quod ipsi Archiconfraternitati haeredi duo praelegata Testator reliquit, non multum tamen utilitatis ei allatura; quinta demum, quod Testator nec certam Ecclesiam, in qua Missae essent celebrandae, nec certas personas, a quibus celebratio esset facienda, praescripsit:

Declarare itaque EE. VV. dignabuntur: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probstat sit solvenda ad rationem manualis, itaut liceat Archiconfraternitati unum Julium pro singulis Missis sibi retinere in casu?*

S. C. C. resp.: Negative solutis tamen utensilibus et amplius.

Die 16. Juni 1731.

Cingulana.

Postremis Tabulis anni 1715 Nicolaus Vanuzzi legavit Capellaniam perpetuam, sed mere laicalem post obitum suae uxoris erigendam in Ecclesia oratorii S. Philippi Neri, atque onus unius Missae in singulas hebdomades imposuit. Jussit porro: che il jus di nominare il Capellano spetti in perpetuo alli R. R. Preti della congregazione dell' Oratorio, i quali abbiano da eleggere un Capellano ad nutum amovibile della medesima Congregazione, o altro sacerdote — Pro fundo vero Capellaniae reliquit praedium cum bonis annexis in Contrada del Pozzo — de quali Beni il Capellano pro tempore di detta mia Capellania debba pigliarsi il frutto —. Anno 1759. defuncta Haerede, PP. Oratorii die 13. Martii venerunt in possessionem Fundi pro Capellania destinati et consentientibus omnibus Individuis tunc in Congregatione existentibus decretum fecerunt, ut Capellanus semper esset Praefectus Sacrarii, cui eleemosyna unius julii solveretur, et reliqui Capellaniae fructus, qui attingebant vix annua scuta viginti, cederent in utilitatem ecclesiae. Ab hinc semper ita factum est, licet nulla intervenisset Apostolica venia, et PP. Oratorii Fundum Capellaniae administrantes eumdem auxerunt emptis nonnullis praediolis eidem Fundo contiguis, ut ex praesenti redditu percipiant annua scuta quadraginta. Sed modernus Rector Congregationis Presbyter Joseph Palozzi verens, ne rite haec facta sint inconsulta sede apostolica, implorat sanationem quoad praeteritum et ap-

probationem illius decreti quoad futurum. Episcopus instantiae favet, ait enim, cum quisque juri suo cedere valeat, idcirco PP. Congregationis decernere potuerunt anno 1759., quemlibet ex ipsis, qui Capellanus nominatus extitisset, unum dumtaxat julium percipere debere pro unaquaque missa. Quod autem pertinet ad caeteros Capellanos imposterum electos, vel praesumi debet laudatum Decretum nescivisse ipsos Patres in actu electionis, illudque simul approbasse, vel admissa eorum ignorantia eidem se subscribere non recusassent, si rescivissent, cum in casu renuentiae caeteri Patres illos Capellanos minime elegissent. Proposita haec causa fuit in postrema Congregatione et vos eam ad Folium ablegastis.

Obstat sane Testatoris voluntas et juris dispositio. Testator onus celebrationis imposuit Capellano voluitque, ut ipse: debba pigliarsi il frutto di detta Capellania. — Quare ejusdem fructus non potest Congregatio percipere, et eleemosynam manualem Capellano solvere. Hoc enim ex jure permissum est, quando ipsi Ecclesiae, in qua fundata est Capellania, injungitur cura celebrationis, ut tradunt Card. *Lugo* disput. 21. de Eucharist. Sect. 2. num. 30., *Aversa* quaest. 11. de Eucharist. 7. 17., *Tamburrin.* opuscul. de Sacrifc. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 5. num. 10., et alias definivit. Sacra Congregatio in Neapolitana eleemosynae Missarum 26. Novembris 1803. Minime vero licet, quando Testator jussit ut stipendium tradatur Capellano, cum ex decretis Sacrae hujus Congregationis ab Urbano VIII. et Innocentio XII. approbatis super celebratione Missarum nefas sit majorem eleemosynam accipere et minorem pro celebratione tradere. Neque probanda videtur ea, quae in precibus afferuntur, ut approbatio concedatur, scilicet quod Capellanus recipiat compensationem in expensis, quas Congregatio Cingulana facit, dum ei sive linteamina sive pharmaca subministrat, quodque Fundum Capellaniae suo sumptu administravit et coluit et auxit. Nam quae subministrat Congregatio, omnibus reliquis Patribus subministrat, non vero uni Capellano, ut compensetur et fructibus Capellaniae, quos ipse non percipit. Expensae vero pro administratione et cultura tantae esse non possunt, ut dempta eleemosyna unius julii pro Missis annuis quinquaginta duabus absumant omnes fructus Capellaniae. Si vero Congregatio auxit fundum, poterit ad summum percipere fructus, qui ex hoc ipso augmento veniunt.

Verumtamen Praepositus pro Oratorio Cingulano sanationem et approbationem Decreti idcirco postulat, quia optime novit illud per se subsistere non posse. Videndum itaque an justa concurrat causa, ut petitioni annuatur. Sane Testator nedum jus nominandi Congragationi Oratorii reliquit, sed etiam ejusdem Presbyteris passivam vocationem. Quare sicut Congregatio poterat semper Presbyterum Oratorii in Capellanum eligere, ita Presbyteri, quorum erat jus passivae vocationis, poterant frui perceptione fructuum Capellaniae. Nullo enim juris canonici loco vetitum est Capellano condonare majus stipendium a Testatore constitutum, quando nullum in donatione pactum simoniacum intervenit. Abest vero in re praesenti omnis simoniae suspicio, cum Capellania addicta non fuit personae, sed muneri Praefecti Sacrarii. Quare cum Presbyteri Oratorii consenserint in Decretum anni 1759., quo eligebantur pro Capellanis Praefecti Sacrarii pro tempore, soluta tamen julii unius eleemosyna, renunciasse videntur majori stipendio, et Successores, qui nunquam recla-



marunt, neque ratum habuisse praesumi debet decretum hujusmodi. Quare ex hac condonatione erumpit causa, cur quoad praeteritum concedatur sanatio et imposterum probetur decretum, praecipue cum fructus, quos percipit Congregatio ex Capellania dempto stipendio pro celebratione Missae, erogentur in sublevanda angustia rei familiaris ipsius Congregationis. Videant igitur Emmi PP., num precibus annuendum sit pro sanatione et approbatione decreti, aucta tamen eleemosyna Capellano celebranti ad manualem currentem.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus sanationi et approbationi Decreti anni 1759. in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative quatenus conferatur Presbytero Oratorii facto verbo cum SSmo.

Die 23. Jan. 1808.

Parmen.

Facultatem habet ad triennium Parmensis Episcopus ex apostolico indulto absolvendi pauperes Sacerdotes et Loca pia ab omissa celebratione Missarum provenientium ex legatis piis, fundationibus beneficiorum et capellaniis, easque quoad futurum reducendi ad taxam Concilii Romani. Quaerit modo, num Beneficiatis locisque piis liceat committere aliis Sacerdotibus celebrationem cum minori eleemosyna? Integra danda est Celebranti eleemosyna, *Amostaz* de Caus. piis lib. 2. cap. 4. num. 27. et seq., et *Pasqualig.* de Sacrific. nov. leg. tom. 2. quaest. 968., et statuit Sacra Congregatio in Decretis generalibus anni 1625 per Urbanum VIII. et Innocentium XII. approbatis ad X. dubium declaravitque in Romana Reductionis Eleemosynae Missarum 21. Februarii 1688. Decret. 38. pag. 90.: ne aliquid sibi retinere valet Sacordos, cui primum commissa est celebratio, licet majoris eleemosynae conscius libenter accipiat Celebrans minorem, ut in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1764. lib. Decret. 14. pag. 246. Haec vero militare videntur pro Missis adventitiis, pro quibus datur eleemosyna ob unum contemplatum Sacrificium, non pro perpetuis, in quibus diversa militat ratio.

Uberior Beneficiatis assignari solet eleemosyna ratione dignitatis, sustentationis et recitationis divini officii; *Barbos.* in Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. de Reform. num. 20., *de Lugo* de Euchar. disput. 21. sect. 2. num. 30., *Pasqualig.* de Sacrifi. nov. leg. quaest. 970., *Amost.* de Caus. piis lib. 2. cap. 4. de Miss. earumque stipendio num. 31., *Piton.* de contr. patron. alleg. 67. num. 9. Ideoque aequum censeri potest et voluntati Fundatorum consentaneum, ut in committenda alteri Sacerdoti celebratione id in eas causas retineant, in quo eleemosyna excedit manualem; quemadmodum declaratum fuit in octavo ex decretis generalibus confirmatis in Constitutione: *Nuper* Innocentii XII.

Quod vero ad Loca pia, si amplior percipitur eleemosyna ex fundo legato ex contemplatione Ecclesiae ac praecipua erga illam devotione licita forsan esset excedentis summae retentio, ut Sacra Congregatio in Romana Legati 3. Augusti 1658. lib. Decret. 21. pag. 933. Nam ad Dubium: *An Sacerdoti celebranti pro Anima Testatoris debeatur eleemosyna juliorum trium in singulas Missas seu potius eleemosyna solita unius julii et reliquum cedat ad commodum Ecclesiae?* Sacra Congregatio respondit: *deberi Sacerdoti celebranti eleemosynam solitam unius julii tantum, reliquum vero ce-*

dere ad commodum Ecclesiae. Si autem ex fundo, qui in majori constitutus sit quantitate ratione utensilium, manutentionis Ecclesiae et administrationis bonorum, tunc his detractis integra fortasse celebranti praestanda est eleemosyna, ut in Romana Eleemosynae Missarum 16. Julii 1731., in qua ad dubium: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probstat sit solvenda ad rationem manualis, ita ut liceat Archiconfraternitati unum julium pro singulis Missis sibi retinere?* Sacra ipsa Congregatio rescripsit: *Negative, solutis tamen utensilibus et amplius.*

Deliberandum hinc erit:

An Beneficiati et Loca pia pro Legatis ad taxam Concilii romani reductis solvere valeant manualem eleemosynam Sacerdotibus celebrantibus, retenta sibi excedente summa in casu?

S. C. resp.:

Quoad beneficiatos affirmative juxta modum, nempe ad formam declarationis octavae Decretorum generalium confirmatae in Constitutione: *Nuper* Innocentii XII.; quo vero ad Loca pia, affirmative ad formam Decreti 3. Augusti 1658.

Die 12. Maji 1792.

15) Pro missis in locis, ubi ex indulto in commemoratione omnium fid. def. duae vel tres missae ab uno Sacerdote eadem die celebrantur.

Vd. *Missa* (in comm. omn. fid. def. in regnis etc.); *Stipendia* (majora Stipend. etc.) *Indulg. alt. privil.* (eccles. paroch., decr. Clem. XIII. ad finem.)

16) Pro miss. benef., quas Sacerdos Beneficiatus infirmitate vel alias legitime impeditus alteri celebrandas tradit.

Vd. t. III. p. II. p. 158. n. VIII.

Ad dub.: An Capellani (Beneficiati) pro aliqua die cujuslibet hebdomadae legitime impediti, qui missarum celebrationi per alium Sacerdotem satisfaciunt, debeant huic Sacerdoti persolvere stipendium pro Capellanis statutum vel solam eleemosynam manualem?

S. C. C. resp.:

Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 14. Apr. 1725. ad II. Neapolit.

Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Constit. *) Urb. VIII. 27. Jun. 1625 sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Attentis his quaeritur:

An hoc decretum habeat locum in Beneficiis, quae conferuntur in titulum, id est, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

S. C. resp.:

Non habere locum, sed satis esse, ut rector Beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundam morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.

Die 5. Julii 1664.

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita etc. decr. Urb. VIII. *Declar.* n. 8. p. 158.)

Si *infirmitas* est brevis, supplere non tenetur Capellanus per alium; secus si est diuturna; *Barbos. de potest. Episc. allegat. 24. num. 31., Cavarr. var. resol. lib. 3. cap. 13. n. 9.* Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii ex decreto *Concilii Mediolanensis VII. tit. de Miss.* extendunt ad mensem, aliique mediam tenent sententiam terminumque statuunt dierum quindecim apud

*) Vd. supra pag. 152.

Cabassut. jur. can. theor. lib. 2. cap. 18. num. 10.; *Sacra C. Conc. in Romana celebrationis Missarum ad III. Dubium: an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? respondit die 17. Septembris 1695: Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies. Benedictus vero XIV. de Sacr. Miss. lib. 3. cap. 3. num. 6.* decisum refert ab eadem Sacra Congregatione die 17. Septembris 1633., Capellanum obligatum celebrare per se ipsum aliquando ex legitima causa vacare posse; sub judice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.

(Ex resol. S. C. C.diei 27. Aug. 1791. *Civit. Plebis.)*

Civitatis Plebis.

Binas anno 1673. ad nutum amovibiles instituit capellanias Antonius Orca *con peso ed obligo a ciasuno, de' Capellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento, tre Messe in ciascheduna settimana nell' Altare di S. Pontiano Martire esistente nella Chiesa Cattedrale di Città della Pieve per refrigerio dell' Anima sua, de suoi etc., volendo, che sempre ed in perpetuo medesimi Capellani godino il frutto, accio mai si cessi dalla celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana.* Ea innixi exceptione, *eccetto in caso di legittimo impedimento*, Missa in casu infirmitatis pluribus ab hinc annis praetermittere consueverunt Capellani, per hebdomadam, mensem et ultra. Aegre igitur hujusmodi consuetudinem ferens Vestrum Civitatis Plebis Antistes occasione visitationis Sacr. Liminum exquirit judicium.

Dubium non est, quin celebrare teneantur Capellani per se ipsos, quum aperta in id sit Fundatoris voluntas. Ponderandum itaque, num exceptio legitimi impedimenti personalem tantum appellet celebrandi obligationem, vel onus etiam celebrationis. Priori namque casu contrariam firmaret regulam, quod Capellani legitime celebrare possent per alios; secundo liberaret etiam ab onere supplendi Missas durante impedimento; *Piton. discept. ecclesiast. 142. num. 5., et de controv. patron. alleg. 33. num. 8., Monacell. form. part. 4. in supplem. ad tom. 1. num. 233.* Ex iis autem verbis: *con peso, et obligo a ciascuno de Capellani de celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento,* restricta videtur ad onus celebrandi per se ipsum, cui immediate adhaeret, per *Text in leg. 1. ff. de regul. jur., Rot. in Recen. decis. 391. num. 1. part. 1.* Idque confirmatur ex sequenti declaratione: *accio mai si cessi della celebrazione delle sudette Messe per ciascuna settimana,* quae respectu ad celebrationem in genere excludere videtur casum impedimenti.

Recepta insuper est distinctio inter onus celebrandi diebus certis et determinatis, aliudque indefinitivum. Qui designatos habet dies, supplere non tenetur in aliis Missas non celebratas, ut suplere non tenetur jejunium, Officium et similia, qui eo in tempore omisit; dummodo praeter cultum Sacrificii Ecclesiaeque servitium volitum non sit suffragium, quo nunquam fraudari debet Fundator, *Pasqualig. de sacrific. Miss.* quaest. 1119. num. 2. Qui indefinite vero certum in hebdomada celebrare debet Missarum numerum, non liberatur ab illarum supplemento, quum absolute volita censeatur celebratio, licet in partes divisa, *Pasqualig. loc. cit.* His positis deliberare dignentur EE. Vestrae, quid decernendum in casu, in quo tres Fundator hebdomales Missas indefinite praescripsit, easque *per refrigerio dell' anima sua, de suoi etc.*

Licet vero acceptus casus impedimenti (quo nomine venit etiam infirmitas) facultatem tribueret celebrandi per alium, quaerendum adhuc esset de termino obligationis. Si infirmitas est brevis, supplere non tenetur Capellanus per alium; secus si est diuturna, *Barbos. de potest. Episc. alleg. 35. num. 31.*, *Cavarr. var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 9.* Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem, alii ex decreto *Concilii Mediolanensis VII. tit. de Miss.* extendunt ad mensem; aliique mediam tenent sententiam terminumque statunt dierum quindecim, apud *Cabassat. jur. can. theor. lib. 2. cap. 18. num. 10.*; *Sac. Congreg. Conc. in Romana celebrationis Missarum ad III. Dubium*: *an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem Missarum per alium? respondit die 17. Septembris 1695*: *Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies. Benedictus verò XIV. de Sac. Miss. lib. 3. cap. 3. num. 6.* decisum refert ab eadem Sac. Congregatione die 18. Sept. 1633., Capellanum obligatum celebrare per se ipsum aliquando ex legitima causa vacare posse: sub judice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.

Dubium est:

An et quomodo Capellani Orea supplere teneantur Missas tempore infirmitatis in casu?

S. C. resp:

Affirmative et teneri per alios Sacerdotes.

Die 27. Aug. 1791.

Cum Beneficiis ecclesiasticis ut plurimum sint adnexa Missarum onera, hinc dubitatum olim fuit, an pro sufficienti Congrua juxta taxam synodalem computandi sint Beneficiorum reditus, deductis oneribus, quibus ea fortasse gravata reperirentur. Opinantur plerique Missarum onera esse detrahenda, quando liberum est Beneficiato illis vel per se vel per alium satisfacere; secus vero quando Missae personalem celebrationem requirunt. Hujus distinctionis fundamentum in eo constituunt, quod in primo casu, si Beneficiatus in morbum incidat, cujus causa impeditus sit Missam celebrare, debet alteri Sacerdoti eleemosynam elargiri, ut Missarum oneri satisfaciat, ac proinde si morbus diuturnus sit, accidere posse, ut Beneficiatus ad extremam redigatur mendicitatem, cui Tridentinum in demandanda Patrimonii constitutione voluit occurrere. Hoc tamen periculum abesset in secundo casu, quia Sacerdos, qui per se ipsum celebrare tenetur, tempore, quo aegrotat, aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione celebrandi per alium juxtra doctrinam *Leandri* cum aliis ab eo allegatis in *oper. moral. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quaest. 19.*

Contra alii arbitrantur in neutro casu Missarum eleemosynam esse detrahendam; siquidem *D. Thomas 2. quaest. 100. art. 2. ad. 2.* asserit, quod eleemosyna, quae Sacerdoti datur pro Missae celebratione, sit quasi stipendium suae sustentationis; hinc nullam dicunt adesse rationem, propter quam Missarum eleemosyna computari non debeat inter reditus Congruae ad Patrimonium requisitae. Nec in minimo abesse ajunt, quod Sacerdos, cui liberum est celebrare per alium tempore infirmitatis, teneatur alteri stipem elargiri, qui Missas adimpleat, nam hic casus infrequens est, et ad eum jura non respiciunt. Advertunt praeterea, hoc idem periculum obvenire posse, quando Beneficiatus per se ipsum Sacra celebrare debet, cum eo casu, si ratione morbi a celebratione praepediatur et infirmitas sit diuturna, non solvitur ab obligatione celebrandi per alium ad tradita per *Card. de*

Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 11. sect. 2. num. 48. et 49, Passerin. de stat. homin. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120.)

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Jan. 1783. *Interamnen.*)

Mediolanen. seu Lauden.

Haec causa descripta fuit in Folio Congr. habitae die 22. Septembris superioris anni, sed definita non fuit ob superventam notitiam obitus Joannis Baptistae Gambaja Capellani, qui controversiam excitaverat. Sed Capitulum Ecclesiae Cathedralis Laudensis Haeres Comitis Moroni Capellaniae Fundatoris cupiens quaestionem definiri pro futuris casibus, in jus vocavit coram hac Sacra Congregatione Cyprianum Arrigoni Successorem Capellanum, speciali citatione contra eum exequuta die 28. praeteriti Mensis Februarii. Et post longam moram illo adhuc non comparente urget pro Causae decisione, non obstante contumacia.

Et disputat, Comitem Moroni nudum scripsisse legatum Missarum: Si celebri una Messa quotidiana sino in perpetuo nella Chiesa di S. Nazaro — et vacationes ex causa infirmitatis limitasse ad decem dies, praescribendo, ut — caso, che il sudetto Sacerdote, o Sacerdoti, che per tempo si elegeramo, non potesse, o non potessero celebrare la sudetta Messa per malatia, o altro impedimento, per dieci giorni sera sculato e non altrimenti: ed ivi nanti sia tenuta dirla, o farla dire; altrimenti il mio Erede non sia tenuto darli l'elemesina e la possi far celebrare da altri Sacerdoti. Quocirca infert, longiores vacationes non esse Capellano infirmo indulgendas, tum ex dispositione juris, ad tradita per *Barbos.* de Offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 24. sub. n. 31., tum fortius attenta voluntate Fundatoris, quae adamussim servanda est, ut firmat *Piton.* discept. Eccles. 2. n. 4.

Nec obstare censet, praedictum Legatum Missarum fuisse in Capellaniam choralem erectum authoritate ordinaria, ex voluntate Parochi Joannis Baptistae Corbella, qui dotem auxit de bonis suis quique facultatem acceperat a Comite Moroni eligendi Sacerdote pro celebratione, concedendogli ancora ampla facolta di poter eleggere doppo la di lui Morte Persona, Famiglia, Capitulo e loro discendenti, o in che modo piu li piacera, di celebrare o di far celebrare la sudetta Messa —. Putat enim, Capellanum infirmum eatenus non teneri alium substituere in celebratione Missarum sibi incumbentium, quatenus onus habeat celebrandi per se ipsum, quod non constat fuisse injunctum in erectione hujus Capellaniae, ut explicant, *Fagnan.* in cap. significatum n. 9. de praebend., *Monacell.* in append. ad tom. 1. formul. legal. adnot. ad decret. de celebr. Missar. pag. 355. n. 6., et San. Mem. Benedict. XIV in discurs. relat. per *Rigant.* ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 63., et quatenus infirmitas longo tempore non sit durata, ut rejecta opinione *Amostaz.* de Caus. piis lib. 3. cap. 6. n. 30. ad 36. de veriori sententia hujus Sacrae Congregationis testantur *Passarin.* de stat. hom. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120., *Monacell.* d. adnot. ad decret. de celebrat. Miss. n. 7., *Rigant.* ad regul. 24. Cancell. §. 5. n. 65. et S. M. Benedict. XIV. de *Synod. Dioeces.* lib. 7. cap. 72. n. 5., et instit. Eccl. 26. n. 6.

Praeterea defendit, erectionem Capellaniae nullo in pretio habendam esse, quia non erat in potestate Ordinarii commutare voluntatem pii Testatoris, qui simplex Legatum Missarum reliquerat, ut ex censura Sacri Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 5. de reform.

tradunt *Garz.* de Benef. par. 1. cap. 2. n. 105., et *Lara* de Annivers. et Capell. lib. 2. cap. 1. n. 23. itaut erectio in eo, quod repugnat voluntati Fundatoris, substineri nequeat etiam ex consensu Patroni et ex augmento Dotis, ut firmat *Piton.* de contr. Patron. alleg. 34. n. 23.

Quod fortius, subditur, in hypothesi urgere, ex quo Capellaniae erectio demandata fuit a Parocho Corbella relative ad Testamentum Comitis Moroni — conforme la pia mente del Signor Maestro di Campo Morone, aderendo alla di lui testamentaria volenta, e facolta da esso a me conferita nel suo Testamento, al quale si abbia relazione. Ideoque extraneas esse generales regulas de Capellaniis praescriptas, quia relative ad Testamentum Comitis Moroni, vacationes ex causa infirmitatis ad decem dies limitantur et obligatio Capellani sumenda est non in abstracto, sed juxta legem fundationis, ut monent *Barbos.* de Offic. et potest Episc. d. part. 2. alleg. 24. n. 26. et *Amostaz.* de Caus. piis lib. 3. cap. 6. num. 2.

Verum Emminentissimus Archiepiscopus auditus super precibus Capellani Gambaja, inclinabat pro validitate erectionis Capellaniae ecclesiasticae, ob facultates a Testatore tributas ut supra Parocho Corbella, cum plena fiducia suae voluntatis, et ex ejusdem erectionis efficacia ei videbatur habere locum censura *Text. in cap. significatum de praebend.*, quod in ea Dioecesi, quoties quis ordinatur ad titulum Capellaniae manualis seu laicalis, idonea exigitur fidejussio alicujus aptae personae, quae suppeditet Ordinato alimenta in casu infirmitatis etc., nulla autem exigitur fidejusso pro casu infirmitatis, de quo supra, quoties quis ordinatur ad Titulum Beneficii ecclesiastici, in qua quidem ordinatione hic non detrahuntur onera Missarum ex redditu Beneficii, et proinde anuus redditus sc. octo supra quadraginta monetae Romanae sufficit pro titulo Ordinandi, etiamsi adnexum habeat onus Missae quotidianae. Hinc Ordinati ad titulum Beneficii ecclesiastici casu, quo infirmentur, ex inveterata consuetudine vigente apud quoscumque timoratae conscientiae, supplere non faciunt Missas, quas Infirmi omittunt.“

Erit itaque definiendum ab EE.VV.: *An Sacerdos obligatus quotidie celebrare per se vel per alium possit pro tempore infirmitatis ultra decem dies ommittere celebrationem, et nihilominus Eleemosynam praetermissae celebrationis consequi in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 23. Aug. 1760.

Juxta Sensum Sac. Congregationis Sacerdos obligatus ad celebrandum per se ipsum tenetur celebrare per alium in casu saltem longae infirmitatis, sic enim resolutum fuit in *Romana* celebrationis Missarum 4. Junii 1689 in casu Capellani, qui erat obligatus ad celebrandum per se ipsum et omiserat propter infirmitatem celebrationem quadraginta sex Missarum: proposito quipqe dubio: *an Capellanus obligatus quotidie celebrare per se ipsum potuerit ommittere celebrationem pro dicto tempore infirmitatis et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi?* Responsum fuit: *Negative et teneri supplere per alium celebrationem Missarum omissam occasione Infirmitatis.* Consimilis est resolutio in alia *Romana* 2. Octobris 1721; praevio quippe voto Emminentissimi D. mei Cardinalis Zondodarii, dictum fuit: Capellanum, qui tenebatur per se ipsum et celebrationem omiserat nonnulis mensibus causa infirmitatis, esse obligatum ad celebrare faciendum Missas, quas non celebravit tempore infirmitatis, et concordat aliud decretum

Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium in Novarien. 17. Maii 1627. apud *Passerin.* de statu homin. tom. 2. quaest. 587. art. 4. num. 1120. ibi: Sacra etc. respondit: *Sacerdotem, cui a Testatore impositum fuit onus quotidie per se celebrandi, si legitime impediatur, quominus id munus per se possit explere, teneri per alium satisfacere oneribus Missarum sibi a Testatore impositis,* et distinguendo inter infirmitatem brevem et longam, ita ut primo casu non teneatur per alium satisfacere, secus autem in secundo, late prosequuntur *Card. de Lugo* de Sacram. Euchar. disput. 21. sect. 2. num. 48. et 49., *Diana* in Edit. Coord. tom. 2. tract. 1. resolut. 59.

(Ex discursu Secretarii S. C. C. diei 8. Aug. 1722.)

17) Pro missis manual., pro quibus legendis Sacerdos majus solito stipendio accepit sed alteri Sacerd. legendas tradit.

Vid. *Stipend.* (integra; taxatio ab Episcopo); t. III. pers. II. p. 158. n. IX.

Ad dub.: An Sacerdotes *), quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

S. C. resp:

Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Die 5. Julii 1664. Cosmus Card. de Torres. Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

*) Vd. Edictum Clem. XI. 23. Dec. 1706. praecipiens, ut sacerdotibus integra eleemosyna (unius Julii) pro qualibet missa absque ulla diminutione tribuatur. (pag. 170.)

Vd. *Stipendium* (num. accept. licita sit a Sacerdot. etc.; a quibus etc. decr. Urb. VIII. n. 2. et *Declarat.* n. 10 decret. S. C. C. diei 13. Maii 1679; Institut. Alexand. VIII.; Innocen'. XII.) *Stipend.* (taxatio ab Episcopo, decr. *Alexanen.*) *Stipend.* (pro missis fund. totum a fundator. etc.)

Mandavit Comitissa Victoria Maria Muti celebrationem missarum binarum quotidie cum eleemosyna duorum Juliorum pro qualibet, excludendo erectionem capellaniae seu Beneficii, sed tantum celebrationem praedictam.

Quaeritur: an possit dari Substituto eleemosyna, quae in usu est, retento sibi eo quod superest?

S. C. C. resp.: Negative; die 7. Maii 1672.

Romana Retentionis Stipendii Missarum. Quum Card. Corradus in testamento jussisset celebrari singulis annis missas 30 in Ecclesia in honor. S. Gregorii Deo dicata a sacerdote eligendo a Rectore domus professae Soc. Jesu, quaeritur: An Sacerdos sic electus a P. Rectore possit dare alteri sacerdoti ad hoc, ut celebret dictas missas, juxta eleemosynam consuetam, retento sibi eo, quod superest?

S. C. C. resp.: *Negative.* Die 22. Febr. 17. Jul. 1688.

Alexander PP. VII. damnavit propositionem:

Post decr. Urb. VIII. potest Sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

Romae die 14. Sept. 1665.

Vd. Bull. mag. r. append. ad tom. VI. p. 1. edit. Luxenb. 1727.

Missas plures, quam ab eo intra bimestre persolvi possint, sacerdos non susci-

piat, nisi offerens dilationi expresse consentiat. Qui stipendio manuali accepto obligationem missam celebrandi alium in presbyterum transfert, integram eleemosynam, licet stipendio ab antistite statuto major sit eidem erogare tenetur, nec partem retinentem juvaret, quod alter rei certior factus consensum tribuerit; quippe non de privatorum commodis, sed de sanctissimae rei decore agitur. Alia tamen missarum fundatarum conditio; eas enim, cui stipendium adjunctum beneficii titulo debetur, per alium sacerdotem persolvere potest, retenta ea stipis parte, quae stipendium ab episcopo constitutum superat.

(Ex conc. provinc. Viennens. 1858 celebrato c. V. Analecta J. P. 1861. p. 372.)

Benedictus PP. XIV.
VV. FFr. Archiep., Episcopis universis.

Quanta cura adhibenda sit, ut SS. missae Sacrificium non solum omni religionis cultu et veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes et alia simoniaca et turpes quaestus e medio tollantur, nemo ignoret.

Verum eousque tandem progressa est nonnullorum sive ecclesiasticorum sive laic. virorum avaritia, ut eleemosynas quidem seu *Stipendia propter missarum celebrationem,* juxta locorum consuetudines vel dioeces. Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus, praescripta, *colligant, missas vero celebrari curent alibi, ubi stipendia pro singulis missis attributa minoris* sint pretii, quam illic, ubi accipiuntur.

Id quam absonum sit et alienum ab ipsa sive expressa sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est, in illa enim potius missas celebrandas esse quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulo ductus eleemosynas confert aut in qua quispiam fortasse tumulatus est quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.

Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Rom. Pontifices decretum voluerunt, nimirum: *a quolibet Sacerdote stipendio majoris pretii pro celebr. missae a quocumque accepto, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium accepisse indicasset.*

Eapropter vos, Venerabiles FF., rogamus et maximopere in Domino hortemur, ut enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinquatur. Universis notum facite, quemcumque contrafacientem Laicum praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcunque, sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium nisi per Nos ipsos seu Rom. Pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit.

Datum Romae die 30. Jun. 1741.

(Bull. r. t. XV., p. 35. Anal. J. P. 1864. p. 972.)

Benedict. PP. XIV. ad Episcopos Prov. Pedemontanae. V. Archiep. Tauriensi.

Pro eximia tua pietatate observantiaque, quam canonicae disciplinae praestare debes, Venerabilis Frater, quem pastoralis creditarum tibi ovium cura jamdiu laudabiliter impensa commendat, plane non dubitamus, quin permolestum quoque Fraternitati tuae accidat, quod Nos per alias nostras in simili forma brevis literas ad universos Catholici Orbis Antistites, hac ipsa die datas ac typis impressas, tibique cum hisce insimul reddendas, non sine effusis lacrymis communicamus. Etsi autem detestabilem in Missarum celebratione mercaturam, de qua tantopere quaerimur, alibi etiam fieri accepissemus, non ea tamen nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quanta a nonnullis Pedemontii ecclesiasticis et laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut salutare, ad tam sordidae negotiationis et criminis notam a Dioecesibus Pedemontii penitus delendam, remedium adhibere satageremus. Verum Nos, ne opinionem, quam omnes de ecclesiasticae disciplinae decore et observantia in Pedemontii Dioecesibus vigente habent, minuere videremur, et ut debitis Apostolicae sollicitudinis officiis faceremus satis, id scribendi inivimus consilium.

§. 1. Itaque, quemadmodum facile hinc perspicis, Venerabilis Frater, non obscurum hac in re peculiaris nostrae erga unumquemque Pedemontii Antistitem caritatis testimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate quam pro nostrae providentiae ratione operam colloces, ut de contagione mercaturae hujusmodi penitus extincta tecum gratulemur.

§. 2. Verum si malorum hominum per icacia tanta fuerit, ut, poenis per easdem literas nostras irrogandis arroganter despectis, ad eam confrigendam Brachii saecularis auxilio tibi opus sit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius, quam optas, tibi praesto sit.

Die 30. Juni 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 57.)

Sacerdos faciens ab altero celebrari Missam cum minori eleemosyna ac sit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suae obligationi et tenetur ad restitutionem. Sacra Congreg. Concil. in Anconitana 5. Julii 1664. lib. 24. Decretor. fol. 196.

Sacerdos, cui fuit data eleemosyna pro Missa, non potest illam alteri Sacerdoti celebrandam dare, aliqua eleemosynae parte sibi retenta, etiamsi secundus Sacerdos id sciat et contentus sit. Sacr. Congregat. Concilii in Romana Eleemosynae 23. Augusti 1664.

Ad dub: An eleemosyna Missarum tam adventitiarum quam fundatarum integra dari debeat celebrantibus vel potius an et quae pars detrahi possit et in quem usum applicanda?

S. C. C. resp.: Servetur solitum, dummodo pars detracta integre applicetur in beneficium Sacrarii ecclesiae.

Die 21. Aug. 1734.

Bononien.

Pius testator ita disposuit: Item lascio, voglio e comando all' infrascritto mio erede ed a qualunque persona perveniranno i miei beni che debba far celebrare una messa quotidiana in perpetuo per suffragio dell' anima mia e dei miei antenati, obligando a questo tutti quei che succederanno nella mia eredità.

Nuper hujusmodi celebrationis onus suscepit sacerdos Orator, qui se aequi-

parans Capellanis semel in hebdomada a celebratione vacavit. Quaerit:

An hoc ei licuerit? Et quatenus negative; an pro supplendis dictis vacantiis satisfecerit tradendo sacerdoti in alia regione celebranti eleemosynam juxta morem illius regionis, retento sibi reliquo, in quo eleemosyna suae patriae illam excedit?

Die 13. Martii 1677.

Negative ad utrumque.

(Anal. J. P. 1864. p. 976.)

Pro Ven. Monas. S. Gregorii Urbis. Emme. et Rmme. Dne.

In Congregatione habita sub die 22. Februarii prox. praeter. fuit propositum dubium de quo in calce num. unico: An scilicet Sacerdos, qui pro eleemosyna Missae recepit stipendium pingue possit dare alteri sacerdoti pro celebranda d. Missa eleemosynam congruentem, retento sibi quod superest, et responsum fuit: *Negative.*

Jure quidem merito pluries haec Sacra Congregatio damnavit tale lucrum in simplicibus Sacerdotibus, ut refert novissime *Pignatell.* Consult. Canon. tom. 4. consul. 223. a n. 1., *Passerin* de stat. homin. in tom. 2. q. 185. art. 4. n. 863. §. Ac similiter et alii Canonistae alibi passim et ut ex decreto praed.

Nec obstare poterunt nonnullae resolutiones Sacrae Congregationis, ut audivimus ex adverso, allegandae, quia pro omnimoda earumdem concordia distinguendi sunt duo casus: alter quando Sacerdos, qui vult sibi stipendium retinere, est Capellanus, Parochus seu rector alicujus ecclesiae, quia tunc Capellanus habens pinguem praependam cum certo onere missarum otest alteri demandare celebrationem, soluta congrua eleemosyna et residuum poterit lata conscientia retinere, ut beneficiatus et rector dictae Capellaniae seu beneficii. *Barbos.* de offic. paroch. p. 1. cap. 91. n. 13. et ratione assignat., *Diana* verb. missar. stipendium n. X. fol. lib. vers. quia his stipendium non solum datur pro sacrificio etc.

Alter casus est in eo, qui ad solum intuitum sacrificii dat seu reliquit pro eleemosyna scut. 10. alicui simplici sacerdoti, ut celebret missam unam et tunc non poterit dictus sacerdos solvere congruam eleemosynam alteri sacerdoti retinendo pro se residuum absque incursu peccati mortalis et obligatione restituendi et tradendi summam sacerdoti, qui celebravit, ut prosequitur *Pignatell.* de consul. 223. n. 7. ubi quod illa eleemosyna uti infixa illi oneri missae et data est solum intuitu sacrificii, cessante in sacerdote onere et sacrificio, cessat titulus retentionis pecuniae et consequenter subintrat peccatum retinendo alienam mercedem et obligatio restituendi ut latius *Pignatell., Barbos.* de pot. Episcopi p. 2. alleg. 24. n. 11. ubi, relata contraria opinione, postea testatur illam non esse sequendam ob superventum decretum hujus Sacrae Congregationis de anno 1695: ibi *prohibetur* sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat; Pignatell. testatur vidisse aliam consimilem resolutionem anni 1664. die 5. julii Anconitana eleemosynae et quid ita esse consulendum et ipse consuluit *Barbos.* de off. Paroch. p. p. cap. 11 n. 13. ubi supra allegatus n. 10 in fine, ibi: „Si majus stipendium datur solum intuitu sacrificii sacerdos non potest retinere, si vero intuitu personae, potest."

Indagando igitur an et in quo casu versemur, certum est et nos versari in 2. casu de dante ac demandante eleemosynam certam pro certo numero

missarum, dum Cardinalis Corradus sic ait ibi: „Celebrentur missae triginta pro anima papae Innocentii per sacerdotem etc. cui solvantur pro eleemosyna scut. decem", ut latius d. n. unico, ita ut d. scut. decem sunt stipendium missae. *Dian.* in Summa, verb. missar. stipendium, 6. Fol. mihi 614. ibi „Stipendium missae dicitur eleemosyna quae sacerdoti offertur pro munere celebrandi."

Si ergo d. Adversarius electus uti simplex sacerdos ad celebrandum dictas missas has missas non celebret eleemosynam illam et ut dicitur stipendium exuberans non percipere et tuta conscientia valet pro se retinere, quia cessante titulo, cessat retentio. Est enim eleemosyna cum suo onere missae dicendae et non praebenda beneficii, capellaniae, parochiae, ut dicit *Pignatell.* d. n. 7. et alii supra laudati.

Borbos. de potest. Episc. p. 2. alleg. 24. num. 11., *Dian.* in Summa, verb. missa quoad stipendium n. 10. fol. 616. ubi rejicitur opinio Vasquez.

Quare etc.

Joseph Lonio.

(Ibid. p. 1017.)

Beatissime Pater!

Vic. gen. Eystett., Michael Fries, humillime SS. Vestrae exponit, in nonnullis paroch. Ecclesiis suae Dioecesis tantum missarum tum in cantu tum sine cantu fundatarum reperiri numerum, ut per eorum rectores coadjutoresque satisfieri nequeat. Quum vero missae praedictae cum certa eleemosyna majoris communiter pretii fundatae sint taxa per legem dioecesanam statuta, detracta jam in ipsa fundatione pro fabrica ecclesiae dimidia redditUum parte, oritur dubium:

1) Utrum vigore Constitutionum Innoc. XII. dd. 23. Decbr. 1697. et Bened. XIV. dd. 30. Juni 1741 sacerdoti, cui celebratio missarum sive in ipsa ecclesia sive in alia committitur, tota eleemosyna per fundationem statuta solvenda sit — an vero sufficiat, ut eadem solvatur taxa per legem dioecesanam statuta, reliqua parte rectori reservata?

2) Et quatenus affirmative, humillime petitur facultas cum ejusmodi parochis dispensandi circa censuram et restitutionem.

S. C. C. resp.: *ad 1:* Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2: Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia absolutionis ac condonationis injuncta singulis rectoribus seu parochis salutari poenitentia prudenti Episcopi arbitrio, iisque graviter monitis, ut in posterum a similibus omnino se abstineant.

Romae die 11. Junii 1858.

Dispensatio ab hoc praecepto.

Missionarii et Pastores in Hollandia aliisque regionibus haereticorem et infidelium subjectis exponunt ad eorum notitiam devenisse *Breve* Bened. XIV. de 30. Jun. 1741 incipiens: *Quanta cura adhibenda sit**), in quo clericis et sacerdotibus quibuscunque recipientibus eleemosynam seu stipendia pro celebrandis missis districte prohibetur, ne retenta sibi parte eorundem stipendiorum aliis sacerdotibus committere possint celebrationem earundem missarum cum minori stipendio, adjuncta poena suspensionis reservatae Sanctae Sedi ipso facto incurrendae. Quoniam vero in illis regionibus nulla adsunt

---

*) Vd. supra p. 219.

beneficia ecclesiastica seu certi redditus ad vitae sustentationem, Pastoribus et Missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pinguia missarum stipendia pro earundem missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis sustentationem recipiant in defectu, ut supra, beneficiorum seu certorum reddituum ecclesiasticorum.

Quandoque vero eadem stipendia dantur ratione quidem particularis affectionis vel gratitudinis erga illos Missionarios, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem; multoties vero praesertim in exequiis, aniversariis et majoribus festis supradicta stipendia dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacrament. Poenitent. et s. communionis ex pia devotione solent conferre fideles.

Quae cum ita sint, Pastores et Missionarii nullam habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et missarum celebrationem committere et demandare aliis sacerdotibus indigentibus cum minori stipendio et praesertim illis sacerdotibus, qui sub nomine sacellani sive coadjutoris assistunt et vicem eorundem Missionariorum gerunt, quando sunt absentes et morbo impediti aliisque in similibus necessitatibus. Quodsi Missionarii et Pastores tenerentur totum deinceps tradere stipendium receptum pro celebratione missarum sacerdoti substituto, qui sacrificium offert, vel ipsi Missionarii et Pastores congrua sustentatione privarentur vel si partem et portionem dicti Stipendii dare nequirent sacerdoti celebranti, praecipue pro sacellanis et coadjutoribus, ut supra, necessarium hujusmodi subsidium deficeret in illis regionibus in quibus redditus certi et beneficia pro ministrorum Ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur circumstantiis sedulo perspectis licet, devotissime Sanctitatis Vestrae Oratores pro certo habeant, quod in Brevi supra commemorato pro celebratione Missarum nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem stipendii accepti pro celeb. missarum et cum minori stipendio aliis sacerdotibus missas committere: nihilominus veluti obedientissimi filii et metu suspensionis incurrendae perculsi demississime supplicant pro opportuna declaratione.

SS. D. N. Benedict. XIV. declaravit, in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus et insuper mandavit hanc piae mentis declarationem praedictis Oratoribus aliisque, quibus opus fuerit, per Officium s. Poenitentiariae esse significandam.

Romae die 6. Apr. 1742.

V. Petra Card. Major. Poenit.

18) Pro missis in Nativit. Dom. et in commem. Omn. fid. def. celebrandis.

Vd. *Nativit. Dom.* (tres etc.); *Missa* (in commemor. Omn. fid. def. in regnis, t. II. p. 108); *Stipend.* (majora Stip. etc.)

19) Missar. omissarum.

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita sit etc., *decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679 et sequentia vota; decr. Alex. VIII. et Innocent. XII.*); *t. III. pars II. p. 164 etc.*

Frequenter sunt supplices libelli a SSmo D. N. et a sacra Poenitentiaria ad hanc Sacram Congregationem remissi pro obtinenda condonatione missarum non celebratarum; sed quia difficillimum ac pene impossibile videtur tutam aliquam resolutionem desuper capere nisi praecognitis facti circumstantiis, ex quibus judicantis arbitrium regulatur, opus visum est in

praesenti folio recensere praecipue capita, ad quae praefati supplices libelli rediguntur et eorum singulis contraponere, quae in facto praescienda videantur, ut Emmi Patres non dedignetur addere, minuere et adnotare prout et eximiae eorum sapientiae atque prudentiae videbitur.

I.

Alii sunt Regulares missionarii allegantes pecunias pro eleemosyna celebrandarum missarum collectas, partim in furto subtractas, partim ex mercatorum devotione inexigibiles redditas.

Exprimendae videntur circumstantiae personarum, locorum et temporum, ut dignosci possit, an adsit necne impossibilitas satisfaciendi et resideat dumtaxat penes eum, qui recipit eleemosynas, vel penes ecclesiam, vel penes totum assem annui redditus missionis.

II.

Alii sunt regulares Sacrariis ecclesiarum praefecti, qui eleemosynas manuales partim in proprium, partim in Sacrarii usum errogatas asserunt, nec tamen missas celebrari curarunt.

Exprimendae itidem videntur circumstantiae praefatae, videlicet personarum, locorum et temporum, cum semper hujusmodi articulo multae occurrant inspectiones.

Quo enim ad praefectos sacrario, qui eleemosynas in usus proprios converterunt, plures casus sunt distinguendi.

Aut enim isti erant incapaces illas recipiendi, quia nempe sunt capuccini, reformati s. Francisci et similes, vel quia in proprio et particulari loco ecclesiae aderat capsula pro colligendis eleemosynis missarum et his casibus obligatio satisfaciendi non videtur quoad personam recipientis, cui stante satisfaciendi impossibilitate concedenda videtur condonatio et injungendum aliquod opus pium, addita clausula *quatenus ad pinguiorem,* casu quo sacerdos sit saecularis.

Aut non erant eleemosynas recipiendi incapaces et hoc casu videtur teneri conventus vel ecclesia, cujus superior invigilare debebat an Sacrario praefectus esset integrae fidei et an missas celebrari curaret ad mensuram eleemosynarum.

Quo vero ad illos, qui non in proprios ecclesiae usus eleemosynas erogarunt, absolute dicendum videtur ecclesiam seu conventum teneri ad satisfactionem.

III.

Alii sunt sacerdotes saeculares, qui consumptis pro sua suorumque substentatione eleemosynis manualibus, allegant satisfaciendi impotentiam, attenta eorum inopia.

His indulgenda videtur condonatio vel in totum vel pro parte, in qua satisfacere nequeunt, cum clausula *quatenus ad pinquiorem* etc.

IV.

Postrema sunt Ecclesiarum capitula quae pro causa omissae celebrationis allegant diminutionem reddituum vel penuriam sacerdotum.

Plures casus videntur distinguendi et primus quando praetensa reddituum diminutio contigit in fundo seu dote relicta ab eo, qui mandavit celebrari missas.

Secundo quando contigit in universo reditu ecclesiae, cui incumbit onus missarum ad illud fortasse obligato.

Primo casu aut non supererat eleemosyna manualis correspondens numero missarum celebrandarum et facienda est condonatio pro portione excedente eleemosynam; aut supererat eleemosyna manualis et tunc non est locus condonationi.

Secundo casu idem quod supra dicendum videtur et eadem servanda regula.

Verum alia occurrit inspectio. Ponamus enim, quod decem abhinc annis celebrandae erant mille missae a quodam capitulo vel conventu; canonici vel regulares tunc temporis celebrationem omiserunt, nec hodie reperiuntur amplius in humanis. Quaeritur, an canonicis seu regularibus successoribus facienda sit condonatio vel potius remaneant pro celebrationis implemento obligata bona capituli vel conventus, vel haeredes canonicorum defunctorum? Et quatenus agendo de regularibus obligata remaneant bona conventus, an obligatio hujusmodi locum habeat etiam si ejus redditus vix sufficiat pro alendo sufficienti regularium numero?

Caeterum quando pro causa omissae celebrationis adducitur sacerdotum penuria, quae fortasse auxit quantitatem eleemosynae manualis, procedendum videtur cum eadem distinctione, an redditus fundi seu particularis dotis relictae vel Ecclesiae forsan obligatae satisfuerint, necne.

(Mss. Casanat. t. IV. pag. 464.)
Die 19. Augusti 1684.
(Anal. J. P. 1864 p. 1014.)

20) Pro missis perpetuis.

Vd.: *Stipend. pro miss. fund.*

Missarum eleemosyna pro oneribus perpetuis quamvis in Concilio Romano sub san. mem. Benedicto XIII. celebrato anno 1725 praefinita fuerit in ratione obulor. 20. pro qualibet Missa, nihilominus advertit san. mem. Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. ult. n. 35. in more positum esse, ut quando S. haec Congregatio facultatem tribuit Episcopis Missarum onera reducendi, eleemosynam praefiniri mandet in ea quantitate, quae vel ex synodalibus Constitutionibus vel recepta regionis consuetudine praestari pro Missis manualibus solet.

Caeterum dum agitur de perpetuis Missarum oneribus, si nondum Testatoris dispositio exequutioni mandata fuerit et ob redituum tenuitatem sit locus reductioni, tunc eleemosyna in ratione taxae perpetuae constitui solet, ut in Praenestina 15. Julii 1709, in Nepesina reductionis onerum 24. Junii 1734, in Viterbien. Capellaniae 11. Januarii 1735. Si vero sit decernenda reductio post jam exequutam Testatoris voluntatem, in isto casu, ut ea minori quo fieri possit detrimento sequatur, manualis eleemosyna constituitur, ut in Burgi s. sepulchri reductionis Missarum 30. Martii 1748, in Nepesina reductionis Missarum 15. Februarii proxime elapsi et alibi passim.

Ponderandum denique, an ratio haberi debeat periculi diuturnae Beneficii vacationis et difficultatis inveniendi Sacerdotes, qui pro manuali eleemosyna Missas celebrare velint, ut omnibus perpensis circumstantiis decernatur.

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Maii 1772 *Aquen.*)

Sacrae hujus Congregationis Sententia est, praefiniendam Missarum eleemosynam ad rationem *perpetuae* juxta Regionis morem ante acceptationem Legati cum Missarum, ut in *Praenestina* relata per Summaria Precum *15. Junii 1709 ut in lib. 59. Decret. pag. 217, in Romana* similiter relata per Summaria Precum *27. Februarii 1734* ut *in lib. 84. Decret. p. 120 terg., in Nepesina Reductionis Onerum 24. Julii 1735, in Lucana Applicationis Missae quotidianae 12. Februarii 1735 et in Viterbien. Capellaniae 21. Januarii 1744.*

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Nov. 1781. *Senogallien.*)

In perpetuis oneribus duplo major praefinienda erat eleemosyna ex notissima Regula, de qua *Scarfant.* ad Ceccoper. lucubrat. can. lib. 3. tit. 13. num. 6. *Rota* in nuper. decis. 88. num. 6. tom. 6., et S. Congregatio in

Bononien. Commutationis voluntatis 21. Junii 1794.

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Aprilis 1802. *Urbinaten.*)

21) Pro missa pro populo applicanda.

a) Si Canonicus vel Archipresbyter est parochus.

Ad dub.: An Capitulum teneatur praestare Canonico Parocho eleemosynam pro applicatione Missae pro Populo?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 8. Augusti 1744.

Die vero 5. Dec. 1744 resp.: Negative.

Ad dub. 1: An Archipresbytero sit solvenda eleemosyna a Capitulo, aut Vicariis sit solvenda ab Archipresbytero vel a Capitulo? Et quatenus affirmative vel quoad primam vel quoad tertiam partem;

2: An Eleemosyna desumenda sit ex Massa distributionum in casu?

S. C. resp. ad 1: Negative ad primam partem et quoad secundam eleemosynam esse solvendam Vicariis ab Archipresbytero et amplius;

ad 2: Provisum in praecedenti.

Die 18. Decembris 1745.

b) Si Parocho binatio est licita.

Vd.: *Missa* (descriptio.) *Sacrista* (munus.) *Indulg. alt.* (Eccles. paroch.) *Reductio missarum; Tabella missarum; Clavis pro capsula Stipend.; Missa* (obligatio celebr.); *Missa* (applicatio; decr. n. 5014 dub. II.)

Ad dub.: 1. Parochus Heistermacen. in Kelken hujus Dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus Dom. et festivis bis celebrandi in Ecclesia parochiali et pro hoc Officio suscepto a Parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, Sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur: num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc Missam secundam, de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro Populo sive Parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, ut ipsam Missam parochialem, numquam pro praeterito, propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

2. Deinde saepius in hujate Dioec. contigit propter latitudinem Parochiarum, quod in iis Sacella inveniantur, ubi Dom. et festivis diebus sive ex fundatione sive ex contractu Parochi et Parochianorum Missa celebrari debeat pro incolarum ab Ecclesia Parochiali remotorum imprimis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo quod si per fundationem vel contractum de applicando Sacro ad certam intentionem nihil statutum sit in ejusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro tempore permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide ea usi sunt?

S. C. resp. ad 1: Negative in casu;

ad 2: Posse permitti.

N. 5014 die 14. Junii 1845.

Continuatio ejusdem causae.

Plures theologi inter quos Emmus Card. Gousset (theol. mor. 1. 2, n. 290) et reveren. mem. D. Bouvier, Episcopus Cenomanensis (de eucharistia c. 6. art. 3.) gratuitae hujus applicationis obligationem negant.

Quae cum ita sint, humiliter postulo sequentium dubiorum solutionem.

1. An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante reddituum exiguitate?

2. An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur?

3. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur?

Quod si juxta plures edita a S. Concilii Congregatione decreta haec obligatio supersit ac maneat, necessariam dispensationem enixe imploro, „ut dioecesis meae parochi, qui bis diebus dominicis et festis celebrant, unius missae, alii sero sacerdotes, qui curam animarum non habent, missae utriusque liberam habeant applicationem ac licite pro iis stipendium percipere valeant uti hucusque bona fide perceperunt". Ad hanc indulgentiam movere posse videntur multorum res valde angustae et eleemosynae multipliciter ac saepe in bona diversi generis opera erogandae.

Si vero hanc dispensationem Sacra Congregatio non ducit in futurum concedendam, ipsam humiliter rogo „ut pro praeterito saltem, attenta bona fide, condonationem benigne indulgere dignetur". Hucusque Archiepiscopus.

Praenotandum in facto, praemissa narratione cl. mem. antecessorem Episcopum N........ confirmationem facultatis binandi pro suae dioecesis parochis postulasse „Pastores et vicarii qui, duabus distinctis et distantibus deserviunt ecclesiis sive in eadem parochia sive in diversis vicis positis sive illarum una in altera parochia pro tempore pastore orbata existat, hi soli poterunt memorata facultate (scilicet bis in die missam celebrandi) ut in diebus commemorationis etc."; ad cujus preces relatum rescriptum prodiit.

In jure autem haec prae oculis habenda videntur. Qui animarum curam exercent teneantur jure divino applicare missam pro populo sibi commisso, Conc. Trid. sess. 23., c. 1 de reform., Sacra Congregatio in Calaguritana applicat. missae pro populo 12. Decembris 1764 et in Oveten. 19. Januarii 1774, quod quidem onus ita iis inhaeret, ut ab eo vacui ac soluti non censeantur quamvis tenues sint reditus, cum ad id non obstringantur propter reditus, sed ratione officii, Benedictus XIV. in const.: *Cum semper oblatas* *); in qua disserte praescribitur, pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere iisdem non licere. Quod si ibid. §. 8. Episcopis facultas tribuitur dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, licite possint, ea tamen adjicitur conditio, ut tot missas infra eamdem hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quod vero de parochis, idem de sacerdotibus, qui parocho infirmo aut absente vices ejus gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. constitut.: *Cum semper oblatas etc.* §.: *Quum enim*, cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Saepe vero quaesitum fuit, num parochi duabus parochiis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios missam tenerentur. S. Congregatio autem constanter respondit, parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis ple-

---

*) Vd. *hanc Constit. t. II. p. 79.*

nariae et extinctivae, ceu formiter discusso articulo declaravit in Lucen. applicat. miss. pro populo 11. Martii 1774. Proposito enim dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro populo in casu?* Responsum prodiit: Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur episcopo juxta instructionem. In hac autem instructione Sacra Congregatio episcopum certiorem faciendum esse putavit, se nunquam dubitasse, ,,quod parochi teneantur applicationi supradictae missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, conjunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit.“ Nec aliter ad hujus doctrinae tramites judicavit in causa Oveten. missae pro populo 18. Novembris 1826 ad I. dubium.

Ad rem de qua agitur facit S. Congregationis decretum nuper editum in causa Mindonien. applic. missae pro populo propositae inter supplices libellos die 20. julii 1854, in qua haec duo a parocho, qui duas regebat parochias, proponebantur postulata:

I. An parochi duabus parochiis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus parochiis, quando isti tantum in una celebrent et alius sacerdos illud facit in altera qui pro sua intentione applicat?

II. Si iidem parochi duplicem missam celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos, qui pro eis celebret, in una earum potuerunt unam applicare pro duobus nonnullis sibi commissis et aliam ad libitum eorum?

Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolutione, censuit:

,,Quoad futurum parochum oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque parochiae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium; nec non teneri ad eamdem applicationem eos sacerdotes qui vices parochi absentis vel infirmi gerant.“

Ubi itaque parochus duplicem distinctam regat parochiam, atque adeo duplicem parochialem missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultates vero in eo est quando nimirum agatur de una tantum parochiae vel de duabus parochiis unione plenaria et extinctiva conjunctis. Nihilominus etiam in hoc casu S. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in Vintimilien. 19. Decemb. 1835, cum ageretur de concedenda facultate binandi, qui uni praeerat parochiae, ad dubium:

An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?

Respondit: Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda missa.“

Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitae (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum caeteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem missam applicare

debere videtur supponere episcopus) utriusque missae liberam habere applicationem et eleemosynam, habita praesertim ratione indigentiae, percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in citata constitutione Benedictina: *Cum semper oblatas*, in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint et missam applicare pro benefactore, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videretur, ceu hisce in casibus in more habet S. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo

Dubia:

I. An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu etc.?

II. An parochus, qui una in eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu etc.?

III. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu etc.?

Et quatenus affirmative ad I., II. et III.:

IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu etc.?

V. An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu etc.?

VI. An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu etc.?

S. Congregatio ad supradicta dubia rescripsit

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad III: Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.

Ad IV: Negative et Episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV.; *Cum semper oblatas* § 8.

Ad V: Provisum in tertio.

Ad VI.: Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative, facto verbo cum SSmo.

Die 25. Sept. 1858.

(Anal. J. P. 1860 p. 1350.)

Treviren.

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: „Sacra Congregatio Concilii Tridentini Decreto 25. Septemb. 1858 edito, declaravit, non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa. Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda.

„In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes, quae vulgo primissariae vocantur (beneficia et simplicia et curata) quibus provisum est ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero fundationes

ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum, plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, sacrum matutinale et sacrum summum pro populo et in utroque sacro traditur homilia sive instructio cathechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex ejusmodi fundationibus certam recipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in ecclesiis parochialibus partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sacrum simul tradunt doctrinam christianam.

Quaeritur igitur:

I. Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint?

II. Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita,, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?

In Cameracen. missae pro populo diei 25. Septembris 1858, ad quam appellat episcopus, vetitum omnino deprehenditur parochis binandi facultate donatis pro secunda missa eleemosynam recipere, quamvis, quando parochia una sit, ab ea pro populo applicanda eximantur. Id quidem pluries alibi decrevit S. Congregatio, praesertim in Vintimilien. 19. Decembris 1835. Ad rem fortasse facere videtur casus propositus in Brixien. relata inter summaria precum die 3. Martii 1855. Mos enim illa in dioecesi invaluerat, ut a quibusdam piis sodalitiis aut a praefectis fabricae ecclesiae retribueretur parocho peculiaris eleemosyna pro missa diebus dominicis aut festis de praecepto celebranda vel canenda; idque aliquando sine onere specialis applicationis. Hinc quaerebat episcopus: utrum haec praxis, ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur, tolerari possit, saltem pro diebus festis, quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae applicationis. S. autem Congregatio censuit rescribendum: „Consuetudinem juxta exposita esse reprobandam et servandam esse constitutionem Benedicti XIV: *Cum semper oblatas*. Ceterum in hoc casu de missa parochiali tantum agebatur.

Sed ad propositam speciem quod attinet, cum eleemosyna non ratione celebrationis aut applicationis secundae missae rependi videatur, sed titulo remunerationis pro specialis labore ac industria, decernendum erit ab EE. VV., num prohibitio, de qua supra, comprehendat etiam id quod ex hujusmodi titulo offerri solet?

Ad rem hanc cohonestandam in medium profertur declaratio S. Congregationis Rituum in Monasterien. 11 Junii 1645; etiam relata fuit in cit. Cameracen. Proponebatur ibi: „Parochus Heistermacen. in Kecken hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus dominicis et festivis bis celebrandi in ecclesia parochali, et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur: num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc secundam missam,

de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem, numquam pro praeterito, propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

II. Deinde saepe in hac dioecesi contingit propter latitudinem parochiarum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festivis diebus sive ex fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, in primis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in ejusmodi casu celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro tempore permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis qui bona fide ea usi sint?

Sancta Congregatio respondit ad I.: *Negative in casu.* Ad II.: *Posse permitti.*

„Sacra etc. respondit: *Posse permitti prudenti arbitrio episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae.*

Quare etc.

Die 23. Martii 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2275.)

c) Accipere possunt parochi in die, in quo pro populo missam applicare debent?

Licet congrua sit exigua nec aliis modis augeri valeat ad praescriptam quantitatem, nihilominus parochi, quamdiu curam retinent, applicare tenentur, ut controversia intimius scrutata statuit Sacr. Congregatio in Civitatis Castellanae 24. Augusti 1628. lib. 13. Decret. p. 62, et in Forosempronien. Missae Parochialis propositae die 25. Januarii et resoluta die 8. Februarii 1716. in qua disputato dubio:

An Parochi, de quibus agitur, non habentes congruam teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi? responsum fuit: Affirmative et dentur Decreta alias hac de re edita et signanter in Civitatis Castellanae. Attenta vero egestate id solum indulsit Sacra Congregatio: Scilicet posse ab iis Parochis ad egestatem sublevandam stipendium accipi, licet diebus festis praebeatur, S. Sacrificium, quod pro populo celebrandum fuerat, offeri pro illo, qui stipendium tradiderit, ea tamen conditione ut alio hebdomadae die pro populo illas offerentes suo muneri satisfaciant ut *Bened. XIV.* in institut. 10. num. 6. refert hanc mentem fuisse Sac. Congregationis in Ostien. 29. Januarii 1724., et ipse Pontifex factus expresse declaravit in alleg. Constit.: *Cum semper oblatas* §. 7.

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Julii 1702. *Comen.*)

Oveten.

In relatione status suae ecclesiae, quam S. Congregationi nuper transmissit Episcopus Oveten. narravit, plura in ea Dioecesi reperiri parochialia beneficia, quae tenues adeo habent reditus, ut ne ad congruam quidem Parochorum sustentationem sufficiant. Retulit idcirco invaluisse apud nonnullos opinionem, ut, si iidem Parochi diebus festis eleemosynam pro Missa ab aliquo pio Benefactore receperint, possint iis diebus (dominicis tantum exceptis) et pro Benefactore, qui eleemosynam tradidit, et pro Populo Missam applicare.

Id ergo EE. PP. referendum censuit Episcopus, ut quid aut permittendum aut reprobandum esset consulto definirent.

Non abs re proinde erit nonnulla animadvertere, quae Parochorum onus, et Missae applicationem respiciunt.

Notum est jure divino mandatum fuisse Animarum Pastoribus, salutaribus praeceptis oves suas instruere et pro iis Sacrificium offere. Hoc sane innuunt verba Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 2. de Reform.*, quibus non solum Missae celebratio sed etiam applicatio fuit injuncta, ita quidem ut Parochus non possit pro hujusmodi applicatione eleemosynam accipere; *Fagnan. in cap. Fraternitatem de Sepulturis. num. 93. et 94.* Sacra haec Congregatio constanter rejecit Parochorum quaerelas, qui onus applicationis subire detrectabant, ut in *Civitatis Castellanae 26. Augusti 1628, in Hydruntina 13. Februarii 1639, in Romana 17. Julii 1694, in Mileten. 10. Maji, et Cremonen. 20. Decembris 1692.* Et sa. mem. Benedictus XIV. in Constitutione: *Cum semper oblatas 19. Augusti 1744* Episcopis expresse injungit, ut reprobatis inanibus interpretationibus hujusmodi oneri in suis respective Dioecesibus adimplere curent, *cum relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque praedicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative praeposita constanter edixerit, eos, quibus Animarum Cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse.*

Quaesitum olim fuit, quibus diebus Parochi Missam pro Populo applicare deberent, et quamvis invicta fuisset distinctio, ut qui pinguioribus redditibus ditati erant, ad quotidianam applicationem, qui vero tenues habeant reditus, festis tantum diebus ad applicationem tenerentur, nihilominus ad tollendas Parochorum quaestiones super redituum quantitate, declaravit laudatus Pontifex in memorata Constitutione: *satis esse posse, dum ii, qui Animarum Curam exercent, Sacrificium Missae pro Populo celebrent, atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto, cum praedicti domicici aliique festi dies ii sint, in quibus juxta praeceptum Concilii Tridentini quilibet Animarum Curae Praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet.*

Dubitatum praeterea fuit in *Hortana* an sufficeret Missa conventualis, quae a Capitulo Cathedralis quotidie pro Populo applicabatur, itaut Parochus, qui ejusdem quoque Cathedralis erat Canonicus, ab applicatione Sacrificii eximi posse: *An Canonicus Parochus Ecclesiae Cathedralis Hortanae teneatur applicare Missam pro populo omnibus festis, vel potius sufficiat Missa conventualis, quae a Capitulo per turnum quotidie applicata fuit, et applicatur pro Populo?*

Die 8. Augusti 1744 responsum prodiit:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ab onere applicationis non eximuntur Parochi sive quia parochialis Ecclesia incertos habeat reditus, *Antonell. de juribus Clericor. lib. 2. part. 6. n. 2.*, sive quia reditus Parochiae adeo tenues sint, ut ne ad congruam quidem Rectoris sufficiant, *Clericat. discord. foren. discord. 29. de benefic. sub n. 43., Ursaya instit. crimin. lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 136.* cum non juxta quantitatem redituum, sed ratione officii teneantur Parochi Missam pro Populo

applicare; *Ferrar. in Bibliothec. verb. Missae Sacrificium art. 3. n. 8.* et consonant S. Congregationis decreta in *Nonantulana 30. Aug. 1698, in Pistorien. seu Praten. 14. Februarii 1699,* quae quidem decreta confirmata postea fuerunt a sa. mem. Innocentio XII. per Literas Apostolicas sub datum diei 24. Aprilis 1699. (Vd. supra pag. 175.) Quare subsecutae sunt postea aliae istius S. Congregationis resolutiones in *Forosempronien. Missae Parochialis 8. Febr. 1716. lib. 66. decret. pag. 55. et in Ostien. Parochiae Castri Romani 29. Januarii 1724 lib. 74. decret. pag. 38.*

Ceterum ad consulendum Parochorum inopiae laudatus Pontifex Benedictus XIV. opportune providit, ut Parochi egentes eleemosynam diebus festis recipere possint et Missam applicare pro Benefactore, translata tamen ad aliam diem infra hebdomadam applicatione Missae pro Populo; proindeque in memorata Constitutione *Cum semper* Episcopis facultatem tribuit dispensandi cum Parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant dummodo ad necessariam Populi communitatem in ipsa Ecclesia Parochiali celebrent ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

Haec anotanda erant quoad onus Parochis inhaerens applicandi Missam pro Populo, praecisius tamen ad rem, de qua agitur, nonnulla adhuc animadvertenda supersunt. Non defuere olim Tbeologi et Canonistae, qui licet incruenti Sacrificii fructum, et ut ajunt *in actu secundo,* finitum esse professi fuerint, nihilominus existimarunt, quod pluribus applicari posset et singulis omnibus aeque prodesset, ac si uni tantum applicatum. Hinc arguebant, licere post acceptam a pluribus eleemosynam omnibus satisfacere per unicum Sacrificium, nominatim et expresse applicatum pro singulis, qui eleemosynam tradiderant. Vid. *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepulturis.* Alii vero considerantes triplicem Sacrificii fructum, ut apud *Sot. de just. et jur. lib. 3. quaest. 2. art. 2., Cordub. l. I. quaest. 3. not. 4., Navarr. cap. 25. numer. 92., Card. Bonna in tract. ascetic. de Sacrif. Miss. cap. 1. §. 4.* unum nempe *generalem,* seu ut ajunt *generalissimum,* qui in universam redundat Ecclesiam et cujus omnes Fideles participes fiunt, alium vero *medium,* seu *specialem,* de quo illi participiant, pro quibus nominatim offertur; tertium denique *specialis,* qui ab aliquibus *specialis* dicitur, et de quo ipse sacerdos particeps evadit; admissa hac triplici distinctione affirmare non dubitarunt, tertium hunc fructum *specialissimum* cedi et a Sacerdote offerente alteri renuntiari posse et pro hujusmodi cessione et renuntiatione novam eleemosynam a Sacerdote percipi.

Has porro Sententias, quas san. mem. Benedictus XIV. in opere de *Synod. Dioeces. lib. 5. cap. 8. numer. 4.* subdolas artes appellat, unice ab avaritia excogitatas, et quae a Saeculo XIII. in Ecclesiam irrepserant, rejecit abrogavitque Concilium Lambettense celebratum anno 1281 *apud Harduinum tom. 7. collect. col. 862. decernen. cap. 2.* in hunc modum: *Nec credat celebrans, se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter et in solidum celebrare. Absit enim, ne a quoquam catholico creda-*

tur, tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille Missae pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum Sacrificium, quod est Christus, sit infinitae virtutis, non tamen in Sacrificio suae immensitatis summa plenitudinem operatur, alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suae plenitudinis, quam ipse eisdem lege infatibili alligavit. Nihilominus initio etiam saeculi XVI pravas hujusmodi opiniones nondum fuisse eliminatas constat ex Norimbergensi Germanorum Principum conventu, qui apud Adrianum VI. conquestus est, quod *Sacerdotes unius diei Missas, ad quas fundationes seu annuae recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinquies pluriesque venundant, unaque Missa duobus, tribus aut pluribus ecclesiasticis beneficiis satisfacere praesumunt.*

Potentiori igitur opus fuit remedio ad hanc corruptelam eradicandam illudque opportune praestitit san. mem. Urbanus VIII., dum anno 1625 approbavit decreta a Sancta Congregatione Concilii edita, quorum unum numero III. his verbis conceptum erat: Sacra Congregatio *sub obtestatione divini judicis mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quod ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimmo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.* Altero vero num. IV. ita fuerat expositum: Sacra Congregatio *revocat privilegia et indulta omnia quibusvis Personis ecclesiasticis, ac Locis piis, tam Saecularibus quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum et Anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Haec tamen omnia tanti non fuerunt ponderis, ut impedirent, quominus laxae quaedam ea de re opiniones sensim irreperent; quas eadem Sac. Congregatio reprobavit et Summi Pontifices postea damnarunt. Si quidem nonnulli Auctores scriptis etiam typis traditis asserunt, Sacerdoti Missam pro alio recepta eleemosyna celebranti, licitum esse eleemosynam quoque accipere ab altero cui applicet partem fructus seu valoris Sacrificii ipsimet Sacerdoti debitam, (nempe *specialem* aut *specialissimam*) et hunc casum non esse comprehensum sub decreto S. Congregationis Concilii prohibente duplex pro unica Missa stipendium recipi. Verum S. Congregatio *die 25. Januarii 1659.* approbante san. mem. Alexandro VII. declaravit:

Nulli Sacerdoti licitum esse praefata ratione sive praetextu aliam eleemosynam accipere praeter illam quam accepit ab eo, pro quo Missam offere tenetur: ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem S. Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur. Fagnan. loc. sup. cit. sub num. 96.

Similiter eodem anno, referente pariter Fagnano, qui munere Secretarii S. Congregationis tunc fungebatur *loc. cit. sub. 97.*, auctores aliqui animadvertentes fructum *medium* Sacrificii, de quo potest Sacerdos pro libito disponere, dividi in *satisfactorium* et *impetratorium*, in ea fuerunt sententia, ut si quis Sacerdoti daret eleemosynam pro applicatione fructus *satis-*

factorii et alius daret eleemosynam pro applicatione fructus *impetratorii*, possit Sacerdos unica Missa satisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitum. Propositum autem fuit dubium: An sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione Missae ex gr. pro defuncto et sic cum obligatione applicandi fructum *satisfactorium*, et aliud stipendium pro celebratione Missae ex gr. pro infirmo et sic cum obligatione applicandi fructum *impetratorium*, possit unica Missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto *satisfactorium* et infirmo impetratorium et an in hoc casu locum habeat decretum S. Congregationis Concilii *de celebr. Miss.?* Sancta Congregatio die 13. Decembris 1659 respondit ad primam partem: *non posse satisfacere;* quo vero ad secundam: *habere locum.*

Hinc inter propositiones ab Alexandro VII. die 25. Septembris anni 1665 damnatas haec recensetur, nimirum VIII.: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondenti, idque post decretum Urbani VIII.* Ac praeterea alia X.: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quoniam vero priora S. Congregationis decreta loquebantur de Sacerdotibus accipientibus eleemosynas manuales, non autem explicite de obtinentibus Beneficia ecclesiastica, idcirco inter caetera dubia super iisdem decretis excitata quaesitum fuit:

An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellaniae, Legati aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut Defunctorum recipere et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Et S. Congregatio in responsionibus ad dubia, quas san. mem. Innocent. XII. adprobavit, respondit:

Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellaniae, Legati aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Hisce praemissis dissimulandum non est auctores, qui scripserunt ante vulgatissimam Benedicti XIV. constitutionem *Cum semper oblatas*, sententiam pro Parochis fuisse amplexos. Hos inter recensere liceat Franciscum Sylvium *in 3 part. D. Thomae qu. 83. art. 1. quaest. 17.* ubi quaerit, utrum qui pro pluribus celebrare debet satisfaciat celebrando *unam Missam pro omnibus?* atque haec habet inter caetera: *Quamvis autem Parochus obligatus sit celebrare pro suo Populo dominicis praesertim et festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari. Nec obstat, quod a Populo sive ex decimis sive aliunde alatur.*

Parocho enim debentur proventus pastorales non precise, ut celebret ad intentionem Populi sed ratione totius officii pastoralis. Tenetur quidem omnibus festis et dominicis Missam in Ecclesia Parochiali facere, sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut Parochiani illam possint audire, aliud vero ad offerendum particulariter pro illo. Postea vero nonnullis relatis auctoribus, quibus visum est, Parochum non teneri omnibus Festis et Dominicis Missam facere ad intentionem Populi, sic pergit:

Pro regula tamen ordinaria servandum est, ut quibus diebus Sacerdotes tenentur Missas celebrare ratione sui Beneficii, non possint eleemosynas ab aliis accipiendo una Missa utrique obligationi satisfacere.

Ac demum addit, *cavendum esse, ne Parochi frequenter in festis et dominicis stipendium accipiant ab aliquo particulari. Cum enim facile possit determinari, quoties obligentur ad celebrationem pro suo Populo, non debent periculo se exponere.*

Verum non est praetereundus Fagnanus, qui *loc. sup. cit. sub. num. 94.* relato Concilii Tridentini decreto *sess. 25. cap. 1. de Reform.* adigente Parochos ad offerendum sacrificium pro ovibus suis, ex eo sequi affirmat, non posse Parochum eleemosynam accipere iis diebus, quibus illud tenetur applicare pro Populo, quia scilicet fructus medius sacrificii jam reperitur alteri debitus. Idque praeterea confirmat ex Concilio provinciali Mediolanensi IV. ab Apostolica Sede adprobata *tit. de his, quae pertinent ad Sanctissimum Missae Sacrific.*, ubi prohibetur Parochis, ne Dominicis aliisque diebus, quibus tenentur celebrare pro Populo, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus.

Supercessit denique Constitutio Sa. Mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, ubi de re tota mature agitur et cuilibet dubio egregie prospicitur. Quam itaque indulgentiam mereantur Parochi in praesenti casu et quomodo ipsorum inopia providendum sit, viderint EE. PP., a quibus quaeritur:

An et quomodo sit locus applicationi Missae pro Populo in casu?

S. C. resp.:

Episcopus se gerat ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incipien.: *Cum semper oblatas.*

Die 22. Jan. et 26. Febr. 1774.

d) Nullum Stip. debetur.

Missas pro Populo singulis diebus festis absque ullo emolumento applicare tenetur Archipresbyter Animarum curae praepositus. *Fagnan. in cap. Fraternitatem de Sepultur. u. 93. et 95., Barbos. de Offic. et potest. Paroch. part. 1. cap. 11. num. 11.*

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Aug. 1773. *Nepesina.*)

Missam pro Populo absque ulla eleemosyna quilibet Parochus applicare tenetur. *Fagnan.* in cap.: *Fraternitatem* de Sepulturis num. 93. et 95. *Barbos.* de Offic. et post Paroch. part. 1. cap. 11. num. 11.

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Maii 1772.)

Missas pro populo a Parocho ratione muneris applicandas esse. S. C. C. 15. Junii 1816. *Interamnen.*

Missas pro populo Parochus celebrare tenetur ratione muneris pastoralis ac etiam sine stipendio.

S. C. C. 23. Novembris 1816. *Cassalen.*

Missas pro Populo Parochus ratione pastoralis officii celebrare easque etiam sine stipendio applicare debet, ut ex Constit. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas* docuit S. Congregatio in Neocastren. Missae pro Populo 26. Januarii 1771 et in Cassanen. Missae Conventualis et pro Populo 22. Populo 22. Novembris 1704.

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Mart. 1809. *Praenestina.*)

Parochus missam pro populo ex proprio officio celebrare tenetur, ut statuit S. C. in Sutrina 6. Martii 1785.

(Ex resol. S. C. C. 16. Febr. 1805. *Hortana.*)

Non redituum causa, sed ratione officii applicare tenentur Parochi Missam pro Populo; *Ferrar.* verb.: Mis-

sae sacrificium art. 3. num. 8., *Clericat.* Discord. forens. 29. de Benefic. num. 43.

(Ex resol. S. C. C. diei 27. Julii 1789. *Eginaten.*)

Missas pro Populo ipse parochus tenetur applicare ratione officii, nec proinde congruam minuunt ut *ex Monacell. in formul. legal. tom. 1. formul. 2. num. 4.*

(Ex resol. S. C. C. diei 27. Junii 1807. *Sabinen.*)

Missa pro populo, licet celebranda sit ratione officii, attamen si congruam non minuit, de ea quidem ratio habenda est ad taxandam atque augendam congruam, ut statuit S. C. in *Asculana Augumenti Congruae* §. *14. et sequ.*

(*Ibid.*)

22) Patronus beneficii non potest sibi retinere partem stipendii, quod Celebranti dandum praescripserat testator.

Vd.: *Stipend.* (pro missis fund. totum a fundatore etc.; conventio.)

Patronus, qui exequutor tantum est, non potest sibi retinere aliquam portionem stipendii, quod Capellanus secuta nominatione statim acquiritur, ut tradit *Simon de Petris* de interpret. ultim. voluntat. lib. 5. dub. 2. n. 57. et *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. quaest. 973. per tot., praecipue n. 3. et 4.

(Ex resol. S. C. C. diei 26. Novembris 1803. *Neapolitana.*)

Potest quidem committens retinere stipendium vel ejus partem, si alter gratis celebret vel partem stipendii donet. Secus vero dicendum est, non posse committentes Missas ab aliis celebrandas retinere portionem aliquam stipendii ex donatione celebrantis, *si interveniat conventio aliqua*, etiam tacita, de relaxanda portione, ut continuetur subministratio Missarum, quae alias non esset continuanda, aut ex aliquo simili motivo, quae reddat necessariam relaxationem partis stipendii tamquam medium ad obtinendas eleemosynas, ut iisdem verbis tradit *Pasqualig.* loc. citat. quaest. 975. n. 5. Etenim ubi interponitur conventio, cessat libertatis donatio, et nullus subest justus titulus retinendi partem stipendii ad tradita per *Lezana* in sum. verb. Missa num 35., *Mart. a s. Josepho* in Moral. tom. 1. lib. 1. tract. 17. de Eucharist. num. 8., *Leander* de Sacram. tract. 8. disput. 4. num. 8.

(*Ibid.*)

23) Non est pretium Missae, sed sustentatio Sacerdotis.

Ponderandum est, quod, quamvis licitum Sacerdoti sit pecuniam recipere pro Missa, illam tamen recipit non quasi pretium Missae, sed in causam suae sustentationis juxta doctrinam *Divi Thomae Secunda secundae quaest. 100. art. 2. ad secundum ibi: Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiae aut Missae decantandae. hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae substentationis*; et rursus in quartum, *Sentent. dist. 25 quaest. 3. art. 2., quaestiuncula 1.* ad quartum et id ipsum prosequuntur Theologi recentiores *Card. de Lugo de Sacram. Eucharistiae disc. 22. sect. 1. num. 13., Pasqualiq. de Sacr. nov. legis quaest. 903. num. 5. et Maurus in Theolog. tom. 3. lib. 12. quaest. 218. num. 4.*

(Ex resol. S. C. C. diei 29. Aprilis 1780. *Civit. Castellanae.*)

Vd. *t. III. p. II. p. 183.*

24) Quaestus cum stip. non exercendus.

Vd.: *Visit. de Missae celebr.; Stipend.*

(num accept. licita sit etc.? Minora; Majora; pro missis manualibus etc.; Utrum et quomodo augenda?)

25) Quaestuatio in Ecclesia.

Vd.: *Stipendium* (capsula pro eo etc.).

Pampilonen.

Administratores parochialis Ecclesiae S. Joannis Civitatis Estellae in libello, quem sub annum 1735 curarunt porrigi S. M. Clementi XII., exposuerunt, Fratres Minores Observantes Conventus S. Francisci ejusdem Civitatis usque ab anno 1733 coepisse sibi asserere jus quaestuandi eleemosynas pro Animabus Purgatorii in dicta parochiali Ecclesia privative ad ipsos Administratores et re ipsa in judicio, quod possessorium vocant, obtinuisse manuteneri in quasi possessione retinendi privative ad alios quoscumque discum eleemosynis in eum finem colligendis destinatum; quum autem iidem Administratores, quibus sub dictum annum 1733 facta fuerat ab Ordinario potestas quaestuandi in praefata Ecclesia Missarum eleemosynas pro defunctis, contenderent, malum jus a memoratis Fratribus in judicio petitorio foveri, supplicarunt idcirco Summo Pontifici, ut dignaretur antedictis Religiosis Minoribus Observantibus Conventus S. Francisci Civitatis Estellae districte injungere exactam observantiam Apostostolicarum Constitutionum Sacrique Tridentini Concilii dispositionem, ita imposterum inviolabiliter injusta praetensione quomodocumque quaestuandi in antedicta eorum Ecclesia parochiali abstinerent". At precum ejusmodi cognitione ad sacrum hunc Consessum remissa assumendum hodie est examen dubiorum, quae ad calcem describentur.

Duo potissimum sunt fundamenta, quibus nituntur Administratores praedicti; alterum scilicet, quod Parochus et parochialis Ecclesia, cujus jura ipsi tueri profitentur, amplum adeo jus habeat super quibusvis oblationibus et etiam iis eleemosynis, quae ad Missarum celebrationem et Animarum purgantium suffragationem erogandae traduntur, ut Regularibus et aliis quibuscumque Personis prohibere possit, ne eleemosynas et oblationes in parochiali Ecclesia, immo neque in parochiae districtu quaeritent, cum ad ipsum Parochum spectet eleemosynas et oblationes ejusmodi aut in parochiali Ecclesia aut extra illam factas administrare et in pios usus a Fidelibus destinatos erogare, uti per Textus expressos in cap.: *Pastoralis* de his quae fiunt a Praelat. sin. consen. Capitul., in cap.: *Dilectus* de Ordin., tradunt *Guttierez* Canonic. quaest. 1. lib. 2. cap. 21. num. 162., *Bellet.* disquisit. Clerical. §. 3. cap. 24. num. 30., *Amostaz.* de Caus. piis lib. 5. cap. 12. num. 60. et resolvit Sacra Congregatio in *Fulginaten.* 6. Aprilis 1647 lib. 18. Decr. pàg. 120.

Alterum autem est, quod jus quaestuandi eleemosynas et oblationes pecuniarias pro Defunctis et retinendi discum in saepedicta Parochiali, quod dicti Religiosi authumant sibi competere, adversetur tum Regulari Instituto S. Francisci praecipientis „ut sui Religiosi laborent et pretio suorum laborum manducent et quando non detur eis pretium laboris, recurrant ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim", tum Statutis Generalibus Ordinis, quibus sub cap. 4. §. penult. ita statuitur: „Ne si permetta in modo alcuno nelle nostre Chiese, Ceppi, Banchi, o Casette per ricevere elemosine pecuniarie, benchesotto colore di Fabbriche, di quadagnare Indulgenze, o di qualunque altro pretesto, etianche non fossero per li Frati, essendo tali cosse contrarie alla

nostra Professione", tum etiam sic juri canonico, Clemen. exivi §.: *Porro de verbor. signif.*, ubi sancitum habetur: „Porro dictus Sanctus volens Fratres suos super omnia a denariis seu pecunia esse alienos praecepit firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel interpositam personam"; et infra: „Quocirca quaestus omnis pecuniae ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia vel alibi, Cippi vel Trunci ordinati ad Offerentium seu Donantium pecunias reponendas, necnon quicumque recursus alius ad pecunias seu habentes ipsas, haec omnia sunt simpliciter interdicta"; et denique repugnet etiam manifeste Decreto a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita jussu S. M. Urbani VIII. edito, ibi: „Abusus, quibus mederi oportebit, sunt etc., nullo modo habeant in eorum Ecclesiis vel Sacristiis aut alibi Cippos et Truncos ordinatos ad Offerentium seu Donantium pecunias nec capsulas pro eleemosynis Missarum".

Contra vero memorati Religiosi controversum jus quaestuandi sibi conantur adstruere, primo ex concessione sub annum 1466 per Episcopum, qui tunc temporis Pampilonensem Ecclesiam moderabatur, facta, et subinde a Successoribus pluries confirmata et amplificata, secundo ex nonnullis sententiis et Decretis et praesertim ex sententia a Vicario Generali sub diem 15. Decembris 1533, qua declaratum fuit: „dictos Guardianum et Fratres fuisse et esse in possessione petendi, colligendi et recipiendi eleemosynas pro Defunctis in omnibus Ecclesiis et Monasteriis et per vicos et plateas dictae Civitatis a 40 annis circa et ultra, sine alicujus concursu, dictosque Vicarium et Beneficiatos ante monitos, per positionem dicti Bacini fuisse et esse spoliatores, adeoque hoc illis interdici circumscripta eorum resolutione capitulari et dictos Fratres reintegrari". Tertio ex concordia sub diem 28. Decembris 1534 inita, in qua Vicarius et Beneficiatae Ecclesiae Parochialis expresserunt: „piacere a tutti, e a ciascuno di loro obbedire, ed adempire la suddetta sentenza, la quale fu data per il sudetto Signore Vicario Generale a di 15. Decembre 1533". Et quarto tandem ex consuetudine duo ferme secula attingente et ex plurium Testium depositione comprobata: his enim occurrentibus inferunt iidem Religiosi, cessare omnino debere in praesenti themate Leges illas et prohibitiones, quae nomine Administratorum ad elidendum controversum jus quaestuandi fuerunt adductae.

Omnibus itaque inspectis dignabuntur Eminentissimi PP. declarare:

I. *An Syndico Ven. Conventus S. Francisci Minoris Observantiae Civitatis Estellae liceat quaestuare eleemosynas et oblationes etiam pecuniarias pro Defunctis cum retentione Disci in Ecclesia Parochiali S. Joannis dictae Civitatis?* Et *quatenus affirmative;*

II. *An id competat privative etiam quoad Administratores Saeculares dictae Parochialis Ecclesiae?*

S. C. resp.

ad 1: Negative;

ad 2: Provisum im primo et amplius.

Die 15. Aprilis et 6. Maii 1740.

26) Quis recipiat?

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita sit etc., decr. S. C. C. diei 13. Maii 1679; decr. Innoc. XII.) *Tabella missar.*

27) Quot Stipendia tot missae.

Vd.: *Stipend.* (num accept. licita sit a Sacerd. etc., a quibus infra tempus etc., decr. Urbani VIII. n. 3. et sequ. declar. n. 2.); vd. sup. p. 234 etc.

28) Quot missae celebrandae, si Stipend. sit tenue vel non fixatum?

Vd.: *Stipend.* (num acceptatio licita sit a Sacerdot. etc. *Constitut. Urb. VIII.*)

Ad dub.: Quid, si legatum ita sit tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, etsi recurrendum sit ad Sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

S. C. C. resp.: Etsi legatum sit ita tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem apestolicam esse adeundam, quae absque ulla id statuet, quod magis in Domino verum esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam. Die 23. Novembris 1697.

Ad dub.: An in decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint, illa verba: *praescriptae,* intelligendae sunt de praescriptione facta ab Offerente vel ab Ordinario?

S. C. C. resp.: Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si Tribuens numerum missarnm non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae.

Die 23. Novembris 1697.

29) De non recipiendis pecuniis pro missis celebrandis in provincia reformata FFr. Minor. de obs. Vallis Mazzarrae in Sicilia.

Vd.: *Stipend.* (a Regular.)

Urbanus PP. VIII.

Cum sicut accepimus in provincia reformata Vallis de Mazzara nuncupata ffr. Min. Ord. s. Francisci de observ. semper servatum fuit, ut nullae pro celebrandis missis pecuniae recipiantur sed missae gratis pro benefactoribus juxta intentionem superioris applicentur, nonnulli vero laudabilem usum hujusmodi immotare et invertere nitantur, Nos omnem turpis quaestus materiam ab illis, qui perfectam paupertatem profitentur, in re praesertim adeo sacra e medio tollere pro pastorali nostra sollicitudine volentes, ne de caetero perpetuo futuris temporibus in provincia praedicta ullae omnino pecuniae pro missis celebrandis exigantur ac etiam sponte datae recipiantur sed missae gratis, ut consuevit, celebrentur, sub vocis activae et passivae ac quoad Superiores etiam suorum officiorum privationis poena eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate apost. praesentium tenore interdicimus et prohibemus.

Datum Romae apud S. Petrum die 28. Maji 1642.

(Bull. r. t. V. p. 573. Ed. Luxbg. 1742.)

30) Reductio.

Vd. *Stipend. miss.* (utrum etc. augenda?)

Andrien.

(Conc Tr. C. 12. Sess. 25.; De ref. Decr. de Purgat. ead. Sess.)

Sedulo animo volventes Capitulares Collegiatae Ecclesiae sanctissimae Annunciationis civitatis Andriae, quod prae tenuissima massae distributione, Chori servitium pessundatur ac missarum conventualium celebratio negli-

gitur, sub die 30. Decembris anni 1714 coacto capitulo unanimiter decreverunt, id tantum superesse remedium, quod ex pingui massa sacrificiorum, quae ex piis dispositionibus eleemosynam habent, trium carolenorum pro unoquoque, detrahatur ex singulis unicus carolenus, ac respective applicetur praedictae massae chorali, ut exinde notabile augumentum ipsi adeatur. Ut igitur stabili firmoque successu decretum ejusmodi capitulare constabiliatur, suppliciter Presbyteri participantes steterunt coram EE. PP. pro apostolico beneplacito. His remissis precibus ad episcopum nuper defunctum, ut Sac. Congregationem desuper instructam redderet, idem ipse luculentam informationem transmisit super Collegiatae ecclesiae statu caeterisque praetermissis opportune recenset quod capitulum ejusmodi constituitur ex sexdecim sacerdotibus participantibus et licet in praesenti numerus nequaquam comperiatur completus, prope diem tamen implebitur; massa, ut inquit, grossa hujusce capituli ex calculo quindecim annorum computari potest in quantitate annuatim duc. 116., quae distributa sexdecim capitularibus, reducitur ad tenue emolumentum duc. septem cum dimidio pro unoquoque circiter. Condoluit praelaudatus relator, quod ob tenue hoc emolumentum negligitur plerumque ecclesiae quotidianum et continuum servitium, neque aliter provideri posse subtexuit, nisi mediante supra exposita applicatione portionis eleemosynae missarum. Siquidem prae caeteris piis legatis quamplura comperiuntur relicta his sacerdotibus participantibus cum onere offerendi tot sacrificia, quot celebrari possent ad rationem trium carolenorum pro quolibet, quae factis calculis plerumque numerum pertingunt 2720. Censuit igitur praelaudatus relator precibus indulgeri posse, cum ita notabiliter chori massa excresceret, ut inquit, in quantitate duc. 26 circiter pro quolibet participante; Numerus missarum nullimodo diminuitur, sed praeservatus remanet juxta disponentium voluntatem; earum vero eleemosyna, quae reducitur ad binos carolenos pro unaquaque, sufficiens haberi debet, juxta tamen onerum perpetuorum constabilitam in synodo provinciali Franensi Emminentissimus Priolus, qui pariter requisitus fuit, ut animi sui sensum desuper aperiret, consueta maturitate expendit, quod licet supplex petitio versetur in terminis derogandae voluntatis defunctorum, qui statuerunt eleemosynam trium carolenorum pro celebratione cujuslibet missae, nihilominus cum hoc pingue emolumentum sacerdotibus participantibus sit attributum, ipsis consentientibus, quinimo supplicantibus, videtur indulgeri posse, quod unicus carolenus pro unaquaque missa ecclesiae cultui applicetur. Eo certius quia iidemmet sacerdotes sese obligant celebrare eundem numerum missarum, reductio in hoc casu considerari potest, cum a testatoribus earum numerus non sit praescriptus. Ut vero semper habeatur ratio istius dismembrationis, praesentes presbyteri illam poterunt capitulariter acceptare et juvare et eandem acceptationem jurejurando confirmandam demandare per quemcumque admittendum ad participationem, quemadmodum latius ex informatione praelaudati emminentissimi relatoris. His igitur praelibatis, ex latius pro parte capitularium adducendis in memoriali circumferendo dignabun- EE. PP. sapiens oraculum juxta morem desuper proferre sub dubio:

An et quomodo oratorum precibus sit indulgendum in casu? etc.

S. C. C. resp.: Indulgendum precibus juxta votum EE. Relatoris.

Die 11. et 25. Jan. 1716.

31) Regulares in suum usum convertere non debent.

Confirmatur Ordinatio quaedam Capituli Generalis Carthusiensis, ne Monachi ejusdem Ordinis Missarum eleemosynas in privatos usus convertent. Benedictus Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Dinelli Procurator Generalis Ordinis Carthusien., quod cum nonnullis abhinc annis inter aliquot ejusdem Ordini Monachos per se sive per interpositas personas Missarum eleemosynas procurandi illarumque lucrum contra eorum regulam et paupertatis votum, non obstante quod abunde de rebus necessariis provisi sint, sibi attribuendi abusus irrepsisset, per quandam Ordinationem Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1684 celebrati expresse prohibitum fuit, ne unquam talium stipendiorum lucra sive palam sivi secreto sibi procurarent aut reciperent, vel in proprios usus applicarent, prout fusius continetur in eadem ordinatione, tenoris qui sequitur, videlicet:

§. 1. 1684. *Ordinatio pro Missis eleemosynariis.*

Quia experientia teste didicimus, quae et qualia damna Ordini evenerunt in quibusdam locis ex celebratione quarumdam Missarum, quarum stipendia a celebrantibus in proprios aut amicorum vel Parentum usus convertebantur et partim per Superiorum pusillanimitatem, partim per Subditorum astutias, qui per varias praetextuum et rationum excogitationes id sibi quasi licitum ursurpabant. Qui quidem abusus jam extirpatus esse videtur: sed ne unquam tale malum in voti paupertatis perniciem et cupiditatis nutrimentum, quae propositi Carthusien. pestis merito vocari meretur, quamcumque Domum Ordinis sub quolibet praetextu iterum ingredi valeat aut in qualibet Persona Ordinis tolerari — declarumus quascumque rationes super hac re hucusque allegatas aut allegandas frivolas esse et nullas, sed meras esse corruptelas a Seminatore zizaniorum in animarum perniciem superseminatas, cum personis Ordinis necessaria juxta propositi Carthusiensis tenorem utique ministrari per statuta nostra praescribantur et de facto ubique per superiores sufficienter ministrentur. Et prohibemus omnibus personis Ordinis in virtute sanctae obedientiae, ne unquam talium dispendiorum lucra sive palam sive secreto sibi procurent aut recipiant, vel in proprios usos applicent, sive per se sive per interpositas personas, sub poenis contra inobendientes et proprietarios per statuta ordinatis. Prioribus vero interdicimus, ne unquam id permittant aut tollerent sub poena absolutionis. Si quae autem devotae personae missas pro se celebrari postulent ad jussum Prioris, cui omnes Monachi, ex vi voti sui in his sicut consuetum est apud Nos reddantur et stipendia inde oblata aliis Conventus bonis incorporentur juxta mentem Sacr. Concil. Tridentini Sess. 25. Cap. 2. de Reformat et juxta Cap. 13. 2. part. Statutorum nostrorum, atque administrationi Superiorum subjaceant. Nec Visitatoribus ordinariis aut Commissariis liceat ullo modo super hac re dispensare: sed insuper ea omnia, quae in locis specialibus super hac re fuerunt jam per Capitulum Generale disposita volumus in suo robore permanere. Et subinde ejusmodi Ordinatio in Capitulis Generalibus annorum 1685, 1711. et currenti anno confirmata fuit.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut Capituli Generalis Ordinatio praeinserta inviolabiliter observetur, dictus Vincentius

Procurator Generalis Ordinationem hujusmodi Apostolicae Confirmationis Nostro patrocinio communiri summopere desideret:

§. 3. Nos ipsius Vicentii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, cumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et Interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exstitit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam Capituli Generalis Ordinationem confirmatam, ut praefertur, cum omnibus et singulis in ea contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus ipsamque Ordinationem sub suspensionis a Divinis aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis eo ipso per contrafacientes absque ulla declaratione incurrendis servari mandamus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die VII. Septembris 1725.

(Bull. r. t. XIII. p. 191. Ed. Luxbg.)

(*Ex statutis Ordin. SS. Trinit. Redempt. Captiv. Congreg. Hispaniae.*)

Clemens XII.

I. Nullus Religiosus recipiet Eleemosynam Missarum nisi tantum pro suo Conventu; quod si itinerans pro mutatione Conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit Conventu, in quem tendit Conventualis futurus. Superiores vero, etiam Generales et alii, qui Ministris non subsunt, eam, quam acceperint eleemosynam, ad arbitrium sui immediati, cui illico exactam rationem reddere teneantur, in promptu habeant; nulli enim libera eleemosyna relinquitur, nec intentio ulla, nisi raro ex concessione sui Praelati pro una aliave celebranda Missa.

II. Pro una Missa, etsi cantata, unicum dumtaxat stipendium accipiatur sub poena suspensionis ab officio per tres menses Praelato contravenienti.

III. In nostris Conventibus et Collegiis non recipiantur eleemosynae pro Capellaniis et Missis perpetuis sine Superioris Generalis licentia in scriptis nec pro patronatu Conventus, Ecclesiae vel Capellae majoris vel minoris, vel pro oratione, disciplina aliove Communitatis exercitio absque sui Diffinitorii Generalis licentia in scriptis, quam concedet consulto ProvincialiProvinciae illius, cujus est Conventus vel Collegium, cui conceditur.

IV. Eleemosynae receptae pro Missis perpetuis, memoriis, Capellaniis, Patronatibus dictis et Sepulturis perpetuis nullatenus in totum vel in partem (etiam consentiente Conventu) expendantur, sed ad censum annuosque redditus imponentur. Ex licentia tamen sui Diffinitorii Generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictae eleemosynae jam investitae converti poterunt in redditus indemniores et utiliores Conventui, nunquam tamen pro eis subrogari bona alias antea Monasterio acquisita. Ad hoc autem, ut sedulo custodiatur pecunia impertita pro Missis et reliquis in hac Constitutione enumeratis, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub praecepto omnibus Religiosis tam Praelatis quam Subditis et cuilibet in particulari, quod, dum dicta pecunia non investitur, nihil

ex ea expendant, etiam titulo mutui, alioque quocumque. Superior autem contraveniens privatus sit Officio suo, aliusque vero quicumque Frater voce et loco per triennium.

V. Pecuniae receptae pro supradictis rebus, dum non investiuntur seu in annuos redditus conferuntur, in propria conserventur specie.

VI. Ut constet de memoriis ac Missis perpetuis, quae sunt in quolibet Conventu et Collegio, justeque adimpleantur, praeterquam quod adnotatae erunt in libro magno, cui titulus Protocollo, scribantur in Tabula publico in loco.

Die 2. Aug. 1738.

(Bull. r. t. XV. p. 206. Ed. Luxbg.)

(Ex Constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Nullus religiosorum pro se aut aliis personis sed tantum pro suo conventu missarum eleemosynam recipiat. Itinerantibus vero liceat pro itineris tantum expensis hoc facere, dummodo ad conventum, ad quem mittuntur, cum majori quam sex argenteorum debito non perveniant et de eadem re superiorem conventus certiorem reddant sub poena juxta gravitatem culpae vel excessus. Nunquam tamen pro una missa nisi unum tantum stipendium recipiatur, neque ulla ratione dicantur missae anticipatae pro incertis personis vel eleemosynis, quae postea forte recipiuntur; neque pro eis applicari poterunt sub poena suspensionis ab officio per quatuor menses iis, qui in aliquo horum deliquerint: aliaque a sacris pontificum constitutionibus ad hanc rem statuta serventur.

Die 14. Mart. 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 505. Ed. Romae.)

Ex constit. Ord. FFr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.

Pius PP. VI.

Nullus superior plures numero missas accipiat simul quam, quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum vel a voluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis aut visitator suae visitationis tempore perfectam hujus constitutionis expletionem sedulo inquirere et meritas poenas delinquentibus imponere potest; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis, quotquot et acceptae et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero Prior generalis aut ejus vicemgerens hanc remissius inquisitionem exequatur a generali capitulo severe puniatur et postquam praefecturam absolverit, voce activa et passiva per tres menses privetur.

Tenentur etiam quisque consiliariorum socio, qui a suo conventu ad generale capitulum iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram capitulo patescat, utrum soluta an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum sive manualium, ad id usque temporis in monasterio accepturum, proindeque congruat istius priorem absolutum aut punitum dimittere.

Die 17. Martii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 28. Ed. Romae.)

(Ex constitut. Ord. s. Pauli I. eremitae Congreg. Lusitaniae.)

Pius PP. VI.

Sacerdotes nostri quolibet anno poterunt, pro quibus ipsis visum fuerit, missas viginti applicare, quae per menses erunt distribuendae; nullam

tamen pro illis eleemosynam accipiant. Caeterum reliquas missas, prout in tabella ad id in sacristia exposita praecipiatur, celebrabunt. Diem tamen secundam Novembris excipimus, in qua nulla exponetur tabella, quo celebrans possit juxta decretum Benedicti XIV. e tribus, quae illa die celebrare potest missis, primam pro quo sibi visum fuerit applicare, dummodo eleemosynam non accipiant, quae in communes usus non cedat.

Die 16. Novembris 1781.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 377. Ed. Romae.)

32) Subtrahatio pro expensis.

Ad dub.: An permittendum sit Administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, Inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

S. C. Card. Concilii Trid. interp. resp.:

Permittendum non esse, ut Ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessarie sunt subeundae; et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Die 5. Julii 1664.

Confirm. ab Innocent. XIII. Constit.: *Nuper a Congreg.*, quae est sub art.: *Stipend.* (num accept. licita sit etc. p. 175; Urb. VIII. *Declarat.* n. 7.)

Ex eleemosynis Missarum nec minima pars retineri potest ratione expensarum, quae fiunt in celebratione, nisi cum Ecclesiae alios non habeant reditus, quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint. Quae portio nullatenus excedere debet valorem praedictarum expensarum. Tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

S. C. C. in Nullius provinciae Ravenat. 15. Septembris 1619.

Vd.: *Utensilia* (Subministratio).

33) Subtrahatio a Sacrista.

Delatum fuit SSmo quampluribus in ecclesiis sufficienti sacerdotum numero destitutis acceptari legata et eleemosynas pro missis non sine detrimento fidelium, qui defraudentur; expedire propterea id sub censuris prohibere et duorum librorum retentionem injungendam, ut in uno eleemosynae, in altero celebrantes adnotentur.

Prohibendam detractionem quartae partis eleemosynae missarum in pluribus ecclesiis practicatam sub praetextu cerae et aliorum.

Prout etiam abusum, quo aliquis Sacrista retinet quinque julios quolibet mense et manuali Sacerdotum eleemosyna sub ratione, quod eos ad celebrationem admittat.

Sub gravibus poenis etiam censurarum injungendam superioribus aliisve, ad quos spectat, munditiam mapparum in altaribus, et aliorum, quae in sacrificio adhibentur, prout etiam paramentorum nitorem.

S. C. resp.: Sufficienter esse provisum in decretis sa. me. Urbani VIII.

Die 26. Mart. 1678.

(Anal. J. P. 1864 p. 978.)

34) Superflua.

(Mutatio in aliud opus pium.)

Melevitana.

Plurima Melitae sunt pia Missarum legata aliaque praeter manuales in dies accedunt. His omnibus vero adimplendis pares non sunt pauci Sacerdotes ibi existentes et ad magnum idcirco creverunt munerum Missae non celebratae. Quum insignis igitur apud executores legatorum superextet summa et major erit ob difficultatem celebrantium futura, supplicant idcirco Sacrae huic Congregationi Petrus Franchez Garzias Pisano, Anna Mallia, Joanna Galleja, Maria Spitori, Margarita Barghetti et Ursula Magri pro applicatione superextantis pecuniae, redemptionem filiorum et vivorum a servitute Turcarum et pro perpetua insuper cumulandae summae erogatione in eorum redemptionem qui simile in posterum passuri erunt servitutis infortunium.

Confirmat Melitensis Episcopus abnormem et immensum fere numerum Missarum, quae ex legatis piisque fidelium oblationibus celebrari deberent, cumque talem esse, ut nulla omnino ratione ob defectum Sacerdotum adimplere valeat. Refert insuper se hac de causa Parochis omnibus et Confessariis in sacris visitationibus injunxisse, — ut Christifidelibus nunciarent christianum piumque opus esse et juxta graves receptasque sententias quandoque Deo gratius eleemosynas elargiri pro pauperibus sustentandis, iis praesertim, qui in paupertate evidenti peccandi periculo expositi reperiuntur;" — sed inutile fuisse ejus monitum, nam quamplurimi propensiori affectu Altaris potius Sacrificium exoptantes quam eleemosynae distributionem pro pauperibus, novas Missarum fundationes in supremis tabulis in dies instituunt et frequentes eleemosynas pro Missis adventitiis, adaucto etiam celebrantibus stipendio, elargiuntur.

Atque ita suum aperit votum: — quum itaque his circumstantiis omnino Missarum legata adimpleri nequeant, necessarium esse putarem, superextantes Missarum tam perpetuarum quam adventitiarum eleemosynas in aliquod pium opus commutare, ne eleemosynae pro altaris Sacrificio in animarum suffragium ab offerentibus relictae inertes ac otiosae remaneant. Ad me quod attinet, nullum inter pia opera tam christianum piumque esse putarem quam superfluas Missarum eleemosynas in redimendos captivos ab infidelium tyrannide impendere. Quam magnus sit Melitensium et Gaulitanonorum numerus, qui elapso praesertim anno servitutem patitur foedamque captivitatem cum discrimine abnegandae christianae fidei apud Turcas, omnibus pervulgatum est. Et quamvis in hac Insula non desint duae fundationes pro captivorum redemptione, eleemosynae tamen, quae ab ipsis subministrantur, cum scuta sexcenta hujus melitensis monetae pro quolibet captivo non excedant, impares omnino sunt tot excessivo captivorum Melitensium numero redimendo, ea potissimum quia hac praesertim aetate, nonnisi ingenti pretio a diva barbarorum tyrannide liberari valent. Quamobrem cum certum exploratumque sit, quam plurima Missarum legata, quamvis varius incertusque sit illarum numerus, sine executorum culpa inadimpleta quotannis remanere, cumque nil gratius Deo sit quam ab infidelium servitute christianum hominem eripere, putarem superextantes eleemosynas, quae in posterum adhibitis omnibus diligentiis in Missarum celebrationem erogari nequeunt, in Oratorum aliorumque hujus Dioeceseos captivorum redemptionem impendi posse; eo potissimum,

quia ejusmodi commutatione Ecclesiarum cultui populique commodo aut Sacerdotibus, in quorum favorem paucis abhinc annis Missarum eleemosyna adaucta est, nullum omnino damnum infertur.

Primo igitur in deliberationem venit, num superextans eleemosynarum summa erogari valeat in redemptionem captivorum Oratoribus attinentium et pro negativa urget cannonica regula, erogari scilicet non debere in alios etiam pios usus, quod celebrationi destinatum est Missarum, ad *Text. in cap.: tua nobis de testam.*, *Card. de Luc. annot. ad Sac. Conc. Trident. disc. 21. num. 3.*, *Pignatell. consul. 50. num. 1. tom. 6.*, *Scarfant. ad Cecropen. lucubr. canon. lib. 4. tit. 5. tom. 2. in animad. num. 1.* Praesertim quia pro captivorum Melitensium redemptione duae in Insula Melitae sunt piae Fundationes. Pro affirmativa vero animadversionem meretur difficultas et quidem ob defectum Sacerdotum maxima supplendi numerum Missarum, quae ex superextanti pecunia celebrari deberent. Hac sane attenta difficultate absurda non esset erogatio superextantis summae celebrationi Missarum destinatae in pium redemptionis captivorum usum, ut in debilioribus terminis decreverit haec Congregatio Sacra in Syracusana Missarum 10. Martii 1759. Licet vero piae illae adsint Fundationes pro Melitensibus redimendis captivis, sufficientes tamen, Episcopo teste, non habent reditus, quibus omnes redimantur.

Deliberandum secundo, num praesens applicationis gratia concedi etiam in perpetuum debeat pro futuris captivis. Eadem fortasse in futurum erit Sacerdotum difficultas, eademque ratione major eleemosynae Missarum pars otiosa sit, christianae igitur pietati consentenaneum esset, si perpetuum ex futuro eleemosynarum cumulo institueretur piissimum redemptionis captivorum opus. Nedum sane a corporali captivitate liberarentur Melitenses, sed a spirituali alia abnegandae Fidei periculo. Notandum contra, quod perpetua eleemosynae Missarum erogatio in redemptionem captivorum perpetuo a Missarum legatis avertere posset Melitenses, qui exoptant propensiori affectu Altaris potius Sacrificium. Idque eo magis ponderandum, quia major in futurum esse poterit Sacerdotum numerus et pro omnibus adimplendis legatis.

Dubia sunt:

I. An sit consulendum SSmmo pro erogatione superextantis Missarum eleemosynae in redemptionem captivorum Oratoribus attinentium in casu?

II. An sit consulendum SSmmo pro perpetua erogatione eleemosynae in futurum superextantis in aliorum captivorum redemptionem in casu etc.?

S. C. resp.:

Ad I.: In casu, de quo agitur, affirmative et quoad personas redimendas, arbitrio Episcopi, cum praelatione favore attinentium Fundatoribus Legatorum.

Ad II.: Negative et recurrant in in casibus particularibus.

Die 15. Julii 1797.

Vd. *Stipend.* (num acceptatio licita sit a Sacerdotibus etc.; *transmissio.*)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Taurinensi.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Canonicus Agodino, parochus et administrator parochialis ecclesiae Corporis Domini istius civitatis Taurinensis, quod cum apud se remaneat summa pecuniaria decem millium circiter librarum monetae istius regionis erogandarum in eleemosynas missarum cum ex piis legatis tum ex fidelium

commissionibus provenientibus celebrandarum, cumque ob sacerdotum penuriam celebrationes hujusmodi nequeant fieri nisi in summa mille et quingentarum librarum ejusdem monetae, idcirco reliquam pecuniam in alias eleemosynas converti posse vehementer desiderat. Nobis propterea humiliter supplicare fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur memoratum exponentem et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, eidem exponenti petitam facultatem, expletis celebrationibus missarum pro summa mille et quingentarum librarum, erogandi, quod summae praedictae remaneat favore hospitii Catechumenorum istius civitatis aliorumque pauperum et egenorum ita tamen, ut hi eleemosynas accepturi pluries aut saltem semel confessi et sacra communione refecti missam audientes omnipotentem Deum juxta benefactorum mentes exorent, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis impertiaris.

Datum Romae die 28. Mart. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 303.)

35) Taxatio.

a) Ab Episcopo facienda.

Stipendia (pro miss. man.; num acceptatio licita etc.; decr. Urb. VIII. declarat. n. 5.)

Ad dubium: Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum missae nulla praescripta eleemosyna, quaeritur: an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

S. C. resp.: Ubi nullam certam eleemosynam Testator relinquat, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis et Provinciae.

Die 23. Nov. 1697.

Taxa statuenda est juxta consuetudinem loci aut legem synodalem aut arbitrio Episcopi.

S. C. C. 15. Nov. 1698:

Vd. *t. III. p. II. pag. 183*: *Quartum est etc.*

Lucen.

Emmus D. Card. Spinula Episcopus Lucen. suis literis enarrat in illa dioecesi saepius contingere, quod pii sed pauperes testatores legant locis piis exiguas summas scut. decem vel circiter cum perpetuo onere determinati numeri missarum; quae quidem legata acceptare renuunt locorum piorum administri ob impossibilitatem vel saltem maximam difficultatem summas tam modicas investiendi sive in stabilia sive in census tutos atque securos. Unde pro summo ejus zelo in defunctorum animas pietate consulit EE. PP.:

An casu quo locus pius legatarius nolit hujusmodi legata cum designato missarum onere acceptare, Episcopus possit statim erogari facere summam legatam in celebrationem tot missarum juxta intentionem testatoris ad proportionatam quantitatem eleemosynae manualis?

2. An Episcopus possit onera missarum nondum acceptata reducere absque beneplacito Sedis Ap. sive hujus Cong., quoties reductionem necessariam esse judicaverit ex eo quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere?

S. C. resp. die 20. Junii 1682.

Negative ad utrumque.

Votum Card. Casanate.

An in casu quo locus pius legatarius nolit legata tenuia cum onere missarum acceptare, possit Episcopus demandare celebrationem tot missarum ex summa legata per manualem?

An possit Episcopus reducere onus missarum in fundatione quando locus pius non vult acceptare legatum nisi onere diminuto?

In omnibus ac singulis casibus particularibus recurrendum ad Sacram Congregationem quia ita sancitum fuit in decreto de celebratione Missarum §. primo, etiam quoad commutationem et in primo decreto explicativo quoad fundationem, ut in constitutione 45. Urbani VIII, tomo 4.

(Anal. J. P. 1864. p. 1005.)

Asten.

(Conc. Tr. Decr. de obs. et evit. in celebr. Miss. Sess. 22.; Decr. de Purg. Sess. 25.)

Ultimo exarato Elogio de Anno 1700, sub quo decessit Jacobus Vinea, gravavit Jo. Bernardum Stratam Nepotem et haeredem suum institutum ejusque filios masculos caeterosque successores fideicommissarios substitutos celebrari facere per PP. Carmelitas Ecclesiae B. Virginis de Carmelo quotannis et in perpetuum certis diebus et Altaribus Missarum numerum 84 pro anima propria et Conjunctorum, supponens pro dicta celebratione specialis hypothecae nomine Domum et praedium rurale in Testamento designatum. Subindeque deveniendo Testator ad eleemosynae taxationem inquit: *Con autorità a' detti PP. Carmelitani di poter costringere per via di giustizia detti haeredi e fideicommissarii et altri professori della presente Casa, Cassina e Massaria predetti al pagamento dell' eleemosina per la celebrazioni di dette Messe feriali, perpetue a ragione di soldi dieci per cadauna Messa, in diffetto, e mancamento dell' osservanza et effettiva celebrazione di dette Messe, ascendenti in tutto al numero di Messe 84 annue tra feriali e festive, l'eleemosina de quali alla ragione sudetta rileva liure 42. cadauno anno etc.* Ac rursus facta substitutione praefato Bernardo haeredi idem Testator prosequitur: Et estinguendosi totalmente la generazione e la famiglia mascolina di detto Signor Gio. Bernardo Strado e delli suoi figli mascoli sopranominati viventi e degli altri nascituri e descendenti dalli medesimi suoi figli, in tal caso detto Signor Testatore hà ristretto e restringe d. fideicommisso perpetuo alla detta e presente Casa solamente et esistente etc. con la total obligazione alla medesima adossata della celebrazione di dette Messe feriali e festive perpetue, ascendenti in tutto al numero di Messe 84 annue sopra espresse e dichiarate, con la limosina alla ragione di soldi dieci per cadauna Messe rilevanti liure 42 annua e regolate alla ragione di Messe dodeci per ogni scudo d'oro, conforme alla dichiarazione fattane nelle Constituzioni sinodali del fù Monsignor Illustrissimo Vescovo Ottavio Broglia dell' Anno 1627 per trattarsi di Messe perpetue sono scudi d'oro sette annui devrà pagarsi a detti PP. Carmelitani in perpetuo dalli legitimi possessori di detta Casa fideicommissaria, la qual vuole detto Signor Testatore, che sia perpetuamente hipotecata et obligata per il pagamento di detta eleemosyna di Messe perpetue rilevanti detti scudi d'oro sette annui, non ostante, che passasse al dominio di qualsisia persona etc. di modo che potranno dd. Padri Carmolitani pro esistenti in d. Convento conseguire detta eleemosina et agire in ogni occorrenza contra il possessori di essa

per via di giustizia per il pagamento, e consequutione di detta somma di scudi sette d' oro annui, overo loro valuta etc.

Post obitum Testatoris subnata fuit controversia inter supradictos PP. Carmelitas ex una et Carolum Felicem Stratam filium et haeredem ejusdem Testatoris ex altera parte super quantitate eleemosynae dictarum Missarum 84. praetendentibus Patribus eam esse solvendam ad rationem scutorum septem aureorum, viceque versa haerede contendente eam nonnisi ad rationem solidorum decem pro qualibet Missa durante linea ipsius Testatoris fore erogandam, utroque collitigante jus suum metiente ex verbis et contextu Testamenti. Unde introducta causa in Curia episcopali Asten. per ejus Vicarium Generalem favore haeredis prolata fuit sententia. Quapropter recurrentibus Patribus ad hanc S. C. praeacceptaque Episcopi relatione praemissa confirmantis et acta in ejus Curia desuper fabricata transmittentis, fuerunt de consensu Partium concordata infrascripta Dubia, quae hodie Partibus ipsis monitis proponuntur EE. VV. ut ex supradictis documentis in Summar. exhibendis aliisque deducendis placeat resolvere:

I. An Taxa per Episcopum facta pro eleemosyna Missarum, de quibus agitur, sustineatur?

Et quatenus negative:

II. In qua quantitate sit dicta eleemosyna taxanda in casu etc.?

S. C. C. resp.: Dilata.

Die 15. Mart. 1710.

Iterum proposito Dubio S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative;

Ad II.: Provisum in primo.

Die 29. Mart. 1710.

Camerinen.

(Conc. Tr. Decr. de Purg. Sess. 25.)

Ab humanis decessurus Comes Petrus Martinus Ambrosius conditis supremis tabulis sub anno ultimo elapso ita disposuit:

Che l'infrascritta mia herede doppo quattro mesi dal giorno detta mia morte debba aggiungere nell' Altare di S. Ambrosio della mia Casa nella Chiesa de Monachi Silvestrini in S. Benedetto messe trè la settimana con applicare i Sacrificii per l'anima mia, e del quon. Signor Gio. Paolo Ambrosi mio Fratello carnale, e secondo la mia intentione, con farne sborso in darnari contanti à dd. Padri per quella somma vera concordata coll' infrascritta mia herede in adempimento et obligo per dette trè messe la settimana in perpetuo et all' hora siano tenuti i medesimi PP. notare d. obligo in Tabella apresso l'altro, già fatto d'altre quatro messe la settimana dal quon. Ambrosio mio Zio carnale; acciò compito debbasi celebrare in d. Altare una messa al giorno.

In omnem vero eventum, quo praelibati PP. vel acceptare hujusmodi legatum nollent vel nequaquam cum herede convenirent super solutione eleemosynae, Testator ipse sub iisdem conditionibus substituit Collegiatam insignem S. Venantii eaque pariter dissentiente post quattuor annorum curriculum liberam facultatem contulit heredi, alteram sibi benevisam decernere Ecclesiam, in qua ejus mens exsequeretur, quemadmodum latius ex Testamenti particula in Summario recensenda. Protinus Comitissa Maria Ambrosia Stelluta heres ex asse nuncupata exequiri desuper curavit Abbatem et Monachos Silvestrinos, qui capitulariter congregati decreverunt, jam dictum missarum onus perpetuum acceptare cum eleemosyna praestitu-

enda ad rationem infirmae taxae Curiae episcopalis. Minus acceptum fuit hujusmodi responsum jamdictae Comitissae Mariae, quae explicari ab ipsis Monachis cupiebat determinatam eleemosynae quantitatem deliberandi causa, num consentiri posset super ejus solutione. Hinc judicio diu exagitato in Curia episcopali tandem ad enixas eorundem Monachorum instantias taxata stipe hujusmodi missarum ad rationem obulorum quindecim et quadrantium duorum pro qualibet definitive pronunciatum fuit, persolvendam esse ab eadem Comitissa Maria summam scut. 1000 implicandam in locis montium non vocabilium, quorum redditus praestitutae eleemosynae pares esse asseruntur. Deducta vero subinde ejusmodi controversia ad Sac. Congregationem juxta morem informare jussus fuit Episcopus, qui repetita facti serie praenarrata censet, Decretum Curiae episcopalis undique constare, eo praesertim sub obtentu, quod summa praescripta non exuberat consuetam taxam onerum perpetuorum neque Ecclesiae substitutae minori sipendio onera injuncta acceptare possent, quare ex his et aliis in informatione adducendis humiliter ab EE. VV. declarari petitur:

I. An Taxa eleemosynae missarum, de quibus agitur, facta per Ordinarium Camerinen. sustineatur vel potius sit augenda vel minuenda et in qua summa in casu etc.?

II. An Investimentum scutorum mille demandatum ab Ordinario Camerinen. in locis Montium sustineatur seu potius, quae summa solvenda sit pro eodem Investimento in casu etc.?

III. In quo loco et in qua specie bonorum sit faciendum d. Investimentum in casu etc.?

S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

Ad II.: Negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam et solvendam esse summam 800 Scut. per Haeredem PP. ad effectum investiendi;

Ad III.: Provisum ut supra.

Die 30. Sept. et 18. Novb. 1713.

Alexanen.

Clerus Ecclesiae parochialis Oppidi Tiliani in precibus huic Sacrae Congregationi exposuit plurima in eadem Ecclesia reperiri Missarum onera, quorum adimplementum, licet commodi praestari posset a Sacerdotibus continuo ipsius Ecclesiae parochialis servitio addictis, plerumque tamen ab iis, quibus ejusmodi Missarum onera incumbunt, aliis exteris Sacerdotibus committitur, minori etiam uno Caroleno, qui de caetero pro qualibet Missa juxta Decretum Episcopi deberet persolvi, tributa illis eleemosyna, quod porro, quum ab omni jure devium arbitretur, supplicavit proinde ab Eminentissimis PP. decerni, ut Sacerdotibus exteris, qui ad memoratam parochialem Ecclesiam pro adimplendis praedictis Missarum oneribus vellent imposterum accedere, poena suspensionis ad eos inde avertendos infligeretur, ii vero, qui eleemosynam caroleno minorem pro unaquaque Missa auderent persolvere, excommunicationis gladio plecterentur.

Super his Cleri precibus excitatus Episcopus, ut Sacram Congregationem instrueret, retulit se in primo ad eam Dioecesim adventu detestabile mercimonium in ejusmodi beneficiorum, capellaniarum et legatorum persolvendis oneribus invenisse, quum eorum satisfactio unicuique Sacerdoti etiam extero, qui minori pretio paratus esset sacrificium offerre, committeretur, prop-

tereaque editum ab ipso fuisse generale decretum, ne summa minor uno Caroleno posset ab ullo Presbytero pro eleemosyna cujuslibet Missae imposterum recipi.

Hac relatione accepta rescriptum statim fuit Episcopo, ut ad formam Decretorum generalium super celebratione Missarum adversus illorum violatores prout de jure procederet; quia vero supplicationibus Cleri Tiliani postulantis exteros Sacerdotes ab implendis controversarum Missarum oneribus arceri, contradictores se praebuere Baro Ignatius et Orontius de Seraphinis necnon Sacerdos Alexander Arcella tum ratione beneficiorum jurispatronatus tum ex piis quibusdam legatis annua obligatione plurium Missarum in memorata parochiali Ecclesia persolvendarum gravati, oportuit idcirco dubium, quod in calce praesentis restrictus apponetur, disceptandum subscribere.

Contendunt scilicet praefati de Seraphinis et Sacerdos Arcella nullam rationem esse, cur ipsis adimi vel coerceri debeat facultas eligendi unum potius quam alterum Presbyterum etiam exterum, qui Missas, de quibus agitur, celebret; praesertim vero quum hactenus plena usi fuerint libertate, quemadmodum constare asserunt ex libris Ecclesiae parochialis, in quibus et Missarum onera et celebrantium nomina adnotantur.

Subdunt praeterea jus istud electionis libere ipsis competens agnitum reipsa fuisse ab Archipresbytero pluribusque ejusdem parochialis Ecclesiae Clericis participantibus, qui proinde ab hac prius instructa lite recesserunt adeoque paucos quosdam Sacerdotes istius Oppidi Tiliani, qui eam adhuc sustinent, veluti non legitimos contradictores in hoc negotio censendos esse.

Contra vero nonnulli Sacerdotes Oppidi Tiliani, tam proprio quam Ecclesiae nomine id, quod semel postularunt, se jure tueri existimant.

Inquiunt enim sibi fas esse, communi virium suarum studio adlaborare, ut decernatur, indigenas potius quam exteros Sacerdotes eligi debere, qui onera Missarum in propria Ecclesia adimplenda persolvant, quum id et aequitati et honestati consonum videatur potissime ex verisimili Fundatorum aliorumque piorum legantium voluntate, quos ejusdem Ecclesiae Clericis potius quam extraneis favere voluisse nemo potest ambigere. Sique voluntas ista praesumi debet generatim in omnibus, qui Missas in hac parochiali Ecclesia celebrandas reliquere, id eo magis conjectare liceat in Angelo Caloro, ex cujus dispositione praefatus Alexander Arcella perpetuo subest plurium Missarum oneri; quippe quia idem pius Testator peculiari quadam dilectione Cives Tiliani se prosequutum ostenderit, dum certa eveniente conditione annuam sexdecim ducatorum summam universitati ejusdem Oppidi legavit.

Caeterum vel ex eo potissimum putant Cives Tiliani vetandum esse, ne Missae in parochiali Ecclesia dicti Oppidi celebrandae aliis quam Sacerdotibus indigenis committantur, ut pravum scilicet mercimonium ea in re prorsus amoveatur; nihil enim aliud in causa esse inquiunt, cur tanta contentione saepedicti de Seraphinis et Alexander Arcella seligant Presbyteros Cives, nisi quod ex alienigenis facile sit reperire non paucos inopia pressos, qui minori eleemosyna, quam quae in Edicto Episcopi statuta fuit, contenti sint; idque uberrime conjici etiam ajunt ex acri oppositione, qua ipsi supradicto Episcopi Decreto sunt adversati.

De ista praelatione Sacerdotum sive

Saecularium sive Regularium Ecclesiae, in qua ex fundatorum voluntate sacrosancta Missae Sacrificia sint peragenda, pertractant *Card. de Luca* de legat. disc. 25., *Capon.* discept. 169. num. 10. et 11., *Monacell.* formul. 19. num. 18. tit. 10. tom. 1. et de ea pariter actum saepius fuit coram hac Sacra Congregatione, ut videre est in *Romana* eleemosynae Missarum 5. Septembris 1716, in *Regien.* 5. Augusti 1719, in *Bituntina* Missarum 24. Septembris et 19. Novembris 1719, in *Romana* Oneris Missarum 12. Januarii 1732, in *Papien.* Oneris Missarum 28. Novembris et 12. Decembris 1733, in *Tyburtina* celebrationis Missarum 10. et 24. Septembris 1735, in *Camerinen.* Capellaniae 19. Novembris ejusdem anni et in *Mediolanen.* celebrationis Missarum 28. Aprilis et 12. Maii 1736.

De quantitate autem eleemosynae tradendae pro unaquaque Missa et unde ejus taxa desumenda sit, tradunt *Suarez* in 3. par. s. Thom. tom. 3. quaest. 86. sect. 2. in prim. et secund. conclus., *Rosignol.* de Euchar. tom. 15. quaest. 12. de stipendio Missae art. 3. num. 5., *Tamburin.* de Sacrif. Missae lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 2. et alii communiter docentes justam eleemosynae taxam desumi debere vel a communi consuetudine, quae vigeat in Dioecesi, vel a lege in Synodo praescripta vel demum ab Episcopi decreto, et idipsum declaravit Sacra haec Congregatio die 15. Novembris 1699 in causa *Aprutina*, dum praepositis ad preces Episcopi duobus hisce dubiis: Primo: *quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium?* Secundo: *quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus?* respondit: *Attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus, statuendum esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio* ut in lib. Decret. 48. pag. 584.*)

Num vero Episcopus statuere possit Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata, disputant pariter Doctores, quorum aliqui sententiam negativam tenent et praesertim *Giballin.* de Simon. quaest. 18. consect. 7. sub num. 5., *Azzor.* Institut. moral. par. 3. lib. 12. cap. 6. in fine, alii vero affirmativam tuentur, quos inter late rem pertractat *Pasqualig.* de Sacrif. Missae quaest. 928. num. 3. et seq. Haec autem posterior sententia magis probatur ab hac S. Congregatione, in cujus regestis haec habentur sub titulo s. Severini eleemosynae Missarum 16. Julii 1697: „Episcopus narrat sacrosanctum Missae Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse possit statuere eleemosynam manualem unius integri Julii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate? Sacra etc. respondit affirmative quoad eleemosynam manualem. His itaque perpensis una cum juribus Partium ac relatione Episcopi deliberandum erit:

An celebratio Missarum adimplenda per Alexandrum Arcello et Ignatium Seraphinium in Ecclesia parochiali Tiliani Sacerdotibus exteris eisdem benevisis committi valeat in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative soluta tamen eleemosyna juxta decretum Episcopi et amplius.

Die 12. et 26. Jan. 1743.

b) Modus et rationes.

Vd. tom. III. pars. II. p. 184. *Ultimum* etc.

---

*) Resolutio dd. 17. Junii 1786 in Januen. §: Primum.

36) Transmissio ab una ad alteram Eccles.

Vd. *Missa* (in alteri, transl.)

Urbanus Papa VIII. — Ad futuram rei memor.

Cum, sicut accepimus, quamplures eleemosynae pro missis in Ecclesia Monasterii S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulen. pro animarum Christifidelium defunctorum refrigerio et salute celebrandis, eidem Ecclesiae in dies erogentur, omnes vero missae hujusmodi ob nimiam earum quantitatem in dicta Ecclesia celebrari nequeant,

Nos, qui omnium saluti paterna charitate intendimus, piae Christifidelium intentioni ac desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicti Monasterii Priori in virtute sanctae obedientiae per praesentes praecipimus et mandamus, ut satisfactis prius oneribus perpetuis Missarum sive Anniversariorum, quibus Monasterium hujusmodi obnoxium est, pro satisfactione eleemosynarum manualium in eadem Ecclesia de caetero ad effectum praedictum elargiendarum sive erogandarum, majorem, quam possit, diligentiam adhibeat, ut debito eleemosynarum hujusmodi numero in Ecclesia praedicta satisfiat.

Pro illis autem, quibus satisfacere non poterit, in Urbe per sacerdotes saeculares vel cujusvis ordinis regulares, de Superiorum suorum licentia, alteri Missarum celebrationis oneri non obnoxios, vel eas Monasteriis Congregationis hujusmodi, ut in eorum Ecclesiis celebrentur, distribuendo satisfieri omnino curet, quae Monasteria nulli Missarum celebrationi, quae distributionis vigore praesentium faciendae exequutionem non impediant, sint obligata. Dictusque Prior sexto quoque mense notulam peractae distributionis ac satisfactionis dilecto filio nostro in alma Urbe Vicario in spiritualibus generali vel ab eo specialiter deputato consignet.

Quodque de caetero eleemosynae pro Missis in eadem Ecclesia S. Gregorii celebrandis, quae infra modicum tempus ibi celebrari non poterunt, illic minime recipiantur, nisi Sacrista vel alius minister Missarum numero describendo, atque oblationibus recipiendis prafectus prius admoneat singulos, qui eleemosynas offerunt, de tempore intra quod Missae ab iis requisitae probabiliter celebrari poterunt.

Praeterea, quod pecuniae, quae ad praesens in deposito et eleemosynis Missarum conflatae reperiuntur, per alias ejusdem Congregationis seu almae Urbis nostrae Ecclesias arbitrio Abbatis generalis ejusdem Congregationis et dicti Ordinis Prioris, vel Sacerdotibus, nulli pariter alteri celebrationis Missarum oneri, ut praefertur, obnoxiis, praevio consensu et approbatione ejusdem Vicarii nostri vel ejus deputati, quamprimum distribuantur, ad hoc ut totidem Missae pro fidelibus defunctis quam primum celebrentur et infra sex menses proximos eidem Vicario nostro vel ejus deputato notula tam peractae distributionis quam celebrationis Missarum per eumdem Priorem consignetur.

Insuper Ecclesiis seu Altaribus, in quibus Missae pro eleemosynis dictae Ecclesiae S. Gregorii elargitis, ut supra, celebrabuntur, easdem Indulgentias, quae ipsi Ecclesiae S. Gregorii a Sede Apostolica concessae reperiuntur, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, earumdem tenore praesentium concedimus.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per dictum Priorem aliosque, ad quos quomodolibet spectat et in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non alias per quocumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae Congregationis illiusque Monasteriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona decembris 1626. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

(Anal. J. P. 1864. p. 969.)

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Cum ob saecularium devotionem major accesserit numerus missarum, quam in eo conventu persolvi possit, prior praecedente provincialis consensu in eos conventus distribuantur, ubi citius persolvantur, dummodo benefactorum mens non obstet: alioquin ultra vires omnino non recipiantur, sub poena gravis culpae.

Die 14. Mart. 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 505. Ed. Romae.)

Si de Missis adventitiis sermo sit, Eleemosynae recipi non debent, nisi intra modicum tempus, scilicet unius mensis, celebrare possint, seu pios offerentes admonendos esse: tot Missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent Missae, quas sibi Eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus Missarum, quae in Ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut Missae per eos optatae in alia Ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur, idque publico, patentique loco appensa Tabella omnibus nunciaretur.

Veluti totidem verbis legere est in Synod. dioeces. l. 3. c. ult. §. 11. ubi in §§. seqq. Resolutiones Sac. Congregationis transcribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1683. Anagnina.)

STOLA.

1) In Administ. Sacramentorum.

Vd.: *Paroch.* (adm. Sacram.); *Canonici* (adm. Sacram.); *Stola parochorum etc.* (decr. n. 4550 nota.); *Stola* (in Sacram. Poenitent.); *Stola* (in extrema unctione); *Communio Infirmor.; Visitatio* (de Poenit.; Olei infirmor.)

Ad dub.: An Hebdomadarius possit uti stola in canendis divinis Officiis, quamvis Archipresbyter ejusdem Ecclesiae, iis assistens, illam deferre consueverit, S. C. resp.: Neutri licere deferre stolam, quae tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debet. n. 1915 die 7. Sept. 1658.

Decretum generale.

Stolam non esse adhibendam in canendis divinis Officiis sed tantum in collatione et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.

N. 4524. die 7. Sept. 1816.

In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur

SSmum ad aegrotos eisque administratur *cum stola super vestem communem absque cotta sive superpelliceo.* Quaeritur propterea:

An praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit?

S. C. resp.: Negative et eliminata consuetudine servetur Ritualis rom. praescriptum. Num. 4623. VI. 1. die 16. Decb. 1826.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Si omnia, quae Ritualis Romani Rubricae servanda jubent, adamussim tenenda sunt, multo magis ab iisdem non est recedendum, quae respiciunt Sacramentorum administrationem. Altera autem ex generalibus regulis est sub titulo: *de iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* altera est, quae sequitur: *In omni Sacramentorum administratione Superpeliceo sit indutus* (Parochus aut Sacerdos quilibet, qui administrat) *et desuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit.* Quae regula exceptionem dumtaxat patitur in Sacramento Poenitentiae ministrando, quia facile contingere potest, ut, aut pro re nata tempus non suppetat sumendi Superpelliceum et Stolam, vel alia intercedat rationabilis accidentalis causa dispensationis et excusationis. Sed de hac generalis regulae exceptione quaerendum modo non est, quum quaestio omnis in eo sit: an retineri possit praxis, ubi invaluit, deferendi ad infirmos, eisque administrandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum cum Stola supra Vestem communem sine Superpeliceo. Ad hunc reprobandum abusum satis esset regula generalis, cujus supra mentio facta est: verum tamen alia est Rubrica specialis *de Communione ministranda infirmis,* in qua sic legitur: *Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu superposito, mundo velamine, manifeste, atque honorifice etc.* Decentia autem haec quoad habitum non ad Vestis cujuscumque usualis et communis minorem vel majorem pulchritudinem, elegantiam, decus referri debet, sed ad illam, quae ecclesiasticorum indumentorum propria est, quaeque Sacramentorum administrationem decet, eique ex praefata generali regula convenit, necnon sacro Ministro Sacramentum deferenti. Nova non est hujusmodi Vestium differentia, imo antiquissima nec repudianda illorum sententia est, qui censent in ipsis Ecclesiae primordiis apostolicisque temporibus duplicem fuisse Vestem, aliam scilicet ad communem usum, aliam ad ministerium et officium. Sed modo non interest de hoc disputare. Vel Vestium distinctio fere ab Ecclesiae exordio repetenda sit vel aliquando post fuerit inducta, certum tamen est, eamdem esse multa antiquitate praestantem. Sed qualis esse debeat decens hic habitus infra a Rubrica declaratur:

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus Superpeliceo et Stola et, si haberi potest, Pluviali albi coloris, Acolythis seu Clericis aut etiam Presbyteris (si locus ferat) *Superpelliceo pariter indutis commitatus etc.* Superpelliceum igitur et Stola in praecepto sunt, Pluviale vero in arbitrio et more. Neque sit quispiam, qui aucupando verba et eorumdem pervertendo sensum interposita illa dictione *(si locus ferat)* abutatur et ad Sacerdotem Sacramentum deferentem referat id, quod respicit dumtaxat Pluviale, Acolythos, Clericos aut etiam Presbyteros comitantes, quos Rubrica exoptaret (insinuando non praecipiendo) Superpelliceo indutos incedere. Quod si ecclesiastico hoc indumento optat Ru-

brica indutos esse Sacerdotes aut Clericos comitantes, suspicarine possumus, fas esse consuetudinis praetextu non adhiberi Superpelliceum a Sacerdote Sacramentum deferente, quamvis praeceptiva sit prima Rubricae pars, quae eumdem respicit, directiva vero et facultativa pars altera, quae ad Sacerdotes et Clericos comitantes refertur? Praeterea erit forte nonnemo, qui reponat, non haec omnia semper et necessario esse in praecepto et excipiendum esse casum, in quo locus fiat alicui indulgentiae non sumendi Superpelliceum, si nempe longius aut difficilius iter obeundum sit, ut in dubio proponitur. Errat quammaxime qui ita opinatur; quippe casum hunc Rubrica non praeterit, imo modum in eo servandum praescribit. En verba: ***Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit et fortasse etiam equitandum, necesse erit fas, in quo Sacramentum defertur, bursa includere et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere neque Pyxide excuti Sacramentum queat.*** Ex quibus Rubricae verbis colligitur: modum dumtaxat praescribi, quo Sacramentum decenter deferatur, ne vel decidat vel Pyxis excutiatur: quoad Superpelliceum et Stolam nulla fit limitatio aut exceptio. Quod si quando longius est iter et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica a delatione Superpellicei et Stolae, hic erat locus apposite id adnotandi. Hoc notatum non video: igitur in hoc contemplato casu per istam Rubricae declarationem nihil detractum est alteri supra relatae, quae jubet Superpelliceum et Stolam assumendam a Parocho vel quoque Sacerdote Viaticum deferente et ministrante. Si mei ita ferret Instituti ratio, longe plura addere hic possem, sed brevitati consulturus, quae dixi, satis esse arbitror, ut evincam S. C. proposito dubio respondendo *negative et eliminata consuetudine servetur Ritualis Romani praescriptum*, eidem Rubricae adhaesisse ejusdemque sensum declarasse.

Nullius Farfen.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Sacerdos Angelus Fiordiponte Archipresbyter et Parochus Collegiatae Ecclesiae Sancti Laurentii et Sanctae Mariae Novae Oppidi vulgo Toffia Nullius Farfen., ex antiquo more Archipresbyteros memoratae Ecclesiae consuevisse in omnibus ecclesiasticis Functionibus, nimirum in Choro, in Processionibus, in administratione Sacramentorum uti Stola, quam quidem consuetudinem ad haec usque tempora hodiernus Parochus servavit. Verum quum in praesentiarum ab hujusmodi pacifica possessione deturbetur, optimum duxit nihil immutare, inconsulta hac Sancta Apostolica Sede; ac propterea a Sacra ipsa Congregatione enixe petiit declarari: an sibi liceat uti Stola in omnibus ecclesiasticis Functionibus, quemadmodum semper servatum est, vel an debeat Stolam assumere tantum in administratione Sacramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in ordinario Coetu coadunata, infrascripto Secretario referente, omnibus mature respondendum censuit:

„Serventur Decreta, nimirum Stolam adhibendam solummodo in Sacramentorum administratione."

Die 26. Aprilis 1834. n. 4734.

(2 Adorantium SSmum.

Vid.s *Instructio Clem.* §. IX. n. 8. etc.; *Expositio* SSmi (adorantes); *Stola in processionibus* (decr. n. 3109.)

3) In Aspersione aquae bened.

Assumenda est stola, dum in dominicis aspersio aquae bened. fit sine

Pluviali. N. 5102 ad 4 die 11. Septembris 1847.

Vd.: *Stola Sacerdotis* (quo modo etc.); *Pluviale in aspers.* etc.

4) Ad bened. cum SSmo.

Vd.: *Pluviale in process. SSmi; Benedictio SS. Sacramenti* (Bened. habitus.)

Canonici Metropol. Urbini non possunt benedictionem SSmi populo dare cum simplici stola super habitu canonicali. N. 3549 ad 1 die 23. Januarii 1700.

Ad dub.: Utrum Episcopus tolerare possit quod Benedictionem cum SSmo Sacramento impertiantur Canonici cum simplici stola super Cappam?

Emmi et Rmi P .... respondendum duxerunt: „Negative."

Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5228 ad 4. Die 29. Novembris 1856.

5) In benedictione Monialium.

Gratianopolitana.

Rmo D. Episcopo Gratianopolitano. Rme D. uti frater. Habito recursu ad S. Rituum Congregationem pro parte monialium ordinis Carthusianorum supplicantium pro concessione stolae ab Amplitudine tua paucis abhinc mensibus denegatae, quam caeteri Episcopi in die consecrationis seu benedictionis ipsarum monialium ultra alias caeremonias in pontificali romano praescriptas eis semper dederunt absque ulla facultate ex deductis in annexo exemplari supplicis libelli. Et Emmi PP. eidem Sacrae Congregationi praepositi censuerunt super expositis non esse quidquam decernendum nisi prius consulta Amplitudine tua, cui mandarunt scribi pro informatione. Ne gravetur itaque quam citius eamdem transmittere diuque Amplitudo tua felix incolumisque vivat. Romae die 24. Januarii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1240. n. 2190.)

6) In Choro.

Stolam et Pluviale in *choro sumere* Dignitatibus non licuisse; itaque omnia in Sacristia eadem induenda esse. N. 2127 die 3. Septembris 1661.

Ad dub.: Cum non obstantibus S. R. C. decretis pluries editis, quibus cavebatur, ne Hebdomadarii, Archipresbyteri aliique uti possent stola in canendis divinis officiis sed tantum in confectione et administratione Sacramentorum, eidem S. C. innotuerit hujusmodi abusum et viguisse et vigere penes Archipresbyteros et parochos abbatiae nullius Farvensis?

S. C. resp.: Stolam non esse adhibendam, praeterquam in collatione et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum. Die 7. Septembris 1816.

Ad dub.: Num Celebrans, ubi non est obligatio Chori, in Vesp. festivis vel votivis possit Stolam induere, quum sit veluti praeeminentiae signum in Choro, maxime in Ecclesiis ruralibus? S. eadem C .... respondendum censuit: „Negative juxta alias decreta." Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 5. Die 11. Septembris 1847.

Ad dub.: Utrum teneatur celebrans assumere Stolam et Pluviale pro recitandis precibus in fine Nocturni, quum ob rationabilem causam Laudes recitari non possunt?

Responsum prodiit:

„Non teneri."

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Num Celebrans, ubi non est obligatio, in Vesp. festivis et votivis possit stolam induere, quum sit veluti praeeminentiae signum, in choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

S. C. resp.: Negative juxta alias decreta. Die 11. Septembris 1847 in *Veronen.* ad 5.

Immo nuperrime S. R. C. declaravit, eliminandam esse *immemorabilem consuetudinem,* quod in Vesperis festivis et matutinis tenebrarum Celebrans utatur stola. Die 7. Septembris 1850. in *Veron.* ad 9.

Ad dub.: An decreta prohibentia, delationem stolae ab hebdomadario assistente horis canonicis comprehendant etiam Tertiam cantatam solemniter cum ministris et Vesperas solemnes?

S. C. resp.: Serventur decreta et praesertim generale novissimum diei 7. Septembris 1816, in quo comprehenditur etiam casus expositus.

Die 16. Decembris 1826 ad 3. In *Volaterana.* Vd. *p. 255.*

Ad dub.: An in Ecclesia parochiali Cartriniani Alexanen. dioecesis hebdomadarius possit uti stola in canendis divinis officiis, quamvis Archipresbyter ejusdem Ecclesiae iis assistens illam deferre consueverit?

S. C. resp.: Neutri licere deferre stolam, quae tantum in administratione Sacramentorum et confectione adhiberi debet. Die 7. Decembris 1658.

Vd.: *Stola* (in admin. Sacram.; in Vesperis.)

Bituntina.

Beatissimo Padre: Il Sacerdote Carlantonio Romanelli Arcidiacono prima Dignita, e Vicario Capidolare della Chiesa Cattedrale di Bitonto nel Regno di Napoli divotamente espone esser, costume inveterato in quella Cathedrale, che il Celebrante per intuonar l'Offfcio in Coro indosasse la Stola, e la ritenesse durante la recita del medesimo. Questo sistema, al quale mai niun Vescovo si e opposto, viene ora contrastato dall' attuale Prefetto delle sacre Ceremonie. E come che all' intiero Capitolo dispiace questa novita, cosi anche l'Oratore, in nome di quello ricorre, alla Santita Vostra, ed umilmente implora che si degni permettere, onde si proseguer l'anzidettto inveterato costume. Che della grazia ec.

Sacra autem Rituum Congregatio in ordinariis Comitiis ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuit: Negative et servetur decretum in Alexanen. die 7. Septembris 1658 et in una Dalmatiarum diei 7. Augusti 1663.“ Atque ita recripsit ac servari mandavit die 16. Martii 1844. N. 4698.

Vd.: *Stola in adm. Sacrament.* (decr. num. 1915) *Hebdomadarius* (stola); *Stola* (*parochor.* decr. n. 4550 nota); *Stola in vesperis.*

7) Clericorum et Episcoporum in antiquis temporibus.

Vd.: *Stola Papae.*

8) Color.

a) In process. et ador. SSmi.

Vd.: *Stola in process.* (decr. n. 3109.)

b) In Communione distribuenda.

Vd.: *Communio* (distribuens).

Ad dub.: An Stola pro ministranda SSma Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale romanum vel potius debeat alba prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores?

Emmi itaque ac Rmi P... respondendum censuerunt:

„Juxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris Officio illius diei convenientis.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 13. Die 12. Martii 1836.

Vd. Stola Sacerdotis communicantis.

9) In Concione.

Vd.: *Concio* (Dignit. et Canon.); *Instructio Clem.* §. IX. n. 11.; §. XXXII. 5. 6.; *Concio pro Defunctis* (habitus etc.)

10) In Concione cor. SSmo.

Vd. *Instructio Clem.* §. IX. n. 11.; §. XXXII. n. 5. 6.; *Stola excommunicantis.*

11) Confessarii.

Casertana.

Episcopus Casertanus praecepit confessariis suae dioecesis ne in posterum confessiones audiant, nisi cum superpelliceo et stola; et ut hoc decretum suum sortiatur effectum, petiit ab hac Sacra Congregatione auctoritatem astringendi etiam regulares saltem cum stola. Et Sacra Congregatio respondit: posse episcopum id facere auctoritate hujus Congregationis.

Die 28 Augusti 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 206.)

Vd. *Stola in poenit. Sacr. administr.*

12) In Delatione SS. Viatici.

Vd. *SS. Viaticum* (Modus etc.); *SS. Sacram. Euch.* (delatio ad infirmos.)

13) Deferenda supra cappam Canonicor.

Pius PP. VII. ad Canonicos Cathedr. Placentinae.

Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati nunc et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis memoratae Cathedralis Placentinae, ut ipsi missam cum cantu celebrantes, vesperas et divina officia in habitu sacerdotali solemniter persolventes atque alias quascumque presbyterales functiones eodem sacerdotali habitu induti peragentes palmatoria in dicta civitate et dioecesi dumtaxat uti, necnon sacram concionem e pulpito tam in cathedrali quam in reliquis ipsius civitatis et dioecesis ecclesiis habentes aut novo sacerdoti primum celebranti adsistentes aut sacramenta administrantes stolam supra cappam gestare licite valeant concedimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. Februarii 1819.

14) Num Diaconus stol. accipiat, quando sine planeta plicata ministrat?

Vd. *Planeta plicata* (quando et a quo etc., decr. 2542.; pro dalmatica etc., decr. 11. Sept. 1847.)

15) Diaconi in s. communione sumenda.

Vd. *Praeses* (c. VI.)

16) Diaconus olim defereb. stolam.

Vd. *Stola Papae.*

17) Episcopi defuncti.

Vd. *Paramenta Episcopi; Sacerd. def.; Sepultura Sacerdotis def.*

18) Episcopi visitantis.

Vd. *Clausura Monial.* (Ingress. Ep. occas. visit., decr. *Ariminen.*); *Visitat. Monial. claustr.* (ab Episcopo etc. decr. Conversana n. 1.)

19) In Exposit. SSmi.

Vd. *Exposit. SSmi* (ministri); *Stola in porrig. SSmo.*

20) In Funeribus.

Cf. *Sepultura; Parochus; Stola paroch.*; *Stola in aliis processionib.* (decr. n. 4607.) *Processio funebr.* (praeced., decr. n. 4673. Via per aliam paroch.

Ad dubium: An attendenda sit consuetudo quod Decanus, qui habet curam Cathedralis, in deducendis funeribus stolam assumat in *domo defuncti* et mox exiens deponat illam et *sine stola* praecedat? S. C. resp.: Servari Rituale et contrariam consuetudinem uti abusum rejici. n. 1444. die 21. Febr. 1643.

In processione funebri, ubi cadaver defertur, parochum deferre debere stolam, etiam praesente Capitulo cath. tanquam suae in cadaver jurisdictionis signum, quemadmodum Romae servetur. n. 35. die 2. Dec. 1592; n. 3093. ad 3. die 15. Sept. 1685. Confessario monialium s. Clarae, nullius Dioecesis, provinciae Taurin., non competere usum stolae, sed neque officium facere super cadaveribus, quae in Ecclesia Monialium humanda sunt. n. 2162. die 1. Apr. 1662.

Jus deferendi stolam in associandis cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis Regularium spectat ad curatum cadaveris et non ad unum ex Regularibus, ad quorum Ecclesiam defertur. Num. 2309. ad 1. die 24. Jan. 1665.

Quardiano Conventus s. Francisci Fontis Castelli non licere, invitis Curatis saecularibus, deferre per eorum parochias superpelliceum et stolam; et e converso parochos saeculares, stante immemor. consuetudine posse invitis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis cum superpelliceo et stola simpliciter assistere Officio, quod ab iisdem Regularibus decantatur, cadaveribus praesentibus. n. 2348 die 21. Nov. 1665.

Non posse prohiberi Parocho Camerani, quin ingrediatur cum stola et cotta in Ecclesiam fratrum s. Francisci ejusdem loci in associandis cadaveribus ad dictam Ecclesiam. n. 2353. die 13. Febr. 1663.

Parocho Terrae Vissi licet deferre stolam in Ecclesiis Regularium occasione cadaverum, dummodo non peragat Officium. n. 3630. die 1. Julii 1702.

Ad dubium: An Rectores sive Sacristae aliive Capellani Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus deferre stolam? S. C. resp.: *Negative.* n. 2910. ad 3. die 27. Jan. 1680.

In funeribus Praefectus sive Capellanus Confraternitatis saecularis s. Mariae Pedemontis non potest deferre stolam. n. 3758. ad 2. die 22. Jan. 1707.

Ad dubium: An Capellanus Confraternitatis SS. Conceptionis etiam praesente parocho in processionibus funebribus possit deferre stolam? S. C. resp.: Negative extra oratorium Confraternitatis.
Die 20. Nov. 1762.

In associatione cadaverum teneri Capellanum Societatis *del consorzio* Terrae Massae Fiscaiae incedere cum Societate, adhibita stola extra Ecclesiam tantum. n. 4460. die 23. Aug. 1794.

Parochus Cathedralis Andrien., associans *solus* cadavera absque capitulo, non potest Ecclesiam regul. s. Dominici ingredi cum stola et superpelliceo. n. 3828. ad 7. die 19. Julii 1710.

In asportatione parvulor. ante septennium ad sepeliendum in eorum Ecclesiis non licet Patribus Dominicanis Andrien. deferre stolam. n. 3828. ad 9. die 19. Julii 1710.

Non licet Parocho Cathedr. Forolivii *invitato ad associationem* cadaveris

sepeliendi in *Ecclesia paroch. defuncti* deferre stolam. n. 3866. die 21. Apr. 1714.

Ad dubium: An in eadem associatione possit ejusdem Ecclesiae Sacrista seu Capellanus cum stola una cum Parocho defuncti saltem ad sinistram incedere?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis quam in voce informante audita visisque juribus hinc inde deductis, inhaerendo Decretis alias in similibus editis et signanter sub die 9. Augusti 1681. favore ejusdem Ecclesiae S. Anastasiae respondendum censuit: „Affirmative."

Die 18. Aug. 1714.

Decretum anni 1681 est, ut sequitur: Instantibus Capitulo et Canonicis vetustissimae Collegiatae Ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, S. R. C. inhaerendo Decretis alias editis declaravit: „In associatione cadaverum, quae humanda deferuntur ad eamdem Ecclesiam, ipsius Crucem erigendam esse, et ejusdem Sacristam seu Capellanum cum stola incedere, et in ipsa Ecclesia circa praedicta cadavera Officium et absolutionis caeremoniam peragere debere." Et ita servari mandavit. n. 3871. ad 2. die 9. Aug. 1681.

Interveniente Capitulo Cathedralis Tiburis pro simplicis funeris associatione, absque ullo titulo parochialitatis non spectat ad primam Dignitatem stolam nigram deferre sed potius privative ad solum parochum domicilii defuncti. n. 4484. ad 1. die 22. Jan. 1803.; 11. Sept. 1802.

Occasione tumulationis cadaverum de *parochia* explendae in Ecclesia Societatis Mortis intra limites parochiae parochus perventus ad ostium ejusdem Ecclesiae non tenetur deponere stolam. N. 3911. ad 5. die 9. Julii 1718; sed ipsimet Capellani incedentes cum Confratribus non possunt associare cadavera cum stola praesente parocho. *Ibid. ad 6.*

Ad dubium: An Canonicis capitulariter non intervenientibus gestatio stolae et praecedentia in associatione et absolutione cadaverum de Parochia Cathedralis Ariminen, tumulandorum in dicta vel in alia Ecclesia, debeatur alicui ex Mansionariis collegialiter accedentibus vel potius Vicario Curato amovibili ejusdem Cathedralis?

S. C. resp.: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem et amplius. n. 4046. die 5. Maji 1736.

Parocho defuncti et respective parocho Ecclesiae tumulantis non debetur in associatione cadaverum praecedentia supra Mansionarios cathedralis, quatenus interveniat capitulum cathedr. n. 4107. die 21. Jan. 1741.

Non interveniente Capitulo in associandis funeribus parochorum Collegiatae (Terrae Mathelicae Dioec. Camerin.) ad Ecclesiam s. Antonii, istius parochus stolam induere et crucem elevare potest ac praecedentiam habere debet a parocho Collegiatae, etiam intra limites parochiae ejusdem Collegiatae et non inter limites tantum ipsius parochiae s. Antonii; et idem viceversa. n. 4240. ad 6. et 7. die 16. Febr. 1754. Etiam in concursu Capituli Cathedralis Parochum defuncti deferre posse stolam. n. 850. ad 3. die 16. Febr. 1630.

Archipresbyteri associantes una cum Capitulo Cath. cadaver defuncti in propria parochia tumulandum in Ecclesia Cathedr. deferre valent stolam tam intra quam extra limites propriae parochiae et in eadem Cathedr. praesentibus Episcopo vel Capitulo, dummodo Officium in Cathedr. non peragant super cadaver. n. 4262. ad 5. die 18. Dec. 1756.

In funere defuncti alterius parochiae interveniente Capitulo licet primae Dignitati Cathedr. et ea absente alteri

de Capitulo in ordine digniori incedere cum Pluviali et stola coloris nigri. n. 4270 ad 5. die 16. Julii 1757.

Ad dubium: An omnibus parochis sive potius parocho tumulanti tantum, absente capitulo, competat jus stolae occasione, qua funus ducitur ad Cathedralem in transitu per parochiam Cathedr. et in eadem Cathedrali?

S. C. resp.: Usum stolae competere parocho tumulanti tantum. n. 4315. ad 2. die 7. Maji 1763.

Ad dubium: An Canonico funebrem functionem conficiente induto Pluviali et stola, eadem stola deferri possit a parochis aliis sive a parocho defuncti?

S. C. resp.: Negative quoad omnes, juxta solitum. n. 4315. ad. 4. die 7. Maji 1763.

Assumenda non est stola ad private dicendum Responsorium pro Defunctis. n. 5102. ad 3. die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: An in associatione Mansionarii Curati vel alii pro iis Stolam deferre debeant, quam non gestant?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: Affirmative ad formam Ritualis, sed unus tantum, qui vices Parochi gerat." Atque ita rescribere rata est et respondere. n. 5107. ad 2.
Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Utrum Parochus pro deferendo cadavere in Ecclesiam possit accipere Stolam et Pluviale nigri coloris?
Rescriptum prodiit: „Posse".

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5208. ad 4. Die 12. Aug. 1854.

Asculana.

Monachi Olivetani civitatis Asculi supplicarunt responderi, licere eorum parocho deferre stolam per parochiam defuncti sepeliendi in ipsorum Ecclesia; et Sacra Congregatio respondit: licere.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 207.)

Senogallien.

Contradicente altero ex Parochis loci montis Novi in Dioecesi Senogallien. usum Stolae deferendae a Capellano Confraternitatis Vexillariorum ejusdem loci, S. R. C. enixas dederunt preces Priores ipsius Sodalitatis pro consuetudinis manutentione, atque insuper declaratione utrum praedictus Capellanus in publicis Processionibus, Cadaverum associatione aliisque functionibus, quibus intervenit Confraternitas, Stola e collo pendente uti possit?

Emmi. ac Rmmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis, rescribendum censuerunt: „Juxta alia decreta pro gratia." N. 4796. Die 27. Aug. 1836.

21) Num Jurisdictionis signum est?

Vd. *Stola Parochor.* (decr. 4550. nota; 4615. nota); *Instr. Clem.* §. IX. n. 9. 10.

22) Latior.

Ad dubium: An Archipresbytero Cathedr. Nazzarenae permittendus sit usus stolae latioris, quam vocant arcem?

S. C. resp.: *Negative.* n. 3579. ad 3. die 26. Apr. 1701.

Ad dubium: Utrum Stola latior, qua utitur Diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimae deponit planetam plicatam, debeat habere intextas tres Cruces, sicuti habentur in Stola communi?

Et *S.* eadem C. rescribendum censuit: Negative.

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5180. ad 7. Die 25. Septembris 1852.

Vd. *Planeta plic. Diac. et Subd. in missa pont.* (Quando depon.)

23) Ad Lectiones cantandas.

Vd. *Nativitas Dom.* (off. cantor.)

24) In Litaniis.

Licere Sacerdoti simplici uti stola in decantandis Litaniis in Ecclesia laicali et in custodiam dicto Sacerdoti data, etiam concurrente populo et contradicente parocho ejusdem loci. n. 2356. die 13. Febr. 1666.

25) Materia.

Vd. *Paramenta* (materia); *Utensilia eccles.* (materia).

26) Extra Officium.

Extra proprium sacerdotale Officium non licere Parochis deferre stolam. n. 2607. die 3. Dec. 1672.

27) In Officio Defunct.

Ad dubium: In Parochiis ruralibus quum defunctus decessit in domo, longiori distantia, ut saepe fit, una et aliquando altera leuca, separata ab Ecclesia, in qua Exequiae peragendae sunt, cadaver curriculo ad portam principalem hujus Ecclesiae adducitur, ibique Parochus recitare solet preces, quae juxta Rituale Romanum sunt recitandae in domo defuncti, si proximior sit, antequam cadaver ad Ecclesiam deferatur. Igitur quaeritur: 1) Utrum hoc in casu Parochus induere possit Albam loco superpellicei, ut mos est, si immediate post Officium Mortuorum, quod ipse Parochus facit, Missam sit celebraturus? 2) Et super Albam aut superpelliceum, si Alba non utitur, Stolam nigri coloris una cum Pluviali ejusdem coloris? Ratio dubitandi est, quia fert Rituale Romanum. „Stola nigra, vel etiam Pluviale ejusdem coloris.“

2. Utrum Sacerdos alius a Parocho, qui in Ecclesiam cadaver introduxit, Vicarius v. g. celebrare pro Officio mortuorum queat et utrum teneatur ille Vicarius induere Stolam et Pluviale, aut Stolam vel Pluviale nigri coloris ab initio Officii mortuorum vel tantum ad preces recitandas in fine Nocturni, quum Laudes non dicuntur et utrum has preces recitare possit absque Stola et Pluviali?

3) An tertio Sacerdoti, a supradictis Sacerdotibus diverso, celebrare liceat Missam, ut in die obitus post Laudes, sive post Nocturnum, quum Laudes non dicuntur?

S. eadem C. respondendum censuit

Ad 1: „Quoad primam quaestionem negative, quoad secundam quaestionem affirmative.“

Ad 2: „Quum Stola sit signum Officii, non jurisdictionis, Stolam ipsam assumendam ab illo, qui Exequias persolvit, sive Parochus sit sive alius Sacerdos pro Parocho.“

Ad 3: Affirmative“.

Atque ita rescripsit. N. 5221. Die 21. Junii 1855.

Ad dubium: Utrum in Exequiis Sacerdos, qui Stolam vel etiam Pluviale nigri coloris assumpserit pro deferendo cadaver in Ecclesiam, possit Stolam vel Pluviale nigri coloris retinere ad canendum Nocturnum Officii mortuorum aut Vesperas mortuorum, si in casu necessitatis Exequiae vespere fiant, quum immediate cantatur?

Responsum prodiit:

„Posse.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208 ad 4. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Utrum in die III., VII. et XXX. et Anniversario ceterisque aliis diebus Sacerdos assumere possit Stolam et Pluviale ab initio Officii mortuorum quod cantatur ante Missam?

Rescriptum prodiit:
„Posse."

Atque ita rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208 ad 5. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Utrum possit Sacerdos ad Vesperas Mortuorum accipere Stolam et Pluviale *ab initio* Vesperarum et quatenus negative? Utrum teneatur accipere ad Cant. *Magnif.* vel saltem pro precibus recitandis?

S. C. resp.: Posse sed non teneri. N. 5208 die 12. Augusti 1854 ad 8 et 9.

Vd. *Pluviale* (in Off. def.)

Ad dub.: An Sacerdos, qui juxta Rituale, superpelliceo et stola indutus praefuit elationi corporis, debeat retinere stolam dum praeest Matutino et Laudibus, quae immediate sequuntur? saltem si in hac functione utatur pluviali, quum in eo casu non possit deponere stolam, quin aliquantisper Pluviale exuat?

S. C. resp.: In utroque casu licere. Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2198.)

Ad dub.: An in officiis defunctorum celebrans induere debeat stolam vel saltem possit, uti erui posse videtur ex lib. 2. cap. 10. Caeremonialis Episcoporum?

S. C. resp.: Negative extra casum in Caeremoniali contemplatum. Die 7. Septembris 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 223.)

28) Osculum.

Ad dub.: An Sacerdos possit vel debeat osculari stolam, dum eam assumit ad deponendum e throno SSmum Eucharistiae Sacramentum pro benedictione impertienda illudque reponendum in Ciborio post benedictionem ipsam?

S. R. C... rescribendum censuit:
„Servandam consuetudinem."

Atque ita rescripsit die 29. Martii 1851. N. 5160 ad 1.

29) SS. Papae.

Vd.: *Stola Parochor.* (decr. n. 4550 nota) *Instr. Clem.* §. IX. n. 8. 10.

Franciscus S. S. E. Cardinalis Mantuanus, Ludovici scilicet Gonzagae Mantuani Marchionis filius, a Pio Papa II. anno MCDLXI. creatus, fuit ejus opinionis Cardinales scilicet semper debere praecedere Pontificem, quando Pontifex habet Stolam. Sed hanc opinionem, quam propugnabat memoratus Cardinalis Mantuanus, ne unquam abesset a latere Pontificis, quia scilicet ut secundus Diaconus Pontifici ipsi assistebat, merito Augustinus Patricius refellit,*) quia nimirum Romanus Pontifex Maximus numquam debet exire in publicum sine stola adducitque exempla laudati Pii PP. II. et Pauli itidem II., quorum primus, cui ad minus in suo Pontificatu per quatuor annos deservivit, per agros etiam, et nemora peragrans, Stola semper gestavit, alter vero licet per Urbem lectica clausus veheretur, nunquam sine Stola erat. Consuevisse jam olim non modo Summos Romanos

*) Caerem-Eccles. rom. (Catalanus) l. I. tit. XII. §. III. p. 354.

Pontifices sed et Episcopos quoque et Presbyteros atque Diaconos jugiter Stolam deferre ostendimus nos in nostris Commentariis ad Pontificale Romanum. Certe de S. Thoma Cantuariensi Episcopo scribit in ejus vita Joannes Saresberiensis apud Mabillonium in Praefatione ad Saeculum I. Benedictinum, num. 108 *quod Stolam jugum Christi suave circa collum, diebus ac noctibus habebat.* Quod Presbyteros spectat, statuit quidem Concilium Moguntinum anni Domini 813. can. XXVIII. ut Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis. Huc respiciunt caput 169. libri VI. Capitularium et canon XXVI. Concilii Triburiensis apud Burchardum Wormaciensem lib. VI. cap. 10.: Ut presbyteri non vadant nisi Stola vel Orario induti.

Gestare denique solitos fuisse et Diaconos Stolam primo suae Ordinationis anno docet nos auctor vitae s. Mauri Abbatis, qui claudum et mutum curaturus Stolam, cum qua eodem anno, jubente beato Magistro suo, ordinatus ad ministerium fuerat Leviticum et quam juxta morem, sanctitatis gratia, primo indesinenter ferebat anno, de collo suo protulit et super caput infirmi, crucis signum faciens, posuit. Qui ritus si ab aliis Diaconis usurpabatur, certo non alio consilio aliove fine, inquit eruditissimus Thyers, de stola diaconali agens, quam ut ordinis sui dignitatem in oculis haberent semper atque a Subdiaconis discriminarentur quemadmodum liquet ex Canone IX. Concilii I. Bracarensis, quod celebratum fuit anno Christi 563. Placuit, inquit, ut quia in aliquantis hujus Provinciae Ecclesiis Diaconi absconditis infra Tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differe a Subdiacono videantur, de cetero superposito scapulae, sicut decet, utantur Orario". Orarium idem est ac stola viderique possunt, quae de hac re et de Bracarensis canonis interpretatione scripsimus in opere, de codice sancti Evangelii etc. lib. II. cap. 10 ubi etiam Joannem Cardinalem Bonam confutavimus, qui memoratorum Conciliorum canones, ubi loquuntur de Orario, seu Stola a Presbyteris *sine intermissione* gestanda, intelligendos esse autumat de Orario seu Stola improprie accepta seu de veste talari, quam re vera sine intermissione deferre hodieque Sacerdotes tenentur.

Invaluit vero pluribus ab hinc saeculis usus, ut solus Romanus pontifex propter ejus singularem praestantiam sacra stola decoratus incedat. Quamobrem in urbe Roma ob Papae reverentiam sacri oratores, sacerdotes scilicet, quos saeculares vocant, itemque Regulares, qui superpelliceis utuntur, sine stola concionantur, quam alias in sacris concionibus pendentem a collo habere deberent. Etiam Parochi Romae praeterquam in exequiis, deferre stolam in sacris processionibus diu abstinuerunt, sed tandem nostro hoc tempore sapientissimus Dominus noster Benedictus XIV. ecclesiasticae disciplinae peritissimus gestationem stolae eisdem permisit, nullam inde agnoscens irrogari injuriam pontificiae majestati. Hinc non video, cur et ipsi sacri oratores, cum verbum Dei Romae praedicant, sacram stolam e collo pendentem adhibere nequeant.

Catalan. Caer. Eccl. Rom. lib. I. tit. XII. p. 354.

30) Parochorum in functionibus.

Vd.: *Stola in funeribus; Stola in processionibus; Rocchettum* (quibus vetitum decr. n. 4591). *Stola extra Officium). Indulg. plen. pro Morib.* (habitus); *Instruct. Clem.* §. IX. n. 10; *Stola Papae.*

Proposita causa super jure deferendi stolam in publicis functionibus pro

parochis civitatis Tuderti S. C. resp.: Pro gratia juxta petita in casu, de quo agitur, dummodo incedant collegialiter. n. 4550 die 22. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc decr.

S. C. indulgens Parochis Tudertinis facultatem deferendi Stolam in ecclesiasticis functionibus, posuit limitationem simulque conditionem: *in casu, de quo agitur, dummodo collegialiter incedant:* ne per indultum aliquid additum Parochorum juribus censeatur et ne, quod Collegio concessum est, singula membra sibi datum arbitrentur. Etenim non ita convenit Parochis Stolae delatio, ut semper et ubique pro libitu sine discrimine extra exercitium officii simulque ordinis ea uti possint. Erant qui putant Stolam esse jurisdictionis signum. Distinctivum officii est in illis dumtaxat actionibus quae sacrum illud exigunt indumentum et quamquam agatur de actibus, qui omnibus Sacerdotibus communes esse possunt, nequeant tamen exerceri sine speciali mandato, nisi a Parochis. Siquidem Stola sacerdotale est indumentum, quod omnibus Presbyteris aeque convenit, sed non semper; bene vero in conficiendis et administrandis Sacramentis ac in Sacramentalibus. Ideo nec Episcopi Stola utuntur nisi dum pontificalia aut sacerdotalia munera exercent vel aliud praestant, quod servata forma *Libri Caeremonialis*, Stolae exigat delationem. S. R. C. neque Hebdomadario in canendis divinis officiis fas esse Stolam adhibere pluries declaravit, quod *tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debeat.* Ita in Alexanen. *die 7. Sept. 1658*, in altera Dalmatiarum *4. Aug. 1663*, et nuperrime *sub die 7. Sept. 1816*, nedum idipsum generali decreto confirmatum fuit, sed insuper additum: *Consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.* Neque ad contrarium morem, quem potius reprobandum abusum dicam, cohonestandum quaeri posse quis effugium putet ab antiqua Ecclesiae disciplina, Canonibus Synodorum, et Sanctorum exemplis. Primis namque Ecclesiae saeculis longe diversa erat Stolae forma, diversus usus. Tunc enim multo latior et extensior vestis erat quotidiana, qua Sacerdotes a Laicis et inferioribus Clericis distinguebantur. Hinc in Epistola *Nicolai I. ad Galliarum Episcopos* legitur: *Per quam* (scilicet stolam) *quid aliud, quam Sacerdotii declarantur Insignia?* et in capitularibus Caroli magni et Ludovici Pii cap. 81, statutum est, ut *Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis.* Concilium Moguntinum anni 817. Can. 28. jubet: *ut Presbyteri Stolam deferant sine intermissione*: et Roterius Veronesis Episcopus in epist. Synodic. tom. 2. Spicileg. praecipit: *ut nullus Sacerdos sine Stola in itinere incedat.* Etsi vero aevo S. Thomae Cantuarensis Stolae forma ab antiqua jam fuisset immutata et diversus ejusdem usus evasisset, nihilominus *Stolam jugum Christi suave deferebat circa collum diebus ac noctibus.* Apud Mabillonium in Praefat. ad Saecul. Benedic. *num. 108.* Certum est tamen id a pluribus saeculis obtinuisse, ut Stola rationem dumtaxat habeat sacri indumenti, ac propterea nequeat adhiberi nisi in confectione et administratione Sacramentorum et in Sacramentalibus juxta Rubricarum et Ritualis dispositionem. Nullibi vero legitur, quod delatio Stolae nedum signum sit sacerdotalis Dignitatis, quando exercitium Ordinis ejusdem usum requirit, verum etiam habeatur ut signum jurisdictionis. Veteris disciplinae immutatio quoad formam et usum nequit

efficere, ut quod prius ponebat discrimen inter Sacerdotes et Laicos ac inferiores Clericos, evaserit postea jurisdictionis indicium, ita ut Stolae delatio ex jure competat Parochis in quibusdam actionibus, quae sicut cum exercitio Ordinis conjunctae non sunt ita nequeunt Stolae usum exigere. Solus Romanus Pontifex in signum supremae universalis potestatis, quam a Deo sibi datam habet et exercet in toto Orbe catholico, Stolam non solum ad Arcam sacrisque actionibus sed ubique defert. Ideo legitur in caeremoniali S. R. C. Augustini Patritii sub nomine Marcelli Corcyrensis evulgato, quod Pontifex: *numquam debet exire in publicum sine Stola.* Non me latet, Scriptores nonnullos, ac eos praesertim, qui agunt de re parochiali, quoad usum Stolae relate ad Parochos jurisdictionis nomen confundunt cum Officii simul ac Ordinis exercitio. Nemo invidet Parochis delationem Stolae in quibusdam actibus, qui ad ipsos privative pertinent neque ab aliis possunt exerceri, nisi de Parochi jussu aut consensu; et Stola utique in his denotat officium, quod exercent, non autem jurisdictionem, nisi jurisdictio lato modo accipiatur pro actuali exercitio officii, quod exigit Stolae usum. Id verificatur in funeribus defunctorum, in quibus Parochi Stolam adhibent quousque exercent Officium, deponunt, dum alter subintrat in eodem munere. Hinc fit, ut Parochus, associando funus Stolam retineat in transitu per alterius territorium, exuat vero, dum ultimum vale dicit defuncto ad januam Ecclesiae, in qua est tumulandus. Cur autem ita? quia transiens per alterius territorium actu exercet officium, quod stolam requirit: perventus ad Ecclesiam tumulantem, ejusdem officii exercitium cessat. Quod si revera Stola esset signum jurisdictionis, dimittenda foret statim ac alienum territorium ingreditur. Atque ita S. R. Rotae intelligendae sunt Decisiones, quae afferi possent.

Quodsi Stolae delatio signum esset jurisdictionis, *Benedictus XIV.* haud concessisset Parochorum Collegio ejusdem usum in publicis supplicationibus ipso supremo pastore praesente, sed honorificum hoc signum eis dedit, ut nobile ipsorum Collegium a caeteris Presbyteris distingueretur eodem ferme modo, quo Capitula distinguuntur ex usu Rochetti, Almutiae aliisque id genus insigniis. Sed quoniam Privilegia *non extenduntur de casu ad casum,* ut ait Fagnanus *in 5. decret. cap. 21. ne pro dilat. de poenitentia et remissione, et cap. Olim; De verb. signific.* Ideo idem sapientissimus Pontifex, dum Collegium Parochorum illo insignivit Privilegio, cautum simul voluit, ne uti eodem possent illi ex Parochorum coetu, qui a Collegio separati cum suis incederent capitulis, veluti apparet ex edictali lege evulgata a tunc temporis Card. Vicario et asservata in Vicariatus Secretariae Tabulario.

Hinc fit, ut Stolae usus a Parochis haberi nequeat tamquam signum jurisdictionis, nisi lato modo accipiatur pro exercitio proprii officii, ita ut officium sit cum actuali ordinis exercitio conjunctum. Qua significatione retenta, vix usurpari poterit jurisdictionis vocabulum quoad delationem cadaverum et exequias super iis peragendas. Adhibent utique Stolam in aliis pluribus functionibus, quae ad ipsos privative spectant; sed ideo adhibent, quia hujusmodi actiones Stolae delationem necessario requirunt, uti sunt Sacramenta, Sacramentalia etc., minime vero ad demonstrandum per extrinsecum illud signum, quod ipsi sunt designati Ministri et jurisdictione fruuntur. Quod si actio non exigeret Stolae usum et nihilominus eam Pa-

rochus deferre vellet, intervertere-tur ordo adhibendi sacra paramenta Stolaeque delatio ut vana quaedam ostentatio habenda foret. Pone casum quod in solemni supplicatione ducenda per ambitum alicujus Parochiae SS. Sacramentum deferat aut Cardinalis, aut Episcopus, aut Canonicus, aut alius simplex Sacerdos; is dumtaxat debet uti Stola, neque Parocho licet ejusdem delatio quia actu non exercet officium Sacerdotale erga Sacramentum. Quod si alicubi id fiat, reprobandus abusus est et ad vanam ostentationem referendus, quasi Parocho liceret adhibere Stolam sine actuali exercitio Ordinis per ambitum Parochiae. Si Episcopus in sua Dioecesi Processionem sequitur, in qua vel Canonicus vel alter Sacerdos defert aut SSmum Sacramentum aut Sanctorum Reliquias, non sibi Stolam imponit, quia actu non exercet officium Pontificale aut Sacerdotale, licet in sua Dioecesi plenam habeat et exerceat jurisdictionem; eritne permittendum Parocho intra limites Parochiae, quod Episcopo in sua dioecesi non licet? Patet ergo delationem Stolae non esse signum jurisdictionis. Atque hujus loci sciscitari quis posset; an Parocho fas sit assumere Stolam, dum assistit Baptismatis et Matrimonii Sacramentis ab altero administratis? Pro negativa standum esse non dubito; quia simplex praesentia, etsi necessaria, non est sacerdotalis officii actuale exercitium. Clarius dicam: praesentia Parochi non est cum Ordinis exercitio in actuali Sacramenti administratione conjuncta. Si praesentia requiritur, haec suum denotat jus, non autem Stolae delatio, quam actio sine actuali Ordinis exercitio non exigit. Actio cum tali exercitio conjungitur, ut supra notatum est, in delatione et funere defuncti. In his namque Parochus non solum praestat praesentiam; sed actu exercet officium, in quo Stola adhibenda est, intonando Psalmos, recitando Preces, aspergendo aqua benedicta cadaver aliasque ad Ritualis praescriptum sacras caeremonias peragendo. Contra vero in administrandis Sacramentis Matrimonii, et Baptismatis ille dumtaxat Stolam deferri debet, qui actu administrat, non autem Parochus, qui simpliciter assistit; et licet id ratione muneris faciat, officium tamen Ordinis non exercet. Neque arbitretur quispiam a Parochis hisce in casibus adhibendam Stolam saltem ut muneris distinctivum. Non enim hoc est a jure datum vel privilegio concessum. Non a jure, quia, si evolvas universos Juris canonici Codices habebis Stolam esse dumtaxat sacerdotale indumentum. Non ex privilegio, quia si rationem habeas illius, quo *Benedictus XIV.* Collegium Parochorum urbis decoravit, fatearis oportet indultum fuisse non singulis sed universo corpori, dum omnes scilicet collegialiter conveniunt ac proinde Privilegium Benedictinum trahi non posse ad casus, in quibus unus Parochus praestat suam praesentiam, sed officium, quod Stolam requirit, actu non exercet. Mei instituti ratio non fert, ut hac in re illustranda diutius immorer. Quae dixi sat, superque esse arbitror, ut quisque intelligat, S. C. jure merito in decreto supra relato cum limitationem, tum conditionem apposuisse, ne Parochi, eo freti indulto, abutantur putentque sibi licitum usum Stolae extra casus a S. C. contemplatos, veluti sunt interventus ad Synodum, publicae supplicationes aliaeque functiones, in quibus Parochi unitim et collegialiter conveniunt. Si quis plura velit, consulere poterit tractatum: *de sacris utensilibus cl. Viti Fabii de Albertis cap. 3., 7. et 8.*

Ad dub.: An rectori regulari ac plebano paroch. Eccles. Oppidi Cla-

rasci competat usus stolae in processionibus aliisque publicis functionibus ac generalibus supplicationibus?

C. C. resp.: Affirmative quando deferatur ab omnibus aliis parochis. N. 4238 ad 2 die 14. Februarii 1754.

Quum ad S. R. C. relatae fuerint preces Parochorum Mutinensium exquirentium confirmationem invectae apud ipsos consuetudinis gestandi in supplicationibus stolam per cottam et mozzettam, S. C. resp.: *Non expedire.* n. 4884 die 11. Apr. 1840.

Quamvis ab immemorabili Parochi omnes Civitatis Mutinen. publicis in Supplicationibus gestarent Mozzetam, adeo ut propter veterem consuetudinem jus quaesitum haberent, novissime autem Caeremoniarius ultimi Ep. defuncti a S. R. C. generatim exquisivit: num Parochis liceret tali modo in occasione incedere, et Magister caeremoniarum, qui suam de mandato ipsius S. C. in scriptis sententiam dedit, non abs re negativum dedit responsum, dum in facti specie neque indultum neque privilegium adducebatur, nec de consuetudine quis mentionem fecerat. Quae res dum jus de medio tolleret omnino, non sine omnium admiratione ludibrio Parochis ipsis cedebat; eapropter Sacram adivere C., ac preces praesidio consuetudinis, quae jus attribuit, fulciebant. Attamen Emmi SS. Ritibus praepositi assertam solummodo consuetudinem ratam habere non dubitarunt III. Id. Apr. anno vertente. Subscripta die de novo enixe instituerunt, ut stante informatione et voto Rmmi Mutinen. Ep., qui indubiam fidem facit in omnium esse opinione pene ab immemorabili positum, eosdem Parochos verum efformare Collegium, ab iisdem Congregationis status coadunari, eorundem acta in regestis inferri, sigillo communi uti in rebus Collegium spectantibus, ac semper simili modo indutos publicis in Supplicationibus incessisse, quae omnia enuntiati Collegii institutionem satis ostendunt; saltem S. C. annuere dignaretur et idem Indultum Oratoribus concedere, sicut iisdem rationum momentis ductus s. m. Pius Papa VII. 15. Kal. Oct. Anno 1822. parochorum Collegio Ravennaten. concessit. Emmi, et Rmmi PP. in ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes coadunati, ad relationem mei infrascripti Secretarii, expositis omnibus rite libratis matureque consideratis, attentisque potissimum Rmi Mutinen. Ep. informatione et voto de speciali gratia rescripserunt: „Juxta preces et ad instar concessionis factae Parochis Ravennatibus, sed solum dum collegialiter incedunt.“ n. 4912. Die 12. Sept. 1840.

Ab anno 1722 mos et usus invaluit, ut in processionibus Rogation., SS. Corp. Chr. caeterisque, quae ab Ecclesia Apuana tunc Collegiata, nunc vi subrogationis in Cathedralem evecta, instituuntur, alterna vice Parochi crucem propriae Parochiae elevent, quam Clerici Presbyterique universae civitatis sequuntur ac deinceps ipsi parochi superpelliceo stolaque induti; sequitur deinde Cathedralis crux cum Capellanis, Canonicis caeterisque de mensa; Clerici Seminarii episcopalis secuti sunt Ecclesiae Cathedr. crucem, quod Parochi permoleste ferebant. Inde dubium: an supradicti parochi, attenta consuetudine centenaria manutenendi sint in possessione alternatim elevandi in processionibus Crucem et vestiendi stolam circa collum virtute possessionis hujusmodi, ut a reliquo Clero, qui parochos debet praecedere, distinguantur? S. C. resp.: Affirmative. n. 4615 ad 1 die 5. Mart. 1825.

Nota Gardell. ad hoc Decr.

Quamquam Caeremoniale Episcopo-

rum, dum ordinem servandum in solemni Processione Sanctissimi Corporis Christi apte disponit *lib. 2. cap. 33. num. 4.*, tam Parochis quam Collegiatis sub Cruce Cleri Ecclesiae Cathedralis incedentibus debitum locum assignet: haec tamen regula non omni ex parte ut praeceptiva tenenda est, sed potius, ne oriantur inter diversos Cleri coetus dissidia et dissensiones de praecedentia, et loco, ut directiva habenda est, dum sub unica tantum Cruce, unicum quodammodo morale Corpus efficiunt, licet diversi Ordines sint: ideo varias locorum consuetudines non eliminat, veluti notat cl. Catalanus ad hunc Caeremonialis locum *num. 1 et 2.* Eadem dispositio obtinet dumtaxat in casu, quo diversi Ordines simul conveniunt, non autem si in more sit positum, ut sejunctim a Clero Cathedralis vel Parochi vel Collegiatae sub propria Cruce incedant. Hoc adeo verum est, ut nemo ignoret universali fere usu id esse receptum. Itaque Apuani Parochi cum a saeculo et ultra consueverint alterna vice propriae Parochiae Crucem erigere, sub qua primum Clerici, mox Presbyteri, demum ipsi Parochi Superpelliceo Stolaque induti incedebant, digniorem locum relinquentes Collegiatae (postmodum in vim subrogationis ad Cathedralis decus evectae) a legitima possessione acquisita per centenariam consuetudinem, quae vix praeter, non contra legem est, turbandi non sunt. Neque deneganda eis est stolae delatio, praeterquamquod enim de centenaria hujusmodi delationis consuetudine dubitatur; decet, ut Parochi collegialiter, non ut singuli, incedentes, a caeteris Presbyteris distinguantur. Stola quippe sacerdotale indumentum est, non signum jurisdictionis (si excipias parochiale exercitium in funeribus), ut quidam perperam opinantur. *Nullam autem importare jurisdictionem, si simpliciter deferatur sine ullo illius actuali exercitio*, docet Pignatellus *tom. 3. consultat. 48. num. 40.* expresse dicens, *quod Stola sine suo exercitio non est signum praecipuum jurisdictionis, sed vestis sacerdotalis. Cap. Ecclesiastica 9. distinct. 23.*, et ut tradit S. Thomas *tom. 3. part. 9. supplement. art. 7. in corpor.* Est habitus proprius Sacerdotis, et est veluti forma totius ornatus sacerdotalis, et deducitur *ex Concilio Bracharen. III. et Toletan. IV. cap. 39* apud Gratian. *cap. 398. n. 61.*, Panimol. *part. 3. decis. 270. num. 11.*, Rota *in Savonen. aggregationis 15. Junii 1699. §. Non obstat, coram Pio* ibi: *Non obstat quod Stola sit signum jurisdictionis, ideoque non concedenda simplici Sacerdoti etc. Quapropter aliud Stola significat in Episcopo aliud in simplici Sacerdote etc. Et propterea esse signum aequivocum, nec importare jurisdictionem, nisi illam deferens expleat Parentalia.* Et in Bisinianen. *Praeeminentiarum 27. Januar. 1726. §. final. coram Calcagnino; ubi: quod delatio Stolae in actibus non funeralibus non est signum jurisdictionale, sed dumtaxat distinctivum Parochorum a ceteris Presbyteris:* et sic etiam alibi saepe saepius, ut refert probando Scarfantonus ad Ceccoperium *part. 3. addit. 39. sub num. 80.* Et expresse declaravit *Benedictus XIII.* Constitut. incip. *Pretiosus §. et ad tollendam,* ibi: *declarantes, et quatenus opus erit, decernentes, ac matura deliberatione mandantes Crucis erectionem, Stolae delationem et ingressus in Ecclesias in omnibus et singulis enumeratis, ac ceteris quibuscumque similibus casicus, nullam penitus jurisdictionem importare etc.* Ita apud Lucium Ferrarium *verbo: Stola n. 2.* Vide adnotationem ad Decretum *in Tudertina 22. Aug. 1818* et item in adnot. *ad Velitren.*

Bituntina.

S. R. C. approbavit decretum Episcopi Bituntini latum ad favorem parochorum civitatis Bituntinae quoad delationem stolae super cotta in processionibus ad distinctionem aliorum sacerdotum simplicium. Die 19. Julii 1687.

Anal. J. P. 1865. p. 1288 n. 2330.

Pedemontana.

S. Rituum Congregatio instantiae Parochorum civitatis Turrae in Pedemontana petentium approbationem cujusdam decreti illius episcopi pro delatione et usu stolae in processionibus, ut ab aliis ruralibus parochis discriminentur, respondit et censuit: non esse concedendum nec permittendum, ut stolam deferant. Die 4. Decembris 1688.

Anal. J. P. 1865 p. 1302 n. 2374.

31) In Poenitentiae Sacram. administr.

Vd.: *Canonici* (administratio Sacramentor., praecip. decr. n. 4672); *Visit. de Poenit. Stola confessarii.*

In Cathedrali Patavina ex immemorabili consuetudine in publica administratione Sacramenti Poenit. Confessarii interdicuntur ab usu stolae a Rit. rom. praescriptae. Quaeritur: an sit standum hujusmodi consuetudini? S. C. resp.: Negative sed standum omnino Rituali et aliis decretis. n. 5000 ad 3 die 7. Decembris 1844. Episcopus potest cogere *sacerdotes saeculares, ut audiant confessiones sacramentales cum superpelliceo et stola et Regulares cum stola tantum.*

S. R. C. Die 28. Aug. 1628 (apud Merati).

Ad dubium: an Confessarii in Ecclesia Cathedrali in actu Confessionum assumere debeant Stolam, qua non utuntur? Et S. eadem C. rescribendum censuit: Affirmative juxta alias decreta. Atque ita rescribere rata est et respondere. n. 5107 ad 1.

Die 11. Sept. 1847:

Ad dubium: An adsit praeceptum utendi Stola violacea in administratione Sacramenti Poenitentiae? S. C. resp.: „Servetur Rituale Romanum.“ n. 4718 ad 3 die 17. Aug. 1833.

32) Presbyteri.

I. Assistentis Neomystae.

Vd.: *Assist. Sacerdotis noviter consecrati.*

Presbyter assist. Neomystae non debet subtus Pluviale stolam gestare nec fidelibus cum patena ministrare, quoties s. Communio instituenda est, sed utrumque spectare ad Diaconum. S. R. C. 11. Mart. 1837. Vd. *p. 260 n. 13.*

II. Assistentis Episcopo.

Valentinen.

Sacerdos Gustavus Jouve Canonicus et Eleemosynarius Episcopi Valentinensis quaerit 1: Utrum teneatur ferre super habitu chorali Stolam, quando assistentiam praestet Episcopo, dum in Oratorio privato aut alibi Missam celebret: in hypothesi vero negativa, quaerit 2: Utrum sibi liceat absque violatione Rubricarum, Stolam ferre in casibus supradictis? Et S. eadem R. C. in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuit

Ad 1. „Negative“.

Ad 2. „Obstant Decreta“. n. 4778. Die 12. Martii 1836.

(Corresp. de Rome 1851 Ed. II. n. 70 p. 312.)

III. Communicantis.

Vd.: *Canonici* (administr. Sacrament.); *Praeses* (c. VI., ubi etiam *Diacono* praecipitur stola.)

Ad dubium: An Canonicus Sacerdos

in fer. V. in Coena Dom. Communioni generali super almutiam stolam a collo pendentem habere debeat vel solum super cottam? S. C. resp.: Servandam esse locorum consuetudinem. n. 4469 ad 5 die 10. Sept. 1796.

Sacerdotes in die Coenae Dom. SS. Corpus Chr. sumpturi possunt deferre stolam vel ante pectus vel a collo pendentem. S. C. 30. Sept. 1679. *In una Capuccin.*

Post Diaconum et Subd. Episcopus communicat omnes Canonicos paratos et alios sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 6.

Ad dubium: Utrum Canonici Feria V. in Coena Domini *Pluvialibus induti*, debeant insuper Stolam habere a collo pendentem ad S. Communionem suscipiendam?

Rescriptum prodiit: „Negative".

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque dubia declarare. n. 5208 ad 19.

Die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Utrum stola suppleatur sive per pluviale aut planetam pro Canonicis paratis communicaturis in communione generali, sive per dalmaticam pro diacono assistente calicem de manu episcopi accepturo in processione feriae V. in Coena Domini?

Resp.: Tam in communione generali totius cleri, quam in processione feriae V. in Coena Domini congruum habitum esse sive pluviale aut planetam pro Canonicis paratis, sive dalmaticam pro diaconis assistentibus supra rocchettum cum amictu, dubitare non sinunt caeremonialis episcoporum clarissima verba. Etenim lib. II., cap. XXIII. de generali communione §. VI ita praescribitur: „antequam (episcopus) purificet, communicat primum diaconum et subdiaconum, deinde omnes canonicos paratos et alios sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent etc. Et de processione haec habentur §. XII diaconus assistens et non alius, cum debitis reverentiis capit SS. Sacramentum de altari, et illud stans offert episcopo genuflexo." Et rursum, ut perventum fuerit ad sacellum ubi sacramentum deponi debet §. XIII: „Cum episcopus erit ante supremum gradum altaris, diaconus recipit de manu ipsius stantis SS. Sacramentum genuflexus.... et clauso ostiolo per diaconum assistentem" etc. Quae verba stolae delationem canonicis non modo non praecipiunt, sed immo eos ab hac delatione excludunt. Cum enim jubeat caeremoniale, eos qui communicaturi sunt, *stolam a collo pendentem supra cottam habere*, evidens est, ab hac praescriptione excludi canonicos, qui parati cum sint sive pluviali sive planeta supra rocchetum cum amictu (caeremoniale Ep. lib. I., cap. XV., §. 6. et lib. 2., cap. I., §. 4.) stolam supra cottam deferre non possunt. Eadem ratione excluduntur diaconi assistentes, qui perinde ac caeteri canonici adstare constanter solent induti dalmatica supra rocchetum.

Nec sine speciali animadversione praetereunda sunt verba *non alius*, quibus in textu allato §. XIII. utitur caeremoniale Episcoporum. Ne cui enim forsam videretur, casu excidisse e calamo ea dispositio, ac melius consultum iri, si SS. Sacramentum tractaretur a diacono habente stolam, prudens sciensque huic suscipioni occurrit per verborum contextum: *diaconus assistens* et non alius. Quid autem, quod haec ipsa dispositio, iisdem fere verbis, jampridem legebatur in caeremoniali Paridis Crassi lib. II., cap. XVI., de missa per suffraganeum seu de

processione pro sacramento per Cardinalem reponendo in Coena Domini?" Ex celebri hoc caeremoniali, expleta missa „canonici capiunt solita paramenta et duo ministri tunicellam et dalmaticam", nullaque prorsus facta stolae mentione etiam ipse praescribit per „eosdem ministros canonicos paratos stantes eidem (Cardinali) offertur adhuc genuflexo sacramentum etc." et paulo inferius: Minister paratus genuflexus... Sacramentum de *manibus Cardinalis stantis* recipit.

Negandum tamen non est, extare Sacrae hujus Congregationis decretum in Portugallen. in qua cum quaesitum fuisset, an quia caeremoniale Episcoporum cap. 23. et 33. lib. 2. non meminit stolarum pro duobus canonicis assistentibus, iidem diaconi debeant parari amictu, alba et dalmatica, responsum est die 17. Septembris 1785 ad 2: „affirmative saltem quoad primum diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus portandum est vel deponendum SSmum Sacramentum." At praeterquam quod non satis intelligitur, quomodo fieri possit, ut ex duobus diaconis assistentibus *saltem* primus paretur alba praeter amictum et dalmaticam, extant tam antecedentia quam subsequentia decreta, quibus enunciata caeremonialis Episcoporum praescriptio confirmatur. Siquidem in Altasinen. die 1. Martii 1864 declaratum est, quod „diaconus assistens a dextris (indutus sola dalmatica) tradere debet SS. Sacramentum praesuli celebranti (in solemnitate Corporis Christi) et ab ipso illud recipere". Et in Pisana 12. Novembris 1831, quod „serventur in omnibus, etiam in vestibus diaconorum assistentium, caeremonialis Episcoporum et memorialis rituum dispositiones". Et in Viglevanen. 6. Septembris 1834, ut servetur caeremoniale Episcoporum lib. III. c. XXXIII., n. 8., 17., 22. Neque omittendum esse arbitror ob quamdam rationem paritatis in Andrien. 3. Septbr. 1661 declarari „patenae suppositionem per sacerdotem cotta indutum, quae per dignitates agitur, retinendam."

Quis autem sit memorialis rituum de quo in Pisana, fateor me ignorare, cum nullam de eo mentionem in rubricistis repererim. Id tamen potui colligere inscribi: memoriali rituum majoris hebdomadae, quo fortasse utebatur Ecclesia Pisana. Quaecumque autem de illo feratur opinio, is § 9 dicitur non loqui omnino de stola quoad duos diaconos assistentes in processione feriae V. in Coena Domini.

Stolam igitur in enunciatis functionibus necessariam non esse canonicis et diaconis assistentibus paratis eamque suppleri per pluviale et dalmaticam, evincunt quae huc usque attulimus testimonia: his tamen addam, coronidis loco, praxim capellae pontificiae, in qua nedum diaconus assistens in praefatis casibus stolam non habet; sed et subdiaconus ipsemet apostolicus (qui certe stolam nec habet, nec habere potest, in missa pontificiali, quae solemniter celebratur a Papa, defert ab altari ad illius sedem pyxidem cum particulis consecratis.

Idcirco proposito dubio respondendum censeo: affirmative juxta caeremoniale Episcoporum et dentur decreta.

S. C. resp.: Affirmative juxta Caeremoniale Episcoporum et dentur decreta.

Die 12. Septembris 1837.

(Anal. J. P. 1858 p. 349.)

IV. Defuncti.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Sepult. Sacerdotis def.*; *Paramenta Episcopi* (post mortem).

V. Modus deferendi.

In aspersione aquae benedictae, quae

apud Capuccinos fit a sacerdote alba et stola induto, celebraturo immediate missam conventualem, stola est ante pectus ad modum crucis aptanda. N. 2903 ad 8 die 30. Septbr. 1679.

Capuccini Sacerdotes in die Coenae Domini s. Corpus Chr. sumentes deferre solent stolam ante pectus in formam crucis accomodatam; quaeritur: an debeant observare consuetudinem introductam vel deferre stolam a collo pendentem.

S. C. resp.: *Posse utrumque servari.* N. 2903 ad 9 die 30. Septembris 1679.

Vd: *Stola presbyt. communic.*

VI. In ordinat. Presbyt.

Ad dub.: Utrum canonici sacerdotes praesentes in ordinatione in habitu canonicali, manus impposituri super ordinandos ad presbyteratum, debeant accipere stolas et quatenus affirmative, utrum debeant, cappa vel mozzetta depositis, induere superpelliceum?

In ordinatione presbyteri de impositione manuum super caput ordinandorum ad ordinem presbyteratus haec habet pontificale romanum. Pontifex .... „imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes sacerdotes, qui adsunt, quorum tres aut plures planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent." An autem hujusmodi sacerdotes, quatenus sint canonici, canonicales habitus deponere et cottam sumere debeant, negativa est praxis archibasilicae Lateranensis. Respondendum itaque quoad primam partem: provisum per pontificale romanum de ordinatione presbyteri; quoad secundam partem: negative juxta praxim archibasilicae Lateranensis.

S. C. resp.: Quoad primam partem provisum per Pontificale romanum de ordinatione presbyteri; quoad secundam partem negative juxta praxim Archibasilicae Lateranensis.

Die 12. Septembris 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 351.)

VII. SS. Sacrament. in process. SS. Corp. comitantis.

Vd.: *Processio* (Cler. inf. paratus, decr. n. 5136 t. II. p. 780).

33) In processionibus.

Vd.: *Reliquia* (Habit. deferent.); *Stola parochorum; Instr. Clem.* §. IX. n. 10.

Ad dub.: Utrum in Terra Caesarum, ubi adsunt duo Parochiae, convenientes parochi ad aliam functionem ecclesiasticam v. g. funeris seu processionis, possint ambo in eadem functione deferre stolam, nec ab ullo possit eisdem prohiberi, neque a parocho, per cujus parochiam fit transitus?

S. C. resp.: Non posse prohiberi. N. 3036 die 2. Octobris 1683.

Ad dub.: Cujus coloris debeat esse stola Parochorum et Capellanorum, ad adorandum expositum SSmum processionaliter cum cruce cum parochianis. fer. 2. 3. et 4. maj. hebd. confluentium?

S. C. resp.: „*Utantur colore tempori convenienti.*" — Idem resp. S. C. ad dubium: An liceat per viam adhibere violaceam et infra ipsam Ecclesiam coram SSmo accipere albam et tempore et hora, qua orant, vel semper tam in eundo quam in orando adhibere violaceam vel albam? N. 3109 ad 1 et 2 die 4. Maji 1686.

In functionibus non parochialibus et praecipue in processionibus et choro

Parochis licere deferre stolam. N. 3164 ad 1 die 21. Augusti 1688.

Licet Parocho Sutrinae occasione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per Parochiam Cathedral. cum stola. N. 3650 ad 5 die 28. Aprilis 1703.

In processionibus Capellani Confraternitatum possunt deferre stolam sed non extra propriam Ecclesiam. N. 3670 ad 23 die 12. Januarii 1704.

In processionibus Capellanus Societatis saecularis B. V. M. Pedemantis non potest deferre stolam. N. 3758 ad 2 die 22. Januarii 1706.

Idem decretum pro Capellano Confratern. S. Rosarii Burgi. N. 3910 ad 3 die 9. Julii 1718.

Licere Capellano Societatis *del consorzio* erectae in Collegiata Terrae Massae Fiscaiae deferre stolam in omnibus functionibus solitis et ad ipsam Societatem specialiter spectantibus etiam in transitu per Ecclesiam. N. 4460 die 23. Augusti 1794.

Ad dub.: An Parochus Collegiatae s. Venantii Camerinen., in processionibus, in quibus intervenit utrumque Capitulum (Cathedr. et Colleg.) incedere debeat a sinistris Parochi Cathedr. etiam cum stola?

S. C. resp.: Affirmative et amplius. N. 3877 ad 7 die 11. Maji 1715.

In processionibus particularibus, quae fiunt a Parocho s. Stephani Terrae Montis Fortini, in quibus intervenit Capitulum Colleg. s. Mariae, praecedentia et usus stolae debetur eidem parocho n. 4073 ad 4 die 27. Aprilis 1738.

Ad dub.: An et in quibus functionibus et processionibus Capellani Confraternitatum SS. Rosarii et Crucis possint deferre stolam?

S. C. resp.: Non licere nisi in propria Ecclesia. N. 4182 die 3. Septembris 1746.

Licet PP. Ordinis Praedicatorum Pali deferre stolam in processione SS. Rosarii absque licentia parochi. N. 4225 ad 1 die 22. Aprilis 1752.

In processionibus gener. et obligationis aliisque communi causa indicendis interessente Capitulo Archipresbyteri deferre possunt stolam. N. 4262 ad 6 die 18. Decembris 1756.

Veliternen.

In Ecclesia s. Maria ad Nives nuncupat. Civitatis Veliternen. ab anno 1600 canonice erecta est Sodalitas sacrorum Stigmatum s. Francisci, quam sa. mem. Clemens VIII. per apostolicas Literas in forma Brevis de anno 1604 singulis ditavit privilegiis et praerogativis, queis Archiconfraternitas sub enunciato titulo in Urbe gaudet. Semper autem, nemine contradicente, Capellano usa est in publicis tam solemnibus, quam funebribus Processionibus, Superpelliceo et Stola induto tam intra quam extra propriam Ecclesiam. Novissime visum est Parochis Civitatis illam ab hujusmodi consuetudine deturbare, sub praetextu, quod Stola parochialis jurisdictionis sit peculiare distinctivum, quodque S. Congregatio in generali Decreto *diei 12. Januarii 1703* requisita ad dubium XXIII.: an in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre Stolam? responderit: „Negative extra propriam Ecclesiam“: Cujus Decreti etiam meminit Synodus dioecesana in Appendice ad part. IV. Hisce innixi rationibus praetendunt, eamdem a dictis Capellanis non a collo pendentem deferendam esse, sed potius instar Almutiae vel Manipuli brachio superimpositam. Ad hujus-

modi evellenda dissensionum germina Confraternitas Sodales, exquisita Emmi et Rmi Card. Episcopi venia Sacram Rituum Congregationem rogarunt pro consuetudinis manutentione.

Et Sacra eadem Congregatio, immemorabili usu mature perpenso habitaque ratione, quod Decreto generali minime obstante, etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum esse censuit: „Servandam esse consuetudinem et nihil innovandum.“

N. 4607 die 27. Martii 1824.

(Decr. n. 4625 et 4626 die 16. Decembris 1826.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit.

Die 30. Martii 1824.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Ad componendas quaestiones, quae saepe oriebantur inter Parochos et Sodalitates Laicorum eorumque Capellanos generalia Decreta evulgata fuerunt anno 1703, quorum ope certa statuuntur confinia, intra quae utraque pars continere se deberet, ne in posterum similes contentiones excitarentur. Haec inter, quod nostra interest, illud est, quo non licere declaratur praefatis Capellanis stolam deferre extra propriam Ecclesiam, quo posito ad hujus Decreti tramites *Negative* respondendum fuisset supplici Libello porrecto nomine Sodalitatis sacrorum Stigmatum Velitris canonice erectae et Archiconfraternitati Urbis aggregatae. Secus tamen accidit: et Emmi Patres Sacrae Rituum Congregationi praepositi declararunt: *Servandam esse consuetudinem et nihil innovandum.* Et jure quidem. Etenim Decretum illud non ubique observantiam obtinuit et forte alicubi Ordinariis locorum acquiescentibus et annuentibus, in desuetudinem abiit. Praxis, quae Romae obtinet, exemplo sit, ubi Capellani Sodalitatum sine ulla contradictione Stolam deferunt, et pacifica modo res est, nedum vigore inductae consuetudinis, verum etiam Tribunalis Vicariatus Decreto et Sententia. Nam, lite excitata inter Sodalitatem Mortis, et Parochos Urbis quinque Dubia Sacr. Rit. Congregationi proposita pro decisione fuerunt, quae inter tertium: *An Rectores sive Sacristae, aliive Capellani earumdem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis Stolam deferre?* cui responsum fuit sub *die 27. Januarii 1680. ad 3. Negative.* Dubium autem supponit potius, quod Stolam deferri liceret, vel saltem in more id esset, dum Capellani incedebant cum suis confraternitatibus: non enim de hoc quaestio erat, quae unum respiciebat casum Capellanorum seorsim a suis Confraternitatibus incedentium. Non acquieverunt dissidentes partes, iterumque causa, beneficio novae audientiae, Sacrae Congregationi delata fuit, cui rem maturiori examini subjiciendam fore visum est; quamobrem *sub die 21. Aug. ejusdem anni* ampliatum judicium fuit, quin tamen appareat iterum Sacram Congregationem rogatam pro dubii decisione fuisse. Verumtamen scimus ex Decreto *Cardinalis de Carpineo* Urbis Vicarii super hisce controversiis *anno 1698,* plures habitos fuisse particulares Conventus; ac tandem, quatuor resoluta dubia a Patribus Sacrae Congregationi Concilii praepositis, negatumque Sodalitatum Capellanis *Cotta et Stola* in-

dutis tantummodo *recitare preces*, *et lustrali aqua cadavera aspergere in in Ecclesiis Parochialibus:* sed per hoc non consequitur interdictum fuisse Stolae usum in Processionibus. Dices tamen, id postea vetitum vigore memorati *Decreti anni 1703*. Non intercedo. Dico tamen, vel nunquam, saltem Romae, hoc Decretum in observantia fuisse, vel postea eidem derogatum, permissumque Stolae usum in processionibus vel funereis, vel generalibus, vel peculiaribus, suprema auctoritate aut praeceptis, aut permissis. Lego enim *in Statuto Cleri Camerarii Urbis,* confirmatum fuisse *Cardinalis de Carpineo* Decretum sententia *Cardinalis Marefuschi* Urbis Vicarii, Petri Cathedram tenente *Benedicto XIII.* (scilicet multo post, quam prodierat Decretum generale *anni 1703.*) Per eam sententiam vetitum est Confraternitatibus Crucem erigere, sed eisdem datum, parvum adhibere vexillum, seu signum in deferendis cadaveribus; permissum tamen, quod *Capellani Confraternitatum incedant cum Stola immediate post ipsam Confraternitatem.* Ex quo intelligimus, antea inolevisse abusum incedendi cum Stola seorsim a Confraternitate, vel etiam in eadem linea ad sinistram Parochi, cum decisum videam sub die 20. Decembris 1698: *Capellanis Confraternitatum in associatione cadaverum tumulandorum, etiam ad Ecclesias, seu Oratoria ipsarum Confraternitatum*, *non licere incedere in fine Processionis funebris ad sinistram Parochi*, *sed tantummodo incedere debere post ipsam Confraternitatem funus associantem.* Quae Decreta confirmata postea fuerunt *a Cardinali Quadagni Urbis Vicario sub fel. recor. Clemente XII.* Ita in praefato Cleri Urbis Statuto *a pag. 61. ad pag. 63.* Sed hic de Stola adhibenda, vel non, dum Capellani sejuncti non sunt a suis Confraternitatibus, ne verbum quidem occurrit, vetitus vero est Stolae usus in Ecclesia tumulante, in qua possunt preces devote recitari, ut prosequitur laudatum Cardinalis de Carbinio Decretum, *sed sine cantu, sine thure, sine Stola, et sine aspersione aquae benedictae*, *luminibus tamen accensis.* Verum prohibitio isthaec non extenditur ad funebrem Processionem extra Ecclesiam. Ex his consequitur delationis Stolae prohibitionem, quae venit ex Decreto *anni 1703*, vel ex permissione, et privilegio, vel ex longaeva consuetudine coercendam esse quoad Ecclesias, non quoad Processiones. Et revera haec est consuetudo, quae Romae viget, ubi in omnibus Processionibus, quae fiunt, vel in funerum associatione, vel devotionis gratia, vel de Praesidum mandato, cum vel sine pompa, Capellani agmen Confraternitatum claudentes Stolam deferunt coloris, quem exigit actionis qualitas, eamdemque in Ecclesiarum ingressu dimittunt, in egressu reassumunt. Quodsi ratio quaeratur, cur id, ubi consuetudo est, permittatur? facile est invenire: decet namque, ut hisce in Processionibus Sacerdotes Stolam deferant, quae characteris distinctivum est, ne cum simplicibus clericis confundantur. Neque est, cur Parochi id eis invideant, turbasque moveant: non enim per delationem Stolae ipsorum jura, privilegia, praerogativae laeduntur: Siquidem probatum fuit in *adnotationibus* legendis *ad Decretum in Tiburtin. diei 25. Augusti 1818*, Stolam distinctivum quidem esse, non autem signum jurisdictionis ut perperam Parochi arbitrabantur. Neque ipsis fit injuria, si Capellani incedentes cum suis Confraternitatibus, Stolam deferant, praesertim in ducendis funeribus, quippe Parochi digniori prosequuntur loco in fine processionis, neque cum iisdem Capellanis confundi possunt; ideo per

praefatum *Cardinalis Carpinei* Decretum dumtaxat praecipitur, ne Capellani eandem tenentes lineam, ad eorum sinistram cum Stola incedant: quo tantum in casu ab iisdem minime distinguerentur et aliquod jus viderentur habere in corpus defuncti, ut habent Parochi; jure igitur vetitum id est. Enimvero haud repugnabant Parochi Velitrenses, immo annuebant, ut praefatus Capellanus Stola, tamquam Sacerdotalis characteris insigne, uti posset, dummodo eam deferret super brachio plicatam instar Almutiae, non autem e collo pendentem.

Quid ineptius ad componendam litem? Num quid novi ritus ad litigantium placitum, commodumque sunt inducendi? Stola ex Rubricarum praescripto, non alio deferenda est modo a simplicibus Sacerdotibus supra Cottam, quam circa collum aptata, et pendens ante pectus, praeterquamquod in Sacrificio Missae in quo componenda est in forma Crucis: neque est chorale indumentum, ut ad instar Almutiae deferenda sit. Licet dumtaxat brachio plicatam superimponere, dum aliqua actio Stolam requirat, dimittendam, actione absoluta, reassumendam, quando iterum Sacerdos sacrae actioni operam suam praestare debet.

Erit forte nonnemo, qui hucusque relata haud trahi posse secum putet ad casum; de quo agitur; nam *S. C. Concilii responsa*, *Cardinalis de Carpineo Decretum*, *Cardinalis Marefuschi sententia*, prodierunt in causa Parochorum, et Confraternitatum Urbis, nec quidquam commune habent cum controversia inter Parochos, et Confraternitatem a Stigmatibus nuncupatam Civitatis Velitrensis. Huic exceptioni facile satisfit. Equidem non diffiteor de Capellanis tantummodo Sodalitatum Urbis actum fuisse: verum *a Cardinali Marefuscho* pronunciata sententia, et consuetudo deferendi Stolam per praefatos Capellanos invincunt in casibus particularibus, aut consuetudinem sustineri, aut privilegio alias etiam Confraternitates posse decorari. Nam a firmata regula, prohibente Confraternitatum Capellanis Stolae delationem extra proprias Ecclesias, recedendum est, si favore earumdem Societatum, earumque Capellanorum pugnaret longaeva observantia, quae in subjecta materia totum facit, ac unice servanda est, veluti firmavit *Rota in Colonien. praeeminentiarium 22. Junii 1701.* § *Verum*, *coram dell' Olmo*, *et in Neapolitana Primiceriatus 11. Decemb. 1722.* §. *Sed et clarius*, *coram Lancetta. Videbis Fabium de Albertis de sacris utensilibus cap. 8. num. 80.* Cum vero in eodem sacro Tribunali non semel disputatum fuerit, utrum jus deferendi Stolam competeret Capellanis Societatum aggregatarum, in vim hujusmodi aggregationis, tam in Processionibus, quam in aliis functionibus? favore Sodalitatum decisum fuit, ut *in Savonen. Aggregationis 27. Junii 1698 et 15. Junii 1699 coram Pio, 9. et 15. Junii coram dell' Olmo 1670, et 13. Junii 1701 coram Molines*, *quae est inter ejus impressas 727.* Velitrensi autem Sodalitati nedum favebat consuetudo verum etiam communicatio privilegiorum, quibus gaudet Archiconfraternitas Urbis, cui est aggregata; ideo S. C., habita utriusque ratione, in casu particulari ejusdem Sodalitatis favore pronunciavit. Cur tamen dixi, *in casu particulari?* immo potius ut generale haberi posse Decretum videtur, quo moderatur et declaratur antiquum illud anni *1703* quippe quia non una fuit decidendi ratio ex immemorabili usu Confraternitatis, de quo erat quaestio, atque ex consuetudine Romae alibique vigente, sed etiam altera, quae communis est omnibus Confraternitatibus, si eadem S. C. simul animadvertit: *Decere*, *et con-*

veniens esse, ut Confraternitatum Capellanus a simplicibus Clericis distinguatur. Generalem igitur Decretum istud dat regulam: eoque magis, quia Apostolica auctoritate *SSmus Dom. Noster Leo XII. Pont. Max. S. C. Responsionem approbavit, et confirmavit.*

Tiburtin.

Hodiernus Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae S. Petri, et Parochus S. Joannis Bapt. Oppidi Poli Dioecesis Tiburtin. aegre ferentes, Capellanos Sodalitatum ibidem erectarum in Processionibus Stolam deferre, S. R. C. humillimas porrexere preces, ut declaretur, an invecta consuetudo isthuc sit licita, ac proinde toleranda? S. eadem C. post acceptam Informationem Rmi Episcopi Tiburtini, in ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem mei infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: „Juxta alias Decreta licere Capellanis Confraternitatum Stolam in Processionibus deferre."

Atque ita rescripsit, ac in proposito casu omnino servandum esse edixit, atque mandavit, die 11. Martii 1837. N. 4808.

Ad dub.: An Capellanus Confraternitatis Mortis loci Praedarii possit deferre stolam in processionibus in Oratorio tantum, seu etiam extra illud?

S. R. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 3. et 24. Sept. 1718. ad 6. Novarien.

34) In Processionibus SSmi.

Vd. *Diaconi assist.* (stola.)

Non licet in processionibus, quae per annum ad honorem Corp. Chr. magnificentissime peraguntur, singulis Capellanis Congregationis SSmi. Taurin. deferre stolam. n. 1764 ad 3 die 7. Aug. 1655.

Non competere Capellano substituto Praepositi stolae delationem, quandocunque Praepositus ipse Processionibus interveniat et sit praesens; cum vero Praepositus absens et legitima causa fuerit impeditus, non ad Archipresbyterum sed ad Capellanum Praepositi munia explere et stolam deferre spectare. n. 1925 die 7. Sept. 1658.

Ad dubium: an parochi, qui *intersunt* processioni SSmi. in Festo Corp. Chr. et in aliis functionibus propriae parochiae possint deferre stolam supra Mozzettam? S. C. resp. Negative et servetur decr. die 7. Sept. 1658. n. 4815 ad IX. 2 die 22. Sept. 1837.

35) In porrigendo SSmo.

Vd. *Diaconi ass.* (porrig SSmum); *Stola Sacerd. communic.* (decr. 12. Sept. 1857.)

Capellae Pontificiae.

Emmis Patribus exposui a pontificatu Clementis VIII. abusum in capella pontificia inductum, ut scilicet primus cardinalis diaconus assistens dominica prima adventus in capella Paulina e manibus Papae custodiam SSmi Sacramenti accipiat sine orario. Sacra igitur Congregatio jussit, ut in posterum caeremoniarum magistri statim ac Pontifex pervenerit ad locum, in quo sacramentum dimittit in manibus cardinalis diaconi ejusdem humeris aptent stolam violaceam diaconali more, et ita hujusmodi abusum ex apostolicarum caeremoniarum praxi omnino revocari mandavit. Die 1. Decembris 1657.

(Anal. J. P. 1863 p. 344.)

36) Quae erat in primis saeculis?

Vd. *Stola paroch.* (decr. n. 4550 nota).

37. In Receptione Praelati.

Vd. *Episcopus* (accessus etc.); *Aspersorii porrectio etc.)*

Ad dub.: In receptione Praelati ad Ecclesiam hisce locis solet Superior Ecclesiae ad januam Ecclesiae ipsius eum excipere, et eidem porrigere Aspersorium indutus superpelliceo cum Stola. Quaeritur an supradicto in casu usus Stolae tolerari possit? „Negative."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad 31. Die 16. Apr. 1853.

38) Sacerdotis.

Vd. *(Stola presbyteri.)*

39) Ad tumulum mortuor.

Vd. *Tumulus* (quid in tumulo etc. decr. n.4536.)

40) In Unctione extrema.

Vd. *Stola* (administr. SSmum; praecip. decr. n. 4623); *Canonici* (administr. Sacrament.); *Indulg. plen. pro Morib.* (habitus);

Ad dub.: An Sacramentum extremae Unctionis cum Stola tantum administrari possit? S. C. resp. Negative n. 4623 II. 2. die 16. Decembris 1826.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Eadem responsio convenit alteri huic dubio. Rubrica namque ordinem, ritumque praescribens in administratione Extremae Unctionis servandum, vult omnino decenter ministrari; ideo vestes, quae a Parocho, vel Sacerdote ministrante adhibendae sunt, tales sint oportet, ut ad debitam reverentiam rectamque tractationem conducant, praesertim vero omittendae non sunt, dum eas signanter Rubrica designat, et adhiberi jubet. Haec autem nedum principio expresse praecipit, datque regulam generalem de Superpelliceo, et Stola coloris convenientis adhibendis in omnium Sacramentorum administratione, ut supra notatum est, verum etiam speciatim agens de Sacramento Extremae Unctionis. *Deinde* ait, *posito oleo supra Mensam*, *Superpelliceo, Stolaque violacei coloris indutus, aegroto Crucem pie deosculandum porrigit*, *mox etc.* En praescriptum praeter Stolam etiam Superpelliceum. Cur autem servanda, et non potius damnanda consuetudo seu potius corruptela Extremam Unctionem administrandi sine Superpelliceo? Excipio casum positivae necessitatis. Dura quippe videtur sententia Layman. *tract. 8. cap. 8. num. 1.* relat. a *Barbosa*, qui dicit, *nòn licere*, *etiam in casu necessitatis*, *administrare hoc Sacramentum*, *non adhibitis vestibus ab Ecclesia praescriptis*. Certe casus necessitatis a multis excusat, veluti refert et monet *Barruffaldus ad Rituale Roman. tit. 27 num. 44.* At casus necessitatis dari potest, quin tempus suppetat sumendi vestes pro hoc Sacramento administrando praescriptas. Quid autem si longum, ac difficilius ineundum sit iter? Eritne causa sufficiens, quae ab usu praescriptarum vestium excuset? Minime gentium. Rubrica casum praevidit, eidemque consuluit, et, dum modum servandum quoad circumstantiam itineris indixit, nullam aliam limitationem posuit, aut moderationem quoad reliqua. En Rubrica: *Quod si longum est iter peragendum, aut etiam equitandum sit . . . vas cum oleo sacculo, aut bursa inclusum . . . ad collum appendat, ut commodius et securius perferat.* Quae quidem ad circumstantiam itineris dumtaxat sunt referenda, non ad cetera, quae circa Sacramenti administrationem versantur. Rubrica igitur, quae sine ulla exceptione, limitatione, aut moderatione adhiberi jubet Superpelliceum

et Stolam servanda omnino est, et ab ea nullo sub expiscato praetextu declinandum. Ideo usus contrarius sive potius abusus, ubi viget, est eliminandus.

41) In Vesperis.

Lucana.

Ad supplicem Libellum hodierni Guardiani Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Civitatis Lucanae exquirentis, an attenta ibi invecta immemorabili consuetudine, continuari possit usus decantandi Vesperas Celebrante *Alba*, *Stola* et *Pluviali* induto? S. C., referente infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Serventur Decreta.* N. 4789. Die 27. Aug. 1836.

Ad dub.: Num celebrans, ubi non est obligatio chori, in vesperis festivis vel votivis, possit stolam induere, quum sit veluti praeeminentiae signum, in choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

S. C. resp.: Negative juxta alias decreta.*) Die 11. Sept. 1847 ad 5. *In Veronen.*

Vd.: *Stola* (in choro; in adm. Sacrament.)

42) In Vesperis et Matutinis.

Ad dub.: An retineri possit immemorabilis consuetudo dioecesis Veronen., quae etiam in aliis finitimis viget, quod in vesperis festivis, et matutinis tenebarum celebrans utatur stola, non obstantibus decretis id prohibentibus?

S. C. resp. Eliminandam consuetudinem veluti decretis oppositam praesertim in Alexanen. die 7. Septembris 1658, in Dalmatiarum 4. Augusti 1663 ad dubium III. in Nullius Farfen. Die 7. Septembris 1816 unde Decretum generale prodiit die 26. Aprilis 1834 in Bituntin. 16. Martii 1833. Die 7. Septembris 1850.

Corresp. de Rome 1831. Ed. II. n. 59 p. 223.)

Vd. *Stola in Off. def.*

*) Immo nuperrime S. R. C. declaravit eliminandam esse *immemorabilem consuetudinem*, quod in vesperis festivis et matutinis tenebrarum celebrans utatur Stola. Die 7. Sept. 1850 ad 7. *In Veronen.*

STRATUM LAICORUM.

Vd.: *Pulvinar*, *Pulvinum.*

Strata ad Ecclesias sibi deferre nemini sub gravibus poenis licere declaratur exceptis dumtaxat personis Regalibus *Clemens XI. p. 3. sui Bullar. decret. 1. Congr. Caeremon. ibi.**) „Proposito in Sacra Congregatione Caeremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem Sacra Congregatio ad eum omnino tollendum die 30. currentis anni 1701 decrevit: *Non licere cuicumque personae quovis gradu, conditione, ac dignitate insignitae (ipsis Personis Regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri facere, et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis; quod nisi servetur, Rectores, caeterosque Ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis poenam, aliasque arbitrio Sacrae Congregationis incurrere, eamque Ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendum esse pro interdicta.*"

Et facta per Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas sua decretum praefatum approbavit nec non promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sa-

*) Bull. r. t. VIII. p. 457. Ed. Luxbg. 1741.

crariis affigi mandavit die 3. Octobris 1761.

Toletana.

Capitulum et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Toletanae ad evitandos abusus pomparum et fastus nobilium ad dictam ecclesiam confluentium, qui sellas, strata et pulvinaria praemittebant, decreverunt alias nemini licere in posterum suprascriptis commoditatibus, seu vanitatibus in dicta ecclesia uti, exceptis dumtaxat regalibus personis et magistratibus; quod decretum fuit litteris Pii Papae V. confirmatum sub anno 1571. Ex quo decreto cum effectum esset, ut nobiles retraxerint se a dicta ecclesia, tandem dictum Capitulum et Canonici ad revocandos nobiles decreverunt ampliare et extendere dictum decretum ad omnes titulatos, magistratus et officiales, eorumque uxores, filios et alios narratos in libello supplici ipsius Capituli, quod cum per se facere nequirent, ex quo decretum illud erat auctoritate apostolica confirmatum ad Sacram Congregationem recursum habuerunt, quae respondit: Nihil Die 28. Martii 1626.

(Anal. J. P. 1863 p. 179.)

SUBCANTOR.

Vd.: *Cantor*; *Directio chori*; *Rector chori*.)

Ad dub.: An Subcantori debeantur omnes praerogativae et caeremoniae, quae debentur Cantori, quando in 2. Vesp. Nat. Dom. Pasch. et Pentec. canit loco ejusdem cantoris? S. C. resp.: *Negative.*

Item ad dub.: An ille tamquam caput choro debeat praeferri in sedendo, Hebdomadario, qui habet usum stolae, atque etiam in Processionibus def. tamquam caput chori praeferri debeat presbytero non Capitulari, qui stolam defert.? S. C. resp.: *Negative* n. 2238 ad 2. et 3. die 4. Aug. 1663.

In causa inter Capitulum ecclesiae cathedralis Puteolanae ex una, et Franciscum Constantinum ac Franciscum Pollicem dictae cathedralis subcantores ex altera partibus propositis in S. Rituum Congregatione ab Emmo et Rmo D. Francisco Cardinali Barberino ponente, infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An subcantoratus sit dignitas in casu?

II. An subcantoribus dictae cathedralis ecclesiae licitum sit deferre signum pelliceum sicuti dignitatibus, seu canonicis ejusdem cathedralis?

III. An et quod stallum competat dictis subcantoribus, et an eis competant salutationes, thurificationes, et aliae praerogativae, quibus gaudent dignitates seu canonici praefatae cathedralis?

Et S. Congregatio, visis et auditis juribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, respondit: *Negative* in *omnibus.* Die 13. Septembris 1692.

Puteolana.

Super controversiis inter Franciscum Constantinum et Franciscum Pollicem subcantores ex una, et Capitulum et Canonicos ecclesiao cathedralis Puteolanae, ex altera partibus, excitatis, ab Emmo Francisco Barberino in S. Rituum Congregatione propositus infrascriptis dubiis.

1. An subcantores cathedralis Puteolanae teneantur ad servitium ecclesiae quotidie, stante tenuitate reddituum? et quatenus affirmative.

2. An, et quae insignia, quod stallum, et praerogativae ipsis debeantur?

S. eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit. Ad pri-

mum: *Teneri juxta onus eis injunctum, et in praeteritum observatum.* Ad secundum: *Negative*, et detur decretum sub die 13. Septembris 1692 editum. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 3. Octobris 1699.

Anal. J. P. 1865 p. 1329 n. 2460.

SUBCOLLECTORES.

Subcollectores, Commissarios et alios Camerae apostolicae ministros, praesertim beneficia ecclesiastica possidentes, teneri accedere ad publicas et solemnes processiones, nec non Episcopo solita et consueta obsequia praestare in die ad id fixa et ad hujusmodi implenda per Ordinarium cogi posse. n. 2125 die 23. Julii 1661.

Vd. *Ministri in Pontificalib; Primicerius* (decr. n. 1988.)

Subcollectorum privilegia non suffragantur illis, qui non resident in dioecesi, cujus sunt deputati Subcollectores. Sacra Congregat. Episcop. in Pistorien. 9. Februarii 1624 apud Nicol. in Flosculis verb.: Subcollector n. 1.

SUBDIACONATUS.

Vd.: *Ordinatio ad Subd. et Diacon.*

1) Abbas Cisterciens. conferre non potest post Concil. Trid.

Vd.: Ordin. Minores t. II. p. 561.

2) Amictus.

Ad dub.: Quum in s. Ordinatione Ep. imponat Ordinando ad Subdiaconatum Amictum in capite, quaeritur utrum illud in capite tenere debeat usque ad finem Orationis vel super scapulas dimittere et quando?

S. eadem C. respondendum censuit.

„Dimittendum super scapulas post impositionem.“

Atque recribere rata est et declarare.

N. 5111 ad 2 die 11. Septembris 1847.

3) Calix. tang. in collat. Subdiacon.

Ad dub.: Similiter ex Pontificali debent *successive tangere* Calicem et Patenam Subdiaconi et Presbyteri in eorum Ordinatione. Sufficitne quod *simul* tangant et non successive singuli et super duos aut tres aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam, dum Pontificale dicit: *Accipite?*

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet.

Affirmative quoad Subdiaconos. *Negative* quoad Presbyteros: siquidem juxta Pontificalis Rubricam in Ordinatione Subdiaconorum super duos vel tres simul manu dextera tangentes Calicem cum Patena potest ab Episcopo proferri forma: *Videte cujus ministeriam vobis traditur etc.* In Ordinatione vero Presbyterorum cuilibet tradendus est Calix cum vino et aqua et Patena cum Hostia et cuilibet formula repetenda est in singulari: „*Accipite potestatem etc.*“

Atqui ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. N. 4565 ad 73.

Nota Gardellini ad hoc decretum.

Tandem ad tertiam Dubii partem sic ait: „Traditio Calicis cum Patena, prout exponitur in tertio dubio, tam fit Subdiaconis quam Presbyteris, dum ordinantur; ea tantum differentia, quod Subdiaconis traditur Calix vacuus cum Patena vacua superposita, Presbyteris Calix cum vino et aqua et Patena superposita cum Hostia. Verum si de Subdiaconis loquatur dubium, error irrepsit in indicatione

formae: *Accipite*; cum formula pro Subdiaconis sit: *Videte cujus ministerium vobis traditur etc.* Si vero de Presbyteris, major est error, quia non legitur in Pontificali pro ordinatione Presbyteratus, quando eis traditur calix cum Patena, *Accipite*, sed *Accipe*: Forma ergo in traditione calicis et Patenae pro Ordinatione plurium Subdiaconorum ponitur in plurali; in Ordinatione Presbyterorum praescribitur in singulari, *Accipe*. Hinc evidentissime deducitur, quin aliae theologicae rationes adducantur, quod super duos vel tres Subdiaconos ordinandos, qui revera successive tangant eodem tempore Calicem et Patenam, proferri potest forma: *Videte*: In ordinatione vero Presbyterorum, cuilibet esse Calicem cum Patena tradendum et in hujusmodi traditione cuilibet esse formam repetendam: *Accipe:* Haec enim est pro Presbyterorum ordinatione dispositio Rubricae Pontificalis: *Episcopus unicuique cum Oleo Catechumenorum inungit ambas manus simul junctas, dicens: Consecrare et sanctificare digneris Domine: Et postquam omnium Ordinandorum fuerint manus unctae et consecratae, necnon panniculo albo simul alligatae, cuilibet successive tradit Calicem cum vino et aqua et Patenam superpositam cum Hostia, quam Ordinandus accipit inter indicem et medium digitum, cuppam Calicis et Patenam simul tangens, eodem Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo etc.*"

4) Epistola legenda.

Cf.: *Epistola* (a quo cantanda etc.)

Ad dub.: Si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debentne cantare vel legere Epistolam et Evangelium et quando? S. C. resp.: „Legant, dum Episcopus legit."
N. 4669 ad 9. die 12. Nov. 1831.

5) Intentionis defectus a parte Ordinandi.

Vd.: *Ordinatio* (intent.)

Brixien. Ordinationis.

„Titius minorum ordinum clericus Episcopo Brixien. Ordinario suo supplicavit, ut sacrum Subdiaconatus ordinem sibi conferret. In hunc finem examinatus et idoneus repertus petiit a Vicario generali, ut attestationem susceptorum ordinum minorum sibi extraderet, quam Vicarius denegavit, eo quod orator testimoniales litteras proprii parochi super vita et moribus non detulisset. Cum autem Titius illas habere non posset, tum quia per annum a patria abfuerat, tum quia angustia temporis illarum consecutionem non patiebatur, attestationem susceptorum ordinum minorum confinxit Vicarii caracterem imitando eaque cancellario exhibita in numero ordinandorum describi obtinuit. Mox unacum caeteris ordinandis alba indutus ad Episcopum ordinantem accessit Subdiaconatum suscepturus; at ingressus capellam, in qua ordinatio habenda erat, audivit publicari censuras adversus eos, qui absque debitis et legitimis licentiis ordines suscipere auderent. Quocirca deterritus et consilii expers cum a loco ordinationis recedere futurum sibi ignominiosum, ne censuras incurreret deliberavit accedere materialiter ad Episcopum unacum aliis citra tamen intentionem suscipiendi ordinem, prout fecit. His peractis, exoptans ad caeteros ordines ascendere, defectum intentionis habitum in receptione Subdiaconatus patefecit Episcopo, supplicans eidem quatenus ipsum ordinem sibi iterum conferret."

„Hinc Episcopus hujus Sacrae Congregat. oraculum exposuit super eo."

„*An Titius sit in Subdiaconum iterum ordinandus saltem sub conditione?*"

„S. C. rescripsit: Maneat suspensus et Episcopus melius informet de intentione. Die 31. Martii 1685."

Episcopus Brixien., qui ab hac S. Congregatione jussus fuit sub die 31. Martii praeteriti magis praecise informare super intentione Titii in sequentem modum respondit: — „Mandatis istius S. Congregationis satisfaciendo, Titium oratorem examinari commisi super expositis in ejus supplici libello eidem S. Congregationi porrecto. Ex juratis autem ejusdem depositionibus resultat dictum Titium stimulo reae conscientiae excitatum ob falsam attestationem a se confictam, immediate ante ipsius ordinationem elicuisse actum positivum non recipiendi ordinem Subdiaconatus seque materialiter tantum ordinationi praesentasse hoc uno sibi proposito fine, scandali scilicet forsan orituri avertendi; numquam tamen revocata contraria intentione per ipsum, ut supra elicita."

„Reassumpto igitur veteri folio EE. PP. decernere dignabuntur:"

„*An Titius sit in Subdiaconum iterum ordinandus, saltem sub conditione?*"

„S. Congr. respondit: Iterum ordinandum sub conditione privatim et dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum. Die 28. Augusti 1685."

(Anal. J. P. 1864 p. 757.)

6) Uni. confer. in Sabb. s.

Vd.: *Ordinatio priv. in Sabb. s.* (decr. n. 4583). *Ordinatio Unius.*

7) Una die cum Ord. Minorib. eisdem Personis conferendusne est?

Vd.: *Ordines Minores* (una die cum Subd. etc. decr. *Calaritana.*)

SUBDIACONI ET DIACONI.

Quod Officium post Ordinationem recit. debeant?

Granaten.

Pontificale romanum in titulo de ordinatione presbyteri prope finem preces designat ab Episcopo ordinante singulis ordinandis injungendas deque Subdiaconis et Diaconis loquens sic ait: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) nocturnum talis diei" super hujus clausulae genuino sensu theologi non consentiunt, quin potius in diversas abeunt sententias. Ut ergo quid certi tenendum sit pateat, orator ab hac S. Congregatione petit:

1. *Utrum per nocturnum talis diei necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore sive matutinum et laudes ejus diei in qua Ordines conferuntur sive unum nocturnum habeat, ut in sabbatis quatuor temporum et in sabbato passionis sive tres, ut in Sabbato Sancto et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat?*

2. *Utrum in potestate Ordinantis sit injungere unum tantum nocturnum, quem maluerit sive officii de tempore, sive de Sanctis, quod ipsa die concurrat?*

3. *Utrum injungere possit unum nocturnum de officio defunctorum vel parvo B. M. V., vel de alio Sancto?*

4. *Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba pontificalis sonant, utrum in potestate Ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei, in qua ordines receperunt vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore sive de Sanctis il-*

lius diei, in qua preces injunctas adimplere voluerint.

§. 1. *Resp.* Non est profecto nobis animus diversas hic enumerare et expendere sententias, in quas abeunt theologi super genuino sensu illius clausulae quam adhibet pontificale romanum: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) dicite nocturnum talis diei. Quid enim proderit, studiosius inquirere et laboriosius expendere argumenta singulorum scriptorum etiam gravissimorum, super re in qua ex hoc ipso, quod dubia videantur verba, quibus enunciatur et quod super ea nihil, quod pateat, ab ecclesiastica lege aut S. Congregationis oraculo definitum sit, impune quilibet in suo sensu abundare?

§. 2. Res est de facto: seu reducitur ad meram interpretationem eorum verborum. Sat igitur erit ex sanioris criticae regulis certiorem, quantum liceat, interpretationem inquirere et pontificalis proposita verba juxta liturgicas formulas et usitatiorem ipsius pontificalis praxim seu loquendi usum paulisper perpendere, relictis subtilioribus tantorum auctorum disquisitionibus, quorum tamen auctoritate quandoque utemur, ubi res postulaverit. Summa hujus interpretationis ad duas tantum voces reducitur, nempe quid per vocem talis intelligendum sit. Haec ubi assecuti fuerimus, confidimus certe ad quatuor propositas quaestiones responsum facile patere.

§. 3. Ad primum itaque quod attinet sive ut assequamur quid veniat nomine nocturni; recolenda est prisca Ecclesiae disciplina, quae in horarum canonicarum recitatione servabatur seu quomodo dispertirentur, quo tempore recitarentur, quo appellarentur nomine et quid progressu temporis variatum vel inductum fuerit. Et quoniam haec praeter caeteros dilucide simul atque erudite tractantur, quantum ad nos spectat, a Merato in suis observationibus et addit. ad Gavantum sect. IV., cap. 1., placet ipsius Merati verbis rem totam exponere relate ad eos articulos, qui quaestioni nostrae lucem infundent. Ait itaque praeclarissimus auctor loco citato de matut. cap. 1., n. 1.: Horae canonicae nocturnae seu officium nocturnum ita appellatum est, quia noctu recitabatur: „In noctis officio, sic prosequitur ib. n. III., unicus erat priscis temporibus nocturnus, qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali officio et in primo dominicae nocturno fieri solet, sed quia dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debet, coeperunt monachi noctem, quae dominicam praecedit, orando transigere. Tradit etiam Cassianus lib. 3., cap. 3.: Monachos Aegyptios tribus diversis noctis temporibus diebus dominicis orasse, quibus opus facere non licebat; contra vero diebus reliquis quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orasse. Eas noctes in partitis distinguunt officiis, post aliquot psalmos decantatos, tres lectiones perlegebant idque tribus diversis temporibus per noctem repetebant, quae res tres nostros dominicae nocturnos profecto demonstrat; non solum dominicis diebus, sed etiam praecipuis anni festis noctis officium in tres nocturnos dividebatur, sed haec festa olim exiguo erant numero et idcirco trium nocturnorum officia minus frequentia erant et nullo negotio tres nocturni plerisque festis tributi fuere etc.“

§. 4. Maxime autem attendendum est, quod mox subjungit: „Tres nocturni isti qui tria diversa noctis officia constituebant, non solum apud monachos majori pietatis ardore frequentes, sed etiam apud clericos in Ecclesiis cathedralibus, diversis horis,

diversis noctis vigiliis correspondentibus recitabantur; sed tepescente et clericorum et monachorum fervore factum fuit, ut nocturni non separatim ut ante, sed continenter una cum laudibus decantarentur et ex tribus vigiliis una solum texeretur etc.

§. 5. Neque id satis, sed progressu temporis id quoque factum est, ut tres illos nocturnos, quos simul cum laudibus, in una tantum vigilia, id est, media nocte recitabant, ad ultimam vigiliam seu prope lucem transtulerint, ne noctu consurgerent: „Initio decretum erat, subjungit laudatus auctor (ibid.) ut media nocte surgentes (clerici et monachi) officium nocturnum recitarent sicut nunc apud quosdam regulares perseverat; sed cum nec onus illud surgendi media nocte clerus toleraret .... hoc saltem obtinuerunt ecclesiarum praesides ut ultima noctis vigilia clerici ad matutinum recitandum surgerent, ut jam fieri solet in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis.“ Ex qua trium nocturnorum et laudum conjunctione matutinum prodiit, cujus denominationis hanc affert rationem eruditus Meratus: „Hoc idem officium (nocturnum seu tres nocturni) plerumque matutini nomen usurpavit quia laudibus conjunctum est, quae summo mane recitari solebant.“

§. 6. Ex his quae ex Merato adduximus pronum est colligere: 1. Eam officii partem, quae noctu recitabatur, appellatum fuisse nocturnum et hunc priscis temporibus unicum fuisse, qui duodecim psalmis constabat, prout nunc, tum in feriis, tum in dominicis quoad eam partem quae primum nocturnum ejusdem dominicae constituit. 2. Deinde in nocte, quae dominicam et praecipua anni festa praecedebat, fervescente pietate, tres distinctos nocturnos invectos fuisse, qui tribus distinctis temporibus recitabantur et ad singulos nocturnos lectiones additas. Ex hoc autem explicatam distinctionem inter nocturnum et nocturnos luculentissime patere, quae pro re nostra sedulo advertenda est. 3. Hanc consuetudinem apud monachos invectam, clericos etiam charitatem sectantes et spiritualia exercentes laudabiliter amplexos esse et eodem pietatis fervore servasse. 4. Hoc fervore autem tepescente inceptum esse tres illos nocturnos continenter seu unum post alium pone conjunctos recitari, quin ternis distinctis vicibus ad orandum convenirent. 5. Tandem ne noctu consurgerent, recedentibus jam umbris sive unum sive ternos nocturnos recitari incepisse adjicientes continenter laudes et sic factum esse, ut nocturnus ille sive nocturni, matutini nomine appellarentur, quia simul cum laudibus summo mane recitabantur.

§. 7. Quod vero ad rem nostram ex hactenus expositis maxime notamus, illud est, quod ex primitivo ac genuino Ecclesiae loquendi more, res sunt omnino inter se distinctae, nocturnus, nocturni et matutinus, adeo ut quaelibet ex iis vocibus separatim sumpta et ex se sola propriam ac veram habeat significationem. Quis vero non intelligit in praesenti horarum canonicarum disciplina, hodiernum feriale officium atque ipsum primum dominicae nocturnum ad amussim referre priscum illum nocturnum, qui constabat duodecim psalmis? Quis demum jure non inferet nihil obstare quominus exposita vox pontificalis: dicite nocturnum obvia ac naturali oratione intelligenda sit de unico nocturno ferialis officii vel de primo officii dominicalis nocturno, quorum uterque constat duodecim psalmis?

§. 8. Huic nostrae sententiae non leve suffragium accedit ex praxi seu ex usitato loquendi modo breviarii romani in suis rubricis generalibus tit. XIII., de matutinis, ubi, agens de

iis quae ad matutinum per ordinem regulariter dicuntur secundum diversitatem officii, probe ac singillatim distinguit nocturnum a nocturnis, aliud significans per nocturnum in numero singulari, aliud per nocturnos in numero plurali. Inquit enim n. 2: in duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem psalmi ... per tres nocturnos distinctos, aliud quos singillatim partitur n. 3: *In primo nocturno dicuntur tres psalmi etc.;* deinde n. 5: *In secundo nocturno dicuntur alii tres psalmi etc.;* et demum n. 6: *In tertio nocturno alii tres psalmi.* Deinceps loquens de officio trium lectionum praescribit nocturnum feriae ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis et tempore paschali cum una antiphona: *Alleluja.* Clarius etiam id constat ex eodem breviario in officio Ascensionis Domini et in officiis Paschatis et Pentecostes. Siquidem in primo, ut significet plures nocturnos, in assignandis antiphonis cujuslibet nocturni praemittit ad instar rubricae *in I. noct. antiph.* etc., *in II. noct. antiph.* etc., *in III. noct. antiph.* etc. Econtra vero in officiis Paschatis et Pentecostes, in quibus unicus est nocturnus, absolute habet: *Ad nocturnum, antiph. etc.*

§. 9. Accedit etiam, quod ipsum pontificale romanum diserte innuit distinctionem inter unicum et inter plures nocturnos. Quemadmodum enim in praesenti quaestione ait, dicite nocturnum, ita tit. de Ecclesiae dedicatione seu consecratione praescribit, ante reliquias Sanctorum in altari consecrando includendas, celebrandas esse vigilias et canendos nocturnos et matutinas laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiae etc.: quo ad amussim servari videtur prisca illa vigiliarum recitandique officii disciplina. Sed de hoc mox sermo redibit.

§. 10. Jam vero ex his jure colligi posse videtur, formulam illam: dicite nocturnum, nihil prorsus commune habere seu cum officio parvo B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum; seu cum matutino tam cum laudibus, quam sine laudibus, sed importare tantummodo onus recitandi unius nocturni alicujus feriae. Diximus cum officio vel parvo B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum; non solum quia ex usu loquendi pontificalis romani, quando aliquod peculiare officium exprimendum sit, disertis verbis hoc facit, nec locum dubitationi relinquit, ut mox vidimus in ritu consecrationis Ecclesiae; canendi nocturni in honorem Sanctorum etc.; sed etiam quia licet ex nuda nocturni significatione, juxta ea quae ex Merato deprompsimus, ab Episcopo ordinante assignari posset Subdiaconis et Diaconis partialiter alter tantum ex tribus nocturnis illorum officiorum, tamen affirmare non dnbitamus menti pontificalis id respondere tantum quoad primum nocturnum dominicae vel nocturnum feriae, qui duodecim revera constant psalmis, non autem quoad nocturnos reliquorum officiorum, qui singuli tres tantummodo habent psalmos. In hoc autem stat argumenti ratio, quod si promotis ad Diaconatus vel Subdiaconatus ordinem unus ex his brevioribus nocturnis dicendus assignaretur; breviores ipsi preces (tres scilicet psalmos) recitare deberent, quam promoti ad primam tonsuram et minores ordines, quibus pontificale injungit septem psalmos poenitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus.

§. 11. In cujus thesis nostrae confirmationem haec quoque accedit ratio; quod scilicet, cum illae preces injungantur tamquam onus atque obligatio, de jure fluit in iis injungendis atque exigendis standum esse strictae ac praecisae significationi formulae, qua injunguntur seu literae, ut ajunt, nisi

aliter recta ratio faciendum suadeat. Atqui in casu nostro tantum abest, ut recitatio unius solum nocturni a recta ratione distet, quin immo ecclesiasticae disciplinae, ut vidimus, consona sit.

§. 12. Ad pleniorem vero hujus rei demonstrationem recolamus coronidis loco, quae obiter innuimus ex pontificali romano, ubi ritus praescribitur dedicationis seu consecrationis Ecclesiae. Quando agit de sacris reliquiis parandis sero ante diem dedicationis, quae sunt in altari consecrando includendae, jubet itidem ante ipsas recitari preces easque iis verbis designat: „Celebrandaeque erunt vigiliae ante reliquias ipsas et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem sanctorum, quorum reliquiae sunt recondendae etc.“ In qua enumeratione quis non videt, quomodo liber pontificalis distinguat nocturnum a nocturnis et laudes matutinas ab ipsis nocturnis, officium Sanctorum ab officio feriali, ita ut nulli omnino dubitationi locus supersit de qualitate ac de' partibus horarum canonicarum, quae in iis vigiliis recitandae sunt? Nunc vero huic textui pontificalis comparetur alter textus, de quo est quaestio vel videatur, quid proprie sibi velit idem liber pontificalis per verba: „dicite nocturnum talis diei,“ quid per illa: „canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum.“ „Quis non discernat in his diversis formulis seu locutionibus eam loquendi proprietatem, ut illico deprehendi possit, quid utrobique dicendum seu canendum praecipiat? si laudes matutinae addendae vel non; quid juxta pontificalis locutionem accipiendum sit per vocem matutini, laudes nempe quae de mane dicuntur, ut fusius supra exposuimus, qua demum ratione unum officium distinguatur ab altero? Quam verborum proprietatem etiam Dominicus Macri in suo Hierolexico Voc. Laudes adnotavit his verbis: „Episcopus Diaconibus et Subdiaconibus in eorum ordinatione solet imponere onus recitandi his verbis: dicetis nocturnum talis feriae (sic) et non ait: dicetis matutinum, ne comprehendat etiam laudes.“

§. 13. Ergo cum in discussa formula: „dicite nocturnum talis diei,“ nulla mentio fiat neque de nocturnis plurali numero, neque de aliquo peculiari officio sive Sanctorum sive de officio parvo B. M. V. sive de officio defunctorum sive de quocumque alio titulo, sed si quis est titulus non alius sit, quam talis diei; jure optimo concludi posse videtur non aliter verba illa accipienda esse, quam de unico nocturno feriae vel de primo nocturno dominicae, qui item unicus erat juxta veterem Ecclesiae disciplinam. In hoc autem id etiam adnotandum occurrit (ut clarius eluceat proprietas et mature elaborata loquendi ratio pontificalis romani); quod nempe non dicit nocturnum talis feriae, sed talis diei, ut includat etiam dominicam seu nocturnum quemcumque veteris disciplinae. Nam in voce illa *diei* non modo assignatur quilibet Hebdomadae dies, sed excluditur etiam quilibet titulus aliorum festorum et ad hoc unum reducitur ut intelligamus: „Nocturnum stricte sumptum et quidem feriae vel dominicae ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis et tempore paschali cum una antiphona Alleluja.“

§. 14. Restat nunc ut videamus, an hic nocturnus, de quo loquitur pontificale romanum, debeat esse exclusive illius diei, quo sive in temporibus a jure statutis sive extra tempora ordines conferuntur; an generice cujuslibet diei designandi arbitrio Episcopi ordinantis, quod unum deesse videtur, quemadmodum in propositione statuimus, ad solutionem totius propositae quaestionis, quam ex sola in-

terpretatione ejus voculae *talis* secundo loco proposuimus. Porro vox ista, cum sit nomen relativum, illud per se nihil indicat nisi vel tacite vel explicite ad aliquid referatur. Ergo aut reperienda est hujus vocis tacita vel explicita relatio aut alia plane interpretatio investiganda.

§. 15. Nobis vero nullum apparet hujus relationis vestigium, in cujus sensu acquiescere possimus. Et vero si qua ejus vobis relatio fingi velit, non alia profecto se offert, nisi ut dicamus, aut referri ad illum ipsum diem, quo fit sacra ordinatio, ita ut illius diei nocturnus recitandus imponatur, quo habita est ordinatio; aut potius referri ad monitum pontificalis ad ipsum Episcopum ordinantem, quo ipsi significet, ordinatis hujusmodi injungendam esse recitationem nocturni talis diei, diei nempe quo sacra habebitur ordinatio. At neque primam neque alteram interpretationem tam facile admittet, quisquis est in hujusmodi rebus vel minime versatus et noscit exquisitam verborum et phrasium accurationem, qua utitur pontificale romanum, quod numquam adhibuisset eam vocem talis diei, quae certe ambiguitatem parit, et obscurissima per se est, ut patet ex ipso dubio proposito. Siquidem remota omni obscuritate et inaccurata locutione, dixisset clarius et naturaliter, hujus diei in prima hypothesi, illius diei in altera.

§. 16. Exclusa igitur omni interpretatione, quae praebere possit implicite vel explicite claram relationem illius vocis *talis* ad aliquid, cui referatur, alia nobis ineunda via est, ut probabilem aliam interpretationem investigemus.

§. 17. Ac primo praemittimus, vocem illam legi in eodem contextu et generaliter in hodiernis editionibus pontificalis romani eodem charactere et atramento totius contextus, nulla apposita interpunctione, nullo signo diacritico. Et in hoc, ut existimamus, sita est tota ambiguitatis origo. At non ita in editionibus vetustioribus. In omnibus siquidem vox illa legitur in eodem contextu, sed in plerisque notatur rubro charactere. Ita porro testatur Georgius Gobat in sua experimentali theologia (tract. 8, §. 772), vidisse se nempe vocem illam rubro charactere descriptam in pontificali Lutetiae Parisiorum edito anno 1637 de mandato praesulum Ecclesiae Gallicanae. Aliud exemplar nos ipsi conspeximus in pontificali secundum ritum Sanctae R. E. una cum multis additionibus opportunis ex apostolica bibliotheca sumptis, edito Lugduni 1542, quod Fol. XXIV. sic habet: *Fratres carissimi diligenter* etc. . . . Ad subdiaconatum vel diaconatum (Ord.) nocturnum talis diei. Vidimus in altero pariter Lugdun. edit. quod inscribitur: Pontificale noviter impressum MDXI die viij Maji, pag. XXVII, quod praemissa sequenti rubrica charactere rubro: „Pontifex accepta mitra et baculo etc. . . . vertit se ad ordinatos, et stans hortatur . . . quod orent pro eo et aliis quos voluerit, injungens eis missas et alia quae viderit expedire, haec habet in textu: *Fratres etc. . . Ad subdiaconatum et diaconatum nocturnum talis diei.* Utrumque exemplar reperitur in bibliotheca Casanatensi, quorum postremum cura et studio Joannis Burchardi in lucem prodiit. Id vidimus insuper in altera pontificalis editione Venetiis anno 1520 sub Leone X. per Lucam Antonium de Juncta (sive Giunti), quod exemplar Romae asservatur in bibliotheca CC. RR. infirmis ministrantium ad S. Mariam Magdalenam. Porro nemo ignorat quanti faciendae sint editiones typis De Juncta impressae ex philologorum testimonio. Afferemus auctoritatem Tiraboschi, qui

in sua *Istoria della letteratura italiana* tom. 7 pag. 312 haec habet: „Celebri sono le stampe di Giuseppe Giunti in Firenze, edi altri della stessa famiglia ivi ed in Venezia.“ Idem Petrus Antonius Crevenna in suo catalogo librorum, quos ipse collegerat, editiones de Juncta aemulatas fuisse scribit illas, quae ex Manutiis prodiere. L' imprimerie des Giunti qui tint le second rang en Italie apres les Aldes, *semble en effet en avoir été Cémule.* Porro in his omnibus editionibus vox illa *talis* rubro charactere signatur.

§. 18. Haec quidem ideo protulimus, ut appareat, in editionibus tanti nominis varietatem illam coloris non casu aut ignorantia irrepsisse, sed accuratiorem lectionem exhibere. Quae etiam laus praefatis editionibus Lutetiae Parisiorum de mandato praesulum ecclesiae Gallicanae, et Lugdunensibus detrahi nequit, cum certo constet ex iis typis optima exemplaria prodiisse. Cum igitur in variis temporis et locorum, iisdemque optimae notae editionibus haec coloris varietas inveniatur, constat vocem illam *talis* non esse partem allocutionis integri contextus, sed monitum ad episcopum, quasi parenthesi inclusam, ac si dicat *dicite* Nocturnum diei (N. N.) vel ut antmadvertit Georgius Gobat (loc. cit.) dicite Nocturnum (*talis aut talis*) diei. Quod autem mirum si vox illa *talis* paulatim scribi coeperit nigro charactere, sive ex oscitantia sive ex inscitia typographorum, vel ne tempus insumerent in ea colorum varietate imprimenda, vel quia nullius momenti ducerent unum vel alterum colorum adhibere? Sed praetereundum non est, in aliqua etiam recentiori editione pontificalis romani hodiedum reperiri eamdem vocem *talis* charactere rubro, quemadmodum in additamento, quod aliquo abhinc tempore ponitur in fine pontificalis — pro ordinibus uni conferendis — videre est in editione in fol. quam — excudebat Urbini anno MDCCCXIX Vicentius Guerrinus suo ac Mariani de Romanis Bibliop. Romani aere collato, facta a praesidibus facultate; — vel in altera, quam in — 8 nitidissimis typis vulgavit Mechliniae P. J. Hanicq. Summi Pontificis, SS. Congregationis de Propaganda Fide, et Archiep. Mechl. typographus anno MDCCCXLV.

§. 19. Posito itaque quod vox ista *talis* accipienda sit tamquam rubrica, quae episcopo ordinanti suggerit, ut imponat ordinatis recitationem unius nocturni *talis* vel *talis* diei; id certe non importat esse taxative diem ordinationis: dixisset enim clarius: *dicite Nocturnum hujus diei:* neque referri ad diem, qua habebitur ordinatio: dixisset enim: *dicite Nocturnum illius diei*: sed facultative remitti arbitrio episcopi ordinantis, ut imponat ordinatis recitationem nocturni ferialis vel dominicae prout ipsi libuerit. Isthaec enim loquendi formula: *dicite Nocturnum talis diei*, ut clarius concludam, alterutrum ex his duobus importare necesse est: aut praesentem ordinationis diem, aut diem quamcumque pro ordinantis arbitrio designandam. Non primum ut vidimus, quia incredibile est pontificalis romani redactores, qui caeteroquin accuratissimi ubique sunt vel in minimis designandis, voluisse significare per solaecismum et obscurissimam formulam id quod clarissimi et rectius significari poterat per pronomen *hujus* vel *illius*. Restat ergo secundum, quod nos eo facilius et libentius admittimus, quod, praeter adductam rationem, nobis id persuadeat praedicta circumstantia antiquiorum illarum editionum, quae vocem illam *talis*, prostantem licet in contextu allocutionis, exhibent impressam rubro charactere prout inscribuntur rubricae,

queis praescribitur norma illarum rerum quae vel dicendae vel faciendae sunt, juxta notum adagium: *lege rubrum, si vis intelligere nigrum.*

§. 20. Quae nostra opinio optime confirmatur ex ipsa veteri Ecclesiae praxi, qua videtur data fuisse episcopo ordinanti haec facultas et libertas imponendi scilicet ordinatis ea quae viderit expedire. Inspiciatur rubrica, quae legitur in Pontificali edito Lugduni anno MDXI, et de qua paulo ante mentionem fecimus, §. 17. Ibi primo generice monetur episcopus, ut ordinatis injungat missas, et alia quae viderit expedire, ac deinde deducens veluti ad praxim, libertatem ei concessam immediate subjungit: *ad diaconatum et subdiaconatum Nocturnum talis* (charactere rubro) *diei*, talis, nempe, vel talis, prout ipsi libuerit.

§. 21. Jam vero colligendo in unum quae hucusque dicta sunt, haec consequuntur:

1. Per nocturnum sic simpliciter enunciatum intelligi non posse neque plures nocturnos (§§. 6, 7), neque nocturnum Officiorum B. M. V. vel sanctorum vel defunctorum (§. 10), neque integrum, seu tres nocturnos dominicae (§. 3); sed praecise vel hora nocturna feriae, vel prima vigilia nocturna seu primus nocturnus dominicae, prout extat in Psalterio, qui constat duodecim psalmis et sex antiphonis de tempore currente. Et hoc eo magis confirmatur, quia additur titulus diei (§. 13.)

2. Ex acceptione sic exposita illius vocis: *Nocturni:* patere etiam referri illum ad nocturnum quemlibet ferialis Officii ordinarie loquendo; atque ideo obiter notamus referri non posse ad aliquod particulare officium ex. gr. de sabbato sancto.

3. Cum hoc nocturno minime comprehendi debere Laudes, seu illas simul officii partes, quas hodie complectimur nomine Matutini cum Laudibus; quia juxta veterem Ecclesiae disciplinam Laudes constituebant horam matutinam ab horis nocturnis omnino diversam (§. 5.)

4. Per vocem illam *talis diei* non indicari praecise diem, quo habetur vel quo habebitur ordinatio (§. 15), sed habendum esse tamquam signum rubricae, quo monetur episcopus ordinans, ut assignet nocturnum illum *ex tali* vel *tali die*, prout ipsi libuerit (§§. 18, 19, 20) qui tamen, ut vidimus, sit vel nocturnus feriae ordinariae vel primus dominicae.

§. 22. Antequam tamen ad responsa veniamus, quae singulis dubii partibus convenire putamus, ne nimium hisce rationibus per nos adductis inhaerere videamur, nonnihil adjicimus quoad praxim, quae viget. Ex aliquot, quos sciscitati sumus episcopis virtute et scientia praeclarissimis novimus, alios imponere nocturnum feriae currentis diei, quo ordines conferuntur, alios pro lubitu designare diem, cujus dicendus nocturnus sit. Hinc turbanda non erit praxis locorum, et si episcopus eam diem vel aliam non assignet, sed simpliciter enunciet nocturnum talis diei prout in contextu pontificalis, tunc, ipsa ordinationis dies intelligenda erit et numquam designatio alterius diei ordinatorum voluntati et arbitrio relinquenda. Hoc enim in casu debet vox illa *talis* ita intelligi ac si dicat *hujus diei*, quemadmodum reapse reperitur expressum in editione, quam prae manibus habemus Romae edita — anno MDCCLII typis Generosi Salamoni, praesidum facultate et privilegio Sanctissimi — quae in additamento, ubi agit de confirmatione et ordinibus uni conferendis, explicite habet: *Dic nocturnum hujus diei.*

§. 23. Hinc, cum salva atque integra semper maneat dispositio Pontificalis de nocturno injungendo, quodcumque

tandem istius vel illius feriae sit officium, in ea nos sumus sententia, ut S. Congregatio nihil pro una aut altera methodo sequenda definiens respondeat, id *relinqui in facultate episcopi ordinantis, cui tamen liberum erit sequi locorum consuetudinem.*

Hinc singulis quaesitis respondendum putamus:

Ad 1. „Verba Pontificalis romani: *Nocturnum talis dici*, intelligi de unico nocturno feriali, vel de primo dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitro.

Ad 2. „Provisum in primo."

Ad 3. „Provisum in primo.

Ad 4. „In casu dicendum nocturnum ferialem ut supra, qui respondeat illi diei, quo facta est sacra ordinatio.

S. C. resp.: Ut *in Voto Magistri Caeremon.* Die 11. Aug. 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 342 et 351.)

SUBDIACONUS.

1) In Absolut. cadaveris.

Vd.: *Absolut. Mort.* (crux.)

2) Canonicus collegiatae.

Ad relationem, Canonicum Subdiaconum Collegiatae Patavinae Dioec. inter missarum solemnia renuere librum sustinere ad praescriptum rubricarum, S. C. Episcopo scribi mandavit pro rubricarum observatione. n. 2195 die 20. Novembris 1662.

3) Crucifer.

Abusum deferendi crucem per Subdiaconum vel Diaconum non Canonicum ultimo loco ordinatum, in processione post benedictionem palmarum in Cathedrali Froiae contra Caerem introductum tollendum et in posterum servandum esse Caeremoniale. n. 3276 die 24. Maji 1664.

In Processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Fer. V. et VI. majoris Hebdomadae, Sabbati s., in Absolutionibus Defunctorum et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Eccles. Cath. processionaliter procedit a Sacrario . . . Subdiaconus, etiam Canonicus deferre debet crucem; *in aliis autem Processionibus, a supradictis aliis*, Cruciferarius consuetus ipsam deferet Superpelliceo vel Tunicella indutus, nullo autem modo Pluviali. n. 15 ad 18. die 16. Mart. 1591.

Vd.: *Cruciferarius.*

In Processione a sacello ad altare majus praecedit Thuriferarius, deinde ceroferarii cum candelis accensis medium habentes alterum (non missae) Subdiaconum paratum tunicella crucem deferentem.

Si fuerit Archiepiscopus aut eo major aut habens privil. crucis, crux defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine Crucifixi ad ipsum versa.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 2427. l. II c. XV. n. 8.

Si erit Archiepiscopus, praecedet capellanus (*in process. a sacello ad alt. maj. in Parasc.*) cum cruce velata et procedentibus clero ante crucem, et post eam Canonicis paratis. Si non erit Archiepiscopus, non portatur crux. *Ibid.* l. II. c. XXV. n. 8.

In Process. *Purificat B. M. V.* ante crucem praecedit thuriferarius, post eum duo Acolythi cum candelabris et cereis ardentibus medium habentes Subdiaconum paratum planeta plicata super albam sine manipulo portans crucem.

Quodsi erit Archiepiscopus, crux portabitur solummodo ante Canonicos tantum.

Ibid. l. II. c. XVI. n. 15. *Idem fit in process. Dom. Palm. Ibid.* c. XXI. n. 8. Dum Episcopus dicit. ult. Evang. *(Fer. V. in coena Dom.)* alter (non missae) Subdiaconus accipit crucem velatam velo violaceo. *Ibid.* l. II. c. XXIII. n. 10.

In *Process. Parasceve* ad accipiendum *SSmum* praecedet Subdiaconus paratus cum cruce denudata inter duos ceroferarios candelas accensas deferentes. *Ibid.* l. II. c. XXV. n. 30.

In Process. ad Absolutionem circa feretrum praecedunt duo Acolythi cum thuribulo et navicula et cum vase aquae bened. et aspersorio tum duo Acolythi candelas accensas deferentes medium habentes Subdiaconum, *qui cantavit epistolam,* paratum deferentem crucem, qui pergit ad pedes loci, nisi fiat absolutio praesente corpore, quo casu Subdiaconus collocabitur ad caput Defuncti, quicunque ille sit. *Ibid.* l. II. c. XI. n. 14, 15.

4) Dignit. et Canonicor.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Dignit.*

5) Episcopi in Missa.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Episcopi.*

De reverentia Subdiaconi ad impon. manipul. cf. *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3845.)

6) Non legit. Evangel. cum lectione in choro.

Vd. *Nativit. Dom.* (Off. cantor. decr. n. 1681.)

7) Genuflexio.

Ad dub.: An in missis sol., quae celebrantur in altari, quo publice venerationi SS. Sacramentum est expositum, Subdiaconus sustinens patenam debeat genuflectere, quando celebrans post offertorium genuflexus thurificat SSmum, sicut genufl. in actu consecrationis et elevationis? S. C. resp.: *Negative.* n. 4322 ad 1 die 11. Febr. 1764.

Vd. *Genuflexio Diaconi et Subd.; Subd.* (tenet Patenam.)

8) Incensat SSmum ad elevationem in missa de Req.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 23; *SS. Sacram.* (Thurif.)

Subdiaconus ad elevationem imposito per aliquem Acolythum thure in thuribulum SSmum thurificabit genuflexus in cornu Epistolae. *Caer. Ep.* l. II. c. XI. n. 8.

9) An Minorista loco Subdiaconi fungi potest?

Debeat aliquis constitutus in ordinibus minor. extra casum necessitatis epistolam cantare? Vd.: *Epistola* (a quo etc.) *Minorista.*

Ad dub.: An Canonici insignis Collegiatae Ecclesiae S. Nazzarii Mediolani in minoribus ordinibus constituti exercere valeant officium Subdiaconi, ministrando solemniter celebranti induti Dalmatica, aliisque sacris vestibus, sed absque manipulo? Et quatenus negative.

Et S. eadem R. C., partibus informantibus auditis, ad relationem Emmi, et Rmi Dom. Card. Corradini, respondendum censuit.

„Negative."

Et ita declaravit, ac servari mandavit. N. 3860 ad 1. Die 23. Septembris 1713.

Ad dub.: An pariter permitti possit ut Clericus Regularis interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemni; dum alter vel Sacerdos, vel in majoribus constitutus Ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni? S. eadem C. . . . respondendum censuit.

„In casu necessitatis, dummodo non sit alter; sed debere esse Clericum."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5126 ad 5 die 22. Julii 1848.

(Et Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 41.)

10) Quis est, si Presbyter et Diaconus Celebranti ministrant?

Quum in Missa solemni Officia Diaconi et Subdiaconi adimpleri debent a duobus, quorum alter est Ordinis presbyteralis, alter Ordinis diaconalis, a quo ex his duobus conveniens est ut Subdiaconi munus expleatur?

S. C. resp.: Esse indifferens.

Die 7. Septembris 1850.

(*Corresp. de Rome* die 24. Augusti 1851 p. 343.)

11) In Sabbato s.

Post cantatam Epistolam et osculationem manus Episcopi Subdiaconus dicat verba: *Annuntio etc.* Absente vero Episcopo non fiat annunciatio (attamen assistente Episcopo fiat).

N. 3006 ad 1 et 2 die 28. Novembris 1682.

12) Ad Sanctus.

Ad dub.: Rubrica missalis titulo 8 postquam n. 9 dixit, quod Subdiaconus ante medium altaris sustinere debeat Patenam, n. 11 praescribit, ut ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad altare ad dicendum *Sanctus* etc. An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Diaconus non accedit? S. C. resp.:

Servetur cujuscumque loci consuetudo. N. 4669 ad 32 die 12. Novembris 1831.

13) Tenet librum.

Ad dub.: An Diacono Evangelium cantante, Subd. teneatur sustinere librum sive ante pectus sive in legili existentem seu potius servanda sit consuetudo vigens in Ecclesia Casalen.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 4235 ad 3 die 15. Septembris 1753.

Vd.: *Subdiacon. Canon. Colleg.*

14) Tenet Patenam.

Post oblationem hostiae et vini factam accipit Subd. de manu Diaconi patenam, quam veli extremitate adjuvante caeremoniario contegit eamque elevatam sustinet usque ad *Pat. nost.* stans retro in loco consueto et conveniente; *nec movet se nisi cum ad elevationem SSmi genuflectit;* quo elevato statim surgit; et cum Celebrans dicit: *Et dimitte nobis etc.* facta genuflexione accedit ad altare in cornu Epistolae et patenam Diacono offert.

Caer. Ep. l. I. c. X. n. 6., l. II. c. VIII. n. 6373 cf. *Patena.*

Subdiaconus non sustinebit patenam in *missa Def. Ibid.* l. II. c. XI. n. 6.

SUBDITUS.

1) Ratione originis.

In Constitutione Innocentii XII. lata die 4. Novembris 1694 cujus initium: *Speculatores* expresse cavetur: Subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti.

(Ex resol. diei 20. Augusti 1803. *Auximana.*)

Cum alias quaesitum fuit generice, an et cui ordinario subesset presbyter Carolus, G. Cene, e cujus dioecesi erat oriundus; an H. in cujus dioecesi per plures annos commoratus fuerat ac bona acquisiverat, S. Cong. sub die 17. Decembris anni proxime praeteriti respondit subjacere utrique. Quia tamen descendendo ad particulares ef-

fectus subjectionis, videtur durum oratori hoc duplex jugum, citato agente Episcopo C. supplicat pro responsione ad infrascripta.

1. An possit cogi ab Episcopo ad praestandam ei obedientiam consuetam in Dominica in Albis cum sub eadem die vocetur ad obedientiam ab Archiepiscopo. Et quid si vocetur sub alia die?

2. An cogi ad visitationem personalem quotannis, cum quotannis ab Archiepiscopo etiam visitetur?

3. An si, quando orator moratur per aliquot dies in dioecesi ob sua negotia, possit ab Episcopo cogi ad functiones publicas vel privatas in illis diebus obtingentes, ad quas tenentur veri dioecesani.

4. An orator eveniente casu teneatur solvere subsidium charitativum utrique Episcopo.

5. An teneatur concurrere ad solutionem spolii cum clero utriusque dioecesis.

S. Congr. respondit ad primum: in illa dioecesi, in qua reperitur. Ad secundum ut ad proximum. Ad tertium: affirmative. Ad quartum: ubi possidet beneficium. Ad quintum ut ad proximum.

(Correspond. de Rome die 24. Julii 1851 p. 320.)

2) Regularis.

(Quis est?)

Ex facto constat, quod Aloysius Rouchi professionem emisit in Monasterio s. Mariae de Sagittacio. Ex professione religiosa oritur subjectio. *Tamburin.* de Jur. Abbat. disput. I. quaest. 2. num. 2.

(Ex resol. diei 15. Maji 1802. *Anglanen.*)

SUBSTITUTUS.

1) Canonicorum in choro.

Vd.: *Coadjutor Canon.*

Spoletana.

Prior, Canonici et Beneficiati suburbanae Collegiatae s. Petri Civitatis Spoleti sese invicem ab immemorabili tempore in chorale servitium substituere solent, licet absint substituentes a Civitate et Dioecesi: dummodo tamen substituti vacent choro et praestita substituentes intra annum restituant servitia, exceptis diebus octo, quos condonari sinunt Constitutiones pro ea Ecclesia editae anno 1661 a clar. mem. Card. Facchinetti Episcopo tunc Spoletano. Hanc ipsam substituendi facultatem tribuit sibi Prioris Coadjutor: eaque insuper est inveterata consuetudo, ut proficiscentes extra Civitatem et Dioecesim permutent cum residentibus conciliares vacationes, quibus intra annum gaudent ex intervallo et interessentes choro divinum abjiciant Officium ad Missam celebrandam sive pro implendis legatorum oneribus sive in proprium commodum, quamvis nemo intersit celebrationi; vel ad excipiendas de licentia Ordinarii confessiones; quo munere inter Capitulares unus Prior, qui animarum curam exercet, ex officio fungitur.

Post hanc igitur diuturnam observantiam in dubium venit hujusmodi consuetudinis ac Vestrum idcirco oraculum postulavit super infrascriptis dubiis. Plura hinc Capitulares, per Spoletinum Episcopum auditi, in eorum resolutione capitulari deduxerunt, ut tolerabiles suaderent ipsorum consuetudines. Eis accesserunt Canonici alterius Collegiatae s. Gregorii ac de simili testati sunt eorum observantia quoad mutuam dumtaxat substitutionem in servitium chori et permutationem vacationum. Nunquam enim inter ip-

sos ob tenuitatem praebendarum admittuntur Coadjutores, qui eadem uti valeant facultate, nec aliter in eorundem Ecclesia permittitur egressus choro dum divina celebrantur Officia, quam de licentia Prioris aut Praefecti chori, ad faciendum Sacrum vel excipiendas confessiones in utilitatem confluentis populi. At de diversa sua consuetudine retulit Capitulum Cathedralis. Nunquam enim in eo permittitur absenti a Dioecesi substitutio residentis, nunquam vacationum permutatio, sed ei tantum, qui in Civitate vel suburbiis resideat; etiamsi sit Coadjutor. Omnibus vero interdictum est egredi choro tempore Officii divini ad celebrandam Missam (plures enim sunt, qui confessiones ex officio excipiunt, praeter dies festos, in quibus ea datur venia ad commoditatem populi.

Hisce autem de utraque Collegiata et Cathedrali expositis, haec observat Episcopus ad

I. dubium, quod quum a S. Concilio Tridentino cap. 12. sess. 24. vetitum non sit, quin Chorales invicem in servitio sese substituere possint, ubi viget consuetudo, videtur toleranda, sub his tamen praescriptis conditionibus, dummodo substituentes eidem servitio non sint adscripti. 2. Quod substituens restituat infra annum praestita servitia. 3. Ne hujusmodi substitutiones per eorum aliquem nimis sint frequentes, ut potius exonerari, quam levari censentur. 4. Substitutiones non permittantur illis, qui ultra civitatem, locum eorumque suburbia sunt absentes etc. Quia vero loca aliqua suburbia non habent, ut haec nostra civitas videtur indulgeri ac praefiniri posse absentiam hujusmodi ad Territorium, ut nonnullae Synodi dioecesanae stabilierunt.

Ad II. Quamvis Concilium Tridentinum vacationem choralibus concedat ad tres anni menses, non debent tamen ipsi, nec possunt ea uti continuata, sed interpolatis vicibus, ne chorus debito servitio fraudetur, Sancta Congregatio Concilii in Ideramnen. 1640; et praescribitur a singulis capitularibus Statutis, idcirco aboleri debet quaecumque consuetudo variandi invicem vacationes, ob periculum etiam non faciendi satis oneri residentiae, quia etsi praesens in loco, si choro non intersit, non residet, ut ss. Canones explicant et dum adcumulantur vacationes, ansa porrigitur, ut quis Capitularium saepe absit sive intra et extra Dioecesim cum Ordinarii licentia.

Ad III. Non est rationabilis consuetudo, ut Coadjutor possit servitio chori substituere alium Canonicum ex dictis in II. quaesito. Quum enim Coadjutor non sit vere Canonicus etc. nec valeat nisi coadjuvare Coadjutum, consequitur, quod nunquam praestitum servitium restituere potest; nam absente Coadjuto ipsi substituitur, Coadjuto praesente, Coadjutor locum non habet in choro: eoque magis, quod Coadjutor, de quo dubitatur, est Coadjutor Dignitatis, hoc est Prioris Collegiatae et ibi non viget consuetudo, Coadjutorem substituere posse.

Ad IV. Nulla dubitatio, quod tempore chori sive divinorum Officiorum Chorales haud possunt discedere a choro, causa Missam privatam celebrandi ad legatorum satisfactionem vel ad propriam commoditatem, nisi in casu necessitatis cum licentia Praefecti et servata antianitate atque pro his oneratur Praefecti conscientia, qui prae oculis habere debet Encyclicam Clementis XI. 26. Martii 1703 §. de Choro.

Ad V. et ultimum similiter Chorales abesse a choro nequeunt sub obtutu charitatis, administrandi nimirum Poenitentiae Sacramentum etc. et ratio convincit, quia justitia praeponde-

rat charitati, excepto Priore, qui curam adnexam habet, animarum et Capellane curato, nec non exceptis deputatis ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiae. Verum Collegiata Ecclesia D. Petri, quia extra Civitatis moenia constituta, parum frequentatur, praeter unam vel alteram infra annum festivitatem, quae ibi celebratur, et mensem Maji pro lucranda Indulgentia plenaria Defunctis applicanda qualibet die dicti mensis et tunc non desunt media providendi Ecclesiam de Missis et Confessariis ad populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio, ideoque consuetudo contraria, quippe irrationabilis, nil suffragatur, quin Chorales, si hac de causa a choro abfuerint, punctari debeant.

Quum decrevissent Tridentini Patres, in sess. 24. cap. 12. de reform., ut omnes Divina per se et non per substitutos compellantur obire Officia, hinc ea recepta olim fuit Canonistarum opinio, ne scilicet alterum in chorale servitium substituere liceret, peculiari non obstante statuto aut immemorabili etiam consuetudine, Vannespennius in dissert. de Canonicis par. 3. tit. 6. §. 5. et *Benedict. XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. §. 11.* Haec tamen disciplina severior videbatur, quam humanae fragilitatis ferret ratio proindeque Capitularibus ab hac Sacra Congregatione dari coepit venia sese invicem substituendi; his tamen praescriptis conditionibus. Primo, ne substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; secundo ne id frequenter contingat; tertio ut subrogentur Canonici solum vel Mansionarii praesentes in Civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur; ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii praesentes in Civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur; ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum Coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt, ut his verbis refert *Benedictus XIV. institut. eccles. 107. §. 3. sub num. 17.* Quoties ergo non subrogetur Coadjutor aut alter, qui eadem die chorali munere fungi debeat, absenti etiam a Civitate vel suburbiis permissa videri posset substitutio.

Ex censura vero ss. Canonum a percipiendis fructibus quotidianisque distributionibus arceantur ii, qui in suis Ecclesiis non resident et divinis Officiis non intersunt, *cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.*, ita ut ad lucrandos fructus et quotidianas distributiones nedum interessentia Divinis, sed etiam residentia in loco Beneficii requiratur. *Passerin.* in comment. ad cap. unic. de Cleric. non resident. in 6., *Schimier* Jurisprud. can. lib. 3. tract. 1. par. 2. cap. 3. num. 384. et Sacra Congregatio in Frisingen. Residentiae 3. Julii 1762 ad 1. dub. Praebendae enim reditus dantur in praemium residentiae, distributiones pro interessentia divinis Officiis, ut distinguit *Engel.* in jus can. lib. 3. tit. 4. num. 24. Neglecta autem esset canonica haec residentiae disciplina nec fructus, ipsius residentiae gratia percipiendos, suos tuta conscientia facerent Capitulares s. Petri, quoties a suburbiis Civitatis aut Dioecesi absentes in chorale servitium substituere velint. Reque vera Sacra haec Congregatio in Alatrina 24. Martii 1612 rescripsit: eos tantum, qui in Civitate, ubi est Cathedralis vel ejus suburbiis sunt praesentes, non autem alios posse substituere, ut in lib. 11. decret pag. 112. et in Fulginaten. 31. Maji 1711 ad dubium: An Canonici et Capitulares

Ecclesiae Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate ejusque suburbiis, possint sese invicem substituere in servitio chori? respondit: negative.

Has resolutiones quum non ignorent Oratores, declarandum simul rogant, ad quae loca pro effectu licitae substitutionis extendi possint suburbia. His enim caret Spoletina Civitas et vicissim ex consuetudine Cathedralis aliarumque Collegiatarum, suburbii nomine ad praemissum effectum totam Dioecesim comprehendi affirmant. Neque talis consuetudo a jure omnino aliena reputari posset; siquidem censetur locus Beneficii (ubi morari debet Beneficiatus) districtus ille, intra quem Beneficium est situm, puta Oppidum, Civitas, Dioecesis, ut his verbis explicat *Schimier* in Jurisprudent. *can. civil. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 329.* proindeque intra Dioecesim Spoletinam commorantes, licet a Civitate aut suburbiis absint, residere videntur. Verum Episcopus, synodalibus fretus Decretis, intra territorium Civitatis absentiae limites statuendos proponit; nam in Territorio degentes citius ad Ecclesiae servitium redire valent, quam qui per remota Dioecesis loca vagantur, nec videntur abesse, qui statim reversuri sunt, S. Concilium Tridentinum in sess. 23. cap. 1. de reformat., *Monet.* de distribut. part. 2. quaest. 6. num. 20., *Ceccoper.* lucubrat. can. lib. 2. tit. 11. num. 29. et *Schimier* loco citato num. 328.

Quaerendum praeterea, num licita sit permutatio vacationum in absentia nedum a Civitate et suburbiis, sed etiam a Dioecesi; atque hanc permutandi consuetudinem reprobasse non videtur Sacrum Concilium Tridentinum. Quum enim in sess. 24. cap. 12. de reformat., tres concedat vacationum menses in iis Ecclesiis, in quibus longius servitii tempus ex peculiari constitutione non requiritur, hinc tenent passim Doctores, quod dies illi possunt esse vel continui vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiae non superent trimestre. Ita *Reiffenstuel* iu lib. 3. decret. tit. 4. num. 114. et ante ipsum *Garzia* de Beneficiis part. 3. cap. 2. num. 306., *Barbosa* de Offic. et potest Episc. part. 3. alleg. 53. n. 120. et *Fagnan.* in cap. licet. n. 54. et 55. de praebend. Quae regula has tantum patitur limitationes, ut scilicet non omnes Capitulares eodem tempore abesse possint, ne ecclesia debito careat servitio; *Reiffenstuel* loco citato; nec variationes incidant in tempora Adventus, Quadragesimae, Nativitatis Domini aliasque solemniores anni festivitates, *Benedict. XIV. Inst. Can. 107. §. 6. num. 34.* et Sacra Congregatio in Ferrarien. et Setina 23. Novembris 1771 et in Pientina Vacationis choralis 30. Augusti 1777. Si ergo permutatio nec diuturnior sit tribus mensibus, nec impediat, quominus excipiantur solemniores festivitates, toleranda potius, quam prohibenda videtur; quamvis eo permutantes respiciant, ut nempe interpolatas vacationes quindecim dierum conjungant. Hanc enim continuam vacationem non prohibet s. Synodus, nec vicissim ullum Ecclesiae servitio infertur damnum, cum in locum absentis choro intersit, qui alias vacatione gauderet, quique ab ipso absente de praestito redintegraretur servitio in aliis suae vacationis diebus, ut in capitulari resolutione notarunt Canonici.

At aliter opinatur Episcopus ex capitularibus statutis, quae conciliares vacationes concedunt interpolatis vicibus, ne Clerus debito servitio fraudetur, tum etiam ne Capitulares permutationis abutentes commodo, facilius residentiam derelinquant. Num autem posita facultate permutandi vacationes, chori

servitio detrimentum inferri possit, Emmi Patres ex superius notatis decernent; nam ad residentiam quod pertinet, magis communiter receptum est, quod vacationis trimestre concessum sit Canonicis quasi pro aliqua animi relaxatione, et ne residentia semper in uno eodemque loco nimis gravis fiat, ideoque ad hanc absentiam neque justam causam, neque licentiam Episcopi desiderari, ut docet *Engel.* in jus canon. lib. 3. tit. 4. num. 20., dummodo tamen a Dioecesi non discedant. Hoc namque in casu praemissam regulam Sacra haec Congregatio limitavit in his terminis, Sacra etc. tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt, extra Dioecesim ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Caeterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare. Ita in *Ludren.* 9. Maji 1626 lib. 12. decret. pag. 233., quae resolutio confirmata fuit in Castri Maris 4. Maji 1737. Num Coadjutori alterum substituere liceat in chorale servitium, secundum agit dubium. Omnibus ille gaudet praerogativis, praeeminentiis, honoribus et privilegiis Coadjuti, juxta *Gonzalez.* ad regul. Cancellar. 8 gloss. 5. §. 9. num. 99.; atque inservit Ecclesiae absque praebenda: aequum propterea videtur, ut hoc substituendi commodo fruatur, *Ursaya* in discept. eccles. 17. num. 3. tom. 6. part. 2. Per hanc enim substitutionem nil decrescit divino cultui, sed potius augetur. *Ursaya* loco citat. num. 8. et *Pignatell.* consult. 130. num. 21. et sequ. num. 1. Qua de re contraria non obstante S. hujus Congregationis sententia, de qua sub primo dubio actum, ex gratia quandoque Coadjutori data est venia substituendi, ut in Urbinaten. Servitii chori 12. Jul. elapsi anni. Vicissim cum Coadjutores non sint veri Canonici, ut notat *Benedictus XIV. Instit. 107.* §. *3.*, hinc S. Congregatio decrevit in *Casertana* 26. Februarii 1650 lib. 19. decrei. fol. 28., Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi. Et in cit. Urbinaten. concessit ex gratia attentis peculiaribus circumstantiis, quae si in nostro concurrant casu, EE. VV. decernant.

Pertinet tertium ad celebrantes Missarum tempore divini Officii, de qua consuetudine in utramque partem disputant Doctores. Nonnulli siquidem illius horae distributiones adimendas firmant, licet quis eorum celebret ex obligatione alicujus simplicis capellaniae, quam possidet una cum canonicatu etc. quia hujusmodi Missam planam celebret, non ut Canonicus, sed ut Capellanus, ut in haec verba disserit *Ceccoper.* lucubrat. canon. lib. 3. tit. 9. num. 10. atque adhaerent *Zypaeus* lib. 3. tit. de Cleric. non resid. num. 31., *Covaruvias* var. resolut. lib. 3. cap. 3. num. 5. et *Gonzalez.* in lib. 3. decretal. §. 3. num. 18. Opinantur alii, consuetudinem lucrandi distributiones in ea absentia non esse reprobandam, ex quo Canonici absentes, ut faciant Sacrum, aeque actum exercent divini cultus, ita *Garzias* de Benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. n. 441., *Antonell.* de Cleric. non resident. lib. 3. cap. 16. num. 25., *Monet.* de distribut. part. 1. quaest. 11. num. 52., praesertim si celebrent pro oneribus adnexis canonicali praebendae, quo in casu exequuntur munus suum, quod nemini debet esse damnosum, juxta cap. pervenit de fidejussor. et *Engel* in jus can. lib. 3. tit. 4. n. 33. et *Ceccoper.* lucubr. can. lib. 3. tit. 11. n. 20.

Tertia denique sententia eorum est, qui cum consuetudine Ecclesiae quoque utilitatem conjunctam esse volue-

runt, ita ut nisi de legitimi Superioris licentia, quis abfuerit ad Missam celebrandam in populi commodum, distributiones lucrari nequeat, qualibet non obstante consuetudine, ut decrevit s. Carolus Boromaeus in Concil. IV. Mediolanensi part. 2. cap. 13. et firmant *Vannespennius* in jus eccles. univers. part. 1. tit. 7. cap. 11. sub 3., 4., *Braschi* Promptuar. Synodal. cap. 81. num. 26., et *Benedictus XIV.* institut. eccles. 107. num. 74. et seq. Haec autem opinio jamdiu Sacrae hujus Congregationis auctoritate invaluerat. Cum enim anno 1573 propositum fuisset dubium in his terminis: Quia quandoque in Cathedralibus et Collegiatis sunt aliqui Canonici vel alii Officiales, qui in eisdem habent capellanias vel in titulum vel in tanquam mercenarii, quaeritur an eo tempore, quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro et quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem Ecclesia suae devotionis gratia, an quando hac de causa a choro absint, distributiones recipere possint et dato quod non, quid si a Superiore Ecclesiae injungatur, ut eo tempore celebrent; re ad SSmum relata Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii declaravit, non posse, nisi quando sic jussissent Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi abstineant, ut legitur in lib. 13. decret. pag. 51. cui resolutioni recentiora accesserunt decreta et praesertim in Comen. Celebrationis Missarum, in qua cum secundo loco quaesitum fuisset, an sustineatur consuetudo celebrandi Missas a Canonicis tempore horarum canonicalium sub die 23. Novembris 1771. Sacra haec Congregatio rescripsit, Negative, nisi de legitimi Superioris licentia.

Consonant cum his Constitutiones Episcopi Facchinetti, quibus cautum: Che nissuno obligato al coro possa partirsi dal coro mentre si recita il divino Officio, e si canta la Messa conventuale, con occasione di audare a celebrare Messa tanta per obligo, quanto per sua devozione, se ciò non gli venga permessio dal Signor prefetto per bisogno della Chiesa, sotto pena della puntatura di quel servizio. Contrariam nihilominus consuetudinem ab immemorabili inductam rationabilem defendunt Capitulares s. Petri, cum alias non omnes celebrare possent vel ante vel post Officiaturam ob deficientiam congrui temporis et inservientium. In eorum quippe Ecclesia horae canonicae recitari solent indesinenter a matutino usque ad vesperas; plures quandoque Conventuales celebrantur Missae; ac duo tantum sunt Clerici Ecclesiae servitio addicti. Rationes hujusmodi num consuetudinem retinendam suadeant repugnantem cum regulis Sacrae hujus Congregationis et Ecclesiae Constitutionibus, a Vestro pendet judicio.

Quartum denique succedit de administrantibus Poenitentiae Sacramentum tempore choralis Officiaturae, quibus in hac absentia similis consuetudo distributiones concedit. Nil quidem hac de re Constitutiones Ecclesiae disposuerunt, verum sancitum est per Tridentinos Patres in sess. 24. cap. 8. de reformat., ut Poenitentiarius etc. dum confessiones in Ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur, quae dispositio quum ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate confessiones excipere teneantur, *Fagnan.* in cap. licet. de praebend. num. 118., ideo nisi quis ex lege fundationis aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum, distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit, Sacra haec Congre-

gatio in Maceraten. 23. Aprilis 1768. Si autem in Collegiata divi Petri unus Prior, qui animarum curam exercet eo munere fungi debet, merito dubitari posset, num caeteri Capitulares, quo tempore confessiones audiunt proprio motu, et non mandato Episcopi, pro praesentibus haberi debeant.

Ab ipsa tamen unius Parochi obligatione administrandi Sacramentum illud, rationabilem Canonici eorum consuetudinem ostendere conantur, cum frequentis populi pietati solemnioribus praesertim festis unus Confessarius satisfacere non possit. Reque vera in populi commodum similis permissa est absentia sive in Cathedrali sive in Collegiata s. Gregorii eamque licitam defendit *Vannespenius* in jus. eccles. part. tit. 7. cap. 11. sub. §. 4. Sed quamquam haec ita sint, punctandos tamen censet Episcopus hac de causa absentes excepto Priore, qui curam adnexam habet animarum et Capellano curato; nec non exceptis deputatis ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiae illudque notat, quod Collegiata Ecclesia divi Petri quia extra Civitatis moenia constituta, parum frequentatur, praeter unam vel alteram infra annum festivitatem, quae ibi celebratur et mensem Maji pro lucranda Indulgentia plenaria defunctis applicanda et tunc non desunt media providendi Ecclesiam de missis et Confessariis ad populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio. Quibus positis dijudicent Emmae VV. num omnibus in genere Capitularibus permittenda sit absentia tempore choralis Officiaturae ad excipiendas confessiones, quoties non unus Prior, sed Capellanus etiam curatus dietim ex officio munus illud exercent aliique ab Ordinario deputari possunt solemnioribus festis.

Dubia sunt:

I. An et quomodo Capitulares Collegiatae Ecclesiae divi Petri absentes substituere possint in chorale servitium et sibi invicem permutare conciliares vacationes et ad quae loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia Civitatis in casu?

II. An et quomodo Canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium in casu?

III. An et quomodo Capitulares absentes ad Missam in eadem Ecclesia divi Petri celebrandam tempore choralis Officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu?

IV. An et quomodo Capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia divi Petri, quo tempore confessiones audiunt, pro praesentibus haberi debeant in casu?

S. C. resp.:

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi et ad formam Jadren. anni 1626.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative juxta votum Episcopi et Constitutiones Episcopi Facchinetti.

Ad IV. Negative juxta votum Episcopi.

Die 28. Februarii 1795.

Ad dub.: An Canonici et Capitulares Cath. Fulginaten. absentes a civitate et suburbiis possint sese invicem substituere in servitio chori?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 31. Maji 1721.

Casertana.

Exemplo caeterorum Canonicorum Cathedralis Casertanae, qui facultate se invicem substituendi in chori servitio potiuntur, Canonici Coadjutores, quibus dicta facultas controvertitur, preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt pro ea reportanda, super quibus Episcopus de more auditus censet, quod cum ex causa intemperiei aeris Canonici, ut plurimum in

villis inhabitare soleant, utique permitti potest Coadjutoribus, ut ipsi quoque impediti alios Canonicos substituere queant diebus, quibus substituti non sunt servitio Ecclesiae adstricti et econtra, ex quo divini cultus augmentum potius quam detrimentum resultare testatur, asserens alterius ab ipso in constitutionibus synodalibus satis consultum remansisse, ne Canonici saepe saepius praedicta facultate abutantur, ejusdem usu restringendo ad duos dumtaxat dies per hebdomadas, dummodo tamen non obstet decretum ab hac Sacra Congregatione editum circa Coadjutorem Archidiaconi hujusmet Cathedralis sub die 26. Febr. 1650, prout sequitur videlicet: „Capitulum Cathedralis Casertanae exponens in dicta Ecclesia extare 18 Canonicos, qui legitime impediti de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio adstricti; cumque Archidiaconus ejusdem obtinuerit a s. Sede Coadjutorem, qui praetendit posse uti eodem privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; sacra etc. respondit: dictum Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi" lib. 19. decr. fol. 28. terg. His itaque attentis, procuratore dd. Coadjutorum dumtaxat informante, EE. VV. respondere non dedignabuntur.

An oratorum instantiae sit annuendum in casu?

Sacra Congregatio die 27. Junii 1704 respondit: „Negative et amplius", ut in lib. 54. decr. pag. 265. terg.

Montis alti.

In Oppido Castineanni extat Collegiata, in qua ex veteri instituto ter in hebdomada servitium Chori praestabatur. Sed anno 1772, aucto Capitularium numero introductum fuit servitium quotidianum cum alternativa ex novis constitutionibus, quas defunctus Episcopus Marcucci scripsit, et Capitulum acceptas tulit. Ante latas novas constitutiones inoleverat consuetudo, ut Capitulares possent sibi invicem substituere in servitio chori obeundo. Ubi Praesul Marcuccius novas proposuit constitutiones, eas quidem Canonici acceptarunt simulque se subjecerunt gravioris chori servitio reservato sibi: la facolta di constituire an altro de gremio Capituli nelle mancanze: Quaestio nunc oritur inter Capitulares, num haec consuetudo, indiscriminatim servanda sit seu potius certi excipiendi sint casus inferius recensendi. Datae hinc preces fuere a Capitulo huic Sacrae Congregationi, ut dignaretur hanc controversiam dirimere. Episcopus in sua informatione exposita confirmans refert, quod: consuetudo hujusmodi et ante et post reformatas constitutiones suo semper pleno robore stetit absque temporis aut loci aut circumstantiarum discrimine. Hinc major Capituli pars exoptat istam substituendi consuetudinem servari. Existimat enim nihil excipi, ubi nihil in statutis distinguitur et consuetudinem optimam legis interpretem. Et hanc rationi esse consentaneam, cum quotidiano servitio chori sponte se subjecerint Canonici absque lucri augmento sed ut morem gererent consilio Episcopi. Bini autem Capitulares cupiunt moderari ac restringi; ajunt enim aliquos irrepsisse abusus. Cupiunt primum declarari eos substituendos esse, qui eadem die chorali servitio addicti sunt. Secundo eos substituere non posse, qui a terra ubi est collegiata vel ab ejus suburbiis absunt. Tertio hujusmodi substitutiones non debere esse nimium frequentes. Quarto Coadjutores sive Canonici sint, sive Mansionarii privilegio alium substituendi uti non posse; Tridentinum sane in sess. 24. cap. 22. de Reform. prae-

scribit, ut omnes divina per se et non per substitutum compellantur obire officia. Hinc nonnulli putant non licere alium in choro substituere; nihilominus quod hanc substitutionem vel constitutiones Ecclesiae permittant vel consuetudo ferat. *Vannespen.* in dissert de canon. part. 5. tit. 6. §. 5. Verum cum haec sententia nimiam redoleat severitatem, benignior opinio excepta est, ut possent Capitulares se invicem substituere, ut tradit *Benedictus XIV.* Instit. 107. num. 17. Et Sacra Congregatio probavit quidem constitutiones et consuetudines, quae hanc substitutionem permittunt certis tantummodo casibus exceptis juxta resolutiones, quae EE. PP. subjicio.

In Eugubina 15. Decembris 1605 Sacra Congregatio declaravit: non esse sublatam Capitularibus facultatem sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio addicti non sint; lib. 10. decr. pag. 142. In Fulginaten. 31. Maji 1711 disputato dubio: an Canonici et Capitulares Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate ejusque suburbiis possint se invicem substituere in servitio Chori?

Responsum fuit: Negative.

In Spoletana 28. Februarii 1795 cum quaesitum esset in II. dubio: an et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium? respondit: Negative.

In Alatrina 24. Martii 1612 monuit, ne substitutiones hujusmodi sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio. lib. 11. decret. pag. 112.

Ex quibus videtur, quod merito nonnulli Capitulares has restrictiones postulent. Nam ex rigore juris haec substituendi facultas non esset admittenda adeoque si ex quadam aequitate eam indulsit Sacra Congregatio, profecto concedi deberet cum adductis restrictionibus. Verum tamen major Capituli pars has restrictiones recusat, tum quia ex consuetudine usi sunt libera facultate, tum quia ipsi sponte se subjecerint quotidiano servitio chori, quod olim ter in hebdomada praestabant. Hinc gravius servitium nullo addito emolumento praestandum compensari oportere contendunt ex libera sese invicem substituendi facultate, quam sibi in novis acceptis constitutionibus expresse reservarunt: colla facolta di restituire un altro de gremio nelle mancanze.

Dubium hinc emergit:

An et quomodo Capitulares Collegiatae s. Mariae Lauretanae in Oppiso Castineani se invicem substituere possint in chori servitio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative exclusis Coadjutoribus, dummodo Substitutus non sit eodem die servitio chori addictus, et substituens non absit a Dioecesi et substitutiones non sint nimium frequentes.

Die 21. Maji et 25. Junii 1803.

Aquilana.

Ad dub. I.: An liceat Gregorio Antonelli Capellano s. Mariae Lauretanae erectae in Collegiata Ecclesia ss. Quintini et Petri de Saxa Civitatis Aquilae choro deservire per Substitutum. Et quatenus negative.

II.: An stante morbo, quo laborat, si eidem indulgenda facultas abessendi a choro horis matutinis, durante infirmitate?

S. C. resp.: Negative ad utrumque et ad D. Secretarium juxta mentem et moneatur Procurator.

Die 20. Martii 1756.

2) Num Canon. praebendati Canonicos honorarios substituere possint?

Montis Politiani.

Ab immemorabili tempore extant in Cathedrali *Montis Politiani* praeter

Canonicos Praebendatos etiam Canonici Honorarii, de quorum origine et fundatione non satis constat. Nam incenso tabulario Ecclesiae plurima vetusta documenta interierunt. Fertur tamen hujusmodi Canonicos *honorarios* institutos fuisse ad augendum servitium chori, cum praebendatorum Canonicorum exiguus esset numerus. Suspensi tamen fuere Honorarii ab ultimo Episcopo, sed instante Capitulo ab hodierno reintegrati ad augendum SS. functionum decorem, hac tamen lege, quam a vobis confirmatam cupit, ut in Sacris constituti esse debeant. Canonici honorarii habent Stallum in choro et iisdem utuntur vestibus ac caeteri Praebendati. Carent tamen Canonicali praebenda et quotidianis distributionibus et voce in Capitulo; choro intersunt diebus festivis et in funeribus cerae distributione participant. Controversia orta est in Capitulo, num Canonici Praebendati possint sibi substituere in servitio chori Canonicos honorarios sive in Sacris constitutos sive simplices tonsuratos. Quam controversiam huic Sacrae Congregationi dirimendam detulit ejusdem Capituli Canonicus Thomas Pieri, cujus preces Episcopo remissae fuerunt, qui Sententiam suam dicit: *Quanto all' implorata decisione se li Canonici Onorarii possano sostituirsi nel servizio chorale per li Canonici Praebendati, restando cosi questi liberi dalle puntature trovò esser stato diversa la condotta dei miei Antecessori Monsignor Antonio Cervini fino dalli 24. Maggio 1699 approvò una tale sostitutione, e fù approvata anche in seguito, ma da Monsignor Frantesi mio immediato Antecessore fù proibita per l'abuso, che ne derivava. Come diversa è stata la condotta dèi miei Antecessori in questo proposito, cosi diversa é l'opinione de presenti Canonici, ma la diversita dell' opinione non produce scissura. Io crederei che exclusi li giorni festivi si potesse permettere la sostituzione, ma non mai per lungo tratto di tempo, e sempre colla licenza del Vescovo.*

Quamquam Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de Reform.* jubeat, ut Canonicos *omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia:* attamen ex aequitate introductum est, ut qui sunt de Capitulo possint se ad invicem substituere, ut declaravit Sacra Congregatio *in Eugubina 15. Decembris 1605 lib. 10. decr. pag. 142.* Quare eo redire videtur quaestio, num Canonici honorarii sint proprie de Capitulo ita ut ab aliis praebendatis substitui possint. *Si: non potest esse Canonicus sine praebenda*: secundum *Doctrinam Fagnani in cap.: Cum Ferrariensi num. 17. de Constit.* videtur, quod proprie non sint Canonici et habeant nomen re vacuum, ut tradit *Abb. in cap. 1. de Praeben. Ceccoper. Lucubrat. Canon. lib. 1. tit. 14. num. 7.*

Ponderandum tamen est, quod ex consuetudine licebat in Cathedrali Montis Politiani Canonicos honorarios substituere. Id quod vetitum fuit ad praecidendos abusus. Videant EE. PP. num servanda sit haec consuetudo, cui plurimum est deferendum in hac materia *Monet. de distribut. quotidian. part. 2. quaest. 1. num. 10. Formosin. ad cap. 9. de Constit. quaest. 1. n. 40.* Abusus vero tolli possunt eo *modo*, quem proponit Episcopus, ne scilicet haec substitutio fiat ad longum tempus et sine licentia Episcopi.

Dubium est.

An et quomodo Canonici honorarii in Cathedrali Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 24. Februaris 1804.

Montis Politiani.

Dissentientibus inter se Canonicis Montis Politiani, num in servitio chori obeundo substituere possent Canonicos honorarios, delata est haec controversia ad S. hanc Congregat. instante Canonico Thoma Pieri et *die 4. Febr. 1804* disputatum fuit dubium: *An et quomodo Canonici honorarii Montis Politiani substitui possint in servitio chori ab aliis Canonicis praebendatis;* rescriptumque prodiit: *Negative.*

Nunc Canonici ipsi Cathedralis supplices adsunt, ut, quoniam tum ex capitularibus et synodalibus Constitutionibus sibi licet servitium per substitutos praestare quoniamque huic substitutioni obstent resolutiones alias editae ab hac Sacra Congregatione; haec facultas substituendi probetur. Rogatus Episcopus de sua sententia respondit: *Eorum chorale servitium est alternatim per hebdomadas, omnes tamen omnibus diebus festivis et per quadragesimam choro tenentur. Ita statuerunt citatae in precibus Constitutiones, quarum haec est ad propositum particula. Ordinamus, ut per unam hebdomadam serviant in divinis Officiis Praepositus cum media parte Canonicorum et Capellanorum et liceat unicuique servire per substitutum ejusdem ordinis. Substituunt etiam Canonicos honorarios quando adsunt. Diebus vero festivis et per quadragesimam non substituunt. Hac facultate vero non abutuntur nec nimis frequenter substituendo nec substituendo eum, qui eadem die choro sit addictus. Sed utuntur, cum substituentes absunt ab Urbe et Suburbiis et hoc ex immemorabili consuetudine, nec reprobata ab ultima Synodo Vantini, cujus de hac re nullum est speciale decretum, sed tantum generalis Constitutionum approbatio. Nec inde praejudicium, sed potius oritur commodum divino servitio. Vi enim hujus substitutionis etiam in casu absentiae ab Urbe et a Suburbiis semper potest remanere in choro idem psallentium numerus, qui diebus ferialibus non excedit septem ex Canonicis et qui alioquin ablata eo modo substituendi facultate certe deficeret, cum tanta sit tenuitas punctaturarum, ut nequeat earum emissio vel avarissimum a discessu retinere. Quapropter et etiam attenta laudabili diligentia, qua nunc omnes hujus Cathedralis choro addicti muneri suo satisfaciunt, nihil in in hac re mihi innovandum esse videtur, immo humiliter et enixe precor, ut praefata immemorabilis consuetudo suffragio EE. VV. confirmetur.*

Tridentinum Sess. 24. cap. 12 de reform. praescribit, ut Canonici *omnes divina per se et non per Substitutos compellantur obire officia.* Nihilominus ex hoc decreto sublatam non fuisse facultatem substituendi alium in servitio chori declaravit S. Congregatio *in Eugubina 15. Decembris 1605 lib. 10. decret. pag. 142.* Haec tamen facultas certis fuit circumscripta legibus. Scilicet dummodo Canonici ea facultate non abutantur in *Aquilana 12. Decembris 1643 et 2. Decembris 1644 lib. 14. decr. pap. 265 et pag. 390* dummodo non absint ab Urbe et a Suburbiis *in Alatrina 24. Martii 1612 lib. 11. decret pap. 11* et tandem dummodo Canonici honorarii non substituantur in servitio a Canonicis titularibus in *Montis Politiani servitii chori 4. Februarii 1804.*

Canonici quidem Montis Politiani habent ex Constitutionibus synodalibus facultatem substituendi, sed data intelligitur secundum juris dispositionem. Duo tamen sunt, in quibus peccant Canonici, dum hac utuntur facultate. Primum cum substituant Canonicos honorarios. Deinde cum substituant

et absint de Urbe et Suburbiis. Nam substitui non posse Canonicos honorarios declaratum fuit in terminis ipsius Capituli Montis Politiani in allegata *Montis Politiani servitii chori 4. Febr. 1804.* Quod vero absint ab Urbe vel Suburbiis, cum in choro alium substituunt, aperte repugnat citatis S. Congregationis resolutionibus. Nihilominus Episcopus eosdem excusat ex eo, quod eis favet immemorabilis consuetudo, quae potius tendit in augmentum servitii chori. Nam cum tenues sint distributiones, nemo ex Canonicis, si abesse vult, deterretur ab amissione earumdem distributionum et chori servitium destitutum esse poterit. Ubi vero servetur consuetudo substituendi Canonicos honorarios vel etiam cum Canonici absunt ab Urbe et Suburbiis, numquam servitium chori deficiet.

Observandum tamen propono, quod ipse Episcopus, dum actum fuit, num Canonici honorarii substitui possent, haec habuit in Informatione: *Quanto all' implorata decisione, se li Canonici onorarii possano sostituirsi nel servizio chorale per li Canonici prebendati, restando cosi questi liberi dalle puntature trovò esser stata diversa la condotta dei miei Antecessori Monsig. Antonio Cervini fin dai 24. Maggio 1699 approvò una tale sostituzione, e fù approvata anche in seguito, ma da Monsig. Frantesi mio immediato Antecessore fù proibita per l'abuso, che ne derivava;* quin immo ab eodem Episcopo Frantesi suspensi fuere Canonici Honorarii, qui ab hodierno, instante Capitulo, reintegrati sunt ad augendum ss. functionum decorem. Ex his igitur patet, quod non bene constat de consuetudine saltem quoad facultatem substituendi Canonicos honorarios. Videant rursus EE. PP. num haec consuetudo cui expresse adversatur S. Congregationis resolutio die 4. Februarii 1804 sit in casu toleranda arb. Episcopi, ita ut abusus arceantur et aliquando suppleri queat defectus Canonicorum Titularium ex legitima causa absentium.

Dubium proponitur:

An et quomodo Canonici Cathedralis Montis Politiani alios substituere possint in servitio chori in casu?

S. C. resp.: Affirmative dummodo non abutantur, dummodo substituentes non absint ab Urbe et Suburbiis et dummodo non substituant honorarios.

Die 19. Julii 1806.

3) Quando servire debet?

Vd.: *Canonici* (per se ipsos etc.).

Sacra Congregatio in terminis Canonici habentis Indultum abessendi ex causa defensionis jurium sui Beneficii *deberi Massam totam, emolumenta quarumcunque Missarum et quascunque oblationes, dummodo omnia onera per Substitutum adimpleta fuerint;* respondit *in Pampilonen. Distributionum 11. Septembris 1728 lib. 17 decr. pag. 453.*

(Ex resol. diei 11. Jan. 1777. *Novarien.*)

4) Coadjutoris Canonici.

Urbinaten.

Coriolanus Staccoli, Canonicus Coadjutor Metropolitanae Ecclesiae Urbini, EE. Vestris supplicat pro facultate substituendi aliquo absentiae die alterum Canonicum in chorali servitio; et Urbinatensis Archiepiscopus refert, quod hujusmodi facultas nullis omnino capitularibus Constitutionibus interdicitur, neque hac in re consuetudo ulla adversatur. Affert immo exempla Cathedralium Civitatis Castelli et Fabriani, in quibus similis viget facultas. De consensu testatur Urbina-

tensium Capitularium et qualitate servitii, in quo vult Orator substituere; quod consistat nempe in chorali psalmodia et divinorum Officiorum celebratione, cui Canonici bifariam divisi alternis hebdomadis interesse tenentur, exceptis Adventus et Quadragesimae temporibus, quibus singuli quotidianum pensum canonicarum horarum persolvere obstringuntur. Atque aequissimam sibi videri ait gratiam, si concedatur juxta modum, in haec ab ipso propositum verba: Quod si EE. Vestrae Coadjutorem, de quo in precibus, veris Canonicis exaequare quo ad facultatem substituendi voluerint, prout vota Canonicorum et summae observantiae meae studium efflagitant, per quindecim saltem dies continuos, duabus ex intervallo quotannis vicibus uti posse concedant; quemadmodum ab ipso Vestro supremo concessu Philippo Belenzoni ejusdem Ecclesiae Canonico Theologo adhuc Coadjutore exstitisse concessum recenti exemplo probatur. Agitur de re, quae non tantum Coadjutores, quam Canonicos interest; nam si omnes essent Coadjutores, actum de substitutione. Hoc in Canonicorum Collegio plures extant aetate longaevi, alii jubilationis vel absentiae indulto muniti, reliqui Coadjutoribus donati, pauci fiunt, qui substitutionis beneficium impendere vel reddere valeant, Coadjutoribus sublatis.

Competunt sane Coadjutori praerogativae, praeeminentiae, honores et privilegia Coadjuti, secundum *Gonzal.* ad regul. Cancell. 8. gloss. 5. §. 9. num. 99., *Mallect.* de Hierarch. ecclesiast. lib. 3. part. 1. post. tit. 34., et *Rot.* coram Crescent. jun. decis. 143. num. 5., eique propterea competere etiam posse videretur facultas substituendi alium in servitio chorali, quam ad breve tempus habet Canonicus coadjutus ex sententia *Ursayae* in discept. eccles. 17. num. 3. tom. 6. part. 2. et Sacrae Congregationis in Eugubina 15. Decembris 1605. lib. 10. decretor. pag. 142.; cujus conditiones expendit *Benedict. XIV.* instit. eccles. 107. §. 3. sub num. 17. Maxime, quia per hujusmodi substitutionem augetur potius, quam minuitur cultus divinus, *Ursaya* loc. cit. n. 8. et nedum similis viget substituendi consuetudo in Cathedralibus Civitatis Castelli et Fabriani, sed recens etiam est in ipsa Urbinatensi Cathedrali exemplum Coadjutoris Belenzoni, cui eadem testimonio Archiepiscopi concessa est facultas. Hac porro ex consuetudine et exemplo aequior videri potest oratoris instantia, *Ursaya* discept. 10. num. 8. tom. 8. part. 1. Sive autem concederetur Oratori facultas substituendi aliquo absentiae die in genere, ut ipse postulat, sive per quindecim dies continuos, duabus ex intervallo quotannis vicibus, ut proponit Archiepiscopus, ejus forsan usus dici non posset frequens contra mentem Sacrae Congregationis in cit. Eugubina.

Contrarium in terminis Coadjutoris suadere videtur posterius Sacrae Congregationis decretum in Casertana 26. Februarii 1650. lib. decretor. 19. fol. 28. a terg.; nam Capitulum Ecclesiae Casertanae (sunt decreti verba) exponens, in dicta Ecclesia extare decem et octo Canonicos, qui legitime impediti, de consuetudine invicem se substituunt diebus, quibus substituti non sunt servitio addicti. Quumque Archidiaconus ejusdem obtinuerit a Sede apostolica Coadjutorem, qui praetendit, uti posse privilegio substituendi, ideo supplicat pro declaratione; et S. C. Concil. respondit: „dictum Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi. Eaque verisimiliter fuit hujusce resolutionis ratio, quia veri Canonici non sunt Coadjutores, ut ad

limitationem Eugubinae notat *Benedictus XIV.* in cit. instii. 107. §. 3. At de Casertana loquens, non omnibus eam Coadjutoribus absolute adversari notat *Ursaya* in dict. discept. 17. num. 11. tom. 6. pari. 2., sed iis tantum, qui substituere volunt Canonicum diversi ordinis, ut in illius casu, in quo vices Archidiaconi suppleri praetendebantur ab uno ex Canonicis et sic a Ministro diversi ordinis.

Dubium est.

An et quomodo Canonico Coadjutori Staccoli liceat substituere alterum Canonicum ad servitium chori in casu?

S. C. resp.: Affirmative ex gratia, attentis peculiaribus circumstantiis et juxta votum Archiepiscopi.

Die 21. Junii et 12. Julii 1794.

In *Spoletana* 28. Febr. 1795 cum quaesitum esset in II. dubio: *An et quomodo Canonicus Coadjutor alium substituere possit in chorale servitium?*

S. C. resp.: Negative.

(Ex resol. diei 21. Maji 1803. *Spoletana.*)

5) Sacerdotis in celebr. Missae.

Ad dub.: An Capellani, impediti per se ipsos celebrare missam fundatam vel potius Officiales et Gubernatores domus debeant substituere Sacerdotes missam celebrantes?

Die 14. Aprilis 1725 ad III. *Neapol.* Cf. *Incompat.*

Vd.: *Stipend. pro miss. beneficial.. Applic. missae paroch. pro populo. Missa* (applicat. a Paroch. etc.)

SUBVENITE.

Ad dub.: An ℟. Subvenite, in quo duo sunt asterici in Exequiis, dici debeat quoad repetitiones ad normam ℟. Libera me Domine et aliorum, qui duos habent astericos juxta regulam per decretum diei 6. Septembris 1834 in Lauretana statutam? Vel potius per exceptionem ad regulam communem prima repetitio post ℣. Suscipiat te, fieri debeat a primo asterisco ad secundum ℣. uti praescribitur in hoc ℟. sub titulo in exspiratione?

S. C. resp.: Dicendum ut in Rituali titulo de exspiratione.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. II. Serie 1857 p. 2198.)

SUDARIUM.

Licentia aspiciendi.

Facultas cominus aspiciendi sudarium sanctae Veronicae et lanceam, qua latus Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis adapertum fuit, tributa Sebastiano Josepho Hispaniarum Infanti et ejus uxori.

Dilectis filiis
Archipresbytero, Capitulo et Canonicis Basilicae Principis Apostolorum de urbe.

Gregorius PP. XVI.

Dilecti filii
Salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Ut dilectissimus in Christo filius Noster Sebastianus Infans Hispaniarum ejusque uxor sudarium s. Veronicae, cui impressa est imago vultus Domini Nostri Jesu Christi, vultum sanctum vulgo nuncupatum, nec non lanceam, qua latus ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in cruce pendentis apertum fuit, pro eorum devotione cominus aspicere et venerari valeant, vobis tenore praesentium mandamus, quatenus si et quando a praedictis conjugibus super his fueritis requisiti, sudarium seu vultum sanctum et lanceam hujusmodi, quae in Basilica Principis Apostolorum de urbe asservantur, e tabernaculo seu tabernaculis, ubi nunc reperiuntur collocata, usque ad fores, per quas e basilica praefata ad odeum, in quo tabernaculum seu tabernacula hujus-

modi existunt, datur accessus, ea eisdem conjugibus ostendatis.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictae Basilicae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 14. Julii 1835.

(Bull. r. Contin. t. XX. pag. 71. Ed. Romae.)

SUFFRAGANEUS.

1) Accessus ad Ecclesiam.

Non teneri Dignitates et Canonicos obviam ire Suffraganeo usque ad ejus cubiculum, sicut proprio Archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae et dignior ei aspersorium porrigat eumque usque ad altare vel locum ad celebrandum associent. Num. 354 die 1. Septembris 1607.

Sufficere aliquos ex Canonicis Suffraganeum ad portam Ecclesiae recipere, quorum dignior Aspersorium porrigat. N. 701 ad 3. die 7. Augusti 1627.

Possunt de licentia Cardinalis Decani Episcopi Ostiensis et Veliterni deferre cappam et in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae et dignior porrigat ei Aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat et pariter eum associent in reditu usque ad eundem locum. Num. 3491 ad 1. die 6. Septembris 1698.

2) Administrator.

Vd.: *Concionator* (bened.); *Episcopus Administr.*

3) Archiepiscopum solemn. excipit.

Suffraganeus debet Archiepiscopo solemniter incedenti in suam urbem processionaliter obviam ire. N. 101 die 10. Januarii 1597.

4) Celebrans.

Vd.: *Episcop. Administr.* (Ministri etc.) *Diaconi assist. Episcopi Administr.; Sedes Episcopi Suffrag.*

(Assistentes et Ministri.)

Teneri Canonicos et Dignitates Episcopo Suffraganeo assistere, quoties Ecclesiam reconciliat vel similes functiones episcopales *nomine proprii Archiepiscopi* exercet. Num. 235 die 21. Februarii 1604.

Episcopum Suffrag. in Eccles. *Metropolitana* solemniter celebrantem (sine mandato Archiepiscopi) contentum esse debere Ministris solitis, id est, Diacono, Subdiacono ac uno Capellano cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. N. 310 die 9. Maji 1606; n. 701 ad 2 die 7. Aug. 1627.

Suffraganeum, solemniter celebrantem non debere sedere in sede archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolae locando; nec debere uti baculo pastorali, nisi quando tenuerit Ordinationes vel alias functiones fecerit, in quibus juxta regulas Pontificalis uti debet et necesse est; nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in missa Evangelium et Epistolam; sed satis esse, si praeter Diaconum et Subdiaconum ei unus ex Dignitatibus vel Canonicis assistat ad librum Pluviali indutus. N. 354 die 1. Septembris 1607; n. 310 die 9. Maji 1606.

Celebrante Suffrag. non omnes Dignitates et Canonicos teneri, *sacra paramenta* accipere, sicut tenentur ce-

lebrante Archiepiscopo; sed praeter Ministros supradictos, alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali. *Ut supra.*

In functionibus, quas exercet Suffraganeus vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus Clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium, ecclesiarum, coemeteriorum et in similibus Dignitates et Canonicos teneri assistere Suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonicos, quot necessarii erunt juxta Rubricas Pontificalis et formam actus, quem Suffraganeus exercet. *Ut supra.*

5) Incensatio.

Episcopo Suffraganeo, etiam in Dignitate in Cathedrali non constituto, competit incensatio terno ductu, absente Episcopo. N. 4273 ad 2. die 10. Decembris 1757.

Vd. *Episcop. titul.* (incensatio; decr. n. 5000) Suffraganeo Episcopo celebranti coram Episcopo (Archiepiscopo Elboren.) Pluviali induto nec non mitra redimito non deberi thurificationem cum triplici sed tantum cum dupl. ductu. N. 2971 die 24. Januarii 1682.

6) Nomen.

Dicitur *Suffraganeus* respectu Metropolitani seu Archiepiscopi, cui subditur; cap. *Suffragantes* 11. de electione; cap. *Pastoralis* 11. de Offic. Ordinar. cap. Romana Ecclesia 1. de foro competent. in 6.; vel quia suffragium in ejus electione praestare consueverunt Episcopi vel quia suffragantur ipsi in officio episcopali, scilicet in consecrando alios Episcopos, in celebrando Concilia et hujusmodi. *Abbas* in cap.: *Suffraganeis* 11. de election. num. 1. *Barbosa* loc. cit. num. 46.

7) Pallium.

Vd.: *Pallium* (Episcopis conc. etc.; functiones etc.)

8) Pontificalia exercens.

Vd.: *Pontificalia; Titul. Episc. Canon.* (Pontif. exerc. impedito etc., decr. *Mediolan.*

Episcopus suffraganeus datus Episcopum facultate exercendi Pontificalia Officia in Civitate et Dioecesi de expresso consensu et licentia pro tempore existentis Episcopi, non potest eadem Pontificalia exercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem Sede vacante et Capitulo contradicente.

S. Congr. Concil. in Constantiensi 4. Februarii 1645.

Dardanien. et Meten.

Episcopus Dardanien. in partibus infidelium et suffraganeus Ecclesiae Meten. petiit absolutionem ab excommunicatione et consequenter dispensationem ab irregularitate, ex eo quod exercuit pontificalia in aliena dioecesi de licentia Ordinarii, cum tamen in suis bullis hoc sibi esset prohibitum, excepta tantum dicta Ecclesia Metensi, et ideo petiit etiam indultum hoc faciendi etiam in futurum, quod cum ex narratis non appareat esse opus praedictis, quando facit de licentia ordinarii. Ideo Sacra Congregatio censuit nihil esse rescribendum, prout etiam anno praeterito ad similem ejusdem Episcopi petitionem responsum fuit, non liquere, cur egeat absolutione. Die 22. Augusti 1626.

(Anal. J. P. 1863 p. 191.)

9) Praecedentia.

a) Ante Dignit. et Canon.

Praecedentiam competere Episcopo

Suffraganeo Archiepiscopi Granat. super omnes Dignitates et Canonicos tam in Ecclesia et choro quam extra. N. 1377 die 10. Maji 1642; n. 4273 ad 1. die 10. Decembris 1757.

Episcopum Suffraganeum Canonicum, nec non Dignitates capitulares vel praebendas canonicales obtinentes juxta ordinum gradus vel promotionis ad ordinem pontificalem in Sessionibus locum occupare debere supra ceteras Dignitates et reliquos Canonicos ejusdem Ecclesiae; sed loco suae admissionis ad possessionem Dignitatum capitularium vel Canonicatum sententiam et Suffragium dare debere. Num. 1067 die 26. Januarii 1658.

Praecedentiam competere Episcopo suffr. licet Canonico in choro, processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis supra primam et alias Dignitates et Canonicos. N. 3572 die 11. Septembris 1700.

b) Inter Episcopos.

Constantinopolitana.

Eadem Sacra Congregatio de propaganda fide petiit declarari, cuinam debeatur praecedentia in districtu patriarchali, quando insimul conveniunt Archiepiscopus Edessenus titularis suffraganeus Patriarchae Constantinopolitani et Archiepiscopus Smyrnensis cum residentia in dicta provincia Constantinopolitana et primo promotus et S. Rituum Congregatio inclinavit praecedentiam deberi prius promoto prout idem alias in una Segobricen. 21. Maji 1609 declaravit, nempe inter Episcopos nullam aliam rationem habendam, quam temporis suae promotionis ad Episcopatum. Verum quia super hoc auditur, Sacram Congregationem Concilii et ipsam declarasse fuit dictum, quod videatur dicta resolutio Congregationis Concilii et transmittatur. Die 27. Martii 1628.
(Anal. J. P. 1863 pag. 203.)
Vd.: *Episcop.* (praeced.)

(Poloniae.)

Illmus D. Cardinalis sanctae Crucis, nuntius Sanctissimi apud regem Poloniae, literis suis ad Sacram Congregationem de Propaganda fide directis directis exposuit, controversiam saepe oriri inter suffraganeos Episcoporum latinorum et Episcopos graecos circa praecedentiam inter ipsos, cupiens resolvi, quid agendum in casu contingenti. Et literis Nuntii de ordine Sacrae Congregationis de propaganda fide ad hanc Sacram Congregationem transmissis, eadem Sacra Rituum Congregatio mandavit scribi Nuntio apostolico prout alias fuit resolutum in hac Sacra Congregatione circa hanc materiam, nempe, inter Episcopos nullam aliam rationem habendam quam temporis seu promotionis ad Episcopatum. Die 16. Februarii 1630.
(Anal. J. P. 1863 p. 219.)

10) Ubi sumit paramenta.

Ad dub.: An Suffrag. Veliternen. occasione functionum episcopalium sol., teneatur se parare in Sacristia vel potius possit paramenta sumere ab altari vel in faldistorio?

S. C. resp.: Si accedat cum cappa, in faldistorio, secus in Sacrario. Num. 3490 ad 1. die 6. Septembris 1698.

SUFFRAGIA.

1) Alleluja.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 4080.)

2) De ss. Apostolis.

Vd.: *Suffr.* (de s. Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 2749, 4749.) *SS. Petrus et Paul.* (Patroni principales Romae).

3) De B. V. Maria.

Canonicis s. Mariae Scalae Colleg. civitatis Chieri Taurin. dioecesis sub invocatione ss. Assumptionis B. M. V. et cujus propterea festum solemne in eadem principaliter celebratur, non licuisse neque licere in suffragiis post laudes et vesperas infra annum loco antiphonae: *S. Maria etc.* dicere antiphonas currentes ad *Benedictus* ad laud. et *Magnificat* ad vesperas in die festivitatis ejusdem ss. Assumptionis cum sua octava, prout introductum fuisse expositum extitit in ipsa S. R. C.: ideoqne non debere mutari antiphonam: *S. Maria etc.* Die 12. Januarii 1669. *In Taur.* B. M. V. est Patrona princip. totius Ord. Carmel.; dubitatur ergo: utrum PP. Carmelitae discalceati, quando recitatur off. de feria simul cum officio parvo B. M. V., debeant inter Suffr. SS. facere commem. de eadem non solum in contibus, quorum Ecclesiae sunt eidem Virgini dicatae quocunque titulo, sed etiam in omnibus conventibus Ordinis ratione praedicti specialissimi Patronatus?

S. C. resp.: Affirmative in omnibus. N. 4401 ad 21. die 16. Febr. 1781.

Ad dub.: An in Ecclesiis titularibus B. M. V., quando fit feriale officium, inter SS. Suffragia facienda sit commemoratio B. M. V. non obstante, quod in choro recitetur ejus Off. parvum?

S. C. resp.: Nunquam satis laudis; commemor. in honorem B. M. V. recitari posse et ideo laudabile ut in Ecclesiis eidem dicatis de ea fiat commemor. in off. currenti, etiamsi ejus off. parvum prius recitatum fuerit.

N. 2988 ad 7. die 13. Junii 1682; n. 231 die 10. Januarii 1604; n. 4378 ad 14. die 15. Junii 1776; n. 3502 die 6. Decembris 1698.

Ad dub.: An concessio ista de die 13. Junii 1682 sit *universalis*, ita ut ad *omnes ecclesias etiam saecul. B. M. V. dicatas* extendatur?

S. C. resp.: Metropolitanam Valentinae, cujus titularis est Assumptio B. M. V., non indigere dispensatione sed posse facere commemorationem.

N. 3038 ad 7. die 2. Octobris 1683; n. 3244 ad 2 die 11. Augusti 1691.

Pro Suffragio B. V. M. in Ecclesiis ei dicatis sufficere consuetam commemorationem: *S. Maria, sucurre etc.* N. 3356 ad 2. die 23. Aprilis 1695.

In Suffrag. SS., quando ea facienda sunt pro commemoratione de B. M. V. Patrona Ecclesiae sufficit consueta antiph.: *S. Maria etc.* N. 3221 ad 2. die 10. Junii 1690.

Stante titulo Ecclesiae B. M. V. assumptae sufficit antiphona: *S. Maria etc.* cum commemoratione ibi posita. Die 2. Aprilis 1667 ad 2.

Licet transferatur Purificatio B. M. V. a die 2. Februarii ac nondum recitatum sit Officium Purif. B. M. V., dici tamen debet in Suffragiis, quando fit de officio semid. vel simpl.: *Ora pro nobis etc.* et oratio: *Concede etc.*

N. 3710 ad 1. die 14. Febr. 1705.

Vd.: *Officium parvum; Suffr.* (De Patrono etc. eccles. non cath. decr. n. 5141.)

4) De Cruce.

Commemorationem de cruce ordinariam sufficere in Ecclesiis dicatis in hon. s. Crucis pro commem. tituli Ecclesiae.

S. R. C. die 30. Martii 1621; sed *non* sufficit in Ecclesiis dicatis in honor. ss. Salvatoris pro commem. tituli Ecclesiae. S. R. C. die 23. Aug. 1704.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. eccl. non cath. decr. n. 3703 et decr. de die 1. Septembris 1607.)

5) Pro Defunctis.

Differentia inter Suffragia Defunct. et Sanctorum, vd.: *Off. def.* (Orationes, decr. n. 4687 nota ad finem); *De profundis.*

6) In dominicis privileg.

In dominicis privileg., in quibus occurrit commemoratio facienda de officio dupl., omitti non possunt Suffragia SS., Preces ad Primam et Completorium et tertia oratio in missa, ut fit in casu, quo hujusmodi dominicae occurrant infra aliquam octavam. N. 4378 ad 7. die 15. Junii 1776.

7) De Patrono vel Titulari.

a) Civitatis vel Loci.

Aliqui Sacerdotes, nulli adscripti Ecclesiae, pro commemoratione, quae praescribitur facienda de Patrono vel Titulari ecclesiae commemorationem faciunt de Patrono vel Titulari Cathedralis; alii vero Ecclesiae parochialis, sub qua degunt; quaenam praxis menti rubricarum est conformior?

S. C. resp.: Faciendam esse commem. Patroni civitatis vel loci. Num. 4897 ad 3. die 12. Septembris 1840.

Vd.: *Suffr.* (de Patrono etc. ecclesiae non cath. decr. n. 4909).

b) An et quae dicenda a Sacerdot. exercitantibus et una officium divin. recitantibus?

Singulis annis dimidia pars Cleri dioecesani ad exercitia spiritualia obeunda in seminarium convenit ibidemque in Ecclesia seminarii Officium divinum, non quidem modo aut ritu chorali, sed modo quasi privato una recitant. Quum autem varii sint Titulares diversarum Ecclesiarum, varia sunt etiam suffragia in semiduplicibus et infra dicenda; immo aliquando, nonnulli Presbyteri habent Officium peculiare pro sua Ecclesia recitandum, ob octavam Festi titularis nondum absolutam. Quaeritur ergo, utrum ad servandam piam consuetudinem officium una recitandi, quae ad aedificationem exercitantium non minime confert, liceat in hoc casu Presbyteris omittere suffragium aut etiam Officium suae Ecclesiae speciale et se conformare Officio Ecclesiae seminarii, in quo recitant vel Ecclesiae cathedralis?

S. C. resp.: A. R. Episcopo supplicandum SSmo D. Papae pro assequendo ap. Indulto. Die 12. Augusti 1854. (Anal. J. P. 1857 p. 2195.)

c) Dioecesis.

Ad dub.: An de Patrono dioecesis fieri potest commemoratio inter communia ss. Suffragia?

S. C. resp.: Posse, sed minime cogendos, qui recusaverint. N. 1789 die 8. Aprilis 1656.

In commemorationibus pro Suffragiis facienda non est commemoratio titularis Dioecesis vel Parochiae. N. 4815 ad X. 2. die 22. Sept. 1837.

d) Ecclesiae Cathedr.

De Titulari Ecclesiae cath. in genere commemoratio inter Suffragia solummodo habenda est per illos, *qui sunt de gremio Ecclesiae*, secus si esset simul *Patronus princip. Civitatis.*

Vd.: *Suffr.* (de Patr. civit.; eccles. non cathedr. decr. n. 4909).

e) Eccles. non Cathedr.

Cf.: *Patronus; Commem. Patroni; Titularis* (obligat. Regul; decr. n. 5042.) *Suffr.* (De Cruce).

Beneficiatos non teneri quotidie facere commemor. de Sancto seu ss. Titularibus utriusque beneficii simplicis. Die 2. Aprilis 1667 ad 1. *In Neriton.*

In suffragiis Sanctorum commem. Patroni Ecclesiae non debet praeponi commemorationi ss. Petri et Pauli apost., etiamsi est consuetudo immemorab. N. 2749 ad 1 die 28. Septembris 1675.

Vd.: *Patronus* (ejus nominatio etc.) decr. n. 4448. *A Cunctis* (comm. Patroni; decr. n. 4143.

Ad dubia 1: Utrum intra suffragia SS. fieri debeat a Regularibus commem. titularis suae Ecclesiae non obstante, quod etiam fiat de Patrono principali Religionis?

2: Utrum in Hispania teneantur Regulares facere commem. s. Jacobi ap. Patroni principalioris Regni, quando in Officio divino dicuntur Suffragia ss. et apud Regulares fit commem. Patroni principalis Religionis?

S. C. resp.: *Affirmative in omnibus.* N. 4401 ad 22. et 23. die 16. Febr. 1781.

In Regnis cathol. Regis celebratur festum s. Josephi Conf. ut Patroni omnium Regnorum Regis sub ritu dupl. I. cl. Quaeritur: utrum nominandus sit in commem. de Patronis, quae fit, quando Suffragia SS. occurrunt dicenda?

S. C. resp.: *De unico tantum Patrono principaliori* fieri commem., quando Suffragia SS. occurrunt dicenda. N. 3040 ad 7. die 20. Nov. 1683.

Ad dub.: An in Ecclesiis illorum Eremorum, quae *titulum habent SSmi Salvatoris*, in feriali Officio omitti debeat in suffragiis communibus commemoratio de Cruce vel e converso, cum aequipolleant vel potius facere possint utramque ad instar concessionis per hanc S. R. C. diebus 10. Januarii 1604 et iterum 13. Junii 1682*) factae Ecclesiis titularibus B. M. V. non omittendi illius commemorationem inter Sanctorum suffragia, licet recitatatum fuerit in Choro ejus Officium parvum?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emmi et Rmi D. Card. Rubini, respondit: Non esse omittendas commemorationes sanctissimi Salvatoris, nec s. Crucis. N. 3703 ad 1. die 23. Augusti 1704.

Ad dub.: An debeant facere commemorationem de Patrono Ecclesiae, ubi morantur, cum in praeteritum nulla de eo, sed loco patroni de cruce tantum fecerint commemorationem, in memoriam institutionis eorum Ord., qui in die exaltationis s. Crucis institutus fuit?

S. C. resp.: Faciendam esse commemorationem de Patrono Ecclesiae et de Cruce. Die 1. Septembris 1607. *In Theatin.*

Ad relationem Capituli Cathedr. Carthagen: In commemorat. communibus sive suffragiis SSrum, dum fit de aliquo principali Sancto, cujus antiphonae habeant in fine Alleluja: utrum debeant recitari cum *Alleluja* in dictis commemor.?

S. C. resp.: Affirmative etiam in suffragiis seu commemorat. per annum, quoties hujusmodi antiphonae continent verba, quae exprimant gaudium, victoriam et similia, alias negative. N. 4080 ad 4. die 29. Novembris 1738.

Commemorationi, quae in unaquaque civitate et dioecesi ex laudabili consuetudine, rubricarum dispositione fit Sanctorum suorum Patronorum principal. inter Suffragia Sanctorum post Laudes et Vesperas in divinis Officiis, quando commemorationes sive Suffragia Sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi ubicunque ss. ap. Petrus et Paulus uti Patroni principales co-

*) Vd. *Suffr.* (B. M. V. decr. n. 2988 et 231.)

luntur, satisfactum censetur per eam commemorationem ordinariam seu communem, quae fit eorundem in universa Ecclesia post commemorationem B. M. V. N. 4149 die 16. Octobris 1743.

Professores et Alumni seminarii tenentur ad Octavam Patronorum Ecclesiae annexae et debent de eis commemorat. facere in Suffragiis.

S. R. C. 27. Februarii 1847.

Vd.: *Infra decr. n. 5221.*

In Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum in Breviario rom. legitur sequens rubrica post commemorationem ss. ap. Petri et Pauli: *De Patrono vel titulari Ecclesiae fiant commemorationes praedictae pro dignitate illius.* Sed quum Fratres dictae Congr. ss. Cordium Jesu et Mariae Dioeces. Chalcedon. s. Ordinibus initiati addunt in Suffragiis commemorationem de ss. Corde Jesu et de s. Josepho Patrono peculiari ejusdem Instituti 1. Tenenturne ex rubrica citata ad aliam commemorationem alicujus Patroni sive Patroni principalis loci sive titularis Ecclesiae cath. sive Protectoris Civitatis. 2. Similiter in Oratione *A cunctis* quum subjungi debeat nomen Patroni vel titularis Ecclesiae nominibus ss. Apostolorum in his vocibus *atque Beato N.*, tenenturne ad addendum nomen vel Patroni principalis loci vel titularis Ecclesiae cath. vel Protectoris Civitatis, quum jam in praedicta Oratione praemittant Apostolis nomen s. Josephi Patroni totius Congreg.? 3. Possuntne praeterea in oratione *A cunctis* subjungere nomen Patroni Capellae propriae, si habeat?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „Quoad *primam* quaestionem tenentur ad commemorationem Patroni vel Titularis ut supra. Quoad *secundam* quaestionem, ut ad proximam. Quoad *tertiam*, Negative.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4909 ad 3. die 12. Sept. 1840.

Ad dub.: Regulares translati de uno Monasterio ad aliud remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, debentne recitare Officia s. titularis illius prioris Ecclesiae et Dedicationis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct.? Et an in Suffragiis Sanctorum debeant addere commemorationem illius s. Titularis?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „In casu non teneri."

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit. N. 5042 ad 3. die 23. Maji 1846.

Vapincen.

Quum Sacerdos Borel Cath. Vapincen. Eccl. Canonicus ac in praesentiarum Curiae illius Ep. Vicarius Gen. R. C. humillimis precibus rogavit, ut declarare dignaretur sequentia duo dubia, nimirum:

1. An quoties in divino Officio locum habent commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum, fieri debeat commemoratio de Patrono loci? an de Titulari Ecclesiae? an de utroque?

2. An in Ecclesia ubi B. M. V. est Titularis, sufficiat commemoratio ipsius communis vel potius fieri etiam debeat de peculiari Titulo, sub quo Ecclesia Deo dicata fuit in honorem ipsius Deiparae? vel saltem hoc in casu, an addenda sit commemoratio s. Patroni loci?

Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in ordinariis Comitiis ad relationem mei subscripti Secretarii utrique dubio satisfaciendum censuit per generale responsum: *Serventur rubricae et decreta.* Quum enim in Brev. rom. rubricis titulo XXXV. habeatur quod facienda sit commemoratio de Titulari vel Patrono Ecclesiae, liquido apparet nil faciendum de Patrono Loci, nisi in casu, quod insimul sit Ecclesiae Titularis; quod pluries S. ipsa Congr. definivit ac praesertim de

anno 1690 IV. Id. Jun. in una Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia ad dub. III., postquam ad dub. II. declaraverat, quod pro B. M. V. Titulari, quocunque demum sub speciali Titulo Eccl. Deo in honorem B. M. V. dicata sit, sufficiat commemoratio communis ante Completorium post Vesperas Sabbati in eodem Brev. assignata. Quae quidem commemoratio communis Deiparae sufficit etiam, quando Eccl. nullum alium Sanctum in Contitularem habet, nam Patrono loci neque hoc in casu instituenda est commemoratio.

Atque ita decernere rata est et declarare. N. 5141. Die 23. Septembris 1848.

Festum Corporis Christi est Festum patronale Capellae majoris Seminarii Briocensis omnibus patentis fidelibus, in qua Missa solemnis celebratur et Vesperae solemniter cantantur in omnibus dominicis et diebus festivis seu festivitatis; aliunde festum s. Brioci et festum Titularis, nec non Patroni Urbis et Dioecesis Briocensis. Igitur quaeritur: 1. Utrum Professores, nec non Seminaristae, in majoribus constituti Ordinibus, teneantur ad commemorationem festi Corporis Christi inter Suffragia ad Vesperas et Laudes in diebus semiduplicibus; et infra quaeritur: 2. Utrum iidem teneantur inter eadem Suffragia ad commemorationem s. Brioci Patroni et titularis Urbis et Dioecesis Briocensis?

S. eadem C.... respondendum censuit: „Quoad primam quaestionem Affirmative, si agatur de Ecclesia publica; quoad secundam quaestionem Affirmative."

Atque ita rescripsit. N. 5221 ad 6. Die 21. Julii 1855.

f) Ordinis.

Moniales ss. Visitationis teneri in recitatione Officii soliti commemorationem s. Antistitis (s. Francisci Salesii) facere juxta rubr. 35. de commem. communibus et Suffragiis.

N. 2425 ad 6. die 19. Nov. 1667.

Vd.: *Suffr.* (de s. Patrono etc. eccles. non cathedr. decr. n. 4401, 4909.)

8) Non sunt omittenda.

Ad dub.: An, si contingat fieri officium semid. in vigil. festi omnium SS., non obstante commemoratione vigiliae, dici debeant Suffragia comm. in laudibus, an vero sint omittenda?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 3827 ad 1. die 21. Junii 1710.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

9) Sunt omittenda infra octavas

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

10) Parochiae.

Vd.: *Suffr.* (De Patrono etc. Dioecesis; de Patrono etc. civit.)

11) Recitationis modus.

Ad dub.: An in Feriis Quadrag., quatuor Temporum et Vigiliarum praeter preces feriales in Choro dicendas flexis genibus, etiam commemorationes Sanctorum seu Suffragia dicendae sint flexis genibus?

Et S. eadem Congr. respondendum censuit: „Affirmative."

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5152 ad 1. die 29. Martii 1851.

SUFFRAGIUM.

(Denominatio.)

Suffragium dicitur a suffragando seu auxiliando. Sic ex s. Thoma in 4. dist. 45. notat Sylvester in summa verb. Suffragium n. 1. Suffragium dupliciter accipitur. Primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet et de Suffragio sic

accepto satis constat ex dictis sub verb. Electio. Secundo pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem poenae temporalis vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri praebet ad consequendam a Deo poenae temporalis remissionem.

SULAMITIS VEL SUNAMITIS.

Vd.: *Antiph. 3. in 1. n. etc.*

SUMPTIO.

1) SS. Hostiae post reposit. SSmi.

Vd.: *Instructio Clement.* §. XXXI. 24.; *SS. Sacramentum* (renovatio.)

2) SS. Hostiae veteris.

Vd.: *SS. Sacramentum* (Renovatio decr. n. 4623).

3) Hostiae dubie consecratae.

Vd.: *SS. Sacr. Euchar.* (particulae dubie consecratae).

4) SS. Sanguinis.

a) Adoratio.

Ad dub.: An Sacerdos post sumptionem pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immemorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacrae Hostiae?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „Serventur Rubricae."

Atque ita rescripsit, die 24. Septembris 1842. N. 4950 ad 2.

b) Cum Fistula.

Genuflesso ai sacri piedi della Santità Vostra il Sacerdote Simone Percovih Canonico Decano dell' insigne Capitolo di San Girolamo degl' Illirici in Roma, devotamente espone, che da molti anni trovasi affetto da un' artitride dorsale, il che viene chiaramente provato dal certificato del medico e chirurgo curanti, si é nell' avanzata sua età di anni 65 reso quasi impotente a consumare il Preziosissimo Sangue Eucharistico a motivo dell' incurvatura del collo, che non può alzare, nè girare per alcun verso, non ostante un calice convesso appositamente fattogli. Presso un' impedimento si evidentemente fisico, obbliga in stretta coscienza l'umile Oratore per la debita riverenza di un tanto Sagramento, di ricorrere alla somma paterna clemenza della Santità Vostra per supplicarla della special grazia di poter usare del cannelucio absorbente nella sacra Consumazione. Che ec.

„SSmus D. N. Pius Papa IX. referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne commisit Emmo Card. Urbis Vicario, ut quatenus Preces veritate nitantur et Orator valeat ex propria conditione Indultum Oratorii privati assequi, eidem facultatem tribuat in ipso Oratorio tantum Sacrum faciendi cum usu fistulae pro sumptione Calicis; constito tamen prius per legitimum documentum et experimentum quod nihil inde vel indecentiae vel periculi oriri possit." Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 5055 die 20. Novembris 1846.

SUPERIOR ORDINIS.

Vd.: *Regulares* (Officium; praecipue decr. n. 5023).

SUPPEDANEUM.

(Vicarii gen.)

Lauden.

Sub memoriali Provicario contra Capitulum. Suppedaneum Vicario non licere, de aliis videatur in proxima.

Die 24. Augusti 1624.

(Anal. J. P. 1863 pag. 168.)

Vd.: *Vicar. gener.* (sedes etc.).

SUPELLECTILIA S.

1) Benedictionis facultas.

Vd.: *Vasa sacra*; *Paramenta* (bened.)

Bisuntina.

Sacra Rituum Congregatio, ad preces sororis Hubertae Franciscae abbatissae et monialium conventus Poligny pauperum capuccinarum ordinis s. Clarae et reformationis B. Colletae Bisuntinae dioecesis, facultatem indulsit earum confessario pro tempore, benedicendi sacra supellectilia ecclesiastica in quibus tamen sacra unctio non adhibetur pro usu tantum earumdem ecclesiae et de consensu ordinarii, ad triennium. Die 20. Martii 1686.

(Anal. J. P. 1865 p. 1279 n. 2300.

Avenionen.

Sacra Rituum Congregatio facultatem indulsit Rmo Domino Archiepiscopo Avenionen. subdelegandi licentiam benedicendi in sua dioecesi sacra supellectilia ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur sacerdotibus in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis ad triennium. Die 21. Augusti 1688.

Ibid. pag. 1298 num. 2356.

Brixien.

Quidquid sit de antiquis privilegiis, quibus frui potuerint Abbates Regulares, habenda ob oculos sunt Decreta, quae instar legis generalis edita fuerunt jussu Alexandri VII. a Sacra Rituum Congregatione anno 1659 circa inferiores Praelatos, Pontificalium usu insignitos. In §§. enim 18. et 19. sic habetur: ,,Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta vel pro servitio alienae Ecclesiae aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes. Deindeque anno 1670 instantibus Cassinensibus edita etiam fuit haec declaratio: Ad §. 19. qua vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum asserentibus Monachis, etiam pro aliena Ecclesia ex apostolico Indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedidicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio apostolico desumptum ac interim abstineri, ut videre est apud *Monacell.* Formul. legal. tom. 2. Formul. 4. tit. 13. sub num. 33. et apud eumdem *Eminentiss. Petram* ad Const. 9. Urbani IV. in fine. Observanda etiam videtur resolutio, quae ab ipsa Sacra Rituum Congregatione prodiit die 22. Septembris 1703 in Fulden. Concessionis Indulti. Inter plura enim dubia quaesitum primo loco fuit, an Abbati Fuldensi ad facultatem benedicendi sacris vestibus vel consecrandi ea, in quibus sacrum Chrisma adhibetur, suffragaretur communicatio privilegiorum Congregationis Cassinensis, vel an ille juvari posset observantia immemorabili, si adesset. Fuit autem rescriptum: Affirmative vigore communicationis privilegiorum, nec non consuetudinis et in locis propriae jurisdictionis, ut refert Eminentiss. Petra tom. 3. ad Const. 2. Benedict. VI. sub n. 18. in fine.

Definiendum igitur erit:

An liceat Abbati Monasterii Stambsensis Ord. Cisterc. non solum s. Su-

pellectilem benedicere, in qua s. unctio non adhibetur, sed etiam altaria consecrare et alia vasa s., in quibus adhibetur s. chrisma idque non tantum ad usum ecclesiae proprii monasterii sed etiam ad usum aliarum ecclesiarum?

S. C. C. resp.: Ad S. Congr. Rituum. Die 28. Nov. et 12. Dec. 1733.

Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis apostolicae, a qua tamen interdum conceditur personis in Dignitate ecclesiastica constitutis, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio vel oleum sanctum, quae ab ipso tantum Episcopo ordinato et consecrato benedicenda, inungenda et consecranda sunt, ut censuit Sacra Rituum Congregatio in Brixien. 9. Octobris 1616 in Imol. 4. Novembris 1615., in Januen. 12. et 14. Maji 1616, in Saonen. 3. Decembris 1616, in Taurin., in Pistor. et Tarvisina 2. Maji 1619, in Novar. 21. Martii 1620, in Tridentina 7. Augusti 1621 et in Caputaquen. 20. Julii 1730. Et de facto haec facultas benedicendi paramenta et ecclesiastica ornamenta et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, fuit concessa diversis Archidiaconis, Diaconis, Archipresbyteris aliisque personis ecclesiasticis a Sacra Congregatione Rituum et signanter in Aquilejens. 20. Aprilis 1599, in Elven. 17. Maji 1600, in Laudunen. 20. Januarii 1603, in Zamoren. 15. Novembris 1603, in Meten. 18. Novembris 1606, in Ruthen. 9. Maji 1609, in Augustana 12. Aprilis 1614 et Gnesnen. 4. Septembris 1623 quod clare denotat, non posse Episcopum hanc facultatem concedere sine speciali privilegio Sedis apostolicae.

Massilien.

Cum Decanus Ecclesiae Massilien. per supplicationem a Dataria ad Sacram Rituum Congregationem remissam petierit indultum benedicendi paramenta ecclesiastica, ornamenta et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, pro usu praedictae ecclesiae et aliarum illi subjectarum stante absentia Episcopi; eadem Sacra Rituum Congregatio, absente Episcopo per biennium, gratiam petitam posse concedi censuit et declaravit et ita sub dicta supplicatione, quae parti restituta fuit, rescripsit. Die 14. Januarii 1606.

(Anal. J. P. 1863 p. 52. n. 185.)

Ruthenen.

Archidiaconus majoris Ecclesiae Ruthenen., stante Episcopi absentia et ob maximam ornamentorum et paramentorum ecclesiasticorum copiam, quae in dies est necessaria, pro dictae majoris et aliarum ejusdem civitatis ecclesiarum usu et necessitate, petiit sibi concedi et indulgeri, ut quotiescumque contigerit modernum et pro tempore existentem Episcopum Ruthenen. vacare, omnia et singula vasa et alia ornamenta et paramenta ecclesiastica ad divinum cultum pertinentia, in quibus tamen non requiratur unctio sacra, pro dictae majoris Ecclesiae et quarumcumque aliarum, tam saecularium, quam regularium ecclesiarum dictae civitatis et dioecesis usu dumtaxat benedicere possit et valeat.

Congregatio Sacrorum Rituum censuit indultum petitum ut supra stante Episcopi absentia posse concedi ad annum seu per annum tantum. Et ita declaravit. Die 9. Maji 1609.

(Ibid. pag. 94 n. 316.)

Imolen.

Cum Episcopus Imolen. latam habeat dioecesim, nec sine magno incommodo curati et rectores dioecesani possint semper, quando opus est, ad civitatem Imolen. se conferre pro be-

nedicendis paramentis et aliis necessariis rebus pro servitio et usu ecclesiarum, a Sacrorum Rituum Congregatione petiit declarari: an ipse Episcopus possit hujusmodi benedictiones paramentorum delegare aliquibus suis vicariis foraneis protonotariis et in dignitate ecclesiastica constitutis; eadem Sacra Rituum Congregatio respondit posse Episcopum in casu necessitatis delegare personis in dignitate ecclesiastica constitutis benedictionem paramentorum et aliarum rerum pro usu ecclesiarum, in quibus non sit adhibenda sacra unctio vel oleum sanctum vel sacrum chrisma, quae ab Episcopis tantum sunt benedicenda, inungenda et consecranda. Et ita declaravit. Die 14. Nov. 1615.

(Anal. J. P. 1863 pag. 139.)

Januen.

Cum Illmus et Rmus Dominus Cardinalis Spinula Archiepiscopus Januen. a Sacra Rituum Congregatione petierit licentiam, ut ipse et successores sui possint delegare et committere Vicario generali vel alicui ex dignitatibus Ecclesiae cathedralis simplices benedictiones vestium, paramentorum, corporalium et aliorum indumentorum pro celebrandis missis et ornandis altaribus, et Congregatio praedicta sub die 12. praesentis mensis Martii censuerit, gratiam praedictam posse concedi, si SSmo Domino Nostro placuerit; facto per Nos Sanctitati Suae de praemissis verbo in consistorio secreto, Sanctitas Sua annuit et concessit praedicto Illmo et Rmo D. Cardinali Spinulae Archiepiscopo Januen. praedictam facultatem delegandi et committendi Vicario suo vel alicui ex dignitatibus suae Ecclesiae cathedralis licentiam benedicendi vestes, paramenta et indumenta sacerdotalia et alia, in quibus sacra unctio non adhibeatur, ad sexennium. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes per infrascriptum nostrae Congregationis Secretarium fieri jussimus, manu nostra subscripsimus et soliti nostri sigilli impressione muniri fecimus. Hac die 14. mensis Martii 1616.

(Ibid. pag. 139.)

Gnesnen.

Congregatio Sacrorum Rituum Archiepiscopo suprascripto facultatem delegandi benedictiones paramentorum ecclesiasticorum et vasorum, in quibus sacra unctio non adhibetur, indulgendam censuit. Die 4. Septembris 1621.

(Ibid. pag. 163.)

Sanctae Fidei in Indiis.

Pro Archiepiscopo contra Patres Jesuitas, referente Illmo Sacrato: „Posse patres Jesuitas benedicere paramenta et alia etc., in quibus non adhibetur sacra unctio pro servitio propriorum collegiorum. Pro servitio vero aliorum non licere, et ubi adhibetur sacra unctio, neque pro aliorum servitio etc. Die 19. Februarii 1622.

(Ibid. pag. 165.)

Manilen.

Alias Archiepiscopus s. Fidei in Indiis occidentalibus narrans, quod patres societatis Jesu et alii superiores ordinum ss. Dominici, Francisci, Augustini benedicunt corporalia, pallas et reliqua alia ornamenta ecclesiastica, nec non consecrant calices et aras non solum pro suis, sed etiam pro aliis ecclesiis inconsulto ipso Archiepiscopo et in sua dioecesi residente sub praetextu privilegii obtenti a Sacra Congregatione. Sacra eadem Congregatio audito procuratore generali dictae societatis Jesu, hujusmodi decretum, videlicet, posse praelatos et reliquos patres Jesuitas benedicere paramenta et alia ornamenta ecclesiastica, in quibus non adhibetur sacra unctio, pro

servitio propriorum collegiorum tantum, pro aliorum vero servitio non posse; ea vero, in quibus adhibetur sacra unctio, neque pro ipsorum neque pro aliorum servitio posse benedicere vel consecrare et ita decretum fuit 19. Februarii 1626. Et eadem S. Congreg. praedictum decretum etiam quoad religiosos ss. Dominici, Francisci et Augustini ac B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum extendi debere censuit ac declaravit die 22. Martii 1626. Modo Archiepiscopus Manilensis Metropolitanus Insularum Philippinarum idem narrans, supplicavit responderi; et S. Congregatio respondit, concedendum esse ibi idem decretum de quo supra. Die 4. Julii 1626.

(Anal. J. P. 1863 pag. 188.)

Burgen.

Cum Capitulum et Canonici Burgenses peterent ob amplitudinem dioecesis concedi licentiam Decano Capituli vel eo legitime impedito proxime sequenti dignitati benedicendi vasa et ornamenta ecclesiastica, et alia faciendi, quae fuerunt denegata, excepto tantum praedicta facultate benedicendi ea, in quibus non requiritur sacra unctio, pro qua dictum fuit scribi Archiepiscopo pro informatione, sed data supplicatione, in qua inter supplicantes exprimitur etiam ipse Archiepiscopus, Sacra Congregatio concessit ipsi Archiepiscopo facultatem praedictam benedictionem tantum delegandi ipsius Archiepiscopi dumtaxat vita durante. Die 18. Julii 1626.

(Ibid. pag. 190.)

Carnoten.

Robertus Bouet Decanus et Canonicus Ecclesiae Carnoten. petiit similem facultatem benedicendi ornamenta et paramenta ecclesiastica et reconciliandi loca sacra polluta in absentia Episcopi. Et Sacra Congregatio respondit idem quod supra videlicet, concedi licentiam benedicendi in quibus non adhibetur sacra unctio. Die 22. Augusti 1626.

(Ibid. pag. 190.)

Lucionen.

Emericus Episcopus Lucionen. petiit concedi Decano suae Ecclesiae indultum benedicendi omnia ornamenta ecclesiastica et reconciliandi ecclesias et alia loca sacra polluta. Et Sacra Congregatio concessit facultatem benedicendi dumtaxat paramenta sacra, in quibus non requiritur sacra unctio. Die 22. Augusti 1626.

(Ibid. pag. 191.)

Meten.

Nicolaus Mandarus Canonicus terrae Martal. Meten. dioecesis et pro duce Lotharingiae Capellanus in Castro Sellino, nec non perpetuus Beneficiatus Ecclesiae parochialis Boiani Tullen. dioecesis supplicavit pro indulto benedicendi ornamenta et paramenta tam suae ecclesiae quam vicinorum. Et Sacra Congregatio concessit, habito consensu ordinariorum. Die 12. Julii 1628.

(Ibid. pag. 204.)

Spoletana.

Episcopus Spoletanus petiit concedi licentiam suis Vicariis foraneis sive Prioribus Collegiatarum Nursiae, Cassiae, Vissi Cerrati, Leonissae, Ispelli, Trevii, Bevaniae et Montis Falci, benedicendi paramenta et vestes sacras, in quibus non adhibetur sacra unctio. Et Sacra Congregatio respondit: Nihil. Die 10. Februarii 1629.

(Ibid. pag. 210.)

Maclovien.

Vicarius generalis Episcopi Maclovien. supplicavit prorogari sibi licentiam jam obtentam et exspiratam be-

nedicendi paramenta ecclesiastica. Et Sacra Congregatio concessit pro certo tempore. Die 18. Augusti 1629.

(Ibid. pag. 215.)

Remen.

Arrigus abbas monasterii s. Dionysii Remen. dioecesis, asserens se habere indultum pro se et successoribus utendi mitra et baculo, supplicavit pro licentia pariter pro se et successoribus benedicendi cruces, imagines et paramenta ecclesiastica. Et Sacra Congregatio concessit, dummodo non adhibeatur sacra unctio. Die 18. Augusti 1629.

(Ibid. pag. 215.)

Ebroicen.

Supplicatum fuit Sanctissimo pro licentia in personam Decani cathedralis Ebroicen. et Episcopi Vicarii generalis benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, nec non patenas et alia vasa ad divinum cultum necessaria, stante absentia Episcopi a sua dioecesi. Et S. Rituum Congregatio concessit durante absentia Episcopi pro illis tantum rebus, in quibus sacra unctio non requiritur, praesente vero Episcopo, nonnisi de ipsius consensu, ut supra. Die 18. Januarii 1631.

(Ibid. pag. 226.)

Remen.

Prior et monachi s. Benedicti Remen. dioecesis exponentes eorum monasterium longe distare a residentia Ordinarii et ut plurimum ordinarios non esse sacris initiatos et ob id egere suam ecclesiam paramentis ecclesiasticis ad divina peragenda, supplicarunt pro licentia benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, nec non reconciliandi ecclesias et coemeteria polluta. Et S. Congr. attentis narratis concessit pro his tantum rebus, in quibus non requiritur sacra unctio. Quod vero ad ecclesias pollutas non consecratas, aqua per Episcopum benedicta, ecclesias vero consecratas non posse nisi per Episcopum reconciliari. Die 22. Martii 1631.

(Ibid. pag. 228.)

Malleacen.

Joannes Piet officialis Malleacen. exponens se praeesse quatuor Ecclesiis parochialibus existentibus in insula in mari Oceano et ob id non esse tutum accessum adeundi Ordinarium, circumscripta etiam distantia loci, supplicavit pro licentia benedicendi vestes et paramenta ecclesiastica, stante consensu Vicarii; et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 5. Julii 1631.

(Ibid. pag. 238.)

Parisien.

Praepositus generalis Congregationis Oratorii Jesu Christi Domini Nostri civitatis Parisiensis, supplicavit concedi sibi et successoribus praepositis benedictionem paramentorum et aliorum supellectilium ecclesiasticorum, in quibus non adhibetur sacra unctio; idemque concedi etiam superioribus cujuscumque domus dictae Congregationis; et Sacra Congregatio annuit et mandavit Ordinarios locorum delegare benedictionem petitam praeposito, successoribus et superioribus locorum, in quibus adsunt domus seu oratoria praedictae Congregationis, pro usu tantum propriarum domorum seu oratoriorum. Die 3. Aprilis 1632.

(Ibid. pag. 241.)

Veronen.

Archipresbyter loci Brentenici Veronen. dioecesis exponens ex eleemosynis parochianorum suorum providisse ecclesiam suam de diversis paramentis, nempe pluvialibus, planetis, tobaleis et similibus ad divinum cultum necessariis, supplicavit impertiri sibi licentiam dicta paramenta benedicendi,

in quibus non adhibetur sacra unctio, stante quod Ecclesia sua parochialis distat a cathedrali per quadraginta milliaria. Et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 2. Aprilis 1632.

(Ibid. pag. 241.)

2) Cardinalium, Episcoporum etc. cui competunt post mortem?

Vd.: *Utensilia sacra Cardin.*; *Paramenta Episcopi.*

3) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia); *Vestes eccles.* (materia).

4) Munditia.

Vd.: Ecclesia (munditia); *Munditia Eccles. etc.*; *Sacrista*; *Paramenta* (qualitas).

5) A Parochis non administranda.

Parochi aliique Ecclesiarum Rectores adigi non possunt ad subministranda supellectilia Sacerdotibus ibidem ex obligatione celebrantibus. *Barbos. in Summ. dec. apostolic. verb. Curatus num. 3., S. Congregatio in Derthonen. 6. Julii 1626 ad II. dub.*

(Ex resol. C. C. diei 20. Augusti 1774. *Praenestina.*)

6) Pecuniae solvendae.

(Obligatio.)

Camerinen.

In pastorali visitatione sub finem anni 1737 habita perpendens Episcopus magnos sumptus, quos Sacrarium Collegiatae Ecclesiae s. Mariae Oppidi Matelicae pro subministrandis utensilibus ad quotidianam Missarum celebrationem necessariis obstrictum est sustinere, decrevit: „Che tutti li Rettori, Capellani ed altri Sacerdoti, che celebreranno nella detta Chiesa Collegiata per adempimento delli Legati perpetui et ad tempus, paghino un bajocco per Messa da applicarsi per mandenimento delle Sagre Supellettili della Sagrestia, non eccettuando alcuno benche Canonico, anzi dichiarando, che questi tanto della Massa vecchia, quanto della Massa nuova, o siano aggiunti, debbano onninamente pagare come sopra, non essendo però li Canonici medesimi compressi nel presente per la celebrazione delle Messe capitolari, ed altri oblighi annessi alli loro Canonicati".

Detrectantibus autem Capellanis, aliisque Sacerdotibus onere celebrandi Missas in dicta Ecclesia gravatis ejusmodi decreto obtemperare, Capitulum e re sua duxit sacrum hunc adire Consessum, in quo discussis sub die 28. Januarii proxime praeteriti duobus dubiis:

I. An Capellani et alii Sacerdotes etiam Canonici celebrantes in Ecclesia Collegiata sanctae Mariae Terrae Matelicae pro adimplendis oneribus Missarum propriis Capellaniis, vel sibi ipsis alio titulo, quam ratione Canonicatus incumbentibus, teneantur contribuere Sacristiae dictae Ecclesiae pro sacris supellectilibus? Et quatenus affirmative.

II. Quaenam taxa sit servanda in casu etc.

Eminentissimi PP., dilata eorum decisione jusserunt scribi Episcopo juxta instructionem, qua scilicet ei demandaretur, ut firmato statu tam activo, quam passivo Sacrarii et computatis praesertim emolumentis eidem Sacrario provenientibus sive ex cera sive ex funeribus, distinctam una cum utroque praedicto statu transmitteret relationem onerum, redituum et antiquitatis Capellaniarum, quae in dicta Collegiata reperiuntur erectae.

Literis juxta hanc mentem datis obsequens Episcopus Vicario suo generali commisit, ut auditis Capitulo et Capellanis colliligantibus, inspectisque libris, in quibus reditus et emolumenta omnia Sacrario obvenientia, nec non

sumptus et debita, quibus illud obnoxium reperitur, uterque status firmaretur, cumque id fuerit adimpletum, ex foliis ab eodem Episcopo huc transmissis relatisque in *Summ. Capituli n. 1 et 2.* apparet, statum activum Sacrarii ad annua scuta 129. 95., passivum vero ad scuta 187. 35. ascendere. In alio autem folio, quod pariter transmisit Episcopus et datur in *eodem Summ. Capituli num.* 7. Capellaniae, Beneficia et Legata Missarum, quae debent in dicta Collegiata Ecclesia persolvi, una cum ipsorum reditibus distinctim recensentur et ab illo colligitur, omnibus ferme Capellanis sive Beneficiatis emolumentum aliquod ultra annualem Missarum eleemosynarum superesse.

Cum itaque Capitulum novis hisce documentis innixum causae hujus definitionem alacrius urgeat, ad magis comprobandam Sacrarii inopiam, plura in facto addit animadversione digna; primo, qnod annua scuta ab Archipresbytero Bracci Capitulo relicta sub onere ea erogandi in *utilitatem Sacristiae sive ipsiusmet Ecclesiae* debeant in restaurationem Ecclesiae ruinam minantis impendi proindeque demi e statu activo Sacrarii; secundo, quod itidem nequeant in dicto statu activo computari annua scuta 94., quae ex funeribus ac Baptismi administratione percipiuntur, eo quia ad Capitulum et Canonicos pertineant et inter ipsos consueverint distribui; tertio, quod e statu passivo delenda quidem sint scuta 25., quae a Capitulo, non autem a Sacrario solvuntur in compensationem emolumentorum funeralium et aliorum, quae Parochus cedit Capitulo pro enunciatis annuis scutis 25., sed addi e contra debeant eidem statui passivo scuta triginta pro consumptione sacrae supellectilis necessaria. Ex his autem omnibus contendit Capitulum evinci, quod annuae Sacrarii expensae ipsius reditum in summa sc. 169. 45. certo certius excedant.

Quia vero memorati Capellani et Beneficiati ut se liberarent ab onere contribuendi pro sacris supellectilibus, nedum opposuere Sacrarii opulentiam, sed longaevam quoque et immemorabilem consuetudinem, juxta quam affirmant, se nunquam enunciato oneri succubuisse, proinde praeter ea, quae in folio diei 17. Decembris 1740 circa primum Capellanorum fundamentum adnotata sunt, abs re non est indicare, Sacram hanc Congregationem in Tudertina inter supplices libellos proposita rescripsisse: Rectores Capellarum in cathedrali Ecclesia existentium teneri omnino utensilia solvere, tametsi ipsis eorumque Antecessoribus omnia necessaria pro Missarum celebretione fuissent a Capitulo ejusdem Cathedralis usque ab immemorabili tempore subministrata, ut in lib. 72. decr. pag. 158.

Omnibus itaque perpensis, onus erit EE. VV. respondere.

I. An Capellani et alii Sacerdotes etiam Canonici celebrantes in Ecclesia Collegiata sanctae Mariae Terrae Matelicae pro adimplendis oneribus Missarum propriis Capellaniis vel sibi ipsis alio titulo, quam ratione Canonicatus incumbentibus, teneantur contribuere Sacristiae dictae Ecclesiae pro sacris supellectilibus? Et quatenus affirmative.

II. Quae taxa sit servanda in casu?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative.

Ad II: Servandam esse taxam juxta morem regionis. Die 9. Sept. 1741.

7) Tractatio.

Vd.: *Vasa s.* (tractatio).

8) Usus pretiosorum.

Canonicus adhibere non potest supellectilem valde pretiosam cum propriis insignibus, quando celebrat

solemniter praesentibus Canonicis et aliis de Capitulo. N. 971 die 15. Decembris 1632.

SUPERPELLICEUM.

1) In Administr. Sacramentor.

Vd.: *Stola* (Administr. Sacramentor.); *Stola* (in extr. Unctione); *Stola* (in Sacram. Poenitent.); *Canonici* (administr. Sacrament.); *Stola Parochor.*; *Visitat.* (*de Poenitent.*; Olei infirmor.)

2) Adorantium SSmum.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VII. n. 2. 3., §. IX. n. 1 etc. 12 etc.

3) Canonicorum.

Cf.: *Rocchettum. Manica*; *Canonici* (adm. Sacrament.); *Processio* (Canonici cath. parati, praecipue decr. n. 2869.)

Canonicis habentibus usum cappae magnae licet cessante consuetudine, in choro et in canonicalibus functionibus uti superpelliceo super rocchettum. N. 2808 ad 1. die 16. Jan. 1677.

Ad dub.: An liceat uti ad eorum libitum dicto superpelliceo supra rocchettum promiscue cum cappa magno, tam aestivo quam hiemali tempore?

S. C. resp.: *Tempore congruo.* N. 2808 ad 2. die 16. Januarii 1677.

Canonici etiam in publicis supplicationibus seu processionibus et exequiis defunctorum uti possunt superpelliceo. N. 2808 die 16. Jan. 1677.

4) In Choro.

Ad dub.: An Presbyteri Ecclesiae Vulturariae teneantur canere Missas, anniversaria defunctorum et alia divina officia in ecclesia et choro cum superpelliceo, veste talari et bireto clericali?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 30. Januarii 1723.

5) Confessarii.

Vd.: *Stola Confessarii*; *Stola in Poenit. Sacram. administr.*

6) Diaconi in processione SSmi.

Vd.: *Processio SSmi Regul.* (modus decr. n. 4130 ad finem.)

7) In processione.

Vd.: *Process. SSmi Regul.* (modus decr. n. 4130 ad finem); *Processio* (Canonici Cath. parati praecipue decr. n. 2869).

8) Regularium.

Burdigalen.

Monachi monasterii s. Salvatoris de Baia ordinis s. Benedicti Burdigalen. dioecesis S. Congregationi supplicarunt, eis in functionibus ecclesiasticis usum superpellicei indulgeri. At S. Congregatio jussit ab Oratoribus servari regulae ordinationes. Die 17. Nov. 1657.

(Anal. J. P. 1863 pag. 343.)

Urbis et Orbis.

Instantibus caeremoniarum magistris SSmi, Sacra Rituum Congregatio jussit Emmo Vicario curam demandari, ne regulares utantur, loco superpellicei, rocchetto cum manicis angustis. Die 17. Novembris 1657.

(Ibid. pag. 344.)

9) In Tonsura et ordinib. minorib. confer. adhibendum est.

Vd.: *Rocchettum* (vestis s. non est; Canonicorum decr. diei 10. Januarii 1852.)

SURDO-MUTI.

Preces ab eis recit. pro indulg. lucrandis.

Vd.: *Visitat. Eccles. pro lucr. Jubilaeo.*

Decretum Urbis et Orbis ex audientia SSmi, die 15. Martii 1852.

Cum ad indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Emmo et Rmo Domino Cardinale Jacobo Aloisio Bri-

gnole pii instituti surdorum ac mutorum in urbe protectore, cum etiam plures moderatores horum institutorum idipsum enixe postulaverunt, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quomodo surdo muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas?* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Emmis Patribus in Comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes, die 16. Febr. hujus anni habitis, ipsi Emmi Patres ejusdem Consultori voto adhaerentes responderunt: Supplicandum SSmo pro generali Decreto ab hac S. Congregatione evulgando atque apostolica auctoritate firmando, cujus vi statuendum: 1. Quod si inter opera pro lucranda indulgentia praecripta sit visitatio alicujus Ecclesiae, surdi muti Ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et ipsos affectus. 2. Quod si inter opera sint publicae preces, surdo muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. 3. Quod si agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. Facta itaque de praefatis omnibus SSmo D. N. Pio IX. per me infrascriptum Congregation Indulgentiarum Cardinalem praefectum relatione in audientia diei 15. Martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam hujusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale Decretum publicari mandavit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

Loco † Signi.

Fr. Car. Asquinius, Praefectus.

A Colombo, Secretarius.

(Anal. J. P. 1855 pag. 736.)

SYLLABUS.

Vd.: *Tabella.*

SYMBOLUM.

1) S. Athanasii.

(Auctor, tempus et modus recitandi in choro.)

Symbolum sancti Athanasii, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse,* ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum per sesquiannum exspectaret, hoc fidei symbolum scripsit ac tamquam catholicae fidei suae professionem publice edidit, quod deinde una cum actis Nicaenae Synodi, cui ipse Athanasius praesens interfuit, in Archivio romano diu asservatum fuit, donec tandem post multos annos Ecclesiae recitandum, tradi meruerit, *Baronius* ad annum Christi 340 et ad notas, in Concil. roman. II. tom. 1. part. I. Conciliorum *Fagnanus* in cap. Firmiter 1. n. 33. de Summa Trinitate et fide catholica. *Reiffenstuel* lib. I. Decret. titul. I. n 77., *Ciaccon* in Vitis Pontif. tom. I. fol. 233. litt. A; *Card. Petra* loc. cit. n. 16. et alii. Et quod tale symbolum fuerit compositum ab ipso sancto Athanasio testatur, ultra supradictos, *Bellarminus* lib. de scriptoribus ecclesiasticis §. *de sancto Athanasio* circa finem; *Hincmarus Rhemensis* qui anno Christi 848 floruit, ita de ipso statuit: „Sermonem Athanasii de Fide, cujus initium est: Quicumque vult salvus esse etc. memoriae quisque commendet et sensum illius intelligat.“ *Ay-*

ton Episcopus Basileensis tempore Ludovici Pii in suo capitulari cap. 4. sic decernit: „Quarto, ut Fides sancti Athanasii a Sacerdotibus discatur et ex corde die dominico ad horam primam recitetur.“ Concilium Augustodunense editum anno Christi 670 ita sancivit: „Si quis Presbyter vel Diaconus vel Clericus symbolum, quod inspirante sancto Spiritu Apostoli tradiderunt et Fidem sancti Athanasii Praesulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.“ Et ipsa catholica Ecclesia testimonium perhibet, praedictum symbolum sub nomine sancti Athanasii in divino officio recitandum praeponens et mandans. Et S. Congregatio Rituum ipsum Symbolum S. Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: Symbolum s. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabilius in choro recitatur stando.“ Dicta Sacra Congregatio Rituum 23. Decembris 1624 apud La Croix lib. 6. part. 2. n. 2055 decret. 168.

Nihilominus *Cabassutius* Notit. ecclesiast. saeculi 2. dissert. 19. pluribus probat, sanctum Athanasium non esse illius symboli auctorem. Et *Graveson* tom. 1. Histor. ecclesiast. colloqu. 4. pag. 367 et 368 primae impressionis romanae hoc Symbolum inter opera dubia s. Athanasii reponit plurimasque rationes adducit variorum auctorum, qui hoc Symbolum s. Athanasio abjudicant dicitque, quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaitae, alii Anonymo Theologo Gallo qui Pipini vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo acerrimo sub finem quinti saeculi fidei catholicae defensori, qui multa opera scripsit et non suo, sed sub antiquorum patrum, praesertim sub nomine s. Athanasii evulgavit: Unde dicit ipse Graveson, quod difficile creditu non est, hoc Symbolum fuisse editum a Vigilio Tapsensi sub nomine sancti Athanasii, et postea tom. 3. coll. 4. fol. 157. sic expresse habet: „Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum s. Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius foetum.

Ad dub.: An symbolum divi Athanasii a stantibus recitari debeat?

S. C. resp.: Laudabilem esse consuetudinem, ut a stantibus recitetur. Die 23. Decembris 1624.)

(Anal. J. P. 1863 pag. 169.)

Symbolum s. Athanasii in diebus infra octavam ss. Trinitatis, cum officium recitetur, non est recitandum, sed tantum in dominica sive festo ss. Trinitatis et ejusdem octava. N. 3348 ad 3. die 18. Decembris 1694.

In diebus infra octavam ss. Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae et in festis infra octavam dictam occurrentibus non debet dici ad Primam Symb. Athanas. n. 3809 ad 2. die 8. Junii 1709; n. 4478 ad 5. die 19. Septembris 1801; n. 4044 (*alia dubia*) dub. 13. die 5. Maji 1736.

2) Cantatur a choro.

Dum in Missa solemni canitur Credo, non debent pulsari Organa: *Concil. provincial. Mediolanens. tert.* apud Gavant. in Manual. Episc. verb.: Missa Conventualis sub. n. 22. ibi: Symbolum totum cantatur a choro, non alternatim cum Organo.“ Sic etiam *Caeremonial. Episcopor.* lib. 1. cap. 28 ac *Caeremonial. Ordinis Minor.* part. 4. cap. 9. quod tamen ibi n. 7. subjungit: Quod si numerus cantorum, seu fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari a Choro et Organo sonante, duo Cantores legant alta et in-

telligibili voce, quae a choro non cantantur, ut sequitur ac docet etiam *Simon Buongiovanni* in sacrarum caeremoniarum silva lib. 2. cap. 10. vers.: Quod si. In hoc enim casu subintrat necessitas, quae facit licitum, quod alias est illicitum, cap.: Quod non est illicitum 4. de Regul. Jur. cap.: *Omnes 1.* de Fer., cap.: *Consuluisti 3.* de celebr. Missar. cum non subjaceat legi necessitas, cap.: *Consilium* 2. de observat. jejun., cap. *Sicut* 11. de consecration. dist. 1. cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur Credo, non potest prosequi Missam. Sacra Rituum Congregatio in Beneventana 13. Septembris 1670 et in Januen. 17. Decembris 1695.

3) In festis ss. Josephi, Annae, Joachim, Simeonis et Paulae Romanae in Terra sancta.

Constantinopolitana.

Commissarius generalis Terrae sanctae ordinis minorum observantium, attenta consuetudine antiqua illarum partium in festivitatibus quorumdam sanctorum celebrandi missas supra eorum sepulchra, supplicavit concedi, ut liceat in festivitatibus sanctorum Josephi, Annae, Joachimi, Simeonis et Paulae Romanae eorumdem missas dici cum Credo. Et Sacra Congregatio, proponente Emmo et Rmo Domino Cardinali Caesarino, censuit gratiam petitam esse concedendam. Die 8. Augusti 1643.

(Anal. J. P. 1863 pag. 295.)

4) Denominatio.

Symbolum dictum est a *Syn*, quod est simul, et *Bolus*, quod est morsellus, quia nempe Symbolum Apostolorum, quod est primum et a quo caetera appellantur Symbola, confectum est ab omnibus simul Apostolis, singulis eorum aliquem morsellum seu particulam quandam apponentibus: Sic Glossa in *Rubr. titul. de summa Trinitate circa finem,* et alia Glossa in cap.: *Canones 1. verb.*: *Apostol. distinct. 15.* et Canonistae passim: non desunt tamen, qui dicant, quod Symbolum graece, sonet latine indicium. Et sic Symbolum fidei fit quoddam indicium sive signum vel tessera aut nota Christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus, nempe paganis, judaeis et haereticis, sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus et exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus Presbyter Aquilejens. fol. 169 in *Symboli apostolici Commentariis paulo post initium*, ibi: „Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quae latine signa vel indicia nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis vel socius“: *Cardinal. Petra* tom. I. comment. in Constit. 2. Divi Leonis Magni, n. 6., *Card. Bellarmin.* praefat. ad explicat. Symboli apostolici; *Calepinus* verb.: Symbolum et alii.

5) Cur dicendam vel non dicend. in variis festivit. ss. Martyr., Confess. etc.?

Vd.: *Credo in Missa ss. MM. etc.*

Fatemur quod in festis ss. Martyrum, Confessorum et Virginum seu Viduarum aliarumque non Virginum, non debet dici Credo juxta illud vulgare dictum: *Muc non credit*, per cujus primam literam *M.* indicatur, non debere dici in festis sanctorum Martyrum: per secundam *V* non debere dici in festis sanctarum Virginum et Viduarum; et per tertiam *C* non debere dici in festis sanctorum Confessorum, nisi sint Doctores Ecclesiae et nisi praedicti omnes Sancti et Sanctae sint Fundatores Ordinis, Patroni aut Titulares

Ecclesiae seu in ipsa Ecclesia habeatur eorum insignis Reliquia aut nisi talia festa venerint in dominicis et infra octavas festorum Symbolum habentium ut recte ex aliis notat Merati loc. cit. n. 8. in fine. Et ratio est, quia ut docent *Alexander Alensis* q. 10. de Sacrament. Eucharistiae §. 9. Quarti p. 1. titul. XI. de Symbolo vers.: Ex quibus et alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quae de aliis in dicta rubrica de Symbolo exceptis occurrunt. *Prima enim ratio seu motivum, cur dicatur Credo in variis ex ibi assignatis festivitatibus*, est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt *Innocentius III.* de Mysteriis Missae lib. 2. c. 51., *Sanctus Thomas* 3. p. qu. 83. art. 4., *Durand.* lib. 4. cap. 25. *Quarti* loco cit. vers.: Prima ratio; *Gavant. et Merati* loco cit. Rubrica de Symbolo et alii passim. Et ob id dicitur in omnibus dominicis, quia dies dominici dedicati sunt in memoriam Resurrectionis Christi et cultum sanctissimae Trinitatis, de quibus Mysteriis fit mentio in Symbolo; quae ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicuti de B. V. Maria ac etiam de Angelis indicatis per *ly* Invisibilium.

Secunda ratio seu motivum, cur dicatur Credo in aliquibus aliis ibi enumeratis est, ut docent *s. Thomas* loc. cit. *Quarti* loco cit. v.: Secunda ratio et ipso teste, alii communiter, quia ipsi Sancti vel primo Symbolum composuerunt vel egregie Fidem in eo contentam propagarunt praedicatione et doctrina; et ideo dicitur in festis Apostolorum et Evangelistarum. Item in festo s. Mariae Magdalenae, quae ex Innocentio III. loco cit. fuit Apostolorum Apostola. Item in solemnitatibus Creationis et Consecrationis Summi Pontificis et consecrationis Episcoporum, quia ipsi sunt Successores Apostolorum; et in festis insigniorum Doctorum, quia singulari sua praedicatione et doctrina plurimum Fidem in Symbolo contentam propagarunt.

Tertia ratio seu motivum tandem cur dicatur in reliquis aliis est, ut volunt *Alexander Alensis* loc. cit. *Quarti* vers.: Tertia ratio, *Guttierez.* lib. 3. cap. 28. quaest. 3., *Merati* loc. cit. n. 4. et alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis seu ratione solemnitatis vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam aut locum hoc honore dignantur, ut eorum Missae votivae solemniter pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa celebrentur. Et ob id dicitur Credo in festo Patroni et titularis Ecclesiae, Dedicationis seu Consecrationis ejusdem, ! in Festis Fundatorum Ordinum ac in Festis illorum, de quibus in Ecclesia insignes habentur Reliquiae.

In festo s. Joannis Baptistae, quamvis sit primae classis et cum octava, non dicitur Credo, quia sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem et consummavit cursum ante promulgationem Evangelii et institutionem Symboli, ut tradit *Quarti* loc. cit. vers.: Opponi posset; et in simili *Durandus* lib. 7. cap. 14. n. 8. et alii. Quae ratio militat etiam *pro festo s. Joseph* et aliis similibus. In festo autem *s. Laurentii Martyris*, quamvis sit secundae classis et cum octava, non dicitur Credo, quia in ipso non habent locum supra assignatae rationes et motiva dicendi Symbolum, nec adest ad id praxis ac legitima consuetudo, cum potius universalis Ecclesia in ejus festo illud omittat, sicut illud omitteret in *festis s. Stephani et ss. Innocentium*, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicuti de facto omittitur in die octavae Innocentium currentis extra dictam octavam.

6) In Missa recitandum.

Symbolum apostolicum coepit recitari in Missa a tempore ipsorum Apostolorum, ut tradunt *Dionysius Areopagita* de ecclesiast. Hierarch. cap. 3. *Durand.* de Ritibus ecclesiatic. lib. 2. cap. 24. n. 14., *Barbosa* ad Concil. Trid. sect. 3. et alii. Et idem Apostolicum Symbolum recitatum fuit in Missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Benedicti VII. dicti VIII., qui metu divisionis aut schismatis et precibus sancti Imperatoris Henrici II. jussit ad majorem Ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in Missa, omisso Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesiae Hispaniarum et Galliae canebant, id est Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione *Filioque* in supradicto Concilio Toletano contra errorem Graecorum facta. Sic *Berno* de rebus ad Missam pertinentibus c. 2. „*Baronius* ad ann. 447. num. 19.“ *Sever. Binius* in notis ad Concil. I. Constantinopolitan., *Barbosa* loc. cit. num. 3., *Lupus* tom. 2. schol. ad Synod. Nicaen. Pontif. cap. 4. fol. 13. n. 14., *Ciaccon.* in vitis Pontific. tom. 1. fol. 759. et alii notantes, quod Ecclesia Romana in Missa per totum illud tempus retinuit ac recitavit Symbolum Apostolorum, quia nunquam a fide apostolica aberraverat et deinde ob supradictum motivum Symbolum Constantinopolitanum recitare incepit. In aliis autem Ecclesiis loco Symboli Apostolorum jam antea in Missa coeperat recitari et cani Symbolum Nicaenum juxta Decretum sancti Marci Papae, ut referunt *Platina* in vita ejusdem Pontificis, *Ciacconius* in vita Pontif. tom. 1. fol. 229. et alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam et deinde Symbolum Constantinopolitanum ex Decreto s. Damasi Papae I. et mandato ejusdem Concilii Constantinopolitani, ut notant Glossa Marginalis in cap. Canones 1. distinct. 15. Archidiaconus ibid. n. 3. *Pinell.* lib. 2. de Missa cap. 19. et 49. et alii id pariter extendentes ad Eeclesiam Romanam, quamvis tamen probabilius ex dictis supra num. 13. ipsa Ecclesia Romana retinuerit et recitaverit in Missa Symbolum Apostolorum usque ad tempus Benedicti VII. dicti VIII. Consuetudo autem recitandi in Missa Symbolum prius Apostolorum, deinde Nicaenum et demum Constantinopolitanum asseritur a *Durand.* de Ritibus eccles. lib. 2. cap. 24. n. 14. *Anton. Possevin.* in apparatu sacro verb. Symbolum, Card. *Petra* tom. 1. Commentar. ad Constitut. 2. Leonis Magni n. 13. et ab aliis plurimis.

7) A quo tempore in Missa cantatur?

Mos cantandi Symboli in Missa suam ut multi Scriptores ajunt, ab Ecclesia orientali originem tradit, uti post Cardinalem Bonam pluribus probat Georgius lib. III. De Liturgia Romani Pontificis, cap. XX. Sunt qui Damasum Papam id sanxisse ferunt, quos tamen Card. Baronius anno Christi CCCLXXXI. refellit ac docet, non Damasi Decreto, sed recentiori usu introductum, ut in Occidente intra Missarum solemnia et quidem post Evangelium Symbolum caneretur et Concilium III. Toletanum anno DLXXXIX. celebratum laudabilem hunc usum ex orientali Ecclesia accepisse. Sic enim de Symbolo ipso decantando can. II. statuit „ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae secundum formam orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priusquam dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur etc.“ Plura de origine hujus ri-

tus jam diximus nos in nostris perpetuis ad Oecumenica Concilia et ad Caeremoniale Episcoporum Commentariis.

In Romana Ecclesia consuetudinem cantandi Symbolum in Missa post Evangelium, longe ante saeculum VIII. invaluisse, docent pervetusti romani Ordines, quorum secundus, num. IX. sic habet: *Post lectum Evangelium, candelae in loco suo extinguuntur et ab Episcopo, Credo in unum Deum, cantatur etc.* Ex Ordine VI. romano num. VII., cautum est, ut Episcopus, ubi post Evangelium praedicatio non habeatur, *alta voce incipiat canere: Credo in unum Deum et ita omnis Chorus incipiens, Patrem omnipotentem, ad finem usque perducat.* Praeterea *Amalarius* in Eclogis, sed excerptis ex Ordine romano, cap. XVI. aperte Symbolum, id est Credo, post Evangelium commemorat ac per illud *dulcius et intentius et praeclaro ore* fidem suam populum profiteri scribit. Ex quibus elicitur, modulatione canore fuisse etiam tunc Symbolum decantatum. Verum Leo III. non cantatum, sed lectum Symbolum Romae in Missa tradit in collatione habita cum Missis Caroli Magni anno DCCCIX. „Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse; quid ad Nos. Nos enim idipsum non cantamus, sed legimus et legendo docere, nec tamen legendo aut docendo, addere quippiam eidem Symbolo praesumimus." Hortatur autem Pontifex ipsos Missos, ut in Capella Regi Palatii Symbolum cantari intermittatur. Iterum ibi Leo refert, cantatum haud fuisse ipsum in Romana Ecclesia: „At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur, posse utrumque fieri, ut paulatim in Palatio, quia in nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur."

Hinc errant, qui autumant, coepisse primum Romae cantari in Missa Symbolum anno Christi MXIV. quod Berno Augiensis in libro *de rebus ad missam pertinentibus*, cap. II. prodat, Henricum II. Imperatorem, dum praedicto anno Romae ageret, Presbyteros romanos interrogasse, cur post Evangelium Symbolum non canerent, ut in aliis Ecclesiis, eique illos respondisse, ideo in s. Romana Ecclesia non cantari, *quod ea non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta.* Addit Berno ibidem, Benedictum Papam VIII. rogatu Henrici jussisse, *ut Romae ad publicam Missam cantaretur.* Narrat et haec Baronius, qui etiam ita mox subjicit: *Placent ista, sed nobis gratius, si venerandae antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati.* Sed nulla plane novitas fnit, cum ex superius dictis constet, jam longe ante Benedictum VIII. cantatum fuisse Symbolum Romae in Missa. Porro Edmundus Martene lib. I. de antiquis Ecclesiae ritibus cap. IV. articulo V. num. XI. ita Bernonis verba interpretatur, ut id verum sit de cantu, non vero de illius recitatione, quae jamdiu ante in Romana Ecclesia fiebat. Legendus hac de re memoratus Georgius loco citato, ubi et alia multa adnotavit, quae ritum cantandi Symboli in Missa Romani Pontificis spectant. Caeterum quod nostrum §. attinet, ex quo cautum est, ut in Missa solemni, quae, praesente Papa, cantatur, ubi Celebrans incipit Credo, Cardinales venientes ad circulum, circumstent Pontificem, et cum eo Credo perficiant, legi possunt, quae scripsimus nos in Commentariis ad Caeremoniale Episcoporum.

Tandem ut docet Caerem. Eccles. rom. l. II. t. I. cap. II. §. 9. pag. 21. cum dicitur: Et incarnatus est „omnes genuflectunt, Papa autem et Celebrans cum Mitra sedendo profunde

se inclinant, non tamen omnino genuflectere consueverunt." Atque haec quidem verba leguntur in editione Romana anni MDLX; nam alias im I. Veneta editione anni MDXVI desiderantur. Quicquid sit de hoc additamento, teste Mucantio in ms. Diario Pontif. Gregorii XIII. ad annum MDLXXIII, ubi enarrat Capita reformationis Capellae jussu ipsius Pontificis resoluta, in prima Cardinalium deputatorum Congregatione statutum fuit, „quod in die Nativitatis Domini Nostri in Missa majori, Papa celebrante, dum Cantores dicunt versiculum: Et incarnatus est de Spiritu Sancto et Homo factus est, Sanctissimus Dominus Noster profundius solito se inclinet et Reverendissimi Domini Cardinales genuflectant, prout in Caeremoniali dicitur." Cautum quoque et illud fuit, quod in Missa, cum dicitur per Cantores versus ille: Et in Spiritum Sanctum etc. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, Sanctissimus Dominus noster, Reverendissimi Domini Cardinales et alii caput inclinent.

(Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. tit. I. c. II. §. 9. p. 21.)

8) In missa dicendum a graecis Presbyteris.

Callistus PP. III.

Ut illa vetustissima periculosaque et damnanda opinio, in eodem et aliis Conciliis continuo reprobata, qua nonnulli minus veraciter affirmare praesumebant, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, et quod sacrosancta Romana Ecclesia profitetur, tenet pariter et affirmat, eumdem videlicet Spiritum Sanctum ab eodem Patre et Filio aequaliter procedere, sicuti beatus Athanasius, lumine ejusdem Spiritus illustratus, edocuit, dicens eumdem Spiritum Sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre et Filio aeternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium, pro eorum salute et directione, inseratur, similiter *statuimus ac etiam ordinamus*, *quod iidem presbyteri et sacerdotes, dum infra earumdem sacra missarum solemnia Symbolum ex ordinatione Ecclesiae canunt aut dicunt, illud integre, secundum ritum ejusdem Romanae Ecclesiae, intelligibiliter dicere teneantur et debeant*, *videlicet: Qui ex Patre Filioque procedit,* alioquin omnes et singulos, qui huic articulo orthodoxae fidei ad nostram profecto salutem necessario, et in tot sanctorum Patrum Conciliis iteratis vicibus approbato, contradicere, aut ejusdem catholicae Ecclesiae institutiones observare recusaverint, vel malitiose neglexerint, sententias, censuras et poenas, in eisdem et praecipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas et promulgatas et anathema trecentorum decem et octo Patrum, nisi a praemissis erroribus resipiscere, et unitati ejusdem Ecclesiae se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipso facto.

Quapropter, ne per taciturnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabiliter longiores districte praecipimus et mandamus, quatenus processio Spiritus Sancti a sacerdotibus Graecis explicite et manifeste ponatur in Symbolo, ut fides ad justitiam teneatur in corde, et ad salutem omnium ejus fiat oris confessio, se tamquam filii obedientiae semper sacrosanctae Ecclesae Romanae matris suae per omnia conformantes, ut fiat unum ovile et unus pastor, juxta ipsius sententiam Salvatoris.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, praecepti et mandati infringere, etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 3. Septembris 1457.

Bull. r. t. V. p. 140. Ed. Aug. Taur. 1860.

Symbolum in qualibet Missa, etiam *pro defunctis*, *recitatur a Graecis*, eumque morem servari a Monachis Ordinis S. Basilii jubet Benedict. XIV. Constitutione incip.; *Quem Religioni:* sensum §. 6. Symboli recitatio in Missa a Graeca ad Latinam Ecclesiam traducta est. Idem Constitut. incip.: *Allatae sunt**) §. 28. Symbolum idem sine additamento Filioque a Graecis, et Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversae facti circumstantiae exegerunt. Idem ibi §. 10. Symbolo autem Nicaeno non solum licuit, sed et decuit superaddere particulam Filioque. Hinc non modo Patres Concilii Zamosch. tit. 1. de Fide Catholica, sed etiam Patres Concilii Libanensis par. 1. eod. tit. 11. provide ac recte statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legibus subjecti Symbolum juxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent. Idem. ibid. §. 60.

Vd.: *Credo*; *Ritus graec.* (constitut. Bened. XIV. *Allatae* §§. 27, 29; constit. *Etsi Pastoralis* §. 1 — t. III. p. 245.)

9) Quando in missis votiv. in dominicis celebrandis estne recitandum?

Vd.: *Missa votiva de Sanctis* (gloria etc. decr. *Assiss., nota*); *Missa vot. de Spir. s.* (dies).

10) In missa de requ.

Vd.: *Symbol* (in missa recit. apud Graecos.)

11) In Officio a quo tempore recitatur?

Laudatus Grancolas in comm. ad Breviar. rom l. II. c. LV. observat, nullum antiquitatis monumentum exstare, quod, *Pater noster*, ante Officium recitandum significet; primumque Monachos id usurpasse, sed tamen post saeculum Christi XII. Quicquid sit, saeculo certe XV. mos ille servatus videtur, ut Romae saltem sola Dominica Oratio Officio praemitteretur; ipsius enim solius Orationis mentionem facit noster §. itemque mss. Caeremoniarum Apostolicorum ejus aevi Diaria, praesertim vero Burchardi, qui ad annum MCDLXXXVI ubi agit de Feria quarta majoris hebdomadae, inter alia, ait: Pontifici in sua Sede aliquantulum quiescenti fecisse se signum genuflexum coram eo qui surrexit, et semidetecto sibi ipsi capite versus ad Altare dixit secrete, *Pater noster*, quo per ipsum secrete completo, tegit sibi ipsi caput et sedit; debebat tamen stare quousque Cantores, completa Antiphona inciperent Psalmum. „Et revera ita praescribit noster §.“ Cum quieverit aliquantulum, surgit et detecto capite versus ad Altare dicit secrete: *Pater noster*, quo completo, caput sibi ipsi cooperit, et Cantores incipiunt pro Matutinis: *Zelus domus tuae* etc. Cum incipitur Psalmus, Papa sedet, et omnes alii. Caeterum non mirum videri debet, si noster §. et antiqua ms. Diaria solam Orationem Dominicam praemittendam dicant, cum S. Pius V. Pater noster, secrete, atque etiam, *Ave Maria et Credo,* ante Officium in Romano Breviario recitari primus jusserit, uti post alios notavit Grancolas in suo ad ipsum Breviarium Romanum Commentario Lib. I. Cap. XXV.

(Catalan. caerem. Eccles. rom. l. II. tit. II. §. III. p. 161.)

12) Cum Organo modulandum?

Abusum Symbolum sub Organo modulari, minime tolerandum sed om-

*) Vd.: *Ritus graecus.*

nino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat. n. 1817 ad 3. die 10. Mart. 1657.

Vd.: *Symbol.* (cant. a choro.)

Ad dub.: An cum dicitur symbolum in missa sit intermiscendum organum?

Resp.: Symbolum in missa distincte a fidelibus audiri debet. Hinc in eo nequit organi sonitus intermisceri ita, ut decantato uno versu, alter versus submissa voce recitetur, dum interim organum pulsatur. Si hoc sensu allatum dubium proponitur negative omnino respondendum est eodem modo, quo jam in altero decreto diei 10. Martii 1657 in Seguntina ad 3. S. Rituum Congregatio respondit declaravitque „abusum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per episcopum prohiberi, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur ita, ut a populo distincte audiri valeat.“ Si vero eo sensu exhibetur, ut nulla pars Symboli in cantu omittatur, et voce intelligibili ac distincta juxta adductum decretum omnes versus decantentur, sonitus organi tolerari potest, quamvis hoc in usu generatim non sit, ubi in missa cantus Gregorianus, seu ut dicunt firmus adhibetur.

S. C. resp.: Symbolum integre canendum, etiamsi pulsetur organum.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2249.)

13) Sacerdos infra cantum Symb. non debet prosequi missam.

Vd.: *Missa* (abbreviatio); *Ritus missae* (non mutand.)

SYNODUS.

1) Dioecesana.

a) Dioecesium unitarum.

I. In qua civitate habenda?

Ad dub.: An Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in ecclesia cath. Viterb. et in altera Tuscanensi, seu potius separatim et pro unaquaque ex dictis resp. ecclesiis in casu?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino ad utriusque ecclesiae utilitatem expedire judicaverit.

Die 11. Jan. 1783 *Viterbien. et Tuscan.* ad 1.

Ad dub. Approximante tempore celebrationis Synodi, stante quod Ampuriensis unita sit aeque principaliter Civitatensi dioecesi, nullus in hac re fultus consuetudine supplicat edoceri, an ipse teneatur celebrare synodum in utraque dioecesi.

S. C. C. resp.: Affirmative alternatim.

Die 8. Maji 1649. Eandem regulam secuta est S. C. in *Pennen.* et *Adrien.* die 16. Aprilis 1622.

Civitatis Castellanae.

Cathedrali Ecclesiae Civitatis Hortae univit Eugenius IV. Pontifex Maximus anno 1437 aliam Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castellanae, ita ut unus esset Episcopus, qui utramque Ecclesiam ambasque Dioeceses regeret, methodo et forma in suo Motu proprio praescripta. Ab eo tempore ad annum usque 1582 quotquot fuerunt Episcopi sese in omnibus actibus, aut simpliciter Hortinos Episcopos dixerunt, aut praemiserunt Hortinum Episcopatum alteri Civitatis Castellanae. Variatum fuit anno 1582, quo sedente Gregorio XIII. Episcopus electus fuit Andreas Longus praemissa denominatione Civitatis Castellanae. Variationis causa dicitur elenchus Episcopatuum, qui servatur in Cancellaria Apostolica, in quo litera initialis Civitatis Castellanae praecedit literam initialem Civitatis Hordae. Quidquid autem hac de re sit, novitate commota Civitas Hor-

tae, ejusque Capitulum, et Clerus universus adiverunt Sacras Congregationes Rituum, et Episcoporum ac Regularium pluribus editis juribus, et expedito coram Cardinali Vicario Urbis monitorio, ut metu Censurarum compellerentur testes ad veritatem pandendam, prout detecta fuit ab ipso Episcopo Longo, Archipresbytero, aliisque Capitularibus Civitatis Castellanae, sed opera et studio ejusdem Episcopi, qui Hortinae sedi pristinum honorem restituit, sopita lis fuit ad annum usque 1607, quo ipse decessit. Recruduit tamen inde; novus enim Episcopus suadente Capitulo Civitatis Castellanae Dioecesanam Synodum in ea Civitate, non in Ecclesia Cathedrali Hortina indixit. Clamarunt Capitulum, Clerus et Civitas Hortae ad hoc Sacrum Tribunal, a quo prudenter jussum fuit, ut Episcopus abstineret a convocanda Synodo, donec jura utriusque Ecclesiae cognoscerentur.

Anno igitur 1624 die 8. Junii sex dubia, quibus controversia omnis complectebatur, proposita fuerunt, et caeteris definitis, altero eorum, quod erat: *In qua ex dictis Civitatibus sit primo inchoanda Synodus?* responsum fuit: *Synodum esse indicendam ac celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad praesens Episcopus reperitur, et deinde in Civitate Hortana, et sic deinceps singulis annis observari debere absque tamen praejudicio Partium tam in Petitorio, quam in Possessorio Judicio, et donec Articulus Praecedentiae plene cognitus et definitus fuerit.* Plures post hoc provisionale decretum indictae et actae fuerunt Synodi, servata forma ejusdem decreti, cum numquam de praecedentia proposita quaestio fuerit. At cum nuper ab Episcopo indicta fuerit Synodus in Civitate Castellana, quae juxta ordinem decreti indici debebat in Civitate Hortae, iterum excitata est controversia, cujus scientia delata ad SSmum Dominum nostrum jussit convocari in Civitate Castellana, *salvis tamen juribus Partium contendentium, ita ut nemini praejudicium ullum sive in Petitorio sive in Possessorio per hujusmodi Synodi celebrationem, seu interventum, aut per praesens Sanctitatis suae rescriptum inferatur.* Post hoc rescriptum de proponendo Dubio, quod complectebatur locum agendi Synodum, actum fuit, sed decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi Causa quoad omnia Judicio Sacri hujus Tribunalis commissa fuit, ideoque alia dubia adjecta fuerunt, quae omnia nunc proponuntur, disputante Capitulo, Clero et Civitate Hortae majorem esse dignitatem eorum Civitatis, quam ab innumeris actis, et ab ultima Italiae nostrae repetunt antiquitate, ut cognoscent Eminentissimi Patres ex libello, quem dabunt. A Capitulo Civitatis Castellanae nihil habuimus. Tria sunt Causae capita:

I. *An et cui Ecclesiae Cathedrali competat Praecedentia pro inchoanda Synodo in casu?*

II. *An et cui ex dictis Ecclesiis competat Praenominatio in Bullis Provisionum Episcopatus et in caeteris actibus communibus respicientibus utramque Dioecesim in casu?*

III. *In qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda solemnis Possessio in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Competere Ecclesiae Civitatis Castellanae. Ad II.: Capiendam esse in Ecclesia Civitatis Castellanae. Ad III.: Competere Civitati Castellanae juxta alternativam.

Die 4. Mart. 1758 et 10. Mart. 1759.

Viterbien.

Jamdiu apud Sacr. Congregationem Episcoporum et Regularium conquesti

fuerunt Canonici Tuscanenscs de proprio Episcopo, qui neglecta illorum Ecclesia Cathedrali omnes Sacras Functiones et Pontificales, nec non ipsam quoque Synodum in altera Cathedrali Viterbiensi celebrare consueverat.

Hujusmodi lis diu mansit indecisa, sed instante Viterbiensi Capitulo de mandato clar. mem. Card. de Giraud Pro-Auditoris SSmi. huic Sacr. Consessui remissa fuit. Cum autem nova deinceps superaccesserint quaestionum et discordiarum semina factum hinc est, ut causa, omnia complectens, et in quindecim dispertita dubiis sapienti EE. VV. judicio modo discutienda proponatur. Inutile foret singula rationum momenta referre, quae in circumferendis libellis deducta sunt. Pauca tantummodo ad singula dubia perpendenda breviter addam, quae ad illorum dilucidationem conferre possunt.

Ad duo prima dubia quod animadvertendum occurrit posse Episcopum in solum in Civitate, sed in quolibet Dioecesis loco Synodum convocare, Refert Benedictus XIV. *in Synodo Dioecesana lib. 1. cap. 5, num. 2.* Concilia *Arelatense 1* celebratum anno 511 et *Oscense* habitum anno 598 indicta fuisse cum expressione — *In loco ubi Episcopus elegerit-*, Verum *num. 3* advertit, quod si nullum obstet impedimentum, expedit, ut illa semper in Ecclesia Cathedrali celebretur. Sic etiam Sacr. Congregatio in *Acernen.* die 17. Maji 1636 definivit, *posse Episcopum etiam in dicto Oppido Dioecesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam Cathedralem celebret, lib. 15. decret. pag. 355.*

Quando vero duae Cathedrales Ecclesiae ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit Synodum celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Dioecesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare: *Frances de Ecclesiis Cathedralibus cap. 8 num. 370. Romaguerra ad Constit. Synodales Gerundenses lib. 1. tit. 1. cap. 1. num. 12.;* Hinc licet *in Geruntina et Cariaten. sustineatur* et quatenus affirmative II. *An licet Dioecesim Geruntinam.* Sacra Congregatio *die 2. Octobris 1706* responsum dederit: *Ad I. Affirmative, ad II. Negative,* nihilominus *die 1. Februarii 1708* reproposita causa perstitum fuit *in decisis quoad primum dubium;* ad secundum vero responsum fuit: *Praevio recessu a decisis affirmative lib. 58. decret pag. 13.*

Notat Benedictus XIV. loco citato num. 4; quod ad evitandas inter utramque Ecclesiam simultates et concordiam fovendam maxime expedire, ut Synodus modo in una, modo in alia habeatur, quam sententiam secuta est Sacr. Congregatio in Ampurien. Synodi, in qua cum Episcopus exposuisset: *Approximante tempore celebrationis Synodi, stante, quod Ampurien. unita sit aeque principaliter Civitaten. Dioecesi nulla in hac parte suffultus consuetudine supplicat ab EE. VV. edoceri, an ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Dioecesi: die 8. Maji 1649.* respondit: *Affirmative alternatim lib. 44. decret. pag. 212.* Verum si consuetudine invectum fuerit, ut Synodus alternis vicibus habeatur in utraque Civitate, tunc non ex decentia, sed ex justitia hujusmodi alternativa servanda est Sacr. Congregatio in *Pennen. et Adrien. 12. Aprilis 1626. lib. 12. decret. pag. 276. et 27. Julii 1647. lib. 18. decret. pag. 376.*

Sed in *Maceraten. et Acheruntina,* cum Capitulum Acheruntinum nondum legitime probasset consuetudinem sibi suaeque Ecclesiae favorabilem, ob quam Synodo ab Archiepiscopo in Civitate

Maceratensi indictae interesse renuebat et propositis duobus dubiis I. *An licitum sit Archiepiscopo Maceratensi et Acheruntino convocare Synodum Dioecesanam in Civitate Matherae pro utraque Dioecesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam; II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictae Civitatis et Dioecesis Acheruntinae ad interveniendum praedictae Synodo in casu etc.* Sac. Congregatio *die* 24. Martii 1736 rescripsit: *Dilata, non retardato pro hac vice interventu Cleri Acheruntini Synodo jam indicta in Civitate Matheratensi sine praejudicio jurium ambarum partium.*

Ad III. et IV. advertendum est Honorium III. *in cap. Te referente 12. de celebr. Miss.* scribentem Archiepiscopo Sypontino ita edicere: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare:* Ex quo infert *Card. Petra ad Const. V. Innocentii IV. sec. unic. num. 10.* teneri Episcopum, nisi aliqua rationabilis causa contrarium suadeat Sacra Olea in Cathedrali Ecclesia conficere.

Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* postquam confirmavit ea, quae de Episcoporum residentia sancte et utiliter a Summis Pontificibus statuta fuerunt, eosdem admonuit et in Domino hortatus est, *ne tempore Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debent, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent.* Quod quidem decretum Sac. Congregatio observari mandavit in *Calaguritana et Calceaten.* in qua disputato dubio: *An Episcopus teneatur saltem diebus, praescriptis a Sac. Concilio Tridentino Sess. 23. de Reform. cap. 1. residere in alterutra ex Cathedralibus, ibique sacras functiones explere: die 3. Septembris 1740.* respondit: *Teneri.*

Verum si adsint duae Cathedrales unitae, quoties unio est subjectiva Episcopus debet tam Chrisma conficere, quam alias Pontificales functiones peragere in Cathedrali, cui fuit facta unio; at si aeque principaliter sint unitae non tenetur modo in una, modo in alia praedictas functiones explere, sed in alterutra, prout sibi placuerit, illas exercere valet, quia quoad Episcopum duae Ecclesiae habentur tamquam unica Cathedralis: *Card. Petra* cum aliis Doctoribus ab eo allegatis *loc. cit. num. 12.*

Sac. Congregatio juxta varias unionum species et invectas consuetudines, subortas hac in re quaestiones definivit: *In Pennen. et Adrien. die 16. Aprilis 1622 censuit inter has duas Civitates Episcoporum in ingressu Synodo, atque in aliis functionibus Episcopalibus teneri servare ejusmodi ordinem alternative, atque hunc ordinem per obitum, vel mutationem Episcopi nequaquam debere interrumpi lib. 12. decret. pag. 96.*

In Civitatis Castellanae et Hortanae die 18. Junii 1624 ad I. Dubium respondit: *Episcopum in aliqua parte alterius ex dictis Dioecesibus residentem suae obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis Cathedralibus resideat temporibus ab eodem Concilio praescriptis decreto cap. 1. vers. eosdem interim admonet Sess. 23. dicto lib. 12. decret. pag. 173.* Id ipsum confirmavit *die 13. Augusti*

1650 in Valven. et Sulmonen. quoad primum dubium et in eadem causa proposito III. *An Functiones Pontificales debeant alternatim peragi in dictis duabus Ecclesiis Cathedralibus et an prius in Ecclesia Valvensi uti antiquiori,* respondit: *Non teneri alternatim, sed tantum prima Pontificalia exercere debere in Ecclesia Valvensi tanquam digniori lib. 19. decret. pag. 71. et 72.*

Sustinet *Gonzalez ad d. caput. Te referente de celebr. Miss. num. 1.* consuetudinem inductam, ut in una tantum ex Ecclesiis Cathedralibus unitis fiat Sacrorum Oleorum benedictio servandam esse; advertit tamen *Card. Petra loco citato num. 14.*, quod ad inducendam talem consuetudinem consistentem in actibus facultativis non sufficere simplicem observantiam, sed requiri actus importantes praescriptionem, id est voluntatem contrariam cum acquiescentia, et Episcopum landabiliter se gerere, si aliquando in alterutra ex suis Ecclesiis unitis hujusmodi Pontificalia peragat, quemadmodum definivit S. Congr. in *Geruntinen. et Cariaten.*, in qua inter alia disputato IV. dubio: *An et quomodo Episcopus teneatur residere in Cathedrali Geruntina die* 2. *Octobris 1706* rescripsit: *Negative et injungendum censuit Episcopo, ut curet residere etiam in Ecclesia Geruntinen. saltem in aliquibus diebus solemnioribus lib. 56. decret. 56. pag. 332*, quae resolutio confirmata fuit *die 11. Febr. 1708 lib. 58. decr. p. 53.*

Pro resolutione dubiorum IV., V., VI., VII., VIII., IX. et X. advertendum est Concilium Romanum *tit. 12. cap. 3.* Episcopis demandasse, ut in Episcopio et loco quo possit tutiori simul et commodiori Archivum retineatur, atque in illo, *Curiae Processus, atque Scripturae omnes tam ad Episcopi Mensam, quam ad Dioecesim etiam universam pertinentes suo ordine reponantur.* Prae oculis pariter habenda est resolutio Sacrae Congregationis in *Civitatis Castellanae et Hortanae die 8. Junii 1624*, in qua ad V. dubium definitum est: *Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per se ipsum cognoscere causas alterius Civitatis, vel Dioecesis adhibito Notario sibi beneviso tam in Processibus conficiendis, quam in actis Visitationum conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et aequa ex causa fiat et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne Constitutio unionis eludatur dicto lib. 12. decret. pag. 173.* Vidend. Folium in Tuscanen. Concursus distributum pro Congregatione diei *16. Martii 1771*, quod habetur in *Thesauro Resolutionum tom. 40, pag. 57.*

Agitur in dubiis XI., XII. XIII. et XV. de praenominatione tum in actibus communibus, tum alteram ex Ecclesiis respicientibus; et ad rem observat *Pitonius discept. Ecclesiast. 9. num. 11.* in Bullis Apostolicis provisionis Episcopatus duarum Ecclesiarum, quae invicem aeque principaliter sint unitae, praenominationem deberi digniori, secus autem in actibus ab Episcopo in Dioecesi exercendis, tunc enim prosequitur idem Auctor cit. in loco *num. 16.* praenominandam esse Ecclesiam ad quam actus diriguntur, et testatur ita praecise servatum fuisse in Ecclesiis Viterbiensi et Tuscanensi.

Hac in re advertenda est resolutio data a Sac. Congregatione in *Civitatis Castellanae et Hortanae die 8. Junii 1624,* in qua ad VI. dubium in haec verba respondit: *Quemadmodum Episcopus in Civitate Castellana, vel in ejus Dioecesi existens, Civitatis Castellanae et Hortanae est appellandus Episcopus, ita e converso, dum in Civitate vel Dioecesi Hortana moram trahit, Hortanae et Civitatis Castel-*

lanae Episcopum, nominari, atque inscribi debere; quod si extra Dioecesim resideat in negotiis ad Civitatem et Dioecesim Hortanam respicientibus Hortanae et Civitatis Castellanae et Hortanae Episcopum esse denominandum lib. 12. decret. pag. 174.

Hisce praehabitis et serio etiam ponderatis juribus ab utraque parte deducendis, dignabuntur EE. VV. responsum dare:

I. *An Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Ecclesia Cathedrali Viterbien. et in altera Tuscanen., seu potius separatim in et pro unaquaque ex dictis respectivis Ecclesiis in casu etc.* et quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An Clerus unius Ecclesiae Cathedralis cogi possit ad interessendum Synodo celebrandae in altera Ecclesia in casu etc.*

III. *An ab Episcopo peragenda sint in Civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinationes et Consecrationes Oleorum saltem alternative in casu etc.* et quatenus affirmative.

IV. *An Episcopus teneatur residere in Civitate Tuscanen. per aliquod temporis spatium singulis annis in casu etc.*

V. *An Cancellarius Episcopalis Tuscanen. retinere possit penes Episcopum in quocumque loco commorantem Substitutum approbandum ab Episcopo pro conficiendis Actis respicientibus solam Ecclesiam Tuscanen. in casu etc.* et quatenus negative.

VI. *An acta per ipsum Episcopum extra Ecclesiam Tuscanen. commorantem gesta et respicientia solam Tuscanen. Ecclesiam retineri debeant per Cancellarium Episcopalem Tuscanen. etiamsi perficiantur per Acta Cancellariae Viterbii in casu etc.*

VII. *An Acta per ipsum Episcopum commorantem in Ecclesia Tuscanen. gesta, ac respicientia solam Viterbiensem Ecclesiam vicissim confici et retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu etc.*

VIII. *An Acta Examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbii pro Collatione Parochialium aliarumque Dignitatum Tuscanen. conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanen., seu potius ab alio quocum arbitrio Episcopi ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Martii 1771 quoad tertium Dubium in casu etc.*

IX. *An reliquae Scripturae spectantes ad Ecclesiam Tuscanen., necnon expeditiones et commissorialia Bullarum et Acta S. Visitationis Ecclesiae Tuscanen. privative expediri, peragi ac retineri debeant penes Acta Cancellariae Tuscanen. in casu etc.* et quatenus negative.

X. *An Vicarius Capitularis Ecclesiae Tuscanen. Sede Episcopali vacante compellere possit Cancellarium Ecclesiae Viterbiensis ad sibi gratis tradendas Scripturas originales, vel earum copias privative respicientes Ecclesiam Tuscanen. in casu etc.*

XI. *An in Actibus privative respicientibus Ecclesiam Tuscanen. Episcopus semper et ubique denominari debeat Tuscanen. et Viterbien.*

XII. *An in Actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam Viterbiensem scilicet et Tuscanensem, cui ex iisdem Ecclesiis competat praenominatio in casu etc.* et quatenus affirmative quoad Ecclesiam Viterbiensem.

XIII. *An d. praenominatio eidem Ecclesiae Viterbiensi competat etiam in iis Actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur et evulgantur in Ecclesia Tuscanen.*

XIV. *An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4. Januarii 1779 super separata impressione Kalendarii pro Ecclesia Tuscanen., seu potius servanda sit impressio unius Kalendarii utramque Ecclesiam Viter-*

bien. scilicet et Tuscanen. complectentis.

XV. *An et cujus Ecclesiae praenominatio servanda sit in impressione dicti separati Kalendarii, seu potius quomodo sit providendum in casu etc.*

S. C. resp.:

Ad I. Arbitrio et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino et utriusque Ecclesiae utilitatem expedire judicaverit. Ad II. Affirmative, si Synodus indicatur pro utraque Dioecesi et Clerici utriusque Ecclesiae convocentur et amplius. Ad III. Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo decere interdum aliquas functiones Pontificales peragere in Ecclesia Cathedrali Tuscanensi. Ad IV. Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est ut in praecedenti. Ad V. Negative, salvo tamen arbitrio Episcopi. Ad VI., VII., VIII., IX., X. Praevio recessu a decisis sub die 16. Martii 1771. Episcopum posse adhibere in conficiendis Actis alterutrius Ecclesiae quemlibet ex Notariis sibi benevisum, juxta tamen resolutionem in Hortana diei 8. Junii 1624 ita tamen, quod, si Acta conficiantur a Cancellario Viterbiensi pro Dioecesi Tuscanensi, teneatur ille vel autographum, vel copiam authenticam, soluta dumtaxat mercede Scripturae, tradere Cancellario Tuscanen., in Cancellaria Tuscanen., qui Acta conficiat ad Dioecesim Viterbien. spectantia. Ad XI. Affirmative et amplius Ad XII. Praenominationem competere Ecclesiae, in qua residet Episcopus; si vero extra utramque, competere Ecclesiae Viterbien. Ad XIII. Provisum in antecedenti. Ad XIV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, salvo jure et potestate Episcopi et amplius. Ad XV. Praenominationem competere utrique Ecclesiae in suo Kalendario et amplius.

Die 14. Sept. 1782 et 11. Jan. 1783.

II. Pro utraque Dioecesi habenda.

Vd.: *Synod. Dioeces. unit.* (In qua civit. etc. decret. diei 8. Maji 1649.)

III. Interessendi Obligatio Canonicorum et Cleri Dioecesium unitar.

(Conc. Trid. C. 2. Sess. 24; c. 2. et 3. S. 25. De reform.)

Renuentes Canonici Cathedralis Geruntinensis accedere ad Dioecesanam Synodum indictam ab Episcopo in Cathedrali Cariaten. praefatae alteri cathedrali unita fuerunt praevia citatione per edictum suspensi ab officiis et beneficiis.

Hinc dubia: 1. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur? et quatenus affirmative.

2. An liget Dioecesim Geruntinam?

3. An Censurae ab Episcopo fulminatae contra Canonicos Geruntinos sustineantur?

S. C. C. resp. *ad 1:* Affirmative; *ad 2:* Negative; *ad 3:* Negative.

Die 2. Oct. 1706.

Episcopo non acquiescente Capitulum iterum proposuit dubium: *An et in quibus sit standum vel recedendum a decisis sub die 2. Oct. 1706?*

S. C. C. resp. *ad 1:* In Decisis; *ad 2:* Praevio recessu a decisis; *ad 3:* In Decisis.

Die 11. Febr. 1708.

Ad dub.: An clerus unius Cath. Ecclesiae cogi possit ad interessendum synodo celebrandae in altera ecclesia?

S. C. C. resp.: Affirmative, si synodus indicatur pro utraque Dioecesi et cleri utriusque ecclesiae convocentur et amplius.

Die 11. Jan. 1783 ad II. *Viterb. et Tuscanen.*

Quando duae Cathedrales Ecclesiae ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit

Synodum celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Dioecesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare: *Frances de Ecclesiis Cathedralibus cap. 8. num. 370. Romaguerra ad Constit. Synodales Gerundenses lib. 1. cap. 1. num. 12;* Hinc licet in *Geruntina et Cariaten.* ad duo dubia proposita *I. An Synodus ab Episcopo celebrata in Cathedrali Cariaten. sustineatur et quatenus affirmative. II. An licet Dioecesim Geruntinam.* Sacra Congregatio *die 2. Octobris 1706* responsum dederit. *Ad I. Affirmative, ad II. Negative*, nihilominus *die 1. Februarii 1708*, reproposita causa perstitum fuit *in decisis quoad primum dubium;* Ad secundum vero responsum fuit: *Praevio recessu a decisis affirmative lib. 58. decret. pag. 13.*

Ex resol. diei 14. Septembris 1782 *Viterbien.*

IV. Utrum ligat utramque Dioecesim?

Vd : *Synod. Dioeces.* (Interess. Oblig. etc. decr. diei 11. Febr. 1708 ad 2.)

Ad dub.: An Synodus celebrata in Cathedrali Privern. die 24. Junii 1764 obliget civitatem et dioecesim Teracinen?

S. C. resp. Affirmative et amplius. Die 1. Mart. 1766.

b) Habitus Canonicor. ass. in missa sol. et aliorum Clericor. Synodo interessent.

Vd.: *Vicar. gen.* (habitus in Synodo.)

Dignitates Cathedralis Episcopo solemniter celebranti assistunt indutae Pluviali; Canonici Presbyteri Casula, Diaconi et Subdiaconi Dalmaticis, ubi juxta Tridentini Decretum sess. 24. c. 12. de reformat. sit facta Praebendarum divisio. Ubi autem ea divisio nondum est facta, omnes Canonici uti solent Pluviali. Bened. XIV. de Syn. dioec. l. 3. c. 11. n. 8. ex Gavant. c. 13. n. 2.

Coadjutores Canonicorum Ecclesiae Cathedralis utuntur vestibus, quibus in choro uti consueverunt. *Vicarii Foranei et Archipresbyteri seu Praepositi rurales* in aliquibus Dioecesibus aut Pluviale, aut aliud ornamentum assumunt, quo a caeteris distinguantur; in aliis autem nullum obtinent speciale Insigne. *Parochi* quoque alicubi praeter superpelliceum, seu Cottam, gestant capuccium, alibi stolam. *Caeteri de Clero* utuntur dumtaxat superpelliceo. *Idem ibid.* num. 8. ex Gavant. cit. cap. 13. Recte tamen cum ipso concludens, standum esse in his omnibus locorum consuetudini.

Si Episcopus in Synodo Missam privatim, vel nuttatenus celebret (quod tamen juxta tradita improbatur),*) Canonici Cathedralis utuntur dumtaxat vestibus Choralibus. Et ei interessenti, ut debet, Synodo omnibus ornato Pontificiis insignibus, assistunt Diaconus et Subdiaconus cum Dalmaticis, perinde ac si Missam celebranti inservirent, ut praescribitur in Pontificali Romano. *Idem ib. num. 9.*, Gavant loco citato.

Dignitates et Canonici Cathedralium habentes per Apostolicum privilegium usum Pontificalium, in Synodo, dum Episcopus Missam celebrat, Processio peragitur et Synodales sessiones habentur, *possunt uti sola Mitra cum vestibus aliorum Canonicorum propriis,* non vero cum aliis indumentis Pontificalibus. Cum enim Praepositus Collegiatae Sanctae Agathae civitatis Cremonae vellet Cremonensi Synodo interesse indutus Pontificalibus ornamentis, quorum usum illi caeteroquin competere nullus dubitabat, eique opponeret Episcopus, proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii: „*An praepositus S. Agathae possit ultra*

*) Vd.: *Synodus* (missa).

usum Mitrae in Cathedrali et actionibus Synodalibus uti baculo aliisque Pontificalibus ex laminis aureis cum separato genuflexorio et sede occasione celebrationis Missae in Synodo?" Sacra Congregatio die 5. Aprilis 1720. Respondit, ,,*Negative, excepto usu Mitrae simplicis in actibus Synodalibus tantum.*" Iterumque causa proposita die 4. Augusti 1733. Sacra Congregatio stetit in decisis, excepta qualitate Mitrae, quam dixit posse a Praeposito gestari *aurifrigiatam. Idem ibid. num. 11. et 12.*, ubi subjungit, quod credere fas est, ideo quoad hoc Sacram Congregationem sententiam mutasse, quia deprehensum fuit, Praepositum exemptum esse ab Episcopi jurisdictione. Caeteri quippe Mitrae usum sibi a Sede Apostolica concessum habentes, si Episcopi jurisdictioni subjaceant, in Episcopali Synodo Mitram simplicem dumtaxat et non aurifrigiatam gestare permittuntur, juxta apertam decisionem Clementis IV. in cap.: *Ut Apostolicae, de privileg. in 6. ibi:*

,,De Fratrum nostrorum consilio praesenti Decreto statuimus, ut Abbates et alii, quibus Mitrae usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem in Provincialibus Conciliis et Episcopalibus Synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) Mitris tantummodo aurifrigiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas, aut gemmam habentibus uti possint; non exempti vero simplicibus et albis ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis et non exemptis, Mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt." Unde Canonici et alii, qui nobiliori Mitra in aliis actibus et functionibus Ecclesiasticis ex privilegio utuntur, si eamdem in Synodo deferre gestiant, concludenter probare debent, id etiam honoris sibi specialiter et expresse et quidem post Clementem IV. fuisse a Sede Apostolica concessum.

Ad dub.: An possint in processionibus Synodi Canonici Colleg. Foggiae incedere parati et assistere in caeteris Synodi actibus parati, sicut Canonici Cathedralis?

S. C. resp.: *Negative.* N. 3563 ad 4 die 22. Maji 1700.

Archipresbyter Ecclesiae Colleg. Foggiae debet assistere in Actibus synodalibus cum habitu chorali.

Ibid. ad 5.

Dignitates et Canonici Collegiatae Casalen. in Synodo incedere debere in habitu chorali.

N. 4226 ad 3. die 15. Julii 1752. Vd.: *Vestes Episcopi.*

Baren.

Institum fuit a S. Rituum Congregatione declarari, an in sessionibus dioecesanae Synodi, quae fiunt in cathedrali Ecclesia Baren., Archipresbyter et Canonicus Procurator Collegiatae Ecclesiae nomine possint assistere, prout hactenus consueverunt, cum almutiis ejusdem Collegiatae insignis, non obstante quod Capitulum et Canonici cathedralis Ecclesiae praetendant eorumdem delationem ad ipsos privative in hujusmodi actibus spectare. Et S. eadem Congregatio, attenta relatione Rmi Archiepiscopi, declaravit Archipresbytero et Canonico praedictis competere in Synodo insignia collegiatae Ecclesiae quam ipsi repraesentant. Die 20. Martii 1660.

(Anal. J. P. 1863 pag. 362.)

c) Laici.

Magistratus, Judices et caeteri laici de Collegio non possunt, non invitante et contradicente Archiepiscopo, interesse Synodo et sedem habere in eo. N. 3549 ad 7. die 23. Januarii 1700.

Deputatus Aversanae intervenire et admitti potest, prout admittuntur alii cives, quando januis apertis promulgatur Synodus sed intimari non debet pro celebratione Synodi. N. 3682 ad 1. et 2. die 26. Aprilis 1704.

d) Missa sol.)

Vd.: *Missa vot. solemn. de Spir. S.* (dies). *Pallium; Synod.* (habitus Canonicor. etc.)

Archiepiscopus Pallio uti potest, dum solemnem Missam celebrat in Synodo *provinciali*: *Bened. XIV.* de Synod. dioec. l. 3. c. 11. num. 6. et expresse *Caeremonial. Episcop.* lib. 1. c. 31. ibi: „Cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur Pallio". Et de facto in Conciliis provincialibus pallio usos fuisse s. Carolum Borromaeum Mediolani et Benedictum XIII. dum erat Archiepiscopus Beneventi tradit *Card. Petra* tom. 5. in Constit. 3. Pii II. sect. unica num. 32. In Missa autem solemniter celebranda in *Synodo dioecesana,* nec Archiepiscopus nec Episcopus Pallii usum habens potest ipso uti, ut indubitanter asserit idem *Benedict. XIV.* cit. lib. 4. cap. 11. n. 6. dicens expresse, quod Pallii usus pro die Synodi dioecesanae nusquam reperitur Archiepiscopo aut Episcopo usum Pallii habenti concessus. Unde *Gavant.* in praxi dioecesanae Synodi cap. 13. satis apposite scripsit: „Habitus Episcopi in Missa *synodali* erit Pontificalis et coloris rubei. Si celebrat solemniter, assumit omnia paramenta usque ad Pallium exclusive." Quod etiam notavit *Pax Jordan.* tom. 2. lib. 8. tit. 2. n. 92. Episcopus, etsi Missam in Synodo non celebret, omnia habere debet Pontificalia ornamenta eique assistunt Diaconus et Subdiaconus cum Dalmaticis. *Idem* ibid. n. 9., qui tamen lib. 5. c. 1. n. 3. vult, quod Episcopus per seipsum, Missam celebret ut illi imponit recens Pontificale, quod prodiit auctoritate Clementis VIII. ubi Episcopo et non alteri dicitur: „Paratus in Sede celebrat Missam de Spiritu Sancto"; nec satis est, ut Episcopus Missam privatam faciat, sed omnino decet, ut solemni et pontificali ritu celebret. Sic quidem s. Carolus Borromaeus in Concilio provinciali Mediolanensi IV. *part. 2. titul.: Quae pertinent ad Sanctissimum Missae Sacrificium* pag. 152 dies enumerans, quibus Episcopus „Patrum monimentis et veteri eoque comprobato rituum caeremoniarumque Romanorum Codice sacra Mysteria solemni celebritate et pontificio apparatu perficere debet,. primam quoque dioecesanae Synodi diem inter illas recenset. Sic ille expressis verbis.

e) Ordo sed. et praecedendi.

Cf.: *Sedes Cleri in Synodo*; *Sedes Episcopor. in Conc. Trid. et Synodo prov.*

Canonicos et Clerum cathedr. in Synodo sedere debere a dexteris; a sinistris vero Canonicos Collegiatae cum suo Clero; in incedendo vero Capitulum *cum suo corpore et membris* debere praecedere Capitulum Collegiatae. N. 1323 die 11. Maji 1641.

Praecedentiam deberi in Synodo Canonicis Ecclesiae Colleg., collegialiter incedentibus, stantibus vel sedentibus supra Priorem regularem Ordinis Canonicorum regularium. N. 1370 die 22. Martii 1642.

Inter Dignitates et Canonicos Metropolitanae neminem interponi (in sessionibus synodalibus) posse, ex quo unum et idem corpus constituant; et idcirco Praepositum Collegiatae praeferendum esse Canonicis ejus Collegiatae tantum. N. 1913 die 13. Julii 1658.

Praecedentiam spectare ad Capitulum

Seminariae antiquiorem uti Collegiatam insignem supra Capitulum Sinopuli occasione Synodi dioec., Sessionum et Processionum aliarumque functionum causa illius celebrandarum sub quovis praetextu. N. 2721 die 9. Febr. 1675.

Ad Praepositos forenses Dioecesis Papiensis spectare praecedentiam eosque praecedere debere Vicariis foraneis in processionibus, sessionibus et aliis actibus fieri solitis occasione Synodi dioecesanae. N. 3049 die 11. Martii 1664.

Ad dub.: An Dignitates et Canonici Praebendati Ecclesiae Portug. debeant tam in locis et sessionibus quam in processionibus et reliquis Synodi actibus praecedere Abbates mitratos?

S. C. resp.: *Servetur Caerem.* num. 3139 ad 1. die 14. Junii 1687.

Occasione Synodi de sessione serventur notata per Gavantum in praxi c. 13. n. 10. tit. de Synodo. n. 4031 ad 7. die 12. Martii 1735.

f) Processionis crux.

Ad dub.: An in Processionibus, quae fiunt occasione Synodi, tam Capitulum quam Collegium Parochorum incedere debeant, sub unica Cruce totius Cleri seu potius quibus competat jus elevandi propriam Crucem, in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem et elevandam esse unicam tantum crucem Cathedralis et amplius. Die 7. Junii 1760.

g) Surrogatum.

Episcopus pro statuendis legibus synodalibus seu dioecesanis, attenta aeris temperie et nociva sanitati, potest in alium locum salubriorem ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri. num. 160 ad 1. die 3. Augusti 1602.

Januen.

(Conc. Trid. C. 10. Sess. 25., C. 2. S. 24. De ref.)

S. Concilium Tridentinum cap. 10. sess. 25. de reform. statuit: *In singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit: Statutum, et alioquin ad id aptas designari ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac Causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad Forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam Synodum etc.*

Occurrit in his terminis casus in Dioecesi Januen., in qua per plures annos non fuit celebrata Synodus provincialis aut dioecesana. Propterea Eminentissimus Archiepiscopus dubius de facultate, si aliquis interim mori contigerit, substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad hanc S. C. pro declaratione: *an valeat uti dicta facultate substituendi alium, etsi Synodus tam provincialis quam dioecesana non fuerit infra tempus a Concilio praescriptum sess. 24. cap. 2. de reform. celebrata.* Unde expetitur sapientissimum oraculum EE. VV. ut declaretur:

An et quomodo valeat Eminentissimus Archiepiscopus procedere ad substitutionem Judicum Synodalium in casu etc.?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, detur Archiepiscopo facultas substituendi cum consilio Capituli.

Die 1. Junii 1709.

h) Tempus.

Vd.: *Canonici* (Feriae.)

Ad dub.: An Episcopus pro sta-

tuendis synodalibus, seu dioecesanis, attenta aëris intemperie et nociva sanitati ipsius Episcopi, possit in alium locum salubriorem et commodiorem, pro dictis legibus determinandis et statuendis ad se vocare duos Canonicos procuratores Capituli et duos alios procuratores Cleri? S. R. C. respondit, „posse, dummodo duo Canonici praedicti longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, a sua Ecclesia non abfuerint.“ Et ita declaravit et ad praedicta dubia ut supra respondit die 3. Aug. 1602. N. 160.

Egitanien.

Pro parte Episcopi Egitanien. iterum institutum fuit super primo dubio in praecedenti Congregatione proposito et pro concessione longioris temporis quam a Concilio praescribitur, cum id tempus non sufficiat ad leges synodales statuendas, in quibus determinandis diu laboratur, cum omnia exacte examinentur coram Episcopo et dictis Procuratoribus et aliis Doctoribus, et cum dictae leges respiciant utilitatem publicam totius Dioecesis, petitum fuit, ut dictis duobus Canonicis licentia concederetur abesse ab Ecclesia per totum tempus, quod hujusmodi negotium durabit: maxime cum in Ecclesia pro ejus servitio triginta existant personae.

S. C. respondit: „Tempus indefinitum non esse dictis Canonicis concedendum, sed, attentis narratis, posse concedi tempus sex mensium“, censuit et declaravit. N. 161 die 30. Aug. 1602.

2) Provincialis.

(Sedes Episcopor. inter sese.)

Vd: *Sedes Episcopor. in Synodo provinc.*

T.

TABACCUM.

Vd.: *Habitus Clericor.* (n. 7.); *Visitat. Presbyt.* (n. 5.)

Ad dub.: An in choro et in Sacrario inter Missas sumi possit tabaccum?

S. C. resp.: Servandum esse Breve PP. Urbani VIII. die 30. Jan. 1642 editum incipiens: *Cum Ecclesiae* etc. n. 1454 ad 3. die 13. Junii 1643.

Breve Urbani Papae VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum Ecclesiae divino cultui dicatae domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito nos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem ecclesiis quicunque actus profani et indecentes procul arceantur. Itaque cum, sicuti pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli Ecclesiae, Metropolitanae Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore vel naribus tabaccum, vulgo nuncupatum, usus adeo invaluerit, ut utriusque sexus personae ac etiam Sacerdotes et Clerici, tam saec. quam regulares, clericalis honestatis immemores, illud passim in civitatis et dioecesis Hispalensis ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam ss. missae sacrificium celebrando sumere linteaque sacra foedis, quae tabaccum hujusmodi prolicit, excrementis conspurcare ecclesiasque praedictas tetro odore

inficere magno cum proborum scandalo rerumque sacrarum irreverentia, non reformident.

§. I. Hinc est, quod Nos, ut abusus tam scandalosus ab ecclesiis hujusmodi prorsus eliminetur, pastorali nostra solicitudine providere ac Decanum et Capitulum praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani et Capituli, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus personis, tam saecul. quam ecclesiasticis etiam cujusvis Ordinis, Instituti ac Militiarum, etiam Hospitalis s. Joann. Hierosolymitani Regularibus quomodolibet qualificatis et quantumlibet privilegiatis et exemptis etiam speciali nota et expressione dignis, *ne de caetero in quibusvis civitatis et dioecesis praedictarum ecclesiis earumque atriis et ambitu tabaccum sive solitum sive in frustra concisum aut in pulverem redactum ore vel* naribus aut fumo per tubulos et alias quomodolibet sumere audeant vel praesumant *sub excommunicationis latae sententiae eo ipsa absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendae poena, auctoritate ap. tenore praesentium interdicimus et prohibemus.*

§. II. Quocirca V. Fratri Archiepis. Damatiensi moderno et pro tempore existenti nostro et ap. Sedis in Regnis Hispan. Nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se vel alium seu alios praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit solemniter publicari faciat illas et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles ac prohibitioni hujusmodi non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§. III. Non obstantibus felicis record. Bonifacii PP. VIII. Praed. nostri de una et in Concilio gen. edita, de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur aliisque Constitutionibus et Ordinationibus ap. etiam Conciliaribus, necnon Ecclesiarum praedictarum ac quorumvis Ordinum, Congregationum et Institutorum regul. ac Militiarum et Hospitalis s. Joannis Hierosol., etiam juramento, confirmatione apost. vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis ac Ordinationibus capitul., privilegiis quoque, indultis et literis ap. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus vel alicui, conjunctim vel divisim, sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Pisc. die 30. Januarii 1642. Pont. nostri anno decimo uno.

Excommunicationis poena Tabaccum sumere in Basilica Vaticana ejusque

Choro, Capellis, Sacrario Porticu et Atriis sumere prohibuerat Innocentius X. sub die 8. Januarii 1650. Const. incip.: *Cum sicut. Ast istam sustulit Benedictus XIII. sub die 10. Jan. 1725 ut patet in sequenti Notificatione:*

„Annibal miseratione divina tit. s. Clementis Presbyter Cardinalis Albanus S. R. E. Camerarius et hujus sacrosanctae Basilicae Archipresbyter."

Omnibus et singulis nostras hasce literas inspecturis compertum esse volumus a ss. D. N. Benedicto divina providentia PP. XIII. per ejus speciale Chirographum seu motum proprium ad nos directum et datum sub die X. mensis hujus Januarii anni 1725 nobis a Sanctitate sua demandatum fuisse, ut cunctis Christifidelibus utriusque sexus ac praesertim Reverendiss. Capitulo et Clero sacrosanctae Basilicae Vaticanae significemus et notum faciamus, prout praesentibus exequimur, ab eadem Sanctitate sua, justis prudentibusque de causis in eodem motu proprio indicatis, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, abolitam fuisse ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda omnibus et singulis vetuerat, ne in Basilica praefata ejusdemque sacrario, Choro, Capellis, Porticu et Atrio Herbam Nicosianam, vulgo Tabaccum nuncupatam sive in solidum sive in frusta concisum sive in pulverem redactum, fumum ex eo elicitum ore, naribus aut alias quomodolibet sumere auderent vel praesumerent: et virtute memorati Chirographi quibuscumque a Sanctitate sua factam fuisse potestatem dicto Tabacco in recensitis sacris locis pro libito utendi illumque sumendi, cujusvis ecclesiasticae censurae comminatione omnino sublata." „Quia tamen in laudato motu proprio eadem Sanctitas sua expresse declaravit, ejusdem mentem non esse aut unquam fuisse, ut ex narrata permissione, reverentia et honor dictae sacrosanctae Basilicae debitus ullatenus minuatur et ideo nobis, qui praefatae Basilicae immeriti quamvis Archipresbyteri munere fungimur, districte praecepit, ut ejusdem Reverendiss. Capitulo et Clero, qui caeteris aliis exemplo praeire debet, ea servanda mandaremus, quae ad augendam Domus Domini Sanctitudinem et cultum huic toto Orbe celeberrimae Basilicae praestandum, cujus incrementum Sanctitas sua quam maxime in votis habet, facere et conducere judicaremus."

„Hinc piissimis hisce Sanctitatis suae mandatis morem ex animo gerentes, praesenti Edicto Rev. Capitulo totique Clero suprad. Basilicae districte in Domino praecipimus, non modo, ut in ipsa Basilica vel ejus Choro aut Sacrario Tabaccum ita circumspecte sumant, ut nemini eorum, qui aderunt, scandali et offensionis ingerant occasionem, verum etiam, quod illorum nullus, praesertim dum Choro interest et divinis operatur officiis, Arculam seu Thecam, in qua Nicosianam pulverem servat, ad alios in orbem seu gyrum mittere palam et publice audeat, sub poenis arbitrio nostro juxta modum inobedientiae infligendis. Volumus autem, ut haec voluntatis nostrae significatio praesentibus literis consignata in Sacrario memoratae Basilicae ac in loco conspicuo, qui ab omnibus cerni possit, semper affixa remaneat in perpetuum omnium supradictorum praeceptorumque monumentum."

Dat. Romae ex nostro Palatio ad quatuor fontes 15. Januarii 1725.

Loco † Sigilli.

A. Card. S. Clem. Arch.

Tabacci cujuscumque usus ante Missam et communionem indecens est, ut notant passim Doctores et signanter *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 560. ubi dicit, quod Urbanus VIII. Constit. 161. et Synodus Coloniensis pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel Laicus ante Missam vel Communionem sumat Tabaccum nasale; si autem Tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant Doctores cum Busemb. lib. 6. part. 1. tr. 3. cap. 2. dub. 2. art. 2. vers. Et si parvitas, et multo magis dedeceret, si masticaretur.

An vero sumptio Tabacci frangat jejunium naturale? Variant Doctores. *Antonius* enim de Leone in quaestionibus moralibus de Chocolata part. 1. §. 4. n. 10. et seq., *Lezana* tom. 2. verb. Eucharistia n. 16. et alii, dicunt violari jejunium naturale ad Communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem Tabacci naribus sumit. *At vero rectius hanc sententiam rejiciunt Diana* part. 5. tract. 13. resolut. 1. et part. 8. tract. 7. resolut. 3., *Pasqualig.* in praxi jejunii decis. 438., *Lugo* in respons. moral. lib. 1. dub. 9., *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 570. cum aliis ibi citatis et alii passim; et ratio est, quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvitur; sed vel est trajectio salivae vel respiratio vel attractio seu efflatio narium.

Difficultas major est de his, qui folia Tabacci ore sumunt et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda. De istis enim *Antonius de Leone* loc. cit. dicit non esse dubium, quod violent jejunium, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur; et ipsum sequuntur alii et praesertim *Lezana* l. c. dicens frangi jejunium, nisi moraliter certum sit, nihil in stomachum pervenisse. Et *Alphonsus de Leone* et *Joannes Praepositus*, quos affert et sequitur *Diana* loc. cit., *Raynaud.* in Hetor. tom. 16. sect. p. 3. n. 23. et alii dicunt non violari jejunium, si nihil in stomachum trajiciatur: *Gobat* autem t. 1. tr. 4. n. 265., *Burg. et Mercant. cum La Croix* lib. 6. part. 1. n. 569. et alii plures et ex professo *Lugo* in Respons. moral. lib. 1. dub. 6. n. 5. dicunt, per id minime frangi jejunium fateturque ibi *Lugo,* quod talis sit praxis Doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo Tabacco utuntur et ejus folia primo mane ore versant et dentibus conterunt et postea ad Communionem et Missam celebrandam accedunt sicque sibi respondisse omnes a se consultos „viros doctos et Theologiae Professores volentes, quod ad hoc, ut Tabaccum ore sumptum et dentibus contritum sputa et phlegmata aliosque superfluos humores attrahat, non sit necesse ut aliquis succus foliorum Tabacci descendat in stomachum, quia fieri potest per vim attractivam, ex consensu linguae et palati cum stomacho, cerebro aliisque partibus continentibus. Caeterum tenendum est, quod si aliquis Tabacci succus in stomachum trajicitur, tunc frangatur jejunium naturale; secus autem non, ut praeter supracitatos cum aliis docet etiam *Pontas* verb.: *Missa cap. 6.*

Tabacci praesertim excessivus usus, ni dicam abusus, non parva affert incommoda, si expertibus in arte medica fidem habere velimus. Simeon Paulus enim Medicus Regius Tarbusiensis pag. 8. terg litt. D. sic expresse habet: Quotus quisque ergo est, nisi ipse sit Architabaccarius atque adeo animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus aut foraminulis ossis ethmoidis a pulvere Tabacci obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis neque aërem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species admittere possit, quin necessario

olfactu intercidat." Et paulo post: „Cum ergo ad nasi radices usque pulvis Tabacci narcoticus magna copia violenter attrahatur et punctum temporis natura otiosa non sit ac in vivo corpore ex Decretis Hippocratis nostri, omnia sint permeabilia ac transpirabilia, utique aliter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatae a narcotica Tabacci facultate affligantur."

Et Jo. Chrysostomus Magnenus, Professor Medicus in Universitate Ticinensi, Exercit. 8. §. 4. sequentia Tabacci incommoda recenset: „Primum incommodum est Odoratus abolitio; membranarumque nervique odoratorii exsiccatio, processuum mamillarium tabes, ut probavimus." §. 15. Exerc. 6. secund. „Inducta cerebro intemperies, quae memoriam labefactat. Tertio operantur in Medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus. Quarto attrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos immoderataque exsiccatione aliqui vix sibi satis constant. Quinto senium, mortem accelerant adventitia siccitate humido radicali infesta. Sexto febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, et phrenetidi. Septimo, vidi non neminem, cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrogaverat humorem, unde et fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt tinnitusque aurium cuipiam contingit effrenato hujus pulveris usu."

Tabaccum Jacobus VI. Britannorum Rex interdixit suo in Regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari.

Et Amuretus IV. Turcarum Imperator sub poena capitali ipsum prohibuit, teste dicto Magneno Exerc. 6. §. 10. et 11. ne subditi vel inebriarentur vel infoecundi redderentur.

Quamvis Tabaccum cujuscumque generis ante et paulo post celebrationem Missae et sumptionem Eucharistiae, quaedam Synodi etiam sub Censuris interdixerint; qua propter his suffulti auctoritatibus *Clericatus* de Sacrament. Eucharist. decis. 54. num. 12. cas. 2., *Natalis Alexander* Theolog. Dogm. et moral. t. 1. in append. 1. variar. Epistol. 45., *Sarnellus Episcopus* tom. 6. Epistol. ecclesiastic. Epist. 30., *Hurtad.* resolut. moral. tom. 2. tract. 11. cap. ult. docuerunt, oportere ac decere, ut Episcopi in suis Synodis edicant, ut a nemine ante Missae celebrationem aut sanctissimae Eucharistiae perceptionem, tabacci folium manducetur; *Benedictus XIV.* De Synodo dioecesana lib. 7. cap. 63. n. 3. relicta in medio seu indecisa quaestione de tabacci folii masticatione, tradit nequaquam hodie expedire, ut usus tabacci fumi aut pulveris naribus attracti sub Censurarum poena interdicatur, cum hodie a communi consuetudine sit adeo talis usus cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum praebeat aut admirationem causet. Unde nimium severus notaretur Episcopus, qui dictis antiquis Synodis insistens dicti Tabacci usum aut omnibus ante sacrae Eucharistiae perceptionem aut solis Sacerdotibus ante Missae celebrationem interdiceret, adjecta praesertim in transgressores Censurarum poena.

TABELLA.


1) Casuum reservat. in sede confess.

Vd.: *Visit. de Poenitentia.*

2) Horaria.

a) Pro adorat. SSmi expositi.

Vd.: *SS. Sacram.* (adorat.); *Expos. SSmi* (adoratio.)



b) Pro chori servitio et missis legendis.

Ad dub.: An tabella horaria ab Episcopo praescripta sit servanda a Canonicis Ecclesiae Suessanae seu potius sit servanda tabella antiqua horaria?

S. C. C. resp.: Ad Emmum pro nova confectione tabellae ex integro. Die 18. Augusti 1708 ad 1.

Ad dub. I: An Beneficiati, quibus ex fundatione non est statutum certum tempus celebrationis, cogi possint diebus dominicis, festis et publicarum precum Missam celebrare certis horis Tabella praefiniendis? Et quatenus affirmative.

II: An et a quo sit conficienda tabella?

S. C. resp. ad I: Affirmative et amplius;

ad II: Tabellam esse conficiendam a Parocho cum approb. Ordinarii et amplius. Die 14. Martii 1767.


Vd.: *Sacerdos celebrans ex oblig. propt. populi commodum.*

Urbevetana.

Est in dioecesi Urbevetana Castrum nuncupatum *s. Venantii,* cujus populi spirituali servitio unus Parochus olim reperiebatur addictus, deficientibus penitus Capellanus seu quibusvis alterius generis Beneficiis, quorum Rectores aut sacro pabulo eum recreando aut recitatione Missarum Parocho ipsi ferrent suppetias. Pietatis ductu ac religionis Canonicus qnondam Carolus Misericordi ex eodem Castro postrema suae voluntatis dispositione cavit, ut sine filiis defuncto Paulo Antonio fratre, quem ex Asse haeredem scripserat, ex quibusdam proprii patrimonii fundis perpetua mere laicalis Capellania constitueretur in Ecclesia s. Liberatae dicti Castri cum onere seu per se seu vero per alium quolibet die festo adorandum in illa Sacrificium offerendi; simulque vetuit huic oneri per Parochum satisfieri, eademmet die alteram Missam in una ex Ecclesiis Castri celebrari curaret. Patronatum vero activum atque passivum certis reliquit familiis in testamento designatis.

Mortuo absque prole Fundatoris haerede, factus est locus erectioni volitae Capellaniae, quae anno 1752 auctoritate Episcopi ordinaria peracta fuit. Primus eam obtinuit Romualdus Hippoliti, cui per legitimam praesentationem modernus Rector successit Sacerdos Crispinus Buldrini. Sane Parochus tantum in eo Castro dominici Gregis vigilias custodit et ad omnes sui muneris partes rite obeundas sive in audiendis Exomologesibus sive in Sacramentis administrandis sive in infirmorum cura, cogitur de mane diebus *Deo* sacris Missam facere: Populus autem in unum ad Ecclesiam eadem hora convenire non potest. Matribus siquidem necesse est infantes regere; nonnullis vero, prout agricolis pastoribusque usuvenire solet, in custodia boum et armentorum occupari; aliis demum ad alia remanere negotia, dum familiae reliqua pars ad audiendam Missam se confert. Unde accidit saepius, quod multi Sacro non intersint, nisi praesens afferatur remedium.

Cui quidem malo mederi facile posset Sacerdos Buldrini Capellaniae, de qua diximus, Rector; qui tamen existimans, lege fundationis attenta, liberum sibi esse quamcumque horam magis benevisam eligere, sine respectu ad populum, eoque non exspectato, Missam recitare consuevit. De hoc doluerunt sibi Massarii illius Castri, qui, porrecto supplici libello sacro huic Senatui usque ab *anno 1771*, petierunt declarari, an Capellanus praefatus congrua temporis spatia post Missam parochialem observare tenea-



tur, ut incolae, qui illam audire nequeunt, ad secundam possint accedere.

Episcopus de sententia tunc interrogatus putat Capellanum propria libertate frui ex pontificii Juris dispositione statuentis, *tum* quod Presbytero liberum sit quavis hora canonica Missam peragere. *Can.: necesse et can.: nocte sancta de consecr. dist. 1.*, *tum* etiam quod nova onera, praeter contenta in literis fundationum, Capellanis non debeant imponi, *Sacra Congregatio in Florentina 12. Martii 1718, et Fagnan. in cap.: Conquerente de Cler. non resid. num. 17.* Haec militare in hodierna quaestione, dum Testator horas ad celebrandum non praefinivit. Quamvis autem Fundator in Parochum adjecerit prohibitionem, de qua meminimus, ex ea tamen erui posse credit, *vel* respexisse illum ad onus Missae pro populo diebus festis Animarum Pastoribus inhaerens, unde nequeat Parochus duplex praeceptum adimplere; *vel* ad summum optasse, quod iisdem diebus successive et alternatim Sacrum bis diceretur, non autem hora populi indigentiis accomodata. Verum adesse insuper duo in Castro Sacerdotes, qui valeant succurrere, prout in pastorali Visitatione ipse providit, praescribendo diversas horas pro celebratione, quarum postrema alternatim ab omnibus, nec Parocho excepto, observanda est circa Meridiem. Ita arguit Urbevetanus Episcopus.

Ideo prodiit *die 14. Martii 1772* Rescriptum: *Ponatur in Folio, citata parte.* Quoniam vero judiciale experimentum reformidavit populus, hinc siluit res usque adhuc. At necessitate suadente nunc preces renovant Massarii, ut EE. PP. horam celebrationis *Campanae sonitu significandam et Parochi judicio opportunam* Buldrinio praestituant, cum alii duo Sacerdotes Castrum deseruerint et solus ipse inveniatur ibi, sicuti Parochus testimonio proprio confirmat.

In quo conflictu, quid sacrae leges ferant quaeve Fundatoris placita fuerint, animadvertendum se offert. Certe Ecclesia, quae ab Apostolorum aevo generali lege statuit, ut fideles omnes diebus dominicis aliisque festis Missae interessent, eadem ipsa sollicita maxime fuit, ut illius audiendae omnimodis copia suppeteret. Hinc factum est, ut quamvis Romae et Alexandriae unicum in singulis titulis eodem die Sacrificium ageretur, ut animadvertunt *Ballerin. in adnotat. ad Episc. 9. s. Leon. n. 5.*, nihilominus Dioscorum Episcopum Alexandrinum s. Leo Pontifex per apostolica scripta monuerit, sacrum Conventum ad subveniendum populis esse iterandum: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet illud quoque volumus custodire, ut cum solemnior quaeque festivitas conventum populi mumerosioris indixerit et ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non posset, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: nec his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, praesentia novae plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quaedam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum Missae more servato Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam et familiariter admonemus, ut quod nostrae consuetudini ex forma paternae traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia Nobis et fide et actibus congruamus, d. Epist. 9. edit. Ballerin. viden. adnotat. citat. tom. 2. Op. pag. 1309. seqq.* Inde etiam ec-

ecclesiastica disciplina atque praeceptum de unius Sacrificii actione a quolibet Presbytero eadem die excipit Parochum duabus praelatum plebibus, quin tenetur *duas in unaque scilicet Parochia Missas celebrare, ne alterutrius Ecclesiae populus die festo sacro audiendo excludatur*; *Ben. XIV. de Synod. dioeces. lib. 6. c. 8. n. 2.* Sapienter equidem ac salubriter talia instituta sunt seduloque disposita, ut illius excellentissimae charitatis, quam in sua Passione Christus monstravit, jugis apud fideles memoria maneat, ut immaculatae oblationis salutari praesentia recreentur, utque *Sacerdos preces populi Deo offerat et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfaciat; s. Thom. 3. par. qu. 22. art. I. in Corp.*

Recte igitur communior Theologorum sententia docet: *Sacerdotem, qui nec animarum curam neque beneficium neque stipendium obtineat, rem divinam operari debere, cum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua parochia Sacrificio careret, eo quod pars populi celebranti Parocho interfuerit, reliqua vero satisfacere praecepto nequeat, quia tantae hominum multitudini Ecclesia satis non fuerit*, ut ait *S. M. Bened. XIV. Institut. Eccles. 94. num. 18.*, quod potiori ratione affirmandum videtur de servanda celebrationis hora populo necessaria.

Sane uberrimo fructu carere ut plurimum fideles debent, ni divinae adstent oblationi, cujus quidem gratiae ab omnibus pie sancteque audientibus percipiendae eos privare sola libertatis et quietis causa nefas esse videtur Sacerdoti, qui monente *Apostolo Philipp. 2.* non debet quae sua sunt considerare, sed ea, quae aliorum, sacerdotale namque postulat ministerium, ex s. Antonini sententia in *Summ. par. 3. tit. 14. cap. 7., exhibere tempore suo Sacramenta sancta et orationum munimenta, unde dicitur Sacra dans.*

Denique fuse tradit *Ceccoper. Lucubr. canon. lib. 3. tit. 12.* plurimum Doctorum vestigia premens, teneri Sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos Missam inchoare debitis horis atque temporibus aptis juxta ordinem Tabellae vel mandatum Sacristae pro populi commoditate, etsi Capellanias de Jurepatronatu laicorum obtineant et Episcopi partes esse in actu visitationis providere, ut prima Missa summo mane et dein caetera debito intervallo usque ad meridiem, praesertim diebus festis ad populi solatium recitentur. Nec quicquam obstare juris theorema, quod non possit Episcopus novum onus imponere Capellaniis Jurispatronatus Laicorum, quia id intelligitur de majori Sacrorum numero, non autem de norma ordinate peragendi Missas in fundatione adjectas, quod onus nec novum est, cum ab ipso jure sit impositum et ei Fundatorem se voluisse conformare praesumitur. Immo nec Fundatoribus ipsis, quamvis mere laicales ordinent Capellanias, licere pactum apponere, quod Rectores temporibus et horis sibi benevisis libere possint celebrare, quod in detrimentum vergeret servitii Ecclesiae et cultus divini. Haec ille. Ac revera laudabiliter *s. Carolus Borromaeus* aliique Episcopi synodalibus Constitutionibus providerunt, ut in Ecclesiis, in quibus plures Missae recitari solent, per distincta temporum intervalla ad populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem seu alias per congrua spatia, *in Conc. provinc. Mediolanen. I. part. 2. tit.: quae pertinent. ad celebr. Missar.; Ravennaten. anni 1317 cap. 12., Hispalen. anni 1512 cap. 12., Lucan. anni 1681 part. 2. cap. 8. num. 16..*

Fulginaten. Battistelli cap. 20. §. 6. Rationem reddit *Brach. Prompt. Synod. cap. 81. num. 26.*, quia Presbyteri non unice pro ipsorum utilitate promoveantur sed etiam Ecclesiae et populi.

Sacra Congregatio Episcoporum et Regular. in Januen. 18. Martii 1578, quod refert *idem Brach. loc. cit. n. 29.* respondit, Sacerdotes etiam, qui ex sola propria devotione vel vigore Jurispatronatus celebrant, horis Ecclesiae commodis Sacrum facere debere.

Observare autem praestat, quod Episcopus ipse Urbevetanus in actu visitationis jussit, ut Parochus ac tres reliqui Sacerdotes, quot tunc erant in Castro s. Venantii moram trahentes, diebus de praecepto festis diversa hora et ultimus circa meridiem sacrum conficeret. Quumque Parocho, ob causas superallatas, diluculo opporteat celebrare, videndum, an Sacerdos Buldrini solus praeceptum de Missa meridiana servare cogatur.

Verum nec Fundatoris voluntas praetereunda est. Verba testamenti haec sunt: *Vuole, e determina, che d'un suo Podere in vocabulo etc., come anche d'altro Tenimento in vocabulo etc., si formi, e constituisca una Capellania perpetua nera Laicale nella Chiesa di s. Liberata fuori del Castello di s. Venanzo, e che il Rettore di Essa sia tenuto celebrare in detta Chiesa una Messa in perpetuo in ogni giorno festivo, e che detta Messa non si possa soddisfare dal Curato pro tempore di detto Castello ogni qual volta, che questo non faccia dire altra Messa nello stesso giorno, o nella Chiesa parrocchiale o nella stessa Chiesa di s. Liberata, o altre Chiese di detto Castello.*

Quibus spiritualibus auxiliis indigeret populus patriae suae noscere debuit Testator et ad Fundatorum mentem eruendam plurimum valent circumstantiae loci, temporis ac personarum. Unde, an prohibitio in Parochum lata a Canonico Misericordi suadeat, voluisse illum fidelium necessitati potius consulere, dijudicant EE. PP., quorum spectatissimae doctrinae ac prudentiae difiniendum proponitur.

An et qua hora Rector Capellaniae Misericordi diebus festis teneatur Missam celebrare in casu?

S. C. resp.: Teneri pro hora ab Episcopo designanda et scribatur juxta instructionem.

Die 15. Martii et 19. Aprilis 1777.

Ad dub.: An PP. Carmelitae Aquen. possint dare signum et celebrare missam in diebus festivis eodem tempore vel antequam detur signum et celebretur missa parochialis?

S. C. C. resp.: Affirmative. Die 9. Junii 1708 ad 14.

Ad dub.: An horae pro celebratione Missarum solemnium aliarumque ecclesiasticarum functionum in Ecclesia sint determinandae a Rectore vel a Beneficiatis?

S. C. resp.: Juxta votum Episcopi. Die 12. Martii 1757.

Ad dub.: An sit officii praefecti chori in solemnitatibus Nativitatis et Paschatum curare ut fiat syllabus seu catalogus, in quo describantur per ordinem omnes, ad quos de jure et consuetudine spectat peragere illas sacras functiones?

Resp.: Syllabus seu catalogus eorum, qui sacra solemnia facturi sunt iisque ministrare debent, fieri generatim solet a caeremoniarum magistris adjecta superioris approbatione. Ita viget in alma urbe et praecipue in Ecclesiis patriarchalibus, ubi initio cujusvis mensis vel hebdomadae apponitur in sacrario dictus catalogus a primo

caeremoniarum magistro dispositus et a Vicario Capituli, id est ab eo, qui choro praeest, approbatus. Quod fit in urbe, peragi quidem posset extra in aliis ecclesiis et non solum diebus solemnibus Paschatum et Nativitatis, sed etiam in caeteris totius anni functionibus. Proinde ad casum praedictum S. C. resp.: „Disponatur catalogus pro omnibus chori functionibus a caeremoniarum magistro et a prima dignitate seu chori praefecto approbetur.“

Die 7. Septembris 1861.

(Anal. J. P. 1863 pag. 2249.)

Vd.: *Missa* (distributio).

Conficere tabellam horariam pro divino Officio celebrando aliisque explendis functionibus ecclesiasticis spectat ad Archidiaconum uti Cantorem (Metropol. Hydruntinae); ad eundem spectat auctorante Archiepiscopo et juxta solitum alteram tabellam designativam eorum perficere, qui debent canere Evangelium et Epistolam. N. 4358 ad 2. et 3. die 7. Dec. 1771.

Ad dub.: An sit Officii praefecti chori in Solemnitatibus Nativit. et Paschatum curare, ut fiat catalogus, in quo describantur per Ordinem Omnes, ad quos de jure et consuetudine spectat peragere illas s. functiones?

S. C. resp.: Catalogum pro omnibus chori functionibus disponendum a Caerem. Magistro et approbandum a prima Dignitate seu praefecto chori.

Die 7. Septembris 1861.

3) Missarum legendarum et lectarum.

Vd.: *Missa* (descriptio). *Stipendia* (utrum acceptatio licita sit a Sacerdot. et Eccles. etc.?)

Cum absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli Rectores quarumcumque tam saecul. quam regul. ecclesiarum seu illarum Capitula, ne missas tum perpetuas tum temporales et manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant atque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et tempor., literis perspicuis et intelligibilibus descriptam; quorum implemento si moraliter et intra praescriptum sed breve tempus satisfacere non posse seu illa dumtaxat et non alteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias missas sive perpetuas sive temporales sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis esse impares.

S. Conc. Trid. Die 23. Nov. 1697.

Non potest Episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes missarum, ad hoc, ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debitae ex legato pio,

S. C. C. 10. Maji 1663. *Urbinat.* (Conc. Tr. S. 22. c. 7. de refor.)

Vd.: *Stipend.* (liber etc.); *Missa* (descriptio). *Visit. de missae celebr.*

Decretum S. Congregationis Visitationis Apostolicae.

Inter gravissimas apostolici ministerii sollicitudines Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. curam piarum institutionum maximam gerens, tum ut fideliter impleantur, tum ut bona iis addicta diligenter administrentur, data per hanc S. Congregationem Encyclica die 14. mensis Augusti anno 1847 jusserat ut aedis sacrae cujuslibet Curatores de simplicibus Bene-

ficiis, de Capellaniis et Legatis piis singula diligenter referrent, ut descripta et per elenchos disposita in Tabulario hujus S. Congregationis observarentur. Ita exploratis atque collectis, quae piarum institutionum originem, quae onera, quae fundos assignatos, bonorum statum, augmentum, imminutiones, administrationem respiciunt, vigilare accuratius poterit Sacra Congregatio ad munus sibi creditum obeundum; efficietque ne mora interponatur exequendis piorum Testatorum voluntatibus, ne deficientibus legitimis hypothecarum inscriptionibus aut transcriptionibus vel administratorum negligentia piarum institutionum bona minuantur. Praeterea avertet commodius invalescentes abusus, vitabit continuas onerum diminutiones ac frequentissimas remissiones. Opus hoc utile in primis ac laboriosum cum publicae calamitates hucusque distulerint, quo tandem ad exitum perduceretur Sanctissimus Dominus Noster eidem S. Congregationi commisit, ut methodum et media significaret, quae rei gerendae magis accomodata esse viderentur. Quapropter Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinales s. Visitationi apostolicae praepositi re diu considerata, cum constituerint methodum, qua tantae molis negotium mediocri impensa atque omni solertia absolveretur, et aequum esse censuerunt ex ipsis legatis piis necessarios sumptus comparari, quibus servandis novus hic labor inservit. Verum cum viderint simplicem onerum revisionem, quae in hac S. Congregatione pervetusto usu adhibetur, prodesse maxime ad tuendam Legatorum piorum solutionem, nonnulla avertenda esse incommoda existimarunt, quae in exhibendis libris occurrunt. Hisce animadversis in Comitiis generalibus habitis in Palatio apostolico Vaticano die 21. mensis Augusti hujus anni decreverunt:

I.

Beneficiati et Capellani libros Missarum apud se retinentes, eosdem ad Sacrariorum Praefectos et ad Rectores Ecclesiarum deferent intra duos menses cujusque ineuntis anni, indicta contra refragantes mulcta unius Julii pro quolibet die.

II.

Ecclesiarum Rectores et Sacrariorum Praefecti intra tres menses cujusque ineuntis anni omnes deferent Missarum libros ad Secretariam Sacrae Congregationis Visitationis apostolicae eorumque nomina denuncient, qui libros ipsis exhibere fortasse detractaverint idque sub poena juliorum quinque pro quolibet die.

III.

Ex singulis centum Missis quotannis celebrandis trium Missarum celebratio ad tempus remittatur, quarum eleemosynae novis sumptibus a S. Congregatione faciendis inservient et si quid inde pecuniae superesse contigerit, in Missarum celebratione fideliter impendetur. Hanc solutionem per semestria quaeque intervalla (quorum a die prima Julii mox elapsi inchoatum statuitur) exequi teneantur penes Secretariam S. Congregationis Basilicae omnes tam patriarchales quam collegiatae omnesque Ecclesiae, quotque in Urbe ejusque Territorio sunt cum Saecularium tum Regularium, iis solummodo exceptis, in quibus una tantum Missa quotidie celebratur: ad eandem solutionem teneantur etiam singuli Capellani et Beneficiati.

Quae omnia cum ad SSmum Dominum Nostrum relata fuerint die vigesima tertia ejusdem mensis Augusti, Sanctitas Sua auctoritate apostolica adprobavit confirmavitque atque illud praeterea jussit, ut in Ecclesiarum Sacrariis praeter Missarum onerum tabellam altera quoque distincta pa-

teat, in qua cetera legata ac pia ejusque generis onera adnotentur.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Visitationis apostolicae die 20 Septembris 1851.

C. Card. Vicarius, Praeses.
Aloysius Fausti, Pro-Secretarius.
Petrus Amici Fiscalis
et Comissarius.

(Correspond. de Rome 14. Octobris 1851 n. 79. pag. 383.)

Ad dub.: 1. An et ad quem vel quos spectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Missae, Anniversaria aliaque opera pia in eadem Ecclesia fundata?

2: An a Rectore vel a Beneficiatis sit conficienda cartella, in qua adnotantur Missae singulis diebus aut hebdomadis celebrandae?

S. C. resp. ad 1: Spectare ad Rectorem;

ad 2: Esse conficiendam a Rectore.

Die 12. Martii 1757.

Derthonen.

Ad dub.: An Sodales SS. Nom. Jesu debeant tenere librum peculiarem, in quo adnotetur adimplementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 26. Januarii 1760.

Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Prov. Castellae.

Pius PP. VI.

Denique statuit admodum reverendum definitorium, quod in singulis conventibus infra terminum omnino sex mensium a die, in quo hujusmodi acta inibi recipiantur, computandum, efformentur tabellae missarum perpetuarum unicuique incumbentium cum expressione illarum, quae cum cantu et quae sine sunt explendae, an ad designatum altare et statuto die cum reliquis circumstantiis et conditionibus cujuslibet fundationis. Hujusmodi autem tabellarum, duo affiguntur exempla, in cella priorali unum, in sacrario alterum injungendo, prout injungitur admodum reverendis, patribus provincialibus, ut in visitationibus curent, quod duae praedictae tabellae appensae continuo remaneant, et ab iis examinetur, utrum respondeat veris obligationibus cujuslibet conventus et satisfiat exacte omnino relatis missis, quarum numerus juxta tempus propriae fundationis imminuere debet illas, quae recipi possint et sunt explendae omnino infra terminum triginta dierum jam praescriptum pro missis manualibus, quae valent admitti.

(Bull. r. Contin. t. VIII. pag. 167. Ed. Romae.)

Ut onera beneficiis adnexa dignosci possint, edantur oportet fundationis tabulae aut alia publica monumenta, quae fundatoris voluntatem certo demonstrent, ut *ad text. in cap. Porro de privileg.* firmant *Garz.* de benefic. part. 7. cap. 1. n. 22. et *Bened. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 13. cap. ult §. 4.

(Ex resol. S. C. C. diei 1793. *Civit. Plebis.*)

Leo XII.

Regulae pro Domo Lauretana.

Subjicimus regulas a lauretana Congregatione propositas pro exacto omnium onerum missarum implemento, videlicet:

Rerum usus per plures jam annos satis superque docet, quam difficile sit, ne sacrificiorum numerus, quo lauretanum Sanctuarium in singulos annos tenetur, sive stata ea sint et perpetua sive adventitia, simul facienda in aris vel sanctae domus vel basilicae, posthabitus et dilatus remaneat eorum incuria, quibus advigilandum est, ut

plane servetur quidquid hac super re provide identidem praescripserant lauretana Congregatio et praesules Laureti gubernio praefecti.

Ut igitur tam turpis amoveatur perturbatio et inordinata quaeque agendi ratio ac negligentia, utque etiam apprime constet, facta ea sacra fuisse, quae Christifidelium pietate a lauretano Sanctuario peragenda vel tempore ab iis praestituto vel in annum, neque ita protrahantur, ut ab eodem lauretano Sanctuario peragi nequaquam amplius possint, opus esse duximus aliquas digerere regulas ad illarum normam, quae bonae mem. Joannes Alliada dum viveret praesul edidit in sua visitatione apostolica Laureti anno millesimo octingentesimo quarto, quippe quae percommodae atque opportunae visae sunt ad amovendam quamcumque pravam consuetudinem, dilationem, perturbationem et negligentiam in missarum oneribus implendis, quibus Sanctuarium lauretanum pergravatur.

Quamobrem in duobus sacrariis, quorum alterum thesauri, alterum vero urceolorum nuncupatur, sint opportet quinque codices sive libri, quorum paginis cujusque mensis dies vertentis anni adscripti et antea cogniti et comprobati, a praesule sanctae domus lauretanae administratore, a quo etiam eorumdem librorum pagina quaelibet suo signo sit connotata, ut vertente anno neque ficta apponi neque vera subtrahi possit.

Horum autem librorum primus referet sacrorum onera, quae certa et perpetua, quaeque vel ex testamentis vel ex legatis vel aliunde proficiscuntur, quae tamen ad Canonicorum collegium et Capitulum lauretanum debent pertinere.

Alter sacra, quae in dies superveniunt seu adventitia.

Tertius sacrorum onera posthabita atque dilata.

Quartus capellaniarum onera, quibus nonnulli lauretani Sacerdotes fruuntur sive eae sint liberae collationis sive ad s. lauretanam domum pertineant.

Quintus denique exhibebit sacerdotes, qui rem divinam faciunt semel dumtaxat in quolibet mense, propriae pietatis impulsu nullaque percepta eleemosyna.

Cum apostolicae Constitutiones excommunicationis aliisque etiam corporis poenis indictis omnino vetent sacerdotem aliquem sacrum facere Laureti posse, nisi pro oneribus lauretani Sanctuarii aut capellaniae, qua fruitur, haud licet cuivis sacerdoti sacris operari pro oneribus generatim sacrae aedis aut sibi eligere aliam aram ab ea, quae nominatim pro onere locali constituta est aut facere potius sacrum emortuale, quam votivum deiparae Virginis. Qua de re debebit ipse significare iis, qui sacrariis praesunt, num sacris operari intendat pro statis oneribus, quaeque ad ipsum pertinent vel pro capellania, qua fruitur; si secus enim sacrum facere debebit ex mente et voluntate librorum custodum; quod si forte ille nolit, custodes sacras vestes ei denegare debebunt omnino.

Hac de causa aedituus, thesauri et librorum custos sacrarii urceolorum sacerdotibus, quibus nec ex eorum parte neque ex capellania sacrum erit faciendum, significare omnino debebunt, qua mente, quaque in ara faciendum sit sacrum, eo semper servato ordine, ut primum pro sacris adventitiis eodem ipso die peragendis, deinde vero pro posthabitis et dilatis.

Libri, in quos relata sacra vel stata vel adventitia vel dilata vel ex capellaniis, adnotatum habeant necesse est ex parte quotidianum onus explendum, ex alia vero ordinationis, qui explevit, nomen; siquidem vetitum plane est, aliquem alium, praeter sacerdotem, ad quem pertinet satisfacere sacrorum

oneribus tam statis, aut ex parte, tum etiam ex capellaniis, posse pro sacerdote, quamvis impedito, id facere cum fixum statutumque sit cuilibet sacerdoti per se propria onera explenda, nisi forte peculiarem habeat aliter faciendi licentiam a praesule administratore.

Aeditui porro iidem curabunt, ut liber in quo adnotanda sacra a sacerdotibus ex eorum pietate peracta, quotidianas exhibeat rationes, in eoque adscribantur, uti supra dictum est, sacerdotes illi, qui significaverunt, se sacris operari ex eorum pietatis sensu absque eleemosynae perceptione, (servata tamen lege quod sit una tantum in mense) unde nosci quotidie possint eorum sacerdotum nomina.

Sacerdotes quotidie post sacrum notare debebunt eorum nomen in uno ex quinque jam commemoratis libris ex mente, quo sacris fuerunt operati, vetita omnino prava consuetudine, qua id fiat pluribus post diebus vel etiam exeunte mense aut aliud substituatur nomen depravata manu. Erit autem tum aeditui tum librorum custodis lineam quotidie ducere, ubi nulla adest nota missae pridie illius diei celebratae et simul propria manu notare onus expletum; quisquis tamen praescriptae methodo non se accommodet, hoc ipso renuntiare ostendet juri percipiendae eleemosynae ex sacrificio confecto, sed non adnotato in libro, in quo debebat.

Si quid vero hisce in regulis delinquatur, cum impediat, quominus sacrorum onera suo quoque tempore persolvantur, idque certum exploratumque appareat, suspensionis poena, si semel, muneris etiam amotione, si iterum, plectetur aedituus et librorum custos, cujus conniventia aut incuria factum ut sacerdos violator suum nomen in his libris non adnotavit, praeter onus adimplendi quidquid male aut nullatenus expletum. Quod si sacerdos non servet has regulas, dissentientibus aedituis, hi debebunt illico hac de re certiorem facere praesulem administratorem, ut opportune provideat, ne incommodum latius maneat.

Sacrorum moderator curabit, ut ex sacris vel dilatis vel adventitiis suppeditetur eleemosyna pro missis, quae quotidie celebrantur in valetudinario et orphanotrophio et in hospitiis regularium, cum adsint convalescentes, atque etiam festis diebus de praecepto in altare carcerum civitatis ipsius lauretanae, et simul rationes habebit de his omnibus, uti praescriptum de sacris faciendis in altaribus sanctae domus et basilicae, siquidem haec sacra loca tamquam ejusdem basilicae adnexa putantur.

Ut autem in diem pateat, quaenam sacra per annum dilata, iidem thesauri aedituus et librorum custos notare quotidie in libro debebunt dilatorum onerum, quaenam pridie facienda omissa, ex una quidem adventitia, ex alia vero parte stata ac perpetua, quo facilius expleri illa possint die liberiore. De his vero ratio habeatur cum collegio Canonicorum et Capitulo, a quibus erant explenda. Jam si eadem dilata sacra peragantur, praeter nomen a sacerdotibus appositum in libro dilatorum onerum, ut pateat ea jam expleta, aeditui iidem opportune id adnotare debebunt in linea codicis rationum quotidianarum nullo signato nomine, die aut mense superiore, unde dignoscatur tempus, quo onus fuerit expletum atque ita facilius trimestris fieri queat collatio, quae tertio quoque mense facienda erit, ut infra dicetur.

Aeditui iidem ipsi et librorum custos majore quo fieri possit ordine ac diligentia habeant necesse est librum, in quo notetur quotidie ex parte sacerdotum nomen, qui sacris operati fuerunt in aris tum sanctae domus tum basilicae, ex alia vero regestrum, cui eorum nomen adscripserunt; et simul indicare sacerdotes, qui sacra fecerunt

in hospitiis et altaribus extra basilicam unde quotidie noscantur sacerdotes, qui rem divinam fecerunt, et qua mente.

Quoniam vero his duobus rationum libris opus omnino est, ut pateat, quaenam sanctuarii onera et qua mente a sacerdotibus quotidie fuerint expleta, si quid forte in iis perturbatum vel inordinatum reperiatur, aeditui suspensionis atque etiam remotionis a munere poena omnino afficientur, uti pro re et tempore praesul administrator opportunum arbitrabitur.

Quod jam vetitum, idem ipsum et nunc plane vetatur, ne in utroque sacrario eleemosyna ulla adventitia pro sacris faciendis accipi unquam possit, quoniam piae largitiones omnes ad hanc rem debent praeberi solummodo sanctae domus custodiae, a qua postea praescribendum erit implementum in libris sacrorum adventitiorum, neque ferendus unquam quivis pravus usus hac super re forsan invectus.

Cum ad sacrorum moderationis munus pertineat advigilare, ut quidquid hoc gravissimum negotium spectat, ex ordine et ex hisce praescriptionibus omnino procedat, ejus etiam muneris erit curae quotidie, ut iidem rationum libri exacti digesti reperiantur, quippe quod ipse praestare debebit quidquid erratum aut actum fuerit contra hasce regulas, aeque ac aedituus et librorum custos iisdem propositis poenis subjiciatur.

Ut autem Sacra Congregatio lauretana tertio quoque mense nosse plane queat, num exacte ejus praescripta serventur et simul num sanctuarii onerum quotidianae habeantur rationes, quo nova pro tempore praescribat, quibus quaelibet sacrorum dilatio impediatur, necesse omnino esse videtur, ut quarto quoque ineunte mense praesul administrator fidum sibique probatum sacerdotem seligat, qui una cum sanctae domus ratiocinatore attente diligenterque omnium rationum libros supra commemoratos disquirant et simul videant: Primo num tribus superioribus mensibus fuerint adamussim servata, quae sunt praescripta.

Secundo, notent, num quis sacerdos sacrum confecerit pro alienis oneribus.

Tertio, indicem extrahant illorum sacerdotum, qui ex eorum pietate sacrum fecerunt juxta praescriptam regulam apposita die.

Quarto, eorum etiam sacerdotum indicem conficiant, quorum nomina in libris inscripta non reperiantur diebus, quibus sacra peregerint.

Quinto cognoscant quaenam sacra peracta per tres menses, unde reddi ratio possit de dilatione, si qua esset, sacrorum, quae vel stata sint vel adventitia.

Sexto denique omnibus hisce libris eorum debebunt apponere nomen, ut probata ac confirmata maneat disquisitio facta trium superiorum mensium, neque perturbatio aliqua oriri in posterum possit.

Quidqud ex hac trimestrali investigatione collectum, ubi a praesule administratore recognitum et probatum fuerit, mitti debebit ad Sacram Congregationem lauretanam, quae si ei opportunum videbitur, aliam hujusmodi investigationem vertente anno fieri jubebit, ex qua si quid in officio erratum appareat ab iis, quibus tantae rei advigilandi cura commissa, poterit etiam ipsos amovere a munere, quod exercent in rebus sanctae domus administrandis.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 21. Septembris 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. pag. 123. Ed. Romae.)

Tabellas facere probationem onerum Missarum tradit *Benedict. de Synod. lib. 13. cap. 25. num. 4.*

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Septembris 1808. *Aretina.*)

4) Paramentorum, vasorum eccles. etc.

Vd.: *Sacrista* (pro capella etc., decr. *Pauli V.*)

TABERNA.

1) In diebus festis.

Ulixbonen.

In causa tabernariorum et tenderiorum civitatis Ulixbonen. Congregatio Sacrorum Rituum, inhaerendo moderationi constitutionis synodalis Archiepiscopi Ulixbonen. a collectore Portugalliae de mandato ejusdem Congregationis emanatae, Illmo D. Cardinali Millino referente, censuit: tabernarios et tenderios propter maxiximam populi frequentiam atque alienigenarum ex omnibus orbis partibus ad eam civitatem terra marique quotidie confluentium multitudinem, dominicis et aliis diebus festis etiam ante concionem et missae conventualis celebrationem omnia ad humanum victum necessaria vendere posse, dummodo missae et concionis praedictae tempore officinas et tabernas hujusmodi earumque fores velamine aliquo contegant. Die 30. Martii 1621.

(Anal. J. P. 1863 p. 163.)

2) Visitatio Clericorum.

Tabernas ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis, cap.: *Non oportet* 2., cap.: *Clerici* 4. dist. 43. Tabernas habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt, textu expresso in cap.: *Nulli Clerico* 3. dist. 44. ibi: „Nulli Clerico licet Tabernam aut ergasterium habere; si enim hujusmodi Tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit aut cesset aut deponatur.

TABERNACULUM.

1) Benedicens.

Vd.: *Benedictio* (delegatio, decr. n. 4290.)

2) In Cathedralibus Eccles.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.*)

Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones pontificales, quae fiunt versis renibus ad altare, in parochialibus vero et regul. ecclesiis debet regulariter esse in altari majori tamquam digniori. S. C. Ep. 10. Febr. 1579; 29. Novb. 1594; S. R. C. 24. Nov. 1598. Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (asservationis modus); *Bened. Episcopi* (in altari etc.); *Exposit. SS. Sacram.* (cor. Episcopo); *SS. Sacram. Euch.* (expos. in Pontifical.)

In Eccl. cath. propter functiones pontific., quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen, tabernaculum collocetur. Conc. prov. Prag. 23. Septb. 1860 t. 4. c. 4.; Caerem. Ep. l. I. c. 12. n. 8.; S. R. C. 14. Junii 1845.

3) Clavis.

Baren.

Ad dub.: An claves Baptisterii, sacri Tabernaculi et Olei sancti sint retinendae per Archipresbyterum seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiae et Capituli in casu?

S. C. resp.: Claves Baptisterii et olei s. retinendas esse penes Archipresbyterum, claves vero tabernaculi penes utrumque.

Die 28. Aug. 1756 et 3. Dec. 1757.

Vd.: *Coena Dom.* (clavis pro tab.)

Claves Tabernaculi nec relinqui debent in Sacristia nec a Laico servari sed a solo Sacerdote: S. Cong. Rit. 22. Febr. 1593. Immo ipsas retinere debet Parochus privative ad Sacristam et Capellanum. S. Congr. Concil. in Neapolitana 14. Novembris 1693.

Clavis Tabernaculi, ubi reponitur

Hostia consecrata in fer. 5. Coenae dominicae, non est danda Laico, quantumvis nobili: S. Congr. Rit. 30. Junii 1616.

Monialibus non committitur Clavis Tabernaculi ss. Sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi: S. Congr. Concilii in Vallisoletana 12. Januarii 1604.

4) Furtum SSmi e tabern.

Vd.: Hostia (furt.); *Pyxis* (furt.)

5) Genuflexio.

Vd.: *SS. Sacrament.* (genufl.); *Missa in altari* ubi est tabern.; *Genuflexio.*

6) Locus et Situs.

Altare ss. Sacramenti diversum esse solet ab altari majori et ab eo, in quo Episcopus vel alius est missam sol. celebraturus. Nam ss. Domini Nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, praecellentissimus omnium locus in Ecclesia convenit.

Caer. Ep. l. I. c. XII. n. 8.

Vd.: *SS. Sacram.* (Expos. in Pontif.; Asservatio *mod. non licit.*, decr. diei 21. Aug. 1863.)

Quum sanctam Sedem non lateret, in nonnullis Belgii ecclesiis vel oratoriis Augustissimum Eucharistiae Sacramentum non in medio altaris, verum aut in dextera aut laeva pariete in custodia servari eodem modo, quo sacra Olea recondi solent, Sacra Congatio legitimis protuendis Ritibus praeposita, quod attinet ad custodiam SSmi Sacramenti, Sanctitatis Suae nomine omnino prohibet, illud alio in loco servari praeter quam in tabernaculo in medio altaris posito."

Die 21. Augusti 1863.

Ex decr. Conc. Prov. Colon. diei 17. Maji 1860.

Tabernaculum seu scrinium pro ss. Eucharistia asservanda sive in altari positum sive extra illud in turri sacramentali exstructum semper secundum Canones et S. Rituum Congregationis decreta sit comparatum, digne et pulchre ornatum et contra sacrilegam furum audaciam probe munitum. (Ibi cap. XXX. De ecclesiis et supellectilibus sacris.) Claves tabernaculi nunquam laico tradantur, nec permittatur, ut ab ullo, qui non sit saltem in subdiaconatus ordine constitutus, illud claudatur vel aperiatur. Tabernaculum saepius sollicite inspiciatur, ut si quid pulveris vel immunditiei aspersum sit, auferatur et omne periculum irreverentiae amoveatur.

Ex decret. Conc. Prov. Prag. die 23. Septembris 1860.

De loco quo asservandum SSmum.

Cum Corpus Domini in uno tantum ejusdem ecclesiae loco ab Episcopo designando custodiri debeat, locus tabernaculi eligatur tum ratione totius sacrae structurae tum ad exhibendam tanto Sacramento venerationem aptissimus, omnino conspicuus et nobilissimus. Idciroo servetur Ritualis Romani rubrica praecipiens, ut tabernaculum in altari majori utpote loco ecclesiae digniori vel alio, quod venerationi et cultui sacrae Eucharistiae commodius ac decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. (Tit. V. c. V. De tabernaculo ss. Eucharistiae.)

Hinc in Ecclesiis cathedralibus propter functiones, quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen collocetur.

Confratribus Societatis Misericordiae non licet tabernaculum in eorum altari Oratorii. N. 1927 die 7. Septembris 1658; idem decr. pro Confrat.

s. Rosarii Burgi n. 3910 ad 5. die 9. Julii 1718.

Ad dubia Episcopi Sarnensis:

1) An pro tabernaculo intelligi tantum debeat id, quod in majori aut altero alicujus Capellae altari fixum est, ut inibi servetur continuo SSmum? et quatenus affirmative,

2) an licet Regularibus uti tabernaculo amovibili vel portatili illudque ad eorum libitum in quocunque Ecclesiae propriae altari collocare ac ibi exponere sacram pyxidem, e solo tabernaculo fixo extractam?

S. C. resp.: Licere de consensu Episcopi. N. 3162 die 10. Julii 1688.

Vd.: *Instructio Clem.* §. 5. n. 2. 3. §. XXXI. n. 24.; *Tabernacul.* (In Cathedr.)

In Ecclesia regalis Monasterii s. Laurentii Excurialensis adest in altari majore Tabernaculum ex lapide pretioso, in quo continetur alia capsula eximior, in qua asservatur SSmum Sacramentum, sed cum in pariete post Tabernaculum sit una fenestra, quae illuminat duo Tabernacula praedicta et ista habeant ante et retro fenestellas cum cristallo taliter, quod ex qualibet parte Ecclesiae videatur clare et distincte Vas, in quo est inclusum SSmum Sacramentum, et cum hoc videatur inconveniens, quaeritur: Utrum praedictum Vas debeat permanere, ut dictum est supra, vel debeat cooperiri aliquo velo, ut non videatur?

S. eadem C. in hanc formulam rescripsit, nempe: ,,Negative ad primam partem; affirmative ad secundam atque ita obtegendum esse Tabernaculum, ut Vas, in quo SSmum Eucharistiae Sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri possit.“

Atque ita decrevit et servari mandavit die 20. Sept. 1806. N. 4505.

Romana.

In Basilica et parochiali Ecclesia sancti Marci Urbis mos invaluerat paschali temp. inter gradus ex utraque parte Arae principis positos, per quos ad chorum et ad Aram ipsam ascenditur, collocandi Altare portatile et super illud Tabernaculum, in quo recondebatur SSmum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate communicantis populi, adeo ut ex his rerum adjunctis illud inconveniens exurgeret ut Altare ipsum Aediculam pro repositione SSmi Sacramenti non efformaret ad tramites Caer. Ep. l. I. cap. 12. §. 8., nec decentiae illius satis consuleretur, ex eo potissimum, quod Mensa Altaris portatilis plano chori plene coaequaretur et in hujus conspectu passim celebraretur Sacrum ac s. Synaxis petentibus et accedentibus ministraretur, contra jus passim editum in Decretis S. R. C. Eapropter hoc advertentes Canonici moderni Sacristae, decorem Domus Dei sedulo quum provehant, ut omnia recto ordine eadem in Ecclesia serventur atque ut offendiculum unius vel alterius dissentientis et pro consuetudine servanda stantis, decenti modo declinare valeant, de consensu R. P. D. Praesulis Basilicae Vicarii Emmi et Rmi D. Card. Titularis, eidem S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus pro sua auctoritate ad futuras praecavendas quaestiones super expositis decerneret. Et Emmi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas Aedes VII. Id. Dec. anno superiore coadunati, visis omnibus, rescribendum censuere: ,,Exquisito Voto Magistri Caer. ponatur in Folio.“ Quum autem praedicti Canonici suis in allegatis addidissent Votum alterius ex Apost. Caer. Magistris, quod ex sui natura controversiam omnem de medio tollit, propterea iterato propositae pre-

ces in altera Ordinaria Congr. hac die apud ipsas Vaticanas Aedes coacta, Emmi et Rmi P. S. Ritibus praepositi, ad relationem subscripti Secretarii, consideratis omnibus attenteque libratis, rescribendum censuerunt: „Juxta alias Decreta et praescriptum Caer. Ep. reponatur in casu SSmum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate communicantis populi in alterutra ex lateralibus Aediculis, quae non sit a conspectu chori."

Atque ita recripserunt ac servari mandarunt praedicta in Colleg. Basilica. N. 5028. Die 25. Junii 1845.

Locus seu Capella, ubi singulis s. Communio distribuenda est, non debet esse in conspectu altaris majoris sed in navi seu loco separato, ita ut, quoad fieri possit, non videatur ab his, qui missae majori intersunt, ne continue genuflectere cogantur propter reverentiam SSmi. *Caer. Ep.* l. II. c. XXX. num 5.

7) Materia.

Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno albo serico decenter contectum. S. C. Ep. 26. Oct. 1575.

Vd.: Tabernacul. (Ornat.)

Ex decretis Concilii Prov. Viennensis diei 9. Novembris 1858.

Tabernaculum, ubi ss. Eucharistia recondita habetur, sanctissimus, quem orbis terrarum continet, locus est .... Intus et exterius, quam optime fieri possit, exornetur. (Tit. III. cap. IV.)

Praeter vasa, quae ss. Eucharistiam actu continent, nihil omnino in eodem reponatur; neque calices, neque reliquiae, neque sacrorum oleorum vascula ibi recondantur.

Sollicite occludatur; claves, quas duas habere consultum est, parochus vel ejus cooperator custodiat. Capuccini retinere possunt tabernaculum ligneum affabre laboratum.

S. C. Ep. et Reg. 13. Julii 1649.

Vd.: *Visit. SS. Sacram.*

8) In Oratoriis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. 24.; *SS. Sacramentum* (asservat. in Orat.); *Seminarium* (habitacul.)

9) Ornatus.

Ex decretis Conc. Prov. Viennens. die 9. Novembris 1858.

Ubicunque Dominus, fons amoris, panis sub specie adsit, lampas diu noctuque colluceat, quae fidelibus Deum praesentem annuntiet atque hominibus recedentibus cultus aliquam et amoris professionem exhibere pergat.

Ex decr. Conc. Prov. Colon. die 17. Maji 1860.

Lampas ante altare vel turrim, in qua SS. Sacramentum continetur, continuo ardeat...

Eo tantum tempore, quo officium divinum celebratur, lampadem ante SS. Sacramentum accendi et finito officio extingui abusus est minime tolerandus, quem prorsus prohibemus sub poena amittendi juris et privilegii asservandi SS. Sacramentum.

Ex decr. Conc. Prov. Pragens. diei 23. Septembris 1860.

Sanxit Archidioecesana Synodus Pragensis, ut tabernaculum, si e laminis argenteis aut aeneis inauratis aliave ratione elegantius haberi non potest, saltem e tabulis sectilibus, quae humiditatem non gignant, polite tamen elaboratis et religiosarum imaginum sculptura ornatis et inauratis decenti amplitudine construatur. (Tit. V. c. V. De tabernaculo ss. Eucharistiae.)

Nova, quae in ecclesiis struentur tabernacula, sat ampla sint, ut in iis Sacramentum ipsum cum ostensorio

et hierotheca minori seu sacro ciborio commode reponi queat, neque tamen sic in alto vel a fronte seu coronide mensae nimis procul posita, ut ad depromendam et exponendam Eucharistiam super altare ascendere necesse sit; neve potiorem sacrae mensae partem ita occupent, ut vix in ista, quae ad Sacrum faciendum necessaria sunt, locari possint. Versatilibus, quae hinc inde inveniuntur, tabernaculis antiquiorem merito praeferimus Sanctuarii structuram, congruo ostio seu foribus muniti. Quae fores, si artificiosae formositatis causa perforatae fuerint, ab intus pretioso velo obducantur, ne muscis potissimum et araneis accessus pateat. Sit autem tabernaculum etiam intus vel panno serico aut tela quadam pretiosa albi coloris eleganter vestitum vel saltem solide inauratum.

Sit porro bene tutum, serris sat firmis custoditum et continuo clausum, ne ad illud temeraria manus possit extendi: clavis autem inaurata et cordula decenti ornata nullo modo cum aliis clavibus colligetur, nec ulli unquam laico aut aedituo credatur, cum potius ipsius Parochi vel ecclesiae rectoris honorificum sit officium et insignis praerogativa, ut clavem hanc et Sanctuarium Christi pie semper custodiat.

Quia tabernaculum nitido ceteroquin et mundo corporali stratum nonnisi asservandae Eucharistiae inservire debet: intus ab omni alia re vacuum sit oportet, adeo ut neque Reliquiae Sanctorum ibi recondi queant. *)

Quumque ex decreto S. Rituum Congregationis super tabernaculo nec ipsius sanctae Crucis Reliquias collocare et exponere liceat; hinc minime tolerari potest consuetudo superimponendi pictas imagines, sculpturas, vasa florum aliaque ornamenta ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat. Imo nec in ostiolo seu ipso aditu tabernaculi talia collocare convenit. Sacrae Reliquiae nullo modo neque super ss. Eucharistiae tabernaculo ponantur, neque una cum SS. Sacramento recondantur, etiamsi ipsius sanctae Crucis particulae sint. (Tit. III. cap. VI. n. 1.)

Essentialem pastophorii ornatum constituunt lampades, quae, prout Rituale Romanum loquitur, plures sint, sed una saltem diu noctuque perpetuo colluceat. Ut istud lumen Christi numquam deficiat, jugiter quippe oleo nutriendum: sollicitudinem et vigilantiam parochorum omniumque, qui ecclesiis praesunt, paterno affectu obtestamur, illorum conscientiam gravissime onerantes, quorum, quod absit, socordia vivificum Lumen mundi lumine continuo ardenti venerari nesciat. (Tit. V. cap. V.)

Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno albo serico decenter contectum. S. C. Ep. 26. Oct. 1575.

Ante Ostiolum Tabernaculi SSmi retineri non potest vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum Imagine D. N. in eodem insculpta; posse tamen in humiliori et decentiori loco. N. 3575 ad 10. die 22. Jannarii 1701.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 1. 3.; *Reliquiae* (superimp. tabern.); *Conopaeum.*; *Tabernacul.*, (Materia); *Lampas.*

In tabernaculo ss. Sacramenti esse non debent vasa s. oleorum vel reliquiae vel aliud. S. C. Ep. 3. Maji 1693, 22. Februaris 1593.

Super tabernaculum, in quo asservatur ss. Sacram., nequit exponi reliquia s. Crucis aut alterius ex instrumentis dominicae passionis, adeo ut

*) Rit. Roman. De ss. Eucharistiae Sacramento.

ipsum tabernaculum inserviat pro basi. S. R. C. 12. Mart. 1836.

Altare vel locus, ubi repositum SS. Sacramentum, prae caeteris sumptuosius ac nitidius exornandum est. *Caer. Ep.* l. I. c. XII. n. 16.

Praeparandum ornandumque erit aliquod sacellum intra Ecclesiam (pro repos. SSmi finita processione in Coena Dom.), quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post missam recondendum sit SSmum et in eo altare cum sex candelabris ac cereis. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 2.

10) Visitatio.

Vd: *Visit. SS. Sacramenti.*

TABULAE DEPICTAE SS.

(Venditio.)

Dubitari posset num tabulae pictae, quatenus in Capella venerationi expositae sint, aliquam spiritualitatem aquirant, ut in commercio esse nequeant. Sed si ad *materialia* capellae non pertinet Tabula picta, certe quidem inter sacra Supellectilia erit recensenda. Haec autem vendi posse interveniente venia apostolica definivit S. Congregatio in *dubio alienationis rerum Ecclesiae 7. Augusti 1683*, ut reperi definitum in *lib. 33. decr. pag. 243.*

(Ex res. S. C. C. diei 22. Junii 1805. *Mathilicen.*)

TALARIS.

1) Delatio in Functionibus ecclesiast.

Vd.: *Visitat.* (de missa celebr.; parochi; presbyteror.); *Habitus clericor.* (§. 1. 5. 6.); *Constitut. Clem. XV.* 7. Dec. 1706 in Bull. r. t. VIII. p. 262.; *Sacerdos* (habitus).

Ruben.

(Conc. Tr. c. 6. S. 14.; c. 12. S. 25. De ref.)

Prolato edicto per Episcopum in Visitatione peracta de anno proxime praeterito, demandante omnibus ecclesiasticis habitus talaris delationem tum in ingressu quam in egressu ab Ecclesia ac in exercitio propriorum Ordinum aliisque functionibus ecclesiasticis, poena injuncta suspensionis ipso facto a Divinis sibimet reservata adversus Sacerdotes caeterosque in sacris Ordinibus constitutos, quo vero ad reliquos inferioribus dumtaxat ordinibus insignitos, sub poena denegationis collationis ordinum superiorum nec non assequutionis Beneficiorum, etiam de jurepatronatus laicali aliisque arbitrariis, Canonici illius Cathedralis sub praetextu, quod loci qualitas et ecclesiasticorum inopia neutiquam ferre sinant ejusdem Edicti observationem, recursum habuerunt ad hanc S. C. pro ejus moderatione.

Desuper Episcopus informans transmisit praefati Edicti exemplar; quod in Summario dabitur ejusdemque observationem comprobare nititur, nedum, ut asserit, accomodum amoenitati loci, verum etiam ecclesiasticorum facultatibus; quocirca dignentur EE. VV. monito Procuratore Capituli resolvere infrascriptum dubium inter partes concordatum:

An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu et egressu sustineatur in casu etc.?

S. C. C. resp.: Sustinetur moderatis poenis arbitrio Emmi Praefecti.

Die 28. Julii et 18. Augusti 1708.

Apud *Ursayam* tom. 5. part. 2. disceptat. 16. num. 68. habetur haec celebris resolutio Sacrae Congr. Episcop. et Regular. in Callien. Synodi 20. Januarii 1720, in qua multa resoluta; et ad rem dicta die 20. Januarii 1720 fuit Episcopo Galliensi scripta Epistola vulgari idiomate inter alia continens, ut sequitur: „Che precetti a tutti gli ecclesiastici di dover vestire con abiti lunghi fino a' piedi, quando celebrano la s. Messa,

o intervengono nelle Sag. funzioni solamente, tanto d'està come d'inverno sotto pena di sei giorni di carcere formale per ciascheduna volta, che si contravenga, e quando vi fossero recidivi, possa estendere detta pena anche fino a dieci giorni; tollerando però, che quando non intervengano a detta Funzioni ecclesiastiche, possano usare Abiti piú corti, purche sieno decenti e modesti, e che proibisca a Clerici poter usare Abiti secolareschi, con Manicone, e Saccoccie alla moda, sotto pena di due libre di cera bianca lavorata per ciascheduna volta.

Licet Sirmondo, Thomasino aliisque ultro concedatur, quinque prioribus Ecclesiae saeculis civiles Clericorum vestes modestia tantum, non forma, a communibus Laicorum vestibus discrepasse, ne suspicari quidem possumus, unquam licuisse christianae religionis ministris divina celebrare mysteria sine specialibus atque ad eum tantummodo usum destinatis sacris indumentis. Vide praeter Bonam Honoratum a s. Maria in suis animadversionibus in regulas et usum critices t. II. diss. V. ubi disputat *de usu sanctarum vestium in mysteriorum divinorum administratione*, et Benedictum XIV. *in sacr. Missae lib. 1. cap. 7. seqq.*

Relatio Episcopi Interamnensis ad S. C. C.

Aliqui ex Presbyteris majorem addiderunt audaciam, ut scilicet ad cathedralem Ecclesiam non jam in choro, non habitu talari et superpelliceo induti sed brevi se contulerint ibique intra Populum et coram Episcopo in spretu quodamodo exultantes constiterint, ut quisque dignosceret, se omni occupatione, quominus accederent, solutos voluntarium non necessarium spretum comississe.

Contendit Episcopus in sua Informatione Presbyteros simplices et Clericos omnes ad interventum in Pontificalibus Episcopi teneri tum ex Decreto sancti Zepherini Pontificis, tum pressius ex synodalibus Constitutionibus publicatis Interamnae ab Antistite Andreasi. Haec enim jubent in cap. 7: Clerici quicumque celebranti Episcopo et Pontificalia exercenti tonsura, talari veste ac superpelliceo decenter ornati adsistant et inserviant eumdemque una cum Canonicis ab ipsa Aula seu Palatii Camera ad cathedralem Ecclesiam deducant, prout hactenus laudabiliter observatum est atque in novo Caeremoniali disponitur sub animadversione ad arbitrium. Impediti vero de causa nos monere debebunt. Quae synodalis Sanctio, unde praecedens etiam observantia deducitur, non quidem gravis videri debet, cum quinquies aut septies in anno advocet ad Ecclesiam Presbyteros vix per unam horam. Hinc exempla hujus sanctionis allegat in Constitutionibus Metropolitanae Firmi latis ab Archiepiscopo Borgia, Ecclesiae Aesinae ab Episcopo Fonseca; Ecclesiae Fulginatensis ab Episcopo Baptistelli publicatis et alias multas hujusmodi Constitutiones.

Die 20. Novembris 1802.

Edictum super celebratione Missarum.

Hieronymus Episcopus Sabinensis s. Romanae Ecclesiae Cardinalis Rusticuccius SS. D. N, Papae Vicarius Generalis et Romae Curiae Judex Ordinarius. Universis et singulis Patriarchalium et Collegiatarum Dnis Canonicis ac Parochialium Rectoribus et earumdem ac quarumcumque aliarum Ecclesiarum tam saecularium quam regularium necnon hospitalium et aliorum piorum locorum Capellanis, Sacristis, Custodibus et quovis alio nomine nuncupatis praesenti scripto edicimus ac praecipimus et mandamus ne

de cetero aliquos Presbyteros Sacerdotes exteros et in Urbe non notos in eorum Ecclesiis et Capellis ad celebrandum Missas admittant nisi illos, qui licentiam nostram vel Vicesgerentis nostri manu subscriptam ostenderit et in habitu clericali cum debita et congrua tonsura ac talari veste (septem tamen Urbis Ecclesias in breviori habitu visitantibus exceptis) induti incesserint et comparuerint et non alios, quod qui non fecerint et praesentibus non paruerint, poenam decem aureorum vice qualibet eo ipso sciant se incurisse, et ad hoc ut praemissa omnes reminiscantur volumus, praecipimus et mandamus, ut praesentium exemplar etiam impositum in parietibus uniuscujusque Ecclesiae per Sacristas seu illos, qui sacristiae praesunt sub eadem poena affigatur, perpetuo permansurum. Decernentes insuper ut earumdem praesentium litterarum in locis solitis affigen. impressarum etiam copiarum executio quemlibet arctet perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent vel ostensae. In quorum fidem etc. Datum Romae in Aedibus nostris die 15. mense Januarii MDCII. P. N. Papae Clementis Anno X. B. Gypsius Vicesg. — Pro D. Jo. Jac. Lazzaro Not. Philippus Baffanus.

(Anal. J. P. 1857 p. 2801.)

2) Extra Functiones eccles.

Salernitana.

Quamvis S. Concilium Tridentinum Sess. 14. Cap. 6. de Reform. verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum, *eorum Ordini et Dignitati congruentem et juxta Episcopi ordinationem ac mandatum*, nihilominus haec Sacra Congregatio rata semper habere consuevit Episcoporum decreta de usu vestis talaris. Praesertim vero in Hortana 8. Julii 1690 praeposito dubio: *An Edictum seu Praeceptum Episcopi substineatur?* rescriptum fuit: Secretario ad mentem. Quae sic explicata fuit: *Sustineri Edictum, Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari et Clericos maxime in functionibus ecclesiasticis*, *et quoad poenas Episcopus moderate procedat*, ut in lib. 40. decr. pag. 436. Rursus in Ostunen. Synodi 6. Julii 1799 ad VII. dubium respondit: servandum esse decretum proxime relatum in Hortana, ut in lib. 47. decret. post 294. Sic quoque in Melevitana Synodi 4. Junii 1707 ad XXVII. prodiit rescriptum: Constitutionem synodalem substineri, cum licentia tamen gratis danda, ut in lib. 57. decret. pag. 205. Itidemque in Ruben. (vd. p. 367.) Dubium erat: An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu et egressu substineatur? Ita resolutum fuit: Substineri, moderatis poenis arbitrio Eminentissimi Praefecti. Hic vero hunc in modum declaravit: „Nos ad mentem ejusdem S. Congregationis nobis expressam declaramus a supradicto Edicto episcopali delendam esse contra inobedientes videlicet quoad Sacerdotes poenam suspensionis ipso facto incurrendae: quoad Clericos poenam, quod non possint promoveri ad Ordines sacros nec admitti ad Beneficia, quamvis de jure patronatus: et quoad Sacristas, poenam suspensionis; et respective quoad Clericos poenam Interdicti ab ingressu Ecclesiae: et loco pradictarum poenarum mulctandos esse in quinque libris cerae albae laboratae et in subsidium Suspensionis et Interdicti ferendae sententiae respective", ut in lib. 28. decr. p. 288. Recentius vero in Sorana Edicti 20. Maji 1719 rescriptum fuit: Servandum esse Edictum, ut in lib. 69. decretor. pag. 261. Et denique in Marsicen.

cum Episcopus simile promulgasset Edictum, sed, dum Clerici ad sacrum Subdiaconatus Ordinem essent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de Edicto observando. Sacra Congregatio die 15. Decembris 1731 rescripsit: servetur Edictum Episcopi, sed non exigatur praestatio Juramenti.

In eadem quoque sententia perstitit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, quae hujusmodi Edictum ab Episcopo Monopolitano latum approbavit die 1. Octobris 1728.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

1. An Dignitates et Canonici praedicti cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum Solis, excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia? Et quatenus affirmative;

2. An adversus Dignitates et Canonicos praedictos in casu inobedientiae sit procedendum etiam per inquisitionem?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative; ad 2: Ad mentem.

Die 27. Septembris 1732.

Vestis talaris usus an, quibus et sub qua poena praecipi valeat ab Episcopis?

Quamquam Sacrum Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 6. de Reformat. verbis expressis non injunxerit ecclesiasticis personis usum vestis talaris, sed solum jusserit deferri habitum „*eorum Ordini et Dignitati congruentem et juxta Episcopi ordinationem ac mandatum*“, nihilominus S. Congr. Concil. rata semper habere consuevit Episcoporum decreta de usu *vestis talaris*. Praesertim in Hortana 8. Julii 1690, ubi proposito dubio: *An Edictum seu praeceptum Episcopi sustineatur?* rescriptum fuit Secretario: *Ad mentem, quae sic explicata fuit: sustineri Edictum, Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari et Clericos maxime in functionibus ecclesiasticis; et quoad poenas Episcopus moderate procedat.* In lib. 40. decretor. pag. 435.) Rursus in Ostunen. Synodi 6. Julii 1697 ad VII. dub. respondit: *Servandum esse decretum proxime relatum in Hortana.* (In lib. 47. decret. post pag. 294.) Sic quoque in Melevitana Synodi 4. Junii 1707 ad XXVII. dub. prodiit Rescriptum: *Constitutionem synodalem sustineri cum licentia tamen gratis danda.* In lib. 57. decretor p. 205. Itidemque in Ruben. de habitu talari. Ad dubium hoc: *An Edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis illarumque ingressu sustineatur?* ita resolutum fuit: *Sustineri moderatis poenis arbitrio Eminentissimi Praefecti, qui sic declaravit; Nos ad mentem ejusdem S. Cong. Nobis expressam declaramus a supradicto edicto Episcopi delendas esse poenas contra inobedientes, videlicet quoad Sacertes poenam suspensionis ipso facto incurrendae; quoad Clericos, poenam quod non possent promoveri ad Ordines sacros nec admitti ad beneficia quamvis de jurepatronatus; et quoad Sacristas poenam suspensionis; et respective quoad Clericos poenam interdicti ab ingressu Ecclesiae. Et loco praedictarum poenarum mulctandos esse in quinque libris cerae albae laboratae et in subsidium suspensionis et interdicti, ferendae sententiae.* (In lib. 58. decret. p. 238.) Recentius vero in Sorana Edicti 20. Maji 1719 rescriptum fuit: Servandum esse Edictum ut in lib. 69. decr. pag. 291. Et denique in Marsicen. cum Episcopus simile promulgasset Edictum, sed, dum Clerici ad sacrum Subdiaconatus Ordinem essent promovendi, exigeret ab eis jusjurandum de Edicto observando. Sacra Congregatio die 15. Decembris 1631 rescripsit: „Servetur Edictum Episcopi, sed non exigatur praestatio Juramenti.“ Et in Saler-

nitana Edictorum 27. Septembris 1732 ad 3. dub.: *An Dignitates et Canonici Cathedralis cogi possent ad incedendum in habitu talari usque ad occasum Solis excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia?* respondit: *Affirmative.* Et consimiliter respondit S. Congregatio Episcopor. et Regular. die 1. Octobris 1728 in Monopolitana approbando hujusmodi Edictum ab Episcopo latum.

Affertur lepida observatio de veste talari, ratione cujus multi sine Abbatia passim vocantur *Abbates* teste *Lubin. de Abbat. ad Lectorem*, §. *de Abbatum numero,* sequentibus verbis: „His vero novissimis temporibus tum curialium vanitate tum adulatione amicorum et plebis ignorantia infinitus evasit, ut stultorum, sic Abbatum numerus, adeo ut homo talari veste indutus ab omnibus Abbas aestimetur et appelletur, qui fatuorum more sibi blandiens de vano titulo gloriatur et ex solius familiae nomine nova sed chimerica creditur Abbatia.“ Indeque in Urbe lepide distinguuntur Abbates in duas species, quarum una creatur a Dataria, alia vero a Sartoribus, qui eo ipso, quod alicui habitum ecclesiasticum faciunt, dicuntur ei dare titulum se faciendi vocare Abbatem: Quapropter S. M. Innocentius XI. cuidam nobili romano petenti ecclesiasticum beneficium eo praetextu, ut posset denominari Abbas, serio respondit, non esse opus ad dictum effectum obtinere aliquod beneficium, ex quo satis erit, habitum deferre ecclesiasticum; sic expresse refert, ut sequitur *Ursaya lib. 3. Instit. Crim tit. 4. num. 5. et 6.* improbans cum aliis, quod jam omnes Presbyteri ratione solius vestis vocentur Abbates.

Vestis Clericorum statui conveniens est talaris. Hinc fere omnia celebrata Concilia post Tridentinum clericos coegerunt ad gestandam vestem talarem et quidem nigri coloris. *In Concilio provinciali Mediolanensi 1. part. 2. sanctus Carolus Borromaeus* de Clericorum vestitu loquens ait (*Part. 1. Act. Ecclesiae Mediolanens. pag. 18.*): In omni vestitu color tantum niger adhibeatur . . . externa vestis simplex et talaris est.“ *In Concilio Mediolanensi anni 1570 tit. de vita et honestate Clericor. cap. 3. (tom. 10. collect. Hard. col. 1195.)* jubentur Clerici majorum Ordinum, cum in publicum prodeunt, gestare *vestem talarem. Concilium Ramense* anni 1583 tit. de Clericis in genere n. 8. (ibid. col. 1292.) „Veste ecclesiastica eaque talari ac decenti utantur omnes Clerici.“ *Concilium Burdigalense* ejusdem anni tit. 1. sess. 21. (ibid. col. 1359.) cap. 2.: „Vestes eorum sint talares.“ Quodque notabilius est, *Concilium provinciale Narbonense* anni 1602 cap. 41. (tom. 11. collect. Hard. col. 44.) Clericos etiam noctu incedentes ad deferendam vestem talarem coegit: „Noctu incedentes ex rationabili causa togas talares deferent.“ Conciliis provincialibus concinunt *innumerae Synodi dioecesanae* congestae a Genetto Theolog. moral. tom. 1. tract 1. cap. 9. et in Appendic. ad Synodum Fulginatensem Episcopi Baptistelli pag. 171. et sequent. Unde sacrorum Canonum rigorem non augent sed emolliunt synodales Constitutiones, quae obligationem deferendi vestem talarem a pluribus Conciliis omnibus Clericis generatim impositam ad solos limitant Clericos majorum Ordinum aut ecclesiasticum Beneficium possidentes. Et majori adhuc indulgentia lenitum reputari debet episcopale Edictum, solos compellens Sacerdotes ad eam saltem induendam, cum Ecclesiam ingrediuntur Sacris operaturi, cujusmodi est illud, quod promulgavit Benedict. XIV. uti Archiepis-

copus in Dioecesi Bononiensi. Sic idem expressis verbis *in Synodo dioeces. lib. 7. c. 19. n. 3. et 4. Qui ibid. num. 1.* testatur quod ecclesiastici omnes, qui adversus consimiles sanctiones uti nimio rigore conspersas dictitantes provocarunt ad Sacram Congregationem Concilii, semper succubuerunt, uti videre est in notificatione 81. et in Epistola pastorali bon. mem. *Cardinalis Lanfredini edit. in civitate Aesina 1740. pag. 187. et sequent.* Et quidem merito succubuerunt reclamantes contra tam justas sanctiones; immo severe puniri deberent, qui vestes proprio non congruentes Ordini deferunt contra expressum *Decretum Concilii Trident. sess. 14. cap. 6. de reformat. ibi:* „Quia vero, etsi non habitus facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant etc.“ Unde contra ecclesiasticos in hoc delinquentes jam dixerat *s. Bernardus de consideration. ad Eugenium III. lib. 3. cap. 4.* „At forma haec vestium deformitatis mentium et morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum minusque sincerum. Nempe habitu milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant“ et contra alios magis adhuc in forma vestium delinquentes *s. Hieronymus scripsit ad Eustochium epistola* 22. „Tales cum videris, sponsos magis existimato quam Clericos“.

Nucerina.

Ad vestes talares quod attinet etiam extra Ecclesiam deferendas, in quo tertium versatur dubium et in quo Clerici Validenses quamplurimum obstrepunt, haec habet Episcopus: *Nihil aliud feci quam evulgare in Summario Edictum in calce Concilii Romani appositum juxta ejusdem sacri Concilii Decretum tit. 16. cap. 3. ubi dicitur:* Illudque (Edictum) Episcopi aliique respective in suis etiam dioecesibus publicandum et omnino observandum curent. Vestrum hinc erit definire, num Validinensi Clero conveniat contra propriam communemque universae pontificiae ditionis consuetudinem hujusmodi Edicto se conformare, fascesque Episcopi pietati zeloque submittere. Debent quidem Clerici *per decentiam habitus extrinseci, ut ait Synodus Trid. sess. 14. cap. 6. de Reform., morum honestatem intrinsecam ostendere.* Porro qui sit dicendus amictus seu vestis Ordini clericali conveniens difficile est generatim definire, quum pro temporum locorumque varietate extra Ecclesiam, (in qua semper constans et firmus manere idem debet vestis talaris usus) varium esse et immutari posse indubitatum est approbante etiam piorum hominum more, cui maxime est deferendum.

Verum ad haec ob oculos Emorum PP. ponit Episcopus, quae notat Bened. XIV. de Syn. dioeces. lib. 11. cap. 8. *Per tot.* Plures, ait SSmus Pontifex, synodales Constitutiones sunt in invidiam adducta criminatione nimiae novitatis, quae tamen expensae ad sacrorum Canonum normam, deprehensae sunt eorundem rigore potius temperasse. In nonnullis Synodis aut Episcoporum Edictis jussi sunt Clerici sive in Sacris constituti sive ecclesiasticum beneficium possidentes, veste uti oblonga nigri coloris, quam talarem appellamus, adjecta poena in contumaces. Adversum has sanctiones, quas nimio rigore conspersas dictitabant, provocarunt ecclesiastici ad S. Congregationem Concilii; sed semper provocantes succubuere: quod videre est in Instit.

71. et in Epistola pastorali bon. mem. Cardinalis Lanfredini edita in civitate Aesina anno 1740 *pag. 287. et sequ.* Nihil quippe visum est corrigendum in decretis, quae fulciebantur auctoritate Tridentini *sess. 14. cap.* 6. *de Reform.* ubi, oportet, ait, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre.

(Ex resol. S. C. C. diei 10. Decembris 1817.)

TALISMAN.

Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in regnis Madurensi etc. Indiar. Oriental.

Cum moris hujus regionis sit, ut Infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Tally seu aurea tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis, Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant nec Sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima aetate et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae, juxta formam a sacro Concilio Tridentino praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiae illius religionis Sectatores Tally praesefert imaginem, licet informem, Pulleyaris sive Pyllajaris idoli nuptialibus caeremoniis praepositi, cumque dedeceat christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Tally vel sanctissimae Crucis vel Domini Nostri Jesu Christi vel beatissimae Virginis vel alia quavis religiosa imagine ornato: et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum et unctionem.

Die 12. Septembris 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 400.)

Ad dub. Episcoporum Madurensium etc.: An et quomodo praedictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis: Cum moris hujusmodi regionis sit etc.?

Eminentissimi dixerunt: Exequendum esse decretum Eminentissimi de Tournon, cum declaratione tamen: servandam esse formam pro matrimoniis a sacro Concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus decretum dicti Concilii in cap. 1. sess. 24. de reform. matrim. publicatum est et imposterum publicabitur, neque ejus observantia sit impossibilis; et missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis missionum illarum partium dictum decretum concilii publicetur.

Die 12. Septembris 1744.

TANTUM ERGO.

1) In expos. SSmi 40 hh.

Cf.: *Pange Linqua. Quis intonat?* Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 7. *Quando intonandum? Ibid.* n. 8. 9.—13.

2) Genuflexio.

Ad dub.: An in 1. Vesp. SSmi, quae solemniter celebrantur, et tamen non expositum, sit genuflectendum in hymno cum dicitur: *Tantum ergo etc.*?

S. C. resp.: *Ad consuetudinem Ecclesiae.* N. 2259 ad 2 die 4. Augusti 1663.

Omnes genuflectere debent in recitando officio in choro ad verba: *Tantum ergo etc.* N. 2345 ad 14. die 31. (Julii) 1665.

Ad dub.: An ad *Tantum ergo etc.* genuflectere intelligatur de tota stropha

scilicet usque ad aliam respective: *Genitori etc.*?

S. C. resp.: Ad integram stropham. N. 2805 ad 7 die 14. Nov. 1676.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 10. 11. 12. 13.

3) In Missa cantandum.

In elevatione SSmi in missis sol. cani potest *Tantum ergo etc.* vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. n. 4233 ad 6 die 14. Aprilis 1752.

4) Quomodo cantandum in Officio?

Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

TAPETUM (ALTARIS ET THRONI EPISCOPI).

Non licet Archiepiscopo sterni facere tapeta in suis gradibus, quando gradus altaris stant nudi sine paramentis. N. 917 die 5. Julii 1631; n. 928 die 2. Augusti 1631.

Vd. *Pulvinar.*

TAXA.

1) Solvenda pro sepulturis.

Vd.: *Quarta funeralis.*

2) Solv. pro exped. liter. de altare privil.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

3) Pro Param. et aliis Utensilibus.

Vd.: *Utensilia* (taxa).

TE DEUM.

1) Auctor hujus hymni.

Magna de hujus Cantici Auctore controversia est. Plerique, qui ad saeculum XVI. scripsere, Canticum *hocce a s. Ambrosio cum Augustino,* in hujus Baptismo decantatum fuisse statuerunt. Verum id deinde magnae auctoritatis Scriptores negarunt. Ita *Gavantus* in recentiori Merati editione tom. 2. parte 1. ad Rubricas Brev. sect. 4. cap. 19. ad rubric. 31. pag. 362. in tex. *Gavanti* n. 1. ubi censet esse solius Ambrosii, qui plurimos hymnos composuit. Accedit Merati in novis dissertationibus, observationibus, inquam, p. 363. a p. 1., qui n. 3. p. 374. suspicatur potius esse vel s. Hilarii Arelatensis vel alicujus Monachi Livinensis. Petrus Puricellus in dissertatione Nazariana cap. 69. n. 7. et 8. putat esse solius s. Ambrosii, quod etiam vult Martene ad cap. 2. Regulae s. Benedicti et ad eamdem Regulam ibi Petrus Boerius et Thobias Lohner in Instruct. practica de Officio divino part. 2. tit. 1. §. 11. Hugo Menardus in notis ad unctionem Regum Francorum tom. 3. Operum s. Gregorii edit. paris. pag. 585. nota 1803 negat compositum et decantatum in Baptismo s. Augustini; de Auctore nil definit, quod idem faciunt Paulus Posca in Martyrologio ecclesiastico Mediolanen. ad diem 14. Januarii in s. Datio. Mabillonius tom. 1. Analector et in dissertatione de Azymo cap. 6. asserit rem esse dubiam, nec constare, an sit illorum ss. Doctorum. Grancolas Comment. in Breviar. lib. 1. cap. 33., Muratorius tom. IV. in Praefatione ad Histor. Landulphi senioris, de Scriptoribus rerum italicarum, *Raynaudus* tom. XI. tract. de bonis ac malis libris, partitione 1. erotemate X. n. 189. pag. 270. et *Cangius* in glossario verbo: *Hymnus Te Deum,* cum plurimis aliis negant referendum ad Ambrosium et Augustinum; sed cujus sit, non statuunt. *Card. Bona* lib. de divina Psalmodia cap. 16. §. 12. n. 3. innuit, ab aliquibus tributum cuidam Sisebuto Monacho, sed ipse id rejicit; at hanc opinionem secutus est *Natalis Alexander* tom. 4. Histor. ad saecul. 4. cap. 6. art. 27. n. 12. pag. 161. edit. Lucensis, sed illud rejicit Merati loco supracitato n. 3. pag. 373.

Luculentam de hac controversia disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam edidit Romae 1751 Cl. Emmanuel Azevedo in Dec. suarum exercitationum liturgicarum p. 190. seqq. Aliqua ex ea promemus.

Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam s. Ambrosius, cui passim adscribitur; modo statuam, jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptismate cogitaretur. Hanc sententiam, quae Gavanti est, Petri Puricelli in dissertatione Nazuriana cap. 39. num. 7. et 8., atque Edmundi Martene ad cap. II. Regulae s. Benedicti, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes Auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tuetur communem persuasionem, quae Hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasioneBaptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluxerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam hymni ss. Ambrosii et Augustini.

Ad hanc confirmandam sententiam praesto est Ambrosius ipse in Oratione *de Basilicis non tradendis*, ubi ait: „Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius, quam confessio Trinitatis, quae quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student Fidem fateri, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus praedicare.“ Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis Hymnis; at si potissimum dixero intendisse digitum in Hymnum hunc Te Deum, praeter auctoritatem doctissiimi Puricelli, me non absurda loqui suadent 1. quod hic loquitur de expressa Confessione Trinitatis, 2. de Confessione, qua praecipue armarentur Fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam aequalitatem cum Patre impugnantes, et 3. de confessione, quae quotidie a populo decantaretur. Concedo, plerosque alios Ambrosii Hymnos in ultima stropha habere breviter confessionem Trinitatis: fateor etiam, eamdem confessionem contineri in Ambrosii Hymnis: 'Jesu redemptor gentium: et Deus Creator omnium, et: Splendor gloriae; at nullus ex his inscribitur: Confessio Trinitatis. Canticum vero Te Deum expressa est confessio; incipit enim „Te Deum laudamns, te Dominum confitemur. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia. Patrem immensae majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium (vide quam apta sint contra negatum ab Arianis omousian Filii); Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius contra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes. Tu ad dexteram Dei sedes in Gloria Patris; en gloriae aequalitatem in filio, quem Ariani patre minorem praedicabant. ItemaliosAmbrosii Hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a Populo decantatos. At noster Hymnus quotidianae modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.* Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusiorem aliquem Trinitatis et Fidei confessionem quotidie a Fidelibus recitatam: aut igitur haec fuit symbolum Fidei, et hoc non patiuntur verba Ambrosii, aut Hymnus est iste, in quo summa quaedam deprehenditur confessionis Fidei, praesertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum, ut in codicibus

Vaticanis 52. et 85. apud *Thomasium* tom. III. oper. p. 64. inscribatur hoc canticum: *Hymnus in honorem s. Trinitatis;* et in aliis: *Hymnus ss. PP. in honorem ss. Trinitatis,* aut: *Confessio Fidei.*

At inquies cum Raynaudo et Merato: Ambrosius hic loquitur de Hymnis constantibus versibus, carmine etc. adeoque metricis: at hujusmodi non est canticum istud, igitur ad illud ejus verba referri non possunt. At prudenti cuique in verbis Ambrosii facienda magis vis est in eo, quod scribit de Confessione Trinitatis et quotidie decantata, quam in vocibus *hymni, versus, carminis,* etc. Nemo enim est, qui ignoret his nominibus saepe vocari psalmos ipsos, sequentias, symbolum ipsum Fidei, quae omnia metro non constant atque hic idem noster canticus et in plerisque codicibus et ab auctoribus vocatur Hymnus. Quidquid igitur alternatim canendo dicebatur in divina psalmodia, *Hymnus, Canticum, Carmen* vocatum reperitur; *Gloria in excelsis Deo,* Doxologia *Gloria Patri etc.,* Trisagion *Sanctus Deus,* passim dicuntur: *Hymnus Angelicus*: *Glorificationis Hymnus* etc.; s. Augustinus in psalmum 148: *Hymnus scitis qui est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis Hymnum.*

2) Ad installat. noviter creati Canonici.

Vd.: *Installatio* (decr. n. 4274.)

3) Post electionem Episcopi.

Vd.: *Preces pro elect. Episcopi.*

4) Intortitia defer. ad Te Deum.

Vd.: *Intortitia ad elevationem* decr. num. 4064.)

5) In Off. parvo B. V. M.

Te Deum in Off. parvo B. V. M. recitari debere a Nativitate Dom. usque ad Septuages. et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum. In Adventu autem et a Septuages. usque ad Pascha nonnisi in festis B. V. M. M. N. 3905 ad 1. die 2. Apr. 1718.

6) A quo tempore in Officio recitatur?

Cl. Emanuel. Azevedo in dec. suar. exercitationum liturgicarum p. 190 etc. edidit Romae 1751 luculentam disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam:

„Nullus, inquit auctor ille, quod sciam, ante s. Caesarium Arelatensem, hujus cantici mentionem facit. Hic sectator institutorum monachorum Lirinensium, ut tradit Cyprianus scriptor ejus vitae lib. 1. cap. 4. et 5. episcopatum suscepit circa annum 600 et obiisse creditur 643 ex Labbeo ad Bellarminum de scriptor. ecclesiast. Ejus nepos Tedradius vel Tedritius (seu Teridius apud Caereum) ex ore ejusdem regulam suscepit monachorum circa initium VI. saeculi, de qua Hugo Menardus in concordia regularum s. Benedicti Ananiae Abb. pag. 59. In hac regula, quae habetur in codice Holstenano regularum ss. PP. part. 2. pag. 93. n. 21. praescribitur qualibet dominicà ad matutinas preces recitandum canticum Te Deum; eadem regula habetur n. 2. tom. 15. bibliothec. edit. Paris.

S. Benedictus post s. Caesarium (anno 540) idem canticum inseruit officio monastico ad finem matutini, ut patet ex ejus regula cap. 11. ut in Cod. Regul. Holstenii et etiam in concordia s. Benedicti Ananiae Abbatis cap. 23. in Append. 3. pag. 348. S. Benedictus pater monachorum Occidentis natus creditur anno 480, defunctus circa 543. Lege praefationem Mabillonii ad 1. tom., Acta ss. Ordinis Benedictini num. III. XXVI. XLI. Suam regulam tradidit s. Mauro proficiscenti in Gallias circa annum 541,

unde credimus eam scriptam anno 540. *Officium Mozarabum* laudatum fuit (anno 600) et traditum recitandum toti Hispaniae in Concilio Toletano IV. cui praefuit anno 633 S. Isidorus Hispalensis, ut tradit Roblesius in vita Card. Thomasii pag. 117. At in eo officio praescribitur dicendum canticum Te Deum ad Primam, ut ex eodem Roblesio cap. 25. loc. cit. apud Blanchinum pag. 119. Cumque s. Isidorus non credatur auctor sed instaurator illius officii, patet canticum istud fuisse in usu apud Hispanos initio saeculi VII.

Sed ejusdem mentio est apud *Scriptorem Anonymum* (anno 752) monachum quemdam monasterii s. Germani Parisiensis Episcopi sub Duce Pipino, qui deinde anno 752 regnum suscepit. Scriptor hic tamquam sibi narratam a Carolo Magno scribit eam translationis historiam, factae utique ante annum 762. Et sic loquitur apud Surium in VII. tomo ad diem 25. Julii pag. 596 paulo post medium: „Viso autem tanto miraculo tam Episcopi quam reliqui Clerici, quam magna poterant voce, Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur, *praecedentes sanctum Feretrum jubilare coeperunt*. Eadem leguntur apud Bollandianos tom. VI. Maii pag. 789. in fine n. 5.

Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis, qui floruit circa annum 810 in sua Praefatione seu Prologo ad Antiphonarium pag. 223 col. 1. apud Hittorpium de divinis Officiis testatur in Ecclesia Romana decantatatum fuisse hymnum hunc ad matutinas preces.

Smaragdus Abbas in celeberrimo commentario in regulas s. Benedicti ad c. 2. vocat hymnum hunc Ambrosianum. Et hic primus est ex scriptoribus, qui indicium aliquod dederit auctoris, cui referatur hic hymnus: quod profecto non est contemnendum.

Verum, caeteris omissis, audiamus *Landulphum seniorem*, qui saeculo X. historiam scripsit a Muratorio vulgatam tom. IV. scriptor. rer. ital. Is ergo lib. 1. cap. 3. ait: „Eodem tempore contigit, ut quidam sapiens, tamen errore Manichaeorum seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticae armatus et postea Dei fidelis et catholicus vivens Episcopus, cum in Ecclesia hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem vivendi et audiendi Domini mysteria, sed reprehendendi gratia b. Ambrosium de incarnatione Domini ad populum invenisset tractantem et praedicantem: oblitus sui et suarum omnium cogitationum, pallans et tremens omnibus, qui erant, et videntibus obriguit. Quin etiam, finita admonitione, quam ad populum b. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At b. Ambrosius cogitans ejus scientiam patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter in fide catholica dissentiret et per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum caritative suscepit etc. Tandem nutu divino non post multos dies, sicut multis videntibus et sibi conscientibus palam observaverat, sic in fontibus, qui beato Joanni adscribuntur, Deo opitulante a beato Ambrosio, cunctis fidelibus hujus Urbis adstantibus et videntibus in nomine s. et individuae Trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Te Deum laudamus decantantes, cunctis, qui aderant, audientibus et videntibus, simulque mirantibus, in posteris ediderunt, quod ab universa Ecclesia catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur etc.

Scriptoribus, qui cantici meminerunt, addimus MSS. Codices, qui illud exhibent cum adscripto autoris nomine. „Hymnus ad Matut. cantatur diebus

dominicis, quem s. Ambrosius et Augustinus condiderunt." Ita alter Vaticanus n. 98. „Hymnus, quem s. Ambrosius et s. Augustinus invicem condiderunt." Ita Codex Psalterii Palatinus n. 39. quem Carolus Magnus anno 772 Hadriano I. Summo Pontifici dono misit, qui postea ab Hadriano eodem s. Willehado primo Ecclesiae Bremensis Episcopo de anno 778 donatus, in eadem Ecclesia per octo et amplius saecula asservatus, nunc custoditur in Bibliotheca Caesarea, teste Lambeccio ad eamdem bibliothecam lib. 2. cap. 5. pag. 294. post numerum 130. et notavit Merati ad Gavantum tom. 2. part. I. pag. 396. column. 2. et Mabillonius in dissert. de Azymo cap. 6. etc.

7) Oratio.

Ad dub.: Quaeritur an preces cum tribus orationibus praescriptae a Rituali Romano post processionem pro gratiarum actione recitari debeant quando cantatur *Te Deum* sine processione pro beneficio obtento vel conclusione exercitiorum vel post processionem SSmi Corporis Christi, vel sufficiat unica oratio *Deus, cujus misericordiae,* omissis precibus et duabus orationibus? Et quatenus affirmative, utrum sufficiat oratio *Deus, qui nobis sub Sacramento,* si fiat occasione repositionis SSmi Sacramenti?

S. eadem C. respondendum censuit: Extra casum processionis sufficere versus: *Benedicamus Patrem ..; Benedictus es ... Domine exaudi ...,* *cum unica oratione: Deus, cujus misericordiae etc.*

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 3. Die 11. Septembris 1847.

Vd.: *Preces publicae.*

Finito hymno: *Te Deum etc.* accedunt duo Acolythi cum candelabris et cereis accensis et medius inter eos alter de libro serviens Episcopo ..., qui versus populum cantat *Dom. vob., deinde* versus altare: *Oremus,* junctis manibus, deinde orationem: *Concede etc. Caer. Ep.* l. c. XVI. n. 9. Vd.: *Vesp.* (Ritus, orat.)

8) Organum intermiscendum.

Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

9) An sit standum?

Quando in gratiarum actione cantatur *Te Deum coram SSmo expos.,* Clerus tam ad altare quam in choro debet stare. N. 4393 ad 17. die 27. Martii 1779.

Per Episcopum stantem ex libro vel memoriter intonato *Te Deum etc.* chorus illum prosequitur, cui et organum intermisceri poterit, dummodo *Te ergo quaesumus etc. exprimatur voce clara vel suavi harmonia* sine organo, Episcopus et omnes genuflectunt in suis locis. *Caer. Ep.* l. II. cap. V. num. 9.

TE ERGO QUAESUMUS.

(Genuflexio.)

Omnes debent genuflectere in recitando officio in choro ad verba: *Te ergo quaes. — subveni.* N. 2345 ad 14. die 31. (Julii) 1665.

Vd.: *Te Deum* (an sit standum?)

Cum dicitur: *Te ergo quaesumus etc.* Celebrans genuflectit in suo loco et alii omnes similiter. *Caer. Ep.* l. II. c. VI. n. 16.

Quomodo cantandum, quando puls. organum?

Vd.: *Organum in Matut. etc.*

TE IGITUR.

(Modus dicendi.)

Ad dub.: An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis,

dum elevat manus et oculos vel incipere debeat dum est jam in profundo inclinatus?

S. C. resp.: Servanda rubrica de ritu servando in celebr. Missae tit. 8. n. 1. et altera Canoni praefixa. N. 4526 ad 33. die 7. Septembris 1816.

TELEGRAPHUS.

(Benedictio.)

Clerus ex ecclesia proxima vel alio idoneo loco paratus procedit ad locum benedicendi telegraphi cantans psalmum:

Canticum Zachariae Luc. 1.

Benedictus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit et fecit redemptionem plebis suae.

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a saéculo sunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimicis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nosrum, * datúrum se nobis.

Ut sine timóre de manu inimicorum nostrórum liberáti, * serviámus illi:

In sanctitáte et justitia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer Prophéta Altissimi vocáberis: * praeibis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per viscera misericórdiae Dei nostri: * in quibus visitávit nos óriens ex alto,

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

Cum pervenerit ad stationem, Benedicens intonat Antiphonam.

Benedictus es Domine, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem.

Deinde intonat psalm. sequentem, quem clerus vel cantores prosequuntur:

Psalmus 103.

Benedic ánima mea Dómino: * Dómine Deus meus magnificátus es vehementer.

Confessionem et decorem induísti: amíctus lúmine sicut vestiménto:

Exténdens coelum sicut pellem: * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum: * qui ambulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos spiritus: * et ministros tuos urentem.

Qui fundasti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in saéculum saeculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus: * super montes stabunt aquae.

Ab increpatióne tua fúgient: * a voce tonitrui tui formidábunt.

Ascendunt montes et descéndunt campi * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur: * neque converténtur operire terram.

Qui emíttis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquae.

Potábunt omnes bestiae agri: * exspectabunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres coeli habitábunt: * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis: * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens foenum juméntis, * et herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra: * et vinum laetíficet cor hóminis:

Ut exhílaret fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit: * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes excélsi cervis: petra refúgium herináciis.

Facit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Catuli leónum rugiéntes, ut rapiant, * et querant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operationem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt òpera tua, Dómine! * ómnia in sapièntia fecísti: * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum et spatiósum mánibus: * illic repetília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudendum ei: * ómnia a te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebùntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * aúferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum et creabúntur: * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saéculum: * laetábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et íníqui ita ut non sint: * benedic ánima mea Dómino.

Repetita antiphona Benedicens dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus. Deus, qui ambulas super pennas ventorum et facis mirabilia solus; concede, ut cum per vim huic metallo inditam fulmineo ictu celerius huc absentia et hinc alio praesentia transmittis, ita nos inventis novis edocti, tua gratia opitulante, promptius et facilius ad te venire valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde aspergit cum aqua benedicta.

Die 6. Aprilis 1865.

TEMPUS.

1) Celebrandi missam.

Vd.: *Sacerdos* (celebrans ex oblig. propt. populi commod.); *Missa* (hora); *Tabella horaria.*

Romana.

S. Rituum Congregatio censuit concedi posse, ut propter magnam populi et eleemosynarum concurrentiam per-

petuo in Ecclesia B. Mariae ut dicitur de Pianto in Urbe celebrari possint missae defunctorum una hora post meridiem, etiam festivis duplicibus dummodo non sint de praecepto; et literas in forma brevis expediri mandavit, prout officiales dictae Ecclesiae SSmo supplicarunt, qui preces remisit ad ipsam Sacram Congregationem.

Die 24. Novembris 1668.

Anal. J. P. 1865 pag. 1156. num. 1849.

Mutinen.

Rector et administratores Ecclesiae s. Georgii civitatis Mutinen. petierunt facultatem celebrandi missam in praefata ecclesia ratione concursus populi per horam post meridiem, et S. Rituum Congregatio mandavit mihi secretario, quod oretenus eos praemonerem absque ulla licentia licere per dimidium horae post meridiem, scilicet circa meridiem id intelligi posse.

Die 8. Maji 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 328.)

2) Missae vot. sol. celebrandae.

Vd.: *Missa vot. sol.* (hora t. II. p. 245.)

Ad dub. I: An Missae votivae solemnes celebrari debeant post Tertiam vel post Nonam juxta regulam generalem Missarum votivarum?

II: Quum pluries declaratum fuerit sive a Sacra Rituum Congregatione sive a Cardinale Caprara in instructione data die 21. Junii 1804 ad Vicarium Generalem Mechliniensem praedictas Missas de Epiphania etc. in Dominica infra octavam more votivo esse celebrandas, quaeritur: utrum consequenter Hora solemniter cantata in his Dominicis ante Missam votivam pontificalem debeat esse de Officio occurrente in calendario, prout moris est, ante alias missas votivas pontificales et sicuti regula generali statuitur in praedicta instructione Cardinalis Legati de Officio his Dominicis tam publice quam privatim juxta rubricas occurrentes recitando? Vel contra morem aliarum Missarum votivarum et per aliquam exceptionem ad regulam generalem a Cardinali traditam, haec hora debeat esse conformis Officio Missae votivae?

S. C. resp. ad I: Post Nonam juxta rubricas;

ad II: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2189.)

3) Intra quod temp. Missa celebranda est?

Vd.: *Missa* (tempus); *Visitatio* (de missae celebr.)

Ex constitut. Canon. reg. Ord. s. Augustini Cong. Colimbric.

Sacerdotes denique magna cum devotione ac reverentia quotidie missam celebrabunt, nisi sint legitime impediti, in cujus celebratione mediam insument horam paulo plus minusve, et horae quadrantem in gratiarum actione. Qui autem sacerdotes non fuerint, quotidie missam audient praeter illam, cui conventualiter in choro adsunt.

Die 17. Julii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 150. Ed. Romae.)

Ex constitut. Ord. s. Pauli I. eremitae Congreg. Lusitaniae.

Pius PP. VI.

Sacerdotes nostri, ni justa impediantur causa quotidie (exceptis tamen quinta et sexta feriis ac sabatho majoris hebdomadae celebrabunt de-

vote, modeste majorique, qua poterunt reverentia. Dum celebrant animadvertant attente propriis sese manibus illum tractare, qui omnium Deus est ac dominus, ipsosque ex nihilo creavit ac ad id dignitatis evexit ac tandem cum rerum omnium finis advenerit, judicabit. Proprio exemplo adstantes alliciant, quo sancto huic mysterio devote etiam ac reverenter adsistant. Tres horae quadrantes celebrando (ni missa de passione sit) non exsuperent; neque minus quam circiter semihorae tempus insumant, nisi defunctorum missam celebrent. Quam possunt accuratissime caeremonias ac rubricas omnes exequantur, in quibus a caeremoniarum magistro instituti, deque eisdem ab eodem exquiri antequam primum sacrum faciant, quod nunquam cantare poterunt.

Die 16. Novembris 1781.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 377. Ed. Romae.)

Gregorius XVI.

Ex constitut. Societatis Misericordiae.

Jamvero sacras caeremonias ritusque ab Ecclesia praescriptos callenti et in sancta celebratione accurate et diligenter observare volenti semihoram plenam (quod quidem spatium a pluribus piis sacerdotibus requirendum asseritur) in rem divinam impendere necesse erit.

Die 18. Februarii 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. pag. 320. Ed. Romae.)

Delatum fuit SSmo a nonnullis sacerdotibus tam brevi temporis spatio Sacrosanctum Missae sacrificium peragi, ut non sine scandalosa confusione et irreverentia tremendum hoc mysterium tractetur. Ad debitam itaque venerationem instaurandam proposita fuere Sanctitati tuae et ab eodem remissa ad hanc Sacram Congregationem pro examine infrascripta remedia:

1. Praescribendum seu potius declarandum non posse absque indecentia missam celebrari minori temporis spatio, quam sesquiquadrantis unius horae.

2. Ad haec declarandum in hoc non dari parvitatem materiae.

3. Adversus contravenientes infligendam poenam suspensionis et pecuniarum.

4. Proinde retinendum in quolibet altari elepsydram quae currere incipiat in Introitu.

5. Si quis ante elapsam elepsydram missam expleverit, contravenisse censeatur.

6. Et nihilominus sacerdos, donec integre arenula excurrat, in altari stare teneatur, ut suae irreverentiae poenam et hanc publici pudoris sentiat.

7. Quod si non steterit in poenam excommunicationis ipso facto incurrat.

8. Acolythus contraventorem ad parochum, ut is ad ordinarium deferat.

9. Super his autem edendam Constitutionem.

10. Eamque quolibet anno et in qualibet ecclesia legendam et populo explicandam.

„Secretarius exponat SSmo S. Congr. quoad dubia judicasse a 1. usque ad X. inclusive: Sufficienter provideri literis circularibus ad Episcopos dirigendis, quibus eisdem injungatur ut diligenter curent, quod Sacerdotes tam saeculares quam regulares debita cum reverentia celebrent.

Die 26. Martii 1678.

(Anal. J. P. 1864 p. 978.)

4) Intra quod temp. missae receptae celebrandae sunt?

Vd. t. III. pars. II. pag. 150. 151. 164 167.

5) Intra quod temp. Officium recitandum?

Obligatio Ecclesiasticorum ut divinum officium recitent non a jure divino sed positivo oritur *in cap.: Dolentes de celebrat. Miss.*, neque in hoc aut alio juris ecclesiastici loco praescribitur hora, ut protrahi vel properari possit, dummodo intra viginti quatuor horas integrum celebratur, ceu docet *Tamburrin de jur. Abbat. Disput. 10. quaest. 6. n. 1. in fin., et Gavantus in Thesaur. S. Rit. tom. 1. part. 1. sect. 1.*

(Ex res. S. C. C. diei 22. Junii 1805. *Urbinaten.*)

6) Recitandi horas min. et complet.

Canere hactenus consuevit Segoviense Capitulum nonam, vesperas et completorium pomeridiana hora secunda cum dimidia. Quum hoc autem, aestivo praesertim tempore, grave admodum nocuumque sit interessentibus, supplicat idcirco Capitulum pro ea differenda divini officii parte ad horam tertiam cum dimidia a die 3. Maii ad totam cujusque anni diem 14. Septembris; et haec habet Segoviensis Episcopus: Capitulum denuo per suffragia secreta de mutatione egit, omnesque, tribus demptis, mutationem volunt. Usu et consuetudine receptum est praedictas horas canonicas hora secunda et dimidia cantare; idcirco mutatio non est constitutionibus contraria. In Ecclesia cathedrali Abulensi, quae vicinior est cujusque aeris temperies simillima, nona, vesperae et completorium hora tertia et dimidia persolvuntur. Ex mutatione nullum populo scandalum aut detrimentum praebebitur. Demum exsistimo, preces veras esse; nam Canonici frequentius commodiusque praedictis horis adesse procul dubio possunt, si in horam tertiam et dimidiam, qua calor aestivus declinat, transferantur.

Recitandum est divinum officium congruis horis, ita ut quaelibet canonica hora gradatim respondeat horae diei, ut ex *cap. 2. de offic. Archipresbyteri,* notat *Fagnan.* in lib. 3. decretal. cap. 1. de celebrat. Miss. num. 6. Nonae igitur et vesperis congruentior est hora secunda cum dimidia promeridiana juxta consuetudinem Segoviensis Capituli; facileque idcirco mutandum non videtur, quod ab eo secundum canonicam legem servatur, *Fagnan.* in lib. 1. decretal. cap. consuetudines, de consuetud. n. 14. At hora tertia cum dimidia, ad quam transferri postulat Capitulum promeridiani officii cantum, magis proxima est horae completorii, quod in memoriam sepulturae Christi praecedere debet solis occasum, *Francolin.* de hor. canon. part. 1. cap. 18. Quemadmodum ergo una modo completorium cum nona et vesperis anticipatur hora, ita non etiam et vesperae una protraherentur hora cum completorio; ac levis propterea esset exigui temporis mutatio. Gratiam hanc mereri posset Capitulum ob grave aestivi caloris incommodum in accessu ad chorum promeridiana hora secunda et dimidia, ob Constitutiones capitulares variationi non resistentes, et quia Episcopo teste ex mutatione nullum populo scandalum aut detrimentum praebebitur. Ex his porro similibusque de causis permittitur in recitatione divini Officii horarum mutatio, *Brasch.* inprompt. synod. cap. 86. num. 18. et sequ., *Ceccoper.* lucubrat. canon. lib. 2. num. 20., *Benedict. XIV.* instit. 107. §. 4. num. 20. Atque exemplum est in Abulen. Servitii chori 23. Januarii 1790.

Deliberandum itaque proponitur:

An et qua hora sit canenda nona, vesperae et completorium in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad formam precum.

Die 25. Januarii et 8. Februarii 1794.

7) Recitandi Matut. et Laudes.

Vd. *t. III. pars. I. p. 253. n. 5.*; vd.: *Matut. et Laud.*; *Nativit. Dom.*; *Vesp.* (tempus.)

Indiarum seu Ilasclanen.

Moniales SSmae Trinitatis loci dicti la Puebla de los Angelos in Indiis ordinis Conceptionis B. V. exponentes ob malam qualitatem loci et aeris praecipue nocturni pati gravissimas infirmitates eundo ad matutinum supplicarunt pro licentia recitandi matutinum vespere diei praecedentis post salutationem angelicam. Nec non petierunt licentiam recitandi qualibet feria V. non impedita officium sanctissimi Sacramenti et die sabati officium sanctissimae Conceptionis; et S. Congregatio quoad primum de matutino vespere recitando censuit scribendum Episcopo quod constito sibi de veritate narratorum concedat licentiam petitam arbitrio suo; quoad reliqua de officio sanctissimi et Conceptionis respondit: Nihil.

Die 4. Julii 1626.

(Anal. P. P. 1863. pag. 188.)

Tascalen.

Moniales s. Hieronymi civitatis nuncupatae de la Puebla dioecesis Tascalen. in Indiis in regno Mexicano exponentes regionem illam excessivo frigori suppositam et monasterium male situatum valetudinique adversum, ideoque eas facile infirmari et nocte algere; unde petierunt facultatem recitandi horas matutinas in prima nocte aut post mediam horam ante salutationem angelicam, et S. Congregatio, constito de veritate narratorum, concessit in prima nocte arbitrio Episcopi.

Die 17. Junii 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 197.)

Illerden.

Canonici Collegiatae Ecclesiae s. Mariae de Tormansi Illerden. dioecesis recitantes horas matutinas post mediam noctem supplicarunt posse illas recitare vespere de sero aut in aurora, prout recitantur et observatur in omnibus aliis ecclesiis illius dioecesis; et S. Congregatio respondit: Nihil.

Die 10. Februarii 1629.

(Ibid. pag. 210.)

Nemausen.

Canonicorum Collegiatae Ecclesiae s. Petri Balmodien. pro licentia cantandi post completorium de sero matutinum cum laudibus: lectum.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1244. num. 2203.)

Indiarum.

Moniales Conceptionis civitatis Angelorum recitantes matutinas horas in media nocte et ob id causari multas infirmitates monialibus media nocte surgentibus supplicarunt dispensari in aliud tempus. S. C. censuit concedendum arbitrio ordinarii.

Die 29. Julii 1634.

(Anal. J. P. 1863 pag. 260.)

Carthaginen.

Capitulum et Clerus Cathedr. Carthag. ipsis indulgeri postularunt, ut ob aeris intemperiem matutinas media nocte cantari consuetas posthac mane more romano cantare possent.

S. C. resp. *Lectum.*

Die 27. Novembris 1655.

(Ibid. pag. 335.)

Brixien.

Pro parte Joannis Baptistae Averoldi praepositi Ecclesiae parochialis sancti Nazarii Brixiae, Sacrae Rituum Con-

gregationi expositum fuit, solitum fuisse antiquitus per Canonicos et Presbyteros dictae Ecclesiae recitari matutinum sequentis diei in sero post completorium; deinde illud coepisse recitari de mane. Quia vero in dicta ecclesia non sunt assignatae distributiones quotidianae pro Canonicis assistentibus in choro ad horas canonicas experientia compertum est ad matutini recitationem paucos admodum Canonicos seu Presbyteros venire, qui libentius sero accederent et ideo ad matutinum cum majori decentia et sacerdotum frequentia recitetur, idem praepositus petiit licentiam recitandi matutinum de sero post completorium ut antiquitus fiebat. Eadem Sacra Rituum Congregatio licentiam petitam posse concedi censuit et declaravit prout concessit.

Die 24. Septembris 1605.

(Anal. J. P. 1863 p. 47. n. 169.)

Civitatis Angelorum in Indiis.

Pro parte abbatissae et monialium s. Catharinae Senen. in civitate Angelorum novae Hispaniae in Indiis Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, ipsas hactenus juxta suae religionis regulam matutinum media nocte recitare solitas fuisse. Quia tamen experientia compertum est, hac de causa multas ex ipsis monialibus in infirmitatem incidisse, cum in illis partibus dicta hora aër valde noxius sit, nec monasterium commodum habeant et moniales pro majori parte senectute sint gravatae etc. petierunt licentiam recitandi matutinum octava hora noctis et ita adimpleri regulam sui ordinis ac si illud media nocte recitarent.

Eadem Sacra Rituum Congregatio attentis narratis censuit gratiam petitam posse concedi, dummodo matutinum inchoetur hora octava post occasum solis et ita declaravit die 12. Novembris 1605.

(Ibid. p. 50. n. 177.)

Asculana.

Canonici et Capitulum Ecclesiae Asculanae Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt quod praeter solitum et non sine magno incommodo et periculo ab eorum Episcopo coguntur accedere ad ecclesiam ad matutinum recitandum albescente die, cum prius per horam post ortum solis et quandoque tardius illud recitare solerent.

Eadem Sacra Rituum Congregatio visis literis Episcopi et habita super praemissis informatione ordinavit, ut signum campanae pro coadunandis Canonicis et Clericis ad matutinum terminetur orto sole et finito signo expectetur adhuc per quartam partem et tunc et non prius matutinum inchoetur. Et ita omnino per Episcopum et alios quoscumque ad quos spectat in civitate Asculana servari mandavit.

Die 16. Septembris 1606.

(Ibid. pag. 61. n. 218.)

Oscen.

In Ecclesia cathedrali Oscen. solitum esse cantari matutinum media nocte SSmo D. N. narratum fuit; et cum ecclesia praedicta aliquantulum distet a corpore civitatis et ob aeris intemperiem, raro admodum et fere nunquam dicta hora Canonicos ejusdem Ecclesiae ad cantandum matutinum, (ut deberent) accedere: unde fit ut a paucis beneficiatis, cum modica decentia et decore matutinum cantetur, qui etiam dicta hora, ob aemulorum seu inimicorum timorem, armati ad se tuendum accedunt. Quare non solum Episcopus, Canonici et Capitulum, sed etiam catholica majestas

per suas literas eidem SSmo D. N. supplicaverunt, ut non obstante dicta consuetudine, horam praedictam mutare dignaretur, ita ut in futurum liceat Canonicis, beneficiatis et clericis dictae ecclesiae matutinum cantare occidente sole. Et cum Sanctissimus D. N. negotium hoc in Sacra Rituum Congregatione proponi et discuti mandavit, eadem Sacra Rituum Congregatio, attentis narratis et instantia facta a rege catholico, Episcopo et universo Capitulo, censuit mutandam esse horam matutini, non ad occasum sed ad ortum solis, ut albescente die prima luce in futurum Canonicis, Capitulo et Clero dictae Ecclesiae cathedralis Oscen. matutinum primo et deinde caeteras horas canonicas recitare seu decantare liceat et ita declaravit die 21. Julii 1607.

Et Sanctissimus D. N. audita Congregationis opinionem per nostram relationem Sanctitati Suae in consistorio secreto facta, ejusdem Congregationis sententiam laudavit, approbavit et exequi mandavit. Die 30. ejusdem mensis Julii 1707.

(Ibid. p. 72. n. 252.)

Vd.: *Chorus.*

Montis Politiani.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. de Ref.)

Venerabilis Dei servus Cardinalis Robertus Bellarminus in constitutionibus, quas edidit, pro regimine novae Cathedralis Montis Politiani, quaeque subinde auctoritate apostolica fuerunt confirmatae, decrevit, ut matutinum Officium in posterum diceretur mane circa ortum solis vel non diu postea et juxta hanc legem preces matutinae et laudes circa ortum solis et tempore hyemali una hora post ortum solis recitatae sunt.

Ita res se habuit usque ad annum 1715, quo decurrente cum Canonici capitulariter uniti, communi calculo, exceptis duobus, resolutionem fecissent de habendo recursu, prout habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro mutatione horae matutini, hoc est pro facultate illud recitandi de sero, a Calendis videlicet Novembris ad totum mensem Aprilis, non obstante, quod aliter statutum fuisset in constitutionibus apostolica auctoritate roboratis, uti ingenue exposuerunt, datae sunt literae juxta morem Episcopo pro informatione et voto.

Episcopi informatio fuit favorabilis petitioni Canonicorum, ponderatoque, quod Cathedralis erat sita in cacumine montis, quod Canonici tuendae valetudinis gratia tempore hyemali se abstinebant a choro, quod gratia demum non carebat exemplo in provincia, cum in Ecclesia Pisana, Volaterana, Clusina, Cortonensi, Collis, s. Miniati et Pientina matutinum Officium diei sequentis recitetur die praecedenti propter aeris subtilitatem, Sacra Congregatio die 3. Octobris 1716 commisit Episcopo Montis Politiani, ut Canonicis gratis indulgeret, quod horas matutini et laudum a die immediate sequenti post festum Epiphaniae usque ad diem cinerum exclusive de sero recitare possent et valerent.

Fuit hoc rescriptum executioni mandatum, sed cum post plurium annorum lapsum Canonicus Franciscus Xaverius Aegidii novum ad hanc Sacram Congregationem recursum habuisset instando, ut gratia jam concessa retraheretur, novae ad Episcopum datae sunt literae et Episcopus dubitans de mutata Canonicorum voluntate, cum Capitulum coram se convocasset et secreta singulorum suffragia per fabas albas et nigras de more expetiisset, decem ex sedecim Capitularibus nihil esse innovandum censuerunt et sic Matutinum et Laudes

esse recitandas ad tramites decreti editi die 3. Octobris 1716.

Ita legitur in nova Episcopi informatione, in qua idem se revera favorabilem ostendit et consentientem majori parti Canonicorum, et quia recolendae mem. Antonius Cervinus Episcopus Montis Politiani in suo, cum quo decessit, testamento quasdam distributiones constituit pro sex capellanis matutini recitationi interessentibus: *da tutta la somma del frutto quello che terra l'amministrazione, ritenga per sua mercede annualmente scudi due, ed ogni restante si divida ugualmente fra i detti sei capellani con obligo d'intervenire tutti quotidianamente a recitare il matutino in detta chiesa Cathedrale, e non in sacristia, come di presente, ma in loro, e mancando ciò fare, quello, che mancarà intervenirci resti privo di tal' emolumento,*" respondetur a Canonicis ex hoc legato nihil aliud inferri posse, quam quod, si capellani praedicti volunt lucrari distributiones, debent recitare matutinum non in sacristia sed in choro, quae res nihil habet commune cum recitatione matutini post Completorium per aliquam anni partem. Jura hinc inde circumferuntur, unde onus erit EE. VV. decernere:

I. An decretum S. Congregationis anni 1716 concedens recitationem matutini cum laudibus de sero post vesperas Canonicis Cathedralis Montis Politiani substineatur? Et quatenus negative;

II. An matutinum cum laudibus recitari debeat de mane ad formam constitutionis clar. mem. Card. Bellarmini in casu?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative; ad II: Satis provisum in primo. Die 26. Junii 1723.

Auximana.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Cingulanae ex vetustis capitularibus constitutionibus onus habent interessendi choro per tres vices qualibet die, duas scilicet de mane et unam tempore vespertino. Hoc onus, quod ipsis ultra modum grave asserunt reduci postularunt ad duas tantum vices qualibet die, nimirum mane cum recitatione Matutini et Laudum pro sequenti die. Hujusmodi preces ablegatae fuerunt Eminentissimo Cardinali Episcopo Cingulano, ut supra expositis S. hanc Congregationem redderet instructam et votum suum aperiret. Is enim opinatur: *posse indulgeri, quod utique Canonici praedicti bis tantum qualibet die toto anni tempore in choro inserviant, exceptis diebus festis aliisque Ecclesiae solemnitatibus, ea tamen lege, quod de mane post solis ortum matutinum cum caeteris horis canonicis usque ad Vesperas exclusive recitent, nulla interposita interruptione, et deinde post prandium hora consueta persolvant Vesperas cum Completorio. Mos hic mihi videtur magis conformis consuetudini illius Ecclesiae Cathedralis et quam plurimis resolutionibus Sacrarum de Urbe Congregationum et tabellae horariae impressae apud Crispin. in tractat. de visit. past. part. 2. cap. 20. num. 11.*

Instantiam modo renovant Canonici, a quibus jura circumferuntur. Animadvertunt enim, Ecclesiam sitam esse in cacumine montis intra civitatem positi distantis tamen a moeniis urbanis per passus fere trecentum et ab habitationibus longe dissiti, ita ut nimis incommodus, imo cum evidenti salutis detrimento sit Canonicorum accessus ad Cathedralem Ecclesiam tam hiemali tempore propter nives, glaciem, pluvii aerisque inclementiam

quam aestivo tempore propter excessivum solis calorem; hinc fit, quod plurimi et praesertim senes vel senectuti proximi choro ad omnia subeunda choralia munera cum detrimento divini cultus non intersunt.

Exemplum asserunt simillimi Indulti ab hac Sacra Congregatione concessi Collegiatae Ecclesiae s. Exuperantii non procul a Cingulana Civitate distantis, cujus Canonici cum triplex et aeque incommodum singulis diebus subirent chori servitium, juxta leges et constitutiones Ecclesiae Cathedralis porrectis precibus huic Sacrae Congregationi pro illius reductione ad binas tantum vices quolibet die geminisque propositis dubiis in haec verba conceptis.

I: An sit concedenda facultas Canonicis Collegiatae s. Exuperantii bis tantum qualibet die toto anni tempore in choro conveniendi, exceptis tamen diebus festis aliisque Ecclesiae solemnitatibus in casu etc.?

II: An sit eisdem concedenda etiam facultas celebrandi divina Officia in Capella s. Mariae Angelorum a die 2. Novembris usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus festis aliisque solemnitatibus in casu?

Sacra Congregatio *sub die 14. Martii 1772* utrique dubio respondit: *Arbitrio Episcopi.*

An igitur idem Indultum conveniat Canonicis Cathedralis Ecclesiae, erit ab EE. VV. definiendum sub sequenti dubio:

An sit concedenda facultas Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Cinguli toto anni tempore recitandi de mane post solis ortum Matutinum cum caeteris Horis canonicis, nulla interposita interruptione et deinde post prandium persolvendi Vesperas cum Completorio in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro mensibus Decembris, Januarii, Februarii et Martii tantum, exceptis diebus festis de praecepto, in reliquis negative.

Die 19. Septembris et 21. Novembris 1778.

Concessio recitandi officium matutinum in Ecclesia Cathedrali Pompilonensi septem mensibus Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii et Aprilis hora quarta cum dimidio et aliis quinque Martii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem.

Venerabili fratri Episcopo Pompilonensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, Dignitates et Canonici regulares ordinis sancti Augustini Capitulum istius Cathedralis Ecclesiae Pampilonensis componentes, qui ab ordinaria jurisdictione, prout assserunt, exempti, huic apostolicae Sedi immediate reperiuntur subjecti, quod, cum vigore capitularium constitutionum seu legis fundationis aut alio legitimo titulo officium matutinum canonicum toto anni decursu cum cantu celebrari debeat in dicta Cathedrali Ecclesia post mediam noctem, videlicet vernali et aestivo tempore hora tertia cum dimidio, autumnali vero et hiemali hora quarta cum dimidio, exceptis sabbatis, in quibus aliquantulum protrahitur ob celebrationem Missae Beatae Mariae Virginis, octavis Sanctissimi Corporis Christi et assumptionis Beatae Mariae Virginis, cui dicata est ecclesia, triduo majoris hebdomadae et commemoratione omnium fidelium defunctorum, in quibus solemnitatibus vespere diei anterioris persolvitur; cumque praedicti exponentes degant seorsum

cum sus familiis in privatis aedibus canonicalibus in confinio ecclesiae praedictae sitis, quod claustrum externum dicitur, ubi etiam domus aliorum civium saecularium existunt, et dein noctu hyemali praecipue tempore inter frequentes pluvias et nives ad aliud claustrum continens cellas dormitorii, quae perfrigidae sunt, se conferunt et tandem ad ecclesiam ipsam eidem dormitorio haerentem, quae ob positionem et vastitatem frigidissima est ad matutinum persolvendum descendunt, et non sine gravissimo valetudinis detrimento etiam aestivo tempore id exequi potest, et plerumque accidit ob memoratas causas et exiguum Canonicorum numerum, inter quos multi emeriti, alii aetate provecti et adversa valetudine laborantes, ut ad summum medietas aut tertia pars communitatis et passim duo, tres, quatuor tantum Canonici ad persolvendum officium matutinum conveniant nec supplere possunt sex capellanos cantores, quia eorum numerus impleri nequit ob deficientiam clericorum et tenuitatem praebendarum. Durante regnis Hispaniarum nuperrima hostili invasione, Capitulum praedictum, uti asserunt, necessarium duxit ob noctissimas perturbationes, officium praedictum transferre ita, ut a die s. Michaelis Archangeli usque ad finem octavae resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi hora quarta post meridiem, reliquo vero anni tempore hora sexta post mediam noctem psalleretur, quae translatio observatur adhuc. Licet autem occupationis hostilis causae cessaverint, non sine magno tamen exponentium valetudinis incommodo hujusmodi horarum distributio in pristinum statum juxta legem fundationis restitui potest ac proinde a Nobis expostulant, ut in posterum perpetuis futuris temporibus praefatum officium matutinum septem mensibus, Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii atque Aprilis hora quarta cum dimidio post meridiem et aliis quinque mensibus, videlicet, Maii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem licite celebrare valeant, servato antiquo in octavis et festis initio expressis, asserentes petitam horarum mutationem Deo majorem gloriam, populo et ipsis utilitatem et commodum allaturam esse.

§. 2. Nos igitur praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerint, absolventes et absolutos esse censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis et si id in Domino expedire censueris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedictis exponentibus ac illorum successoribus in perpetuum, ut ipsi in posterum officium matutinum tantum juxta distributionem horarum superius expressam atque petitam, servata in reliquis statutorum vel constitutionum capitularium Cathedralis praedictae forma et dispositione ac exceptis diebus supra notatis, in quibus servetur antiqua consuetudo, celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas atque indulgeas ac cum eis desuper de specialis dono gratiae pro tuo arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 25. Junii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV, p. 223. Ed Romae.)

TERTIA.

1) Cantanda in Rogation. et in die s. Marci.

Ad dub.: Utrum in festo s. Marci in Ecclesia hujusmodi Evangelistae dicata Episcopus finita Processione Litaniarum majorum debeat tantum recitare Ps. *Quam dilecta*, antequam Pluviale violaceum deponat et rubra indumenta accipiat pro Missa pontificali, vel etiam hora tertia solemniter post processionem et ante Missam pontificalem decantanda sit?

Et eadem S. C. rescribendum censuit: In casu esse decantandam horam tertiae.

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5180 ad *3*. Die 25. Septembris 1852.

2) Cantatio Papa celebrante.

Processione ad altare finita et facta reverentia... extrahitur Mitra Papae et biretum, qui deinde surgit et stans versus altare secrete dicit: *Pater noster;* deinde alta voce cantando et se signando: *Deus in adjutorium meum* etc. manens ita, quousque incipiatur per Cantores Psalmus: *Legem pone.* Quo incoepto sedet et imponitur ei biretum et Mitra, ut supra. Tum Subdiaconus latinus accedit ad altare, cui mappulam quandam Sacrista supra brachia ponit, et super eam Caligas et Sandalia, quae ambabus manibus ad oculos elevatis ad Pontificem defert. Hunc sequantur omnes Acolythi, quibus accipientibus et extendentibus fimbrias Pluvialis Papae Subdiaconus cum uno ex secretis Cubiculariis Papae subtus intrant et communia calceamenta Papae extrahentes Caligas et Sandalia ei imponunt. Interim Episcopi Assistentes Papae librum ante ipsum et candelam ex more tenent; Diaconi assistentes cum Pontifice dicunt Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc. et Psalmum: *Quam dilecta* etc. ut in libro. Interim cantatur Tertia per Cantores, qui cum ad Capitulum pervenerint, quod unus ipsorum cantabit, Papa surgit cum Mitra; et cum finito brevi responsorio versiculus dicatur, accedunt ante Pontificem Episcopus Cardinalis assistens, ut librum teneat pro oratione, et Caeremoniarius cum duobus Ceroferariis. Finito versiculo deponitur Mitra Pontifici, qui dicit stans versus ad altare: *Dominus vobiscum* et orationem, Episcopo Cardinali librum super caput tenente et uno Episcoporum assistentium cum manu adjuvante, alio candelam tenente; qua finita, Pontifex repetit: Dominus vobiscum, et Caeremoniarius cum Ceroferariis revertitur ad altare, Cantores vero dicunt: *Benedicamus Domino.*

(Catalan. Caer. Eccles. rom. l. II. tit. I. p. 60.)

3) Episcop. cant. debet.

Episcopus Missam pontificalem celebraturus tenetur intonare Tertiam cantandam et in fine cantare orationem. N. 4235 ad 4 die 15. Septembris 1753.

4) Locus cantandi.

Vd.: *Baldach. Episcopi; Paramenta Pontif.*

Debet aliquod particulare sacellum deputari ad sumenda sacra indumenta pontificalia et ad Tertias canendas ante Missam solemnem. N. 1955 ad 3 die 15. Febr. 1659.

In Vesperis et Missis sol. in singulis dominicis *per Adventum* non erit opus Episcopum s. paramenta pro missa sumere in sacello sed apud sedem ubi cappa indutus incipit Tertiam. *Caer. Ep.* l. II. c. XIII. n. 2.

Ad dub.: An dum recitatur Tertia et Episcopus se praeparat ac s. para-

ramenta sumit, Capitulum teneatur stare capite detecto et idem servandum sit in Vesperis pontificalibus?

S. C. resp.: Servetur Caer. Ep. N. 4235 ad 5. die 15. Sept. 1753.

Incoepto psalmo *Legem pone etc.* Episcopus sedebit sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 6.

Jam diximus valde convenire atque antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse, ut in Ecclesiis cathedralibus locus aliquis sive sacellum, ab antiquis secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam sacrasque preces ad altaria susperius memorata effuderit, cum suis Canonicis et choro conveniat. Qui locus praeparatus ornatusque esse debet altare decenti cum cruce et candalabris ac cereis accensis, super quo erunt reposita sacra Missalia et indumenta pro Episcopo suo ordine. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dexterum vel sinistrum altaris pro situatione et commoditate loci et sedilia pro Canonicis et aliis circumcirca. In eum locum ingressus Episcopus factaque reverentia Cruci super altari praedicto existenti sedebit aliquantulum super dicta sede sibi praeparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta, remanentibus duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta; quibus paratis atque in eundem locum ingressis cum debitis reverentiis altari et Episcopo ac apud eorum sedilia stantibus Episcopus surget et stans capite detecto versus altare dicet secreto totum *Pater noster* et *Ave Maria.* Tum faciens sibi crucis signum a fronte ad pectus voce incipit horam tertiam dicens: *Deus in adjutorium etc.* choro prosequente : *Domine ad adjuvandum etc.* et Hymnum : *Nunc Sancte nobis Spiritus etc.* cui organum intermisceri poterit. Quo hymno finito, cantor dicit antiphonam atque incepto psalmo: *Legem pone mihi Domine etc.* Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; chorus autem prosequetur psalmos. Tunc minister de libro serviens cotta indutus una cum altero candelam accensam tenente accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis et qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens; Episcopus vero sedens legit antiphonam: *Ne reminiscaris etc.* et psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus, qui debent per totam Missam deservire alternatim respondentius.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 2—7.

Vd.: *Organ. in Matut.; Orationes* (Acolythi in Matut. etc.)

5) In quibus diebus cantari debet?

Ad dub.: An Vesperae et Hora Tertia cantari debeant in Cathedr. Suesssana etiam in diebus ferialibus et non festivis de praecepto?

S. C. C. resp.: Servantur decreta S. R. C. Die 18. Aug. 1708 ad V.

6) Ps. „Legem pone".

In penultimo versu psalmi: *Legem pone* ad Tertiam, Breviaria Romae et alibi edita satis communiter habent: Et loquebar in testimoniis tuis. In aliquibus autem legitur: Et loquebar de testimoniis tuis, prout invenitur in editione vulgata sacrorum bibliorum. Sed nonnunquam textus sanctae Liturgiae propter varias et antiquas lectiones aliquatenus differt a textu vulga-

tae editionis scripturae sacrae. A Sacra ergo Rituum Congregatione, quae integritati librorum liturgicorum invigilat, quaeritur ex his duabus lectionibus, in vel de, quaenam sit legitima in hoc loco Breviarii?

S. C. resp.: Juxta vetera et emendatiora Breviaria legendum: *In testim. tuis.* Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 pag. 2204.)

TERTIARII.

1) Habitus.

Declaratio circa jus conferendi habitum tertii Ordinis s. Francisci competens tantum Fratribus ejusdem tertii Ordinis Nationis Gallicanae et Cappucinos ejusdem Nationis excludens.

Clemens Papa X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres tertii Ordinis s. Francisci Congregationis Gallicanae, quod licet Congregatio Venerab. Fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, in controversia inter ipsos exponentes ex una ac dilectos pariter filios Fratres Ordinis Minorum ejusdem s. Francisci Cappucinorum nuncupatorum in regno Galliarum degentes ex altera partibus circa jus conferendi habitum tertii Ordinis s. Francisci utriusque sexus personis saecularibus easque dirigendi vertente, die 13. Martii proxime praeteriti, partibus pluries auditis decrevisset, ut Fratres Cappucini praefati ab hujusmodi habitus collatione et directione penitus abstinerent, nihilominus dilecto etiam filio Procuratore generali dicti Ordinis Fratrum Cappucinorum conquerente, se in juribus suis sufficienter auditum non fuisse, eadem Cardinalium Congregatio die 20. ejusdem mensis mandavit ab expeditione sui decreti hujusmodi supersederi, utque dictus Procurator Generalis quasdam provisionales in simili forma brevis literas, quas a recol. mem. Clemente Papa IX. Praedecessore Nostro ad praefati Ordinis Fratrum Minorum Cappucinorum favorem emanasse assserebat, partibus communicaret.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praefatus Procurator Generalis id non praestiterit nihilque habeat quod pluries et in diversis contradictoriis tam coram praefata quam coram altera nempe Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum Congregationibus non fuerit alias a dd. Fratribus Cappucinis productum; et propterea dicti exponentes, ut hujusmodi controversiae jam toties et tam solemniter decisae et novissime coram primodicta Cardinalium Congregatione ter expositae, finis tandem imponatur ac alia decreta a praefatis duabus Cardinalium Congregationibus respective contra praefatos Fratres Cappucinos emanata, necnon desuper expeditae pariter in forma Brevis Literae Apostolicae observentur, opportune sibi in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent,

§. 2. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab hominibus quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas

fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de memoratorum Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui partibus auditis in decreto alias videlicet dicta die 13. Maii proxime praeteriti edito persistendum esse censuerunt, consilio, praefatis Fratribus Cappucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad habitum tertii Ordinis s. Francisci sive in ipsis dirigendis se ingerant auctoritate apostolica tenore praesentium interdicimus ac praedictis Fratribus Cappucinis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 10. Octobris 1672.

(Bull. r. t. VI. Append. pag. 31. Ed. Luxbg.)

Contra deferentes Habitum Tertiariorum tertii Ordinis s. Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis vel deferentes tunicam oblongam cum vel sine caputio, cum mantello.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis observantiae s. Francisci Nobis nuper exponi fecit quamplures abutentes habitu Tertiariorum Ordinis ejusdem sancti Francisci vel simplicem tunicam oblongam cum Mantello vel sine eo absque Superiorum praedictae religionis licentia deferant vel etiam eis caputium aut tunicae adjunctum aut ipsi Mantello consutum superaddant eorumque nonnulli extra claustra degentes tum scandalose et inopportune sub specie peregrinationis aut alterius emendicati praetextus divagentur, tum etiam aliquas Ecclesias seu Capellas adscito sibi eremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud saeculares scandali materia et pravae opinionis erga praedictam religionem ingeratur, Nobis propterea d. Procurator Generalis humiliter supplicari fecit ut tot incommodis et scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati,

§. 2. Omnibus et singulis locorum Ordinariis ac Nostris et Sedis apostolicae Nunciis ubivis terrarum constitutis et degentibus tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, ne caetero quemquam praedictam tunicam oblongam cum vel sine Mantello absque Superiorum praedictae religionis Minorum de Observantia et cujusvis instituti seu Congregationis Ordinis ejusdem Francisci licentia in scriptis obtenta quoquo modo deferre permittant, utque si aliquem praemissorum transgressorem repererint illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum et arbitrariis poenis mulctandum irremissibiliter curent et praeterea nemini licitum faciunt etiamsi praedictae religionis Minorum de Observantia et cujusvis Instituti seu Congregationis universi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta seu quovis alio praetextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum hujusmodi cum praedicto caputio vel tunicae seu mantello, ut praefertur, consuto deferunt, sub-

lata ejusdem Ordinis Superioribus ipsisque locorum Ordinariis ac Nunciis apostolicis et eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi ac demum, earumdem tenore praesentium volumus et ordinamus, ut si quispiam tale deferens caputium, vel cum licentia vel sine ea inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione et aliis arbitrariis poenis ab eisdem Ordinariis et Nunciis omnino puniatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam die 6. Septembris 1638.

(Bull. r. t. V. p. 310. Ed. Luxbg.)

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium circa delationem habitus Fratrum tertii Ordinis s. Francisci.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nobis pro parte dilecti filii Marci. Antonii Bottoni Bononiensis tertii Ordinis s. Francisci Commissarii Generalis et Procuratoris nuper expositum fuit, quod inter generalia dicti Ordinis statuta apostolica auctoritate confirmata reperitur infrascriptum videlicet:

§. 1. Religioni consulentes decernimus, ut juxta nostra apostolica privilegia nostratum habitus sit tunica talaris cum scapulari veste sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum attingenti, pallium vero instar impluviae, nulla vel coloris vel formae differentia, ut eodem modo et colore, quem vulgo beretinum appellamus, omnes vestiantur.

§. 2. Verum quia Fratres dicti Ordinis alicubi aliquando a Fratribus Minorum s. Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbentur, Nobis propterea dictus exponens ad obviandum controversiis et litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut praefatum decretum pro illius firmiori subsistentia Apostolicae Confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eundem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causis latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad affectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati,

§. 4. de venerabilium fratrum nostrorum S. R. C. Cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio decretum praefatum cum omnibus et singulis in eo contentis Apostol. auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 9. Septemb. 1639.

(Bull. r. t. V. p. 333 Ed. Luxbg.)

2) Indulgentiae.

De lucranda indulg. Portiunculae in Ecclesiis Tertiariorum, vid.: *Indulg.* (de Portiunc.)

De Institutione tertiae regulae pro fratr. et sororibus tertii Ord. s. Francisci Ass.., de poenitentia nuncupatis, sub tribus votis essentialibus in communi viventibus, vd. constit. Leonis X. die 20. Jan. 1521, (Bull. r. t. I. p. 616) et decimo quarto Cal. Jan. 1516 ibid. t. X. p. 36); constit. Bened. XIII. IX. Cal. Junii 1716 et 9. Julii 1726. (Ibid. t. p. X. p. 286 et 290) et 27. jul. 1728. (Ibd. p. 364).

Universa privilegia toti Tertiariorum coetui, in tres status distincto, concessa confirmantur ipsique Tertiarior. ministro gen. totius ordinis Minorum denuo subjiciuntur et commendantur per constitut Bened. XIII. de die 10. Decb. 1725 (Bull. r. t. VIII. p. 486) et de die 8. Aug. 1726. (Ibid. p. 503.) *De indulg.* vd. const. Inoc. XI. die 8. et 22. Aug. 1681. (Bull. r. t. XI. p. 362.)

Clemens PP. XII.

Nos omnibus et singulis Tertiariis cujuscunque tertii ordinis regularis, qui inter Tertiarios dicti tertii Ord. B. V. M. de monte carmelo adscribi desideraverint ac regulas, statuta et conditiones pro dictis Tertiariis B. M. V. de monte carmelo praescripta adimpleverint, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis et gratiis spiritualibus tertio ordini B. V. M. hujusmodi comcessis, promisce unacum aliis indulgentiis eorum tertio ordini, in quo adscripto reperiuntur, concessis, frui et gaúdere possint et veleant, nec Tertiarios hujusmodi ab eorum resp. tertio ordine, in quo adscripti fuerint, propter suam inter Tertiarios B. M. V. adscriptionem deleri unquam posse tenore praesentium concedimus ac declaramus.

Datum Romae 23. Nov. 1793.

(Bull. r. t. XV. 7. 306.)

De nova concess. et praefinitione indulg. saecularibus confr. et sororib. tertii ord. s. Franc. Ass. vd.: Bullam Bened. XIV. die 15. Mart. 1751. (Bull. r. t. XVIII. p. 192); de die 28. Febr. 1752. (Ibid. p. 263.)

Ad dub.: I. An sodales Tertiarii ordinis s. Francisci Assinatis, cujuscumque provinciae sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum urbis quam etiam Portiunculae, sive Jerusalem et s. Jacobi in Compostella, recitando sex pater, ave et gloria, scilicet quinque pro felici statu s. matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione summi pontificis concedentis?

II. An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrantur toties quoties et an in quocunque loco preces ipsas fuderint?

III. An ad easdem lucrandas indulgentias, recitare sufficiat sex tantum pater, ave et gloria; ita ut necesse minime sit alias preces addere, quomodo in indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem pontificis, seu pro haeresum extirpatione, exaltatione s. matris Ecclesiae atque christianorum principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?

IV. An ad memoratas indulgentias censequendas necessaria sit sacramentorum poenitentiae et eucharistiae susceptio?

V. An denique haec ipsae indulgentiae omnes animabus in purgatorio detentis applicari possint?

Itaque Emmi Patres in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 31. martii currentis anni, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse consuerunt, ut infra,

Ad I.: Affirmative.

Ad. II.: Affirmative juxta votum consultoris, nempe servato decreto s. Congregationis die 7. martii 1678 approbato ab Innocentio XI. cujus initium: *Delatae saepius.*

Ad III.: Affirmative.

Ad IV.: Negative.

Ad V.: Affirmative.

Facta denique de his omnibus per me infrascriptum sacrae Congregationis secretarium eidem SSmo fideli relatione in audientia diei 14. Aprilis ejusdem anni Sanctitas Sua resolutiones praefatas sacrae Congregationis benigne

approbavit. Datum Romae ex secretaria ipsius s. Congregationis indulgentiarum. —

L. † S.

F. Card. Asquinius, Praefaectus.

A. Columbo, Secreterius.

Ita reperitur in regesto authographo adservatum in secretaria S. Congregationis indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem s. Congregationis indulgentiarum, die 3. Decemb. 1856. — *A. Archip. Prinzivalli* substitutus.

(Anal. J. P. 1857. p. 2713.)

Ordinis Minor. Observ. S. Francisci Decretum.

Ex audientia SSmi die 14. Aprilis 1856.

Ad preces hnmillimas Rmi Patris Venantii a Celano totius ordinis Minorum observant. s. Francisci Ministri Generalis SSmus Dominus Noster Pius PP. IX. clementer inclinatus, audito prius voto Sacrae Emmorum Patrum Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, quae apud Vaticanas Aedes die 31. Martii ineuntis anni est habita, benigne declaravit, omnes et singulas indulgentias, privilegia, communicationes etc. tertiariis sancti Francisci a glorioso praedecessore suo Benedicto XIII. concessas tam vigore Constitutionis: *Paterna Sedis* die 10. decembris 1725, quam alterius: *Singularis devotio* diei 5. Julii 1726, atque ab ipsa Sanctitate Sua tum tertiariis franciscalibus Galliarum per litteras Apostolicas in forma brevis: *Superni Apostolatus* diei 7. Julii 1848 confirmatas, tum per alias litteras: *Cum sicut Nobis nuper* diei 11. martii 1851 ad preces Rmi P. Ministri Generalis Ordinis Min. Conventualium S. Francisci iterum concessas, extendi ad omnes et singulos S. Francisci tertiarios sub quacumque directione existentes, sive Ordinis Min. Observantium sive Ordinis Min. Conventualium sive Ordinis Cappucinorum, sive denique sub directione cujuscumque sacerdotis tam saecularis quam regularis legitima tamen facultate pollentis tam erigendi quam moderandi tertiariorum S. Francisci Sodalitates seu Congregationes, ita ut unusquisque tertiarius, qui cuilibet ex praefatis directionibus subsit, dummodo injuncta opera adimpleat, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis, communicationibus, ut supra elargitis ac confirmatis, gaudere possit et valeat. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione Benedicti XIV. anni 1751, quae incipit: *Ad Romanorum Pontificem* et aliis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae in Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

Fr. Card. Asquinius, Praefectus.

A. Columbo, Secretarius.

Ita reperitur in regesto authographo adservatum in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 13. Decembris 1856.

A. Archip. Prinzivalli Substitutus.

Beatissime Pater.

Fratres tertii Ordinis S. Francisci in Gallia sat communiter persuasum habent omnium Indulgentiarum, peccatorum remissionum aliarumque gratiarum spiritualium Fratribus Minoribus a pluribus Pontificibus elargitarum se participes redditos fuisse.

Hinc firmiter tenentes suas Ecclesias seu Cappellas vel Oratoria gaudere insigni privilegio Portiunculae

pro die secunda Augusti quibusdam in locis ab Ordinariis hujus privilegii recognitionem efflagitant. Ordinarii autem quibus de tanti communicatione privilegii non lucide constat multas opponunt cunctationes, quas de medio tollere cum multum expediat Orator Fr. Coelestinus Minister Provincialis Ordinis Cappucinorum in Gallica Provincia, enixe Sanctitatem Vestram deprecatur, ut declarare dignetur Capellas tertiariorum utriusque sexus in propriis domibus commorantium, illas etiam in parochialibus Ecclesiis inclusas communicare cum ecclesiis Fratrum Minorum in omnibus privilegiis et indulgentiis praesertim in illo tam praestanti Portiunculae privilegio a primis vesperis Festi dedicationis Ecclesiae Sanctae Mariae Angelorum usque ad occasum solis diei secundae Augusti respective ad omnes christifideles. Et Deus etc.

Tertii Ordinis S. Francisci Decretum.

Cum ex parte Fratrum tertii Ordinis S. Francisci in Gallia huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi remissae fuissent supraenunciatae, preces tria formulata sunt dubia:

1) An scilicet tertiarii saeculares seu in propria domo viventes gaudeant omnibus indulgentiis, peccatorum remissionibus etc., quibus potiuntur Fratres Ordinis Min. S. P. Francisci vigore *communicationis*? et quatenus *affirmative*;

2. An sub hac generali communicatione veniat quoque privilegium *indulgentiae Portiunculae* de secunda die Augusti cujusque anni, alias vulgo *il perdono d'Assisi*? Et in casu etiam *affirmative;*

3. An praefata gaudeant eorundem etiam Ecclesiae, Oratoria, Cappellae in Ecclesiis licet parochialibus existentes seu intra eam comprehensae pro omnibus christifidelibus?

Sacra itaque Congregatio in Palatio Apostolico Vaticano die Martii currentis anni habita, audito consultoris voto rescribendum esse censuit

Ad I.: Affirmative ad formam Brevis SSmi Domini Nostri Pii P.P. IX. sub die 11. Martii 1851 quod incipit: *Cum sicut Nobis nuper.*

Ad II.: Juxta votum consultoris.

Ad III.: Negative juxta votum consultoris.

In audientia vero SSmi die 14. Aprilis ipsius anni per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium eidem SSmo relatione peracta, Sanctitas Sua praefatis resolutionibus censuit annuere.

Ad I.: scilicet affirmative juxta praememoratum Breve.

Ad II.: Juxta votum consultoris, scilicet affirmative.

Ad III.: Negative juxta consultoris votum.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

Fr. Card. Asquinius, Praefectus.

A. Colombo, Secretarius.

Ita reperitur in Regesto authographo adservatum in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, cum quo praesens copia collata plene et ad verbum concordat. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

Die 13. Decembris 1856.

Prinzivalli, Substitutus.

(Anal. I. P. 1857 p. 2716 etc.)

3) Sepultura.

Vd. *Sepultura* (Regul.; Tertiar.; eorum, qui in habitu etc.)

THEATRUM.

(In Ecclesia.)

Vd.: *Repraesentationes devotae rerum piarum.*

Ludi theatrales etiam praetextu consuetudinis in Ecclesiis vel per Cleri-

cos fieri non debent. *Cap.*: *cum decorem 12. de vita et honestate Clericorum; Con. Toletan. 22. cap. 19.*

Nec in Ecclesiis fieri possunt repraesentationes seu comoediae, quaecumque illae sint, personae, vel sacrae, et permittentes puniendi sunt. Sic expresse cit. Conc. Tolet. 22. c. 19. et concordat cit. cap.: *Cum decorem*. Et tenent *Marian.* de spe. cul. c. 7; *Zerola* in prax. episc. part. 1. verb.: *repraesentationes*; et alii citati et secuti ab *Ursaya* instit. criminal. lib. 3. tit. 5. n. 29., *Nicolius* Lucubrat. canonic. lib. 3. tit. 1. nu. 27., *Monacell.* tom. 4. supplem. ad tom. 2. n. 207. et alii passim.

S. THECLA.

Urbis.

Officium S. Theclae virginis et martyris cum octava ad instantiam et supplicationem monialium s. Spiritus in Saxia de urbe ordinis s. Augustini, quarum ecclesia eidem s. Theclae dedicata est, de mandato Sacrae Rituum Congregationis diligenter revisum et emendatum, ac etiam ab Illimo et Rmo D. Cardinali Baronio subscriptum, eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit, et ut libere et licite a praedictis monialibus s. Spiritus in Saxia et in earum supradicta ecclesia recitari possit, licentiam concessit, ac etiam pro majori dictarum monialium commoditate, ut imprimi valeat, facultatem dedit. Die 11. Decembris 1604.

(Anal. I. P. 1863 p. 40 n. 146.)

S. THERESIA.

1) Dies festi.

Poloniae.

Stante instantia amborum procuratorum generalium ordinis Carmelitarum calceatorum scilicet et discalceatorum transferendi festum s. Theresiae cum officio et missis per regulares ordinis Carmelitarum in omnibus regnis Poloniae in diem 16. Octobris, attento quod in die 16. eiusdem mensis praescripto a sede apostolica praedictis regularibus concurrit etiam festum s. Edvigis reginae patronae regnorum Poloniae. Et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 21. Augusti 1632.

(Anal. I. P. 1863 p. 245.)

2) Officium.

Lectiones I. n. in officio s. Theresiae recitandas esse de communi Virginum. n. 2419 ad 2 die 13. Aug. 1667. In festo s. Theresiae ll. 1. n. sunt de script. occurrente. n. 4119 ad 12. die 2. sept. 1741.

Ad dubium Capituli Cathedr. Carthag. in Hispania: an in officio *transverberationis* s. Theresiae debeat ad matutinum recitari hymnus: *Haec dies, qua candidae etc.* vel potius de communi virginum? S. C. resp.: Debere recitari hymnos proprios, qui recitantur in festo s. Theresiae, sed loco: *Haec est dies*, *qua etc.*, dicatur in festo transverberationis: *Felix dies, qua candidae etc.* n. 4080 ad 3 die 29. Nov. 1738. (*Vd.: Calendar. Congreg. ss. Redempt.* decr. n. 4581 ad 8.)

Gregorius P.P. XV.

Hodie in ss. Principis Apostolorum Basilica nostrorum S. R. C. Cardinalium, Patriarch. etc. praesentium consilio et unanimi consensu Theresiam V. tam fratr. quam Monialium Carmelitarum discalc. fundatricem Sanctam esse definivimus ac ss. virginum catalogo adscribendam decrevimus illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus statuentes, ut ab univer-

sali ecclesia in ejusdem hon. Ecclesiae et altaria aedificari et consecrari et singulis annis die 5. Oct. ejus off. de s. v. ad praescriptum rom. breviarii recitari possit.

Datum Romae 12. Mart. 1621.

Ordinis Carmelitarum discalceatorum.

Supplicante humiliter s. Rituum Congregationi P. Josepho a SSmo Sacramento ordinis Carmelitarum discalceatorum et procuratore generali congregationts Hispaniarum pro concessione officii proprii infra octavam s. Theresiae virginis pro religiosis utriusque sexus ejusdem ordinis, s. eadem Rituum Congregatio, referente Emmo Colbredo, concessionem petitam quoad lectiones octavarii tantum benigne indulsit, et in reliquis ad Emum ponentem ad mentem rescribendum censuit. Die 9. Junii 1696.

(Anal. J. P. 1865. p. 1361 n. 2599.)

Belgica.

Proposito in s. Rituum Congregatione dubio, an officium s. Theresiae virginis recitandum sit cum lectionicus primi nocturni de Communi virginum ob omnibus Christifidelibus, prout dicitur in approbatione dicti officii facta per s. M. Urbanum VIII., et prout recitatur a patribus Carmelitis discalceatis, qui illius festum celebrant sub ritu duplici, vel potius de scriptura currenti, ex quo ab aliis dictum festum celebratur sub ritu semiduplici ex indulto ejusdem Urbani VIII. ?

S. C. resp.: Ad formam concessionis Urbani, scilicet, de communi virginum.

(Anal. J. P. 1865 p. 1145 n. 1799.)

Pius PP. VII.

Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissae seu priorissae et moniales excalceatae ordinis eremitarum sancti Augustini monasteriorum oppidi vulgo dicti Denia civitatis nuncupatae et villarum de Benegamin Cleria et Xaxea Valentinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga *sanctam Theresiam* virginem praeseferunt affectum, ejusdem cultum et venerationem augeri summopere desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum praedictorum monasteriorum pro tempore existentes moniales in antiqua consuetudine recitandi quotannis tam in die festo ejusdem sanctae Theresiae et per ejus octavam, quam in alio festo transverberationis cordis ejusdem sanctae officia propria jam approbata pro ordine Carmelitarum excalceatorum manere; ac sacerdotes in iisdem diebus ad dictarum monialium ecclesias convenientes sacrum facturi missas praedictas officiis conformes celebrare possent auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 3. Martii 1801.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 105.)

3) Off. votivum.

Hispaniarum.

Sacra Rituum Congregatio ad preces fratris Joannis a conceptione procuratoris generalis Carmelitarum discalceatorum Congregationis Hispaniarum benigne indulsit omnibus ex dicta congregatione ut recitare possint officium de eorum sancta matre et fundatrice Theresia de Jesu sub ritu semiduplici, prout in breviario romano continetur, prima die

non impedita cujuslibet mensis. Haec die 19. Septembris 1665.

(Anal. J. P. 1865 p. 1140 n. 1791.)

4) **Ritus dupl.**

Urbis et Orbis.

Officium s. Theresiae Virginis ordinis Carmelitarum nuper breviario romano ex praecepto recitandum sub ritu semiduplici idibus Octobris appositum, SSmus D. N. piis catholicorum fere omnium principum votis annuendo, ex sententia Congregationis Sacrorum Rituum, imposterum sub ritu duplici in eodem breviario imprimi ab omnibus Christifidelibus tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus qui ad horas canonicas tenentur in tota ecclesia recitari praecepit. Die 21. Julii 1668.

(Anal. J. P. 1865 p. 1154 n. 1838.)

THESAURARIUS.

Licentia aperiendi et ostendendi devotis concurrentibus s. corpus s. Nicolai et thesaurum Ecclesiae Colleg. civitatis Baren. et distributio s. liquoris, *Manna* nuncupati, privative spectat ad *ipsum* thesaurarium. n. 3708 ad 3 et 4 die 23. Decb. 1704.

Puteolana.

Ad redintegrandam erectionem Thesaurariatus et Archiacolytatus legitime factam anno 1477 a Pirro Azzia ea tempestate Episcopo Puteolano, quae Dignitates, ignoratur qua ratione, aboletae fuerint, Antonius Horatius Frautus et Bernardinus Constantius dotem obtulerunt ducatorum 12. monetae regni Napolis pro qualibet earum reservato sibi ipsis jure nominandi prima vice tantum, adjectoque onere futuris earumdem dignitatum possessoribus praestandi tum nominatoribus tum eorumdem haeredibus facem ceream dimidiae librae. Re ad Episcopum delata visum est Capituli censensum exquirere, quo negato optimum esse putarunt duo fundatores sacratissimum principem nostrum libello adire, a quo negocii cognitio data fuit amplissimis patribus. Audito nunc itaque Episcopo postulat Capitulum causam contra Frautum definiri, Constantio enim sententiam suam mutare placuit et Frautus contra dotem Thesaurariatus auxit ad ducatos quindecim, ejusque exemplo Episcopus e juribus funerum, quae ad eum pertinent, separavit obulos quinque, quos eidem dignitati erigendae adsignavit. Hinc una tantum disputatio est de erectione Thesaurariafus, quam Capitulum his potissimum rationibus impugnat:

Prima est tenuem nimis esse dotis quantitatem, quae summam efficit annuorum ducatorum undeviginti, qui impares omnino sunt oneribus a Thesaurario ferendis, cum in civitate Puteolis Neapoli proxima melioribus vestibus incedere debeant canonici, qui insigniis Cappae magnae et Rocchetti utuntur, facultate habita anno 1702. ab amplissimo S. R. C. Cardinali Barberino, dum ad Serenissimum Regem Philippum V. sanctae sedis Apostolicae Legati a Latere munus obiret. Accedit Frauti Patrimonium aere alieno pressum esse, ut difficile futurum sit summam ducatorum 15 educi ex eo libere posse; ne igitur dignitatis erectio in dedecus, non in augmentum cedat divini cultus, optimum esse eam non probare, etsi in eadem Ecclesia aliae sint dignitates, quae congrua dote carent, cum nunc agatur non de erecta, sed de erigenda dignitate, ideoque non exemplis, sed recta juris censura res judicari debeat. Altera ratio est Canonicos aliosque Ecclesiae ministros plurimos esse, qui choro intersunt sacrisque solemniis praesto sunt in Cathredali

Ecclesia et vigesimum octavum numerum implent, ut aliorum opera non sit necessaria.

Praeterea ex hac erectione alias oriri quaestiones, quae Chori servitium et praecedentiam respiciunt, de quibus nunc etiam agitur aliis duobus capitibus. Contendit enim Capitulum teneri Thesaurarium quotidie interesse quod cum custodis officium exerceat, perpetuam praestare debeat praesentiam, nulla contraria lege aut consuetudine obstante, idque etiamsi nullos e quotidianis distributionibus fructus accipiat, ut prae aliis monent *Fagnan.* in cap. *cum omnes* n. 25. et 26. de Constitut. et in cap. *licet nobis* num. 39. et 40. de praebend; et *Argir.* Discept. Eccles. vol. 2. lib. 6. discept. 21. num. 13. Ultimum quoque post Canonicos locum Thesaurario adsignandum esse Capitulum contendit, quod posterior sit ejusdem dignitatis institutio, et improprie dignitas vocetur, cum vere officii nomen sit, et consequenter exemplo Cantoratus, quae dignitas quoque improprie appellatur, cujusque sedes est post omnes Ecclesiae Cathedralis Canonicos; ultimus locus novo Thesaurario dari debeat.

Haec habet Capitulum: quid contra ferat Frautus ignoramus, nondum enim jura sua libello complexus est: dubia vero, quae proponuntur; haec sunt:

An sit locus erectioni dignitatis Thesaurariatus? Et quatenus affirmative,

II. An teneatur praestare servitium quotidianum vel potius in diebus solemnioribus et Dominicis ac Festis de praecepto?

III. An idem Thesaurarius indutus habitu chorali debeat sedere in Choro ante omnes Canonicos vel potius post omnes de Capitulo in casu?

S. C. resp. ad I.: Negative;

Ad II. et III: Provisum in I.

Die 4. et 18. Deceb. 1745.

THIARA.

(Catalanus, caerem. Ecclesiae rom. l. II. p. 401 et l. I. p. 118, ubi sunt etiam notae historicae.)

Per Thiaram triplici coronam ornatam, quod Regnum appellatur, significatur sacerdotalis et imperialis summa dignitas atque potestas. Hac Thiara utitur pontifex in maximis solemnitatibus, eundo ad Ecclesiam et redeundo, sed nunquam illa utitur in divinis. Cum pervenit ante Altare, deponit Thiaram, orat et assumpta mitra vadit ad sedem et cum ista prosequitur divinum Officium sive in vesperis sive in missa. Thiara autem interim reponitur super Altare. Finito officio, cum Papa revertitur ad palatium, rursus ei imponitur Thiara et cum hac coronatur in die suae benedictionis et coronationis. Antiquitus, quando Romanus Pontifex diebus solemnibus Thiaram hanc ferebat, fiebant ei laudes a diaconis et officialibus, ut in Coronatione: *Exaudi Christe etc.* et pontifex dabat presbyterium. Hodie utrumque abolitum est. *Dies autem, quibus Papa coronabatur, erant infrascripti, videlicet,* in festo sanctorum quatuor coronatorum, s. Martini, s. Clementis, in dominica: Gaudete, in dominica: Laetare, in nativitate domini, in festo s. Stephani, in Epiphania, in resurrectione et secunda feria, in dominica: *Ego sum pastor bonus,* in ascensione, in pentecoste, in festo sancti Petri et sancti Silvestri et in anniversario suae coronationis.

De coronatione Papae super gradus Ecclesiae.

Sacris missarum solemniis rite peractis proceditur ad coronationem. Pontifex reassumtis chirotecis et anulis cum omnibus paramentis suis, in quibus celebraverat, et cum cardinalibus, praelatis et officialibus omnibus, ut in missis paratis, procedit ad suggestum

super gradus Basilicae Apostolorum principis ex materia constructum et ornatum, ibique in sede eminenti sibi parata sedet, et cum omnes praelati convenerint et populus ex Basilica in plateam exierit, diaconus a sinistris deponit mitram consuetam e capite pontificis et diaconus a dextris Thiaram, quod *regnum* appellant et triplici corona ornatum, pontificis capiti imponit populo acclamante: *Kyrie eleison* et diaconus a dextris latine, a sinistris vero vulgariter publicant plenarias indulgentias. Tum paratur processio ad Lateranum, sed quoniam plerumque, antequam haec completa sint, hora est satis tarda et longa ad Lateranum restat via multaque ibi adhuc sunt peragenda, consueverunt aliquando pontifices et patres sustentationis gratia aliquantulum cibi summere. Paratur refectio in Atrio-Domus Archipresbyteri Basilicae pro pontifice et cardinalibus; pro aliis praelatis in vicinis domibus canonicorum. Coronato pontifice veniunt ad refectionem et interim parentur, quae ad processionem sunt opportuna.

S. THOMAS APOSTOLUS.

1) Translatio.

Ad dub.: an translato festo s. Thomae ap., sicut contingit, quoties occurit in dominica, si forte non supersit dies libera ad ejus repositionem, possit reponi in altera die festo semid. aut etiam dupl. occurente simplificato? S. C. resp.: Affirmative et detur gen. decr. N. 4491 ad 2 die 12. Mart. 1804.

Vd.: *S. Andreas ap.* (decr. num. 4500); *Officium* (transl. in seq. etc. decr. n. 4492 et de die 31. Maii 1817.

In Calendario Canonicorum Regularium s. Crucis Conimbricen. nullus in mense extat dies, qui officio novem lectionum non sit impeditus. Quomodo ergo praefata Congregatio se gerere debet quando ss. Andreae vel Thomae Apostolorum festum cum dominica privilegiata occurrit?

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra, videlicet:

„Jam decisum in Decreto generali diei 12. Martii 1804."

N. 4537 ad 3. Die 31. Maii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Casus, de quo in hoc dubio idem ille est, qui occasionem dedit saepe laudato decreto anni 1804, quippe quia cum festa *ss. Apostolorum Andreae et Thomae* sub anni finem celebrentur et aliquando occurrunt in *dominica 1. et 4. Adventus*, quarum prima rejicit festa cujuscumque ritus, altera non alia admittit, praeter illa, quae sunt 1. cl.; facile est, ut nulla supersit dies vacua pro eorumdem repositione; sed haud decere videtur, ut festa II. cl., quae, ut plurimum adnexum habent praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, redigantur ad ritum simpl. cum sola commem. et 9. lectione historica: consulto idcirco S. R. C. sancivit, ut reponi possent in diem, licet impeditam festo rit. semidupl. vel etiam dupl. generale Decretum extendens ad omnia festa ejusdem ritus.

2) Vigilia.

Occurrente festo novem lectionum in Vigilia s. Thomae ap. *officium* recitari debere de Sancto duplici cum commemoratione Adventus et nihil de Vigilia. In Missa vero de Sancto cum commemoratione de Feria et Vigilia cum ultimo Evangelio de Vigilia. N. 2180 die 5. Augusti 1662.

Quae in Missa vigil. mutanda sunt, vd.: *Missale* (Correctio II. D. n. 16.)

S. THOMAS DE AQUINO.

1) Festum in Orbe.

Quod festum sancti Thomae de Aquino uti festum de praecepto sanctae romanae Ecclesiae doctorum de cetero celebretur.

Pius V. servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Mirabilis Deus in sanctis suis, qui se daturum illos in laudem et gloriam et honorem, prophetae ore, promisit, ut quos, sicut sol in conspectu suo fulgentes, ob merita sanctitatis coronat de coelo, admirabiliter etiam honoraret in saeculo, et in eo, quod illis tribui jubet, laudis et venerationis officio, debitum quoque Majestati suae honorem et gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquias et imagines, ad catholicae fidei confirmationem et ad confusionem haereticae pravitatis, ut felicius etiam quam in praesenti vita, doceret vivere, mortuos, qui in Domino moriuntur, saepissime dignatus est decorare et illustrare miraculis.

§. 1. Ex quo sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem corde, opere et ore roborarunt, angelici doctoris sancti Thomae de Aquino, Ordinis fratrum praedicatorum, in coelum assumptio, multis ante annis, orbi terrarum et divinis et propriis est comprobata testimoniis. Nam et miraculorum signis, quibus servi sui Thomae perpetua verae pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas et certissima christianae regula doctrinae, qua sanctus doctor apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis haeresibus, illustravit, adductus, felicis recordationis Joannes XXII., praedecessor noster, illo in sanctorum numero relato, ejus diem festis Nonis Martii, quo die etiam colitur, anniversario honore celebrare jussit.

§. 2. Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est ut angelici doctoris vi et veritate doctrinae, ex eo tempore, quo coelestibus [civibus adscriptus fuit, multae deinceps exortae sunt haereses confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Tridentini Concilii decretis apparuit, ejusdem memoriam, cujus meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, majore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum praeter beneficia ex illius salutari disciplina, in dies magis profecta, in sacrosanctae Ecclesiae filios, ad quorum pastoralem paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit evocare, postulat etiam aliqua ex parte ejusdem Praedicatorum communio et societas, unde, licet imparibus meritis, nos etiam tamquam ex fonte profluximus.

§. 3. Itaque primum, ut in civitate et regno *Neapolitano*, quod in eam provinciam, quae, ad salutarem omnium gentium institutionem, ex nobilissima familia Aquinate, clarissimum hoc edidit Ecclesiae Dei lumen, tantum inde laudis decorisque divina bonitas redundare voluerit, de venerabilium fratrum nostrorum s. Romanae Eccclesiae Cardinalium consilio atque unanimi assensu, ipsa die nonarum Martii, qua praestantissimus doctor migravit in coelum, posthac semper universi utriusque sexus, ab omnibus vetitis ac servilibus operibus laboribusque abstinentes, festum divi Thomae solemniter sub duplici majori officio, sicut caeteras ejus generis solemnes festivitates, quae de ipsius Ecclesiae praecepto servantur, in aliis autem orbis terrae partibus, quemadmodum sanc-

torum quatuor Ecclesiae doctorum festivitates, piae memoriae Bonifacii Papae VIII., etiam praedecessoris nostri, praecepto, celebrantur, sic eumdem festum diem sancti Thomae in perpetuum posthac omnes item utriusque sexus christifideles celebrent et venerentur, apostolica auctoritate statuimus ac sancimus.

§. 4. Ut vero etiam sancti doctoris majori studio ac pietate cultus et veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus utriusque christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in ipso sancti Thomae festivitatis die sacellum vel altare in Ecclesia sancti Dominici Neapolitani situm, in quo scriptoris angelici doctrina Salvatoris crucifixi ore (sicuti pia testatur historia) mirabiliter probata fuit, a primis ejus diei vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas,

§. 5. In caeteris autem orbis terrae partibus iis, qui eumdem festum diem, ut praefertur, solemniter celebraverint et ad ecclesiam, quae apud eos fuerit, vel sacellum aut altare sub ejusdem sancti Thomae invocatione, pie ac devote accesserint, quoties id fecerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia per praesentes literas in perpetuum valituras, quas sub aliis cujuscumque generis indulgentiarum concessionibus et illarum revocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

§. 6. Et quia difficile esset has ipsas literas ad singula orbis terrarum loca pervenire, volumus et auctoritate apostolica decernimus ut earum exemplis etc.

§. 7. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Aprilis 1657.

(Bull. r. t. VII. p. 564. Ed. Aug. Taur.)

2) Translationis festum in regno Neapol.

Neapolitana.

Petitio ad instantiam Civitatis Neapolitanaei nempe quod in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino recitetur officium duplex per civitatem et dioecesim neapolitanam, Congregatio concedi posse censuit et declaravit. Die 21. Augusti 1604.

(Anal. J. P. p. 37. n. 132.)

Neapolitana.

Petitio ad instantiam deputatorum Civitatis Neapolitanae nempe ut in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino ab Ecclesia s. Dominici, ad capellam thesauri Ecclesiae archiepiscopalis per eamdem civitatem et dioecesim officium duplex in honorem ipsius Beati, quem in unum ex patronis ipsius civitatis elegerunt, recitetur, Sacra Rituum Congregatio concedi posse et declaravit die 21. Augusti 1604. Et iterum ad instantiam eorumdem deputatorum et ad omne dubium tollendum, eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit supradictum decretum esse intelligendum ut singulis annis in die translationis reliquiae supradictae, per civitatem et dioecesim supradictas officium duplex de dicto beato Thoma de Aquino libere et licite recitari possit et valeat, dummodo alio festo duplici vel die dominico non sit impeditum; quo casu in sequentem diem vel alium non impeditum transferendum et recitandum esse censuit et declaravit. Die 11. Septembris 1604.

(Ibid. p. 38. n. 136.)

Neapolitana.

Cum alias Clemens Papa VIII fe-

rec. Neapolitanae Civitati indulserit, ut posset sub ritu et officio duplici solemnizari et celebrari festum translationis s. Thomae de Aquino, quae translatio fuit facta die 20. Januarii et quia eo die cadit etiam festum s. Sebastiani, ne unum ab alio festo duplici impediatur, eadem Civitas Neapolitana Sacrae Rituum Congregationi supplicavit pro licentia transferendi dictum festum translationis in diem praecedentem 19. ejusdem mensis Januarii, quo die a dicta Civitate Neapolitana idem s. Thomas in octavum ejusdem civitatis protectorem electus fuit.

Eadem Sacrorum Rituum Congregatio translationem hujusmodi festi posse ut petitur concedi censuit et declaravit. Die 25. Februarii 1606.

(Ibid. p. 53. n. 190.)

S. THOMAS CANTUAR.

1) Lectiones I. n. in casu transl. in sequ. annum.

Occurrente dominica infra octavam Nativitatis D. N. J. C. in die 29. Decembris sive in festo s. Thomae Cantuariensis, hoc ex speciali indulto Gregorii PP. XV. transfertur in Hispania ad diem 5. Januarii anni sequentis: quaeritur ergo utrum in hoc casu lectiones primi nocturni debeant esse in hoc festo de scriptura occurrente sive de vigilia Epiphaniae, prout quidam rubricistae opinantur, an verò quae in illo habentur assignatae de communi unius martyris Pontificis?

Resp.: In recitatione divini officii lectiones primi nocturni semper, quantum fieri potest, legendas esse de scriptura occurrente, patet ex rubr. gener. brev. rom. tit. XXVI. de lectionibus n. 5., quae ideo in officio de tempore sic per annum eam distributam esse affirmant, ut quotidie aliquid ex ea legatur. Diximus: quantum fieri potest, quia aliquando leguntur lectiones de scriptura quidem sed positae in communi Sanctorum. Illae autem leguntur in festis Sanctorum vel ad majorem solemnitatem et distinctionem; lectiones de scriptura, sic ajunt rubricae generales loc. cit. n. 9., positae in communi Sanctorum, legantur in festis, ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum; rursus quando aliquod festum in propria Ecclesia solemniter celebratur vel ad necessitatem: item, quando aliquod festum novem lectionum occcurrit in quadragesima et quatuor temporibus, in secunda feria rogationum et in vigilia Ascensionis, in quibus feriis in officio de tempore non assignantur lectiones de scriptura sed de homilia; tunc enim in festis recurrendum est ad lectiones de scriptura positas in communi Sanctorum. Quod perbelle explicat Gavantus ad hanc rubricam sect. V., cap. XII., n. 14.: Quando de scriptura per annum distributa non potest legi in festo novem lectionum in primo nocturno, quia eo die non habetur in breviario, puta quia sunt quatuor tempora, feriae quadragesimae etc. ut in rubrica n. 9., eo casu sumuntur lectiones primi nocturni de communi, quae alioquin ad majorem solemnitatem solent assignari; tunc enim ad necessitatem leguntur.

Cum itaque in breviario romano die 29. Decembris pro festo s. Thomae Cantuariensis assignatae reperiantur lectiones primi nocturni de communi un. mart.: *A Mileto,* solutio dubii pendet ex hoc principio: an scilicet praedictae lectiones e communi habeantur in breviario tamquam invariabiliter propriae illius officii, prout ex gr. in officio s. Clementis P. M.

23. Nov.: *A Mileto*, s. Elisabeth reg. Porturgalliae 8. Julii: *Mulierem fortem;* vel potius habeantur propriae accidentaliter, scilicet ob deficientiam lectionum de scriptura currenti, prout ex gr. in memoratis feriis quatuor temporum, in rogationibus aliisque diebus evenire solet.

Nos autem confidenter asserimus ideo assignari primas lectiones de communi, quia lectiones de scriptura currente pro die 29. Decembris omnino desunt. Cum enim initia librorum s. scripturae semper inscribantur dominicae, (excepta dominica I. post Pentecosten, quae cum perpetuo impediatur a festo Trinitatis, inscribuntur fer. 2. post eadem dominicam) et cum dominica seu potius officium dominicae infra oct. Nativ. perpetuo recurrat post festum s. Thomae, id namque docet rubrica illius diei: Si festum Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Joannis Evangelistae, ss. Innocentium et eorum dies octavae venerit in dominica, ipso die nihil fit de dominica, sed die proximo post festum s. Thomae martyris fit de ea, — et si festum s. Thomae venerit in dominica, qua casu transfertur in secundam feriam secundam, tunc etiam leguntur quidem lectiones de communi: *A Mileto*, sed non ideo quia sunt propriae, sed quia dies 30. Decembris incidens in fer. 2. lectiones de scrip. curr. non habet, cum lectiones hujusmodi in breviario non habeantur nisi pro duobus diebus, pro eo scilicet, quo fit officium dominicae, et pro die 31. Neque sumi possunt ex praecedenti hebdomada dominicae IV. Adventus, quae ordinarie supersunt; nam illae, cum accommodatae sint tempori sacri adventus, desinunt, superveniente Nativitate Domini et praeterea fieri aliquando potest, ut omnes jam lectae fuerint.

Nec quis objiciat, si lectiones de communi. *A Mileto*, apponerentur non tamquam propriae sed accidentaliter et in substitutionem lectionum de scriptura occurrente, quae tunc desunt, assignari tamen eas debuisse pro eo anno, quo festum s. Thomae incidat in dominica, in qua lectiones hujusmodi haberi possunt. Fatemur quidem facile id fieri potuisse; sed cum non singulis annis recurrat hic casus, non immerito suspicabimur talem adnotationem mentem excidisse ac silentio praeteritam remanisse. Cujus quidem silentii rubricarum multa suppetunt exempla in anni decursu, quemadmodum ex. gr. videre est in tota quadragesima, in feriis II. et IV. rogationum, in quatuor temporibus; in vigilia Ascensionis, quibus diebus frequenter cadunt officia Sanctorum, in quibus suppletur cum lectionibus de communi, quin tamen rubrica his in casibus quidquam animadvertat. His addendum est, quo casu festum s. Silvestri incidit in dominica, commemorationem dominicae fieri in officio s. Silvestri et officium infra octavam Nativitatis celebrari in sabbato; et in eodem sabbato anticipari lectiones: *A Mileto*, ob solam accidentalem deficientiam lectionum de scriptura occurrente.

Alia quoque difficultas oriri posset ex eo, quod rarum in ipso breviario romano non sit, ut lectiones de scriptura assignatae reperiantur de communi pro officio aliquorum Sanctorum non quia pro iis militet ratio seu solemnitatis seu necessitatis, prout supra ex rubricis generalibus notatum est, sed quia fortasse sic placuit eas assignare. Hujusmodi exempla suppetunt in festis s. Elisabeth reginae rit. sem., s. Agnetis, s. Agathae, s. Caeciliae, s. Martini, s. Clementis, s. Luciae, quorum officiis assignantur lect. noct. de communi; negari id certe non potest; at sedulo est animadver-

tendum in iis festis lectiones de communi tamquam proprias et non ad necessitatem semper conjungi cum officio illorum Sanctorum aut integre proprio aut magna saltem ex parte, scilicet cum propriis antiphonis ad Laudes, ad Benedictus et Responsoriis. Non valet igitur paritas cum officio s. Thomae, quod nihil habeat proprium, neque in totum neque ex parte.

Caeterum quanta cura sit, quanta sollicitudo rubricarum, ut lectiones de scriptura currenti nunquam, quoad fieri potest, omittantur, ex sequenti rubricarum ipsarum dispositione conjicere licet. Officio ss. Angelorum Custodum, die 2. Octobris, assignantur in breviario romano, tamquam propriae et particulares, lectiones de scriptura ex libro exodi cap. 23. d.: *Ecce ego mittam Angelum etc.* Quoniam vero potest aliquando fieri ut, superveniente dicto ss. Angelorum festo, de currentis scripturae lectionibus, quae in hebdomada dominicae 5. Septembris sunt de libro Esther, legi omnino non potuerit, hoc in casu jubet rubrica particularis breviarii, initium saltem, seu ut ajunt „incipit" earum lectionum in officio ss. Angelorum, amotis hinc lectionibus eorum propriis, recitandum esse: En rubricae verba praedicta die 2. Octobris: „Lectiones primi nocturni, quae sequuntur (de libro Exodi), omittuntur eo anno, quo in praecedentibus diebus non potest legi initium libri Esther." Quod exemplum licet pro praesenti quaestione non sit omnino directum, eo tamen consilio in medium adduximus, ut scilicet inde inferatur, si ex rubricrum spiritu absque plausibili apertaque causa lectiones de scriptura carrenti non sunt omittendae etiam cum praejudicio, si ita loqui fas est, lectionum, quae sunt propriae et particulares alicujus festi non esse tenacius retinendas in officio s. Thomae lectiones, quas de facto constat initio assignatas fuisse de communi ob deficientiam lectionum de scriptura, in die ejus propria, quando festum illud transfertur in diem, in quo hujusmodi lectiones haberi possent.

Atque haec ratio habita fuisse videtur ab hac S. C., quae in similibus dubiis semper stetit pro lect. de script. curr. Sic ex. gr. cum vetera breviariorum exemplaria in officio s. Raymundi Nonnati confessoris die 31. Augusti haberent lectiones de communi: *Beatus vir*; itemque in festo s. Stanislai Kostka, ut plurimum apponerentur, illae de communi: *Justus si morte*; quaesitumque esset pro norma definienda in nova definienda in nova editione breviarii romani, quae juxta apostolicas sanctiones Mediolani publicatur, an de communi, seu potius deberent esse de scriptura legendas, S. haec Congr. respondit die 29. Mart. 1851: *De script. occurr.* Hinc in proposito translationis casu libenter subscribimus opinioni rubricistarum, de quibus mentio fit in dubio, cui propterea respondendum ducimus: „:Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 11. Augusti 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 339 et 351.)

2) Officium et Transl.

Vd.: *Offic.* (translatio in sequ. annum, decr. n. 4501.)

Concedi posse pro *Anglicanis* et confluentibus ad eorum Ecclesiam in ipsa die festi s. Thomae Cantuar. et Octava dumtaxat Missam et Officium; infra vero Octavam, aliis festis impeditam, faciendam esse commemorationem Octavae juxta rubricas. N. 1314 die 23. Martii 1641.

Festum s. Thomae Cantuar. (sem.) quando transfertur ad Vigiliam Epiphan. et dicta Vigilia est dominica

vacans sem., transferendum est ad aliam diem non impeditam post Octavam Epiph. Dom. Non obstat decret. fel. record. Gregorii XIII., quod est singulare privilegium et non lex. N. 2859 ad 2 die 12. Martii 1678.

Die 29. Decembris Canonici regul. Lateran. faciunt Officium de s. Thoma Cantuar. ritu dupl. min. Occurrente vero in Dominica recitandum esse Officium de Sancto cum commem. dominicae et die 30. Decembris recitandum Officium de die infra Octavam Nativit. N. 2943 ad 7. die 1. Martii 1681.

Alexander PP. III.

Nos auditis innumeris et magnis miraculis, quae per illius sancti Thomae Cant. merita fieri universitas narrat fidelium ... praedictum Archiepiscopum solemniter in Ecclesia magno Collegio ibidem Clericorum et Laicorum praesente canonizavimus ipsumque decrevimus SSrum catologo adscribendum.

Datum Signiae 12. Mart. 1173.

(Bull. rom. tom. I. p. 41.)

S. THOMAS DE VILLANOVA.

Vd.: *Stigmata s. Francisci; Titul. Cathed.* (decr. n. 3763), *Missale* (Correctio D. n. 42.)

Rubr. Offic. de ss. Nomine B. V. M. disponit, quod festum s. Stigmatum s. Francisci transferatur in proxime sequentem diem, nisi sit dominica, et cum sequens dies festo s. Thomae de Vill. sit assignata, quamvis sit ad libitum, quaeritur, an sit transferendum vel omittendum festum s. Thomae de Vill.?

S. C. resp.: Celebrandum festum s. Thomae ea die, qua occurrit, nisi fuerit dominica, quia tunc eo anno omittatur et transf. est festum s. Stigmatum ad diem Officio novem lectionum non impeditam. N. 2887 ad 3 die 6. Maii 1679.

Bullam Alexd. VII. Cal. Novbr. 1658 emanatam de s. Thomae de Vill. canonisatione vid. in *Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 76* (Ed. Luxemburg 1727.)

Ex Indulto Alexdr. VII. de die 25. Aug. 1659 Complutensis Academia recitare potest Off. s. Thomae de Vill. sub ritu dupl. 2. cl. cum octava.

(Bull. mag. rom. tom. VI. p. 100.)

Valentina.

Supplicantibus humiliter S. Rituum Congregationi capitulo et canonicis ecclesiae metropolitanae civitatis Valentinae pro facultate recitandi officium proprium S. Thomae de Villanova rigore facultatum a sa. me. Clemente X. sub die 15. Novembris 1670 obtentarum, una cum aliis officiis ac integro breviario ordinis Eremitarum S. Augustini correctum ac renovatum et ab eodem Clemente X. per breve datum sub die 23. Aprilis 1673 pro ordine praedicto approbatum et recitari concessum, s. eadem Rituum Congregatio ad relationem Emi de Indice respondit: *Capitulum Valentinum posse recitare officium S. Thomae de Villanova juxta correctionem approbatam a Clemente X.* Die 2. Augusti 1698.

(Anal. J. P. 1865 p. 1376. n. 2662.

Pius PP. VII.

Quum V. Fr. modernus Archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii Capitulum et Canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut super officio s. Thomae de Villanova indulgere prout infra benigne dignaremur,

Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario praenominatum Archiepiscopum Capitulumque et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes sup-

plicationibus hujusmodi inclinati, ritum officii s. Thomae de Villanova de duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro *tota civitate et dioecesi Valentina* auctoritate apostolica tenore praesentium elevamus.

Datum Romae die 12. Decbr. 1806. (Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 72.)

THRONUM EPISCOPI.

1) Gradus.

Vd.: *Sedes*; *Baldachinum; Sedes Episcopi assist.; Sedes Abbatis assistentis.*

Licet Episcopo retinere in Chathedrali thronum cum tribus gradibus et suppedaneo n. 3878 ad 7. die 11. Maii 1715.

Ad dub.: An liceat Episcopo addere secundum gradum altitudinis unius cubiti circiter subtus sedem, umbella seu baldalchino ornatum, in qua *s. concionibus* in Cathedr. solet assistere? S. C. resp.: Licere retinere *unum* gradum cum suppedaneo.

Ibid. ad 8.

Ad dub.: An liceat Episcopo retinere unum aut plures gradus subtus *faldistorium*? S. C. resp.: Posse Episcopum, in casu, de quo agitur, retinere parvum tabulatum subtus faldistorium ad formam Caeremon. n. 3878 ad 9 die 11. Maii 1715.

Non licet Episcopo habere thronum cum quinque gradibus sed servetur caerem. lib. 1. c. 13. n. 4062 ad 7. die 3. Aug. 1737.

Ad dub.: An liceat Episcopo retinere suam sedem seu thronum sex gradibus elevatum seu potius ipse teneatur hanc sedem reducere et dimittere ad tres gradus tantum juxta Caerem. lib. 1 13. c.? S. C. resp.: Ad mentem, quae est, quod thronum Episcopi superemineat supra stallo Canonicorum. n. 4103 ad 8. die 10. Dec. 1740.

Ad idem dub. S. C. resp.: Esse reducendam sedem episcopalem ad tres gradus et unum suppedaneum ita tamen, ut sit inferior mensa altaris et superior stallis Canonicorum. n. 4145 ad 8 die 20. Julii 1743. n. 4163 ad 8. die 22. Aug. 1744.

Urbanien.

Quum Cathedralis Urbanien. Canonici S. R. C. pro opportuna solutione sequens proposuerit dubium, nimirum:

An Canonici Urbanien. gaudentes ab erectione Cathedralis jure duorum graduum in Choro possint habere in Presbyterio scamnum cum duobus gradibus non secus ac in Choro quando Episcopus assistit in sua sede collocata in cornu Evangelii quatuor gradibus e terra erecta? S. eadem C. in ordinario coetu ad Quirinales aedes subscripto die coadunata, referente infrascripto secretario, respondendum censuit: ,,Negative et episcopalis etiam thronus quoad gradus uniformis sit institutis Caeremonialis Episcoporum. Lib. I. cap. 13. N. 3. n. 4906.

Die 12. Sept. 1840.

2) Situs.

Ad dub.: An in Collegiata s. Mich. Archang. Surrenti possit retineri thronum inversum et illud in rectum poni, Archiepiscopo interveniente et Pontificalia exercente? S. C. resp.: Negative N. 4031 ad 6. die 12. Mart. 1735 n. 4094 ad 6. die 11. Julii. 1739.

THURIBULA.

1) Duo in missa.

Cf.: *Incensatio Laicor.* (ductus et ordo); *Incensum.*

In festis pontificalibus non probari duorum thuribulorum usum, (unum quo incensantur Canonici et aliud quo eodem tempore thurif. laicus). N. 373. ad 4. die 15. Mart. 1608.

Servandam esse dispositionem Caeremon. et tam Episcopum et Canonicos, quam etiam caeteros omnes cum *unico* tantum thuribulo thurificandos esse n. 559. die 21. Julii 1618; n. 3236 die 16. Dec. 1690.

Duplicis Thuribuli usus improbatur. n. 1513 die 4. Junii 1644.

Ecclesia regulariter uno tantum utitur thuribulo; in aliquibus tamen ecclesiis permittuntur duo ad tollendas controversias super praecedentia. n. 2445 ad 10 die 31. (Julii) 1665.

Ad dub.: An licet eodem tempore thurificare Canonicos et Magistratum duobus thuribulis? S. C. resp.: „*Servetur concordia.*" n. 2475 ad 5. die 23. Mart. 1669.

Ad idem dubium S. C. resp.: Servetur solitum, scilicet tolerandum usum duorum thuribulorum. n. 2788 die 13. Junii 1676.

Vd.: *Instr. Cl.* §. *XX. n. 13.*

Ragusina.

Archiepiscopus Ragusinus petiit, an ab ipso permittendum ut confratres in eorum oratoriis duo thuribula adhibeant in functionibus, quorum altero ad thurificandos Canonicos cathedralis divinis ipsis interessentes, uno autem pro thurificandis custodibus confraternitatum earumdem eodem tempore utantur. Et s. Congregatio jussit agenti archiepiscopi oratoris oretenus dici, ne quid innovetur. Die 29. Januarii 1656.

(Anal. J. P. 1863 p. 337.)

2) Duo in process. SS. Sacramenti.

Cf.: *Processio SSmi Regular.* (modus; decr. n. 5130); *Thuriferarius in process.*

Servari potest consuedo (Cathedralis Conimbricen.), ut duo medii Canonici tunicella et dalmatica induti in processione corpor. Chr. thuribula deferant et SSmum incensant. n. 4233 ad 13. die 14. Apr. 1753.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 11. 13. 17. §. 19. §. XX. n. 9. Episcopus (*finita missa in Coena D. ante processionem*) imponit incensum in duo thuribula. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 11. 12. Praeparentur duo thuribula pro processione Fer. V. in coena Dom. *Ibid.* n. 3.

Ad processionem SSmi *in Parasc.* parata esse debent duo thuribula. *Ibid.* c. XXV. n. 30. 31. *Episcopus assistens* ante primum gradum altaris SSmi in duo thuribula imponit incensum (*in Parasc.*) *Ibid.* c. XXVI. n. 14. 15.

Duo Acolythi cum duobus thuribulis in process. SS. Cor. Chr. continue SSmum per viam thurificant. *Ibid.* l. II. c. XXXIII. n. 7. 14. 19. 26.

3) Quando non adhibentur?

Vd.: *Incensum* (Quando non adhibet.)

4) Quis porrigit Episcopo?

Episcopus redit ad altare (depositis paramentis missalibus et accepto pluviali ad sedem) et accepto altero ex thuribulis ab assistente presbytero incensat SSmum. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 12. Vd.: *Thurificandi modus; navicula.*

5) Quomodo porrigenda?

Advertat Thuriferarius, ut, cum dat thuribulum in manus presbyteri ass. vel Diaconi, qui mox illud ad manus Episcopi porrigunt, catenularum sumitatem in dextera, thuribulum vero in sinistra dicti ministri ponat, ut ipse minister deinceps commode ad manus Episcopi cantrario modo porrigat, videlicet catenulas in sinistra, thuribulum in dextera. *Gaer. Ep.* l. I. c. XXXIII. n. 15.

Cf. *Thurificandi modus.*

THURIFERARIUS.

1) Num chirothecas habet?

Ad dub.: Per Caeremoniale lib. 1. cap. XI., n. 5 et 6 cautum est ne minister baculum aut mitram gestans eam nudis manibus tangat, sed nihil tale statuitur circa ministros, qui de libro, gremiali, thuribulo et navicula, candelabris serviunt: quaeritur ergo an liceat hos ministros atque illos qui serviunt de baculo aut mitra uti chirothecis?

S. C. resp.: Negative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2197).

2) Genuflexio.

Non licet Clericis ministrantibus thuribulum seu naviculam Canonicis celebrantibus coram Episcopo genua illi flectere sicut Episcopo. n. 3516 ad 8 die 4. Apr. 1699.

In missa cor. SSmo. expos. vd.: *Intructio Clemen.* §. XXX. n. 8. etc.

3) Laicus.

An dub.: An liceat Superioribus Ordinis s. Joannis de Deo permittere Laicis deferre Thuribulum coram Sanctissimo Sacramento in Processionibus, etiamsi fuerit copia Sacerdotum, quibus pro sua dignitate pertinere videtur et an hoc ministerium exerceri debeat absque superpelliceo et cum solo habitu? Primum praescribit Rituale, sed adest abusus in contrarium.

S. C. resp.: „Servetur consuetudo.“ n. 4718 ad 1. die 17. Aug. 1833.

4) Quo loco se sistat ad impon. Incens.?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXX n. 11.

5) In Processione.

a) A Sacello ad altare majus.

Praecedit (primo loco) Thuriferarius cum thuribulo. *Caer. Ep.* l. I. c. VIII. n. 24; l. I. c. XIV. n. 8.

In Parasceve non adhibetur thurifer. in hac processione. *Ibid.* l. II. c. XXV. n. 8

b) SS. Reliquiarum.

Vd.: *Baldachinum reliquiar. et ss. crucis etc.* (decr. n. 4570 nota; n. 4227); *Reliquia* (s. Crucis — Expositio etc., decr. *Cenoman.*)

c) In Process. Domin. Palm. et Purif. B. V. M.

Vd.: *Cruciferarius; Subd.* (crucifer.)

In Process. *Purif.* B. V. M. ante crucem praecedit Thuriferarius et ante Thuriferarium cantores. *Caer. Ep.* l. II. c. XVI. n. 15. Eodem loco incedit Thurif. in *Process. Dom. Palmar. Ibid. c. n. 8.*

d) In Process. SSmi Sacramenti.

Vd.: *Thuribula* (duo in process.); *Instruct. Clem.* §. XX. n. 13. 14. *Quomodo incedit infra process.*? vd.: *Process. SS. Sacram. Regul.*

Ad dub.: Utrum in processione Sanctissimi Sacramenti thuriferarii incedere possint, dorso ad sanctissimum Sacramentum verso?

S. C. resp.: Incedere debere a latere baldachini.

Die 10. Jan. 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1430).

6) Quis?

Vd.: *Ministri in Pontificalibus.*

Ad dub.: An participantes (Mansionarii, Portionarii, ad chori servitium absque canonica institutione et episcopali auctoritate a Capitulo electi) Cathedr. Melphit. post obtenta Insignia (rocchettum et mozzettam cum caputio coloris violacei) a gerendo thuribulo ac officio Ceroferarii in conventuali, ut prius, sint exempti? S. C. resp.: Negative et dum ministrant in officio Thuriferarii et Ceroferarii superimponant vesti talari dumtaxat super-

pelliceum. n. 4595 ad 5. die 12 (10.) Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Cum planum est per extrinseca honoris insignia portionariorum qualitatem non fuisse immutatam neque eosdem ab iis solutos oneribus, quibus tenebantur, priusquam iisdem insigniis decorarentur; jam patet adhuc Acolythorum ipsos debere fungi officiis, caeteraque tam in Missa quam in aliis choralibus functionibus praestare munia, quae Beneficiatis, Mansionariis, Portionariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis, secundi subselli Clericis incumbunt. Praeter Caeremonialis dispositionem ad rem facit S. C. Responsum in quaestione acta inter Canonicos Metropolitanae Neapolis et hebdomadarios; nam inter alia dubia primum erat: *an asserti beneficiati sive hebdomadarii nuncupati Ecclesiae Metropolitanae Neapolis in functionibus ecclesiasticis teneantur omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Ecclesiarum Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis?* S. Congr. respondit: *Affirmative.* Neque ommittendum hic est, quod praefati hebdomadarii indultu gaudent gestandi Rocchettum cum manicis ad instar Canonicorum, ut colligitur ex S. C. decreto *in Neapolitana delationis Cottae* die 21. Martii 1705. Numquid autem portionarii Melphitenses novis decorati Insigniis praestant hebdomadarios Metropolitanae Neapolis? Utique adimplere debent Acolythorum officia et dum his incumbunt, superpelliceum dumtaxat assumere et deponere Rocchéttum, Cappam vel Mozzettam, véluti S. C. sancivit. Responsiones autem, quae hisce dubiis datae sunt, haberi perinde debent ac si essent generalia decreta in similibus casibus, qui forte in aliis Regni Neapolitani Clericis citra Pharum occurrere possunt, et omnino servandae, utpote quae conformia sunt juris dispositioni.

Quintus minister Acolythus thuribulum et naviculam incensi ministraturus debet aliquanto caeteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit; eaque debet elevatis aequaliter manibus tenere; videlicet thuribulum dextera, pollice in annulum majorem immisso, altero vero ejusdem manus digito minorem annulum catenulae elevanti coopertorium thuribuli oppositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculae cum incenso et cochleari caute gestabit, cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo aut navicula implicari aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare vel genuflectere cum aliis ministris ad Evangelium euntibus et redeuntibus debeat et de aliis, quae ad suum officium spectant, suo tempore a Caeremoniariis docendus erit.

Caer. Ep. l. I. c. XI. n. 7.

7) Sedes.

Vd.: *Sedes Celebr. et Ministr.; Sedes Ministr.*

THURIFICATIO.

Vd.: *Incensatio.*

1) Altarium in Vesperis.

Vd.: *Altare.*

Quando ad Vesperas praeter Altare majus aliud altare seu alia altaria incensanda sunt, tunc facta incensatione altaris majoris vel illius, ubi s. Sacramentum asservatur (quod prius est incensandum, quam altare, ad quod vesperae sunt, ut docent gavant. tom. 3. sect. 10. cap. 3. n. 18. et Merati ibid. n. 15. et alii) incensantur alia altaria et peracta incensatione altarium omnium, quae incensanda sunt, re-

vertuntur omnes parati ad Chorum et fit ibi de more incensatio secundum modum et ordinem praedictum; pergendo autem de choro ad altaria et redeundo de altaribus ad chorum, celebrans cum ministris incedere debet detecto capite ob reverentiam Cantici evangelici: Magnificat; *Caeremon. Ord. Min.* part. 3. c. 3. n. 5; *Bongiovanni* lib. 3. cap. 3.; *Bauldry* part. 2. cap. 11., *Castaldus* in Caeremon. Cleric. Regularium lib. 2 cap. 20., *Flumara* in eod. Caeremon. part. 1 cap. 4 et alii plures.

2) Archidiaconi baculum tenentis.

Vd.: *Thurif. Assistent. Ep.*

Archidiaconus, qui sustinet baculum Episcopi, dum celebrat solemniter, thurificandus immediate post diaconos assistentes: Sac. Congr. in Bracharen. 19. Junii 1608. apnd Barbos. tract. de Canonicis cap. 5. n. 52. et cap. 33. n. 22.

3) Ab Assistente facienda.

Vd.: *Incensatio imperatoris.*

Assistens Presbyter, sive Dignitas sit sive Canonicus, thurificare debet Episcopum et non diaconus Evangelii: Sac. Rit Congreg. in Placentina 12. Maii 1607 apud Barbos. de Canonicis cap. 23. n. 17.

4) Assistentium Episcopo.

Vd.: *Episcop.* (incens.;) *Episcopus assist. missae sol.*; *Thurif. Archidiaconi.*

Assistentes Episcopo, licet sint minus digni, ratione assistentiae ante dignitates thurificantur et recipiunt pacem: Sacra Congreg. Rit. in Bracharen. 19. Junii 1608 apud Barbos. tract. de canonicis cap. 33. n. 15. et 16.

5) Beneficiatorum.

Urbis. S. Laurentii in Damasco.

Propositis iis, quae in praeinserto memoriali continentur in Sacra Rituum Congregatione hac infrascripta die, eadem Sacra Rituum Congregatio antiquam et laudabilem ecclesiae consuetudinem servandam esse respondit, ut scilicet beneficiati insignis ecclesiae collegiatae sancti Laurentii in Damasco de urbe in vesperis et missis, quae solemniter celebrantur in dicta ecclesia pro festo conceptionis beatae Mariae Virginis, thurificentur immediate post canonicos et ante custodes seu guardianos societatis Sanctissimae Conceptionis. Et ita declaravit et in ecclesia sancti Laurentii in Damasco in dicta solemnitate servari mandavit. Die 18. Februarii 1617.

(Anal. J. P. 1863 p. 147.)

Vg.: *Thurif. Cleri.*

6) Canonicor. et Dignitat. Cathedr.

Vd.: *Incensat. Cleri* (ordo); *Canonici.*

(Ordo et ductus.)

Thurificatio debetur Canonicis paratis ante vicarium generalem: Sacra Congregat. Rit. in Egitanien. 3. Augusti 1602 et in Tiburtina 6. Martii 1610 apud Barbos. in Sum. ap. decis. verb.: Thurif. n. 10. et tract. de Canonicis c. 18. n. 29.

Thurificatio debetur prius Canonicis Cathedralis et Collegiatae, quam gubernatori et officialibus: Sacra Congregat. Rit. in Complen. 28. Januar 1612. apud Sellium in selectis canonicis cap. 16. n. 23. et Barbosam loco cit. n. 11.

Unde thurificatio duplici solum ductu debetur dignitatibus Cathedralium, nisi firmiter probetur immemorabilis, quod triplici ductu thurificentur, absente Episcopo: Sac. Congr. Rit. in Casertana 16. Septembr. 1622. apud Barbos. loc. c. n. 8. tract. de Canonicis c. 34. n. 31.

Dignitatibus in choro non debetur

thurificatio triplici sed duplici tantum ductu, non obstante quod, ibi omissis distributionibus, persona, quae habet dignitatem, incederet cum Rochetto et habitu protonotarii, ut respondit Sac. Cong. Rit. contra praepositum ecclesiae Insulanae 21. Martii 1699 apud Monacell. tom. 4. supplement. ad 2. tom. num. 18.

Thurificatio in Ecclesia Collegiata exempta, praesente Episcopo cum Canonico Ecclesiae Cathedralis et Abbate cum Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae, debetur primum Episcopo triplici ductu Thuribuli et post Episcopum immediate Canonico Cathedralis Ecclesiae duplici ductu, deinde Abbati etiam duplici ductu: Sacra Congregat. Rit. in Alexandrina S. Petri in Bergolio 7. Febr. 1604 apud Barbosam in Sum. apost. decis. verbo: Thurif. n. 12. et tract. de canonicis cap. 34. n. 32. Et iterum in decretis generalibus 22. September 1659 §. 15 ibi: „Episcopus primum trino ductu et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici vel Monachi Abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.“

Avenionen.

Praepositus ecclesiae Avenionensis, qui primam post pontificalem in eadem ecclesia dignitatem obtinet, petiit manuteneri in sua antiqua et immemorabili possesione circa honorem thurificationis, qui dignitatibus et canonicis exhiberi solet in solemnibus vesperis et missis, nempe ut ipse praepositus absente archiepiscopo triplici ductu thuribuli thurificetur, caeteri vero dignitates et canonici duplici ductu thuribuli et cum negotium hoc a Sacra Rituum Congregatione commissum fuerit Illmo et Rmo d. Cardinali Gonzaga, audita ejus relatione eadem Sacra Rituum Congregatio censuit dictum praepositum manutenendum esse in sua possessione, ut scilicet in absentia archiepiscopi triplici ductu thuribuli thurificetur, prout hactenus ab immemorabili tempore servatum est. Et ita censuit et declaravit ac in civitate Avenionen. servari mandavit.

Die 29. Novembris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 112. n. 371.)

Ad dub.: An praeposito non officianti debeatur trina thurificatio ad contradistinctionem Canonicorum non officiantium, qui duplici ductu thurificantur?

S. C. resp.: *Non deberi trinam thurificationem.*

Die 27. Mart. 1699.

(Anal. J. P. 1865. p. 1830 n. 2677 ad 4.

7) Canon. Colleg.

Vd.: *Thurif. Canon. Cath.; Canonici; Incensatio.*

(Ordo et Ductus.)

Canonicis Collegiatae thurificatio debetur ante rectores et beneficiatos aliarum Ecclesiarum parochialium etiam quando in eorum propriis Ecclesiis simul divinis intersunt, nec est hujusmodi caeremonia aliquo praetextu omittenda, si ex consuetudine fieri solet: Sacra Congregat. Rituum in Calaguritana 1. Junii 1601 apud Barbosam in summ. ap. decis. verb.: Thurific. n. 23. Thurificatio debetur duplici ductu Thuribuli Canonicis collegiatae; caeteri vero parochialium Ecclesiarum unico ductu: Sacra Congreg. Rit. in Caesaraugustana de Daroca 19. Januarii 1613 apud Barbosam loco citato n. 14. et tract. de Canonicis capit. 18. n. 66. neque primae dignitati Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis: Congregatio deputata trium Cardinalium die 4. Septemb. 1705

in respons. ad dub. 31. apud eumdem Monacell. t. 4. suplem. ad 2. t. n. 20.

Prior Collegiatae, si in Cathedrali praesens fuerit, simul cum illius Dignitatibus et Canonicis duplici ductu thurificandus est, quamvis nullam habeat praecedentiam supra Canonicos Cathedralis: S. Congr. Rit. in Tuscanensi 19. Augusti 1619 apud Barbosam tract. de Canonicis c. 11. num. 3. et 9.

8) Canonici Episcopi.

Canonicus locum tenens Episcopi debet in choro sedere in loco suae receptionis in habitu canonicali, nec ei competit pacis et thuris honor ante Dignitates et non lucratur distributiones, nisi sedeat in suo stallo cum habitu canonicali: S. Congr. Rit. in Hydruntinae 10. Novembris 1612 apud Barbosam tractat. de Canonicis c. 33. num. 40.

Vd.: *Episcop. titul.; Titul. Episcop.*

9) Celebrantis.

a) Quot ductus praesente et absente Episcopo?

Vd.: *Thus* (impositio ab Episcopo etc.); *Incens. Celebr.; Thurif.* (ductus, ordo.)

In absentia Episcopi thurificatio fieri debet Celebranti triplici ductu juxta regulas Caeremonialis. S. Congr. Rit. in Patavina Plebis Sacci 9. Maii 1606 et in Comen. Valutiae 30. Januarii 1616 apud Barbos. in summ. apost. decis. verb.: Thurif. num. 6.

b) Cor. SS. expos.

Vd.: *Incensatio Celebr.*

Celebrans in primo gradu suppedanei stans thurificatur in missa sol. cor. SSmo. *Synod. Dioeces. Benev.* part. 1. tit. 29. sect. 4. §. 2. num. 11.

10) Cleri inferioris.

(Ordo et Ductus.)

Vd.: *Thurificatio* (ductus; Beneficiat.); *Incensatio.*

Thurificatio debetur duplici ductu Portionariis et aliis Beneficiatis, sicut et Canonicis, quando tales Portionarii et Beneficiati in reliquis omnibus et per omnia aequiparentur Canonicis et aequaliter incedunt in processionibus et sedent in aequalibus scamnis, non obstante Caeremonialis libro, qui intelligitur, quando non adsunt Presbyteri, qui sunt omnino aequales Canonicis: Sacra Congregatio Rituum in dicta Caesaraugustana de Daroca 21. Martii 1615 apud Barbosam in summ. ap. decis. verb.: Thurificatio n. 14. et tract. de Canonicis cap. 34. n. 34.

Dignitatibus autem et Canonicis Cathedralium in suis ecclesiis duplici, caeteris vero de choro unico ductu thurificatio debetur: Ead. S. Congr. Rit. in d. Patavina et Comensi apud Barbos. loc. cit. n. 7. Consuetudo, ut Mansionarii ab una parte thurificentur immediate post Canonicos ejusdem partis, antequam thurificentur Dignitates et Canonici, qui sedent sub alia parte chori, non est servanda: S. Congr. Rit. in Placentina 19. Maii 1607 in respons. ad dub 3. apud Barbos. l. c. n. 4.

11) A Diacono facienda?

Vd.: *t. I. p. 658 h; Thurificatio* (ordo).

Thurificationis munus est Diaconi, qui, etiamsi sit ex Dignitatibus vel Canonicis, post incensatum Episcopum, debet alios Praelatos, si adsint, Magistratum saecularem, Dignitates et Canonicos incensare; Mansionarios vero et alios Capellanos alius Capellanus seu Magister Caeremoniarum pro Ecclesiae consuetudine incensare debet: Sacra Congregatio in Lucen. 10. Julii 1600 apud Aldanum in comp. canon.

resolut. l. 1. t. 9. n. 36., Barbos. in summ. apost. decis. verb.: Thurif. n. 3.

Diaconus Evangelii debet thurificare chorum nec ab eo munere excusatur sub praetextu contrariae consuetudinis: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1608 in respons. ad dub. 10. apud Aldan. loc. cit. tit. 9. n. 35. et Barbos. l. c. verb.: *Diaconus n. 4.* Diaconus debet incensare Canonicos et alios, non tamen Mansionarios: S. Congr. Rit. in Lucerina 29. Apr. 1530 apud Aldan. loc. cit. num. 84. et Barbos. loc. cit. num. 3.

12) Ductus.

Vd.: *Incensatio Cleri* (ductus); *Thurificatio Canon. Cath. et Colleg.* (Ordo); *Thurificatio Cleri inferioris.*

Quoad thurificationem triplicis ductus, licet per Regulas Caeremonialis debeatur soli Episcopo vel Celebranti, nihilominus, si adest immemorabilis consuetudo, quod alii pariter thurificentur triplici ductu, ea omnino servari debet: S. Congr. Rit. in Casertana 18. Septembris 1632 apud Piton. Const. ad Canonicos num. 957.

13) Episcopi.

a) Ductus.

Vd.: *Incens. Episcopi; Thurif. Celebr.; Thus* (impositio ab Episcopo etc.); *Thurif.* (ductus).

Thurificatio cum triplici ductu Thuribuli unico tantum et digniori, id est Episcopo, convenit: S. Congr. Rit. in Vintimilien. 11. Decembris 1604 et in Civitat. Ducal. 11. Novembris 1614 apud Barbos. in summ. apost. decis. verb.: Thurif. n. 5. et tract. de Canonicis cap. 34. n. 26.

b) Modus.

Vd.: *Episcop.* (incens.); *Pileolum.*

Thurificatio non debetur Episcopo a Canonico vel Dignitate assistente genibus flexis, sed stante: S. Congr. Rtt. in Oscensi apud Barbos. in summ. ap. decis. verb. Thurif. n. 4. et tract. de Canonicis cap. 33. n. 29.

14) Finis.

Debet Diaconus incensationem absolvere, *antequam Praefatio incipiatur,* quia Celebranti debet assistere vel stare retro post eum; *Caeremon. Ordin. Minor.* part. 2. c. 9. n. 7. et part. 3. cap. 2. n. 10., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et alii ac Rubrica missalis 7. n. 11. ubi expresse habetur: ,,Cum dicitur Praefatio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem et paulo ante priusque dicatur: *Sanctus,* accedunt ad altare etc.“ Et in eadem rubrica 7. n. 10. statuitur sic: Cum redditur thuribulum Diacono, dicit: Accendat in nobis etc., et incensatur ab eo; deinde Diaconus incensat chorum. Unde stat clarum, quod incensatio chori facienda est immediate post incensationem altaris et Celebrantis, antequam incipiatur Praefatio, et non tempore, quo canitur ipsa Praefatio; et si tanta sit multitudo Clericorum et Religiosorum, ut incensatio finiri non possit, antequam Praefatio incipiatur, tunc sufficit incensare separatim Praelatum et omnes paratos ac illos, qui sunt in sedibus superioribus: Reliqui autem inferiores brevitatis gratia poterunt incensari sine mora, ita ut incensatio finita sit, antequam incipiatur Praefatio, ut salvetur dispositio rubricarum, ut docet Bongiovanni l. c. ex Caeremon. Ord. Minor. l. c. et alii, et non paulo ante priusquam dicatur *Sanctus,* ut tradunt *Gorsetlus* tract. 1. can. 11. n. 11. n. 22., *Merati* loc. cit. n. 71., *Bissus* loc. cit. §. 7., *Baldus* loc. cit. n. 18.

Incensatio (quae omnibus dari debet quia Christus communicat omnibus

odorem suum, *s. Thomas* part. q. 83. art. 5. et quia quae facit Sacerdos, pertinent ad omnes, *Durand.* cap. 31, item quia *Thurificatio repraesentat diffusionem gratiarum spiritualium in capite et ab eo ad membra*, idem l. 4. c. 5., *Gavant.* tom. 1. part. 2. titul. 7. litt. C.); cessare debet ad *Vesperas* antequam Celebrans dicat vers.: *Dominus vobiscum*, *ex Caeremonial. Episcopor.* lib. 2. cap. 3. et *Caeremonial. Ordin. Minor.* part. 3. cap. 2., *Gavant.* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 20. Unde qui in choro sunt Cantores vel musici, majori pausa ac graviori modulatione canticum Magnificat praecinere debent et Organista sonum solemnius in longum protrahere, ut ante vers.: *Dominus vobiscum* et Orationem incensatio compleatur: *Merati* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 26., *Bongiovanni* loc. cit. et alii passim.

In choro thurificari debent omnes singillatim. Quod si tanta sit multitudo clericorum, ut incensatio finiri non possit ante finem Praefationis, tunc sufficit incensare separatim illos, qui sunt in sedibus superioribus et reliqui inferiores poterunt incensari sine mora, ita ut finita sit incensatio paulo antequam dicatur *Sanctus*. *Merati* t. 1. part. 2. tit. 7. num. 70. et 71., *Bissus* lit. 1. §. 7., *Bauldry* part. 2. art. 7. n. 18., *Corset.* tract. 1. cap. 11. n. 21., *Gavant.* t. 1. part. 2. tit. 7. lit. C. cum aliis ibi citatis. Et ad hoc facit decretum S. Rit. Congr. in Placentina ad tertium dubium sub die 10. Maii 1607.

15) Gubernatoris.

Vd.: *Incens. Gubernat.*

Consuetudo, ut Gubernator thurificetur immediate post Episcopum, servanda est: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1608 respons. ad dub. 4. apud Barbos. in summ. ap. decis. verb.: Thurif. n. 6.

Consuetudo incensandi Gubernatores Civitatum Sedis Apostolicae, qui sunt Refendarii et Praelati et utuntur Rochetto, ante Canonicos post Episcopum servanda est: S. Congr. Rit. in Caesenaten. 7. Decembris 1501 apud Barbos. l. c. n. 7.

Consuetudo, quod Gubernator Status thurificetur et habeat pacem ante Rectores et Curatos Ecclesiarum, servanda est. S. Congr. Rit. in Gotian. in Sardinia 5. Julii apud Barbos. l. c. n. 8.

Consuetudo laudabilis, quod Gubernator non thurificetur nec osculetur librum Evangelii nec habeat pacem immediate post Episcopum, servanda est: S. Cengr. Rit. in Tullen. 2. Augusti 1603 apud Barbosam l. c. n. 9.

Gubernator dignissimus et perpetuus thurificandus immediate post Episcopum et ante Canonicos, etiam paratos: S. Congr. Rit. in Alexandrina ad dub. 4. apud Barbosam l. c. verb.; *Gubernator* num. 11.

Gubernator Civitatis thurificandus est duplici, non triplici ductu Thuribuli: S. Rit. Congr. in Civitatis Ducalis 11. Novembris 1614 apud Barbos. loco citato num. 15.

16) Imperatoris, Regis et Reginae.

Vd.: *Incensatio mulieris; Thurif. mulieris.*

Imperator et reges ante Episcopum triplici ductu thurificantur. Caeremon. Episcop. lib. 1. c. 23.; *Bongiovanni* lib. 9. c. 2. et alii passim. Princeps magnus non recognoscens Superiorem, Proreges et Gubernatores regnorum et provinciarum thurificantur a primo assistente immediate post Episcopum triplici ductu: Caeremon. Episcop. loc. cit., *Merati* l. c. n. 73., *Fumara* part. 2. cap. 3. et alii.

17) Laicorum.

Cefalonien.

Canonici Ecclesiae Cathedralis Cefalonien. petierunt declarari: *An stante usu quindecim annorum, quod magistratus civitatis thurificetur eodem tempore, quo thurificentur Vicarius et Canonici, cum dictus usus repugnet libro caeremoniali, servandus sit necne?* Congregatio Sacrorum Rituum respondit: servandam esse formam libri caeremonialis lib. primo c. 23. circa finem, ut scilicet magistratus civitatis thurificetur post Canonicos. Et ita declaravit. Die 24. Octobris 1609.

(Anal. J. P. 1863 p. 100. n. 336.)

Vd.: *Incensatio laicor.*.

18) Magistratus.

(Quis thurificat?)

Alatrina.

S. Rituum Congregatio, audita relatione Episcopi ordinarii Alatrini, censuit, servandam esse solitum in thurificando judicem et magistratum communitatis de Fumone dioecesis Alatrinae in solemnitatibus et publicis functionibus ecclesiasticis, et ita declaravit, instante communitate dicti loci praetendente praedictos thurificandos esse per Diaconum juxta dispositionem Caeremonialis et non per sacristam. Die 22. Junii 1680.

(Anal. J. P. 1865 p. 1228. n. 2138.)

19) Ministrorum in Missa pont. Episcopi.

Vd.: Thurif. Assistent. Ep.; Thurif. Archidiac.

20) Modus.

Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur: *Caeremon. Episcopor.* lib. 1. cap. 23., *Bongiovanni* lib. 9. c. 2. et alii passim.

Vd.: *Thurificat.* (SS. Papa celebr. vel assist.)

Imposito et benedicto thure Episcopus vel Celebrans capit de manu Diaconi in missa vel de manu Presbyteri assist. in vesperis thuribulum videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur, in earum summitate, dextero easdem catenulas simul junctas prope thuribulum tenet ac thuribulum sustinet, ita ut illud commode ducere versus crucem . . . et ad se retrahere possit; quod recte fit, si Episcopus aut Celebrans accepto thuribulo teneat dexteram, quo fieri potest, proximiorem ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram et thuribulum, nam si nimis thuribulum pendeat, nec commode nec secure nec decore illam actionem expedire posset . . .

Dum autem Episcopus vel Celebrans thurificationem altaris facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens, sinistram, quae summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit, dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit, ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat et dum procedit thurificando altare eundo et redeundo semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari, totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 4. 8.

Cf.: *Thuribul.* (quomodo porrig. etc.); *Thurificatio* (Papa assistente etc.)

21) Modus sese agendi Cleri inferioris infra thurificationem Canonicorum.

Asculana.

Recusantibus praeter solitum curatis

civitatis Asculanae, quando assistunt in choro cum Canonicis, assurgere, eisdem Canonicis antiphonas praeintonantibus et thurificationem recipientibus, Sacra Congregatio respondet, teneri curatos in casu proposito assurgere et ita juxta solitum servari mandavit. Die 24. Maii 1636.
(Anal. J. P. 1863 p. 265.)

22) Modus thurif. in choro extra stallum stantes.

Omnes in choro incensandi, stantes extra stallum se mutuo invitare debent modesta capitis inclinatione ad thurificationem prius recipiendam, ita ut quilibet alium sibi immediate subsequentem sic reverenter praemoneat. Caeremon. Episcop. lib. 1. cap. 23., *Gavant.* tom. 1. part. 2. titul. 7. rub. 10. lit. C., Merati, ibid. n. 71., *Bissus* lit. I. n. 18. §. 3., *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. part. 4. c. 6. et 7., *Bongiovanni* lib. 1. c. 11. et lib. 9. c. 2. et alii.

23) Mulieris.

Vd.: *Mulier.*; *Thurif. imperatoris etc.*; *Incens. mulieris.*

Mulieribus non datur thus et pax inter Missarum solemnia: S. Congr. Rit. in Pacen. 28. Januarii 1612 et in Lucerina 3. Junii 1617. Et an aliquando debeat dari remittitur arbitrio Episcopi: Eadem S. Congr. in d. Pacen. 28. Januarii 1612 apud *Barbos.* in summ. ap. decis. verb.: *Mulier* n. 5. et verb.: *Pax* n. 8. Non debere autem dari, nisi Reginis et magnis Principissis, non obstante consuetudine contraria, decrevit eadem Congr. in Larinen. 6. Decembris 1702 apud *Monacell.* suppl. ad 3. tom. num. 4.

24) Ordo.

Vd.: *Thurif. Canonicor. etc.*

Facta de more a celebrante incensatione altaris Diaconus incensat ipsum *Celebrantem* triplici ductu. Si autem in Presbyterio adsit *Episcopus* Dioecesanus, Diaconus *ipsum incensabit triplici ductu et celebrantem duplici.* Et si adsit Legatus vel alii Cardinales, ipsi triplici ductu et Episcopus ac Celebrans duplici thurificantur. Caeremon. Episcop. lib. 1. cap. 23., Caeremon. Ordinis Minor. par. 3. cap. 2., *Bongiovanni* in silva sacrar. Caeremoniar. lib. 3. cap. 11. et lib. 9. cap. 2., *Merati* tom. 1. part. 2. tit. 7. num. 73. post Gavant. ibid. lit. C. et alii passim. Et si adsint Episcopi exteri vel alii Praelati, honoris gratia thurificantur immediate post Celebrantem triplici ductu, sicuti et triplici ductu incensabitur ipse Celebrans; Caeremon. Ord. Min. l. cit., Merati loc. cit., Bongiovanni loc. cit. et alii. Quod tamen intelligendum est in absentia supradictorum Digniorum. Cum Diaconus accesserit ad incensandum chorum, si ibi existat aliquis ex praedictis, incensabit modo dicto. Et si nullus dignior ibi existat et adsit P. Generalis, thurificabit eum triplici ductu. At sic etiam si absente generali adsit provincialis et ita absentibus generali et provinziali Praelatus localis, qui, sive alius Praelatus, praesente Praesule majori, duplici tantum ductu thurificabitur: Caeremon. Ord. Minor. part. 3. cap. 2., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et alii. Incensato Praelato, Diaconus incensabit Cantores paratos duplici ductu deinde incensabit Patres singillatim in prima et secunda parte chori duplici ductu, sicuti ex supra allatis decretis singillatim sunt duplici ductu incensandi omnes Canonici; alios autem Fratres unico tantum ductu incensabit.

25) SS. Papae.

Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur.

Caer. Ep. l. I. c. 23., *Bongiovanni* l. 9. c. 2. tit. 3.

Vd.: *Thurif. Episcopi* (modus.)

26) SS. Papa celebrante.

De secunda Thurificatione usque ad Praefationem.

Interim unus Acolythorum cum thuribulo et navicella accedit ad cornu Epistolae altaris et cum Papa dixerit: *Veni Sanctificator etc.* offert naviculam Diacono Latino et thuribulum Papae, qui imponit incensum dicens: *Per intercessionem etc.* Deinde Pontifex accepto thuribulo de manu Diaconi incensat primo oblata, Diacono pedem calicis tenente, deinde altare more consueto; et demum in cornu Epistolae reddit thuribulum Diacono; et accepta mitra stans ibidem a Diacono praedicto incensatur; et mox accedentibus ministris et nobili cum aqua tertio lavat manus more consueto. Interim vero Diaconus Evangelii, ut Pontifex incensavit, primum Episcopum et Diaconos Cardinales assistentes juxta altare et Pontificem in suis locis stantes, postea omnes Cardinales, omnes reges et magnos Principes, si qui adessent; deinde Episcopos assistentes, incipiens ab illis, qui de libro et candela serviunt; alii namque post Pontificem inter altare et solium circulum faciunt; deinde dat thuribulum uni ex Subdiaconis cum superpelliceo adstanti, qui incensat primo Diaconum Evangelii stantem medium inter alios duos Diaconos assistentes, postea Praelatos omnes paratos, deinde alios more consueto.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. lib. II. tit. I. p. 73.)

27) SS. Papa assistente et Imperatore praesente.

De incensatione altaris et aliorum ordinarie.

Secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae in *Vesperis* semel tantum fit incensatio, id est, ad *Magnificat*, et tunc incensat Papa altare, incensatur ipse et deinde alii omnes. In Missa post Confessionem incensat altare Celebrans, incensatur ipse et Papa tantum. Ad Evangelium Diaconus incensat librum in principio, in fine Papa solus incensatur, et eo absente Celebrans tantum. Post Offertorium Celebrans incensat oblata et altare, incensatur ipse, deinde Papa et demum omnes alii ordines capellae. Ad elevationem Sacramentum tantum incensatur. Incensatio autem fit hoc ordine. Acolythus sive Caeremoniarius accipit thuribulum cum prunis ardentibus e loco convenienti et ponit catenularum anulos in manu sua sinistra, ita ut dependeat thuribulum, naviculam autem incensi portat dextra cum apertura naviculae a parte exteriori et factis in tempore reverentiis altari et Papae, annuit Cardinali assistenti, qui e loco suo accedit ad dextram Papae et Caeremoniarius post eum accedens, ubi iterum genuflectit in plano ante Pontificem, surgit et naviculam dat in manibus Cardinalis assistentis, qui illam ambabus manibus tenens vertit aperturam, ubi est cochlear, versus Pontificem, dicens: *Benedicite Pater sancte.* Caeremoniarius autem interim cum dextra manu aperiens late thuribulum et per catenulas inter summitatem et infimam partem illud retinens, partem inferiorem, ubi sunt prunae, supponit manibus Pontificis, ita ut ipsa pars inferior aequetur naviculae in manu Cardinalis assistentis, et Pontifex capiens cum cochleari incensum tertio ponit in thuribulo interim dicens: *Ab illo benedicaris* etc. et in fine facit super illud signum Crucis. Cardinalis assistens interea stat inclinato capite et antequam Papa accipiat cochlear, illud osculatur et cum Papa illud accipit et

iterum dum reponit, osculatur ejus manum et demum reddit naviculam Caeremoniario, qui, ut venerat, revertatur ad locum suum et similiter Cardinalis assistens. Caeremoniarius vadit ad altare, tradit thuribulum adolens Diacono Evangelii, qui illud ponit ad manus Celebrantis, anulos videlicet catenularum in sinistra et catenulas juxta summitatem thuribuli in dextra. Celebrans sine mitra stans ante medium altaris primo inclinat caput versus altare, illi reverentiam faciens. Tum si sint ibi oblata, id est, calix et hostia, facit super ea ter signum crucis cum thuribulo, incipiens ab altari et ducens versus se et deinde in transversum. Tunc facit super eadem circulos duos cum thuribulo a dextra in sinistram et tertio e contrario, a sinistra in dextram. Deinde iterum se inclinat cruci et elevatis manibus, tertio thuribulum tractim ducens illam reverenter incensat et rursus caput illi inclinat. Tum incensat bis imaginem a dextra parte crucis et toties imaginem a sinistra. Procedit deinde a sinistra et tractim incensat superiorem partem altaris, sive sint ibi imagines sive picturae sive candelabra tantum. Si vero sint super altare imagines, incensata cruce, quae est in medio, procedit ad sinistram partem crucis, ut diximus. Cum pervenit ad cornu altaris sinistrum, ubi dicitur epistola, flectit manum, se inclinans aliquantulum dextrorsum et inferiorem partem ipsius cornu, bis ducens thuribulum. Tum assurgens vertens se incensat superiorem partem superiorem usque ad cornu dextrum, ubi pariter se inclinans, incensat, ut de sinistro diximus. Vertens se deinde incensat inferius anteriorem partem altaris a dextro in sinistrum et cum transit ante crucem, vertit se ad eam et illi caput inclinat. Cum est in sinistro cornu, firmans se tradit thuribulum Diacono et accipit mitram et a Diacono incensatur. Tum diaconus tradit thuribulum Cardinali assistenti, qui surgens vadit ante gradus solii pontificis et genuflexus supra infimum gradum incensat pontificem sedentem cum mitra, ter ducens thuribulum, deinde reddito thuribulo diacono surgit et vadit ad suum scabellum. Diaconus autem stans ante eum inclinat caput primo, deinde incensat, bis thuribulum ducens. Et nota, quod haec incensatio, sive circa Papam sive Cardinales, fit tractim, modeste, quiete et sine strepitu ac sine properatione. Cardinales autem, antequam accipiant incensum, quisque semper invitat alium subsequentem, caput versus illum inclinando. Cardinalis assistens invitat diaconum a dextris et ille deinde suo tempore diaconum a sinistris, qui nullum invitat. Primus inter Episcopos Cardinales invitat subsequentem et sic in finem sedium Episcoporum et Presbyterorum. Quod si quis Presbyterorum esset in sede diaconorum, ultimus in prima sede invitat primum alterius sedis presbyterum, qui sedere debet in fine scamni, et ultimus inter presbyteros invitat primum diaconum sedentem in capite illius scamni. Incensato igitur Cardinali assistente diaconus Evangelii transeundo *genuflectit ante pontificem* et primo se inclinat, deinde bis incensat et iterum se inclinat ante diaconum Cardinalem a dextris. Idem facit Cardinali diacono a sinistris. Deinde vadit ad primum Episcopum Cardinalem et quoties transit ante Papam, genuflectit, incensat pariformiter et reliquos Cardinales, Episcopos primum tum Presbyteros et demum diaconos eisdem caeremoniis; nam singulis primo se inclinat, tum bis ducens thuribulum incensat, demum rursus se inclinat. Idem facit regi sive principi, qui in eorum scamnis sedent.

Quomodo incensetur Imperator et alii.

Imperatorem autem non diaconus Evangelii sed primus Episcopus non Cardinalis assistens Papae incensat stans et bis thuribulum ducens et immediate post Papam. Alios omnes incensat Diaconus Evangelii, Pontifice non celebrante. Clericus Caeremoniarius ducit Diaconum incensantem, quem, si non est assuetus officio, instruit et genuflexiones atque inclinationes omnes primo facit. Si vero expertus est, factis primo reverentiis retrahit se ad partem et expectat ejus progressum, advertens tamen, ne erret. Incensatis Cardinalibus, si quis magnus princeps est in supremo gradu sedis pontificalis, ut puta, aliquis dux ex minoribus sive praefectus urbis sive Capitaneus Ecclesiae, aut frater sive nepos pontificis, quos pontifex vult honorare, incensantur ante assistentes, sed neque fiunt ante eum inclinationes, et semel tantum ducitur thuribulum. Post hos incensantur similiter assistentes Papae, deinde Vicecamerarius et Oratores Caesaris, si sunt praesentes. Tum senator urbis. Post eum Oratores Praelati, si inter eos sint aliqui regii. Inde oratores regum et principum non Praelati. Quod si Camerarius abest, incensantur Caesaris Oratores ante alios, ubicumque sint, deinde senator, tum Oratores Praelati, si sunt regii inter eos; sin minus, incipitur a laicis, si sunt regii et a caeteris paribus praelatis semper incipitur; neque refert, an potentior sit rex vel Princeps laici quam praelati, dummodo ejusdem dignitatis sint. Et ab hac parte, qua incipitur, praesentibus Imperialibus, incensantur omnes Oratores etiam minores et hoc etiam in Vicecamerarii praesentia observatur. Inde Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum et poenitentiarii Papae, qui omnes sedent in sedibus. Inde revertitur ad Solium ponticficis et ibi incensat Conservatores Urbis, Barones et alios nobiles ibi sedere solitos; tum Subdiaconum apostolicum a dextris Papae et alios cappatos ab ea parte, deinde Subdiaconum a sinistris et post eum Auditorem, qui servit de Mitra Sanctissimo Domino nostro. Deinde alios cappatos, Subdiaconos, Auditores, Clericos Camerae et Acolythos, tum Cubicularios secretos et Secretarium, si est cum eis: inde Capellanum assistentem celebrantis, tum alterum Caeremoniarium Clericum et Subdiaconum Epistolae. Inde Cubicularios alios, Advocatos et Secretarios mixtim et demum Procuratores Ordinum. Si Magister Sacri Hospitii adest, qui stare solet apud finem scamni Presbyterorum Cardinalium, incensatur post nobiles sedentes circa pedes Papae. Post procuratores incensantur Capellani Celebrantis stantes in superpelliceis; deinde scutiferi Papae et alii Nobiles, qui sunt cum eis; tum Magistri Ostiarii et servientes armorum, qui sunt apud portam cancelli; reversus demum ad credentiam credentiarios et Caeremoniarium et ipse in fine a Caeremoniario incensatur.

De aliis incensationis ritum spectantibus.

Et nota, quod omnes, qui accipiúnt incensum, debent stare et non sedere et esse capite detecto, exceptis Papa et Celebrante, qui cum mitra accipiunt incensum. Papa in principio Missae et post offertorium sedens incensatur. Advertat Diaconus et non incenset qui non assurgunt. Quando Papa celebrat, Acolythus servat de incenso et Diaconus Cardinalis Evangelii incensat Papam, Cardinales, Principes, qui cum eis sedent, et Episcopos assistentes. Inde ipse incensatur ab uno ex Subdiaconis apostolicis, non tamen

ab eo, qui cantat Epistolam, et ille incensat alios. In vesperis solemnibus papalibus cum paramentis Acolythus servit de thuribulo et incensat omnes praeter pontificem. Absente pontifice Capellanus assistens Cardinalis facientis officium debet incensare, sine pluviali tamen, nam illo in vesperis non utitur; in cujus locum si non est aptus, substituitur Subdiaconus Papae cum superpelliceo tamen.

(Catalanus, Caerem. Eccles. rom. I. II. p. 388—392.)

28) In Parasceve.

Vd.: *Parasceve* (incens.)

In Feria VI. Parasceves thurificanda sunt oblata; sed post thurificationem oblatorum non est iterum thurificandum ss. Sacramentum, ob cujus tamen praesentiam non est omittenda thurificatio Crucis: sed Crux et altare thurificanda sunt eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante ss. Sacramentum: Sac. Eit. Congr. in Panormit. 5. Jul. 1638.

29) A qua parte incipienda?

Vd.: *Incensatio* (a qua parte etc.?)

Ad dub.: Utrum in missa vel etiam in vesperis, quando hebdomadarius non sedet in choro, salutationes, thurificatio etc. debeant incipere ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus, vel ab ea parte, cui hebdomada contigit et cui apposita est tabella chori?

Resp. Ad vesperas quod attinet, thurificationes probabilius incipiendae sunt ab ea parte chori, in qua sedet canonicus faciens officium, ubicumque is sedeat sive a parte evangelii sive a parte epistolae. Quod si non in prima chori sedet, sed in scamno a parte epistolae sedeat, pariter ab eadem parte incipiendum esse videtur ex caeremoniali episcoporum lib. II. cap. 3. n. II. „Canonicus celebrans stans in suo loco, in choro, invitato prius ad honorem incensationis proximiore canonico, caput inclinando, aut, si adsit, vicario episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis presbyteris paratis etc.“

In missis autem semper a digniori parte chori incipiendum videtur, prout ex ipso caeremoniali lib. I. cap. XXIII. colligi potest. Ait enim n. 13., thurificantur oblata, altare, celebrans, episcopus et alii omnes eo ordine, quo infra dicetur.“

Qui autem debeat esse hic ordo declaravit n. XXIX. „Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset episcopus suffraganeus, praesente suo metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis ob reverentiam dignitatis cardinalitiae;“ post praedictum thurificantur, si aderunt, protonotarii de numero participantium, deinde nuntii apostolici. Praelati non existentes in loco „eorum jurisdictionis, sed transeuntes, tum dignitates et canonici, secundum eorum ordinem videlicet primo dignitates deinde canonici presbyteri, tum diaconi, mox subdiaconi, si praebendae sunt distinctae etc.“

Quoad salutiones vero generatim ab omnibus haec regula traditur; vel celebrans sedet et tunc semper incipiendum est ab ea parte, in qua ipse sedet; vel celebrans est apud altare et tunc incipiendum a parte chori digniore, cum tamen plures salutiones ac reverentiae faciendae sint, habenda prae oculis est ratio tradita a caeremoniali episcoporum lib. 1. cap. 48 n. 13. Ex quibus respondendum putarem:

Quoad thurificationes in vesperis, ab ea parte, qua sedet canonicus officium faciens; in missa a parte chori digniori. Quoad salutationes, ab ea

parte, in qua celebrans sedet; si celebrans est apud altare, a digniori parte chori, servata caeteroquin forma caerem. episcoporum lib. 1. c. 18. n. 13. —

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 352).

30) Populi.

Vd. *Incens. populi.*

Omnibus de more incensatis incensandus est a thuriferario populus ter, primo in medio, deinde versus latus Epistolae, quod est dextrum populi, tertio versus latus aliud cum honoris significatione et debitis reverentiis ante et post. Caeremon. Ord. Minor. part. 2. c. 9. n. 5.; *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11., *Gavant.* loc. cit. lit. D. et alii passim juxta Missalis Rubricam lit. 7. n. 10.

Ter populum unusquisque Thuriferarius incipiendo in medio incensat peractis simul ante et post incensationem reverentiis et genuflexionibus debitis. *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. n. 1; *Bongiovanni* lib. 9. cap. 2.; *Gavant.* in Epitom. tract. 1, part. 2. tit. 7. n. 23. et tractat. 2. part. 2. tit. 3 et alii.

31) Reliquiarum in processione.

Vd.: *Reliquiae.*

Gerunden.

Prior S. Mariae de Bisuldino quaesivit utrum liceat in ecclesia s. Vincentii martyris, dum celebratur officium de eo tamquam de titulari, exponere reliquias alterius sancti Vincentii presbyteri? Et utrum reliquiae, dum processionaliter deferuntur, licite per acolythum in via thurificantur? Et Sacra Congregatio respondit ad primum: non esse permittendum nisi apposita reliquiis tabella, in qua populus admoneatur, quod sunt unius Sancti diversi ab illo, cujus solemnitas celebratur. Ad secundum: servandum esse caeremoniale, in quo thurificatio per vias exprimitur tantum de SSmo Sacramento, sed in hoc mandavit non edi decretum. Die 13. Junii 1643.

(Anal. J. P. 1863 p. 294.)

32) SS. Sacramenti inclusi et expositi.

Vd.: *Incens. SS. Sacram.; SS. Sacram.* (thurif.)

Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae in tabernaculo Altaris reconditum thurificari non debet, sed solum unicum genu tum in transitu tum in reditu inflectendum est ante ilud, dum thurificatur altare. At vero si fuerit ibidem expositum, incensatio illius debet a celebrante fieri genuflexo utroque poplite super gradu superiori suppedanei Altaris; *Gavant.* in rubric. Missal. part. 2. tit. 8. num. 10. §. Incensat. Et tunc non incensatur crux, quae immo adesse haud deberet in Altari; *Bauldry* in Manual. sacr. Caerem. part. 2. tit. 8. num. 9 art. 3. num. 2 et rursus part. 3. cap. 20. num. 5.

33) SS. Sacramenti ad benedict.

Vd.: *Incensatio SS. Sacram. ad benedict.*

Ad dub.: In expositione Sacramenti SS. Eucharistiae, dum datur benedictio Sanctissimi a sacerdote, licet necne Thuriferario incensare Sanctissimum?

Resp.: Rituale Romanum tit. de processione in festo SS. corporis Christi praescribens ritum benedicendi cum ss. Sacramento nihil innuit de incensatione in ipsa benedictionis actu a Thuriferario facienda. Haec enim sunt ejus verba: *Sacerdos facta genuflexione cum Sacramento semel benedicat populum in modum crucis nihil dicens: postea illud reverenter deponat:*

quod statuit peragendum esse etiam in caeteris aliis benedictionibus cum sequenti rubrica: *Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis processionibus faciendis cum ss. Sacramento.* Cum itaque nihil habeat rituale de Thuriferarii incensatione, haec profecto non erit admittenda, imo veluti abusus reprobanda, quia non convenit, ut post datam a sacerdote thurificationem, illico nova succedet incensatio per simplicem clericum aut laicum clericali veste ac superpelliceo indutum. Hac de causa Sacra Rituum Congregatio super eodem identico dubio interrogata in una Ordinis Minorum S. Francisci de observantia 11. Septembris 1847 respondit: Servetur Rituale. Reponi tamen posset, quod si ss. Sacramentum incensatur a Clerico ad elevationem in missa solemni, hoc idem exequi potest in benedictione. Haec autem difficultas evanescit, si paulisper consideretur diversitas casus, quae unam et alteram actionem intercedit. Siquidem in prima cum thurificatio praescripta sit, ministris sacris in actu ministerii occupatis, nemo alter adest, qui incensare possit nisi caeremoniarius vel thuriferarius, quod incensandi munus in missis defunctorum competit subdiacono, qui in casu patenam non sustinens liber est et dignior caeteris, qui inserviunt: in altera vero cum thurificatio ab ipso sacerdote peracta jam sit, eam reiterare non convenit. Hinc allato dubio putarem renovandum decretum 11. Septembris 1847 in Veronen. ad 9, in quo Sacra Congregatio requisita: *utrum conveniens sit, quod Caeremoniarius aut Thuriferarius incenset ss. Eucharistiae Sacramentum quum populo benedictio impertitur, uti fit in elevatione ss. sacramenti in Missa solemni?* respondit: *Non praescribi.*

S. C. resp.: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum.
Die 7. Sept. 1861.
(Anal. J. P. 1863. p. 2245.)

34) A thuriferario facienda.

Vd.: *Incens. laicorum; Thurif. populi.*

Si altare, in quo canitur Missa, longius distet a choro, thuriferarius pro diacono ad ipsum incensandum se conferet, nisi in choro superior aliquis praecipuus adesset, aut magnus Praesul; quia tunc convenientius id praestare debebit Caeremoniarius comitatus a thuriferario: *Caeremonial. Ord. Min.* part. 2. c. 9. n. 4.; Alcoyer, et Bauldry par. 1. c. 9. art. 1. et alii.

Domini locorum minorum et Magistratus insensari poterunt a Thuriferario duplici vel unico ductu pro qualitate personarum; illi videlicet, quibus proprium scamnum seu sedes ab aliis distincte, incensandi sunt juxta laudabilem consuetudinem in toto incensationis ordine ac ritu ad pacem tam laicorum quam clericorum conservandam. *Caerem. Episcop.* lib. 1. cap. 23; *Caeremon. Ord. Minor.* part. 2. cap. 9 et part. 3. c. 2., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11, *Castald.* in Epitome part. 2. tract. 1. tit. 7., *Sollac.* Aphorism. part. 2. Cer. 3. pag. 128., *Gavant.* loc. cit. lit. C. et alii passim.

Quando Chorum incensat Thuriferarius, potest illum incensare vel in communi transeundo ante sedilia vel singillatim Patres et alios suo ordine facie ad faciem, juxta laudabilem cujusque provinciae consuetudinem: *Caerem. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. n., *Bongiovanni* lib. cap. 2. et alii. Quando duo sunt Thuriferarii, quisque a parte sua incensat unum ex assistentibus et postea cantores per ordinem duplici ductu; sicque etiam quisque suo thuribulo incensat suam partem chori

vel singillatim patres et alios suo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante et post, vel in communi transeundo ante sedilia, una simul egredientes ad planum chori, ubi ceroferarios per ordinem incensabunt.

35) In Vesperis a quo facienda?

Canonici et Beneficiati ac Magistratus in Vesperis, quando assistunt Beneficiati cum Pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis: S. Congregatio Rit. in Turritana 5. Julii 1671 apud Pitton. Constitution. ad Canonicos num. 514.

36) Vicarii apostol.

Thurificatio cum triplici ductu non debetur Vicario apost. S. C. Ep. in Melphien. 28. Aug. 1689., *Monaccll.* t. 4. Suppl. ad 2. t. n. 19.

37) Vicarii gener.

Vd.: *Thurificatio Canon.; Vicarius gen.; Incensatio Cleri* (ordo).

Thurificatio duplici non autem triplici ductu debetur Vicario generali sedenti in choro, licet supra Canonicos et sit Praelatus: S. Congr. Rit. in Nepesina 14. Januarii 1617 apud Barbos. in summ. ap. decis. verb.: Thurif. 16. et tract. de Canonicis cap. 34. num. 29.

Consuetudo, uti Vicarius generalis thurificetur ante Canonicos, servanda est, sive qui thurificat sit Canonicus sive Acolythus: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1609 apud Barbos. l. c. verb.: Consuetudo circa thurificationem num. 1.

Consuetudo loci vel Ecclesiae servanda est, ut Vicarius generalis sit thurificandus et debeat accipere Candelam, cinerem, palmam et adorare crucem ante vel post Capitulum: S. Congr. Rit. in Neocast. 19. Januarii 1607 apud Barbos. l. c. n. 2.

THUS.

1) Benedictio.

Vd.: *Incensum.*

2) Benedictio praes. Episcopo.

Audomaren. in Flandria.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria iterum supplicatum fuit S. Rituum Congregationi declarare: An liceat abbatibus benedicere thus in Ecclesiis propriis sive aliis quamvis exemptis a jurisdictione ordinariorum praesentibus Episcopis. Et S. eadem Congregatio respondit: Non licere. Die 16. Junii 1674.

Anal. J. P. 1865 pag. 1184. num. 1988.

3) Impositio.

a) Ab Episcopo assist.

Vd.: *Episcop. assist. miss. sol.*

Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit Episcopus dioecesanus vel aliquis eo major, tunc spectat ad ipsum incensum imponere et benedicere, ministrante thuribulum primo ex Assisentibus cum debitis osculis et dicente: *Benedicite Pater Reverendissime*; et si erit *Cardinalis*: *Pater Eminentissime*; et thurificatur triplici ductu, *Celebrans vero duplici. Caeremon. Episcopor.* lib. 1. cap. 23., *Caeremon. Ordin. Minor.* part. 3. cap. 2. n. 5. et p. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et lib. 9. cap. 2., *Gavant. et Merati* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 15. et alii passim. Si autem ad *Vesperas* est praesens Generalis aut Provincialis in sua provincia seu Episcopus dioecesanus vel alius eo major,

tunc expedit quod Celebrans incensetur apud altare sicut in Missa triplici ductu in cornu epistolae et inde revertatur ad chorum, ubi fiet incensatio de more secundum dignitatem et ordinem omnium ibi existentium: *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 3. n. 6. et part. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 9. cap. 2. et alii.

b) Verba dicenda a Diacono.

Vd.: *Incensum; Thus* (impos. ab Episcopo etc.)

Diaconus ministrans thus *Canonico* celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, et non *Pater Reverendissime:* S. Congr. Rit. 4. Apr. 1699. Si autem Celebrans sit *Episcopus*, debet dicere: *Pater Reverendissime*, ex Caerem. Episcop. lib. 1. cap. 23. Et nonnulla Caeremonialia Regularium relata a Francisco Maggio in lib. de offic. chori opusc. 4. disquisit. 23. praescribunt etiam Abbatibus, Generalibus seu Praepositis pariter Generalibus, in tali circumstantia debere dici a Diacono: *Benedicite Pater Reverendissime.* Sic eruditissimus Pater Merati tom. 1. part. 2. tit. 4. num. 19. Si vero celebrans sit *Cardinalis*, dicit: *Benedicite Pater Eminentissime*, ut tradit dict. Merati loc. cit. tit. 14. n. 26., sicut celebrante *Summo Pontifice*: *Pater Beatissime.*

4) In consecratione altarium.

Vd.: *Consecratio altarium plurium*, (modus, decr. n. 4565 ad 5); *Incensum.*

5) Materia.

Materies (thuris), quae adhibetur, vel solum et purum thus esse debet suavis odoris, vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 3.

5) Modus imponendi.

Vd.: *Incensum; Assistens; Diaconus; Osculum* (modus etc.) *Reverendissimus; Navicula*; *Thurificatio* (Papa assistente etc.)

Assistens vel Diaconus accipit de manu Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens cum osculo cochlearis et manus Episcopi et offert eam Episcopo dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*; Episcopus vero accepto cohleari sumit cum eo ter ex navicula thus illud, ter etiam in thuribulum mittit dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis.* Quo facto ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum crucis super thus in thuribulo. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 2.

TIBIA.

Tibia non est reliquia insignis. N 2170 die 3. Junii 1662.

TIBIALE.

(Canonicorum.)

Facultas Dignitatibus et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Valentinae Bracharensis Dioecesis gestandi tibialia et zonam violaceam ac fasciolam viridem in pileo in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris et Altissimo famulantibus in augustioribus templis peculiaria ornamenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi vel per externas hujusmodi honorificentias excitati internarum splendore virtutum praelucere in domo Domini magis magisque nitantur.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti

filii Capitulum et Canonici insignis, ut asseritur, Collegiatae Ecclesiae s. Stephani oppidi Valentiae Mirici Bracharensis Dioecesis nuper exponi fecerunt, idem Capitulum antiquitatis praesertim laude ita emineat, ut ex certis monumentis melior Capituli Cathedralis Ecclesiae Thudensis pars ab origine fuisse dicatur atque inter vetusta privilegia illud quodque numeretur, ut jurisdictione in toto Valentiano territorio cum jure et titulo visitandi olim exercuerit, multum splendoris ad ipsum accederet, si ejusdem Capituli Dignitates et Canonici novis decorationibus per Nos et hanc sanctam Sedem donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes Dignitatibus et Canonicis nunc et pro tempore in perpetuum existentibus dictae Collegiatae s. Stephani, ut ipsi zonam violaceam cum floccis seu lemniscis coloris similis et tibialia itidem violacea ac demum fasciolam cum lemniscis coloris viridis pilei fornici obvolutam privatim ac publice in dicta Dioecesi Bracharensi gestare illisque uti libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Datum Romae de speciali mandato Nostro apud s. Mariam Majorem die 13. Novembris 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 251. Ed. Romae.)

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Sequeira, qui (ut asserit) Archipresbyter et una ex dignitatibus Metropolitanae Ecclesiae Bracharensis existit, quod cum per alias in simili forma brevis die 15. Maii 1789 expeditas literas dilectis filiis Dignitatibus et Canonicis praebendatis dictae Metropolitanae auctoritate apostolica indultum fuerit sub certis modo et forma tunc expressis, ut ipsi funiculum cum flocculo viridis coloris in pileo, itemque zonam seu fasciam et tibialia rubri coloris gestare possent et valerent, ac alias, prout ex indicatis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius asseritur contineri, ipse Antonius vel alius tunc temporis possessor ejusdem dignitatis in hujusmodi apostolico indulto comprehensus minime remansit, eo quod praebendam obtinet ab aliis capitularibus praebendis penitus separatam residentiamque habet personalem, liberam et spontaneam sine obligatione. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, sedem propriam eodem in choro tenet fixam, a cornu Evangelii tertiam, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut pro majore Dei cultu et meliore cum aliis Dignitatibus et Canonicis publice servanda conformitate sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur Antonium ejusque nunc et pro tempore existentem legitimum coadjutorem specialibus gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, insignia et singulas decorationes, in memoratis apostolicis literis pro Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Bracharensis, ut profertur, concessas et expressas ad eumdem Antonium ejusque in dignitate hujusmodi coadjutorem respectivosque successores suos, palam gestari libere et licite posse con-

cedimus et indulgemus, ipsosque desuper a quoquam impediri et perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 9. Februarii 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIII. pag. 457. Ed. Romae.)

Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis Burgi sancti sepulchri, quod valeant gestare tibialia et uti palmare, vulgo bugia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli divinas laudes in templis magis conspicuis quotidie concinunt, peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas decorationes excitati internarum virtutum splendore magis lucere conentur in domo Domini.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis exponi nuper fecit venerabilis frater Robertus Episcopus Burgi sancti sepulchri, Ecclesia Cathedralis hujus Civitatis antiquitatis laude et sacerdotum inibi Deo famulantium probitate et doctrina floreat cumque multum splendoris ad ipsam accederet, si ejus Dignitates et Canonici novis decorationibus per Nos et hanc apostolicam Sedem ornentur; Nobis propterea idem Robertus Episcopus humiliter supplicari fecit, ut eisdem Dignitatibus et Canonicis in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsius Episcopi intuitu praedictas Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Burgi sancti sepulchri, ut ipsi ubique locorum violacea tibialia gestare necnon in missis privatis tantum celebrandis atque in civitate et in dioecesi Burgi sancti sepulchri dumtaxat palmatoria, vulgo bugia, uti libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ipsosque Dignitates et Canonicos desuper a quoquam quavis praetextu, causa et occasione molestari aut impediri nullatenus posse; sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii nostri apostolici, auditores et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere delegatos et dictae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 12. Junii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 52. Ed. Romae.)

Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae Metropolitanae Senensis conceditur usus collaris violacei, fasciolae violaceae sericae pileo obvolutae cum flocco simili et palmaris, vulgo bugiae.

Pius PP. VII.

Nos, attentis desuper dilecti filii nostri Antonii Felicis sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Zonda-

dari nuncupati ex concessione et dispensatione apostolica ejusdem Ecclesiae praesulis relationibus memoratas Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae praedictae, ut ipsi ubique locorum violacea tibialia et collare violaceum (non tamen tela cremisini coloris) subsutum itemque fasciolam violaceam sericam pileo obvolutam cum flocco simili gestare, necnon in missis privatis tantum celebrandis atque in civitate et dioecesi Senensi dumtaxat palmatoria, vulgo bugia, uti libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ipsosque Dignitates et Canonicos desuper a quoquam quovis praetextu, causa et occasione molestari aut impediri nullatenus posse.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 12. Junii 1818.

(Ibid. pag. 52.)

Facultas utendi collare et tibialibus violacei coloris et flocco ejusdem coloris in pileo pro Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Volaterranae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Apostolica benignitatis dona eo libentius iis, qui ministerio Ecclesiarum perfunguntur, elargimur, quo Eclesiae ipsae antiquitatis, celebritatis alteriusve tituli laude pollent, ut per haec in posterum domus Dei decus augeatur ejusque ministri insignioribus vestibus ornati forinsecus, ad interiora incitentur ornamenta virtutum, quibus tum in conspectu Altissimi, qui corda intuetur, purius adstare, tum oculo plebis, cui morum exemplo esse debent, sanctius in dies sattagant apparere.

§. 2. Quum itaque dilecti filii Canonici insignis Cathedralis Ecclesiae Volaterranae peculiaribus honorificis insignibus decorari summopere desiderent, quumque venerabilis frater Episcopus Volaterranus suo apud Nos scripto testetur, Canonicorum Collegium praedictum antiquitate, numero et in sacris muneribus obeundis sedulitate aliisque titulis commendatum, hujus sanctae Sedis beneficia promovere posse,

§. 3. Nos haec perpendentes et gloriosi praedecessoris sancti Martyris Lini, qui ex praedicta Volaterrana Civitate suam duxit originem, memoriam repetentes inducimur, ut eorum precibus obsecundemus, quare praedictos Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis, qui modo sunt, quique in posterum erunt e Collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Volaterranae, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, ut collare et tibialia violacei coloris necnon floccum ejusdem coloris in pileo extra Ecclesiam, non tamen in hac alma urbe nostra gerant iisque libere ac licite uti valeant.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 21. Decembris 1821.

(Ibid. p. 466.)

Facultas gestandi collare et tibialia violacei coloris pro Canonicis Ecclesiae primatialis Pisanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sincerae fidei ac piae devotionis argumenta, quae erga Nos et apostolicam Sedem Capitulum et Canonici Ecclesiae Pisanae semper ostenderunt, Nos inducunt, ut ea, quae eorum personali honorificentiae fore conspicimus opportuna, illis libentissime concedamus. Supplicari siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Archiepiscopus Pisanus, qui de memorati et Canonicorum virtutibus et meritis testatus est, ut novo aliquo ornamento ipsi decorentur.

§. 2. Nos igitur Capitulum et Canonicos dictae primatialis Ecclesiae Pisanae specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore ac in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis dictae primatialis Ecclesiae Pisanae, ut ipsi collare et tibialia violacei coloris tam intra quam extra Ecclesiam gestare libere et licite possint et valeant et quisque eorum possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus eosque desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctorite scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 2. Aprilis 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. pag. 19. Ed. Romae.)

S. THIMOTHEUS E. M.

(Festi ritus.)

Urbis et Orbis.

Inter assiduas gravissimasque apostolici muneris curas sollicitus etiam Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. PontifexMaximus ut in universali Ecclesia amplior tribuatur Cultus Sanctis illis, qui super fundamentum apostolorum aedificati nascentem Christi Ecclesiam salutaribus monitis ac legibus nec non vitae dispendio ordinare, munire et illustrare non detractarunt, motu animi sui proprio praecipit, ut in catholico orbe festi sanctorum Timothei Episcopi Martyris nono Kalendas Februarii, ac Ignatii Episcopi Martyris Kalendis Februarii deinceps ab utroque Clero recolantur ritu duplici minori cum Officiis et Missis ut in Breviario Missalique Romano; utque sub eodem ritu duplici minori in universali pariter Ecclesia instituatur festum sancti Titi Episcopi Confessoris Pontificis, additis lectionibus secundi nocturni propriis a sancta Sede alias cum oratione pariter propria admissis iterumque approbatis typisque Romae cusis. Quam quidem voluntatem suam per praesens Decretum Sacrorum Rituum Congregationis communicandam mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18. Maii 1854.

L. † S.

J. Card. Antonelli.
Dominicus Gigli,
S. R. C. Secr.

(Anal. J. P. 1854 pag. 1207.)

TINTINNABULUM.

1) Canonicor. Colleg.

Vd.: *Canonici Colleg.* (praeced. inter se, decr. n. 4531.)

2) Missae.

Vd.: *Campanula in missa etc.*

Tintinnabulum tangitur (in missa priv. Episcopi) ter, dum elevatur s. Hostia, et toties, dum elevatur ss. Sanguis et non ultra. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 6.

Ad dub.: Utrum feria V. et VI. hebdomadae majoris ad elevationem SSmi Sacramenti, ut mens fidelium ad pietatem excitetur loco campanulae uti possit instrumento ligneo vulgo crotulo, de quo praeter Benedictum XIV. libro de festis mentionem faciunt auctores?

S. C. resp.: Servandam consuetudinem et fieri posse.

Die 7. Septembris 1850.

(Correspond. de Rome die 24. Martii 1851 num. 59. pag. 223.)

TITULARIS.

1) Abbatiae.

Nec in Ecclesiis suppositis Parochiae aut Regularibus nec in Ecclesiis suppositis Abbatiae posse fieri officium de Titulari Abbatiae n. 755. die 12. Julii 1628.

Decretum editum contra abusus circa officia Sanctorum loquens de Ecclesiis paroch. et regul., intelligatur etiam idem disponere de Abbatialibus. N. 769 die 28. Augusti 1628.

(Vd.: *Titularis Eccles. paroch.* (oblig. ad off.)

2) Capellarum publicarum.

Vd.: *Credo in festis Titular. etc.; Capella domest.; Patronus Capellae; Suffragia* (decr. n. 5221)*; Oratorium; Titul. Oratorii.*

Ad dub.: 1. Utrum Parochus debeat facere Octavam de s. Titulari alicujus capellae, in qua et nunc celebratur Missae Sacrificium?

2. Utrum Professores necnon Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus tenentur ad octavam Patroni Eccl. Seminarii, quae omnibus patet fidelibus vel potius retinere Patronum Civitatis, in qua seminarium sit?

3. Eccl. Seminarii Ruremundensis, quae quamvis parochialis non sit, tamen omnibus patet fidelibus, quaeque titularem Patronum habet s. Carolum Borromaeum petitur num festum hujus Sancti 4. Nov. die, per modum festi patronalis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct. a Praeside, Professoribus atque Alumnis Seminarium inhabitantibus celebrari possit ac valeat et inter suffragia ad Vesperas et Laudes de eodem s. Carolo, ut in Breviario, commemoratio fieri debeat.

S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1: „Negative juxta rubricas."

Ad 2: „Teneri ad Octavam Titularis Eccl. adnexae.

Ad 3: „Jam provisum in secundo dubio. Fieri autem debere commemorationem in Suffragiis ad tramites rubricae."

Atque ita rescribere rata est. N. 5079 ad 2. 3. 5. Die 27. Febr. 1847.

Ad dub.: An festum Titularis capellarum publicarum et oratoriorum, quae existunt in Aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium domibusque privatis celebrari debeat sub ritu dup. I. Clas. cum *Credo* et Octava?

Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiae.

S. C. resp.: „Negative." N. 4669 ad 34 die 12. Novembris 1831.

Ad dub.: Juxta decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. 34. Festum Titularis Capellarum publicarum, quae existunt in Aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus,

celebrari non debet ritu dup. I. cl. cum Octava. Et juxta decretum in unica Vicariatus Ruremundensis in Hollandia diei 27. Febr. 1847 ad dub. 3. Professores et Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus tenentur ad Octavam Ecclesiae Seminarii, quae, quamvis non sit parochialis, tamen patet omnibus fidelibus. (Vd. *p. 432.*) Quaeritur quid intelligendum sit per Ecclesiam et Capellam publicam?

S. eadem C. rescribendum censuit:

„Ecclesia intelligitur, quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat. Capella publica vero, quae licet ingressum habeat in publica via, attamen non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicujus familiae vel Collegii commoditati."

Atque ita rescripsit. N. 5215. ad 3. Die 22. Julii 1855.

Ecclesia Collegiata s. Petri de Crescente Dioecsis Tudens. habet quatuor alias Ecclesias sibi subjectas et totidem Sacerdotes, unum ab alio independentem servitio harum quatuor Ecclesiarum. Sed isti Sacerdotes in suis respective Ecclesiis dumtaxat pro commoditate populi concurrentis Missam celebrant, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta administrant, concionem habent, catechismum explicant et alia ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum Baptismi, Communionem paschalem, Viaticum infirmis, Sepulturam defunctis dare, neque habent Tabernaculum SSmi Sacramenti. Unde fideles his quatuor sacerdotibus subjecti tenentur adire Ecclesiam Collegiatam, ut in Pascha satisfaciant praecepto annuae Communionis, ut infantes baptizentur et infirmi s. reficiantur Viatico, ut fiat Officium sepulturae et tumulentur defuncti. Quaeritur ergo an ii quatuor Sacerdotes sint veri Parochi? Et an istae Ecclesiae possint celebrare officium cum Missa de suo respective s. Titulari tamquam Ecclesiae parochiales et quidem sub ritu I. cl. et cum Octava, vel potius dicendae sint capellae publicae, in quibus juxta decretum S. R. C. diei 12. Nov. 1831: „Festum Titularis non debet celebrari sub ritu I. cl. cum Octava neque cum *Credo?*

S. C. resp.: Negative ad utrumque et servetur decretum die 12. Novembris 1831. N. 5050. ad 4. die 23. Maii 1846. Vd. *pag. 432.*

Aliquae sodalitates Patronum habent s. Thomam, s. Luciam ac s. Josephum Sponsum B. V. M.; quaeritur: An quando praedicta festa occurrunt in dominicis privil. Adv. et Quadrag., attento concursu sodalium aliorumque devotorum, possit cantari Missa de Patrono? Et quatenus affirmative: an dicenda sit in Missa commem. dom. et octavae occurrentis cum ult. Evang. in fine Missae?

S. C. resp.: In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in dominicis Adv. et Quadrag. privil., non autem in illis exceptis, et in Missa dicenda est commemoratio dominicae et diei octavae tantum occurrentis, cum Evang. ejusd. dominicae in fine. Die 8. Apr. 1808 ad 8. *In Compostell.*

Ad dub. 1: In his regionibus nonnullae capellae Monialium has habent conditiones simul conjunctas: agitur tantum de capella praecipua domus religiosae. Non est consecrata, sed tantum benedicta. Congregatio Monialiumm utpote dioecesana haud habet a sancta Sede apostolica approbationem, Moniales non dicunt Officium canonicum, sed tantum in dicta sua capella recitant Officium parvum Beatae Mariae

Virginis. Ibi asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Presbyter illic ab Episcopo adscriptus est tamquam Capellanus Monialium. Ibidem Capellanus quotidie celebrat Missam privatam et de sero diebus dominicis et festivis dat Benedictionem cum SSmo Sacramento. Audit confessiones Monialium et etiam aliorum. In diebus convenientibus conciones habet. Capella patet omnibus fidelibus. De caetero tamen nunquam aut nonnisi ter vel quater in anno ibidem cantatur Missa aut celebrantur Vesperae. Quaeritur ergo: talis Capella his omnibus circumstantiis simul conjunctis habenda sit ut Ecclesia, adeo ut ejus titulum sit vere Titularis in sensu rubricarum, cujus officium a Capellano recitari debeat sub ritu duplicis primae classis cum Octava, vel potius dicenda sit tantum capella publica aut oratorium ubi juxta decretum diei 12. Novembris 1831 in Marsorum ad 34 festum Titularis sub tali ritu non debet celebrari?

II. Saltem in capellis, ubi, aliis circumstantiis expositis, iisdem remanentibus Vesperae celebrantur singulis dominicis et diebus festivis, Capellanus debetne recitare officium de Titulari sub ritu primae classis? Debetne etiam si tempore horum officiorum aditus capellae non pateret omnibus fidelibus?

S. C. resp. ad I.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; nam capellae in dubio expressae habendae semper sunt seu oratoria.

ad II.: Negative in omnibus.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 pag. 2189.)

Aversana.

Franciscus de Turre sibi a S. Rituum Congregatione facultatem tribui postulavit solemniter missam celebrandi die festo sancti titularis capellae sui beneficii sitae in parochiali Ecclesia s. Joannis Baptistae loci Savignani, necnon anniversarium ejusdem capellae fundatoris. Et S. Congregatio respondere mandavit de licentia tantum et cum assensu Parochi posse hujusmodi oratorem peragere. Die 24. Maii 1659.

(Anal. J. P. 1863 pag. 356.)

Vd. *Titul. Oratorii.*

3) Cathedralis.

a) Obligatio ad Officium.

De Titularibus Cathedr. tantum posse recitari officium sub ritu dupl. in tota civitate et *cum octava in Cathedrali tantum.* N. 772 ad 2. die 28. Octobris 1628.

Vd. infra decr. n. 4176.

Ad dub.: An teneantur Capituli Civitatis Materae recitare officium *de Octava* Visitat. B. V. M. Titularis Metropolis, ut magis dignae in persona, cujus festivitas occurrit infra Octavam ss. ap. Petri et Pauli et s. Joann. Bapt. an vero praedictorum SSrum titularium *eorum* Ecclesiae cum comm. B. V. M.?

S. C. resp.: Doceant, qua auctoritate officium titularis celebratur cum Octava extra Ecclesiam Metrop. contra dispositionem decreti de die 28. Octobris 1638. N. 3067 die 23. Sept. 1684.

Moniales locorum Ordinariis subjectae tenentur recitare de Titulari Cathedralis, non vero de Octava, nisi id specialiter ipsis indultum sit ex vi concessionis apost. vel propriae constitutionis ab ap. sede approbatae. N. 4162 die 22. Augusti 1744; 20. Novembris 1683.

Sicut anniversar. Dedicationis Ca-

thedr. Lausan. licet ab haereticis pollutae, ita illius titulare festum peragendum est per Dioecesim. n. 3853 ad 1. die 8. Apr. 1713.

Ad dub.: Debetne fieri in tota Dioecesi officium cum octava Titularis Cathedr. aut Patroni? S. C. resp.: Affirmative n. 4119 ad 8. die 2. Sept. 1741.

De Titulari Ecclesiae Cathedr. tenentur Regulares et Moniales Officium facere, sed in *die tantum et non per octavam;* n. 2302 ad 4. die 22. Novb. 1644; n. 3040 ad 6. 20 Mart. 1683.

Universa Dioecesis tenetur ad celebrandum sub ritu 1 cl. *cum octava* de transfiguratione domini, quia est Ecclesiae Cathedralis et civitatis Pernambucen. Titularis. n. 4176 ad 1. die 4. Sept. 1745.

Festum Conceptionis B. V. M., quae est titulus Ecclesiae Cathedr. Bossonen., celebrari debet sub ritu dupl. 1. cl. *tam in civitate quam in Dioecesi ab utroque Clero.* n. 4360 ad 5. die 22. Aug. 1722.

Ecclesia Cathedr. Gracoviens. ab antiquo erat sub titulo s. Wenceslai m., nunc manet sub titulo s. Stanislai e. m., cujus festum maxima cum celebritate et populi concursu veneratur sub ritu dupl. 1 cl. etiam a Regularibus; officium vero s. Wenceslai sub ritu dupl. 1. cl. in Cathedr. dicitur sine celebritate ad populum. Quaeritur: an Regularibus sufficiat recitare officium s. Stanislai sub ritu dupl. 1 cl. uti patroni principalis et Titularis Cathedr. et officia facere s. Wenceslai sub ritu dupl. min. ut Patroni minus principalis? S. C. resp.: *Affirmative* n. 4361 ad 2. die 27. Mart. 1773.

Quum Regulares integrae Dioecesis civitatis plebis dubitent num in vim decreti S. R. C. die 11. Aug. 1691, quo indicitur officium cum lectionibus propriis S. Gervasii et Protasii Mart. Titularium Cath. civitatis Plebis fieri debere de praecepto in civitate et Dioecesi ab utroque Clero, adigantur etiam ad instituendam octavam eorumdem Sanctorum, ac proinde s. ipsam R. C. humillime rogarint opportunam dubii declarationem, Emus et Rmus Dom. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. s. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius et s. eidem C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. tributarum, scribi mandavit: „juxta alias Decreta Regulares in casu non teneri ad Octavam.“ n. 4917. Die 22. Maji 1841.

Quod in Constitutionibus gener. Ord. Min. observ. s. Francisci pro reformatione editis 1543 c. 3. n. 10 statuitur: De Sanctis particular. Episcopatuum celebretur officium sed sine octava, intelligitur solum de Sanctis I. cl. nempe de principali Patrono loci vel Titulo Cathedr. Die 10. Julii 1687. *Ord. Min. Obs. s. Franc.*

b) Quis ex duobus celebrandus?

Vd.: *Titularis Eccles.* (quis ex duob. etc.)

In Apostolicis Literis in forma brevis expeditis die 17. Julii 1817 pro nova Episcopalis Sedis Derthonen. erectione Cath. Ecclesia enunciatur sub tit. B. M. V. in Coelum assumptae, licet in perantiqua et solemni illius consecratione dicata fuerit in hon. S. Mart. Laurentii principis civitatis Patroni; hinc exorta quaestio est circa alterutrius praelationem Tituli, ritus varietatem vel paritatem; dubitantibus nonnullis quisnam ex duobus illis esset retinendus, quis relinquendus: et an potius utrique servandi, licet diversis temporibus et diversa ratione dictae Ecclesiae assignati? Ut autem omnis desuper exorta quaestio e medio tollatur, Sacerdos Antonius Maria Remotti Parochus et Derthonen.

Calendarii director supplex adiit S. R. C. rogans resolutionem sequentium dubiorum:

1. An novus titulus sit retinendus, relicto primo?

2. An relicto secundo retinendus sit primus?

3. An potius ambo retinendi sint?

4. An ambobus retentis gaudeant pari ritu, solemnitate et juxta Caeremoniale Ep. gaudeant nota pontificali?

Et S. R. C. respondendum censuit, ut infra, videlicet,

Ad 1. et 2: „Provisum in 3."

Ad 3. „Affirmative."

Ad 4. „Affirmative in omnibus."

Atque ita respondit n. 4587 die 20. Apr. 1822.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Etsi Ecclesiis, vel solemniter ab Episcopo consecratis, servata forma Pontificalis Rom., vel minori celebritate dumtaxat benedictis, unus detur in actu Consecrationis vel Benedictionis sanctus Titularis; aliquae non ita infrequenter a pluribus Sanctis dominantur, vel quia plures dati in die Dedicationis, vel quia illi, cujus nomine erecta est Ecclesia, alter temporis successu additus, quo fit, ut plures eodem honore iisdemque privilegiis decorati reputentur. Sed revera non ita est. Quippe non omnibus eadem aeque competunt privilegia, quae Titularibus tribuuntur. Hisce fruitur Sanctus ille, sub cujus titulo Ecclesia dedicata est, et nequit iisdem spoliari, nisi destruatur vel non accidentaliter, (ut saepenumero accidit in barbarorum et hostilibus incursionibus), sed perpetuo, loci sacri qualitate amissa, in profanum usum convertatur. Non ita est de aliis, qui accedunt. Hos namque ut plurimum pietas populorum vel ob aliquod insigne prodigium vel ob aliam causam specialibus veneratur obsequiis in necessitatibus tam publicis, quam privatis invocat, eorundem festa solemni extrinseco apparatu celebrat, totque argumentis cultusque significationibus distinguit, ut veri antiqui tituli fere sit aut videatur obliterata memoria. Hi tamen vere Titulares non sunt, licet ex accessione novam Ecclesiae tribuant denominationem; nec propterea jus habent ad eas praerogativas, quae veris competunt Titularibus, et vix iis privilegiis gaudere possunt (dummodo caetera concurrant), quae Patronis secundi ordinis competunt. Quod si indelebili titulo, quo in dedicatione Ecclesia fuit nuncupata, aut per Literas in forma brevis aut per rescriptum et huic pari modo praerogativae conveniunt, quae primo illi: et quum aequalis sit gradus, unum dumtaxat ponit in praelatione discrimen, major videlicet dignitas prae minori. Videri possunt de re liturgica Scriptores ac praesertim Gavantus *ad Rubr. Breviar. sect. 3 cap. 12. orum 6.*, ejus commentator Meratus *sect. 8. cap. 5. num. 4.*, *Cavalieri tom. 1. cap. 2. decretum 5.*, *Guyetus cap. 4. quaest. 3.* Et quamquam non omnes simul conveniant quoad aequalitatem ritus, quo singulorum recolenda memoria est; lis tamen facile componi posse videtur, adhibita distinctione inter titulum additum apostolica auctoritate et titulum seu potius novam denominationem privata populi pietate inductam. Omnis autem controversia cessat in casu, de quo in dubio. Certum quippe est sub titulo s. Laurentii Levitae et Martyris Ecclesiam Cath. Derthonen. dedicatam fuisse, certum item est in Apostolicis Literis novae ejusdem erectionis in Cathedralem, B. M. V. in coelum assumptae, nova denominatione insuper addita, fuisse decoratum. Novus itaque titulus apostolica auctoritate accessit

antiquo, qui ut datus in prima erectione alterius accessione nec perit nec praerogativam ullam amittit, si excipias, quod cedere debet majori dignitati: quam ob rem et in occursu cum Octava et in suffragiis danda est praelatio Octavae et Commemorationi de B. M. V, Quum ergo uterque titulus sit retinendus et aeque principalis sit, utrique pariter idem competit ritus eademque solemnitas: et quoniam de titularibus Ecclesiae Cath. res est, utriusque dies festus nota pontificali notandus est, illis videlicet adnumerandus, qui recensentur in Caerem. Ep. lib. 2. cap. 1. num. 2. ibi: *Dies Nativitatis Domini etc., s. Titularis Ecclesiae et Patroni civitatis.* In iis namque Fpiscopus, nisi sit legitime impeditus, pro diversitate Festorum vel omnino debet pontificaliter celebrare vel decet, ut celebret.

4) Confraternitatis.

Vd.: *Patronus Confratern.*

5) In Dedicatione Ecclesiae.

Vd.: *Titularis Eccles.* (quis ex duob., decr. n. 4499 nota).

6) Differentia inter Titul. et Patronum.

Vd.: *Titularis Eccl.* (quis ex duob., decr. n. 4779 nota); *Titularis et Patronus* (differentia.)

7) Ecclesiae.

a) B. V. M.

In Titularibus ecclesiis sub invocatione Angelorum (apud Minores s. Francisci) non de dedicatione, prout in festo Portiunculae, sed de s. Maria Ecclesiae titulari, prout in festo s. Mariae ad Nives, faciendum est officium et ll. 2. n. sumendae sunt ex 2. n. Nativitatis ejusdem, mutato verbo *Natali* in verb. *Festivitate.* S. R. C. 10. Junii 1690.

Ad dub.: An titularis Ecclesiarum dedicatarum sub titulo s. Mariae Angelor., id est B. V. ut Dominae et Reginae Angelorum, non sit Assumptio ejusdem B. V.?

S. C. resp.: Celebrandum festum s. Mariae Angelor. in die Assumptionis cum octava ejusdem. Die 14. Maii 1707. ad 2. *In Parisien.*

Ad dub.: An in Ecclesiis sub titulo S. Mariae Angelor. fieri debeat die 2. Aug. officium cum missa de B. V. M., prout hactenus servatum fuit, vel potius festum s. Mariae Angel. sit celebrandum die Assumpt. ejusdem?

S. C. resp.: Servari solitum nempe in casu proposito die 2. Aug. faciendum esse officium cum missa de B. V. M. Titulari Ecclesiae, prout in festo ad Nives praeter ll. 2. n., quae sumendae sunt ex 2. n. Nativit. B. V., mutato verbo *Natali* in verbum *Festivitate* juxta decr. 10. Jun. 1690 editum. Die 7. Septbr. 1748. *In Ord. Capucc. Ital.*

b) Benedictae ecclesiae.

Ad dub.: An in Ecclesia Ord. benedicta sub titulo ss. Concept. B. V. M. et s. Paschalis, etiam officium s. Paschalis titularis recitari debeat sub ritu dupl. I. cl. cum octava?

S. C. resp.: Affirmative. Die 23. Febr. 1839 ad 2. *In una Ord. Min.*

Vd.: *Ecclesia bened.; Titul. Capellae*, (decr. diei 12. Aug. 1854); *pag. 440 decr. diei 10. Junii 1710*

c) Dirutae Ecclesiae.

Capuana.

Quum Parochus s. Angeli Audoaldis in civitate Capuana S. R. C. sequentia dubia exposuerit pro opportuna solutione, nimirum:

Dub. I.: An diruta et solo aequata Ecclesia parochiali et translato beneficio curato ad aliam Ecclesiam

non curatam in districtu parochiali existentem, ubi administrantur Sacramenta Parochianis, Plebanus Titularis Beneficii curati cum Populo teneatur adhuc ad celebrandum sub ritu dupl. I. Cl. cum Octava Festum s. Titularis Ecclesiae dirutae et destructae tamquam in Ecclesia propria? Et quatenus negative;

Dub. II.: Quonam sub ritu dictum Festum Titularis celebrare tenetur?

S. eadem C. in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata ad relationem subscripti Secretarii post accuratum omnium examen respondendum censuit

Ad 1: „Negative juxta rescriptum in una Ferolivien. die 29. Martii 1852."

Ad 2. „Eodem ritu, quo hoc Festum gaudet in Calendario dioecesano."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5214. Die 21. Julii 1855.

d) Dubius.

Ecclesia olim collegiata sub nomine B. M. Virginis in civitate N... fuit aedificata; videtur tamen illam non fuisse consecratam, quia aedes nunquam absolutae fuerunt. Ex omnibus monumentis credere est, festum annunciationis pro praecipuo et titulari fuisse habitum. Post perturbationem autem Galliarum parochialis facta fuit supradicta Ecclesia et festi annunciationis celebritate in oblivionem abeunte festum Assumptionis pro patronali coepit solemnizari. Tandem episcopatu N... creato a Pio VII. haec Ecclesia in cathedralem fuit erecta sub titulo Beatae Mariae Virginis. Primus episcopus possessione sedis suae in festo nativitalis B. M. an 1823 accepta decrevit hoc festum nativitalis jam pro titulari deinceps celebrandum nulla tamen peculiaris sibi super hoc a romano pontifice datae potestatis facta mentione. Nunc quaeritur. 1.: Utrum sustineatur edictum primi episcopi N... nativitatem B. M. pro festo titulari assignantis? 2. Utrum festum annunciationis, prout antiquis temporibus, pro titulari hujus Ecclesiae sit habendum? 3. Utrum qualitas titularis festo assumptionis conveniat? 4. Quatenus non liceret moderno episcopo titulum annunciationis nunc restituere, utrum id ei permittatur post absolutionem aedificii de novo susceptam in consecratione Ecclesiae?

Resp.: Ecclesiam, de qua in casu, aedificatam fuisse sub nomine B. M. V. et sub praecipuo ejusdem annunciationis titulo nuncupatam monumenta civitatis N... testantur. Ea est autem hujusmodi titulorum indoles ac natura, ut cessare non possint, nisi Ecclesia ipsa destruatur ac loci sacri qualitatem amittat.

Atque adeo patronus titularis Ecclesiae alicui semel assignatus ei inhaerens est, ut sacra haec Congregatio in Brugen. die 11. Martii 1843, probante SSmo Dno Gregorio Papa XII, episcopo licet ex rationabili causa sine apostolico indulto illam in alium immutare non licere rescripserit.

Neque objici potest primaevum titulum annunciationis in oblivionem abiisse eique substitutum fuisse titulum patronalem assumptionis. Accidit profecto hoc aliquando apud populos, ut vel ob aliquod insigne prodigium vel ob speciales aliquas tam publicas quam privatas rerum temporumve circumstantias eorum pietas erga B. V. sub aliquo speciali titulo aut erga aliquem sanctum feratur eorumque festa solemniori extrinseco apparatu celebret, iisque argumentis et significationibus distinguat, ut veri antiqui tituli aut fere sit aut videatur obliterata memoria. Hi tamen, licet accidentaliter et ad tempus novam Ecclesiae mutent denominationem, vere titulares nec sunt nec vocari jure possunt. Verum quidem est Ecclesiam

illam, episcopatu N... creato a Pio VII, in cathedralem fuisse erectam sub titulo B. M. Virginis fuisse festum annunciationis? Atque hinc satis intelligi non potest, quomodo primus N... Episcopus indixerit propria auctoritate festum nativitatis pro titulari celebrandum in posterum fore, in memoriam, ut videtur, acceptae eo die in episcopali sua sede possessionis. Dixi *propria auctoritate*, tum quia nusquam meminit, ut habetur ex dubio, apostolicae facultatis; tum quia licet incerto fuisset, silentibus publicis monumentis, dies certa festivitatis, sub qua eadem Ecclesia nuncupata fuisset ex generali invocatione B. M. V., juxta decretum s. hujus Congregationis sub die 2. Maji 1654, celebrandum fuisset de ejusdem B. M. V. Assumptione quod factum non fuit. Quatenus igitur probari possit, annunciationem B. V. M. revera fuisse primum Ecclesiae titulum, is jure quodam suo et ut dicitur postliminio in casu, de quo est sermo, restituendus videtur. Neque objici in contrarium potest quaedam quasipraescriptio favore festi Nativitatis ob intervallum temporis, quod ab anno 1823 huc usque intercessit, quia in hujusmodi rebus nullam dari unquam posse praescriptionem plura hujus S. C. decreta testantur.

Quibus positis respondendum esse puto ad 1., 3., 4. partem: provisum in 2. Ad secundam partem: affirmative, dummodo constet annunciationem B. M. V. fuisse titulum primaevum.

S. C. resp. ad 1., 3., 4. partem: Provisum in secunda. Ad secundam partem: Affirmative, dummodo constet annunciationem B. M. Virginis fuisse titulum primaevum. Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 340.)

e) Electio.

Vd.: *Beati* (decr. n. 4101); *Patronus* (electio.)

f) Extra Octavam cadens.

Vd.: *Festa extra octavas cadentia; Titul. Eccles.* (transl. cum octava.)

g) Festum celebrandum.

In Notatis ad Missale fratr. Minor. declaravit S. C.: In Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duae missae, una de die post tertiam, alia de festo post Nonam excepta Dom. I. Adv. et Quadrag., Fer. 4. cinerum, Dom. Palmar. cum tota hebd. majori, Dom. resurrectionis, Pentecostes cum duobus sequ. diebus, die Nativit. Dom., Epiphaniae, Ascens. Dom. et Festo Corp. Chr., aut saltem commemor. de festo fieri. In fine vero praedictarum missarum legitur Evang. s. Joannis et non aliud feriae vel festi occurrentis, si de eo non debeat celebrari Officium illa die. Si hoc festum accidit in quatuor temporibus Pentecostes, ambae (missae) quidem post Nonam, sed illa prius de die, quae cum officio concordat, postea de festo. N. 2364 ad 1 et 2 die 13. Febr. 1666. Non potest fieri officium de sancto, eo quod in loco sit ejus nomine Ecclesia, nisi in proprio titulo Ecclesiae. n. 2364 ad 2 die 13. Febr. 1666. (Vd.: *Titularis*, missa sol.; decr. n. 3814.)

Ex Monachis s. Pauli ob aeris intemperiem habitantibus in aestate, tamquam in Hospitio, in aedibus s. Callixti, quotidie aliqui pergunt ad s. Paulum divini Officii persolvendi gratia in illa sacra Basilica: alii vero, qui Romae remanent, persolvunt nihilominus horas canonicas in Ecclesia S. Callixti, omnes autem tam ex s. Paulo reduces quam qui Romae remanserant, recitant simul Vesperas in

eadem s. Callixti Ecclesia. Ideo S. R. C. humiliter hodiernus Abbas s. Callixti urbis supplicavit declarari infrascriptum dubium, videlicet:

An in festo s. Callixti die 14. Octobris, (quo tempore Monachi adhuc sunt in Hospitio s. Callixti) sit faciendum officium ejusdem s. Callixti sub ritu duplici primae Classis cum octava tamquam titularis Ecclesiae?

Et s. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Colleredi rescripsit: „Affirmative in Ecclesia titulari ejusdem sancti, qua pro Hospitio Patres Cassinenses utuntur."

Et ita declaravit n. 3452. Die 5. Octobris 1697.

An dub.: An Capellani s. Joan. Bapt. intra fines parochiae s. Angeli a Macerata possint et valeant in dicta Ecclesia celebrare festivitates nedum sancti titularis dictae Ecclesiae verum etiam aliarum ss. Titularium in cappellis et altaribus ejusdem Ecclesiae, aliorumque SS. infra annum independenter a parocho et absque illius interventu? S. C. resp.: Licere dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ipsius Ecclesiae tantum. n. 3721 ad 4. die 9. Maii 1705.

Ad dub. Capucinorum Bononiae: an de titulari, de inventione scilicet s. Crucis 3. Maii, seu potius de dedicatione Ecclesiae occurrente eadem die celebrandum sit officium? S. C. resp.: esse celebrandum officium Invent. s. crucis cum integris vesperis juxta rubr. 11. Brev. de occurr. fest. n. 2. n. 3795 ad 1 die 26. Novbr. 1708.

Ad dub.: An debeat fieri officium primae classis cum octava patronorum seu titularium Ecclesiarum particularium, quales sunt v. g. Ecclesiae Religiosorum, *etiamsi ab Episcopis nondum fuerint consecratae,* ut non raro accidit in pluribus Dioecesibus, in quibus plures Ecclesiae nondum fuerunt consecratae, licet a multo tempore ac etiam a saeculis fuerint extructae et in eis divina Mysteria celebrentur et illae a tempore, quo fuerunt fabricatae, habeant pro patrono seu titulari aliquem sanctum?

Et s. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi D. Card. s. Clementis respondendum censuit sub die 10. Junii 1710:

„Affirmative, juxta votum D. Abbatis Chiapponi."

Ad dub.: 1. An stante allegata consuetudine celebrandi Festa Titularium Ecclesiarum Dioecesis Januensis teneatur populus sub praecepto ad eorundem celebrationem?

2. An in casu, quo dicta consuetudo praecesserit Constitutionem Urbani, adhuc sit licitum dictos dies festos non celebrare?

3. An, quando non constat, consuetudinem praedictam praecessisse constitutionem Urbani, adhuc populus teneatur servare sub praecepto dictos dies festos?

Et s. eadem R. C. audito prius voto d. Abbatis Gambarucci S. D. N. Papae caeremoniarum magistri, rescribendum censuit

Ad 1. „Negative."

Ad 2. „Affirmative."

Ad 3. „Negative."

Et ita declaravit ac servari mandavit. 3924. Die 11. Martii 1719.

Celebrari non potest per totam civitatem vel dioecesim etiam de cujuscunque ordinarii auctoritate festum cum officio, eo quod in loco adsit Ecclesia paroch. vel regul. vel abbat. aut aliqua reliquia, sed tantum in Ecclesia ipsius s. Titularis, seu ubi asservatur corpus aut insignis reliquia, et non alibi. S. R. C. 8. April 1628.

Vd.: *Titul. Eccles.* (Quis ex duobus etc.)

Officium s. Fulgentii Ruspensis Episcopi Confessoris jam a saeculo decimoquarto in his partibus die VIII.

Octobris agebatur et tempore praesenti in hac ipsa die celebratur in quadam Ecclesia dioecesis sub ejus titulo dicata: incertum est tamen, licet probabile, an consuetudo diem VIII. Octobris ut propriam hujusce Sancti Titularis a saeculo decimo quarto sine interruptione perseveraverit. Ex altera autem parte nomen s. Fulgentii in martyrologio romano calendis Januarii recensetur. Quaeritur ergo utrum in Ecclesia sancti Fulgentii ratione antiqui usus, probabiliter ab antiquo tempore perseverantis, retineri debeat praesens praxis celebrandi festum titularis die VIII. Octobris, vel potius juxta regulas communes hoc festum reponendum sit in primam diem non impeditam post diem primam Januarii?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. I. P. 1857 p. 2191).

h) Filialis Ecclesiae.

Vd.: *Dedicat. Eccles.* (Off. — Oblig. Cleri.)

i) Missa solemnis.

Vd.: *Missae* (duae etc.); *Anniversar. sol. vot. ex fund.; Titularis* (festum celebr.; decr. n. 2362); *Titularis Eccles.* (Quis ex duob. decr. *12. Aug. 1854*).

Cum in rubrica Missalis tit. 6 de translatione Festorum dicatur, quod in Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae diebus impeditis possint cantari duae Missae, una de die, altera de festo, quaeritur: Utrum, occurrente festo Annunciationis vel alio simili in Dominica Passionis in Ecclesiis Regularium et praesertim Monialium possit cantari tantum Missa de Titulari, omisso cantu Missae Dominicae? S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Servetur Rubrica Missalis de translatione festorum. In Ecclesiis autem, ubi quotidie non cantatur Missa posse, celebrari tantum Missam solemnem de Festo Titularis.“

Et ita declaravit. N. 3704 ad 3.

Die 23. Augusti 1704.

Super rubrica Missalis Romani de translatione festorum punct. 6., ubi *sic legitur: in ecclesiis autem, ubi* titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo, aut saltem fieri commemor. de festo, si de eo non debet celebrari officium illa die.

Quaeritur: Utrum possit ommitti Missa solemnis de die et cantari Missa de festo titulari vel alio in iis Ecclesiis, in quibus non est obligatio cantandi Missam quotidie? Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

Rescribendum in casu proposito pro gratia cantandi missam sol. vot. de festo occurrente tantum.

N. 3814. ad 1 die 17. Augusti 1709.

k) Mutatio.

Vd.: *Imago Titular. ponenda in altari etc.* (decr. n. 4793 *nota ad finem.*); *Titularis Ecclesiae* (suppressio, decr. n. 4735 nota). De Mutatione Titul. Vd.: *pag. 444 n. 1*; *446 §. Juxta etc.*

Ecclesia Colleg. loci Gattenstadt dioecesis Varmiensis sub Titulo ss. Salvatoris et omnium SSrum dedicata fuit, sed cum potior titulus nempe ss. Salvatoris illic nullam festivitatem habuerit, Episcopus ordinavit, ut festum transfigurationis D., quod in Octavario rom. per Gavant. concinnato a S. R. C. die 19. Febr. 1622 approbato et Venetiis typis Ballerianis anno 1733 impresso Salvatoris appellatione venit, dignitatem tituli Ecclesiae habeat et off. de eadem transfigur. D. ritu dupl. I. cl. cum octava deinceps recitatur. S. C. dignabitur declarare: An haec ordinatio sit observanda?

S. C. resp.: Servandum esse decr. Episcopi. Die 29. Novb. 1755 ad 4. *In Varmien.*

l) Obligatio Cleri saecul. ad Off.

Vd.: *Patronus Parochiae.*

Ad dub.: An omnes Eccl. paroch., in quibus adest solus Parochus vel Vicarius pro servitio Parochianorum, sed subjectus Parocho in alia Eccl. commoranti, teneantur vel possint celebrare Officium et Missam de festo titulari Eccl. et quidem sub ritu I. Cl. et cum Oct., etiam si de suo s. Titulari Festum celebretur alia die, vel numquam in toto anni decursu in aliis Eccl. Dioecesis?

Et s. eadem C.... respondendum censuit:

„Ad officium s. Titularis teneri Parochum tantum."

Atque ita rescripsit, declaravit indulsit servarique mandavit. N. 5050 ad 3. die 23. Maji 1846.

Ad dub.: In Ecclesiis non parochialibus, in quibus unus vel alter Sacerdos quotidie celebrat, potestne Missa s. Titularis hujusmodi Ecclesiarum celebrari sub ritu dupl. I. Cl. et Octava et cum *Credo*, vel potius an istae Ecclesiae aequiparandae sint Cappellis publicis, in quibus juxta Decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. 34. Festum Titularis celebrari sub ritu dupl. I. Cl. cum *Credo* et Octava non debet?

S. C. resp.: „Affirmative quoad primam partem, si sint in honorem alicujus Sancti consecratae eisque aliquis Clerus addictus, quoad secundam affirmative in casu superius expresso."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183. ad 16. Die 16. Aprilis 1853.

Si festum s. Marci ev. erit Titularis tantum Ecclesiae paroch. et non totius oppidi Robereti Officium celebrandum erit sub ritu 1. cl. ab iis sacerdotibus tantum cum octava, qui addicti sunt servitio ecclesiae paroch. et non ab aliis. n. 4131 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Vd.: Dedicatio Eccles. (Off. Oblig. Cleri; decr. n. 5152 et de die 17. Aug. 1709.; *Titularis* (festum celebr. decr. n. 3721); *Titularis* (obligatio Regul.); *Oratorium privat.* (decr. diei 11. Apr. 1840.)

Ad dub.: An Titularis matris Ecclesiae, quae est matrix totius populi civitatis, habeat aliquam specialitatem aliarum Ecclesiarum titularium, ita ut possit recitari Officium et missa a toto clero saeculari civitatis vel an tantum ab illis, qui sunt de gremio ejudem Ecclesiae matricis? S. C. resp.: Ab illis tantum, qui sunt de gremio. n. 3701 ad 8 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare officium juxta rubricas, maxime si ecclesiae sint peraeque unitae. S. C. C. 5. Julii 1698.

m) Obligatio Regularium ad officium.

Vd.: *Titularis Eccles. paroch.*

Regulares non teneri ad recitationem officii de octava Titularis principalis. n. 4121 die 16. Sept. 1741.

Ad dub.: Regulares translati de uno Monasterio ad aliud remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, debentne recitare Officia s. Titularis illius prioris Ecclesiae et Dedicationis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct.? Et an in suffragiis Sanctorum debeant addere commemorationem illius s. Titularis?

Et s. eadem C.... rescribendum censuit:

„In casu non teneri."

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit. N. 5042 ad 3.

Die 23. Maji 1846.

Religiosi tenentur celebrare sub ritu dupl. 1. cl. cum oct. Festum tam dedicationis quam Titularis Ecclesiae illius conventus, in quo morantur et sub eodem ritu dupl. 1 cl. tenentur recitare de Patrono principali loci et de Titulari Ecclesiae Cathedr. tantum; ad octavam autem non tenentur, de aliis autem patronis minus princip. non tenentur recitare, nisi sint descripti in Calendario rom. vel in dictorum religiosorum proprio. S. R. C. 24. Jan. 1682 in una Ord. Min. de Obs.

n) Officium et missa, si celebr. ut Titularis unus tantum ex duobus Sanctis, qui alias simul celebrantur.

Vd.: *S. Sebastianus.*

Dub.: In dubio utrum Sanctus Gervasius sit solus Titularis alicujus Ecclesiae vel Sanctus Protasius sit cum ipso contitularis per modum unius: similiter utrum Sanctus Dionysius sit solus Titularis vel ejus socii sint cum ipso contitulares, fierine debet officium de uno martyre quasi unus tantum esset Titularis ad normam Rubricae post tabellam occurrentiae et Decretorum diei 22. Novembris 1663 in Baren ad I. et II. vel de pluribus martyribus, quasi essent simul Titulares?

Dub. II.: Posito quod officium fieri debeat de uno martyre in praedicto casu, quaeritur quomodo ordinanda erit Missa de Sancto Gervasio, 1. Omnia, quae sunt de communi plurimorum martyrum, debentne mutari in alia desumenda e Communi unius martyris? 2. Si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de Communi unius martyris recurrendum sit? 3. Omnia, quae sunt propria, licet in numero plurali, ut Introitus, Epistola, ℣.: „Haec est vera fraternitas“, Offertorium, et Communio debentne servari pro sancto Gervasio, quum nonnumquam in Missis pro uno Sancto inveniantur verba in plurali numero?

S. C. resp. *Ad I.: Deficientibus monumentis rem declarantibus in casu: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II.: Missam in casu legendam ut in Missali die XIX. Junii cum Orationibus et Graduali, ut in Missa Laetabitur *de Communi.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. Ser. II. Romae 1857 p. 2191.)

Ad dub.: Ubi Sanctus Vitus est solus Titularis ac proinde a sociis separandus, 1. Epistola et Offertorium, quae sunt de Communi plurium martyrum, debentne mutari in alia ex communi unius martyris? 2. Et si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de Communi unius martyris recurrendum sit? 3. Omnia quae sunt propria debentne retineri pro Sancto Vito, etiamsi sint in plurali numero, mutando tamen numerum in Orationibus?

S. C. resp.: *In Missa* Laetabitur *de Communi, Evangelium de Festo.*

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. Ser. II. Romae 1857 p. 2191.)

o) Quis ex duobus celebrandus?

Vd.: *Titularis eccles.* (electio); *Titularis Cathedr.* (Quis ex duob.); *Titularis Ecclesiae;* (suppressio); *Titul. Eccles. bened.*

Burgen.

Quum Emmus et Rmus D. Card. Caprara a latere Legatus in Galliis in eo esset ut exequutioni mandaret, quae a s. m. Pio Papa VII. per literas apost. in forma Brevis praescribebantur quoad Paroeciarum circumscriptionem, Archi-

episcopis et Episcopis facultatem attribuit Paroecias ipsas extendendi necnon eorum titulos extinguendi ac tandem novos titulos assignandi Ecclesiis, quae in Paroecias erant erigendae. Hujusmodi facultate suffultus tunc temporis Gandaven. Ep., cui suberat Ecclesia loci s. Andreae, praefatam Eccl. in succursalem erexit illique in Patronum s. ipsum Andream assignavit. Verum quum Rector supradictae Eccl., quae in praesentiarum ad Dioecesim Burgensem spectat, apud Rmum Brugen. Ep. indubie comprobarit Eccl. ipsam ab immemorabili Patronam titularem venerasse s. Annam Dei Genitricis Matrem, atque insimul exposuerit commune votum incolarum esse hanc ipsam sanctam, ut antea, propriae Eccl. Titularem habere, Rmus ille Antistes, pro ea, qua praestat religione et erga hanc s. apost. Sedem obsequio, S. R. C. humillime requisivit:

1. Utrum semel assignato titulari Patrono alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex causa illum in alium immutare?

2. Et quatenus negative, enixe efflagitat, ut ex apost. Indulto haec sibi facultas in casu elargiatur.

Et S. eadem Congr. ad Vaticanum hodierna die coadunata in ordinariis Comitiis, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit

Ad I: „Non licere."

Ad II: „Pro gratia assumendi s. Annam in Contitularem cum s. Andrea ap., facto verbo cum SSmo."

Die 18. Februarii 1843. N. 4954.

Super quibus omnibus facta postmodum per Secretarium ipsius S. R. C. SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione, S.S. Rescriptum S. C. in omnibus adprobavit confirmavitque die 11. Mart. 1843.

Paroecia sub titulo e. g. s. Antonii Abb. translata fuit ad Eccl. s. Theresiae Virg., quia Eccl. s. Antonii minabatur ruinam; quaeritur an Regulares, qui nunc cum nova domo hanc Paroeciam acceperunt, debeant pariter officium s. Antonii Abb. sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct. recitare ac s. Theresiae Virg. Titularis Eccl., quamvis Eccl. s. Antonii jam nunc minime existat?

Et S. eadem C. rescribendum censuit:

„Sine novo Indulto non posse."

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit.

N. 5042 ad 4. Die 23. Maii 1846.

Ad dub.: An, quando sunt duo Patroni titulares alicujus Ecclesiae, debeat fieri officium ritu dupl. I. cl. cum Octava de primo et non de secundo?

S. C. resp.: Pro uno tantum. N. 3089 ad 4 die 2. Junii 1685.

Ad dub.: An in Ecclesia Ord. benedicta sub titulo ss. Conceptionis Deiparae et s. Paschalis etiam officium s. Paschalis titularis recitari debeat sub ritu dupl. I. cl. cum Octava?

S. C. resp.: Affirmative. N. 4849 ad 2. die 23. Febr. 1839.

Ad dub.: An si aliqua Ecclesia duplicem habeat Titularem, de utroque recitari debeat sub ritu ss. Titularibus competenti? S. C. resp.:

„Affirmative."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit.

N. 5183 ad 5. Die 16. Apr. 1853.

Massen.

Antequam Dioecesis Massensis ca-

noniçe erigeretur, quod accidit novissimis temporibus, maxima pars locorum dioecesim hanc in praesentiarum efformantium, etiam Ducatus Massae et Carrariae Principatus, subjiciebatur spirituali Episcopi Lunen. et Sarzanen. jurisdictioni, cujus dioecesis quum praecipuus sit Patronus s. Andreas Apostolus, festum ejus universa in dioecesi et Massae quoque et Carrariae de praecepto servabatur, eo vel magis, quoniam idem Apostolus est titularis Collegiatae Ecclesiae Carrariensis. Primus Dioecesis Massen. Episcopus Franciscus Maria Zoppi Cleri uniformitati et gregis spirituali bono prospiciens Kalendarii reformationem festorumpue reductionem obtinuit decreto 11. Julii 1827 et quum maxime percuperet suae dioecesi patronum assignare, exquisito Principum assensu de s. Sedis apostolicae benignitate s. Franciscus Assisiensis datus fuit decreto diei 10. Sept. 1828 ea tamen lege juxta placitum decretorum s. m. Urbani Papae VIII. ut celebratio festi s. Andreae supradicti cessaret. Rebus ita dispositis, quibus per se facile animadvertere poterat, praesertim si quid rubricarum praegustaverit, quo ordine essent haec officia recitanda et festum de praecepto servandum. Non omnibus vero res pariter arrisit et pro parte Capituli et Canonicornm Collegiatae Ecclesiae Carrariensis Dioecesis Massen. S. R. C. proposita fuere sequentia dubia, nimirum:

1. Quodnam festum cum integro praecepto servari debeat in Ecclesia Carrariensi, an s. Andreae Apostoli antiqui Titularis, an s. Francisci Titularis et Patroni?

2. Qui ritus debeat servari in officio proprii Titularis?

S. eadem C. ad Vaticanas Aedes IX. Cal. Junii anno 1835 Ordinariis in Comitiis coacta, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, respondendum censuit: ,,Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum." Hujusmodi voto audito praelisque cuso VI. Cal. Septbr. insequenti anno 1836 iterum propositis supradictis dubiis ab Emmo et Rmo D. Card. Thoma Weld Relatore in ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunatis Emi et Rmi PP. s. tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis accurateque libratis, rescribendum censuerunt: ,,Dilata et scribatur Episcopo ad mentem: Mens est ut Episcopus S. C. doceat, an et quo jure festum s. Andreae celebretur de praecepto et quibus in locis Massen. Dioecesis celebretur festum s. Cechardi, atque insuper exhibeatur decretum diei 11. Julii 1827 et Decretum ultimi Episcopi super uniformitate Calendarii et reductione festorum." Habita demum Rmi Massen. Episcopi super re plena et fideli informatione visisque supradictis decretis iterumque exquisita sententia Magistri Caeremoniarum S. R. C. ad Vaticanum infrascripta die in ordinario Conventu coacta, ad relationem supradicti Emmi et Rmi D. Card. Thomae Weld, omnibus mature discussis attenteque consideratis, rescribendum censuit: Juxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: Clerus Civitatis Carrariae teneatur 1. celebrare officium s. Andreae Ap. sub ritu dupl. I. cl. cum Octava, sicuti Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto. 2. Servari festum s. Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae principalis et s. Cechardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto." N. 4799 die 11. Martii 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Ex facti expositione et dubiis ipsis apparet quaedam esse patrata contra leges, contra statuta, contra ipsam

praxim; quaedam fuisse impetrata ea reticendo quae manifestari debebant; quaedam vero non eo accepta fuisse sensu quo accipi debuissent atque idcirco exorta fuit confusio Titularem pro Patrono, Patronum pro Titulari accipiendo, quasi uterque unus idemque esset, quae omnia paullulum rem consideranti facile patebunt. Sane Titularis Ecclesiae communiter ille est sub cujus nomine seu titulo Ecclesia fundata est et a quo appellatur. Haec definitio sive descriptio praxi respondet et rubricae consona est. Ecclesiae Patronus nomen Ecclesiae, cujus est Patronus, imponit ac ab ejus nomine ut plurimum appellatur et dicitur Ecclesia sancti N., unde ab ejus intitulatione titulus quoque Ecclesiae dici potest, neque tamen confundendus est cum Patrono loci. Loci enim Patronus loco ipsi nomen non dat sicut Patronus, sive, melius, titularis Ecclesiae nomen tribuit: nunquam enim a Patrono locus, e. g. civitas, dioecesis solet denominari adeoque nec titulus pariter loci dici potest. Et si quandoque inscriptio reperitur de titulo loci, ad alium refertur non communem, sed singularem sensum: tunc enim ad ea refertur loca, ad eas regiones, quae recenter fidem amplexae sunt ut in Indiis, in quibus a mysterio aliquo, ab aliquo Sancto, a Conceptione nimirum B. M. V., a s. Cruce, provinciae et insulae nuncupantur et quia ab his nomen fuit in conversione impositum, sic etiam hujusmodi provinciae illum Sanctum pro titulo habent seu pro festo praecipuo et ob singularitatem singulariter quodammodo a Patrono differt, sed hoc est prorsus non commune. Patronum a Titulari differre ex ipsa rubricarum enunciatione eruitur, nam passim legitur *Patronus loci vel Ecclesiae* et sub Ecclesiae Patrono Titularis intelligitur. Differt insuper unus ab altero, quod loci Patronus magis extenditur quam Patronus sive titularis Ecclesiae: hic enim ad unam dumtaxat Ecclesiam pertinet, ille ad plures. Locus enim, inquit Gavantus in comm. ad rubr. Brev. sect. cap. 12. num. 2., *accipitur pro multitudine cleri et populi, sive pro multis cleris et populis in uno loco, puta civitate, dioecesi, per diversas Ecclesias constitutis, ita ut si in eo multae adsint Ecclesiae vel provinciae, unus idemque sit principalis Patronus.* Respecta hac differentia inter loci Patronum et Ecclesiae Titularem, omissis omnibus iis, quae hac in re adduci possent quaeque reperiuntur apud Baronium, Anastasium, Holstenium, Blanchinium aliosque non paucos, qui fuse de hac re pertractarunt, ea tantum in medium proferuntur, quae praesentem rem singulariter et taxative afficiunt.

Juxta doctrinam a Guyto et Gavanto traditam titulus, sub cujus nomine Ecclesia est aedificata et primitus dedicata, quemadmodum plerumque unicus est, ita etiam exclusive proprius Ecclesiae titulus est et ab hoc suam Ecclesia illa accipit denominationem. Jam Ecclesiae titulus mutari per se nequit, ita ut primo penitus relicto nulla interveniente legitima causa vel nova Ecclesiae aedificatione et consecratione alius illi substituatur. Esset id contra jus, quod sine sufficiente ratione laedi nequit, sed potius veris accedentibus iisque legitimis causis novus veteri adjici solet et tunc fit, ut, si qua Ecclesia diruta iterum aedificetur iterumque consecratur, aequum maxime sit ut nova non sub alio quam sub priori titulo, quo prius, deinceps etiam appelletur. Iterum accessio novi tituli, si ut supra veteri adjici vellet, non importat Titularem, cui consecrata est Ecclesia et a quo haec nomen accipit, quique vetustissimus fuit hujus titulus, abrogari vel abrogatum

esse censendum, nisi in nova Ecclesiae aedificatione et consecratione per literas apostolicas constet veterem esse abrogatum, et non esse cum novo retinendum. Evenit quandoque ut neque per novam aedificationem et consecrationem neque per aliam quamcumque ex praecipuis accedentem causam alio sub nomine seu titulo Ecclesia aliqua nuncupetur, sed ex unanimi populi in Sanctum aliquem aliqua devotione, novum quasi illi nomen et appellatio tribuatur. Sed quid hoc efficit? Si paullatim percrescente in alium Sanctum populi devotione novus Ecclesiae titulus accedit, si de primo nulla aeque paullatim fit mentio, hoc accidentaliter non substantialiter ac realiter sumendum est: id enim evenit non quia abrogatus putandus sit vetus Titularis, sed quia ferventiori populus devotione in aliquem Sanctum, ut non raro solet, inflammatus, illius opem sive in publicis sive in privatis necessitatibus non inutiliter imploratam expertus sit factumque ita est ut sensim veteris illius apud ignarum vulgum obliterata sit memoria, et a novo, communiter quidem et accidentaliter sed contra regulam, nomine appelletur. Quis unquam dicet, hoc in casu et vetustissimum et legitimum Titularem esse abrogatum aut populi ferventiorem in Sanctum aliquem devotionem alterius Sancti jura laedere potuisse? Quod de Titularibus, idipsum de particularibus locorum Patronis, si adsint, dicendum est: aequale enim in his, quemadmodum in illis, jus est agnoscendum.

Jam omnibus his ex Doctorum doctrina, ex liturgicis principiis, ex praxi desumptis, quanam ratione Titulus s. Andreae Ap., quem ab immemorabili Ecclesia Collegiata Carrariensis retinuit, abrogatus censeri debet et s. Franciscus Assisiensis illi suffectus est censendus? Quia nempe illius temporis, quo substitutio haec facta fuit, Episcopus, qui (ut videbitur) Sanctum hunc in dioecesis Patronum petiit et obtinuit, reticuit titulum Ecclesiae, quae ab hoc Sancto appellabatur; quia insuper Calendarii uniformitas ab eo requirebatur in tota dioecesi et exceptio omnis exclusa. At rationes istae ad veterem excludendum Titularem suoque jure privandum nullius prorsus habendae sunt momenti. Si hae valerent rationes unaquaeque Ecclesia novo accedente ad dioecesim Episcopo novus quoque, veteri relicto, Titularis recipi deberet juxta Episcopi singularem devotionem; et hoc in casu tot essent successive Titulares quot Episcopi Episcopis succederent et tot abrogati Titulares quot prius erant ante novi Titularis substitutionem. Quae effraenata libertas! quae juris laesio! quae sanctissimarum legum eversio!

Si ratio valeret ex Calendarii uniformitate desumpta tunc dioecesis Patroni universales necessario essent Ecclesiarum Titulares, voluit enim Episcopus s. Franciscum Assisiensem Titularem Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, quia eum in totius dioecesis Patronum obtinuit. Actum igitur esset hoc in casu de singularibus et propriis Ecclesiarum Titularibus, actum de immemorabili Patronorum jure, actum de legitima eorum electione, actum de singularibus locorum Patronis, de rubricarum dispositione et regulis, de Summorum Pontificum statutis, de S. R. C. decretis, de praxi, quae omnia unum ab alio distinguunt. At quis unquam hoc evenire patietur?

Sed reponet fortasse aliquis 1: Episcopum pro hac novi Titularis et Patroni concessione fel. rec. Pontificem Leonem XII. preces porrexisse ab eoque s. Franciscum fuisse concessum. 2: Episcopum obtinuisse a S. R. C. decretum, quo concessio haec fuit adprobata. Quid petiit Episcopus? quid

a Pontifice concessum fuit? Mox videbitur. Interim (quod de concessione et decreto dicendum) si Episcopus nimia usus libertate s. Franciscum, sublato veteri Titulari, sublato particulari civitatis Patrono, utriusque loco suffecit: nutaret concessio, nutaret et decretum quia obreptionis vitio penitus laboraret, laboraret autem quia reticuit in supplici libello s. Andream fuisse et esse Titularem memoratae Ecclesiae Collegiatae et s. Cechardum peculiarem civitatis Patronum. Fuisse s. Andream illius Ecclesiae Titularem constat ex ipsa ejusdem Episcopi prohibitione, qua s. Franciscum substituendo vetuit ne in posterum ob uniformitatem Calendarii Clerus s. Andreae Ap. Officium et Octavam celebraret ejusdem Titularis. Fuisse autem s. Cechardum Civitatis Carrariensis Patronum particularem eruitur ex edicto de reductione festorum ab Episcopo Lamellino praedecessore, Episcopo tunc Dioecesis Sarzanen., cui Dioecesis Carrariensis erat unita, die 27. Oct. anni 1787 evulgato. In hoc enim §. 4. haec leguntur: *Rimarrano feste d'intero precetto*: coll' astinenza cioè dalle opere servili, e coll' obbligo di ascoltare la s. Messa tutte le Domeniche dell' anno, ed il giorno sussequente alle Domeniche di Pasqua, della Pentecoste.. e nella Città e Principatto di Carrara per grazia speziale di Nostro S. la festa *eziandio di s. Ceccardo Protettore della stessa Città*: Si itaque Eccl. Colleg. Titul. non carebat; si non carebat suo particulari Patrono Civitas Carrariensis, quomodo Episcopus utriusque festum abrogando s. Franciscum illis suffecit? et cur s. Franciscum illis subrogaret utriusque jus reticuit? Fortasse quia hanc substitutionem, quam vehementer optabat, facilius obtineret: at haec reticentia dolosa forsan nimis omnibus videri poterat et nullam facultatem, quam expetebat, ei futuram pertimescebat. Sed neque ex decreto ulla facta fuit facultas veterem abrogandi Titularem: non alia enim ipsi facultas facta fuit, nisi ea quam postulabat: atqui haec non respiciebat nisi patronum dioecesis, quidquid igitur hanc praetergreditur facultatem, quidquid ultra hanc egit Episcopus, nimiae est adscribendum libertati. Sane decretum non loquitur nisi de Patrono dioecesis, nulla alia itaque Episcopo facta fuit facultas, nisi eligendi et quidem juxta regulas in hujusmodi electionibus servandas sanctum Franciscum Assisiensem in Patronum Civitatis Carrariensis, nihil pariter ex memorato decreto eruitur nisi approbatio electionis. Cum itaque de solo dioecesis Patrono in eo sermo sit, cum jam ex concessione et vi decreti praeexistentes et Ecclesia titularis et particularis civitatis Patronus ibi non abrogentur nec s. Franciscus uni vel alteri aut utrique subrogetur, cum neuter ex allata superius doctrina per se abrogatus censeri possit, sequitur nullum ex his fuisse sublatum nullumque illis fuisse suffectum adeoque s. Andreas Ap. Titularis sit, ut prius, Collegiatae Carrariensis et talis sit habendus. Quare ne hac in re Episcopi libertas attenderetur, qui late nimis facultatem sibi concessam et decretum interpretando Titularem assignavit s. Franciscum, eo quod ut dioecesis Patronum obtinuit, ne cleri et populi eodemque tempore praejudicata et falsa opinio adprobaretur, qua Titularem cum Patrono et vicissim hunc cum illo confundendo unum eumdemque eos hucusque habuisse visum est, S. C. opportune censuit rescribendum, nimirum, ut Clerus Civitatis Carrariensis teneretur 1. celebrare officium s. Andreae Ap. sub ritu dupl. I. cl. cum Octava, sicut Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine festo de praecepto: 2. ut servetur festum s.

Francisci Assisiensis Patroni dioecesis universae principalis et s. Cechardi Patroni civitatis sub utroque praecepto. Responsio quidem accuratissima et juxta statutas leges et sanctiones, quae simul ostendunt libellum a Clero Carrariensi porrectum haud caruisse fundamento ut in sua ad S. C. epistola Episcopus asserebat.

Aliquid est etiam notandum quoad ritum, de quo sermo ut in II. dubio, cui unica responsione in duas partes divisa S. C. satisfecit. Festa tum Sancti, qui est Ecclesiae titularis, tum aliorum, qui sunt vel dioecesis vel civitatis Patroni, inter solemniora festa adnumerantur.

Id ex omnibus Liturgicis constat, id a rubricis statuitur. In rubrica enim Breviarii tit. VII. *de Octavis num. 1*, legitur: *Item in festo principalis Patroni et titularis loci vel Ecclesiae.*

Jam supra observatum est *generice* qui sint Titulares, qui sint Patroni. Notatum specialiter est qui sit Titularis Ecclesiae Collegiatae Carrariensis, qui particularis ejusdem civitatis Patronus, qui denique Patronus universalis Dioecesis Carrariensis. Cum hi principaliores sint in suo cujusque genere, tales omnino sunt, ut eorum festa celebrari debeant cum Octava, et cum hoc per se et primario non conveniat nisi festis habentibus ritum dupl. I. cl., ut hic ritus per se non aptetur nisi iis festis, quae inter solemniora recensentur, sponte sequitur et s. Andreae Apostolo veteri Collegiatae Carrariensis Titulari et s. Francisco Assisiensi universali nunc Dioecesis Carrariensis Patrono et s. Cechardo adhuc particulari ejusdem civitatis Patrono ritum dupl. I. cl. cum Octava deberi. Nullam putandum est ex ipsa rubrica moveri quaestionem posse, non quod ait rubrica *in festo*, singularem numerum adhibendo *loci* vel *Ecclesiae* sub disjunctione, nihil officit, nam per hoc non innuit unius tantum vel alterius faciendam esse Octavam, ut si de uno fiat, de altero fieri nequeat, sed illorum, qui principales sunt sive Patroni sive Titulares, scilicet, ut quisque eorum in suo respective est genere, Octava fiat, adeo ut et Patrono sive titulari Ecclesiae sua tribuatur Octava, item Patrono principali loci sive dioecesis sive civitatis sua quoque Octava debeatur, utpote qui eorum unusquisque est in suo genere principalis. Quod si, ut numquam fere evenit, idem sit et Ecclesiae titularis et loci Patronus, unica tunc erit celebranda Octava: idcirco fortasse in rubrica apposita est disjunctio illa *Loci* vel *Ecclesiae.*

Si agatur de s. Francisco Assisiensi patet etiam ex decreto; hoc enim ei, uti totius dioecesis Patrono, omnes attribuit praerogativas, quae locorum Patronis debentur: Et *s. Francisco Assisiensi*, in eo legitur, sic in praecipuum Patronum Dioecesis Massen. electo praerogativas omnes attribuit locorum Patronis convenientes: excludit autem jejunii obligationem in praecedenti vigilia, quod tamen pietati et arbitrio fidelium relinquit, *quod sequitur decretum, arbitrio et fidelium pietati relinquendum edixit.* Quod spectat ad s. Andream Ap.: non ei ex decreto (quod certe nec regulas evertit nec rubricae generalis dispositiones invertit aut tollit) per illa verba, quae alia nuper relata immediate subsequuntur, nempe dummodo vero haec ipsa *solemnitas non servetur in festo s. Andreae Ap. sicut in reformatione Calendarii*, ei non adimitur qualitas titularis saepius memoratae Ecclesiae Collegiatae, nec ritus eidem conveniens, cum jam a multis saeculis talis sit nec ratio extiterit illum abrogandi, alium subrogando Sanctum, sed quodammodo huc qualitas admittitur in suo genere et solum ab ea excludit

solemnitatem quae talis sit ex omni parte et eam solemnitatem seu praerogativas s. Francisco uti Patrono universalis dioecesis attributas et locorum Patronis praecipuis convenientes, ita ut eas cum s. Francisco communes non habeat et fortasse huc fuit apposita clausula, quia Titularem Ecclesiae cum Patrono loci confundendo, ut apparet, s. Andreae praerogativas hucusque tribuerant, quae solis locorum Patronis praecipuis conveniunt. Caeterum exclusis quae praecipue universalis totius dioecesis Patroni sunt propria, nec ritus dupl. 1. cl. neque Octava s. Andreae adhuc, ut ostensum est, Ecclesiae titulari potest denegari: nisi dicere quis vellet s. Franciscum quia Patronus est dioecesis, necessario esse Ecclesiae Titularem aut abrogatum esse s. Andream aut abrogatum censeri debere veterem Ecclesiae Titularem per concessionem Patroni universalis totius dioecesis, quae quidem admitti nequeunt ex Doctorum allatis sententiis, Liturgicorum auctoritatibus, rubricae dispositionibus, quaeque et praxi et facto ipsi adversantur. Nihil itaque est, per quod s. Andreas uti Titularis Ecclesiae possit excludi, sed nihil aliud ipsi debetur nisi quod stricte Titularibus convenit, in quo hucusque Clerus limites est praetergressus.

Quod spectat ad s. Cechardum, eadem ferme dici possunt, cum enim ipse vere Civitatis Carrariensis Patronus sit particularis, cum per concessionem principalis Patroni dioecesis non sit abrogatus, nulla est ratio per quam debeat expungi; et hinc pariter ei sunt tribuenda quae civitatis Patronis principalibus conveniunt.

Amoto tali modo per auctorum doctrinam, per liturgicas regulas, per concessionis et decreti investigationem rectamque utriusque interpretationem omnia equivocatione, omni, quae hucusque facta est, Patronum inter et Titularem confusione sublata, unicuique quod convenit tribuendo, liquet quam prudenter sapienterque S. C. propositis dubiis responderit atque decreverit. Mirabitur fortasse aliquis haec disserendo statutos brevitatis limites qui adnotationibus praescribi solent haud esse servatos, sed cum de materia ageretur, quae non raro usui esse potest, ideo rem latius exponere non supravacaneum visum fuit.

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare officium, maxime si Ecclesiae sunt peraeque unitae. S. C. C. 5. Julii 1698.

Ad dub. I.: Utrum s. Gervasius sit solus Titularis alicujus Ecclesiae vel s. Protasius sit cum ipso contitularis per modum unius: similiter utrum si s. Dionysius sit solus Titularis vel ejus socii sunt cum ipso contitulares, fierine debet officium de uno martyre quasi unus tantum esset Titularis ad normam rubricae post tabellam occurrentiae et decretorum die 22. Novembris 1663 in Baren. ad I. et II., vel de pluribus martyribus, quasi essent simul Titulares?

II.: Posito quod officium fieri debeat de uno martyre in praedicto casu, quaeritur quomodo ordinanda erit Missa de s. Gervasio. Omnia quae sunt de communi plurimorum martyrum debentne mutari in alia desumenda e communi unius martyris? Si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de communi unius martyris recurrendum sit? Omnia, quae sunt propria, licet in numero plurali, ut Introitus, Epistola, ℣.: „Haec est vera fraternitas", Offertorium et Communio debentne servari pro s. Gervasio, quum non-

nunquam in Missis pro uno Sancto inveniantur verba in plurali numero?

III. Similiter ubi s. Vitus est solus Titularis ac proinde a sociis separandus, 1. Epistola et Offertorium quae sunt de communi plurium martyrum debentne mutari in alia ex communi unius martyris? 2. Et si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de communis unius martyris recurrendum sit? 3. Omnia, quae sunt propria, debentne retineri pro s. Vito, etiamsi sint in plurali numero, mutando tamen numerum in Orationibus?

S. C. resp. ad I: Deficientibus monumentis rem declarantibus in casu affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II.: Missam in casu legendam in missali die 19. Junii cum Orationibus et Graduali ut in Missa: *Laetabitur etc.* de communi.

Ad III.: In Missa: *Laetabitur* de communi; evangel. de festo.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2191.)

p) Suppressae Ecclesiae.

An Officium sit celebrandum? Vd.: *Calend. Dioeces.* (Oblig. decr. n. 5180); *Titularis Eccles. paroch. dirutae.*

qu) Suppressio.

Ad dub.: An Episcopus successor rite lustrans pro munere suo pastorali Ecclesiam a Praedecessore suo ante annos multos dedicatam, licite possit jure ordinario prohibere, ne eadem Ecclesia in posterum duplici appelletur titulo in solemni dedicatione usurpato, tum quia novit Curiam episcopalem ipsosque Oppidanos loci quinquaginta ferme annorum spatio unico titulo usos fuisse in Ecclesia appellanda, altero relicto, tum quia certo scit ex duplici hoc titulo post annos sane multos adhiberi coepto jurgia, discordias, simulationes secuturas esse cum Oppidanis alterius Paroeciae ejusdem oppidi, quae eadem gaudet appellatione?

S. C. resp.: „Negative.“

Die 5. Sept. 1834. N. 4735.

Nota Gardell. ad hoc Decret.

Dari quidem possunt plures Titulares unius Ecclesiae, licet ut plurimum unus esse soleat sub cujus nomine primitus aedificatur et dedicatur Ecclesia. Hi autem si plures sint, vel sunt simul, nempe sub eorum simul nomine dedicatur Ecclesia, vel successive dati. Communis tamen usus est omnium fere Ecclesiarum ut unicum habeant Titularem, et si plures sint, nonnisi sub unius ratione agnoscantur, exceptis quibusdam iisque raris exemplis, quae semper eas respiciunt Ecclesias, quae pluribus simul Sanctis fuerunt initio ab ipsa consecratione peculiari modo dicatae: cum vero Ecclesiae dedicatio nonnisi vel in unius Sancti honorem vel plurium sub ratione unius fieri consueverit, unaquaeque Ecclesia suam propriam appellationem ab ipsa sui dedicatione desumit. Plures, dictum est supra, dari posse Titulares successive ita ut Ecclesiae uni Sancto dicatae et ab illius nomine appellatae alter Titularis addatur, a quo ipsa aliud nomen sive relicto sive etiam retento priore, accipiat. Id tamen non ita frequenter, immo rarissime occurit, et ob hanc causam solet evenire, quod nempe antiquiores illae primariae locorum Ecclesiae jam inde a priscis temporibus opera et studio primorum cujusque sedis Antistitum erectae, juxta veterem Ecclesiae morem ab ipsis Apostolis eorumque discipulis traditum, Sancto cuidam dicatae fuerunt, postmodum contigit, ut ii ipsi Antistites, qui eas rexerunt, e vivis excessi in iisdem Ecclesiis quiescentes Sanctitatis fama et miraculorum gloria

floruerint et ita factum est ut populi, eorum ope implorata, subsidium in suis vel spiritualibus vel temporalibus necessitatibus experti frequentissimo concursu eos sint venerati eosque per hoc ipsum in Patronos etiam agnoverint talesque communi omnium consensu revera evaserint. Quandoque etiam factum est ut ipsae Ecclesiae obliterato apud ignarum saltem vulgum priori titulo, communi deinceps nomine ab his sint appellatae. Plura adduci de hoc exempla possunt, quae qui desiderat adire auctores poterit, qui fuse de hac materia pertractant.

At quocumque modo sint Ecclesiarum Titulares vel ab ipsa Ecclesiarum dedicatione selecti et constituti vel successive, ut supra, adsciti, ac ut tales ab immemorabili tempore et universali populorum consensu et veneratione recepti, haud quidem licet, nisi accedat novae Ecclesiae dedicatio, Titularem mutare et alium illi subrogare: nam, ut supra notatum est, unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem et sicuti nova Ecclesiae dedicatio, stante integra priore consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur quod execratum non evasit, ita inanis Titularis mutatio esset, relictis vel unico vel pluribus quovis modo constitutis et alio illis subrogato: simul autem injuriosa nimis esset haec titularis mutatio cum nulla sit ratio alium prae illo inducere. Hinc est, quod si eveniat Ecclesiam aliquam dirutam iterum aedificari iterumque consecrari, non alio quam priori titulo dedicatur; aequum enim quam maxime est ut eodem nomine, quo alias, deinceps nuncupetur, quo ab ipsa prima sui erectione insignita fuit illudque in nova consecratione jure retineat. Hisce positis quisque per se videt non aliter S. R. C. huic dubio nisi negative respondere potuisse, haec enim responsio principiis, praxi et exemplis est maxime conformis, a quibus noluit declinare, nam vel in ipsa consecratione Ecclesia non unum sed duos vel plures habuit Titulares, vel etiam succesive juxta modum expositum habuit, quocumque eos habuerit modo, is vel ii sunt vere et proprie Titulares et jure retinendi sunt ac proinde Episcopo non est facultas vel uno retento alium subrogandi vel ex duobus unum excludendi sive jure ordinario nequit prohibere ne Ecclesia duos habeat Titulares et duplici etiam appelletur titulo vel in solemni illius consecratione usurpato, vel etiam successive addito, hoc enim esset limites auctoritatis praetergredi et injuriam Sancto in Titularem recepto inferre, quod nefas esset. Si autem quaestiones et jurgia excitantur, Episcopi est ea tollere, animos componere et Fideles de Ecclesiae legibus instruendo in officio retinere.

Vd.: *Titul. Eccl.* (mutatio.)

8) Oratorii.

Claramontensis.

Monialibus s. Bernardi Civitatis Claramontensis expetentibus facultatem celebrandi festum tituli earum oratorii, quo Ecclesiae loco, adhuc non perfectae, eaedem utuntur, cum officio per octavam, S. Rituum Congregatio nedum posse concessit, sed ipsas ad hujusmodi celebritatem teneri declaravit. Die 15. Septembris 1657.

(Anal. J. P. 1863 pag. 342.)

Vd.: *Titul. Ecclesiae.*

Albanen.

Exposuit confraternitas SSmi Sacramenti in Civitate Albanensi erecta contradicente Capitulo Cathedralis a SSmo tandem obtinuisse, ut in ejus oratorio per ordinarium approbato missa celebrari valeat. Verum sibi nunc a Ca-

pitulo contraverti celebrationem plurium missarum nec non solemnis sacrificii die solemnitatis s. Titularis, sub cujus invocatione erectum est oratorium. Quamobrem supplicavit S. Congregationi, ut eadem declarare dignaretur et plurium missarum quotidianarum et solemnis in festo Titularis celebrationem in eodem oratorio licuisse et licere. Sacra Congregatio respondit: Negative, scilicet nil ex petitis licere nisi de licentia Capituli Cathedralis intra cujus parochiae limites situm est oratorium.

Die 15. Februarii 1659.

(Anal. J. P. 1863 pag. 355.)

Vd.: *Titul. capell. publ.*

9) Ordinis vel Congreg.

Vd.: *Calendar. Congregat. ss. Redemptor.* (decr. 4581 ad 2) *Titul.* (transl. decr. n. 1135; 1870).

10) Titularis et Patronus.

(Differentia inter haec nomina.)

Licet Titulus et Patronus inter se differant, non semel tamen unus cum alio confunditur, ex quo fit ut ex rubricarum verborum vel nimis libera vel parum accurata interpretatione errores enascantur. A tuendo titulus suam ducit originem juxta Varronem et ad aliquid indicandum accipitur eo sensu, quo rem quamcumque cui inscribitur indicet quodammodo et tueatur.

Vox haec plura significat sive ad plura significanda usurpatur. Titulus ex. gr. in sacris scripturis monumentum quodcumque significat ad perpetuam rei alicujus memoriam servandum erectum, quemadmodum *Genesis cap. 28.* dicitur de Jacob, qui ad perennem memoriam servandam, ubi celeberrimam habuit visionem mane surgens lapidem tulit, quem capiti suo composuerat et infuso desuper oleo *illum in titulum erexit.* In jure accipitur pro causa, qua quis sibi rem aliquam vindicat et jura sua contra quemcumque illa impugnantem defendit, unde dicitur *titulus causae.* Item hoc sensu, nempe causae, accipitur in Evangelio *Joan. cap. 19.* titulus, quem Pilatus scriptum affigi jussit Christi Domini Cruci, quem titulum Matthaeus cap. 19. *causam* appellat, et Marcus utramque simul vocem usurpans, scribit: *erat titulus causae ejus inscriptus,* causae nempe ob quam Jesus Christus supplicio damnatus fuit. In ipso jure pariter pro tabulis quibusdam accipi solet vox *titulus*, quae praediis affigi consueverant, descripto in eis palam possessoris nomine, ut sic ab aliena invasione ea tuerentur, eo plane modo, quo nostra etiam aetate gentilitia insignia vel picta vel insculpta ponuntur ad proprias cujusque ditiones tuendas, qua super re scribit Augustinus *Exposit. 2. in Psalm. 21*: *Ne domus ipsius invadat aliquis Potens ponit ibi titulos mendaces: ipse vult esse possessor et frontem domus suae de titulo alieno muniri et cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis abstineat ab invasione.* Nonnulla alia hac voce comprehenduntur, quae omittenda censentur. Quoad liturgicum sensum, olim Ecclesiae tituli nomine appellari consueverant, ita ut titulus et Ecclesia pro eodem sumebantur: sic de s. Evaristo legitur Ecclesiarum titulos urbis Presbyteris divisisse, et de s. Marcello pariter, qui viginti quinque titulos divisit super sepulturas martyrum. Haec denominatio ex eo orta est, quod cum Christiani domum aliquam divino cultui consecrarent crucis vexillum in ea ponebant; unde a titulo crucis dominicae titulus nuncupatur atque hinc Theodosius Imperator praecepit, ut gentilitia delubra in christianae religionis cultum immutarentur *collocato in eis*, inquit, *venerandae christianae religionis signo.*

Ecclesiae item tituli dicti sunt a

nomine illius Sancti, in cujus honorem erigebantur, ut essent tamquam sanctitatis illius monumenta. Saepe etiam Ecclesiae tituli dictae fuerunt, desumpta denominatione a titulo seu fundo illis attributo, quemadmodum quoque a titulo non semel et nomine fundatoris appellatae sunt; unde veteres christiani domos suas in Ecclesiam consecrantes eas postmodum a suo nomine nuncupabant. Ut reliqua omittantur hujus rei exempla unum adducitur omnibus notissimum, quod duas semel comprehendit super expositas rationes hujus appellationis et Fundatoris et Sancti, cui Ecclesia dicata est, illud nempe quod in recitatione divini Officii legitur in Breviario die prima Augusti in lectione quinta: *tantus honor sacris illis vinculis haberi coepit, ut propterea hoc nomine s. Petri ad vincula Ecclesiae titulo Eudoxiae dedicata sit in Exquiliis.* His, ut alia omittantur, quae in medium proferri possent, de titulo adnotatis, prout dicitur de Ecclesia, advertendum est hanc vocem tripliciter accipi posse. Vel enim late sumitur et tunc facile est titulum cum Patrono confundere, vel stricte et tunc de eo tantum Sancto seu mysterio dicitur, a quo nomen ei imponitur vel demum nec adeo stricte nec adeo late accipitur, ut accipi eo sensu debeat, qui hic expositus est, sed popriissime tamen quantum ad rubricas earumque intelligentiam attinet et dicitur de mysterio seu re quacunque sacra, a qua nuncupationem aliqua Ecclesia desumit.

In hoc autem maxime differt Titulus a Patrono, quod hic cum illo confundi queat et dici titulus idem qui est Patronus, at non item ille; ex titulo enim nequit inferri, eumdem esse etiam et Patronum juxta doctrinam tum Guieti tum Gavanti.

Differt revera Patronus a titulo. Vox haec Patronus (quidquid sit de illius etymologia) a profano seu civili sensu ad res ecclesiasticas translato dupliciter accipitur: primo iis optatur, qui ob datam seu aedificatam Ecclesiam propriis sumptibus jus sibi Patronatus reservant, de quo agitur titulus 37. lib. 3. Decretalium, et idcirco qui hoc jure potiuntur Patroni appellantur: secundo hoc nomen convenit Sanctis, qui in coelo regnant suisque nos apud Deum precibus juvant juxta germanam catholicae Ecclesiae fidem, innumeris sanctorum Patrum testimoniis confirmatam, qui *lib. orthodoxae fidei* ita scribit: *Quid non laboris suscipias ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali regi offerat ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur ii honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur ac Deo nostri causa supplicant?* Quemadmodum differt Patronus a Patrono quoad vocis vim et significationem nuper allatam, ita inter se differunt Patronus Ecclesiae et Patronus loci: siquidem praeter singularem Ecclesiae Patronum seu titulum (quem cum Patrono aliquoties, ut dictum est confunditur) datur etiam loci alicujus Patronus communis et generalis.

In hoc autem differunt loci et Ecclesiae Patroni quod hic circumscribitur quodammodo et ad unam tantum Eccletiam proprie pertinet, ille magis extenditur, ad plures enim Ecclesias attinet; locus enim accipitur pro multitudine cleri et populi, seu potius, juxta Guieti et Gavanti opinionem, pro multis cleris et populis in uno eodemque loco constitutis. Aliis etiam rationibus loci Patronus a Patrono Ecclesiae differt, quas hic offerre, utpote a proposito alienas, supervacaneum putatur. Diversi dantur locorum Patroni, sive datur Patronus Regni, Provinciae, Dioecesis, civitatis. Datur etiam Patronus oppidi. Jam loci alicujus Patronus Sanctus vere et proprie ille talis est, qui sive perpetuo

usu ac majorum traditione sive legitima electione, ac legibus in hac electione servatis, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator ab universo loci illius clero et populo colitur et observatur: quae Patroni definitio ab omnibus communiter admittitur liturgicis auctoribus, aliquid si excipiatur, quod illius substantiae non officit. *Nota ad decr. n. 4738. die 23. Maii 1835.*

Cf.: *Titularis* eccl. (quis ex duob., decr. n. 4799 nota).

11) Translatio.

Vd.: *Patronus*; *Officium* (recitand. quod ex 2); *Epiphania* (octava); *Dedicat. Eccl.* (Off. etc. sub n. 3474.) *Assumptio B. M. V. ut Titular.*; *Missae duae*; *Annuntiatio B. V. M.* (Off. etc. decr. n. 4528 de translat.); *Oratorium* (missae decr. n. 4878); *Suffragia.*

Festum translatum de Titulari (de B. V. M.), ut de digniori prius est agendum quam festum transl. Patroni (s. Isidori). n. 989 die 27. Aug. 1633.

S. C. Monialibus concessit, ut festum s. Gaudiosi ep. Bitiniae, earum fundatoris, una cum festo s. Gaudiosi Ecclesiae Titularis, possit celebrari 28. Oct. non obstante, quod dicto die cadat festum ss. Apostolorum Simonis et Judae, quod erit transferendum juxta rubricas. n. 1135 die 26. Mart. 1639.

Occurente vel concurrente dedicatione Ecclesiae Cathedr. cum Titulari *alterius* Ecclesiae civitatis praeferendam esse dedicationem Ecclesiae Cathedr.; quoad vero octavas servandas esse rubricas. n. 1469 ad 3. die 8. Aug. 1643.

Festum dedicationis tamquam dignius celebrandum esse eo die, quo cadit, celebritatem vero Titularis in sequentem transferendam esse. n. 1842 die 15. Sept. 1657.

Vd.: *Titularis eccl.* (festum celebr.; decr. n. 3795.)

Monialibus petentibus facultatem celebrandi solemnitatem s. Jacobi ap. earum Patroni principalis die 1. Maii transferendo in sequentem diem solemnia s. Titularis earum Ecclesiae, quae occurrit cum festo s. Jacobi, S. C. resp.: Festum s. Titularis esse omnino celebrandum die quo cadit, necnon solemnia s. Jacobi tantum sub ritu duplici 2. cl. peragenda, ex quo non detur Patronus Ordini neque Monasterio. n. 1870. die 16. Mart. 1658.

Occurrens cum festo *ss. cordis Jesu* vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 2.). *Occurrens cum octava privil. Corp. Chr.*, vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 5180). *Occurrens cum dedicat. Eccles.* vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 972).

12) Translatio solemnitatis in dominicam sequent.

Vd.: *Patronus* (translatio Solemnit.)

Cum in decreto s. Sedis ap. 1810 lato statutum fuerit, ut festa Titularium ad dominicas infra octavas transferantur, quumque in eodem decreto excepta fuerint festa Ecclesiarum Guebecen. Montis Realis et alterius ex parochiis suburbanis, quaeritur: an in decreto ipso gener. comprehendantur festa Titularium Ecclesiarum paroch. institutarum post annum praedictum 1810?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4751 ad 3 die 23. Maii 1835.

13) Translatio cum octava.

Ad dubium: An decretum die 16. Septembris 1721 in Panormitana ad 1 statuens quod festa ab assignata

eorum die perpetuo amota esse celebranda sine octava vel cum residuo, illius applicari debeat Festo Titularis alicujus Ecclesiae quod ob perpetuum impedimentum ab Ordinario vi decreti 22. Aprilis 1741 in Wilnensi ad VII. in diem fixum repositum fuit? Vel Titularis sic fixe translatum habeat privilegium servandi suam Octavam, uti rubrica adnotat tit. X. n. 1 his verbis: Nisi titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal J. P. 1837 p. 2191.)

14) Vesperae.

Cf.: *Vesperae.*

Abbatissa Monasterii s. Georgii ordinis s. Benedicti civitatis Patavinae pro declaratione dubii circa modum celebrandi secundas vesperas in festo s. Gregorii titularis ipsarum Ecclesiae etiam parochialis occurrentes cum primis vesperis dedicationis Ecclesiae Cathedralis S. R. C. humillime supplicante S. eadem C.: „Secundas vesperas de s. Georgio ex integro celebrandas esse cum commemoratione dedicationis Ecclesiae Cathedralis“ declaravit. N. 3949. Die 9. Augusti 1721.

TITULARIS EPISCOPUS.

1) Administrator.

Vd.: *Titul. Ep. Can.* (Pontificalia etc.); *Episcop. Titul.*

Quum sacerdotes Hieronymus Pavi praepositus in Cathedrali Liburnensi Ecclesia modo ad dignitatem episcopalem assumptus ac renunciatus episcopus Milten. in partibus administrationem obtineat dioecesis Liburnen. pro ea qua praestat religione, veretur ne quid sibi assumat ex privilegiis et honorificentiis episcopalibus sibi seu administratori non debitis, nam praepositi dignitatem adhuc retinet, neque aliquid praetermittat episcopali characteri competens ac proinde Sacrorum Rituum Congregationis sententiam super sequentibus dubiis humillime requisivit, nimirum:

1. An Epistolam pastoralem sive latine sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administrationem gregi dirigere possit?

2. An uti possit Mozzetta vel potius supra Rochettum Mantelletum tantum gestare debeat?

3. An in pontificalibus uti unice debeat faldistorio?

4. An, dum choro assistit uti praepositus prima capituli dignitas, retinere debeat primum stallum?

5. An processionibus, ut suae praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

6. An in iisdem processionibus possit interdum incedere post sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae praebendae fructibus participet?

7. An unquam Missae solemni assistere possit pluviali vel cappa indutus absque tamen circulo canonicorum vel potius requiratur ut cum mantelleto assistat ad lucrandos suae praebendae fructus? Item an in pontificalibus celebrans possit habere diaconos assistentes?

8. An episcopo administratori liceat perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum ac fontis baptismalis in Sabbato sancto, quin Missam deinde celebret?

9. An habeat usum galeri cum cordulis et floccis viridis coloris ac hujusmodi colore possint ornari equi currus?

10. An caudatarii opera uti possit

saltem dum in sacris functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam?

Et sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in ordinariis comitiis exquisito prius voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistro, omnibus maturo examine perpensis, ac referente subscripto secretario, respondendum censuit

Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative.

Ad 7. Quoad primam partem negative; quoad secundam affirmative, quoad tertiam negative.

Ad 8. Negative nam id unice competit episcopis ordinariis et quum orator praebendam retineat necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum ut enunciatae benedictiones perficiantur a celebrante.

Ad 9. Negative ad primam partem et quoad secundam recurrat ad Sacram Caeremonialis Congregationem.

Ad 10. Affirmative in casu.

Atque ita rescribere rata est ac ex alias etiam decretis declarare. Die 23. Septembr. 1848.

(Corresp. de Rome 1850 Ed. II. p. 37.)

2) Auxiliaris.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Pontificalia etc. decr. *Mediol.*)

3) Canonicus.

a) Electio in Episcopum alterius vel ejusd. Dioecesis, cujus est Canonicus.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Habitus; electio; Pontificalia etc.)

Ad dub.: An Canonicus, qui simul sit Episcopus Titularis, possit a Capitulo suae Ecclesiae Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevi eligibilitatis?

Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiae non possit in Episcopum alterius Ecclesiae eligi, sed postulari debeat, *cap. ultim. do postulat. Praelator.;* idque ex matrimonio spirituali quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevi eo quod regula de spirituali matrimonio cessat quantum ad Eqiscopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam haud habet. At contrarium et quidem jure meritoque resolvit *Christianus Thomasius* in Respons. Jur. impress. post Programmata §. 5. et plur. sequent. ea ductus ratione quod et Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevi eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiae.

b) Habit., praeced. etc.

Colonien.

Eme et Rme Dne Dne Obsme. In ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis a. R. D. subscripto prosecretario quum inter caetera relatae fuerint etiam preces Rmi Joannis Antonii Frederici Baudii episcopi Arethusini in partibus infidelium archidioecesis illius Colomensis suffraganei, ac metropolitanae Ecclesiae canonici, quibus exquirebat solutionem sequentium dubiorum nimirum:

1. An episcopus titularis suffraganeus canonicatum vel dignitatem in capitulo retinens possit retinere habitum canonicalem, vel an debeat uti habitu episcopali ordinario inter officia publica ab alio seu episcopo seu sacerdote celebrata in Ecclesia

cathedrali et in aliis dioeceseos ecclesiis?

2. An possit etiam retinere et observare ordinem tanquam canonicus in stallo, in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis, vel an debeat observare praecedentiam quae episcopo ratione suae episcopalis dignitatis competit prae omni clero superiorum ordinum?

3. An liceat ei et an possit celebrare missam cantatam de turno canonicali in propria hebdomada, ut caeteri canonici, vel an debeat ab ea abstinere et alium ad eam celebrandam substituere?

Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi memores pluries hanc sacram Rituum Congregationem et Apostolicam Sedem consuluisse, ut debitus episcopali dignitati praestetur honor et reverentia exhibeatur et novissime de anno scilicet 1833 decimo septimo calendas Aprilis et decimo calendas septembris in una Mediolanensi decretum latum fuisse a sa. me. Gregorio Papa XVI confirmatum, quo per alias decreta in re soluta fuere dubia singula ab episcopo titulari canonico metropolitanae illus Ecclesiae proposita, juxta praxim invectam, quin aliquid decernent super propositis dubiis maluerunt respondere: Super expositis scribatur Emo Card. archiepiscopo Coloniensi, eique indicetur consuetudo Ecclesiarum Urbis, suadendo, ut introducatur iterum in sua metropolitana Ecclesia, sicuti decere dignoscitur. Itaque in Ecclesiis urbis praesertim patriarchalibus haec potissimum servantur memoratis decretis apprime conformia. Episcopi titulares choro addicti adhibent et adhibere tenentur habitum ordinarium, quo utuntur episcopi in Romana Curia, id est rochettum supra subtanam et mantellctum violacei coloris: praecedunt omnibus aliis canonicis et sedent in primo stallo super omnes. In missis de turno abstinent: in solemnioribus cum indumentis pontificalibus de licentia ordinarii de distributionibus participant; et omnia episcopali dignitate competentia titularibus episcopis tribuuntur non intermisse et tributa eisdem fuisse constat etiam quando episcopi titulares non fuernnt canonicali dignitate insigniti et inter beneficiatos tantum accensebantur.

Hanc Romae et alibi religosissime servatam praxim Sacra eadem Rituum Congregatio commemorandam duxit Eminentiae vestrae, ut juxta ipsam conciliet singula et sic episcopali dignitati consulat.

Interim Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor.

Romae 10. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1852 p. 731).

c) Pontificalia exercens impedito etc. Episcopo ordinario.

Vd.: *SS. Sacrament.* (Delatio cui competit? *decr. Mediol.); Titul. Ep.* (Pontific. etc.); *SS. Viaticum* (portand. Canonicis, *decr. Mediol.*)

Mediolanen.

Emi et Rmi Patres.

Amplissimum Metropolitanae ecclesiae Mediolanensis canonicorum collegium constat dignitatibus et canonicis, uti vocant, ordinariis. Ejus capituli constitutiones veteribus, quae extabant, penitus abrogatis et omnino rescisis, condidit S. Carolus Boromaeus archiepiscopus Mediolanensis et totius Italiae legatus a latere, quas capitulum sibi ab eodem propositas libenter excepit jam inde ab anno 1572, atque inde a Friderico Boromaeo Cardinali archiepiscopo ex facultate fe. rec. Clementis VIII. Pont. Max. anno 1608 recognitas et in iis, quae fortasse deerant, absolutas per longam annorum seriem observavit et adhuc observat.

Notissimum porro omnibus est, quod

Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. 34 et alibi docet, plura scilicet per annum festa occurrere, ***in quibus decet vel episcopum solemniter celebrare, vel saltem vesperis et Missae solemniter celebratae interesse.*** In praefatis Ecclesiae Mediolanensis constitutionibus adamussim cautum est, cui is honor est missae scilicet solemniter decantandae, si vel absentia vel alio quocumque impedimento, sede quoque vacante, archiepiscopus capitularibus obeundis functionibus prohibeatur: „Archiepiscopo, en constitutionum verba, quavis causis impedito absenteve vel mortuo, quibus diebus ille missae sacrificium solemniter facere et vesperas divinave alia officia celebrare deberet, ut in tabella, quae de pontificalibus officiis et certis eorum diebus edetur, ne canonicus ordinarius, id quod antea moris erat, sed archipresbyter, quo absente aut justa de causa impedito, primicerius, deinde praepositus, post decanus, tum denique absentibus omnibus iis aut legitime impeditis, ordinarius canonicus, qui in capitulo adscriptus ac residens primum locum post dignitates obtinebit, id muneris exequetur."

Primiceriatum, qui modo tertiae modo secundae dignitatis nomine in summarii documentis appellatur (quod tamen ad quaestionem parum refert) tertiam nempe dignitatem spectatissimus D. Carolus e Comitibus Caccia Dominioni nunc obtinet, cumque is, paucis abhinc annis, effectus episcopus titularis ***in partibus infidelium*** datus fuerit Rmo D. Bartholomaeo Romilli archiepiscopo Mediolanensi in adjutorem seu, ut nuncupare solent, in auxiliarem, factum est, ut solemnioribus diebus missam in capitulo metropolitano ipse, licet inter dignitates primum locum non obtineat, vice archiepiscopi saepe celebraverit, posthabito canonico archipresbytero, qui tamquam prima dignitas primo a constitutionibus ad munus illud explendum nativo quodam privilegio destinatur. *Jam fere tribus abhinc annis*, ita reperitur in declarationibus, quae pro praefato episcopo auxiliari exhibentur „nempe a sua consecratione in episcopum Danaben. peracta die 2. decembris 1855, inter officia pontificalia, quae semper de mandato seu nomine sui archiepiscopi usque modo obivit, vires ejus multoties gessit in celebrandis missis solemnioribus in metropolitana Ecclesia et in peragendis aliis functionibus, quae juxta formam libri Caeremonialis Episcoporum ad ipsum Reverendissimum Archiepiscopum spectant, ipso aliquando praesente et assistente, nemine unquam dissentiente et capitulo semper inserviente ad normam Caeremonialis Ambrosiani etc."

Hinc, Emi et Rmi patres, hodiernae quaestionis causa exorta est. Canonicus namque D. Caesar Maria Pertusati ad archipresbyteratum, primam scilicet dignitatem, cui praefectura majoris capituli necnon animarum cura ejusdem metropolitanae Ecclesiae parochialis conjuncta est, nuper evectus per apostolicas litteras sep. cal. Aprilis 1858, supplices jam inde a mense Augusto 1858 Sanctissimo D. N. Pio Papae IX. preces exhibuit, queis humiliter postulat, ut per dubiorum, quae ab ipso proponuntur, solutionem „de júribus metropolitani capituli simul ac auxiliaris episcopi ita provideatur, ut nulla unquam disputatio oriri queat, statuatur."

Dubium:

Absente vel nolente archiepiscopo pontificalia celebrare spectatne ad capitulum, nempe ad ejus Dignitates ordine respective, hinc primo ad Archipresbyterum, vel potius ad Epis-

copum auxiliarem, esti canonicum non prima capituli dignitate praeditum?

Resp.: Antequam hujus dubii solutionem aggrediamur, nonnulla probe in antecessum animadvertenda esse existimamus, ut germanus pateat quaestionis status. Et primo hic non quaeritur, an episcopus, qui non est dioecesanus, possit aliquando, de licentia Ordinarii, solemnem missam celebrare tum in aliis ecclesiis tum in ipsa cathedrali seu metropolitana independenter a functionibus capituli. Neque item agitur de episcopo, qui in functionibus dioecesanis Missam aliquando solemniter celebret loco et vice Ordinarii impediti, quemadmodum evenire potest in synodo provinciali, ut missa solemnis de Spiritu Sancto ab antiquiore ejusdem provinciae episcopo cantetur, Caerem. Ep. lib. I. cap. 31 §. 13 vel etiam loco et vice dignitatum aut canonicorum, ad quos respective spectet, dummodo is fuerit rite urbaneque invitatus, atque id a particularibus constitutionibus non prohibeatur.

Neque etiam hic sermo est de Missis, quae dignitatem et characterem episcopalis ordinis omnino requirunt, cujusmodi esset missa pontificalis pro solemni ordinatione temporibus a jure statutis vel pro confectione oleorum sanctorum fer. V in Coena Domini, quia absque dubio ad eas functiones, impedito episcopo ordinario, assumendus est episcopus vel auxiliaris, qui ad hoc praecise ab Apostolica Sede conceditur, vel alius episcopus etiam extraneus, queis tamen ab episcopo dioecesano facultas ad id facta sit. Excipiendi tamen ab hac regula sunt sex Cardinales episcopi suburbicarii, qui ex constitutione Alexandri VII., nisi proprium episcopum suffraganeum in sua quisque dioecesi habeat aut nisi ipsi in ea commorantes ordines per semetipos conferant, ad solum Cardinalem Urbis vicarium dimittere possunt suos subditos sive sacris sive minoribus ordinibus initiandos. De his nulla excitari potest difficultas quin ab episcopo peragi possint loco ordinarii vel impediti vel nolentis.

Hinc in una Bracharen. 21. Februarii 1604 provisum est ab hac ipsa s. Congregatione, *teneri Canonicos et Dignitates episcopo suffraganeo assistere, quoties praedictas* (reconciliationes ecclesiae vel atrii, quando aliquo casu polluitur) *vel similes functiones episcopales nomine proprii archiepiscopi exercet.* Et clarius die 1. Septembris 1607: „In functionibus, quas exercet episcopus suffraganeus vel alius episcopus delegatus a proprio archiepiscopo, velut in ordinationibus clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium et ecclesiarum seu coemeteriorum et in similibus, Dignitates et Canonicos teneri assistere episcopo suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonicos, quot necessarii sunt, juxta rubricas pontificalis et formam actus, quem dictus suffraganeus exercet.“

Propterea in Caeremoniali Episcoporum ea mature praescribuntur, quae praestare debet episcopus proprius, qui velit *cum pluviali et mitra assistere missae per aliquem praelatum celebrandae.* lib. II. cap. XXXIV., n. IV., atque insuper *si forte vellet esse paratus in hujusmodi missae ab alio episcopo celebrata*, ib. cap. IX. n. VII.

Haec apposite sejungenda duximus, ne cum hodierna quaestione confundantur, in qua praecise inquirimus, quod in dubio proponitur: an scilicet iis diebus, quibus, impedito vel nolente archiepiscopo, missae solemnis aliarumque sacrarum functionum celebratio, quae constitutis ex ordine ca-

pituli dignitatibus, ut diximus, attribuitur tum a regulis generalibus, tum a peculiaribus, antiquissimis probatisque capitularibus constitutionibus, isthaec inquam sacrarum functionum ac Missae celebratio in praejudicium praedictarum dignitatum competere de jure possit dignitati posteriori, scilicet tertiae, cui aliunde nulla ratione competeret, nisi priores duae dignitates vel impeditae forent vel pro lubitu succesive cederent, ea solum de causa quod in ipsa tertia dignitate accidentaliter reperiatur qualitas episcopi titularis ac etiam auxiliaris, ad quam nuper evectus est, cum apostolica dispensatione retinendi canonicatum.

Hujusmodi quaestionis negativam proferre sententiam non dubitamus iis adductis rationibus quae sequuntur. In episcopo auxiliari canonicatum retinente tres ad rem nostram qualitates concurrunt, canonici nempe, *episcopi titularis et episcopi auxiliaris*. Atque sola qualitas canonici ea est, quae in sacris functionibus capitularibus peragendis jurisdictionem et praeeminentiam determinat: nihil vero addit neque qualitas episcopi titularis neque qualitas episcopi auxiliaris, prout distincte ostendemus, nisi accidentalem quamdam praecedentiam in assistentia chori aliisque functionibus, quae hodiernae quaestioni est omnino extranea.

Et vero juxta ipsius capituli votum *cum controversia Episcopi auxiliaris et archipresbyteri utriusque dignitates potius quam personas afficiat*, in ipso quaestionis limine animadvertere juvat quando agitur de capitulo ac capitularibus functionibus primas sibi partes jure vindicare *canonici* qualitatem. Licet enim dignitas episcopalis nobilissima quidem ac praeclarissima, dignitatem canonicalem *per se et absolute* longe antecellat, tamen dignitas canonicalis *relative* ad capitulum et capitulares functiones est *discretive* anteferenda, quia quantum ad praedictum capitulum et functiones, prima nempe episcopalis respicit actus, pene dixerim, tantum *externos et accidentales*, altera autem, scilicet canonicalis, actus *intrinsecos ac jurisdictionales*.

Et sane inter honoris, praecedentiae et praeeminentiae jura, quae episcopis absolute et per se competunt, non omnia et singula ipsis exhibentur, quando retinentes canonicatum aliquem considerantur complexive tamquam membra in corpore capituli, sed quibusdam quasi limitibus circumscribuntur.

Placet hos limites designatos inspicere in una Asculana die 10. Aprilis 1728 in causa inter Reverendissimum Jo. Philippum Conti Asculanae cathedralis canonicum auctum a Benedicto PP. XIII titulo episcopatus Erithreae et inter capitulares ubi, cum quaereretur, quomodo se gerere debeat canonicus episcopus titularis tam super modo sedendi in choro quam supra aliis praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus, ut exercitium munerum canonicalium cum episcopali dignitate concilietur, sacra Congregatio plura ibidem praescripsit, quae ad haec capita referri possunt, scilicet: *Primo* per archidiaconum sive presbyterum assistentem pacem non esse deferendam episcopo titulari antequam canonici assistentes in throno illam recipiant ab episcopo locali, eundemque episcopum titularem thurificandum esse post archidiaconum et canonicos throno assistentes. *Secundo:* canonicum episcopum titularem in missis et vesperis cantatis cum assistentia episcopi localis teneri discedere a stallo unacum reliquis canonicis pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcoporum. *Tertio:* exercente episcopo pontificalia et assistente capitulo cum paramentis sacris licere episcopo

titulari assistenti in stallo cum reliquis canonicis deferre pluviale, cum eoque posse, accedente episcopi consensu, mitram episcopalem deferre, quae tamen debet esse linea et per seipsum imponenda et amovenda a capite.

Maxime vero attenda sunt duo dubia, quae num. 7 et 8 sic fuerant inter partes concordata, scilicet:

„An liceat episcopo titulari canenti missas et vesperas uti canonico in propria hebdomada uti faldistorio et indumentis pontificalibus seu potius illas canere debeat sedendo in scamno prout practicatur cum reliquis canonicis et absque pontificalibus indumentis et quatenus affirmative ad primam partem: ac deinde, an in tali casu teneatur petere licentiam ab episcopo locali in casu?

Ex quorum dubiorum verbis ac contextu apparet sermonem ibi esse de missis et functionibus, quae canonico episcopo ex turno peragendae obveniebant. Eis autem ita respondit s. Congregatio: *Ad mentem et mens est ut in missis de turno abstineat et subroget alium, in solemnioribus vero non posse faldistorio et indumentis pontificalibus uti nisi de licentia episcopi.*

Ex his sane eruitur honoris et jurisdictionis et praecedentiae jura, quae episcopo debentur per se et absolute spectato, non eadem plane esse, quae episcopo exhibentur inter canonicos tamquam capituli membrum sacris functionibus assistenti: dum juxta proposita decreta jurium illorum usus vel prohibetur omnino vel perstringitur vel etiam archidiacono et presbytero assistenti etc. licet episcopali dignitate non auctis rite postponitur. Quapropter, ut initio proposuimus in casu nostro, sola qualitas canonicalis attendenda est ad determinandam jurisdictionem in functionibus peragendis, non vero qualitas episcopalis. Sed haec quae vix delibavimus fusiori calamo tractanda sunt.

Et quoniam aliqua praecedentiae jura episcopis titularibus canonicatum retinentibus conceduntur, de his modo distincte agendum est, ut ostendatur illa, quaecumque ea sint, referri solum ad assistentiam in sacris functionibus et ad actus quosdam accidentales, minime vero ad praecedentiam in functionibus sacris et capitularibus peragendis aut ad quoscumque actus jurisdictionales.

Non raro quidem usu venire solet, ut ex numero canonicorum alicujus ecclesiae, basilicarum praesertim ac cathedralium, aliquis existat, qui cum dignitate canonici titulum et characterem episcopi conjungat. Frequenter item atque acriter ex hac circumstantia excitatas fuisse quaestiones de praecedentia hujusmodi canonicorum supra reliquas ejusdem capituli dignitates et canonicos, quibus aliunde ratione praebendae et constitutionum erant, inferiores satis evincunt plura quae hac in re edita sunt sacrae hujus Congregationis decreta. Ex uniformibus vero, quae perpetuo prodierunt, sententiis profecto patet, s. Congregationem, quin ullum umquam capitulis praejudicium inferret quoad actus jurisdictionales, semper tamen constanterqne tenuisse sententiam, ut episcopi canonicatum retinentes quoad locum sedendi et procedendi omnes alios canonicos ipsis etiam *in canonicatu anteriores et digniores praecedant.* „Sic placere sibi dixit in Ruthenen. 24. Septembris 1603 in hoc consuetudinem trium ecclesiarum patriarchalium urbis nempe s. Joannis Lateran., s. Petri et s. Mariae Majoris, in quibus si aliquis canonicus habuerit dignitatem seu ordinem episcopalem cum retentione canonicatus, praecedit omnes alios canonicos etiam ipso in

canonicatu anteriores et digniores et ita servandam esse in ecclesia Ruthenen."

Hoc ipsum confirmatum fuit in Compostella 15. Julii 1618. Cum enim in ea ecclesia episcopus Busciae in partibus infidelium obtinuerit et habeat canonicatum et dubitatum fuerit: *In quo loco sedere debeat et quo habitu uti debeat in ecclesia?* proposito hujusmodi dubio in S. R. C. responsum exiit: „Ratione episcopatus episcopum posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in romana curia, id est rochetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis canonicis ejusdem ecclesiae et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romae, simili casu eveniente in tribus ecclesiis patriarchalibus s. Joannis, s. Petri et s. Mariae Majoris." Videsis jam in hac causa nihil omnino emergere, quod sapiat praecedentiam seu praelationem circa celebrationem Missarum sacrarumque functionum sive actuum jurisdictionalium. In dubio nihil proponitur, nisi *quo habitu uti debeat in ecclesia episcopus iste et quo loco sedere debeat,* scilicet an sedendo et extensive ad alios actus procedendo praecedentia ipsi competat supra alios canonicos ac dignitates. In responsione vero nihil aliud adjungitur, quod petitionis limites excedat, nempe praecedere debere omnibus aliis canonicis et sedere in primo stallo, ut fit Romae in tribus ecclesiis patriarchalibus, in quibus praecedentia isthaec non extenditur ad actus jurisdictionales.

In hac autem retinenda sententia tam constans fuit ac firma s. Congregatio, ut in eadem quaestione, licet ea iterum ac tertio, novis semper deductionis argumentis ex parte dignitatum et canonicorum in medium prodierit, idem semper tenuerit responsum. Hoc autem praecipue est in Majoricen. praeeminentiarum, in qua cum die 16. Decembris 1679 respondisset: „Episcopus Oropiensis, qui obtinet canonicatum in cathedrali Majoricen., praecedere debet supra dignitates et canonicos ejusdem cathedralis, proposita iterum causa die 7. Junii 1861 super declaratione praedicti decreti, iterum sententiam confirmavit respondendo: „In decisis quoad episcopum, quo vero ad archidiaconum praecedat aliis dignitatibus et occupet locum post episcopum Majoricensem immediate." Instauratis insuper tertio precibus a dignitatibus et canonicis pro recesu a decisis et declaratione, tertio respondit: *Standum esse in decisis sub diebus 16. Decembris 1679 et 7. Junii 1681.*

Haec autem sententia ut dictum est praeter actum et praecedentiam externam additne quidpiam episcopis hujusmodi quod actus jurisdictionales respiciat aut conceditne aliquid, quod jurisdictionem aliquam praelationis ipsis attribuat in exercitio sacrarum functionum? Minime quidem. Et hoc magis magisque patebit progressu disputationis.

Interim animadvertere liceat, hanc ipsam praecedentiam ut mere externam et accidentalem non procedere ex interiore rei natura neque ex juris principiis, sed ex mero exemplo consuetudinis, quae invaluerat in patriarchalibus urbis ecclesiis et quam *placere* sibi dixit s. haec Congregatio: *in iis etiam ecclesiis servari.* Ita acute observat Cardinalis de Luca lib. III. prov. II de praeem. disc. 41: „In puncto juris certum videtur quod neque dicta praeeminentia primae sedis in choro et primae antiphonae competat, sed eatenus s. Congregatio hunc habet sensum . . . quatenus ita suadeat enunciata consuetudo basilicarum urbis et praesertim Vaticanae."

Nec solum de canonicis episcopis

titularibus, sed hoc idem respondit de canonicis, qui essent episcopi titulares atque insimul suffraganei apud episcopum dioecesanum. Sic in Leopolien. proposita iterum causa hujusmodi praecedentiae inter canonicum Joannem Scarbeki episcopum Marocchiensem suffraganeum custodem ecclesiae cathedralis Leopolien. et capitulum ac decanum et alias dignitates etc. censuit die 11. Septembris 1700: „Praecedentiam competere episcopo suffraganeo licet canonico in choro processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis supra primam et alias dignitates et canonicos."

Ex his ergo decretis quae attulimus concludi posse videtur episcopis titularibus canonicatum simul retinentibus, ubicumque cum capitulo ejusque dignitatibus conveniunt et in quibusque capitularibus functionibus sive in choro sive extra chorum praecedentiam competere et primum locum deberi. Ex hac autem praecedentia et occupatione primi loci sedulo cavendum est, ne quis inferat praelationem ipsis aeque competere in cantandis missis aliisque peragendis solemnioribus functionibus absente vel impedito episcopo.

Neque de hoc dubitare licet quoad factum dum ipsi defensores contrariae sententiae ita expresse fatentur. „Praestantiores canonistas hac in controversia adivimus et plura authentica decreta S. R. C. perlegimus. Sed dum fatemur ex hisce elucere quidem praecedentiam episcoporum titularium canonicatum obtinentium non ita vero praelationem solemniora divina officia celebrandi etc.," quamquam in contradictionem lapsi continenti calamo nonnulla decreta afferunt, quibus jus illud ipsis adstruere posse existimant et simul animadvertunt ideo praelationem illam celebrandi solemniora divina officia in pluribus illis decretis non elucere, quia *nec eandem episcopi a praedicta s. C. declarari postulaverunt.* Hanc animadversionem in progressu disputationis, cum opportuna incidet occasio, remittentes, praestat nunc decreta ista expendere, quibus existimant jus hujusmodi episcopis titularibus seu auxiliaribus canonicatum retinentibus manifeste attribui. Haec objiciuntur tum a capitulo in suo voto quam a caeremoniarum magistro in suis deductionibus in favorem episcopi auxiliaris.

In voto capituli haec habentur: „Sacra tamen Congregatio praecedentiam et praelationem episcoporum titularium decretis complecti voluisse videtur, quae servari mandavit in cathedrali Ragusina et Leodien. Sic porro censuit in Ragusina die 22. Junii 1594: Episcopus titularis canonicatum obtinens debet praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia."

Peremptorium sane argumentum si decreti verba accipiamus uti venditantur. Verum videnter asserimus, neque ex aliis quae objiciuntur et quae ad examen revocabimus non modo nihil confici posse contra nostram sententiam, sed potius mirifice eam confirmari. Et sane ut rem aggrediamur monendum *primo* est, decretum illud Ragusin. non extare neque in titulario S. hujus Congregationis neque in collectione authentica Gardelliniana; *Secundo*: auctoritate Pii VII. fel. re: cautum fuisse decreta quaecumque, quae in ea collectione non extant in controversiis dirimendis vim nullam habere. En verba quae prostant in decreto, quo facultas fit edendi eam collectionem decretorum S. R. C. cum privilegiis etc. „Voluit autem (Eminentissimus praefectus ex facultatibus sic datis a Pio VII.,) ut in judiciis et in quacumque dirimenda controversia

illorum tantummodo decretorum auctoritas valeat, quae in hac editione (Gardelliniana) a se permissa et approbata atque secretarii S. R. C. manu subscripta continentur." Die 1. Junii 1808. Ergo etsi admittatur existentia ejus decreti, quod unicum esset oppositum innumeris contrariae sententiae decretis, non valeret tamen ejus auctoritas in hac quaestione definienda, quia non extat in collectione authentica Gardelliniana et quodcumque illud sit, manet in sua privata, ut ita dicam, auctoritate.

Nunc vero intrinsecum ejus decreti subjectum attingere volentes duo pariter inquirimus: *primo* cujusnam decreti sunt verba illa citata et tamquam authentica duplicatis virgulis distincta? Desumpta quidem sunt a D. Bonix in tract. de episcopo tom. I. pag. 493, sed verba sunt Lucii Ferraris in sua bibliotheca canonica V.: episcopus art. 7. n. 34, qui non decreti alicujus authentica verba proferens, sed sententiam suam verbis exprimens sic ait: „Episcopus titularis canonicatum obtinens in ecclesia cathedrali potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in romana curia, hoc est rocchetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris; s. Congr. Rit. in Compestellana 15. Julii 1617. Et debet praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia: Sacr. Congr. Rit. in Ragusina 22. Junii 1594, in d. Compestellana 15. Junii 1617 et in Calaguritana 13. Nov. 1621." (sed verius Calaritana).

At undenam quaeso Ferrarius verba illa tam peremptoria desumpsit quoad functiones cantandi missas et omnia alia? Num ex aliquo repertorio aut miscellaneis indigestis? Allegat ipse decreta Ragusin., Compostellan. et Calaritan. At ex decretis Compostell., quo superius pro nostra sententia usi sumus, et Calaritan., de quo sermo redibit, nil aliud deduci posse certum est, quam praecedentiam honoris assistendo in choro aliisque functionibus episcopis titularibus deferendam esse, minime vero praelationem in missis cantandis sacrisque functionibus peragendis. Ad Ragusin. vero quod attinet, utemur eo ipso documento, quod nobis exhibet (non enim in authentica collectione reperitur) ipse caeremoniarum magister in fol. separato in supplemento suarum deductionum: „Ad aures Emmorum Patrum s. Congregationis pervenit, quod dignitates et canonici metropolitanae Ragusinae haesitent an ipsi episcopis suffraganeis vel exteris supplicationibus vel divinis in choro praesentibus digniorem locum deferre teneantur sitque ab ipsis par obsequium vicario generali exhibendum. Et S. Rit. C. dignitatibus et canonicis praefatis praesenti decreto significandum duxit, quod episcopis exteris pluviali et mitra redimitis ipsi tametsi sacris induti digniorem locum semper deferre tenentur nec diversam disciplinam cum iisdem episcopis sacris non redimitis ipsimet choralibus amicti indumentis servare debent. Verum ipsos sacris indutos nequaquam debere digniorem locum vicario generali non episcopo deferre et contrariam consuetudinem, si quae extet, abrogandam sacra eadem Congregatio declaravit nec non dignitates et capitulum praefatum admoneri praecipit, ut sicut obsequentissimos S. C. filios decet sese posthac ostendant hisce et ante actis decretis observatores quam religiosos. Die 10. Aprilis 1718.

Age nunc: singula haec aequo animo expendamus. Quid quaeso postulant dignitates et canonici metropolitanae Ragusinae aut in quo haesitant?

An ipsi episcopis suffraganeis vel

exteris supplicationibus vel divinis in choro praesentibus digniorem locum deferre teneantur sitque ab ipsis par obsequium vicario generali exhibendum? Estne in dubio in petitione aliquid quod respiciat praelationem in peragendis solemnioribus functionibus missisque cantandis? Nihil porro; sed dubitatur tantum et quaeritur de digniori loco deferendo episcopis suffraganeis vel exteris, qui tam supplicationibus, quam divinis in choro praesentes sint seu assistant, id est an episcopis istis supra canonicos et dignitates debeatur praecedentia tum sedendi tum procedendi in sacris functionibus tam in choro in divinis quam extra in supplicationibus. Quid respondit S. R. Congregatio? nihil certe supra vel ultra petitionem et dubium. Respondit ergo quod dignitates et canonici in sacris functionibus digniorem locum episcopis etiam exteris deferre debeant hoc ordine; nempe si ipsi sint sacris induti digniorem locum cedant episcopis pluviali et mitra redimitis, si vero choralibus tantum indumentis amicti sint, cedant episcopis etiam sacris non redimitis. Poteratne quidpiam clarius afferri ad nostram sententiam confirmandam?

Verum hic modo oriri potest scrupulus. Decretum hoc Ragusin. quod exsolvimus est diei 10. Aprilis 1718 cum aliud a capitulo objectum et a Lucio Ferraris mutuatum sit diei 22. Junii 1594. Posset certe antiquius decretum esse a recentiori diversum et ad tuendam causam episcopi auxiliaris magis accommodatum. Assentimus libenter antiquius decretum posse esse ab hoc recentiori diversum. Sed ut certa fieri possit collatio et dari adaequata responsio opus esset utriusque decreti authentica verba prae oculis habere. Itaque hoc unum animadvertimus: Si germana et genuina sententia antiquioris decreti ea esset, quam exhibent adversarii, nempe „ut episcopus titularis canonicatum obtinens debeat praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum *quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia*“, viguisset certe observantia ejus decreti, quod S. R. C. servari mandavit, in cathedrali Ragusina jam inde a die 22. Junii 1594 et consuetudinem constituisset duobus saeculis antiquiorem quando novum decretum editum est die 10. Aprilis 1718. Jam vero posita centenaria illa consuetudine quomodo poterat canonicis et dignitatibus metropolitanae Ragusinae dubium oriri et haesitare an episcopi hujusmodi *digniorem* tantummodo *locum* deferre ipsi tenerentur? Haec quidem nos inducunt, ut credamus, consuetudinem illam non extitisse neque decretum apertissimis illis verbis conceptum „aut „si quae extet“ (verba sunt recentioris decreti) eam abrogandam“ S. Congregatio declaravit.

At pergunt redactores ejus voti alia decreta seu exempla afferentes: „Eadem S. R. C. declaravit in Leodiensi die 1. Decembris 1657 episcopo titulari aeque ac episcopo de residentia praelationem et obsequia deberi eumque propterea caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse: ut si in omnibus episcopus titularis praeferendus est ergo in solemnioribus etiam quibuscumque divinis officiis celebrandis. Decretum hoc pro Leodiensi confirmatum postea fuit pro Comensi episcopo a S. R. C. die 10. Febr. 1753.“

Verum si decreti verba expendamus uti sonant non aliam praecedentiam exhibent quam honoris et obsequii, quae debetur episcopis titularibus dum sacris functionibus tam in choro quam extra assistunt. At perspicaciores redactorum oculi S. R. C. mentem pe-

nitius introspicientes vident praelationem *in solemnioribus quibuscumque divinis officiis celebrandis in illis decreti verbis praeferendam esse.*

Quaestionem dirimat ipsa dubii expositio S. R. C. proposita, quae sic habetur in authentica collectione: Joann. Antonius episcopus Dionysien. suffraganeus episcopi Leodien. declarari postulavit: An ipsi episcopo suffraganeo vel praeposito et decano primis ecclesiae cathedralis Leodiensi dignitatibus *praecedentia competat?* „In hoc certe de alio non quaeritur nisi de simplici praecedentia. Sacra autem Congregatio responsionem non extendit ultra quaesitum et dubium. Ergo verba decreti accipienda sunt de simplici praecedentia, prout exposuimus, eo vel magis, quod S. Congregatio, quando his aut similibus verbis utitur, constanter et firmiter de sola praecedentia in assistendo loquitur, ut magna adducta decretorum congerie ostendi posset et satis eruitur ex iis, quae attulimus quaeque in posterum afferemus. Quando aliter vult intelligi clariora adhibet verba ut: *missas cantare, divina officia celebrare etc.*

Quod si sententiae suae vim ex iis verbis deducere velint *episcopo titulari aeque ac episcopo de residentia praelationem et obsequia deberi* intelligendo praelationem hanc et obsequia ultra simpliciter praecedentiam honoris et obsequii eamque extendendo ad jus praecedendi etiam quoad actus jurisdictionales supra caeteras omnes dignitates episcopali inferiores argumentum nimis probaret. Tantam enim eis concederet praelationem jurisdictionis supra illas dignitates, quantam habet Episcopus de residentia atque essent quoad haec exercitium jurisdictionis ferme ut totidem episcopi dioecesani. Quod absurdum cum sit admitti nequit, ideoque verba illa sunt temperanda seu potius juxta mentem S. Congregationis accipienda, quam multoties constanter aperuit in sexcentis decretis: quod nempe respectu dignitatis episcopalis et honoris causa omnia alia Capituli membra debeant Episcopis hujusmodi capitulari cuiquam functioni praesentibus et assistentibus primum stallum cedere et *ubique* sive in choro sive extra et in *omnibus* sive divinis officiis sive supplicationibus primum locum id est praecedentiam deferre., Clarior res fiet, si decreti, quod mancum mutilumque prolatum est, integrum contextum consideremus. Sic enim habet:

„Et eadem S. R. C. Episcopo titulari aeque ac Episcopo de residentia praelationem et obsequia deberi respondit. Siquidem etsi divisae sint sedium sortes, tamen praesulum jura semper eadem permanent. Cum utique detur catholicae religionis vim actui non autem habitui potestatis et jurisdictionis inferre, qua fraudetur episcopalis dignitas, non minuitur ac propterea Episcopum oratorem caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse declaravit.“

In hoc decreto S. C. ut ostenderet Episcopo hujusmodi obsequium honorem et praecedentiam deberi supra omnes Capituli dignitates voluit argumentum deducere ab intrinseca episcopalis ordinis seu characteris dignitate, ostendens Episcopos titulares, licet jurisdictionis exercitium actu non habeant, imminutos tamen non esse jure habituali sui ministerii et dignitate episcopali: „etsi divisae sint sedium sortes, tamen praesulum jura semper eadem permanent.“ Quod si infideles, in quorum partibus esset Episcoporum titularium residentia et jurisdictionis exercitium, actum impediunt et fraudant episcopalem dignitatem, habitum tamen potestatis et jurisdictionis auferre nequeunt neque episcopalem dignitatem

minuere. Ergo comparationem instituens inter Episcopos titulares et Episcopos de residentia asserit ac declarat, *illis,* licet actuali jurisdictione carentibus, praeditis tamen potestate et jurisdictione habituali et dignitate episcopali, *aeque ac istis,* qui, de residentia cum sint, habent liberum suae jurisdictionis exercitium, „obsequium et praelationem deberi et caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus esse praeferendos; non utique veluti ad exercitium actuum jurisdictionalium, quod deplorat vim pati ab hostibus catholicae religionis, sed relate ad honorem debitum episcopali dignitati, quae non minuitur. Ergo loquitur de simplici praecedentia honoris, dum choro, divinis officiis, missis et supplicationibus assistunt, non de praelatione in functionibus quibuscumque peragendis actibusque jurisdictionalibus exercendis et hoc adamussim consonat cum petitione ac dubio praeposito:

An ipsi Episcopo suffraganeo vel .... primis Ecclesiae Cathedralis Leodiensis dignitatibus praecedentia competat? et cum responsione S. C.: „Episcopo titulari aeque ac Episcopo de residentia praelationem et obsequium deberi .... ac propterea Episcopum oratorem caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus esse praeferendum.“

Nec quidquam roboris accedit eorum sententiae ex decreto pro Episcopo Epihaniae in Comen. die 10. Februarii 1753 postremo loco adducto, quo confirmari autumant decretum Leodiense. Imo Decretum Comense accipiendum esse juxta Decretum Leodiense, quod modo exposuimus, manifestum fiet ex simplici relatione documentorum, quae ita extant in collectione n. 4082: „Comen. Emmi et Rmi Signiori. Gio Battista Pellegrini vescovo di Epihania in parti d'infideli, e Canonico della chiesa cattedrale di Como expone divotamente all' EE. VV. che per acquietare li canonici della medesima cattedrale, quale credevano non doversi alli canonici vescovi la precedenza tanto in coro quanto nelle altre funzioni, e perciò neppure all' oratore, supplica l' EE. VV. per una benigna dichiarazione, e sotto li 22. Aprile 1752 si degnavano di rescrivere: *Dentur decreta,* in vigore di che riportò il decreto del tenore seguente: *Compostellana.* Omittimus tenorem decreti, quod habetur, suo apte loco sub die 15. Julii 1617. A questo decreto si acquietarano li canonici e semplici, ma non li canonici che sono dignità, rilevando forse che non sono essi letteralmente compresi nel detto decreto, massime, perché nelle chiese patriarcali di Roma, la di cui osservanza nel medesimo decreto si allega, non vi sono dignità, come nella cattedrale di Como; perciò l'oratore supplica umilmente l' EE. VV. a volersi degnare di dichiarare, se tra i canonici e nel predetto decreto di Compostella s'intendando, in questo caso compresi anche li canonici che sono dignità della medesima chiesa, talché debba il vescovo e per conseguenza l'oratore precedere tanto in coro quanto in tutte le altre funzioni a tutti li canonici e dignità dell' istessa chiesa, che della grazia etc.“

„Facta per me secretarium relatione de suprascripto supplici libello Rmi Joannis Baptistae Pellegrini Episcopi Epiphaniae et Canonici Ecclesiae Cathedralis Comen. S. eadem C. die Februarii 1753 rescripsit: *Detur decretum in Leodien. tenoris sequentis.*

„*Leodien.* Omittimus tenorem decreti quod legitur suo apte loco sub die 1. Debembris 1657.“

Non est cur in hujus decreti expositione diutius immoremur. Tota responsionis vis remittitur ad decretum

Compostellanum, quod superius pro re nostra attulimus, et ad Decretum Leodiense, quod mox explanabimus. Animadvertimus tantum ex supplici libello Episcopi Epiphaniae et reiteratione precum patere quaestionem tantum esse de simplici praecedentia, non de quocumque alio jure praelationis in peragendis functionibus.

Aliud demum decretum in favorem Episcopi auxiliaris affert Caeremoniarum magister in suis deductionibus inquiens: „Verum tamen mihi videtur quod jam satis alias sit provisum a S. R. C.: Nam die 13. Novembris in Calaritana n. 359 (rectius n. 459) sic decrevit: In choro, capitulo, processionibus aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam competere censuit S. R. C. coadjutori Episcopi Calaritani, qui in eadem Ecclesia Calaritana canonicatum obtinet.“ Hoc etiam decretum affert Barbosa cap. 36. de Canonicis simul et Episcopis titularibus sub num. 5.

Quod quidem decretum nihil novi exhibere, quod alias non sit explanatum, et de simplici praecedentia agere quae Episcopis titularibus canonicis supra reliquas dignitates debetur, prout alias vidimus, ex ipsa decreti lectione manifestissime patet. At ex eo ita deducit argumentum ipse Caeremoniarum magister. Quid sibi velint haec verba: „*aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam competere*; mihi videntur explicare actiones omnes ecclesiasticas ac praesertim in praecipuis solemnitatibus missas cantare ritu pontificali ad praescriptum Caeremonialis Episcoporum et de licentia semper, saltem praesumpta, proprii ordinarii loci, cum una vice pro semper data sit.“

Totam deducti argumenti vim in iis vocibus collocat *aliisque actibus*. Fatemur equidem non satis patere rationem cur voces illas tam libere detorqueat ad jus praelationis in missis cantandis caeterisque sacris functionibus peragendis, et quomodo in iisdem oculis prospiciat adjuncta tot ac tanta, nempe praecipuas solemnitates, ritum pontificalem, Caeremoniale Episcoporum, licentiam praesumptam Ordinarii, unam vicem pro semper etc., cum tam prona sit ejus vocis explicatio, quae non aliud importat nisi *singulas actiones capitulares* sive missas et divina officia in choro sive processiones extra chorum sive comitia in capitulo, in quibus actionibus singulis, quaecumque illae sint, quae a capitulo peraguntur, semper competit Episcopo titulari praecedentia honoris et obsequii tam in sedendo quam in procedendo.

Colligentes modo quaecunque decreta, quae ab adversae partis patronis producuntur sive Ragusin. sive Leodien. sive Comen. sive Calaritan., et recolentes rationes, quas in iis declarandis et dilucidandis adhibuimus, jure optimo concludi posse videtur, quod fidenter proposuimus, ex his decretis sententiam nostram non infirmari, sed validius roborari. Ea enim omnia, sicut et caetera a nobis allata ostendunt, praelationem seu praecedentiam omnem, quam Episcopis titularibus decernunt, versari tantum in *assistendo* functionibus tam in choro quam extra, minime bene vero in jure praelationis in missis cantandis seu *functionibus ipsis peragendis*. Et quaecumque alia poterunt pro contraria sententia afferri decreta, hac distinctione, quam statumus, explicantur simul atque explanantur.

Age, nunc alia in medium proferamus decreta inter quae nonnulla occurrunt, in quibus jus illud praelationis in

functionibus peragendis positive excluditur, quae dum clarius aperiunt mentem S. hujus Congregationis simul et viam sternunt ad aliud argumenti genus, quod dicunt *a simili* ab ipso Vicario generali Episcopi desumptum.

Vicarius generalis simul ac constitutus est in officio, generatim loquendo, evaditus ordinaria Episcopi jurisdictione et si graviores quasdam causas excipias, uti matrimoniales, criminales, collationem et erectionem beneficiorum, convocationem synodi et alia quae caventur in jure, de caetero unum idemque tribunal cum Episcopo constituunt, ita ut neque liceat a Vicario generali ad Episcopum provocare. Et tamen licet Vicarius generalis, quibusdam exceptis, unam habet eamdemque cum Episcopo jurisdictionem, conceditur quidem ipsi praecedentia in assistentia chori, ferme ut Episcopis titularibus, sed praelatio in divinis officiis sacrisque functionibus peragendis non item, quamquam sit ipsi de gremio capituli, quippe hae absente Episcopo vel impedito ad solas dignitates et Canonicos respectivo ordine reservantur.

Et hoc cautum semper fuisse ab hac S. Congregatione patet ex pluribus decretis, quibus locus in choro et aliis functionibus datur Vicario generali, dummodo Canonici non sint sacris paramentis induti et dummodo, si de numero Canonicorum ipse sit, amittat distributiones quotidianas, quibus lucrandis debet incedere et sedere in loco seu stallo suae receptionis. Audiatur pro omnibus decretum die 5. Julii 1614 in causa Casalen. in qua S. C. censuit:

„Non esse recedendum a decretis alias in similibus causis factis, nempe praecedentiam dandam esse Vicario generali super omnes Dignitates et Canonicos dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum Dignitatum et Canonicorum, quia tunc deberet incedere et sedere in suo loco sive stallo ut distributiones quotidianas lucrari possit, et dummodo Canonici non sint sacris vestibus parati, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem Canonicis paratis.“ Quod confirmavit die 27 Februarii 1847 in una Tranen. his verbis: „Juxta alia decreta Vicarius generalis in choro et in habitu vicariali omnibus etiam non paratis praecedet, excluso tamen hebdomadario.“

In qua praecedentiae praerogativa hoc unum discrimen est inter Episcopum et Vicarium generalem, qui sint Canonici, ut uterque gaudeat supra Dignitates et Canonicos praecedentia, ita tamen ut distributiones quotidianas Episcopus percipiat, Vicarius vero amitttat.

Si autem haec praecedentia ad missas etiam solemnes aliasque episcopales functiones extendi posse aliqua ratione videatur absente vel impedito Episcopo, id certe fieret cum Vicariis generalibus, attenta ordinaria jurisdictione, qua una cum Episcopo ii praediti sunt. Id tamen negatum semper est et ad Dignitates et Canonicos tamquam jure quodam proprio ac nativo semper declaratum est pertinere et hoc est, quod probamus argumentis seu decretis positive et explicitis verbis rem declarantibus. Super quo dolendum est excidisse e tabulario Sacrae Congregationis decretum in Brundusina sub die 2. Martii 1602, quo primum declaratum fuit „ut omni tempore tam absente quam impedito Archiepiscopo et sede vacante, ad dignitates non autem ad Vicarium, etiam quod sit de gremio capituli, pertineat dictas missas (quae ad Episcopum spectant) celebrare.“

Sed licet exciderit, indubium tamen

de eo extat testimonium in duabus aliis Brundusinis, altera nempe 25. Januarii 1603, qua declaratur „debere Vicarium obedire decreto jam super hoc facto, et quatenus recuset, cogendum esse remediis opportunis coram auditore camerae"; altera clarius et latius 11. Julii 1605, quo illud ipsum decretum deperditum commemorat: „Decretum alias factum sub die 2. Maii 1602 pro Archidiacono, Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Brundusinae, quod ad ipsos non autem ad Vicarium generalem spectet celebratio missarum et aliarum functionum ecclesiasticarum absente vel impedito Archiepiscopo, habere locum tam sede vacante quam plena." Aliud quoque decretum in Neritonen. sub die 25. Februarii 1605: „Missas solemnes, processiones, officia divina et alias similes functiones, quas faceret Episcopus, si praesens esset et ad ipsum pertinent, Episcopo absente, non ad Vicarium sed ad Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae pertinere successive et non alternatim, id est, si Episcopus praesens non erit, prima dignitas celebret vel officium faciat, quod ad Episcopom praesentem pertineret, et ea impedita vel absente, succedat secunda dignitas et secunda impedita tertia et omnibus dignitatibus impeditis vel absentibus primus Canonicus id exequatur et sic per ordinem successive faciendum esse." Quae omnia breviori formula confirmat decretum in Neocastren. 16. Januarii 1607: Non ad Vicarium sed ad primam dignitatem pertinere et alias functiones facere, quas si praesens esset, Episcopus faceret."

Doctrinam hanc ex his aliisque decretis collectam ita tuetur Cardinalis de Luca et consonam judicat principiis juris, ut ab ea recedi non posse doceat, etiamsi Episcopus aliter statuere voluerit: en ejus verba loc. cit. n. 7.: Passim decisum est per S. Congregationem, Vicarium capitularem non posse in hujusmodi functionibus (pontificalibus et majoribus) se ingerere in praejudicium primae dignitatis, quinimo neque Vicarium generalem, etiam ita expresse demandante Episcopo, qui desuper statuendi potestatem non habet."

Profecto de his decretis et declarationibus S. Congregationis satis elucet quod proposuimus, quod nempe Vicario generali tum tribuitur praecedentia honoris in choro et extra, cum sacris functionibus existit, eidem tamen discretissimis verbis denegatur praelatio in earumdem functionum celebratione. Imo in eadem illa praecedentia *loci* et *stalli*, quae ei conceditur supra ipsas *dignitates*, excluditur hebdomadarius, ut in decreto Tranen. sup. cit. monemur, ne scilicet per hanc praecedentiam ullum inferatur praejudicium canonico functiones peragenti. Jam vero ex hoc manifeste patet, quae sit mens sacrae hujus Congregationis cum concedit Episcopis titularibus praecedentiam illam, de qua supra egimus, atque ita a majori ad minus argumentari licet. Si enim in Vicario generali, qui in jurisdictione ordinaria est unum quid cum Episcopo, praecedentia, quae ipsi tribuitur in choro et extra supra reliquos Canonicos et Dignitates, intelligenda est de sola assistentia, neque extendi potest ad praelationem aliquam in sacris officiis peragendis, quia haec, ut vidimus, apertissimis verbis excluditur, multo minus extendi potest ad actus quospiam jurisdictionales in sacris functionibus exercendis praecedentia illa quae tribuitur Episcopis mere titularibus ast etiam auxiliaribus canonicatum retinentibus, qui ab omni jurisdictione ordinaria Episcopi dioecesani sunt prorsus extranei.

Sed ut magis adhuc doctrina iste

evolvatur magisque pateat ratio, cur Vicarii generalis praelatio adeoque et Episcoporum titularium in actibus jurisdictionalibus capituli et in sacrarum functionum exercitio admittenda non sit, praestat laudati mox Cardinalis De Luca auctoritatem afferre qui loc. cit. de praeem. disc. XLI., n. 14.

„Idem comprobatur clarius ob generalem praxim et observantiam universae Ecclesiae catholicae pluries canonizatam aut demandatam per istam sacram Congregationem (Rituum) occasione Vicarii generalis Episcopi, quoniam, licet ille juxta magistrale cons. 21. Abbat., quod S. Congregatio sequitur, occupet primum locum in choro etiam supra primam dignitatem juxta plures declarationes relatas a Barbosa in summ. apost. decis. collect. 714., Gratian. discept. 111. cum aliis deductis in hoc tit. de praeem. disc. 18., attamen non exinde Vicarius etiam Episcopo concedente ac demandante praetendere potest ut sibi competant functiones episcopales, qui faciat in capitulo primam figuram non quidem accidentalem, sed fixam, ut in Leodien. Abbatissatus 3. Junii 1643 coram Ghislerio, ut advertitur tit. de praemin. disc. 17., num. 7. Atque docet notaria praxis generalis et per consequens non bene a loco digniori in choro inferri potest ad hujusmodi functiones vel actus capitulares.“

Jam vero haec omnia simul complectentes veritas nostrae sententiae elucet non modo, quia dum praecedentia asseritur Episcopo titulari supra reliquas Dignitates, non adstruitur praelatio in jure peragendarum functionum, quinimo contrarium apparet ex analago contextu tam petitionum seu dubiorum quam responsionum, ut supra vidimus, sed etiam quia in iis, quae attulimus de Vicario generali, ea praelatio positive excluditur. Unde concludere jure possumus, totam praecedentiam, quae Episcopis titularibus defertur, consistere in occupatione primi loci tam sedendo quam procedendo in omnibus locis, ubi Capitulum convenit, et in omnibus functionibus capitularibus; minime vero in actibus jurisdictionalibus, neque in jure succedendi Episcopo absenti vel impedito in sacris functionibus celebrandis, quod suapte natura devolvitur ad primam Capituli dignitatem.

Si quis autem hujus rei rationem nosse desideret, eam facile inveniat, si parumper consideret, functiones pontificales, quae ex decreto S. C. in una Andrien. 3. Decembris 1672, absente vel impedito Episcopo ad primam dignitatem, sub hoc respectu ad eam pertinere, quia absenti vel aliqua quacumque de causa impedito Episcopo de jure et directe succedit Capitulum seu, quod idem est, jus illud Episcopi, (qui simul cum Capitulo Ecclesiam cathedralem tamquam unum corpus constituit) devolvitur ad universum corpus Capituli, quod cum non possit per se et complexive explicare actus, qui sunt individuales, ejus loco et nomine ii actus exercentur ab eo, qui in eo corpore est primus ratione capitulari vel hoc impedito successive ab aliis.

Theoriam hanc perbelle evolvit idem Cardinalis de Luca loc. cit. num. 15.: „Habet id, inquit, claram rationem pluries insinuatam d. tit. de praeem. episc. 19. n. 11. et disc. 20. n. 12. et alibi pluries, quod scilicet istae functiones vel actus non fiunt ab illa persona ex jure singulari vel ex persona propria, sed habitualiter fieri dicuntur ab universo corpore Capituli vel Collegii vel ab omnibus Capitularibus et Collegialibus, quorum vice ac nomine illi actus individui, quos impossibile est explicari ab ipso corpore,

sed pernecesse explicari debent ab una persona in solo actu vel exercitio, explicantur per illum, qui in eo corpore est primus ratione qualitatis capitularis vel collegialis, non autem ob aliam extrinsecam et accidentalem qualitatem.“ Optime ad rem nostrum argumentum hoc auctoritate sua confirmat Andreucci de Vicariis basilicatum urbis §. V. n. 48. his verbis: Functiones istae solemniores si non fiant ab Episcopo pertinent privative ad Capitulum et sunt exercendae ab eo, qui principatum habet in Capitulo ratione qualitatis capitularis, non autem ob aliam extrinsecam et accidentalem qualitatem.“ Cum itaque Episcopus auxiliaris (liceat mihi conclusionem auctoris praestantissimi pro Vicario generali ad Episcopum auxiliarem applicare) „non habeat primatum in Capitulo, propterea ad ipsum non spectant tales functiones pro casu, quo ab Episcopo non fiant.“

Quod simplici quidem sed concinna similitudine Emmus auctor illustrat, quam a consuetudine et praxi pene quotidiana desumit: „Habemus, inquit generaliter in omnibus iis materiis et praesertim in praeeminentiis competentibus ratione jurispatronatus vel ratione dominii alicujus castri pertinentibus ad omnes de aliqua familia vel de aliquo genere, quoniam retinere claves castri, recipere primam candelam vel primam palmam aliaeque similes praeeminentiae exercibiles per unum tantum, pertinet ad natu majorem sive ad eum, qui habet in familia primatum ratione aetatis vel primogeniturae, non curato, quod alii de corpore familiae vel de genere habent majorem accidentales dignitates, quoniam attenditur primatus fixus et proprius ex sola ratione familiae, cui haec jura competunt.

Haec fusius fortasse tractavimus quam poscere videretur necessitas, quod ideo praestitimus, ut et clarius luce pateret, quod decretis et declarationibus S. haec Congregatio mentem suam constanter aperuit et quot quantisque rationibus ex intrinseca rei natura petitis sententia nostra fulciatur. Certe si uno vel altero exemplo definienda res erat, non aliud quidem eligendum fuerat, quam quod nobis exhibet Neapolitana praeeminentiarum *pro primicerio Ecclesiae Metropolitanae cum canonico Episcopo titulari.* Haec quippe et valde consimilis est hodiernae quaestioni, et, cum pluribus repetitis instantiis pluribusque declarationibus absoluta fuerit, occasionem habuit priora decreta, quae in eo casu edidit, apertius declarandi et mentem suam aperiendi sequentibus aliis in eadem causa decretis, quid senserit in prioribus illis locutionibus, ut ita dicam, communibus, quas ipsa pro se oblata occasione interpretatur. Hoc itaque exemplum postremo loco afferemus, ut seriem demonstrationis ex decretis petitae veluti sigillo obsignemus simulque occasio nobis paretur demonstrandi quod promisimus, nempe quam falso asserant contrariae sententiae Patroni, Episcopos titulares praelationem illam jurisdictionalem a *praedicta S. Congregatione declarari,* non postulasse.

Evecto altero ex Canonicis Metropolitanae Neapolitanae ad dignitatem episcopalem cum titulo in partibus infidelium et cum retentione canonicatus orta est statim et vehementer exarsit quaestio de praecedentia, quam sibi deberi etiam supra primicerium, qui est dignitas Capituli, Episcopus titularis defendebat et S. C. respondit die 3. Decembris 1672: Quod eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus „Neapolitanus Episcopus titularis, quibus Canonici, qui sunt canonici Episcopi tam in basilica s. Petri, quam in

basilicis de urbe, qui praesunt caeteris Canonicis et jam antiquioribus et fruuntur quavis majori praeeminentia non solum in choro recipiendo primas antiphonas, sed in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contigit.“ Obstitit Canonicus primicerius huic declarationi et opposuit sibi competere praefatas praerogativas et praeeminentias supra dictum canonicum Episcopum titul. et S. C., utraque parte informante, respondit die 6. Maii 1673: „Competere praenotatas praerogativas et praeeminentiam dicto canonico Episcopo titulari in omnibus actibus, ubicumque convenire contigerit etiam supra praefatum primicerium ejusdem Cathedralis.“

Profecto ex simplici inspectione seu lectione horum decretorum, in quibus habemus collectas omnes ferme locutiones et phrases, quae in aliis decretis supra allatis sparsim continentur, quis non deduceret cujuscumque generis praelationem non solum honoris et obsequii, sed etiam praelationis in functionibus peragendis aliisque actibus jurisdictionalibus exercendis? Conceditur enim ipsi Episcopo titulari „ut praesit omnibus Canonicis etiam antiquioribus, ut fruatur quavis majori praeeminentia in choro, in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contigerit, in omnibus actibus etiam supra praefatum primicerium etc.“ Quis, inquam, has expressiones non extenderet ad sensum contrariae sententiae, quemadmodum oppositores alias reapse praestiterunt? Nos autem expressiones hujusmodi ad solam praecedentiam honoris et obsequii restrinximus excludendo quamcumque praelationem in missis solemnioribus cantandis sacrisque functionibus peragendis loco Episcopi absentis vel impediti. Hanc autem semper fuisse S. C. mentem satis ostendimus et dissertissimis verbis Sacra ipsa Congregatio, quid per duo priora decreta modo exposita senserit, in hac causa declarat, enixe postulantibus tam canonico Episcopo titulari quam canonico primicerio.

Et sane utraque pars una cum Capitulo sex dubia concordavit, ex quorum solutionibus apertissime declaretur mens S. hujus Congregationis die 12. Augusti 1673, ex quibus eas seligemus quae ad rem nostram pertinent.

1. Episcopo canonico titulari praedicto sedenti super omnes etiam supra primicerium non debetur aliqua thurificatio differentialis dignior illa, quae praestatur primicerio et aliis dignitatibus et Canonicis, sed venit thurificandus sicut ipsemet primicerius et caeteri Canonici thurificantur, nempe pari ictu thuribuli.“

2. „Ad dictum Episcopum per praeeminentiam in sedendo non spectat peragere functiones proprias primicerii, quas (ipse primicerius) prius agebat ut primus in choro, sed hoc munus explendi spectat ad eumdem primicerium.“

3. Per praeeminentiam in sedendo debitam eidem Episcopo non est praejudicatum primicerio in recipiendo vota Canonicorum capitulariter congregatorum, quoad capitulares resolutiones, jura convocandi et similia quae pertinent ad primicerium.“

4. Cum Capitulum congregatur in peragendis capitularibus negotiis, sedentibus Dignitatibus et Canonicis in suis stallis, expleta propositione, elevantur quatuor de Capitulo, capita ordinum nuncupata, quorum primus est primicerius, et secretarius capituli elevatur, consistunt in medio cum sedibus coramine coopertis, primicerius legit vota, secretarius scribit. Et praetendente dicto canonico Episcopo titulari, ut supra, intervenire et sedere in prima sede ex illis positis in medio, idem

Episcopus canonicus hoc facere non potest, neque debet."

Et quamquam, instantibus iterum partibus competentibus et Capitulo die 3. Martii 1674 dilata fuerit resolutio et suspensae ipsae resolutiones praedictae diei 12. Augustti 1673 usque ad meliorem resolutionem, tamen proposita iterum causa diei 14. Aprilis 1674 exposita tota serie decretorum, instante Capitulo pro reformatione et renovatione respective praedictorum sex dubiorum et primicerio viceversa non esse recedendum a praedictis resolutionibus ad ejus favorem captis, S. C. utraque parte bene informante respondit: „In decisis sine praejudicio litis pendentis in Rota quoad articulum primae dignitatis et quoad 5: praedictum Canonicum titularem non lucrari distributiones nisi assistat in stallo canonicali" quae verba postrema ad nos non pertinent. Sed priora quae respiciunt articulos supra recensitos, qui quaestionem nostram praecise attingunt, ostendunt, quam constanter S. C. in sua sententia praestiterit, licet novas preces admiserit, novas informationes exceperit, imo et effectum praecedentis resolutionis suspenderit *usque ad meliorem resolutionem*.

Tandem non acquiescente Episcopo titulari resolutioni in 3. dubio factae (12. Aug. 1673) et instante iterum ac supplicante declarari ad ipsum sedentem in primo stallo spectare recipere primas antiphonas (quod jam concessum fuerat in primo decreto 3. Dec. 1672) et invocare Sp. S. in Capitulo, non autem ad primicerium, S. C. utraque parte informante censuit: *Spectare ad Episcopum praefatum in casu, de quo agitur.*

Sed unum tantum dubium superest diluendum, si quis ex adducto exemplo basilicarum urbis existimare velit aliquam Episcopis titularibus competere praelationem in peragendis functionibus, eo quod in laudatis patriarchalibus Missae, Vesperae aliaeque solemniores functiones, quae celebrari debent ab Emmo D. Card. Archipresbytero, quando hic impeditus est, celebrari ab altero ex Canonicis, qui episcopali dignitate praeditus sit. Siquidem ex hac consuetudine, quae viget in basilicis urbis, nihil inferri potest in exemplum ad Episcopos titulares canonicos aliarum Ecclesiarum. Non modo quia cujus illationis effectus ex mente S. C. positive excluditur (Neapolitana 12. Aug. 1673 ad 3.), sed etiam quia usus hic in basilicis urbis non provenit ex aliquo jure vel praelatione jurisdictionis, sed est praxis quaedam singularis a remotissimis temporibus inducta et ita propria basilicarum urbis functiones istas pontificali ritu peragendi, ut ad hunc effectum semper in gremio Capituli existant plures Canonici vel ad tempus saltem unus, qui episcopali Dignitate cum titulo in *partibus* sint praediti, et quando deficiunt, soleant Romani Pontifices, instante suppliciter de more capitulo, alium Episcopum titularem seu plures in canonicatu subsistere aut alium, qui sit de gremio, seu plures in Episcopum titularem promovere. Imo si nullus fortasse hic nunc existat vel sit absens aut impeditus, ipse Emmus Card. Archipresbyter vel Capitulum ipsum ad solemniores ipsas functiones ritu pontificali celebrandas solent alterum quemcumque Episcopum rogare licet non sit de gremio Capituli. Porro haec praxis seu consuetudo vere singularis non debet suos limites excedere neque privilegium in alio loco velut de jure diffundere, ut inde argumentum a simili deduci possit. Neque hic est praetereundus Vicarius basilicarum urbis, ad quem Andreucci loc. cit. spectare contendit „exercere omnes illas functiones solemniores

sive pontificales sive mere sacerdotales, si fuerit in ordine episcopali aut sacerdotali respective, quas de jure potest aut debet exercere Archipresbyter."

Jam vero apparet in hac una causa collectum haberi quidquid ferme antea adductum est, sed lucidius declarari. Ex hac enim eruitur Episcopis titularibus canonicatum retinentibus deberi quaevis major praeeminentia in choro, in processionibus, in Capitulo et in quovis alio loco convenire contigerit, veluti Canonicis patriarchalium urbis, qui sint Episcopi, et hanc ipsis competere in singulis actibus capitularibus, sed restringi mere in assistendo quibusvis illis actibus, minime vero extendi ad praelationem in illis functionibus peragendis sacrisque officiis solemnioribus celebrandis; hujus praelationis declarationem fuisse ab *Episcopo titulari* positive *postulatam*, sed a S. C. positive denegatam et primicerio atque aliis succesive dignitatibus de jure attributam.

Cum itaque ex ipsa S. Congregationis declaratione peragere functiones loco Episcopi ordinarii ad illum Canonicum de jure spectet, qui primus sit in choro, jam nemo dubitare potest, quin hoc potiori jure pertineat ad Archypresbyterum Metropolitanae Mediolanensis, qui est in capitulo prima dignitas; *potiori*, inquam, *jure*, quia id ei tribuunt non modo regulae generales, sed ipsae peculiares Ecclesiae Mediolanensis constitutiones.

Hactenus de Canonico, qui sit Episcopus tantum titularis. At quoniam tam in voto Capituli metropolitani quam in deductionibus magistri Caeremoniarum magis urgetur qualitas *Episcopi auxiliaris*, operae pretium est, ut de hoc qualitate postremo loco disseramus, ostendentes ejus praeeminentiae limites, quos in Episcopis titularibus et Vicariis generalibus observavimus, non latius extendi in Episcopis auxiliaribus adeoque etiam in ipsis restringi solum in praecedentia honoris assistendo sacris capituli functionibus, neque ex hac qualitate aliquid jurisdictionis superaddi pro iisdem functionibus peragendis, ut ab initio proposuimus. Itaque redactores voti capituli ut ex hoc capite jus ei vindicent succedendi Archiepiscopo impedito in exercitio sacrarum capituli functionum in praejudicium aliarum dignitatum, ita argumentantur: „Denique si Episcopus auxiliaris datus fuit Archiepiscopo Bartholomaeo Romili, ut eidem praesto esset in muniis quibuscumque pastoralibus obeundis, si ad Archiepiscopum spectat missae sacrum solemniter facere aliaque divina officia celebrare diebus vel in tabella descriptis vel praxi determinatis, quisnam impedito de jure succedat oportet? procul dubio Episcopus auxiliaris, qui et e gremio capituli est et caeteros sua dignitate longe multumque antecellit."

Argumentum eo recidit ac si dicatur, Episcopum auxiliarem, cum destinatus sit ad obeundas ex officio loco Archiepiscopi functiones, quae sunt episcopales, rite ex ipso officio suo designari ad celebrandas missas et peragendas functiones, quae, cum ab Archiepiscopo celebrari et peragi debeant, *missae et functiones episcopales appellari possunt.*

Non leve quidem prima fronte videtur hujus argumenti robur, sed re bene perspecta ejus fallacia facili negotio deprehenditur. Ac primo, pace dixerim redactorum illius voti, vox illa *quibuscumque* in literis apostolicis, quibus Episcopus primo Danaben. deinde Famaugustam. in auxiliarem Archiepiscopi Mediolanensis deputatur et unde locus desumptus esse videtur,

non invenitur sed habetur: *aliisque muniis,* quod certe minus patet et addita clausula ,,ita tamen, ut nisi de ipsius licentia et consensu quidquam agere nequeas.'' Sed hoc diligentiae potius quam argumentationis vitium est.

Ad delegendum vero argumentationis defectum duo sunt obeunda; *primo*: quod, generatim loquendo, vigore literarum apostolicarum Episcopus auxiliaris *non succedit* quasi aliquo *jure* nativo Archiepiscopo impedito, ut inadaequate dicitur in voto per illa verba: *quisnam eidem impedito de jure succedat*, *oportet*? Quod quidem tantum abest ut in omnimoda facultate Archiepiscopi sit Episcopum auxiliarem delegare an non, ut in muniis, quae designantur, vices suas expleat, hoc enim important verba illa: nisi de ipsius licentia et consensu quidquam agere nequeas'', et totus contextus; *secundo:* quod recte determinandae sunt episcopales functiones seu pastorales, quae ad Archiepiscopum exclusive perinent et ad quas ipsi libere et independenter a quacumque alia auctoritate *licentiam et consensum* praebere potest Episcopo auxiliari ut suas vices gerat suamque personam repraesentet. Atqui hae certae non sunt missae solemnes sacraeque functiones capitulares, in quibus Archiepiscopo impedito capitulum de jure succedit, capitulum eas peragit per suas individuales dignitates et Canonicos, iis tantum functionibus exceptis, quae characterem episcopalem necessario requirunt.

Et sane Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo et capitulo atque adeo conjuncta invicem est eorum jurisdictio, ut, cessante Episcopo omnis haec jurisdictio nativo quodam ac proprio jure ad ipsum capitulum illico transferatur, quin aliquo mandato aut delegatione opus sit. Jam vero Episcopum inter et capitulum tanta est jurisdictionis conjunctio: ergo non est, cur impedito vel nolente Episcopo ad functiones capituli peragendas persona extranea in Capitulum inmittatur, qualis profecto esset Episcopus titularis, inspecta in se hac qualitate, sed sponte sua prima dignitas capituli de jure succedit et huic altera ordine progressivo. Hoc quod generale est magis valet in metropolitana Ecclesia Mediolanensi, in qua per constitutiones a s. Carolo Borromaeo propositas et approbatas et diutissima annorum serie vigentes adamussim cavetur, cuinam spectet missas solemniores cantare et sacras functiones peragere, quando Archiepiscopus aliqua ratione impeditur: nempe succedere debet prima dignitas et huic pariter impeditae altera succedit et sic porro prout constitutiones praecipiunt, quarum verba in exponendo quaestionis statu supra allegavimus. Ergo in casu nostro si Archiepiscopus a peragendis functionibus aliqua causa impediatur, neque Episcopus auxiliaris vi hujus qualitatis aut aliquo jure succedit: neque ipsi Archiepiscopo liberum est consensum aut licentiam auxiliari suo praestare, ut sibi in capitularibus actibus succedat suasque vices in praejudicium capituli exequatur.

Haec quae ex naturali capitulorum seu Ecclesiae Cathedralis intrinseco jure libavimus satis demonstrant nullam extraneam personam, quaecumque ea sit et quavis dignitate praefulgens, immitti posse in praejudicium jurium capitularibus competentium, ut peragat solemniores in choro functiones quando ordinarius impeditur. Ad pleniorem vero sententiae nostrae demonstrationem examinandum est, num ex parte jurium Episcopi auxiliaris aliqua ei insit jurisdictio, ut voti redactores asserunt, Archiepiscopo impedito succe-

dere. Et hoc est, quod ex hac etiam parte vehementer negamus.

Ut hoc demonstremus, investigandum sedulo est, quid proprie veniat nomine et qualitate Episcopi auxiliaris, quaenam sint illius attributiones et munera, et ad quem finem et quibus accedentibus conditionibus ab Apostolica Sede concedatur. Quae quidem omnia non aliunde arbitror melius intelligi posse quam ex doctrina immortalis Pontificis Benedicti XIV. Is sermonom instituens de Episcopi suffraganei deputatione plenissimam, more suo, in hoc argumento spartam adornat de Synodo dioecesana lib. III. cap. XIV. triplicemque enumerat suffraganeorum classem:

„Suffraganeus, primo inquit n. IV., juxta strictiorem nominis significationem est ille Episcopus qui Archiepiscopo sive metropolitano subjectus est eamque vocem nonnulli derivatam putant a suffragio sive voto quod Episcopus Archiepiscopo sive metropolitano subjectus in hujus electione ferebat. Ita Macri etc.“

Deinde subjungit:

„At suffraganeus et ille dicitur Episcopus, qui alterius dioecesim administrat, in eaque praestat quae ordinis sunt et jurisdictionis. Deque hujusmodi suffraganeis loquitur Lateranense Concilium sub Leone X. celebratum, cum agit de Cathedralibus Ecclesiis, quae S. R. E. Cardinalibus commendatae reperiuntur etc.“

Sed quod quaestionem nostram directe attingit, est quod tertio loco addit:

„Suffraganeus denique, juxta vigentem hisce temporibus loquendi modum dicitur etiam ille Episcopus titularis, qui ea dumtaxat, quae sunt ordinis, exercet in aliqua dioecesi, in qua Episcopus non residet, vel si resideat nequit ob dioecesis amplitudinem ordinationes habere, confirmationis sacramentum administrare aliaque episcopalis ordinis munera peragere.“

Quod srictius etiam determinat *ib.* n. 9. dum enumerans quatuor conditiones, quae requiruntur ad Episcopum suffraganeum seu titularem legitime a Summo Pontifice impetrandum, id quoque necessarium esse declarat, obsecrandum scilicet Pontificem, ut designato sacerdoti titulum conferat episcopalis Ecclesiae, „in partibus constitutae quo valeat ea praestare, quae ab episcopali charactere et ordinis potestate dependent.“

Notandum quoque est, quod de Episcopo auxiliari addit lib. XII. cap. VIII., ubi postquam docuit Episcopum, cui clerici sibi non subditi per dimissorias ordinarii literas ordinandi committuntur, posse, si velit, eorumdem ordinandorum merita prudenter expendere et novo etiam examini eos subjicere; „hoc autem subjungit, locum non habet quoad Episcopum auxiliarem seu suffraganeum, cui ad supplendas Episcopi dioecesani vices assumpto eorum committuntur ordinationes, qui ab ipso dioecesis ordinario praesule examinati et probati fuerunt. Episcopus namque auxiliaris jus non habet novum de illis experimentum capiendi etc.“

His quoque addendum est quod ait eod. lib. XIII. cap. XIV. num. VI. ex decreto Pii IV. Pontificis anno 1565 a Raynaldo relato ad annum ipsum num. 23.: Voluit etiam, ut, si ultra congruum temporis spatium, a Tridentino Concilio praefinitum, a residentiae loco absentiam produxissent, (Episcopi auxiliares), pensionem exigere nequirent; si vero residentiam ipsam penitus derelinquerent, nec ipsa quidem pontificalia in alienis dioecesiuus, quamvis in id ordinarii loci licentia et facultas accederet, exercere possent.“ Et decretum consistoriale a s. Pio V. editum, quod commemorat

Fagnanus in cap. episcopalia num. 48. et seq. tit. de privileg. cujus genuitatem defendit idem Bened. XIV. loc. cit. num. VII., in quo haec habentur: „Et quod nullibi possint (Episcopi suffraganei) pontificalia exercere sine expressa licentia Sedis Apostolicae, nisi in illa dioecesi cui dati sint suffraganei."

Insuper notanda sunt, quae habemus ex S. Congr. Concilii in Vilnen. 22. Febr. 1631. Quod Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi pontificalia officia in civitate et dioecesi de expresso consensu et licentia pro tempore existentis Episcopi non potest eadem pontificalia exercere, ut exercuit, vivente Episcopo, post illius mortem, et in Constantien. 4. Febr. 1645: „Mortuo Episcopo illius suffraganeus ordines conferre non potest." Rationem habemus ex Benedicto XIV. loc. cit. n. 13. „eo quod suffraganeus non detur Eccclesiae sed Episcopo, ejusque officium et munus cesset statim ac moritur Episcopus, cui suffraganeus adjunctus fuerat, uti colligitur ex Glossa in cap.: *Quoniam*, verb.: *Vicarium de offic. ord.* Eamdem rationem Fagnanus in cap.: *Episcopalia* n. 58. ut sequ. de privileg. his verbis: „Episcopus titularis, deputatus in suffraganeum, non datur Ecclesiae sed Episcopo." Et paulo post: „Jam, inquit, censuit Sacra Congregatio Concilii suffraganatum non esse titulum perpetuum, et haec ratio concludit eum non esse suffraganeum populi, alias enim esset perpetuus sicut populus. C. proponebatur ff. de judiciis."

His praemissis de natura et auctoritate seu munere Episcopi suffraganei seu auxiliaris *juxta vigentem consuetudinem* ex doctrina praesertim Benedicti XIV. consequitur Episcopum auxiliarem praeter Dignitatem episcopalem et potestatem ordinis seu characteris atque habitum jurisdictionis et potestatis in Ecclesiam tituli in partibus infidelium, actu tamen suspensum et impeditum, nullam aliam prorsus jurisdictionem habere nullum, muneri insitum privilegium praeseferre.

Ipse siquidem potest „ea dumtaxat quae sunt ordinis exercere in ea dioecesi, cui datus est auxiliaris: „Ordinationes habere, confirmationis sacramentum administrare aliaque episcopalis ordinis munia peragere." Limitatur insuper episcopalis ordinis exercitium non modo quia „non potest pontificalia exercere extra dioecesim, cui datus est in auxiliarem, licet accedente consensu Episcopi localis, sine expressa licentia Sedis apostolicae; sed nec in dioecesi ipsa, in qua est auxiliaris, sine licentia et consensu Episcopi ordinaria ita ut, cessante Episcopo, cesset omnino omne exercitium sui muneris et caetera," quae supra vidimus.

Haec generatim respiciunt naturam et officium Episcopi auxiliaris, neque dissimili profecto ratione, sed eodem ferme verborum tenore loquuntur literae apostolicae sub die IV. Cal. Ocbris 1855 ubi explicantur munia, quae Rmo D. Carolo ex Com. Caccia Dominioni Episcopo Danaben. in partibus a Pontifice committuntur, nimirum ut venerabili fratri nostro Bartholomaeo Romilli moderno Archiepiscopo Mediolanen. in pontificalibus exercendis aliisque pastoralibus muniis obeundis in dicta Ecclesia et Dioecesi Mediolan. auxilio esse possis, cujus quidem Bartholomaei Archiepiscopi in Episcopum auxiliarem, juxta decretum a nobis approbatum, apostolica auctoritate praedicta deputamus, ita tamen, ut nisi de ipsius Barth. Archiep. licentia et consensu quidquam agere nequeas." Et quoniam apostolicae literae nominare di-

cunt Episcopum auxiliarem *juxta decretum a nobis adprobatum*, praestat decreti ipsius consistorialis hic verba exscribere, quae eum in Archiepiscopi auxiliarem deputant „ita ut pro lubitu suo (Archiep.) possit et valeat in iis, quae sunt ordinis et muneris episcopalis opportunam illius operam adhibere." Quae deinceps clarius etiam enumerantur in alteris apostolicis literis datis III. Non. Augusti 1857 quibus is ille ab Ecclesia praedicta Danaben. ad Famaugustanam item in partibus translatus est, et in quibus de eorumdem exercitio commendatur scilicet: „Sacramentum confirmationis, de ejusdem Archiepiscopi licentia administrasti, ordinationes exquisisti, (sic), pontificalia solemniter celebrasti, conciones ad populnm habuisti caeteraque pastoralia munia laudabiliter obivisti."

Ex his itaque plures consequuntur rationes, quae ostendunt nullam Episcopis auxiliaribus, ex eo quod sint Canonici, inesse qualitatem seu auctoritatem aut privilegium, quo in Capituli muniis obeundis et actibus jurisdictionalibus exercendis seu sacris functionibus peragendis reliquis Canonicis et ipsis etiam dignitatibus praeferri de jure debeant. Et sane Episcopus auxiliaris conceditur propter dioecesim, non propter Capitulum Cathedralis, de qua nullum verbum neque in jure positivo neque in literis apostolicis. Ergo debet quidem praesto Episcopo esse quoad munera pastoralia in civitate et dioecesi, concurente ejusdem Episcopi licentia et consensu, at nihil prorsus commune habet cum Capitulo. Et cum Capituli jura sint positiva, quae respiciunt tum Capitulum ipsum tum aliquando ipsas individuales Capituli personas, non possunt neque Capitulum neque individui a suis juribus et privilegiis exturbari, nisi aliquid in contrarium expresse et positive a legitima auctoritate statuatur. At nihil de hoc habemus in nostro Episcopo auxiliari Archiepiscopi Mediolanen.

Praeterea Episcopi auxiliaris munia loco et vice ordinarii *taxative* restringuntur ad *ordinationes* habendas, ad *confirmationis* sacramentum administrandum *aliaque episcopalis ordinis munera peragenda* in aliqua dioecesi.

Ergo assumitur ad servitium et munia *dioecesana* non autem *capitularia* aut *choralia*, quibus impedito Archiepiscopo jam alias provisum est ac proinde ipse, qua Episcopus auxiliaris, ex hoc etiam capite nihil habet commune cum Episcopo quoad functiones capitulares ac per consequens neque quoad celebrationem missarum solemnioribus quibusdam diebus, quia constitutionibus designantur et in quibus is eam tantum partem habet, quam ei tribuit qualitas Canonici.

Insuper non conceditur Episcopus auxiliaris absque justa causa et requiritur in primis ad suffraganeum postulandum ex doctrina Benedicti XIV. ut „vera nec affectata urgeat necessitas sive propter habitualem morbum quo Episcopus afficietur, sive ob illius provectiorem aetatem, sive ob nimiam dioecesis amplitudinem, ita ut ipse non valeat omnia ordinis munia per se sedulo obire ac proinde alieno ministerio" indigere videatur, prout inter alia recte adnotarunt *Thomassinus* de vet. et nov. eccl. discip. et *Fagnanus* cap. episcopalia num. 45. et 53. de privil. Nemo erit profecto qui putet inter hac omnia ordinis munia, quae ordinarius non *valeat per se sedulo* obire, accensendam esse celebrationem missarum solemniorum diebus quibusdam designatis, tum quia tunc non existeret *vera et non affectata necessitas,* quia hujusmodi necessitati provident constitutiones, quae vices Archiepiscopi supplendas tribuunt primae

et aliis successive dignitatibus, tum quia Archiepiscopus *alieno ministerio* non indigeret; nam ministerium habet, ut ita dicam, domesticum et intrinsecum Capituli, cum quo ipse conjunctim Cathedralem Ecclesiam et unum corpus constituit.

Crescit autem hujus argumenti vis, si duas alias relationes Archiepiscopi consideremus, alteram cum Vicario generali, alteram cum Capitulo. Et quemadmodum Episcopus auxiliaris destinatus ad ea tantum munera exercenda, quae sunt *potestatis ordinis*, sese immiscere non potest in iis, quae, cum sint *potestatis jurisdictionis*, exercentur ab Episcopo per Vicarium generalem: ita, quatenus auxiliaris sese immiscere non potest in iis peragendis functionibus capitularibus et choralibus, quas Episcopus exercet per Capitulum seu per Canonicos et Dignitates ordine constitutas. Et ideo auxiliaris conceditur „ut ea dumtaxat, quae sunt ordinis episcopalis, praestet in dioecesi" accedente tamen licentia Archiepiscopi, ubi Archiepiscopus libere et independenter a juribus Capituli licentiam et consensum praestare potest.


Notandum insuper est, Episcopum cum corpore morali Capituli considerandum esse tamquam caput ad membra. Quis enim ignorat Canonicos Ecclesiae Cathedralis arctissimo quodam vinculo veluti membra cum capite Episcopo devinciri adeo ut episcopo ipsi nequaquam liceat in iis quae ad capitulum referuntur alio uti ministerio quam canonicorum? „Novit tuae discretionis prudentia (inquit Alexander III. in cap.: *novit de his, quae fiunt a praelat.)* qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis et illi esse membra probantur, unde non decet te omissis membris aliorum „consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti." Quae quidem regula, relationis scilicet capitis cum membris minime adimpleretur si Episcopus auxiliaris Famaugustanus loco Archiepiscopi Mediolaneusis missas chorales celebraret, ex eo quod cum titulo et qualitate Canonici titulum et qualitatem Episcopi auxiliaris conjungat. Quemadmodum enim, testante Cardinali de Luca, naturae repugnat, ut membra aliter agant in humano corpore. quam ab ipsa natura praescriptum est, ita in morali Capituli corpore repugnaret, ut ejus membra diversa agant ratione, quam quae statuitur a decretis Sacrae Congregationis et a constitutionibus, ex quibus in proposito casu Capituli dignitates, a prima incipiendo, ad Archiepiscopi personam rite repraesentandam progressivo ordine vocantur. Si secus fiat Archiepiscopus, *omissis membris*, *aliorum consilio* seu opera uteretur,quod non licere affirmat Alexander III.

At vero, inquiunt redactores voti, hodiernus Episcopus auxiliaris et *de gremio Capituli est et caeteros sua dignitate longe multumque antecellit.* Ex quo inferri volunt, ipsum Archiepiscopo impedito in his functionibus peragendis *procul dubio* succedere oportere, inspectis conjunctim tribus qualitatibus Episcopi titularis et Episcopi auxiliaris nihil conferre, ut jus ei tribuatur succedendi ad peragendas functiones istas, Archiepiscopo impedito. Consideramus modo, si placet, duas has qualitates seu hanc ejus dignitatem, qua *caeteros longe multumque antecellit,* simul conjunctam cum qualitate Canonici. Has quidem conjunctim considerare possumus in una eademque persona seu considerare quidem possumus unam eamdemque personam his simul qualitatibus insignatam. At qualitates ipsas, quatenus determinare debent aliquam jurisdictionem aut praeeminentiam, non possumus considerare nisi relative ad

actum, ad quem ordinentur, et quando duas qualitates ordinantur ad actus diversos, non possumus eas conjunctim considerare, sed alterutram respective ad actum suum, ad quem ordinata est. Accidit quam saepe, ut persona aliqua pluribus qualitatibus praedita sit, sed non semper pro iisdem qualitatibus eadem praeeminentia illi debeatur, ita ut illa eadem persona, quae in aliquo actu gaudet praecedentia supra caeteros, debeat in alio actu cedere locum illi personae, quae in primo actu sedebat loco inferiori. Quidam hoc est? Non aliud nisi quia qualitas seu dignitas determinat praecedentiam in illo actu, ad quem est ordinata. Rationem hanc subtiliter proposuit Tiraquellius, a quo mutuatus est Vagnaveckius in cap.: *Statuimus de major. et obed.*, quam loquens de praecedentia Canonicorum sic paucis expressit: „Ex hoc textu colligit Tiraquellius dignitatem antiquitati praeferendam et majorem dignitatem praecedere debere, quando dignitas est ordinata ad illum actum, pro qua tractatur de praecedentia, secus est de actu diverso.“

Hoc posito, facile est cognoscere dignitatem seu qualitatem Episcopi auxiliaris non esse ordinatam ad actus jurisdictionales Capituli, sed ad auxilium praestandum Episcopo in iis actibus, qui sunt ordinis episcopalis in dioecesi; imo extranea prorsus est Capitulo ac proinde non potest determinare praecedentiam in actibus capitularibus; qualitas vero Canonici est ordinata ad actus capitulares et sicut ista nihil habet commune cum Episcopo auxiliari neque ordinata est ad actus proprios Episcopi auxiliaris, ita qualitas auxiliaris nihil habet commune cum qualitate canonici, neque determinare potest praecedentiam ad actus, ad quos non est ordinata. Itaque qualitates istae conjunctim considerari non possunt, quia quaelibet ordinata est ad actus diversos. Ac proinde (excepta praecedentia honoris et obsequii quam dignitatem episcopalem sibi postulare vidimus) quaelibet ex his qualitatibus, quae in casu nostro in una eademque persona conjunctim occurrit, nullam alteri vim addit ad augendum jus praecedentiae, sed quaelibet respective respicit ad actum suum. Et quoniam respective ad Capitulum nihil refert neque dignitas episcopalis nec qualitas auxiliaris neque omnium simul qualitatum conjunctio, remanet ut sola qualitas Canonici, quae sola ordinata est ad actus capitulares, possit in Capitulo determinare jus praecedentiae ad sacras functiones peragendas.

Hoc autem magis patebit, si consideremus qualitates Canonici et Episcopi auxiliaris non modo inter se nihil habere commune, sed potius ita inter se discrepare, ut una cum altera nonnisi ex apostolica dispensatione in eadem persona subsistere queat, quae dispensatio, licet faciliter impetretur, adjunctas tamen semper habere solet leges et conditiones, ne ex simultanea utriusque existentia in una eademque persona divino cultui praejudicium inferatur. Audiatur iterum Benedict. XIV. lib. XIII. cap. XIV. n. IX.: „Ut autem suffraganei Episcopi (auxiliares) honestum sibi victum et cultum parare queant, cum plerumque annua tercentorum ducatorum praestatio (stipendium, quod erat ad munus ducentorum aureorum de camera statutum a Pio V. super fructibus illius Ecclesiae, extensum fuit ad numerum tercentorum ex decreto consistoriali) nequaquam sufficiat, si canonicatum aliquem non obtinent aut alia beneficia, quamvis natura sua cum munere suffraganei incompatibilia, facilem se in eos praebere consuevit apostolica sedes illorum retentionem eis concedendo, adjectis tamen opportunis legibus et conditio-



nibus, ut divinus cultus exinde minimum, quoad fieri potest, detrimentum patiatur."

Hoc autem adeo verum est ut apostolicae literae pro deputatione auxiliaris totae versentur in assignandis muneribus, quae illi propria sunt, omnino independenter a qualitate Canonici, de qua nulla fit mentio, nisi, si occurat, pro permittenda simultanea canonicatus, beneficiorum retentione etc. Quod quidem ita servatum esse cum Episcopo Famaugustano patet ex apostolicis literis tum IV. Cal. Octobris 1855 tum III. Non. Augusti 1857. Imo in his illud est specialiter notandnm, quod, dum mentio fit de canonicatu cum dignitate primiceriatus, illud insuper praecise notatur: „Ut primiceriatus praedictus et beneficia obtenta hujusmodi debitis propterea non fraudentur onera obsequiis, sed ejus et eorum congrue supportentur onera consueta." Quae quidem postrema verba videntur prorsus ad rem apposita, ut significetur in muneribus capitularibus supportaneis nihil innovandum esse, ad curandum, ut munera primiceriatus et beneficiorum (quantum fieri potest cum munere Episcopi auxiliaris) *debitis non fraudentur obsequiis*, ne divino cultui detrimentum inferatur et congrue supportentur onera consueta, id est quae et quomodo ab ecclesiasticis regulis et a constitutionibus praescripta sunt.

Ut autem magis magisque patescat quantum discriminis relati ad servitium Ecclesiae metropolitanae vel cathedralis intercedat inter Canonicum et Episcopum auxiliarem, animadvertere juvat Canonicum adeo stricte pertinere ad Ecclesiam, ut moriente etiam Episcopo talis esse non cesset et Capitulum sede vacante succedit in jurisdictione episcopali, cap.: *His quae* et cap.: *Cum olim,* dum e contra suffraganeus, ut vidimus ex Benedicto XIV. et Fagnano locis supra citatis cessat, cessante Episcopo, quia datur *Episcopo et non Ecclesiae.*

Neque omittenda est ratio, ut evincatur in Canonico vel Dignitate relatam ad functiones capitulares qualitatem Episcopi titularis imo et auxiliaris accidentalem omnino esse atque extraneam. Cum enim, qui episcopali ordine insignitus est, solemnem missam cantare non deceat nisi in pontificalibus, quibus utendis in aliena dioecesi Ordinarii licentia necessario requiritur, hujusmodi licentia omnino opus habet, sit vel non sit Canonicus, quia qualitas Canonici nihil habet commune cum qualitate Episcopi. Quae quidem licentia pro usu pontificalium necessaria non esset, si qualitas Episcopi conjungeretur, ad effectum cantandi missas, cum qualitate Canonici, cui nulla licentia opus est pro utendis vestibus sibi indultis.

Quae hactenus adduximus argumenta evidenter ostendunt, Episcopo auxiliari, in vim hujus qualitatis nullum jus creari, quod praelationem ipsi addat in exequendis sacris functionibus in Capitulo, etiamsi per accidens sit Canonicus.

Ut autem his robur accrescat concludam afferendo decretum Sacrae hujus Congregationis in una Lubecen., in qua cum Episcopus exposuisset, hactenus eo absente vel impedito functiones, quae ipse utitur tamquam Vicario in spiritualibus delegare consuevisse, quandoque tamen reclamantibus dignitatibus ejusdem Ecclesiae praetendentibus ad eas hujusmodi functiones eo casu spectare, petieritque a S. R. C. declarari, potuisse ac posse Ordinarium, cui libuerit, digniori tamen ipsi, functiones episcopales commendare, Sacra Congregatio: „Id quidem intellligendum, respondit, de muniis pontificalibus, quae a dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, quae alteri licet digniori in

31*

praejudicium dignitatum aliorumque capitularium Episcopo demandare non licet. Die 10. Junii 1636."

Restat demum, ut res plenissime absolvatur, quasdam alias rationes pensitare, quae ab adversa parte adductae sunt, cum praecipuas, praesertim ex variis decretis desumptas, jam oblata occasione in decursu disquisitionis exponderimus. Una est, quam innuit sed non exponit Caeremoniarum Magister in suis deductionibus, cum ait: „Videatur etiam *Fagnanus* in V. decretalium, de privilegiis et excessibus cap. episcopalia pag. 238., num. 61." quod attentionem nostram meretur, tum quia aliquod roboris, ob excellentiam auctoris, prae se ferre videtur, tum ne videamur contraria argumenta saltem in parte neglexisse. Adivimus ergo Fagnanum, qui quidem totus est ut defendat obsequium et praecedentiam Episcoporum auxiliarium, sed non ad rem oppositoris nostri.

Fagnanus itaque loquitur ibi de creatione Episcopi titularis pro exercendis pontificalibus in locis ordinis s. Jacobi de Spatha, proposita in consistorio a Cardinali Pacecho, et refert difficultates, ob quas S. Congregatio consistorialis coram SSmo, die 22. Martii, re iterum diligenter examinata, persistit in decreto sub die 28. Januarii 1694, videlicet, *quod petitur nequaquam esse concedendum.* Inter alias difficultates hanc recenset Fagnanus, quia cum suffraganeus detur Episcopo non Ecclesiae, et cum militia s. Jacobi non habeat Episcopum, sed priorem, suffraganeus daretur priori: „Hoc autem, inquit, videtur valde inconveniens, tum quia cederet in opprobrium dignitatis episcopalis, ut Episcopus, qui est in supremo gradu ordinis hierarchici in Ecclesia militanti, Conc.: *Trid. sess. 12. de Sacram. Pastoralis* ord. can. 6. et 7., suffragetur et inserviat priori longe inferioris gradus et esset tamquam illius cappallanus etc., tum quia verisimile est, ut in Ecclesia et functionibus publicis et privatis prior, qui universae jurisdictioni praeest, intendat praecedere Episcopo, qui non habet nisi exercitium pontificalium, nec est intitulatus in d. militia. Hoc autem est valde absonum in Ecclesia, quia quamvis sit Episcopus titularis carens clero et populo christiano, est tamen vere Episcopus characterem habens episcopalem, cap.: *Pastoralis* et ibi Archid. sub n. 4. et Praeposit. in 1 notab. quaest. 1. Unde indignum esset et perniciosi exempli, ut subesset inferiori praelato."

Redactor voti existimat suffragari auctoritatem Fagnani, quia, ut videtur, perpendit tantum verba: „valde inconveniens est, cederet in opprobrium dignitatis episcopalis, si Episcopus suffragetur inferiori. Et valde absonum in Ecclesia, quia duamvis sit Episcopus characterem habens episcopalem, indignum esset et perniciosi exempli ut subesset inferiori praelato" aut similia. Haec, inquam, Fagnani verba gustavit, sed Fagnani sensum assecutus non est: nec certe in sui fuvorem illius auctoritatem provocasset, qui opinioni suae contrarius est. Perperam siquidem et fallaciter argumentum illius ad praesentem quaestionem detorqueretur, cum Fagnanus improbet tantum Episcopum titularem dari in suffraganeum praelato inferiori, cui ratione prioratus seu universae jurisdictionis subesse deberet. Hoc certe *valde inconveniens esset et absonum in Ecclesia*, nec satis cautum esset episcopali dignitati, qua ipse insignitus est ac propterea S. C. sapientissime resolvit semel et iterum, *quod petitur nequaquam esse concedendum.* Sed hoc exemptum quid habet cum hodierna causa commune? Teneret quidem illatio, si Episcopus Famaugustanus

datus esset in auxiliarem Archipresbytero, qui licet sit prima dignitas esset tamen valde inferior, ratione characteris et ipsius auxiliaris dignitati cautum non satis esset; sed Episcopus Famaugustanus datus est in auxiliarem Archiepiscopo Mediolanensi et in choro et extra chorum ipsius dignitati, qua insignitur, satis provisum est per praecedentiam honoris et obsequii. Corruit ergo totius argumenti apparatus et Fagnani auctoritas contra ipsum facile retorquetur. Nam improbat quidem Fagnanus Episcopum titularem dari suffraganeum praelato inferiori; sed quare improbat? quia subesse deberet inferiori et „quia, inquit, verosimile est, ut in Ecclesia et functionibus publicis et privatis prior, qui universae jurisdictioni praeest, intendat praecedere Episcopo, qui non habet nisi exercitium pontificalium nec est intitulatus in dicta militia.“ Ergo admittit Fagnanus Episcopo auxiliari hujusmodi licet praedito episcopali dignitate praecedentiam non competere.

Levioris momenti sunt quae sequuntur ex textu constitutionum cap. VIII. relato. Ex quo ipse Caeremoniarum magister primo deducit, praescriptionem istam, qua cavetur, ut dignitates progressivo ordine succedant Episcopo impedito in peragendis functionibus, esse „onus seu pensum impositum dignitatibus quae antea Archiepiscopi vices supplere nolebant.“ Hanc ipse directe et immediate deducit ex textu constitutionum, quo allegato, inquit: „Ex quibus verbis clare patet etc. additque: nulla facta mentione de Episcopo qui in posterum in capitulo sive auxiliaris sive simpliciter titularis posset existere.“

Equidem ingenue fatemur in his deductionum locis plura esse quae non intelligimus.

1: Undenam eruit quod dignitates Archiepiscopi impediti vices antea supplere nolebant? Textus simpliciter haec habet: „Archiepiscopo impedito .... in iis diebus (solemnibus) ne Canonicus ordinarius, id quod antea moris erat, sed Archipresbyter .... primicerius, praepositus, post Decanus denique ordinarius canonicus .... id muneris exequantur.“ Ex his videtur potius antea in more fuisse ut quilibet succederet, sed nunc praescriptum esse ut, ratione solemnioris festivitatis, praecedant dignitates, canonici autem ordinarii succedere non debeant, nisi dignitatibus omnibus impeditis.

Quomodo statui potest tamquam fundamentum praescriptionem istam esse et debere appellari *onus impositum iis qui ferre nolebant*? Absonum profecto videtur et ab omni veri specie abhorrere, quod, restringere ad solas quatuor dignitates id quod antea commune erat omnibus Canonicis, nempe ut a prima dignitate incipiendo succedant ex ordine Archiepiscopo impedito in celebrandis solemnioribus missis et peragendis praecipuis functionibus, quae ad ipsum archiepiscopum in metropolitana spectarent, dici possit *onus imponere iis qui nolebant.* Esto quidem quod honor secum ferat onus aliquod injunctum, sed ex hoc onere seu munere emanat honorificentia. Hanc tamen ita exprimunt adducta verba et prorsus videatur voluisse significare onus tamquam sarcinam renuentibus impositam. At contra ex coutextu patet esse potius et vere significare praecedentiam seu praelationem, quam s. Carolus deferri voluit Capituli dignitatibus, sed non praeter regulas juris canonici, quae quidem praelatio non onus vocanda est, sed potius *munus* ex ipsis constitutionibus, quae dicunt, *id muneris exequatur.* Munus autem, ut vox ipsa praesefert, prae-

sertim hic ex contextu, non *onus, sed honorem* potius declarat. Et sane quod praescriptio isthaec statuta fuerit in decus sacrarum functionum et cultus divinis splendorem et ad praeeminentiam ipsarum dignitatum facile sibi quisque persuadeat, qui novit, quantum egerit s. Archiepiscopus usque a prima sacra visitatione, ut in Metropolitana Ecclesia omnia splendidissimo cultu ad laudem Dei et fidelium aedificationem peragerentur.

Quid vult deducere per verba, *nulla facta mentione de Episcopo qui in posterum in capitulo posset existere?* Quid facturus fuisset si Carolus si praevidisset existentiam canonici Episcopi, divinari non expedit. Hoc unum pro certo habemus, leges et statuta servanda esse prout positive extant et vigent, non prout ferenda fortase erant si legislator aliquid fortuito praevidisset. Optime in hanc rem scribere mihi videtur Archipresbyter in suis animadversionibus: „Esto ut qui confecerunt capitulares constitutiones S. M. Archiepiscopi primas Episcopo auxiliari partes tribuissent, si nacti essent fore ut Canonicus adfuisset episcopali dignitate praeditus, quid inde? Quod alteri jam datum est, modo nequit avelli, neque legitimam possessionem novo facto turbare."

Procedit in suis deductionibus et alia dubia proponit, alias conclusiones deducit ex firmata basi oneris impositi iis qui ferre nolebant · Si hoc onus esset jus succedendi Archiepiscopo impedito in functionibus pontificalibus, quo gauderet Capitulum, esset „titulus dignitatis et praecedentiae superior omnibus Capitulis Ecclesiae universalis et esset privilegium praeclarissimum," cujus mentionem facere debuisset Caeremoniale Ambrosianum, praesertim ubi agit *de dignitate et praestantia Capituli Mediolanensis.* At de hoc jure omnino silet, imo aperte declarat, quod „dictorum Canonicorum dignitas dilucide conspici potest, quod excepto Archiepiscopo, Episcopis et Vicario generali neminem in universo Clero Mediolanensi agnoscunt, cui primas deferant vel concedant, Episcopi ergo praecedere debent et a fortiori auxiliaris." Argumenti sic robur ponit tam in silentio tam in adducta declaratione Caeremonialis Ambrosiani. Nihil tamen movere nos potest silentium ejus Caeremonialis, nam praeter quam quod est argumentum mere negativum, nulla apparet ratio, cur de hoc privilegio mentionem facere debuerit: quod autem declarat in loco adducto, nihil prorsus afficit quaestionem nostram. Ibi enim praecise et absolute extollit praestantiam Canonicorum metrp. Mediolanen. supra omnem clerum, excepto Archiepiscopo propter characterem et jurisdictionem, ordinariam; Episcopis, quicumque ii sint, etiam a Capitulo extranei, propter characterem et dignitatem,et Vicario generali, qui pariter saepe est a Capitulo extraneus, propter jurisdictionem, quam communem habet cum Archiepiscopo. Haec autem quid habent commune cum nostra quaestione? Esto quod Canonici ejusdem metropolitanae licet omni clero praestantiores debeant quoad auctoritatem vel dignitatem Archiepiscopos, Episcopos et Vicarium generalem tantummodo agnoscere, quibus primas deferant vel concedant, sint vel non de gremio Capituli, at nemo dixerit debere Canonicos et primam ipsam dignitatem jus ipsis cedere super actus jurisdictionales Capituli. Ergo male loquendo de eodem subjecto, sed non sub eodem respectu inepte quis in rem nostram concluderet: ergo ipsi praecedere debent et a fortiori auxiliaris; quia declaratio isthaec non po-

test excludere jura capitularium tum a regulis generalibus tum a constitutionibus praescripta.

Infert deinde, putandum non esse, quod s. Carolus Borromaeus ... condendo constitutiones capitulares proprium jus et successorum suorum abrenuntiaret Capitulo, ita ut nemo illis posset succedere, nisi de licentia Archipresbyteri vel eorum, qui successive gradum obtinent in Capitulo." Denique somnium esse, quod ex onere imposito et uti tale acceptato oriri possit jus et actus jurisdictionalis excludendi a functionibus pontificalibus Episcopum auxiliarem canonicum." Imo effervescente nimium oratione conludit: „ac proinde excludi Archiepiscopum ipsum, qui amplius sine licentia Capituli non posset delegare Episcopum tam auxiliarem proprium quam titularem quemcumque ad ejus vices sacras gerendas in solemnioribus officiis metropolitanae ecclesiae." Nempe hic luditur in verbis. Neque enim s. Carolus episcopalis suae jurisdictionalis et ecclesiasticae dignitatis merito tenacissimus quidquam abrenuntiavit Capitulo in praejudicium successorum suorum, si illud, quod est in regulis generalibus et jure positivo, quodque natura sua inhaeret Capitulo, per novas has constitutiones servandum praescripsit a Capitulo in metropolitana, quinimo ex hoc ipso facto, inspecta s. Caroli prudentia et observantia suorum, rectius inferri poterit praescriptionem hanc constitutionum a jure dimanare.

Neque etiam a solemniori missae sacro excluditur Archiepiscopus ipse, quia casus supponit semper Archiepiscopum nolentem functiones istas peragere aut quacumque alia causa impeditum; nec enim alia ratione intelligi potest exclusus Archiepiscopus quod non posssit delegare Episcopum qualemcumque; hoc enim jus delegandi ad actus jurisdictionales Capitulorum vel ipsas sacras functiones celebrandas nusquam alibi Episcopis ordinariis inhaeret: neque somnium est, quod ex onere imposito oriri possit jus et actus jurisdictionalis; onus enim, quatenus munus et officium est, importat actus jurisdictionales et actus jurisdictionalis cum aliquo onere vicissim conjungitur. Determinandus est sensus hujus vocis *onus*, ut supra monuimus, non pro lubitu effingendus modo *onus*, modo *honor et privilegium* praeclarissimum. Sed praecidamus omnem controversiam. Aut praescriptio est „onus impositum iis qui ferre nolebunt, aut est titulus dignitatis et praecellentiae superior omnibus Capitulis Ecclesiae universalis et privilegium praeclarissimum." Si primum, ii portent, quorum humeris impositum est, si alterum, nempe honor, auferendus ab iis non est, quibus ex constitutionibus debetur tamquam Capituli membris primariis et fixis. Quibus omnibus inspectis, falsa sunt, quae per modum corollarii deducuntur; nempe: „Hoc jus praesumptum esset injuriosum Archiepiscopis et sublimi ordini hierarchico episcopali; et non solum clero universo, verum etiam cuicumque prudenti viro saeculari male sapit, quod hic et nunc Episcopus auxiliaris canonicus primicerius omnino se abstineat ab exercendis functionibus pontificalibus in metropolitana et unacum Capitulo sola ratione ne sibi vindicet jura supposita moderni Archipresbyteri."

Post haec pauca dicenda supersunt adversus rationes a Capitulo suo voto propositas. Siquidem plura, quae aliquam difficultatis speciem praeseferre videbantur, passim oblata occasione expendimus et confutavimus; nonnulla quae communia sunt cum difficultatibus a caeremoniarum magistro prolatis

nova responsione non indigent. Satis est ergo pauca haec subnectere. Ac primo gratis asseritur, quod Episcopus auxiliaris, cum canonicatum obtineat non tertia Capituli dignitas ratione primiceriati, sed prima ratione episcopatus haberi debet. Habeatur quidem, si placet, *pro prima* seu potius praecipua dignitate Capituli ratione characteris et dignitatis episcopalis. Sed haec dignitas est mere accidentalis in Capitulo et in obsequium characteris debetur ei praecedentia quae jura ceterorum non pervadat. Praeter hoc non aliud ei competit et vere in Capitulo habendus pro tertia dignitate prout erat: neque enim accedente in aliquo Canonico episcopali dignitate, gradum vel ordinem in canonicatu transgreditur, neque caeteri ipsi postponuntur, sed ratione jurium singulis capitularibus competentium, unusquisque remanet in gradu suo.

Aliud deinde argumentum conficiunt ex quo deducunt, constitutiones ideo praescripsisse ordinem illum successionis ad divina officia peragenda absente vel impedito Archiepiscopo, ut solemniora festa ex dignitatibus sacra peragentibus splendorem longe majorem attingerent; et ad splendidiorem divinae Majestatis cultum assequendum neminem parem Episcopo auxiliari, qui de licentia et consensu Archiepiscopi divina quaelibet officia juxta Caeremoniale Episcoporum obire potest. Missam facimus ambiguitatem terminorum et levitatem argumenti. Confunditur enim quod congruenter praeferri posset cum eo quod stricte de jure inquirimus et ad finem assequendum interponitur dignitas, quae ad illum actum ordinata non est et non cavetur num proculcentur jura, decreta et statuta, neque si quod verum est postponatur, dummodo sustineatur, quod suum est. Atque per idem argumentandi vitium illegitime deducitur „auxiliarem Episcopum illis dignitatibus posthabere idem esse ac ejusdem supra omnes praeeminentiam in dubium vocare contra mentem Concilii Tridentini declarantis sess. XXIV. cap. XII.: Dignitates in Ecclesiis praesertim ad conservandum augendumque ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, ut qui eas obtinent pietate praecellerent aliisque exemplo essent. Quid haec ad nostram controversiam? Sed de his satis.

Haec omnia quae hucusque disputavimus profecto videntur Episcopo Famaugustano auxiliari Archiepiscopi Mediolanensis atque ejusdem metropolitanae primicerio, ratione Episcopatus, licet non sit prima dignitas, sed aut secunda aut tertia, competere quidem omnem praecedentiam in omnibus actibus seu functionibus capitularibus et ubique, nempe tam in choro quam in processionibus et Capitulis supra omnes Canonicos et Dignitates sed praecedentia tantum honoris et obsequii in asssistendo singulis iisdem functionibus, ita ut primum stallum in choro et ubique primum locum occupare debeat, primam antiphonam primamque thurificationem, pari tamen thuribuli ductu cum ceteris dignitatibus et canonicis accipere. Eam tamen praecedentiam non extendi ad praelationem in qualemcumque actum jurisdictionalem neque ad jus praeeminentiae cantandi missas ritu pontificali aliasque sacras functiones peragendi, quas in solemnioribus festis Archiepiscopo impedito contra jus commune, contra speciales constitutiones metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis et in praejudicium aliarum dignitatum, quae ipsum in ordine canonicali praecedunt, sed ad primam dignitatem eaque impedita ad secundam omnino spectare. Haec praecedentia ipsi non competit, neque quia est Episcopus auxiliaris, neque quia est canonicus

primicerius, neque demum inspectis in eadem ipsius persona omnibus illis qualitatibus simul conjunctis. Pluribus siquidem adductis rationibus et exemplis, necnon rejectis oppositorum argumentis ostendimus qualitatem Episcopi titularis, quae accidentaliter in Canonico conjuncta reperitur, esse omnino extraneam Capitulo et solum mereri praecedentiam externam honoris quam diximus in obsequium episcopalis dignitatis, nihil vero importari auctoritatis et privilegii, ex ipsa qualitate Episcopi auxiliaris, quae pariter Capitulo est prorsus extranea et mere accidentalis, et hoc confecimus tam ex intrinsecis Capitulorum juribus quam ex intrinseca natura Episcopi auxiliaris. Sola igitur qualitas Canononici ea est, quae determinat ipsius jura praecedentiae in actibus jurisdictionalibus, seclusa omnino qualitate Episcopi tum titularis tum auxiliaris. Neque juvat utramque hanc qualitatem inspicere cum qualitate Canonici conjunctam, ut contra redactores voti probavimus. Haec quippe sejunctim prorsus consideranda sunt, cum duo qualitates Episcopi titularis et Episcopi auxiliaris, quas accidentales omnino et extraneas a Capitulo et a juribus capitularibus esse ostendimus, sunt in Canonico relate ad Capitulum et inspectis juribus capitularibus, tamquam non sint. Et sicut Archiepiscopus libere et independenter a Capitulo posset deputare auxiliarem suum licet non Canonicum ad supplendas functiones illas, quae necessario requirunt episcopalem characterem, minime vero ad alias functiones quae a Capitulo suppleri possunt, ut vidimus mox in Lubecen. 10. Junii 1636, ita si auxiliaris per accidens sit Canonicus non potest ipsum, qua auxiliarem, libere deputare ad alias functiones vice sua supplendas, quae a Capitulo, in vim juris communis et particularium constitutionum suppleri possunt et debent, quia in iis quae potestatem ordinis non requirunt, auxiliaris in Capitulo non est auxiliaris sed simpliter Canonicus. Qua Canonicus vero et secunda aut tertia dignitas non succedit Episcopo impedito, nisi prima et respective secunda dignitas, quae immediate succederet, impeditae pariter essent vel sponte cederent.

Ex quibus subsequitur in ea nos esse sententia, ut primo dubio respondendum sit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Antequam vero disputationem hanc penitus deseramus, monendum ducimus, omnia, quae hucusque scripsimus, ex principiis juris deducta esse et hanc vere esse mentem S. hujus Congregationis, quam eadem semper tenuit et decrevit in omnibus causis praeeminentiarum. Verum, jure suo unicuique reddito, fatemur quoque improbandum non esse consilium Vicarii generalis, qui, antequam sententiam suam proponeret, licet nobiscum sentiat primicerium episcopali dignitate insignitum sive qua Episcopum auxiliarem sive qua dignitatem simul et auxiliarem hanc praelationem succedendi Archiepiscopo impedito in celebratione pontificalium *sui Episcopi auxiliaris juribus tribuere non posse*, scite tamen prudenterque ita se sentire praemisit nempe: „Absente vel nolente Archiepiscopo diebus festis solemnioribus episcopalia officia celebrare in metropolitana Ecclesia vel alibi, ubi metropolitanum Capitulum convenit, valde quidem congruum esse, ut prima Capituli dignitas et Capitulum universum auxiliarem Episcopum rogent (etiam semel pro semper), quod ipse eadem pontificalia celebret ad festi splendorem augendum.“ Idque eo libentius notamus, quod ipse Archipresbyter idipsum sentiat, utrumque spondeat se permissurum, dum ait: „Ego ipse

congrue solemnioribus festis Episcopum auxiliarem sacra peragere censeo, ego ipse juri meo, quoad me, de facto cederem: attamen aliud est de congruentia, aliud de jure decernere: quid sit de jure sentiendum hoc ipso definiendum expostulo.“ In eo tamen satis non conveniremus, quod Vicarius generalis intra parenthesim includit, rogandum nempe Episcopum auxiliarem (*etiam semel pro semper*), tum quia nimia hac facilitate prioribus dignitatibus irrevocabile vulnus infligeretur et hinc saepius oriuntur abusus, tum quia Archipresbytero locus amplius non esset solemnes missas celebrandi ac sacras functiones peragendi. Archipresbyter enim per constitutiones capitulares cap. AIII.: „ab omni hebdomadarii munere liber est et immunis, ita ut is, ne sicut reliqui, missas, vesperas et alia divina officia per hebdomadas canere non teneatur.“ Si ergo *semel pro semper* jus suum succedendi Archiepiscopo impedito cederet auxiliari, jam ipse viam sibi praecluderet ad sacras functiones in posterum peragendas. Satius fortasse erit, si id quandoque fieret, praesertim in principalioribus anni festivitatibus. Neque enim cultus splendorque deerit missam celebrantibus sacrasque functiones peragentibus dignitatibus praeclarissimae metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis, quibus, sicut etiam Canonicis ex apostolicis literis incip. „in apostolicae sedis“ re. me. Clem. PP. IX. datis VI. Id. Junii. 1716, concessum indultumque est: „ut ipsi et horum singuli eorumque in quinque dignitatibus et vigintiquinque canonicatibus et praebendis praefatae Ecclesiae successores perpetuis futuris temporibus tam in civitate quam in dioecesi Mediolanen., etiam absente Archiepiscopo, in missis, vesperis ac laudibus decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum palmarum, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possint.“

Sed haec dicta tantum sint, Emmi et Rmi Patres, ut videatis, an propositae responsioni, si vobis ea placeat, expediat addere clausulam hortatariam: „laudandum tamen esse si, diebus praesertim solemnioribus, canonicus Episcopus comiter invitetur.“

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 19. Septembris 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 1016 et 1049.)

4) Consecrandus intra quod tempus?

Ad dub.: An titularis Episcopus negligens consecrationem suscipere intra tempus a Concilio Tridentino sess. 23. c. 2. de reformation. praefinitum incurrat poenas ab eodem Concilio inflictas videlicet restitutionis omnium fructuum, si negligentia fuerit per tres menses a die Confirmationis, et privationis Episcopatus, si negligentia fuerit per alios tres menses, et sic per tres menses a Confirmatione.

Negativa mihi arridet opinio. Ratio enim, cur Concil. Trident. ita obligavit Episcopos, fuit, ut occurreret spirituali damno, quod necessario subditis afferre debeat dilata ab Episcopo in longum tempus susceptio consecrationis. *Van. Espen.* Jur. ecclesiastic. part. 1. titul. 15. cap. 1. §. 13., *Hallier.* de sacr. Ordination. part. 3. section. 7. cap. 21. §. 2. num. 16. Haec autem Concilii Tridentini ratio locum sibi vindicare nequit quantum ad Episcopos titulares, utpote qui subditos habent habitu tantum, non item actu. Non est igitur quod Episcopus titularis negligens consecrationem teneri possit poenis Concilii Tridentini, ut punctim firmat Hiurstad. variar. resolution. n. 2.

tract. ultim. resolut. 12. §. 4. num. 726.

Accedit quod juxta Concilium Tridentinum ut locum habeat poena privationis Episcopatus debet praecedere poena restitutionis omnium fructuum. At quomodo quantum ad Episcopos titulares praecedere potest poena haec restitutionis omnium fructuum, si apprehendere ii nequeunt possessionem suarum Ecclesiarum utpote ab infidelibus occupatarum? Hinc igitur magis atque magis confirmatum remanet, quod intelligere nequit Concilium Tridentinum de Episcopis titularibus, eo ipso quod circa ipsos servari nequit ordo ille poenarum ab ipso Concilio Tridentino stabilitus et religiosissime propterea servandus. Optime *Rota* in Vilnen. Ordinis s. Basilii Magni Ruthenorum 3. Aprilis 1761 §. 14. cor. bon. mem. Frangipane.

5) Electio.

Episcopi titulares antiquitus non creabantur, sed tantum quia propriis Ecclesiis ob hostilitatem ejecti erant, in aliis Ecclesiis vacantibus Card. constituebantur, donec ad proprias Ecclesias reverti permitterentur, in cap. *Pastoralis* 7. quaest. 1., *Fagnan.* lib. 5. decr. cap. Episcopalia 1. de privilegiis et excessibus Privilegiator. num. 39. Modo tamen non jam, qui expulsi sunt, dantur Episcopi Ecclesiis vacantibus, sed creantur denuo Episcopi titulares illarum Ecclesiarum, tum ob alias causas, tum ad hoc ut suffragentur aliis Episcopis. *Fagnan. loc. cit. u. 41.* Horum Episcoporum titularium, qui creantur Episcopi alicujus Ecclesiae in partibus infidelium sitae, quae neque populum christianum, neque clerum habet, nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. seqq. 9. de Cardinalibus, ubi permisit creari Episcopos titulares, quibus pro suffraganeis possent uti Card. Episcopi in suis Ecclesiis, sicuti modo utuntur ipsis etiam varii alii Episcopi non Cardinales et ideo etiam hodie Summus Pontifex cum creat hujusmodi Episcopos titulares, utitur similibus verbis: Et suffragentur talibus donec etc. *Fagnan.* loc. cit. nf 41. et 44. Episcopi titulares sunt veri Episcopi characterem habentes episcopalem; cap. : *Pastoralis* 8. quaest. 1. et ibi Archidiac. sub n. 4. et Praepositus in 1. notabil. et alii communiter.

Vd. : *Titul. Episc.* (Canon.)

Ne vagi titularesque tantum Episcopi absque evidenti necessitate creentur, vetitum esse ex canonica et maxime ex Tridentini sanctione, significat Clem. XIII. Poloniae Regi Illustri, neque proinde illius votis obsecundare potuisse de tribus titularibus in Poloniae Regno creandis, sed tantum adjutorem Prismaliensi Episcopo concedere paratum esse.

Carissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster. Salutem et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Etsi Majestatem tuam ex pluribus cognovisse minime dubitamus, quam facilis ac propensa fuerit hactenus paterna charitas Nostra ad tibi, quoad Sedis Apostolicae dignitas ac ratio sinit, gratificandum; nihilosecius quae postulantur non omnia semper a Nostro pendent arbitrio, sed prius attente, secundum canonicas regulas, expendenda sunt atque libranda. Cum igitur apud Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Congregationis consistorialis facta petitio de tribus Episcopis titularibus per istud nobilissimum regnum noviter creandis

de more perpenderetur, judicaverunt ii, gratiae huic non esse locum, obsistentibus partim, quae in Tridentino Concilio de vagis Episcopis enunciantur, partim eorum numero, qui isthic jam extant, justoque metu ne ad haec in alias quoque regiones similia inducantur exempla. Quae cum Nobis relata fuissent Venerabilium Fratrum Nostrorum sensus atque consilia non potuimus reprobare.

§. 2. Verumtamen considerantes insigna Majestatis tuae merita in catholicam religionem ac sincera benemerendi tui voluntate permoti, istius judicii rigorem aliquantisper sic mitigandum esse censuimus, ut quod omnibus regali commendatione tua munitis concedi non poterat, uni saltem tribueremus; quocirca adlegimus dilectum filium sacerdotem Ignatium Kreyeanous Kium Canonicum Prismiliensem, quem opportunum atque utilem dioecesi illi juvandae arbitramur, cum ob gravem aetatem Venerabilis Fratris Michaelis Episcopi Prismiliensis tunc vero etiam quod is Vicecancellarii istius regni munere distentus a grege distrahatur; eaque propter Ven. Fratri Archiepiscopo Ephesino Nostro et Apostolicae Sedis Nuncio mandavimus, ut consueta de ejus meritis ac virtutibus inquisitionibus acta conficeret. Gratam igitur habeat, petimus, hanc apostolicae benignitatis indulgentiam sibique persuadeat Majestas tua Nos haec eo animo significasse, ut novum hac in re acciperes argumentum illius intimae ac vere paternae, qua te in Domino complectimur, charitatis, apostolicam benedictionem Nostram Majestati tuae ac universae regiae scholi amantissime impertientes. Datum Romae etc. die 5. Augusti 1761.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 194. Ed. Romae.)

Quantum a Tridentini Concilii sanctionibus adversetur, Episcopos titulares constituere absque Clero, absque Populo et absque sede significat Principi Montis Maurentiaci talem Episcopatum postulanti pro religioso viro meritis aliunde praeclaro.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Montis Maurentiaci.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, salutem et apostolicam Benedictionem.

§. 1. Non est incognita Nobis, neque praenobilis familiae tuae conditio, neque tua in hanc apostolicam Sedem fides et observantia eaque propter dari Nobis occasiones vehementer optaremus desideriis tuis gratificandi: sed pro ea, qua polles, prudentia, intelligere te minime dubitamus, non omnia, quae a Romano Pontifice postulantur, ex arbitrio solius voluntatis pendere, verum ad sacrorum canonum normam quamplura diligenter sunt expendenda et si igitur literis tuis plenam adhibuerimus fidem plurimumque laetati simus in Domino, quod dilectus filius Chrysostomus Ordinis Carmelitici Excalceatorum sedulam catholicae religionis cultui navet operam in Amstelodamensi sacello Gallicae Legationis et in verbi Dei praedicatione potissimum excellat, non idcirco tamen titulo Episcopi, ut vocant in partibus Infidelium, potest insigniri.

§. 2. Quam odiosi sint Tridentino Concilio ejusmodi Antistites neque Clerum neque Populum neque sedem permanentem habentes, satis compertum atque idcirco non sine gravi necessitate vel evidenti Ecclesiae utilitate creandi, maxime vero nisi prius honesto patrimonio dotati fuerint ad vitam ac dignitatem sine dedecore sustinendam; quae cum deficiant in praesenti rerum circumsantia, summopere dolemus, non posse Nos, uti vo-

luntas esset, petitionibus tuis annuere; haec eadem significabimus Venerabili Fratri Nostro Enrico Cardinali Episcopo Tusculano, Duci Eboracensi, si cum hac de re Nobiscum sermonem instituere contigerit. Caeterum jubeas volumus dictum Chrysostomum tranquillo esse animo, ad Nos enim quod spectat, sedulo cavebimus, ne quid hac de re ad ejús regulares Praelatos emanet, atque interea paternae benevolentiae Nostrae pignus accipito in apostolica benedictione quam tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter largimur. Datum etc. die 12. Septembris 1761.

(Ibid. p. 203.)

6) Habitus.

Vd.: *Episcop. titul.; Regul. Episcop.* (habitus).

Episcopus titularis canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in romana curia, id est Rochetto supra subtanam et Mantelletto violacei coloris. S. Congreg. Rit. in Compostellana 11. Junii 1617. Et debet praecedere omnibus aliis Canonicis et Dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi Missas et omnia alia. S. Congr. Rit. in Ragusina 22. Junii 1594 in d. Compostellana 11. Julii 1617 et in Calaguritana 13. Novembris 1621. Episcopus titularis, qui est Canonicus, subest visitationi Ordinarii ad instar aliorum Canonicorum et tenetur ad observantiam legis dioecesanae, aliter subjicitur poenae etiam excommunicationis in ea contentae. S. Congreg. Episcop. 24. Julii 1632 apud *Card. Petram* tom. 1. comment. in constit. 2. Leonis IX. sect. 5. n. 94.

7) Jurisdictio.

Vd.: *Titul. Ep.* (Pontif., ordinat. exercens).

Episcopus titul. jurisdictionem exercere potest in subditos Ecclesiae sibi assignatae, si ad christ. religionem convertantur.

Constit. Bened. XIV.: *Cum a Nobis.*

8) Ordinationes etc. exercens.

Vd.: *Titul. Episc.* (Pontificalia etc.)

Episcopi titul. valide sed illicite ordines conferunt sine licentia Ordinarii, in cujus dioecesi degunt.

Constit. Bened. XIV.: *Cum a Nobis.*

9) Origo.

Vd. *t. III. p. I. p. 697. n. 22. etc.*

10) Pallium.

Pallii honore non decorantur latini Patriarchae titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus, cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur.

Bened. XIV. de Synodo dioeces. l. 13. c. 5. §. 17.

11) Pontificalia exercens.

Vd.: *Pontificalia; Titul. Ep. Canon.* (Pontificalia etc.)

Pontificalia exercere non potest Episcopus titularis, nisi in illa dioecesi, cui datus est suffraganeus, ut statuit s. Pius V. in decreto suo consistoriali, teste Fagnan. l. V. decr. c. Episcopalia 1. de privil. et excess. Privileg. num. 50. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus fuerit constitutus: Concil. Trident. sess. 14. c. 4. de reformat. et sic expresse decisum fuisse a S. Congr. Concil. refert *Aldan.* in compendio Canon. resolut. lib primo titul. 4. n. 3.

Neque potest Episcopus titularis in Ecclesia sua jurisdictionali veluti si esset Praepositus Chrysma conferre nec

alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus dioecesis fines Praepositura existit, ut decisum fuisse refert *Aldan.* in Compendio Canon. resolut. lib. 1. tit. 8. n. 10. Neque potest Episcopus titularis familiarem suum etiam triennalem ordinare absque sui proprii Praelati expresso consensu; sic expresse Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 2. de reformat. Immo ordinati ab Episcopo titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure suspensi sunt, donec suo Praelato visum fuerit. Sic expresse Trident. loc. cit. Et ipse Episcopus titularis ordines conferens seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii dioecesani est suspensus per annum ab usu Pontificalium, textu expresso in Trident. loc. cit. Episcopus titularis non est creandus, nisi vere urgeat necessitas. *Clemertin. In plerisque cap. 5. de elect*, et *Glossa* ib. verb.: *Vagationis*, ubi inhaerendo d. decretali invehitur in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum et Ecclesias titulares; et ibidem in verb. *Religiosos* dicit, hunc abusum maxime vigere in Religiosis, qui ad hoc laborant interdum etiam importune et per corruptelas, ut canere possint cum Psalmista „*Laqueus contritus est et nos liberati sumus* Psalm. 123, et sic cum Glossa *Fagn.* loc. cit. n. 47., *Ursaya* in Miscellaneo sacro et profan. part. 2. verb.: *Episcopus* n. 37.

Episcopus titularis administrator alterius Ecclesiae, quas functiones in illa facere possit et quomodo ei teneantur assistere Canonici Cathedralis; S. C. Rit. definivit in Sarsinaten. Function. episcopalium 22. Aug. 1722 ponente Cardinali Paulutio, ubi fuerunt proposita et resoluta sequentia dubia:

I. An Episcopus Civitatis Ducalis Modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis dioecesibus in casu etc.? Et quatenus negative,

II. An dictus Episcopus et Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missam et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldachino ac Postergali et uti Baculo pastorali vel sedere debeat super Faldistorio prope altare sine Baculo?

III. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate apostolica?

IV. An ei, dum assistit Missae solemi ab alio cantatae, debeant Canonici facere Circulum ad Kyrie eleison, Gloria in Excelsis, Credo, Sanctus et Agnus Dei? Tuncque ubinam debeat sedere?

V. An fieri debeat anniversarium suae consecrationis, cum Missa cantatur per Capitulum et Clerum ejusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

VI. An dum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa?

VII. An dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris paramentis indui vel tres tantum fungentes Officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis?

VIII. Ad dum vadit ad Cathedram, debeat sumere Cappam magnam in Aedibus superioris Episcopatus vel in ingresu Ecclesiae seu Presbyterii?

IX. An Canonici accessurum ad Cathedralem debeant omnes excipere in dictis Aedibus vel soli tres aut quatuor ad portam Ecclesiae?

X. An diebus festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Concil. Trident. et Caeremonialis Episcoporum?

Supradicta die 22. Augusti 1722 responsum fuit
Ad primum: Negative.
Ad secundum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.
Ad tertium: Negative.
Ad quartum: Negative et sedeat in primo stallo Cleri.
Ad quintum: Negative.
Ad sextum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.
Ad septimum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.
Ad octavum: Arbitrio Administratoris in casu etc.
Ad nonum: Decere in casu, de quo agitur, ut omnes accedant
Ad decimum: Affirmative.

Pro Episcopo titulari obtinente Canonicatum in Cathedrali Asculana die 20. Martii 1720 in Sacra Congregatione Rituum per Card. Picum a Mirandula proposita octo sequentia dubia resoluta fuerunt, ut infra:

Dub. I.: An post delatam per Subdiaconum assistentem Episcopo locali pacem debeat illa deferri per dictum Subdiaconum Episcopo titulari, antequam Canonici assistentes in throno illam recipiant ab Episcopo locali? *Negative.*

II. An Canonicus Episcopus titularis in Missis et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis teneatur discedere a stallo unacum reliquis Canonicis pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcoporum? *Affirmative.*

III.: An exercente Pontificalia Episcopo locali liceat Episcopo titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre Pluviale vel potius incedere debeat cum Rochetto, Mantelletta et habitu violaceo?

Affirmative exercente Episcopo locali Pontificalia et assistente Capitulo in paramentis sacris.

IV. An unacum Pluviali possit quoque deferre Mitram episcopalem absque consensu Episcopi localis? *Posse, accedente consensu Episcopi.*

V. An et cujus qualitatis debeat esse Mitra gestanda per Episcopum? *Mitram debere esse lineam.*

VI. An in casu concessionis usus mitrae, ut supra, debeat Episcopus titularis illam per seipsum imponere vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius?

Per seipsum in casu ut supra.

VII. An liceat Episcopo titulari canenti Missas et Vesperas tamquam Canonico in propria hebdomada uti faldistorio et indumentis pontificalibus seu potius illas canere debeat sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonicis, et absque pontificalibus indumentis? *Ad mentem et mens est: ut in Missis de turno abstineat et subroget alium; in solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi.*

VIII. An in tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo localis? *Jam provisum. Et quoad thurificationem, Episcopum titularem essse thurificandum post Archidiaconum et Canonicos throno assistentes.*

Episcopos titulares nuncupatos pontificalia exercere in aliena dioecesi, nisi de ordinarii licentia, minime posse sancit

Pius IV. Episcopus, servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, nonnulli Epis-

copi Ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes ac populo christiano, cum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Jesu Christi sed alienas oves, inscio proprio pastore, quaerentes, pontificalia officia, quae nisi de ipsorum locorum ordinariorum licentia et in personas eisdem ordinariis subjectas tantum exercere deberent, in alienis civitatibus et dioecesibus seu in locis nullius dioecesis quasi episcopalem cathedram propria temeritate ac praetextu literarum sacrae nostrae Poenitentiariae officio vel alias emanatarum erigere et quoscumque ad se venientes, etiam si suorum praelatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere insignire et ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines promovere audeant et praesumant, quo plerumque fit ut minus idonei ac rudes et ignari et qui a suo Episcopo, tamquam inhabiles et indigni rejecti fuerint, ab illis ordinati, nec divina officia peragere neque ecclesiastica sacramenta recte valeant administrare, in clericalis sacerdotalisque ordinis dedecus et contemptum ac christifidelium et scandalum plurimorum,

Nos igitur, pro nostri pastoralis officii, nobis divinitus injuncti, debito opportunum in praemissis remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, quascumque literas ab eodem Poenitentiariae nostrae officio seu alias a Sede apostolica quomodolibet emanatas harum serie revocantes penitus et annullantes ac nemini de caetero suffragari, nec quemquam illis se ullo pacto juvare neque uti posse decernentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, ordinamus atque declaramus quod posthac nullus Episcopus ex eis, qui titulares vocantur, in qualibet civitate seu dioecesi, etiamsi in loco nullius dioecesis, quantumcunque exempto aut aliquo monasterio cujusvis ordinis, etiam quibuslibet privilegiis et immunitatibus suffulti, ubilibet consistente, resederit aut moram traxerit, praetextu quarumvis literarum ab eodem Poenitentiariae officio seu alias ab ipsa Sede apostolica sibi de promovendo quoscumque ad se recurrentes pro tempore concessarum, pontificalia officia, nisi, ut praefertur, de ordinarii expressa licentia et in personas eidem ordinario subjectas dumtaxat exercere vel aliquem alterius subditum, etiam sub colore familiaritatis, continuae commensalitatis suae absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis, ad primam clericalem tonsuram aut aliquos alios minores aut etiam sacros et presbyteratus ordines, ullatenus possit aut debeat promovere.

Quodque quilibet ex dictis Episcopis titularibus contrafaciens ab exercitio ipsorum pontificalium per annum, taliter vero promoti ab executione ordinum per eos, ut praemittitur, susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso jure suspensi sint et esse censeantur.

Sicque per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus apostolicis, necnon civitatum, dioecesum, monasteriorum, ordinum et locorum praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis quomodolibet concessis et confirmatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter

expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Maii 1562 pontif. anno III.

Sequitur declaratio superius editae constitutionis.

Pius Papa IV.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt a nobis literae in forma brevis, tenoris subsequentis, videlicet: Pius etc.

Volentes autem, per nostrae sollicitudinis vigilantiam, in praemissis diligentius et efficacius providere ne Episcopi titulares, in praeinsertis literis nominati, aliquid, etiam praeter mentem ac voluntatem nostram et sacras constitutiones, in ecclesiastici ordinis jacturam et detrimentum, attentare seu praesumere audeant: motu et scientia similibus, quod Episcopi titulares praefati posthac nullos actus pontificales exercere neque ordines sacros aut minores nec etiam primam clericalem tonsuram cuiquam conferre possint, tam temporibus a jure statutis quam extra ipsa tempora, non solum personis et in locis subjectis dioecesanis, in quorum dioecesi pro tempore resederint, sed nec etiam aliis personis, quae ad illam dioecesim cum licentia proprii ordinarii seu superioris venirent et peterent se promoveri aut ordinari, nisi habita prius expressa licentia Episcopi vel ejus Vicarii, in cujus dioecesi fuerint, etiamsi in monasterio vel loco nullius dioecesis seu quomodolibet exempto dictos actus pontificales exercere aut ordines et tonsuram hujusmodi conferre vellent; quodque si dicti Episcopi titulares contrafecerint et in praemissis non paruerint vel in eis excesserint, Episcopi ordinarii seu illorum vicarii tamquam delegati Sedis apostolicae contra eos ad suspensionis ab eorum ordinibus ad tempus sibi bene visum, necnon, illorum crescenti contumacia, ad privationis omnium et singulorum beneficiorum, per eos ex dispensatione apostolica seu alias quomodolibet obtentorum ac etiam pecuniarias arbitrio ipsorum ordinariorum seu vicariorum infligendas et applicandas poenas procedere et eos a suis dioecesibus expellere libere et licite valeant; nec illi in monasteriis aut locis exemptis vel nullius dioecesis, quae consistant intra ipsorum ordinariorum dioecesim vel ei contigua sint sine permissione Episcopi vel ejus Vicarii hujusmodi, stare, habitare seu moram trahere ullo modo possint auctoritate apostolica, tenore praesentium similiter statuimus, decernimus atque declaramus.

Inhibentes, sub suspensionis a divinis et excommunicationis aliisque arbitrii nostri poenis, eisdem Episcopis titularibus, ne, quovis praetextu aut quaesito colore, huic statuto, decreto et declarationi ac praesentibus literis nostris in aliquo ullatenus contrafacere seu contravenire audeant vel praesumant.

Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his ab illis seu eorum aliquo fieri vel attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis literis, tam ab ipsa sacra Poenitentiaria, quam sub plumbo et in forma brevis a Nobis et sede apostolica quomodolibet emanatis, necnon omnibus illis, quae in praesertis literis hujusmodi voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris etc. ut supra.

(Bull. r. t. p. 198. Ed. Aug. Taur. 1862.)

12) Praecedentia.

Vd.: *Episcopus* (praeced.); *Episc. titul.*; *Sed. Episcop. in Synodo prov.*

Episcopis titularibus praecedunt Episcopi locales etiamsi posteriores sint consecratione.

Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 32. num. 19. et 21., *Ursaya* in Miscellaneo sacro et profano part. 2. verb. : Episcopus n. 40.

13) Synodus et Concilium.

Titulares Episcopi nequeunt cogere Synodum dioecesanum, nisi qui a suis Ecclesiis expulsi sunt, aut in terris Christianorum jurisdictionem exercent in determinatis locis *Benedict. XIV. de Synodo dioecesana* lib. 2. c. 4. a num. 3. ad 6. Episcopi titulares non fuerunt admissi ad Concilium Romanum sub Benedicto XIII. celebratum anno 1725. Idem ibid. lib. 5. cap. 10. num. 3.

An Episcopi titulares possint ac debeant vocari ad Concilia generalia in iisque votum habeant decisivum, gravior quaestio est, de qua *Andreuccius* de Episcopo titulari P. II. num. 118. seqq. Nullus certe titularium Episcoporum, qui plures erant, vocatus fuit ad Lateranense et Tridentinum Concilium. *Vide Cardinalem de Lugo* lib. V. Responsor. Moral. dub. 15.

TITULUS.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (titulus); *Indulg. altaris* (quando reviviscat?) *Indulg. ecclesiae renov.* (decr. 13. Septembris 1723.)

2) Cardinalium.

a) Modus dandi.

De dandis Titulis et Annulis Cardinalibus.

Accedentes novi Cardinales unus post alium ad Pontificem, primus genuflectit ad Pontificem, qui accipiens Annulum pretiosum ad hoc praeparatum immmittet in digito annulari dextrae manus Cardinalis, dans ei Annulum et Titulum, dicens: „Ad honorem Dei Omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et sancti N. cum clero et populo et capellis suis secundum formam, qua committi consuevit Cardinalibus, qui eandem Ecclesiam in Titulum habuerunt.“ In Diaconis autem id servatur, nisi quod non dicit: Tituli, nec adduntur capellae.

Quod novi Cardinales non utuntur Annulis antequam habeant Titulum.

Notandum, quod novi Cardinales, etiamsi antea erant Praelati, non debent portare Annulos antequam habeant Annulum a Summo Pontifice. Cum autem acceperint Annulum et Titulum, osculentur pedem et Pontificis manum; et Sanctitas Sua eos elevet ad osculum oris et revertantur ad sedes suas. Datis Annulis et Titulis Cardinalibus praesentibus, consuevit Pontifex ad contentiones tollendas etiam dare Titulos Cardinalibus absentibus, si qui sint noviter creati. Et haec omnia de ore aperiendo, Annulis et Titulis dandis, possunt etiam fieri extra Consistorium ordinarium, videlicet in circulis et Congregationibus, quando Cardinales vocantur pro aliqua causa, et tamen supradicta servantur, sicut in Consistorio.

(Catal. Caer. Eccles. rom. l. I. p. 312.)

b) Praefinitio titulorum etc.

Praefinitio titulorum et diaconiarum pro sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris et diaconibus cardinalibus.

Sixtus V. Episcopus, servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Religiosa sanctorum Pontificum prae-

decessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, jam inde a vetustissimis temporibus et posteris traditum, ut sanctae Romanae Ecclesiae presbyteris certae in urbe Roma Ecclesiae, tituli appellatae, quasi quaedam cujusque propriae dioeceses, diaconibus vero Urbis regiones, ad christianae religionis propagationem et conservationem, assignarentur. Quae quidem sancta institutio, plurium saeculorum continuata serie ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aetatem servata, ita viget, ut praeter sex Episcopos cardinales, qui certts cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis et diaconiae, cum suis clero et populo ac quasi episcopali jurisdictione in spiritualibus et temdoralibus regendae et administrandae committantur.

§. 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam constitutionem creandorum Cardinalium numerum, *computatatis sex Episcopis praedictis, quatuordecim diaconis, reliquis vero presbyteris cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus*, nunc quoque, ad Dei honorem atque ad ipsius sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum ac romani cleri et populi bonum regimen salubremque directionem, eisdem presbyteris et diaconis cardinalibus totidem titulos et diaconias, ipsorum amplitudini et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis Ecclesiis in titulos et diaconias concedi solitis aut a praedecessoribus nostris successu temporum additis adhuc integrae et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate et injuria temporum, tum diversis quae olim contigerunt ejusdem Urbis direptionibus, incendiis et ruinis, collapsae sunt, Nos, antiquae pietatis et religionis christianae monumenta conservare cupientes, sicuti sacrosanctas basilicas et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarda custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres et nobiles Ecclesias, priscis temporibus in titulos presbyterorum cardinalium, ut praefertur, institutas, delegimus easque omnes, quae adhuc extant, volumus omnino in titulos pro modernis et futuris presbyteris cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, caeteras itidem retinere ac demum, ne titulorum numerus presbyteris cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen hujusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate praesulum majorem in modum illustrare et in similes titulos erigere et instituere ac pro numero presbyterorum cardinalium tot titulos addere; ex diaconiis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem diaconis cardinalibus seligere et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum titulos et diaconias proprios assignando, ita ut numquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, presbyteris diaconiae, neque diaconis tituli presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut, quemadmodum Summus Pontifex, universali Ecclesiae praesidens et omnium totius orbis Ecclesiarum sollicitudinem gerens] specialiter tamen Urbis Romae Episcopus existit et in ea divina dispositione supremam sacerdotalis potestatis cathedram tenet, pari quoque ratio ne cardinalibus, quos uti speciales S. R. E.

filios, in apostolici muneris functione atque in universae reipublicae christianae administratione praecipuos sibique maxime conjunctos habet consiliarios et cooperatores, in eadem urbe Roma, quae olim Beati Petri sede in ea constituta, ipsius et apostoli ejus Pauli doctrina et martyrio consecrata et caput christiani orbis et religionis effecta est, certas sedes, mansionem et locum unicuique proprium assignet; cujus quidem loci concessione, iidem Cardinales et sui officii admoneantur et residentiae, quam assistendo ipsi Romano Pontifici servare debent, et vel ex hoc magis tamquam in unum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse et ab illo dependere clarius dignoscatur.

§. 2. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio statuimus et ordinamus, *in posterum perpetuis futuris temporibus, presbyteris cardinalibus has tantum, quae infra descriptae sunt, Ecclesias neque alias in titulos assignari debere, videlicet* ex antiquis: s. Crucis Hierusalem, ss. Marcellini et Petri, ss. Quatuor Coronatorum, ss. Joannis et Pauli, s. Anastasiae, s. Sabinae, s. Stephani in Coelio monte, s. Clementis, ss. Nerei et Achillei, s. Susannae, s Pudentianae, s. Sixti, s. Petri ad Vincula, s. Martini in montibus, s. Eusebii, s. Priscae, s. Vitalis, s. Marci, s. Marcelli, s. Laurentii in Lucina, basilicae duodecim Apostolorum, s. Laurentii in Damaso, quae S. R. E. Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est, s. Balbinae, s. Caeciliae et Chrysogoni, s. Praxedis, s. Mariae Transtyberim. Ex posterioribus vero: ss. Quirici et Julitae et s. Joannis ante Portam Latinam, s. Agnetis in Agone, s. Laurentii in Panisperna, s. Thomae in Parione, s. Silvestri in Campo Martio, s. Pancratii, s. Bartholomaei in Insula, s. Matthaei in Merulana, s. Mariae de Aracoeli, s. Mariae in Via, s. Mariae super Minervam, s. Mariae Angelorum in Thermis, s. Hieronymi Illyricorum; necnon quas supradictis antiquis et posterius institutis addimus et ex nunc in titulos presbyterorum cardinalium, cum honoribus, insignibus, privilegiis, auctoritatibus et praeeminentiis debitis et consuetis, instar aliarum Ecclesiarum, quae in similes titulos per nostros praedecessores antiquitus erectae et institutae fuerunt, sine alicujus praejudicio, perpetuo erigimus et instituimus ac titulorum nomine et dignitate insignimus et decoramus: s. Honuphrii in Janiculo, mutato illius statu ex diaconia, quae hactenus fuit, in titulum presbyteralem, sancti Augustini, sanctae Mariae de Populo, sancti Alexii in Aventino, sancti Blasii de Annulo, s. Mariae de Pace, s. Salvatoris de Lauro, s. Petri in Monte Aureo, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, s. Mariae Transpontinae.

§. 3. *Ex diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas, videlicet*: S. Mariae in Aquiro, s. Mariae in Cosmedin, ss. Cosmae et Damiani, s. Mariae Novae, s. Hadriani, s. Mariae in Via Lata, s. Mariae in Porticu, s. Angeli in Foro Piscario, s. Nicolai in Carcere Tulliano, s. Mariae in Dominica, s. Eustachii, s. Viti in Macello, s. Agathae ac s. Georgii ad Velabrum, ecclesias, quae insigniores existunt et praescriptum a nobis diaconorum cardinalium numerum exaequant.

§. 4. Ita ut, computatis Ecclesiis cathedralibus, videlicet Ostiensi et Veliterna invicem unitis, Portuensi et s. Rufinae itidem unitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana et Praenestina, *quibus sex Episcopi cardinales praesunt, et titulis presbyterorum superius de-*

signatis, numerum septuaginta Ecclesiarum constituant.

§. 5 *Et alter praeterea titulus supra numerum addictus sit, ut si quando contingat diaconum vel Episcopum cardinalem vicecancellarium esse*, et ideo eumdem dictae Ecclesiae s. Laurentii in Damaso, quae vicecancellario pro tempore existenti per litteras felicis recordationis Clementis Papae VII. praedecessoris nostri, perpetuo, ut praefertur, concessa et assignata fuit, praeesse alicui presbytero cardinali proprius titulus non desit.

§. 6. Omnes vero illas Ecclesias, quae per praesentem nostram constitutionem presbyteris in titulos assignatae sunt, nunc vero a diaconis cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione apostolica, pro diaconia obtinentur, itidem omnes et quascumque ex dispensatione apostolica, itidem omnes et quascumque ex quatuordecim superius enumeratis diaconiis, quae presbyteris cardinalibus in titulos forsan etiam ex simili dispensatione, concessae alias fuerunt et ab iis obtinentur; demum omnes et quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis presbyteris aut diaconis cardinalibus in titulos aut diaconias commissas et assignatas ac per ipsos obtentas volumus et decernimus per praesentes ex nunc eo ipso vacare et quascumque illarum assignationes, concesssiones necnon dispensationes, desuper, etiam motu proprio et consistorialiter ac de simili fratrum consilio expeditas, quae a praedecessoribus nostris, quaeque a nobismetipsis emanarunt, literasque apostolicas desuper confectas processusque habitos per easdem et inde secuta quaecumque casssamus, irritamus et annullamus irritaque et nulla ac nullius roboris vel momenti esse nunciamus, mox assignaturi eisdem Cardinalibus, ex quorum personis Ecclesiae in titulos aut diaconias per eos hactenus obtentae vigore hujus nostri decreti vacant, et eorum cuilibet alios titulos aut diaconias ex supradicto numero, proprio cujusque ordini congruente.

§. 7. *In aliis vero*, praeterquam supra nominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquae in titulos presbyterorum aut denominationes diaconorum cardinalium concedi solitae sunt et cardinales iis praefici consueverunt (quarum singularum situationes et invocationes praesentibus haberi volumus pro expressis), *nomina, insignia, denominationes et statum hujusmodi titulorum aut diaconiarum perpetuo snpprimimus et extinguimus*, *ac districte etiam interdicimus ne de caetero umquam, perpetuis futuris temporibus, alia quam ex supradicto numero Ecclesiae in titulum aut denominationem cardinalatus cuipiam presbytero aut diacono cardinali concedatur aut assignetur*, neque aliis quam supranominatis titulis aut diaconiis presbyteri vel diaconi cardinales praeficiantur: neve umquam aliqua ex dictis titulis diacono cardinali quomodolibet concedatur vel assignetur, neque cum iis aut eorum aliquo, ex quavis causa, desuper dispensetur.

§. 8. Sed et decreta alias in consistorio super hoc edita innovantes et ampliantes pari ratione etiam *perpetuo prohibemus ne in posterum alicui presbytero aut diacono cardinali, qui alterum titulum aut diaconiam quomodolibet assecutus fuerit*, *quive ex ordine diaconorum ad ordinem presbyterorum vel ad episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit*, *licentia et facultas retinendi priorem Ecclesiam seu tituli vel diaconiae in administrationem aut in titulum* non canonicatuum et prae-

bendarum, dignitatum, officiorum aut beneficiorum dimissi tituli vel diaconiae collatio, neque palatii, domus, vineae, hortorum aut fructuum, reddituum et proventuum aut jurium quorumcumque ad hujusmodi titulos seu diaconias pertinentium, ad tempus seu ad vitam, retentio aut ulla alia reservatio, quovis praetextu, occasione vel causa, etiam melioramentorum et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem sive utilitatem factorum, concedantur; sed volumus ut ipsi tituli et diaconiae, cum illis adnexis, juribusque et pertinentiis suis universis, libere dimittantur.

§. 9. Insuper praecipimus et *perpetuo ordinamus ut de caetero in quibuscumque literis apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam tituli seu diaconiae vel episcopatus seu cardinalatus nomine expresso, se subscribant.*

§. 10. Decernentes per hujusmodi erectionem et institutionem decem praedictas per Nos in titulos erectas Ecclesias tantummodo, novis privilegiis et dignitate auctas, decoratas et insignitas, nihil autem omnino praejudicii cuiquam illarum, nihil alieni juris detractum aut immutatum censeri posse aut debere; sicque per quoscumque judices, ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et Cardinales praeditos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et in quavis causa et instantia judicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super praemissis eorumque aliquo a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Ecclesiarum supradictarum et aliarum quarumcumque, neonon Ordinum, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen cura et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus et temporalibus sollicite, fideliter et prudenter regant et gubernent ac juxta constitutionem piae memoriae Leonis Papae decimi, praedecessoris nostri, in Concilio Lateranensi novissime celebrato, editam frequenter visitent, circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam cleri et populi eis subjecti diligenter explorent eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu; bonorum ac temporalium reddituum gerant, sic ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem, pia et magnifica structura et fabrica suas quique Ecclesias instaurare studeant et exornare; et tam in vita quam in morticulo, pro divini cultus augmento et salute animarum suarum ac ad congrue sustentandum aliquem presbyterum, qui inibi in divinis deserviat sive alias erga ipsas Ecclesias, si rereparatione indigeant vel alia subventione, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora et ornamenta tantorum praesulum respondeant dignitati ac ipsae Ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant commissas et eorum amplitudine illustratas; iidemque Cardinales ipsius S. R E., cujus no-

bilissima membra sunt, majestatem, sua pietate, sollicitudine et prudentia in dies magis extollant et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter, augeant ac denique, praeter aeternae retributionis praemia, digna quoque laudum praeconia, a nobis et apostolica sede valeant promereri.

§. 13. Mandamus vero ut praesentes literae in quinterno Cancellariae appstolicae de more describantur.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, erectionis, institutionis, insignationis, cassationis, irritationis, annullationis, nunciationis, suppressionis, extinctionis, interdicti, innovationis, ampliationis, prohibitionis, praecepti, derogationis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 13. Aprilis 1587.

(Bull. r. t. VIII. p. 832. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Decretum consistoriale SSmi D. N. Urbani divina providentia Papae VIII. de titulis S. R. E. Cardinalium. Die 10. Junii 1630. In Consistorio secreto fuit facta per Dominum Cardinalem Pium relatio decreti Sacrae Congregationis Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium, ut infra.

Beatissime Pater!

Sacra Congregatio Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium censuit, si Sanctitati Vestrae placuerit, loco Titulorum: „Illustrissimi" et „Dominationis Vestrae Illustrissimae," quibus hactenus usi sunt Cardinales, Titulos „Eminentissimi" et „Vestrae Eminentiae," una cum antiquo titulo Reverendissimi in posterum esse debere proprios et peculiares Cardinalitiae Dignitatis, ita ut praefati tituli „Eminentissimi" et „Eminentiae" a nemine praeterquam ab ecclesiasticis romani Imperii electoribus ac Magistro Hospitalis Hierosolymitani usurpari possint aut aliis attribui, eosdemque titulos ab omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus et futuris omnino assumi illisque inter se tam voce quam scripto perpetuo uti debere. Quod si contigerit aliquem cujuscumque Dignitatis gradus et conditionis (Imperatore ac regibus exceptis) hujusmodi titulos alicui Cardinalium non tribuere, Cardinalis ille nullatenus cum eo coram agat, nec ejus literas quoquomodo recipiat.

Insuper censuit supplicandum esse Sanctitati Vestrae, ut per suum consistoriale decretum praecipere dignetur caeteris omnibus et singulis ecclesiasticis cujuscumque conditionis, gradus et dignitatis, etiam episcopali, archiepiscopali, primatiali seu patriarchali dignitate praefulgentibus, ne praefatos „Eminentissimi" et „Eminentiae" titulos quoquomodo sibi usurpent, sub poenis indignationis Sanctitatis Vestrae et Romanorum pro tempore Pontificum, inhabilitatisque ad alias dignitates et incapacitatis quarumcumque gratiarum seu indultorum sedis Apostolicae ac amissionis fructuum suarum Ecclesiarum et beneficiorum quorumcumque ipso facto incurrendis.

Item censuit haec omnia in praesenti consistorio esse referenda, ut Sanctitate Vestra annuente ab omnibus et singulis Cardinalibus recipiantur et super eorum perpetua et inviolabili observatione juretur debitaeque executioni demandentur, a praesentibus quidem in consistorio statim, ab existentibus vero in curia post tres dies et ab absentibus post duos menses in

Italia et post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes et singuli Cardinales, qui in futurum creabuntur, jurare teneantur, praesentes quidem in receptione, absentes vero in receptione Bireti.

Qua relatione habita SS. D. N. per haec verba, quid vobis videatur? omnium DD. Cardinalium exquisivit suffragia et singulorum auditis sententiis non solum unanimiter consentientibus verum etiam instantissime deprecantibus atque S. Sanctitati supplicantibus, ut hujusmodi decretum cum auctoritate imprimendi etc. et literas etiam in forma Brevis expediendi, cum solitis clausulis etc. confirmaret,' Sanctitas Sua, ut sequitur, decrevit.:

Petitionibus vestris annuentes proposita Nobis per vos omnia admittimus et approbamus et desuper literas etiam in forma Brevis cum clausulis opportunis et necessariis concedimus et expediri mandamus, cum auctoritate imprimendi. In nomine etc.

Absoluto consistorio post discessum Pontificis, in Congregatione generali omnes et singuli Cardinales, qui consistorio interfuerunt, tactis sacrosanctis Evangeliis jurarunt et subscripserunt, ut infra:

Nos miseratione divina Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales supradictum decretum S. Congregationis Caeremoniarum S. R. E. Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro approbatum, a nobis receptum perpetuo ac inviolabiliter observare promittimus et juramus.

(Anal. J. P. 1857 p. 1921.)

3) Dignitat. et Canonicor.

Ad dub.: An in confectione notulae capitularium, qui tenentur assistere Episcopo Pontificalia exercenti, Dignitates designari valeant diverso titulo ac designantur Canonici?

Si C. resp.: *Negative.* N. 4064 ad 18 die 31. Augusti 1737.

4) Ecclesiae.

a) Non mutandus.

Titulus antiquus Ecclesiae mutari non potest a Confraternitate. Sacra Rituum Congregatio 26. Octobris 1604.

Vd. t. III. p. II. pag. 411, 444 n. 1., 446 §. Juxta.

b) Translatio.

Translatio tituli Ecclesiae s. Maria nuncupatae ad Capellam de jure patronatus familiae Perelliae facta in Ecclesia beatae Mariae nuncupatae delle Crocelle in regno utriusque Siciliae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Quum multa proximis temporibus in utriusque Siciliae regno ecclesiasticis rebus divinoque cultui inflicta sunt vulnera, quibus sane conjunctis studiis cum carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando regni utriusque Siciliae rege illustri, medelam afferre conamur, tum illud quoque ad religionis damnum ac contumeliam insigne est quod ibidem evenisse de Ecclesia sanctae Mariae ad capellam nuncupata Nobis innotuit. Quum enim Ecclesia illa ad abbatiam in primis vetustam aliquando pertinuisset, quae abbatia a monachis subinde vacua consistorialis est facta et ab apostolica hac Sede Perrelliae familiae concessa, ut in eam patronatus jura exerceret, repentina cupido id templum evertendi invasit illorum animos, quibus omnia divina atque humana violare habeat; utque eo in loco rerum pro-

mercalium nundinae haberentur, sacra aedes perpetuoque cultu dignissima disturbata est ac solo aequata.

§. 2. Quam divino cultui sibique factam injuriam quum dilectus filius magister Petrus Paulus Perrelli ejus abbatiae rector conquestus esset apud carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum regni utriusque Siciliae regem illustrem, necnon apud dilectum filium magistrum Justiniani, qui ex Nostra nominatione ad exequendam conventionem initam anno millesimo octingentesimo decimo octavo, inter Nos eumdemque pientissimum regem hoc tempore degit Neapoli, utrisque est visum huic incommodo ratione aliqua occurri posse, siquidem titulus et jura eversae Ecclesiae sanctae Mariae ad capellam nuncupatae ad Ecclesiam Conceptionis titulo nunc insignitam dictamque delle Crocelle ad Fiatamone apostolica Nostra auctoritate transferatur. Suppliciter ergo a Nobis petiit dilectus filius magister Perelli, ut ad eam translationem sanciendam suprema Nostra potestate praesto esse velimus.

§. 3. Nos vero eumdem oratorem et alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi et a quibus anathematis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, titulum sanctae Mariae ad capellam nuncupatae ad Ecclesiam, memoriae et honori beatae Mariae conceptae assurgentem appellatamque delle Crocelle al Fiatamone apostolica auctoritate transferimus, una cum omnibus juribus, exemptionibus, indultis ac privilegiis, quibus eversa abbatialis Ecclesiae sanctae Mariae ad capellam antea fruebatur.

§. 4. Et quoniam ea Nos mente ac consilio ejusmodi legem de translatione jubemus, ut nimirum amissae Ecclesiae detrimentum abbati sanctae Mariae ad capellam sarciatur simulque consulatur decori subrogatae Ecclesiae delle Crocelle quam modo negligi ac squallere non sine animi Nostri dolore luctuque rescivimus, idcirco venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitano, tamquam apostolicae Nostrae Sedis hujus rei causa delegato, extraordinariam curam imponimus subrogatae Ecclesiae reparationi ac decori solerter advigilandi et congruum tempus praestituendi, intra cujus lapsum abbas reficere concessam sibi suisque successoribus Ecclesiam debeat eamque sacra suppellectili, pro usu ac dignitate exornare, utendique omnibus ac singulis juris factique, ut dici solet, remediis, quae adhibenda censeat, ne consilia Nostra, divini cultus splendorem spectantia, ad nihilum recidant aut parum accurate impleantur.

§. 5. Haec concedimus atque mandamus decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 15. Januarii 1822.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 467. Ed. Romae.)

5) Ordinationis.

a) Episcopus ex propriis complere debet, si quem sine titulo sufficienti ordinaverit.

Egit *Fagnanus in cap.: Cum secundum de praebendis num. 63.* cum pluribus sequentibus et concludit, per Concilium innovatas tantummodo fuisse poenas contentas in cap. *Cum secundum de praebendis,* et addit fuisse per Sacram Congregationem declaratum, quod si quis fuerit promotus ad Or-

dines cum patrimonio minus sufficienti ad sui congruam sustentationem, tenetur Episcopus tamdiu ex proprio supplere, donec promotus competens Beneficium fuerit assecutus.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Septembris 1784 *Visen.*) *Vide, quae sequuntur* et pag. 508. g., 509. h.

b) Episcopus facultate apost. concessa sine titulo ordinare potest.

S. *Crucis in Indiis Occident.*

(Conc. Tr. C. 2. S. 21. De ref.)

Licet a s. Concilio *Tridentino sess. 21. cap. 1. de reform.* statum fuerit, neminem promoveri posse ad sacros Ordines, nisi prius legitime constet eum habere beneficium ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem vel ad minus patrimonium vel pensionem, in hypothesi tamen, in qua Episcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium seu pensionem sit ad Ordines assumendus pro necessitate vel commoditate Ecclesiae, et antiquorum Canonum poenae fuerint ibidem a sacro Concilio innovatae, non ita quidem, ut Ordinatus sine titulo sufficienti sit suspensus et ministrando fiat irregularis, juxta *textum in Can. neminem et in Can. Sanctorum dist. 70.*, sed ita, ut ordinans teneatur sic ordinato alimenta subministrare, donec ille beneficium ecclesiasticum consequatur, juxta *textum in cap.: Cum secundum de praebendis*, et late disputata ad sensum hujus Sacrae Congregationis per *Fagnanum in citat. cap.: Cum secundum num. 23. et seqq.*, ubi solum sub num. 68. docet, poenam suspensionis clericum sine titulo sufficienti ordinatum afficere in casu, in quo ipse Ordinantem deceperit, falsas producendo probationes super sui tituli congruitate et licet interpretando allegatum textum Concilii Sacra haec Congregatio de mense Octobris anni 1589 ut in regestis lib. 6. pag. 58. plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quae illud reperitur: *An habens ex propria industria et honesto labore tantum lucrum, quantum satis est ad vitae sustentationem promoveri valeat? Negative* responderit.

Exempla nihilominus non desunt, in quibus urgente Ecclesiarum necessitate concessum fuit, ut fieri posset ab Episcopis ordinatio clericorum saecularium etsi illi nec beneficium nec patrimonium obtineant; et praetermisso quidem exemplo Ecclesiae Metropolitanae Florentinae, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV. concessum, ut Clerici, qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant licet nec beneficium nec patrimonium obtineant, a Summo Pontifice Urbano VIII. die 13. Martii 1640 concessum fuit Alumnis Seminarii Pragensis, ut ordines recipere valcant sine titulo beneficii aut patrimonii, sed solum ad titulum Missionis, prout ab eodem Pontifice praecedenter concessum fuerat die 18. Maii 1638 Alumnis Collegii de propaganda fide. Alumni Collegii Illirici a Gregorio XIII. instituti et ab Urbano Papa VIII. restaurati in Civitate Lauretana privilegio potiuntur ordinationis sine Beneficio ecclesiàstico et patrimonio, nulla facta mentione tituli Missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concesso prima Junii 1627. Consimile est privilegium ab eodem Pontifice concessum Collegio Fuldensi pro Scholaribus Germaniae nationis necnon Collegio Pragensi, uti plenius deprehendi valet ex collectioné Bullarum et decretorum Congregationis de Propaganda Fide impressa, sed numquam absoluta nec publicata.

Cohaerenter ad haec Episcopus sanctae

Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, cum in suis literis ad Sanctissimum Dominum nostrum latis exposuerit, quod in civitate sancti Laurentii della Baranca, quae loco alterius sanctae Crucis, quae amplius non existit, subrogata fuit, duo tantum sunt Parochi et duo Ministri in Cathedrali, Decanus videlicet et Archidiaconus, quodque nullus superest modus capellanias aut beneficia erigendi, ad quorum titulos clerici ordinari valeant et quod tandem impossibile est extraneos advocare, qui ad dictas regiones accedant, ex quo nullum est hujus provinciae cum aliis commercium et sic Sanctitati Suae supplicaverit pro facultate initiandi sacris ordinibus ejus regionis incolas, licet titulum beneficii aut patrimonii non habeant et multo magis, cum nullum adsit periculum, quod Promoti mendicare conspiciantur, quia nullus in dicta regione est, qui mendicet et a Sanctitate Sua fuerint preces remissae ad Sacram Congregationem, disputandum in praesenti proponitur dubium:

An Episcopo sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros Ordines in Civitate sancti Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium nec pensionem nec patrimonium obtineant?

S. C. C. resp.: Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium.

Die 8. Julii 1718.

c) Fictus.

Qui cum ficto titulo promovetur incidit in suspensionem ex *Canon. neminem, 1., Canon. Sanctorum distinct. 70.*, quae innovata fuerunt a Concilio *Trident. sess. 21. cap. 2. De reform.*

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Junii 1804. *Aveirensis.*)

d) Graecorum.

Vd. t. III. pars I. pag. 252. n. II.

e) Qui sunt legitimi tituli?

Vd.: *Tit. Ord.* (ex pecuniis etc.)

f) Obligatio.

Ne Sanctuarii Ministri pro necessaria sustentatione cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere cogerentur, Tridentina Synodus *sess. 21. cap. 2. de reform.* statuit: *Ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus, ad sacros Ordines promoveatur nisi prius legitime constet Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere...... Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint.*

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Januarii 1783. *Interamnen.*)

Concilium Tridentinum praecepit, ut in seligendis Ecclesiae Ministris non solum perspecta sit illorum pietas et scientia, sed insuper ipsorum decori prospexit voluitque, ut congruum patrimonium haberent, ne in dedecus Ordinis mendicare aut vile aliquod ministerium exercere cogantur; quapropter *sess. 21. cap. 2. de reform.* statuit, quod nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi Beneficium ecclesiasticum obtineat; jussit praeterea, quod *Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint nisi illi,*

quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum Canonum poenas super his innovando. Hinc arguunt *Fagnanus in cap. Episcopus de Praebendis et Dignitatibus, et Benedictus XIV. inst. 26. num. 28. ad 30.* nullam ipso jure esse quamcumque alienationem de bonis patrimonii sacri inscio Episcopo factam, quamvis Ordinatus de ecclesiastico Beneficio fuerit provisus.

(Ex resol. S. C. C. diei 5. Apr. 1783. *Tusculana.*)

g) Episcopus ordinans sine titulo (poenae.)

Vd. *p. 505. 5. a.*

Episcopus cogitur ad alendum Clericum, quem vel sine titulo vel cum titulo minus idoneo ad sacros Ordines promovit. Remota culpa Episcopi, si titulus vel casu vel facto Clerici minus idoneus evaserit, Episcopus numquam tenetur alimenta Clerico praestare.

(Ex resol. S. C. C. diei 20. Augusti 1804. *Perusina.*)

Qui sine titulo absque dolo et fraude ordines suscipiunt, irretiti non sunt suspensione, sed Episcopus ordinans eos alere tenetur *ex cap. Cum secundum de Praeben.* A dolo et fraude non abesse videtur, qui falsis dimissorialibus ordines suscepit.

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Junii 1804. *Aveirensis.*)

Nulla ex jure canonico poena indicta est contra Ordinatum, sed tantummodo contra Ordinantem. *Cap. Cum secundum de Praeben. num. 6. Barbos. ad Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. n. 67. et de offic. et potest. Episcop. part. 2. allegat. 20. n. 27., Gallemart. ad citat. cap. Concil. Trident., Fagnan. in dicto cap. Cum secundum num. 63.* et hanc semper fuisse Sacrae Congregationis sententiam, ut refert Bened. XIV. Instit. Eccles. 21. n. 15., dummodo tamen Ordinatus dolo fictoque titulo Ordinantem non deceperit. Nec aliter decerni in Instructione benedictina pro regionibus Sardiniae regi subjectis exarata, quippe quia contendit, suspensionem in ea indictam consentaneam esse regulis canonicis et tridentinae sanctioni, quibus non fuit derogatum.

(Ex resol. S. C. C. diei 31. Augusti 1771. *Alexandrinen.*)

Ex jure antiquo indicta fuit suspensionis poena iis, qui absque titulo sacros Ordines suscepissent, *Cap. Neminem et cap. Sanctorum dist. 70.* Verum Innocentius III. *in cap. Cum secundum de Praeben. et Dignit.* veterum Canonum rigorem moderatus est sublataque suspensionis poena mandavit „tamdiu per Ordinatores vel Successores eorum provideri Ordinatis, donec per eos ecclesiastica Beneficia consequantur.“ Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reform. contra initiatos sacris Ordinibus absque sufficienti titulo poenas veterum Canonum iterum innovavit per haec verba: „Antiquorum Canonum poenas super his innovando.“ Sixtus V. in Constit.: *Sanctum et salutare* anni 1588 poenam suspensionis a priscis sanctionibus inflictam iterum confirmavit et Clemens VIII. in Constit.: *Romanum Pontificem* anni 1595 lis termi-

nis conclusit, qui a Tridentina Synodo fuerant praefiniti *Barbos.* in dicto cap. Concil. Trident., *Fagnan.* in cap. *Cum secundum de Praebendis n. 67. 68., Benedictus XIV.* Instit. 26.

Cum itaque disceptatum fuisset, an per illa verba Concilii Tridentini sess. 21. cap. 2., videlicet: *Antiquorum Canonum poenas innovando*, censeatur innovata poena indicta in *cap. Neminem et in cap. secundum dist. 70.*, itaut, qui post Tridentinum sine titulo Ordines suscepisset, suspensus, et si ministrasset, irregularis evasisset, Sacra haec Congregatio censuit: „fuisse innovatas dumtaxat poenas *cap. secundum de Praebendis.*“ Ita apud *Fagnan.* loc. citat. num. 63., qui etiam refert, quod quaerente quodam Ordinato cum minus sufficienti patrimonio quid sibi agendum esset, ut ad Sacerdotium promoveri posset, Sacra Congregatio declaravit: „Si patrimonium, ad cujus titulum Orator est ordinatus, minus sufficiens sit ad ejus sustentationem congruam, teneri Episcopum tamdiu ex proprio supplere, donec per ipsum Episcopum in sua vel alia Ecclesia fuerit competens beneficium assequutus, ideo deberi ad reliquos Ordines Oratorem ab Episcopo promoveri.“

Si tamen res sit de Ordinato sine titulo, quem ementitis probationibus Ordinatus effinxerit, ut Ordinantem deciperet, tunc Ordinatus incurrit suspensionis poenam indictam in *cap. Neminem, et in cap. Secundum.* Sic refert Fagnan. loc. citat. num. 69., definitum fuisse ab hac Sacra Congregatione die 27. Novembris 1610 „quae omnium sententiis censuit hoc casu poenam suspensionis ante Concilium non fuisse correctam et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam et propterea hujusmodi Clericum, qui adhibito dolo confictoque titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum carereque Ordinum executione.“

(Ex resol. S. C. C. diei 31. Augusti 1771. *Alexandrinen.*)

h) Ordinatio sine titulo.

Clerici, qui vel absque sufficienti patrimonio vel sine ullo prorsus aut ementito titulo Ordines suscipiunt, juxta *cap. Neminem et cap. Sanctorum* distinction. 70., ab exercitio Ordinum suspensi remanent, et si in Ordinibus ministraverint irregulares evadunt; hanc veterum canonum severitatem quodammodo temperavit Innocentius III. in *cap. Cum secundum 16. de Praebendis*, qui ita scripsit Episcopo Zamorensi: *Licet autem Praedecessores nostri Ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas esse voluerint et inanes, Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores vel Successores eorum provideri volumus Ordinatis, donec per eos ecclesiastica Beneficia consequantur.* Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2. de reform.* praecipit, quod *nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere . . . . . Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtinere taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti, nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant unde vivere possint,*

antiquorum Canonum poenas super his innovando.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Septembris 1784. *Visen.*)

Contra eos, qui ad sacros Ordines promoventur sine titulo praetextu habitus religiosi et monasterii, ubi degunt, quamvis nullam regulam sint professi. Anno 1568.

Pius Papa Quintus.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum Auctor et interpres, illa quae in hujusmodi Conciliis a prudentibus Patribus in Spiritu sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, dum aequitas, honestas et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane cum non decet divino ministerio adscriptos cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, in sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias moribus, scientia et aetate esset idoneus, ad sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posset, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem. Cum autem nulla in hujusmodi decreto religiosorum Clericorum mentio facta fuerit ac propterea nonnulli (uti moleste accepimus) caeterorum Ordinum Religiosi seu Canonici vel Clerici intra claustra Monasteriorum seu Domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam vel nonnisi ad certum tempus professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, religionis praetextu absque titulo sufficientis beneficii, nec juxta dicti decreti tenorem ad sacros Ordines se promoveri praetendunt et a nonnulis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et a claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur. Nos igitur qui singulorum Dei Ministrorum honorem et decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cujuscunque Ordinis Clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus ac religiosis et aliis praedictis non professis ut ad sacros Ordines promoveri, nec non omnibus et singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis apostolicae habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, Nos virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso jure, suspendimus: statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad Ordines hujusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cujusvis licentiae illis ab apostolica Sede vel illarum Superioribus cujuscunque dignitatis, status, gradus et praeeminentiae existant, etiamsi pontificali Dignitate fungantur vel Car-

dinalatus honore praefulgeant, concessae, praetextu factas, executione praedictorum Ordinum omnino carere nullasque prorsus et irritas existere sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privari et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quorumvis, Monasteriorum et Ordinum, etiam juramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis.

Nulli ergo etc. Datum Romae apud sanctum Petrum pridie Idus Octobris 1568.

(Bull. r. t. X. p. 148. Ed. Luxbg.)

i) Ordinatio sine titulo licita.

Vd.: *pag. 505. b.*

Pro Episcopis Vicariis apud Sinas etc. prorogatio facultatis ordinandi Indigenas illarum partium absque titulo cum Indulto eis commutandi Officium divinum.

Clemens Papa X.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt a fel. rec. Alexandro VII. praedecessore Nostro literae in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti Nobis coelitus pastoralis officii ratio postulat, ut nihil a Nobis desiderari patiamur, quo christiana religio, praesertim in longinquis partibus felicius in dies aspirante atque adjuvante Domino valeat propagari. Alios siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Palla Helliopolitanum ac Petrum Lambert Beritensem necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cotolendi Metellopolitanum, Episcopos, Vicarios apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo et forma tunc expressis deputavimus.

§ 1. Ut autem in partibus praedictis Sacerdotum Indigenarum ordinatio facilius peragi atque ita fides catholica ibidem firmius benedicente Domino radicare valeret, memoratis Francisco ac Petro et Ignatio Episcopis cum Christifidelibus eorumdem partium indigenis sibi respective uti Vicariis apostolicis hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent eisque Canon Missae ac formula Sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes etiam sacros Presbyteratus Ordines servatis alias servandis promoveri et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum scilicet canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem auctoritate apostolica ad septennium dumtaxat concesssimus et impertiti sumus et alias, prout in terminis nostris in simili forma Brevis literis die 10. Sept. 1659 et die 20. Septembris 1660 respective desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte praefatorum Francisci et Petri Vicariorum apostolicorum, ut praefertur, deputatorum, Nobis nuper expositum fuit, dictum septennium versus finem

jam labatur, bona vero stabilia Sinensium ad possidentes absolute non spectent, sed illorum Domini sunt Reges, qui dicta bona, quibus libitum est, vita durante concedunt ac proinde super hujusmodi bonis perpetui patrimonii titulus pro Ordinandis ad sacros Ordines per eorum parentes seu alios in illis partibus assignari non possit, Nos propagandae firmiusque radicandae in ejusdem partibus catholicae fidei, quantum nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes dictosque Franciscum et Petrum Vicarios apostolicos amplioris favore gratiae prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab hominibus quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus regni Sinarum a Nobis specialiter deputatorum consilio, septennium praefatum ad alios septem annos a fine ejusdem Septennii computandos dicta auctoritate tenore praesentium prorogamus, extendimus et ampliamus.

§ 3. Praeterea praefatis Francisco et Petro necnon aliis duobus Episcopis, per eos seu eorum alterum aut primum ab eorum altero superstite ordinatum respective, vigore aliarum binarum nostrarum etiam in forma Brevis literarum die 4. Febr. 1664 et de die 28. Febr. proxime praeteriti respective expeditarum, quarum tenores ibidem pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, consecrandis, quos pariter Vicarios apostolicos in partibus praedictis per easdem literas sub certis modis et forma ibidem expressis deputavimus, ut ipsi tam residuo primodicti Septennii, quam aliis septem annis per praesentes prorogatis durantibus, Clericos memoratarum partium Indigenas, etiam absque titulo servatis tamen alias tam ex sacrorum Canonum, quam ex primodictarum vastrarum literarum praescripto servandis, ad sacros et Presbyteratus Ordines promovere licite et libere possint et valeant, facultatem elapsis septem annis per praesentes literas prorogatis illico expiratarum auctoritate et tenore praefatis concedimus et impartimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Martii 1665. Pontificatus nostri auno decimo.

§ 4. Et subinde fel. record. Clemens Papa IX. praedecessor noster facultatem eisdem Episcopis Vicariis apostolicis per praeinsertas literas a memorato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatas et de novo concessas respective ad alios septem annos pariter auctoritate extendit et prorogavit et alias prout in ipsius Clementis praedictis literis pari in forma Brevis die 13. Octobris 1669 desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 5. Nunc autem Nos, ut christiana religio et catholica fides, Domino benedicente, in partibus praedictis firmius stabiliusque solidari et latius propagari valeant, pro commissa nobis coelitus pastoralis officii cura salubriter providere ac supradictos Episcopos Vicarios apostolicos amplioris favore gratiae

prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisve ecclesiasticis censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. C. Cardinalium negotiis praedictis fidei praepositorum consilio easdem facultates, quae dictis Episcopis Vicariis apostolicis per praeinsertas literas a praefato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatae et de novo concessae ac ad alios septem annos a dicto Clemente praedecessore per suas praefatas literas prorogatae fuerunt, respective, ut praefertur, ad aliud septennium a fine eorumdem septem annorum a Clemente praedecessore prorogatarum computandum, quo et residuo temporis, ut profertur, prorogati durantibus, ipsi Episcopi Vicarii apostolici illis, quos ad sacros Ordines vigore facultatum hujusmodi promoverint, etiam recitationem officii divini horarum videlicet canonicarum in alias preces per eos diebus singulis recitandas eorum arbitrio auctoritate nostra apostolica commutare, libere pariter et licite possint et valeant, servata tamen et salva in reliquis remanente earumdem Alexandri et Clementis praedecessorum literarum forma et dispositione, dicta auctoritate harum serie prorogamus pariter et extendimus et ampliamus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 6. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictis Alexandri et Clementis praedecessorum literis concessa sunt, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673.

I. G. Slusius.

(Bull. r. t. XI. p. 85. Ed. Luxbg.)

k) Ex Pecuniis contributis ab Ordinandis.

Vd. p. 506—512.

Anno 1845 Episcopus B. in B. supplicem porrexit libellum sa. me. Gregorio XVI. exponens quod Concilii Tridentini sanctio, ne quis Clericus ad Ordines sacros promoveatur, nisi vel beneficium ecclesiasticum vel patrimonium seu pensionem vere possideat, quod sibi ad vitam sustentandam satis sit, in B. usque ad gallicas perturbationes integre custodita perdifficilior servatu evasit, postquam suppressis injuria temporum Ecclesiis collegiatis ac beneficiis simplicibus penitus extinctis clerici ad Ordines sacros assumendi plerumque bonis patrimonialibus destituti reperiantur. Etenim si paucissimos excipias (tertia ad summum circiter ordinandorum pars) patrimonio sufficienti provisos, caeteri omnes vel patrimonium habent a parentibus cum assignatione omnium bonorum confectum, licet partes haereditatis, quae caeteris liberis jure debentur, ipsis ita auferantur, vel ex privata charitate obtinent titulum ordinationis, qui tamen nihil habet roboris et utilitatis sive in forma privata, ut plurimum intuitu taxae majoris a fisco percipiendae, praebeatur, omnique juris civilis praesidio destituatur; sive in forma authentica conficiatur, cum hoc in casu nec ullus clericorum deinceps titulum ordinationis ab aliquo benefactore reciperet, si una vice ad solvendos patrimonii fructus adigeretur. Unde non raro accidit ut sustentationem vitae quam

pro infirma valetudine aliave causa ex munere habere jam nequeunt, clerici ab Episcopo ordinatore, cum gravissimo mensae episcopalis onere, percipere debeant.

Cum igitur res ita se habeant nec affulgeat spes melioris rerum conditionis, ideo praelaudatus Episcopus aliquam pro sua dioecesi provisionem necessario inducendam judicans, nihil inconsulta Sede apostolica statuendum arbitratus, supplex rogavit quatenus Sanctitas Sua „*benigne dispensare dignetur in lege Ecclesiae, quae exigit ut ex clericis saecularibus nullus ad sacros ordines promoveatur nisi vel beneficium, pensionem vel patrimonium possideat, quod ei ad honestam sustentationem sufficiat, sed hac conditione, ut singulus ordinandus solvat semel ducentos francos et insuper ut et hanc dispensationem pro pauperibus necessariam etiam extendere dignetur ad divites, tum propter uniformitatem, tum ut facilius scopus intentus obtineatur.*“ Hac novissima methodo sibi pollicebatur Episcopus fore, ut deinceps ex fructibus pecuniae cura Episcopi fructivero investimento collocandae sustentationi clericorum, quatenus necessaria esset, provideretur.

Datis ab hac S. Congr. sub die 18. Augusti ejusdem anni Episcopo Oratori literis eum in finem, ut referret cur non magis expediat ut singuli ordinandi ab apostolica Sede dispensationem obtineant super integra taxa patrimonii sacri cum conditione tamen ut e seminario non egrediantur, nisi de idoneo beneficio vel sufficienti titulo vel saltem aliquo munere ecclesiastico sint provisi, supradictus antistes, mandatis obtemperans, renuntiavit eam esse dioecesis B. praxim, ut e seminario cleri non egrediantur, nisi de idoneo beneficio vel sufficienti titulo vel saltem aliquo munere ecclesiastico sint provisi vel officio instruendae juventutis fungi debeant: postea vero, plures ex ipsis, cum ex munere emolumenta exigua percipiant nec patrimonium habeant unde sustententur, nec pensionem aliquam a gubernio accipiant, ideo, dum pro infirmitate aliave de causa munus exercere nequeunt, ad mensam episcopalem tunc confugium habere unde sustententur: ea in conditione versari tum Vicarios, Parochorum cooperatores, tum clericos munus professoris in scholis publicis exercentes tum clericos interdum gravi morbo laborantes, antequam ad sacerdotium promoveantur. Propterea Episcopus iterum Sanctissimo supplicavit pro dispensatione patrimonii necnon pro novissimae propositae methodi approbatione.

Ex relatione autem Nuntii apostolici, cui, ut singulorum B. Episcoporum sententiam de re exquireret, demandatum fuit, deprehenditur Episcopos G., T. et L. B. adstipulari, eum in finem ut maxime ipsorum animi anxietati circa hujusce tituli in suis dioecesibus frequentissimi validitatem finis imponatur; eosdemque desiderari ut scilicet vel Sanctitas Sua in praedicta praxi tuto procedi posse rescribere dignetur vel in id assentiri velit, quod Episcopi B. petitione continetur, quodque perutile imo necessarium nec scandali sive admirationis in ordinandis aut in illorum consanguineis periculum praeseferre asserunt.

Episcopo vero L. id unum placuit ut scilicet cuique clerico facta libertas esset vel tridentina vel nova uti constabilienda disciplina et insuper ut hoc a singulorum ordinandorum solutionibus commune conficiendum aerarium auctoritate civilis potestatis fulciatur, ut ejus securitas tueretur.

M. autem Eminentissimus Antistes aperte significavit nihil esse in sua

dioecesi innovandum, quam quod jam dudum lege dioecesana statutum est; quin etiam gravissima scandala ac maximam in ordinandis ac in eorum parentibus admirationem si nova esset invehenda praxis, dubio procul suboriri posse.

N. Episcopus, (licet patrimonii sacri constitutionem in sua dioecesi privata scriptura confectam omni idcirco juris civilis praesidio destitui fateatur) attamen a nova quoad haec introducenda disciplina maxime abhorrere edixit, tum quia incommodis, quae ex hodierna patrimonii constituendi ratione necessario profluunt, facile occurrere inquit habito ad sanctam Sedem recursu dispensatio a patrimonii titulo exigendo obtinenda, quam quidem dispensationem nullo unquam in casu sibi fuisse denegatam testatur; neque hanc praxim quidquam inconveniens praeseferre, cum in dioecesi N. et in B. generatim ad majores ordines non promoveantur nisi ii clerici, quos Ecclesiae necessitas et utilitas strictius expostulare videatur: hinc fit ut dispensatio pro iis tantum clericis urgeatur, de quibus indubia prorsus spes est fore, ut statim ac sacerdotio aucti sunt aliquod officium, cui honesta pensio a gubernio assignata reperitur, consequantur; tum ea potentissima ratione quod hujusmodi commune aerarium non satis tutum esse videretur ejusque conservatio et administratio innumeris propemodum obnoxia esset difficultatibus, et insuper quia utilium inde provenientium divisio querelis, murmurationibus, dissidiis ac accusationibus, ipso Episcopo minime excepto, viam aperire posset latissimam ac propterea invehendam disciplinam, tanquam minime necessariam, imo et periculis plenam pro sua dioecesi penitus rejectam iri.

Posthaec causa ad plures annos nemine instante tamdiu siluit donec nuperrime Episcopi Oratoris successor, hodiernus B. Antistes, relationem Ecclesiae de more mittens, inter caetera Pontificium Oraculum adprecatus est circa (ut verbis ipsius utamur): *Institutionem novae formae tituli clericalis, quam ob rerum et temporum circumstantias inducere coactus sum, ne clerici sine titulo reali ad ordines sacros, ut pridem factum est, deinceps promoverentur. Porro caetera omnia quae a venerando meo praedecessore instituta sunt aut a me recenter decreta sunt judicio apostolicae Sedis plene et integre subjicio.* Insuper supplicem porrexit libellum idem Antistes, quo quaeri legere est: *Utrum approbata illa forma tituli clericalis „qui quasi patrimonialis merito appellatur seu apellari potest, Notario B. liceat ordinandos omnes, nisi ad titulum patrimonii proprii vel paupertatis vere vocentur, vocare ad titulum quasi patrimonialem.* Et quatenus apostolica Sede eam tituli formam necnon modum eum appellandi in ordinatione Subdiaconi probaverit, quaerit insuper: *Utrum haec denominatio inseri possit in futura aliqua Pontificalis Romani editione?*

His in facto expositis rei gravitas expostulat, ut et parumper in jure, quod in subjecta controversia exponendum opportunum ducimus, immoremur.

Ecclesiam maximopere abhorrere a mendicitate clericorum compertum habetur ex notissima Concilii Tridentini dispositione cap. 2. sess. 21. de reform.: „Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, compertumque sit, complures plerisque locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ec-

clesiasticum aut etiam idoneas facultates obtinere, statuit s. Synodus, ne quis deinceps clericus saecularis ..... ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, possideat...... patrimonium obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui aut remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum poenas super his innovando."

Haec salutaris Concilii Tridentini dispositio ubique recepta et servata fuit, specialiter in B., sicuti patet ex decreto Concilii 2. provincialis M., quod habetur apud *Van. Espen.* jur. eccles. univers. part. II. sect. I. tit. 9. num. 21. Cum tamen temporis cursu animadversum esset nonnullos Episcopos ab hac norma deflexisse, passim quoscumque ad patrimonii titulum ad sacrum ministerium admittendo, ideo Innocentius XI. literas encyclicas ad singulos Episcopos per Sacram Congregationem mitti jussit die 13. Maii 1679, ut decretum Concilii Tridentini penitus observaretur. „Deindeque per hasce circulares literas Episcopis omnibus sanctissimum Tridentini decretum in memoriam reduci mandavit quatenus omnes illud sancte custodiant sciantque non aliter ordinandum ad titulum patrimonii vel pensionis, nisi quum Ecclesiae necessitas vel commoditas ita exigat, qua in re prudens Episcopi timoratumque judicium versari debebit."

Ex his infertur beneficium ecclesiasticum esse titulum ordinationis verum ac praecipuum, patrimonium vero aut pensionem per viam dispensationis admitti, sicuti videre est in *Suanen.* 28. Julii 1638. §. *Jam vero,* et ex communi Doctorum. Simile habetur apud *Van. Espen.* loco supra citat. num. 15., ubi cum *Fagnano* ad cap.: *Episcopus tit. de praebendis* colligit Concilium Tridentinum sustulisse dispositionem *cap.*: *Tuis eod. tit.* in quantum ibi concedebatur indifferenter ordinari ad titulum patrimonii vel beneficii."

Circa canonicam patrimonii constitutionem nemo est qui nesciat patrimonium sacrum ex bonis certis, stabilibus et frugiferis conficiendum esse neque probari tanquam legitimum ordinationis titulum eum proventum, qui ingenio ac virtute ordinandorum facile comparari posse videatur, sicuti declaravit sacra haec Congregatio in *Siguntina* sacrorum Ordinum anno 1589 mense Octobris ad quartum dubium sic propositum: Si quis tantum habeat quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor aut alterius licitae professionis idque sit sufficiens ad sustentationem vitae, poteritne promoveri? S. Congr. respondit: Negative, lib. II. decret. pag. 53. Nec in bonis mobilibus ac se moventibus patrimonium sistere oportere declaratur in *Monopolitana* 18. Novembris 1679. §: *Patrimonium*, et explicatur apud *Rigant.* ad regul. cancellar. § 5. num. 119. et seqq. Unde communiter tradunt Doctores patrimonium fundari super rebus immobilibus aut talibus, quae immobilibus aequiparantur, sicuti totidem verbis dicit *Engel* colleg. jur. canon. tit. 14. lib. I. de aetate et qualitate praeficiend. § 21.

Inter legitimas tamen ordinationis

titulos admissi etiam quandoque reperiuntur tum demandatum capellani munus, tum census perpetui, tum etiam patrimonia a privatis benefactoribus confecta, ea prorsus ratione, quia, cum plurimum conferat ad Ecclesiae utilitatem, si ministris ecclesiasticis abundet, ideo omni facilitate et indulgentia excipiendi sunt clerici, qui sufficientem et legitimum sustentationis titulum praebent, prout dicitur in institutione XXVI. Benedicti XIV. allatis verbis Pallavicini in histor. Conc. Trid. lib. 17. cap. 19. Etenim, ut de singulis aliqua proferamus, demandatum Capellani munus, etsi inter bona mobilia referatur, attamen ad susceptionem s. Ordinum satis esse valet, dummodo integram taxam patrimonii sacri exequet et, qui habent jus nominandi, fidem suam cum Episcopi auctoritate praestiterint, eum qui nominatus fuerit in eo munere mansurum donec vita fungatur ac postremo non desit aliquis qui se alimenta praebiturum spondeat in casu, quo ordinatus legitime impeditus missam celebrare nequeat. Censibus autem perpetuis patrimonium constitui posse, dummodo fiant cum eis conditionibus a s. Pio V. in suo decreto praescriptis ac in alios census convertantur, sive frugiferis certisque fundis collocentur, quando debitores iis censibus dissolvi cupiant, decretis Sacrarum Congregationum provisum reperitur, ut videre est in *Monacell.* formul. legal. tit. 13. tom. 2. n. 17. et 21.

Quoad patrimonia, quae a benefactoribus suadente charitatis impulsu favore ordinandorum conficiuntur, S. haec Congregatio censuit: *posse aliquem ad sacros Ordines promoveri ad titulum bonorum, quae ei donentur, si tamen Episcopus judicaverit eum assumendum pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum donationesque hujusmodi vere et absque ulla fraude et in forma valida fiant de tot bonis, quae promovendo sufficiant ad vitam honeste sustentandam, quae deinceps alienari non possint sine licentia Episcopi, donec ille beneficium ecclesiasticum sufficiens adipiscatur vel aliunde habeat unde vivere possit.* Ita in una resolutione anni 1573 lib. 1. decr. pag. 151, cui consonat altera solutio, quae prodiit die 15. Aprilis anni 1598 et habetur lib. 9. decret. pag. 50. Neque illicitum esse atque praxi alienum pactum in patrimonio conventum de illo reddendo cum ordinatus habuerit beneficium sufficiens vel alias unde vivere posset et eo in casu suspensionem non incurri tradit *Van. Espen.* Jur. eccles. univ. par. 11. sect. 1. tit. 9. n. 23. cum *Barbosa* alleg. 19. num. 57. et *Garzias* de benef. part. 2. cap. 15. num. 169.

Nec satis esse obligationem personalem solvendi clerico totum id quod pro congrua illius sustentatione sufficiens erit, est in citata *Suanen.* §: *Demum* et §: *Quinimo*, ea nempe ratione quia obligatio ista personalis non est res immobilis et pacifice possessa et per illam haberet quidem ordinandus jus ad rem sed non jus in re, sicuti recte perpenditur apud *Rigantium* loco supra cit. num. 122., ubi refert ea de re resolutionem S. C. diei 8. Junii 1704. Cum enim imperator clerico florentino concessisset diploma seu titulum mensae pro sua honesta sustentatione, quousque provideretur de sufficienti beneficio, et in dubium revocatum fuisset: *An licite et valide ordinari posset ad titulum dictae mensae?* prodiit responsum: Negative. Similia habentur apud citatum *Engel*, qui §. 17. tradit titulum ordinationis constitui non posse supra sola obligatione personali, quia mortua persona concedentis clerico deperiret forsitan titulus, quod acci-

disse non raro in Germania idem auctor lamentatur, unde clerici, non habentes aliunde quomodo vivant, miseram plerumque et scandalosam vitam agere videntur.

Ad futurae haereditatis paternae titulum aliquem ordinari non licere tradit saepe laudatus *Engel* §. 23.; et licet filius cogere possit patrem ad patrimonium sibi constituendum ut sacris Ordinibus valeat insigniri, siculi habetur apud S. C. in Bononien. 18. Augusti 1827. §. *Hinc*, et concordant *Barbosa* de offic. et potestate Episcopi alleg. 19. num. 63., Cardinal *de Luca* de dot. disc. 162. num. 10. et disc. 32. n. 8., *Sanchez* de Matrim. lib. 4. disp. 26. num. 7.; attamen non permittendum, tanquam aequitati et rationi minime consentaneum, quod parens omnia sua bona filio pro suscipiendis ordinibus assignet cum detrimento caeterorum liberorum, qui ad partes haereditatis jus suum habent, ut videre est in citata institutione XXVI. Benedicti XIV. num. 14.

Ibidem sane clarissimus auctor aperte significat patrimonia ficta judicari, quae ex bonis ad alium, vel integra vel magna ex parte spectantibus conficiuntur, ita ut ordinatus fructus annuos percipere nequeat vel in quibus expressa vel tacita conventio intercedit, ut fundi possessio semper ad eum pertineat, qui ratione solum patrimonii eumdem fundum contulit sive ut ordinatus nullos fructus vel illorum tantum partem ex eo fundo desumat, licet publicae tabulae contrarium exprimant; quod est fraudem in re gravissima objicere et menti sacrorum canonum adversari. Quadrat doctrina *Van. Espen.* Jur. eccles. univ. part. 2. sect. I. tit. 9. num. 22. „ficte autem possidere censetur, qui illud accepit ea conditione tacite vel expresse adjecta, quod illud quidem in titulum ordinationis supponere et affectare queat, sed quod nunquam proventus illius proventus accipiet, at illos integros aut majorem illorum partem danti relinquet.“

Proinde contra clericos, qui sacram ordinationem conficto falso titulo suscipiunt, sanctio canonica gravissimas poenas jure statuit. Pergit jam citatus *Van. Espen.* num. 23: „Ordinatus autem ad titulum patrimonii ex simili ficta donatione praecedentis non manet securus in conscientia, imo revera esset tanquam ordinatus sine titulo et incurreret poenam suspensionis positam contra ordinatum sine titulo per „Constitutionem Sixti V. contra clericos male promotos. Ita post alios *Barbosa* alleg. 19. n. 57.“ Sed cum Clemens VIII. Sixtinam Constitutionem moderans eam ad terminos a Concilio Tridentino decretos revocaverit investigandum esset, an Concilium Tridentinum, quum antiquorum canonum poenas innovaret, etiam poenam suspensionis contra illos, qui titulo fictitii patrimonii ordinantur, iterum statuerit. Sacra autem haec Congregatio, postquam rem diligenter expendit, censuit poenam suspensionis ipso facto incurri ab eo qui ordinatorem in fraudem adduxerit, sicut in die 27. Novembris anno 1610 declaratum fuit ad decretum: „Sacra Congregatio Concilii proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit hoc casu poenam suspensionis ante Concilium non esse correctam et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam et propterea hujusmodi clericum, qui adhibito dolo confictoque titulo ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum carereque ordinum exercitio,“ sicuti videre est apud *Fagnanum* in cap.: *Cum secundum* de praebendis num. 63. et seqq. et in citata institutione XXVI. Benedicti XIV. num. 16. Et consonant de-

ducta in *Lunen.-Sarzanen.* Sacrae Ordinationis 29. Maii 1824. §. *Nec.*

Idem traditur a *Reiffenstuel* lib. I. tit. 9. num. 197., ubi dicit quod antiqua jura poenam suspensionis imponentia ordinato sine titulo impraesentiarum manent incorrecta, quando ordinatus fuit in culpa decipiendo Episcopum ac fingendo titulum quod non habet, et praeter S. C. 27. Novembris 1610 idipsum patere dicit ex constitutione Urbani VIII., quae incipit: *Secretis,* in qua Pontifex innovavit atque ampliavit dispositionem Clementis IV., quae habetur *cap. I. de temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum* in 6, additis nonnullis poenis; et aperte significat promotos contra formam in eadem constitutione *Secretis* praescriptam perpetuae suspensionis poenam absque spe dispensationis a Sede apostolia obtinendae incurrere eo ipso. Et demum statuit: Insuper promotos hujusmodi ac etiam eos, qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum praedictis verum etiam majoribus arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis poenis .... subjectos esse volumus", ut videre est apud ipsum *Reiffenstuel* loc. citat. Nec eo in casu ordinatorem teneri alimenta clerico per fraudem fingendo titulum absque ulla culpa Episcopi subministrare tradit *Fagnanus* ad cap.: *Cum secundum* num. 62. de praebendis, *Pirrhing.* ibid. num. 144. et *Reiffenstuel* loco supr. citat. num. 119., ea nempe ratione, quia rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit cap. 2.: *de constitution.* Quod si Episcopus quempiam ordinaverit, sub pacto seu promissione quod ordinatus super alimentatione sua non inquietet eumdem tunc ordinator a collatione ordinum per triennium, ordinatus vero ab ordine sic suscepto perpetuo est suspensus, donec per Sedem apostolicam mereatur dispensari. Ita habetur statutum in cap.: *Si quis ordinavit 40. de Simonia.* Quinimo, tales notantur de Simonia, unde et citatum caput: *Si quis ordinavit,* ponitur sub rubrica *de Simonia* Ratio est ea quam tradit idem Reiffenstuel loco citat. num. 193., quia taliter ordinatus remittit ordinatori jus, caeteroquin sibi competens respectu alimentationis temporalis ut ab eo ordinetur; atque simonia non solum contrahitur dando sed etiam remittendo jus temporale pro spirituali arg. cap.: *Super eo 7. de transact.*, et cap.: *Veniens de testibus.*

Re quidem vera Episcopus scienter conferens cuipiam Ordinem sacrum non habenti competentem titulum sustentationis praeter peccatum, quod tam scienter ordinans quam ordinatus sine titulo incurrit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiae in materia gravi, tenetur insuper ordinans taliter ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. Ita communis et patet ex cap.: *Episcopus*, et cap.: *Cum secundum de praebendis.* Unde communiter tradunt Doctores per illas canonicas sanctiones correctos esse canones antiquos, quibus ordinatio sine titulo facta irrita habebatur, sicuti disponitur in canone *Sanctorum dist. 79.* et rursus in canone neminem ead. dist. 79. Igitur jure novo incumbit equidem ordinatori onus subministrandi alimenta clerico, quem ad sacros ordines sine certo titulo promoverit, sed ordinatus bona fide jure non punitur ea suspensionis poena, quam antiqui canones *in injuriam ordinantium* induxerunt, et solus ordinarius per impositionem oneris ordinatum sustentandi punitur: quod recte dispositum fuisse, cum non debeat aliquis alterius odio praegravari juxta regulam juris 22. in

6. cum similibus, *Garzias* part. 2. de benefic. cap. 5. num. 20. et seqq., *Fagnanus* in cap.: Cum secundum num. 69. et 69., *Barbosa* part. 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 20. num. 27. et 33., *Reiffenstuell* lib. I. tit. 9. num. 197., *Engel.* colleg. jur. canon. lib. I. tit. 14. nnm. 15.

Jam vero satis satiusque patet ecclesiasticis sanctionibus et doctrinis ss. Canonum valde adversari eam praxim, quam in dioecesi B. irrepsisse Episcopus supra lamentatur. Equidem eodem antistite teste patrimonium plerumque in forma authentica non conficitur nec praesidio juris roboratur nec ordinatus annuos fructus patrimonii percipere potest, neque revera ab eo habet unde sustentetur, nec pro temporum injuria fundus suo titulo ordinationis assignatus prohibetur alienari sine licentia Episcopi, ut in alios frugiferos certosque fundos convertatur; et interdum fit ut patrimonium constituatur cum assignatione omnium bonorum paternae haereditatis cum injuria caeterorum liberorum. Quae omnia canonicis sanctionibus et Doctorum placitis minime consentanea esse praenotavimus. Unde ulterius patet quod clerici, qui tali in conditione versantur, ut neque beneficium ecclesiasticum, neque patrimonium rite constitutum possideant, ad majores ordines promoveri non possint, nisi accedente necessitate vel commoditate Ecclesiae et praevia Sedis apostolicae venia.

Relaxandum equidem rigorem legum canonicarum quandoque esse, si aliqua urgeat necessitas vel publica occurrat utilitas, monet ipsum Concilium sess. 35. cap. 18. de reform., et conciliare decretum non promovendi ad sacros Ordines clericos sine congruo sustentationis titulo unam esse ex illis sanctionibus, quibus Sedes apostolica, causa cognita et re perpensa, pluries dispensare censuit ceu probant exempla. Praetermisso quidem exemplo Ecclesiae Metropolitanae Florentinae, in qua usque adhuc, sicuti annotatum reperitur in causa *sanctae Crucis de la Sierra* 8. Julii 1719, viget privilegium ab Eugenio IV. concessum, ut clerici, qui eidem inservierunt spatio decem annorum, Ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec beneficium nec patrimonium obtineant, Sixtum V. indulsisse Patriarchae Venetiarum ordinandi Presbyteros titulo *servitii Ecclesiae* testantur *Campanil.* diversor. jur. canonic. rubr. 8. cap. 4. n. 14. et *Garzias* de benefic. part. 2. cap. 15. num. 96. Quod quidem Breve Sixti V. in Bullario Romano inveniri non licuit; refertur apud citatum *Campanil.* qui insuper testatur ejusdem verba rescripta reperiri in Synodo Veneta a Laurentio Priolo Venetiarum Patriarcha anno 1592 coacta, ibique legitur: ,,Relatum siquidem Nobis nuper fuit in ista civitate Venetiarum, nobilium et populi frequentia celeberrima, perpauca esse beneficia, sub quorum titulo multi pauperes clerici patrimonii sufficientis titulo carentes juxta constitutionem nostram possint promoveri. Nos igitur Ecclesiarum particulariter id exponentium necessitatibus utilitatibusque providere desiderantes fraternitati tuae, ut omnes et singulos dictae civitatis clericos, qui vita, moribus, aetate, natalium legitimitate et aliis qualitatibus a jure requisitis per te idonei reperti fuerint, etiam si titulo beneficii ecclesiastici vel pensionis annuae non sint provisi aut patrimonialia aliaque bona non possideant, dummodo alicui Ecclesiae dictae de consensu ejusdem Ecclesiae Rectoris fuerint adscripti, ex quarum servitio et eleemosynis a piis christifidelibus elargiendis aliquid ad sustentationem victus habere possint et ab eadem Ecclesia, cui adscripti

fuerint, nullo unquam tempore amoveri vel ipsi ab ea recedere possint et debeant, nisi illis de competenti beneficio aut pensione super fructibus ecclesiasticis assignanda provisum fuerit, vel ita eorum exigentibus demeritis ab ipsa Ecclesia amovendi veniant, ad quatuor minores necnon sacros, etiam presbyteratus, Ordines debitis temporibus servatisque Concilii Tridentini decretis promovere libere et licite valeas, licentiam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et facultatem."

Idem Pontifex per breve diei 1. Septembris 1856, quod incipit: *Cum ex antiquo,* concessit alumnis collegii Graecorum de Urbe, qui deputandi sunt ad officium diaconi et subdiaconi Capellae Pontificiae, ut ad sacros Ordines promoveri possent sine aliquo beneficii aut patrimonii titulo, sed tantummodo dicti collegii titulo, sicuti videre est tom. 5. part. Bullar. rom. pag. 160 §. 3.

Alumnis pariter collegii anglici de Urbe concessit Gregorius XIII. ut sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo ad sacros Ordines promovere possent constit. 81. tom. 4. p. 3. Bullar. Roman. p. 339 §. 12. uti habetur: „Postremo cum eosdem scholares hujus Collegii alumnos post longos studiorum labores sacerdotali miltiae pro temporis vel loci necessitate adcribere conducat, ut ministeriis et functionibus sacris assuescant dictaeque Ecclesiae SSmae Trinitatis officia praestent, seu, ut operarii mittantur, eisdem alumnis, ut de licentia protectoris ac dicti collegii rectoris consensu ac examine praecedente... sine aliquo beneficio vel patrimonii titulo... ad omnes etiam sacros et presbyteratus Ordines promoveri... libere et licite indulgemus."

Idipsum concessit idem Summus Gregorius XIII. Alumnis Collegiorum in Germania superiori ab ipso institutorum, sicuti videre est tom. 5. part. I. Bullar. Roman. pag. 204. Quod etiam communicavit Clemens VII. Alumnis Collegii Scotorum de Urbe constitutione, quae incipit: *In supremis* tom. 5. part. Bullarii Romani p. 319.

Quaeis Germaniae Collegiis, ab ipso restitutis, eamdem facultatem rursus contulit Urbanus VIII., scilicet Collegio Fuldensi, quod Pontifex restituit cum dote 1800 scutorum aureorum quotannis a Camera apostolica persolvendorum, et habetur tom. 6. Bullar. Rom. part. I. §. 157; Collegio Viennensi in Austria quoque a Gregorio XIII. instituto, ab Urbano VIII. restituto, cum assignatione scutorum 1380 aureorum a Camera apostolica persolvendorum, constitutione: *Quoniam divinae bonitati,* tom. 6. Bullar. part. I. p. 56; necnon Alumnis Collegii Illyrici in Civitate Lauretana institutis et sumptibus Almae Domus alendis, ut videre est in constitutione, quae incipit: *Zelus Domus Dei* diei 1. Junii 1627 Bullar. Roman. tom. 6. part. I. pag. 46, ac demum Collegio Pragensi, quod pariter a Gregorio XIII. assignata dote institutum, postea Urbanus VIII. restituit confirmata eadem 1530 thalerum dote. Idem demum privilegium de suscipiendis ordinibus sacris sine beneficii aut patrimonii titulo contulit saepe laudatus Pontifex Urbanus VIII. Alumnis Collegii de propaganda fide.

Quaenam vero fuerit Sacrae hujus Congregationis praxis in themate dispensationum supra titulum sacrae ordinationis nunc inspiciendum. De praxi antiqua perpauca dicere fas est, scilicet id unum quod testatur *Campanil.* diversor. jur. canonic. rubr. 8. cap. 4. num. 6. et *Garzias* de benefic. part. 2. cap. 5. num. 97., nempe S. Congregationem quandoque permisisse

ob penuriam sacerdotum, ut clerici de beneficio aliquo vel patrimonio destituti sacros Ordines reciperent, ad simplicem sponsionem alicujus, qui promitteret se necessaria ordinandis subministraturum, id est, cum simplici obligatione personali „ille autem (verba sunt *Campanil.* loco citat.), qui beneficium non retinet, neve patrimonium aut donationem, attamen ordinari potest quum penuria sacerdotum existit, si tamen, qui spondeat ei necessaria subministrare, adsit, ut Sacra Congregatio Concilii interpretata est, cujus declarationis testis est *Moder.* de resign. benefic. lib. 2. quaest. 6. n. 11."

Resolutiones potius medias, ex quibus mens et praxis S. C. manifestius apparet, plurimas proferre praesto est. Cum enim Episcopus sanctae Crucis de la Sierris in Indiis Occidentalibus anno 1719 supplicaverit pro facultate initiandi sacris Ordinibus ejus regionis incolas, licet titulum beneficii aut patrimonii non haberent et nullum, ipsius antistitis testimonio, adesset periculum quod promoti mendicare viderentur, proposito dubio:

An Episcopo sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros Ordines in Civitate s. Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium nec pensionem nec patrimonium obtineant?

Sacra Congregatio die 8. Julii 1719 respondit: Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium. Rursus in *Zacynthien.* et *Caphalonien.* cum Sacra Congregatio ob sacerdotum penuriam indulsisset antecessori Episcopo facultatem promovendi ad sacros Ordines quatuor clericos *titulo servitii Ecclesiae* et successor Episcopus instaret pro renovatione indulti, quia praecedenter ordinatis provisum jam fuerat de beneficiis, relata instantia per summaria precum, rescriptum fuit die 23. Julii 1749: *Pro gratia juxta formam praecedentis indulti.* Lib. 79. decret. pag. 246. Ac iterum in *Aemonien.* die 9. Julii 1757 supplicante Episcopo pro facultate ordinandi ad titulum servitii Ecclesiae Cathedralis binos clericos in ea inservientes attenta penuria sacerdotum rescriptum pariter fuit: *Pro gratia arbitrio Episcopi,* ut videre est lib. 107. decret. pag. 286.

In *Valentina* anno 1761 Episcopus postulavit renovationem indulti, quod a Summo Pontifice Benedicto XIV. ab anno 1748 obtinuerat. Cum enim amplissima dioecesis magna paroeciarum copia abundaret nec facile invenirentur cooperatores parochorum ad formam cap. 8. sess. 6. sess. 21. et cap. 18. sess. 24. Concilii Tridentini, ideo Episcopus rogavit ut sibi facultas indulgeretur initiandi sacris Ordinibus *titulo sufficientiae* digniores ex oppositoribus concurrentibus ad beneficia curata, fere omnibus in s. Theologia doctoribus, qui parati invenirentur ad partes coadjutoris hujusmodi suscipiendas et si quibus congrua deesset, eam levius foret antistiti sua pecunia largiri, quam assiduis affici angoribus ob ministrorum penuriam in promovenda animarum salute, ex audientia autem Sanctissimi diei 1. Novembris 1748 rescriptum prodiit, quo „Sanctissimus benigne annuit pro facultate admittendi ad sacros Ordines et sic per consequens ad presbyteratum ad titulum sufficientiae viginti quatuor ex magis idoneis oppositoribus ad beneficia curata, attenta informatione Nuntii apostolici etc."

Postquam vero Archiepiscopus praefinitum presbyterorum numerum vigore impetratae facultatis ordinaverit, novas obtulit preces, quibus, necessitate ur-

gente, postulabat prioris indulti renovationem ac, licet Nuntius apostolicus Hispaniarum petitis annuendum censuit, negativum tamen tulit responsum. Iterum supplicavit Archiepiscopus, maxime quod urgens necessitas Ecclesiarum parochialium et inopia sacerdotum ex praecedenti indulto Benedicti XIV. comprobata adhuc vigeret, teste ipso Nuntio apostolico, ac demum verendum non esse ajebat de mendicitate ordinandorum, quia, si reliqua omnia decessent, illorum sustentationi satis consultum remaneret ex obligatione, quae de jure imminet ordinanti ejusque successoribus alendi ordinatos sine titulo, donec aliunde provideantur juxta censuram textus in cap. *Cum secundum 16. de praebendis*; quin ratio sit de praejudicio inde successoribus resultante, cum ex debito pastoralis sollicitudinis teneantur Episcopi indigentiae populi et curae animarum providere de sufficienti ministrorum numero illisque alimenta praestare de bonis Ecclesiae. Haec Archiepiscopus. Proposito autem dubio:

An sit concedendum Archiepiscopo Valentino novum indultum promovendi ad sacros, etiam presbyteratus, Ordines, clericos magis idoneos ex oppositoribus ad Curata, titulo sufficientiae ad instar praecedentis indulti concessi a sa. me. Benedicto XIV., ita ut sit recedendum in casu etc.?

Sacra Congregatio die 17. Januarii 1761 censuit: Affirmative pro viginti quatuor presbyteris, ad formam praecedentis indulti, facto verbo cum SSmo, siculi videre est in thesauro resolutionum tom. 30. pag. 10.

Quaenam vero sit novissima hisce in casibus praxis ejusdem S. C. potissimum quoad dioeceses Regni B. . . . . pandunt plura nostra praesertim aetate elargita indulta penes thesaurum resolutionum inter supplices libellos relata. Quae inter sufficiat memorare indultum triginta supra unum ex alumnis Seminarii N. concessum die 4. Septembris 1837, qui quum exposuissent ipsis haud licere ad sacros promoveri ordines ob deficientiam integri tituli patrimonialis, instarentque pro opportuna dispensatione sub spe obtinendi officii ecclesiastici, ubi e seminario egrederentur, S. Congregatio attentis peculiaribus circumstantiis praesertim Ecclesiae necessitate, dummodo absit periculum quod oratores cum ordinis dedecore mendicare teneantur, pro gratia dispensationis ab integritate patrimonii sacri et habilitationis arbitrio et conscientiae Episcopi indulsit, qui curet Oratores providere antequam e seminario egrediantur de aliquo beneficio vel saltem munere ecclesiastico. Quam rescribendi normam aliis etiam in casibus servatam conspicimus et pro diversis quoque dioecesibus, ceu videre est in Meliten. die 27. Novembris dicti anni inter supplices libellos pariter relatam.

His positis videant EE. VV., an et quomodo sit annuendum precibus B., an sit habenda ratio illa uniformitatis, quam satis esse autumat antistes ut indultum de promovendis Clericis ad sacros Ordines sine titulo etiam extendere velit ad eos clericos qui patrimonium ecclesiasticum sibi constituere possunt, seu potius firmanda Sanctio Tridentina pro iis casibus quibus servari queat, quia, ut dicit Benedictuss XIV. in tractu *de Synodo lib. 12. cap. 5. num. 14.*, ita fert Sedis apostolicae institutum et consuetudo, ut in peculiaribus quidem casibus, si graves causae ita suadeant, dispensationes a legibus generalibus aliquando concedere non recuset, ipsas tamen leges pro caeteris casibus in suo robore subsistere velit, cum Ro-

manus Pontifex sacrorum Canonum atque constitutionum a praedecessoribus suis editarum, quoad licet, custodem se ac vindicem praebeat.

Videant etiam, an expediat indultum concedere de clericis promovendis perpetuo duraturum, sicuti expostulare videtur Episcopus orator, quod unquam concessum fuisse in actis Sacrae hujus Congregationis reperire non licuit; nec Episcopo Feltrano *indefinite* permittere ordinationes titulo *Mensae Cathedralis* Sacram Congregationem Episcoporum et Regulorum voluisse refert *Pignatelli*, illi rescribendo ex Oraculo Papae, ut recurreret in casibus particularibus, si quando opus esset parochialium vel aliarum Ecclesiarum indigentiae occurrere, sicuti habetur apud dictum auctorem tom. 5. consult. 77. num. 43., seu potius annuendum pro facultate admittendi clericos sine titulo ad sacros Ordines, pro aliquo certe et determinato casuum numero, sicut fert Sacrae hujus Congregationis stylus et praxis.

Insuper erit sapientiae EE. VV. judicare de eo quod proponit Nuntius apostolicus B.... in sua informatione, nempe pro negotio facilius expediendo, ne res quidquam detrimenti ex dilatione experiatur, veniam facultatis de promovendis clericis sine titulo singulis vicibus concedendae Nuntio apostolico in B... pro tempore residenti a SSmo Domino Nostro permitti posse arbitratur.

Agitur in secunda dubii parte utrum approbanda sit nova, quam invehendam censuit Episcopus, disciplina, qua singuli ordinandi summam ducentorum *francorum* semel solvere deberent, ut deinceps ex fructibus pecuniae cura Episcopi collocandae provideretur sustentationi clericorum, qui pro aegritudine aut debilitate munus ecclesiasticum jam exercere nequeunt. Asserit saepelaudatus B. Antistes eam unicam occurrere viam, ut miserrimae conditioni complurium ecclesiasticorum, qui sine sufficienti vel etiam sine vero et frugifero patrimonio ad sacros Ordines assumpti non habent unde sustententur, cum jam non suppetant vires ministerii officii exercendi, sicut quotidie de Vicariis, parochorum cooperatoribus necnon de professoribus in schola publica muneri instruendae juventuti adlaborantibus accidere videtur.

Hac solummodo opportuna provisione succurri posse ait gravissimis oneribus mensae episcopalis quae clericis sine titulo ordinatis de congrua sustentationo providere tenetur; et praesumi potest saepius quod oneri impar prohibere nequit quominus afflicto non addatur afflictio et clericis aegrotantibus desit opportunum alimentationis subsidium. Addi potest insuper id quod maximi habendum est, scilicet quod viri ecclesiastici alacriori pede ministeriis sacris incumberent, nec de futura sua conditione cum anxietantibns cogitarent, nec avaritiae periculo succumbere, sicuti hodie accidere potest, amplius adducerentur, si semel per institutionem novae praepositae disciplinae de convenienti toto vitae suae tempore subsidio certiores facti essent.

Nec nova methodus quidquam difficultatis praeseferre videtur, cum nec ullus forsan Ordinandus extiterit, qui modicam summam vel ex partibus vel ex piis benefactorum largitionibus sibi procurare nequeat. Neque periculum scandali sive admirationis in ordinandis aut in illorum consanquineis exoriri posse testantur Episcopi G., T. et L., qui novae methodo sese subscribere significarunt et quod ita conficeretur commune aerarium, quo Clericis esurientibus succurratur, apertissime comprobarunt.

Contra vere propositam disciplinam perinutilem fore imo et implicatissimis difficultatibus obnoxiam ex animadversionibus caeterorum B. Antistitum deprehenditur. Cum enim in B. generatim ad majores ordines non assumantur nisi ii Clerici, quos Ecclesiae necessitas aut utilitas exposcere videatur et de quibus indubia spes est, ut statim, ac sacerdotio initiati sunt, aliquod officium consequantur, cui honesta pensio a publico aerario assignatur, hinc fit ut nonnisi perraro accidere possit, ut viri ecclesiastici non habeant unde sustententur, et de eo, quod raro occurrit, legem statui non debere nec introduci novissimam disciplinam, quae praxi universae Ecclesiae valde adversatur.

Gravissima autem scandala ac admirationem in ordinandis et eorum consanquineis suboriri posse ex nova introducenda methodo asserunt plurimi ejusdem regionis antistites ceu reperitur in informatione Emmi Cardinalis Archiepiscopi M. ad Emmum Sacrae hujus Congregationis Praefectum: „Si ordinandi (ita ille) deinceps loco tituli patrimonialis aut pensionis semel solvere cogerentur ducentos francos ad annuos census applicandos, facile evenire posset, ut hoc in dioecesi mea tam ordinandis quam eorum propinquis displiceret et Ecclesiae hostes inde occasionem sumerent calumniandi clerum“: et forsan non effugere apud imperitum vulgus aliquam simoniae speciem eam summae solutionem pro acquirendo jure quodam ad sustentationem futuram, de qua ordinati, majori sane ex parte, statuto casu haud eveniente, subsidium nullum accipere deberent.

Nec satis tutum videretur hujusmodi constituendum commune aerarium, cum spes non adsit fore, ut praesidio potestatis civilis muniretur et ideo nec difficile esset accidere, ut deperirent census ex solutionibus singulorum ordinandorum constituti: ac eo in casu qualibus oneribus obnoxiam fore mensam episcopalem et qualiter murmurationibus et querelis locus praeberetur, satis praevideri potest. Nec etiam ambigendum quin administratio communis aerarii immuneris obnoxia esset difficultatibus et insuper utilium inde provenientium divisio querelis, dissidiis et accusationibus, ipso Episcopo minime excepto, viam aperire posset, sicuti in historiis accidisse legimus, antequam de divisione bonorum ac redituum sapientissime ab Ecclesia provideretur de quo mentio est in *Verulana* divis. massae capit. Die 29. Martii 1817.

Obstat proinde etiam illa inveterata Ecclesiae universae praxis, qua, licet patrimonium sacrum confici debeat ab iis ordinandis, qui nec beneficium ecclesiasticum nec pensionem pacifice possident, ac etiam alienatio bonorum in titulum ordinationis assignatorum ipsis prorsus prohibeatur, donec beneficium congruum assecuti fuerint, attamen nec minimam bonorum patrimonialium partem ad Ecclesiam transire debere fert praxis universa, sed eorumdem bonorum plenum dominium clericis omnimode habetur; et ideo distractio atque consumptio eorum arbitrio relinquitur, ex cap. I.: *de testamentis,* et cap. I.: *de success. ab intestat.* Cui profecto disciplinae minus consentanea videri posset novissima methodus qua singuli ordinandi modicam equidem sed plerisque familiis forsan gravosam patrimonialium bonorum partem petere tenerentur, ad commune aerarium transituram, de cujus fructibus nec ullum forsan subsidium semel ordinati percipere deberent, cum pro non interrupta valetudine ecclesiasticis ministeriis ac muneribus sedulo incumberent.

Nec valeret exemplum e praxi ordinum religiosorum desumptum, cum aliter de ordinibus regularium, aliter vero de clericis saecularibus disposuerit ecclesiastica disciplina. Etenim, dum regularibus omnia communia nihilque proprium statuit canonica sanctio, voluit e contra ut ecclesiasticis viris reditus certi et determinati assignarentur, quibus tanquam rebus propriis absque ulla Episcopi auctoritate uterentur, sicuti habet *Gonzales* ad cap. 3. de praebendis et dignitatibus n. 8. Hinc parochis beneficia canonicisque praebendae distinctae plerumque attributae nec quandoque probari a S. C., quod massa communis statuatur iis in Capitulis, ubi existit praebendarum distinctio, eruere licet ex *Alatrina* 15. Decembris 1826, quemadmodum contra faciliter divisionem massae communis in praebendas admitti patet ex *Firmana* 11. Julii 1801 maxime vero ex *Veruanla* super cit.

Nec prioribus saeculis extitisset plenam bonorum communionem probatur ex cap.: *Dilectissimis 12. quaest. I.*, necnon ex Extravaganti: *Cum inter. de verb. signif.*, et insuper ex eo quod ipsis canonibus apostolorum statuatur Episcopum communitati praeesse debere et rebus communibus uti posse casu, quo indigeret, unde tacite innuitur aliquid habere potuisse in patrimonio, quod necessitatibus suis non sufficiebat, ut fere eisdem verbis deduxit *Gratianus* in cap.: *Praecipimus* §.: *Cum ergo 12. quaest. I.* Idem apparet ex canone: *Sint manifeste 12. quaest. I.*, et can.: *Illi autem*, necnon can.: *Si privatim* sicuti non *Gonzales* loco supr. citat., et licet Gregorius, qui creditur VIII., cap. 9. de vita et honestate clericorum rescribens Episcopis 'statuat „ut facultatibus Ecclesiarum vestrarum atque proventibus et expensis etiam diligenter inspectis, certum in eis valeatis imponere numerum clericorum et statuere, ut bona eorum veniant in communione et in una domo vescantur etc.", nihilominus agi in hoc textu de regularibus seu de Ecclesia canonicorum regularium jam constructa et in regularem erecta, notant Glossa et *Lotterius* lib. I. de re benefic. cap. 14. num. 44.

Hinc concludendum videtur constitutionem communis aerarii favore clericorum saecularium universae adversari praxi multis abhinc saeculis inveteratae et disciplinae generali cleri saecularis valde repugnare. Nec impraesentiarum, ubi errores communissimi, ut ajunt, undique grassantur, opportunam esse novissimam methodum, quae quamdam communismi speciem praeseferre videri posset. Sapientissimo enim consilio factum est, ut dum Ecclesia proventus distinctos statuit, jura insimul proprietatis in clero saeculari tueretur sicque apertissime sese alienissimam profiteatur ab illis monstruosis figmentis, quae jura peculiaria evellendo totum humanum genus in miserum cathaclysmum adducere conantur.

Nec deesse juris remedia favore clerici aegrotantis vel debilitati evincitur ex ipso decretalium titulo. Clericum aegrotantem integre percipere fructus sui beneficii aperte ibi statuitur et insuper probatur ex cap.: *Praecepta 53. distinct.*, *ex capit. I. 2. 3. 4. 5. quaest. I. caus. 7.*, *ex cap.*: *Significatum 11. de praebendis*, *ex cap.*: *unic. de clericis non residentibus in sexto cap.*, *Grandi de suppl. neglig. praelatorum* cap. *Gonsaldus 17. quaest. 2.*, cap. *licet de censibus* et aliis passim. Ratio est ea quam tradit Pontifex cap. I. de clerico aegrotante, scilicet, ne addatur *flaggelatis afflictio*; alteram autem, ne si privarentur clerici suis

beneficiis, nullus de caetero qui Ecclesiae militet poterit inveniri.

Rectorem vero animarum ab officio amoveri pro aegritudine non debere, sicut in dioecesi A. ex ipsa Episcopi relatione factum esse constare videtur, sed illi dandum esse coadjutorem deducitur *ex cap. 3. 4. 5. 6. eod. tit. de clerico aegrotante vel debilitato*, ita ut habitus curae sit penes coadjutum, exercitium vero penes coadjutorem, sicuti totidem verbis ait *Fagnan.* ad cap. 3. eod. titul. num. 4., qui addit eum textum loqui de rectoribus Ecclesiarum et curam animarum habentibus, quorum appellatione ex proprietate vocabuli veniunt inferiores curati, *cap. final. de praebend.*, *cap.*: *Ex transmissa de decimis.* Et licet coadjutor vivere debeat de Ecclesiae proventibus *cap.: unic. eod. tit. in 6.*, et inde congruam portionem ab ordinario taxandam, attamen, quatenus reditus Ecclesiae non sufficiant coadjutori et rectori aegrotanti, tunc proventus primo et principaliter esse in dispositione rectoris et consequentur illius necessitati prius esse providendum ab Episcopo vel a parochianis tradit cum aliis *Fagnan.* eod. cap. 3. de clerico aegrotan. num. 12.

Nec aliter dicendum de rectoribus parochiarum ad nutum amovibilibus ipsamet dictitat aequitatis ratio; quod insuper asserendum de caeteris clericis officium aliquod exercentibus testatur laudatus *Fagnan.* in cap.: *Consultationibus* eod. tit. n. 40., ubi indiscriminatim ait quod „omnia jura clamant inhabilem ad officium exercendum, propter morbum perpetuum et incurabilem non posse ab officio seu beneficio prius habito amoveri, sed tantummodo dandum esse illi coadjutorem.“ Nec sane frequentiores evaderent casus, quos lamentatur et quibus occurrere satagit Episcopus Orator novissima proposita methodo, nisi ecclesiastici viri, infirmitate correpti, ab officio seu munere amoveri viderentur.

Erit quocirca EE. VV. judicare utrum aliqua reprehensione dignum sit illud hodierni Antistitis B. factum, si consulta equidem apostolica Sede, sed non expectato ejusdem oraculo, novissimae methodo locum dare non dubitavit, sicuti ex ipsius Antistitis supplici libello patere videtur, ubi pontificium adprecatur judicium „circa institutionem novae formae tituli clericalis, *quam ob rerum et temporum circumstantias inducere coactus sum*, ne clerici sine titulo reali ad ordines sacros, ut pridem factum est, deinceps promoverentur.“ Quamvis consideratione nec indignum videtur omnia, quae a suo praedecessore instituta sunt aut a seipso recenter decreta, judicio apostolicae Sedis plene et integre subjici, ceu ibidem apertissime profitetur.

Caeterum est equidem lugenda conditio Episcoporum illis in regionibus versantium, quum, expoliata Ecclesia a laicali potestate innumeris pene ordinationum titulis et proventibus ecclesiasticis jam media ipsis defecerint quomodo clericis patrimonio proprio destitutis vel muneri ecclesiastico imparibus providere valeant. Nec ambigendum illud fore aequitati maxime congruum si clericis ordinandis, quatenus pro injuria temporum aliter fieri nequeat, aliquis saltem titulus sustentationis assignaretur, eodem prorsus modo quo canonicis et parochis retribuitur pensio alienatis bonis subrogata, ceu in Germania in praxi esse testatur *Phillipps* auctor operis juris canonici idiomate germanico nuperrime evulgati tom. I. pag. 631. edit. Ratisbonen. anno 1845.

Superest ut pauca dicamus de alio

quod quaerit B. Episcopus, quatenus EE. VV. placuerit amicum de novissima proposita methodo ferc judicium, scilicet, utrum approbata illa forma tituli clericalis, qui quasi patrimonialis appellandus foret, haec tituli denominatio inseri possit in aliqua futura Pontificalis romani editione, super quo brevius notandum quod, licet Apostolica Sedes aliquando indulserit ut ad Sacros Ordines promoverentur titulis quibusdam subsidiariis ex. gr. ad titulum *Missionis, Servitii Ecclesiae, collegii, sufficientiae,* ut supra jam adnotatum habetur, et quamvis etiam nonnulli ex dictis titulis perpetuo concessi reperiantur, attamen nec unquam eum insimul indulsisse, ut tituli illi subsidiarii insererentur in Pontificali romano invenire licuit. Nec mirum, de peculiaribus enim indultis et de casibus particuliaribus legi generali adversantibus mentionem habere non decet uti monet vel ipse Ulpianus in Leg. 8. ff. de legib.

His pro munere adnotatis erit EE. VV. sequentia resolvere

Dubia:

I. An sit concedendum Episcopo oratori indultum promovendi clericos ad s. Ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo, ita ut sit approbanda institutio novae tituli ordinationis formae in casu?

Et quatenus affirmative;

II. An permittenda sit insertio ejusdem novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis romani in casu?

Sacra Congregatio die 24. Augusti 1850 resp. ad I.: Negative et providebitur in casibus particularibus.

Ad secundum: provisum in primo.

(Corresp. de Rome 1850 ed. II. N. 39.)

l) Sufficientiae.

Valentina.

Vd. p. 522. (Conc. Tr. S. 27 c. de ref.)

Magna paraeciarum copia, quibus abundat amplissima Dioecesis Valentina, licet multorum exigat Presbyterorum numerum vel pro coadjuvandis Parochis, ubi major est populi frequentia et nimia locorum distantia, juxta censuram *Sacri Concilii Tridentini* sess. 21. cap. 4 de reform., vel pro supplendis illorum vicibus in casu obitus aut infirmitatis et alterius legitimi impedimenti, ut praescribitur in sess. 6. cap. 2., sess. 21. cap. 6, et ss. 24. c. 18, attamen perpauci sunt, quibus committi possit hujus muneris implementum: formidantibus aliis asperum Parochianorum ingenium et grave curarum animarum pondus: aliis excusationem merentibus, utpote imperitis vel suorum beneficiorum obsequio mancipatis.

Hanc suae dioecesis angustiam Archiepiscopus Valentinus exposuit defuncto summo Pontifici Benedicto XIV. enixe rogans, ut sibi facultas indulgeretur sacris ordinibus initiandi *titulo Sufficientiae* digniores ex oppositoribus concurrentibus ad beneficia curata inibi octogesimum et nonagesimum numerum plerumque excedentibus fere omnibus in Sacra Theologia doctoribus et scientia morali instructis, qui parati invenirentur ad oeconomiae, vicarii et coadjutoris partes hujusmodi suscipiendas. Quo pacto indigentiae, ut ajebat, consuleretur Ecclesiarum parochialium et illi aptiores redditi quotidiano exercitio curae non diu carerent opportuno titulo curata vel simplicia beneficia assequendo, et si quibus congrua deesset, eam levius foret antistiti sua pecunia largiri, quam assiduis angoribus affici ob ministrorum penuriam in promovenda animarum salute.

Relatis autem hujusmodi precibus Summo Pontifici per secretarium supplicum Libellorum rescriptum prodiit ex audientia Sanctissimi die prima Novembris 1748, quo „*Sanctissimus benigne annuit pro facultate admittendi ad ordines sacros et sic per consequens ad Presbyteratum ad titulum sufficientiae vigintiquatuor ex magis idoneis oppositoribus ad curata: attenta informatione Archiepiscopi oratoris super necessitate ac attenta etiam informatione Nuntii Apostolici non obstantibus quibuscumque, quibus Sanctissimus pro hac vice derogavit.*“

Vigore igitur impetratae facultatis praefinitum numerum Presbyterorum ordinavit idem Archiepiscopus duodecim, quot lapsi sunt annorum tempore; sed necessitas, quae urgebat, vel numquam sublata est vel iterum supervenit; quapropter novas ille obtulit preces Sanctissimo Domino Nostro, quibus postulabat prioris indulti renovationem. At precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis auditus fuit Emus Dominus Cardinalis Spinola tunc Nuntius Apostolicus Hispaniarum, qui attenta urgentia eiusdem necessitatis eorundemque motivorum concursu petitis annuendum consebat: nihilominus relata postulatione inter summaria precum in Congregatione diei 7. Junii mox praeteriti anni ob suffragiorum scissuram nulla capi potuit resolutio, quae tamen in Congregatione habita die 2. Augusti superioris anni prodiit pro rejectione instantiae edito rescripto: Lectum.

Redit nunc Archiepiscopus sperans suas preces meliorem exitum habituras sub formali dubii discussione. Et disputat legis vinculum et canonicarum sanctionum rigorem quandoque relaxandum esse, si aliqua urgeat necessitas vel publica concurrat utilitas, ut monuit Sacrum *Concilium Tridentinum* sess. 25. cap. 18 de reform., et conciliare interdictum non ordinandi Presbyteros sine titulo, de quo in sess. 21. cap. 2. de reform., unam esse ex illis sanctionibus, quibus facile per sedem apostolicam dispensari solet, ut testatur *Corrad.* in prax. dispensat lib. 4 cap. 7. num. 39, producitque exempla indultorum, quae concessa fuerunt per breve, Presbyteros ordinandi titulo *servitii Ecclesiae*, ut Sixtus V. indulsit Patriarchae Venetiarum juxta relata per *Campanil.* divers. juris canon. rubr. 8. cap. 4 num. 14., et *Garz.* de Benefic. part. 2. cap. 5. num. 98.: sive promovendi ad sacros ordines titulo literaturae doctores in jure canonico vel in Sac. Theologia juxta rescriptum favore Cardinalis Portugalliae relatum per *Garz.* d. part. 2. cap. 5. n. 128, vel demum Sacerdotium adipiscendi titulo *missionis*, ut Alumnis Collegii Anglici in urbe concessit san. mem. Gregorius VIII. in sua constitutione 53 §. 13., quorum privilegia Alumnis Collegii Urbani Scotorum communicavit Clemens VIII. in sua constitutione 73. §. 5 et simili privilegio expresse decoravit Alumnos Collegii Fuldensis, Illyrici, Pragensis et Viennensis Urbanus VIII. in suis constitutionibus 64 §. 10, 66. §. 11., 67, §. 9 et 96 §. 12. Bullar. Cherub., uti etiam meminit *Campion.* de instr. ordin. cap. 41.

Et generalem in tota Germania vigere consuetudinem probat ordinandi Presbyteros titulo *mensae* sub promissione scilicet alicujus magnatis aut religiosae vel civilis communitatis ordinato subministrandi alimenta in casu egestatis, ubi praesertim in parochiis opus sit pluribus cooperatoribus, nec frequentia sint beneficia pro titulo illis constituendo juxta testimonium *Engel.* in jus. canon. lib. primo tit. 14. de aetat. et qualit. et ord. num.

14, *Reiffenstuel.* lib. primo tit. 11. de temp. ordin. §. 3. num. 76, et *Leuren* lib. 1 tit. 11 de tempor. ord. quaest. 546 num. 1, et innuit etiam *Pyrhing.* d. lib. 1 tit. 11 sect. 1 num. 74.

Immo defendit in quacumque sacerdotum penuria usum invaluisse dispensandi super titulo ordinationis, si desint beneficia vel opes non suppetant constituendi patrimonium. Et licet ordinationes titulo *mensae* Cathedralis ob penuriam sacerdotum noluerit Episcopo Felitrano indefinite permittere Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 20. Februarii 1590, illi rescribendo ex oraculo Papae, ut recurreret in casibus particularibus, si quando opus esset parochialium vel aliarum Ecclesiarum indigentiae occurrere, ut refert *Pignatell.* consultat· canon. 77. num. 33. tom. 5., quandoque tamen permissae fuerunt ad simplicem sponsionem alicujus, qui promitteret, se necessaria Ordinandis subministraturum, ut ab hac Sacra Congregatione fieri consuevisse testantur *Campanil.* divers. jur. canon. rubr. 8. cag. 4. n. 6., *Paris.* de resignat. lib. 2 quaest. 6 num, 11, *Garz.* de Benef. part. 2. cap. 5. n. 97 et *Barbos.* de offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 19. n. 73. et in adnotat. ad Concil. sess. 21. cap. 2. num. 51.

Illisque addit recentiora hujus Sacrae Congregationis rescripta. In causa porro Sanctae Crucis de la Sierra in Jndiis Orientalibus disputato dubio: *An Episcopo Sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros Ordines in civitate S. Laurentii de la Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverint, licet nec Beneficium nec Pensionem nec Patrimonium obtineat?* die 8. Julii 1719 responsum fuit: Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium, ut in lib. 69. decr. pag. 335., rursus in *Zacynthien. et Cephalonien.* 23. Julii 1729, cum Sacra Congregatio ob sacerdotum penuriam indulsisset antecessori Episcopo facultatem promovendi ad sacros Ordines quatuor Clericos titulo Servitii Ecclesiae et Successor Episcopus instaret pro renovatione indulti, quia praecedenter ordinatis provisum jam fuerat de beneficiis, relata instantia per summaria precum rescriptum fuit: Pro gratia juxta formam praecedentis indulti, ut in lib. 79. decret. pag. 364. Ac demum in *Aemonien.* 9. Julii 1757 supplicante Episcopo pro facultate ordinandi ad titulum *servitii Ecclesiae* Cathedralis binos Clericos in ea inservientes attenta penuria sacerdotum, rescriptum pariter fuit inter summaria precum: Pro gratia arbitrio Episcopi, ut in lib. 107. decret. pag. 286.

Allata autem exempla censet Archiepiscopus faciliorem sternere viam petito indulto, cum innuant stylum et praxim sanctae Sedis et sacrae hujus Congregationis facile dispensandi in re, de qua agitur, ut in similibus firmat *Piton.* disceptat. ecclesiast. 79. num. 7., maxime quia in proposito casu urgens necessitas Ecclesiarum parochialium et inopia Sacerdotum habilium in sua Dioecesi, qui adjutricem operam praestare possint aut velint regimini curae animarum, comprobata remanet, ut asserit ex praecedenti indulto san. mem. Benedicti XIV. et illam adhuc vigere testatur in sua relatione Emmus Dominus Cardinalis Spinola olim Nuncius Hispaniarum itaut arduum videri non debeat perseverante eadem causa renovationem indulti concedere sub tanti pontificis exemplo, cum etiam in praenotata *Zacynthien. et Cephalonien.* ob reviviscentiam prioris causae attenta ordinatorum promotione ad Be-

ficia sacra haec Congregatio renovaverit successori Episcopo indultum pridem concessum Antecessori.

Atque demum verendum non esse arbitratur de mendicitate ordinandorum, cui malo occurrere voluit Sacrum Concilium praescribendo titulum Beneficii vel patrimonii, quia, si reliqua omnia dessent, illorum substentationi satis consultum remanet ex obligatione, quae de jure imminet ordinanti ejusque successoribus alendi ordinatos sine titulo, donec aliunde provideantur, juxta censuram *textus in cap.: cum secundum 16. de praebend.*, quin ratio habenda sit de praejudicio inde successoribus resultante, cum ex debito pastoralis sollicitudinis teneantur Episcopi indigentiae populi et curae Animarum providere de sufficienti ministrorum numero illisque alimenta praestare de honis Ecclesiae, ut notant *Fagnan.* in d. cap.: *cum secundum* num. 27. 30. et 32. de praebend., et *Pignatell.* consultat. 77. num. 2. tom. 5.

Erit itaque ab E.E. VV. definiendum: *An sit concedendum Archiepiscopo Valentino novum indultum promovendi ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines Clericos magis idoneos ex oppositoribus ad curata titulo* SUFFICIENTIAE *ad instar praecedentis indulti concessi a san. mem. Benedicto XIV., itaut sit recedendum a Decisis in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative pro viginti quatuor presbyteris ad formam praecedentis indulti facto verbo cum SSmo.

Die 17. Januar. 1761.

m) Ad Tonsuram et Ordines Minores confer.

„*Beatissime Pater.* — Pius PP. VI. per literas apostolicas sub annulo piscatoris motu proprio datas die 25. Junii anni 1777 prohibuerat, ne cui episcopus Melitensis primam tonsuram conferret nisi titulum substentationis habenti. Re vera, quum in titulis hujusmodi describendis nonnisi beneficia, cappellanias, pensiones et patrimonia memoret, directe de regularibus non videtur locutus. Tamen ex illo tempore in dioecesi Melitensi regulares nonnisi cum titulo paupertatis nimirum ad tonsuram ordinesque minores promoveri consueverunt. Quumque hic titulus per solemnem professionem acquiratur, regulares numquam heic nisi post emissam votorum solemnem professionem sunt promoti.

Nunc vero quaedam immutatio in ordinibus religiosis inducitur; summus enim Pontifex Pius IX. feliciter regnans decreto s. Congregationis super satu regularium die 19. Martii 1857 praecipit, ut qui religiosam vitam in quocumque ordine profiteri vellet, emenso tyrocinii anno ad vota simplicia dumtaxat admitteretur, post quorum emissionem adhuc ex ordine dimitti posset. Interim tamen permisit, ut superiores regularium literas dimissorias ad primam tonsuram ordinesque minores hujusmodi professis concedere possent.

Ex expositis sequentia dubia exorta sunt, solútionem quorum a Sanctitate Vestra episcopus Melitae humillime expostulat, nempe:

I. Utrum praedictus motus proprius Pii VI. respiciat regulares, ita ut sine titulo substentationis ad primam tonsuram ordinesque minores nequeant Melitae promoveri? Et quatenus affirmative,

II. Utrum Sanctitas Vestra in supra memorato decreto censeatur hac in parte motui proprio Pii VI. derogare?

III. Sive motus proprius Pii VI.

regulares proprie non respiciat sive Sanctitas Vestra hac in parte illi derogaverit, quid dicendum, si professi vota simplicia, postquam tonsuram ordinesque minores susceperint, ab ordine dimittantur, eruntne recipiendi in clerum saecularem, ita ut habitum clericalem gestent et in susceptis ordinibus ministrent, quamvis careant titulo substentationis?

„Ex audientia Sanctissimi habita resp. fuit ad

I. et II.: Regulares non comprehendi et etiam professos votorum simplicium (de quibus agitur) posse admitti ad primam tonsuram et ordines minores non obstante dicto motu proprio.

Ad III.: Affirmative in omnibus, nisi aliud judicio episcopi obstet, sed curandum esse ut quam primum fieri poterit de praescripto titulo provideantur. Minime vero ad ordines sacros promoveri posse nisi praescriptum titulum habeant.

A. Archiep. Philippen. Secretarius.

Die 20. Jan. 1860.

S. TITUS.

Vd. S. Timotheus.

Prima die libera post quartam Januarii. In festo s. Titi episcopi confessoris. Duplex. Omnia de communi confessorum pontificum praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque pontificem apostolicis virtutibus decorasti, ejus meritis et intercessione concede, ut juste et pie viventes in hoc saeculo ad coelestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum etc.

Lectiones primi nocturni de scriptura occurrente.

In II. nocturno. Lectio IV.

Titum Cretensium Episcopum vix Pauli Apostoli verbo christianae fidei sacramentis mysteriisque excultum ea sanctitatis luce Ecclesiae tunc vagienti effulsisse compertum est, ut inter ejusdem doctoris gentium discipulos meruerit cooptari. Adscitus in partem oneris praedicationis adeo evangelizandi ardore et fidelitate Paulo extitit carus, ut ipse, cum venisset Troadem propter Evangelium Christi testatus sit, non habuisse requiem spiritui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invenerit. Et paulo post Macedoniam petens rursus suam in eum charitatem ita exprimit: sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

℟. Jnveni David.

Lectio V.

Quam ob rem Corinthum ab Apostolo missus ea sapientia et lenitate legationis hujus munere functus est, quae praesertim de fidelium pietate eleemosynas colligendas ad sublevandam Ecclesiae Haebraeorum inopiam spectabat, ut Corinthios non solum in Christi fide continuerit, sed etiam desiderium, fletum, aemulationem inter eos pro Paulo, qui illos primus instituit, excitaverit. Ad effundendam interim inter gentes linquis locisque distinctas divini verbi semen pluribus terra marique itineribus relectis magnaque animi firmitate pro Crucis trophaeo laboribusque exantlatis una cum duce Paulo Cretae insulam appulit. Cum porro huic Ecclesiae Episcopus ab ipso Apostolo delectus esset, dubitandum non est, quin in eo munere ita versatus sit, ut juxta ipsius Pauli praeceptoris monita se ipsum praebuerit exemplum bonorum

operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

℟. Posui adjutorium.

Lectio IV.

Itaque tamquam lucerna inter eos, qui in idololatriae et mendaciorum tenebris veluti in umbra mortis sedebant, religionis jubar diffudit. Traditur eum inter Dalmatas, ut Crucis vexillum explicaret, strenue consudasse. Tandem meritorum et dierum plenus quarto supra nonagesimum anno pridie Nonas Januarii pretiosa justorum morte obdormivit in Domino et sepultus est in Ecclesia, ubi ab Apostolo Minister fuerat constitutus. Hujus nomen a Sancto Joanne Chrysostomo et a Sancto Hieronymo praecipue commendatum, Martyrologio Romano eadem die inscriptum legitur; verum pro ejus die festo cum officio et missa in catholico orbe recolendo ab utroque clero primam insequentem diem liberam Summus Pontifex Pius Nonus assignavit.

℟. Iste est.

In III. nocturno Lectiones de Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium: Designavit Dominus, *de communi Evangelistarum cum* ℟℟. *de communi Confessorum Pontificum. In Missa*: Statuit; *oratio et evangelium ut in officio.*

Urbis et Orbis.

Suprascriptas lectiones proprias alias a Sacrorum Rituum Congregatione adprobatas cum oratione in honorem Sancti Titi Episcopi Confessoris Sanctissimus Dominus noster Pius IX. Pontifex Maximus addendas indulsit Officio et Missae de communi Confessorum Pontificum de eodem sancto Episcopo Confessore, cujus festum sub ritu duplici minori recolendum mandavit hac ipsa die in universa Ecclesia die prima, quae libera vacasset post pridie Nonas januarii, servatis Rubricis. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus..

Die 18. Maii 1854.

J. Card. Antonelli.

Loco † Sigilli.

(Anal. P. 1854 p. 1048.)

TOBALEA ALTARIS.

(Materia.)

Ad dubium: an Tobaleae altarium confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo quem vocant Mussulo? S C. resp.: *Lectum.* n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.

TONSURA.

1) Num Abbas non ab Episcopo sed ab aliis Abbatibus et PP. Generalibus benedictus possit conferre Tonsuram et ordines minores suis subditis?

Vd.: *Ordines minor.* (Abbas non bened. etc.)

2) Aetas.

Mirapicen.

„Qui tonsuram petunt induuntur publice in templo veste clericali, sub qua deinde per sex menses in seminario nostro instituti tonsura tandem donantur, si tamen decimum quintum aut decimum sextum annum attigerint. Eam enim aetatem requirimus, ut multi abusus vitentur.“

S. C. resp.: Negative.

Die 3. Julii 1677.

(Anal. J. P. 1864 p. 751,)

Requiritur in Tonsurato aetas annorum 14. ad ecclesiasticum obtinendum beneficium *ex Sacr. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6 de reform.*,

non item ad laicalem capellaniam, in qua expresse data est facultas celebrandi per alium. Hujusce enim capellaniae capax est nedum puer tonsuratus, ut orator, sed etiam infans, *Rigant.* ad regul. 58. Cancell. num. 54 et sacra haec Congregatio in Urbevetana 11. Decembris 1784.

(Ex resol. S. C. C. diei 14. Mart. 1795 *Ravenaten.*)

3) Conferendane est baptizato sed non confirmato?

Ord. S. Basilii Magni.

Innocentius Zappia monasticam professionem emisit in ordine s. Basilii Magni nullaque praemissa disquisitione, utrum confirmationis Sacramento munitus esset, bona fide et citra contemptum dein primam tonsuram et minores ordines a proprio Abbate regulari suscepit. Sed cum jam ad vigesimum aetatis annum perventus post sedulam perquisitionem novisset se eo confirmationis Sacramento carere, dubium inde subortum est, an legitime tonsuram et ordines suscepisset; quare huic Sacrae Congregationi preces porrexit pro absolutione et dispensatione ab irregularitate, quatenus in ipsam inciderit, et pro rehabilitatione ad alios ordines. Ipse orator jurejurando testatur: „Non mi recordo affatto che io fossi giammai cresimato come ancora, che avendo fatto diligenza dat paroco nel mio Paese, nel solito Libro de' Cresimati, mi viene avvisato, che io frá esse non mi trovavo scritto.“ Ac procurator generalis ordinis testatar de bona fide oratoris in recipiendis ordinibus unde censet ejusdem petitioni benigniter esse indulgendum.

Juxta constantem perpetuumque Ecclesiae usum et praxim ambigi nequit Confirmationis Sacramentum ordinum collationi praemittendum esse: cum enim Confirmationis Sacramentum a Christo Domino institutum fuerit, ut fideles S. Baptismo spiritualiter regenerati gratia perfectionis, consummationis seu augumenti spiritualis corroberentur, ut ait *s. Ambrosius* lib. 3 de sacram. cap. 2.: Post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur; et sae. mem. Eugenius in celebri decreto edito in Conc. Florentino: „Per Baptismum spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur et roboramur in fide; maxime expedit ac convenit, ut illud jam susceptum sit ab iis, qui in sortem domini vocati ad ordines sunt promovendi, quia — ut ait *Fagnan.* in cap.: *cum contingat* de aetate et qualitate etc. n. 96., cum per sacram ordinationem tradatur ordinato spiritualis potestas, convenit, ut priusquam Laicus eam adipiscatur per sacrum oleum confirmationis roboretur, instruatur ad pugnam contra invisibiles hostes.“

Hanc fuisse perpetuam Ecclesiae disciplinam recenti etiam decreto s. Concil. Trident. roboratam testatur *Juvenin.* de Sacr. dissert. 3. quaest. 9. cap. 1.: „Sacramenti Confirmationis receptionem semper et ubique tamquam rem magni momenti iis injuxit Ecclesia, qui clericali statui nomen daturi erant, idque patet primo ex Cornelio Papa, qui in sua Epistola ad Fabium Antiochenum Novatiano vertit crimini, quod ordinationi Confirmationem non praemiserat secundum Ecclesiae Canonem. Patet secundo loco ex Concilio Niceno primo, quod Clericis Novatianis ea lege ecclesiasticum Ordinem concessit, ut reciperent Confirmationem, quam in sua secta neglexerant; patet tertio ex Trident. Synodo, quae legem de qua agitur sess. 23. cap. 4. de reformat. iis

verbis innovat: prima tonsura non initientur, qui Confirmationis Sacramentum non receperint."

In quam autem poenam incurrant ii, qui non praemissa Confirmatione Ordines suscipiunt, non una et concors est Doctorum opinio. Aliqui putant nullam poenam suspensionis incurrere, quamvis mortaliter peccent, ut ex dicto decreto Sac. Concil. Trident. deducit *Dian.* cap. 24 praxis, *Navarrus* cap. 25. num. 69., *Sayrus* de censuris lib. 7. cap. 10. num. 44. Alii censent, quod nequidem ullum veniale crimen contrahant, inter quos *Barbosa* allegat. 12. n. 14, *Conync.* de sac. Ordin. quaest. 72. art. 8. num. 90., *Dian.* resolut. 24. de Sacram. Confirmationis, quos refert thecaurus de poenis ecclesiasticis par. 2. cap. 13. titulo: Ordines per saltum recepti, versic.: *Itaque*, et versic.: *limit.* secundo.

Hinc multo magis hi omnes affirmant ac tuentur nullam suspensionem neque irregularitatem hac de causa incurri et contrahi. Quae sint hujus opinionis fundamenta late exponit *Juvenin.* de Sacram loc. supra adducto vers.: Respondit nonnulli: Licet enim tertio saeculo sic ferrent Ecclesiae leges, ut supra collegimus ex Epistola Cornelii Papae ad Fabium Antiochenum, id tamen multis ab hinc saeculis non obtinet et sane jus canonicum nec in decreto Gratiani neque in Decretalibus neque in Bullis posteriorum Pontificum eam, de qua illi Scholastici, irregularitatem statuit, nulla tamen induci debet, quam jus ipsum non statuat nec exprimat, in irregularitatibus enim adstruendis nec conjecturae a simili nec argumentum a majori ad minus locum habet haecque sententia pariter probatur in *institutionibus scholast. polemic. de sept. Eccles. Sacramentis* nuperrime editis Romae anno 1770 de Confirmatione quaest. 2. Concl. 2. in fine per verba: „Ea nihilominus omissa (confirmatione) irregulares isti non habentur ad ordines suscipiendos, quia nullo jure, nullo canone poena haec imposita legitur." Contra vero alii putant irregulares esse sacro Chrismate nondum inunctos ob claram expressamque prohibitionem ac inidoneitatem iis a Sacro Concilio Tridentino indictam in sess. 22. cap. 4. Imo *Fagnanus* in dicto Commentario ad cap.: Cum contingat de aetate et qualitate num. 96. testatur: „quod alias declaravit sacra Congregatio Concilii: prima Tonsura initiatum non suscepto Chrismate postea ad minores Ordines susceptos esse male promotum, beneficia minus legitime acquisivisse et non posse ad sacros ordines ascendere nisi praevia Sedis Apostolicae dispensatione." Verum haec declaratio s. Congregationis nullibi a Fagnano indicatur perscrutatisque s. Congregationis Regestris nullibi reperiri potuit.

Sacra Congregatio in una Ordinis Capuccinorum seu Anglonen. dispensationis die 15. Novembris 1710, in qua res erat de Regulari jam ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoto, qui valde dubius erat an inunctus revera fuisset sacro Chrismate vel ante legitimam aetatem subdiaconatum suscepisset cum idem regularis preces dedisset pro absolutione seu dispensatione super praemissis defectibus, ut ad sacrum Diaconatus Ordinem ascendere possit, proposito dub.: An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum in casu etc.? responsum dedit: Praevia confirmatione sub conditione pro absolutione a suspensione et dispensatione quoad irregularitatem ad cautelam.

Dignentur itaque EE VV. decernere: *An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?*

S. C. resp.: Praevia confirmatione; in reliquis ad D. Secretarium ad mentem.

Die 8. Apr. et 6. Maji 1775.

Si EE. VV. erit dubitatio de validitate horum Baptismatum prospici poterit iis, qui ab Obstetrice Sacramenta susceperunt, ut denuo baptizentur sub conditione et secreto ad evitanda scandala, ut notat *Girald.* in exposit. juris pontif. part. 1. Decretal. tit. 42. de Baptism. Sec. 615. Quoad illos vero, qui Ordines susceperunt aperta est juris canonici dispositio, ut iterum ordinentur *in cap. 1 et 3. de Presbyteris non baptizat.*

(Ex resol. S. C. C. die 11. Julii 1801. *Santandrien.*)

4) Defectus.

Vd.: *Ministrantes* (decr. n. 172); *Ordines minores; Rocchettum* (vestis etc.); *Sacerdos* (habitus); *Habitus Clericor.*; *Visit. Presbyt.* (n. 10.)

Tommaso Grant Rettore del Collegio Inglese prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che essendosi mosso il dubbio se la collazione della Tonsura clericale ad Edmondo Pomer Convittore de suddetto Collegio sia valida, come essendogli stati tagliati a tale oggeto i capelli non già della testa, ma della parrucca ch'egli portava.

Supplica che Vostra Santità si degni permettere, che gli si possa conferire la Tonsura di nuovo *ad cautelam et quatenus opus sit.* Che etc. SSmus, referente me subscripto S. R. C. Secretario attentis expositis super Tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione, quatenns opus sit, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius innovandum. n. 5054.

Die 25. Sept. 1846.

5) Deferenda in Parrucca.

Vd.: *Parrucca.*

6) Irrita est collatio ob defectum potestatis.

Collen.

(Sess. 23. cap. 10. de Reform.)

Sub assertione, quod Vallis Ambrosiae Abbas baberet un particolar privilegio di ordinare chi si fosse, et Philippus Bianciardi dirigi obtinuit dimissoriales collensis Episcopi literas ad tonsurandum Albertum ipsius filium, qui in eo Monasterio educationis causa degebat. Post collatam tonsuram advertit Abbas suae potestatis defectum impetravitque die 24. Septembris elapsi anni 1794 per organum sacrae hujus Congregationis apostolicam absolutionem a suspensione. Patrem Sanctissimus eadem die concessit absolutionis gratiam Tonsurato, remisit in reliquis instantiam ad sacram Congregationem Concilii ad hoc ut quoad validitatem ordinationis et rehabilitationem ponatur in Folio. Se autem collensis Episcopus excusaverat, quod dimissorias concessisset ob praestitam fidem honesto viro Philippo Bianciardi de particulari Abbatis privilegio et ob bonos Tonsurati mores, ejus instantiae favebat. Gravis est quaestio de validitate tonsurae minorumque ordinum, ubi eos conferat regularis Abbas alieno subdito, ut in nostro themate. Qui ex benedictione Abbatis sacramentalem in eo admittunt potestatem, validam affirmant non subditi ordinationem, licet illicitam, ut *Fagnan.* in cap.: statuimus de supplen. negligent. Praelat. num. 17., *Fermosin.* in cap.: cum contingat part. 2. num. 9. et seq. de aetat. et qualitat., *Suar.* de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29 num. 21., *Tamburr.* de jur. Abbat. tom. 2. disput. 2. quaest. 8. per tot.

Qui rem vero a canonicis repetunt principiis, eam ordinationem probant nullam. Potestas sane ordinandi adnexa est soli consecrationi seu ordini episcopali secundum proprietatem ex indelebili scilicet charactere, ut idem notat *Fagnan*. loc. cit. sub num. 6., valideque propterea Episcopus alienis etiam subditis ordines confert, quum semper innata ejus potestas quoad omnes maneat, *Hallier*. de sacr. elect. et ordinat. sect. 5. cap. 1 art. 2 §. 2 de privileg. conferen. Abbat. num. 19.

Abbas regularis contra, qui non accipit ex simplici benedictione characterem ordinandi, potestatem non habet ex ordine sed ex concessione Ecclesiae seu privilegio, ac tantum potest quantum concessum, *Vagnerek*. in lib. 5 tit. 33. cap.: Abbates 3. de privileg. et excess. privilegiat. pag. 918. Eis olim tributa erat facultas conferendi tonsuram et minores ordines alienis etiam subditis cum dimissoriis eorum Ordinarii, *Benedict. XIV*. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. §. 12. At restricta tandem fuit ad proprios subditos regulares ex Concil. Trident. sess. 23. c. 10 de format., ita ut denegata quoad alios censeatnr. Hinc alieni subditi ordinatio, quae fit absque privilegio et ob defectum potestatis in Abbate ordinante, est nulla secundum *Pignatell*. consult. 367. sub num. 2. tom. 1, ibi: Privilegium concessum Abbatibus intra alicujus dioecesis fines existentibus conferendi primam tonsuram et ordines minores est restrictum ad suos subditos regulares tantum. Ergo si conferatur aliis, id faciunt sine privilegio ad hoc essentialiter requisito et per consequens ordinatio nulla erit.

Et *Leuren*. for. eccles. lib. 1. tit. 2. quaest. 562. §. 4., *Hallier*. loc. cit., ibi: Quum Abbatibus ad tonsuram minoresque ordines conferendos potestas nisi ex privilegio completa minime conveniat ad eas tantum personas, ad quas privilegium ipsum extenditur, potestatem completam habere possint, ad ceteras autem inchoatam tantum, imperfectam et insufficientem, qualis in simplici quoque presbytero reperitur: si quis ergo sibi non subditos, si quos non regulares ad tonsuram clericalem vel minores ordines promovere tentet, videtur eorum conatus irritus et nullius utilitatis atque efficaciae censendus, quippe quum ad illas personas illorum privilegium nequaquam extendatur, quo solo potestas eorum completur atque perficitur; quo dempto non magis apti sunt ordinare quam quivis Praesbyter. Neque Hallier ipse comparandum ait Abbatem cum Episcopo ordinante non subditos; nam quum Episcopus ordinandi potestatem habeat a charactere suo et potestate ordinis episcopalis, quae licet ut congrue in actum prorumpat limitata ac restricta sit, ut tamen effectum sortiatur nullis legibus subjicitur, nullis finibus includitur. Manet quidem character et potestas ordinis episcopalis. Abbates autem non a potestate ordinis, quae eis ad hoc agendum insita sit, non a charactere, qui ipsis impressis sit, potestatem suam completum habent, sed a privilegio eorum potestas completur. Unde sublato privilegio ejusdem conditionis sunt cum ceteris, quos certum est valde ordinare non posse. Itaque nec ipsi eo sublato ordines conferre possunt.

In hoc opinionum conflictu constans non fuit sacrae hujus Congregationis judicium. Quandoque enim validam declaravit ordinationem clerici non subditi factam ab Abbate regulari vel titulari consuluitque dumtaxat Sanctissimo pro rehabilitatione Clerici ad exercitium ordinum, ut in Panormitana collationis ordinum 16. Martii 1647

lib. 18. director. pag. 311., in Conimbricen. 25. Julii 1655. lib. 19. decret. pag. 484, et in Lucana 16. Martii 1726, quas resolutiones refert *Benedict. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. §. 13. eisque absque discussione articuli adhaeret. Quandoque vero ob defectum potestatis in Abbate ordinante contrarium definivit teste *Pignatell.* consult. 367. numer. 5. et seqq. tom. 1. Accessitque rotalis decisio 985. coram Seraphino, cui titulus: Dubium Sac. Congregationis Concilii. De mandato enim Clementis VIII. quaesitum fuit in nostris terminis: an Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram et minores ordines subditis sibi Regularibus, possint stante decreto Concilii Tridentini cap. 10. sess. 23. tonsuram ac miminores ordines conferre personis saecularibus hahentibus literas dimissorias a suis Ordinariis? et sacrum Rotae auditorium respondit: non posse, non tantum scilicet licite, sed nec etiam vatide, ex quo sublata est praecise et absolute facultas Abbatibus conferendi ordines, praeterquam Regularibus eis subditis, ut in dict. decis. num. 9.

Quae autem pro validitate ordinationis ab hac sacra Congregatione prodierunt definitiones, ad antiquum forsan respexerunt Abbatum privilegium ordinandi etiam non subditos. At re ex restricto ad subditos privilegio paucis ab hinc annis expensa, nullam EE. Vestrae declararunt ordinationem etiam Manachi factam ab Olivetano Abbate post dimissam Abbatiam. Quaesitum sane fuit die 20. Septembris 1788 per folium manuscriptum in causa Congregationis Olivetanae.

I.: An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda?

II.: An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit?

Atque EE. Vestrae rescripserunt constare de nullitate et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Reproposita vero causa in Congregatione dici 28. subsequentis Novembris ampliarunt rescriptum in haec verba: „In decisis et Monacho esse secreto reiterandos ordines minores et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione ejusdem Monachi propter susceptum ordinem Subdiaconatus per saltum ejusque rehabilitatione, necnon pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit,“ illudque Sanctissimus die 10. Decembris in omnibus benigne approbavit et annuit pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis et dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio et conscientiae Abbatis Generalis ejusdem Congregationis, cum facultate etiam subdelegandi.

Diversa quidem a praesenti casu in ea causa concurrebat dimissae Abbatiae circumstantia; at si Abbas sacramentalem ordinandi potestatem ex benedictione habuisset valide Episcopi instar, Monachum non subditum ordinare potuisset, licet ob conciliarem prohibitionem illicite. Unum profecto idemque ad rem videtur, Abbatem ordinare Monachum ac saecularem non subditum, nam quoad utrumque caret privilegio, restricto et limitato ad subditos et sic potestate ordinandi. Sive valida autem sive nulla declaretur ordinatio Oratoris, semper est illicita indigetque rehabilitatione ad ordines et beneficia (jam enim concessa fuit absolutio). Ut Emmi igitur Patres de ea etiam decernant, advertere dignentur, ordinationis auctorem fuisse Oratoris Patrem ob suppositum in Abbate Vallis Umbrosiae privi-

legium quoscumque ordinandi, et bonis oratorem moribus testimonio Episcopi praeditum esse.

Dubia sunt:

I. An constet de nullitate ordinationis, itaut sit iteranda in casu?

II. An sit consulendum Sanctissimo pro rehabilitatione in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Constare de nullitate collationis sacrae tonsurae et esse secréto reiterandam.

Ad II. Affirmative.

Die 24. Januarii 1795.

7) Magnitudo.

Pronunciatus in Episcopum, inquit Caeremoiale, *mox accepit Rocchettum et tondet caput, faciens sibi magnam coronam.* Corona hic ampla dicitur, cum superiore tota capitis parte rasa vel tonsa longioris capilli circulus in modum coronae relinquebatur juxta veterem Ecclesiae morem, de quo Synodus IV. Toletana anni DCXXXIII. Can. XLI. sic ait: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitae et Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciae partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiae scandalo, hoc signum dedecoris auferatur et una sit tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniae est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicae reus erit.* Plura quidem jam nos docet hic Canon, I.: eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum tonsuram, quae partem superiorem capitis totam aperiret: *Detonso superius toto capite*; idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar aut corona „inferius solam circuli coronàm relinquant"; et haec quidem tonsurae forma fuit ac coronae clericalis. II: Clericos omnes a Lectoribus ad Episcopum usque tonsuram eandem atque coronam gestare debuisse. III: usos semper esse Episcopos et Presbyteros ac Diaconos ejusmodi tonsura et corona, qualis hic praescribitur, ipsos etiam Provinciarum omnium Hispaniae Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores *prolixis,* ut laici, *comis, in solo capitis apice modicum circulum tonderent.* IV: denique ea re damnata jussisque inferioribus Clericis eandem gestare tonsuram et coronam, quam gestarent Episcopi et Presbyteri, decretum esse ab ipsa celeberrima Toletana IV. Synodo, ut pro haereticis haberentur Clerici, qui in retinendo haereticorum usu fuerint pertinaces.

Constat igitur ex enarrato Canone Toletano aequalem fuisse olim Clericorum et Episoporum tonsuram, qualis est nunc Monachorum Fratrumque complurium. Verum cum saeculo XIII. corona in Clericis imminui coeperit, jussi sunt ipsi quidem deferre amplas coronas, sed monachi amplissimas, Episcopi tamen haud monachali dissimilem: „Clericus Cathedralis vel Conventualis Ecclesiae vel alius, qui de beneficio vivit, talem tonsuram ferat, quae gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli, qui propter inferiorem et superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem possunt dici corona." Verba sunt Synodi Montis Pessulani anni MCCXIV. Can. IV. jubetque Can. XXIII. ut ampliores Canonici gestent coronas, nempe duorum vel trium digitorum: „Canonici regulares amplas coronas portent et Monachi amplissimas. Ita-

que duorum digitorum vel trium amplius sit Monachis circulus capillorum.“ Sane, quod Episcopos spectat, ut alias omittam Synodos, Budensis anni MCCLXXIX. Can. 1. illis praecipit, ut tonsuram circularem et monachalis similem coronam gestent, tum ut exemplo suo reliquos Clericos non sola auctoritate urgeant ad Legum ecclesiasticarum obsequium, tum etiam propterea quod Episcopatus supra Monachorum omnium religiones longe praestantissima religione excellat: „Praelati coronam et tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali sit major, de caetero deferant.“ Porro saeculo ipso XIII. jam ea disciplina invaluit, ut major vel minor esset, pro majoribus vel minoribus ordinum gradibus, corona. Id enim constat ex Vorcestrensi Synodo anni MCCXI. Can. XXI., quo latiorem monet esse debere coronam Clericorum majoribus in ordinum gradibus eminentium: Ne comam nutriant, sed circulariter et decenter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit ordo, quo fuerint insigniti. Cum aliorum omnium amplissimus sit Ordo Episcoporum, merito mandat hic noster §., ut praenunciatus in Episcopum mox accipiat Rocchettum et caput tondeat, faciens sibi magnam coronam sive ut ait Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. I. §. 1.: *statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari.*

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. pag. 339.)

Vd.: *Sacerdos* (habitus etc., decr. *Eugenii PP. IV.*)

8) Ordone est?

Celebris in id contentio est inter Theologos et Canonistas. Censent Theologi, primam tonsuram non esse ordinem, sed dispositionem ad ordines: idque ex pluribus canonici juris locis argumentatione desumunt, ut post *div. Thom.* in 4. distinct. 24. quaest. 2. *Altiscodor.* in sum. lib. 4. tract. 8. quaest. 1. col. 1. supplem., *div. Thom.* quaest. 40. art. 2., *Sot.* in 4. distinct. 24. quaest. 1. art. 1. circ. fin., *Silvest.* verb. Ordo 1. num. 1. in 1. et 2. dub., *Vasq.* in 3. part. div. Thom. tom. 3. disput. 236. cap. 1. Numerant altera ex parte Canonistae novem ordines, non simpliciter prout sunt gradus Ecclesiae, sed prout sunt Sacramentum et inter eos tonsuram et episcopatum; ideoque ex pontificio etiam jure, Conciliis et argumentis probant, verum ordinem esse tonsuram et characterem imprimere. Ita prae caeteris *Abb.* antiqu. in cap.: cum contingat de aetat. et qualit. gloss. 2. num. 1., *Covarr.* in cap.: quia nos num. 4. de testam., *Gemin.* in can. Cleros col. 2. prope fin. vers. ad primum 21. dist., quibus aliisque adhaeret *Fagnan.* in cit. cap.: cum contingat num. 44. eruditeque utramque sententiam refert et expendit ibid. a num. 12. ad num. 118.

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Martii 1795. *Ravennaten.*)

9) Requisita a parte Ordinandi.

Privernen.

Postulavit ab Episcopo Franciscus de Montibus Privernas Medicinae Professor, ut tertio ex sex filiis masculis, quos habet, Augustino tonsuram conferret, cum clericali militiae nomen dare cuperet: Renuit Episcopus: querelas ille detulit de hac recusatione ad hoc sacrum Tribunal. Auditus itaque, ut fieri solet, Episcopus respondit „Dioecesanos suos omnes ad

statum ecclesiasticum vocationem habere, itaut si instantium precibus annuere vellet, ecclesiasticorum exercitus eum opprimeret: Priverni Civitatem Clericorum sufficientiam habere et ante Augustinum locum tenere praefatae Civitatis Alumnos, qui per plurium annorum spatium in Seminario dioecesano moram fecerunt et faciunt.“ Addidit Episcopus majorem Francisci filium, qui Canonicus est Cathedralis Ecclesiae, itaut eum juris remediis revocare meditaretur. His auditis rejectae fuerunt Francisci preces, qui tamen non fractus animo hac repulsa novas obtulit preces, quibus monstrabat a veri specie Episcopum recessisse. Auditus itaque fuit iterum Episcopus, qui mutavit recusationis causas aliasque attulit: „Francisci filium Augustinum nullimode fuisse pro altari natum, eo quod saecularibus non modo officiis incumbat salemque absente fratre in officina vendiderit, sed scholam neglexerit, adeo ut, licet vigesimum aetatis annum agat, solis tamen grammaticae regulis operam navet, quamobrem nullimode pro prima tonsura audiendum esse censet, eo quia nihil boni in eo sperari possit“ Visum est ob hanc variationem atque inconstantiam Episcopi rem accuratius esse discutiendam et ideo, conceptis dubiis, causa omnis amplissimorum Patrum judicio subjicitur.

Ad tonsuram obtinendam Tridentina Decreta non alia requiruntur nisi ut *promovendus sciat rudimenta fidei et saltem legere et scribere lingua vulgari et materna*, ut communi Doctorum sententia interpretantur *Barbos.* ad Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4. de ref. num. 5.; Ventrigl.* in prax. tit. de exam. ordin. annot. 43. §.: Unic. num. 26. Haec autem excedunt in Augustino, qui, ut constat ex ipsius Episcopi testimonialibus literis datis, ut in aliquod adolescentium collegium cooptaretur, *bonis moribus imbutus est*, *grammaticae praeceptis versatus bonisque parentibus ortus*, *non processatus*, *non querelatus fuit*, quique, licet vigesimum annum agat, rhetoricae operam dat, ut testificationem facit magister, qui ejus pietatem diligentiamque commendat: objecta ab Episcopo in utraque epistola facile diluit Pater, qui testimonia dat virorum genere, dignitate publicisque muneribus illustrium, e quibus constat exercitum illum ecclesiasticorum, quem timet Episcopus, Priverni non esse immo his copiis indigere Civitatem, cujus Civitatum detrimento ac dedecore beneficia exteris et peregrinis hominibus conferri debent et sacra saepius non inveniunt, qui agant ibi, qui Neapolim iter faciunt, Sacerdotum defectu: Clericorum numerum sacris canonibus non esse praefinitum neque in tonsura eadem legem esse, quae solet esse numeratis Ecclesiis: Alumnos, qui in Collegio seu Seminario sunt, nullum praestare posse impedimentum, ne alii prima tonsura initientur, nullumque jus Seminarium dare praelationis Alumnis, et si jus etiam praelationis haberent, aliam esse praelationem, aliam vero esse rejectionem aliorum: Episcopum, qui metuit ab exercitu ecclesiasticorum, qui censuit praeferendos Alumnos Seminarii, ut rejiceret a tonsura Augustinum, contulisse tonsuram duobus Privernatibus adolescentulis post datas preces ab Augustino, qui tamen nec in Seminario fuerunt nec digni erant, ut prima tonsura initiarentur, ut monstravit exitus; alter enim bubulcum agit', alter de infando crimine accusatus et in carceres conjectus evasit ob nullitatem defectumque jurisdictionis et fugiens patriam Romam venit vilique arte lucrum quaerit: Francisci filium natu majorem, qui Canonicus cathedralis est, studiorum causa ab-

fuisse et Capituli consensu ac venia sacri hujus Tribunalis Romae fuisse, impleto tempore Privernum repetisse, ut inane sit, quidquid Episcopus meditaretur de eo revocando juris remediis: et si per desidiam otiumque abfuisset, nihil ad alium fratrem pertinere alterius fratris culpam: salem in officina aut taberna numquam venditum fuisse sive ab Augustino sive a fratre nec potuisse vendi, quia sal venditur in officina salaria a ministro Publicani Camerae seu Fisci Principis: confundere Episcopum sales et officinas; lapideum sal vendere potest Summorum Pontificum privilegiis nobilissima Columnensis Familia: his salibus distribuendis, qui in horreis sunt, praefectus fuit Franciscus, iis vero vendendis Minister est mercede conductus, non Augustinus, non frater; si voluisset Augustinus, nec potuisset quidem, cum scholae vacaverit assiduo, ut Magister et plurimi testes narrant: haec Franciscus; a Promotore Fiscali nihil habuimus.

Dubia sunt:

I. An constet de legitima recusatione collationis primae tonsurae in personam Augustini de Montibus? Et quatenus negative;

II. An sit injungendum Episcopo, ut dictam primam tonsuram conferat vel alio modo sit consulendum indemnitati Augustini in casu?

S. C. resp.: Ad Eminentissimum Praefectum juxta mentem.

Die 17. Maii 1749.

Aetas sufficit septem annorum ad obtinendam primam tonsuram et tres primos minores Ordines, *Gloss. in cap.: De his 6. dist. 28. et cap.: cum nullus 4. de tempor. ordin. in 6.*; qua quidem in aetate nemo certae vocationis signa praebere valet.

Ad scientiam quod attinet, affirmat pro tonsurandis sufficere, quod fidei rudimenta, legere et scribere non ignorent, Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de Reform.; pro minoribus vero Ordinibus quod linguam latinam intelligant, ibid. cap. 5. 11.

De qualitatibus, quibus pollere debent initiandi ad primam tonsuram, idem Concilium Trid. sess. 23. cap. 4. haec habet: „Prima tonsura non initientur.... qui legere et scribere nesciant et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saeculari judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

(Ex resol. S. C. C. die 31. Augusti 1771 Alexandrinen.)

10) Ritus.

Ad dub.: In collatione primae tonsurae legitur in Pontificali: *Quilibet quum tondetur dicit: Dominus pars etc.* Haec verba sunt proferenda etiam ab Episcopo?

„Proferat juxta morem.“ N. 4669 ad 3 die 12. Novembris 1831.

Ad dub.: An liceat Archidiacono seu alteri imponere superpelliceum clericis ordinatis ad primam tonsuram in primo ingressu pro exercendo eorum munere?

S. C. resp.: Non licere, imo omnino prohibendum. Die 15. Septembris 1640. *In Castellanat.*

Vd.: *Ordinatio Graecor.; Mozzetta Episcopi* (t. II. p. 308.)

11) Tempus et dies conferendi.

Vd.: *Ordines Minor.* (tempus confer. decr. *Portalergen.*)

Quoad tempus ordinationis, conferri quidem potuit tonsura die profesto,

ut ex ipso desumitur Pontificali Romano *in rubric. de Ordin. conferend.*, non item Ostiariatus; nam cum reliquis minoribus Ordinibus conferri omnino debet diebus dominicis et festis, ut habetur Pontificali Romano tit. de minor. ordin. *in cap. de eo 3. de tempor. ordination.*, et ex decreto sacrae hujus Congregationis in Portallergen. 13. Aprilis 1720.

(E resol. S. C. C. diei 19. Augusti 1797. *Fabrianen.*)

12) Titulus ad tons. conferend.

Vd.: *Titulus* (ad tonsuram etc.)

TONSURANDI.

(Vocatio.)

Ad dub.: In Ordinatione Clericorum, antequam Tonsurandi nominandi vocentur a Notario, debetne Archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant qui promovendi sunt ad tonsuram?*

S. C. resp.: „Potest juxta morem generalem."

N. 4669 ad 2 die 12. Nov. 1831.

Vd.: *Ordinandi* (vocatio). *An caecus promov. sit ad tonsuram?* vd.: *Ordinatio caeci.*

TONSURATUS.

(Potestne fungi in Officio Subdiaconi?)

Vd.: *Subdiaconus* (Minorista decr. n. 5126) *De oblig. tonsuram deferendi*, vd.: *Habitus clericorum. Constitutio Clem. XI. die 7. Decembris 1706.* (Bull. r. t. VIII. p. 252) *Missa* (Celebrans utrum sedere debet? Epistola Bened. XIV. n. XXII.)

S. TORQUATUS E. C.

Hispaniarum.

Relatis in S. Rituum Congregatione per Emmum Cardinalem de Abdua enixis et piis precibus serenissimi Caroli secundi catholici regis ab Emmo D. duce Medinae Coeli ejus apud s. Sedem oratore porrectis pro extensione festi s. Torquati Episcopi cum Missa et officio proprio alias pro civitate Gadicen. approbato, eadem S. Congregatio censuit esse concedendum ut ab omnibus ecclesiasticis tam saecularibus quam saecularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, regnorum Hispaniae ipsi catholicae majestati subjectorum, in posterum singulis annis recitari possit sub die 15. Maii ejus festo officium et missa sub ritu semiduplici de praedicto Sancto, servatis in reliquis rubricis breviarii et missalis romani, si SSmo D. N. placuerit. Die 16. Aprilis 1692. Facta igitur deinde SSmo D. N. Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit. Die 25. ejusdem mensis Aprilis et anni 1692.

(Anal. J. P. 1865 p. 1327 n. 2469.)

TRACTUS MISSAE.

(Cantus.)

Ad dub.: An tractus missae conventualis per integrum dici debeat a cantoribus?

Resp.: In decreto S. Rituum Congregationis diei 22. Julii 1848 in Senen. ad 4. constat omitti posse a cantoribus quasdam non praecipuas partes in missa solemni, quae tamen submissa voce dicendae sunt, dum organi sonitus supplet: integre vero omnes cantandas si organum non pulsatur. Hic mox viget in alma urbe, praecipue in Ecclesiis patriarchalibus et in ipsa basilica vaticana integer canitur tractus etiam quando organi sonitus accedit. Constat vero ab altero decreto die 12. Augusti 1854 ad 14. in Briocen. omitti posse

praedictas quasdam missae partes ob cantorum deficientiam, quamvis organum non pulsetur, sicuti fieri solet in pluribus urbis Ecclesiis. Hisce decretis et communi praxi inhaerens allato dubio sic respondere putarem: Tractus integre canendus cum organum non pulsatur et adest sufficiens numerus cantorum."

S. C. resp.: *Tractum integre canendum, cum organum non pulsatur.*

Die 7. Septembris 1861.

(Anal. J. P. 1863 pag. 2249.)

Vd.: *Organum; Missa* (abbreviat.)

TRANSFIGURATIO D. N. J. CHR.

Dies octava Dedicationis Ecclesiae Cathed. Brixiae excludit festum Transfigurationis Domini et cum haec Octava celebretur in sola Civitate plerumque fit, ut Officium translatum pro Dioecesi in diem, qua transfiguratio pro Civitate assignata est, gignat per plures dies dissimile Officium inter Civitatem et Dioecesim. Ut igitur in Divinis persolvendis similis deformitas non sit ac simul Transfiguratio ob solemnitatem Mysterii sua die celebretur, S. R. C. precibus humilibus gratia petitur elevationis hujus Officii a ritu dupl. maj. ad dupl. II. cl. pro tota Brixiana Ecclesia sicque in Civitate et ipsa Cathedrali celebrabitur die propria cum commemoratione diei octavae in utrisque Vesperis et Laudibus.

S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative."

Et ita declaravit et servari mandavit. N. 5400. Die 20. Sept. 1804.

Fest. Transfig. D potest esse Titulus Ecclesiae, vd.: *Titularis Eccl.* (Mutat.) *De institut. hujus festi,* vd.: Bullam Callisti PP. III. die 6. Augusti 1457 in Bull. r. t. V. p. 133. Ed Aug. Taur.

TRANSITUS.

1) Per aliam Parochiam.

Vd.: *Processio* (transitus); *Process. funebr.* (Via per aliam paroch.)

2) Per Ecclesiam in aedes privatas.

Vd.: *Fenestra; Orator priv. et publ.; Seminarium* (habitacul.)

Nemo potest habere fenestram, per quam prospectus, nec portam, per quam transitus habeatur in Ecclesiam, sine indulto apostolico, ut pluries declaravit S. Congr. Episcopor. et Regul. et signanter in Casertana 8. Junii 1646, in Cusentina 14. Decbr. 1646, in Hortan. 11. Junii 1655, in Alexanen. 14. Novembris 1659. Immo injungitur Episcopo, ut cryptas et aditus subterraneos a domibus privatorum ad Ecclesias et loca immunia claudere faciat; S. Congr. Immun. in Aquilana 9. Martii 1632.

Non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus vel prospectus in privatas aedes, neque super Ecclesias esse cameras vel loca ad habitandum absque licentia Sedis apostolicae, alias debent interdici, donec hae servitutes removeantur, ut saepe decrevit eadem Sacra Congregatio Episcoporum praesertim in Hierarcen. 26. Julii 1613, in Melphiten. 2. Octobris 1626, in Neapolitana 13. Aprilis 1646 et in Hortanen. 11. Junii 1655. Nisi tamen in limine fundationis Ecclesiae Fundator seu aliquis insignis Benefactor sibi reservaverit jus habendi prospectum seu ingressum in ipsam, quia in tali casu, ne laici a fundationibus retrahantur, possit Episcopus leges et conditiones etiam juri communi contrarias admittere, juxta communem DD. sententiam

teste *Ricc.* decis. Cur. Archiep. Neapol. 29. per tot. par. 1., *Ciarlin.* contr. 53. n. 48., *Lotter.* de re Benef. l. 1. qu. 32. n. 3., *Tondut.* q. Benef. t. 1. p. 1. c. 5. n. 5., posset Ecclesiam cum hac lege fundatam valide huic servituti subjicere; *Lotter.* dict. qu. 32. per tot. et praesertim n. 15. et 16., *Monac.* p. 1. tit. 6. form. 10. num. 18.

TRANSLATIO.

1) Archiepiscopi in eccles. episcopalem.

Archiepiscopus translatus ad *episcop.* Ecclesiam potest retinere nomen seu titulum Archiepiscopi, non vero crucem neque pallium. S. R. C. 16. Octobris 1604.

Vd.: *Transl. Episcopi.*

2) Corporum Sanctorum.

Cf.: *S. Joann. Bapt.*

In causa Lucana translationis Corpor. ss. Senisii, Romei et Aversani existentium in Cathedrali, ad quos pertineat delatio dictor. Corp. SS. in Processione facienda, an ad Canonicos Cath. an Colleg. Ecclesiae, in qua recondi debent? S. C. resp.:

Pro hac vice tantum (in actu transl.) fieri debere solemnem processionem et sacra Corpora esse deferenda per Canonicos Cathedralis usque ad Ecclesiam Collegiatam s. Petri, in cujus atrio ante fores ejusdem Collegiatae esse consignanda Priori et Canonicis Collegiatae per eosdemmet Canonicos Cathedralis. Canonici Colleg. continuando processionem deferant sacra corpora ad locum, ubi erunt collocanda, non obstante decreto edito 20. Aug. 1622.

Et ob majorem venerationem et augendam populi devotionem erga s. pignora Episcopum missam solemnem canere in Collegiata debere cum assistentia tamen Canonicorum Cathedralis. N. 871 die 20. Julii 1630.

3) S. Domus Lauret.

a) Festum introducend.

Picena.

Provincia Marchiae, accedente etiam commendatione Emmi Cardinalis Romae Episcopi Lauretani necnon supplicatione Archiepiscopi Firmani supplicavit pro licentia celebrandi festum Translationis sanctae Domus, cum officio et missa ad instar ut recitatur in ipsa Domo Lauretana. Et Sacra Congregatio censuit concedendum, si Sanctissimo placuerit. Sanctissimus annuit. Die 27. Novembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 247.)

Picena.

Regularibus omnibus provinciae Marchiae cupientibus se conformare cum clero saeculari circa festum Translationis domus Lauretanae in recitando divino officio illo die, Sacra Congregatio concessit: praedictam diem celebrari posse per regulares provinciae Marchiae cum officio et missa eodem modo, quo fuit concessum saecularibus, facto verbo cum Sanctissimo. Die 19. Novembris 1633.

(Ibid. pag. 256.)

b) Officium.

Ordinis Minorum.

S. *Francisci.*

Quum in Officio Translationis Almae Domus Lauretanae pro editionum Breviarii diversitate immutati reperiantur versiculi Nocturnorum, R. P. Vicarius Provincialis Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Provinciae Cataloniae S. R. C. certam sequendam regulam rogavit. Et S. eadem C.

ad Quirinale hodierna diei coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Versus Nocturnorum variandi sunt juxta rubricas et dicendi juxta Ordinem Resp. Horarum Minorum." Num. 3762. Die 8. Augusti 1835.

Benedictus XIII. benigne concessit ut in toto statu eccles. ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, festum Transl. s. domus Lauret. die 10. Decbr. cum Off. et Missa sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725, 25. Sept. 1736.

Picena.

Cum S. Rituum Congregatio, ad humillimas Provinciae Picenae preces, accedentibus piis Emmorum et Rmorum DD. Cardinalium Pallaviccini et Cincii commendationibus, sub die 4. Aprilis proxime praeteriti, referente Emmo Ottobono, officium proprium cum missa juxta modum ab Emmis Cardinalibus Colloredo et Ottobono praescribendum in die festo translationis Almae Domus Beatae Mariae Virginis recitandum in tota provincia Picena benigne concesserit, iidem Emmi Domini, virtute facultatum ipsis concessarum ab eadem S. Rituum Congregatione, praesens officium una cum missa eo modo et forma, quo scriptum et exoratum reperitur, praescripserunt ac in universa Picena provincia recitari posse censuerunt, si SSmo D. N. videbitur. Die 2. Septembris 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1385. num. 2699.)

Ad dub.: Nostrae (Congregationis SS. Redemptoris) Ecclesiae Manternensi adjacet Capella ad Normam Lauretanae aedificatam ob eximiam populi devotionem celebris, in quam aditus ex Ecclesia patet et in qua quotidie plures aut certe una missa a Nostris legitur; quaeritur: num festum Translationis almae Domus Lauretanae qua dupl. 1. cl. celebrandum?

S. C. resp.: Negative. N. 4842 ad 10. die 1. Septembris 1838.

4) Episcopi.

Vd.: *Consecratio Episcopi* (annivers. dies; decr. n. 4119.)

a) Cujus auctoritate?

Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papae fieri potest; sic expresse habetur in cap.: *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1., cap.: *Cum ex illo* 1., cap.: *Inter corporalia* 2., cap.: *Licet in tantum* 4. de translatione Episcopi. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam carere debet utraque; cap.: *Quanto* 3. de translatione Episcopi. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus sive solummodo electus et confirmatus; cap.: *Inter corporalia* 2. et c.: *Licet in tantum* 4. de translatione Episcopi. Metropolitanus aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papae transferret, a confirmatione esset suspensus, textu expresso in cap.: *Cum ex illo* 1. de translatione Episcopi.

b) Causa.

Clemens II. Servus Servorum Dei dilecto in Christo fratri Joanni Amodo Salernitano Archiepiscopo perpetuam in Domino salutem.

Quoties ita contigit, ut exigente necessitate et maxima utilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major sedes assumitur. Te vero, frater carissime,

quem unanimitas cleri et populi Salernitanae Ecclesiae una cum gloriosissimo principe Guaimario de Sede Pestana accepit et in suum Pontificem elegit, discussimus, ne tuae ambitionis causa et non majoris utilitatis necessitate electus fuisses aut forte per simoniacam haeresim.

Quod ita ab omnibus est abnegatum, ut nullius audiretur ore prolatum. Siquidem Salerni manentes et hoc ab omnibus perquirentes, cum te audiremus ab omnibus laudari et ab omnibus videremus amari, Dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diversitate super te potuit efficere, ut nullus videretur discrepare. Etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio, commune omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitioni votoque eorum omnium et maxime praedicti gloriosi principis Guimarii, te frater, sicut et de sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuae avaritiae id affectante, apostolica assentione per hoc nostrae auctoritatis privilegium incardinamus et intronizamus eidem Salernitanae Sedi, in qua fungaris Archiepiscopi decore et honore. Nam in te nobis complacuit, quidquid de te fama dispergit, videlicet sanctitas, castitas, benignitas et omnia, quae Deo placabilia sunt.

Die 18. Februarii 1046.

(Bull. r. t. I. pag. 576. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Innocentius II., Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Rollando Grossetano Episcopo ejusdemque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Sacrosancta romana Ecclesia, caput et magistra omnium Ecclesiarum est ab ipso salvatore nostro Jesu Christo divinitus constituta, quae profecto, sicut speciali privilegio caelitus sibi collato potestatem habet novos episcopatus exigente necessitate statuere, ita nihilominus duos potest in unum conjungere, unum in duos dividere, atque episcopales sedes, qualibet tyrannica feritate oppressionem vel violentiam patientes, ad alia, quae tutiora sunt, loca transferre; cum utique b. Augustinus, egregius s. Ecclesiae doctor et rector, certis ex causis id fieri annuit, videlicet aut pro persecutorum feritate aut locorum difficultate aut malorum societate, et praedecessores nostri, qui diversis fuere aetatibus, eamdem translationem ad alia loca munitiora unius ejusdemque dioeceseos saepenumero fieri permiserunt. Hoc nimirum dispensationis intuitu, ven. frater Rollande Episcope, quoniam Rossellana Ecclesia multorum praedonum in circuitu habitantium stimulis et infestationibus agitatur; et populus ejusdem loci ad magnam desolationem atque paucitatem, peccatis exigentibus, est redactus, communicato fratrum nostrorum consilio dignitatem episcopalis sedis in eadem urbe hactenus habitam in Grossetanam civitatem apostolica auctoritate transferimus, atque ut idem locus de caetero episcopalis apicis culmine decoretur praesentis privilegii sanctione decernimus.

Die 9. Aprilis 1138.

(Bull. r. t. II. p. 247. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Vd.: *Transl. Ep.* (Episc., utrum invitus etc.)

Causae justae transferendi Episcopum generatim sunt duae, scilicet: *Necessitas et utilitas Ecclesiae;* cap.: *Mutationes* 43. caus. 7. quaest. 1., ibi: „Mutationes Episcoporum scitote

communi utilitate atque necessitate fieri licere; cap.: *Scias frater* 35. caus. et quaest. eadem, ibi: Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas vel necessitas persuaserit; cap.: *Quanto,* de translatione Episcopi, ibi: Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata. Hinc translatio facta in favorem solius translati et maxime propter ejus ambitionem aut avaritiam improbatur expresse a sacris Canonibus, cit. cap.: *Mutationes* 35. caus. 7. quaest. 1. ibi: Sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione .... non ambita nec propria voluntate; citato cap.: *Scias frater,* ibi: Non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis vel delectationis suae, cap.: *Episcopus* 37. caus. 7. quaest. 1. ibi: Episcopus enim transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere; cap.: *Sicut vir* 11. et cap.: *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1. et expresse *Fagnan.* l. III. decret. in cap.: *Quarto* 3. de translatione Episcop. n. 94. et 109.

c) Celebratio diei translationis.

Vd. *t. III. pars I. pag. 703. n. 45. etc. Transl. Ep.* (missa anniv.)

d) Episcopus, utrum invitus possit transferri?

Vd.: *Transl. Ep.* (causae).

Episcopus electus et confirmatus sed nondum consecratus non potest transferri invitus ad alium Episcopatum; sic *Hostiensis* in cap. final. de postulat. Praelatorum n. 1. vers.: Et hoc intelligas; *Joann. Andr.* ibidem n. 2. vers.: Quod intelligat de voluntarie consecrato, *Abbas* ibid. n. 11. vers. Et hoc verum, *Fagnan.* in cap.: *Quanto* 3. de translat. Episcopor. num. 12. et alias passim. Et ratio est, quia nemo ab initio cogitur episcopari seu nemo potest invitus consecrari, cap.: *Innotuit* 20. et cap.: *Cum inter Canonicos* 21. de election. Unde satis est, quod Episcopus et nondum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat Dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum, ut in cap.: *Quoniam* 1. dist. 1000., et cap.: *Inter Corporalia* 2. §.: *Sed neque,* de translation. Episcop., et Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. de reformat., ubi statuitur, quod Episcopus confirmatus pro jure sit privatus sua Ecclesia, si intra sex menses munus consecrationis recipere neglexerit, quod satis indicat esse in sub libertate velle consecrari vel non, et idem docet s. Thomas in 4. dist. 25. qu. 2.art. 1. ubi dicit, ad Episcopatum, ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiri actum suscipientis curam pastoralem. *Tum quia character sacramentalis*, ibi: „Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem."

Episcopus consecratus ex rationabili et justa causa potest a Papa transferri invitus de una in aliam Ecclesiam; cap.: *Scias frater* 35. caus. 7. qu. 1. ubi Papa Pelagius *sic* scribit Benigno Archiepiscopo: „Scias, frater dilectissime, aliud causam necessitatis et utilitatis, aliud praesumptionis ac propriae voluntatis: non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis sed delectationis suae migrat de civitate ad civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis, mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati praeferenda est; aliud est enim mutare et aliud mutari; nam aliud est sponte transire, aliud est

coacte aut necessittate venire, unde non isti mutant civitatem sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit.“ Et sic expresse tenet Glossa in cap.: *Omnis qui gemebat* 7. q. 1. verb.: Coacte, ubi dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut transeat de una ad aliam Ecclesiam; argum. cap.: *Per principalem* 9. q. 3. Idem tenet Ugo et post eum Turrecremata in cap.: *Scias frater*, vers.: *Surgit hic quaestio*, ubi formaliter dicit, Papam ex toto vel simpliciter ter absolute posse cogere Episcopum, ut ad alium locum transeat et abrenunciet primo; *Chalderin.* Consil. 56. circa finem num. 4. vers.: *Fateor* quod est primum in tit. de translation. Praelator., *Baldus* in leg. rescripta num. 8. Cod. De precibus Imperat. offerend. vers.: *Item* omnia beneficia, *Abbas* in cap. ult. de postulat. Praelat. num. 13. et ibi *Hostiensis* num. 1., *Joan. Andreas* num. 2., *Rhedoan.* de simonia part. 2. cap. 12. n. 6., *Alexander* cons. 74. num. 29. lib. 4., *Decius* consil. 123. num. 4., *Cephal.* cons. 235. num. 2., *Alciat.* de praesumpt. regul. 3. praesumpt. 8. num. 3., *Barbat.* in tract. de praestant. Card. in part. 1. sub num. 14. vers.: *Et ideo, Cined.* Canonicus q. 22. sub. num. 3. vers.: Et respectu Papae; et est communis opinio, prout testantur et tenent Praepositus in cap.: *Omnis,* qui gemebat num. 1., *Roman. consil.* 345. num. 3. et seq., *Barbos.* lib. 1. juris eccles. univers. cap. 19. num. 34., *Flamin. Paris.* de resignat. benefic. lib. 3. quaest. 17. num. 14.

Et ratio est, quia licet ab initio nemo possit cogi invitus episcopari seu consecrari in Episcopum, ut dictum est supra sub num. 51. ex cap.: *Innotuit* 20. et cap.: *Cum inter* Canonicos 21. de election., tamen ex quo semel consensit, potest per Papam de una ad aliam Ecclesiam etiam invitus transferri; caput.: *Scias Frater* 35. caus. 7. quaest. 1. Una enim est Ecclesia universalis per totum orbem terrarum diffusa, cap.: *Loquitur* 18. caus. 24. qu. 1., adeoque qui semel consensit in hac Ecclesia universali episcopari, non potest amplius resistere Papae ipsum transferenti ex rationabili et justa causa de una Ecclesia particulari ad aliam, siquidem hic solummodo mutatur locus, non autem Dignitas episcopalis respectu Ecclesiae universalis, cit. cap.: *Scias frater*, ibi: „Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis vel delectationis suae migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis munere mutatur; tum quia quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui superiori transferenti non potest resistere, cum velle aut nolle non habeat; cap.: *Nolo,* et cap.: *Non dicatis* 12. qu. 1.; cap.: Religiosus de testamentis in 6., et imputandum est illi, quod a principio consenserit se ita indissolubiter alligari; *arg. leg. Sicut cod. de action. et obligat.*; tum etiam quia Papa in beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi; cap.: *Licet* 2. de praebend. in 6. et Clem. 1. §. fin.: *Ut lite pendente,* ubi dicitur, quod ad Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum plena et libera dispositio spectat, ex sua potestate potest Episcopum invitum ex rationabili et justa causa transferre de una ad aliam Ecclesiam, alioquin ipsi quoad hos non competeret plena dispositio.

Non pauci tamen magni nominis Doctores tenent, quod Episcopus nolens

consentire translationi per Papam factae, possit quidem auctoritate papali a vinculo prioris Ecclesiae absolvi, idque tum in poenam suae obstinationis et inobedientiae, arg. cap.: *Placuit* dist. 74. tum ob causam communis utilitatis vel necessitatis; non tamen possit omnino invitus et coactus alteri alligari seu ad aliam transferri; ita expresse Glossa in cap.: *Episcopus* de loco 7. quaest. 1.; *Joan. Andr.* in cap.: Quod ob gratiam n. 1. in fin. de regul. juris in 6. dicens, quod Papa possit transferre Episcopum invitum, saltem ut careat prima Ecclesia, *Sannig.* lib. 1. decretal. cap. 3. num. 2. asserens, quod si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum et novam Ecclesiam; sic etiam *Reiffenstuel* ibidem num. 30. et 32., late *Fagnan.* in cit. cap.: *Quanto* 3. de translatione Episcopi num. 101. et sequent. Et ratio sua est, quia Episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur; *arg. cap.: Sicut vir 11., et cap.: Sicut alterius 39. caus. 7. quaest. 1. cap.: Inter corporalia 2., et cap.: Licet in tantum 4. de translatione Episcopi.* Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium, cap.: *Cum inter Canonicos* 21. de election. ibi: „Ut per mutum consensum eligentis et electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum; cap.: *Locum* cap.: *Cum apud* et cap.: *Tuae*, de sponsalibus, leg. *Nuptias* ff. de rdgul. juris"; adeoque talis consensus etiam requiritur ex parte Episcopi translati et consequenter omnino invitus nequit transferri ad aliam Ecclesiam, ut inter ipsum et Ecclesiam censeatur ortum vinculum conjugii spiritualis.

c) A minore ad majorem Ecclesiam fit.

Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam; cap.: *Cum ex illo* 1. de translat. Episcopi, ubi Innocens III. sic scribit Patriarchae Antiocheno: „Miramur, quod... novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti episcopare Archiepiscopum, immo potius de archiepiscopare praesumens"; et arg. cap.: *Legimus* distin. 93. ibi: „Qui provehitur, de minore ad majus provehitur"; et cap.: *Licet in tantum* 4. de translation. Episcopi: „ Quod si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere; et ibi Glossa 2. et Cutrius, Imola et Fagnan. in cit. cap. *Cum ex illo* num. 9. Nam gradatim conferuntur honores; leg. Ut gradatim ff. de muner. et honor." Dictum fuit notanter *regulariter*, quia ob causas peculiares potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam episcopalem, quamvis haec non sit major ab altera, immo ab Ecclesia archiepiscopali ad episcopalem et aliquando ob gravem causam ad subveniendum necessariae sustentationi etiam ab Ecclesia episcopali sit translatio ad parochialem, ut in cap.: *Pastoralis* 42. caus. 7. qu. 1. et cap.: *Ad supplicationes* 9. de renunciation., ubi Archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua Ecclesia morari non poterat, concessione Papae ita descendisse legitur. Archiepiscopo enim, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatui, licite de Episcopatu vacante provideri potest, et sic fuisse judicatum per Clementem IV. refert Hostiensis in cit. cap.: *Cum ex illo* num. 6. et ibidem Fagnan. num. 30., quando Nelfrancus Archiepiscopus Salisburgensis cessit et Dux Poloniae ad eamdem Ecclesiam promotus ex-

titit et praedicto Archiepiscopo de Episcopatu Jesionensi Ecclesiae etiam idem Salisburgensi subjectae provisum fuit. Secus autem si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu seu priori Episcopatu locupletiorem, quod est evitandum; arg. cap.: *Quarto* 3. de translation. Episcopor. ibi: „Cum secundum traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a Cathedra repelli debeat aliena et carere propria, ut nec illas possideat, quas per superbiam sprevit, nec illas, quas per avaritiam concupivit“; et concordat. cap.: *Si quis Episcopus* 31., et cap.: *Si quis de Ordin.* 32. caus. 7. quaest. 1.

f) Missa anniversaria.

Vd. *Transl. Ep.* (celebratio etc.)

Juxta decretum S. hujus Congregationis in Aquen. 2. Septembris 1741 ad 11 de episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiae praefecit, quaeritur ergo: *Utrum celebrari etiam debeat vel saltem possit missa vel respectiva commemoratio consecrationis ejusdem?*

Resp. Quocumque modo aliquis a Sancta Sede Apostolica alicui regendae praeficiatur ecclesiae, is semper lato sensu dici potest *electus* illius talis ecclesiae. Proprie autem et canonice, qui primum alicui ecclesiae praeficitur, *electus* dicitur et dies qua id evenit, dies *electionis* nuncupatur eoque titulo insignitur toto temporis intervallo, quod intercedit inter electionem factam a Summo Pontifice et inter consecrationem illius in episcopum ex mandato apostolico. Excipiendi tamen ab hac regula sunt electi ad patriarchales vel metropolitanas ecclesias, qui non ante patriarchae vel archiepiscopi appellari (nec pontificalia munia exercere) possunt, quam pallium receperint: Caeremoniale Ep. lib. I., cap. XVI. n. VI. Cum vero ejusdem Summi Pontificis jussu destinatur alteri regendae ecclesiae, pro qua consecratus non est, appellatur *translatus* (ibid.) et dies *translationis* appellatur ea dies qua id Summi Pontificis nutu factum est. Haec dicta sint relate ad decretum Aquen., citatum in dubio, in quo cum quaesitum fuisset, in casu translationis quandonam dicenda sit missa, quae habetur in missali, *in die consecrationis, in nominationis an in translationis?* S. C. respondit die 2. Sept. 1741 ad 11: „De episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die quo Papa eum tali ecclesiae praefecit; exemplum habetur in electione Summi Pontificis festumque hujusmodi erit annunciandum cum termino translationis.“

Cum autem translatio, quoad destinationem alicui Ecclesiae, idem sit ac electio et cum ex dictis in dubio II. juxta Caeremoniale Episcoporum non electionis solum, sed etiam consecrationis, episcopo jubente, in priori ecclesia celebranda est dies anniversaria, per supradictum responsum Sacrae Congregationis in Aquen. nihil est immutatum circa annuam consecrationis memoriam, quae proinde cum missa et respective cum commemoratione celebranda adhuc erit, si episcopus eas impeteret etiam in ecclesia, ad quam episcopus ipse ultimo loco translatus est. Quae sententia confirmatur etiam auctoritate Gavanti, qui cum expendisset sermones SS. Patrum habitas plerumque fuisse in die eorum natali, id est in die ordinationis seu consecrationis, concludit part. IV. tit. XVII. n. 19, „si altera tantum celebratur, consecratio

potius quam electio celebranda erit." Cum vero circa celebrationem anniversarii tam electionis quam consecrationis episcopi jam supra in aliis dubiis dictum sit, praesenti dubio satisfactum ibi arbitror si declaretur: Per anniversarium translationis nihil detrahi aniversario consecrationis episcopi.

S. C. resp.: Per anniversarium translationis nihil detrahi anniversario consecrationis episcopi.

Die 14. Aug. 1838.

(Anal. J. P. 1860 p. 1334.)

g) Poenae ambitiosae transl.

Vd.: *Transl. Ep.* (causa).

Leo (*I.*) *Ep. Anastasio Ep. Thessal.*

Si quis episcopus mediocritate civitatis suae despecta administrationem loci celebrioris ambierit et ad majorem se plebem quacunque occasione transtulerit, non solum a Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensusam juris suis affectet augeri.

Anno 444.

(Bull. r. t. I. p. 53. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

h) Tempus executionis.

Quum in regno Poloniae, ubi excrebrae sunt episcoporum translationes, jamdiu inoleverit abusus, ut Episcopus ad aliam Ecclesiam transferendus de industria differat se a prima Ecclesia liberare ac literas apost. suae translationis expedire, ut eo diutius utriusque episcopatus fructus assequatur, prioris nempe, cujus vinculis nondum a Sede ap. exsolutus est, et posterioris ad quam transfertur, cujus fructus universi a die vacationis ecclesiae sibi integre reservantur, quumque inde etiam fiat, ut successor in episcopatu, unde ille translatus est, negligat et ipse suae provisionis bullas expedire, quippe quum intelligat, se diu subiturum ecclesiae onera universa absque illius fructibus, quos omnes praedecessor episcopus aut ante translationem consumsit aut ad aliam ecclesiam secum asportavit: SS. D. N. hujusmodi corruptelam, quae cedit in grave ecclesiae in Spiritualibus et Temporalibus detrimentum, magnopere cupiens de medio tolli, ex S. C. Card. C. Tr. Interpr. sententia statuit ac decrevit, ut, si qua Cathedralis ecclesia intra fines regni Poloniae deinceps vacaverit, spatio quatuor mensium dumtaxat vel infra liceat quidem episcopo successori sibi fructus vindicare pro rata temporis vacationis hujusmodi juxta antiquam illius regni consuetudinem, verum si infra praedictum terminum ecclesia de pastore non fuerit promissa, fructus pro rata illius temporis, quo sedes post quartum mensem vacabit, nullatenus successori, sed integre fabricae illius ecclesiae, quatenus indigeat, alioquin Sacristiae illius absque alia declaratione applicati censeantur et ejusdem Ecclesiae capitulum, cui SS. hac in parte necessariam facultatem impertitur, omnino curare debeat, ut applicatio hujusmodi quam primum sortiatur effectum. Quodsi et Sacristia sufficienter instructa reperiatur, liceat eidem capitulo consulto tamen prius episcopo successore ac praevia illius approbatione hujusmodi fructus in alios pios usus pro loco et tempore utiliores insumere non obstantibus caeteris.

Datum Romae 23. Decembris 1624 ex L. XII. Decr. pag. 234 apud *Bene-*

dictum XIV. De Synodo Dioeces. XIII. 76.

Cf. *Sedes episcop.* (Quando vacat?)

5) Festi.

a) In annum sequ. debetne fieri?

Vd.: *Officium* (transl.) *Simplificatio festor.*; *S. Thomas Cantuar.* (lect. I. n. etc.)

b) Non debet fieri in diem fixum.

Vd.: *Festum* (repositio).

Officia, quae debent transferri, non transferri ad diem fixam, sed ad primam diem non impeditam juxta rubr. de transl. fest. n. 3008 ad die 28. Novb. 1682.

Vd.: *Transl. festi in aliq. oct.* (decr. n. 3301); *Concurrentia.*

c) A die propria amoti festi.

Vd.: *Transl. perpetua*, (non licet Episcopo); *Transl. festi perpetuo transl.* (decr. n. 4985.)

Cum aliquod festum jam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut caetera alia festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur, ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur. n. 4166 ad 4 die 22. Aug. 1744. Ecclesia particularis, quae non potest facere de festo die assignata tamquam propria pro tota Dioecesi, potest ac debet huic festo aliam diem eligere tamquam propriam cum approbatione tamen Episcopi. n. 4166 ad 5 die 22. Aug. 1744.

Festum ss. Cornelii et Cypriani a propria die perpetuo amotum die 22. Sept. licet septima infra octavam Dedicationis celebrari deinceps non improbatur. n. 4165 die 28. Novb. 1744.

d) In diem immed. sequent.

Vd.: *Festum* (dignitas; decr. 4044). *Transl. festi* (*diversi et ejusd. ritus etc.*)

De festo translato faciendum est Officium die immediate sequenti non impedito, etiamsi adest aliud *ejusd. dignitatis* festum prius translatum. n. 2903 ad 6. die 30. Sept. 1679. — Idem vero non intelligendum sit, si adsit aliud festum seu Officium *majoris ritus* prius translatum. n. 2943 ad 4 die 1. Mart. 1681.

Generalem rubr. Brev. rom. c. 10. n. 7 de transl. festor. omnino servandam et quocunque alio decreto in contrarium non obstante (servato semper ordine Calendarii) officium de primo translato prius recitandum esse, ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa semid. in dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus gen. rubr. c. 10. n. 5. pariter omnino servandam esse. n. 3409 die 22. Dec. 1696.

Si festum s. confessoris transferatur *in proxime sequentem diem*, in Hymno: *Iste Confessor etc.* nulla sit mutatio versiculi, sed dicitur: *Meruit beatas: dummodo primae vesperae non sint impeditae:* Sac. Rit. Congreg. 13. Januarii 1683. Translato autem festo s. Confessoris ultra sequentem diem in Hymno: *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo: *Meruit supremos:* Sacra Rit. Congregat. 14. Junii 1692.

e) In diem 30. Decbr.

Ad dubium: an die 30. Decbr., quando non incidit in dominica, etsi in ipsa locum habeat Officium dominicae infra octavam Nativ. Dom., reponi valeat aliquod festum translatum? S. C. resp.: Affirmative: n. 4849 ad 4 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Transl. festi dupl.* (Ordinis Min.)

f) In dominicam seq.

Cf.: *Patronus* (transl. Solemnitatis Patroni in domin. seq.); *Reductio festorum.*

Clero regni Poloniae concessam fuisse facultatem transferendi festa nonnullorum SSrum ad dominicam infra eorum octavas ob majorem populi concursum; cum autem, ut saepe accidit, aliquod ex dictis festis incidat in die dominica, quid faciendum in casu? S. C. resp.: Festa praedicta celebranda esse in diebus propriis, non autem in dominicis sequentibus in casu de quo agitur. n. 4272 die 16. Julii 1757.

Cum in aliquis dioecesibus Poloniae ex indulto ap. transferantur festa in dominicas, quaeritur: an de dictis festivitatibus cantari possit de dictis festis missa sol.? S. C. resp.: Affirmative non omissa missa conventuali de festo occurrente. n. 4361 ad 11 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium 1.: Quum ex Indulto ap. statutum sit quaedam festa in Galliarum Regno celebranda esse dominica proxime occurrente, quaeritur: quae sit dominica haec proxime occurrens?

2. Utrum translatis dictis festis translata intelligatur solemnitas tantum an potius una cum solemnitate tota etiam octava translata intelligatur pro Officiis in choro? S. C. resp.:

Ad 1.: Dominica proxime occurrens intelligenda est Dominica, quae festum subsequitur.

Ad 2.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Servatis in omnibus rubricis. n. 4658 ad 1 et 2 die 17. Julii 1830.

Ad dubium I.: Vi indulti reductionis Festorum V. Id. Apr. anni 1802 signati etiam in Belgio quorumdam Festorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata est cum Missa solemni de Festo translato in omn. Eccl. parochialibus more votivo cum unica oratione, hinc quaeritur 1.: An hujusmodi Missa solemnis cantari etiam debeat vel saltem possit in Ecclesia Regularium et Monialium? Et quatenus affirmative, quaeritur 2.: An praefata Dominica in his Communitatibus, in quibus Missa convent. legitur non autem cantatur, haec Missa convent. legi debeat vel possit de solemnitate, an potius dici debeat de officio occurrente?

II. Plures Parochi in Dioec. Gandaven. primarium suae Eccl. Titularem vel etiam Patronum praecipuum habent S. Joannem B., cujus Solemnitas vi praenotati indulti ab VIII. Cal. Julii transferri debet ad insequentem Dominicam, in qua quoties occurrit solemnitas ss. Ap. Petri et Pauli; dubitatur, de quo prius agendum sit, nam juxta alias decreta a S. R. C. solemnitas inferioris dignitatis ad sequentem Dom. transferenda est, ac proinde in casu quaeritur: Utra ex praenotatis solemnitatibus sit inferioris dignitatis ac per consequens ad Dominicam proxime sequentem transferenda?

Et s. eadem C. rescribendum censuit ad I. Quoad primam quaestionem servetur indultum; quoad secundam: quoties in indulto comprehendantur Eccl. Regularium et Monialium Missa Solemnitatis semper celebranda foret cum cantu, nam Missa convent. semper esse debet de officio occurrente."

II. „Prius agendum de s. Joanne B." Atque ita rescripsit, definivit ac servandum esse mandavit. N. 5049 ad 2 et 3. die 23. Maji 1846.

Ad dub.: Utrum sit in votis s. sedis ap. et indulto diei 9. Apr. 1804 sit consentaneum, ut solemnitates Epiph.,

SS. Corp. Chr., ss. ap. Petri et Pauli et ss. Patronorum cujuslibet dioecesis et parochiae in dominicam proxime sequentem in Gallia transferentur quoad omnia, id est quoad feriationem et octavam simul et officium insuper sive publicum sive privatum, sicut in sua dioecesi Coenoman. ordinatum esse jam dixit? An vero ipsa officia praedictarum festivitatum cum earum octavis seu publice seu privatim propriis occurrentiae suae diebus juxta antiquam et universalem caeterarum ecclesiarum morem celebranda sint, solae vero solemnitates in proximiorem dominicam differendae sint, sicut pro dioecesi Mechl. statutum esse ex responsione diei 21. Jun. 1804 concludere est?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirm. ad secundam juxta mentem Card. Legati et ejus instructionem et juxta praxim S. R. C.

Die (12) 29. Novb. 1831 n. 4671.

Quum sacerdos Joannes Joseph Loisel in seminario Tornacensi sacrorum canonum professor comperiat nonnullas adhuc praebere difficultates indultum reductionis festorum usque ab anno 1802 ab Emo Domino Cardinale Caprara promulgatum, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requisivit super dubiis quae examinanda diluendaque proposuit, ne hujusmodi in re ubiquitas ulla supersit. Nam quum vi ejusdem Indulti aliqua festa in dominicas sequentes fuerint translata, videlicet festa Epiphaniae Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sanctorum Patronorum cujuslibet dioecesis et parochiae, dubium circa hanc translationem subortum sustulit praelaudatus Eminentissimus responso ad vicarium generalem archidioecesis Mechliniensis die 21. Junii 1804 directo, iisque verbis concepto: „Sola solemnitas praefatorum festorum differatur ad dominicam sequentem, in qua officium a clero tam publice quam privatim ac missa celebrabitur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem; cantetur tamen una missa solemnis de festis illis translati more votivo cum unica oratione minime omissa in Cathedralibus aliisve Ecclesiis, in quibus officium publice agatur et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, altera missa conventuali de dominica vel festo occurrente.“ Ex quo decreto plura emerserunt dubia, nimirum:

1. His verbis: *more votivo cum unica oratione* innixa omnia Belgii calendaria ecclesiastica praescripserunt missam solemnem in dominica proxime sequente cantandam esse votivam de festo in qualibet parochiali ecclesia et absque ulla commemoratione et ita hucusque servatum est. Jam vero anno proxime elapso quidam tum hac ratione moti quod missa votiva ab Emo Legato praescripta non discrepet ab ea, de qua fit mentio in Rubricis generalibus missalis part. 3. tit. 9. n. 14, tum decretis innixi a Sacra Rituum Congregatione jam pridem emanatis ac specialiter decreto generali diei 8. Februarii 1774, necnon et auctoritate doctissimi Gardellini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris docuerunt in hac missa solemni, si alia, nempe de festo occurrente, in Ecclesia parochiali non cantetur, faciendam esse commemorationem dominicae vel festi occurrentis. Quaeritur ergo: utrum consuetudini standum sit vel potius utrum missae solemni, ubi alia non canitur de dominica vel festo occurrente, addenda sit dominicae vel festi occurrentis commemoratio?

2. Alterum dubium oritur ex his

verbis: *minime omissa in Cathedralibus aliisve ecclesiis, in quibus officium publice agatur et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, alia missa conventuali.* Quaeritur, utrum illa verba intelligenda sint dumtaxat de Cathedralibus et Collegiatis, in quibus talis missa proprie conventualis celebratur, an vero ad omnes parochiales ecclesias, in quibus adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, extendenda sint? Et quatenus affirmative,

3. Utrum sufficiens numerus sacerdotum censeatur, si alicui ex his ecclesiis ultra parochum tres vel quatuor alii presbyteri tanquam vicarii seu coadjutores parocho sint adscripti?

4. An praedicta missa votiva solemnis celebranda sit non modo in ecclesiis parochialibus sed in oratoriis publicis?

5. An itidem in ecclesiis regularilarium et monialium?

Et Sacra eadem Congregatio in hodiernis ordinariis comitiis ad Quirinale coadunata, consideratis omnibus et inhaerendo aliis decretis in similibus datis, rescribendum censuit

Ad 1: Addendas esse commemorationes in casu.

Ad 2: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3: Provisum in praecedenti.

Ad 4: Affirmative, dummmodo de more in festis cantetur.

Ad 5.: Ab unaquaque ecclesia suam servandam esse consuetudinem.

Atque ita rescribere rata est et declarare die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1848—49 Ed. II. p. 42.)

g) Duplicis.

Vd.: *Antiph. maj.; Domin. inf. oct. Nativ. Dom.; Festa; Officium; Translatio festor. diversi ritus et dignit.; Officium* (transl. in seq. annum; decr. n. 5135); *Occurent.* (festi dupl.); *Transl.* (festi univers.)

Ad dubium: De duplicibus translatis fitne die sequenti prae aliis dupl. translatis sed remotioribus? S. C. resp.: Negative, quia de Officiis translatis fit juxta ordinem translationis in paritate tamen ritus ac sine excellentia majoris dignitatis, ut scilicet primum celebretur Officium ab ante translatum et postea fiat de alio 2. loco translato. n. 4119 ad 2 die 2. Sept. 1741. Festum dupl. ante octavam non privil. vel infra eam occurens alio majori festo dupl. impeditum est transferendum ad diem infra octavam proxime festo dupl. vel semidupl. non impeditam. S. R. C. 22. Sept. 1703 *in Vienen.*

Officium dupl. maj. est anteponendum Officio dupl. minori et ideo faciendum de primo et secundum transferendum. n. 2888 die 6. Maii 1679.

Ad dubium: Quum in Dominica juxta Decretum S. R. C. diei 12. Martii 1618 in Conchen. confirmatum ab altero decreto ejusdem S. C. diei 16. Febr. 1754 in una Urbis agi non possit de Festo duplici translato, quaeritur: an per declarationem factam ab eadem S. C. sub die 7. Dec. 1844 in una Venetiarum dd 2. derogatum fuerit declarationi factae in una Urbis de anno 1754, vel an praedictum decretum in una Venetiarum intelligendum sit de Festis cum Octava in gratiam concurrentis populi alicui Dominicae diei affixis, ita ut hujusmodi in casu impedimenti amandari valeant ad subsequentem Dominicam, si tota hebdomada fuerit impedita, ne in populo ob dilationem Festi ultra Octavam devoti animi sensus minuantur?

EEmi et RRmi PP. rescribendum censuerunt:

Non fuisse unquam citatis Decretis derogatum.

Atque ita rescripserunt propositaque dubia declaraverunt. N. 5196. Die 17. Sept. 1853.

Festa dupl. et semidupl. translata praeferenda sunt Officio s. Benedicti in hebdomada concesso sub ritu semid. omnibus Congregat. s. Benedicti. S. S. C. n. 3503 7. Febr. 1699. *In Tarvisina.*

Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam non est transferendum post octavam, sed infra eamdem celebrandum prima die non impedita: Sacr. Congr. Rit. 30. Sept. 1579.

Festa duplicia et semiduplicia translata praeferenda sunt officiis semel hebdomada concessis, ita ut festum duplex seu semiduplex etiam translatum, necnon dies octavae sit dies impeditus respectu talium officiorum. Sacr. Cong. Rit. 8. Febr. 1699 et 26. Martii 1706.

Ad dubium: an quando dies 30. Decb. occurrit in Sabb., omitti possit officium de die infra Octavam Nativ. et in eo recitari Officium de dupl. translato? S. C. resp.; Affirmative, non exclusis commemorationibus quatuor Octavarum. n. 4385 die 27. Jan. 1778.

Ordinis Minorum Conventualium.

R. Fr. Petrus Fantini Sacerdos Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium S. R. C. supplex adivit et insequentis dubii solutionem instanter exquisivit, nimirum:

An Ecclesia, cui concessa est facultas reponendi in semiduplicibus translata intra annum Officia dupl. locum non habentia, reponere etiam valeat aliquod ex translatis praedictis die 30. Dec., quando non incidit in Dominica, et simul ad eam diem transferendum sit Officium Dominicae infra Oct. Nat. D.? Et in casu affirmationis, qua die facere debeat commemorationem dictae Dom., an ipsa die 30., vel praecedenti die 29. utpote prima, quae non excludat commemorationem praecedentis impeditae Dominicae?

Et s. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit: Transferri solum posse, quando esset agendum de VI. die infra Oct., non vero de Dom. infr. Oct.“ Atque ita rescripsit. n. 5159. Die 29. Martii 1851.

Officium de dupl. translato faciendam esse infra octavam s. Patroni, non tamen in dominicis vel aliis festis semid. juxta rubricas. n. 1431 die 24. Jan. 1643.

Festum dupl. occurrens ante octavam non privilegiatam, si est transferendum, transferendm est in diem infra octavam. n. 2903 ad 2. die 30. Sept. 1679.

Vd.: *Transl. festi in aliq. octavam*; *Octava privileg.*

h) Duplicis in diem Commem. Omn. fid. def.

Vd.: *Commemoratio Omnium fid. def.* (transf. etc.)

Ad dubium: Pluribus S. R. C. decretis statutum fuit de duplici min. occurr. vel translato fieri posse in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; sed quum per decretum ejusdem S. R. C. diei 31. Maji 1817 declaratum fuerit talia Decreta locum dumtaxat obtinere si pro repositione Festi translati nullus supersit dies us-

que adanni finem, hinc quaeritur: utrum repositio Festi dupl. min. translati adhuc fieri possit necne dicta die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, si pro repositione talis Festi translati equidem adhuc locus supersit ante Anni finem, sed ne reponeretur tali die in causa foret, quia pro aliquo alio Officio ritus semid. vel etiam dupl. min. diebus insequentibus translato nullus alius pro repositione dies superest vacuus ante Anni exitum? S. porro R. C. rescribendum censuit:

„Affirmative quoad Duplicia minora tantum.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5223 ad 1. Die 16. Februarii 1856.

i) In Feriam.

1. In fer. VI. p. oct. Ascens.

In fer. 6. p. oct. Ascens. Dom. potest fieri de festo semid. translato. n. 3244 ad 10 die 11. Augusti 1691.

Potest fieri Officium de Translatis fer. VI. p. oct. Ascens. Dom. n. 2961 ad 3 die 9. Augusti 1681.

Juxta decretum S. R. C. diei 2. Augusti 1691 in Romana Dubiorum ad 10., Feria VI. post Octavam Ascensionis fieri potest de festo semiduplici translato, quod ad aliam diem esset amandandum, si in praedicta feria occurreret dies infra octavam Titularis, quaeritur: an in hoc casu agendum sit officium de praedicta feria, ut autumant nonnulli, vel de die infra Octavam Titularis, cui aliunde symbolum jure competit?

Emmi et Rmi PP. rescribendum censuerunt:

„Agendum de die infra Octavam.“

Atque ita rescripserunt propositaque dubia declaraverunt. N. 5196 ad 4. Die 17. Septembris 1853.

2. In fer., de qua fiat Off.

Ad dub.: An officia translata et fixa diebus, quibus aliunde deberet fieri officium de ea, sint tanquam dies propriae eorundem Sanctorum, ad exclusionem cujuscunque alterius translati sancti, qui possit aliquando contingere?

S. C. resp.: Affirmative. Die 28. Julii 1742. *In Tergestina.*

k) Ad libitum.

Vd.: *Sancti ad libitum.* (transl.)

l) S. Martyris.

Ad dub.: An in translatione officiorum ss. Martyrum extra vel intra tempus paschale ad dignoscendum utrum sumi debeat de communi primo loco vel secundo, regula omnino desumenda sit ex Evangelio vel Oratione, si sit de Communi uti S. R. C. decrevit die 11. Septembris 1841 in Namurcen.

S. C. resp.: Affirmative.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad 8 die 16. Aprilis 1853.

Cf.: *Missa temp. paschali.*

m) Ex necessitate translati festi.

Officia, quae ex necessitate transferuntur, locum resumunt prima die non impedito alio officio 9 ll. ut in rubrica de transl. n. 2812 ad 4 die 16. Januarii 1677.

Vd.: *Transl. festi perpetuo translati.*

n) Cum Octava.

Vd.: *Festum extra suam octav. etc., Festum cum octava; Transl. festi in dom. sequ.* (decr. n. 4658. ad 2); *Titul. Eccles.* (transl. cum octava.)

Festum gaudens octava, si trans-

ferri contingat et dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis festis etiam majoris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen vel non gaudent octava vel post eam transferuntur. n. 4493 die 13. Martii 1804.

Festum dupl. 2. cl. habens octavam cadit in dominica impedita officio altioris ritus sed sine octava, quaeritur: utrum officium praedicti festi possit reponi in subsequenti dominica cum alias sit octava ejusdem festi et tota hebdomada sit impedita vel potius debeat fieri de dominica et dictum officium reponi prima die non impedita post dictam dominicam?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Die 16. Februarii 1754. *In una Urbis.*

Ad dub.: Die 6. Junii est festum s. Norberti Ep. et Conf. Patroni principalis rit. 1. class. cum Octava; die vero 12. dicti est s. Joannis a Facundo Conf. Patron. principal. ejusd. ritus. Accidit quandoque, ut die 6. Junii occurrat festum Pentecostes ideoque dicta festa Patronorum transferenda sunt ad primam diem non impeditam juxta rubricas, sed in dicto mense dies non impediti post octavam Pentecostem sunt 15. 16. 17. 18., tunc de s. Norberto octava jam elapsa est, non item de s. Norberto octava jam elapsa est, non item de s. Joanne a Facundo, ideo quaeritur:

„Utrum reponendum sit primo festum s. Joannis a Facundo cum residuo octavae quia dies 15. est dies infra octavam s. Joannis a Facundo et dies infra octavam et dies octavae reputantur tamquam una dies?

S. C. resp.: „Festum gaudens octava si transferri contingat et dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum aliis festis, etiam majoris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava vel post eam transferuntur; et detur decretum in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Lusitaniae 13. Martii 1804.“ N. 4594 ad 3 die 12. Aprilis 1823.

NOTA GARDELLINI:

Si standum esset liberaliter rubricae generali, huic dubio respondendum fuisset: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam,* videlicet prius translatum reponendum esse in primam diem non impeditam: sed quoniam, dum rubricae dispositae fuerunt nec translationes tam frequentes erant neque tot festa decorabantur octava, data equidem fuit regula generalis, sed non omnes casus contemplati fuerunt, qui contingere imposterum poterant ex adjectione festorum et octavarum. Ideo S. C. tuendis ritibus praeposita, quae rubricarum interpres est juxta diversas contingentias, id declarat, quod forte non videtur sufficienter expressum et iis, quae non fuerunt praevisa, opportune consulit. Talis est casus, qui in dubio proponitur et decisus fuit in una *Ordinis Carmelitarnm Excalceatorum Provinciae sub die 18. Martii 1804.* Primum enim ampliatum fuit judicium; mox vero, re maturius discussa, definitum fuit, *quod in concursu duorum festorum, quae gaudeant octava et transferenda sunt, illud in repositione praevaleat, quod, licet posterius sit, diem tamen liberam habet infra suam octavam.* Non est enim privandum eo, quo gaudet privilegio habendi officium seu commemorationem in diebus, qui de octava supersunt; quo sane privilegio

frui nequeunt festa anteriora, quorum octava suum jam terminum habuit. Quoniam igitur casus, de quo in dubio, idem est, ideo ob identitatem rationis eidem non alia conveniebat responsio.

Ad dub.: An officium quodcumque cum octava incidens in dominicam, quoties in die propria praepeditur ab alio festo majoris ritus vel dignitatis neque reponi possit infra octavam, recitari valeat in die octava, scilicet dominica immediate sequenti?

S. C. resp.: Affirmative. N. 4992 ad 2 die 7. Decembris 1844.

o) In aliquam Octavam.

Vd.: *Octava* (privil.); *Octava ss. Corp. Chr.* (transl.); *Transl.* (festi perpetuo transl.) *Sancti ad lib.* (transl.)

In occurrentia officii dupl. Calendarii rom. cum officio habente octavam, de eo fieri debere infra octavam prima die alio festo dupl. vel semid. non impedita, juxta rubr. 7. Brev. rom. de octavis n. 2. et 10. de transl. fest. num. 3.

De officio semid. fieri debere die immediate sequenti, scilicet secunda die infra eandem octavam, quae si fuerit alio festo dupl. vel semid. impedita praedictum officium transferendum post octavam juxta rubr. X. de transl. festorum n. 5.; neutrum tamen transferri debere in diem fixum, nisi aliter indultum fuerit a Sede apostolica.

Officia autem ad libitum ritus dupl. et semid. infra octavam dictam occurrentia non posse transferri sed debere omitti ex decreto gener. de officiis Sanctorum ad libit. non transferendis 24. Januarii 1682.

Si officium rom. et proprium sunt ejusdem ritus, servari debere rubr. 10. de transl. fest. n. 6. N. 3301 die 17. Januarii 1693.

Ad dub.: An possit assignari dies quamvis sit infra octavam privilegiatam, ut puta infra octavam Patronorum, quae plures sunt in regno Poloniae?

S. C. resp.: Hujusmodi festa posse stabiliri infra illas octavas, quae hujusmodi festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut est octava Corporis Christi, quae admittit duplicia currentia, non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas octavas, quae hujusmodi festa occurrentia excludunt, juxta regulas praescriptas in rubr. de octavis num. 3. Die 15. Maii 1745. *In una Ord. Disc. SS. Trinit.*

Ad dub.: An festa perpetuo translata, etiamsi sint semidupl., transferri possint in dies infra octavas non privil., in quibus fieri deberet de octava, tamquam in dies proprias?

S. C. resp.: Affirmative. Die 7. Decembris 1743 ad 2. *In Mediol.*

p) Ordinis et Dioecesis.

Vd.: *Calendar. Congreg. ss. Redemptoris* (decr. n. 4581 ad 3 *nota*); *Translatio festor. ejusd. ritus et dignit.*

In occursu non licet transferri officium dupl. proprium ordinis causa faciendi aliud dupl. ad libitum. Num. 3073 ad 10 die 2. Decembris 1684.

Fr. Cyriacus Aller Ord. Min. strictioris observantiae s. Francisci in Provincia s. Leopoldi in Tyroli Vicarius ac moderatorChori in Conventu s. crucis Oeniponti Dioecesis Brixinensis S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicavit: Cum festum b. Petri Baptistae et Sociorum Martyrum Ordinis Minorum dupl. secundae classis, quod alias in ordine nostro die 5. Februarii celebrari solet, in hac autem Dioecesi Brixinen. perpetuo impediatur a festo dupl. I. cl. s. Ingenuini et Albuini Episcoporum, qui

dictae dioecesis sunt patroni magis principales. Ideo quaeritur: Utrum festum b. Martyrum nostrorum debeat aut possit celebrari 6. die Februarii non obstante, quod ista dies de facto ex decreto istius S. C. 12. Julii 1664 in Calendario Franciscano approprietur tamquam propria Sedes s. Agathae V. et M.? Et si ita, quonam die postea fixe celebrandum erit festum semidupl. s. Agathae? Quod si autem festum Beatissimorum Martyrum nostrorum transferri debeat, quaeritur: An non perpetuo transferendum sit in diem 17. Februarii ex hac ratione, quod omnes alii dies apud Fratres Minores supradictae dioecesis impediantur festis novem lectionum?

Et eadem S. R. C., referente Emmo et Rmo D. Card. Gabrielli, respondendum censuit

Ad 1. „Festum beatorum Martyrum Petri Baptistae et Sociorum celebrandum perpetuo die 16. Februarii."

Et ita declaravit ac servari mandavit. N. 3787 ad 1. Die 16. Junii 1708.

q) Ordinis et universalis.

Vd.: *Transl. festi part. et universalis.*

Ad dub.: Si incidat in eundem diem dupl. off. 9 ll. ritus aequalis, unum Ecclesiae universalis, aliud vero Ordinis Minorum, et ambo transferuntur, quid est agendum?

S. C. resp.: Officium universale prius persolvendum, particulare posthabendum; festa particularia majoris ritus minori praeferenda esse, etiamsi in Calendario pro universali Ecclesia descripta. N. 3497 ad 3. die 27. Septembris 1698.

r) Particularis.

Vd.: *Officium particulare; Transl. festor. ejusd. ritus.*

Si officia, quae recitari debent in aliquibus regnis, sunt ejusdem ritus et dignitatis, an sit praeferendum officium loci officio in proprio religionis Calendario descripto?

S. R. C. resp.: Praeferendum esse off., quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur ad formam rubricae de transl. fest. n. 6. Die 20. Martii 1683.

Ad dub.: Officia concessa alicui regno, nationi, dioecesi, civitati aut oppido, si ob occursum aliorum festorum celebrari nequeant diebus assignatis, suntne transferenda?

S. C. resp.: „Juxta decreta alias edita vel omittenda vel imploranda facultas transferendi." N. 4669 ad 39 die 12. Novembris 1831.

Juxta responsum S. R. C. de die 12. Novembris 1831 ad 39 officia concessa alicui regno, nationi, dioecesi, civitati aut oppido, si ob occursum aliorum festorum celebrari nequeant diebus assignatis juxta decreta alias edita, vel omittenda vel imploranda est facultas transferendi; quaeritur:

1) An hoc sit intelligendum de solis officiis aut festis ad libitum?

2) Si debeat intelligi de omnibus officiis, petitur facultas pro facienda translatione officiorum, quae dioecesi Mechl. sunt propria, quum illa translatio hactenus facta fuerit in praefata dioecesi, immo ab immemorabili tempore in toto Belgio translata fuerint festa ibidem celebrari solita, v. gr. s. Aloysii Gonz. etc., quando in diebus propriis occurrebat impedimentum?

S. C. resp.: Specialiter intelligitur de officiis affixis certis diebus, nimirum vel in feriis vel in dominicis.

Die 12. Septembris 1840 ad 3 in *Mechl.*

Officium particulare alicujus dioecesis vel religionis, quod occurrit die 25. Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam, dummodo sit duplex primae classis. Sacra Rituum Congregatio 7. Septembris 1680.

Si occurerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quae unica die occurrebant, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus dioecesis vel religionis, prius fiat de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Sacra Rituum Congregatio 27. Septembris 1698.

s) Particularis vel universalis.

Cf.: *Officium particul.*; *Transl. festi in aliq. octav.* (decr. n 3301); *Transl. festi Ord. et univers.* (decr. n. 3497); *Festum* (dignitas; decr. n. 3841); *Transl.* (festi univer.)

Si eadem die occurrit festum particulare et universale, est recitandum officium de particulari, dummodo sit antiquior, ex concessione S. R. C. 2. Mart. 1681. Si vero festum sit de praecepto in Ecclesia universali, erit officium de festo univers. et fiat translatio festi particularis. N. 4175 ad 1 die 4. Septembris 1745.

Occurrente eadem die festo 9 ll. Calendarii particularis cum altero festo Calendarii universalis, quae tamen sint ejusdem ritus, prius recitari debet de festo Calend. part. et postea univeralis.

S. R. C. 22. Jan. 1689. *In Senogall.*

In occurentia festi Calendarii particul. et festi universalis cum paritate ritus et sine excellentia majoris dignitatis, faciendum est de primo translato secundo.

S. R. C. 12. Julii 1704. *In una Urbis et Orbis.*

Quaesitum fuit: an festa dioecesana occurrentia eadem die cum festis romanis praeponenda sint festis rom. ejusdem ritus et solemnitatis, e. g. die 4. Decbr. festum dioeces. s. Barbarae occurrit cum festo dupl. rom. s. Petri Chrysologi, quaeritur: Quale festum sit prius celebrandum?

S. R. C. resp.: Detur decr. sub die 21. Julii 1704. Die 25. Junii 1736.

In occurrentia festi Calendarii particularis et universalis cum paritate ritus et sine excellentia majoris dignitatis faciendum est de primo, translato secundo. n. 3700 ad 3. die 12. Julii 1704; n. 4049 ad 1 die 25. Junii 1736; n. 4056 ad 1 die 16. Februarii 1737.

Ad dub.: Si officium, quod die fixa celebratur in aliqua dioecesi, per Sedem apostolicam ad aliam dioecesim extendatur, potest aut debet celebrari eadem die, amoto officio Ecclesiae universalis? Et in casu negativo, quid faciendum si talis amotio ab annis jam facta fuerit?

S. C. resp.: „Negative ad primam partem; iterum supplicandum quoad secundam." N. 4669 ad 40 die 12. Novembris 1831.

Si aliquod festum sive dupl. sive semid. pro universa Ecclesia noviter a Sede apost. institutum vel instituendum occurrat singulis annis eadem die cum festo dioecesano ejusdem ritus debet fieri officium de festo instituto pro Ecclesia universali.

S. R. C. 15. Martii 1689. *In Herbipolen.*

t) Perpetua (transl.)

Quando licet Episcopo.?

Vd.: *Transl. festi a die propria amoti; Transl. festi perpetuo translati; Calendar. Dioeces.* (jus reformandi); *Dies fixus; S. Gregorius VII.*

Episcopo non licet, inconsulta S. C.

in dioecesano Synodo, occurrentibus in eodem die duobus festis Sanctorum, quorum unum sit transferendum in primam diem non impeditam, statuere *in perpetuum* diem aliquem determinatam pro celebratione dicti festi translati, quamvis non sit ille, quem determinat rubrica, ita ut occurrente dominica vel alio festo minoris solemnitatis non impediatur, tamquam non translatum, sed proprium illi diei addictum, cum talis occurrentia in dioecesi sit perpetua. N. 1563 die 11. Augusti 1646.

Ad dub.: An festo B. M. V. de Pace perpetuo impedito in Dom. IV. Octobris ob occursum festi anniversarii vel diei octavae dedicationis Ecclesiae possit Ordinarius assignare aliam diem non impeditam?

2. An, quatenus affirmative ad primum, possit assignare dominicae vel IV. Sept. vel III. Novembris?

Et S. eadem C... rescribendum censuit

Ad 1: „Negative, haec enim officia assignata sunt certis diebus, quae tamen non sunt dies propriae, de quibus decretum alias editum."

Ad 2: „Provisum in primo et in casu supplicandum pro translatione ad primam diem liberam."

Atque ita rescripsit. N. 5182 die 25. Septembris 1852.

Vd.: *Sancti et libit.* (assign. diei etc.); *Calendar. dioeces.* (Jus reform.)

Porrecto in S. R. C. ex parte PP. Societatis Jesu Monachii in Bavaria supplici libello pro assignatione nonnullorum festorum sanctorum eodem die cum aliis Sanctis occurrentium, tenoris sequentis:

Emmi et Rmi Domini. Cum P. Meratus in suis observationibus ad Gavantum in rubr. tom. 2. sect. 3. c. 10. *de occurentia divinor. Officiorum* asserat, quod si duo festa, etiam aequalis ritus, *eodem die constanter in perpetuum* occurrunt et idcirco alterum eorum transferri debeat, prima dies proxima non impedita assignata censeri debeat in perpetuum pro die propria festi resp. translati, quaeritur: An liceat absque alio recursu ad S. R. C. iis, ubi talis perpetuus festorum ejusdem ritus occursus constanter contingit, diem primam proxime non impeditam tamquam propriam translato ipso facto assignare eamque pro die fixa in directorio declarare, an vero pro tali declaratione et assignatione ad eandem S. C. recurrere oporteat?

Sunt Monachii Bavariae Metropolis in templo Societatis Jesu ob plures insignes SSrum reliquias serenissimo Duci Guillelmo ejus Fundatori etiam ab urbe illi missas aliquot festa dupl., quae constanter cum alio festo in die eodem occurrunt ac transferri debent, videlicet: 3. Januarii s. Anterii P. M. (omittimus elenchum festorum, quae ob occurentiam perpetuo sunt transferenda.)

Quaeritur igitur: an dies primae proximae non impeditae, quae post enumerata officia dupl. sequuntur et recipere in se translata possunt, cuilibet eorum ut propriae in perpetuum fixae in impresso templi directorio deinceps assignari valeant? Nisi enim id fiet, multa identidem festa conjungenda sunt et uno anno unum et proprium ritum, alio vero alium attribuere necessitas cogit, ut ab aliquo tempore, quo nova festa sunt aucta, factum est.

S. C. resp.: Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet

festo a suo die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies propria et fixa festi translati, *justificatis tamen apud Episcopum loci Ordinarium translatorum numero et causis dierumque assignatorum ordine et qualitate*.

N. 4161 die 22. Augusti 1774. *In Frising.*

Vd.: *Transl.* (festi perpetuo transl. decr. de die 22. Aprilis 1741.)

u) Perpetuo translati festi.

Vd.: *Dies fixus; Transl. perpetua* (quando licet Episcopo); *Transl.* (festi univer.); *Transl.* (in aliq. octav. decr. de die 7. Decbr. 1743); *Transl.* (festi semid.)

Non dedecet festis etiam semid. assignari a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrente festo non impeditos, qui dies habeantur et sint in posterum sedes fixa talium translatorum. Num. 4160 ad 3. die 22. Aug. 1744.

Ad dub.: Utrum interveniente necessitate movendi perpetuo aliquod festum, cui assignata fuerat alia dies propria, moveri etiam debent alia festa quibus pariter assignati fuerant dies proprii, ita ut per modum translationis omnia ista cedant locum antiquioribus?

S. C. resp.: Cum aliquod festum jam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut caetera alia festá post ipsum translatum a diebus sibi respect. assignatis denuo removeantur, ni forte nova calendarii constructio ex integro assumeretur.

Die 21. Augusti 1744 ad 4. *In Cracovien.*

Quando plura officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria festi resp. translati; et hujusmodi festa posse stabiliri infra illas octavas, quae hujusmodi festa occurrentia excludunt juxta rubr. de octavis n. 3. n. 4171 ad 1 et 2 die 15. Maii 1745.

Festum semidupl. a sua die perpetuo amotum celebrari deinceps potest infra octavam non privileg. in die ipsi assignanda tamquam sede illius fixa. N. 4202 ad 2 die 19. Aprilis 1749.

Cum ob occurrentiam officiorum patronorum regni Poloniae ex indulto concessorum contingat assignari dies propria officiis perpetuo translatis, quaeritur: an debeant moveri ex suis locis propriis sssignatis in Calendario Ord. Carmelit. Officia illa, quibus assignati sunt dies proprii et juxta antiquitatem assignandae sunt aliae dies, seu potius relicto Calendario Ordinis assignari debeant post illos aliae dies officiis perpetuo translatis juxta Calendarium particulare provinciae?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. N. 4361 ad 1 die 27. Martii 1773.

Ad dub.: Cum nonnulla officia SS. propter perpetuam occurrentiam cum aliis majoris dignitatis seu solemnitatis seu ritus perpetuam habeant translationem et juxta rubr. de transl. fest. n. 7. in primam diem non impeditam semper transferenda sint: quaeritur: *an illa dies prima censenda sit propria illius translati sedes perpetuo* juxta Gav. sect. 3. cap. 10. num. 15., ita ut debeat de eo celebrari semper illa prima die, etiamsi occurrat transferri aliud officium ejusdem vel superioris ritus?

S. C. resp.: Negative et serventur rubr. gen. N. 3819 die 4. Dec. 1709.

An dub.: An, quia assignatio diei facta non fuit prima die non impedita, talis error debeat corrigi et legibus conformari?

S. C. resp.: Affirmative. Die 11. Martii 1820 ad 2. *In Mazar.*

Sanctis, qui perpetuo sunt transferendi, sit assignanda dies fixa et commisit S. C. (eidem Archiepiscopo Hispalen.) ut pro una vice deveniat ad hanc designationem dierum. N. 4039 ad 3 die 26. Novembris 1735.

Serventur posteriora et ultima S. R. C. decreta, per quae assignatio alterius diei officio in perpetuum impedito fieri potest. S. C. *inconsulta.* Die 22. Apr. 1741.

Ad. dub.: An festa, quae propter occurrentiam festivitatis vel octavae patroni alicujus Ecclesiae aut loci perpetuo sunt transferenda, poni debent post illa festa, quae ab anno 1839 obtinuerunt diem seu sedem fixam in Dioecesi Mechliniensi, an e contra illa festa in Ecclesiis particul. pro sua dignitate, ritu et proprietate temporis transferri debent juxta rubricas gen. Breviarii?

Occurrit casus in quibusdam parochiis sub Dioecesi Mechl., ubi s. Margarita V. M. die 22. Jul. colitur tamquam patrona principalis ritu dupl. 1. cl. cum octava. Ante novam constructionem seu redactionem directorii dioecesani factam circa finem anni 1838 ob nova officia a s. Sede benigne concessa haec octava habebat tres dies non impeditas, scilicet: 21. Jul. (quae assignata erat festo s. Hieronymi Aem.); 24. Jul. (quando fiebat de octava s. Marg., dum aliunde nihil obstabat) et 27. Jul., quae est dies octava s. Marg. ritu dupl. celebranda juxta rubricas. Porro illae dies nunc sunt impeditae perpetuo in Dioec. Mechl.; nam die 21. Jul. celebratur festum s. Reineldis V. M. ritu dupl.; dies 24 est assignata tamquam dies fixa festo semid. s. Elisab. reg. Port. et dies 27 festo semid. s. Henrici imp.; quaeritur ergo:

1) An in illis Ecclesiis vel locis, quae patronam habent s. Marg., faciendum sit off. die 21. Julii de s. Reinelde (ut per totam dioecesim), an vero de s. Hieronymo Aem.?

2) An dies 24. Julii habenda sit tamquam dies fixa pro festo semid. s. Elisab. (ut fit in dioec.) vel an tunc sit reponendum alterutrum festum dupl. s. Reineldis scilicet aut s. Hieronymi Aem., asignando festo semid. s. Elisab. primam diem in dioec. non impeditam?

Quae dies sit assignanda festo s. Henrici, cum dies 27. Jul. sit perpetuo impedita per occurrentiam diei octavae s. Margaritae?

S. C. resp.: Quoad primam quaest.: de s. Reinelde ut in dioecesi juxta novissimam concessionem; quoad secundam: de festo dupl., assignando primam diem non impeditam festo semid. jam translato; quoad tertiam, similiter primam diem non impeditam. Die 12. Septembris 1840. *In Mechl.* ad 1.

v) Primae vel 2. cl. in octav. privileg.

Cf.: *Octava Corp. Chr.; Transl. festi in octav.*

Ad dub.: Quando inter octavam SSmi Corp. Chr. reponendum est aliquod officium translatum dupl. 1. cl. vel. II., potestne hoc officium apponi die, quae per accidens est libera, quia officium occurrens ea in octava privilegiata est transferendum post ipsam, vel de hoc ipso officio dupl. I. vel II. cl. agendum est die ipso perpetuo

libera sequenti et intra eamdem octavam privilegiatam non occurrente?

Et S. eadem C... rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam seu in casu recte assignatum fuisse officium VI. Calendas Junii.

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit. N. 5186 ad. Die 7. Maii 1853.

w) Provinciae et Dioecesis.

Ad dub.: Cum aliquod officium perpetuo assignandum veniat pro tota provincia et aliud pro ejusdem aliqua vel aliquibus Ecclesiis, quaeritur: An dies assignata sit totius provinciae, priusquam festo alicujus vel aliquarum ipsius Ecclesiarum, istud assignando alteri posteriori diei, licet sit majoris ritus aut dignitatis, quam festum totius provinciae?

Ratio dubii est praxis plurium negativa, quae videtur contra Patrem Cavalieri c. 9. t. 1. decr. 13. n. 20. imo et contra Seraphicam Rubricam 113.

S. eadem C. audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emmi et Rmi D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit:

„Servetur decretum latum in Einsidlen. 23. Julii 1736 ad dub. 1.“

Et ita declaravit. N. 4474 ad 12. Die 2. Maii 1801.

x) Sanctorum plurium simul celebrandorum, si unus ex iis celebratur ut Patronus princ. vel Titularis.

Vd.: *S. Eustachius; S. Sebastianus.*

y) Secundae classis.

Si festum dupl. 2. cl. incidat in dominicam privilegiatam 1. vel 2. cl., tunc officium et missa debent dici de dominica et festum dupl. 2. cl. debet transferri in aliam diem eamque proximam non impeditam festo 9 ll. et ita festa Concept. et Purif. B. V. M. cadentia in dom. privileg. semper transferuntur in primam diem non impeditam festo 9 ll. etiam in diebus infra octavas aliquas non privileg., in quibus fiat de duplicibus translatis. N. 4175 ad 2. die 4. Sept. 1745.

Vd.: *Dominica I. Adv. et Quadrag.*; *Transl.* (in aliquam oct.)

Quando ob festum ss. Nominis Jesu contingat transferri aliud officium dupl. 2. cl. inferioris dignitatis, de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. 23. Jun. 1736 *in Einsidl.*

z) Secundae cl., si dies vacuus non supersit.

Decretum generale.

Ad dub.: Cum nonnullis in Ecclesiis aliquando accidat, ut quaedam festa 2. cl. celebrari non possint in die propria sed transferri debeant ad aliam diem non impeditam juxta rubricas et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint,

S. R. C. resp.: Eadem festa transferenda esse in proximiorem diem etiam impeditum festo semid. aut dupl., quod illo anno redigatur ad ritum simpl,. firmis remanentibus aliis declarationibus emanatis de festis inferioris ritus in simili casu non transferendis sed ad ritum simpl. redigendis. N. 4492 die 13. Martii 1804; n. 4538 ad 1 et 2 die 4. Junii 1817.

Vd.: *Octava Corp. Chr.* (officium infra etc. decr. n. 4538); *Off.* (transl. in seq. annum etc.)

aa) Semiduplicis.

Eesta duplicia et semiduplicia trans-

lata praeferenda sunt officiis semel in hebdomada concessis, ita ut festum duplex seu semiduplex etiam translatum necnon dies octavae sit dies impeditus respectu talium officiorum. S. Congr. Rit. 8. Eebr. 1699 et 26. Martii 1706.

Vd.: *Antiph. maj.*; *Duplex; Oratio* (quot?); *Dominicae post Epiph.*; *Octava non privil.; A cunctis* (decr. n. 3827.) *Officium* (transf. in seq. annum decr. n. 4538 4039); *Dies* (quae putatur imped.); *Transl. festi in diem immed. seq.* (decr. n. 3409); *Transl. festi in aliqu. oct.; Transl.* (festi univ.; in fer. VI. p. Ascens. D.)

In fer. 6. post oct. Ascensionis potest fieri de festo semid. translato. N. 3244 ad 10 die 11. Aug. 1691; n. 2961 ad 3 die 9. Aug. 1681.

Ad dub.: An fer. 2. post dominicam, in qua occurrit festum semid. (si dicta feria non fuerit impedita officio 9 lect.) celebrandum sit officium semid. translatum ante dominicam dictam (si unum vel plura semid. fuerint translata) de ordine, quo erant celebranda propriis diebus?

S. C. resp.: Celebrandum esse prius off. semid. ante dominicam translatum quam aliud off. semid. in eadem dominica occurrens, servato ordine Calendarii prout de officiis dupl. in dominicis privilegiatis occurrentibus idem servandum esse. N. 3253 die 24. Novembris 1691.

Occurrit festum semid. in Dominica infra octavam; quaeritur: an idem semidupl. debeat transferri ad fer. 2. seq., si adsit aliud' dupl. antea et prius translatum, an vero debeant transferri ordine descripto in Calendario, nullo modo considerato et attento jure vicinitatis?

S. C. resp.: *Negative.* N. 3295 ad 3 die 13. Sept. 1692.

Ad dub.: Utrum officio semid. occurrente dominica infra octavam non privilegiatam, die Lunae sequenti non impedito fieri debeat ejus translatio in exclusionem alicujus dupl. praecedentis transferendi?

S. C. resp.: Juxta votum, nempe, quod in exclusionem dupl. praecedentis transferendi debeat die Lunae non impedito fieri officium de semid., quod occurrerat dominica infra octavam non privileg., quia eo casu est assignata pro dicto semid. dicta dies feriae 2. n. 4041 ad 2 die 21. Aprilis 1736.

Ad dub.: An semidupl. occurrens in dominica infra octavam debeat in sequentem diem immediate transferri, non obstante prius translato duplici?

S. C. resp.: Serventur rubricae necnon decret. die 22. Decembris 1696. (Hoc decr. est infra ultimo loco.) N. 3660 die 1. Sept. 1703; n. 4049 ad 2 die 23. Junii 1736.

Ad dub.: Utrum de semid. occurrente in dominica *infra octavam non privilegiatam* fieri debeat officium die immediate sequenti non impedito, quamvis adsint alia festa majoris ritus prius translata?

S. C. resp.: Detur decr. 22. Decbr. 1696 (ut *infra in ultimo loco*). Num. 3827 ad 2 die 21. Junii 1710.

Festum semidupl. incidens in dominica infra octavam non privil., debet transferri immediate in fer. 2. non impeditam, licet sit reponendum quodcunque officium etiam ex solemnioribus.

S. R. C. 19. Junii 1700 *in Valentina.*

Ad dub.: An festa semidupl. accidentaliter translata possint aut debeant reponi in infra octavas communes seu non privilegiatas saltem in casu, in quo eorum repositio fuerit necessaria

ad vitandam ipsorum festorum simplificationem?

S. C. resp.: Negative. N. 4491 ad 1 die 12. Martii 1804.

Festum semidupl. incidens in festo dupl. infra octam non privileg., non est transferendum post octavam sed de eo transferendum est officium die immediate sequenti festo dupl. vel semid. non impedito. N. 2903 ad 5 die 30. Septembris 1679.

Dum semid. incidit in festum habens octavam vel in dominicam infra octavam et dies immediate sequens non est impedita, sed restat celebrandum duplex, quaeritur: an die immediate sequenti celebrari debeat duplex juxta rubr. de transl. n. 7., an semid. juxta n. 5.?

S. C. resp.: Dentur decr. sub diebus 30. Sept. 1679 et 16. Sept. 1702. Die 6. Febr. 1737 ad 2. *In Mechlin.*

Semidupl. occurrens in die officii dupl. 1. cl. habentis octavam transfertur in diem immediate sequentem, in qua agendum esset de octava. Quod privilegium retinet etiam semid. occurrens in dominica infra octavam, ut scilicet reponatur in fer. 2. sequenti non impedita, etiamsi reponendum esset dupl. I. cl. prius translatum. Quod vero attinet ad semid. occurrens in festo dupl. infra octavam non privileg., est verum et non apocriphum a S. C. emanatum sub die 30. Sept. 1679 (*vd. supra decr. n. 2903*). Num. 4119 ad 2. Sept. 1741.

Ad dub.: Num reponendum sit officium semid. alicujus Sancti in diem immediate sequentem (quemadmodum rubrica de translatione festorum n. 5. innuere videtur), quamvis aliquod duplex prius translatum reponendum habetur?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit:

Affirmative, sed solum quando semiduplex incidat in dominicam, quae est intra Octavam nonprivilegiatam juxta generale decretum diei 22. Dec. 1696.

Atque ita rescripsit servarique praecepit recensito in Ordine Discalceatorum. N. 4900 die 12. Septembris 1840 ad 3.

Dies assignatus festo habenti officium 9 ll. non admittit aliud festum translatum, etiam dupl.; occurrentibus tamen eodem die festo dupl. et alio semid. illud est praeferendum. Num. 2451 ad 1 die 15. Sept. 1668.

Ad dub.: An officia semid. translata reponi queant inter octavas non privilegiatas, puta ss. Apost. Petri et Pauli, s. Laurentii M., Assumptionis aliarumque, diebus, quibus fit de infra octavam, vel omnino transferenda extra hujusmodi octavas?

S. eadem C.... respondendum censuit:

Semiduplicia in casu transferenda esse post octavas.

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5113 ad 2. Die 11. Septembris 1847.

Cum nonnullorum non rite sensum generalis Brev. rom. tit. 10. n. 7. *de transl. fest.* percipientium obrepserit opinio, quod de festo transferendo, quod potest in sequentem diem immediate transferri, sit recitandum off. ante alia aequalis ritus prius translata, S. R. C. ad relationem Em. et Rev. D. Card. Petrucci supradictam gen. rubr. omnino servandam et quocumque alio decreto in contrarium non obstante in casu proposito (servato semper ordine Calendarii) officium de primo translato prius recitandum esse declaravit, ita tamen ut per hanc declarationem nihil penitus circa semidupl. in dominicis infra octavam

occurrentia veniat immutandum, pro quibus praedictam generalem rubricam tit. 10. num. 5. pariter omnino servandam esse censuit et ita servari mandavit.

S. R. C. 22. Decembris 1696. *In decr. gener.*

bb) Universalis.

Si novum aliquod officium a s. Sede recitandum praescribatur aut permittatur die aliqua determinata, etsi dies illa sit perpetuo impedita in aliqua dioecesi vel Ecclesia propter aliquod festum translationis, cui dies illa assignata ibidem fuit tamquam dies seu sedes propria, utrumque autem officium, tam novum scilicet quam translatum, sit off. Ecclesiae universalis,

1) Utrum hoc novum off. sit recitandum ipsa die a s. Sede assignata, altero officio ulterius translato in illa dioecesi vel Ecclesia juxta responsum S. R. C. in Mechl. ad dub. 1. et 2.? Et quatenus affirmative;

2) An idem sit servandum sive novum illud off. sit dupl. aut altioris ritus sive semid. tantum, quum quodlibet festum 9 ll. sive dupl. sive semid. sit dies impedita pro officio translato?

S. C. resp. ad 1: In paritate ritus noviter concessum off. ulterius transferatur juxta rubricas;

ad 2: Assignandum off. potioris ritus et inferioris ritus alterius transferendum juxta rubricas.

N. 4985 die 7. Decembris 1814 ad dub. IV. qu. 1. 2. *In Mechlin.*

Vd.: *Transl. festi ordinis et univers.*

6) Festorum.

a) SS. Apostol. et Evangel

Nullam esse disparitatem inter translationem festorum Apostolorum et Evangelistarum sed occasione dictae translationis esse faciendum officium, quod prius celebrandum in Calendario proponitur. N. 2380 die 18. Septembris 1666.

Cf.: *SS. Philipp. et Jacob.* (decr. n. 3748.)

b) Diversi ritus et dignit.

Vd.: *Transl. dupl.; semid.; Translatio festi in diem immed. seq. Transl. festi Ord. et univers.* (decr. n. 3497); *Transl. fest. ejusd. ritus etc.* (decr. de die 1. Mart. 1681 et 20. Sept. 1806.)

Ad dubium: An in transl. cum dupl. maj. fieri debeat Officium translationis vel transferri ad diem non impeditam? S. C. resp.: Officium de digniori, translato minus digno ad primam diem non impeditam. Num. 2360 ad 4 die 13. Febr. 1666.

In fixatione festorum attendi debet rubrica 10. Brev. rom. n. 7. de transl. festor.: prius agatur de dupl., postea de semidupl. et inter plura dupl., quod est magis solemne semper prius celebretur, sive ex ritu sive ex dignitate majoritas ista solemnitatis proveniat; alioquin, si sint omnino aequalia, unum ante aliud reponatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus; eadem etiam militat ratio in fixatione, quae probaret in translatione. n. 4150 die 7. Dec. 1713.

Ad dubium: Quo in sensu intelligenda sit rubrica Brev. de transl. festor n. 6: „Si omnia festa fuerint dupl., fiat de digniori seu solemniori, et quae de minori solemnitate sunt transferantur; et n. 7: inter plura dupl., quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur?"

S. C. resp.: rubricam intelligendam esse de solemniori quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quae in ordine translati-

onis non est attendenda. n. 4500 ad 15. die 20. Sept. 1806.

Ad dubium: Quid si festum festivum sit tantum 2. cl. aliud vero 1 cl. sed non festivum, ut e. g. Dedic. Ecclesiae extra Cathedr.?

S. C. resp.: Obligatio audiendi missam non elevat ritum sed officium relinquit in suo ritu; quare reponendum erit prius officium altioris ritus prae alio minori, quamvis istud annexum haberet praeceptum audiendi sacrum. Die 2. Septembris 1741. *In Aquen.*

c) Ejusdem ritus et dignit.

Vd.: *Festum* (dignitas); *Transl. fest. diversi ritus etc.* (decr. n. 4150, 4500); *Transl. festi part. et univ.* (decr. n. 3700); *Transl. perpetua* (Episcopo licetne); *Festum ss. Nom. B. V. M.* (non transf. decr. n. 4198); *Calendar. Dioeces.* (Jus refor.); *Transl.* (festor. Apostolorum etc.); *Transl. festi semid.* (decr. 22. Decbr. 1696); *Translatio festi particul.*

Ad dub.: An liceat absque alio recursu S. C. iis festis, ubi perpetuus festorum ejusdem ritus occursus constanter contingit, diem primam proxime non impeditam tamquam propriam translato ipso facto assignare eamque pro die fixa in directorio declarare?

S. C. resp.: Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet festo a suo die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies propria et fixa festi translati, justificatis tamen apud ordinarium translatorum numero et causis dierumque assignatorum ordine et qualitate. N. 4461 die 22. Augusti 1744.

In occurrentia festorum ejusdem ritus et alias quomodocunque parium primum locum habebit officium Ecclesiae particularis, 2dum Ordinis, 3. Dioecesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae universalis. N. 4044 (2do) ad 1 die 23. Julii 1736; n. 4110 ad 6 die 22. Apr. 1741; n. 4180 die 29. Jan. 1746.

Si occurrant eodem die duo festa, officium est de digniori et transferendum minus dignus. N. 2859 ad 6 die 12. Martii 1678.

Occurrentibus eodem die tribus officiis ejusdem ritus, unum, de ordine aliud de Calendario Ecclesiae univers. et aliud de aliquo Sancto, cujus habetur corpus vel reliquia insignis in propria Ecclesia, faciendum est officium de digniori seu solemniori, quae vero sunt minoris dignitatis seu solemnitatis transferenda sunt. Num. 2928 ad 10 die 7. Sept. 1680.

Decisum jam fuit (30. Sept. 1679), quod de festo translato faciendum sit officium die immed. sequenti non impedita, etiamsi adsit aliud ejusdem dignitatis festum prius translatum, non tamen idem intelligendum est, si adsit aliud festum seu off. majoris ritus translatum.

S. R. C. 1. Mart. 1681. *In una Canon. Reg. Lateran.*

Ad dub.: Si festa sint ejusdem ritus et dignitatis, an praeferendum officium loci officio in proprio religionis calendario descripto?

S. C. resp.: Praeferendum officium quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur, ad formam rubricae de translatione festorum. Die 20. Martii 1683.

Ad dub. 1: An quando aliquod festum, quod in propria Ecclesia celebratur cum solemnitate sive magna sive mediocri et insignis Sancti reliquia ibi asservatur, transferri debeat, ratione praedictorum, sit transferendum ante alia festa aequalis ritus et dignitatis prius transferenda? Et quatenus negative;

2. An idem sit observandum, licet

cum tali festo transferatur etiam solemnitas in illa Ecclesia?

S. eadem Congregatio rescribendum censuit

Ad 1 et 2: „Negative."

Et ita declaravit et servari mandavit. N. 4500 ad 13 et 14. Die 20. Septembris 1806.

Ad dub.: An festa secundaria Domini Beatissimaeque Virginis in occurrentia cum officio aequalis ri- debeant gaudere praecedentia?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: *Juxta votum magistri caeremoniarum*, nimirum:

„Affirmative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5030 ad 2. Die 6. Septembris 1845.

Ad dub.: An, quia assignatio diei facta non fuerit prima die non impedita, talis debeat corrigi et legibus conformari?

S. C. resp.: Affirmative. Die 11. Martii 1820 ad 2. *In Mazar.*

De officiis translatis fit juxta ordinem translationis in *paritate ritus* tamen ac sine excellentia majoris dignitatis, ut scilicet primum celebretur officium ab ante translatum et postea fiat de alio secundo loco translato.

Die 2. Septembris 1741 ad 2. *In Aquen.*

In translatione festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius descripto in Calendario, nullo habito respectu, quod festum translatum sit Ecclesiae universalis, Nationis, Dioecesis, Ordinis et Ecclesiae particularis.

Die 5. Maii 1736 dub. 5. *In Einsidl.*

Non est transferendum in diem immediate sequentem festum illud, ante cujus translationem habentur reponenda alia officia prius translata ejusdem ritus, non obstante dereto edito die 20. Septembris 1679. Quoad vero festum semiduplex in dominica infra octavam occurrens, omnino servanda est rubrica generalis breviarii de translatione festorum num. 5.

Sacra Congregatio Rituum 22. Decembris 1696.

Pluribus festis ejusdem ritus translatis officium de primo translato recitandum est, etiamsi ultimo translatum posset in diem immediate sequentem transferri, non obstante quocumque alio decreto in contrarium. Semiduplex tamen occurrens in dominica infra octavam non privilegiatam celebrandum est ante quodcumque prius translatum etiam 1. classis feria 2. immediate sequenti, alio festo occurrente non impedita: S. Rit. Congr. 16. Septembris 1702.

In repositione duorum vel plurium festorum ritum habentium eumdem et die occurrentium diversa, attendatur prioritas translationis, nisi attentenda sit major dignitas.

S. Rit. Congr. 13. Junii 1682.

Si plura sunt transferenda festa, quae eadem die occurrunt et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus.

Sacra Rituum Congregatio 20. Julii 1686.

d) B. M. V. ejusdem ritus.

Ad dub: Dum eadem die occurrunt duo officia B. M. V. ejusdem ritus,

alterum alicui diei fixe assignatum, alterum mobile, alicui dominicae affixum, quod ex utrisque praevalere debet? item quando insimul concurrunt duo ex enunciatis festis, quomodo Vesperae ordinandae?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Praeferendum officium diei mensis: et in occurrentia faciendum esse totum de officio occurr. sine ulla prorsus commemoratione de sequenti."

Atque ita rescripsit, declaravit servandumque mandavit. N. 5135 ad 1. Die 22. Julii 1848.

Vd. etiam Correspondance de Rome 24. Sept. 1850 p. 79.

Quoties in Calendario Senensi dies octava 7 dol. B. V. M. incidit in 24. Sept., in qua occurrit sub ritu dupl. maj. fest. B. V. M. de Mercede vel die 22. Sept., in qua civitate Senensi festum patrocinii Deiparae sub pariter ritu dupl. maj. agitur, quaeritur: num recitari debeat de octava vel de alterutro ex enunciatis festis?

S. C. resp.: In casu de officio occurrenti et nihil amplius de octava. Die 22. Julii 1848 ad 2.

Cf.: *Vesp. B. V. M.; Sept. dolores B. V. M. in mense Septbr.* (decr. n. 4541 n. 2.)

e) Dominicis affixorum.

Vd.: *SS. Redempt.* (transl. decr. 4859.)

f) SS. Patronorum.

Vd.: *Patronus* (loci, dioecesis, principalis etc.); *Reductio festor.*

7) Imaginis Sancti.

Demolitione permissa onerum et Missarum translatio necessario permittenda est; quamobrem s. Synodus Tridentina sess. 21. cap. 7. de ref. jubet „ut Episcopi etiam tamquam apstolicae sedis delegati transferre possint beneficia ex Ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt et ob eorum inopiam nequeunt instaurari sub lege tamen ut erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus vel saltem apposita Icone s. Titularis dirimendi sacelli, ut statuit S. Congregatio in Patavina 11. Julii 1801.

Ex resol. S. C. C. die 15. Maii 1802. *Nullius seu s. Laurentii.*

Vd.: *Translatio ss. Reliquiar.*

Sacras imagines, etiamsi collocatae reperirentur in Ecclesia jurispatronatus, ex justa causa decentioris cultus transferri possunt cum missarum oneribus ex mente Sacri Concilii Tridentini sess. decret. de invoc. et venerat.; et tradit *Panimoll.* decis. 11. num. 17. et Rota in Romana translationis Imaginis 25. Junii 1742 §. 6. coram clar. mem. Card. Calcagnino. Nullum enim detrimentum est obventurum animae testatoris ex hac Missarum translatione; nam eisdem aeque proderit sacrificium ab ipsis in honorem sacrae Imaginis relictum, tam si illud celebretnr in rurali sacello, quam in Ara urbanae Ecclesiae, in qua erit sacra Imago collocanda.

(Ex resol. S. C. C. die 8. et 29. Julii 1775 *Ravennaten.*)

Permissa est translatio imaginis, ut praescribit Tridentinum, scilicet dummodo onera, si quae sunt transferantur, et capella vel altare *sub iisdem invocationibus* alio erigantur; vel saltem Icon s. Titularis in aliquo sacello apponatur, quemadmodum statuit Sacra Congregatio in *Patavina* 11. Julii 1801.

(Ex res. S. C. C. die 16. Aug. 1806. *Fanen.*)

Icon s. Titularis Ecclesiae demoliendae apponatur in aliquo sacello Ec-

clesiae s. Annae et transferantur onera ut *in Patavina 11. Julii 1801 et in Fanen. Demolitionis Ecclesiae 16. Augusti 1806.*

(Ex resol. S. C. C. die 6. Augusti 1808. *Aesina.*)

8) Indulgentiarum translati festi.

Translato festo, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, nisi ex concessione speciali: Sacr. Congreg. Rit. 10. Junii 1690.

Vd.: *Indulg. festo annexa et transl.*

Translatio Indulgentiae a secunda dominica Octobris ad diem 2. ejusdem mensis pro die festo s. Angeli Custodis concessa Archiconfraternitati ejusdem Angeli Custodis in Urbe.

Clemens Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres archiconfraternitatis sub invocatione Sanctorum Angelorum Custodum de Urbe, quod inter caeteras indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem Archiconfraternitati per Sedem apostolicam concessas omnibus et singulis Confratribus et Consororibus dictae confraternitatis vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam seu Oratorium dictae Archiconfraternitatis dominica secunda mensis Octobris, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissio misericorditer in domino auctoritate apostolica concessa reperitur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes Indulgentiam hujusmodi a dicta dominica secunda Octobris ad diem secundam ejusdem mensis, quae per decretum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum a Nobis approbatum, pro festo eorumdem sanctorum Angelorum Custodum assignata fuit, transferri plurimum desiderent,

§. 2. Nos eorumdem Officialium et Confratrum votis hac in re benigne annuere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

§. 3. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Indulgentiam praedictam die dominica Octobris dictae Archiconfraternitati concessam ad diem secundam ejusdem mensis, servata tamen in reliquis omnibus literarum apostolicarum desuper expeditarum forma, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo transferimus; utque Confratres et Consorores Archiconfraternitatis hujusmodi praemissa adimplentes eandem prorsus Indulgentiam et peccatorum remissionem die secunda mensis Octobris in posterum consequantur, si eadem praemissa die dominica 2. mensis Octobris praedicti adimplerent, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam die 28. Julii 1672.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 23. Ed. Luxbg.)

Facultas Mariae Josepho Episcopo Podiensi promulgendi in sua dioecesi, antiquo privilegio apostolico rato habito, indulgentiam plenariam in forma jubilaei quando festum Annunciationis incidet in feria sexta in Parasceve.

Venerabili fratri Mariae Josepho Episcopo Podiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Studium tuum ardens curaque tua assidua, qua in salutem gregis divini, qui tibi fuit commissus, quique a rapacibus lupis miserc obsidetur, incumbis, omnibus ex partibus se quidem ostendit iis in literis, quas a te nuper libertissime accepimus, die primo labentis anni datas. Levatur aliquando Noster moeror, quem incredibilem profecto ex tantis malis suscipimus, quibus Galliarum ecclesiae obruuntur, quum illarum episcopos retinere adhuc cernimus invictum animi robur et constantiam, nec ullis laboribus et aerumnis frangi unquam aut debilitari, eosdemque in vigilia quadam sacerdotali perpetuo manere. Est autem illud nunc tenendum, ad quod sanctissimus ille antistes et martyr Cyprianus adhortabatur suos, (epist. LX Pamel. LVII.), quum eodem fere in discrimine Africanae essent ecclesiae: ut jejuniis et oratonibus insistere, cum omni plebe ne desinamus et gemitibus continuis: haec sunt enim nobis arma coelestia, quae stare et perseverare fortiter faciunt.

Quod quidem ut fideles homines alacrius et diligentius peragant, ea benignitas, quae apostolicae Sedis hujus, utpote parentis omnium amantissimae, est maxime propria expromenda pene tota impertiendaque illis est.

§. 2. Itaque quod scribis a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, vel prisca aetate, ac postremo a Benedicto PP. XIII. concessum fuisse dioecesi Podiensi tuae, cujus ecclesiae cathedralis patronam habet beatam Mariam virginem ab angelo nunciatam, ut quo anno hujus dies festus feria sexta in Parasceve occurrat, indulgentia tum plenaria in forma jubilaei in ipsa dioecesi promulgetur, eoque te privilegio jam anno MDCCLXXXV. ingenti cum tui populi ac finitimorum quoque fructu usum fuisse, id Nos, tuis ut postulatis obsequamur, hoc etiam anno ratum habemus.

§. 3. Itaque fraternitati tuae per has literas committimus et mandamus, ut eam indulgentiam plenariam in forma jubiliaei, qualis in apostolicis literis commemorati praedecessoris Nostri Benedicti XIII., quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, concessa fuit promulgari in praedicta tua dioecesi, auctoritate apostolica cures, eamque intra octo dies lucrandum declares a Christifidelibus quibuscumque etiam advenis, tuam tamen et Nostram et sanctae Sedis hujus communionem habentibus, iisdemque vere poenitentibus et rite confessis et sacra communione refectis Deumque enixe rogantibus, ut misereatur populi sui, ut exurgat et judicet causam suam, ne obliviscatur inopiae nostrae et tribulationis nostrae.

§. 4. Et quoniam tanta isthaec perturbatio rerum haud sinit, ea ut pietatis opera praestentur, quae in illis praeterea Benedicti XIII. literis praecipiuntur, id permittimus prudentiae tuae, ut quae tempus, quae locus postulare intelliget, alia prae illis pietatis opera facienda decernat. Neque

hoc tanto beneficio carere aequum est fideles viros illos sive clericos sive laicos dioecesis tuae, qui in fugam ab impiis acti solum vertere compulsi sunt egentes, angustiati, afflicti, illorum instar, quos laudat Paulus, qui a reliquo grege interim necessitate temporis corpore non spiritu sunt separati. (Cyprian. ep. LVIII. Pamel. LVI.) Itaque ad hos etiam, si injuncta pietatis opera, quorum habebant facultatem, perfecerint, indulgentiam eamdem, perinde ac una cum suis versari pergerent, pertinere volumus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 29. Januarii 1796.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 611. Ed. Romae etc.)

9) Ut Officium.

Deberi celebrari solum in civitate unicum festum translationis et non plura, dummodo reliquia sit insignis et patroni principalis vel Epissopi loci, et tunc cum Officio sub *ritu duplici*, si est Patroni principalis, ritu vero semiduplici, si translatio est Episcopi loci, sine tamen octava. n. 772 ad 5. die 28. Oct. 1628.

10) SS. Reliquiarum.

Tres oppido legitimas causas alio transferendi sacras exuvias Martyrum et in genere res sanctas numerat *Augustinus* relatus *in cap. 36. de consecr. distinct.*; nempe: *ingruentam persecutionem; difficultatem locorum v. g.* inclementiam aut infestam crassitiem aeris; *malorum societatem v. g.* plebis rebellionem aut malitiam. *Tribus ex causis loca Sanctorum transmutanda sunt. Prima cum necessitas persecutorum loca eorum gravavit; secunda cum difficultas locorum fuerit; tertia cum malorum societate gravantur.* Verum *Gratianus causa 16. quaest. 7. can. 41.* refert decretum Bonifacii quod alii tribuunt Silvestro Papae, alii Papae Silverio, in quo et alia agnoscitur legitima translationis causa nempe ejusdem rei sacrae melioratio: *Si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, faciat cum concilio Episcopi etc.*

Verum quarta haec transferendi causa non usque adeo amplienda est ut sola melior conditio Loci, ad quem asportanda esset imago aut quaevis alia res sacra satis per se esse videatur. Oportet enim ut aliqua etiam concurrat incongruentia loci, a quo dicta Imago aut res alia sacra removenda est. Miraculis claram B. M. V. imaginem in pariete depictam diruti Castri Larae ad Monasterium S. Catharinae de Rosa pertinentis ad se spectare et ad suam Ecclesiam transferendam esse contendebat Lateranense Capitulum, intra cujus Paraeciae ambitum dictum castrum jacebat. Repugnabat vero dictum Monasterium. Inter caeteras et hanc decentioris loci et cultus afferebat causam Lateranense Capitulum; sed quia eadem S. Imago etiam a Monasterio S. Catharinae de Rosa satis bene et religiose custodiebatur, Sac. Rota, ad quam ea delata fuit contentio, justam deesse translationis causam pronunciavit, ut legere est in *Romana translationis imaginis 25. Junii 1742. §. 6. coram cl. mem. Card. Calcagnino.*

Die 16. Decbr. 1786. *Sutrina.*

TRIANGULUM.

1) Ad bened. lum. in Sabb. s.

Vd.: *Lumen Christi.*

Praeparetur arundo cum tribus candelis albis in summitate positis. *Caer. Ep.* l. II. c. XXVII. n. 1.

2) In Matutinis tenebrarum.

A latere Epistolae ponitur candelabrum triangulare accomodatum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis, singulos ponderis unius librae vel circa, qui paulo ante adventum Episcopi accenduntur simul cum cereis altaris ex eadem cera communi. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 4. Finito quolibet psalmo Caeremonarius vel aliquis Capellanus accedit cum debitis reverentiis et cum instrumento apto ad extinguendum ad candelabrum triangulare et extinguit cereum in illius extremitate positum a latere Evang.: deinde in fine alterius psalmi alterum ab alio latere et sic successive alternatim ab utroque latere singulos cereos extinguit in fine cujuslibet psalmi tam primi quam sequentium Nocturnorum et Laudum. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 7.

3) Sensus mysticus.

Candelae in calce unum quid esse debent et deinde distinqui in tres ad designandum mysterium Unitatis et Trinitatis Dei.

(Gavant. Anal. J. P. 1852 p. 295.)

TRIDUUM S.

Vd.: *Sepult. in triduo s.; Reverent. in triduo s.; Officia hebd. maj.*

S. TRIFOMENA.

Vd.: S. *Trofimena.*

SS. TRINITAS.

1) Festum privilegiatum.

Ord. Excalceat. Ref. Sanctissimae Trinitatis Regni Hispaniarum.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo humillime exposuit R. P. Fr. Joseph a Sancto Francisco Procurator Generalis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Regni Hispaniarum usque ab anno 1802 datum fuisse recensito Ordini Apostolicum Indultum peragendi Festum Sanctissimae Trinitatis Ordinis ejusdem Titularis cum Octava privilegiata, excepta occurrentia alterius Festi etiam translati, sed ritus duplicis primae vel secundae Classis dumtaxat, et super hac concessione quaedam in praesentiarum exoriri dubia non ita facile resolvenda eo quod in precibus tunc non fuerit expressum alterum privilegium anno 1776 Regno Hispaniarum concessum celebrandi nimirum Octavam Corporis Christi ita privilegiatam, ut omnia alia Festa, praeter Sancti Joannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli excluderet; propterea Sanctitatem Suam humiliter exoravit, ut concedere dignaretur utriusque Excalceatorum Reformatorum Familiae Alumnis tam infra quam extra Hispaniam degentibus, Octavam Sanctissimae Trinitatis Titularis jam plusquam sexcentis annis ab Innocentio Papa Tertio elapsis celebratam peragere privilegiatam, et quidem ante Festum Corporis Christi, festo secundae Classis non occurrente aut primae Classis, etiam translato, et post illud festum, excludendo cetera festa, praeter festum Sancti Joannis Baptistae occurrens, aut etiam translatum: facta tamen hoc in casu commemoratione Octavarum Sanctissimae Trinitatis et Corporis Christi. Sanctitas Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario rescribi mandavit: *Proponatur in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria.* Relata propterea per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Card. Joannem Franciscum Marco-y-Catalan Ponentem supradictis precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu ad Vati-

canum sub infrascripta de coadunato Sacra Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris scriptis pandita praeloque cusa, omnibus mature accurateque perpensis ac libratis, rescribendum censuit: „Pro gratia confirmationis privilegii anni 1802 expetitae extensionis juxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: festum Sanctissimae Trinitatis celebrandum esse ab Alumnis recensiti ordinis utriusque sexus Calendario proprio utentibus tam intra quam extra Hispaniam cum Octava privilegiata, excepta occurrentia alterius festi primae et secundae classis tum occurrentis quam translati vel alicujus diei octavae, de quibus faciendum est officium vel ante vel post festum Sanctissimi Corporis Christi cum commemoratione Octavarum, servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.“ Die 7. Aprilis 1832 num. 4680.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Indultum, quod concessum fuit Ordini Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Regni Hispaniarum peragendi festum Sanctissimae Trinitatis ejusdem Ordinis Titularis cum Octava privilegiata, concessum utique fuit intuitu praecellentis Tituli, quo dictus Ordo insignitur et a quo nomen sumit: quia tamen non est per se ejusmodi, ut omnia alia festa excludat, quemadmodum sunt quaedam Octavae, quae vel omnia alia excludunt festa vel solum ex rubricis admittunt festum de patrono vel titulari Ecclesiae et propriae Ecclesiae Dedicationis, idcirco in memorato Indulto vetatur fieri de Octava, occurrente altero festo ritus duplicis primae classis eoque etiam translato. In concessione enim indulti sartam tectamque quodammodo rubricarum dispositionem et quorumdam festorum dignitatem voluit haberi. Privilegium alterum, de quo in supplici libello anno 1802 porrecto pro obtinenda Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, de quo supra mentio facta fuit, opponebatur primo, quia Octava Sanctissimi Corporis Christi ita privilegiata ipsi Ordini Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis erat, ut festa tantummodo sancti Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli omnibus aliis exclusis admitteret; hinc de Octava Sanctissimae Trinitatis fieri non poterat vi majoris Indulti, hoc enim aliud destruebat, quod posterius fuit concessum indultum; quapropter supplicatum fuit, ut retineri posset et peragi Octava privilegiata Sanctissimae Trinitatis, uti enunciatum est, dummodo non occurreret festum secundae classis aut etiam translatum, quod ritu primae classis gauderet. Sacra Congregatio perpensis rationibus et tam veteri attento privilegio celebrandi Octavam Tituli ipsius Ordinis cum hujus Octava rescripsit ut supra in decreto, ita tamen ut festo primae et secundae classis vel occurrente vel translato, de his fieret, quemadmodum etiam de aliquo die octavo, de quo faciendum sit officium.

Ut aliquid in re adnotetur, indulta, quae de Octavis concessa hucusque sunt ab Ecclesia quaeque nunc conceduntur, si res per se consideretur, eo sunt pluris habenda, quo minores antiquitus erant octavae et quo magis quam ante sunt privilegiatae et privilegiatarum octavarum numerus, novis accedentibus concessionibus, succrevit; hinc qui eas obtinet gloriari jure potest et a praesenti Ecclesiae disciplina gratum acceptumque referre. Siquidem si veteres recentioresque auctores audiamus et diversa consu-

lamus Sacramentaria vel Gregorianum, una vel altera celebrabatur, nam juxta Grancolasium Octavae celebrabantur Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini. Sanctis autem nullae per aliquot saecula tributae fuerunt Octavae et octavo tantum saeculo Sanctis Octavae fuerunt assignatae, ita tamen ut in veteribus codicibus non reperiantur nisi Octavae sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac sancti Laurentii Martyris.

Insuper in Octavarum celebratione diebus, quae festum inter et diem octavam intercedebant, de illis nec recitabatur officium nec commemoratio ulla fiebat. Veteris hujus moris quoddam vestigium reperitur in festo sanctae Agnetis, in cujus Octava Breviarium Romanum sic indicat: *Sanctae Agnetis secundo.* Temporis progressu diebus etiam inter festum et octavum ab eo diem de Sancto, cujus Octava celebrabatur, fieri officium coepit. Adeo verum hoc est, ut referente Micrologo, si excipiantur hebdomadae Paschatis et Pentecostes, Psalmi de Feria recitabantur in omnibus etiam Domini Nostri Octavis, licet Invitatoria et Responsoria essent de festo. Alia possent hic notari, quae praetermittenda putantur quaeque apud Grancolasium, Micrologum, Bedam ac inter recentiores auctores apud Gavantum, praesertim in sua ad Octavarium Romanum praefatione, et apud Meratum in suis ad Gavantum observationibus reperiuntur. Nunc Octavae omnes, in quibus diebus non impeditis ab alio festo de iis fit officium, considerari possunt tamquam prorogatio solemnis festorum per dies octo juxta Rodulphum. Haec solemnitas dierum octo etiam in Levitico praecepta reperitur *cap. 23. v. 35. et 36. Dies primus vocabitur celeberrimus... et septem diebus offerretis holocausta Domino; dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus et offerretis holocaustum Domino: est enim coetus atque collectae.* Et in libro Paralipomenon: *Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus et omnis Israel cum eo... Fecitque die octavo collectam eo quod dedicasset altare septem diebus et solemnitatem celebrasset diebus septem.* Psalmista in multis psalmis titulum apposuit: *pro Octava*, quod juxta Rabbinorum expositionem musicum instrumentum octo chordarum erat, ut Gerebrardus testatur, sive psalmus, qui octo notis canitur, ut alii autumant. Sed Jansenius ait, quod illis psalmis, in quibus praefatus titulus habetur, semper de universali judicio fit mentio, post quod sequi debet mystica id est aeterna Beatorum quies et illorum in anima et corpore beatificatio, quo sensu facile verba sancti Ambrosii lib. 1. in cap. 6. Lucae intelliguntur. Haec itaque *vox octava* sive obvio et literali sensu accipiatur sive mystico, gaudium et solemnitatem importat. Unum hic quaeri potest; undenam suam sumpserint originem Octavae generice sumptae, quae ab Ecclesia nunc celebrantur? Non est hic sermo de origine eo sensu accepta, ut requiratur ad cujus exemplum hae fuerint in Ecclesia inductae: volunt enim has a Judaeorum exemplo trahere originem, quemadmodum et solemnitas in Ecclesiarum dedicatione celebranda a dedicatione templi per Salomonem peracta ab auctoribus putatur desumpta, veluti et alia hujusmodi ab aliis Judaeorum caeremoniis desumpta existimantur. Neque hoc in casu mirari quis vel ad minimum debet: quum enim inter ritus et caeremonias hebraeorum quaedam essent, quae licet a Deo ipsis praeceptae, ut habetur in Levitico et Deuteronomio, tamen utpote figurae tantum futuro-

rum temporum plenitudine et Christo adveniente abrogandae erant et abrogatae fuerunt, quia utpote figurae non amplius servandae erant post veritatis manifestationem et Christi adventum, cujus umbrae erant et figurae et ad eum tantummodo significandum et praenunciandum praescriptae; novae proinde, veteribus illis abrogatis, institutae sunt caeremoniae tempori conformes, veritati jam manifestatae respondentes, et ad eam gratiam significandam, quae conferri hominibus deberet in Sacramentis et praesertim in sacrosancto Missae Sacrificio, ad quod significandum praenunciandumque vetera illa et inter se diversa sacrificia erant instituta, quaeque in hoc uno in sua plena significatione continentur. Aliae autem erant caeremoniae, quas neque Christus neque apostoli abrogarunt, utpote non ejusmodi erant, quae novae adversantur legi aut religioni opponerentur aut superstitionem redolerent aut ab evangelicis praeceptis essent alienae. Nil ergo mirum si apostoli ex iis quasdam, praesertim nascente Ecclesia, retinuerint, ad illarum imitationem, quasdam etiam de novo instituerint, quas Ecclesia adhuc retinet.

De hac, inquam, origine sic accepta quoad Octavas non est hic sermo, sed tantum de origine eo sensu accepta, ut solemnitatis ideam excitet ac importet et plures dies ad eam judicandam et celebrandam aliquibus festis addicantur. Hoc, si quid video, duobus ex capitibus ortum est. Primo ut solemniora festa majori non solum solemnitate celebrarentur, sed ad indicandam ipsorum prae caeteris excellentiam praeter solemniorem ritum, major dierum numerus statueretur, ut religionis nostrae praecipua mysteria, quorum memoria recolitur, altius in fidelium mentibus figerentur, ut beneficia, quo sunt majora accepta, eo magis illa sentiamus et majores de iis gratias ad nostram ipsam animae salutem agamus, per longius tempus ea considerantes, mente volventes et corde retinentes: ut dona charismata aliquibus Sanctis prae aliis a Deo collata memoria repetentes et divinam bonitatem et peculiarem Dei in illis amorem agnoscentes, Deum ipsum intensius laudemus, qui illis magna et mirabilia fecit et admirabilem se in illis ostendit: ut nostra exercitarentur corda ad illorum auxilium diutius implorandum, ut et ipsi nostrum apud Deum patrocinium suscipiant, ut Sanctorum virtutes ad imitationem nos provocent atque delectent. Haec et similia fortasse sunt, quae prae oculis Mater Ecclesia habuit dum pro aliquibus Mysteriis, Festivitatibus et Sanctis Octavas instituit celebrandas.

Diversa sive prae aliis solemnior fit aliquorum Sanctorum memoria seu solemnius eorum festa celebrantur, quia majori, ut creditur, in coelis fruuntur gloria, sicuti diversa fuerunt in illis merita; ait enim Apostolus ad imparem justorum gloriam indicandam: *Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate;* et hinc sane oritur multimoda officiorum in Ecclesia ratio et diversitas rituum in Sanctorum festis celebrandis, quam idcirco coelesti Hierarchiae ex sancti Dionysii doctrina comparat Durandus in suo Rationali *lib. 7. cap. num. 33.* sic scribens: *Quum ergo secundum beatum Dionysium ecclesiastica Hierarchia repraesentet aequaliter in suis actionibus seu ordinationibus coelestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum diversitatem meritorum suorum disponuntur, ideo ad hoc repraesentandum varietas officiorum in nostra Ecclesia reperitur*: Immo ex Augustino *Epist. 86*: *Hic decor est, qui*

reginam dextris sponsi adstantem quamplurimum exornat, ut sit in fimbriis suis aureis circumdata varietatibus. Hanc porro varietatem generaliter adhibet Ecclesia in Sanctis omnibus celebrandis seu eorum festivitatibus instituendis, eam dimetiendo quodammodo, eo quo regitur Spiritu, ex cujusque meritis, quantum haec vel per vitae actus nota sunt vel per beneficia eorum vel laboribus vel intercessione toti Ecclesiae impensa.

Haec, quae festa nunc dicuntur et celebrantur, adductis nuper rationibus fortasse Sanctorum *memoriae* olim dicta sunt, quae vox variis accipitur sensibus: modo enim suscipitur pro sepulchrali monumento, ut ab Augustino accipitur: *De cura pro mortuis gerenda*, modo pro Oratoriis, in quibus Sanctorum corpora vel reliquiae reconduntur, quemadmodum hanc vocem accipit ipse Augustinus contra Faustum Manichaeum *cap. 2.* Hic autem accipitur haec vox de mortuis sed tamquam ut mentio de vivis fiat, revocando scilicet in memoriam acta et passiones Sanctorum, vel ut Eusebius *lib. 4. cap. 5.: In memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt et ad posteros eorum exemplo erudiendos et confirmandos.* Antiquitus Martyrum memoria in Ecclesia observabatur, quando eorum nomina inter solemnes preces ante Eucharistiae sumptionem recitabantur ex *Dypticis.* Quaecumque tamen fuerit hujus rei origo, hoc certe spectavit, ut Christiani Deum in Sanctis honorarent, quod revera ipsi semper agere crediderunt.

Altera Octavarum institutiones ratio ni fallor haec fuit. Neminem latet initio tot non fuisse numero ritus seu horum diversos gradus, sub quibus nunc Ecclesia varia celebrat festa; proinde hunc majorem rituum numerum majora numero festa, quae celebrantur, augendi occasionem dederunt et etiam ex hoc originem habere potuit haec Octavarum pro aliquibus festis praesertim Sanctorum institutio. Per plura saecula nonnisi Martyrum festa celebrata sunt aut eorum saltem, qui martyrium passi putabantur; et quamvis unius vel alterius Martyris memoria celebrata fuerit primis Ecclesiae saeculis in Ecclesia universa, tamen, ut notat sanctus Hieronymus, non omnium indiscriminatim Martyrum seu Sanctorum aeque in Ecclesia universa et ubique memoriae celebres erant sive non aequali solemnitate celebratae fuerunt sed pro diversitate Ecclesiarum vel horum vel istorum Sanctorum dies fuerunt sacri, idque constat ex diversis martyrologiis, si haec inter se conferantur.* Nihilominus praecipua et universaliter sanctorum Apostolorum Petri et Pauli memoria celebrata est, qui, ut sunt omnium celeberrimi, ita et inter omnes diem sibi sacrum potissimum habuerunt; et hinc est quod in Missae Canone primi nominati sunt, qui morem Ecclesia in omnibus semper retinuit et retinet. Martyrum festis alia etiam posterioribus temporibus festa addita sunt et temporis majori progressu his etiam alia atque ita factum est, ut nullus fere dies deinceps fuerit, in quo alicujus Sancti festum non celebraretur.

Haud quidem est hic locus omnia, ut vellem, persequendi, omnia numerandi ac in medium proferendi, quae hanc respiciunt materiam: quare ea consulto omittam et quod sequitur tantum ad propositum adnotabo. Ecclesia ut varietate circumdata videretur, quemadmodum supra ex Dionysio et Augustino didicimus, et illum repraesentaret in terris hierarchiae ordinem, qui in coelesti secundum meritorum diversitatem observatur, in qua stellarum claritas a claritate dif-

fert, officiorum diversitatem instituit, ut per hanc vel minus vel magis celebris Sanctorum memoria recoleretur. Aucto festorum numero auctus quoque fuit numerus rituum seu modus celebrandi festa sive designatus solemnitatis diversae gradus, quo diversa Sanctorum festa celebrari deberent: hinc ut disparitas inter eos ex ipso ritu appareret, illorum festa alia sub uno ritu alia sub altero celebranda statutum est. Dum quibusdam fuit adsignatus hic vel ille ritus pro festo celebrando atque etiam de solemnioribus ut eorum festis, quae vel antiquiora erant vel majori cum solemnitate celebrari consueverant, celebritas quaedam prae aliis postea adjunctis maneret, auctus fuit numerus dierum, quibus eorum memoria fieret et sic, si in solemnitate sive in gradu solemnioris ritus paria illis forent, celebriora prae illis essent quoad dierum numerum, quibus celebritas erat perduratura peragendo de iis officia. En itaque altera Octavarum origo illasque instituendi altera causa, qua retenta pro aliquibus jamdiu instituta solemnitate, ex diversis rituum gradibus, qui aucti fuerunt, necessario repetenda videtur. Haec, quae adducta sunt, quispiam fortasse tamquam a proposito aliena putabit et ut inutiliter allata reprehendet; sed nec aliena nec inutilia haec aliaque in adnotationibus reperiet: non aliena, quia de Octavis agunt, ad quas dubium ipsum vocavit: non utilia, quia non multi reperiuntur, quibus cura sit omnia cognoscendi, quae ad sacram liturgiam pertinent, quamvis ex ministerio ad hoc teneantur. Hinc si non omnibus, aliquibus tamen, quibus vel desunt libri vel tempus eos adeundi, certe erunt utilitati et hoc satis ut quamcumque molestam aut minus urbanam notam effugiam, in quampo ssem apud aliquos incurrere.

2) Indulgentiae.

Humillimis delatis precibus SSm. Domino Nostro PP. Pio IX. a R. P Fr. Antonio a Matre Dei generali procuratore ordinis SSmae Trinitatis discalceatorum, ut christifideles triduanis seu novendualibus obsequiis ineffabile ejusdem SSmae Trinitatis Mysterium venerantes aliquo Indulgentiarum lucro de Ecclesiae thesauro ditarentur, Sanctitas Sua, referente me infrascripto S. Congregationis Cardinali praefecto, clementer indulsit, ut omnes et singuli utriusque sexus christifideles, qui vel publice vel privatim triduum aut novendiale tam immediate ante dominicam primam post Pentecosten quam quocunque alio anni tempore devote peregerint, septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam semel singulis hujusmodi diebus lucrari possint et valeant. Iis vero christifidelibus, qui integrum triduum seu novendiale persolverint indulgentiam plenariam tam post triduum quam post novendiale acquirendum, dummodo ea die vere poenitentes confessi ac s. communione refecti aliquam publicam Ecclesiam visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, benigne concessit. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione, cum facultate quoque eadem ludulgentias animabus in purgatorio detentis applicandi.

Datum Romae ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum. Die 8. Augusti 1847.

(Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. pag. 46.)

3) Missa votiva.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti

filii Officiales et confratres confraternitatis sub titulo redemptionis captivorum ss. Trinitatis in ecclesia parochiali sanctae Mariae ad Nives civitatis Hispalensis canonice ut asseritur erectae, quod cum ipsi quotannis festum SS. Trinitatis cum praecedenti novendiali celebrare soleant, cupiunt propterea ad devotionis et cultus augmendum, ut tam in omnibus diebus novendialis hujusmodi, quam in singulis primis dominicis cujuslibet mensis missam ejusdem SS. Trinitatis cum Gloria et Credo celebrari facere possint, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac, ut infra, indulgere benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia Congregationis Nostrorum S. R. C. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum secretarii modernis et pro tempore existentibus officialibus et Confratribus confraternitatis praedictae, ut in posterum ipsi tam in omnibus diebus dicti novendialis praecedentibus festum SS. Trinitatis quam in singulis primis dominicis cujuslibet mensis exceptis tamen dominicis primae et secundae classis missam ejusdem SS. Trinitatis cum Gloria et Credo in praedicta ecclesia celebrari facere libere ac licite possint et valeant, licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 14. Decbr. 1784.

(Bull. r. Contin. VII. p. 352. Ed. Rom. 1843.)

4) Occurrentia.

Cadente Dedicationis festo in dominica SS. Trinitatis, vd. *Dedicatio* (Off. et transl.) De 6. et 7. die octavae SS. Trinitatis. vd. Octava SS. Trinitatis.

5) Reverentia ad ejus nominat.

Vd.: *Reverent. ad nominat. SS. Trinit.*

6) Titularis.

Diebus 6ta et 7ma infra octavam festi SS. Trinitatis, ubi est Titularis, faciendum est officium de die 2. et 3. infra octavam corp. Chr. cum comm. SS. Trinitatis. S. R. C. 8. Junii 1709. *In Bracharen.*

7) Vesperae.

Vd.: *Vesp. integ.* (decr. n. 3706.)

Occurrente Officio dupl. min. cum vesp. 2. diei octavae SS. Trinit. de seq. dupl. min. commemor. tantum esse peragendam. n. 6348 ad 2 die 18. Debr. 1694.

Ad dubium: an in 2. vesperis Dominicae SS. Trinitatis concurrentibus cum festo 1. vel 2. cl. fieri debet commemoratio de dominica? S. C. resp.: *Negative.* n. 4604 ad 1 die 27. Mart. 1834.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Anno proxime praeterito 1823 *Festum est Philippi Nerii pro Urbe* elevatum ad ritum secundae classis; incidit in Feriam II. post Dominicam Trinitatis, quae prima est post Pentecosten; orta hinc quaestio: num in secundis Vesperis praefati Festi SSmae Trinitatis, praeter illam de sequenti, hoc est *de s. Philippo*, fieri etiam debeat commemoratio Dominicae? Distractae fuere sententiae, ideo in Calendario Patriarchalis Lateranensis et in altero Romano addita fuit: in Vaticano ac Liberiano omissa. Ubinam bene? Id quaerendum.

Ut hujusmodi enodetur quaestio,

statuendum est, quam in classem ponenda sit Dominica prima post Pentecosten simpliciter considerata, ac si adnexum non haberet Festum SSmae Trinitatis. Scriptores de rebus liturgicis hanc praetereunt controversiam; et vix unus est *Gavantus,* qui in nihilo differre docet hanc Dominicam seorsim ab adnexa Festivitate consideratam ab iis, quae sequuntur usque ad Adventum: *Haec Dominica*, inquit, *prima post Pentecosten*, *ut sic* (videlicet ut Dominica) *est ejusdem rationis cum Dominicis sequentibus, non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicarum primae classis, quae nunquam omittuntur*, *nempe Dominica Trinitatis*, *ut patet*, *quia de illis fit totum Officium*, *de hac vero commemoratio tantum*, *et ipsa commemoratio omittitur in iis Vesperis, si Feria II. celebretur Officium, secundae classis vel primae:* et occurrens objecto, quod forte alicui magni ponderis videri poterat, ex eo deducto quod hujusmodi Dominica notatur in Tabella Breviariis praemissa inter Dominicas, quae numquam omittuntur; ita prosequitur: *Neque miseris*, *quod Festum Trinitatis nunc dicatur Festum*, *nunc Dominica*; *nam utrumque verum est*, *et ratione Dominicae*, *in qua semper occurrit*, *habet hoc, quod numquam omittitur Officium de Trinitate*, *licet eo die occurrat alicubi primae classis Festum; ratione vero Festi habet ea tantum*, *quae sunt propria Festorum secundae classis*: ad Rubricas Breviarii *sect. 7. cap. 19. num.* 2.

Igitur juxta Gavantum Dominica prima post Pentecosten in ratione Dominicae minime differt ab aliis post Pentecosten et post Epiphaniam. Et hoc bene est; nam haec Dominica aliam habere nequit qualitatem praeter illam, quae communis est supraindicatis, neque ullo pacto confundi debet cum aliis, quae qualitatem habent primae vel secundae classis, quoad privilegium exclusivum, licet ritus sint semidup. Non titulus, non ratio occurrit, ob quam privilegiatis queat adnumerari. Praecedens Sabbathum dat complementum celebrationi Officiorum de divinis Mysteriis relate ad Passionem et Resurrectionem Christi Domini et Adventus Spiritus Paracliti; ideo eo in Sabbatho celebrata Missa finem habet tempus paschale. Igitur Dominica, quae immediate sequitur, neque est neque haberi potest, ut Octava Pentecosten; nam si talis esset reputanda, comparanda quodammodo foret Dominicae in Albis, quae gaudet ritu duplici; contra vero haec Dominica, quae immediate sequitur, jam absoluta Pentecosten hebdomada, non habet nisi ritum semiduplicem. Et revera Missa, quae legenda esset in hac Dominica, nisi Officium occurreret SSmae Trinitatis, nullam habet relationem ad Octavam Pentecostes et ideo non omittitur in Missarum Codice, quia legebatur, priusquam festum SSmae Trinitatis ad universam Ecclesiam praeceptive extenderetur. Quod vero sit rit. semidup., patet, quia habet secundam Orationem *A Cunctis,* tertiam *ad libitum:* contra vero si haberet qualitatem Octavae Pentecosten, haberet etiam ritum duplicem et unicam Orationem, ut illa est Dominicae in Albis.

Neque objicias, Dominicas Adventus et Qudragesimae qualitatem habere dup. 1. vel 2. class. quoad privilegium exclusivum, et nihilominus non esse nisi rit. semidup., veluti illa est, quae primum post Pentecosten occurrit: nam ex hoc non consequitur hanc eodem privilegio gaudere. Hoc illae decorantur, quia ex ecclesiae institutione peculiaria includunt Mysteria et populum christianum spirituali quodam apparatu disponunt ad celebrandas so-

lemniores Festivitates, in quibus memoria recolitur Nativitatis, Manifestationis, Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. J. C. Quae vero sequuntur Dominicae post Epiphaniam et Pentecosten, nihil habent, quod non omnibus et singulis aeque conveniat; neque ulla est, quae aliqua distinguatur praerogativa. Ad harum classem referenda certe est prima post Pentecosten; ideoque, si privilegio gaudet quodlibet excludendi Officium cujuscumque ritus, eo gaudet non ratione Dominicae sed ob adnexam Festivitatem SSmae Trinitatis, quae licet sit 2. class. numquam omittitur, etiamsi occurrat Festum primae classis, quod Rubrica transferendum jubet. Uniuntur quidem Festum Trinitatis et Dominica prima post Pentecosten, sed non confunduntur: unicuique tribuendum est, quod illi convenit: Festum Trinitatis privilegio donatur eliminandi quocumque duplex; Dominica vero ut Dominica, cum sit ritus semidup., id dumtaxat habet, quod exigit qualilitas ritus.

Quod si aliquis velit hanc Dominicam ratione sui et separatim ab adnexo Festo SSmae Trinitatis illis revera anumerandam, quae numquam omittuntur,onus in se suscipit aliquam promendi ex iis rationibus, quae ab intrinseco dicuntur. Equidem ego diu cogitationes intendi, ut hanc adinvenirem, irrito tamen conatu. Si quae excogitari possunt, extraneae sunt et ad id conficiendum, quod probandum est, nullatenus prosunt. Nemo est, qui neget hanc dominicam legi in Tabella illarum, quae nunquam omittantur. Quid tamen inde? Non ut Dominica illis adnumeratur, verum notatur ratione adnexae Festivitatis, quae licet sit secundae classis nihilominus primae qualitatem habet, idcirco non dicitur *Dominica prima post Pentecosten vel Dominica in Octava Pentecosten*, ut dicitur *prima Adventus prima Quadragesimae*, verum enunciatur *Dominica Trinitatis*. Dominicis, quae numquam omittuntur, adnumerantur *Pascha et Pentecosten*; at nemo est, qui sibi fingat Dominicam, ut Dominica eo privilegio gaudere, quod adnexum est solemnioribus illis Festivitatibus ex Ecclesiae instituto in Dominica perpetuo celebrandis. Ita etiam festiva solemnitas SSmae Trinitatis Dominicae perpetua affixa notatur in Tabella duplicium secundae classis, sed iterum notanda erat inter Dominicas, quae numquam omittuntur ratione privilegii exclusivi. Secus dicendum esset in eo stare privilegium SS. Trinitatis, quod ei cedit Dominica, quae nunquam omittitur. Id autem utpote contradictionem involvens absurdum est. Patet igitur privilegio decorari Festum, non Dominicam, eodem ferme modo, quo solemnitates Paschae et Pentecosten alia omnia respuunt Festa ratione sui, non relate ad Dominicas, in quibus perpetuo hujusmodi solemnitates sunt affixae.

Forte non deerit, qui existimet Dominicam primam post Pentecosten eodem frui privilegio, quo gaudet Dominica in Albis, quae est rit. dup. maj., et nihilominus Festo altioris ritus locum non cedit. Ast vehementer errat, qui in hac opinione versatur. Magnum quippe unam inter et alteram discrimen est. *Dominica in Albis*, quamquam de rigore non sit Octavae Paschae, quae desinit ad nonam Sabbathi praecedentis, habet nihilominus qualitatem Octavae singulari privilegio ditatae, quo ab aliis omnibus distinguitur, ideo in Rubrica legitur: *Dominica in Albis in Octava Paschae;* Breviarum Mozarabum et Orationale Gothicum habet: *Dominica in octava Paschae;* ita etiam in Sacramentario Gelasiano apud B. *Thomasium*, et Gregoriano apud *Menar-*

dum. Non quaeram modo, curnam in *Albis* dicatur: num, quia nuper baptizati albas deposuerant in praecedenti Sabbatho, unde in Missali Ambrosiano appellabatur *in albis depositis*, et in antiquo Ordine Romano: *Dominica post albas*, an potius quia, *depositis vestibus albis susceptis in Baptismo alias vestes similiter albas recipiebant in Confirmatione in hacDominica, in qua hoc alterum sacramentum* (scilicet Confirmationis) *ipsis ab Episcopo conferebatur*, prout latius videri potest apud Tetamum *Diar. ecclesiastic. et civil. part. 3. lib. 5. cap. 1 art. 1. sect. 2.* Attendenda potius est qualitas Missae ejusdem diei propriae: Deo in hac reddimus gratiarum actiones tum pro noviter sacro lavacro regeneratis tum pro paschalibus festis peractis. *Introitus* quippe et *Epistola* ad collatum Neophitis Baptismum relationem habent, *reliqua* ad Resurrectionem. Hisce de causis haec Dominica semper in Ecclesia solemnissima fuit, utpote quae sublimia includit Mysteria. Hinc etiam apud Graecos *Dominica nova seu novella* fuit appellata, quia, ut vult Raynaldus *tom. 10. tract. de Agno cereo cap. 7. num. 6., erat addicta recolendae novae generationi, et novitati vitae per Baptismum receptae.* Praetereo alia multa, ne nimius videar diuque immorer in re satis omnibus clara.

Enimvero Dominica prima post Pentecosten nihil prorsus habet, unde aequari possit Dominicae in Albis; imo si adnexam non haberet Festum Trinitatis et de ea fieri deberet, nullatenus differret a Dominicis, quae sequuntur. Nam, ut legitur in Ordine Romano XIII. sive Caeremoniale edito jussu Gregorii X. num. 27. apud Mabillon. *Mus. Italic. tom. 2 pag. 241: In Dominica prima post Festum Pentecosten, quae caret Octava, die Sabbatho in Vigilia ipsius Dominicae usque ad Dominicam primam de Adventu Domini fit Officium de die et nocte, ut continetur in Ordinario, et utitur Ecclesia colore viridi.* Et quamquam assentiri nolim Grancolasio de Breviario Romano *lib. 2. cap. 81.* et Cavalerio *tom. 2. cap. 17. num. 6.*, qui volunt ideo hanc Dominicam assignatam fuisse festo Sanctissimae Trinitatis, quia, absoluta jam in Sabbatho Octava Pentecosten, non habebat Officium proprium, et vacantibus adnumerabatur; quippe vacans non est, si dat initium Dominicis post Pentecosten, et quae proxime succedit, in ordine secunda est. Certum tamen est, quod in Cappella pontificia Missa Trinitatis unicam Orationem habebat, quin de Dominica fieret Commemoratio. Ita in Caeremoniali S. R. C. *lib. 2. tom. 2. cap. 13: In vigilia SSmae Trinitatis fiunt Vesperae* etc. *In die fit Missa solemnis* etc.; *dicitur tantum una Oratio:* ad quem Caeremonialis locum notat Catalanus: *Hic est ritus, cujus passim meminit Burchardus in suo MS. Diario, ubi etiam refert, quod, cum finita Missa, Cardinalis S. Marci ei dixisset, quod de Dominica debuit fieri commemoratio in Vesperis et in Missa, se eidem respondisse: illam de expresse mandato D. N. Papae* (nempe Innocentii VIII.) *fuisse omissam.* Idipsum confirmatur *ex Rubrica 27. Codicis Vaticani 4737.*, quae jubet: *Item in Festo Trinitatis, quae est in Octavis Pentecosten, utitur paramentis albis . . . . . nec in Missa dicti Festi fit commemoratio de Dominica, quamvis in Matutinis et Vesperis de ipsa Dominica fit commemoratio*, apud Gatticum *acta selecta caeremonialia tom. 1. pag. 45. columm. 2.*

Verumtamen, etsi alia deessent argumenta, illud unum sufficeret ad finem quaestioni imponendum, quod haec Dominica nec decoratur Statione,

qua gaudent omnes aliae Dominicae, quae, ob privilegium exclusivum, etsi ritu gaudeant semiduplici, Festa tamen occurrentia ritus primae vel secundae classis non admittunt; quod expresse notatum video a Panvinio *de Basilic. Lateranen. lic. 2. cap. 8 ex MS. asservato in Archivio ejusdem Basilicae: ast stationes S. Gregorius PP. limitavit . . . statuens, videlicet quatuor Dominicis Adventus etc., a vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SSmae Trinitatis EXCLUSIVE.* Ex his jure concludam: si revera Dominica prima post Pentecosten Dominicis adnumeranda esset, quae privilegio exclusive gaudent, nec color viridis adhibendus foret (quatenus de ea fieri deberet Officium), sed potius rubens, ut albus adhibetur in Dominica in Albis; neque omittenda ejusdem commemoratio in solemni Missa de Trinitate, quae cantatur in Sacello pontificio; neque careret Statione, qua nulla ex Dominicis privilegiatis fraudatur. Haec tene et dic modo, Dominicam hanc, ratione Dominicae et non adnexae festivitatis, illis adnumerandam, quae nunquam omittuntur.

Quae cum ita sint, plane consequitur nihil fieri debere et omnino corruere, quae in contrarium afferri, imo potius obtrudi et fingi possent argumenta? Et revera omni prorsus fundamento caret opinio seu simplex suppositio, quod haec Dominica qualitate primae classis gauderet, priusquam Joannes XXII. in eadem assignaret *Festum SS. Trinitatis.* Fallax esse hujusmodi argumentum plane evincit ritus Missae (quae adhuc in Missarum Codice habetur, ne ejusdem oblitteretur memoria). Cum enim praeter Orationem propriam habeat secundam *a Cunctis*, tertiam *ad libitum*, ritus *semidup.* fuisse et esse certo consequitur. Quod si in eadem ratione habita fuisset ac illa est, quam in *albis* dicimus, eundem obtinuisset ritum *dup. maj.* cum privilegio exclusivo. Contra vero jam demonstravimus aevo *Beati Gregorii X.*, qui per dimidium fere saeculum praecessit Joannem XXII., a quo Festum Trinitatis additum fuit, eamdem Dominicam nulla speciali praerogativa fuisse decoratam, et ab Ecclesia adhibitum *colorem viridem*, qui proprie convenit *Dominicis semiduplicibus* post Epiphaniam et Pentecosten. Jure igitur postulo, ut qui privilegiatam volunt Dominicam primam post Pentecosten, ita ut frui commemoratione debeat in secundis Vesperis concurrentibus cum Festo *dup. 2. class.*, proferant unam ex Dominicis, in quibus color viridis adhibetur, quae ritus *semidupl.* non sit et aliqua praerogativa fruatur.

Neque alterum juvat, quod petitur ex pervetusta consuetudine Basilicae Lateranensis adnotandi in Directorio Officii: *Dominica prima post Pentecosten dupl. 1. class.: Festum SSmae Trinitatis dup. 2. class.* Errorem, in quo primus Directorii extensor inconsiderate lapsus est, oscitanter nimis sequuti sunt caeteri, qui ei in munere successerunt. Arbitraria enim est inversio Rubricae. Nam notanda erat non*: Dominica prima post Pentecosten*, verum: *Dominica Trinitatis*, ut in tabella legitur, quae licet ratione Festi sit secundae classis, induit tamen qualitatem primae: et quoniam Dominicae affixa est, bene stat, quod Dominicis adnumeretur, quae numquam omittuntur. Nam si primae classis esset quoad privilegium exclusivum Dominica, in ratione Dominicae duo sequerentur absurda, videlicet, vel quod Dominica, quae numquam omittitur, omittenda esset, vel quod privilegio exclusivo potiretur Dominica, et Festum Trinitatis eo gauderet non ratione Festi, sed ratione Domi-

nicae: quae certe contradictionem involvunt nulloque pacto componi queunt. Omnia conciliantur, si ad Festum Trinitatis referatur illud: *Dominica Trinitatis*, itaut sensus sit: *Festum Trinitatis, quod adnexum est Dominicae primae post Pentecosten, licet sit rit. 2. class. ad instar Dominicarum, quae numquam omittuntur.*

Quae autem hucusque dicta sunt plane evincunt praefatam Dominicam ratione sui privilegiatis non adnumerari omnique fundamento destitui, quae in contrarium afferri aut fingi possent: nam revera haec Dominica gaudet ritu dumtaxat semiduplici minimeque differt ab aliis, quae sequuntur; et privilegio exclusive Officii cujuscumque ritus decoratur Festum SSmae Trinitatis, non Dominica: quam ob rem recta descendit responsio ad propositum dubium: *Negative, et Commemorationem Dominicae esse omittendam*, veluti Sac. Congregatio sua auctoritate definivit, ut Calendaristae in simili concursu sciant, quid in Directorio Officii notare debeant.

TRIREGNUM.

Vd.: *Tumulus.* (Quid etc.)

TRISAGIUM.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV. §. 27. 28. etc. t. III. part. I. p. 229).

Trisagium, quo tres personae divinae laudantur his verbis „*Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et Immortalis, miserere nostri;*“ e coelo adductum est, cum puer e terra elevatus Constantinopoli, et in coelum raptus per unam horam descendit postea illud recitans.

Cum enim Orbis pene universus ita horribili et longo terraemotu quateretur, ut anno 446. in sola Constantinopolitana Urbe subversa fuerint omnia magnificentiora aedificia, et quingentae septem turres, ut ex Marcellino refert *Berninus* tom. 1. Histor. omnium Haeresum cap. 6. de gestis tempore Felicis III. quae scribit *Nicephorus* lib. 14. cap. 46. nempe: „Theodosius imperabat; et Terraemotus magnus et admirandus extitit, qui priores magnitudine, celeritate et temporis diuturnitate facile superavit et non ex intervallo sed motu continuo omnia concussit, idque per Orbem fere universum.“ Hac de causa, ne vivi sepelirentur, antequam interirent, Imperator Theodosius cum suis Magnatibus, Proclus Episcopus cum suo Clero civesque omnes extra Urbem se receperunt et brachiis extensis ad Coelum versus, ut scribit Nicephorus, loco cit. „obtestabantur Deum, ut propitius eis esset, et ab imminente calamitate Orbem liberaret? Tuncque Infantulus, toto populo spectante, in Coelum per unam horam raptus est indeque reversus nuntiavit Episcopo ac Imperatori aliisque inibi existentibus, audisse Angelos ante Thronum Dei hoc divinum canentes Trisagium: „Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus et Immortalis miserere nostri“, sibique mandatum fuisse, ut eam laudationem populo indicaret. Quae ubi Proclus intellexit, subjungit Nicephorus loc. cit. „statim ad eum modum psallere jussit et terraemotus statim etiam constitit omninoque quievit;“ et ut scribit Felix III. Summus Pontifex Epist. 3. Quam laudationem ubi populi incoeperant, civitatem receperunt Deoque per hujusmodi propitio facto et ab imminenti ira sunt liberati, et exinde, ut prosequitur loc. cit. Nicephorus, „Imperator Theodosius et Pulcheria tanto miraculo perculsi Constitutione imperiali confestim, ut per Orbem omnem Hymnus divinus iste concineretur, decreverunt; et eo tempore Ecclesia Christi eum accep-

tum non quolibet tantum die usurpat, sed etiam cujuslibet carminis et laudis Dei initio ante omnia pleno ore praetermittit.

S. TROFIMENA.

Minorien.

Cum ad praesens multa sint aequivoca super denominatione s. Trofimenae, cujus festum cadit die 5. Julii, ex eo quia aliquando reperitur vocata Trifina, Trifomena et Trofomena, ideo Episcopus et populus civitatis Minoriensis S. Rituum Congreg. supplicaverunt, ut inposterum eadem Sancta, quae est protectrix et titularis Ecclesiae cathedralis dictae civitatis, cujus corpus asservatur in dicta Ecclesia, ad tollenda praedicta aequivoca, apponatur in martyrologio romano ac in eorum calendario sub nomine s. Trofimenae. Et eadem S. Congregatio ad petita benigne annuit atque concessit. Die 21. Januarii 1673.

Anal. J. P. 1865 p. 1179 n. 1964.

TU AUTEM DOMINE, MISERERE etc.

Finita lectione Canonicus inclinans se profunde versus altare dicit: *Tu autem Domine etc.*, et facta reverentia Episcopo revertitur ad locum suum absque osculo manus Episcopi *Caer. Ep.* l. II. c. 5. n. 6.

Lector cum dicit: *Tu autem etc.* in fine lectionis genuflectit, *si non est Canonicus*. Caer. Ep. l. II. cap. VI. num. 14.

TUMULUS.

1) Pannum nigrum.

Feretrum, quum in eo corpus includitur, et castrum doloris, absente corpore, panno nigro cooperiri debent: quaeritur: utrum feretrum, si in eo reconditur corpus puellae innuptae panno ex lana alba contexto cooperire liceat in signum virginitatis et etiam pro castro doloris in die III., VII., XXX. et anniversaria ipsius puellae innuptae?

S. eadem C. respondendum censuit: „Negative in utroque casu.“

Atque ita rescripsit. N. 5221 ad 13. Die 21. Julii 1855.

Vd.: *Sepultura* (SS. Papae; Cardinal.)

2) Remotio.

In quibusdam anniversariis, die ex. gr. 4. Novembris et quum non sunt anniversaria nec celebrari potest missa de requiem (eo quod non adsit obligatio applicandi missam conventualem in diebus ferialibus) canunt nocturnum, deinde absolutio circa tumulum peragitur; et postea missam conventualem canunt de festo, quod occurrit, applicando illam pro defunctis, cum tumulo ante aram et cereis accensis.

S. C. resp.: Posse, dummodo removeatur tumulus tempore missae ac finita circa illum absolutione.

(Anal. J. P. 1855 p. 733 I.)

Vd.: *Absolut. mortuor.* (non licita decr. num. 5166.)

3) Quid in eo supponatur?

In quadam Cathedrali singulis annis celebratur anniversarium pro anima ... ss. Pontificis, in quo ad tumulum exponuntur insignia rubri coloris auro intexta, sicut triregnum, casula, stola etc.; utrum haec insignia rubri coloris apponi possint?

S. C. resp.: Quoad insignia coloris rubri negative et in casu super tumulum apponi posse triregnum simplex. n. 4536 ad 13 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.

Novum illud est, quod quaeritur: quis enim est, qui nesciat communem esse Ecclesiarum morem supra castrum doloris in anniversariis vel nullum signum apponere vel illud dumtaxat, quod designet qualitatem personae, cujus funebris memoria fit? Ideo, etiamsi anniversaria celebrentur pro animabus Summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, satis est Triregnum, Mitram, Biretum rubrum aut nigrum, nigri aut violacei coloris stolam imponere ad distinguendum personae diversam dignitatem et characterem. Dum igitur anniversaria dies agitur alterius ex Summis Pontificibus, a more recedendum non est, neque apponendam casulam cum stola, quippe Triregnum satis superque est ad significandam supremam personae, pro cujus anima funebre officium peragitur, dignitatem. Quod si nec casula nec stola tumulo apponenda sit, frustra de colore disquirerem. Insignia hujusmodi rubri coloris ea in Cathedrali adhiberi solent, forte quia Pontifex, dum exequiis interest, rubro utitur Pluviali ejusdemque coloris casula defuncti cadaver induitur: sed haec consuetudo Pontificiae Capellae singularis et peculiaris est in aliquibus dumtaxat functionibus, quae tamen antiquis ritibus nequit adnumerari, sed postremis saeculis inducta est, veluti demonstrat Dominicus Giorgi in erudito opusculo: degli abiti sacri de Pontifice paonazzi, e negri: Num quid autem quod proprium et peculiare est Pontificiae Capellae, extendere licet ad Insignia castro doloris imponenda, dum alicujus Summi Pontificis anniversaria dies funebri pompa recolitur?

4) Coram exp. SSmo.

In Ecclesia Collegiata Augriae Dioecesis Nucerinae Paganorum celebratur funerale, cui additur expositio SSmi, coram quo ante suppedaneum altaris erigitur tumulus mortuorum accensis luminibus circumdatus. Durante interim expositione SSmi a Canonicis officium def. cantatur, pulsantur campanae ad moestitiam excitandam; absolutis laudibus, exposito pariter SSmo, canitur missa propria diei currentis in paramentis albis eaque absoluta Celebrans dat benedictionem cum SSmo.

S. C. resp.: Assertam consuetudinem tamquam rubricis et ritibus Ecclesiae contrariam sustineri non debere et Episcopus eandem omnino aboleri curet. Num. 4292 die 27. Mart. 1779.

TUNICELLA.

Vd.: *Dalmatica. De tunicella Subdiaconi ad „Exultet“* vd.: *Missale* (Correctio II. A. num. 3.)

TURNUS.

(Inter Canonicos et Dignitates.)

Vd.: *Canonici Cath.* (praeced.); *Canonici* (celebrantes); *Tabella.*

Recedendum a decisis sub die 20. Nov. 1677, ita ut turnus incipere debeat a Dignitatibus. N. 3856 ad 2 die 26. Aug. 1713.

Dignitates tenentur adimplere munus Turnarii occasione funerum. N. 4030 ad 5 die 12. Martii 1735.

Praepositus (Cathedr. Anagninae) tenetur per seipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro et canere missas per turnum cum caeteris Canonicis. Num. 4040 ad 10 die 21. Apr. 1736.

U.

S. UBALDUS EP. C.

1) Officium.

Eugubina.

Cum serenissimus Urbini dux et universa Canonicorum regularium Lateranensium Congregatio Sanctissimo D. N. Paulo Papae V., ob insignia miracula et celebrem in universo orbe sanctitatem beati Ubaldi Episcopi Eugubini, olim a Coelestino Papa tertio in Sanctorum numerum relati et ob speciales gratias a Deo meritis et intercessione sua susceptas supplicaverint ut festum dicti s. Ubaldi, quod celebratur die 16. Maii ponatur in Calendario romano et de eo in universo orbe a clericis saecularibus et regularibus, qui officium divinum recitare tenentur, fiat commemoratio tamquam de festo simplici, prout antiquitus fieri solebat, et idem Sanctissimus Dominus Noster negotium hoc ad Sacram Rituum Congregationem remiserit: eadem Sacra Congregatio censuit gratiam petitam posse concedi si Sanctitati Suae placuerit; et ita declaravit die 24. Septembris 1605.

Placuit autem Sanctitati Suae, ut ex literis in forma brevis desuper expeditis sub annulo piscatoris die 26. Octobris 1605 constat, quarum quidem literarum tenor est ut sequitur, videlicet:

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae Sanctorum veneratio et Christifidelium devotio augetur, cum praesertim pia virorum principum vota id exposcunt ac alias in Domino conspicimus salubriter expedire. Piis igitur ac devotis supplicationibus dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae Urbini ducis et dilectorum filiorum abbatis generalis et universae congregationis canonicorum regularium lateranensium ordinis s. Augustini nobis humiliter porrectis inclinati ac ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris Ritibus et caeremoniis deputatorum, ut Christifidelium veneratio erga sanctum Ubaldum olim Episcopum Eugubinum magis augeatur, quem ob insignia miracula, quae illius intercessione, ut pie creditur, omnipotens Deus operari dignatus est et in dies operari dignatur, maxime in liberandis obsessis, et ob celebrem in universo orbe illius vitae sanctitatem, fe. re. Coelestinus Papa III. praedecessor noster in Sanctorum numero retulit et erga quem dictus Franciscus Maria Dux ob speciales gratias a Deo ipsius sancti Ubaldi meritis et intercessione, ut similiter pie creditur, susceptas et eadem canonicorum regularium congregatio, cujus ordinis institutum et vivendi rationem ipse sanctus Ubaldus in canonica Portuensi apud Ravennam suscepit, singularem gerunt affectum, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut ipsius sancti Ubaldi pontificis et confessoris dies festus in Calendario romano ad diem decimum sextum mensis Maii adscribatur et de eodem sancto Ubaldo Pontifice et confessore in universo orbe a clericis saecularibus et regularibus quibuscumque, qui divinum officium recitare tenentur, eo die commemoratio tamquam de festo simplici fieri debeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die 26. Oct. 1605. Pontificatus Nostri anno primo. M. Vestrius Barbianus.

(Anal. J. P. 1863 p. 45 n. 165; Bull. r. t. III. p. 207 Ed. Luxbg.)

Eugubina.

Lectiones duas de vita s. Ubaldi Episcopi Eugubini cum oratione de communi unius Episcopi confessoris, cujus diem festum sub die 16. Maii in Calendario romano ex sententia S. Congregationis Rituum SS. D. N. Paulus Papa V. ponendum esse ordinavit et statuit, ut de eo, tanquam de pontifice et confessore in toto orbe a clericis saecularibus et regularibus, qui divinum officium recitare tenentur, commemoratio simplex fiat, ut latius ex literis ejusdem SS. D. N. sub annulo piscatoris expeditis constat, ab Illmo et Rmo D. Cardinali Baronio, de ordine ejusdem Sacrae Congregationis visas, lectas, correctas et subscriptas eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit et ut in breviario inserantur et imprimantur et a singulis clericis saecularibus et a regularibus, qui officium divinum recitare tenentur, recitentur in ejus festo die praedicta 16. Maii, decrevit et ordinavit. Die 17. Decembris 1605.

(Ibid. p. 50. n. 181.)

Vd.: *Calendarium Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842.)

Coelestinus PP. III.

Canonizantes s. Ubaldum (Episcopum Eugubinum) decrevimus, ut festum transitus ipsius sicut beatissimi Confessoris perpetuo habeatur et festum ejus XVII. Cal. Jun. (16. Maii) annis singulis celebretur. Datum Laterani 4. Martii 1192.

Urbis et Orbis.

Clemens PP. XI.

Exponens Episcopus Eugubinus diem natalem s. Ubaldi ep. plerumque infra octavam Asc. D. ac Pent. occurrere et propterea ejusdem officium sub die 18. Februarii 1696 sub ritu sem. ad lib. pro Ecclesia univ. concessum nunquam vel raro posse recitari S. R. C. supplicavit, quatenus *de praecepto* sub ritu semid. in posterum recitandum praescribere dignaretur. S. C. duxit: posse recitari, si SS. D. N. visum fuit. Et SS. benigne annuit. Die 10. Decembris 1701.

(Bull. r. t. VIII. p. 431.)

2) Oratio.

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.*: In festo s. Ubaldi 16. Maii dicenda est oratio: *Auxilium tuum Domine etc.* n. 4044 ad titul. de *Oration.* die 5. Maii 1736.

S. UDALRICUS.

In festo s. Udalrici erit missa: *Statuit* et Oratio: *Da quaesumus.* Num. 4044 (2do) ad 12 die 13. Julii 1736.

De ejus Canonisatione vd.: *Constitution. Joan. PP. XV. die 3. Februarii 993* in Bull. rom. tom. I. p. 23.

ULTIMUM EVANGELIUM.

1) Dominicae vel Feriae.

Vd.: *Evangel. ultimum.*

Cantabitur missa (vot.) de Spir. s. (in die inchoationis Concilii) per Archiep.; et si festum erit dupl. aut dominica, sine commemor. illorum et sine evangelio dominicae in fine.

Caer. Ep. l. I. c. XXXI. n. 13.

2) Joannis.

Neque in rubricis generalibus neque in ritu celebrandi missam neque in ordine missae, dum statuitur, ut in fine missae legatur evangelium sancti Joannis: *In principio erat verbum etc.*, ulla indicatio occurrit, qua scire possit sacerdos, in qua parte missalis evan-

gelium illud reperiatur et istiusmodi silentium commune est quibuscumque Missalis Romani editionibus, non exclusis archetypis Clementis VIII. et Urbani VIII. Quum autem peropportunum videri possit id aliquo modo in Ordine Missae indicari seu remittendo sacerdotem per simplicem citationem folii ad tertiam Missam Nativitatis Domini, ubi praedictum evangelium habetur, sive evangelium ipsum apponendo per extensum in fine Ordinis Missae, prout fieri solet in Canone Missae pontificalis; quaeritur: an et quomodo allegatio praedicti evangelii apponi possit in Missalibus proxime edendis?

S. C. R. resp.: Nihil innovetur.

Die 25. Sept. 1860.

UMBELLA.

1) Episcopi.

Vd.: *Episcopus assist. processioni; Episcopus Visitator; Praeses* (cap. IV.)

Nemini licere in processione sol. SS. Corp. Chr. uti umbracullo sive umbella. n. 3334 ad 1 die Julii 1604.

Episcopus suffrag. Veliternen. non potest per civitatem sibi deferri facere et elevare umbellum sericam viridis coloris. n. 3490 ad 7 die 6. Sept. 1698.

2) Gubernatoris.

Non licet Rectori seu Gubernatori laico civitatis Carpenctoralen. uti umbella in functionibus ecclesiasticis et processionibus praesente Episcopo. n. 3539 die 21. Novb. 1699.

3) SS. Reliquiarum.

Vd,: *Baldachinum*.

4) SS. Sacramenti.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 17. §. V. n. 1. 13. *Baldachinum.*

Ad dub.: An Processio cum SSmo omnino vel saltem intra Ecclesiam haberi possit, quin Baldachinus hastatus super Venerabili extendatur: et si negetur, quomodo ecclesiis pauperibus tali baldachino destitutis providendum sit et quid faciendum, si ob Ecclesiae angustiam et fidelium multitudinem baldachinus in processione intra ecclesiam facienda circumferri nequit?

S. C. resp.: Ubi baldachinus hastatus deest vel ob ecclesiae angustiam gestari nequit, adhibendam parvam umbellam.

Die 7. Maii 1857 dub. XI. 2. *Limburg.*

UNCTIO.

1) In Baptismo.

Vd.: *Baptismus* (oleum; in necessit.); *Bapt. Adulti.*

Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit eique s. chrisma et oleum, quod secum detulit, imposuit prout in Rit rom. Quaeritur: an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra ecclesiam? S. C. resp.: Juxta votum, nimirum: parochum male se gesisse baptizando cum stola violacea et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam oleo etiam Catechumenorum. In casu enim necessitatis juxta Ritualis praescriptum omnia sunt omittenda, quae baptismum praecedunt, quaeque post morbum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praestandus est puer, cum convalescit. Die 23. Sept. 1820.

2) In Baptismo Italo — Graecorum.

Vd.: *Rit. graec.* (Constit. Bened. XIV. *Etsi pastor.* §. II.; *Quo primum* §. 36.)

3) In Confirmatione.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV *Etsi pastor.* §. 3.)

4) Episcopi consecrandi.

Dum consecratur Episcopus inungitur chrismate in capite et manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum, textu expresso in cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione, ibi: „Cum venisset ad Apostolicam Sedem Bravarensis Episcopus, qui in consecratione sua sacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos (Graecos) non consueverint Pontifices, cum consecrantur, inungi, Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus et manus per Alban. Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem ecclesiasticum) sacro Chrismate deliniri."

Ungitur autem Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput et principem Ecclesiae suae; cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione, *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 1. tit. 1. c. 5. n. 10 Reges vero non in capite sed in humero unguntur, primo, ut proprius honor sit illius, quem Deus constituit excessum super omnes Reges terrae, et quem oleo laetitiae excellentius et augustius unxit praeconcortibus suis. Deinde, ut ostendatur quod primo ante omnes Reges et Principes persona capitis pontificali officio repraesentetur. Ungitur tamen et Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur a repraesentatione ejusdem capitis, nam et hujus Principatus, ut dicitur Isa. 9., factus fuit super humerum ejus, et ut sciat se esse ministrum ad portandam Crucem Jesu Christi ad laudem bonorum, vindictam autem malorum, *Apost. ad Roman.* 13. Sic ad literam Barbossa loc. cit. num. 11. ex cap.: *Cum venisset* 1. de sacra Unctione §. 2. *Ungitur Episcopus in manibus*: ut sciat dignitatem non propter otium sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi; cap.: *Cum venisset* 1. de sacra Unctione, *Barbosa* loc. cit. num. 12.

5) Extrema.

Vd.. Extrema unctio.

a) Administrator.

Vd.: *SS. Viaticum* (portand. Canonicis et Sacerdot., praecip. decr.: *Mediolan.*)

Non est necesse, quod extrema unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus; cap.: *Quaesivit 14 de verb. signific.* ibi: *Sacerdos uno praesente Clerico et etiam solus potest infirmum ungere. Est communis.* Immo extra necessitatem non est licitum, quod unctiones fiant a pluribus saltem apud nos latinos. *Communis.* Ecclesiae enim consuetudo et praxis declarat, ut unus minister omnes Unctiones adeoque totum Sacramentum perficiat excepto casu necessitatis, ut si infirmus videatur moriturus, antequam unus solus minister omnes Unctiones perficere possit, tunc plures ministri possunt ipsas unctiones perficere, ita ut unus unum sensum ungit proferendo formam ei correspondentem, et alter alterum ungat sensum prolata itidem forma ei correspondente, et sic de communi testatur Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Et fortasse s. Jacobus idcirco *Presbyteros* nominavit, ut significaret plures ad hujus Sacramenti ministrationem concurrere *posse*; *Layman* lib. 5. tract. 8. cap. 6. in fine. Sic etiam si, dum Sacerdos ungit, corripiatur repentino morbo et moriatur, alius Sacerdos potest et debet perficere unctiones tamen a primo factas non iterando: act. eccles. Mediolanen. tom. 1. part. 4. de Sacramento Extremae Unctionis vers.: *Si Aeger. Et communis.* Nunquam potest nec licite nec valide conferri hoc Sa-

cramentum a pluribus simul, ita ut unus sacerdos ungat et alter formam proferat. Ita de communi testatur *Nugnus* in addit. ad tertiam partem 9. 41. art. 3.

Per unum vel plures Presbyteros graecos administrari potest extrema unctio, ubi viget talis consuetudo; dummodo cedant et asserant illud Sacramentum, servata debita materia et forma ab uno Presbytero valide et licite confici, et dummodo idem, qui ungit, formam proferat Sacramenti nec alius ungat et alius formam pronunciat. Benedictus XIV. tom. 1. Const. 57. incip.: *Etsi Pastoralis* §. 6.

Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit; ita definiente Tridentino sess. 14. cap. 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde a pluribus saeculis in latinam Ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. Ibid. cap. 19. §. 5. Laudabile tamen fuerit, si dum res sacra peragitur, plures adsistant Sacerdotes vel saltem probi viri, ut oratio totius Ecclesiae ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet, quam verba sunt S. Th. c. 43. l. 4. contra Gentes; ib. §. 5.

Ministrare istud Sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque Parochi facultate contra statutum in Cathechismo Romano, peccant. Quinimmo Religiosi aegrotum ungentes, minime a Parocho petita venia, praeter gravis culpae reatum in excommunicationem incidunt Apostolicae Sedi reservatam in *Clement. 1. de Privileg.* excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis non auctoritatis abusum exercent. Haec dicta sunt de latinis Sacerdotibus, cum de Graecis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes vel saltem tres praesto sint, ibid. §. 8.

Minister validus hujus Sacramenti est solus et omnis Sacerdos. Quod sit solus Sacerdos, habetur ex *Epist. D. Jacobi cap. 5.*, ubi legitur, introducendos esse ad infirmum non Laicos, non quoslibet, sicut in Baptismo, sed Presbyteros, ibi: „Introducat Presbyteros et orent super eum; et habetur ex Concil. Florentin. in Decreto Armenorum, ibi: „Minister hujus Sacramenti nempe extremae unctionis est Sacerdos;“ et ex Concil. Trident. sess. 14. c. 3 de Extrema Unctione, ubi expresse dicitur: „Proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae Presbyteros; quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi aut Sacerdotes; et ibidem Canon. 4. anathematizat contrarium sentientes: „Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.“ Quod omnis Sacerdos possit valide hoc Sacramentum conferre, videtur evinci ex textu B. Jacobi cap. 5., ibi: Inducat Presbyteros, ubi infinite ponuntur Sacerdotes sine ulla prorsus exceptione, cum potestas illa competat Sacerdoti non ratione jurisdictionis, sed ratione ordinis, ut confirmat communis Ecclesiae sensus,

et per hoc Apostolus dicit: non Episcopum, non Parochum sed Presbyteros Ecclesiae, et ostendat potestatem illam cuilibet Sacerdoti competere. Unde validum est hoc Sacramentum etiamsi conferatur a Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente Parocho, quia sicut retinet potestatem ordinis ita et potestatem hujus Sacramenii valide ministrandi. Est communis teste Rosignol. de extrema Unctione q. 1. art. 2. n. 1. et 2.

Minister autem licitus hujus Sacramenti est solus Parochus aut alius Sacerdos de ejus vel Episcopi licentia. *Est communis ac certa.*

Unde nec Regulares possunt licite sine licentia Parochi vel Episcopi aut privilegio Summi Pontificis hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt excommunicationem Papae reservatam; Clement. I. de privileg. In casu tamen necessitatis, quo non extante Parocho infirmus jam ageret animam, tunc Regulares sine incursu illius censurae, immo et licite, sicuti et quicumque Sacerdotes saeculares, possunt extremam Unctionem ministrare ex praesumpto consensu Episcopi vel Summi Pontificis. *Valentia* tom. 4. disp. 8. g. q. 1. punct. 2., *Reginald.* lib. 18. n. 408. et lib. 28. num. 61., *Suarez* tom. 4. disp. 44. sect. 2. q. 3., *Navarr.* c. 17. nu. 101.; *Henriquez* in Summa lib. 3. cap. 33. n. 4.; *Ghetius* in Thesauro animae tom. 4. verb.: Unctio extrema n. 5. explicat. lit. S. Thomae., *Rosignol.* de extrema Unctione q. 2. art. 2. nu. 10 et alii passim. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi vel Parochi administrare extremam Unctionem nec etiam Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, Sac. Cong. Concil. in Monopolitana 27. Sept. 1670, ubi expresse censuit: „non licere Fratribus absque licentia Episcopi vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis, l. 26. Decr. fol. 444. Possunt autem Regulares sine ulla licentia ministrare extremam Unctionem famulis, domesticis et continuis commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus.

b) Graecorum.

Vd.: *Ritus Graec.* (Constit. Bened. XIV. *Etsi pastoral.* §. V.; constit. *Quo primum* §. 37 etc.)

c) Forma.

Unctionis extremae forma in Rituali Rom. expressa est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia: an hac ita necessaria sit, ut non aeque ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam instatutam fuisse. Constat tamen, aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Bened. XIV. Synod. dioeces. c. 18.

d) Habitus.

Vd.: *Visit. Olei infirm.*

e) Modus.

Vd.: *Ext. unct.* (admin.)

Ad dubium I.: Utrum in ℣℣. et ℟℟., qui in administratione extremae Unctionis post Unctiones factas dicuntur et in tribus orationibus, quae sequuntur, facienda sit variatio generis, quando recitantur pro muliere dicendo ℣.: Salvam fac ancillam tuam, et similiter de aliis, sicuti variatio generis indicatur a Rituali in ritu Benedictionis Apostolicae in articulo mortis et a Pontificali in Confirmatione unius?

II. Similiter quaeritur: an in Litaniis brevibus in Ordine commendationis animae, quando preces recitantur pro muliere, variandum sit genus, sicut placet Cavalieri tom. 3. c. XIX. dec. 2. n. XV, et etiam numerus quum recitantur pro pluribus; et an in orationibus et precibus ejusdem commendationis similiter fieri debeat variatio, ubi sensus eam exposcit?

S. C. resp. ad I.: Affirmative;

Ad II.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2199.)

Ad dub.: An dum ministratur Sacramentum extremae Unctionis possint Moniales dicere tantum primum ex septem psalmis poenitentialibus dum sacerdos unctiones peragit?

S. C. resp.: Posse urgente praesertim necessitate.

Die 7. Sept. 1850.

Correspond. de Rome 24. Sept. 1851 n. 64. p. 264.

f) Partes ungendae.

Vd.: *Extrema unctio* (unctio pedum etc.)

Partes ungendae aliae quidem necessariae sunt, ut Sacramentum fiat, aliae necessitate, uti vocant, praecepti: aliae vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio, hac enim in foeminis omittitur; illa vero ex gravi incommodo praeteriri potest. Caeterae quinque sensuum unctiones saltem ex praecepto adhibendae sunt; enim vero singulae ita sint necessariae, ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, aegri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen praeferendum.

Bened. XIV. Synod. Dioec. c. 18. Vd. *Rituale rom.*

g) Quibus administranda?

Vd.: *Parochus* (administ. Sacram.)

Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat, aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus; in re enim gravi non praestat id, ad quod tenetur ex justitia. *Communis.* Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare sive per se sive per alium extremam unctionem infirmo peste infecto etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere: tunc enim est extrema necessitas Parochiani forte constituti in mortali, quo per Sacramentum liberari potest, vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum daemoni et feliciter emigrandum. *Sic communiter Doctores cum Carden. in 1., Crisi disput. 77. cap. 3. num. 23.* Quinimmo Parochus tenetur etiam cum periculo contagii ministrare sive per se sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiam si receperit Sacramentum poenitentiae sed non Eucharistiae, quia licet in tali casu non esset in extrema necessitate, esset tamen in gravi, in quae etiam tenetur subdito subvenire Parochus. Potuit enim Poenitentia ex parte dispositionis Poenitentis fuisse defectuosa, quae per hoc Sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam; sic., ut certa traditur *a Card. loco* cit. n. 24. et *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 2112.

Unguntur fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors

proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est eis, quibus certum non adest vitae periculum, puta mare transgressuris, praelium inituris, ultimo supplicio afficiendis cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum vel nullum sit vel illicitum. Neque urget Graecorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt et prohibendi, sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum sit, loco satisfactionis per Confessarios imponendae poenitenti inungunt. *Bened. XIV. de Synodo Dioeces. cap. 12. per tot.*

Providendum est tamen a parocho, ne in hoc Sacramento administrando supremum vitae articulum exspectet, sed maturius id agat, cum aeger nondum sensibus destitutus precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc Sacramentum, quamquam non est de praecepto, petentibus deneget; id enim si vel ille negaret vel non offeret, gravem culpam committeret.

Quin nec desunt plures, qui opinantur, aegrotum negantem recipere sacram Unctionem reum habere lethalis culpae, cum ex contemptu Sacramenti id renuere merito censeri possit. *Ibid. c. 22.*

Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiae doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, aetas illa firmior exspectanda non est, qua Sacramenti Poenitentiae capaces censentur. Pueris neganda est etiam perpetuo amentibus et furiosis, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tumque inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *Ibid. cap. 21.*

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere Sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc Sacramento juvari oportet, si praesertim sensibus destituti aliorum Sacramentorum remedio juvare se non possint. *Ibid. c. 21. per tot.*

Eodem morbo et periculo perseverante repetere Sacramentum istud non licet. Si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat et novum mortis periculum urgeat, iterum unctio peragenda est, *ibidem;* in dubio tamen num morbi status sit mutatus seu num idem perseveret, expedit ut Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *Ibid.*

An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus? Ex doctrina Suarezii tunc tenetur, quatenus valet absque morali vitae periculo.

An valeat Sacramentum, si instrumento nempe penicillo inungatu- corpus aegroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen ritum talem in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum; *ibid.* c. 19. §. 17. nov. edit.

6) Regis.

Vd.: *Unctio Episcopi consecr.*

S. URSULA.

(Officium.)

Vd.: *Lectiones non approb.* (decr. n. 3019).

Conventus PP. Carmelitar. excalceator. Wilnen. in Lithuania refert: Cum de concessione Officii s. Ursulae et sociarum vv. non constet de sede apost. et tamen omnes Dioeceses de

illa babeant Officium dupl. 21. Octob., quaeritur: an licite possint omnes de illa habere Officium? S. R. C. resp.: Officia particularibus locis concessa, quamvis SSrum in martyrologio rom. expressorum, sede ap. inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc, cum sermo sit de Officio s. Ursulae etc. approbato ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite ac valide recitari possit in iis locis, in quibus s. Ursulae etc. festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto. n. 4110 ad 5. die 22. Apr. 1741. Ubi habentur insignes reliquiae plurimum ss. VV. et MM. a societate s. Ursulae fieri debet Officium dupl. de ss. Ursula et Sociis cum *sola* commemor. s. Hilarionis, ut fit Romae in patriarchali Ecclesia s. Mariae M., ubi asservatur caput unius ex sociis s. Ursulae. Et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis Ecclesiis, in quibus festum ss. Ursulae et Soc. aliunde esset dupl. vel semid. n. 4198 ad 5 die 11. Jan. 1749.

USUS.

1) Anuli, bugiae, mitrae Canonicor.

Vd.: *Usus Pontifical.; Mitra.*

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Amalphitanae.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis solvunt, ut externa decora adepti magis illi magisque conentur internis virtutibus enitere, utque ad sacra ministeria accurate implenda iis apostolicae beneficentiae calcar addatur.

§. 2. Hinc quum dilecti filii dignitates et canonici metropolitanae ecclesiae Amalphitanae divo apostolo Andreae sacrae suppliciter a Nobis petierint, ut mitrae et anuli decoramento eos omnes ditemus, quum jam duae primae ejusdem capituli dignitates mitram ex apostolica concessione, ut asseritur, in praesentiarum gestent, aliique cappa et rocchetto utantur; quumque venerabilis frater archiepiscopus Amalphitanus suo apud Nos scripto testetur, Amalphitanam civitatem antiquitatis splendore, civium virtute et doctrina ac praecipua in hanc sanctam Sedem fide et devotione merito celebrari praedictamque metropolitanam ecclesiam eleganti opere esse constructam, sacris suppellectilibus ac redditibus satis superque instructam ac insignibus sanctorum reliquiis ditatam; quinque vero dignitates, duodecim canonicos, octo hebdomadarios de numero appellatos totidemque supranumerarios aliosque haud exiguo numero presbyteros et clericos sacras in dicta ecclesia caeremonias decentissime obire, haud gravate inducimur, ut eorum precibus obsecundemus.

§. 3. Qua propter eosdem oratores peculiari beneficentia et honore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati dignitatibus et canonicis metropolitanae praedictae Amalphitanae tam praesentibus quam futuris facultatem gestandi mitram ex tela et anulum cum unica gemma in solemnioribus tantum anni functionibus, servata in reliquis forma et dispositione aposto-

licarum constitutionum et decretorum congregationis sacrorum Rituum, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 3. Aprilis 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 51. Ed. Romae.)

Concessus usus mitrae albae pro dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis Liparensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, peculiaria insignia deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque decorationes excitati internarum virtutum splendore lucere conentur in domo domini.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni quatuor dignitates et quatuordecim canonici cathedralis ecclesiae Liparensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude vetustissimorum praesulum sanctitate nunc ibi Altissimo famulantium sacerdotum probitate et doctrina ita floreat, ut una ex praestantioribus finitimarum regionum ecclesiis habeatur, multum splendoris ad eam accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem cathedralis dignitates et canonici nova aliqua insigniori decoratione ornentur.

3. 3. Nos praemissis causis adducti eosdem dignitates et canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis praememoratae cathedralis Ecclesiae Liparensis, ut ipsi in civitate et dioecesi Liparensi in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu publicis supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra indumenta adhiberi oporteat, mitra alba uti libere ac licite possint et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus eisdemque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur ipsosque super praemissis a quoquam perturbari aut impediri nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos et dictae sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Julii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 112. *Ed. Romae.*)

Confirmatio resolutionis captae a S. Congregatione Rituum super concessione anuli et palmaris pro Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae cathedralis Lucanae.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Canonici Lucanae Cathedralis Ecclesiae a remotis hinc saeculis tam multis tamque honorificis dignitatis significationibus ab apostolica hac Sede sunt honestati, nihil ut illustrare eorum conditionem possit et in illam cadere, quod non praedecessores Nostri in illos liberaliter effuseque contulerint. Jam vero inter privilegia ac decora, quae illi sibi pontificiis diplomatibus tributa esse putarunt, ea quoque fuere, ut sibi fas esse censuerint anulum gestare et in privata sacrosancti sacrificii celebratione candelabrum illud adhibere manubrio instructum, cui palmatoriae nomen imponitur. Sane utriusque usus apud ipsos vigere fertur ab eo tempore, quod hominum memoriam excedat.

Verumtamen quia, excuso canonicorum vetustissimo tabulario, nihil eruere documenti contigit, quo privilegia illa fulciantur, idcirco nonnulli ex dilectis filiis dignitatibus et canonicis cathedralis Ecclesiae animo angi coeperunt anulique et palmatoriae usum sibi impermissum putare. Ea propter suppliciter a Nobis postulatum est, ut saltem ratione habita diuturnae consuetudinis temporisque memoriam omnem excedentis, ex quo mos utendi anulo ac palmatoria apud ipsos inolevit, utriusque usum apostolica ipsis benignitate tribuamus.

§. 2. Nos vero petitionem ejusmodi diligenti examine accuratoque judicio perpendendam dedimus congregationi venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium ecclesiasticis ritibus propositorum ac die XVII. praeteriti mensis Februarii, referente dilecto filio magistro J. A. Sola, ejusdem Congregationis secretario coadjutore, editum est decretum in haec verba: Sanctitas Sua, me infrascripto sacrorum Rituum Congregationis secretario referente, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus habitaque ratione expositorum necnon Rmi Archiepiscopi Lucani votis benigne inclinata, derogando in hac parte, quatenus opus fuerit, novissimae constitutioni san. mem. Pii VII. praedecessoris sui: *Decet Romanos Pontifices*, ex speciali gratia nullo unquam tempore in exemplum afferenda dignitatibus et canonicis praefatis indulsit, ut inposterum intra limites Lucanae dioecesis uti valeant anulo et palmatoria in missarum celebratione, ita tamen ut anulus ex unica constet gemma auro alligata et in altaris sacrificio unicus dumtaxat adsit clericus superpelliceo indutus, qui eisdem ministret. In reliquis se omnino conforment laudatae constitutioni datae IV. Nonas Jul. 1823, necnon decretis sacrorum Rituum Congregationis: nuper autem demissis precibus petitum a Nobis est, ut per Nostras apostolicas literas piscatoris anulo obsignandas ei rescripto robur confirmationis addamus.

§. 3. Nos vero dilectos filios dignitates et canonicos Lucanae Cathedralis peculiari prosequi beneficentia volentes decretum a Nobis editum die XVII. mox elapsi Februarii, quo anuli et palmatoriae usus conceditur oratoribus, confirmamus et approbamus adjectasque concessioni Nostrae conditiones accurate servari praecipimus.

§. 4. Decernentes insuper has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et memoratis dignitatibus et canonicis eorumque successoribus quoad ea, de quibus habita est mentio, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et dele-

gatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum et Pii VII. praedecessoris pariter Nostri constitutione: *Decet romanos Pontifices*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 20. Martii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 31. Ed. Romae.)

Clemens PP. XIII.

Alias felicis recordationis Benedictus XIII. Praedcessor Noster Capitulo et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae *Urbinatensis*, ut ipsi tam in civitate quam in dioecesi Urbinatensi absente vel praesente Archiepiscopo sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. E. Legato de latere in missis, vesperis et laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar Abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possint ac valeant, licentiam et facultatem apostolica auctoritate concessit et indulsit ac alias prout in suis sub plumbo anno Incarnationis dominicae tertio Idus Augusti desuper expeditis literis uberius dicitur contineri.

§. 2. Exortis postmodum nonnullis controversiis inter bonae memoriae Antonium tum Archiepiscopum Urbinatensem et Capitulum ac Canonicos praedictos super usu mitrae aliorumque indumentorum et paramentorum hujusmodi iisque delatis Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum inter caetera coram ea praeposita fuerunt duo sequentia dubia, nempe: *An uti valeant palmatoria seu bugia in pontificalibus et in missis lectis et privatis et an in Metropolitana Ecclesia uti possint mitra et pontificaliter celebrare in missis defunctorum?* Quibus in Congregatione habita die 24. Januarii 1752 responsum fuit: *Negative et amplius;* ac hujusmodi dubiorum resolutionem fel. rec. Benedictus Papa XIV. itidem praedecessor Noster per suas plumbo anno Incarnationis dominicae 1751, tertio Calendas Martii expeditas literas dicta auctoritate perpetuo paprobavit et confirmavit illasque a tunc et pro tempore existentibus Canonicis et Capitulo dictae Ecclesiae ac Dignitates in ea obtinentibus firmiter et inviolabiliter observari mandavit ac alias, prout in eisdem literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

§. 3. Cum autem nuperrime praefatae Ecclesiae Urbinatensi per obitum bo. me. Antonii Pastoris solatio destitutae Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum in Archiepiscopum praefecerimus et Pastorem, is Capituli, Dignitatum et Canonicorum ejusdem Ecclesiae majori decori consulere cupiens suum assensum praestitit ad hoc, ut Dignitates, Canonici et Capitulum hujusmodi Nobis et huic sanctae Sedi preces porrigere possent pro obtinendo novo apostolico Indulto *utendi tam in Pontificalibus quam in missis lectis et privatis palmatoria seu bugia*

nuncupata ac simul Mitra in missis solemnibus defunctorum; quapropter Dignitates et Canonici et Capitulum hujusmodi specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati eisdem Dignitatibus, Canonicis nunc et pro tempore quandocumque existentibus et Capitulo praedicto, ut *inposterum tam in missis lectis et privatis quam in Pontificalibus palmatoria seu bugia atque etiam canone missae necnon mitra in missis solemnibus defunctorum uti libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium de novo concedimus et indulgemus.*

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac inviolabiliter observari.

§. 6. Non obstantibus memoratae congregationis resolutionibus praedictis ac ejusdem Benedicti praedecessoris literis, tam illas, ut praefertur, approbantibus et confirmantibus, quam super divisione materiarum anno Incarnationis dominicae sexto Calendas Decembris sub plumbo expeditis aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon dictae Ecclesiae et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus.

Romae die 13. Augusti 1766.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 208. Ed. Rom. 1841.)

2) Baculi Canonicorum.

Capitulo et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Lyciensis conceditur usus baculi in pontificalibus pro iis temporibus tantum, quo sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit.

Pius Papa VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii dignitates et canonici presbyteri cathedr. Eccl. Lyciensis, quod dudum sibi sub certis modo et forma tunc expressis auctoritate apostolica indulsimus, ut pontificalia deferre ac in pontificalibus celebrare ad instar dignitatum et canonicorum metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae, excepto tamen pastorali seu abbatiali baculo libera et licite possent ac valerent ac aliis prout in Nostris desuper in simile forma brevis die 11. Octobris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ipsi dignitates et canonici etiam baculo praedicto uti posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes amplioris gratiae favoribus prosequi volentes atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati eisdem dignitatibus et canonicis presbyteris nunc et pro tempore in perpetuum existentibus, ut in pon-

tificalibus hujusmodi habendis etiam baculo praedicto ad instar memoratae metropolitanae Ecclesiae neapolitanae ac pro iis temporibus dumtaxat, quibus Sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit, libere et licite uti eumque gestare possint et valeant, servata tamen in reliquis praecedentium literarum Nostrarum forma et dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae de speciali mandato die 20. Aprilis 1805.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 305. Ed. Romae.)

3) Lyturgicus.

Vd.: *Ritus*, *Caeremoniae*, *Consuetudo*.

Quando Praelatus nonnullos introduxerit usus ac Dignitates et Canonici illi assensum praestiterint, dicti usus continuari possunt ad servandam pacem, dummodo non obstat Caeremoniale Ep.

N. 3551 ad 11 die 13. Mart. 1700.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXXVI. unm. 18 et 19.

4) Mitrae et baculi Priorum.

Concessio usus mitrae ct litui prioribus monasterii pro tempore sancti Laurentii del Escorial in regno Hispaniarum.

Gregorius PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. In hac suprema principis apostolorum cathedra nullis certe Nostris promeritis sed admirabili divinae providentiae consilio collocati ac propterea ad omnipotentis Dei cultum augendum omni quidem cura continenter intenti sacrorum insignium additamenta ea sane de causa concedere saepe solemus, ut sacris in templis divinus splendidior cultus effulgeat atque ii, qui externo honestantur decore, internis studeant enitere virtutibus atque acriori quodam incitati stimulo quoque religionis ministeria majori studio ac diligentia obeunda curent et populorum animi magnifico sacrarum rerum apparatu vehementer commoti magis magisque ad pietatem Deique amorem ita excitentur, ut terrestria spernentes spectent coelestia. Hac profecto mente fel. rec. Pius VIII. praedecessor Noster apostolicis literis die vicesimo octavo Septembris anno millesimo octingentesimo trigesimo datis et anulo piscatoris obsignatis indulsit, ut dilectus filius Josephus a Cruce e sacra sancti Hieronymi familia prior regalis monasterii sancti Laurentii villae „dell Escorial“ ejusque territorii sancti Thomae „del Puerto“ atque abbas „sanctae Mariae la Real de Parraces“ qui iisdem in locis sanctae Sedi immediate subjectis jurisdictionem quasi episcopalem exercet, mitra uti posset in Ecclesiis intra limites suae jurisdictionis, quemadmodum religiosi viri ordinis sancti Hieronymi cum Romae tum in Lusitania perfruuntur, quamdiu prioris et abbatis locorum, de quibus habita mentio est, munere fungeretur.

§. 2. Nunc autem cum carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus VII. Hispaniarum rex catholicus, cujus studia maxime semper facimus, Nobis exponendum curaverit suis in votis esse, Nos prioribus pro tempore existentibus commemorati monasterii sancti Laurentii „dell Escorial“ facultatem perpetuo facere, cujus praesidio in ecclesiasticis functionibus tam in templo praedicti monasterii quam in aliis omnibus, quae eorum jurisdictioni subjiciuntur, non solum mitra verum lituo etiam, (vulgo pastorale) uti possint, quo magis Dei honor in divinis rebus

augeatur et fidelium mentes majori pietatis inflammantur ardore, Nos religiosissimi regis desideriis quam libentissime annuendum censuimus.

§. 3. Quamobrem et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes auctoritate apostolica hisce literis concedimus, decernimus, constituimus et indulgemus, ut perpetuis futurisque temporibus priores omnes commemorati monasterii sancti Laurentii dell' Escorial pro tempore existentes in Ecclesiis tantummodo intra limites eorum jurisdictionis in sacris rebus peragendis mitram ac lituum, (italice pastorale) libere et licite gestare possint, ea prorsus ratione, qua iidem religiosi viri ordinis sancti Hieronymi hic in urbe atque in Lusitania hujusmodi pvivilegio fruuntur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 7. Augusti 1832.

(Bull. r. Contin. t. XIX. pag. 125. Ed. Romae.)

Concessio usus mitrae episcopalis facta priori monasterii sancti Laurentii villae dell' Escorial in Lusitania.

Pius PP. VIII.

In futuram rei memoriam.

§. 1. Sacrorum insignium additamenta petentibus aliquando morem gerimus ea sane de causa, ut sacris in templis splendidior sit Dei cultus atque oratores externa decora adepti solliciti curent internis virtutibus enitere ac ad divina ministeria accurate obeunda admoto veluti stimulo excitentur.

§. 2. Hinc quum acceperimus dilectum filium Josephum a Cruce e monasterio s. Laurentii villae „dell' Escorial" ejusque territorii sancti Thomae „dell Puerto" atque abbatem „sanctae Mariae la real de Paracces," qui eisdem in locis sanctae Sedi immediate subjectis jurisdictionem quasi episcopalem exercet, impense cupere mitra uti, quemadmodum religiosi viri ordinis sancti Hieronymi tum Romae tum in Lusitania perfruuntur, haud gravati inducimur ejus ut votis obsecundemus. Quod quidem eo facilius illi tribuendum duximus cum venerabilis frater Franciscus Archiepiscopus Athenarum Noster et apostolicae Sedis ad regem catholicum nuncius ipsum priorem Nobis commendaverit idemque rex sua etiam sudia, maxime semper a Nobis habenda, benigne contulerit.

§. 3. Peculiari igitur beneficentia eum prosequi volentes auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut ipse dilectus filius Josephus a Cruce, quamdiu prioris et abbatis locorum, de quibus facta est mentio, munus gerat, non tamen ejus successores in Ecclesiis tantummodo intra limites suae jurisdictionis libere ac licite in ecclesiasticis functionibus mitram possit gestare, ea prorsus ratione qua iidem religiosi viri ordinis sancti Hieronymi hic in urbe atque in Lusitania hujusmodi privilegio perfruuntur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Septembris 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 144. Ed. Romae.)

5) Mitrae et baculi.

a) Mitra et bacul. sunt correlativa.

Vd.: *Usus Pontific.; Mitra.*

Treveren.

Cum Joannes Fredericus de Auwach modernus Abbas monasterii beatae Mariae in Sprinkersbach Canonicorum Ordinis s. Augustini Treveren. dioecesis, qui a quingentis annis citra usum baculi habuit sed mitra caruit et loco mitrae boneto seu bireto, quod vulgus cornutum vocat, usus fuit, a SSmo D. N. loco dicti bireti pro se suisque successoribus in perpetuum usum mitrae petierit et SSmus D. N. negotium in Sacra Rituum Congregatione examinandum remiserit, eadem Sacra Rituum Congregatio attentis narratis et quod etiam Rmus D. Archiepiscopus Trevenen. Princeps et Elector Imperii ordinarius suus non solum annuerit et consenserit sed etiam idem pro dicto abbate supplicaverit, maxime, cum usus baculi et mitrae sint correlativa, et cui unum conceditur aliud etiam concedendum esse in consequentiam intelligatur, censuit dicto Joanni Frederico abbati et successoribus suis in perpetuum usum mitrae loco boneti concedi posse; et ita declaravit. Die 8. Jan. 1605.

(Anal. J. P. 1863 p. 40. n. 147.)

b) Consecrationem non includit.

Praepositus Croatiae petiit declarari: an ipse habens usum mitrae et baculi debeat benedici et consecrari?

Et Sacra Congregatio respondit: non debere consecrari. Die 10. Decembris 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 217.)

6) Pontificalium.

Vd.: *Usus Pontif.* (modus etc.)

a) Abbatis.

Urbanus PP. II. Petro abb. Coenobii Cavensis.

Concedimus et edicto perpetuo confirmamus, ut tam tu quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas libere possis Ecclesias construere, cum cruce signare aliaque pontificalia et spiritualia exercere, sacrorum ordinum collatione, basilicarum et altarium consecratione et charismatis confectione, tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate.

Die 14. Septembris 1092.

(Bull. r. t. II. pag. 144. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Hugoni abbati Cluniacensi.

Dalmaticae, compagorum, chirothecarum et mitrae usum in festivitatibus octo praecipuis, sicut tibi concessus est, ita quoque tuis successoribus pro tuae religionis ampliori dilectione concedimus.

Die 16. Martii 1095.

(Ibid. pag. 158.)

Innocentius PP. II. Joanni abbati Monasterii Papiens. Dioeces. ord. Cisterc.

Dalmaticae, sandaliorum necnon chirothecarum usum tibi tuisque successoribus juxta praedecessorum nostrorum statuta concedimus.

Die 3. Junii 1133.

(Ibid. pag. 381.)

Innocentius PP. II. Bertrao abbati Monasterii Fuldens.

Usum dalmaticae et sandaliorum in

missarum solemniis ex apostolicae sedis benignitate, secundum quod in antecessorum nostrorum privilegiis continetur, dilectioni tuae concedimus et ob majorem familiaritatis praerogativam, quam in sancta romana Ecclesia nostro tempore consequi meruisti, licentiam utendi mitra et anulo tibi tuisque successoribus nihilominus impertimur.

Die 5. Junii 1133.

(Ibid. pag. 383.)

Eugenius PP. III. Oberto abbati Papiens. dioec. ord. Casin.

Usum caligarum, sandaliorum, chirothecarum et mitrae, sicut per praedecessorum nostrorum authentica privilegia tibi tuisque successoribus concessum esse dignoscitur, et Nos ex liberalitate sedis apostolicae concedimus.

Die 24. Aprilis 1145.

(Ibid. pag. 512.)

Sylvester PP. II. Ercanbaldo Abbati Fuldensi Monasterii ss. Salvatoris.

Usum sandalorum ac dalmaticarum secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus.

Die 31. Decembris 999.

(Bull. r. t. I. pag. 477. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo IX. Fulconi abbati Corbeiensi.

Quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiae nostrae usum tibi dalmaticae et sandaliorum concedere.

Die 18. Aprilis 1051.

(Ibid. pag. 607.)

Victor PP. II. Friderico abbati Coenobii Montis Casini.

Usum sandaliorum et dalmaticae, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi et loco deinceps in principalibus tantum festis concedimus ad honorificentiam tam venerabilis coenobii et ob dilectionem tui, secundum quod praefatus decessor noster tuo praefato concessit.

Anno D. 1055.

Nicolaus PP. II. Desiderio abbati Montis Casini.

Usum sandaliorum et dalmaticae, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi et loco, deinceps in principalibus festis tantum concedimus ad honorificentiam tam venerabilis coenobii et ob dilectionem tui, secundum quod praefatus decessor noster tuo praefato concessit.

Die 8. Martii 1059.

(Ibid. pag. 651.)

Gelasius PP. II. Petro abbati Cluniacensi.

Dalmaticae sive sandaliorum usum, quem personae tuae praedecessor noster sanctae memoriae Paschalis papa nostra potissimum intercessione concessit, hoc tibi singulariter amplioris dilectionis speculum indulgemus, ut quoties missas solemnes vel in populo celebraveris, usu eorumdem insignium potiaris.

Die 16. Decembris 1119.

(Bull. r. t. II. pag. 292. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexand. PP. III. Alfario abbati s. Michaelis de Monte Caveoso.

Praeterea pia supplicatione praedicti

Zachariae regii notarii clementer inducti, tibi fili abbas et successoribus tuis usum mitrae et anuli, in diebus dominicis et in aliis solemnitatibus, in processionibus monasterii vestri et in synodis archiepiscoporum, et de clementia Sedis Apostolicae indulgemus.

Die 30. Decbr. 1174. (Bull. r. t. II. p. 772. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Hugoni abbati Cluniacensi.

Tibi plane peculiari devotione concedimus, ut in processionum missarumque solemnibus mitra utaris episcopali. In praecipuis vero festivitatibus, id est in quinque, quas praecipuas habetis, et in Theophania et in ascensione necnon et in dedicatione vestrae ecclesiae dalmaticam, chyrothecas et sandalia induaris. Et hoc ad tuae religionis evidentiam atque ostensionem nostrae peculiaris dilectionis, quam ex sede apostolica magis meritis exigentibus promereris.

Die 1. Novb. 1088.

(Bull. r. t. II. p. 222. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexd. PP. III. Guillelmo Siciliae regi de Confirmatione Monasterii Montis regalis Ord. s. Bened.

Ut autem fervor devotionis et desiderii tui amplius accendatur, abbati ejusdem monasterii, qui ibi canonice institutus, et successoribus ejus usum mitrae, chyrotecarum, sandaliorum, tunicae et dalmaticae et virgam pastoralem et quotidianum usum anuli nihilominus indulgemus, et ut post missam et alia divina officia more episcopi benedictionem ad populum faciant, eis plenam concedimus facultatem.

Anno 1175. (Ibid. p. 776. t. II.)

Urbanus PP. IV. Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Montis Virginis ad Rom. Eccl. nullo medio pertinen. ordinis S. *Benedicti Avellanae dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.*

Ecclesia Romana velut circumspecta mater et provida nonnullas ecclesias tamquam filias praedilectas majoribus offert honoribus, munere praevenit gratiae potioris et gratioribus insignitis titulis dignitatum, ut sicut venustatis et sapientiae filiae in matris obedientiam et reverentiam semper promptae habeantur ferventes et studiosae ad ipsius servitia, beneplacita et mandata.

§. 1. Cum igitur monasterium vestrum, utpote, sicut a fide dignis accepimus, pia religione conspicuum et a fidelibus populis illarum partium venerabiliter frequentatum ac perspectum ipsum ex praerogativa specialis dilectionis et gratiae, sinceritatis brachiis amplexamur. Vestris propter hoc honoribus et utilitatibus libenter intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicae Sedis obsequiis, ex impensis vobis acceptioribus ab ea beneficiis, honoris et gratiae promptiores.

§. 2. Nos itaque ob devotionem B. Mariae virginis gloriosae, in cujus honore dictum monasterium est fundatam vestris supplicationibus inclinati usum mitrae, baculi, anuli, sandalium, chirothecarum, tunicellae, dalmaticae, benedictione solemni ad populum, ordinatione minorum ordinum, indulgentia quadraginta dierum, benedicere etiam calices et omnia alia ornamenta ecclesiastica et cognoscere de matrimonio inter vasallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili abbas et successoribus tuis in perpetuum, quos potius signitis intendere cupimus, dummodo tibi et eisdem successoribus

sit, more ac modo debito, munus benedictionis impensum et te ac eos constet existere sacerdotes, auctoritate praesentium concedimus de gratia speciali.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud urbem veterem secundo Idus Septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 12. Septembris 1263.

(Bull. r. t. III. p. 708. Ed. Aug. Taur.)

Paulo Esterhazii priori generali ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae suisque in generalis prioratus officio successoribus indultum pontificalium et facultas utendi habitu ad instar praelatorum, etiam in urbe, necnon monachis professis tonsuram et quatuar minores ordines conferendi aliaque privilegia perpetua conceduntur.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Decet romanum Pontificem cui divinitus dispensationis ratio credita sit, ad ea vota, per quae personarum sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, uberesque bonorum operum fructus illo, a quo bona cuncta procedunt, donante, proferre assidue satagentium decori et commoditati per amplius consulitur, libenter intendere, ac in iis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Esterhazii prior generalis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae, quod cum ipsius institutum ad monachorum ordinem per Nos apostolica auctoritate pertinere declaratum fuerit et aliorum odinum hujusmodi generalis nonnullis gratiis et privilegiis pari auctoritate sibi ipsi concessis ornati reperiantur, hinc dictus Paulus eisdem praerogativis facultibus in sui ordinis decus et ornamentum, in sacrum monachorum spiritualem commoditatem ipsum ejusque in generalis prioratus hujusmodi officio successores uti posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari facit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Paulum specialibus, favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Paulo et successoribus suis ordinis monachorum sancti Pauli primi eremitae prioribus generalibus quandocumque existentibus, ut in monasteriis ejusdem ordinis mitra et baculo ac anulo pastoralibus et etiam cruce ac sandaliis et aliis ornamentis, quibus pontificali dignitate praediti utuntur, cum quibus sacra facientes incedent, ad instar seu eodem prorsus modo aliorum generalium ordinum monachorum hujusmodi in diebus festis solemnioribus, nempe nativitatis et paschalis resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, pentecostes, assumptionis Beatae Mariae

virginis ac in die sancti Pauli primi eremitae uti ac etiam post nocturnas seu matutinas horas necnon missam decantatam et vesperas, benedictionem solemnem post missarum, vesperarum, matutinorum et aliorum divinorum solemnia supra populum tunc interessentem, dummodo inibi dioecesanus seu alius antistes vel aliquis apostolicae Sedis legatus praesens non sit vel, si praesens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri ac christifidelibus hujusmodi benedictioni interessentibus etiam decem dierum indulgentias et peccatorum remissiones concedere seu decem dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxare et publicare in forma ecclesiae consueta et singulos ordinis praedicti monachos professos ad hoc idoneos clericali charactere insignire et ad quatuor minores ordines simul vel succesive, prout expediens fuerit, quibusvis festivitatibus promovere necnon indumenta, ornamenta et paramenta ecclesiastica, libros, imagines, cruces, campanas, calices, vasa et tabernacula quaecumque ecclesiarum et monasteriorum dicti ordinis ac altaria eorum benedicere easdemque ecclesias vel earum coemeteria et alia loca ecclesiastica quovismodo pollutas vel polluta, aqua tamen per aliquem catholicum antistitem, ut moris est, benedicta reconciliare habitumque praelatorum more coloris albi cum mozzetta et mantelleto, etiam in romana curia gestare ipse Paulus prior generalis libere et licite possit et valeat ejusdemque Pauli priores generales successores praedicti ordinis perpetuis futuris temporibus respective possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Julii 1770.

(Bull. r. Contin. t. IV. p. 213. Ed. Romae.)

Abbat. Congreg. Olivetanae ordinis s. Benedicti.

Approbatio et Confirmatio Decreti Sacrae Congregationis Rituum super usu baldachini et assistentium et aliorum ministrorum pro Abbatibus Congregationis Olivetanae Ordinis s. Benedicti.

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Sylvius Favilla de Neapoli Procurator generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, quod Venerabilibus Fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet: Instante Patre Dom. Sylvio Favilla de Neapoli Procuratore generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attenta antiquissima consuetudine solemniter cum Baldachino et Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi recederetur quoad eos a decretis alias hac de re editis in causis Firmana 28. Jan. 1606. et in Neapolitana 18. Martii 1617. Sacra Rituum Congregatio, saepius audito eodem Procuratore generali et rationibus ab eo deductis mature consideratis, Illustrissimo et Reverendissimo D. Cardinali Caesarino referente, censuit et declaravit, in hac parte recedendum esse a dictis Sacrae Congregationis decretis et licere Abbatibus Olivetanis solemniter, in tribus tantum anni festivitatibus, celebrantibus ut Baldachino, sine auro tamen et pompa, necnon assistentia unius Presbyteri et duorum Diaconorum ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris indumentis coloris solemnitati

convenientis paratorum, ultra Diaconum et Subdiaconum, qui in missa cantaturi sunt evangelium et epistolam: atque ita, ut iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope Altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia iis tantummodo diebus, quibus solemniter celebratur, et dicti sex Monachi ut supra parati non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in situ congruo, juxta Ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis: dictis sacrae Congregationis Decretis in causa Firmana et Neopolitana editis alias in suo robore permansuris. Die 17. Martii 1629.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Sylvius praefatus plurimum cupiat Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia inviolabilique observatione Apostolicae nostrae Confirmationis robore communiri,

§. 3. Nos specialem illi gratiam facere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus dicti Sylvii, ejusdem Congregationis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi cum omnibus in eo contentis apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decretum hujusmodi necnon praesentes literas, valida firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 5. Aprilis 1629.

(Bull. r. t. V, p. 182. Ed. Luxbg.)

Dilecto Filio

Dominico Joanni Giovanetti abbati infulato parochialis ecclesiae Castri novi de Garfiniana Lucanae dioecesis.

Pius PP. VI.

Quae a Nobis postulasti, quamvis difficilime concedenda esse arbitramur, ne nimia privilegiorum facilitate ea vilescerent, quum tamen tuum fidei ac religionis zelum tuamque summam in Nos et in hanc sedem devotionem perpendimus, tuis precibus annuere statuimus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod Nos alias precibus dilectorum filiorum publicorum repraesentantium illius terrae et communitatis de castri novo de Garfiniana Lucanae dioecesis Nobis humiliter porrectis annuentes hanc parochialem tuam ecclesiam sub titulo ss. Petri et Pauli in abbatiam prioralem infulatam perpetuo instituimus atque ereximus tibique ac abbatibus hujusmodi tuis successoribus legitime intrantibus ac pro tempore existentibus sub certis conditionibus usum pontificalium concessimus, prout in Nostris diei vicesimae quartae Maji millesimo septingentesimo nonagesimo primo hisce desuper expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, indultum hujusmodi per Nos ampliari

summopere desideres, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos meritorum tuorum intuitu te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi tantum, ut in actu benedicendi populum cum ss. Eucharistiae Sacramento, qui orationi quadraginta horarum per annum consuetae interfuit, pontificalibus vestibus indutus e sacrario tuae ecclesiae praedictae egredi, in pontificalibus praeter consuetas festivitates in aliis etiam quatuor solemnioribus ac frequentioribus anni diebus solemni missae in cathedra sine tamen baldachino ac cum faldistorio assistentibus dumdaxat diacono et subdiacono et assistente interesse ac in diebus festis Purificationis beatae Mariae virginis, feria quarta cinerum, dominica palmarum et Sabbato majoris hebdomadae mitra uti libere ac licite respective possis ac valeas, servata tamen in reliquis earumdem Nostrarum literarum forma ac dispositione auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 11. Sept. 1794.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 364 Ed. Rom. 1845.)

Pius PP. VII.

Dil. Filio Abbati Monast. B. V. M. de Valdigna.

Sincerae tuae in Nos et hanc sanctam sedem fidei et devotionis aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, adducimur, ut te paterna benevolentia prosequamur teque tuosque in abbatia, quam obtines, successores honoribus libenter decoremus.

Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui monachorum ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis vel provinciae Valentinae abbas existis, privilegio deferendi pontificalia, ut asseris, in ecclesiis tui ordinis donatus, eadem pontificalia etiam in aliis ecclesiis, quae ad dictum ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres,

Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati tibi ac tuis in dicta abbatia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium quam regularium ecclesiis extra tamen almam urbem Nostram existentibus, ac requisita prius loci ordinarii licentia pontificalia deferre et in pontificalibus celebrare libere et licite possis et valeas dictique tui successores abbates pro tempore existentes pariter possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 31. Jan. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 125.)

Ordinis Monachorum

S. Basilii.

Quae a. s. m. Alexandro Papa VII. usque ab anno 1658. V. Cal. Oct. in C. S. R. coram se habita sancita fuere circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, quaeque insequenti anno 1660. XIII. Cal. Sextiles de ipsius S. C. consulto magis etiam declaravit in responsionibus datis dubiis a procuratore Gen. Cong. Cassinensis propositis confirmans, quae praescripta sunt anno superiori 1659. praeter ea, quae habentur num. V. VI. VII. VIII. ac XVII. in quibus ob peculiares rationes, in aliquibus dis-

pensavit Alumnos Cong. ipsius, adeo semper rata habuit Apost. haec S. S. ut singulis succesive propositis dubiis Alexandri VII. decretis standum esse rescripserit S. R. C. Immo s. pariter m. Benedictus Papa XIV.*) praeter alia in re definita edixit, ut memorata Alexandrina decreta iterum typis cuderentur, ac eorumdem exemplar transmisit ad omnes per orbem Ep. et Archiep. cum apposita sua Epistola data pridie Cal. Apr. 1744., in qua singulis commendavit eorundem decretorum observantiam atque omnes monitos voluit, ut pro munere incumberent atque urgerent, ne quidquam fiat contra ea, quae in decretis ipsis sapienter injuncta sunt. Neque insequentibus temporibus aliquid supradictis decretis non apprime conforme declaravit S. ipsa R. C. vel Summi Pont. indulsere; immo immortalis m. Pius Papa VII. Constitutione sua: *Decet Romanos Pontifices* data IV. Non. Julii anno 1823. non modo ad observationem revocavit et quatenus opus esset iterum adprobavit ac sancivit, quae per Praedecessores suos, praesertim Alexandrum VII. et Benedictum XIV. decreta fuere vel alias a S. R. C. praescripta, verum ibi decretum confirmavit, quod memorata C. R. editerit VI. Cal. Sept. anno 1822. super declaratione privilegiorum circa usum Insignium pontificatium, quibus ex Sedis Apostolicae Indulto nonnullae gaudent Dignitates etc. Haec singula prae oculis habens SSmus D. N. Pius Papa IX. ac serio perpendens, quae in supplici Libello suo exponebat Rmus P. Visitator Gen. Monachorum S. Basilii, requirens num sui Ordinis Abbates revocare debeat ad observantiam decretorum Ale andri VII. circa usum Pontificalium, quum ex iisdem aliquis arbitretur decreta ipsa forsan modificata vel decursu temporis iis derogatum vel dispensatum saltem in parte fuisse, referente subscripto S. R. C. Secretario, eidem Visitatori Gen. Ord. S. Basilii, attentis expositis potestatem fecit revocandi Abbates quoque ad observantiam omnium decretorum, quae super re edita fuere, praesertim ut non liceat eis Pontificalia exercere nisi in propria eccl. et si ex speciali Indultu s. Apost. Sedis ex eis quisquam agere possit Pontificalia etiam extra propriam Eccl., nullatenus liceat hoc privilegio uti nisi de expresso Rmi Ordinarii consensu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 5058. Die 18. Dec. 1846.

*) *Vd. infra p. 625.*

Ad dubia 1. An Abbas memoratae Colleg. Eccl. gaudens usu Mitrae et Baculi pastoralis uti possit Mitra auriphrygiata et Baculo episcopali vel potius alterius formae et ab illo distincto?

2. An frui possit hujusmodi privilegio Pontificalium intra suam eccl. tantum vel potius in omnibus eccl. civitatis et dioecesis?

3. An induere possit, deferre et gestare Mitram, baculum pastoralem aliaque insignia pontificalia interveniens processionibus aliisque divinis officiis et functionibus ecclesiasticis, queis Archiep. intervenit?

4. An absente Archiep. sed interveniente Capitulo Metropolitano, quod privilegio Pontificalium gaudet, processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus ac divinis officiis possit Abbas s. Spiritus gestare Mitram et Pastoralem an Mitram tantum?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit

Ad 1. „Negative, sed Mitra tantum ex tela simplici et Baculo abbatiali cum velo."

Ad 2. „In propria eccl. tantum as-

signatisque diebus juxta Constitutionem s. m. Pii Papae VII.: *Decet Romanos Pontifices.*"

Ad 3. „Negative in omnibus."

Ad 4. „Negative."

Atque ita servandum mandavit. N. 5075. Die 27. Febr. 1847.

Abbatum Congreg. Coelestinae Ord. s. Benedicti.

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Henricus Fortuna, procurator generalis totius Congregationis Monachorum Coelestinorum Ordinis sancti Benedicti, quod nuper a Venerabilibus fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

§. 1. Cum sacra Rituum Congregatio alias de anno 1606. sub die 18. Januarii ad instantiam Archiepiscopi Firmani prohibuerit Priori sanctae Catharinae Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesia usum baldachini et aliquarum caeremionarum et de anno 1617. sub die 18. Martii idem Decretum ad instantiam Cardinalis Carafae Archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes Priores et Abbates cujuscumque Ordinis, etiam Cassinen., R. P. D. Henricus Fortuna de Monte Leone Procurator generalis totius Congregationis Monachorum Coelestinorum Ordinis s. Benedicti aegre ferens hujusmodi Decreta tamquam praejudicialia antiquissimae consuetudini solemniter celebrandi cum baldachino et assistentibus in eorum Ecclesiis institit audiri in eadem sacra Congregatione super dicta antiquissima eorum consuetudine. Et commissa causa Illustrissimo et Reverendissimo Cardinali Antonio Barberino, coram quo, audito saepius dicto Procuratore generali Coelestinorum et rationibus ab ipso deductis bene perpensis, eodem Illustrissimo ac Reverendissimo Antonio referente, sac. Rituum Congregatio re mature discussa censuit in hac parte recedendum a suprascriptis decretis de anno 1616 et 1617. et declaravit, licere Abbatibus Coelestinis in tribus tantum anni festivitatibus solemniter celebrantibus uti baldachino, sine auro tamen et pompa, necnon assiistentia unius presbyteri et duorum Diaconorum ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris vestibus coloris solemnitati respective convenientis indutorum, duorum nempe cum Pluvialibus, duorum cum Planetis et aliorum duorum cum Tunicellis, ultra Diaconum et Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt Evangelium et Epistolam: dummodo iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesia iis tantum diebus, quibus solemniter ut supra celebrari debet, et dicti sex Monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus sed super scabellis sedeant in situ congruo juxta ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis, firmis in reliquo remanentibus suprascriptis sacrae Congregationis in Firmana et Neapolitana decretis editis die 30. Junii 1629.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Henricus plurimum cupiat, decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia et inviolabili observantiae Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri,

§. 3. Nos dictum Henricum speciali

gratiae favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi cum omnibus in eo contentis Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decretumque et in eo contenta hujusmodi ac praesentes literas valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac eidem Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

§. 5. Sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et declaramus.

§. 6. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 26. Septembris 1629.

(Bull. r. t. V. pag. 191. Ed. Luxbg.)

Abbat. Congreg. Camaldul. Ord. s. Bened.

Confirmatio Decreti editi a sacra Rituum Congregatione ad favorem Abbatum Congregationis Camaldulensium Monachorum Ordinis S. P. Benedicti super usu Baldachini ac facultate celebrandi solemniter in Pontificalibus.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilecti Filii Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua, Procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis Nobis expositum fuit, quod alias a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Columna referente ad instantiam P. D. Desiderii Arigonii seu Bardellonii de Mantua Procuratoris generalis Congregationis Camaldulensis nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attenta antiqua consuetudine solemniter cum Baldachino et Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi recederetur quoad eos a decretis alias hac de re editis in causis Firmana 28. Januar 1606 et Neapolitana 18. Martii 1617, sacra Rituum Congregatio censuit licere Abbatibus Congregationis Camaldulensis, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitatibus eis facere permittitur, uti baldachino, sine auro tamen et pompa, cum assistentia unius Presbyteri et duorum Diaconorum ultra Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola, ac sex aliorum ad summum Monachorum, sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant cum pluvialibus, duo cum planetis et duo cum tuni-

cellis coloris tempori convenientis et dummodo iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam et permanentem, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia his tantummodo tribus diebus per annos singulos, quibus Abbates solemniter celebraturi erunt et dicti sex Monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus sed super scabellis sedeant in loco congruo juxta Ecclesiae convenientem situm ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis, dictis sacrae Congregationis decretis in causa Firmana et Neopolitana editiis alias in suo robore permansuris. Die 11. Augusti 1632.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Exponens decretum hujusmodi apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret,

§. 3. Nos illum favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesertim dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertim apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 15. Sept. 1632.

(Bull. r. t. V. pag. 243. Ed. Luxbg.)

Privileg. Abbatum Congreg. Cassinens. alias s. Justinae Monacorum Ordinis s. Benedicti utendi Pontificalibus benedicendique populum et consecrandi lapides pro altarium usu.

Pius PP. IV.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas devotorum consuevit justis annuere votis et his, quae divini cultus respiciunt augmentum animarumque salutem, libenter intendere.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in diversis Monasteriis necnon locis regularibus vestrae Congregationis Cassinensis, alias sanctae Justinae de Padua, diversa Altaria, Capellae, Capellaniae et alia pia loca in dies erigantur et saepe crescente numero presbyterorum religiosorum ejusdem Congregationis, Altaria benedicta deficiant.

§. 2. Nos volentes commoditati Religiosorum dictae Congregationis ac eorum devotioni in praemissis opportune consulere et ipsam Congregationem favoribus et gratiis prosequi, eidem Congregationi et singulis illius Abbatibus pro tempore existentibus, qui licet quinquennales sint, nihilominus ex privilegio apostolico eidem Congregationi concesso, *Baculo pastorali ac Mitra pontificali in Ecclesia Monasteriorum, in quibus Abbates pro tempore deputati existunt, uti et benedictionem pontificalem post divina officia Christifidelibus inibi existentibus elargiri consueverunt, quoscumque lapides marmoreos vel prophyrios vel alios ad usum altarium portatilium accommodandos, pro usu quorumcumque utriusque sexus dictae Congregationis Monasteriorum, Prioratuum et Ecclesiarum et aliorum piorum locorum, super quibus intra claustra eorundem Monasteriorum et Priora-*

tuum seu septa Ecclesiarum et aliorum piorum locorum hujusmodi dumtaxat, Missae celebrari possunt, consecrare vel benedicere, Ordinariorum locorum licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, plenam et liberam licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 3. Decernentes concessionem et indultum hujusmodi necnon praesentes literas, sub quibusvis vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus vel derogationibus per Nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros quomodolibet factis vel faciendis nullatenus comprehensas, sed semper exceptas ab illis existere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse.

§. 4. Non obstantibus quibusvis etiam revocatoriis constitutionibus et ordinationibus apostolicis per Nos et per quascumque Cancellariae regulas editis et edendis ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud s. Petrum die 6. Julii 1565.

Abbat. Congregat. Cassinens. alias s. Justinae de Padua.

Urbanus Papa VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. alias sanctae Justinae de Padua Procurator generalis, quod alias a Venerabil. Fratribus nostris S. R. C. Cardinalibus sacris Ritibus praepositis emanavit Decretum tenoris subsequen. videlicet: Cum alias de anno 1606. sub die 28. Januarii Sacra Rituum Congregatio instante Archiepiscopo Firman. interdixerit Priori Sanctae Catharinae Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesia usum aliquarum caeremoniarum, et de anno 1617 sub mense Martii illud Decretum ad instantiam bon. mem. Cardinalis Caraffae Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores et Abbates cujuscumque Ordinis etiam Cassinen., ab hoc Decreto reclamavit procurator generalis Cassinen. et ad Sacr. Congregationem recursum habuit asserens suam Congregationem indefensam fuisse, et re mature ac diligenter discussa referente bon. mem. Cardinale Lancellotto sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martii censuit, quoad usum Baldachini et quorundam Ministrorum in aliis Decretis prohibitorum recedendum esse a praedictis Decretis de annis 1606 et 1617 emanatis et licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, uti baldachino et apparatu juxta eorum antiquissimam consuetudinem, ita tamen, ut modeste cum debita convenientia, sine pompa et auro, atque in tribus ad summum festivitatibus quolibet anno utantur, prout in dictis Decretis latius continetur. Nunc demum Archiepiscopus Florentin. ad Sacr. Congregationem accedens institit prohiberi Abbati S. Marie ejusdem Civitatis Florentinae Ordinis Cassinen. usum Baldachini et dictorum Ministrorum et aliarum multarum caeremoniarum in dedecus et praejudicium suae archiepiscopalis Dignitatis vergentium et citato et interveniente Petro Domino Dominico Pinello ejusdem Congregationis Cassinensium Procuratore generali et partibus saepe ac saepius auditis ac negotio diligenter discusso, referente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Cardinale Pio, eadem Sacra Rituum Congregatio inhaerendo dicto ultimo Decreto

facto de anno 1618 censuit et declaravit: licere Abbatibus Cassinen., quando solemniter celebrant, quod in tribus ad summum festivitatibus facere eis permittitur, uti baldachino, sine auro tamen et pompa, et aliquibus etiam ministris, paratis sacris indumentis. Quia vero numerus horum ministrorum in aliquibus eorum monasteriis erat valde excessivus, vetuit ac prohibuit, ne iidem abbates solemniter ut supra celebrantes alios possint habere ministros sacris indumentis paratos quam duos Diaconos et Presbyterum assistentes, Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola ac sex ad summum alios, duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis et duos cum Tunicellis coloris temporis convenientis, quoad reliqua vero in dictis decretis de annis 1606 et 1617 emanatis Sacra Congregatio eadem decreta confirmavit et quatenus opus sit, innovavit, inhibens omnibus abbatibus Cassinensibus ac serio praecipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem inviolabiliter observent; eorumque dispositioni addidit, ut supradicti abbates nullo modo debeant nec possint habere nec tenere sedem suam abbatialem fixam et permanentem prope altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, minusque liceat supradictis sex monachis paratis, ut supra, sedere in sedibus choralibus, ut Canonicorum saecularium mos est, sed sedes pro abbate solemniter celebrante retineatur in Ecclesia iis tantummodo tribus diebus, quibus ipse abbas solemniter celebret, dictique sex monachi parati sedere debeant loco congruo juxta Ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis panno laneo coopertis. Die 29. Januarii 1628.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Dominicus praedictus plurimum cupiat praeinsertum decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et inviolabiliter observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, Nos ejus votis hujusmodi annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinsertum decretum hujusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos tam juris quam facti et quovis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possent, supplemus.

§. 3. Decretumque hujusmodi necnon praesentes literas cum omnibus in eis contentis, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac eidem Congregationi illiusque abbatibus ac monachis et personis in omnibus et per omnia plenissime suffragari neque illos a quoquam quavis auctoritate super praemissis quovis modo impediri, molestari, inquietari vel perturbari unquam posse nec debere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 11. Junii 1628.

(Bull. r. t. V. p. 189. Ed. Luxbg.)

b) **Abbatis non benedicti.**

Petitum fuit a S. Rituum Congregatione declarari: *An abbas saecula-*

ris habens privilegium usus Pontificalium possit iisdem uti absque eo quod ab antistite de mare fuerit benedictus?

Et Emmi DD. respondere mandarunt: „Non licere, nisi ab apostolica Sede hoc expresse eidem fuerit indultum.“ Die 24. Maii 1659.

(Anal. J. P. 1863 p. 357.)

c) Abbatis extra Eccles. sui Ordinis.

Vd. pag. 612.

Indulgetur Baptistae Mas monasterii B. M. Virginis de Valdigna Ordinis Cisterciensis Valentinae Dioecesis abbati ejusque in abbatia hujusmodi successoribus in perpetuum, ut pontificalia deferre valeant et in pontificalibus celebrare etiam in aliis Ecclesiis, quae ad ordinem praedictum non spectant.

Dilecto filio Baptistae Mas monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio B. M. V. de Valdigna Valentinae Dioecesis abbati.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Sincerae tuae in Nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotionis aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, adducimur, ut te paterna benevolentia prosequamur teque tuosque in abbatia, quantum obtines, successores honoribus libenter decoremus.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui monachorum Ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis vel Provinciae Valentinae abbas existis, privilegio deferendi pontificalia, ut asseris, in Ecclesiis tui ordinis donatus, eadem pontificalia etiam in aliis Ecclesiis, quae ad dictum ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres,

§. 3. Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati tibi ac tuis in dicta abbatia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium quam regularium Ecclesiis, extra tamen almam urbem Nostram existentibus ac requisita prius loci ordinarii licentia, pontificalia deferre et in pontificalibus celebrare libere et licite possis et valeas dictique tui successores abbates pro tempore existentes pariter possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 1. Januarii 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 125. Ed. Romae.)

Facultas celebrandi in pontificalibus in Ecclesia abbatiali sub invocatione sanctae Mariae Virginis de Sanitate pro abbatibus marchionibus de Mari civitatis Januensis.

Dilecto filio Augustino ex marchionibus de Mari presbytero abbati Januensi.

Pius PP. VII.

Dilecte fili.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Tua virtutum merita cum generis nobilitate conjuncta, ob quae fide digno apud Nos commendaris te-

stimonio, Nos adducunt, ut te tuosque peculiaribus prosequamur gratiis. Expositum Nobis tuo nomine nuper fuit, quod tu qui, ut asseris, in sacro presbyteratus ordine constitutus presbyteralem abbatiam sub invocatione beatae Mariae Virginis de Sanitate in Ecclesia sacris supellectilibus et sacerdotibus locupletata satisque ampla haud procul et extra istius urbis moenia sita de jure patronatus, ut etiam asseritur, tuae familiae, erectam in titulum obtines, ad majorem Dei gloriam divinique cultus incrementum privilegio celebrandi in pontificalibus in eadem Ecclesia et deferendi pontificalia more abbatum mitratorum frui posse plurimum desideras.

§. 2. Nos te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi, ut donec et quoad memoratam abbatiam retinueris, pontificalia deferre ad instar abbatum mitratorum atque in pontificalibus in dicta Ecclesia in solemnioribus anni festis tantum celebrare libere et licite possis et valeas, auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; itemque hoc privilegium ad abbates successores tuos, qui ex tua familia erunt dumtaxat, non autem ad alios extendimus pariter et indulgemus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Junii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 225. Ed. Romae.)

Vd. *Usus Pontif. h.*

d) Assistentiam Praestantium.

Ragusina.

Nomine reipublicae Ragusinae SSmo institum fuit, ut non obstante decreto novissime edito super usu pontificalium benigne indulgere dignaretur, quod in missis, vesperis et processionibus, quae in metropolitana Ecclesia diebus Purificationis B. M. Virginis, s. Blasii patroni et in funeribus Archiepiscopi et Principis ejusdem Civitatis celebrari solent, abbates ordinis s. Benedicti, qui inibi reperiuntur, pontificalibus insigniis ornati, prout hactenus consueverunt, assistant, cum hoc in magnum majestatis et decoris divini cultus augmentum cedat. Et supplici hoc libello per Sanctitatem Suam ad Rit. Congregationem transmisso EE. Patres eidem congregationi praepositi, ne plurimis similem gratiam petentibus eam obtinendi spes vel minima augeatur vel haec in exemplum trahi praesumatur, connivendum solummodo censuere, ut abbates praefatis usum pontificalium habentes solemniis praefatis pontificaliter ornati interesse possint. Idque oretenus tantum Agenti Rmi Archiepiscopi significandum et in registris S. Congregationis annotandum; decretum autem in authentica forma tradi prohibuere.

Die 2. Julii 1661.

(Anal. J. P. 1863 p. 373.)

e) Non includit baldachinum.

Lauden.

Praepositus terrae Codonaei Congregationi sacris Ritibus praepositae supplicavit, ut declarare dignaretur: an ipsi usum pontificalium habenti erigi possit baldachinum, quando solemniter celebrat?

Et Emmi PP. negative responderunt.

Die 9. Julii 1650.

(Anal. J. P. 1863 pag. 311.)

Alexandrina.

Carolus Via abbas Ecclesiae s. Petri Alexandrinae Civitatis S. Congregationi supplicavit, ut declarare dignaretur: An indultum apostolicum usus mitrae et baculi extendatur ad usum baldachini in celebratione missae pontificalis et quatenus non extendatur, ei ex gratia usum hujusmodi baldachini necnon delationem mozzettae in processionibus indulgeat. Et Sacra Congregatio respondit: nullatenus extendi privilegium ad non expressa, praesertim in casu quo observantia in dies subsecuta, interpretativa literarum apostolicarum, quatenus hujusmodi interpretatio admitti posse videretur, secus firmavit, ideoque oratorem adire censuit pro nova gratia obtinenda.

Die 16. Januarii 1658.

(Anal. J. P. 1863 pag. 344.)

f) Non includit sedem fixam.

Vd: *Sedes Dignit. etc.* (fixa decr. 12. Junii 1660.)

g) Expositio Insignium.

Firmana.

Emmus D. Cardinalis Gualterius Archiepiscopus Firmanus institit declarari: an abbatibus aliisque praelatis Episcopo inferioribus nolentibus pontificaliter celebrare competat jus erigendi baldachinum et insignia pontificalia in Ecclesia exponendi diebus ipsis, in quibus alias pontificalibus uti consueverunt?

Et S. Congregatio respondit: celebrantibus tantummodo hujusmodi competere. Die 28. Februarii 1660.

(Anal. J. P. 1863 pag. 361.)

h) Modus, Personae et Tempus.

Eugen. PP. III. Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo.

Statuimus ut septem idonei presbyteri cardinales in praedicta Ecclesia ordinentur, qui induti dalmaticis et mitris ornati, ad principalia duo altaria ejusdem Ecclesiae, cum totidem diaconis et subdiaconis, quibus sandaliorum usum concedimus, missarum solemnia in festivis diebus tantummodo administrent.

Die 8. Januarii 1151.

(Bull. r. t. II. pag. 565. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexand. PP. III. Philippo Coloniensi Archiep. et Canonicis.

Concedimus et apostolica auctoritate statuimus, ut majus altare Ecclesiae tuae uni et vero Dei, in memoriam beatae Mariae Virginis, et alterum in memoriam beati Petri apostolorum principis dedicatum, reverenter ministrando procurent septem canonici cardinales presbyteri, induti dalmaticis et mitris ornatis, quibus etiam cum totidem diaconibus et subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis ut utantur sandalibus indulgemus, sicut a patribus et praedecessoribus nostris jam praedictae Ecclesiae concessum est per authentica privilegia et hactenus observatum.

Die 19. Junii 1179.

(Ibid. t. II. pag. 812.)

Praten. Nullius.

Cum alias a SSmo D. N. Paulo V. Philippo de Salviatis moderno praeposito Praten. Nullius dioecesis et successoribus suis in perpetuum usus mitrae et baculi et aliorum indumentorum pontificalium concessus fuerit

cum privilegiis, quae latius in literis apostolicis desuper expeditis continentur; idemque praepositus ad majorem suae dignitatis et Ecclesiae honorem petierit dicta privilegia declarari et in nonnullis ampliari et hujusmodi negotium in Sacra Rituum Congregatione propositum commissum fuerit Illmo et Rmo D. Cardinali Farnesio et S. Rituum Congregatio audita relatione supradicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Farnesii censuit: dicto praeposito pro se suisque successoribus posse concedi, ut tam in sua Ecclesia collegiata quam in aliis dictae terrae seu extra suae jurisdictionis Ecclesiis uti possit Pontificalibus et aliis privilegiis sibi jam concessis et etiam in Ecclesiis regularium, de consensu tamen ipsorum, ac sine eorum expresso consensu dum in processionibus per dictorum regularium Ecclesias ipsum paratum cum pluviali et mitra transire contigerit. Necnon ut in dictis Ecclesiis possit dictus praepositus, quando non est paratus, uti cappa eodem modo quo in Urbe utuntur Canonici s. Petri, indulgendum censuit et declaravit. Die 20. Maii 1608.

(Anal. J. P. 1863 p. 80. n. 277.)

Vd.: *Cassinenses; Decretum infra sub* n. 3207 ad 2 die 8. Apr. 1690; *Mitra*; *Anulus; Chirothecae*; *Sandalia; Crux pectoralis etc.; Protonotarius apost.* (Celebr. in Pontif.); *Protonotarius Titular.; Usus Pont.* (decr. n. 4651.)

Decretum

Circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. habita coram SSmo D. N. Alexandro PP. VII. emanatum.

Die 27. Septembris 1659.

S. R. C. tollendis et eliminandis circa ecclesiasticos ritus, qui irrepserunt, abusibus sedulo intenta post Episcoporum Caeremoniale evulgatum, (quod quidquid ad ipsos in sacris caeremoniis pertinet abunde praescripsit) idem quoad inferiores Praelatos, qui Pontificalium usu fruuntur, praestandum curare existimavit, ut excessus aboleantur uniformisque inducatur sacrorum Ritus in omnibus et praesertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtendentesque parum obsequi student decretis pluries ab eadem S. R. C. hac in remet evulgatis aut ipsa ignorare praetexunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu, cogere perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

1. Super altari, in quo sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponunt candelabrum.

2. *Cathedram**) seu sedem fixam et permanentem in Ecclesiis ne detineant sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodo Pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto aut phrygio aut basylico opere exornato.

3. *Baldachinum* adhibere supra sedem poterunt non pretiosum aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur.

4. Non abacum alium praeter parvam mensam et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur, prope vero mensam eandem parieti haerens baculus pastoralis aptetur.

---

*) S. C. n. 2562 die 12. Sept. 1671.

5. Dies*) vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi vel alii, in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli et Dedicationis Ecclesiae. Abstineant autem ab hujusmodi Pontificalium usu in Officiis et Missis Defunctorum, quocumque die etiam festivo et de praecepto.**)

6. Ad Ecclesiam accedentes, licet pontificaliter divina peracturi iisdemque absolutis ab altari recessuri a suis Canonicis vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant.***)

7. Praeter duos sacrificii ministros, Diaconum nempe Evangelii et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum dalmaticis et unicus Presbyter cum Pluviali his assistant. Duo insuper Capellani, qui de Mitra et Baculo, totidem Acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis totidemque Tunicellis induti Divinis hujusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis situ congruo accommodatis moxque illico removendis considcant.

8. *Mitram pretiosam,**) nisi illis a s. Sede indultam, non adhibeant. Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum pastoralem albo velo appenso deferant; ab iisque et aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant et neque in Processionibus, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, insigniis utantur vel penes se perferri faciant.

9. Regulares rocchettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum hujusmodi competat.

10. Invitati**) ad Ecclesiam exemptam nec in illa Pontificalibus uti valeant nec ii, qui non fuerint Abbates pepetui vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti privilegio perpetuis Abbatibus vel alias benedictis indulto.

11. Sacras vestes ex altari non sumant, nisi pontificaliter Divinis vacaturis.***)

12. Indulgentias impertiri vel publi-

*) Vd. decr. n. 4641.

**) Concessionis facultatum utendi Pontificalibus occasione functionis alicujus monachationis pro Petro Lantoval ex Principibus Castri Regalis Abbate mitrato Ord. s. Blasii Dioec. Messan. num. 4014 die 21. Mart. 1733. — *Negative.*

***) Vd.: *Dignitas* (associatio); *Capitulum* (associatio); Abbas.

Neapolitana.

S. Rituum Congregatio declaravit, capellanos s. Mariae Patientiae Cesareae nuncupatos Neapolis vel duos saltem ex ipsis etiam in habitu clericali consueto absque superpelliceis non teneri excipere abbatem dictae Ecclesiae ex loco suae habitationis et illum associare ad Ecclesiam, quando in festis diebus accedit privatim in habitu simplici cum subtana et pallio, occasione celebrandi missam lectam vel assistendi in choro ad missam conventualem vel ad alia divina officia, non obstante quod dictus abbas habeat, prout exposifum fuit, ex indulto apostolico mitrae et baculi usum, et quoties celebraturus accedit cum rocchetto et mantelleta, excipiatur e dicto loco suae habitationis a suis capellanis superpelliceis indutis et ad Eeclesiam associetur. Die 13. Septembris 1670.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1165 num. 1898.)

*) Servanda esse decreta S. M. Alex. VII. super nsu Pontificalium a Praelatis inferioribus in controversia nuper orta inter Archiepisc. Ragusinum et Abbates Benedictinos in processionibus circa Mitras pretiosas et earum usum et modum ponendi et levandi per eorum Clericos. n. 2531 die 28. Febr. 1671. Cf. *Mitra.*

**) S. C. n. 2562 die 1. Sept. 1671.

***) Vd.: *Missa priv. Abbat.*

care non audeant absque expresso s. Sedis indulto.

13. *Pontificales Benedictiones* *) cum trina crucis productione in Missis tantum pontif. necnon Vesperis et Matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes benedicere non praesumant.

14. Praesente Episcopo sine speciali sedis apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

15. Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior abbatiali est erigenda haecque altero gradu humilior ut dictum est in cornu Epistolae collocetur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici vel Monachi Monasterii abbatialis Ecclesiae considеant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat. Evangeliorum textum osculetur et populo solemniter (quamvis Abbas ipse pontificaliter celebret) benedicat, Episcopus propterea trino ductu et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici ac subinde Canonici vel Monachi abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

16. Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti hujusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti privilegiis.

17. In Ordinationibus*) Canonicorum, Clericorum, Monachorum necnon in vestitionibus Monialium et emissione professionis earumdem, etiam pleno jure subjectarum, in benedictione sacrae supellectilis caeterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinorum solemniis tribus tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis aliisque locis tam publicis quam privatis quantumvis exemptis eisdemque Abbatibus pleno jure subjectis Mitram, Baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa sedis apostolicae concessione, adhibeant.

18. Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant.

19. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta vel pro servitio alienae Ecclesiae aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta campanarum benedictionem**),

---

*) Servandum esse decretum Alex. VII. super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus die 27. Sept. 1659 in controversiis ortis inter Episcopum Gerunden. et Abbatem Ord. s. Bened. tam in cantanda pontificaliter missa quam danda Benedictione et aliis faciendis. n. 2545 die 13. Junii 1671. Vd. *Bened. cum SSmo.*; *Benedictio in Matutinis* (decr. n. 3726); *Abbas*; *Regulares* (Bened. papal.)

Caesenaten.

Episcopus Caesenaten. Sacrae Congregationi supplicavit ut ei praecipere dignaretur, quid circa executionem decreti emanati super usu pontificalium praelatis Episcopo inferioribus concessorum per ipsum impleri placeat, cum abbates regulares jactent se a SSmo moderationem decreti ejusdem expetitam sperare. Et S. Congregatio jussit, ut Episcopus executioni mandet decretum, elapso termino sex mensium a die publicationis ejusdem. Et quoad Cassinenses juxta declarationem factam de mense Augusto proxime praeterito, quam proinde typis imprimi mandavit. Die 11. Sept. 1660.

(Anal. J. P. 1863 pag. 367.)

*) Vd. supra n. 5.

**) S. C. n. 2562 die 12. Sept. 1671.

calicum et similium, in quibus adhibetur unctio necnon Minorum Ordinum collationes.

20. Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.*)

21.**) *In Missis privatis* quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent ac proinde sacras vestes induant in Sacristia neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant duasque tantum candelas super altare adhibeant.

*) Vd.: *Concionator* (bened.); *Praedicator. regul.*

**) *Missa privata Abbatis, Dignitatum, Canonicorum.* Decr. n. 5209 ad 1. 2. die 21. Junii 1855.

Ravennaten.

Requisita S. Rituum Congregatione ex parte Casimiri Galamini Abbatis titularis Camaldulensis in monasterio Classis istius civitatis Ravennaten. commorantis declarare: An contenta in §. 21. decretorum generalium hujus S. Congregationis sub Alexandro VII. circa usum pontificalium praelatis Episcopis inferioribus concessum observari debeant ab omnibus abbatibus tam localibus quam titularibus, praesertim Congregationis Camaldulensium, non obstante quacumque consuetudine contraria quoad missas privatas introducta? S. eadem Congregatio, ad relationem Emmi Petruccii Archiepiscopo respondit: *Ad mentem* et mens fuit, quod amplitudo tua curet omnino observantiam decretorum praedictorum diei 27. Sept. 1659 editorum. Ita igitur amplitudo tua exequatur sacramque Congregationem de executione certioret diuque felix et incolumis vivat. Romae 13. Aug. 1695.

(Anal. J. P. 1865 p. 1356 n. 2577.)

His autem SSmo relatis et in C. S. R. ordinaria habita cor. Sanctitate Sua per Emmum et Rmum D. Card. Brancaccium accurate perfectis et mature discussis Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimoda eorumdem observatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut, elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes et singulos usu Pontificalium gaudentes tum saeculares tum regulares, quantumvis exemptos et speciali expressione indigentes afficiant et arctent ac si omnibus et singulis eadem adhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent, indulsitque praeterea Locorum Ordinariis, ut auctoritate sedis apostolicae possint imo debeant praefatos etiam per censuras compellere.

Cum nonnulli ex praedictis Abbatibus et Praelatis proprium habere possint territorium juraque episcopalia nullique subdantur Episcopo, qui eos coercere, si excesserint, valeat: eo casu a sedis apostolicae Nuntiis, si aderunt, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum provinciis vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subjectis intra vel prope quorum dioecesium limites eorum Ecclesiae vel monasteria sita fuerint, tanquam a s. Sede delegatis ad hujusmodi decretorum observationem praedicti omnino cogantur. Num. 1856 die 27. Sept. 1659; n. 3138 die 14. Junii 1687; n. 3475 die 5. Julii 1698.

Vigore supradicti decreti posse per Ordinarium Calagurit. prohiberi prout in eo disponitur, usum Pontificalium etiam Abbatibus conventus s. Mariae, sancti Milliani Cucullae, Valvaturae Ordinis s. Benedicti aliisque Abbatibus et Praelatis inferioribus dioecesis Calagurit. nisi doceant de legitimo et valido privilegio vel quod

alias sibi legitime competat praedictorum usus. N. 2297 die 22. Novembris 1664.

Epistola S. M. Bened. PP. XIV.

Ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, qua commendatur observantia decretorum jussu S. M. Alexandri PP. VII. editorum circa usum Pontificalium servandum ab Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus.

Redme Dom. uti Frater!

SS. Dominus Noster pro diuturno, quo guberna tEcclesiam, zelo et sollicitudine, animo reputans, quod ea, quae a longo tempore fuerant statuta, quamquam opportunissima et necessaria, ita decursu temporis in desuetudinem abeant et in oblivionem, ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse adversus decreta ab Alex. VII. constituta, praesertim circa usum Pontif. in Congr. habita coram eodem Pontifice anno 1659 idem SS. Dom. Noster nedum opportunum sed plane necessarium duxit praescribere, sicut reapse praescripsit, quod non solum fieret nova praedictorum decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quod ad omnes et singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras eosdem affectos esse decet, exactam eorundem decretorum observantiam urgeant et compleant eoque magis, quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia ex ap. Indulto, eis licitum esse ecclesiasticam supellectilem benedicere; et S. C. mandavit usque ab anno 1660 tale indultum authenticum ex Archivio apost. desumptum exhiberi et interim abstinere; nunquam hucusque fuit ostensum. Et diu felix et incolumis vivas.

Romae die 31. Mart. 1744. Num. 4155.

Consulendum SSmo pro concessione Indulti juxta modum, videlicet, ut liceat Abbati et Archidiacono Monasterii Litticensis Ord. Cisterciens. in Dioecesi Goritiae ejusque successoribus, praeter consuetos dies in decr. Alex. praescriptos singulis annis, tribus aliis vicibus in Ecclesiis sibi subjectis pontificaliter celebrare necnon aliis duobus vicibus in Ecclesiis sibi non subjectis, quatenus tamen ab Episcopo loci Ordinario non autem a Praelato inferiori rogatus fuerit. Item pontif. signa adhibere in pastoral. visitationibus Ecclesiarum sibi subjectarum, nimirum ad absolutionem pro def. et ad visitationem SSmi dumtaxat; praeterea in processionibus pro causa publica infra ambitum et districtum Ecclesiarum sibi subjectarum sol. habendis et in conferenda clericali Tonsura et quatuor minor. Ordinibus subjectis sibi Monachis et in consecratione altarium portatil., patenarum et calicum aliisque benedictionibus, in quibus s. olea adhibenda sunt. Denique ut pro usu Ecclesiarum sibi subjectarum tantum liceat ei benedicere s. indumenta et suppellectilia, cruces, imagines, vasa s. et campanas necnon consecrare calices, patenas et altaria tantummodo portatilia, dummodo tamen, quotiescunque juxta Pontif. rom. sacra unctio adhibenda est, fiat cum oleis et chrismate ab aliquo catholico Antistite benedictis seu confectis. In reliquis serventur decreta. Sanctitas Sua benigne annuit. N. 4352 die 18. Augusti 1770.

Ad dub.: Utrum Canonici mitrae et crucis pectoralis privilegium habentes uti possint etiam baldistorio, chirotecis

dalmaticis, sandaliis, palmatoria, gremiali, baculo sine velo pendente, dum sol. celebrant? S. C. resp.: Strictim standum privilegio. n. 4863. ad 2 die 3. Aug. 1839.

Confirmantur et ampliantur quaedam privilegia Canonicorum Metropolitanae Lucen. quoad Insignia.

Benedictus XIII. Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in supremo apostolicae potestatis Throno, disponente Domino, super universas Orbis Ecclesias constitutus, ad illas praesertim suae indefessae mentis aciem convertit, ut divinus Cultus in eis, ut par est, in dies suscipiat incrementum Ecclesiarumque ipsarum Majestas magis elucescat, singulari sua benignitate personas in eis Altissimo famulantium speciosioribus ornamentis et honorum titulis decorare atque illustrare consuevit, prout Ecclesiarum et personarum earundem qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliam Ecclesiam Lucanam, quae singularibus insignita praerogativis et conspicuis ornamentis et honorum titulis decorare praefulget, felicis record. Julius Papa III. Praedecessor noster, extendendo et ampliando literas apostolicas Lucii III., Alexandri etiam III. ac Martini V. Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, in quibus Praedecessores hujusmodi, quod tunc existentes Capitulum et Canonici praefatae Ecclesiae Lucanae eorumque successores in certis tunc expressis anni solemnitatibus pluvialibus induti, dum Divinis inservirent, mitram albam sericeam ad instar Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium gestare possent, respective concesserant, quam pluribus aliis privilegiis et gratiis decoraverit et inter alia eisdem Capitulo et Canonicis, quod ipsi Capitulum etiam in paschalis resurrectionis dominicae, ac Pentecoste et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi omniumque Sanctorum ac singulis Beatae Mariae Virginis respective festis diebus, seu quoties eos processionaliter aut capitulariter vel ad aliquas Ecclesias civitatis Lucanae in quibusdam Ecclesiarum ipsarum solemniis, prout moris est, accedere sive in dicta Ecclesia Lucana festa duplicia et Sanctorum corporum in illa degentium solemnia per eos celebrari seu unum eorum, per quem Missa decantari aut in celebratione vesperarum Pluviale induere contigisset, ad eorum libitum ac modis et formis per praefatos Praedecessores seu alterum eorum concessis seu alias, prout dictis Capitulo ac Canonicis expediens et concedens esse visum fuisset, eadem mitra uti libere et licite possent et valerent Apostolica auctoritate perpetuo per alias literas apostolicas Julius praeced. noster etiam concesserit et indulserit, ac alias prout in singulis literis hujusmodi desuper tunc confectis plenius continetur,

§. 2. Nos, qui Ecclesiarum omnium praesertim Cathedralium privilegia ad hoc ut divini cultus illis decentius et honorificentius peragatur, sarta recta persistere quinimo illa augere concupiscimus, attendentes ejusmodi Ecclesiae Lucanae illiusque Capituli et Canonicorum praefatorum decori consulere ac eosdem Capitulum et Canonicos amplioris gratiae favore prosequi volentes ipsosque et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine

quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorum vel aliquorum super hoc pro eorum parte Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione ac liberalitate nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine concessiones et indulta favore Capituli et Canonicorum per praefatos Praedecessores, ut praefertur, emanatas et emanata et super illis eorundem Praedecessorum desuper, ut praefertur, expeditas literas illarum tenores etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum expressis habentes Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo confirmamus et approbamus omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper in concessionum ac indultorum hujusmodi obtentu forsan quomodolibet intervenerint, Apostolica auctoritate praefata plenarie supplemus illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Ac insuper concessiones et indulta hujusmodi per Nos, ut praefertur, confirmatas ac approbatas ac confirmata et approbata, in Praedecessorum hujusmodi literis, ut praefertur, expressas et expressa pro praefatis Capitulis ac Canonicis, videlicet, quod post pontificalem majorem ac secundam, tertiam ac quartam in praefata Ecclesia Lucana dignitates respective obtinentes ac omnes et singuli Canonici ejusdem Ecclesiae Lucanae, etiam nunc et pro tempore existentes de cetero perpetuo futuris temporibus in praefatis anni festivitatibus et aliis temporibus ac ecclesiasticis functionibus in praefatis literis Praedecessorum hujusmodi expressis etiam absente Episcopo usu omnium Pontificalium ac omnibus insignibus abbtialibus ac cruce, anulo et baculo aliisque paramentis et indumentis ad instar Abbatum usum mitrae et baculi habentium gaudere necnon in suis armis et insigniis mitram et baculum apponi facere et addere, necnon populum inter missarum et officiorum divinorum hujusmodi aliarumque ecclesiasticarum functionum praefatarum solemnia de concensu tamen Ordinarii benedicere, prout dicti Abbates usum mitrae et baculi habentes supra populum solemnem Benedictionem impertiri solent, libere et licite possint et valeant seu quilibet eorum, possit et valeat, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo extendimus et ampliamus et quatenus opus sit, praemissa omnia de novo concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud s. Petrum Cal. Martii 1725.

(Bull. r. t. XIII. pag. 209. Ed. Luxbg.)

Benedictus PP. XIV.

Usus Pontificalium Capitulo et Canonicis Ecclesiae Archiep. Urbinaten. concessus.

In Throno justitiae super omnes gentes divina dispositione collocati ad ea potissimum, quae ab Ecclesiarum praesulibus pro extinquendis in Ecclesia Dei exortis abusibus utiliorique commissi gregis gubernio provida ratione prius ordinata et postea a Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. C. Cardinalium Almae Urbis Congregationibus, quae vocis nostrae organa sunt, decreta fuerunt, sollicitudinis et vigilantiae nostrae curae libenter convertimus, illaque dum divino cultui pastoralique dignitati prodesse comperimus, Apostolicae nostrae confirmationis robore communimus, prout arbitramur in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane pro parte Venerabilis Fratris nostri Antonii Guillelmi moderni Archiepiscopi Urbinaten. exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod alias et postquam fel. rec. Benedictus Papa XIII. Praedecessor noster per suas literas apostolicas tunc existentibus Capitulo et Canonicis Ecclesiae Urbinaten. ac dignitates in ea obtinentibus, ut ipsi tam in Dioecesi Urbinaten. absente vel praesente Archiepiscopo sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. C. praefatae Cardinali Legato de latere in Missis, Vesperis ac Laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar Abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possent et valerent, apostolica auctoritate perpetuo concesserat et indulserat eisque ut in eorum armis et insigniis mitram apponi facere et addere etiam valerent licentiam et facultatem dicta Apostolica auctoritate tribuerat et impartitus fuerat bon. mem. Thomas Maria Marelli, dum viveret, primum Archiepiscopus Urbinaten. et deinde Imolen. Episcopus tempore, quo ipse dictae Ecclesiae Urbinaten. praesidebat, modum et tenorem dictarum literarum tam in illarum interpretatione quam in decernenda earum executione praetereundo easdem literas, plura licet in eis non expressa continere et comprehendere declaravit in gravissimum dignitatis archiepiscopalis praejudicium.

§. 2. Qua propter, ubi primum dictus Antonius Archiepiscopus praefatae Ecclesiae Urbinaten. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae eadem Apostolica auctoritate in Archiepiscopum praefectus fuit, sublatis prius per eum nonnullis abusibus in celebratione divinorum officiorum inventis animum suum ad alios abusus, qui respiciebant usum Pontificalium aliarumque praerogativarum exercitium, quas tunc existentes Capitulum et Canonici dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentes sibi indebite arrogaverant, removendos convertit. Idcirco dilecto filio moderno dictae Ecclesiae praeposito significavit, quod ad judicium Congregationis ejusdem S. R. C. Cardinalium super ritibus ecclesiasticis praepositorum deferri poterat, quaenam praerogativae dilectis quoque filiis Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentibus praedictis vigore dicti indulti competerent. Sed perspiciens ipse Antonius Archiepiscopus, quod Capitulum et Canonici ejusdem Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentes praefati, moras nectendo, nil aliud cupiebant, quam in possessione praetensarum praerogativarum se confovere, censuit, pro muneris sui debito ac archiepiscopalis dignitatis defensione singula controversiarum capita in infrascriptis XIII dubiis disposita et inter partes concordata ac a dilecto similiter filio nostro Prospero s. Georgii ad velum aureum ejusdem S. R. C. Diacono Cardinali Columna de Sciarra nuncupato in controversia hujusmodi ponente subscripta eidem Congregationi proponere.

§. 3. Quorum dubiorum tenor est, qui sequitur, videlicet:

I.: An dignitates et canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint anulo, cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis et chyrothecis, praesertim nunc ornatis, in casu etc.?

II. An eaedem dignitates et canonici pontificaliter celebrantes uti

queant faldistorio et quatenus negative, quomodo sedere deberent?

III. An faldistorium debeat esse coopertum oloserico coloris currentis seu simplici panno?

IV. An uti valeant palmatoria seu bugia in pontificalibus et an in Missis lectis seu privatis?

V. An liceat eisdem in missa pontificali populum salutare dicendo: Pax vobis, loco dicendi: Dominus vobiscum.

VI. An post missas, vesperas aut matutinum in pontificalibus celebratum possint ipsi solemnem dare Benedictionem dicendo: Sit nomen Domini benedictum, *seu potius simplicem Benedictionem tantum post missam dicendo:* Benedicat vos omnipotens Deus, *cum unico seu cum trino signo crucis?*

VII. An dignitates et canonici in missis aut vesperis in pontificalibus celebratis benedicendo populum cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento dare possint trinam Benedictionem vel unicam tantum dare debeant?

VIII. An eaedem dignitates et canonici induti mitra aliisque paramentis ad instar abbatum, etiamsi missas aut vesperas in pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam Benedictionem?

IX. An possint pontificaliter celebrare missas in Ecclesiis Monialium absque consensu Archiepiscopi?

X. An in vestitionibus et velationibus monialium factis de commissione Archiepiscopi uti possint mitra?

XI. An in Metropolitana Ecclesia uti possint mitra et pontificaliter celebrare in missis defunctorum?

XII. An in insigniis et armis suae familiae appositis vel apponendis, in paramentis sacris aliisque rebus Ecclesiam concernentibus loco mitrae vel una cum ipsa pileum apponere valeant?

XIII. An dictae dignitates et canonici in processionibus Sanctissimi Corporis Christi incedere possint capite mitra cooperto?

§. 4. Et Sacra eadem Congregatio, utraque parte scripto et voce informante audita visisque juribus hinc inde deductis rescribendum censuit:

Ad I.: Affirmative juxta modum; modus est, quod in missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis necnon anulo cum unica gemma et cruce pectorali sine gemmis et amplius.

Ad II. Negative et sedere debeant in scamno cooperto tapete vel panno currentis coloris et amplius.

Ad III. Provisum in secundo et amplius.

Ad IV. Negative et amplius.

Ad V. Negative et amplius.

Ad VI. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unico signo et amplius.

Ad VII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, cum unica tantum et amplius.

Ad VIII. Negative et amplius.

Ad IX. Negative et amplius.

Ad X. Negative et amplius.

Ad XI. Negative et amplius.

Ad XII. Affirmative quoad mitram tantum et amplius.

Ad XIII. Negative et amplius.

Et ita decrevit ac servari mandavit die 29. Januarii 1752.

M. Marefuscus Sac. Rituum Congr. Secretarius.

§. 5. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat ea, quae Sedis Apostolicae munimine roborantur, firmius subsistant et exactius ab omnibus observari soleant, propterea que dictus Antonius Archiepiscopus, ne adversus decretum et mandatum ab eadem Congregatione super praemissis, ut praefertur, edita quidquam unquam sub quovis praetextu a modernis et pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac Dignitates in ea obtinentibus opponi seu illa impugnari aut eis contradici queat, plurimum cupiat, decretum et mandatum hujusmodi, pro majori illorum validitate et subsistentia ac inviolabili observantia, per Nos et sedem apostolicum praefatum perpetuo, ut infra, opportune approbari et confirmari: quare pro parte praedicti Antonii Archiepiscopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ei in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 6. Nos igitur, qui dignum et rationi consonum arbitramur honestis votis et petitionibus hujusmodi annuere et abusus praedictos potius a vanitate quam a pietate ministrorum interductos removere sinceris desideramus affectibus, eidem Antonio Archiepiscopo specialem gratiam facere volentes illiusque zelum et pietatem debitis laudibus commendantes ipsumque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati decretum et mandatum hujusmodi ab eadem Congregatione super praemissis, ut praefertur, edita, tamquam dignitatis archiepiscopalis respicientia ac ad abusus in Ecclesia Dei removendos tendentia apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illisque perpetuae, inviolabilis et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adjicimus illaque a praefatis modernis et pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis dictae Ecclesiae ac dignitates in ea obtinentibus aliisque omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illorum obsersantia et adimplemento hujusmodi ullo unquam tempore resiliri aut recedi debere.

§. 7. Easdemque praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari aut in jus vel controversiam vocari, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarnm revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio factis et faciendis comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per praefatum Antonium Archiepiscopum et successores suos dictae Ecclesiae Urbinaten. praesules pro tempore existentes, quomodocumque eligendos, concessas fore et esse suosque plenarios effectus fortiri et obtinere.

Constit. Bened. XIV. 28. Februar. 1752.

(Bull. r. t. XVIII. p. 261.)

Clemens PP. XIV.

(Arimini.)

Nos Capitulum Cathedralis Ecclesiae Ariminis speciali gratia prosequi volentes supplicationibus inclinati, Vobis dilecti filii, Praeposito, Archidiacono et Capitulo vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum solemnioribus, nempe: In Nativ. Dom., Resurrect. ac Pentec. cum duobus sequentibus resp. diebus, in festis Circumcis., Epiph., Ascens. et SS. Corp. Chr., in fer. 5. coenae D., fer. 6. Parasc. et Sabb. s., Dominica in albis et SS. Trinitatis, in festivit. Conceptionis, Nativ., Annunciat., Purif. et Assumpt. B. V. M., omnium SSrum, Nativ. s. Joannis B., ss. Ap. Petri et Pauli, s. Gaudentii ep. et m. et s. Columbae v. et m., in die anniv. dedicat. vestrae Cathedr. ac in commemor. omn. fid. def., dummodo in iisdem diebus Episcopus sol. et pontif. celebret, sicuti etiam aliis diebus, in quibus episcopus aeque sol. et pontif. celebrare voluerit et canonici juxta praescriptum Caer. Ep. s. paramenta assumere debeant, singuli vestrum vestrique successores in vesp. et missis sol. decantandis necnon in processionibus seu aliis hujusmodi functionibus, in quibus s. adhibentur paramenta, tam in dicta Cathedr. quam in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ejus ecclesiis, in quibus ad Sacra sol. peragenda tam Episcopus quam Capitulum collegialiter accedere consueverint vel in futurum contingeret, *mitra simpl. ex tela linea* (praesente etiam S. R. C. Cardinali et de latere necnon provinciae Romandiolae Legato) *uti libere et licite possitis et valeatis,* tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Quodsi Episcopus in enunciatis festivitatibus absens fuerit vel praesens non celebret, sicut etiam in process. litan. majorum et minorum, quas idem Episcopus per se ipsum non peragit, dignitati seu canonico tantum hujusmodi functiones peragenti, *ut indumenta pontif, s. actionibus resp. convenientia, nempe: mitram simpl. ex tela aurea, absente Episcopo, ex tela vero linea, praes. Episcopo vel S. R. C. Cardinale, crucem pectoralem sine gemmis, anulum cum unica gemma, sandalia et caligas ex holoserico, chirothecas, tunicellam et dalmaticam necnon faldistorium ligneum holoserico currentis coloris non autem ex tela aurea vel argentea coopertum et ministrum de candela seu palmatoria inservientem* habere licite et libere possit et valeat tenore praesentium concedimus *caeteris Canonicis usu mitrae, quotiescumque Episcopus pontif. per se ipsum non celebret et s. paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto.*

Praeterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa in Cath. vel in aliis ejusd. civitatis et suburbiorum ecclesiis, in quibus vel praesente vel absente Episcopo Capitulum colleg. conveniat, peragatur, dignitati seu canonico in missa et vesperis sive etiam process. celebrantis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra et resp. convenientibus indumentis pontif. supra enunciatis uti possit, *dummodo licentiam singulis vicibus ab Episcopo obtinuerit.*

In exequiis vero def., in quibus juxta pontif. rom. p. III. tit. 2. de officio, quod post missam sol. pro def. agitur,

et Caer. Ep. l. II. c. II. dispositionem conveniens est, ut fiant absolutiones tam ab ipso Episcopo celebrante quam ab aliis quatuor Episcopis vel Praelatis, si adsint, vel in defectum Episcoporum a 4 primis dignitatibus vel canonicis, hujusmodi quatuor dignitates vel canonici absolventes in actu tantum absolutionum praedictarum mitra simili uti possint, facultatem tribuimus.

Inhaerentes autem S. R. C. decreto die 29. Jan. 1751. edito volumus ac districte praecipiendo mandamus, *ne dignitas aut canonicus celebrans praesumat ullo modo vel pontif. indumentis ad altare aut in choro indui vel populum trina bened. benedicere vel cum formula episc. „Pax vobis" salutare vel pastorali baculo uti.*

Nullus vero sive canonicus sive dignitas in processione ss. Corp. Chr. missam in capite gestare aut mitra in aliis praeterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere et addere possitis, licentiam impertimur.

Non obstantibus quibuscumque etc.

Romae die 16. Oct. 1771.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 377. Ed. Rom. 1841.)

Ad dubium: Quid permissum, quid vetitum sit dignitatibus et canonicis Metropolitanae Baren. ex Apostolica concessione tam in civitate quam in dioecesi, absente etiam pro tempore existente Archiepiscopo in missis, vesperis, laudibus et horis canonicis solemniter decantandis ac etiam in processionibus sive supplicationibus, benedictionibus candelarum cinerum, palmarum et fontis baptismalis, ac reliquis ecclesiasticis functionibus, pontificalibus insigniis aliisque indumentis et paramentis, in omnibus et per omnia ad instar aliorum Capitulorum et Canonicorum, qui eodem fruuntur speciali Apostolico indultu, uti licite et libere valeant!

Et Emi P. S. eidem C. praepositi.. respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Jam alias fuisse decisum, quid permissum, quid vetitum sit dignitatibus et canonicis, qui apostolico gaudent privilegio, prout in dubio expressum est, et dentur decreta in Panormitana 22. Apr. 1684. et Urbinaten. 29. Jan. 1752."

Et ita responderunt et censuerunt die 20. Apr. 1822. N. 4585 ad 1.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Decet quammaxime, ut celebriores Cath. Ecclesiae ac potissimum quae metropolico jure gaudent, honoribus et privilegiis cumulentur ac extrinseco etiam apparatu ab aliis distinguantur. Consulere volens earumdem splendori apostolica Sedes sacros quoque post antistitem primi ordinis divini cultus ministros, quos dignitates et canonicos dicimus, nonnullis augere solet praerogativis ac honorificis donare Insigniis. Plurimum haec conferunt ad conciliandam Ecclesiae venerationem et sacris functionibus decus et ornamentum. Verum privilegia hujusmodi certos inter confines continentur, quos vel falsis interpretationibus vel arbitrariis illationibus et extensionibus a mente concedentis alienis praetergredi nefas est. Quod si fiat, et utinam non frequenter, ac alicubi dignitates et canonicos praeter concessos alios sibi indebitos honores usurpasse delatum sit. Apostolica Sedes sollicita est, ut qui invaluere abusus, corrigantur et eliminentur, ac opportunis remediis pro-

videatur, ne in posterum iterum prodeant aut alii noviter exoriantur. Idcirco multa digna est commendatione religio et vigilantia Episcoporum, qui, dum privilegia suis concessa Capitulis tuentur, simul curant, ne quid fiat praeter vel contra terminos concessionis vel quod non sit sufficienter expressum. Non enim in privatorum arbitrio relinquendum id declarare, quod forte obscurum est, sed in dubio facilis est recursus ad Sacras C., quarum est jus dicere et pro diversitate rerum quaestiones solvere. Id probe intelligens Barensis Antistes, ne a suae Metropolitanae Ecclesiae Capitulo hujusmodi privilegiis condecorato quidquam fieri contingat, quod praescriptis regulis adversetur, indebitas sibi honorificentias asserendo, ac si essent in privilegio concessae, S. C. rogavit, ut declarare dignaretur, quid per indulta insignia, quid per pontificalium usum permissum sit, quid vetitum. Generali huic quaesito ut satisfaceret S. C., quin novum Decretum conderet, alia potius jam pridem edita servari mandavit, in quibus opportune declaraverat, quid in similibus quaestionibus licitum esset, quid vero illicitum; ac rationem praecipue habendum esse sancivit bini decreti in *Panormitana**) *22. Apr. 1684 et in Urbinaten. 28. Febr. 1752.***) Etenim dum conceduntur insignia pontificalia ac etiam, expressis verbis, Pontificalium usus, non ea omnia indulta intelligi debent, quae ob ordinis dignitatem solis de jure scripto competunt Episcopis. Abbates, etiamsi jurisdictione fruantur et subditos habeant, conformari tenentur generalibus decretis *ab Alexandro VII.* confirmatis et jussu *Benedicti XIV.* iterum editis, adjecta epistola encyclica ad omnes locorum Ordinarios, quibus committitur exacta eorumdem decretorum observantia. Neque licet a regulis praescriptis discedere, nisi quid insuper uni vel alteri specialiter fuerit indultum. Quod autem permissum non est abbatibus, multo minus licitum erit dignitatibus, quibus nonnisi ad honorem et ad augendum splendorem Ecclesiae, cui inserviunt, intra arctiores fines privilegia tribuuntur. Quod si per errorem vel per arbitrariam extensionem usus invaluerit, praeter vel contra praescripta in indultu, abroganda omnino est inducta consuetudo cunctaque ad formam indulti restituenda veluti declaratum fuit a S. R. C. solemni decreto, pontificia auctoritate probato et apostolicis literis in forma brevis confirmato in *Urbinaten.*, licet rationes urgerent, aliquo modo cohonestandi, quae per excessum fieri consueverant. Quippe Archiepiscopus Urbini alter ex executoribus impertitae gratiae Benedicti XIII. suae Metropolitae Capitulo, utendi pontificalibus Insigniis, declaraverat vigore apostolici Indulti, Dignitates et Canonicos posse uti *faldistorio, presbytero assistente, palmatoria etiam in missis privatis, non praesente tamen S. R. C. Cardinali vel Archiepiscopo, benedictionum cum trino crucis signo elargiri in functionibus.* Hoc autem exequutoriale Archiepiscopi decretum in omni sua extensione obtinuit ab anno 1729 ad 1752.; nihilominus, non obstante hujusmodi pacifica possessione, excitatis dubiis a novo Archiepiscopo, S. C. eliminanda decrevit, quae inducta fuerant praeter vel contra firmam apostolici indulti declarando: permissum fuisse dumtaxat *in Missis solemniter decantandis uti pontificalibus indumentis, nempe caligis, sandaliis et chirothecis non ornatis auro, anulo cum unica gemma, cruce pectorali sine gemmis*, in re-

*) Vd. *hoc decret. infra.*

**) Hoc decretum vd. *supra* in Constit. Benedicti XIV. inclusum p. 627.

liquis *non licere uti faldistorio et palmatoria. nec salutare populum in Missis pontificalibus dicendo:* Pax vobis *loco:* Dominus vobiscum, *aut dare trinam Benedictionem, pontificaliter celebrare in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi, uti mitra in vestitionibus peragendis de commissione Archiepiscopi, celebrare cum indumentis pontificalibus missas defunctorum et incedere capite mitra cooperto in processione ss. Corporis Christi.* Atqui privilegium, quo gaudet Barense Capitulum, generalibus conceptum est verbis neque ab illo differt insignioribus aliis Capitulis concesso: poterunt utique illius dignitates et Canonici tam in civitate quam in dioecesi, etiam absente pro tempore Archiepiscopo, in missis, vesperis, laudibus et horis canonicis solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, fontis baptismalis et aliis ecclesiasticis functionibus pontificalibus Insigniis aliisque indumentis uti ad instar aliorum Capitulorum et Canonicorum, qui simili perfruuntur indultu, non autem aliis honorificis praerogativis nisi fuerint specialiter, expressim, nominatim concessae. Privilegia siquidem id tantum permittunt, quod liberaliter habent expressum: id praecipue obtinet in subjecta materia, nam, ut verbis utar *Glossae in cap. Abbates verb. Quod si Papa de privilegiis in 6., istud privilegium tendit in diminutionem episcopalis dignitatis, ideo stricte debet interpretari, ut minus laedat.* Laederet tamen, si via daretur interpretationibus et extensionibus; quamobrem, quae praeter vel contra expressum in privilegio inducta fuerant in Metropolitana Urbini S. C. Decreto a *Benedicto XIV.* confirmato fuerunt reprobata et vetita, privilegiumque ad tramites juris redactum. Responsum autem S. C. quoad Barense Capitulum haberi potest, ac debet tamquam regula generalis omnino servanda in aliis Cath. Ecclesiis, quae simili gaudent privilegio. Nam sub ea generica formula indulta dumtaxat censenda sunt pontificalia insignia, non pro arbitrio et ad placitum, sed in solemnioribus quibusdam diebus et functionibus adhibenda, in quibus vel Episcopus pontificaliter celebrat vel processiones aliave solemnia peraguntur, in quibus, juxta Ecclesiae ritum et libri caeremonialis dispositionem, Dignitates et Canonici, depositis choralibus indumentis, s. vestes sumere debent. Sciscitari quis posset, quoties quibusve diebus pontificalia peragere sit privilegio permissum ac insuper, qui in iisdem modus servandus. Nulla quaestio de modo, quia huic satis provisum videtur per bina laudata decreta in *Panormitana et Urbinaten.;* nihil tamen positiva lege definitum est de diebus in quibus Dignitates vel Canonici queunt pontificaliter celebrare: optandum vero, ut id a S. R. C. tandem definiatur, ne quoties libuerit, id fieri per abusum contingat. Non iisdem arbitror plus concessum, quam per decreta generalia *Alexandri VII.* Abbatibus aliisque praelatis Episcopo inferioribus competere declaratum fuit. His data facultas ultra tres vices per annum non extendetur, nisi alio speciali indultu se tueantur. Hanc tamen regulam stricte a Dignatibus et Canonicis teneri haud posse non diffiteor, quum non unus dumtaxat indultu gaudeat, ut Abbas est, sed integrum corpus eo fruatur, solemniores missae per turnum distribuantur, servato ordine dignitatis vel antianitatis, praeter illas, quae celebrari debent vice Episcopi vel nolentis vel impediti a prima dignitate et, hac impedita, ab alia, quae immediate sequitur. Nihilominus op-

portunum esset certum praefinire numerum diesque designare, in quibus Pontificalia licent; secus irripere abusus posset cantandi Missam in Pontificalibus singulis diebus festivis, in quibus celebrat Dignitas vel Canonicus cum ministris paratis, quod esset contra mentem concedentis. Dies autem permissi esse possent, in quibus Dignitas vel Canonicus celebrat vice Episcopi, eo praesente vel absente, aut etiam, in quibus juxta dispositionem Caeremonialis, Episcopus in Pontificalibus assistit, et ab aliqua Dignitate ordine successivo vel seniori Canonico Sacrum solemne conficiendum est. Censerem quoque privilegium obtinere posse extra Cathedralem in Ecclesiis eidem immediate subjectis, recurrente Dedicationis Anniversario vel Titularis Festo, dummodo Capitulum intersit. Super his tamen aliisque regulis, quae ad abusus eliminandos dari possunt, plura non eloquar, quum S. C. judicium exspectandum sit.

Decretum.

Ex Romanorum Pontificum indulgentia certa quaedam illustria honoris Insignia Collegiis Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et Ordinis majestas commendaretur magis et ipsa Sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio, ut, quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt quaerelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus violari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum personarumque ratione, quod ex primoribus ex ecclesiastica Hierarchia datum dignoscitur.

Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit S. Rit. Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium Pontificalium Collegiis Canonicorum Insigniorìbus libenter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit, praesertim in Panormitana die 22. Aprilis 1684 et in Urbinaten. die 29. Januarii 1752. *(Vd. p. 627.)*

Novis tamen et deterioribus adhuc percrebescentibus adversus haec instituta consuetudinibus nonnullisque dubiis nuper delatis super usu Pontificalium in Metropolitana Ecclesia Baren., *) placuit SSmo Domino Nostro Pio Papae Septimo rem universam eidem S. Congregationi discutiendam demandare, quae, exquisita prius sententia Sacrae Congregationis Caeremonialis Secretarii itemque Sedis apostolicae Caeremoniarum Magistri cunctisque rationum momentis accurate diligenterque perpensis edendum censuit decretum, quo Pontificalium privilegia declarantur certisque legibus ad Ritualium praescriptionum normam coerceantur.

Ejus porro Decreti incip.: „*Decet Romanos Pontifices*“ articuli sunt, qui sequuntur:

1) Sacra peragere ritu pontificali de jure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

2) Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori statutis tantum

*) Vd. pag. 632.

diebus, in propriis Ecclesiis ab episcopali jurisdictione exemptis et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alex. VII. a Benedicto XIV. confirmata.

3) In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4) Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere absque speciali apostolicae Sedis privilegio.

5) Quodcumque privilegium ad augendum Insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

6) Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem et Assistentes cum Insigniis pontificalibus.

7) Nam Celebranti quaedam competere possunt pontificalia Insignia, non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent Indumenta.

8) *Sub generico ornamentorum pontificalium nomine*, quae ex privilegio apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat ex pluries decisis a Sacra Congregatione: *caligae, sandalia non auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, Dalmatica, Tunicella, Anulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris.*

9) Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas aut Rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec sed aliqua dumtaxat Insignia permittat.

10) Qui vero in Missa solemni Diaconum et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici, nec Mitram nec ullum aliud pontificale indumentum nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

11) Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum Insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis vel impediti vel vita functi aut in quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum Pluviali et Mitra; in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrant more solito.

12) In Ecclesiis Civitatis et Dioecesis cum Insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus solemnitatibus, assentiente et assistente Capitulo.

13) Nunquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum Pluviali et Mitra, sed celebrent more solito.

14) Si Dignitas vel Canonicus etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum vel Novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus Insigniis uti nequeat, nisi de expressa licentia, qua obtenta iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

15) Cum pontificalibus Indumentis Celebrans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in samno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

16) Nequit praeterea tam in solemni quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum ℣.: *Pax Vobis* loco ℣.: *Dominus Vobiscum* aut trinam dare Benedictionem post Missam vel cum Sacramento; et si quae sunt alia, quae solis competunt de jure Episcopis et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his Pontificalia peragere, statis diebus concessum est.

17) Dignitates, Canonici, Rectores, etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, Mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris Indumentis videlicet: Pluviali, Casula vel Dalmatica amicti, in Processionibus SSmi Corporis Christi, Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis impediti aut vita functi.

18) Assistentes Episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant aut cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

19) Solemniter celebrantes dum Episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit stent sine Mitra.

20) Non licet eis uti pulvino sub genubus, Episcopo praesertim assistente.

21) Non adhibeatur Acolythus ad tenendam Mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. solemniter celebrante vel Sacramentum in Processionibus deferente.

22) Dignitates, Canonici, Rectores in Processione SSmi Corporis Christi sacris Indumentis amicti Mitram manu deferant nec eadem caput operiant.

23) Praeterea reliqua omnia, quae non sunt privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24) In Missis privatis quoad Indumenta, Caeremonias, Ministros, altaris ornatum, a simplicibus Sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras Vestes in Secretario, non *utantur cruce pectorali*, unico Ministro contenti sint,*) non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo et duo tantum candelae luceant in altari.

25) Defuncti nequeunt in loculo efferri nec tumulari cum Mitra.*)

26) In eorumdem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito non apponatur Mitra.**)

27) In Insigniis seu Stemmatibus Familiae Mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in Literis apostolicis.

28) Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad Sacram Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in S. Congregationem perpendenda deducant, ut, quod e canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SSmo Domino Nostro, eadem Sanctitas Sua cuncta in hoc decreto sancita benigne adprobavit atque in

---

*) Vd.: *Missa privata Dignitariorum etc.*
**) Cf.: *Mitra; Tumulus.*

actis S. R. C. referri necnon literas apostolicas sub plumbo de eodem mandavit. Hac die 27. Augusti 1822 n. 4593.

Vd. etiam Bull. r. Contin. t. XV. pag. 618.

Sequitur Constitutio SS. D. N. Pii PP. VII., qua confirmantur praefata Decreta.

Pius, Episcopus Servus Servorum Dei.

Decet Romanos Pontifices pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, quae per eos identidem decernuntur, privilegia praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari aliorumque jura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem sacris Ritibus praepositam discussa opportune praefinire, quidnam juris inducant Mitrae ac Pontificalium usus aliaque id genus Insignia, quibus placuit apostolicae Sedi Abbates Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores ad quaedam Canonicorum Collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII. Praedecessor Noster, habita coram se sacrorum Rituum Congregatione die 27. Septembris anno 1659 decretum sancivit, quo leges traduntur de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. Constitutionem, quae incipit: *In Throno Justitiae**) edidit 13. Cal. Martii anno 1752, ad decreta adprobanda, quae eadem Congregatio vulgaverat de privilegio Pontificalium, quo Urbinatense Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

Haec vero aliaque in eam rem data decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignoratione sua interdum executione carere multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciciuntur, quae ab apostolicae Sedis indulgentia ad cultum religionemque in Sacrorum tractatione ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco et graves quaerelae perlatae ad Nos sunt, ut et episcopalis Ordinis Majestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus episcopalis dignitas splendescit, sibi adtributa arbitrantur et accuratam sacrorum Rituum observantiam vindicemus, quos talium concessionum praetextu impune perstringi admonemur.

Ne itaque usus hujusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus id adhibentes remedii, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant: neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu Pontificalium in Metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum injungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, decretum ab eadem prolatum est die 27. Augusti anni proximi praeteriti, quod hic adjungimus, videlicet: „Ex Romanorum Pontificum indulgentia etc.“

(*Hujus decreti tenorem omittimus, quia supra habetur pag. 635.*)

Hoc porro decretum ac rationum

*) *Hanc constitutionem vd. supra p. 627.*

momenta caeterasque s. Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum hujusmodi usu plura incommoda redundare haud parum detrahi splendori episcopalis dignitatis, quam sartam ubique ac tectam Nostri est muneris protueri, idem decretum, ut illius dispositio firmius subsistat atque accuratius observetur ab omnibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium adprobamus et confirmamus eique perpetuae inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adjicimus illudque ab iis omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri nec ab illius observantia et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

Praeterea hisce nostris apostol. literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac, quatenus opus sit, denuo adprobamus et sancimus, quae per Praedecessores Nostros ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato decreto diei 27. Septembris 1659 illiusque declaratione edita sub die 20. Julii 1670 necnon per fel. recor. Benedictum XIV. sub Constitutione, quae incipit: *in Throno justitiae*: atque per sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus et Canonicis attributo.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibns, Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis per apostolica scripta mandamus, ut praesentes nostras literas atque omnia et singula in eis statuta faciant Auctoritate Nostra debitae executioni demandare illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Praesentes autem literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari aut in jus vel controversiam vocari nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Sedem apostolicam praedictam sub quibusque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio facto et faciendis comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse suosque plenarios effectus sortiri et obtinere.

Sicque et non alias per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii apostolici Auditores ac praefatae S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios judicari et definire debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctorite scienter vel ignoranter contigerit, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, Ecclesiarum, quarum Capitulis pontificalia Insignia concessa reperiuntur, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Literis apostolicis, quibusvis personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum

quomodolibet forsan concessis, confirmatis et invocatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficientes expressis et insertis habentes, illis alias suo robore permansuris, latissime et planissime ac specialiter et expresse necnon opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum ac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium Transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae adprobationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 4. Julii 1823.

H. Cardinalis Consalvus.

A. Benigni Sub. Dat.

Visa de Curia: D. Testa.

(Loco † Plumbi.)

F. Lavizzarius.

(Vd. etiam Bull. r. Continuatio t. V. pag. 618.)

Hydruntin.

S. R. C. humillime exposuit Rmus Hydruntin. Archiepisc. illa in Provincia sensim Canonicos omnes sine speciali privilegio sibi vindicasse quaedam specialia honoris insignia quasi sibi debita, ex quo renunciantur Canonici, gestandi nimirum in galeris cordulas cum floccis et caligas violacei coloris, quosdamque ex ipsis etiam anulum; propterea pro sui muneris parte quaesivit: An usus a Canonicis tum Cathedralium tum omnium Collegiatarum pluribus abhinc annis inductus deferendi sericos in galeris floccos et caligas violaceas, quae jam in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris aut personatus insignia, prohiberi debeat vel tolerari, quum timeri possit, an idem censendum sit de usu anuli aut in quibus circumstantiis? S. eadem C. ad Vaticanas aedes ordinariis in Comitiis infrascripta die coadunata ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite consideratis atque examinatis rescribendum censuit: „Moderandam esse consuetudinem juxta Constitutionem: *Decet Romanos Pontifices*, s. m. Pii Papae VII. quarto Nonas Jul. 1823. editam: quoad vero anuli usum serventur decreta pluries edita, praesertim in Beneventana pie 13. Sept. 1670. ad dubium 2., quo anuli delatio in missa est vetita omnibus Sacerdotibus, etiam si sint protonotarii titulares, dignitates et canonici Cathedralis.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4382; die 11. Apr. 1840.

Neritonen.

Pluribus praerogativis et honorificentiis a tempore, cujus initii memoria non extat, fuisse potitos Archipresbyteros pro tempore Collegiatae Ecclesiae B. M. V. ad nives Oppidi

Cupertini quondam nullius, nunc autem Neritonem. dioecesis, evidentissime evincunt Literae in forma Brevis sa. Me. Clementis XI. die 29. Decembris anni 1713., quibus tunc temporis Archipresbytero illa confirmabantur. Vulgata vero per sa. Mem. Pontificem Pium VII. constitutione: *Decet Romanos Pontifices*, qua ad praescriptum canonicarum Sanctionum indulta quaelibet et privilegia erant revocata, arbitratus est Reverendissimus Archiepiscopus Neritonen. hujus vigore hodierno etiam Archipresbytero ab assertis juribus abstinendum, cujus sane jussu facessere hic illico studuit. Quoniam vero, ne cuiquam praejudicium inferri videretur, cautum fuit in laudata constitutione, ut, si qui amplioribus privilegiis se decoratos arbitrarentur, haec ad S. R. C. deducerent perpendenda, hinc Vincentius Maritati Archipresbyter Cupertinus ne sibi et successoribus pro tempore Archipresbyteris s. Mariae ad nives oppidi Cupertini Neritonen. Dioecesis ex acquiescentia praejudicium aliquod inferatur, exhibitis juribus, quae favere possunt, sacram Congregationem rogavit pro manutentione et, quatenus opus foret, pro nova privilegiorum confirmatione.

Et eadem S. R. Congregatio praerequisitis rationum momentis serio diligenterque perpensis referente eminentissimo et reverendissimo Domino Card. Falzacappa ponente rescribendum censuit: „Affirmative quoad trinam benedictionem et quoad anulum tantum.“ n. 4614.

Die 5. Martii 1825.

Facta autem SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo relatione Sanctissimus annuit.

Die 8. dicti mensis et anni.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Dum S. R. C. *a fel. record. Pio VII.* deputata in peculiari conventu die 27. *Augusti 1822.* providis legibus modum imposuit Capitulis et Canonicis, quibus insignium pontificalium usus vel exercitium aut utrumque indultum est, ne sibi indebitos usurparent honores, utque ab usurpatis inposterum desisterent, simul addidit per statutas leges apostolica auctoritate firmatas, ope Constitutionis*: Decet Romanos Pontifices etc., editae IV. Nonas Julias 1823.* nullum inferri praejudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata. Sed quoniam evenire facile poterat, ut aliqui perperam interpretando hanc exceptionem et praeservationem eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi et honorificentias in decreto et constitutione non expressas adhibere, ac si essent speciali indultu vel immemorabili consuetudine, quae justum supponit titulum, roboratae, ideo cautum consulto fuit, ut si quae sunt, aut esse putantur hujusmodi privilegia in sacra Congregatione perpendenda deducantur ad effectum opportune decernendi, quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit. Latae legi obtemperans Neritonensis Antistes et Apostolicae Constitutioni §.: *Quo circa* praecipienti locorum Ordinariis, *ut praesentes nostras Literas et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debita exequutioni demandari illaque inviolabiliter observari:* interdixit quasdam honorificentias et praerogativas, quas agnovit nec expressas nec permissas in praefatis decretis et subsequenti Apostolica Constitutione Archipresbytero primae dignitati insignis collegiatae Castri Cupertini, qui, licet nec injuria nec perperam iisdem uteretur, reverenter tamen mandatis paruit. Verum cum

bonum jus habere crederet, ne sibi suisque successoribus detrimentum silentio afferet, e re sua esse duxit S. C. rogare, ut dignaretur declarare, privilegia, quibus hucusque usus fuit, legitime fuisse inducta ac propterea in possessione ipsum esse manutenendum. Eminentissimi autem Patres sacris tuendis Ritibus praepositi inhaerentes dispositioni §. *Si quae vero* etc. antedicti decreti abnuerunt ab iis, quae documentis destituebantur, veluti erat mos *sumendi ex altari paramenta, adhibendi assistentem ministrum supra numerum, sedendi in mobili sede coriacea*, et coercendas praerogativas declaravit dumtaxat ad duo, videlicet, quoad trinam benedictionem et quoad anulum. Ita habetur in supra relato decreto. de his namque plene constabat praesertim ex actis visitationis peractae *anno* 1686., in qua Episcopus cognovit: *Che il Reverendo Arciprete di Copertino aveva il privilegio* ab immemorabili *di benedire il popolo col Sanctissimo Sagramento con tre Croci, come suole benedire il Vescovo, ed anco tiene privilegio di celebrare la Messa, o solemne, o privata con lo anello in dito.* Propterea hujusmodi praerogativas approbavit confirmavitque. In instrumento vero possessionis datae proviso *a felic. recordationis Clemente XI. de Archipresbyteratu* legitur eumdem admissum in possessione fuisse: *Apponendo in uno ex ejus digitis anulum gemmatum, quem continuo gestare debet et tam solemnibus quam privatis missis et ubique locorum, ac pariter in triplici benedictione populi cum Venerabili Sacramento ad instar Episcopi, ut ex privilegio etc.*

Facti seriem exponere opportunum duxi, immo id consulto feci, ut, qui in casibus huic affinibus versantur, intelligant, quae fuerit mens Sac. Congr., dum decreto generali adjecit clausulam *praeservativam*, quae simul *suspensiva* est. Qui enim in dignitate aliqua constituti pontificalibus fruuntur Insigniis vel etiam exercendi Pontificalia habent in more, ne credant sibi licere usum honorificum alicujus praerogativae, quam sibi debitam, praeter expressas in decreto et Apostolica constitutione, arbitrantur vel ex privilegio vel ex consuetudine priusquam jura ad Sac. Rit. Cong. deducant et hujus decisionem obtineant. Nam non datum est ipsis de legitima possessione decidere, sed examen et judicium eadem Sac. Cong. sibi reservavit et semper est parata juxta canonicas sanctiones ad confirmandum privilegia, si quae legitima repererit, vel immemorabilem consuetudinem, si plene probatam cognoverit. Sciant quoque Episcopi aliique locorum Ordinarii onus sibi injunctum exequendi praefatum generale decretum, quod utpote Apostolica auctoritate firmatum vim legis universalis obtinet: proindeque, si in respectivis Dioecesibus aut separatis Territoriis quid inductum invenerint vel praeter vel contra in decreto indulta et specialiter expressa, jubere debent, ut adamussim servetur idem decretum; et interea, specialis praerogativae usu suspenso, ad Sac. Rit. Cong. deducantur documenta, ut eadem, juxta casuum diversitatem et documentorum pondus, providere possit et quid in posterum servandum sit, praecipere, veluti in praefato casu Archipresbyteri Collegiatae Castri Cupertini Dioecesis *Neritonensis* factum est.

Lycien.

Facultas dignitatibus et canonicis cathedralis Lyciensis celebrandi in pontificalibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quantum splendoris ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum Sacerdotibus suis in Sacris faciendis praescripsit vestes sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus interdum particularia ornamenta deferenda concessit.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae Lyciensis nuper exponi fecerunt, ipsi apostolico indulto utendi mitra gaudeant ac eadem cathedralis ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrorum suppelectilium copia sacrorumque ministrorum numero, probitate et doctrina ita floreat et floruerit, ut nonnulli ejus Episcopi ad amplissimum S. R. C. Cardinalium ordinem unus etiam ad summum pontificatus apicem fuerint evecti, cumque praeterea accedat ipsius Lyciensis civitatis celebritas, quae tanta est, ut non modo capitalis illius provinciae existet sed etiam regali studiorum universitate decorata, atque novendecim regularibus utriusque sexus conventibus et monasteriis ac variis conservatoriis, orphanotrophio aliisque piis institutionibus locupletata reperiatur, multum splendoris et ornamenti ad ecclesiam et civitatem hujusmodi accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi susciperet incrementa si ejusdem cathedralis dignitates ac canonici novis praerogativis per Nos et hanc sanctam Sedem donentur.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si qua forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis presbyteris dictae cathedralis ecclesiae Lyciensis, ut in Ecclesia praedicta ac etiam in aliis ejusdem civitatis et dioecesis Lyciensis ecclesiis pontificalia deferre ac in pontificalibus celebrare ad instar dignitatum et canonicorum metropolitanae ecclesiae Neapolitanae in omnibus et per omnia (excepto tamen pastorali seu abbatiali baculo) libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus dictosque dignitates et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari et perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 2. Oct. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 243. Ed. Romae.)

Confirmatio privilegiorum et consuetudinum ecclesiae metropolitanae Ravennatensis.

Leo PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quae provide sapienterque per felicis recordationis Pium PP. VII. decessorem Nostrum sua Apostolica quarto Nonas julias elapsi anni millesimi octingentesimi vicesimi tertii

edita constitutione ad privilegia, quibus nonnulla canonicorum collegia cohonestata fuere, praestitutis legibus continenda, ut sacrorum Rituum congregationis decreto diei vicesimae septimae Augusti millesimo vicesimo secundo super declaratione usus pontificalium robur ac firmitas accederet, sancita sunt, capituli metropolitanae ecclesiae Ravennatensis decora et privilegia alias a praedecessoribus Nostris concessa magis magisque declarant atque confirmant. Vetustissima siquidem illa Ravennatensis metropolitana ecclesia innumeris pene praeclarisque clara nominibus, quae ex testimonio felicis recordationis Innocentii PP. III. praedecessoris Nostri quasi primogenita est apostolicae Sedis, dum sanctus Apollinaris, postquam cum Apostolorum principe Antiochia Romam venerat, ab ipso divo Petro ordinatus episcopus Ravennam ad Christi domini evangelium praedicandum mittitur; multis cumulata sanctorum exuviis, qui ibidem pro Christo primi episcopi exemplo adducti fortiter dimicarunt, est tantisque meritis vetustae recentisque memoriae celebrata a summis etiam romanis pontificibus praedecessoribus Nostris fuit cohonestata peculiaribus ornamentis atque insigniis ad divini cultus incrementum atque ad uberiorem sacri ministerii et ecclesiasticae disciplinae fructum et dignitatem. Biscentorum quasi anorum spatio hisce condecorati privilegiis canonici recensitae Metropolitanae libere et licite pereniter quoque illis uti quibant, dum praelaudatus decessor Noster Pius PP. VII. apostolicam edidit constitutionem praedictam, ut sacrorum Rituum congregationis decretum memoratum super declaratione usus pontificalium confirmaretur, quoniam nullo unquam tempore proprio indulserunt ingenio, sed tantum solemnes sacrorum ritus peregerunt juxta indultorum placitum. Ast inspectis iis, quae ipsa in institutione sancita sunt, nimirum: Si quae vero capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in sacram congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur — propriis maluerunt carere insigniis quam inter inobedientes recenseri atque adnumerari modicoque subsistentes tempore, quo possent modum et ordinem adhibere in afferendis privilegiorum momentis ex autographis desumptis, sacrorum Rituum adivere congregationem, quae in ordinario coetu ad Vaticanum coacta fuit pridie nonas Maii praeteriti anni.

§. 2. Eorundem privilegiorum monumenta, quae propter tabularii capitularis vicissitudines praesertim incendii ab ipsis afferri potuerunt, sequentia sunt exequutorialia decreta bo. me. Farsetti Ravennatis olim archiepiscopi in vim literarum apostolicarum edita nimirum: Visis et auditis literis apostolicis Sanctissimi Domini Nostri Benedicti PP. XIII. datis Romae die sexta Aprilis anni proxime praeteriti millesimi septingentesimi vicesimi septimi et die decima nona Augusti ejusdem anni, Nobis pro parte nostri metropolitani capituli exhibitis et praesentatis, siquidem non abrasis nec vitiatis nec in aliqua ipsarum parte suspectis sed omni prorsus litura et vitio carentibus, audita etiam instantia et requisitione Nobis facta a praedicto Nostro metropolitano capitulo, quatenus ad illarum exequutionem procedere deberemus, Nos eas omni, qua decet, reverentia recipimus et debitae exequutioni juxta earumdem seriem et tenorem demandari volumus et praecipimus. Decernimus proinde vigore dictarum literarum apostolicarum

libere dignitatibus et canonicis nostrae metropolitanae ecclesiae pro tempore existentibus eorumque successoribus in perpetuum tam in civitate quam in archidioecesi nostra, tam Nobis quam successoribus nostris praesentibus vel absentibus ac etiam coram Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali a latere caeterisque omnibus Cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, nunciis apostolicis, in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar abbatum usum mitrae habentium libere ac licite uti et in suis armis et insigniis mitram apponere facere et addere. Insuper declaramus, indumenta et paramenta ad instar abbatum usum mitrae habentium intelligi dalmaticam et tunicellam, crucem pectoralem, chirotecas, anulum cum unica gemma, sandalia et caligas cum usu faldistorii ac ministri de candela, vulgo bugia, necnon cum ministerio presbyteri assistentis praeter diaconum et subdiaconum. In omnibus vero diebus tam festis de praecepto quam non, si dignitates aut canonici vesperas aut missas decantaverint, sicut etiam in missis defunctorum celebrandis, indumentis et paramentis supra expressis uti liceat, si placuerit, et clericos aliosque ministros in decenti et competenti numero habeant, adeo ut omni pompa et venustate sacra actio peragi valeat, reservata tamen Nobis facultate determinandi dies pro peragendis functionibus pontificalibus juxta notulam et tabellam desuper conficiendam et arbitrio nostro taxandam. Quum missa in faldistorio tam a dignitatibus quam a canonicis cantabitur, praeter diaconum et subdiaconum etiam presbyterum assistentem adhibere liceat, et dicta assistentia fiat per mansionarios. At vero quum missa absque faldistorio cantabitur in scamno oblongo, ut hactenus juxta missalis Romani rubricas peractum fuit, tum assistentia fiat per hebdomadarios, ut mos est, et canonicus celebrans mitra tantum ornatus et ministro de candela in metropolitana, nobis absentibus, ut supra uti etiam poterit et in aliis ecclesiis nostrae dioecesis. Monemus autem eisdem sic celebrantibus non licere uti faldistorio nisi compacto ex ligno, quod auro vel argento linitum vel quovis alio colore superinductum sit, non tamen ex solido aurichalco, seu altero metallo; praeterea coram sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Nobis et successoribus nostris ac in nostra metropolitana eccelesia tapete tantum, non vero pradella uti posse, in aliis vero ecclesiis tam civitatis quam archidioecesis, Nobis tamen absentibus, supradictam pradellam apponi posse et debere; vestem vero ac pluvinaria non ex holoserico sed decentiori ex panno eidem faldistorio apponi libere ac licite posse. Insuper sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, Nobis et successoribus nostris praesentibus, etiam in pontificalibus bugia uti non licere: in missis vero privatis, in quibus pontificalia non adhibentur, bugia supradicta uti posse sciant. In altari septima candela apponi non possit et unico tantum abaco in cornu epistolae, in quo duo candelabra collocentur, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua missae celebrationi necessaria, ac plevi cum unceo quoad lotionem manuum utantur, pontificales benedictiones cum trina crucis productione nec non cum sanctissimo Sacramento nonnisi pontificalibus celebrantibus licere sibi meminerint; praesentibus vero sanctae Romanae Ecclesiae Car-

tinalibus, Nobis et successoribus nostris ab omnibus benedictionibus cessabunt: secus vero cum sanctissimo Sacramento, nam pontificalia facientes etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus et Nobis praesentibus tripliciter benedicere posse sciant. Baldachinum in metropolitana ecclesia nunquam adhibeant, neque extra illam neque vacante sancta archiepiscopali sede, sed semper in faldistorio in cornu epistolae, ut dictum est, celebrent. Indulgentiam vero impertiri vel publicare non audeant absque expresso sanctae Sedis indulto. Praeter dies tandem, quibus Nos et successores nostri pontificaliter celebrare voluerimus, in omnibus dominicis et festis sive de praecepto sive non tam a dignitatibus quam a canonicis aliisque consuetus inter ipsos ordo servetur, nihil in hoc penitus innovantes sed ipsum potius confirmantes et suum vigorem omnimodum habere volentes. Et ita dicimus ac declaramus et in perpetuum observari mandamus, non solum ut supra sed omni meliori modo. Denique hoc nostrum decretum mandamus inferi post indultum sanctissimi Domini Nostri Papae et in Archivio Nostrae metropolitanae ecclesiae servari. Datum Ravennae in hac sancta nostra ecclesia metropolitana in pervigilio nativitatis Domini nostri Jesu Christi die decima quarta Decembris millesimo septingentesimo vicesimo septimo.

§. 3. 2do. Desiderando noi mantenere la pace ed ovviare ad ogni controversia tra le prime due dignita, e canonici della nostra santa metropolitana chiesa per occasione dell' indulto di portare la mitra, ed altri ornamenti pontificali ad instar abbatum restituito alle nostre suppliche dalla sanctità di Nostro signore papa Benedetto XIII. ci contentiamo e permettiamo, che in avvenire ogni volta, che le dette due prime dignià cioè arcidiacono, e preposto secondo il loro ordine, e statuto della chiesa dovranno cantare messe e vesperi e vorranno servirsi degli ornamenti pontificali, possano avere il distintivo di una pradella o suppedaneo di legno sotto il faldistorio, non ostante il decreto da noi fatto in contrario la vigilia del santo Natale prossimo passato, e ciò in luogo del prete assistente, che avevano dette due prime dignitá nelle messe cantate, e di quattro mansionari vestiti di piviale dai quali erano assistiti per portare le antifone al coro per li vesperi da loro cantati, e che detta pradella possa da loro usarsi tanto presenti, che assenti noi medesimi, dichiarando che essendo impedito, o assenti le dette due dignità il canonico anziano, che secondo l'ordine succesivo deve subentrare nelle loro funzioni, goda il medesimo distintivo della pradella: et innoltre, che con quaesto non s'intendano levate alle dette dignità quelle prerogative, e distintive, che di presente godono seconde le consuetudini di questa chiesa, anzi vogliono, che se mai in qualunque tempo, per qualsivoglia causa excogitata, ed inescogitata si tralasciasse l'uso della mitra e pontificali suddetti, le dette due prime dignità tornar debbano al possesso delle prerogative si del prete assistente alla messa cantata, che de' quattro mansionari colli piviali alli vesperi, come anche il canonico anziano, che deve surrogarsi nelle loro funzioni come sopra, e ciò ipso facto e senza ministero di giudice s'intendano reintegrati al possesso delli suddetti distintivi, confermando nel rimanente in tutto e per tutto l'accennato decreto da noi fatto li 24 dicembre 1727 prossimo passato. E così dichiariamo, ed ordiniamo presenti, consensienti, ed accettanti i signori arcidiacono Monal-

dini e preposto Dalcorno. In fede ec. Dato in Ravenna dal palazzo arcivescovile questo di 2 gennaio 1728.

§. 4. Expensis itaque hisce aliisque privilegiorum rationibus, venerabiles fratres Nostri sacris ritibus tuendis praepositi unanimi in voto fuere, exspectandum esse novum Archiepiscopum. Tandem quum novum Nos praesulem virtutibus et meritis praestantem Ravennatensi Ecclesiae, Deo favente, dederimus, extemplo capitulum Metropolitanae praedictae Nobis humillime denuo supplicavit, ut de plenitudine potestatis Nostrae vel dilecto filio Nostro Joanni Francisco sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Falsacappa nuncupato ponenti vel secretario ejusdem congregationis, accedente etiam informatione et voto venerabilis fratris Archiepiscopi in curia, causam hanc discutiendam committeremus. Nos hujusce precibus benigne inclinati sub die vicesima Septembris elapsi anni Congregationem particularem statuimus designavimusque venerabilem fratrem Nostrum Julium Mariam Episcopum Ostiensem et Veliternensem sacri collegii Cardinalium Decanum, praefatae Congregationis praefectum praedictumque Cardinalem relatorem, qui una cum dilectis filiis magistro Pescetelli sanctae fidei promotore et Frattini ipsius sacrae Congregationis assessore, coadjutore ac secretario super re decernerent. Octavo itaque die nimirum quarto Calendas Octobris coadunata penes Cardinalem praefectum particulari hac Congregatione, audito voto et informatione venerabilis fratris Archiepiscopi in curia scriptis pandita, iterum expensis allatis rationum momentis collatisque consiliis, unanimi voto rescribendum decrevit:

§. 5. Pro confirmatione privilegiorum et consuetudinum Ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis in civitate universaque dioecesi in omnibus ecclesiasticis functionibus, dummodo aliquis non assistat ex sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus vel Archiepiscopus; quoad mitram serico damascenam affirmative, dummodo dissimilis sit in textura ab illa S. R. E. Cardinalium: et quoad processionem SSmi Corporis Christi serventur strictim sacrorum Rituum Congregationis decreta in Aniciensi diei 13. Junii 1682 et in Urbinatensi diei 29. Jan. 1792; in reliquis serventur decreta Archiepiscopi Farsetti diei 24. Decbr. 1727 et 2. Jan. 1728 supra allatis atque expediantur desuper literae apost. in forma Brevis, si Nobis placuerit. Facta igitur praemissorum per Secretarium Nobis relatione hujus particularis Congregationis sensum, rescriptum et decretum approbavimus et in omnibus confirmavimus.

Datum Romae apud s. Petrum die 25. Maii 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. pag. 66. Ed. Romae.)

Ravennaten.

Dum Summus Pontifex S. M. Pius VII. ad privilegia, quibus nonnulli Canonicorum Collegia cohonestata fuere, praestitutis legibus continenda IV. Nonas Julii anni 1823 apostolicam edidit constitutionem, ut S. R. C. decreto diei 27. Augusti 1822 super declaratione usus Pontificalium robur ac firmitas accederet, Reverendissimus Archiepiscopus Ravennat. Antonius Codronchi, qui nuper fato cessit, universum eorumdem usum Dignitatibus et Canonicis suae Metropolitanae Ecclesiae ratus est inhibere, donec peculiaria sua jura, juxta recensiti decreti placitum, in sacram eamdem Congregationem perpendenda deduce-

rent. Etsi vero horum studium in id potissimum contenderet, ut quam citissime hujuscemodi negotium sacri concessus judicio exspenderetur, ne sacrae functiones consueto nitidiori nobiliorique aspectu ac decentia fraudarentur: vicissitudines tamen etiam incendii, queis Capituli tabularium saepe laboravit, rem omnem ad novissimum ordinarium coetum distulere, qui ad Vaticanum pridie Nonas Maii hujus anni coactus fuit. Expensis privilegiorum momentis in authenticis apographis et authographis desumptis numero adscriptorum Emmi Patres sacris Ritibus tuendis praepositi unanimi in voto fuere, exspectandum esse novum Archiepiscopum. Divina protegente gratia ipsam Ravennatem Ecclesiam, quae ex testimonio Innocentii Papae III. quasi primogenita est apostolicae Sedis, novo illo excitato Archipraesule Summi Pastoris judicio Dignitati huic pari invento, extemplo Capitulum Metropolitanae SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. humillime supplicavit, ut de plenitudine potestatis vel Emmo Card. Falsacappa Ponenti vel R. P. Secretario, accedente informatione et voto Rmi Archiepiscopi in Curia, causam hanc discutiendam committere dignaretur, Sanctitas Sua precibus benigne inclinata sub die 20. Septembris hujus anni Congregationem particularem statuit designavitque Emmos Praefectum de Somalia laudatumque Ponentem, qui una cum R. P. Pescetelli s. Fidei Promotore, R. D. Frattini ipsius S. Congr. Assessore Coadjutore meque infrascripto Secretario super re decernerent. Octavo die scilicet IV. Cal. Octob. coadunata penes Emmum Card. Praef. particulari hac Congr. audito voto Rmi Archiepiscopi in Curia, scriptis pandito iterum expensis allatis rationum momentis collatisque consiliis, unanimi voto statuendum decrevit:

„Quoad palmatoriam affirmative juxta privilegium et laudabilem consuetudinem, nempe ea uti possint Dignitates et Canonici Metropolitanae Ravennatium in Civitate universaque Dioecesi in omnibus ecclesiasticis functionibus, dummodo aliquis non assistat ex S. R. E. Cardinalibus vel Archiepiscopus."

„Quoad Mitram serico damascenam affirmative, dummodo dissimilis sit in textura ab illa Reverendissimorum Cardinalium, et quoad processionem SSmi Corporis Christi serventur strictim decreta in Anicien. 13. Junii 1582 et in Urbinaten. 29. Januarii 1752, in reliquis servetur decretum Archiepiscopi Farsetti die 4. Decembris 1727 ac 2. Januarii 1728 atque expediantur Literae apostolicae in forma Brevis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit."

Quibus omnibus per me infrascriptum S. R. C. Secretarium SSmo Domino Nostro *Leoni* XII. Pont. Max. relatis, *Sanctitas Sua* particularis hujus Congregationis sensum et decretum adprobavit et confirmavit idque in Metropolitana Ravennatium Ecclesia ac per Civitatem et Dioecesim servari jussit literasque apostolicas in forma Brevis super re expediri mandavit,

Decr. num. 4621.

Die 4. *Octobris 1826.*

Nota Gardell. ad Decr.

Paucis est opus, ut quisque videa planeque intelligat per apostolicas literas: *Decet Romanos Pontifices* felic. recordat. Pii VII., de quibus latius in *Imolen.* infra relatum derogatum nullatenus fuisse juribus ac privilegiis, quibus aliqua Capitula decorabantur praeter expressa in eadem Constitutione, eaque proinde firma consistere, quibus ditata Ravennatensis Metropolitana Ecclesia eminet atque inter celebriores cum vetustate tum dignitate

distinguitur. Ignorare id nequit qui in ecclesiastica historia hospes non sit et peregrinus. Usque ab Ecclesiae primordiis suam habuit institutionem et nacta est Antistitem s. Appolinarem a Petro Apostolorum principe Romae consecratum illucque missum, ut eam regeret et gubernaret. Interim optimus Pastor per Aemiliam discurrens ab nefario Idolorum cultu plurimis revocatis et ad humilem Christi sequelam adductis Ravennam tandem reversus glorioso martyrio cursum consummavit. Ita *in Martyrologio romano ad diem 24. Julii.* Sucessores habuit nonnullos multa sanctitate praestantes, quos inter speciali mentione dignus est *sanctus ille Petrus* coelitus datus, qui ob auream eloquentiae vim *Chrysologi* pronomine meruit nuncupari. Merito igitur *Innocentius III.* Ravennatensem Ecclesiam appellavit *quasi primogenitam* apostolicae Sedis aliique plures ex romanis Pontificibus verbis amplissimis commendarunt. Sed ne antiquiora quaeramus exempla, quod longum nimis ac laboriosum foret, satis esse puto recentissima felic. recordat. *Benedicti XIII.* ac *Pii VII.* elogia referre. Siquidem ille datis literis in forma brevis die 19. Augusti 1727 eam appellavit *Metropolitanam istam tot conspicuis meritis vetustae recentisque memoriae illustrem Ecclesiam etc.* Alter vero in similibus literis datis sub die 22. Junii 1819 eam appellat *vetustissimam Ravennatensium Ecclesiam, quam a primis christianae fidei temporibus celebratam multis praeclarisque nominibus etc.*

Non autem hic est animus singula percensere privilegia, honorificentias ac praerogativas, quibus omni aevo fuit cumulatum et gaudet Ravennatensis Metropolitanae Capitulum, neque, ut hoc praestem, mei fert instituti ratio. Satis est animadvertere ejusdem Metropolitanae Dignitates atque Canonicos honoribus plurimis, usu Pontificalium atque Insigniis fuisse decoratos vel beneficentia et auctoritate Romanorum Pontificum vel longaeva consuetudine, cujus origo inter tenebras antiquitatis omnino latet et frustra adlaboraret, qui eam quaereret invenire. Verum etsi tam nobilis insignisque Ecclesiae Capitulum, dum prodiit praefata constitutio: *Decet Romanos Pontifices,* de amplioribus praeter illa quae in eadem enumerantur et declarantur permissa Pontificalium usum habentibus, de sibi collatis privilegiis et praerogativis, quae illustria sunt et non pauca, minime dubitaret, nihilominus paruit Archiepiscopo praecipienti, ut latae legis in obsequium ab eorumdem usu cessaret ac interea sua jura expendenda in S. R. C. deduceret simulque ostenderet non esse comprehensum sub regula generali, bene vero ad eorum classem pertinere, quae sub clausula praeservativa: *si quae vero Capitula,* veniunt et recipiuntur. Praestitutum hoc fuit in ordinario conventu habito *pridie Nonas Maii 1826.* In hoc autem visum est Patribus Emmis ampliare judicium, non quod ancipites essent de bono postulantium jure, sed quia tunc temporis Ravennatensis Ecclesia suo erat viduata pastore ideoque esse cunctandum duxerunt, quousque novus eidem daretur Antistes, qui et audiri posset et sacrae Congregationis decreta exequi, quaecumque demum ea forent. Ideo statim ac archiepiscopali illi Sedi *SSmus Dominus Noster Leo XII. Pont. Max.* novum dedit Archiepiscopum, instaurata fuit instantia et, ne in longum nimis protraheretur decisio, omnem solicitudinem posuit novus Antistes, ut antequam ad sibi commissam Ecclesiam accederet, definitivum hac super re judicium postu-

laret. Quamobrem Sanctitas Sua precibus annuens ejusdem causae cognitionem Congregationi particulari commisit, quae sub die 28. Septembris anni 1826 definivit Ravennatense Capitulum a generali lege esse excipiendum, utpote comprehensum sub praefata clausula praeservativa ac propterea manutenendum esse in possessione et usu privilegiorum, quae privative eidem concessa optimoque jure acquisita communia non sunt aliis Capitulis, Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis Pontificalium usum habentibus. Ne tamen ex generali simplicique responsione ulla posset oriri dubietas aut controversia, opportunum duxit specifice duo declarare videlicet: *licere usum palmatoriae in Civitate universaque Dioecesi in omnibus ecclesiasticis functionibus*, apposita tamen exceptione et limitatione: *dummodo aliquis non assistat ex Cardinalibus et Archiepiscopus.* Item sancivit: *licere adhibere Mitram* non simplicem (hoc est lineam) sed *serico-damascenam*, addita declaratione: *dummodo dissimilis sit in textura ab illa Eminentissimorum Cardinalium*, ac praeterea jussit quoad *processionum Corporis Christi, ut serventur strictim decreta in Anicien. et Urbinaten.*, quae jubent *ne in hac processione caput Mitra tegatur.* In reliquis sancivit: *ut servetur decretum Archiepiscopi Farsetti die 24. Decembris 1727 et 2. Januarii 1728.* Non erant necessario exprimenda, quae in praefatis decretis enumerabantur privilegia metropolitano Capitulo speciatim concessa aut immemorabili legitimaque inducta consuetudine comprobata. Ac praeterea in iisdem ita clare distincteque enumerantur tam quae in sacris actionibus licite retinenda et servanda sunt, quam modus in exercitio adhibendus et circumstantiae, quibus occurrentibus unius alteriusve praerogativae usus coercendus, ut nihil superesset aut moderandum aut declarandum. Antedicta autem particularis Congregationis Rescriptum approbavit confirmavitque SSmus Dominus Noster Leo XII. die 4. Octobris ejusdem anni 1826.

Quae hucusque dicta sunt quaeque adnotaveram in *Imolen.*, potius quam ad utriusque decreti dilucidationem servire possunt et debent ad docendum, Capitula, Dignitates, Canonicos, Rectores etc., qui ampliora privilegia praeter enumerata in generali decreto et subsequenti apostolica Constitutione vel habent vel habere arbitrantur, ne ad placitum, sacra Congregatione inconsulta, in eorumdem usu continuare praesumant sibique usurpare declaratorium judicium, quod apertis verbis eidem sacrae Congregationi reservatum est sub ea clausula: *si quae vero Capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in sacram Congregationem perpendenda deducant, ut, quod ex canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.* Exemplo sint ipsis *Capitula Ecclesiarum Ravennatensis*, quae licet illustria clara nullique exceptioni obnoxia haberent monumenta, quibus bonum jus tueri possunt, ac talia, ut ignorem, num aliquid sit, non dicam amplioribus sed saltem aequalibus ditatum, nihilominus praecepto obsequentes a specialium indultorum usu et exercitio cessarunt eaque subjecerunt s. C. examini. Si quae sunt igitur Capitula, Dignitates, Canonici, Rectores etc. majoribus praerogativis ac honorificentiis gaudentes sciant, non ipsis licere in eorumdem exercitio continuare, nisi id fieri posse sacra Congregatio declaret et jubeat post institutum eorumdem privilegiorum examen.

Imolen.

Inter Ecclesias, quae singularibus cohonestata Insigniis et Pontificalium usu donatae sunt, Imolensis adnumeratur, quae a S. M. Pio VII. variis privilegiis clementer peramanterque fuit insignita per literas apostolicas in forma Brevis expeditas V. Idus Maji 1816. Quoniam autem tum Decreto S. R. C. edito VI. Calendas Sept. anni 1822. tum ejusdem Summi Pontificis constitutione lata IV. Nonas Julias anni 1823. declaratum fuit §. 28., quod in dubiis super hujusmodi concessionibus sacra haec adiretur Congregatio ac si quae capitula amplioribus praeter ea, quae enunciato in decreto recensentur, privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, pecularia sua haec jura ad ipsam Congregationem perpendenda deducerent, extemplo Imolensis Cathedralis Capitulum recensitis decreto et constitutioni reverentur obtemperans ab ampliorum privilegiorum usu omnino se abstinuit arreptaque occasione supplicem sacrorum Rituum Congregationi exhibuit libellum una cum Brevi concessionis, quo quid ipsi in usu privilegiorum liceret opportune decerneretur.

Et Emmi PP. sacris tuendis ritibus praeposito in ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub infrascripta die ad relationem Emmi et Reverend. Dom. Cardinalis Falzacappa ponentis, exquisito prius voto Emmi et Rmmi Domini Card. Archiepiscopi Imolen. Episcopi auditaque sententia alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris scriptis pandita praeloque cusa, omnibus mature diligenterque perpensis atque ad trutinam revocatis, rescribendum censuerunt: „In voto magistri caeremoniarum ad formam privilegii: Licere nimirum Capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam literarum apostolicarum in forma Brevis expeditarum." Et ita rescripserunt die 16. Decembris 1826.

Super quibus omnibus et singulis facta postmodo SSmo Domino nostro Leoni XII. P. M. per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione Sanctitas sua sac. Congr. rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit.

Nro. 4622.

Die 20. supradicti mensis et anni.

Nota Gardell. ad hoc Decr.

Juvat hic recolere ea, quae adnotata fuerunt ad decretum sac. Congregationis in causa *Neritonen.* die 5. Martii 1825. legendum in hac collectione, ubi declaratum fuit, quomodo intelligenda sit clausula praeservativa apposita decretis ejusdem Sacrae Congregationis *sub die 27. Augusti 1822* et in constitutione apostolica: *Decet romanos Pontifices IV. Nonas Julii anni 1823. a fel. record. Pii VII.* adprobatis et confirmatis ad effectum eliminandi corruptelas et abusus, qui inoleverant in quibusdam Cathedralibus, Collegiatis aliisque Ecclesiis et Personis arbitrarie ac ad proprium commodum, decusque ampliantibus antiqua privilegia ipsis concessa circa usum honorificum Insignium ac exercitium Pontificalium, eadem revocando ad formam juris, enumerando quae per eadem privilegia licent et quae non item. Praefata quippe clausula declaratum fuit per generales leges in decretis et successiva constitutione contenta: *nullam inferri praejudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata.* Sed quoniam evenire facile poterat, ut nonnulli perperam interpretando hanc exceptionem et praeservationem, eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi et honorificentias in decretis et constitutione minime expressas (pervertendo

sensum vel aucupando verba eaque ad placitum studiose trahendo) sibi usurpare ac si essent speciali indulto vel immemorabili consuetudine roborata ideo, ne id accideret, provide consultum fuit adjecta conditione, ut si quae sunt aut esse putantur hujusmodi peculiaria privilegia, *in sac. Rit. Congregationem deducantur ad effectum opportune decernendi, quod ex canonicarum Sanctionum praescripto visum fuerit.* Quum autem praefata clausula praeservativa modo supra relato tenenda servandaque sit: ideo Imolensis Cathedralis Ecclesiae multis nominibus nobilioribus adnumerandae Dignitates et Canonici, quos per Literas in forma brevis expeditas die 11. Majii 1818 fel. record. Pii VII., qui eamdem Ecclesiam gubernavit antistes et etiam post summum adeptum pontificatum universaeque Ecclesiae regimen ad plures annos retinere voluit, privilegiis amplissimis decoravit et auxit, licet de iisdem utpote expresse indultis et singillatim enumeratis deque eorumdem firmitate dubitandum minime foret, nihilominus latae legi reverenter obtemperantes religioni sibi duxerunt suppliciter a sacra Congregatione declarationem postulare, qua licite possent honorifica adhibere insignia et Pontificalia diebus modisque (a quibus post latam constitutionem cessaverant) exercere. Quoniam igitur in praefatis apostolicis literis *Pii VII.* omnes enumerantur honorificentiae et privilegia, quibus ditati sunt Imolensis Cathedralis Ecclesiae Canonici et Dignitates, itemque modus et tempora, quibus permissum est iidem uti, ideo sacrae Congregationi haesitandum non fuit et ad aequam postulationem respondit: *Juxta votum Magistri caeremoniarum ad formam privilegii licere capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam literarum in forma Brevis expeditarum.*

Unum tamen est, de quo dubitari adhuc posse videtur, num scilicet fuerit concessum, utpote in praefatis literis specifice non expressum, hoc est, privilegium presbyteri assistentis praeter alios ministros in missa pontificali. Siquidem nonnemo putabit dubiam rem esse et in utramque partem disputari posse. Si literaliter et stricte accipienda sunt, quae in apostolicis literis enumerantur, certe videtur presbyter assistens nullatenus comprehensus in indulto, cum nulla fiat ejusdem mentio in tam specifica privilegiorum enumeratione, proptereaque censendum non illud concessum, quod expressum non est. Et revera ipsi Canonici et Dignitates Imolensis Ecclesiae post editam saepedictam constitutionem: *Decet romanos Pontifices etc.* de hujusmodi privilegio utpote non expresso merito dubitarunt: nam, ut refert Vicarius generalis in sua informatione: „*Canonici in executione literarum apostolicarum Pii VII., annuente etiam tunc temporis Cardinali episcopo Rusconi, usi quidam sunt pontificalium privilegio in singulos annos et statis diebus usque in praesens omnia ad concessionis literam intra statutos fines perfecerunt, neque sibi aliquid vel usurpare vel ampliare ausi sunt.* (Quae sequuntur attende.) *Si unus excipiatur Presbyter assistens, qui Canonico celebranti, praesente etiam episcopo, ad altare cum pluviali in missa semper adhibitus est, quamvis de eo nullum faciant verbum literae apostolicae supramemoratae, rati forsan hoc esse ipso pontificalium privilegio generaliter inclusum.* Quamobrem idem Vicarius postquam suam aperuit sententiam et votum, videlicet: *Capitulum et Canonicos penitus manutenendos in privilegio, quo legitime honestati*

sunt, tandem concludit suas adjungendo preces, ut et etiam, *si fieri poterit quoad presbyterum assistentem, amplietur indultum.* Ex his clare patet Capitulum et Canonicos, imo et ipsum Vicarium generalem informantem votumque suum aperientem incertos saltem fuisse, num revera presbyter assistens, si non expresse, tacite saltem juxta mentem concedentis haberi possit indultus: secus pro declaratione, non autem pro nova concessione postulassent.

Contra vero quum in praefatis apostolicis literis inter alia, quae dignitati aut canonico pontificaliter celebranti cum indulto adhibendi faldistorium conceduntur, expressum habeatur: quod et ministrum de candela seu palmatoria habere libere et licite possit et valeat non abs re erit putare, quod per ministrum de candela intelligi debeat presbyter assistens, quia reipsa is ille est, qui in Pontificalibus (non in throno sed in faldistorio etiam celebrandis) palmatoriam sustinet et ad opus ministrat. Praeterea quis credere posset id conforme esse menti concedentis? Qui enim indulsit indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia, videlicet mitram, crucem pectoralem, anulum, sandalia, caligas, chirothecas, tunicellam, dalmaticam, faldistorium, censeri potest concessisse quoque sub nomine *Ministri de candela* presbyterum assistentem eoque magis, quia idem presbyter assistens (per usum vel abusum, de quo non est hic disputandi locus) alicubi in celebrioribus festivitatibus a celebrante, etiam si simplex sit Sacerdos, in solemni missa solet adhiberi: quinimmo ipsa sacra Congregatio in una *Nullius Altamurae* ad quaesitum: *An dignitatibus Ecclesiae s. Nicolai missam solemniter celebrantibus presbyter assistens debeatur cum pluviali?* sub die 23. Septembris 1713 respondit affirmative. Alia fuisset responsio longeque diversa, si hujusmodi assistentia uni dumtaxat deberetur episcopo. Nonne autem potior militat ratio in casu nostro, in quo agitur de Dignitatibus et Canonicis cathedralis Ecclesiae, pluribus honorificentiis, praerogativis ac privilegiis decoratis et auctis? De Canonicis inquam et Dignitatibus, non ut caeteri sacerdotes celebrantibus sed pontificaliter peragentibus? Ac tandem, ut praeteream caetera, quae afferi possent, addam hic argumentum negativum ex iisdem apostolicis literis desumptum. In his expresse recensentur quae indulta non sunt et omnino interdicta Dignitatibus et Canonicis pontificalia exercentibus. En verba: *Praecipiendo mandamus ne Dignitas vel Canonicus celebrans ullo modo praesumat pontificalibus indumentis ad altare aut in choro indui vel trina benedictione populum benedicere seu cum forma episcopali*: Pax vobis *salutare vel pastorali baculo uti . . ., in processionibus Corporis Christi Mitram in capite gestare . . . aut Mitra in aliis praeterquam in supra dictis collegialibus functionibus uti valeat.* Sed hisce exceptionibus, limitationibus, declarationibus non adnumeratur presbyter assistens; quamobrem per negativum hoc argumentum confirmari posse videtur, quod supra diximus, videlicet per ministrum de candela ex concedentis mente intelligi posse presbyterum assistentem. Haec sunt, quae tam pro affirmativa quam pro negativa sententia afferri possent. Negativam autem sequitur egregius caeremoniarum magister pro voto requisitus, in sensu est, quod indultis privilegiis illud adnumerandum non sit presbyteri assistentis. Ait enim: *Quod vero spectat ad presbyterum assistentem, quo in pontificalibus hucusque usi sunt, praesente*

etiam episcopo, quoniam nec in apostolicis literis conceditur nec per aliquam consuetudinem, confirmationem, quae omnino deest, adprobatur, putarem esse revocandam, ne eam confirmando, dum constitutionem ipsam pro viribus protuemur, vel eam infirmare aliquo modo videamur et id quidem merito, ut infra sum ostensurus.

Quoniam autem sacra Congregatio licite pro ampliatione indulti requisita, quatenus in literis apostolicis comprehensum non censeret, simpliciter respondit: *Licere Capitulo Imolensi uti in omnibus ad formam literarum in forma brevis expeditarum,* quin verbum addiderit relate ad presbyterum assistentem nonnemo forte erit, qui in questionem verti posse existimet: num et quae sit vera intelligentia generalis rescripti, et dubitandum fore arbitretur, num sacra Congregatio negaverit ampliationem et extensionem indulti ad presbyterum assistentem, an potius voluerit rem in apostolicis literis non expressam et forte obscuram in suspenso relinquere. Quid igitur in hac ambiguitate sentiendum? Ego quidem, si quid promere licet, in sensu sum, quod verba rescripti; *licere capitulo uti pontificalibus in omnibus ad formam literarum apostolicarum,* stricte accipienda sint quodque sacra Congregatio voto adhaeserit caeremoniarum magistri, qui insinuaverat admittendam non fore petitionem pro presbytero assistente, ideoque nullum addere voluerit, per declarationem aut interpretationem aut concessionem privilegiis enumeratis in literis apostolicis Pontificis Pii VII., eoque magis quia finis et objectum petitionis erat non ampliatio indulti sed simpliciter declaratio dubii, num privilegia Cathedrali Imolensi concessa sustinenda forent utpote contemplata in clausula praeservativa apostolicae constitutionis: *Decet romanos pontifices* addita generali decreto super moderatione indultorum.

Neque argumenta supra relata, quae in oppositum afferi possent, tanti sunt ponderis, ut in sensum contrarium meum animum inflectere valeant. Etenim presbyter assistens uni debetur Episcopo nec confundi debet cum ministro de candela, duae quippe sunt diversae personae, duo diversa officia, quamobrem si in apostolico indultu expresse nominatur minister de candela, sed non aeque presbyter assistens, nemo erit, qui non intelligat, unum fuisse concessum, non item alterum, eoque magis quia multo honorificentior est presbyteri assistentis praesentia quam ministri de candela, eidemque munia multa sunt propria, quae simplici ministro de candela non conveniunt. Id verum adeo est, ut dubitatum quandoque fuerit, num celebranti Suffraganeo coram suo Metropolitano competeret presbyter assistens. Ita in *Aquileien.* proposito dubio: An Suffraganeus celebrans *in Ecclesia Aquileiae* (ubi interveniunt Patriarcha et Canonici Aquileiae) *debeat ultra Diaconum et Subdiaconum Canonicos habere alium Canonicum pro assistente?* Sacra Congregatio sub die 7. Augusti 1627. respondit: *Debere.* Locum non habuisset quaesitum, nisi de licito aut illicito dubitatum fuisset. Abbatibus quidem statis diebus pontificaliter celebrantibus in Throno convenit presbyter assistens, quia in decreto generali fel. record. Alexandri VII. hujusmodi privilegium concessum legitur: aliis vero presbyteris quacumque dignitate fulgentibus pontificalium usu didatis haud debetur nisi expresse declaratum sit. Haud prodest decretum sac. Congregat. in causa supra relata Collegiatae *Nullius Altamurae*; forte enim illi favebat aut speciale



privilegium aut antiquissima consuetudo, cujus latebat origo. Quodsi alicubi in solemnioribus festivitatibus praeter Diaconum et Subdiaconum Presbyterum pluviali indutus assistit, id fit per abusum, nullo praetextu cohonestandum, imo prorsus reprobandum et abolendum. Quis vero non videt in lubrico versari et fallax esse argumentum alterum desumptum ex potioribus honorificentiis, quibus Pontifici placuit decorare Capitulum. Duo quippe notanda sunt. Primum: Principi liberum esse, qua vult in parte relaxare rigorem; secundum: Privilegia minime posse pro lubitu extendi ad non expressa.

Tandem nullatenus prodest argumentum alterum, quod negativum est, quippe quia in parte postrema apostolici Brevis necessario ea erant enumeranda, quae forte per abusum pedetentim facile poterant vel falsa interpretatione et arbitraria extensione introduci: at non aeque opus erat speciatim inter excepta recensere praesentiam presbyteri assistentis; nam si expresse in indultu nominantur Minister de candela, non item Presbyter assistens, ut eo in loco fieri debuisset, si concedens et hunc etiam indulgere voluisset, facile quisque intelligit eumdem minime in privilegio fuisse contentum.

Quae cum ita sint, in ea me sententia confirmo, quod per sacrae Congregationis rescriptum minime censeri potest ampliatum privilegium ad non expressa in Literis apostolicis ac propterea Dignitatibus et Canonibus Imolensibus Pontificalia celebrantibus non licere habere praeter Diaconum et Subdiaconum etiam assistentem Presbyterum ideoque sine ejusdem praesentia posse imo debere pontificalem Missam celebrare, nisi benigna Pontificis largitione novum hujusmodi privilegium jam indutus accedat.

Imolen.

(Bugia et Crux pectoralis.)

Capitulorum et Collegiatarum postulationibus non semel annuentes Romani Pontifices vel ab vetustissimis temporibus nonnulla honoris atque distinctionis Insignia peculiari de causa concedere consueverunt. Percrescentes vero hac super re abusus, qui forte temporis diuturnitate irrepserunt, penitus convellere curarunt idque factum conspicitur veteribus aeque ac recentioribus aetatibus.

Hinc generale editum est decretum anno 1822, quo statuitur quid per concessa privilegia intelligatur, quid a Canonicis adhiberi possit, quid ipsis sive privatim sive solemniter permissum sit, quidque tamquam vetitum sit habendum.

Quae in memorato decreto expressa reperiuntur peculiari constitutione, quae incipit: *Decet Romanos Pontifices*, subsequenti anno 1825 sunt confirmata. Huic igitur obtemperantes constitutioni Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici sacram Rituum Congregationem adierunt duobus abhinc annis, scilicet die 16. Decembris anni 1826 preces porrigentes una cum Brevi concessionis, quo quid ipsis in usu privilegiorum liceret, opportune decerneretur.

Nunc autem iterum supplicem Libellum dedere sacrae Rituum Congregationi Dignitates et Canonici laudatae Imolensis Cathedralis, quo ut Pontificalium privilegiis, quibus ad formam Literarum apostolicarum gaudent, quaedam alia dignetur clementer addere, humillime expostularunt. Primum scilicet, ut ipsis et ipsorum cuique quotidianus argenteae palmatoriae usus concedatur tum extra Pontificalia

in propria Ecclesia tum quacumque in Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim sive solemniter sacras functiones Sacrumque eos peragere contigerit; secundo ut ipsorum omnibus et singulis pectoralem crucem quotidie gestandi detur facultas. Et sacra eadem Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto pandita typisque vulgata referente Emmo et Rmo Domino Card. Carolo Odeschalchi loco Emmi Rmi Dom. Card. Antonii Pallotta Ponentis absentis respondendum censuit:

„Quoad crucem negative: quoad palmatoriam affirmative, juxta votum Magistri caeremoniarum, dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, S. R. E. Cardinalis." Die 21. Septbr. 1828. num. 4640.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Dom. Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo relatione Sanctitas Sua sacrae Congregationis sensum laudavit confirmavitque in omnibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die prima Octobris 1828.

NOTA GARDELL AD HOC DECRETUM.

Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici et Dignitates honorificis aucti Insignibus et Pontificaliam usu ex benigna concessione sa. me. Pii VII. quem habuerunt Antistitem, fruentes, adhuc tamen duas alias praerogativas a sacra hac Congregatione postularunt. Primum scilicet *extensionem Indultum ipsis et ipsorum singulis utendi argentea palmatoria tum extra Pontificalia in propria Ecclesia tum quacumque in Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim sive solemniter sacras functiones Sacrumque eos peragere contigerit;* secundo vero *facultatem eorum omnibus et singulis gestandi quotidie pectoralem crucem.* Patres autem Emmi sacris ritibus tuendis praepositi, etsi quoad palmatoriae extensionem annui posse precibus non repugnassent, apposita limitatione: *Dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, Cardinalis*; renuit tamen alterum concedere, *usum* nempe *crucis pectoralis.*

Quaerere aliquis possit: curnam Dignitatibus et Canonicis insignis Ecclesiae tot cumulatae beneficiis hujusmodi usum, qui aliis Capitulis quandoque indultus fuit, denegaverit? Dicam primum: insolens esse sciscitari rationes, propter quas sacra Congregatio in materiis pure gratiosis annuit vel renuit petitionibus assentiri. Addam secundo: expedire quandoque modum imponere privilegiis hisque non alia addere privilegia, ne, qui in inferiori sunt Ordine, nimis quoad extrinsecas honorificentias Superiori appropinquentur, veluti est Episcopus relate ad Dignitates et Canonicos, qui ejus Capitulum componunt. Equidem non ignoro pectoralis crucis usum non ita convenire Episcopis, ut nequeat ex indulgentia concedi aliis ecclesiasticis viris in dignitate aliqua constitutis, imo etiam alicui Metropolitanae, Cathedrali et ex insignioribus Collegiatae Ecclesiae Dignitatibus et Canonicis. Caute tamen et nonnisi pensatis omnibus et singulis circumstantiis faciendum id expedit, ne adauctis nimis honorificis decorationibus Dignitates et Canonici vix ab Episcopo in populi aspectu distinquantur hujusque honor imminutus quodammodo videatur. Itaque quum Imolensis Ecclesia multiplicibus ditata sit privilegiis ac praesertim usu Pontificalium, mirum non est, si S. C. al-

terum honorificum signum, illud scilicet gestandi quotidie crucem pectoralem concedere recusavit, ut in hac saltem extrinseca decoratione solus illius Ecclesiae Episcopus hoc sibi insigne privative competere agnosceretur.

Et quoniam obiter incidit sermo de cruce pectorali, quae, ut initio dixi, non ita est propria Episcopi, ut aliis in dignitate constitutis nequeat ejus usus (cum limitationibus et conditionibus) aliquando concedi, eruditionis ergo addere hic mihi visum est, quae hac de re apte disserit doctissimus Catalanus in prolegomenis ad Pontificale romanum cap. 13.

„Nemini adhuc satis exploratum est, an primis saeculis in usu fuerit Episcopis crucem cum Sanctorum reliquiis, quam nos pectoralem dicimus, collo appensam deferre. Emmus Cardinalis Bona et Andreas Saussaius ex alto de ea re veterum silentio eum ritum non admodum antiquum putant. Cui tamen sententiae adhaerere nequeo. Cum enim, ut scite docet Thomassinus part. 1. disciplinae lib. 2. cap. 58. num. 4. antiquitus libero quidem et peculiari instinctu Christiani fere omnes seu Orientis seu Occidentis crucem vel ipso crucis ligno vel sacris reliquiis munitam collo appensam gestarent, haud dubium, quin et illam non modo Episcopi sed et Clerici etiam deferrent. Certe quod prisci Fideles muniti cruce incederent ostendit fuse eruditus Gretserus in opere suo, quod de Cruce inscripsit. Quod autem Episcopos spectat, egregium est, quod refert s. Gregorius Turonensis Episcopus lib. 1. de gloria Martyrum cap. 11. Ait enim se crucem auream ad collum gestasse, in qua erant reliquiae beatae Virginis, sanctorum Apostolorum et beati Martini, cujus ope incendium restinxit, quod aqua tolli non poterat: *Tunc* inquit, *extractam a pectore crucem elevo contra ignem, mox in adspectu sanctarum reliquiarum ita cunctus ignis obstupuit ac si non fuisset accensus.*

Alia ejusdem rei exempla post laudatum Thomassinum refert vir clarissimus Dominicus Georgeus lib. 1 de Liturgia romani Pontificis cap. XIX.

Fateri hic illud necesse est, quod, etsi multa de eo Episcoporum ritu exempla afferri possint, cum tamen nec prisci Sacramentorum libri nec antiqui praesertim scriptores liturgici, qui ornatus sacros Pontificum aliorumque Ministrorum tam in Oriente quam in Occidente pertractarunt, ad earum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi, inquam, numquam pectoralem crucem attigerint, argumento id est, nulla tunc eam lege vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut labente saeculo XIII. in potestate Episcopi esset crucem pectoralem deferre vel non; sic enim in suo Pontificali scribit Durandus, qui saeculo illo vivebat: *Indumenta vero sibi* (Episcopo) *per ordinem necessaria sunt haec videlicet: Caligae, Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum cum subcinctorio, quod habet similitudinem manipuli et dependet a Cingulo in latere de dextro, Crux pectoralis, si quis ea velit uti, Stola, Tunicella, Dalmatica etc.* Sane recte docet laudatus Georgeus loco citato in fine a romanis quidem Pontificibus, qui pectorali cruce jampridem usi sunt, inter Episcoporum peculiaria ornamenta fuisse adscriptam.

Vocari in dubium minime potest, quin pectoralem crucem romani Pontifices vel antiquitus praegestarent; constanter id quidem asserit Joseph Vicecomes lib. IV. de *Missae apparatu* cap. XXX. et laudatus Thomassinus num. IV., ubi usum pectoralis crucis reliquiis Sanctorum refertae ex s. Gregorii Papae vita per Joannem Diaconum descriptus est. Joannes

quippe lib. IV. cap. VIII. dum sacras enumerat vestes, quibus indutus fuerat memoratus Pontifex, dum tumulo inveheretur, ait, phylacteria ipsius magna veneratione a Christifidelibus fuisse habita; phylacteriorum autem nomine designari sacram reliquiarum thecam collo appensam idem scriptor ibidem demonstrat: imo Gregorius ipsemet eamdem vocem de Cruce sacris foetam pignoribus, maxime autem sanctissimo Christi crucis frustulo interpretatur, uti videre est lib. XII. Epistola VII. quam ad Theodolindam Longobardorum reginam scripsit dicens: *Excellentissimo autem filio nostro Adulouvaldo regi transmittere phylacteria curavimus, id est crucem cum ligno sanctae Crucis Domini et lectionem sancti Evangelii theca persica inclusam.*

Insequentibus saeculis pectoralem crucem specialem fuisse romani Episcopi ornatum luculenter docet Innocentius III. Pontifex Maximus lib. 1. Mysteriorum Missae cap. LIII. Singulas enim Papae vestes ad Altare explanans pro lamina illa aurea, quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit crucem a collo catenulis suspensam, ut quae et ipsa laminae loco esset summi Pontificis propria: *Quia signo crucis*, inquit, *auri lamina cessit, pro lamina, quam Pontifex ille gerebat in fronte*; *Pontifex ipse crucem gerit in pectore, nam mysterium, quod in quatuor libris auri lamina continebat, in quatuor partibus forma crucis explicuit juxta quod inquit Apostolus:* Ut comprehendatis cum omnibus sanctis, quae sit longitudo et latitudo, sublimitas et profundum : *Ideoque Romanus Pontifex crucem quamdam insertam catenulis a collo suspensam sibi statuit ante pectus, ut Sacramentum, quod ille tunc praeferebat in fronte, hic autem recondat in pectore. Nam corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ita Innocentius, cujus verba pene exscripsit Durandus lib. III. Rationalis cap. IX., ubi adjungit, summum quidem Pontificem crucem statuere sibi ante pectus ad designandum, quod ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios cap. VI.: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Tradit deinde idem Durandus Pontificem imponendo sibi et deponendo crucem ipsam exosculari, ad denotandum, quod Christi passionem, quae per illam significatur, credit et confitetur, quodque ad eamdem repraesentandam in officio Missae se parat.

Sunt qui autumant, etiam graecos Episcopos pectoralem crucem gestasse eamque ab ipsis *Encolpion* appellari. Quod tamen non satis exploratum est; quinimo a compluribus doctis viris constantissime pernegatur. Patriarcharum orientalium Legati Constantinopolim appulsi, ut VIII. gen. interessent Synodo, testificati sunt quidem, ut primum ad Imperatorem admissi sunt, illum crucem, quae ex pectore ejus pendebat, ipsorum collo imposuisse, qua eos obtestaretur, non alias prosequi, non alias promovere Ecclesiae utilitates; *imposuit super colla nostra Encolpion suum et dixit*: *Ecce judicium Ecclesiae exigat Deus a cervicibus vestris in die judicii.* Extant haec verba in Actione V. memoratae Synodi VIII., ubi animadvertere ajunt Anastasium Bibliothecarium, Graecos sinu semper crucem circumferre eique insertum semper aliquid esse verae et vivificae crucis vel sacrarum alioqui reliquiarum idque a Graecis *Encolpion* appellari. *Encolpion*, inquit, *est, quod in sinu portatur*, *colpos enim graece, sinus latine dicitur. Moris enim Graecorum est, crucem cum pretioso ligno vel cum reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum.*

Sed non inde satis valide infertur

Encolpion fuisse Insigne Episcoporum; nam primo, qui illud *imposuit, fuit imperator, secundo Helias Vicarius Sedis Hierosolymitanae, qui narrans adventum suum in regiam Civitatem et qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerat, ea verba dixit, imposuit super colla nostra Encolpion etc.* Non erat Episcopus sed Presbyter. Tertio ut Gretserus lib. 2. *de cruce* cap. XXXIV. animadvertit et post eum Saussaius *Panopliae episcopalis* lib. IV. pag. 299. Non inficiatur *Encolpii* vocem neque in graeco textu memoratae actionis V. neque in latina versionis haberi, sed *Ωμοφορα,* Humveralia seu Superhumeralia. Idipsum confirmat Georgius lib. I. de Liturgia romani Pontificis cap. XIX. Quarto demum frustra ea verba ad crucem pectoralem Episcoporum referuntur, cum, ut late probant, qui *de cruce* scripserunt, crucem secum ferre commune esset omnibus Christianis et praesertim hodie ditioribus foeminis quae in signum potius vanitatis, quam christianae religionis crucem lapidibus pretiosis intextam collo appensam deferunt. Ceterum quod spectat crucem, quam pectoralem vocant, quam nimirum Episcopi latini gestare solent, benedici aliquibus abhinc saeculis consuevit extatque hodie titulus in II. parte nostri hujus romani Pontificalis, qui inscribitur: *de Benedictione crucis pectoralis.* Vide quae in ejusdem Tituli commentario a nobis dicuntur. Idem Catalanus ad part. 2. Pontificalis tit. 14., quod est *de benedictione crucis pectoralis,* sic adnotat: „De cruce pectorali Episcoporum actum a nobis fuse jam fuit tom. 1. hujus Operis in Prolegomenis cap. 13., ubi non modo de ejus origine et usu apud Latinos verum etiam apud Graecos nonnulla notata sunt. Quantum vero ad ejusdem crucis benedictionem attinet, nihil in priscis MSS. pontificalibus libris, nihil prorsus apud scriptores antiquos invenio. Sed neque extat is praesens titulus in editis ante Clementem VIII. Pontificalibus, in quibus post titulum *de benedictione novae crucis* statim sequitur titulus ille, qui inscribitur *de benedictione Imaginis B. M. V.* Porro, uti alibi notatum est, ex Durandi Pontificali liquido constat sua ipsius aetate saeculo nimirum XIII. crucem pectoralem gestatam quidem ab Episcopis fuisse, sed nondum inter ornamenta Episcoporum translatam, in potestate tamen Episcopi eam adhibere vel non adhibere. Constat nihilominus saeculo XIV. non modo inter Episcoporum peculiaria ornamenta crucem ipsam fuisse adscriptam verum etiam, ubi ipsam Episcopi accipiebant Missam celebraturi, hanc ex romano Missali Fratrum Minorum, quod extat in Vaticana Bibliotheca, pronunciabant formulam: *Tuam crucem adoramus Domine tuamque gloriosam recolimus passionem et Tu miserere nobis, qui passus es clementer pro nobis. Amen.*

Tam etsi antiquus non sit praesens titulus *de benedictione crucis pectoralis,* quam nempe Episcopi ad collum appensam gestant, videaturque a Clemente VIII. adjunctus, cum in editis ante ipsum Pontificem Libris pontificalibus haudquaquam inveniaturt: est tamen non ita recens alius itulus, qui non modo in Pontificalibus editis sed et in MSS. pontificali Codice Guilielmi Durandi, qui floruit saeculo XIII., et in aliis habetur inscriptus de benedictione et impositione crucis proficiscentibus in subsidium et defensionem fidei christianae seu recuperationem Terrae sanctae. Estque is titulus XXI. juxta ordinem titulorum partis II. rom. hodierni Pontificalis. Porro cautum est ex hac nostra rubrica, ut Pontifex ad benedicendam crucem pectoralem

uti possit ea forma, quae in ipso titulo XXI. est assignata.

Quoniam itaque patet ex his, quae allata sunt, usque a saeculo XIII. vel XIV. morem invaluisse gestandi ab Episcopis pectoralem crucem, si vellent, qui tamen mos communis evasit et per modum regulae, quandoquidem in romano Pontificali insertus fuit titulus *de benedictione crucis pectoralis*, quae aliis pontificalibus indumentis adnumeratur, plane consequitur ita Episcopis pectoralem crucem convenire, ut usurpari nequeat ab aliis inferioris ordinis nisi per privilegium. Hoc autem nonnisi raro rationabilibus de causis caute conceditur. Nil mirum igitur, si eam postulanti Imolensis Cathedralis Capitulo s. Congregatio novum hoc Insigne concedere repugnavit. Quum enim tot aliis privilegiis cumulatum esset ejusdemque Canonici ac Dignitates Pontificalium usu decorati sint, haud congruere visum est aliud addere pectoralis crucis, quo magis accederent ad extrinsecas pontificales honorificentias et tantum detraheretur extrinseci honoris episcopali dignitati, quantum additum esset Dignitatibus et Canonicis ejusdem Capitulum componentibus.

Faventina.

(Dies pontificales.)

Porrectio SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. sequentis supplicis libelli.

Il Sacerdote Luigi Cassani Arciprete di Bagnacavallo Dioecesi di Faenza Oratore umilissimo della Santita Vostra ossequiosamente espone, qualmente nella Bolla di creazione della Collegiata di Bagnacavallo, oltre gli altri privilegi concessi all' Arciprete pro tempore dalla sa. me. di Benedetto XIV. nella sua Bolla: *Illius incomprehensibili bonitate*, gli fu accordato ancora di poter fare Pontificale nelli seguenti giorni, come dalla Bolla: Ut ipse, id est Vicarius, poiché cosi chiama la Bolla l' Arciprete di Bagnacavallo costituendolo Vicario perpetuo del Vescovo di Faenza: In Nativitatis et Circumcisionis D. N. J. C. et Epiphaniae necnon Paschatis, Resurrectionis Dominicae et Pentecostes, Corporis Christi et Assumptionis B. M. V. et Dedicationis s. Michaelis Archangeli, festis diebus tantum a primis Vesperis usque ad occasum solis festorum dierum hujusmodi . . . *e poscia,* quibuscumque ipse inibi, *cioè nella Chiesa Arcipretale di s. Michele,* diebus festis huic tantum in Pontificalibus celebrabit, Benedictionem solemnem post Missam et Vesperarum ac Matutinorum et aliorum divinorum officiorum celebrationem supra populum inibi tunc existentem elargiri. Quindi é, che l' Oratore supplica umilmente Vestra Santità, affinché si degni ordinare che venga dichiarato a chi spetta, se l' Oratore possa fere il Pontificale nella mattina del Sabbato Santo nella Messa solenne. Spera l' Oratore di essere esaudito, mentre evvi la sagra Congregazione del Concilio, che nel 1785 alli 9. di Luglio defini, che *Paschatis Solemnitas exorditur a Missa Sabbathi sancti.*

Relatae autem hujusmodi preces in Audientia diei 27. Martii 1827 eidem SSmo Dom. Nostro per Secretarium S. R. C., Sanctitas Sua rescribendum jussit: *Recurrat ad sacram Rituum Congregationem.*

Proposita igitur instantia per Em. et Rmum Dominum Cardinalem Pedecini Relatorem, re mature discussa, responsum fuit: „Servetur stricte privilegium Benedicti XIV., ideoque excluso Pontificale Sabbathi sancti."

Die 16. Sept. 1827. n. 4641.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Facile quisque videt planeque intelligit pontificales Missas relate ad illos, qui non ex jure verum ex privilegio in quibusdam dumtaxat designatis diebus queunt Pontificalia peragere, quin iisdem liceat alios dies praeter expressos in apostolicis Constitutionibus, ut illa est Alexandri VII.*) pro Abbatibus et Praelatis Episcopis inferioribus vel peculiaribus privilegiis concessis quandoque Capitulis, Dignitatibus, Rectoribus etc., addere. Quamobrem Archipresbyter Collegiatae et parochialis Ecclesiae s. Michaelis Balneacavalli Faventinae Dioecesis, cui facta fuit potestas a sa. me. Benedicto XIV. Pontificalia peragere in designatis solemnioribus anni diebus a primis Vesperis ad occasum solis diei sequentis, perperam praesumit privilegium extendere eoque uti etiam in Sabbatho sancto, quia pontificalem Missam licite potest celebrare sequenti die solemni Paschatis Resurrectionis. Equidem in facultate ei est quoad alias festivitates canere pontificaliter primas Vesperas, quia revera a Vesperis initium habet sequentis diei solemnitas, sed Dominica, in qua recolitur Resurrectio D. N. J. C., habet quidem primas Vesperas, si Vesperae dici possunt, quae singulari ritu intra Missam persolvuntur loco versus *Communio* et Orationis *Postcommunio*; imo, ut notat Tetanus Diar. ecclesiastic. civil. cap. 8. de Sabbatho sancto n. 358. *Eaedem Vesperae verius appellari possunt gratiarum actio, quam Officium Vesperarum, teste Ruperto de divin. Offic. lib. II. cap. XVIII. Confer Benedictum XIV. de Missae Sacrificio sect. I. cap. XXIII. §. 1.: sed et Vesperae vocabantur gratiarum actio.* Vide *Meratum ad Gavantum tom. II. sect. IV. cap. V. num. 1.* Hinc hujusmodi Vesperae separatim non persolvuntur in choro, sed celebrantur in Missa, quae, ut aliae diei functiones (per anticipationem) peragitur; ideo dumdaxat ad privatim eas recitandas tenentur, qui Missae non adstiterunt, intra quam fuerant absolutae: quapropter locus non est eas pontificaliter persolvendi, nisi intra Missam, prout fieri debet ab Episcopis, qui generalem Ordinationem promovendorum cum ad Minores tum ad sacros Ordines peragunt vel etiam possunt, si velint, etiamsi non adsint ad Ordines promovendi, quia Episcopis numquam interdictum est agere Pontificalia. Quod autem jure proprio et ex dispositione caeremonialis libri possunt Episcopi, haud aliis permissum est, qui ex privilegio gaudent limitato usu Pontificalium, et stricte tenentur ad id, quod in privilegio expressum est. Idcirco Archipresbyter Collegiatae Balneacavalli, ut Vesperas Paschatis pontificaliter celebraret in Sabbatho sancto, deberet Missam, a qua Vesperae separari nequeunt, persolvere. Atqui pontificalem Missam non ei est in Sabbatho sancto celebrare permissum, ideo etiam nec Vesperas, quia privilegium Missam solummodo designat pro solemni die Paschatis, non autem pro Sabbatho sancto.

Ejus autem intentioni obest potius quam prosit resolutio sacrae Congregationis Concilii diei 9. Julii 1785, qua declaratum fuisse asseritur, quod paschalis solemnitas exorditur a Missa Sabbathi sancti. Esto quidem ita sit; sed quoniam inter designatas in privilegio Missas illa Sabbathi sancti non occurrit, sed ea tantum exprimitur solemnitatis Paschatis, quid ultra quaerendum est, ut Archipresbyter Orator vanam suam petitionem agnoscat? Casus vero sacrae Congregationi Concilii propositus, quo se

---

*) Vd. supra pag. 621.

tueri posse confidit, a specie nostra quammaxime distat nec ullam habere potest relationem ad eamdem. In illo quippe agebatur de Canonico, qui ex fundatione tenebantur dumtaxat: *d'intervenire* (in choro) *nelle solemnità del SSmò Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio.* Et exorta controversia super intelligentia mentis Fundatoris: an scilicet sub nomine solemnitatum etc. interessentia incipere deberet a primis Vesperis solemnitatum in testamento a Fundatore praescriptarum et an his venirent etiam illae, quae intra Missam in Sabbatho sancto persolvuntur? jure declaratum fuit: Canonicum teneri interesse Missae Sabbathi sancti, quia Vesperae ea die in choro non separantur a Missa. Species autem non est de obligatione adimplendi a Testatore impositum onus quod a jure procedit et cum jure conjungitur; verum de extensione privilegii ultra fines praescriptos seu de Pontificalibus, quae a Privilegiatis celebrari nequeunt, nisi ad formam indulti et solummodo in diebus ab Indulto designatis et expressis. Non secus igitur S. R. C. indebitae postulationi respondere debeat, nisi prout fecit, videlicet: *servetur stricte privilegium Benedicti XIV.*, ideoque, excluso Pontificale Sabbathi sancti, posse oratorem solummodo ad formam Indulti in Pontificalibus Missam celebrare die sancto Paschatis.

Baren.

(Mitra.)

Honoris insignia et ea potissimum quae ad divinum cultum, sacrae rei decorem et Sacerdotum dignitatem promovendam amplificandamque maxime conferebant, a summis Pontificibus larga manu nonnullis Ecclesiis attributa, propter innumeros qui irrepserant, abusus, sa. me. Pius VII. Constitutione, quae incipit: „*Decet Romanos Pontifices*“ ea omnia in universum certis limitibus ita cohibuit, ut singulis Canonicorum Capitulis, quae amplioribus privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, peculiaria sua jura in sacra Rituum Congregatione deducendi potestatem adjecerit, ut quod a canonicarum Sanctionum praescripto declinare visum esset, opportune decerneretur. Eapropter et Barensis Metropolitana Ecclesia, quae sibi fuerant diversis temporibus ab hac sancta apostolica Sede indulta, illico deposuit. Quum autem penes populum mutatio isthaec admirationem dissensionemque conciliaret, modernus Rmus Archiepiscopus, dum ab Ecclesia Cathacensi ad Barensem Metropolitanam esset evectus, a sa. me. Leone XII. oretenus impetravit, ut suae Cathedralis Canonici in usu omnium privilegiorum, sicuti ante memoratam Constitutionem, libere perseverarent. Illi itaque Canonici licite plenissimoque jure pontificalibus privilegiis hodie utuntur. Cupientes vero recensitae Constitutionis praescriptum non declinare praefataeque novae concessionis authenticum in Archivio futuris temporibus successoribusque Canonicis monumentum asservare sacrorum Rituum Congregationi supplices enixasque porrexit preces tam idem Rmus Baren. Archiepiscopus, quam Metropolitanae Capitulum, postulantes privilegiorum omnium legitimam confirmationem.

Sacra autem Congregatio ad Vaticanum in ordinario coetu sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis consideratisque allatis documentis, rescribendum censuit: „Pro gratia confirmationis, excepta Mitra auro contexta et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Die 19. Decembris 1829.“

Facta autem de praemissis Domino

Nostro Pio VIII. Pontifici Maximo per me infrascriptum Secretarium relatione Sanctitas Sua sacrae Congregationis rescriptum adprobavit et confirmavit in omnibus, adeo ut in posterum Metropolitanae Ecclesiae Barensis Canonici licite uti valeant Pontificalibus, sicuti ante memoratam Constitutionem, in ecclesiasticis functionibus, excepta tantum Mitra auro contexta. Die 23. recensiti mensis et anni. n. 4649.

Nota Gardell. ad hoc Decret.

Mitra per se nihil est aliud quam capitis ornamentum et ea mulieres antiquitus et apud Hebraeos et apud paganos ornabantur et erant mitrae foeminis, quod galei sunt viris, et diversae erant virginum, diversae matronarum mitrae: *Judith. 10. 3.* legitur: ***Discriminavit crinem capitis sui et posuit mitram super caput suum.*** Isaias inter muliebria ornamenta adnumerat ***torquem, monialia et mitram***, et de Magdalena scribit ***Hieronymus cap. 10.***: ***Non habuit crispantes mitras nec stridentes calceolos.*** Nunc mitra est Episcoporum capitis ornamentum ac inter sacra pontificalia ornamenta adnumeratur, quae pariter suam habet particularem benedictionem, ut chirothecae, anulus, pastorale et ab Episcopo consecrante peculiari adhibita verborum formula consecratis imponitur et peculiaris oratio pronunciatur, dum in Missis pontificalibus Episcopus ea ornatur. Sicuti mitra varia sortita est nomina et varia fuit pro diversis temporibus forma, sic diversa fuit et adhuc est in Ecclesia earumdem qualitas sive species. Ut de nomine dicam, appellata est ***Apex***, ***Sertum***, ***Corona***, modo ***sacerdotalis*** modo ***gloriae***, ***Galea***, ***Pileum***, ***Thiara***, ***Infula***, ***Cidaris.*** Si de forma loquamur, diversa haec quoque fuit, alia Pontificum, alia Episcoporum, alia in cuspidem in superiori parte ad instar Coni terminabat, alia minus cuspidata et valde obtusas cuspides habebat, aliae bifides erant et breviores, sed temporis progressu adeo earum forma varia evasit, ut de his certi nihil possit affirmari. Si eruditorum scripta hac in re persequi vellemus, si picturas, si musiva opera, quae in antiquioribus tum nostrae hujus Urbis tum in aliis Ecclesiis conspiciuntur, invisere, satis superque hoc evinceretur. Adeat, si quis optet, eruditissimum Christianopul, qui in suo opere plures profert veterum Mitrarum figuras et duodecim enumerat, quarum una ab altera differt et una tantum ex his nostrorum temporum Mitris assimilatur. Ex his autem pleraque non in lateribus, ut nostrae, sed in anteriori parte sunt apertae. Haec advertanda putavi, ut quisque agnoscat, quanta fuerit in sacris ipsis ornamentis per varia saecula varietas.

Antiquissimum est hoc ornamentum, quidquid putent Panvinius et Menardus, qui solo quorumdam Auctorum silentio innituntur. Adeat, si quis velit, Martenium, Mabillonium, Georgium et si velit etiam Cardinalem Bona, qui licet conciliet sententias, aliquod saltem capitis ornamentum Episcopis assignat ab ipso Ecclesiae exordio. Antiquissimum sane est hoc Mitrae ornamentum, et si a vetere lege illud desumptum dicamus, a veritate certe non discedemus. In hac enim Sacerdotes et Levitae Mitra utebantur et Deus ipse hoc praescripserat ornamentum. ***Et impones eis Mitras,*** legitur ***Exodi cap. 9. Posuitque Mitras, ut jusserat Dominus,*** legitur in Levitico; et in Mitra Summi Hebraeorum Pontificis Dei nomen inscriptum inspiciebatur. In nova quidem lege, ipsa nascente Ecclesia, Mitra adhibebatur, et si audiantur Epiphanius et Hieronymus atque Ba-

ronius, Mitra erat ea, qua utebatur s. Jacobus Apostolus ut Episcopus Hierosolymitanus, et Mitra pariter erat ornamentum illud s. Joannis Apostoli et Evangelistae, de quo scribit Polycrates Episcopus Ephaesinus et ut scribit Epiphanius, *auream laminam* in fronte eundem Apostolum habuisse quam et Mitram fuisse clarissime asserit. Nostris hisce temporibus eadem est omnium Mitrarum forma, sed varia earum species, quae triplex est juxta Caeremoniale Episcoporum. Una, quae *pretiosa* dicitur, quia *gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis vel argenteis contexta esse solet*, altera *auriphrygiata sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis sed vel aliquibus parvis margaritis composita vel ex serico albo auro intermixto vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis.* Ex hoc quisque videt in hac secunda Mitrae specie Caeremoniale non excludere aliquod ornamentum a materia serica auro intexta, qua conflata est, sed et solum laminas et margaritas, eas nempe, quibus pretiosior ornata est, unde si quis hac utatur, ut descripta reperitur a Caeremoniali, non ideo posset reprehendi quasi pretiosa uteretur. *Tertia quae simplex vocatur sine auro ex simplici serico damasceno vel alio aut etiam linea ex tela alba confecta rubeis laciniis seu frangiis et cistis pendentibus.* Haec triplex est Mitra ex ipsa Caeromonialis Episcoporum descriptione et statuto. Unum hic adnoto quoad Mitram quam ex serico damasceno confectam dicit, hanc nempe esse ex consuetudine et praxi sive ad distinctionem dignitatis prae aliis propriam exclusive solummodo S. R. E. Cardinalium, qui dum simplicem gestant non ex *tela linea* sed damascenam in capite gestant. Plura hic proferri possent de usu Mitrae. Mitrae usus non solum Episcoporum sed et Presbyterorum et Diaconorum Cardinalium propria est ex concessione Summorum Romanorum Pontificum et si monumenta persequemur vel hujus generis investigemus memorias, ea a paucis annis post millesimum jam utebantur. Aliaque etiam de Mitris Summi Pontificis addi hic possent, sed ne longior aequo sim, satis sit innuere olim Mitram Summorum Pontificum a Mitris Episcoporum diversam fuisse. Haec noscere qui cupiat, adeat Mabillonium, Papebrochium, Cajetanum, Ciampinium et Vaticanos Codices. Unaquaeque Mitra dua habet cornua duasque in posteriori parte, quae super humeros fluctuantes pendent, lineas ad instar vittarum, quarum extremitates quoad primam alteramque Mitrarum speciem aureis laciniis ornata est; tertia vero rubri coloris lacinios habet. Haec de Mitra ait Sicardus Cremonensis eam breviter describens: *Mitra sumitur a lege, quae thiara, cydaris, infula, pileum appellatur. Ea bysso conficitur, auro et gemmis ornatur, habens duo cornua duasque lingulas posterius et fimbrias dependentes inferius. Hac caput velatur et coronatur.* Huic consonat Innocentius III. lib. 1. de mysteriis Missae cap. 44., qui simul et materiam et formam describit et significationes mysticas tradit. *Mitra Pontificis*, scribit ipse, *scientiam utriusque testamenti significat: nam duo cornua duo sunt testamenta, duae fimbriae spiritus et litera: circulus aureus, qui anteriorem et posteriorem partem complectitur, indicat, quod omnis scriba doctus in regno coelorum de thesauro suo nova profert et vetera. Caveat ergo diligenter Episcopus, ne prius velit esse magister, quam norit esse discipulus, ne si coecus coecum duxerit, ambo in foveam cadant. Scriptum est enim in propheta* (Osea): *Quia tu scientiam*

repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Hae diversae Mitrarum species non inutiliter, non sine ratione ab Ecclesia statutae sunt, sed vel varias plus minusve dierum aut actionum solemnitates possunt indigitare vel etiam temporis et Ecclesiae aut moestitiam aut luctum. Prima, quae aliis pretiosior est et ornatior, in solemnioribus diebus et actionibus adhibetur et si in eadem primaria aut solemni actione, ut in Missa solemni, ea secundi quoque generis adhibetur Mitra, illa prima in aliquibus Missae partibus nihilominus adhibetur et ea Episcopi aliquibus in actionibus ornantur ut in lotionibus, in benedicendo populo etc. Hinc colligi possit secundi generis Mitram, scilicet auriphrygiatam, hoc in casu, si ea utuntur, licet minus pretiosa sit, ad commoditatem Episcoporum, quia levior est, eam adhiberi, ne ipsi, cum hymni angelici aut symboli cantus (quibus praesertim temporibus ea adhibetur) longe protrahitur, dum mitrati sedent, molestiam accipiant Tertia demum, quae simplex est et linea, adhibetur in functionibus, quae moestitiam luctumque redolent, ut in exorcismis, in processionibus poenitentiae, ferialibus Quadragesimae diebus aliisque, quibus Episcopi vel Cardinales (qui propria suae dignitatis, ut innui, utuntur) praesente Summo Pontifice Mitris ornantur. De vario hoc Mitrarum diversarum usu et variis sive temporibus sive diversis ritibus accomodato audiatur ipse *Durandus in suo Ration. div. off. lib. 3. cap. 13. n. 6.*, quibus comprobatur pro diversis temporibus diversi generis Mitras adhiberi. *Sane*, scribit, *Mitra aurifrisata utendum est a Pascha usque ad Adventum et a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam in omnibus festis duplicibus et novem lectionum totius anni (nisi in festo Innocentium et in Dominicis praedictorum temporum) et generaliter quandocumque Gloria in excelsis et Te Deum laudamus dicuntur... In aliis vero temporibus regulariter non auriphrisata sed simplici utendum est, videlicet ab Adventu ad Nativitatem... Item in festis trium lectionum illius temporis et in omnibus vigiliis, in quibus jejunium celebratur, et quatuor temporibus et in rogationibus, item in Officio Defunctorum.* Ex ordine romano pariter evincitur sicut triplex Mitrae species sic et diversus pro diversis temporibus usus. Plurima his addenda essent, sed haec videri possunt in allatis auctoribus, quibus addo et Cangium et Spalmannum et Baquillotum. Jam quaedam ornamenta et honoris praeclariora insignia jure Episcoporum, inter quae et Mitra recensetur, a variis saeculis per privilegium et aliis a Summis Pontificibus concessa fuerunt quibusdam Canonicorum Collegiis, Abbatibus ac Praelatis Episcopis inferioribus vel ob rem aliquam praeclare gestam erga s. Sedem vel ad distinctionem aliarum Ecclesiarum ob peculiaris ipsius Ecclesiae antiquitatem vel etiam ut splendidiori per haec honoris et decoris signa apparatu divini cultus majestas magis eluceret et Fideles per hunc ipsum externum Ministrorum ornatum ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur. Sed cum non semel eveniret, ut ii, qui singulari modo his privilegiis honestati essent, latius accepta privilegia et honores interpretando, majora sibi concessis arrogarent et terminos concessionis excederent, ita contra concedentis voluntatem agerent, ordinem pervertterent et abusus inducerent, s. Rituum Congregatio modum aliquem huic quorumdam libertati ponere ex munere statuens et Pontificorum diplomatum violationes vel praecavere vel

continere, singulari decreto declaravit sub die 27. Augusti 1822, quae Pontificalia sint privilegia, quod adprobavit confirmavitque fel. rec. Pius VII., qui Praedecessorum suorum Pontificum Alexandri VII. et Benedicti XIV. exemplo inhaerens peculiarem etiam Constitutionem edidit sub die 4. Julii anni 1823 cujus initium est: *Decet Romanos Pontifices.* Hac, ut ii, quibus aliquod hujusmodi privilegiorum ante fuerit concessum, statutis legibus continerentur neve illorum jura laederentur, ad quos inspecto ecclesiasticae Hierarchiae ordine hujusmodi insignia stricto pertinerent sensu, neque in posterum alii inducerentur abusus et omnis perturbationis, quaerimoniae et dissidiorum tolleretur occasio, hac, inquam, et memoratum S. R. Congregationis decretum confirmat et Praedecessorum suorum leges et statuta quoad usum Pontificalium Praelatis Episcopis minoribus aliisque concessa sapientissime renovavit, jus ut suum sartum tectumque Episcopis servaret, ne quid per illimitatum privilegiorum usum praescriptos in privilegiis ipsis terminos praetergrediendo episcopalis dignitatis splendori detraheretur. Cum autem tam in memorato decreto, quo privilegia Pontificalium declarantur, quam in dicta Pii VII. Constitutione statuatur, ut ii, qui amplioribus gauderent privilegiis, peculiaria sua jura ad s. Congregationem perpendenda deducerent, ut inde de illis juxta canonicarum sanctionum opportune posset decerni, Ecclesia Metropolitana Barensis Summi Pontificis mandatis obtemperans privilegia sibi indulta illico deposuit, sed ad vitandam quamcumque aliorum admirationem ob repentinam hanc insigniorum dimissionem preces porrexerunt pro usu privilegiorum, quibus gaudebant, quae a fel. rec. Leone XII. benigne concessa iterum fuere.

Laudabilis haec Canonicorum Barensium obedientia confirmationem privilegiorum quasi promerita est, quae simul ostendit legitime eos concessis privilegiis uti et a statutis legibus non declinasse. Quo factum est, ut iisdem postulantibus et Rmo Archiepiscopo ipsis favente sacra Congregatio quoque *pro gratia confirmationis* rescripsit. Unum tamen excepit, usum nempe Mitrae auro contextae, ut Decreti et Constitutionis statutis eorumque fini gratiae confirmatio responderet, qui in eo praecipue situs est, ne quis ex Praelatis Episcopis minoribus, si forte aliquibus Pontificalium privilegiorum gaudeat, illorum jura laedat. Vidimus supra ex diversis Mitrarum speciebus et antiquissimo eorum usu, quid ad Episcopos spectet, quid aliis conveniat, qui ex privilegio Mitra utuntur. Cum itaque Canonici Metropolitanae Barensis ex privilegio ea utantur, non alia uti possent, nisi memorata, nempe simplici ex tela alba cum sericis laciniis, ea nempe, quae a decreto sub num. 8. describitur.

Vd.: *Mitra Dignit. et Can.* decr. num. 4657 et p. 622.

Pisana.

Perantiquae nonnullae consuetudines servabantur in Metropolitana et Primatiali Ecclesia Pisana nonnullaque privilegia accedebant ipsius Ecclesiae Archipresbytero ad ejusdem dignitatem cohonestandam. Sed quum generalibus rubricis ac dispositioni Caeremonialis Episcoporum adversarentur, Reverendissimus Archiepiscopus percupiens, ad sui animi tranquillitatem, ut in suo quidem robore sed legitima auctoritate consuetudines ipsae et privilegia persisterent, sacrorum Rituum Congregationi dubia super iisdem enodanda proposuit sub die 12. Novembris superioris anni 1831 sacraeque Congregationis res-

ponsa a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifice Maximo confirmata fuere sub die 18. ejusdem mensis et anni. Cognito Congregationis Rituum sensu eoque Capitulo recensitae Ecclesiae pandito, dum Canonici Primatialis et metropolitanae ad omnia exequenda se paratos profitentur, denuo supplici prece Sanctitatem Suam exorare ut sibi liceret expostularunt. Eidem itaque Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt, ut super sequentia jam proposita dubia saltem posset servari solitum, nimirum: 1) Utrum ferendus sit ritus numeri, ordinis et loci cereorum seu candelarum in persolvendis officiis tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus? 2) Laudatae Ecclesiae Primatialis Canonici dum a propria residentia ad illam vel ab illius janua ad propriam sedem archiepiscopalem Archipraesulem in cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium, bini post crucem archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium et perennis traditio a majoribus accepta, adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa II. haec Primatialis Ecclesiae metropoliticam dignitatem recepit. Quaeritur igitur: utrum recensita consuetudo servanda necne sit? 3) Utrum Dignitates, Canonici, Parochi et Sacerdotes tum Ecclesiae Primatialis tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae adigi debeant ad induendum superpelliceum cum stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum deposita Cappa vel Mozzetta vel Caputio? 4) Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in sacris functionibus ritu pontificali peragendis redigi debeat ad limites Indulti pontificii? Sanctitas Sua, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Carolo Maria Pedecini Episcopo Praenestino et sacrorum Rituum Congregationi Praefecto facta habitaque ratione Caeremonialis Episcoporum legem a Summis Pontificibus Clemente VIII., Innocentio X. et Benedicto XIV. latam et confirmatam hujusmodi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat, accedentibus praesertim non paucis sacrorum Rituum Congregationis Decretis, ad tramites ejusdem legis dispositionis generalis confirmando responsiones omnes resolutionesque recensitis dubiis ab ipsa s. Congregatione datas de speciali gratia annuit solummodo quoad ampliationem privilegiorum Archipresbyteri Primatialis et Metropolitanae Ecclesiae Pisanae praeter id, quod jam a sa. me. Clem. Papa XII. Archipresbyteris indultum est, nimirum ut ipse in eccl. Functionibus uti deinceps valeat faldistorio sine gradu aliquo, sed cum solo tapete seu strato super Presbyterii pavimentum; concessit insuper illi usum canonis, presbyteri assistentis, Palmatoriae et Mitrae aurifrigiatae atque ut in fine Missae impertiatur trinam benedictionem: vetuit tamen hujusmodi Palmatoriae et Mitrae aurofrigiatae usum atque ut non possit impertiri trinam benedictionem praesentibus Archiepiscopo vel Nuncio apostolico vel sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, magis Legato a Latere, quae vetita sint Archipresbytero, semper adhibita eorum venia, sicut et salutatio Populi *Pax vobis* ususque Baculi pastoralis. In hisce omnibus privilegiorum ampliationibus Eadem Sanctitas Sua legem adjecit, ut antequam iisdem Archipresbyter Pisanus potiatur, expediri faciat Literas apostolicas in forma Brevis in similibus expediri solitas. Contrariis non obstantibus quibuscum-

que. Die 12. Decembris 1832. num. 4696.

Lucerina.

Capitulum et Canonici regiae Cathedralis Lucerinae praecedentibus annis novo illius Ecclesiae splendiori et ornamento prospicientes SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. humillime supplicarunt, ut memoratum templum antiquitate ac majestate celebre Basilicae Minoris titulo insignibusque decorare dignaretur ipsosque Canonicos Pontificalium usu ad instar Abbatum in s. peragendis officiis ornare. Benigne clementerque a Sanctitate Sua excepto supplici Libello per apostolicas Literas in forma Brevis expeditas die 8. Aug. 1834 Cathedrale Templum Lucerinum Basilicae Minoris Titulo fuit decoratum et Pontificalium usus S. R. C. auctoritati et judicio ab Eadem subjectus fuit, quae in ordinariis comitiis ad Quirinale Aedes die 6. Sept. ejusdem anni 1834 coadunata re mature diligenterque discussa *negative* rescribendum censuit. Quum autem recensitis in literis generice sermo instituatur de privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae Basilicae Minores utuntur, harum literarum Secretarium Canonici adiverunt postulantes, ut sibi significaretur, quidnam privilegiorum, gratiarum caeterorumque praemissorum nomine veniat, quibus, dum Titulo Basilicae Minoris Ecclesia aliqua decoratur, illius Canonici honestantur. Nulla apposita declaratione recepta per alium supplicem Libellum S. R. C. humillime supplicaverunt, ut sibi significaretur quid eorumdem verborum seu vocum nomine veniret atque hoc potissimum fine, ne aut concessionis fines ipsi excederent aut aliquid ex concessis adimerent; atque in ordinariis comitiis iterum ad Vaticanas Aedes die 12. Martii vertentis anni coadunatis rescriptum supplici Libello fuit: *Dilata et exquiratur Votum Magistri Caeremoniarum.* Omnibus propterea rite postmodum dispositis panditoque hujusmodi Magistri Caeremoniarum voto, quod fuit etiam typis cusum, ut prae omnium manibus haberetur, in ordinario demum coetu ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunato, ad relationem Emmi et Rmi Card. Jacobi Brignole Ponentis, S. C. re mature diligenterque discussa ac rite librata rescribendum consuit: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum excepta palmatoria; declaravit nimirum nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum ceterorumque similium, quae continentur in Literis apostolicis in forma Brevis expeditis favore alicujus Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae venire Conopaeum, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum et usum Cappae magnae.“

Atque ita declaravit ac servari mandavit. N. 4781. Die 27. Aug. 1836.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Quibus honoribus, quibus privilegiis quibusve praerogativis honestatae sint basilicae sive majores sive minores incertum sane est, et quod sciam et quod legerim apud Lyturgicos nullus fortasse inter scriptores reperitur, qui de hoc fuse saltem appositeque pertractet. Scriptores enim qni de Basilicis agunt, toti in eo plerumque sunt ut vel vocis etymologiam inquirant vel ex profano sacrum illarum usum memorent vel internam externamque illarum formam, structuram, ornatum, magnificentiam, splendorem describant atque hinc nihil ab illis decerpi aut sumi potest, quod nostro huic proposito possit accomodari.

Dixi initio incertum omnino esse quibus privilegiis, gratiis etc. Basilicae

gaudeant; nam, ut plurimum, non gaudent privilegiis et praerogativis, quae intrinsece et absolute iis debeantur, sed iis, quae ipsis per varia tempora concessa fuerunt ac proinde non omnia omnibus communia sunt; unde reipsa videmus quasdam privilegiis et honorificentiae insignibus gaudere, quibus aliae prorsus carent. Id autem ex eo evenit vel quia Ecclesiis quicusdam ob earum antiquitatem et celebritatem aliquid prae aliis concessum fuit vel quia Summi Pontifices alias prae aliis honestatas voluerunt ob aliquod singulare et praeclarum in Christi Ecclesiam facinus vel in ipsos Romanos Pontifices benefacta vel quia Clerus ipse optime de Ecclesia et Pontificibus meritus decorari singulariter dignus habitus fuit. Hinc est quod ipsae episcopales Ecclesiae nonnullae hoc illove privilegio gaudeant et Episcopi ipsi, dum Sacrum solemniter agunt aliquo in altari, ipso insigni utuntur, quo anteacti temporis vel civitatis vel Episcopi praeclare gesta in memoriam revocentur.

In tanta rerum obscuritate, in tanto auctorum silentio, si quid statui hac in re poterit, id totum vel ex praecellentia Basilicarum super aliis Ecclesiis vel ex aliarum minorum Basilicarum exemplum componi, et quod ipsi non debetur intrinsece et absolute quoad honorificentiae insignia, ex iis, quae aliis concessa sunt et ipsi concedatur ne Literarum apostolicarum verba inutilia ipsi reddantur et specie tantum data concessio habeatur, quod suspicari nefas esset.

Ut de excellentia Basilicarum prae aliis Ecclesiis aliquid dicam, Basilica, si ejus perquiremus etymologiam, regiam sive regis domum significat. Apud gentiles ad publica peragenda negotia quasi diversorium erat, de quo Seneca *lib. 3. de ira cap. 33.*: *„Fremitu judiciorum Basilicae resonant.“* Erat locus ad jus dicendum; sic apud Plinium accipitur *lib. 6. ep. 33.*: *Sedebant judices centum et octoginta . . . ingens utrinque advocatorum et numerosa subsellia, adstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal atque etiam ex superiori Basilicae parte, qua foeminae qua viri, et audiendi, quod erat difficile et visendi studio imminebat.*

Has postmodum Christiani Basilicas in Ecclesias et ex profano ad sacrum usum et in locum ad divina peragenda officia converterunt. Unde apposite scribit Isidorus *lib. 5. originum. Basilicae prius vocabantur regum habitacula, unde et nomen habent: nunc autem ideo Basilicae divina templa nominantur quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificia offeruntur.* Hinc Antonius in gratiarum actione pro suo Consulatu: *Basilicae olim,* inquit, *negotiis plenae, nunc votis pro tua salute susceptis.* Dicitur etiam Basilica, quae templum etiam gentilium prius erat et sic vocata et postea Deo vero consecrata. Hinc Ennodius in consecratione Basilicae apostolicae, ubi templum fuit idolorum, scribit: *Veni ergo, piissime Domine et ad consecrationem operis tui plenus illabere vice humani per baptisma pectoris purgentur haec templa turpi hactenus dedicata patrocinio*; et s. Augustinus *de civitate Dei* templum Vaticanum *Basilicam amplissimam* appellavit. Differentia erat inter templa et Basilicas; in templis enim columnae, quibus illa ornabantur in externa parte, in Basilicis vero in interna positae erant. Basilicae apud Christianos initio quoad religiosum cultum aliqua ratione a templis differebant. Nam illae plerumque singulariter ad Sanctos, praesertim Martyres colendos statutae erant; templa vero ad sacra celebranda mysteria erant destinata. Ex quo

autem Ecclesiarum numerus crevit et tunc templa sive Basilicae indiscriminatim ecclesiae sunt appellatae et tam Sanctorum cultus in utrisque agebatur quam divina mysteria nulla facta inter utrumque distinctione in utrisque pariter sunt celebrata. Basilicae nomen non aliae Ecclesiae retinuerunt sive non aliis Ecclesiis hoc nomen Basilicae datum fuit, quasi antonomastice, nisi iis Ecclesiis quae per totum orbem magis essent insignes vel ob antiquitatem vel ob magnitudinem aut celebritatem quae ipsis inerat, quaeque per hoc ipsum majori veneratione, ut ita dicam, dignae habebantur. Haec fuit temporis progressu celebrioribus Ecclesiis data denominatio. Ast quum ob aliquam peculiarem rationem Basilicae nomen a Summis Pontificibus aliis etiam Ecclesiis concessum fuit, quae iis per se non gaudebant antiquitatis aut celebritatis aut, si dici potest, majoris cultus notis, tunc facta inter vetustiores et novas Basilicas distinctione illae *Majores*, hae *Minores* Basilicae nuncupari coeperunt, quemadmodum Basilicae minoris nomen Lucerinae Ecclesiae nostrae concessum nuper est. Et haec majoris vel minoris appellatio alteri aequivalet *primi aut secundi ordinis*. Quatuor tantum primariae Ecclesiae Romae Basilicae majores dicuntur seu patriarchales Ecclesiae, in memoriam primarum quatuor patriarchalium Cathedralium: Lateranensis, Vaticana, s. Pauli Via Ostiensi et Liberiana, quarum prima, juxta *Macrium* aliosque Sedem Romanam, in qua novus Pontifex instituitur, praesignat; secunda Constantinopolitanam repraesentat; tertia Alexandrinam designat; quarta Antiochenam Sedem exhibit.

Differentia patet inter Basilicas *Majores* et *Minores*: quae vero sint utrarumque privilegia, honores et caetera, quae ipsis tribui debeant, silentibus Auctoribus ignorare penitus fateri cogor nec me pudet, cum deficientibus momentis, nullis exstantibus super hoc legibus certi aliquid statui a nemine possit et ipsis Basilicis majoribus diversa a Summis Pontificibus nec omnibus aeque communia tributa et concessa sint. Quid igitur? Rem imperfectam relinquam? Haud quidem decet et ab ipsis apostolicis Literis, ab aliarum Basilicarum exemplo desumenda responsio erit.

Jam dubitari nequit Ecclesiae Lucerinae *Minoris* Basilicae titulo decoratae aliquid concedi voluisse et ea sane, quibus Basilicae Minores gaudent et utuntur. Legitur enim in Literis apostolicis: *Regale et cathedrale templum Lucerinae Neapolitani Regni in Basilicam Minorem cum omnibus et singulis privilegiis . . . quibus Basilicae Minores utuntur vel uti et frui possunt et poterunt*, *erigimus et constituimus.* Ne igitur frustranea sit concessio, cum aliquid debeat concedi et ea concedenda dicantur, quibus Basilicae minores utuntur, videndum quae sint ea, quibus utuntur Basilicae memoratae. Sequetur enim haec esse, de quibus apostolicae Literae loquuntur. Siquidem quaedam, ut Romae videmus, sunt omnibus communia, quaedam vero aliquibus concessa. Communia sunt Conopaei (sive italice *Padiglione*), usus Tintinnabuli, quod illud praecedit in sua cujusque Ecelesia et in supplicationibus toti Clero communibus, in vestibus vero choralibus Cappa magna pellibus armellinis ornata in anteriori parte per hyemem et cotta super Rocchettum, cum cappa deponitur, per aestivum tempus: quae vero aliquibus concessa sunt singulariter, pauca sunt, quod sciam et fortasse sola palmatoria et haec quidem aliquibus in Missis tantum solemnibus,

aliquibus in Missis etiam lectis, sed infra Ecclesiae suae taxative limites ut non multis abhinc annis Basilicis s. Laurentii in Damaso concessum non ignoramus et s. Mariae in Transtyberina regione. Haec sunt, quae si non intrinsece et absolute minoribus Basilicis conveniunt, reapse tamen concessa ipsis sunt et his utuntur vel ex communi usu vel ex singulari concessu. Jam cum Literae apostolicae concedant *Ecclesiae Lucerinae* ea, quibus minores Basilicae uti et frui possunt, non quae intrinsece et absolute conveniunt, licet Conopaeum et Tintinnabulum non memorent, hoc tamen privilegium, hoc honorificentiae saltem signum concedere eas voluisse dicendum est, quemadmodum et cappam supradictam in hyeme et cottam supra Roccheltum aestivo tempore, nisi forte jam ante postrema haec, quod nescio, peculiariter sint concessa. Generalia quidem sunt Literarum apostolicarum verba, attamen ejusmodi, ut de concessione nequeat dubitari.

Tota difficultas quoad palmatoriae usum poterit moveri, cum haec non omnibus aeque minoribus Basilicis, sed aliquibus tantum Romae concessa sit: dubitari hinc de hac potest, cum non communis sit aliis omnibus; quod enim universaliter omnibus est commune, id solum dicendum est voluisse concedi. At cum eodem tempore Ecclesia Lucerina sit etiam Ecclesia Cathedralis, posset aliquo modo dici id etiam voluisse concedi, quod habent aliquae Basilicae minores, quae Cathedrales non sunt.

Quod spectat ad Conopaei et Tintinnabuli usum et horum concessionem exemplum non deest et reperitur in una *Calathaierenensi* Syracusanae Dioecesis sub *die 22. Martii 1817*. Distractis enim quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Dioecesi, unam ex duabus in *Calathaierenensi* civitate existentibus Collegiatis nempe Ecclesiam sancti Juliani ad cathedralitatis honorem tamquam alia aptiorem erigi voluit erectaque reapse fuit. Altera vero Collegiata, nempe s. Jacobi ob insignitatem Basilicae minoris titulo fuit condecorata. Supplicantibus hujus Ecclesiae Canonicis Conopaeum et Tintinnabulum gestandi facultas facta fuit. Verumtamen (ne quid me reticuisse incuser) quidam appositi sunt quoad horum usum limites, nempe *in iis tantum solitis et consuetis f nctionibus ecclesiasticis, in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo, idque in Ecclesiae ambitu vel inter limites tantum ejusdem paroeciae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die s. Jacobi ejusdem Titularis*. Hic, ut liquet, agebatur de Ecclesia Collegiata ad Basilicae minoris gradum evecta et in concursu cum Ecclesia Cathedrali, et idcirco jure, merito prudenterque limites concessae facultati fuerunt praescripti; hoc evenire nequit in Ecclesia Lucerina, quae simul est Cathedralis atque idcirco nullam fortasse meretur exceptionem, cum aliquid semper ut Ecclesia Cath dralis in se honorificentius prae aliis omnibus Ecclesiis habeat. Unum tamen quoad Conopaeum adverterem, illius nempe materiam talem esse debere a qua *auri argentive texturam* aut ornatum prorsus excluderem.

His omnibus positis, attenta dignitate Cathedralis Ecclesiae, attentis Literis apostolicis, quae eidem Cathedrali Ecclesiae Minoris titulo honestatae privilegia, praeeminentias concedunt, quibus aliae Basilicae minores gaudent, attentis aliarum minorum Basilicarum exemplis, ne concessio

frustanea et specie tantum data videatur, respondendum putarem: *per privilegia, praeeminentias, gratias intelligi Conopaeum omni tamen auri et argenti ornato excluso, et Tintinnabulum, usum cappae, ut supra dictum est*: quibus Emmi P., si ad exemplum nonnullarum minorum Basilicarum Urbis *palmatoriam* propria tantum in Ecclesia addere velitis, haud quidem repugnarem cum aliquo modo apostolicas literas favorabiliter interpretando posset includi: et ad *R. D. Secretarium cum SSmo.*

Aliae *Exemptionum, Indultorum etc.* voces verba sunt generalia, quae quidem, cum nihil honorificentiae, ut videtur, singulare includunt, nihil etiam hujus generis concedunt ac nullam dari ab hac S. C. declarationem exposcunt, quae sit nimirum illorum vis, quid significent, quove modo Cathedrali Lucerinae debeant aptari atque proinde non erat hujus S. C. haec omnia inquirere.

Dilectis filiis, Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cath. Caesenae.

Pius PP. VI.

Inest profecto in omnium animis bonorum sensus quidam praecipui amoris et benevolentiae erga civitatem illam, in qua fuit quisque in lucem editus atque susceptus, ubi sacris primum imbutus, ubi tenera adhuc aetate ad pietatem et optimas artes excultus, ubi genus, ubi majorum vestigia habet. Quo quidem sensu et Nos affici vel maxime profitemur ejusque rei per multa antehac eademque certissima dedisse signa arbitramur. Etsi vero satis jam sibi factam a Nobis isti patriae aestimare possit, nondum tamen est nostra in illa charitas expleta. Quare summas, inter quas detinemur quotidie curas, illa interdum subit jucundissima sane cogitatio de ea nimirum augenda magis et ornanda. Atque virtutum quamvis splendore vestrarum, dilecti filii, qui primas in illius clero tenetis, lucere ea maxime debeat, id quod a vobis jure omnino postulatur, statuimus tamen, ut ex vestris etiam honoris insignibus decus eidem aliquid accedat.

Nos igitur vos specialis favore gratiae prosequi volentes motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione Nostris, vobis, dilecti filii, Praeposito, Archidiacono et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Caesenae patriae Nostrae vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum solemnioribus nempe in Nativitate Domini, in dominicis Resurrectionis ac Pentecostes cum duobus respective sequentibus diebus, in festis Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini Nostri Jesu Christi, in feria quinta coenae Domini, feria sexta in Parasceve et Sabbato sancto: dominica in Albis et dominica SS. Trinitatis, in festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beatae Mariae Virginis omniumque Sanctorum, Nativitatis s. Joannis Baptistae, sanctorum Petri et Pauli et beatae etiam Mariae Virginis de populo nuncapatae et translationis corporis sancti Mauri Episcopi, in die anniversario dedicationis vestrae Cathedralis Ecclesiae ac in commemoratione omnium fidelium defunctorum, dummodo iisdem diebus Episcopus solemniter ac pontificaliter celebret, sicuti etiam aliis diebus, in quibus diebus Episcopus aeque solemniter ac pontificaliter celebrare voluerit et Canonici juxta praescriptum caeremonialis Episcoporum sacra paramenta assumere debeant, singuli vestrum vestrique successores in vesperis et missis solemniter decantandis necnon

in processionibus seu aliis hujusmodi functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta tam in dicta cathedrali quam in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ejus Ecclesiis, in quibus ad sacra solemniter peragenda tam Episcopus quam capitulum collegialiter accedere consueverint vel in futurum contigerit, mitra simplici ex tela linea praesente etiam sanctae romanae Ecclesiae Cardinali et de latere necnon Provinciae Romandiolae legato uti libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apost. tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Quod si Episcopus in enunciatis festivitatibus ac respective diebus absens fuerit vel praesens pontificaliter non celebret, sicut etiam in processionibus litaniarum tum majorum tum minorum, quas idem Episcopus per se ipsum non peragit, Dignitati seu Canonico tantum hujusmodi functiones peragenti, ut indumenta pontificalia sacris actionibus respective convenientia nempe mitram simplicem ex tela aurea praesente Episcopo vel sanctae romanae Ecclesiae Cardinale, crucem pectoralem sine gemmis, anulum cum unica gemma, sandalia ex oloserico, chirotecas, tunicellam et dalmaticam necnon faldistorium ligneum oloserico currentis coloris non autem ex tela aurea vel argentea coopertum et ministrum de candela seu palmatoria inservientem habere libere et licite possit et valeat, tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus, ceteris Canonicis usu mitrae, quotiescumque Episcopus pontificaliter per se ipsum non celebret et sacra paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto. Praeterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa in Cathedrali vel in aliis ejusdem civitatis et suborbiorum Ecclesiis, in quibus vel praesente vel absente Episcopo capitulum collegialiter conveniat, peragatur, Dignitati seu Canonico in missa et vesperis sive etiam processionibus celebrandis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra et respective convenientibus indumentis pontificalibus supra ennuntiatis uti possit, dummodo licentiam singulis vicibus ab Episcopo obtinuerit. In exequiis vero defunctorum, in quibus juxta Pontificalis romani part. 3. tit. de officiis, quod post missam solemnem pro defunctis agitur, et Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 2. dispositionem, conveniens est, ut fiant absolutiones tam ab Episcopis celebrante quam ab aliis Episcopis vel Praelatis, si adsint vel in defectum Episcoporum a quatuor primis Dignitatibus vel Canonicis, ut hujusmodi quatuor sive Dignitates sive Canonici absolventes in actu tantum absolutionum praedictarum mitra simili uti possint facultatem tribuimus et impertimur. Inhaerentes autem sacrorum rituum congregationis decreto diei 24. Januarii 1751 edito et a san. mem. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro suis literis apostolicis tertio Calendis Martii ejusdem anni confirmato volumus ac districte praecipiendo mandamus, ne Dignitas aut Canonicus celebrans praesumat ullo modo aut pontificalibus indumentis ad altare aut in choro indui vel populum trina benedictione benedicere vel cum formula episcopali: *Pax vobis* salutare vel pastorali baculo uti. Nullus vero sive Canonicus sive Dignitas in processionibus Corporis Christi mitram in capite gestare aut mitra in aliis praeterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere et addere possitis licentiam impertimur.

Datum Romae die 22. Jan. 1796. (Bull. r. Continuatio t. IX. p. 607.)

i) In Synodo.

Vd., *Synodus* (habitus; Canonicor. etc.)

UTENSILIA SACRA.

1) Cardinalium, Episcoporum etc. cui competunt post mortem?

Vd.: *Paramenta Episcopi.*

SSmi D. N. Pii Papae IX. Literae apostolicae, quibus aliqua dubia circa sacra S. R. Cardinalium et Episcoporum utensilia declarentur.

Pius Papa IX.

Ad futuram rei memoriam.

Quum illud plurimi referat, ut in apost. concessionibus nullus dubitationi detur locus, quae animos torqueat et controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sancta haec Sedes tribuere solet per apostolicas literas in forma brevis incipientes, „de benignitate Sedis apostolicae", iisdem per alias similes literas in forma brevis, quarum initium: „Cum fel. rec. Urbanus VIII." facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiae seu capellae vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII.: „Aequum est," edita die 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio Sarario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula: „Salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas aut patriarchales, quibus praefueris, quas alias ex concessione vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V., anno 1567, tertio Calendas Sept. anno secundo" saepe saepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim hujusmodi reservationis eove magis quod in superius memorato brevi: „de benignitate Sedis apostolicae," praefatae s. Pii V. constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. S. namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba praeseferunt. His quoque accedebat quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales, utpote qui in memorata s. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, ven. frater noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore nostro, ut rem certo definiret atque expresse declararet, an cardinales Episcopi seu Abbates nullius in apost. memoratis literis s. Pii V. Praedecessoris nostri comprehendantur, ac statueret quaenam sacra ornamenta et suppelectiles et utensilia S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII. et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum nullius, sive cardinalitia dignitate fulgeat sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata sancti Pii constitutione revera spectent et

quomodo facienda sit divisio sacrorum suppellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui memorati decessoris nostri bo. me. Gregorii XVI. locum licet immerentes suffecti sumus ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate nostra apostolica decernimus et mandamus.

1. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione s. Pii V. incipiente: „Romani Pontifices,“ exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis necnon exceptis pariter Cardinalibus abbatibus nullius, qui in romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata constitutione: „Aequum est,“ Urbani VIII., praedecessoris nostri ad pontificium sacrarium spectabunt.

2. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutioni s. Pii V., cujus initium, „Romani Pontificis providentia,“ in literis in forma brevis incipientibus: „De benignitate sedis apostolicae,“ apponi solitis, in altero brevi quod incipit: „Cum fel. rec. Urbanus VIII.,“ auferatur clausula, qua salva edicitur eadem plana constitutio ejusque loco substituantur ea, quae sequuntur: „Quod si Ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris seu quas alias ex concessione, dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Praedecessor noster in sua constitutione incipiente: „Inter arduas,“ Cardinales hortatur, ut in praedictis rebus disponendis eas Ecclesias prae oculis habeas ceterisque praeferas.“ Quae vero hoc in articulo praescripsimus ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium literarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

3. Sacra utensilia, quae vigore constitutionis s. Pii incipientis: „Romani Pontificis,“ Ecclesiis cardinalibus debentur, haec esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum cui titulus: canon missae; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium aliasque res sacras sive paramenta sive ornamenta sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis et omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus neque constet Ecclesiae fuissse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compa-

rarunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae reddituum, quibus comparata fuerint et praeter ea quae in constitutione Urbani VIII. incipiente: „Aequum est," in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum et urceoles cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

4. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia decidi volumus proportionabiliter inter Ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem s. Pii V. incipientem, „Romani Pontificis."

5. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus, pluribus Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant capitulum et cathedralem Ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis Ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituunt; si vero reditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione redituum.

6. Quod si constet, Episcoporum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive praefuerint, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad Ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cujus episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere eisque, ad quos spectant aut spectabunt, plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et extraordinarios judicari ac definiri debere irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 1. Junii 1857.

Aloisius Card. Lambruschini a Brevibus apostolicis.

Correspond. de Rome Ed. II. 1858 —59 pag. 16.

Reatina.

Vita functo Praesule Carolo Fioravanti Episcopo Reatino Cathedralis Ecclesiae Capitulum Canonicos deputavit, qui, ut moris est, pontificalia indumenta, et caetera defuncti sacra mobilia jure spolii colligerent. At Pompejus ac Benedictus Fioravanti de-

mortui Episcopi Fratres Canonicis deputatis notulas ab Episcopo propria manu exaratas ac subscriptas ipsoque anno suae nominationis datas cohibuerunt, quibus nuntiabatur sese indumenta et sacra mobilia in Pontificalibus necessaria a Fratribus accepisse: *dichiarando averne soltanto l'usso tribus mia villa naturale durante, spettandone la proprietá ai suddetti miei Fratelli, ai quali deve il tutto, qui sopra descritto restituirsi, cessata la mia vita naturale.*

Quaestio hinc inter Capitulum et Fratres Fioravanti exorta s. Congregationi dirimenda proponitur. Rogatus de sua sententia modernus Reatinae Ecclesiae Antistes, ab omni ferendo voto sese abstinendum existimavit, ne, ut ipse ait, alterutri dissidentium partium studere videretur.

Certum in jure est spolium ornamentorum, paramentorum aliarumque rerum Episcoporum ad divinum cultum pertinentium deberi Ecclesiis, quibus Episcopi praefuerint, deque iis non esse Episcopis potestatem disponendi per ultimam voluntatem vel quemcumque contractum mere lucrativum *Const. 42. S. M. Pii V.*, quae incipit: *Romani Pontificis*, quae confirmata fuit per aliam constitutionem S. M. Innocentii XII.: *Inscrutabili* sub die 29. Januarii 1649.

Harum vero constitutionum sanctiones adeo sarctas tectasque servandas curavit s. haec Congregatio atque ita Cathedralium Ecclesiarum jura super spoliis suorum Episcoporum vindicavit, ut si casus occurrit, quod indumentorum caeterarumque rerum ad sacrum spectantium tempore mortis Episcopi copia non suppeteret, illorum pretium, ex illius haereditate solvi mandaverit, ut videre est *in Trivicana seu Tricaricen. 28. Junii 1726 ad quartum dubium.*

Attamen haec ipsa juris pontificii censura non ita exerit vires suas, ut quovis in casu indiscriminatim locum habere debeat. Etenim dum prohibentur Episcopi vel per testamentum vel etiam per actum inter vivos mere lucrativum sacras pontificales supellectiles Ecclesiis cathedralibus debitas in alios transferre, nihilominus ipsos vetari id agere per contractum vere onerosum tenent *Guttier text. quaest. lib. 2. quasst. 94. in fin., Rodrig., in summa casuum conscientiae tit. de testam. conclus. 44., Suarz. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 204. et 205. Salgad. in Laber. Credit. part. 1. cap. 42. num. 16. et S. Congregatio in praedicta Trivicana seu Tricaricen. 28. Junii 1726.*

Quin etiam cum de anno 1683 in Indiis occidentalibus ad patres migrasset Episcopus Antonius Gonzalez de Caracas provinciae de Benezuela, relinquens suum patrimonium adeo aere alieno gravatum, ut eo dissolvendo bona prophana non sufficerent, ad instantiam creditorum propositum fuit dubium: *An creditoribus defuncti Episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit etiam ex bonis benedictis seu pontificalibus non obstante constitutione 42 b. Pii V.*, cui s. haec Congregatio sub die 29. Martii ejusdem anni responsum dedit: *Affirmative, scilicet posse satisfieri*

His in jure praemissis in facto sacras suppellectiles et vasa pontificalia a duobus germanis fratribus in usum traditas fuisse defuncto Episcopo Fioravanti. In calce enim illorum notulae ita proprio charactere declaravit Episcopus: *Io sottoscritto ho ricevutto da Benedetto mio Fratello tutti i paramenti, e suppellectili sagre di sopra descritte per servirmene nel mio Vescovato, diacharando di avere soltanto l' uso, spettandone la*

proprietá al sudetto mio fratello, a cui deve il tutto qui sopra descritto restituirsi cessata la mia vita naturale. In fede etc. Rieti questo di 15. Novembre 1814. Carlo Fioravanti Vescovo di Rieti. Atque iisdem verbis concepta alia declaratio favore alterius fratris Pompeji. De veritate et authenticitate notularum et declarationum, utpote quae proprium Episcopi exhibent characterem, inter dissidentes non ambigitur.

Ex hac simplicis usus concessione suam tueri proprietatem contendunt fratres Fioravanti, quin contra eos jura ac privilegia cathedralis Ecclesiae vim ullam exercere possint, quae eo usque pretendi nequeunt, ut alienam substantiam impetere possint. Etenim usus est jus utendi rebus alienis salva earum substantia, *ex text. in l. cui usus 2. ff. de usu et habitat. et instit.* §. 1. *et seq. eod. tit.* Unde usuarius non plus juris habet in re, quae ad tuendum tradita est, quam quod ad usum vitae quotidianum sufficiat. *leg. 7. et 12. ff. tit. de usu et habitat.* §. *1. instit. eod. tit.*

Quia vero usus jus est personale quemadmodum et ususfructus, morte usuarii omnino cessat et exstinguitur, ad dominum proprietatis revertitur et cum proprietate conjungitur, nisi constitutionis lege aliter cautum fuerit *l. 3.* §. *ult. ff. quibus modis usufruct. et* §. *1. instit. tit. de usu et habit.* Quin imo usuarius nec fructus non perceptos tempore mortis suos facit et haeredibus transmittit, sed omnes ad dominum proprietatis redeunt. *Vin. ad* §. *1. instit. tit. de usu et habit. n. 2. in fin.*

Perperam proinde videtur ea postulasse Capitulum, quarum usum tantum habuit Episcopus, quaeque ex juris dispositionibus libera redire debent ad dominos.

At opponit Capitulum, si concedatur fratribus Fioravanti retentio suppellectilium, hoc exemplum semel datum in damnum omnium Ecclesiarum cathedralium converti et pluribus abusibus in earum perniciem viam in posterum sternere. Addit etiam scuta fere 2000 Episcopo Fioravanti, priusquam ad sedem accederet ab episcopali mensa fuisse soluta, quae gravata fuit et adhuc gravatur passivo censu scut. 1500 auctoritate apostolica constituto et triennii lapsu extinguendo, reliquam vero summam solutam fuisse ab Administratore apostolico Ecclesiae Realinae quemadmodum suo confirmat testimonio; unde praesumi posse videtur eam summam Episcopum erogasse in sacris suppellectilibus sibi comparandis siquidem plurimum impensarum pro bullarum expeditione condonatum ac remissum illi fuerat ab apostolica sede.

Consuescit autem s. Congregatio ea sacra mobilia cathedrali Ecclesiae adjudicare, quae cum pecuniis ejusdem Ecclesiae Episcopus acquisiverit, *ut in Cathacen. seu Suessana spolii 28. Septembris 1709.*

Tandem Capitulum affert testimonium Magistri Caeremoniarum, qui ita refert: *Feci intendere alli Signori Canonici Obbedenziari nell atto, che il cadavere, del sullo dato Vescovo doveva essere esposto nel Palazzo episcopale, che per maggiore vantaggio del Capitolo era meglio far uso di una Pianeta decente, e giá usata esistente nella Sagrestia della Cathedrale per vestirlo Pontificalmente, che impiegare la pianeta violacea nobile di proprietá del Vescovo, e da ereditarsi dal Capitolo. Attesto ancora, che in seguito di ciò i detti* Signori *Canonici mi fecero consegnare una pianeta con cui fu rivestito il defonto. Attesto finalmente, che doppo la tu-*

mulazione il Signor Colonnello Fioravanti riprese le due dalmatiche violacee, colle quali era stato esposto il Fratello, (e che per dritto anche di tumulazione appartenevano alla Sagrestia della Cattedrale) dicendo che tali dalmatiche spettavono in proprietá alla famiglia Fioravanti.

Nec idem Capitulum opponere praetermittit declarationes Episcopi Fioravanti signatas die 15. Novembris 1814 non esse munitas legali *registro* praescripto in motu proprio SSmi diei 6. Julii anni 1816, unde putant nullam in judicio fidem promereri. At animadvertendum est in articulo 8. cap. 1. *del regolamento sulla registrazione*, ad quem appellat Capitulum, expresse ita cautum esse: *saranno considerati come di data certa, e perciò esenti dalla attuale registrazione gli Atti privati i quali avanti quest' epoca o siano stati nominati in un atto publico ec. O Sia Morto alcuno dé Contraenti.*

Post haec tum in jure tum in facto exposita Vestrum erit EE. PP. dirimere

Dubia:

I. An Indumenta pontificalia contenta in duabus notulis ab Episcopo Fioravanti subscriptis tradenda sint ejus germanis fratribus seu potius cathedrali Ecclesiae Reatinae in casu?

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. An Ecclesiae Reatinae competat jus repetendi pretium ab haereditate Episcopi Fioravanti in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II.: Affirmative prout et quatenus de jure.

Die 12. Junii 1819.

Carpen. et Mutinen.

Jacobus ex comitibus Boschi die 21. Martii anni 1815 viam est universae carnis ingressus, dum Carpensem regebat Ecclesiam. Fuerat ille anno 1788 ad Brictinoriensem Ecclesiam moderandam evectus cujus jurisdictioni suberat paroecia s. Petri Foropompilii; anno autem 1808 a SSmo fuit ad Carpensem episcopalem sedem translatus. Tabulis itaque, quibus decessit, universalem scripsit haeredem comitem Antonium germanum fratrem: legavitque Ecclesiae Brictinoriensi: *Un apparato completodi tela di oro. la Mitra buona con Pietre et un Calice di argento con coppa dorata:* Paroeciae s. Petri Foropompilii: *Una Pianeta gialla con trina d, oro, e suoi finimenti, ed un Calice di rame dorato con coppa di argento dorata;* Carpensi tandem Ecclesiae: *la sua Concolina, o bacile d'argento.*

Suprema hac vix cognita voluntate plures penes s. Congregationem querelae delatae sunt a Carpensi Capitulo nedum contra legatarias Ecclesias Brictinorii et Foropomptlii sed etiam contra haeredem Antonium Boschi, quia putabat universam defuncti haereditatem in Mutinensi ditione existentem sibi addicere, raelative etiam fiscum, quatenus eam hic sibi adsciscendam putaret ex statuariis legibus posthabito haerede scripto, utpote extraneo.

Episcopi Mutinensis illico exquisita est informatio, ut ipse, audito haerede eidemque praefixo termino ad deducenda jura sua coram s. Congregatione referret de viribus haereditatis et an defunctus Episcopus Carpensis facultatem testandi obtinuerit, transmissa ejus copia. Archiepiscopo etiam Ravennatensi remissae fuerunt preces

Capituli Carpensis pro informatione et voto, ut auditis Capitulis Brictinoriensi et Foropompilii eisdem terminum praefigeret ad deducendum jura sua coram s. Congregatione. Ravennae Metropolita jura Capituli Brictinoriensis et Parochi Foropompilii remisit cum sua informatione, cujus verba referam: *Mandatis hujus s. Congregationis ut par erat obtemperans audivi Capitulum Ecclesiae cathedralis Brictinoriensis et Archipresbyterum parochialis Ecclesiae s. Petri Foropompiliensis super preces a Capitulo cathedralis Ecclesiae Carpensis porrectas, quas hic alligatas remitto. Ex votis utriusque partis interesse habentis cognoscent EE. VV. quantum Capitulum Carpense solidis deficiat argumentis. Bulla enim s. Pii V., quae incipit:* Romani Pontificis, *rem totam satis superque explicavit et definivit. Brictinoriensis Ecclesia vero nunquam auctoritate apostolica suppressa fuit semperque habuit et suum Capitulum et Canonicos, qui choro inserviebant et me tamquam metropolitanum in spiritualibus administratorem: Parochia s. Petri Foropompiliensis neque designata unquam fuit tamquam supprimenda.*

Quae cum ita sint satis aperte constat de bono jure Capituli Brictinorien., et parochi divi Petri Foropompilien. adeo ut indubiam possint concipere spem fore ut favorabile rescriptum obtineant.

Post multum temporis lapsum instante novo pastore, quo provisa fuit Eccesia Brictinoriensis, causae definitionem datae sunt urgentiores literae Episcopo Mutinensi, qui de sua mora et postulatis a s. Congregatione haec habet: *Jampridem die 2. Februarii currentis anni 1818 literas E. V. R. acceperam, quibus de haereditate defuncti Carpensis Episcopi, auditis omnibus interesse habentibus et praesertim haerede s. Congregationem Concilii reddere instructam jubebar. Ante omnia ad haeredem ipsum D. Comitem Antonium Boschi Tiburi commorantem scribendum esse duxi et literis sub die 17. Februarii datis ipsum rogavi, ut mihi indicaret, quaenam essent haereditatis vires et an defunctus frater suus Carpensis Episcopus testandi facultatem a s. sede obtinuerit. Verum cum nullum hucusque responsum habuerim, id causa fuit, cur demandatam instructionem transmittere ad sacri Concilii Congregationem nondum potuerim, de qua dilatione summopere doleo.*

Posterioribus autem literis E. V. R. die 5. Septembris datis et a me die 16. Octobris proxime elapsi acceptis statim curavi, ut saltem aliunde notitiam eorum, quae ab haerede declaranda erant, haberem.

Itaque haereditas defuncti Carpensis Episcopi in supellectilibus, mobilibus, pecunia, gemmis rebusque aliis auro et argento pretiosis, prout fertur, ad valorem pertingebit scutorum 38500 monetae romanae demptis fundis immobilibus aliisque bonis, quae Romae et alibi possidebat.

Defuncto Episcopo praedicto bona mobilia, quae Carpii penes ipsum reperta fuerunt, fiscus sequestratione facta detinuit sicque prohibitus fuit D. Co. Antonius Boschi, ne defuncti fratris haereditatem adiret.

Opportune tamen favorobilis ipsi obvia fuit occasio, qua id assequi potuit, quod per appositam sequestrationem interdictum fuerat. Etenim mense Maji anni 1815 summus Pontifex Pius Septimus Janua redux in enarrabili mea omniumque civium consolatione et laetitia aliquod diebus Mutinae commorari dignatus est.

Aderat etiam tunc temporis D. Co. Boschi et quoniam summi Pontificis in temporalibus subditus erat, eumdem supplex adiit, ut de capessendae haereditatis gratia intercessorem se praeberet penes regiam celsitudinem Francisci IV. serenissimi Ducis Mutinae.

Summi Pontificis nutibus annuit libentissime Franciscus IV. atque ita voti compos factus D. Co. Antonius Boschi remota sequestratione in haereditatis possessionem devenire potuit.

Vix dubitare fas erat, quin Carpensis Episcopus facultatem testandi a s. Sede apostolica impetravisset. Nihilo tamen secius in testamento ipso ejusdem facultatis nulla fit mentio et quacumque diligenti inquisitione adhibita hujusmodi indultum reperire datum non est. Hoc unum suspicandum remanet haeredem ipsum hanc facultatem, si tamen reipsa impetrata fuerit, una cum aliis documentis ad haereditatem pertinentibus penes se retinere.

Haec omnia ab ipso Capitulo Carpensi accepi, ut constat ex literis Vicarii capitularis, quarum excerptum hic transcribo.

Illud autem pro rei veritate dissimulare nequeo, quod aliunde liquido constat, videlicet: pinguem Episcopi Boschi haereditatem minime conflatam fuisse nec conflari potuisse ex superfluis redditibus Ecclesiae Carpensis: Huic enim septem tantummodo praefuit annis et episcopalis mensae dotatio adeo tenuis erat, ut ad necessarium victum nullatenus sufficeret. Ea propter a Brictinoriensi Sede huc translatus ejusdem episcopatus jam suppressi redditus sibi retinuit, unde factum est, ut ex utraque mensa congruam substentationem habuisset.

Caeterum nullum de hac re animi mei sensum aperiendo quandoquidem me latet, quid in sui defensionem haeres deducere valeat. Nihile enim uti superius dictum fuit ab eodem hucusque rescivi. Illi tamen juxta mandata E. V. R. ad deducendum jura sua in s. Congregatione Concilii, praefixo uninus mensis termino et ad ostendendum indultum testandi a defuncto fratre Episcopo Carpensi impetratum novis literis, moneo et urgeo.

Plura exhibuit mihi documenta Comes Antonius Boschi, facultatem nimirum a serenissimo Mutinae Duci ipsi factam haereditatem adeundi *prescindendo dalle ragioni, che può avervi il Capitolo di Carpi,* consignationem legati Ecclesiae Carpensi relicti ac depositum factum penes Praepositum Capituli Carpensis earum rerum, quas defunctus Episcopus Boschi legaverat Ecclesiae Brictinoriensi et paroeciae Foropompilii, ac praeterea transactionem initam cum Capitulo Carpensi, quod omnia jura haeredi scripto cessit nonnulla genera mobilium accipiens. Causa itaque proponitur dimicantibus ex una parte Capitulo Carpensi ex alia vero Capitulo Brictinoriensi et Parocho Foropompilii quoad legata, necnon his postremis concertantibus cum haerede Comite Boschi quoad sacra suppellectilia Ecclesiarum redditibus a defuncto Episcopo acquisita. Certum in jure exploratumque est Clericos saeculares tam majores quam minores habere de bonis patrimonialibus plenum dominium textu claro *C. quia Nos 9. de pecul. Clericor.* De bonis etiam parsimonialibus, quae parcius vivendo congregant Clerici ex bonis mere ecclesiasticis honestae substentationi necessariis, communiter docent contra Abbatem doctores illimitatam disponendi de iis facultatem habere clericos: ita reapse sentiunt *Navar. de reddit. eccles. q. 5.*

monito 26. num. 4., s. Thom. 2. 3. q. 185. art. 7., Engel de pecul. clericor. num. 7., alii passim, qui omnes idipsum docent de bonis mere ecclesiasticis honestae clericorum substentationi competentibus. Verum ubi sermo fiat de bonis mere ecclesiasticis superfluis ad honestam clericorum substentationem magna est jurium, canonistarum et theologorum controversia, quam fuso calamo pertractant *Reiffenstuel. in lib. 3. decretal. tit.* 25 *integro* §. 2. *et Bened. XIV. tit.* 25. *de synod. dioeces. lib. 7. cap.* 2. Ex his itaque patet plenam habere potestatem clericos testandi de bonis patrimonialibus et post *D. Th. loco cit. in respons. ad* 2. communiter docent doctores, adeo ut *Barbos. in c. cum in officiis num. 3. de testament. et ultim. volunt.;* asserat ita *de facto* sentire omnes, licet *Garzias de benefic. p. 2. c. 1. num. 9.* contrarium teneat. At de bonis ecclesiasticis superfluis, nullum nec ad causas pias clerici saeculares tum majores tum minores testamentum facere possunt *citat. cap. quia nos 9. de testam. et ultim. voluntat., et cap. ad haec 8. eod. tit., nisi* apostolicum obtinuerint privilegium, ut late exponit *Giraldus exposit. jur. pontif. part. 1. decretal. lib. 3. sect. 475. pag. 306. et seq.* Quoad clericos vero, qui privilegio hujusmodi fruuntur disponendi per testamentum de bonis aquisitis ex redditibus ecclesiasticis superfluis, attendenda est dispositio constitutionis 42. *s. Pii V. quae incipit: Romani Pontificis,* qua decretum fuit, ornamenta, paramenta et res alias ad divinum cultum pertinentes, applicanda esse Ecclesiis, quibus ipsi praefuerint, ac quomodo perfici isthaec divisio debeat §. 11. ita innuitur: *Volumus autem, quod si quis ex Patriarchis, Episcopis, Abbatibus etc. pluribus Ecclesiis pro tempore simul vel successive praefuerit vel plura beneficia obtinuerit, ornamenta, paramenta ac res et bona praedicta ad illa omnia habita ratione fructuum et temporis, quo eadem beneficia possederit omnino pertineant et proportionaliter dividantur inter eas*; cui constitutioni innixa sacra Congr. in controversia inter Ecclesiam Tricaricensem propter obitum Episcopi Viglini translati ab Episcopatu Trivicano post decem et septem annos regiminis ad Episcopatum Tricariensem, quem paucis tantum mensibus moderatus est, secundo dubio: *An paramenta, vasa sacra aliaque argenta suppellectilia ad usum capellae et cultum divinum destinata reperta ut supra* (scilicet tempore obitus Episcopi Viglini) *debeantur Ecclesiae Trivicemae vel potius dictae Ecclesiae Tricaricensi in casu etc.? die 6. Julii 1726* respondit: *pertinere ad Ecclesiam Trivicanam.* Hisce in jure statutis, quid a concertantibus partibus afferratur breviter perstringam.

Et primo quoad legata a defuncto Episcopo Boschi relicta, de quibus in *primo dubio,* Capitulum Carpense negat haec consignanda fore Ecclesiis Brictinoriensi et Foropompili, cum in relata piana constitutione incipiente: *Romani Pontificis,* quaevis tollatur Episcopis de sacris suppellectibus disponendi facultas per testamentarias tabulas, et si privilegium habeant a s. Pontifice eas conficiendi, neque in themate applicare posse ait quod praescribitur §. *undecimo* praefatae constitutionis quoad divisionem inter Ecclesias, quibus defunctus Praesul simul vel successive praefuerit, tunc enim in albo episcopalium sedium non amplius recensebatur Ecclesia Brictinoriensi, utpote jam suppressa, quae non ut *cathedralis* sed ut *parochialis* habebatur.

Parochus vero s. Petri Foropompilii legatum suae Ecclesiae relictum tuetur, eo quod haec numquam fuerit suppressa ac unita seu Sedes episcopalis aeque principalis Ecclesiae Brictinoriensi, sed semper parochialis extiterit, cujus Archipresbyter erat Episcopus ipsemet Boschi, adeout si quavis de causa expulsus fuisset a Brictinoriensi Episcopatu, poterat se apud Ecclesiam parochialem recipere, ibi parochialibus muneribus fungi, quam quidem Paraeciam sacris suppellectilibus providere ac Capellano Curato suas vices gerenti congruam suppeditare debebat, cum illius redditus Brictinoriensi episcopali Mensae fuerint uniti ac proinde concludit eodem modo valida esse habenda legata relicta Ecclesiae parochiali s. Petri, de cujus suppressione ne dubium quidem unquam exortum est, quo valida habita est ejusdem Episcopi ultima voluntas quoad haeredem scriptum et legata nedum Carpensi Ecclesiae relicta sed etiam familiaribus et consanguineis, qui omnes iis jam fruuntur, imo et fortiori modo si attendatur Piana constitutio, cum scilicet paraeciae redditibus tot annorum spatio gavisus fuerit defunctus Antistes.

Capitulum vero Brictinoriense ex relato superius §. 11. constitutionis s. Pii V. suam mutatur defensionem, ubi modus statuitur peragendae divisionis sacrarum suppellectilium inter Ecclesias, quibus vel *simul* vel *successive* praesul defunctus praefuerit ante translationem ad Carpensem; sequitur ex laudata constitutione etiam ipsis deberi sacrarum suppellectilium Legatum; deinde observat primo in laudata Bulla nullam mentionem fieri utrum aliqua ex iis Ecclesiis, cujus redditibus fruitus est rector, existat vel fuerit suppressa, ideoque cum haec distinctio non fiat a lege nec a Capitulo fieri possit juxta *text. L. Si de pretio ff. de publ. in rem action.* Animadvertit secundo, falsam omnino esse Cathedrae episcopalis Brictinoriensis suppressionem. Licet enim a SSmo Lutetiae Parisiorum fuerit subscriptum Concordatum, in cujus articulo tertio concedebatur suppressio Ecclesiarum Episcopalium Sarsinatensis et Brictinoriensis earumque unio vicinis dioecesibus post obtentatas legitimas illorum Episcoporum renunciationes, nihilo tamem secius nunquam exequitioni fuit commissa suppressio isthaec ob conditionum defectum a quibus illa pendebat et nunquam unio Ecclesiae Brictinorii vicinae dioecesi est peracta, unde post translationem Episcopi (Boschi ad Carpensem sedem) illa a nulla extranea potestate moderamen accepit sed gubernata fuit a Vicario Capitulari et Archiepiscopum Ravennatensem tamquam Metropolitanum in spiritualibus administratorem, habuit ceu patet etiam ex hujus praesulis informatione superius relata; sedis hujusce licet suo viduatae pastore existentiam noverunt probaruntque tum ecclesiastica tum laica potestas: sacrae enim Congregationes suas litteras, rescripta facultatesque semper dirigebant vel Vicario Capitulari Brictinorii vel Vicario Generali Administratori illius Ecclesiae et in expeditionibus literarum apostolicarum pro beneficiis semper haec sedes dicta fuit vacans. Novit id etiam laica potestas, quae Vicario Capitulari pensionem assignavit etiam pro expensis Curiae et anno 1808 in edicto, quo militiae juvenes adscribebantur in articulo quinto, ideo liberati fuere ab hac adscriptione duodecim clerici Ecclesiae Brictinoriensis, quia ejus dioecesis unio nondum erat completa.

Animadvertit ulterius idem Capitulum demortuum Episcopum Boschi Brictinoriensem Ecclesiam duodeviginti circiter annis moderatum fuisse

ab anno scilicet 1778. ad annum usque 1807, quo ad Carpensem Ecclesiam fuit translatus, quam septem dumtaxat annis gubernavit. Praeter ea redditus Mensae Episcopalis Brictinorii annuatim tria circiter millia scutorum suppeditarunt ad annum usque 1790, quo nonnulla praedia deperdita sunt; post eam tamen deperditionem ad hanc usque diem libera et immunia percipiuntur quolibet anno scuta tercenta supra bis mille. Redditibus his licet translatus ad Ecclesiam Carpii ipse fruitus est usque ad ad ultimum vitae diem ac proinde annis fere viginti septem, ut confirmat etiam Mutinensis Antistes in sua informatione. Carpensis vero Mensae Episcopalis redditus, quibus septennio illd gravisus est, licet annuorum scutorum mille ante translationem Episcopi Boschi summam conflarent in prospectu tamen horum reddituum anno 1805 laicae potestati exhibito ad Episcopum obtinendum annua tantum scuta tercenta suppeditabant. Hinc concludit Capitulum Brictinorii, mirum haud videri debere si pretiosiora suppellectilia relicta fuerint huic Ecclesiae, non vero Carpensi, cum in S. Pii constitutione §. 11. praescribatur inter plures Ecclesias dividenda esse sacra suppellectilia *habita ratione fructuum et temporis*, quo praefuit antistes.

Ex his vero redditibus Ecclesiarum Brictinoriensis et Foropompiliensis tot annorum spatio perceptis argumentantur Canonici Brictinorii jus esse his Ecclesiis juxta Pianam constitutionem condicendi ab haerede universa sacra suppellectilia, vasa, ornamenta ad divinum cultum spectantia indebite percepta cum haereditate, si illa fuerint praefatarum Ecclesiarum proventibus a defuncto Episcopo acquisita, de quibus sermo est *in secundo dubio*. Obstare quidem posset huic petitioni additio haereditatis a comite Boschi peracta ob Summi Pontificis intercessionem penes serenissimum Mutinae Ducem. Verum reponit Capitulum Brictinoriense postulare tantum ut res ad divinum cultum pertinentes ecclesiasticis redditibus acquisitae adscribantur suae Cathedrali ac paraeciae Foropompilii, nihil vero sibi curae esse quoad haereditatem, tum quia conflari haec potuit nedum redditibus parsimonialibus sed etiam industrialibus et patrimonialibus, quibus locuples erat defunctus Episcopus ante suam exaltationem ad Brictinoriensem sedem, tum etiam, quia in dubio nulli Beneficiato imputari potest inaequa divisio proventuum mere ecclesiasticorum ab aliis proventibus, de quibus plene disponere potest. Nihil autem his Ecclesiis obesse putat transactionem signatam inter comitem Boschii haeredem et Capitulum Carpense, quandoquidem hoc suis juribus valedicere poterat ob litium timorem, non autem praejudicium inferre juribus Ecclesiarum Brictinoriensis et Foropompiliensis.

Quatenus autem huic secundae instantiae canonicorum Brictinorii suum assensum praestent EE. VV., tunc judicabunt utrum necessarium sit prius mandare vel actoribus ut probare debeant, quaenam eis ad divinum cultum pertinentes fuerint ab Episcopo Boschi ecclesiasticis redditibus comparatae, vel potius spectatae haeredis fidei committtere, ut juratam illarum notulam exhibeat. Quod si haec necessaria non ducant, tunc saltem definient, in qua quantitate haec sacra suppellectilia adjudicanda sint Cathedrali Brictinorii et paraeciae Foropompilii. Duo itaque proponuntur controversiae capita:

I. An sint consignanda Legata

a defuncto Episcopo Boschi relicta Ecclesiae Cathedrali Brictinoriensi et Paraeciae s. Petri Foropompilii in casu?

II. An et quomodo et in qua quantitate competant iisdem Ecclesiis res ejusdem defuncti Episcopi ad cultum divinum pertinentes in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative et esse inter eas exproportionabiliter dividendas ad formam constitutionis S. M. Pii V. incipien.: *Romani Pontificis.*

Die 22. Jan. 1820.

2) Missarum perpetuarum.

Frequentissime S. Congregatio C. in missis perpetuis pro manuali eleemosyna celebrandis separationem edixit expensarum pro sacris utensilibus, *ut in Romana 27. Februarii 1717. lib. 67. decretorum pagina 96., et in Fulginaten 26. Martii 1718. lib. 68. decretorum pag. 121., et in Romana 18. Novembris 1719. lib. 69. decretorum pag. 545.* et alias saepissime.

Die 26. Novbr. 1785. *Alexandrina.*

3) Pretiosa.

Ornatiora siquidem utensilia divinae magis conveniunt Majestati mentemque ad coelestia excitant; nec quavis idcirco de causa interdici debent; *Albert.* de Sac. Utens. cap. 4. num. 35. et segg.

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Julii 1789. *Derthonen.*)

4) Subministratio.

Cujus sumptibus subministr.?

Vid. *Stipend.* (Subtrahatio pro expensis; Num acceptatio licita etc., decr. Urbani VIII. *in declarat.* n. 7.)

Portio necessaria pro expensis nullo modo est detrahenda ex massa communi eleemosynarum manualium missarum celebrandarum sed ex eleemosyna cujuslibet sacerdotis celebrantis, ut patet ex declarat. Clem. XI, qui, quamvis de anno 1710 noluerit concedere, ut ex numero missarum relictarum altari privileg. archiconfrat. SSmi et 5 plagarum in ecclesia s. Laurentii in Damaso et ad faciendam rem gratam dictae archiconfraternitati applicare fecerit missas 40 pro illis quae a sacristia ejusdem archiconfr. celebratae non fuerant ex titulo detractionis: tamen ad repetitas preces eidem ss. Pontifici porrectas idem gratiam hanc concessit archiconfraternitati, ut posset pro se retinere obolum unum ex eleemosyna sacerdotis pro dictis expensis sacristiae et s. Utensilium, ut refertur in visitatione s. die 1. Septbr. 1721. a Card. Zondadario §. 6. ibi: „Quoad missas adventitias satis provisum ex vivae vocis oraculo S. M. Clem. XI. habito a R. P. D. secretario hujus S. C. mediante facultate concessa confratribus retinendi pro Utensilibus obolum unum pro qualibet missa manuali, quod inposterum servari mandavit.“

Cumque aliud esset ortum dubium circa intelligentiam dictorum verborum, illud penitus sublatum fuit mediante declaratione R. P. D. Pallavicini Secretarii S. C. visitationis ap. sequentis tenoris:

Je bajocco si deve detrarre del' elemosyna de sacerdote, e non dalla massa commune dell' elemosine, come malamente facevano prima, e gli fu

probitio, e con l'autorita del Papa si applicarono altrettante messe di una religione agli obblighi, che erano rimasti non soddisfatti."

Sic refert ad literam D. Ursaya t. s. p. 2. disceptatio 26. a n. 17 ad 21, ubi dicit, ita constare ex bilieto ejusdem sibi uti Priori archiconfraternitatis exhibito, quod a se in ejus archivo relictum fuit.

Posse Episcopos adstringere capellanos et beneficiatos (non censuris) ad providendum de proprio paramenta. S. C. Ep. in *Surrentina* 11. Apr. 1589 ap. Monac. p. 1. t. 13 form. 2. n. 56 in fine. Vd. Ursayam t. 7. p. 1. discept. 14 per tot. ubi multa ad rem.

Ad dub.: An manutentio altarium, quae, sunt de jure patronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus spectet ad ipsos patronos aut ad ecclesiam, in qua dicta altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem sed eandem impensam praestiterit ecclesia, prout hodie supplet impensas mapparum et omnium paramentorum sacerdotalium: nec beneficiati, qui habent capellanias erectas in dictis altaribus, possunt eieidem manutentioni concurrere stante redditus tenuitate vix excedentis onera missarum, quae dictis capellaniis annexa sunt?

S. C. resp.: Teneri Ecclesiam ad tramites consuetudinis legitimae, in reliquis prout de jure.

Die 10. Mart. 1633. in *Urbinat.* ad C. Trid. c. 7. S. 21 et c. 9. S. 22.

Sic ap. Pignat. t. 5. consult. 15. n. 1.

In casu igitur, quo per tempus lelegitime praescriptum consuevit Ecclesia subministrare manutentionem talium altarium et providere de s. Utensilibus, tenetur id perseveranter adhuc praestare, *arg. cap.*: *Cum toto* 11. *de consuetud.* Tunc enim censetur Ecclesiam fuisse a fundatoribus seu benefactoribus sufficienter ad id dotatam et dos Ecclesiae censetur etiam dos altarium.

Si tamen Ecclesia non sic consuevit dictam manutentionem et provisionem de s. Utensilibus praestare, tunc, cum non censeatur fuisse ipsam ad id sufficienter dotatam, potest fieri praeceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis vel ut dotem praestent seu augeant sub poena privationis eorum juris, quo competente termino elapso et non parito ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et Regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii patroni post tertiam monitionem cum aliquo intervallo vel termino non adeo coarctato ab Ordinario faciendam id praestare negligant vel recusent, posseque in tali casu a Regularibus et aliis superioribus Ecclesiarum de iis ad libitum disponi, scilicet dirui vel aliis concedi, saepe saepius in facti contingentia resp. S. C. Ep. et signanter in Mutinensi 2. Maii 1602. et 2. Jan. et 3. Julii 1602 et 16. Febr. 1603 et 9. Jan. 1604 et 9. Oct. 1618 ap. Pignat. t. 9. consult. 82 n. 145.

Et praeceptum de dote augenda seu de novo tradenda fieri quoque potest, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter a patrono assignata et deinde tractu temporis fuerit diminuta seu penitus consumpta et in tali casu, si antiquus patronus nolit ipsam dotem augere seu de novo assignare, post trinam ut supra ei factam monitionem amittit jus patronatus. *Fagn.* in cap.:

Quoniam 2. de jurepatronatus n. 59, *Reiffenstuel* l. 3 decretal. tit. 28. n. 4.; *Pignatell.* t. 6 consult. 15. n. 4. et alii.

Et ratio clara est, quia patronus tenetur ad omnia onera altaris seu capellae aut Ecclesiae, ut tradunt communiter doctores; cum justum sit, ut, qui sentit commodum juris honorifici, sentiat etiam incommodum talium onerum, per text. *in l. secundum naturam est 10. ff. regal. juris*, et cap.: *Qui sentit* 55 de regul. juris in 6. Inter ipsa autem onera venit obligatio ecclesiam seu capellam restaurandi ac etiam a fundamentis reaedificandi, si aut collapsa fuerit aut resp. ruinam minetur et ipsam sufficienter dotandi seu de omnibus necessariis providendi, *arg. Novella 66 c. 2: c.: Placuit 1. caus. 1. quaest.* 2., cap.: *Piae mentis 26. caus. 16. qu. 7; cap.: Nemo 9. dist. 1. de consecrat., cap.: Dum sicut 8. de consecrat. Eccles., cap.: Quoniam 3. et cap.: Nobis 15 de jurepatronatus*, cum similibus, juncto concilio Trid. S. 24. de ref. c. 12. et S. 21 c. 7. Et sic tenent *Lambertin.* de jurepatr. l. 1. p. 1. quaest. 11. art. 7. n. 3. 5. 7. et l. 3. qu. 7. art. 5. n. 1., *Barbosa* ad Concil. S. 21. c. 7. n. 8 et de potest. Epis. alleg. 64. n. 16. et alleg. 102 n. 10., *Antonell.* de regim. Eccles. l. 1. c. 2. n. 33., *Sperell.* dec. 60. n. 11 et sequ.; *Pitanius de controvers. Patron.* t. 1. alleg. 12. a n. 4 ad 8., *Card. de Luca* de jurepatr. disc. 52 n. 12, *Ventrigl.* in praxi part. 2. annot. 18. n. 2. annot. 19. n. 33. et alii passim expresse dicentes teneri patronum et reparare seu restaurare ac etiam, cum opus fuerit, a fundamentis reaedificare capellam seu Ecclesiam et ipsam providere de utensilibus, paramentis, calicibus et omnibus aliis necessariis ad divinum cultum et ad divina celebranda, cum sit onus de jure infixum ossibus patroni, sicuti est onus patrisfamilias providere filiam de sibi necessariis.

Si vero patronus ab initio assignavit dotem ita abundantem, ut sufficiat et pro sustentatione capellani et pro reparatione ac manutentione capellae, tunc, nisi adsit contraria consuetudo aut certa distincta portio redituum assignata pro tali manutentione et necessariorum provisione, tenebitur capellanus seu beneficiatus ad ipsam manutenendam et providendam de omnibus necessariis: *Genuens.* in praxi c. 109 n. 13, *Pignat.* t. 6. consul. 15 n. 5., *Sperell.* decis. 68. n. 11., *Ventrigl.* cit. annot. 18. n. 10. et annot. 19. n. 33. et alii passim per text. in cap.: *Si Monachus* 22. caus. 16. qu. 1., c.: *Quicumque* 1, et c.: *De his 3.* de *Ecclesiis aedificandis* cum similibus, juncto Concilio Trid. S. 21. c. 7. de ref. Et ratio est, quia beneficiatus aequiparatur in vita usufructuario, cap.: *Praesenti* 9. de off. Ordinarii in 6, cap.: *Requisitis* 15 de testamentis, cap.: *Si quis* 5 de peculio clericorum. Usufructuarius autem tenetur ex fructibus res conservare in bono statu et ad sartatecta; leg. *usufructu legato* 7. §. 2. ff. de usufructu etc., leg. *Eum*, ad quem 7 *Cod. eod.* etc. Tum quia beneficiatus sub peccato mortali redditus beneficii suae honestae sustentationi superfluos tenetur erogere in causas pias; inter causas autem pias respectu beneficiati potissima est reparatio seu restauratio suae capellae ac provisio de utensilibus aliisque necessariis pro ipsa.

Et dato, quod nec patronus nec rector beneficii aut Ecclesiae possint necessaria ministrare et aliter necessitati provideri nequeat, tunc non potest converti in talem necessitatem pecunia seu eleemosyna destinata pro

celebrandis missis, ut voluerunt *Ricius* dec. 123. p. 2., *Genuensis* in praxi n· 5. et alii, sed omnino celebrandae adhuc sunt tot missae, quot praescriptae fuerint a fundatoribus seu offerentibus eleemosynas vel adeunda est sedes ap. pro provisione juxta decr. S. C. C. de celebr. miss. in resp. ad I. et VII. confirmata ab Innocent. XII. constit. incip.: *Nuper* etc.* ut recte observavit Episcopus Lyciensis in sua 2. synodo dioec. §. 2. in annotat. et *Pignatell.* t. 6. consult. 15. n. 5.

Si autem agatur de beneficiato et Ecclesia parochiali et nec parochus nec patronus possint Ecclesiam reparare ac de utensilibus et aliis necessariis ipsam providere, tunc compelli ad id possunt parochiani. Sic expresse statuit Concil. trid. sess. 21. de ref. c. 7. ibi: „Parochiani omnibus remediis opportunis ad praedicta coguntur.“

Et ratio hujus obligationis est clara, quia parohiani percipiunt a praedicta Ecclesia sacramenta et divina et hoc est opus publicum et commune ac concernens omnium utilitatem et necessitatem. Et sic tenent doctores communiter.

Montis Regalis Provinciae Taurinen.

Petente a s. Congregatione Archipresbytero Bennano dioecesis Montis Regalis provinciae Taurinen. declarari dubium: an ipse teneatur ministrare sacerdotibus ad ejus Ecclesiam confluentibus vel alias intra limites ejus parochiae commorantibus ceram, hostiam, vinum et paramenta pro missis celebrandis? Sacra Congregatio jussit ad Ordinarium dirigi literas, ut moneat sed non cogat oratorem ad hujusmodi ministranda. Die 19. Junii 1655.

(Anal. J. P. 1863 pag. 329.)

*) *Stipend.* (num. accept. licita sit, decr. Innoc. XII. et decr. Urbani VIII. *declarat.*)

Parochi non tenentur subministrare capellanis seu presbyteris in suis Ecclesiis parochialibus celebrare volentibus paramenta et alia necessaria; nec ad id possunt per Episcopos cogi sed tantum hortari. S. Congr. Episc. et Regul. in Montis alti 15. Maii 1699. Non obstante solito. S. Congr. Rit. in Egitanien. 10. Junii 1692; confirmata in Suanen. 31. Maii 1698 apud Monacell. tom. 1. tit. 10. formul. 18. num. 6.

Utensilia sacra non tenetur rector Ecclesiae subministrare illis Sacerdotibus, qui in eadem celebrant ex obligatione beneficii seu capellaniae. Quatenus voro permittat seu recipiat missas adventitias in sua Ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministrationem; non potest demum cogi ad admittendas missas adventitias, nisi solutis sacris utensilibus, s. Congr. Concil. in Derthonen 7. Julii 1726 ad 11. dub. apud Ursayam in 2. Miscellen. sacro et profano tit. 5. n. 67. Vide ipsum etiam tom. 7. part. 1. discept. 14. per tot.

Utensilia persolvenda esse Ecclesiae, ubi missae celebrantur, sed in ea quantitate, quam communis cujuscumque loci et Ecclesiae usus praefinivit; *Monacell. formul. legal. part. 4. num. 118. p. 107., s. Congregatio in Romana Utensil. 13. Septembris 1738. thesaur. resolut. tom. 8.* Observat autem taxam pro utensilibus in urbe praefinitam summam non excedere scut. 4. pro qualibet missa quotidiana.

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Septembris 1774. *Romana.*)

Verulana.

In Ecclesia collegiata s. Mariae Frusinonis plures extant capellaniae, quas inter recensetur quaedam a familia Guilielmi constituta, qua nunc fruitur

Canonicus Andreas Borsa. Hujus capellaniae patrono ex vetusta consuetudine jus est in sacrario Ecclesiae asservandi sacram suppellectilem et quidquid necessarium est, ut capellanus missarum oneribus satisfaciat. Hanc quidem ob causam nec a patrono Guilielmi nec a memoratae capellaniae rectoribus ullo unquam tempore sacrario Ecclesiae utensilium titulo quidquam persolutum fuisse satis innotescit nullaque in praesens ea de re excitatur controversia. Reliqui autem capellaniarum Rectores sacrario Ecclesiae statum pro utensilbius stipendium semper solvere consueverunt et nunc etiam solvunt praeter sacerdotem Franciscum Turriziani capellaniae possessorem, quae a sua familia in eadem Ecclesia constituta est. Cum enim ipse seu sacerdos, qui pro eo missas capellaniae Turriziani inhaerentes litare solet, jam inde ab anno 1831 usus fuerit sacra supellectili ceterisque ad sacrum faciendum necessariis, quae non ad Ecclesiam s. Mariae spectant sed ad familiam Guilielmi, praefinitam pecuniae vim ejusdem Ecclesiae sacrario exsolvere detractavit. Id quidem aegre admodum ferens major aedituus Canonicus Nicolaus Vespasianus supplex postulat, ut sacer hic ordo de nova hac quaestione velit decernere.

Episcopus de sententia rogatus censet pro capellano Turriziani quaestinem esse definiendam, ita edisserens: „Quod aliquid solvendum sit pro usu sacrorum utensilium ratio naturalis dictat et jura decreverunt saepissime; injustum enim esset, quod Rectores Ecclesiarum aliquod paterentur damnum ex alieno commodo. At quando nullum illatum est damnum, nulla facienda est compensatio. Quapropter sacerdos Turriziani, qui anno 1831 celebrare fecit missas suae capellaniae per sacerdotem Andream Borsa adhibitis non utensilibus Ecclesiae sed utensilibus alius Patroni, non debet resarcire damna, quae non intulit. Item nullam in posterum praestare summam debebit Ecclesiae, si Ecclesiae utensilibus minime utatur annis futuris.“

Hactenus Episcopus. Jam vero convenit inter partes a capellano Turriciani certam pecuniae vim sacrario Ecclesiae collegiatae titulo utensilium esse praestandum, si ipse, quando divinae rei operatur, sacra utatur ejusdem Ecclesiae suppellectili. Quamvis enim decretis de celebratione Missarum ab hac s. Congregatione tempore sa. me. Urbani VIII. editis in responso ad septimum dubium hisce verbis propositum: An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium, responsum fuerit: „Permittendum non esse, ut Ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerrentibus eleemosynam“: nihilominus legem illam vim suam dumtaxat exserere in Missis manualibus et adventitis, non

autem in perpetuis ac quotidianis notavit s. Rotae tribunal decis. 463. n. 6. cor. Molines atque etiam certo conjicitur ex responso hujus sacri ordinis in Auximana 23. Febr. 1726, in qua, licet ageretur de Ecclesia Cingulana peculiares habente reditus sacris suppelectilibus instruendis addictos, rescriptum prodiit: Rectores beneficiorum capellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra canonicatum capellanias perpetuas et ipsum Capitulum pro rata onerum ad rationem unius oboli pro qualibet missa exceptis tantum a solutione utensilium missis adventitiis. Concinunt rescripta in Romana 10. Maii 1727, in alia Romana utensilium 24. Martii 1736, in Viterb. capellaniae 30. Maii 1767 ad VI. dub.

Imo a presbyteris quoque missas adventitias litantibus utensilium solutionem aliquando exigi posse, habetur in Derthonen. 6. Julii 1726; cum enim secundo loco quaereretur, an Archipresbyter Ecclesiae oppidi pontis Curoni sit obligatus subministrare vinum, ceram et hostias capellanis aliisque presbyteris de clero celebrare volentibus vel obligatis ad celebrandum missas in eadem Ecclesia? Emmi Patres responsum dedere ad II.: Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia, de quibus agitur, illis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii seu capellaniae, exceptis illis, cum quibus habet conventiones particulares et quoad missas adventitias teneri ad dictam subministrationem quatenus permittat, eos in sua Ecclesia celebrare nec teneri ad has missas adventitias admittendas nisi solutis utensilibus per celebrantes. Quam quidem utensilium solutionem adeo justitiae consentaneam putavit s. Congregatio, ut in quadam Tudertina relata in Camerinen. utensilium 9. Septembris 1741. §. *Quia rescripserit,* capellaniarum rectores omnino adigendos esse ad pendenda utensilia tametsi ipsi eorumque antecessores omnia necessaria pro missarum celebratione a Capitulo cathedralis Ecclesiae usque ab immemorabili tempore accepissent.

Solummodo ab hoc onere eximuntur ii, quibuscum peculiaris est pactio, ut in cit. Derthonen., et ii, qui nullo accepto stipendio ac sola devotione ducti rem divinam faciunt, quemadmodum decrevit hic s. ordo in Maceraten. 14. Aprilis 1686. S. Congregatio attenta relatione Vicarii capitularis Maceraten. censuit quoad sacerdotes habentes officiaturam in Ecclesia praedictorum fratrum servandam esse ultimam synodum decernentem obolum unum pro cera et medium obolum pro consumptione paramentorum, quo vero ad sacerdotes accedentes ad eamdem Ecclesiam pro eorum mera devotione fratres praedictos nihil praetendere vel exigere posse pro hujusmodi consumptione. Duo tamen hoc in casu sunt notata digna; primum quod hujusmodi sacerdotes scribere teneantur in libro sacristiae, utrum celebraverint pro eleemosyna vel pro mera eorum devotione ut in eadem Maceraten. utensilium 14. Maii 1729 ad II. dub., alterum, quod administratores Ecclesiarum, si sacrarium prematur inopia, nullo jure adstringantur illis sacerdotibus sola pietate sacrum facturis permittere, ut missam ibidem celebrent ceu tradit Benedictus XIV. instit. eccl. 56. §. 13. Haec tamen haud sibi quidquam officere arbitrabatur capellanus Turriziani. Etenim certum satisque exploratum autumat, quamdam pecuniae vim sacrario Ecclesiae esse repraesentandam ob cerae, vini et hostiae expensas, inservientium incommodum ac sacrarum vestium consumptionem. Cum

autem ipse sacris Ecclesiae Collegiatae suppellectilibus minime utatur nullumque eidem Ecclesiae inferat damnum, quilibet evanescit titulus, cur sacrarium quidpiam utensilium nomine exigere valeat. Nec sibi putat posse inferri vim ad adhibendam Ecclesiae suppellectilem; nullibi enim id jure cautum reperitur, immo in folio Terracinen. utensilium 28. Januarii 1758 ab Episcopo opinionem datam fuisse legimus, ut Capellani vel solvant pro utensilibus vel proprias candelas, vinum et paramenta secum afferant. Turrizianus itaqne haud redarguendus, si aliis potius quam Ecclesiae suppellectilibus utatur, atque optandum foret alios eum imitari: „Hoc siquidem, ait Verulanus Antistes, utilius est cuicumque Ecclesiae quam subministrare capellanis utensilia. Horum enim subministratio est onus, est gravamen, est damnum ex parte rectorum Ecclesiarum, non favor. Hinc si sacerdos Turriziani per aliquot annos usus fuit Ecclesiae utensilibus eaque per usum consumpsit, onus intulit, gravamen intulit ideoque obligatus fuit damna resarcire. Et Canonicus sacrista dolere potius deberet de eorum usu non vero de non usu, et decipitur, cum ipse considerat usum et consumptionem utensilium Ecclesiae collegiatae, tamquam jus ipsi Ecclesiae favens, vi cujus vellet, ut cum ipse usus fuerit aeque ac antecessores capellani per aliquot annos Ecclesiae supellectilibus, adhibere nequiret nec proprias nec aliorum patronorum gratis subministrare volentium. Si capellanus quilibet potest sibi propria utensilia providere, potest etiam uti utensilibus tertiae personae, quando huic placeat commodare. Et hoc praesertim obtinet in casu nostro. Sacerdos Turriziani est praeceptor filiorum Guilielmi. Quid igitur prohibet, ut hic sit gratus praeceptori subministrando gratis utensilia suae capellae? Sed Canonicus sacrista ideo dolet de hoc, quia capellanus Turriziani utens utensilibus familiae Guilielmi praejudicium infert Eccclesiae collegiatae. At quale, quaeso, praejudicium infert? Nullum equidem, imo favet eidem Ecclesiae, quia hujus utensilia minus consumuntur.“

At vero canonicus sacrista a jure deviam et sacrario noxiam existimat facultatem illam, qua capellani pro suo lubitu modo propria vel aliena modo ipsius Ecclesiae sacra suppellectili uti valeant. Id unum siquidem jure sancitum est, ut quicumque accepto stipendio missam celebrat, ex consuetudine loci solvat pro utensilibus nisi peculiaris cum eo intercesserit conventio. Nulla autem inter Capitulum Collegiatae ac familiam Turriziani interfuit ejusmodi exemptionis, quin imo solutio pro utensilibus ad annum usque 1830 peracta commonstrat, eo pacto a Canonicis probatam fuisse in Ecclesia collegiata capellaniae constitutionem, ut ejusdem rector taxam pro utensilibus sacrario Ecclesiae penderet consuetam. Immerito itaque ab hujusmodi pactione et a diuturna observantia hodiernus capellanus resilire nititur ac alienam suppellectilem, invito Capitulo, adhibet, ut debitam effugiat pro iisdem solutionem. Frustra etiam Turrizianus usum alienae supellectilis in majorem vergere jactat Ecclesiae utilitatem; novit quippe Capitulum, quid sua intersit; sacrario quidem sacris supellectilibus jam insructo valde incommodum ac etiam noxium censet Canonicus sacrista capellanum Turriziani utensilibus nunc Ecclesiae nunc familiae Guilielmi identidem uti, quemadmodum etiam anno 1831 aliquando accidisse constat, quin taxam utensilium solvat: gravius insuper detrimen-

tum sacrario inferretur, si familia Guilielmi jus sibi assereret, sicut Turriziano ita et aliis Capellanis commodandi suppellectilem, quo fieret, ut sacrarium illis privaretur subsidiis, quibus plane ipsum indigere compertum est, qua ad comparandam, qua ad fruendam sacram supellectilem.

Haec Canonicus sacrista. Illud porro notatu dignum est, in impertienda ex apostolico indulto temporaria facultate ut quis alibi sacra peragat, quae ex testantium voluntate aliqua in Ecclesia essent litanda, eam ut plurimum imponi conditionem, ut taxa pro utensilibus Ecclesiae solvatur, licet in ea non celebrentur Missae: constat quidem eam regulam in sacrae visitationis Congregatione omnino servari, etsi quandoque praescripta expresse ea conditio non sit; quin imo pro iis etiam missarum oneribus, quae cura ejusdem sacrae visitationis implentur, utensilium impensa per eam ex legatorum censu solvitur Ecclesiis ac si ibidem ex institutionis lege satis iisdem factum fuisset.

Quae sane exempla videntur haud dubiam normam suppeditare, ut de proposita hac quaestione decernatur.

Sit itaque

Dubium:

An Capellanus Turriziani teneatur solvere utensilia sacrario Ecclesiae seu potius ab eadem solutione eximatur non utendo sacris supellectilibus Ecclesiae Collegiatae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 24. Novembris 1832.

Praenestina.

Non teneri Joannem Antonium Capponi Parochum ruralis ac filialis Ecclesiae sub titulo SSmi cordis Jesu juxta erectionem hujus paraeciae peractam anno 1788 a clar. me. Cardinalis Marci Antonii Columna ad turnum missae primae, solemnis et ultimae per alium celebrandae in matrice Ecclesia s. Petri definivit sacer vester concessus in Congregatione *diei 20. Junii anni 1818* contra Beneficiatos et Archipresbyterum praefatae matricis Ecclesiae, qui ruralem Parochum illi oneri subjectum contendebant, eo quod duobus beneficialibus praebendis frueretur pro congrua novae paraeciae perpetuo in erectione unitis. Cum autem obreptionis et subreptionis vitio laborare diceretur pontificium rescriptum, quo novae paraeciae erectio probata fuerat, prima dubii formula respiciebat: utrum arbitrium pro aperitione oris adversus illud intraret, reliqua vero dubia exemptionem a turno et eleemosynas missarum a Parocho solutas suspiciebant. Propositis itaque dubiis:

I. An intret arbitrium pro aperitione oris adversus rescriptum diei 12. Decembris 1787 in casu etc.?

II. An Parochus Ecclesiae SSmi Cordis Jesu teneatur ad turnum missae primae, solemnis et ultimae per alium celebrandae in Ecclesia archipresbyterali in casu etc.? Et quatenus negative,

III. An restituendae sint Parocho Capponi eleemosynae ab ipso solutae pro dictis missis in casu etc.?

Responderunt EE. VV.

Ad I. et II.: negative;

ad II.: negative;

ad III.: affirmative a die recursus Parochi Capponi.

Licet autem in ea causae specie relatae preces et votum Emmi Co-

lumna pro erectione paraeciae, ubi etiam de Parochi exemptione sermo erat ab onere sacrario assistendi, quod ultimo beneficiato incumbit, nihil tamen peculiariter de hoc disceptatum est ob parochi ruralis silentium quoad idem onus. Verum preces instauravit penes s. Congregationem, ut etiam ab illo ad formam erectionis exemptus declararetur, quae clarae memoriae Cardinalis Caracciolo Episcopi pro informatione et voto remissae fuerunt rogatusque fuit, ut audiret beneficiatos ac resolutionis capitularis copiam transmitteret.

Quid tum a Beneficiatis, qui exemptioni adversantur, tum a Parocho afferatur necnon rationum momenta sive in jura sive in facto complectitur Vicarii generalis informatio, quam hic transcribo.

Novae preces EE. VV. Rmis porrectae a Parocho Capponi Terrae Surronis haud militant adversus Capitulum illud, ut indictae apparent, sed adversus ultimum Beneficiatum illius archipresbyteralis Ecclesiae s. Petri, in quem detorquenda facti series quam exponam et per eum obreptam expostulat omnino. Praestat modo nosse quid sit munus sacristiae in illa Ecclesia, et ad quem spectet assumere curam.

De hoc munere simplicem fecit mentionem Emmus Episcopus Columna anno 1787, in quo pro obtinenda erectione novae paraeciae ruralis in dicta terra ab apostolica sancta sede narravit Pontifici onera adnexa sex beneficiis jurispatronatus Excellentissimae Familiae Columna. *Nella Terra di Serrone, oltre l' Arciprete vi sono altri sei Beneficiati tutti di Nomina dell' Eccma Casa Colonna, i quali hanno il peso per il turno di celebrare per comodo del Popolo nei di Festivi la prima Messa senza applicazione, cantare la Parrochiale, dire l' ultima, ed uno di essi deve celebrare nella Chiesa rurale di S. Quirico, e resta all' ultimo Beneficiato il peso di assistere alla Sagrestia.* Ex hac narratione solummodo patet onus assistendi per ultimum Beneficiatum sacristiae, desumptum vero ab immemorabili consuetudine et non lege erectionis et canonicae institutionis dictorum sex beneficiorum, quum propter incendium obortum anno 1500 in hac episcopali cancellaria monumenta erectionis et alia periere, neque ex tot bullis collationis ipsius ultimi beneficii post dictum incendium expeditis favore defunctorum Beneficiatorum de hujusmodi onere ne ullum quidem perlegitur.

Ast nisi litera narrationis occidat debet esse hujusmodi onus ultimo Beneficiato injunctum, simplex assistentia et cura tantum sacristiae, videlicet *leve* onus praeparandi paramenta sacra in sacrificiis peragendis etc.; et hoc onus apud meum animum statuerem fuisse ex suo initio penes sex Beneficiatos per ***turnum*** commune, ut et caetera munia. Tandem video, quod per consuetudinem, latet enim sui ortus, initium sublatum fuit et commutatum ad aliud onus, nempe assistendi deserviendique Ecclesiae et ibi peragendi cuncta, quae peragunt minuti Clerici, quos nominamus vulgo: *Chierichetti di Chiesa.* Et quidem hoc onus non sustinebatur per ultimum Beneficiatum sed per aliam personam semper plerumque laicam exercitum et exerceri adhuc constat inter omnes, soluta tamen mercede scut. quindecim per quemcumque ultimum Beneficiatum ex pecunia non massae communis, sed ex suae Praebendae redditibus. Ita servitium sacristiae transivit ad aliud Ecclesiae.

Hisce modo praenotatis investigari oportet, quis renunciari debeat ultimus Beneficiatus, ut is derelicta sacristiae assistentia pro hac solvere dicta annua scutata quindecim sacristiae minori videlicet Ecclesiae minori *custodi* teneatur. Praetenditur esse Parochum Caponi et *ex facto* sui antecessoris per litem constato ex primo exordio fundatae novae parochiae et ex *facto suo proprio.*

Quoad primum refero, quod eadem quaestio in precibus exposita, jam praeorta fuerat anno 1788 coram Vicario generali uti visitatore inter primum novum Parochum Sale et *sacerdotem Felicem Aronne* uti ultimum Beneficiatum. Oportet hic EE. VV. meminisse, duo beneficia dismembrata ex numero sex fuisse unita Ecclesiae parochiali SSmi Cordis Jesu pro illius *dote et fundo* et pro novi Parochi *congrua necessaria et opportuna.* Unum vacans tunc erat per obitum sacerdotis Felicis Marzily et alterum ab ipso Parocho Sale retinebatur. Duo haec unita beneficia ipso momento erectae parochiae cessasse arbitror nec amplius esse beneficia in Ecclesia sancti Petri et per hanc unionem Parocho congruam fuisse statutam nemo impugnare valebit. Mens et voluntas est Excellentissimi Patroni: *Quando appieno informati* (scripsit Patronus in folio sui praestiti consensus) *che l' Emmo Signor Cardinal Vescovo non ha Benefizi di propria collazione in detta terra per fare la nuova indicata erezione di Parrochia, perciò consentiamo et prestiamo ogno nostro necessario, ed opportuno consenso, perchè per fondo, e dote del nuovo Paroco e Parrochia si assegnino, e si uniscano due Benefizi di nostro antico patronato eretti, e fondati nella Chiesa parrocchiale di S. Pietro della suddetta Terra, uno al presente vacante per la morte del Sacerdote de Felice Marzili, e l' altro che attualmente possiedesi dal Sacerdote D. Liborio Sale, che da noi resterà nominato futuro Parroco.* Post haec praemissa in quaestione ista argumentabatur Aronne dictum vacans beneficium collatum fuisse per enunciatam unionem Curato Sale (nondum enim ille animadverterat extinctionem tituli utriusque beneficii ac onerum); ergo isti incumbebat assumere onus sacristiae, videlicet persolvendi quolibet anno minori sacristae scuta quindecim. Huic syllogismo resistebat primus novus Parochus Sale respondendo per dictam unionem beneficii una cum altero a semet possesso onera illi quomodolibet injuncta remansisse extincta, ergo in ultimo Beneficiato, quin inter alios permanebat adhuc idem Felix Aronne, perseverabat onus hujusmodi solutionis. Non in alio utriusque partis argumento versabatur invicem quaestio, quam postea visitatorem conciliasse tantum et non definivisse scimus, ut apparet in decreto, quod referre ducimus: *Mos est* (visitator ait), *ut ultimus Beneficiatus servitium sacristiae praestet in Ecclesia archipresbyterali... Orta est contentio inter Rectorem Sale et Beneficiatum Felicem Aronne super onere inserviendi sacristiae. Urget primus: per unionem beneficii suae Ecclesiae uti accessorium. Instat secundus: unione separare tantum beneficium de una ad alteram Ecclesiam, non vero extinguere onera addicta, quae cum suo principali transire debeant. Valida est utraque exceptio. Hinc visitans rem componens statuit, ut Rector Sale curam sacristiae assumeret, receptis a Beneficiato Aronne scutis annuis et ita commentatam litem extinxit.*

Cum vero decreto vixere Beneficia-

tus Aronne et Rector Sale, nullum in hac re partem assumente Capitulo. Vixerunt et alii, quorum uni defuncto succedebat alter, qui sacristiae onus assumere tenebatur. Revera anno 1802 per obitum sacerdotis Laurentii Baldassarii unius de sex in quatuor reductis Beneficiatis a praefato onere Parochus Sale per decretum s. visitationis sibi inflicto ut pateretur illud exemptus extitit, quum novus Beneficiatus in locum successit ultimi. Tandem ultimus Beneficiatus, omitto caeteros praedefunctos ab anno 1818, recensetur sacerdos Franciscus Baldassari, qui adhuc vitam agit. Interea anno 1814 Parochus Sale universae carnis est viam ingressus et vacanti paraeciae successit secundus Parochus Capponi Orator. Hic onus idem assumpsit, quod praedecessor substinuit, ad tramites enunciati decreti, consideratus per Capitulares tamquam redivivus Beneficiatus ad munus sacristiae obeundum, de quo agitur, et a quo reclamat Parochus, ut ab eo modo solutus exemptusque omnino per EE. VV. declaretur, quamvis *facto proprio* usque modo praedictae solutioni ut supra per decretum taxatae adquieverit."

Hoc onus assumptum et non reclamatum, erit secunda pars rationum, qua Capitulares adnixi pro Beneficiato Baldassari suos permulctent animos ut exemptionem oneris, qua Parochus claris donatus est literis, perdituros confidant. Haec eadem secunda quaestio, ut prima conciliata, a Parocho Capponi instauranda erat adversus sacerdotem Franciscum Baldassari, qui praesumitur ultimus Beneficiatus, et non adversus Capitulum. Re quidem vera duobus abhinc annis in hoc meo tribunali petit *Actor* Capponius et *reus* Beneficiatus Baldassari contradixit. Ab aula ambo recesserunt amici quaestione seposita necessitudinis causa. Modo quaestio reintegratur per preces, quas remitto humiliter una cum foliis Capitularium, quorum haud intererat sua exhibere jura Beneficiato Baldassari, cum onus sacristiae non resideat penes Capitulum sed penes ultimum Beneficiatum.

Ne interim profligetur consuetudo, ut cuperem, super onere solvendi scuta quindecim per ultimum Beneficiatum sacristae minori. Certissime abusus est. Nam pro omnibus celebrandi per turnum missam primam, solemnem et ultimam et assistendi sacristiae, cujus servitium ultimo Beneficiato incumbit, adest repartitio massae communis inter Beneficiatos residentes: *e resta all ultimo il peso della Sagrestia, per le quali obligazioni* (subjungit illico patronus post omnia recensita onera) *ci é il riparto della massa commune* uti in precibus sanctae sedi porrectis, quarum adnexa reiteratur copia sub *lit. unic. A*, existente prima in dicta mea jam allegata informatione. Bona hujus massae communis locantur pro scutis plusquam centum annuis, nisi per Beneficiatos administrentur, salvis et integris unicuique Beneficiato particularibus suae praebendae bonis, quorum fructus quisque percipit etiamsi non resideat. Non residens vero suam massae communis partem amittit et si ultimus Beneficiatus non residet, tenetur etiam ad praedictam solutionem *scut. 15.*, cum absens ab Ecclesia nequet servitium Ecclesiae praestare. Hujusmodi genus oneris haud expressum legitur in Bullis etiam remotis, neque injunctum habetur in beneficiorum erectione. Solummodo pro singulis oneribus per Beneficiatos adimplendis: *il riparto della Massa comune fra li Beneficiati che risiedono.* Multoque minus injungitur illud solvendi *sacristae minori*

scuta quindecim, quod per consuetudinem invectum est. Beneficiatus Baldassari *ultimus* praesumptus a me auditus adversus Capponium eadem recitat, quae in allatis foliis scribunt Capitulares et praecipua rationis momenta in ea reponit, quod beneficia duo unita parochiae rurali, licet extincta in *nomine, in re* tamen onera ipsis retinent addicta. Onus est solvendi ut supra scuta 15. per ultimum Beneficiatum, qui per se ipsum Parochus reputatur Capponius, ergo non sibi sed huic tale imminet onus. Subsumit inde Capitularesque repetunt, decretum s. visitationis jus tribuisse recenseri inter Beneficiatos etiam Parochum novae parochialis Ecclesiae *quoad onera,* ergo praesens controversum iste Parochus consequenterque futuri substinere tenetur toties quoties per obitum alicujus Beneficiati *turnus* recurrat *ultimi.*

Duo beneficia desuper ita unita censentur ut eorum unio per omnimodam *suppressionem* peracta sit dicenda. Non tam unio est quam extinctio et suppressio beneficiorum, quae sic operatur, ut extinguantur *onera* et solum redditus proventus et jura parochiali Ecclesiae, quae per eorum extinctionem erecta extitit, adnexa remaneant et incorporata sintque pro ipsiusmet Ecclesiae manutentione et Parochi congrua, qui sua parochialia nesciat quaecumque per dictam suppresionem in beneficiis unitis extincta praeterquam missam per alium diebus festis in Ecclesia s. Quirici celebrandi reservatum onus. Certissimum in jure est, quod Beneficium unitum unione tituli extinctiva nativam beneficii qualitatem si quam habuit prorsus amittit, veluti censuit *s. Rota in Vicen. beneficii 25. Junii 1751* §. *4. coram Amadaeo.* Amittit autem onera adnexa *ex facto* patroni, cui per approbationem et validitatem actus dismembrationis seu suppressionis beneficiorum apostolicae literae uniformantur et instrumentum erectionis paroeciae exsolutionem onerum confirmat convalidatque ad expressa verba per clarissimum consensum patroni volentis: *Che il nuovo Parroco resti esente dai descritti pesi*, inter quae recensetur quoque illud assistendi sacristiae et tantummodo excipit unum: *di celebrare per alium la Messa nella Chis. Quirico.* Haec eadem exceptio seu reservatio per expressam patroni voluntatem et explicatam intentionem facta suffulta quoque auctoritate apostolica tantae virtutis est, ut omnino intelligatur de caeteris oneribus facta *exemptio* ideoque vanum est immorari super aliqua interpretatione *ad regulam juris de reservatis.* Durum certe praetensu foret posse vivere istud onus, quod modo visum est, ut mihi videtur *bene* extinctum, quamvis per male captam juris et consuetudinis interpretationem incertum dubiumque usquemodo vixit.

In praesenti unione beneficiorum pugnat natura primitivi oneris assistendi nempe sacristiae per Parochum in Ecclesia s. Petri cum natura onerum per ipsummet Parochum supportandorum in sua Ecclesia curata, nam quisque videt inter se prorsus incompatibilia onera.

Attigimus tandem exemptionem oneris, de quo agitur, quomodolibet usquemodo turbatam; praevisam vero recogito per EE. VV. Rmas sub die 20. Junii anni praeteriti 1818, in quo proposito dubio: *an Parochus Ecclesiae SSmi Cordis Jesu* (idem Caponius) *teneatur ad turnum missae primae, solemnis et ultimae per alium celebrandae in Ecclesia archipresbyterali?* negativum edere responsum. Idem responsum dandum fore arbitrarer huic secundo dubio per preces

EE. VV. proposito, dum onus sacristiae invectum ad aliud saepe dictae solutionis non dubitatur esse primo aequale in exemptione favore Parochi per patronum verbis expressa rotundis confirmataque ex auctoritate apostolica in bulla erectionis paroeciae, ideoque aequa judicii lance definiendum, applicato Axiomate: *aequiparatorum eadem debet servari regula, adeo ut de uno ac altero diversum proferri non debeat judicium.*

Crederem ergo exemptum ab hujusmodi onere Parochum Capponi, qui non est Beneficiatus neque ad praedicta discussa onera quacumque de causa tenetur. Quis modo renunciandus erit ultimus Beneficiatus, cui deinceps incumbit sacristiae cura et onus juxta inductam consuetudinem EE. VV. me interrogabunt? Ex supra narratis ultimus Beneficiatus est sacerdos Franciscus Baldassari propterea que istum ad tramites ejusdem consuetudinis, cui favent Capitulares, eamque placet custodiri et servari ad sacristiae servitium certum est teneri, donec vitae unius ex quatuor Beneficiatis terminos haud praetereundos humanis mors praesens et aequa non circumscribat. Ita opinari mihi non displicet.

Post haec Vestrae sapientiae erit EE. PP. reassumpto folio diei 20. Junii 1818 dirimere

Dub.: *An Parochus Ecclesiae SSmi Cordis Jesu teneatur ad onus sacrario Ecclesiae matricis s. Petri in casu?*

S. C. resp.:

Negative.

Die 26. Februarii et 15. Aprilis 1820.

5) Taxa pro iis solvenda.

Utensilia s. pro missa quotidiana taxata fuerunt a S. C. C. ad rationem scutorum quatuor pro quolibet anno. Sic testatur Monacellus t. IV. suppl. ad 3. t. n. 181, ubi sic praecise habet: „Quoad contributionem pro Utensilibus Sacristiae S. C. C. in *in una Romana legati missarum* pro archiconfrat. S. Mariae de Planctu sub die 26. Mart. 1679 ita rescripsit: Taxandam esse eleemosynam ad rationem eleomosynae manualis in urbe currentis, detractis tamen ex iisdem introitibus haereditariis scutis quatuor pro singula missa quotid. ratione s. supellectilium pro hujus missae celebratione.“ Legatum autem conceptum erat his verbis: Di far celebrare tante messe l' ano, quante ne comporterano li frutti della sua eredita.“ Lib. 49. Decret fol. 109.

Terracinen.

(C. Tr. Sess. 22. Decr. de observ. et evit. in celebr. Missae.)

In Ecclesia cathedrali Terracinae plures sunt Capellaniae; rectores autem earum, a quibus sacra aguntur, recusant sacrario Ecclesiae solvere utensilia, quae ab eodem Sacrario praestantur, licet id ab Episcopo in visitatione decretum fuerit, data ipsis optione ut si solvere nolint, proprias candelas, vinum et paramenta secum afferant. Capitulum igitur venit ad hoc sacrum Tribunal, ut eius auctoritate Capellani solvere compellantur, auditoque jam Episcopo disputat nunc Capitulum rem esse perspectissimam, ut pro utensilibus taxa sit solvenda; taxam vero pluries ab hoc sacro Tribunali constitutam fuisse pro sacris quotidianis in sc. 6. vel in sc. 4., pro aliis sacris mauualibus in sc. 1. pro quolibet centenario, ut apud *Piton.* de controv. patron. alleg. 54.

n. 46 et *Monacell.* in formul. supplement. ad tom. 3. num. 179.; solutionem vero hanc faciendam esse a Capellanis pro tempore praeterito, ut sarciatur damnum ab ipsis illatum sacrario. Haec capitulum. A Capellanis nihil habuimus. Duo sunt causae dubia:

I. An debeantur utensilia in casu? Et quatenus affirmative;

II. An et in qua summa et a quo tempore debeantur?

S. C. resp.

ad I.: Affirmative et amplius;

ad II.: Deberi a die motae litis juxta consuetudinem Dioecesis et amplius.

Die 28. Jan. et 18. Febr. 1758.

V.

VACATIO A CHORO.

1) Beneficiatorum choro obligatorum.

Barchinonen.

Inter ceteras communitates ecclesiasticas seculares, quae in civitate Barchinonis existunt, una illa est in Ecclesia parochiali S. Christophori, quae constat ex Parocho, Vicario, Sacrista et duodeviginti perpetuis beneficiatis. Qui omnes a Sac. Congregatione deprecati sunt gratiam Jubilationis Decani seu antiquioris Beneficiati, et ut duo ex oratoribus pro praesentibus in Choro habeantur, etiamsi per spatium unius mensis recreationis gratia absentes fuerint. Preces hujusmodi dimissae fuerunt cum rescripto diei 13. Decembris 1800: Quod indultum jubilationis recurrat in casibus particularibus post laudabiliter expletum chori servitium per annos quadraginta; in reliquis Episcopo pro informatione et voto.

Sedulo Episcopus in remissa informotione operam dedit, ut EE. VV. instructas redderet. Ait praefatam communitatem quotidie missam conventualem et alia officia celebrare nec non cantum horarum canonicarum et divini officii vel partem illarum festivis et aliis diebus peragere majori vel minori solemnitate juxta festivitatis qualitatem. Praefatos beneficiatos, qui relatam communitatem efficiunt, nec statuto nec consuetudine ulla praesentia recreationis gratia gaudere, quin circa similem praesentiam in communitatis constitutionibus quidquam statutum reperiatur. Curam animarum ipsius paraeciae nec actu nec habitu residet in eadem communitate neque in suis beneficiatis; immo potius independenter ipsam habet memoratus Parochus, qui per se vel suum Vicarium eam exercet solummodo tamen in ipsa parochiali Ecclesia ad onus infirmis ejusdem assistendis et auxiliandis tenere possessorem beneficii invocationis SS. Stephani et Vincentii, in cujus absentia vel involuntario defectu beneficiato tituli S. Hypolliti simile onus incumbit.

Praeterea reliquas hujus civitatis

communitates ecclesiasticas saeculares ex parocho et suis beneficiatis effirmatis (una dumtaxat excepta) concessionibus ipsarum favore factis gaudere circa praesentiam et perceptionem reddituum et proventuum favore suorum beneficiatorum in casu absentiae a chori residentia recreationis causa. Quae quidem concessiones factae apparent tam vigore literarum apostolicarum tam etiam decretorum in actu sacrae Visitationis aliquarum ex praefatis ecclesiis earundem, ac totius anni praecipue festivis diebus seclusis, nec non cum restrictionibus et limitationibus, quae opportune per Apostolicos commissarios et illarum Ecclesiarum visitatores opportune concessae fuere circa modum, quo praefati beneficiati praehabitis concessionibus potiri possunt et valent, ut in eisdem Ecclesiis conveniens beneficiatorum numerus pro officiis divinis aliisque functionibus ecclesiasticis celebrandis nullatenus deficiat. Constat denique minime ullam praesentiam concessam esse in Metropolitana Ecclesia Tarraconensi, quantum ad suas distributiones, quamvis ejusdem canonici et dignitarii nihil per trium mensium spatium ex massa vulgo grossa perdant, nec non in aliquibus secularibus communitatibus et parochialibus ejusdem archidioecesis, prout etiam in quibusdam aliis dioecesum Gerundensis et Celsonensis concessionem similis et antedictae praesentiae (quae ad mensem pro beneficiatis omnium praefatarum Ecclesiarum absentibus parum plus minusve extenditur) statutum reperiri vigore indultorum apostolicorum aut alias per consuetudinem in ipsis vigentem.

Ex Tridentino Sess. 24. Cap. 12 de Reform. habetur, quod obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Quare apertum est ex hoc decreto, quod concilium expresse non permittit vacationes sed longiores quam trium mensium interdicit et breviores servandas decernit, quae ex statuto Ecclesiae obtinent, ut observat *Fagnan.* in Cap. *licet num 48 de praeben.* Cum igitur in Communitate ecclesiastica de qua agitur servitium quotidianum praestetur, nec statutae Ecclesiae ullam a choro vacationem praescribant, videtur, quod ex vigore juris nullum concedendum sit indultum, licet ad unius mensis spatium cohibitum.

Nihilominus S. Congregat. aliquando severitatem juris lenivit indulgendo beneficiatis vacationes, dummodo Ecclesiae servitium nullam ferrat detrimentum, ita in Taraconen. 18. Febr. 1763., in qua capitulares quotidianum servitium praestare tenebantur, concessae fuerant vacationes ad duos menses. Multo ergo magis in casu, in quo beneficiati postulant indultum ad mensem, et decem et octo sint qui Ecclesiae inserviant, ut servitium chori ex indulgendis vacationibus nullum detrimentum sit passurum. Maxime cum faveant huic indulto exempla, quae obtinent tum in reliquis communitatibus ecclesiasticis ipsius civitatis Barchinonis tum in conterminis dioecesibus Gerundensi et Celsonensi, in quibus sive ex indulto apostolico sive ex consuetudine vacationes hujusmodi ad mensem obtinent.

Quod si EE. VV. hanc indulgentiam in casu adhibendam censeant, tum sane statuendus erit modus, quo

vacationes hujusmodi concedi possint. Videtur quod permittendae sint duobus beneficatis per turnum et per mensem tantum, ita tamen, ut beneficiati omnes tempore adventus et quadragesimae omnibus diebus festis solemnioribus nativitatis D. N. J. C., Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi et per totam octavam ejusdem, in festo s. titularis et in die dedicat. Ecclesiae ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter servire teneantur. Quae clausulae appositae fuerunt in Tarraconen. 23. Mart. 1865 et in posterum S. Congr. semper eas servandas esse decrevit in similibus indultis concedendis, ut videre est in Bituntina servitii chori 24. Novembris 1760.

Dubium proponitur:

An et quomodo concedendum sit indultum vocationis a choro in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi, et ut in Tarraconen 23. Martii 1765.

Die 21. Aug. et 18. Septbr. 1774.

Quotidie ex veteri disciplina recitare tenebantur beneficiati officium in choro, ut *ex can. ult. dist. 92.* testatur *Benedictus XIV. Instit. 107. §. 1.* At humanam miserans infirmitatem absentiam per tres anni menses Canonicis permisit *Sacra Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformat. salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.*

(Ex resol. S. C. C. 20. Mart. 1790. *Consentina.*)

2) Canonicorum.

a) Continua vel interpolata.

Vd.: *Vacatio a choro Canon.* (non omnes simul etc.)

Quamvis Concilium Tridentinum vacationem choralibus concedat ad tres anni menses, non debent tamen ipsi nec possunt ea uti continuata sed interpolatis vicibus, ne chorus debito servitio fraudetur, S. C. Concilii in Interannen. 1640, et praescribitur a singulis capitularibus statutis; idcirco aboleri debet quaecumque consuetudo variandi invicem vacationes, ob periculum etiam non faciendi satis oneri residentiae, quia, etsi praesens in loco, si choro non intersit, non residet, ut ss. Canones explicant, et dum adcumulantur vacationes, ansa porrigitur, ut quis Capitularium saepe absit sive intra et extra dioecesim cum Ordinarii licentia.

Quum Coadjutor non sit vere Canonicus etc. nec valeat nisi coadjuvare Coadjutum, conseqitur, quod nunquam praestitutum servitium restituere potest; nam absente Coadjuto ipsi substituitur, Coadjuto praesente Coadjutor locum non habet in choro eoque magis, quod Coadjutor, de quo dubitatur, est Coadjutor Dignitatis, hoc est Prioris Collegiatae et ibi non viget consuetudo, Coadjutorem substituere posse.

Tenent passim doctores, quod dies illi possunt esse vel continui vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiae non superent trimestre. Ita *Reiffenstuel* in lib. 3. decret. tit. 4. num. 114. et ante ipsum *Garzia* de beneficiis part. 2. cap. 2. n. 306., *Barbosa* de offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 53., num. 120. et *Fagnan.* in cap. *licet num. 54. et 55. de praebend.* Quae regula has tantum patitur limitationes, ut scilicet non omnes Capitulares eodem tempore abesse possint ne Ecclesia debito careat servitio, *Reiffenstuel* loco citat., nec vacationes incidant in tempora Adventus, Quadragesimae, Paschatis, Nativitatis Domini aliasque solemniores anni festivitates, *Bened. XIV.*

inst. can. 107. §. 6. num. 34. et s. Congregatio in Ferrarien. et Setina 23. Novembris 1771 et in Piactina vacationis choralis 30. Augusti 1777. Si ergo permutatio nec diuturnior sit tribus mensibus nec impediat, quominus excipiantur solemniores festivitates, tolleranda potius quam prohibenda videtur, quamvis eo permutantes respiciunt, ut nempe interpolatas vacationes quindecim dierum conjungant. Hanc enim continuam vacationem non prohibet s. synodus nec vicissim ullum Ecclesiae servitio infertur damnum, cum in locum absentis choro intersit, qui alias vacatione gauderet quisque ab ipso absente de praestito redintegraretur servitio in aliis suae vacationis diebus, ut in capitulari resolutione notarunt Canonici.

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Februarii 1795. *Spoletana.*)

b) Dispositio Tridentina.

Canonicus Jacobini allegat dispositionem Concilii Tridentini, cujus vigore trium mensium vacationem sibi competere potuisse supponit, non videtur praetereundum, quid Concilium hac de re disposuerit sess. 24. c. 12. de reform. En verba Concilii: „Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus et Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses de eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.“ Hinc Concilium permittit quidem trium mensium vacationem, quae ab Ecclesiae statuto aut consuetudine introducta fuerit, non tamen disponit, ut ad id tempus protrahatur nec permittit, ut alia norma quis vacationis indulgentia frui possit, quam quae fuerit lege synodali praescripta; super hoc Concilii Tridentini decreto observat *Fagnan.* in cap.: Licet de Praebendis num. 48. quoad statutum vel consuetudinem vacandi ad tres menses „a contrario sensu praeservat Concilium Tridentinum etc., non autem indulget Canonicis omnium Ecclesiarum, ut tres menses abesse possint, ut quidam incaute putarunt. Non enim procedit concedendo sed prohibendo etc. Et Canonicis ut supra adstrictis postulantibus ex gratia vacationem trium mensium s. Congregatio meo tempore semper abnuit.“

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Decembris 1772.)

Addere praestat, quae s. Concilium *sess. 24. cap. 12. de reform.* disponit. Haec sunt verba Concilii: *Obtinentibus in eisdem Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum consuetudinibus, quae longius servitii tempus requirunt.*

Observat *Fagnanus in cap.: Licet de Praebendis num. 48. ad 51,* quod reclusa consuetudine vel statuto Canonici Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum non possunt Ecclesiam deserere et trium mensium vacatione gaudere, cum sacrum Concilium in dicto decreto processerit non concedendo quemadmodum incaute nonnulli putarunt, sed prohibendo, ne Capitulares praetextu statuti vel consuetudinis ultra tres menses abessent a residentia, nam expresse praeservavit consuetudines, quae longius servitii tempus requirerent.

(Ex resol. S. C. C. diei 8. Februarii 1783. *Ripana.*)

Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 12. de reform.* mandavit quod: *Obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.*

Advertit tamen *Fagnan. in cap.: Licet de Praebendis,* quod in relato Concilii decreto provisum fuit ad illarum Ecclesiarum statuta et consuetudines, quae Canonicis vacationes ultra tres menses indulgebant illasque ad tres tantum menses coercitas: nequaquam vero omnibus Ecclesiarum servitio addictis permissum fuit, ut trium mensium spatio vacatione a choro fruerentur, quia Tridentini Patres non concedendo sed prohibendo decretum ediderunt et expresse mandarunt, ut servarentur constitutiones et statuta, quae longius servitii tempus requirerent; quare *loco cit. num. 50. et 51.* concludit, quod Capitula Cathedralium et Collegiatarum, quae ex consuetudine nullo vel minori vacationis tempore gaudent, debent ad s. Congregationem recurrere, quae ex gratia trium mensium vacationes quandoque indulgere solet. *Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. n. 311 et sequen.* ait diversam a s. Congregatione in concedendo vacationis indulto servatam fuisse regulam; si enim ex statuto vel consuetudine assiduum servitium reperitur absque ulla intermissione, et tunc trium mensium vacatio conceditur; denegatur tamen, si ex statuto vel consuetudine aliquae indulgeantur licet breviores vacationes.

In Illerden. Servitii Chori Capitulum Collegiatae Ecclesiae Oppidi de Tamarite supplicavit pro indulto abessendi per tres menses et bis proposita instantia bis etiam rejecta fuit, nempe diebus 15. Novembris 1698 et 28. Novembris 1699.

Verum in *Nullius Farfen.* die *18. Septembris 1655* indultum fuit Canonicis Collegiatae Ecclesiae s. Victoriae: *Ut per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis abesse possint, ita tamen ut omnes intersint in diebus dominicis et festis totius anni et in diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore absint, lib. 19. decret. pag. 532.* Rursus in *Atrien.* Cum Canonici Ecclesiae Cathedralis assiduum singulis diebus seritium praestare solerent et indultum vacationis per tres menses postulasset, ad duos tantum menses fuit concessum die 19. Sept. 1722.

Majori tamen indulgentia usa est aliquando s. Congr. praesertim justa aliqua et rationabili concurrente causa. In *Asculana* Canonici Ecclesiae Cathedralis duorum mensium vocatione fruebantur et attenta Praebendarum tenuitate et laborioso servitio insteterunt, ut alius vacationis mensis indulgeretur: et die 28. Januarii 1696 impertitum fuit, *ut pro arbitrio Ordinarii per tres menses cujuslibet anni juxta modum a s. Concilio Tridentino praescriptum et per tempus etiam verae infirmitatis jurata Physicorum attestatione comprabante, dummodo in erectione contraria non adsit dispositio, vacare et interim omnes fructus et distributiones quotidianas percipere possint, non secus ac si choro et officio divinis personaliter interessent. Ita tamen ut eodem tempore duae partes ipsorum semper inserviant Ecclesiae diebus exceptis solemnibus, in quibus omnes*

inservire teneantur lib. 46. decret. pag. 39., quod quidem rescriptum fuit etiam deinceps confirmatum die 5. Jun. 1706 et 15. Jan. 1707, excepto tamen tempore Adventus, Quadragesimae et Octavis solemnioribus *lib. 56. pag. 170. et lib. 57. decret. pag. 1.*

Rursus in *Leyrien.* Capitulum Ecclesiae Cathedralis petiit ut vacationes, quae trimestris tempus non excedebant, ad centum in quolibet anno dies extenderentur: cumque hujusmodi indultum denegatum fuerit in Congregatione diei 20. Septembris 1704, Canonici petitionis examen restaurare curarunt sub dubio: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.?* die 24. Januarii 1705 eadem s. Congregatio rescripsit: quod *Episcopus sublatis quibuscumque aliis vocationibus Capitulo indulgeat, ut ex gratia vacatione trium dumtaxat mensium quolibet anno frui et gaudere possit et valeat, lib. 15. decret. pag.* 45.

(Ex resol. S. C. C. die 3. Junii 1784. *Amerinen.*)

c) Episcopi facultas.

Vd.: *Resident. Canon.*; *Chorus.*

Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiae ad tempus praescriptum a Conc. Tr. S. C. C. 22. Novembris 1602 ad I. *Equitan.*

d) Non omnes simul abesse possunt.

Vd.: *Vacat. a choro Canon.* (*continuatae etc.*, *dispos. Trid.*)

Sacra Congr. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitatibus.

Die 8. Julii 1786. *Reganaten.*

e) Licentia extra dioeces. abesse.

Vd.: *Resid. Conon.*

Sacra Congregatio tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum quoties Canonici abesse volunt extra dioecesim, quod aliis confirmavit resolutionibus apud *Benedictum XIV.* instit. 107. §. 6. num. 36.

(Ex resol. S. C. C. die 28. Febr. 1795. *Anagnina.*)

f) Numerus Canonicorum praesentium.

Cavendum est, ne major Capitularium pars eodem tempore abesset, ut in Acrien. 5. Decembris 1722 et in Plocen. Servitii Chori 1791.

(Ex resol. S. C. C. die 14. Januarii 1792. *Oriolen.*)

g) Tempus.

Vd.: *Vacat. a choro* Canonicor., (dispos. *Trident.*)

Sacra Congregatio censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno el eodem tempore et hujusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitatibus.

Die 8. Julii 1786. *Reganaten.*

Oriolen.

In erigenda insigni Collegiata s. Nicolai civitatis de Alicante statuit Clemens VIII. cujusque Canonici praebendam in hispanicis libris decem ceterosque reditus librarum circiter 400 quotidianis assignavit distributionibus. Communicavit autem Capitulo privilegia, praerogativas, indulta, quibus fruebantur Cathedrales Valentiae, Oriolis, Segobriae; et Collegiatae Xativae et Laudiae Valentiae Dioecesis. Recens aucta est primaeva dotatio in aliis libris 90, sed pluribus de causis, quas mox audient Emmi Patres ex ore Episcopi Oriolensis, vacationum ampliationem posulant Capitulares a bimestri ad trimestre cum perceptione distributionum aliorumque reddituum exemplo Oriolensis Cathedralis, cui similis concessa fuit gratia in Congregatione 14. Januarii 1782. Normam sumi non posse ait Episcopus ab observantia aliarum Collegiatarum suae dioecesis, quum sint nullae. De summa vere testatur Canonicorum inopia prae reddituum tenuitate, ita ut necessario plerique sequantur, ut vivant, parentes vel consanguineos suos in absentia, dum de fructu frumenti, vini et olei, in quibus multiplicati sunt, colligendo secessus varios per annum coguntur arripere. Excessivum memorat regionis calorem in aestate, qui ad similes urget absentias, quibus non desunt opes. Atque exposci refert indultum de consensu Capituli; illudque et ipse exoptat. A quo inductae fuerint tempore bimestres vacationes Canonicorum de Alicante, non constat; sed initium fortasse habuerunt ab ipsa erectione Collegiatae. Ex dispositione igitur sacri Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. de reform. servanda videretur hujusmodi consuetudo; nam in permittendis trium mensium vacationibus excipit illarum Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Gratiam tamen mereri possent Oratores tum ex tenui canonicatuum redditu, ut in Alexandrina Servitii Chori 1790 et citata Oriolen. 14. Januarii 1792, cum ob insalubritatem aeris ex calore aestivo, ut in Vercellen. Servitii Chori 10. Februarii 1791. Attento potissimum exemplo Oriolensis Cathedralis, cujus indulta, praerogativas, privilegia communicavit Clemens VIII. Collegiatae de Alicante (quae tamen erant tempore erectionis) et attenta finitimarum Cathedralium consuetudine, ad quam etiam respexit sacra Congregatio in dicta Oriolen. 14. Jan. 1792.

Qualenus autem prorogandae sint vacationes, deliberandum insuper erit de perceptione distributionum et reddituum. Qui a choro siquidem vacationum tempore absunt, privantur distributionibus, etiamsi in morbum inciderint, secundum *Fagnan. in lib. 3. decretal. cap. licet de praeben. num. 149.*, non item praebendis, quae ab illis sint distinctae, ut in nostro themate, ex *sacro Concilio Tridèntino* sess. 5. cap. 1. de reform., *Girald.* in jus pontific. part. 1. ex lib. V. decretal. tit. 5. de magistr. sect. 787. Res vero est de distributionibus tenuissimis, quae neque cum praebendis ad congruam sufficiunt Canonicorum sustentationem.

Quaeritur itaque:

An et quomodo sint amplianda vacationes in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum Sanctissimo.

Die 6. Decembris 1794.

Atrien:

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Atrien. quotidiano et nunquam interrupto Ecclesiae servitio vacantes itaut qualibet die ter ad dictam Ecclesiam accedant et aliquando etiam quatuor vicibus, dividendo videlicet tempore quadragesimae et aliis quibusdam diebus recitationem Vesperarum a recitatione Completorii, supplicant pro vacatione trium mensium attentis praedicto continuato servitio, tenuitate reddituum et aeris intemperie et Episcopus pro informatione et voto requisitus censuit annui posse petitis.

Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* sic statuit: *non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*; et cohaerenter ad hanc sacram Concilii dispositionem s. haec Congr. Canonicis adstrictis Ecclesiae servitio ultra novem menses et postulantibus ex gratia vacationem trium mensium negative, ut plurimum respondit teste *Fagnan.* in *cap. licet num. 48. et seqq. de Praebendis.*

Haec procedunt in terminis Canonicorum servitio adstrictorum ultra novem menses, in eo autem, quod attinet ad Canonicos ex constitutione aut consuetudine Ecclesiae adstrictos servitio totius anni, haec habentur apud *Garz.* de benef. 3. par. cap. 2. num. 311., ibi: *si tamen constitutio aut consuetudo Ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa; est enim dura residentia totius anni oportetque maxime iuxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi. Et ita sacra Congregatio Concilii censuit in una Asloricen. his verbis: decretum Concilii cap. 12. sess. 24. concedit Canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiae servitium totius anni requirunt.* Concordat *Barbos.* ad cap. 12. sess. 24. num. 64. et consimiles referuntur sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium resolutiones apud *Nicolium* in flosculis in verbo: *Canonicus* sub num. 31.

Transeundo ad resolutiones hujus s. Congregationis haec benigne indulsit, ut Canonici Ecclesiae Collegiatae s. Victoriae Farfen. per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis pro arbitrio Emmi Commendatarii abesse possent, ita tamen ut omnes interessent diebus dominicis et festis totius anni et diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, uti legitur *lib. 19. decr. pag. 582. die 13. Novembris 1655*; eademque benigne annuit, ut Canonici Praenestini per quatuor menses singulis annis, scilicet a prima die mensis Junii usque ad primam diem mensis Octobris per tertiariam, hoc est octo ex duodecim intervenire deberent et quatuor a servitio vacare valerent, uti habetur *lib. 15. decret. pag. 576 22. Augusti 1637 et in Cathacen. Servitii Chori,* in qua agebatur de Canonicis, qui inserviebant diebus dominicis et aliis festis solemnioribus et aliis diebus inserviebant alternatim, licet die 19. Novembris 1698 reprobatum fuerit hujusmodi servitium, attenta nihilominus Praebendarum tenuitate, quae erat in ducatis 50. annuis quoad Canonicos et in ducatis 100 quoad Dignitates, die

12. Septembris 1699 recessum fuit a decisis et attenta Praebendarum tenuitate statutum fuit servitium per mediarias juxta morem Basilicae Vaticanae, uti habetur libro 40. pag. 567. et lib. 49. pag. 311. et in quadam causa Leirien., in qua ultra vacationem octuaginta dierum Capitulo indultam anno 1553 a Nuntio apostolico Canonici praetendebant alternis hebdomadis vacatione frui pro tonsione barbae et pro recreatione corporis, s. Congregatio die 24. Januarii 1705 lib. 55. decret. pag. 23. indulsit, ut sublatis quibuscumque aliis vacationibus Capitulum ex gratia frui valeret vacatione trium mensium quolibet anno.

His stantibus dignabantur EE. VV. decernere: *An et quomodo petitioni sit annuendum in casu?*

S. C. C. resp.: Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen 12. Novembris 1655.

Die 5. et 9. Decembris 1722.

Ad dub.: An Canonici et Dignitates Cathedr. Castri Maris possint impune a residentia absque Episcopi licentia abesse tempore, quo vigore indulti sacrae Congregationis non tenentur choro interesse? S. C. resp: in jure praemittendum est prudenti Episcopi arbitrio reservatum esse decernere, quot Canonici seu beneficiati debeant Ecclesiae inservire quotve utentes vacatione sibi indulta possint a residentia discedere, eique proinde permissum esse prohibere, ne eorum ullus tempore solemniorum festivitatum sine ejus licentia e loco residentiae absint, quemadmodum ad rem tradunt *Barbos.* de can. cap. 20. n. 3. et seqq., *Monacell.* part. 1. tit. 4. form. 7. n. 5. et 6.; hinc enim communiter receptum esse videtur episcopum posse legem quoque indicere, ut Canonici et Dignitates volentes vacationum indulto frui nequeant nisi de ipsius licentia relinquere eoque minus extra dioecesim commorari istique legi seu edicto pecuniarum mulctam et in subsidium spiritualem quoque suspensionis poenam adjicere, juxta plures resolutiones hujus s. Congr. relatas in cit. Larinen. decretorum synodalium 30. Augusti 1732.

Et quamvis necessariam haud esse Episcopi licentiam, ut Canonici et Dignitates possint vacationis indulto eis per Tridentinos patres elargito frui, tueantur *Fagnan.* in cap.: „Relatum" n. 15. et 16. „de cleric. non resid.," part. 2. cap. 2. n. 312., *Barbos.* ad concil. sess. 24. cap. 12. n. 65. de ref. et pluries resolverit sacra Congregatio et praesertim in Adrien. 8. Maii 1649, ubi ad IV. dubium ita conceptum: „An idem Episcopus possit prohibere absentiam de jure permissam absque ejus licentia"? responsum fuit: non posse prohibere, attamen hujusmodi authoritates intelligendae videntur, ut Episcopi licentia non sit necessaria ad obtinendam vacationem praedictam, non autem quoad modum eadem vacatione fruendi, ut explicat *Piton.* tom. 4. diecept. eccl. 115. n. 16.; et juxta hunc sensum memorata sacrae Congregationis resolutio in Adrien. mox allegata una cum aliis locum sibi vindicat in casu, quo Canonici indulto utentes se a servitio Ecclesiae intra dioecesim moram trahunt, tunc enim Episcopi licentia non indigent; secus vero, si ab ea velint abesse, uti declaravit eadem sacra Congregatio in Jadren. 9. Maii 1626 hisce verbis: „Sacra Congregatio tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus ab eodem concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum,

quoties Canonici abesse volunt extra dioecesim ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam; caeterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare," ut in lib. 12. 12. decr. pag. 353.

Et reipsa conformiter ad hanc resolutionem novissime in Acerrarum 23. Augusti 1727 discussis duobus hisce dubiis:

I. „An Canonicis Ecclesiae Cathedralis liceat ab eorum dioecesi abesse absque licentia Episcopi? et quatenus negative,

II. An sustineatur edictum reverendissimi Episcopi etiam quoad absentiam paucorum dierum et respective trium mensium a sacro Concilio Tridentino concessorum?

Prodiit resolutio

ad I.: negative sub poena ducatorum quinque tantum in casu contraventionis et in subsidium suspensionis;

ad II.: provisum ut in lib. 77. decr. pag. 518.

His igitur ponderatis una cum juribus nomine Episcopi allatis placeat EE. VV. rescribere:

An saltem Canonici gaudentes vacationem, ejus tempore durante, possint impune discedere et abesse in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative juxta decretum in Jadren 9. Maii 1626 et ad D. Secretarium juxta mentem.

Die 13. Aprilis et 4. Maii 1737.

Giennen.

Vetustissima statuta Ecclesiae Cathedralis Giennen. tribuentia Canonicis vacationes centum dierum pro quolibet anno et plures alias horas cum participatione distributionum ex causa assistendi nonnullis functionibus ecclesiasticis pro tonsione barbae et aliis specialibus operationibus revocata fuerunt ex decreto hujus sacrae Congregationis sub die 16. Januarii 1700, in qua propositis duobus dubiis scilicet:

I. An statuta Cathedralis Ecclesiae Giennen. circa vacationes sint observanda? Et quatenus affirmative,

II. An durante tempore dd. vacationum liceat capitularibus abesse a loco residentiae etiam sine licentia Episcopi?

Rescriptum fuit

ad I.: negative et servetur dispositio sacri Concilii Tridentini;

ad II.: Affirmative cum solitis clausulis.

Cum autem modo Canonici praetendant illam jam fuisse redactam ad terminos dispositionis conciliaris mediante alio statuto condito de anno 1787 ab Episcopo Sarmiento et inviolabiliter, ut praetenditur, observato, firmis remanentibus vacationibus horarum concessis pro supradictis specialibus functionibus cum participatione distributionum, quae grossae nuncupantur, non autem minutarum; iidem Canonici reclamantes a decretis per Episcopum editis in executionem praefatae resolutionis hujus sacrae Congregationis parte utraque monita et informante infrascriptorum dubiorum decisionem ab EE. VV. supplices exposcunt:

I. An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis sub die 16. Januarii 1700?

II. An decreta facta per Episcopum sustineantur in casu etc.?

S. C. die 26. Jan. 1704 respondit

ad I.: in decisis et amplius;

ad II.: ad eminentissimum Praefectum juxta mentem — ut in lib. 54. decr. pag. 24.

Sublatis per decretum episcopi aliquibus vacationibus, quibus Dignitates, Canonici aliique Beneficiati pro tonsione barbae et pro recreatione corporis alternis hebdomadis gaudebant praeter alios octuaginta vacationum dies, quos R. P. D. Zambecarius de anno 1513 Nuntius apostolicus extendendo dispositionem antiqui statuti 40 solum dies concedentis specialiter indulsit, statim simultates et dissidia a Capitulo id aegre ferente in ipsum Episcopum erumpere coeperunt.

Ad servandam igitur fovendamque mutuam charitatem et concordiam collato invicem consilio idem Episcopus et Capitulum rem ita componi posse censuerunt, ut pro obtinendo indulto ad centum dies annuae vacationis preces Sanctissimo porrigerentur, quibus deinde porrectis et huic s. Congregationi remissis, illa sub die 20. Septembris superioris anni ita rescripsit: Negative, et servetur dispositio concilii; sub die vero 15. Novembris subsequentis in relationibus causarum extra folium consulta super intelligentia praefati rescripti respondit: „in decisis et servetur extensio indulti emanati de anno 1533 a Nuncio apostolico.“

Nunc itaque recedendo a prima petitione indulti vacationis centum dierum Episcopus et Capitulum unitim supplicant, ut saltem vacationes ad tres menses haec s. Congregatio concedere dignetur, ideoque ab EE. VV. declarandum erit:

An sit standum seu recedendum a decisis sub die 15. Novembris 1704?

S. Congregatio die 25. Jan. 1705, audita relatione Episcopi Leyrien. eidem benigne commisit, ut veris etc. et sublatis quibuscunque aliis vacationibus Capitulo canonicis indulsit, ut ex gratia vacatione trium dumtaxat mensium quolibet anno frui et gaudere possit et valeat, ut in lib. 55. decr. pag. 23. terg.

S. Concil. Tridentinum sess. 24 cap. 22. de reform. ita moderandum censuit servitium chori, ut nemini liceret vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.“ Quam sane Concilii dispositionem ita s. haec Congregatio interpretari consuevit, ut liceret Canonicis abesse per trimestrum, nisi constitutiones Ecclesiae longius praescripsissent servitium ut in Mutinen. anni 1273 lib. 1. decret pag. 1. Semper vero improbavit constitutiones aut consuetudines, quibus vacandi venia ultra trimestre daretur, teste *Fagnano* in cap. ad audientiam a num. 8. ad 16. de cleric. non sedentibus et praecipue in *Urgellen.* statuti 8. Martii 1750, in cujus folio ad propositum referuntur praecedentes resolutiones.

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Jan. 1802. *Senogallien.*)

Ex Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform. habetur, quod obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cujuslibet stututi aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.“ Quare apertum est ex hoc decreto, quod concilium expresse non permittit vacationes sed longiores quam trium

mensium interdicit et breviores servandas esse decernit, quae ex statuto Ecclesiae obtinent, ut observat *Fagnan.* in cap. *licet* num. 48. de praeben.

(Ex resol. S. C. C. diei 21. Augusti 1802. *Barchinonen.*)

Albintimilien.

Inter statuta Albintimiliensis Capituli anno 1539 collecta cautum septimo loco erat, quod D. Praepositus et caeteri DD. Canonici possint et valeant pro eorum negotiis peragendis et aliis sibi necessariis se absentare sine aliqua annotatione facienda per tres menses, dummodo ipsi tres menses non sint continui, et etiam diebus solemnibus exceptis et diebus quadragesimalibus etc. et in se absentando per illud tempus respective non continuatum teneatur talis, qui se absentaverit, dare Presbyterum seu Religiosum pro Missis celebrandis tantummodo. Nec quidquam detrimenti passa est statutaria haec lex post Concilium Tridentinum, quum tolerandas immo dixerint Tridentini Patres sess. 24. cap. 12. de reform. consuetudines et statuta trium mensium vacationem concedentia.

Ob diminutum Canonicorum numerum alia de anno 1623 condita fuerunt statuta, quibus nedum episcopalis sed pontificia etiam Gregorii XII. accessit auctoritas eorumque undecimum caput haec habet: quia ex praescripto sacri Concilii Tridentini permissum est Canonicis non residere per tres menses ob Canonicorum eorum paucitatem convenerunt inter se, tres tantum Canonicos abesse posse... et tunc tanquam praesentes haberi voluerunt.

Notandum est, duo in cap. 12. sess. 24. sacri Concilii Tridentini de reform. ad rem statui. Unum, quod non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Et alterum, quod salvae sint illarum Ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Atque ita etiam temporibus Concilio proximioribus servari jussit s. Congregatio in Mutinen. 1573 lib. 1. decr. pag. 168. Sacra etc. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex decreto Concilii sess. 24. cap. 12. si constitutionibus Ecclesiae longius servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur.

Si ergo juxta relationem Episcopi pervetusta illa trium mensium vacatio, quam priora invexerant statuta, obliterata fuit per posteriorem constitutionem perpetuamque centum et ultra annorum observantiam, jam secunda cap. 12. pars Canonicorum instantiae resistit. Quoniam vero secundum statutum et quae ei successit observantia temporaneam habuit infrequentis Capituli causam, hac idcirco cessata injustus non videtur reditus ad antiquum statum, ut advertit Episcopus ex regula text. in leg.: *Quod dictum* ff. de Pact., de qua *Perez.* in lib. 1. cod. tit. 14. num. 22. de legib. et *Fagnan.* in lib. 5. decret. cap. *Patentibus* num. 11. de privileg.

EE. VV. decernere dignentur: An Canonicis Cathedralis Ecclesiae Albintimiliensis sit concedendus regressus ad vacationem trium mensium in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 19. Maii et 16. Junii 1787.

Recanaten.

Capitulum Ecclesiae Collegiatae nuncupatae s. Mariae castri novi Civitatis Recanaten. nullis fruitur vacationibus a choro, quibus tamen plurimae gaudent Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae ex benignitate s. Congregationis.

Patet ex supplici ejusdem Collegiatae libello plura concurrere ad gratiam quam postulat vacationum conciliarium; et primo quidem gravitatem servitii quotidiani; insuper tenuitatem distributionum, ex quibus universus reditus coalescit; nam vix lucrantur singuli annua scuta decem et octo; praeterea distantiam Ecclesiae Collegiatae, quae extra civitatem sita est et ad eam difficilis patet accessus hyemali tempore ob nivium copiam et viae asperitatem, aestivo vero tempore propter solis aestum.

Semel et iterum exorantibus praebendatis vacationem quatuor mensium nempe Januarii, Februarii, Julii et Augusti data solummodo fuit annuente Episcopo pomeridiana a choro exemptio antedictis mensibus decreto diei 27. Jun. 1778. Id autem nullam eis attulit utilitatem, cum illius rescripti vi circa meridiem majori cum incommodo vesperas exsolvere deberent. Nunc iterum supplices sistunt coram s. Congregatione, ut gratiam vacationis quatuor mensium nempe juxta petita obtineant. Exhibent denuo, quem jam alias, nempe quando anno 1784 reductionem Missae conventualis meruerunt, exhibuerant calculum decennalem reddituum et onerum, ex quo apparet redditum in solis distributionibus consistere et ab oneribus depuratum efferri circiter ad scut. 18. pro unoquoque altarista. Ostendunt etiam consensum Capituli legitime congregati. In memoriam revocant jam datam alias ab Episcopo relationem, quae antedictum praeivit decretum anni 1778. *Fateor*, ajebat Episcopus, *mei animi sensum haerere, cum Capitulum Collegiatae s. Mariae Castri novi solis altaristis constet* (numero novem una cum Praeposito) *atque illorum portio reputari nequeat tamquam beneficium, ideo et chori et Ecclesiae servitium detrimentum pati atque ad percipiendum de Massa distributionum in vacationibus titulus iisdem deesse videtur. Revera vacationibus altaristae Oratores nunquam sunt gavisi, sed portionibus de massa distributioum juxta praestitum Ecclesiae et choro servitium semper participarunt. Ex altera parte animadverto tenuitatem ejusdem massae distributionum, difficile ac laboriosum servitium esse in causa, ut aliquo levamine Oratores digni videantur.* Et praemiserat antea: *Exposita* (in precibus Capituli) *tum quoad situm dictae Ecclesiae Castri novi ejusque distantiam a reliquo corpore civitatis, tum quoad asperitatem viae aeque molestae aestivo hyemalique tempore veritate niti.* In nuperioribus autem literis datis diei 26. Maii currentis anni pressius loquitur seque non solum assentiri ait, ut hi Canonici altaristae iisdem fruantur vacationibus, quibus Ecclesia Cathedralis, sed pro iis etiam exorare. Videndum de instantiae aequitate et justitia. Ultro conveniunt Canonici Oratores a Tridentina Synodo *sess. 24. cap. 12. de reform.* exoptatum fuisse, ut a Canonicis omnibus Cathedralium Ecclesiarum continuum diurnumque servitium praestaretur, et ex quadam indulgentia permissum, ut usque ad tres menses et non ultra abesse possent, quacumque non obstante consuetudine. Sed decretum illud ad suam non pertinere Collegiatam reponunt attenta reddituum tenuitate, quae una ex tribus causis, propter quas Tridentina Sanctio limitatur. *Cardinalis Petra ad Constitutiones apostolicas in const. 7. Junii IV. num. 28.*: *In Collegiatis autem non insignibus licet regulariter Canonici pariter teneantur ad assiduum servitium chori, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe si aut Ecclesiae sint rurales aut si adsit contraria immemorabilis consue-*

tudo aut demum adeo tenues sint reditus, ut Canonici ali non valeant. Quae limitationes sufficiunt, si concurrant alternative. Et praeiverat *Fagnan. in primum lib. decret. cap.: cum omnes de const. n. 31.*, qui refert s. hanc Congregationem censuisse supradictum Tridentinum Decretum *intelligi de omnibus Collegiatis etiam non insignibus, nisi tamen istae essent rurales prorsus destinatae aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere aut quae adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos non habentes unde vivant alere non possent*: *Pignatell. Consult. 114. num. 10. tom. 9. et consult. 150. n. 84. tom. 10.*

Tantumque reddituum tenuitati S. C. detulisse addunt, ut in ipsis etiam Cathedralibus a continui servitii lege deflectendum esse censuerit. *In Tinen. 1. Decembris 1633* respondit: *Episcopum durante tenuitate reddituum posse permittere, ut Canonici praestent servitium Ecclesiae non continuum pro suo arbitrio, ita tamen, ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certioretur S. C. Lib. 15. decr. part. 285. et in Cathanen. 5. Sept. 1699* licet denuo improbata fuerit methodus inserviendi, quam Canonici invexerunt, tamen additum fuit: *Attenta tenuitate reddituum censuit ex gratia indulgendum esse prout benigne indulsit praefatis Capitularibus ut tot anni tempore per mediarias, idest per dimidium eorum partem alternis hebdomadis Missae, Matutino et omnibus Horis interesse valeant, ita tamen, ut diebus dominicis et festis de praecepto, tempore Adventus et Quadragesimae ac Octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi ac SS. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de servitio, Missae et Vesperis inservire teneantur; lib. 49. decr. pag. 311 et 312.*

In Asculana 28. Jun. 1696 et 15. Jan. 1707 vacationi, qua Canonici Ecclesiae Cathedralis frui solebant per duos menses, additus fuit tertius ob gravitatem servitii et tenuitatem proventum, ut *in lib. 46. decr. pag. 39. et lib. 57. pag. 1.*, sed ne vacare possent a choro in Adventu et Quadragesima necnon dominicis aliisque festis diebus ac in Octavis privilegiatis, provisum fuerat *die 5. Jun. 1706, ut in lib. 56. decr. pag. 170.*

Verum dubitationem movet Episcopus quia horum altaristarum redditus in solis distributionibus consistunt, quos integros amitti ab iisdem oportet in mensibus vacationum; at *in constitutione Bonifacii VIII. relat. in cap. unic. de cleric. non residen.* a Tridentino Concilio *cap.: quo supra* innovata, quaevis obliterata fuit, quae adversaretur, consuetudo. Sed nil fortasse vetaret, ut Canonici reponunt, quominus altaristae tempore vacationum amissa tertia distributionum parte reliquas duas lucrarentur, quemadmodum erga absentes causa studiorum atque alios privilegiatos, quoties integri fructus in solis distributionibus consistant, dudum invectum observatumque fuit, quos casus invicem confert *Fagnan. in lib. primo decr. cap. cum omnes de const. n. 35.*

Quod si scrupulus adhuc Episcopo haereat, quia hi altaristatus non sunt beneficia adeoque sublata interessentia in choro nullus supersit titulus, cujus vi duas distributionum partes altaristae lucrentur, haud absurdum Canonicis Oratoribus videretur omnes amputare quaestiones et Episcopo committere ita hasce distributiones partiri ut qui e. g. octo aut novem aut de-

cem mensibus intersunt, (prout S. C. placeret servitii tempus definire) totam lucrentur annuam distributionum summam ratione servitii per ea tempora praestiti, relicta solum pro .. ensibus vacationum tertia parte distributionum, quae percipi hactenus consueverit, ut ita ea merces cum fallentiis absentium conjuncta praemium sit eorum, qui vacationibus uti nollent nec Ecclesiae servitium deserere. Quo vero ad paucitatem novem Canonicorum eam tantam haud esse dicunt Canonici Oratores, ut propterea a sua petitione rejiciendi sint, cum semper duae ex tribus Canonicorum partibus pro choro servitio adesse debeant per eos menses quibus ab hac s. Congregatione vacatio a choro conceditur. *In Farfen. 13. Novembris 1655* dedit quidem S. C. vacationem duorum mensium, sed praeter consuetam exceptionem Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi addidit, *ut nunquam a servitio chori ultra tertiam partem eodem tempore abessent.* In *Atrien.* 5. Decembris 1722 similiter pro concessione vacationum respondit in haec verba: *Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen. 13. Novembris 1655* et eundem modum praescripserat *in Auximana 12. Julii 1631, ut in lib. 14. decr. pag. 467: Sacra etc. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere decretum in Collegiatis Ecclesiis suae dioecesis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium, Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore Quadragesimae et Adventus neque in principalioribus anni festivitatibus.*

Placeat EE. VV. decernere:

An et quomodo Capituli precibus sit annuendum in casu?

S. C. resp.: Esse annuendum concessioni vacationum ad tres menses cum conditionibus in Auximana 12. Julii 1631 et assignata pro his tribus mensibus tertia parte consuetarum distributionum tantum.

Die 8. Julii 1786.

In cap.: *Presbyter* de celebratione Miss. habentur: Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et Completorii tempore nostrae servitutis officia persolvamus, et in Clementina 1. eodem tit. statuitur, ut in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur, in aliis vero convenienter et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium. Concilium Tridentinum ad tollendos abusus sess. 24. cap. 12. de reform. statuit, quod Obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.

Quamvis ex s. Concilii lege abrogata fuerint statuta, quae ultra tres menses longiorem concedebant vacationem, tamen non defuerunt aliqui, qui opinati sunt non fuisse sublatam a Concilio consuetudinem immemorabilem, ut Canonici ultra tres menses a choro vacare possint. Hanc opinionem reprobavit s. Congr. in Calaguritana, in qua anno 1581 sic respondit: S. Congr. censuit non licere Praebendatis vigore cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ab eorum Ecclesiis ultra tres menses abesse, lib. 3. decr. pag. 189 Et licet postmodum declaravit consuetudinem

inserviendi per hebdomadas non fuisse sublatam a Concilio, illam tamen locum habere voluit, dummodo per novem integros menses capitulares inservirent. Prostat resolutio edita in Cassanen. de mense Junii 1589 his concepta verbis: S. Congr. censuit modum inserviendi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dum tamen novem mensibus integris Ecclesiae inserviatur juxta caput 12. sess. 24. lib. 6. decr. pag. 13.

Ut autem debitus Deo cultus et Ecclesiae obsequium nonnullis praesertim temporibus praestetur, ex praxi s. Congregationis Canonicis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum petentibus indultum abessendi a servitio chori per tres menses non aliter conceditur quam sub conditione ut tempore Adventus et Quadragesimae aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant. In Tarraconen., cum Capitulum Ecclesiae Ville de Reus, quae praeter Priorem triginta sex numerat Praebendatos, petiisset indultum, ut octo ex Praebendatis abesse possent a choro per duos menses proposito dubio: An et quo modo petitis sit annuendum? die 18. Februarii 1764 prodiit responsum: Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum et pro duobus mensibus tantum, ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi per totam Octavam ejusdem ac aliis temporibus ab Ordinario benevisis interesse et jugiter servire teneantur. Et reproposita causa sub dubio: An moderandae sint clausulae appositae in rescripto seu potius augendus sit numerus Capitularium, qui abesse possint in casu etc.? die 23. Mart. 1765 fuit resolutum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam pro sex Capitularibus tantum. Viden. folia harum causarum, in quibus plura scitu digna reperiuntur et habentur in thesauro resolutionum s. Congregationis tom. 33. et 34.

(Ex resol. S. C. C. diei 3. Aug. 1782. *Ferentina.*)

Ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 22. *de reform.* defenditur, ne liceat *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab Ecclesiis quolibet anno abesse salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Servanda est itaque constitutio Capituli Auximani, ex qua licet per duos tantum menses vacare, cum s. haec Congregatio semper observandas esse mandavit eas constitutiones, quae longius servitii tempus praescribunt, ut in *Urgellen. statuti 8. Mart. 1750.* Quod si Canonici Cathedralis Auximanae ex rescripto s. Congregationis 24. Augusti 1746 ita servitium praestant, ut dimidia pars choro intersit, dimidia absit, jam si hoc indultum ita extenderetur, ut tertia pars tantum servitium obiret, profecto vacarent ultra duos menses contra ac constitutiones praescribunt id quod ex citato Tridentini loco nefas habetur.

(Ex resol. S. C. C. diei 14. Apr. 1804. *Auximana.*)

h) Tempus vetitum.

Vd.: *Vacatio a choro Canon.* (continuatae etc.; non omnes simul etc.; tempus.)

Vacationes non incidant in tempore Adventus, Quadragesimae, Paschatis, Nativitatis Domini aliasque solemniores anni festivitates, *Benedict. XIV.* inst. can. 107. §. 6. num. 34. et s. Congregatio in Ferrarien. et Setina

23. Novembris 1771 et in Pientina vacationis choralis 30. Augusti 1777.

(Ex resol. S. C. C. diei 28. Febr. 1795. *Spoletana.*)

3) Coadjutorum Canonicor.

Civitaten.

Duo, qui in Ecclesia Cathedrali Canonici Coadjutores sunt, Franciscus Garzia de s. Martino et Emanuel Anio Pelegrin eadem frui voluerunt facultate, ut singulis annis abesse possint diebus quinquaginta, qua omnes illius Ecclesiae Dignitates et Canonici fruuntur ex beneficio iis indulto a Clemente VII. Pontifice Maximo. Quaestio orta est ob id an jure possint; integro igitur Capitulo ab Eminentissimis Patribus definitionem petente auditoque, ut moris est, Episcopo, qui Coadjutoribus favet sententia sua, omnes amplissimorum Patrum sententiam exspectant. Coadjutores vero disputant nullam proponi disparitatis rationem inter Coadjutores et Coadjutos, cur, ut hi beneficio Pontificis fruuntur, nequeant et illi eodem beneficio frui; Coadjutores enim in Coadjutorum locum subrogati censentur et cum nec statuto ne decreto capitulari aliquo excludantur, aequitatem omnem postulare, ut eodem utantur beneficio Pontificis, dummodo tamen illo non utantur Coadjuti, ut tradunt *Barbos.* de Canon et Dignit. c. 29. num. 44., *Ventrigl.* in prax. adnotat. 13. n. 17. et definivit *Rota in Salamantina Coadjutoriae* cor. Penia, quae impressa est apud Marches. de Commiss. par. 1. §. 2. p. 469. in fin.

Superest igitur ut omnibus perspectis definiatur ab Eminentissimis Patribus:

An Coadjutores Ecclesiae Cathedralis Civitaten. gaudere valeant indulto vacationis quinquaginta dierum recreationis causa, eo non utentibus Coadjutis in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 20. Mart. 1745.

4) Magistrorum Theolog.

Potest ipse lector s. scripturae vacare a lectionibus tribus mensibus, scilicet: Julii, Aug. et Septembr.

Decis. S. R. C. Interpr. ad Conc. Tr. C. 1. Sess. V. (Ed. Gallemart. 1616 p. 22.)

5) Ab operibus servilibus.

Vd. *Patronus civitatis* (Festum, decr. n. 4501); *Missa* (oblig. audiendi); *Dominica* (licentia laborandi); *Patr. principal.* (Estne fest. de praecepto?) *Festum de praecepto* (§. 3); *Reduct. fest.*; *Vacat. ab operib. in festo Titularis*, vd. *Orator. priv.* (decr. n. 4878); *Nundinae.*

Dioecesanos non teneri ab operibus vacare die solemnitatis Patroni *civitatis*, tum praesertim, si peculiarem patronum habeant. n. 2018 ad 2 die 20. Decb. 1659.

Ad dub.: An, dum festum s. Georgii Patroni Principatus Catalauniae occurrit in fer. VI. maj. hebdom. sive in Sabb. s., ita ut in aliam diem non impeditam transferatur, eadem die, qua peragitur Officium de s. Georgio, adsit etiam obligatio audiendi missam? S. C. resp.: Pro translatione Officii et Missae sed absque obligatione praecepti audiendi Sacrum et vacandi ab operibus. n. 4020 die 10. Decb. 1773.

Pius PP. VI.

V. Fr. Ignatio Massalski Ep. Wilnensi.

Variis inductum rationibus fel. rec. Benedictum XIV. fuisse scimus, qui nonnullorum cathol. principum et ordinariorum sibi porrectis precibus indulsit, ut fideles populi plurium civi-

tatum et dioecesum quibusdam festivis diebus servato in eorundem festorum vigiliis, in quibus praecep.um erat, jejunio ac audita tantum in iisdem festis missa loboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus vacare possent. Sed ex eadem dispensatione illud postmodum, sicut accepimus, evenisse deprehensum est, ut alii in suo artificio nimis occupati praeceptum audiendi missam omnino negligerent, alii vero ex obligatione jejunandi in vigiliis et audiendi Sacrum in festis occasionem caperent a laboribus abstinendi et otio indulgendi.

Quae incommoda agnoscens charissimus in Christo filius Stanisl. Aug. Poloniae rex iisdem obviam ire statuit proindeque a Nobis enixe flagitat, ut eosdem Christifideles etiam a praecepto jejunandi et audiendi missam in diebus, quibus operi vacare permittitur, solutos esse ap. auctoritate velimus.

Nos igitur ejusdem votis obsequendum et populorum conscientiae consulendum esse judicantes Fraternitati Tuae committimus et mandamus, ut in ista civitate et dioecesi tua hanc omnibus Christifidelibus ritus latini in civitate et dioecesi praedicta existentibus de diebus festis legem, in quam maturo consilio et expensis omnibus descendimus, auctoritate ap. denuncies et edicas.

Retineantur nempe ac celebrantur festivi dies Resurr. cum sequenti et Pentecost. item cum sequenti aliique per annum dies dominici, necnon Nativ. Dom., Circumcis., Epiph., Ascens., et SS. Corp. Chr., tum quinque dicati B. M. V. scilicet: Purif., Annunt., Assumpt., Nativ. et Conceptionis, praeterea retineantur festa ss. ap. Petri et Pauli omniumque Sanctorum s. Stephani protom. et unius tantum principalioris patroni. Sed si alicubi plures patronos aeque principales haberi contigerit, diligenter inquiras necesse est, quinam ex dictis principalioribus patronis potiorem cultum et venerationem in ea vel civitate vel oppido vel pago habeat et in ejus tantum propria die festivitatis praeceptum designes.

In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae cathol. instituto Christifideles Sacris adesse, a servilibus operibus abstinere et jejunium in eorundem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant et teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus sed insuper Christifideles a quacunque vigiliae seu jejunii diebus praedentibus, dummodo vel aliunde vel ratione Quadragesimae vel quatuor temporum non praecipiatur, et audiendi missam in praedictis festis obligatione absolvimus et liberamus.

Sed quoniam, cum populorum conscientiae consulimus et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, Sanctorum Venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum et solemnitatum officia et missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacunque ecclesia celebrari mandamus.

Sacrum vero jejunium, quod in praedictis vigiliis habeatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum ibidemque servandum edicimus et constituimus.

Ut autem non solum Clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festivis SS. Missae Sacrificio et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, *SS. Apostolorum et Martyrum, quorum Solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent et venerentur, volumus ac praecipimus,*

ut die 29. Juni ultra praecipuam ss. Ap. Petri et Pauli solemnitatem etiam aliorum apostolorum et die 26. Decb. ultra praecipuum s. Stephani festum etiam aliorum ss. Martyrum Memoria celebretur. Quare die 29. Junii in Calendariis eccles. ita festum inscribendum erit: „SS. Petri et Pauli et Commemoratio Om. ss. Apost.", ac tam in officio quam in missa addatur Commemoratio de communi apost.; die vero 26. Decbr. ita notetur: Fest. s. Steph. protom. et Comm. omn. ss. Martyrum" ac tam in officio quam in missa addenda erit Commem. de comm. pl. mm.

Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae die 3. Maii 1775.

(Bull. r. *Continuatio* t. V. p. 58. Ed. Rom. 1847.)

Eadem Bulla *ejusdem tenoris* ad Episcopum Dioec. *Posnaniensis* die 23. Maii 1775 a PP. Pio VI. missa est. (*Ibid.* p. 61.);

Ad Episcop. Uladislaviensis dioec. eodem die et anno (Ibid. p. 63.)

Ad Episcop. Luceoriens. dioec. (Ibid. p. 65.)

Ad. Episc. Cracoviens. dioec. (Ibid. p. 66.)

Ad Episc. Plocens. dioec. (Ibid. p. 68), et ad alios Episcopos, ut videre est loco cit. a pag. 70—82 et p. 237; tom VI. p. 205. 428. 477.

VASA S.

1) Benedictio ab Abbatibus facienda.

Vd.: *Paramenta; Benedictio; Suppellectilia; Usus pontif.* (modus etc.)

Vasa sacra benedicendi facultatem habent Abbates Pontificalia exercentes etiam regulares, non tamen pro Ecclesiis extraneis. Praelati regulares, nempe Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Praepositi, Guardiani aliique omnes Superiores locales, quocunque nomine nuncupentur, quamvis non possint benedicere s. vasa, in quibus intervenit unctio s. chrismatis, possunt tamen benedicere alia s. vasa et ornamenta seu paramenta pro usu suarum tantummodo Ecclesiarum.

Unde caute legendi sunt doctores, qui apud *La Croix* lib. 6. par. 3. n. 553. et apud alios, dicunt, Superiores ordinum Mendicantium adhuc id posse etiam pro extraneis, ubi est usus, quamvis asserant bona fide id facere passim permittentibus et saepe ad eos remittentibus Episcopis. Episcopi enim non possunt absque speciali licentia s. paramentorum benedictionem aliis delegare, ut saepius decrevit s. Rit. Congr. et signanter die 14. Nov. 1615 apud *Gavant.* in Manuali Episcop. verb.: *Benedictio* num. 5. et testantur *Aversa* q. 11. sect. 13. §.: Sexto, *La Croix* loco cit. num. 253. et alii passim.

Quod praelati Ordinis fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptoris Captivorum benedicere possint vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica.

Gregorius Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii cura nobis ex alto commissa, ut singulorum christifidelium, praesertim sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, votis rationi non contradicentibus favorabiliter annuamus.

§. 1. Sane pro parte dilecti fratris Francisci Bochet, in theologia magistri, Parisiensis, Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Vicarii generalis, in romana Curia residentis, nobis nuper exhibita petitio cpntinebat quod, licet dilecti filii provinciales, Vicarii et Ministri praedicti Ordinis in Hispaniarum regnis consistentes, qui triennales dumtaxat existunt, casulas, tunicas albas et mappas et alia vestimenta et ornamenta ac etiam vasa ecclesiastica

ad divinum officium peragendum necessaria ac solita et consueta benedicendi a Sede apostolica licentiam habeant, nihilominus Provinciales, Vicarii et Ministri Ordinis praedicti in Galliis, Flandria aliisque Galliarum regnis et dominiis consistentes, qui ad vitam eligi et deputari consueverunt, eadem licentia hactenus minime usi sunt nec in futurum, absque speciali indulto nostro, uti possunt, cuperet idem Franciscus sibi ac Provincialibus et aliis Vicariis et Ministris ejusdem Ordinis in Galliis, Flandria et provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus licentiam praedictam per Nos concedi. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, honestis ejusdem Francisci postulatis grato concurrentes affectu ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatis existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes ac licentiae hujusmodi et literarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Francisco ac aliis Vicariis generalibus, provincialibus et ministris dicti Ordinis in Galliis, Flandria ac provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus, casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia et alia quaecumque ornamenta ac vasa ecclesiastica (illis tamen exceptis quibus s. chrisma applicandum est) benedicendi, juxta tenorem licentiae vicariis, ministris et aliis praedictis regnorum Hispaniarum concessae tantum licentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus illamque ad eosdem Galliae, Flandriae provinciaeque hujusmodi ac aliorum Galliarum dominiorum et regnorum Vicarios, provinciales et alios praedictos, nunc et pro tempore existentes, etiam perpetuo, extendimus et ampliamus ipsosque, ut de caetero uti, frui et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia perinde ac si illis principaliter eadem licentia, apostolica auctoritate, concessa fuisset, decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae in literis ejusdem licentiae expressa sunt.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 7. Octobris 1575 pontif. anno IV.

(Bull r. t. VIII. p. 132. Ed. Aug. Taur. 1863.)

2) Benedictio a Protonotariis fac.

Vd. *Protonotar. Tit.*

Protonotarii sine speciali Sedis Apostolicae seu Sacrae Congregationis licentia nulla possunt benedicere vasa, paramenta seu ornamenta ecclesiastica. Sacr. Congreg. Rit. 17. Jul. 1627 apud Gavant. in Manual. Episc. verb.: *Benedictionum* 7., et *Barbos.* in Summa Apostolic. dec. verb.: Protonotarius Titularis n. 14.

3) Benedictio ab inferiorib. Sacerdot.

Benedictio sacrorum paramentorum et vasorum ecclesiasticorum non potest fieri ab inferioribus Praelatis Jure proprio, licet habeant Territorium separatum et Jurisdictionem, nisi habeant ea, quae sunt ordinis, ut decrevit Sacra Congr. Rit. in Nullius 21. Agusti 1601. apud Barbosam lib. 3. Juris eccles. univers. cap. 3. num. 31 et in Summa Apost. decis. verb.: Benedicere, Benedictio n. 9. Ibi num.

15. refert, quod benedictio paramentorum et vasorum ecclesiasticorum, in quibus non adhibetur sacra unctio, diversis abbatibus, decanis aliisque personis ecclesiasticis concessa fuit per Sacram Rit. Congreg. et signanter in Aquilejen. 20. Aprilis 1599., in Even. 17. Maii 1600., in Lameron. 29. Januar. 1605., in Aquilejensi 24. Aprilis 1610., in Augustana 12. Aprilis 1614., in Lucion. et Gnesnen. 4. Septembris 1621.

Corisopiten.

Pro parte Caroli Josephi S. Pern sacerdotis nobilis rectoris parochialis de Besha dioecesis Corisopiten. supplicatum fuit in S. Rituum Congregatione pro suo voto ad indultum eidem a Dataria transmissum, prout in supplicatione SSmo porrecta per praedictum oratorem ad effectum, ut Sanctitas Sua eidem concedere dignaretur licentiam benedicendi cruces, imagines, campanas, tabernacula, vasa, thuribula, vestimenta, mappas, paramenta et ornamenta ecclesiastica ac sacerdotalia, quaecumque ad cultum praedictum necessaria, cum solitis solemnitatibus et caeremoniis ac pro usu matricis illius saecularium ecclesiarum et capellarum etc. stante distantia locorum. Et eadem Sacra Congregatio censuit posse concedi de consensu ordinarii, si SSmo placuerit.

Die 6. Maii 1673.

(Anal. J. P. 1865 p. 1180 n. 1970.)

Avenionen.

S. Rituum Congregatio facultatem indulsit Bonifacio Pasqualis vice-curato ecclesiae parochialis de Châteaurenard dioecesis Avenionen. benedicendi sacras suppellectiles in forma et ad triennium.

Die 10. Octobris 1674.

(*Ibid.* p. 1188 n. 1998.)

Bergomen.

S. Rituum Congregatio ad preces Rmi episcopi Bergomensis allatas ab Emmo Colloredo inhaerendo alteri concessioni ejus praedecessori die 6. Februarii 1672 factae et attenta necessitate illius dioecesis eidem oratori facultatem indulsit, ut subdelegare possit toties quoties opus fuerit abbatibus Cassinensibus, Lateranensibus, Coelestinis et Valisumbrosanis habentibus monasteria in dicta ejus dioecesi licentiam benedicendi altaria, campanas, ecclesias, calices, patenas et alia, dummodo tamen praedicti abbates habeant a Sede Apostolica facultatem benedicendi et consecrandi.

Die 25. Septembris 1688.

(Anal. J. P. 1865 p. 1300 n. 2365.)

Ordinis Cisterciensis.

S. Rituum Congregatio indulsit P. Abbati sept. Fontium strictioris observantiae ordinis Cisterciensis facultatem benedicendi ad triennium sacram suppellectilem et vasa ecclesiastica, in quibus sancta unctio non adhibeatur, dummodo accedit ordinarii consensus.

Die 15. Julii 1690.

(*Ibid.* p. 1314 n. 2424.)

Pius PP. VI. ad Episcopos Galliorum.

Simplices sacerdotes ut paramenta sacra, tabernacula pro custodia sanctissimi Eucharistiae sacramenti et alia utensilia ad sacrosanctum Missae sacrificium necessaria benedicere, calices et patenas chrysmate a vobis, vel ab alio quocumque catholico antistite gratiam et communionem Sedis apostolicae habente benedicto consecrare possint concedimus.

Die 4. Maji 1791.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 28. Ed. Romae.)

4) A Vicario gener. Vicarii apost.

Vd.: *Vicar. gener. Vicarii apost.*

5) Munditia.

Vd.: *Sacrista* (munus); *Munditia.*

6) Pro asservat. olei infirm.

Vd.: *Visit, olei infirm.*

7) Pretiosa.

(*In Eccles. ffr. Min. S. Francisci. strictior. observ.*)

Vd.: *Supellectilia.*

Santissimus Dominus Noster D. Clemens Papa octavus etc. Facta per Reverendissimos Dominos Reformatores Apostolicos relatione memorialis Fratris Pauli de Clavaro Visitatoris Fratrum Minorum S. Francisci de strictiori Observantia, Reformatorum nuncupatorum, Provinciarum Romae, Tusciae, Marchiae etc. super dubio:

An dicti Reformati possint in eorum Ecclesiis habere organa, paramenta et vasa ecclesiastica pretiosa et excessiva, stante Bulla ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, quae illos obligat ad observationem Regulae S. Francisci juxta declarationes Nicolai tertii et Clementis quinti

Sanctitas Sua declaravit et declarat, quod in Ecclesiis, quas nunc habent et quas imposterum dicti Reformati aedificabunt, in quibus non sunt hujusmodi organa, paramenta et vasa, non possint ea de novo facere nec, etiamsi piorum eleemosynis, donatione vel quovis alio titulo offerrentur seu fierent, illa acceptare, sed teneantur observare Regulam cum declarationibus Nicolai II. et Clementis V. et VII.

In Ecclesiis vero, quas nunc habent, vel imposterum habebunt et acceptabunt, sive Fratrum de Familia sive quavis alia concessione obtinebunt, in quibus essent hujusmodi organa, paramenta et vasa eisdem Ecclesiis applicata, Sanctitas Sua concedit, quod sine scrupulo aliquo et conscientiae onere possint ea tenere et illis uti, donec duraverint.

Dat. die dominico 5. Maii 1602.

(Bull. r. t. III. p. 148. Ed. Luxbg.)

8) Profanus usus.

Adhibere sacra vasa, corporalia, purificatoria et hujusmodi *ad usum profanum*, verb. gr. in communi mensa ad convivium, ad nares purgandas et hujusmodi, est peccatum mortale. Id enim praesefert gravem contemptum et irreverentiam. Unde jure ipso naturali prohibitum est ac etiam jure ecclesiastico in c.: *In sancta* 40., c.: *Vestimenta* 41. dist. 1. de consecrat. et c. 26. 27. 29. 31 et sequ. dist. 23 et docent *Layman* lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 19. vers.: *Dico quarto*, *Quarti* comment. in rubr. miss. p. 2. t. 1. dub. 6. vers.: *Certum est primum*, *Suarez* t. 3. in 3 part. disput. 81 sect. 8. §: Quarto addendum, et alii communiter.

Immo sacra vasa convertens ad usus profanos, si est laicus, excommunicatur, et si sit ecclesiasticus, etiam ab officio deponitur. Concil. Bracharen. 3. cap. 2. et facit ad hoc etiam Concilium, quod dicitur Apostolor. cap. 12 et cap.: *Ad haec* 4. *de religiosis domibus*, Concil. Mediolanens. 1. part. 2. titul. 2. de Ecclesiis.

Vasa sacra convertens ad proprios usus vel alienans officio privatur, infamis fit, excommunicatur et tenetur ad restitutionem, Concil. Toletan. 17. cap. 4.

9) A quibus tangenda?

Vasa sacra scilicet Calix, Patena, Ciborium, Corporale, *dum in iis actu continetur Corpus et Sanguis Christi*, a nemine praeter sacerdotem et Diaconum sine gravi culpa tangi possunt. Colligitur ex cap.: *Non oportet* 26. et cap.: *Non oportet* 38. dist. 23. et docent *Paludanus* in 4. dist. 13 quaest.

1. art. 4, *Suarez* tom. 3. in 3. part. disp. 91. sec. 6, *Laymann* lib. 5. tract. 5 cap. 6. n. 18, *Tambur.* lib. 1, de Sacrific. cap. 2 §. 1., *Quarti* Comment. in Rubric. Missalis p. 2. tit. 1 dub. 6. vers.: *Certum est*; *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 360., *Sporer* tom. 3. part. 2 cap. 6 sect. 2. n. 403 ubi testatur de communi contra Ochagaviam et Gobat negantes id esse mortale.

Vasa sacra vacua extra sacrificium licite possunt tangi ab omnibus clericis, etiam sola prima tonsura initiatis; *Suarez*, *Tamburin.*, *Quarti*, *Sporer* loc. cit. *La Croix* loc. cit. n. 357 et alii apud *Gobat* tract. 3. a n. 323 contra Filliucium et alios id negantes de clericis sola prima tonsura initiatis. Acolythi ministrantes licite etiam in sacrificio tangere possunt vasa sacra vacua per expressam concessionem Martini Papae in cap.: *Non liceat* penult. dist. 23.

Omnes religiosi etiam laici ordinum mendicantium et communicantium in eorum privilegiis ac praesertim deputati ad servitium Missarum, et Sacristiae possunt licite tangere vasa sacra et lavare corporalia ob expressum privilegium concessum Minoribus a Calisto III. et Sixto IV. ut refert *Casarub.* in Compendio privileg. Fratrum minorum et aliorum mendicantium verb.: *Corporalia* num. 1. et 2. verb.: *Ornamenta ecclesiastica* num. 3 et 6.

Laici et feminae etiam moniales absque necessitate vel rationabili causa nuda tangentes vasa sacra peccant venialiter, ut cum Suarez, Coninch., Azorio, Sanchez tradit *Laymann* loc. cit. num 19. et tenet Quarti loc. cit. vers: *Secunda sententia*, *Pasqual.* q. 318. num. 4., *La Croix* loc. cit. num. 558. et de communissima testatur *Sporer* loc. cit. num 405. per text. in can.: *Sacratas* 25. dist. 23. et can.: *In Sancta* 40. dist. 1. de consecr. Immo *Tamburinus* Opusc. de Sacrificio lib. 1. cap. 2. §. 1. n. 7., *Solus* in 4. dist. 13. q. 3. art. 3. ad 3., *Fagundez* Praecepto 1. lib. 3. cap. 21., *Bartholomaeus* ab Angelo Dialogo 5. §. 221 et multi alii recentiores, quos citat Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 43. num. 27., sustinent laicos et feminas tangendo vasa sacra, secluso contemptu, nequidem peccare venialiter, quia canones id prohibentes possunt intelligi de consilio et ob majorem decentiam nec videntur continere praeceptum. Et si ad id accedat aliqua rationabilis causa, nullo modo peccare laicos et feminas tangendo vasa sacra, corporalia et alia hujusmodi tenent etiam Quarti loco citato vers.: *Colligitur quinto*, cum aliis ibi citatis, Layman loc. cit. num. 13., Sanchez loco cit., Henrig. et plurimi alii.

Hinc moniales sacristanae possunt licite tangere calices, corporalia et hujusmodi. In ipsis enim adest rationabilis causa supradicta tangendi, cum ratione sui officii debeant calices, patenas, corporalia et similia praeparare, ministrare, mutare et hujusmodi, quae sine tactu praestare non possunt. *Pasqualig.* de Sacrific. novae Leg. q. 839 n. 9. cum Quintanadven. et Suarez ibi citatis, *E. Cajetanus* de Alexandris in Confessario monialium, c. 11. §. 5. q. 12 et alii passim, docetque praxis. Cum enim moniales gaudeant privilegiis regularium, et laici regulares, praesertim deputati ad servitium Missarum, et sacristae ex privilegio concesso laicis Fratrum Minorum a Calisto III. et Sixto IV., ut dictum est supra, possint tangere vasa sacra, corporalia, et purificatoria lavare, poterunt id etiam moniales sacristanae, cum in ipsis adsit etiam rationabilis ratio.

Civitatis Castelli.

Patres oratorii s. Philippi Nerii supplicarunt concedi licentiam laicis de-

stinatis ad servitium Sacristiae tangendi vasa s.

S. C. remisit ad Ordinarium, qui concedat licentiam pro tempore, quo inservirent. Die 24. Nov. 1635.

(Anal. J. P. 1863 p. 263.)

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. audito voto Emmorum ac Rmorum S. R. C. Cardinalium in audientia habita die 21. Februarii 1851 benigne indulsit, ut *fratres*, qui in Ecclesia muneribus clericorum funguntur, sacras suppellectiles et vasa sacra, in quibus ss. Eucharistiae sacramentum non continetur, ad eorum officium exercendum dumtaxat tangere possint.

(Anal. J. P. 1861 p. 88.)

10) Tractatio a Monial.

Ad dub.: Utrum moniales seu piae feminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria?

Resp Etsi Paulus Maria Quarti in suis commentariis ad rubricas missalis part. II. tit. de praeparatione sect. III. dub. V. doceant posse praesertim sacras virgines sine scrupulo pallas, corporalia et purificatoria extergere, aperte tamen declarat intelligendum id esse post primam lotionem, quod faciendam esse ait a diacono vel a subdiacono ex cap.: *Nemo* 2. de consec. dist. 1.

Pontificale romanum hanc ablutionem ita vult pertinere ad personam in sacris constitutam, ut in ordinatione subdiaconi Pontificem inducit his verbis eum alloquentem: ,,Accepturus, fili dilectissime, officium subdiaconatus sedulo attende, quale ministerium tibi traditur, subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere etc.“ Et merito quidem, namque his linteaminibus ob contactum sacrarum specierum magna debetur reverentia.

Quanta autem reverentia ac religione fieri debeat talis ablutio Concilium Rhemense docet apud Burchardum lib. III., cap. 48: Quando abluitur (Corporale) a sacerdote, diacono vel subdiacono, primo in Ecclesiae loco et vase ad hoc praeparato abluatur, eo quod et dominico Corpore et Sanguine invectum sit.“ Quae ablutio cum a pontificali romano subdiacono, ex officio sui muneris, assignetur, alteri qui saltem in sacris constitutus non sit nisi a summo Pontifice committi non potest. Nescio autem, quid causae sit, ut monialibus seu piis feminis, de quibus in dubio, opus sit corporalia, pallas et purificatoria abluere, cum hoc nec frequenter faciendum sit et non desit certe vel in civitate vel in oppido vel communitate seu sacerdos seu parochus seu capellanus, qui id praestet. Sed haec videat Ordinarius, qui si perspectis particularibus circumstantiis expedire in Domino judicaverit, ut praedictae moniales ac piae feminae abluant corporalia, pallas et purificatoria, opportunum exposcat ap. Sedis indultum. Responderem itaque: Negative et recurrendum ad SSmum pro gratia.

S. C. resp.: Negative.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 352.)

Aretina.

S. Rituum Congregatio facultatem indulsit monialibus S. Clarae montis Sancti Savini dioecesis Aretinae, ut earum sacristanae pro tempore tangere possint vasa et alia supellectilia sacra earumdem sacristiae.

Die 3. Decembris 1672.

(Anal. J. P. 1865. p. 1178. n. 1958.)

Vd.: *Vasa s.* (a quib. tang.)

11) Vendenda non sunt a Judaeis.

Vasa sacra vel alia ecclesiastica *judaeis vendens est in poenitentia relegandus*, et judaei ipsa ementes conveniendi sunt a Judice et ad restitutionem eorum statim compellendi. Gregorius I. lib. 1. Epistol. 66. apud Paravicinum *Polyanthea Sacror. Canonum verb.*: *Vasa n. 8.*

12) Visitatio.

Vd.: *Visit.* (ss. Oleorum., Baptism., Sacristiae etc.) *Stemma gentilit.*; *Ostensorium.*

VELAMINA

(*In expos. SS. Sacramenti quadrag. horarum*)

Vd.: *Expositio SSmi* (velamen etc.) *De Velam. circa altare Expositionis.* Vd.: *Instr. Clem. § VIII.* n. 1. 2.

VELATIO.

1) Imaginum.

Vd.: *Imago* (velatio).

Ad dub. 1.: An tempore Passionis occasione spiritualium exercitiorum in Ecclesia possit discooperiri imago Sanctissimi Crucifixi, ut magis audientium corda conterantur: et insuper an eodem tempore Passionis possint imagines velo ita textitu (vulgo trasparente) cooperiri, ut videri possint?

2.: Caeremoniale Episcoporum lib. 2. c. 20. n. 3. praescribit quod ad primas vesperas Dominicae Passionis omnes cruces et imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per ecclesiam cooperiantur: quid dicendum de imaginibus Beatae Mariae Virginis et Sanctorum?

S. C. resp. ad I.: Non licere et rubricas praescribere ut imagines velentur, ne conspici valeant.

Ad 2: Esse includendas.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 223).

2) Sponsorum.

Ad dub.: An ritus receptus vel alibi explicandi velum super sponsos annumerandus sit inter laudabiles consuetudines a Tridentina synodo adprobatas, vel potius censeatur prohibitus sub nomine Pallii decreto 23. Februarii 1606.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 7. Sept. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 56. p. 199.)

VELUM.

1) Altaris.

Remotio in Sabbato s. ad Gloria.

Ad. dub.: In missa sabbati sancti super altare paratum ad festum debet necne tolerari magnum velamen nigrum Passionis Domini ad hoc ut ludrica permittatur discensio et amotio illius velaminis in primo ictu tintinnabuli ad intonationem hymni *Gloria in excelsis Deo etc.?*

Resp.: In quibusdam almae urbis ecclesiis et praecise in ea s. Apollinaris, in qua per pontificium seminarium romanum et per collegium Pium ad rubricarum regulas sacrae functiones accurate complentur, usus adest tegendi magno velo violaceo sed absque ullo signo aut emblemate Passionis Domini, frons integra majoris altaris festivis ornamentis jam praeparati, ante quod altare eo modo contectum apponitur alterum altare cum cereis cerae communis et pallio violaceo pro functionibus missam solemnem praecedentibus et cum in litaniis perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, recedente celebrante cum ministris pro paramentis albis assumendis detegitur altare majus, quod pallio ac cereis albis iisque accensis splendi-

diori forma exornatum effulget. Huiusmodi usus quamvis non praescribatur a caeremoniali dicente tantum lib. 2. cap. 28. num. 1. „duo pallia ad altare majus applicantur et aptantur, ut cum opus fuerit faciliter removeri cito possit violaceum et remaneat album", ac num. 21.: removentur ab altari et sede episcopi pallia violacea et accenduntur luminaria, „rubricae tamen non opponitur; proinde improbandus non erit. Sed mos apponendi velum magnum nigrum Christi mortem repraesentans, ludrice amovendum ad intonationem hymni angelici, est omnino novus et contrarius caeremonialis rubricae, quae cap. eod. num. 10. haec habet: „cum perventum fuerit ad ℣. *Peccatores* . . . . . eodem tempore per alios ministros removeatur ab altare pallium violaceum et remaneat album et accendantur candelae altaris ita ut haec omnia fiant antequam compleantur litaniae"; quod significat ornandum esse eo tempore altare majus festivo apparatu, quovis lugubri signo prorsus remoto. Et quamvis altaris ipsius imago a primis vesperis sabbati ante dominicam passionis velo violaceo non autem nigro condecta fuerit juxta rubricas, in sabbato sancto ad angelici hymni intonationem discooperienda, tali modo hoc velum erit apponendum, ut facile ac commode amoveri posset, secus haec actio protrahenda esset post totum officium juxta decretum S. Rituum Congregationis diei 20. Novembris 1662 in Patavina, quod esset incongruum. *Abrogandum hinc est praedictum velum et proposito dubio negative respondendum.*

S. C. resp.: *Dilata et rem clarius explicandam.*

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. I. P. 1863. p. 2248.)

2) In Benedictionib. Monial.

Vd.: *Bened. Monial.*

3) In bened. cum reliquia s. Crucis.

Vd.: *Bened. cum reliquia etc.*

Ad dubium: Cujus coloris debeat esse Pluviale et Velum humerale pro benedictione cum reliquia s. crucis? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4815 ad XIV. 2. die 22. Sept. 1837.

4) Calicis.

(Quis deponit etc.?)

Ad dubium: An in Missa privata quando minister non est superpelliceo indutus deceat eum, lecto Offertorio a Celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum Calicis, vel hic ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis, vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere?

S. C. resp.: Servandam consuetudinem.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal J. P. 1857. p. 2200.)

5) Super Candelabra et Crucem.

Ad dub.: An tolerari possit ut tempore missae et officiorum candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permaneant vestita, imo ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori pro cruce altaris pretiosiore sic obtecta?

Resp.: De ornatu altarium ac de candelabris super imponendis pro diversitate dierum et solemnitatum loquitur ipsum Caeremoniale Episcoporum lib. I. in toto capitulo XII. Id profecto exigit decor ille qui domui Domini convenit et qui diligendus a nobis est, ut cum Davide dicamus: *Domine dilexi decorem domus tuae.* Cum hoc autem decore minime con-

venit, ut candelabra et crux, posita alia minori et minus pretiosa, drappo vel tela, ut praefert dubium, objecta remaneant tempore missae atque officiorum, nec quemquam fallat qui obtunditur praetextus, ne scilicet pulvere sordescant, tum quod argumentum nimis ac proptera nihil probaret, tum quia si studendum est ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit et expolita, tam in pavimento quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus etc. ita ut idem Caeremoniale valde opportunum repetet, ubi fieri possit, ut constituatur minister aliquis, cui id curae sit, multo magis et multo facilius candelabrorum nitor et mundities observari poterit, quin tela vel drappo obvolvantur.

Hinc regulae et instructiones, quas in actis Mediolanensis Ecclesiae retulit S. Carolus Borromeus de nitore et munditia sacrae suppellectilis, satis praescribunt qua cautione tractanda sunt candelabra, cruces et thuribula sive argentea sive inaurata sive inargentata sive ex aurichalco; inter quae id statuitur, ut ea, si perpetuo usu adhibeantur, terno quoque die a pulvere et cera, si forte defluxerit, mundentur, si reponenda sint; tunc etiam id fiat; et tractentur adhibito panno vel ferrea summitate capiantur. Quae diligentiae inutiles essent in casu qui proponitur in dubio, cui respondendum esse censeo: „Negative."

S. C. resp.: Negative.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 338.)

6) Celebrantis et Exponentis.

a) Quis removet?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 1. 4.; *Expos. SSmi* (paramenta); *Processio* (param.); *Pluviale* (in expos. etc.); *Pyxis* (Expos.); *Velum* (quo defertur etc.)

Ad dub.: An quando Diaconus portat e tabernaculo SS. Sacram. exponendum, debeat uti velo humerali vel sufficiat illi habere dalmaticam? S. C. resp.: Si tabernaculum est eodem in altari, velo humerali non est opus; si diverso in altari extaret tabernaculum, velum humerale est adhibendum. Die 16. Decbr. 1826. *in Mexicana* ad 2.

b) Quando imponitur?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 12; *Velum, quo defert. SSmum.*

7) Crucis.

Vd.: *Crux* (velaminis color.) *Velum sup. candel.*

8) Crucis in processione funebr.

Quum ad cathedralem ecclesiam A. associandum esset cadaver Canonici theologi, cujus domicilium erat intra fines parochialis ecclesiae S. Petri, cui etsi abbatiali unus tantum addictus est monachus ceu parochus cum assistentia duorum sacerdotum e gremio cleri saecularis, cathedralis ecclesiae clerus intervenit, nimirum curatus cum mansionariis et clericis cum elevata cruce, uti moris est, attamen cum velo. Huic funeri intervenit etiam idem Monachus defuncti parochus cum aliis ecclesiasticis, cum elevata pariter cruce absque velo, quod et in aliis intra annum processionibus etiam interveniente cathedralis capitulo, exequi assolet et supra clerum cathedralis tumulantis praecedentiam sibi vindicavit.

Quod animadvertentes prior et canonici cathedralis ipsius, ut saltem deinceps in similibus quodcumque controversiae germen penitus evellatur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione exhibuerunt, nimirum:

1[0] An in associatione cadaveris ad quamcumque ecclesiam, quae non sit

defuncti paroecia, elevanda sit crux ecclesiae tumulantis, an potius etiam illa ecclesiae parochialis defuncti, quamvis ejus cadaver, ut in casu proposito, asportandum non sit ad ecclesiam parochialem?

2° An in casu quod jus elevandi crucem competat utrique ecclesiae, tumulanti nimirum et parochiali, quaeritur cui competat etiam praecedentia?

3° An in funerum associatione et in processionibus crux cujuscumque paroeciae et regularis familiae debeat semper deferri cum velo in concursu cum cruce cathedralis et praesertim cum cruce capitulari semper deferenda absque ullo velo?

Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, ac singulis de more diligenti examine perpensis in ordinario Coetu ad Vaticanum coadunati, rescribendum censuerunt

Ad 1: Juxta alias decreta elevandam esse unicam ecclesiae tumulantis: collegialiter vero interveniente capitulo cathedralis vel alicujus collegiatae Ecclesiae, tunc unicam crucem capitularem deferendam.

Ad 2. Provisum in praecedenti.

Ad 3. Quoad funerum associationem provisum in primo in reliquis, quoad velum cruci apponendum servetur consuetudo in iis supplicationibus queis non intervenit capitulum sed uti singuli canonici; nam collegialiter interveniente capitulo sub hujus cruce omnes incedere debent, juxta caeremoniale et alias decreta.

Atquae ita rescripsit servarique omnino mandavit.

Die 7. Septembris 1850.

Correspond. de Rome 24. Octb. 1851. n. 80. p. 392.

9) B. Mariae V.

a) Reliquia Veli B. V. M.

Vd.: *Reliqu. guttae etc.*

b) Statuae B. M. V. in S. Lauretana Aede.

Benedictus PP. XIV.

Cum sicut accepimus particulae quaedam tam albi quam nigri Veli, quo s. Statua deiparae Virginis in ejus Aede Lauretana sita pro tempore operitur, quodque statis temporibus eidem admovetur, pio confluentium et peregrinantium studio requiri eisdemque certis quibusdam foliis, quae authentica vocantur, insertae distribui soleant et quidem hujusmodi folia hactenus ab uno ex tribus Presbyteris saecularibus Lauretani Sacelli Custodibus designatis privative quoad alios quoscumque subscribi et obsignari consueverint, Nos superiori Anno 1748 ad preces ex parte dilectorum Filiorum Poenitentiariorum in Ecclesia Lauretana Apostolica auctoritate deputatorum per supplicem Libellum Nobis exhibitas rescripto Nostro sub die XI. mensis Junii ejusdem Anni edito dictis Poenitentiariis pro tempore existentibus, quo faciliori et magis expedita ratione Fidelibus hujusmodi Veli particulas expetentibus per eos satisfieri posset, concessimus et indulsimus et ut ipsi quoque super dictarum particularum identitate authentica documenta hujusmodi propria subscriptione et sigillo munire possent. Quia tamen experientia compertum est, concessionem hujusmodi a Nobis favore Poenitentiariorum omnium illic designatorum generaliter factam novae quaestionis occasionem dedisse aliisque animorum perturbationibus aditum aperuisse, contendentibus etiam nonnullis ecclesiasticis Viris ejusdem Ecclesiae servitio addictis aequam sibi facultatem esse debere,

Idcirco Nos omnes prorsus quaestiones et controversias ab ea praecipue Ecclesia, in qua Aedes servatur, ubi Pacis Author naturam assumpsit humanam, prorsus eliminare cupientes omnibus rei circumstantiis mature pensatis auditis, etiam gravium proborumque Virorum sententiis, non ad alicujus suggestionem aut instantiam sed Nostris motu proprio, certa scientia et potestatis plenitudine praesentium Literarum tenore statuimus atque decernimus: Ut perpetuis futuris temporibus ad solos tres Presbyteros Custodes praefatos privative spectet atque pertineat omnia Vela, quae Statuae Deiparae Virginis diebus ad id designatis admovenda offeruntur, eidem Statuae admovere, ita ut dictorum Custodum opera tantum et non alias Vela hujusmodi in quacumque quantitate fuerint ad ipsius Statuae contactum sint approximanda, eisdemque Custodibus a quacumque persona tam ecclesiastica quam saeculari hujusmodi Vela seu illorum Volumina ad effectum praemissum tradi debeant. Ipsi vero Custodes eadem Vela eorumve Volumina post contactum Statuae juxta morem hactenus servatum, proprio sigillo obsignare et authentica reddere possint ac debeant nec alii cuilibet personae cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis praeter ipsos Custodes liceat in hujusmodi Velis Statuae praefatae admovendis, iisque, ut praefertur, obsignandis se ingerere.

Quum vero ex ipsis majoribus Velis eorumque Voluminibus jam Statuae praedictae, ut praefertur, admotis et obsignatis minores particulae praecidendae et consuetis foliis imaginem Beatae Mariae Virginis repraesentantibus cum solito sigillo aptandae et adnectendae erunt, ut piis Fidelibus et Peregrinis erogentur ac distribuantur, tunc volumus ac etiam statuimus ut folia hujusmodi cum dictis Veli particulis non solum ab aliquo ex tribus Custodibus praefatis, ut moris erat, sed etiam quoad illas Velorum hujusmodi particulas, quae per praedictos Poenitentiarios distribuendae erunt, ab eorundem Poenitentiariorum Collegii Rectore nunc et pro tempore existente dumtaxat, non vero ab alio ex ipsis Poenitentiariis, seu ab alias quacumque Persona cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existat, subscribi possint. Quocirca rescriptum Nostrum sub dicta die XXI. Junii 1748 in favorem omnium Poenitentiariorum ut praefertur factum ad praemissorum effectum moderamur et coarctamus et quatenus opus sit, Apostolicae potestatis plenitudine revocamus, cassamus et abolemus.

Praedicti autem Collegii Rectori nunc et pro tempore existenti ipsarum tenore praesentium distincte injungimus et mandamus, ut caveat, ne dictas Veli particulas sua subscriptione in foliis praefatis facienda communiat, nisi ipse tuto compertum habeat, ipsas Veli particulas praecisas esse ex iis Velis seu Velorum voluminibus, quae a dictis Custodibus Statuae praefatae admota fuere idque ex apposito ipsorum Custodum signo cognoverit, ejus conscientiam super hoc onerantes ac etiam prohibentes ne unquam folia hujusmodi aliud quidquam, praeter consuetam Beatae Mariae Virginis Imaginem receptamque attestationis formulam exclusis aliis quorumcumque Sanctorum Imaginibus aut aliorum verborum inscriptionibus praeseferant, inhibentes quoque praedicto et pro tempore existenti ipsius Collegii Rectori, ne unquam ullaque etiam infirmitatis aut absentiae causa etiam quamcumquae Personam ad ea folia vice sua subscribenda valeat subrogare.

Ad haec, quoniam non sine gravissima animi Nostri molestia accepimus, quosdam perditionis filios olim

non defuisse, qui piam Fidelium devotionem erga Velorum hujusmodi particulas in proprii quaestus occasionem convertentes a confluentibus et peregrinantibus exiguos quosdam nummos in particularum hujusmodi traditione exigere non dubitabant, ne forte detestabile malum hujusmodi quandoque de novo subrepat, opportunum adjicere remedium non omittimus proptereaque simili Motu, scientia et potestatis plenitudine inhaerentes etiam aliis Apostolicis Praedecessorum nostrorum ipsiusque Lauretanae Ecclesiae Synodalibus Constitutionibus, omnibus et singulis tam Sacrae Aedis Custodibus quam dicti Collegii Rectoribus pro tempore existentibus aliisque sive Ecclesiasticis cujuscumque status, gradus et conditionis saecularibus, et cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti etiam Societatis Jesu Regularibus, sive laicis personis quibuscumque earundem praesentium tenore vetamus et interdicimus, ne hujusmodi Velorum et particularum causa quidquam directe vel indirecte, etiam recognitionis, muneris et strenae nomine sive incommodi et laboris obtentu, etiam a sponte dantibus accipere audeant vel praesumant, sed eorum distributionem gratis omnino et pro solo B. Virginis honore et Fidelium spirituali consolatione et munimine fieri praecipimus. Contravenientes autem etiam pro prima vice, si Ecclesiastici fuerint, poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere, si vero Laici, ab ipsius Lauretanae Civitatis et Sanctuarii Gubernatore tamquam Congregationis Lauretanae Delegato, pecuniariis aliisque etiam corporis afflictivis poenis, cum praevio tamen ipsius Congregationis assensu, severissime mulctari et affici volumus atque decernimus.

Constit. Bened. XIV. die 8. Sept. 1749. (Bull. r. t. XVIII. p. 52.)

10. Nigrum.

(Quo tegitur Imago B. V. M. in Parasc.)

Vd.: *Imago B. V. M.* (expos. decr. n. 4153.)

11. Super Ostensorium.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX n. 2—12.

Cur non adhibetur velum in processione SS. Corp. Chr.?

Vd.: *Ibidem* n. 6. 7.

Ad dubium: An in Missa expositionis SSmi Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum velo cooperiendum sit Ostensorium cum SSmo Sacramento postquam Sacerdos celebrans sumpsit Sanguinem, ut sic coopertum seu velatum permaneat super Mensa Altaris ad finem usque Missae? S. R. C. rescribendum censuit:

Negative seu super Mensa remanere debet nullo apposito Velo.

Atque ita rescripsit die 29. Martii 1851. N. 5160. ad 2.

Ad dubium: An liceat Feria V. in Coena Domini in Altari S. Sepulchri apponere Velum album, quod e magna Cruce descendens cooperiat Eucharistiam.?

Emi et Rmi. P... respondendum censuerunt: „Non licere."

N. 4766 ad 1. Die 8. Aug. 1835.

12) Pyxidis SS. Sacramenti.

Cf.: *Cathedra Concionat.* (Velum).

Decere deferri pyxidem, in quo est SS. Viaticum pro infirmis, coopertam etiam extremitatibus veli oblongi humeralis. n. 3504 die 21. Mart. 1699.

Sacerdos debet in benedicendo populo cum s. pyxide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis. n. 4814 ad 5 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Instr. Clem.* §. IV. n. 5.

13) Ante SSmum infra concionem.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXII n. 8, 9. etc. §. XXXVI n. 9 etc.

14) Quo defertur SSmum. (color.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVIII n. 6—11; §. XIX n. 14. *Processio SSmi Regul.* (modus decr. n. 4130); *Benedictio Episcopi cum SS. Sacramento.* (decr. n. 5211 ad 3.) *Velum celebrantis; Expos. SSmi* (param.) *Pyxis* (expos. etc.)

Praeparetur die summo mane (in festo SS. Corp. Chr.) velum sericum album, amplum, auratum seu perpulchre ornatum, ponendum super humeros Episcopi, dum SSmum portabit. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXIII. n. 14.

Velum Celebrantis in expositione SSmi nunquam alius nisi coloris *albi* sit, prout *vela* ciborii quoque necnon bursae et baldachini deferendo SSmo inservientes ex *albi* coloris panno confecto sint oportet. S. R. C. 9. Juli 1678 in *Taggen*; Caer. Ep. l. 1. c. 14, n. 1; Conc. Prag. 23. Sept. 1860 t. 5. c. 8.

S. VENANTIUS M.

(Officium.)

Urbis et Orbis.

SSmus D. N. Clemens Papa X. ad humillimas preces sibi porrectas per Emum D. Cardinalem Alterium nomine prioris et canonicorum S. Venantii martyris protectoris civitatis Camerini benigne inclinatus annuit et mandavit apponi in calendario breviarii romani officium praedicti S. Venantii martyris sub ritu semiduplici de praecepto recitandum die 18. Maii ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tum saecularibus tum regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, cum lectionibus propriis a. S. Rituum Congregatione approbandis. Die 23 Augusti 1670.

Anal. J. P. 1865 p. 1164 n. 1895.

Hymnus proprius vesperarum s. Venantii m. non potest assumi in Matutino et combinari cum hymno ejusdem Matutini ut ex duobus fiat unus. n. 3664 ad 9 die 22. Sept. 1703.

Ad dubium: Si contingant Festa sancti Venantii die XVIII. Maji et sanctae Julianae Falconieri die XIX. Junii ita transferri, ut habeant secundas Vesperas integras, an hymnus proprius primarum Vesperarum repetendus est in secundis Vesperis? S. C. resp.: „Affirmative."

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 8.

VENERABILIS FRATER.

(Titulus Episcopi a Pontifice nominandi.)

Vd.: *Sacerd.* (ordinatus a Pontifice etc. §. 19 t. III pars I. p. 471.

VENERATIO

1) Beatorum, qui sunt ex populorum universali consensu.

Vd.: *Sancti; Canonisatio.*

Quomodo procedendum sit ab Ordinariis in confirmando vel denegando religioso cultu iis, quibus fuit aliquando ab universali consensione populorus praestitus, Syracusano Episcoqo designat nec non casus in quibus Romanae Sedis judicium est requirendum.

Venerabili Fratri Josepho Antonio Episcopo Syracusano.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Efflagitari scribis ab Optimatibus Cleri et populi Syracusani restitutionem cultus jampridem exhibiti Friderico Campisano, qui isthic jam inde ab anno millesimo trecentesimo

vigesimo quinto, cum mortalitatem explevit, ab omnibus Beati nomine appellatus et in Beatorum numero est habitus. Quod universi Syracusani populi judicium plura, quae in epistola tua congeris, probare videntur non levia argumenta. Campanas enim narras sua sponte edito sonitu Urbem omnem de ejus obitu monuisse; quo miraculo excitatum Episcopum cum universo populo illuc propere profectum, ubi Fridericus extremum diem obierat, sacrum corpus veneratum esse et Syracusas solemni pompa translatum in Arca marmorea prope portam Majoris Templi collocasse: supra sepulchrum appositam ipsius Friderici Imaginem, faculas accensas, et hinc et hinc votivas tabellas circumjectas; esse qui in suis scriptis post duo saeculo illi nomen Divi tribuerit et adhuc aetate sua hunc cultum viguisse duo testari e Societate Jesu scriptores: baculum ejusdem Friderici cum caeteris Sanctorum reliquiis in Sacrario Syracusani Collegii Societatis Jesu asservari et in quadam tabula, quae in veteri Syracusarum extra maenia Majori Templo divi Joannis asservabatur, inter alia Sanctorum omnium Syracusanorum nomina, etiam B. Friderici nomen esse repertum.

§. 2. Cultum vero non interdictum aut vetitum sed aut vetustate absolevisse aut esse intermissum, quod Friderici corpus satis inconsulte cum aliis corporibus mixtum per occasionem Ecclesiae instaurandae in Beatae Virginis Sacellum translatum fuerit. De his vero omnibus, et si quae sint alia, quae diligenter in Epistola tua persequutus es, ordinaria auctoritate juridicas probationes in acta publica redigat Fraternitas tua processumque constituat. Eo conjicias oportet legitimam et judicialem Imaginis Friderici recognitionem, vetustatem etiam Inscriptionum rite examinandam, praeterea testium aetate seniorum dicta juridice sumta; tum Auctorum, qui de Friderico memoriae prodiderunt, omnia, quae in literis tuis profers, testimonia: et si quidem ex his actis colligas, cultum Friderico fuisse exhibitum centum annis ante decreta praedecessoris Nostri felicis recordationis Urbani VIII., tum poteris illi cultum restituere.

§. 3. In quo examine omnibus adhibenda est diligentia, ne alterutrum contingat vel ut Beato cultus aboleatur, quem juxta decreta memorati praedecessoris Nostri Urbani sublatum non oporteret, vel cultus retineatur, qui fortasse tollendus esset quod non haberet vetustatem centum annorum a die, quo illa decreta sunt edita, retro computandorum. Quia vero, qui sapiens est, audit consilia, rem omnem antequam quidquam decernas cum Theologis virisque harum rerum intelligentibus communicabis. Quidquid autem egeris, id ordinaria tua facias auctoritate. Cum enim agitur de conservando cultu erga Dei Servos, quem obtinuerint vel ex Apostolicis indultis vel ab immemorabili tempore, Ordinarium solum est onus examinare, sintne vere in aliquo ex casibus a memorato praedecessore Nostro Urbano exceptis; et si viderint cultum eis exhiberi et casum esse inter exceptis, cultum abolere non debent; atque etiam servatis servandis, praesertim vero forma a Concilio Tridentino praescripta Sess. XXV. de Invocatione, Veneratione et Reliquiis Sanctorum, poterunt ferre sententiam, quae in his casibus Apostolica confirmatione non indiget. Caeterum Apostolicae authoritati Nostrae tantummodo tunc esset in hac re locus, cum causae de casu excepto afferendae ad Apostolicam Sedem consueta via iniretur et ratio: tibique Venerabilis Frater, benevolentiae erga te Nostrae pignus Apostolicam benedic-

tionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 16. Augusti 1763.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 394 Ed. Romae.)

2) Signa exteriora.

Vd.: *Ritus graec.* (constit. Bened. XIV. *Quo primum.* etc. §. 33 et 38 etc.)

VENI CREATOR SPIRIT.

1) Conclusio.

Ad dubium: An in primo anni die Hymnus: *Veni Creator,* qui cantatur in Ecclesiis ad invocandum Sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusione: *Jesu tibi sit gloria*: ratione Octavae Nativitatis Domini, vel ista: *Deo Patri . . . . ejusque soli Filio . . . .?* S. C. resp.:

„Concludendus cum Stropha *Deo Patri . . . . ejusque soli . . . .*“ n. 4681 ad 2 die 7. Apr. 1832.

(Vd.: *Veni Creator* — mutatio.)

2) Genuflexio.

Omnes debent genuflectere in recitando Officio in choro ad verba: *Veni Creator Sp.* n. 2345 ad 14 die 31. (Julii) 1665.

Ad dubium: An in hymno: *Veni Creator etc.* genuflectere intelligatur de tota Stropha, scilicet usque ad aliam respective: *Qui diceris etc.* S. C. resp.: Ad integram Stropham. n. 2805 ad 7 die 14 Novb. 1676.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 11.

Si fuerint hymni: *Veni Creator* etc. aut: *Ave maris* etc., dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt et statim ipse quoque Episcopus in suo genuflexorio ante altare, si adest, genuflectit, sin minus, in sua ipsa sede super aliquo pulvino permanens in genuflexione usque ad finem primi versus; quo finito surgit surgentibus omnibus et stat, quousque perficiatur Hymnus cum versiculo et Responsorio. *Caer. Ep.* l. II. c. I. n. 12.

3) Habitus Intonantis ext. funct. sacras.

Precibus Parochorum loci vulgo Monte Granaro Archidioecesis Firmanae requirentium: an in extractione dotalium subsidiorum pro pauperibus puellis, quae ex dispositione testamentaria locum obtinet die XXV. Julii cujusque anni in parochiali Ecclesia, a qua dicta occasione amovetur SSmum Eucharistiae Sacramentum, Hymnus *Veni Creator Spiritus* a Testatore praescriptus intonandus sit a Parocho Cotta et Stola induto? S. C. respondit: „Dicatur a Praeside, ut in Congregationibus sine habitu sacro.“ n. 4862. Die 3. Aug. 1839.

4) Indulgentiae.

Qui recitat hymnum: Veni Creator etc. non juxta correctionem metri sed juxta pristinum metrum, lucraturne Indulgentias? Doxologiae (hymni Veni Creator etc.) variatio intra tempus paschale et extra de essentia estne operis ad lucrandas indulgentias? In Galliis hymn.: Veni Creator etc. doxol. ab auctoritate episcopali proposita, qui praedictum hymnum recitant cum ista doxologia valentne suas illius facere Indulgentias?

S. C. resp. Negative in omnibus. Die 26. Julii 1855.

(Anal. J. P. 1857 p. 2860.)

5) Mutatio.

Ad dubium: Ultima stropha hymni: *Veni Creator Sp.* estne varianda quando dicitur extra tempus paschale et Pentecosten? S. C. resp.: Juxta alias decreta varianda pro temporum diversitate. n. 4859 ad 11 die 3. Aug. 1839. Confirmat. est die 7. Sept. 1850.

Addubium: Quaeritur quo modo concludi debeat extra tempus paschale Hymnus: *Veni Creator Spiritus?* S. C. resp.

„Dicenda Stropha: *Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio:*"

Atque ita respondit, declaravit ac in posterum servari mandavit die 28. Julii 1832. n. 4694 ad 4.

(Vd.: *Veni Creator* — conclusio.)

Ad dubium: An in precibus pro eligendo novo Episcopo in Ecclesia Cathedrali recitandis dicto Hymno: *Veni Creator Spiritus* in v.: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur*, dicendum sit: *creabitur* loco: *creabuntur*?

Et S. Eadem C... respondendum censuit: „Nihil omnino variandum vel immutandum."

Et ita rescripsit. N. 5177. ad 2. Die 25. Sept. 1852.

Ad dub.: An infra octavas Beatae Mariae Virginis hymnus: *Veni Creator Spiritus* concludi debat: — Jesu tibi sit gloria, vel: Deo Patri sit gloria?

S. C. resp.: Detur decretum in una Piscien. diei 3. Augusti 1839 ad dub. XI. Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 223.)

VENITE ADOREMUS etc.

(*Genufl.*)

Omnes debent genuflectere in recitando Officio in choro ad verba: *Venite adoremus — Deum.* n. 2345. ad 14. die 31. (Julii) 1665.

Ad dubium: An ad verba Invitatorii: *Venite adoremus et procid. ante deum,* ad verba: *Et incarnatus est,* et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem, dum ea proferuntur actualiter vel post finitum versum ...? S. C. resp. Serventur rubricae Missalis, Brev. et Caerem. Ep. sic tamen ut quando mora genuflexionis est *brevis* haec fiat dum verba, quae cantantur, genuflexionem exquirant. Quando autem mora est *longa,* ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur *sub finem* verborum. n.4072 ad 5. die 8.Mart. 1738.

Cum cantatur *venite adoremus et procidamus ante Deum* ipse Episcopus et omnes de choro ac alii ministri genuflectant. Deinde surgunt et stant donec finiatur hymnus. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 2.

Cum cantatur: *Venite ador. et proc. ante deum* tam ipsi contores et celebrans quam alii omnes genuflectant, postea surgunt et prosequuntur: *Ploremus cor. Domino etc. Caer. Ep.* l. II. c. 6. n. 8.

VENITE EXULTEMUS.

In fine psalmi *Venite exult.* tempore Passionis esse ommittendum *Gloria Patri* et repetendum Invitator. integrum: *Hodie si vocem — corda vestra.* n. 2506 ad 3 die 21. Junii 1670.

VERBUM CARO F. EST.

(*Genufl. Episcopi.*)

Episcopus celebrans tertiam missam Nativit. in Pontificalibus debet genuflectere ad: *Verbum caro factum est,* dum *Diaconus Evangelium canit.* n. 3786 ad. 5 die 28. April 1708.

Cf.: *Incarnatus est.*

De Genuflexione in missa cor. SSmo exp. ad Verba: Et Verbum etc. Vd.: *Instr. Cl.* §. XXX n. 19. 30.

S. VERONICA JULIANA.

Urbis et Status ecclesiastici.

Porrectis SSmo. D. N. Gregorio Pa-

pae XVI. enixis precibus nonnullorum Emmorum S. R. E. Card., praesertim Emmi et Rmi D. Card. Augustini De Rivarola totius Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum Protectoris nec non aliquorum ex Rmis Archiep. et Episc. Romae degentibus, una cum humillimis supplicationibus R. S. Fr. Eugenii e Rumilly recensiti Ord. Ministri Gen. pro extensione Officii et Missae in hon. S. Veronicae Juliani, quae dum viveret inter Sanctimoniales Ord. Capuc. accensita fuit, cujusque cultus, peractis potissimum superiori anno Solemniis Canonizationis, ubique in dies magis magisque nova suscipit incrementa, S. S., attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, referente me subscripto Secretario, pro petita extensione annuit concessitque ut a Clero Urbis et Status ecclesiastici tum saeculari tum regulari utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur, inposterum VII. Id. Jul. eaque die impedita prima post eumdem non impedita juxta Rubricas sub. ritu dupl. min. recitetur Officium et Missa respective celebretur cum Oratione et Lectionibus II. Noct. jam per S. R. C. adprobatis in hon. praedictae S. Veronicae Juliani Virg. et Sanctimonialis Ord. Min. Capuc. servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 4893. Die 19. Jun. 1840.

VERSICULI.

1) A quo cantandi?

Versiculi *semper* a duobus sunt decantandi tam in duplici quam in semiduplici Officio quam etiam in commemorationibus. n. 351. ad 18. die 19. Maii 1607. Vd.: *Mansionarii*. Missonarii seu Praebendarii Ecclesiae Castri Arpini induti Pluviali, dum ab Archipresbytero canuntur Vesperae solemnes, tenentur canere *Versiculos et Benedicamus Dom.* juxta Caeremon. n. 2631 die 6. Maii 1673.

Ad. dub.: An in distributionibus versiculorum et sequentiarum sit servandus ordo canonicorum vet praedicta possit assignari Canonicis in cantu magis instructis? S. C. resp: In distribut. antiphonar. et reliquarum omnium, quae cantari debent a Canonicis, semper servandum esse ordinem antianitatis non attenta majori habilitate et experientia modulandi.

Die 7. Sept. 1658. n. 1928.

Quomodo cantentur? Vd.: *Organ. in Matut. etc.*

2) In Officio def.

Vd.: *Off. def.* (mutatio.)

3) Quando plures orationes ante Bened. cum SSmo cantandae sunt?

Vd.: *Orationes ad bened. cum SSmo* (decr. de die 7. Sept. 1850.)

Ad dub. 1: An liceat in consuetis Sanctissimi Sacramenti Benedictionibus ex ordinarii dispositione addere varias preces ex. gr. in honorem Beatae Mariae Virginis, sanctorum etc.?

2: Quo ordine variae illae preces additae cantandae ante vel post *Tantum ergo?* Si plures versus, responsoria et orationes dici debent, suntne singula propriis locis reponenda vel simul omnia jungenda? Quaenam tunc orationis ultimae conclusio brevis an longa?

S. C. resp. ad 1: Licere collectas addere post orationem SSmi Sacramenti.

Ad 2: Collectas tantum sine versiculis et responsoriis ordinandas ut ad proximum simul jungendas cum oratione brevi.

Die 7. Septbr. 1850.

Correspond. de Rome Ed. II. 24. Febr. 1851 n 56. p. 200 n. 18 et 19.

VERSUS.

1) Mutatio.

Ad dub.: In officiis ss. Confessorum

pontif. et non pontif. perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus debet necne mutari 3. versus hymni matutinalis?

S. C. resp.: Dentur decreta.

Die 7. Sept. 1861.

2) Unde sumendi pro plur. commemor?

Ad dubium: An quando antiphonae et versus in resp. varientur pro commemor. alicujus simplicis facienda, prius accipiendus sit versus ex Vesp. quam ex Laudib. si diversi sunt, an vero recurrendum prius ad antiphonam et vers. Laudum quam ad Antiph. et vers. 2. vesperarum? S. C. resp.: *Ad Vesp.*: Primo accipienda est Antiphona cum versu Laudum; si vero plures sint commemor. simplicium, tunc secunda commemor. sumatur ex 2. Vesp. cum versu 2. noct., tertia vero commemor. fiet desumendo Antiphonam primam ex 3. n. cum versu ejusdem nocturni; *ad Laudes*: Prima commemoratio cum versu erit propria ex 1. Vesp.; secunda commemor. fiet cum Antiph. tertia et versu assignatis jam in 1. Vesp.; tertia autem commemor. fiet desumendo Antiphonam et versum dictos 2. loco in 1. Vesp., nempe Antiphonam 2. Vesperarum et versum 2. nocturni. n. 4044 ad titul. XXIV. dub 4. die 5. Maii 1736.

Vd.: *Antiphona* (pro commemor.)

3) Tertius in hymno „Iste confessor.“

Vd.: *Meruit Beat.*; *Vesperae* (hymnus in festo s. Confess.)

Ad dub.: In Officiis Sanctorum Confessorum Pontificum perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus debet necne mutari tertius versus hymni matutinalis?

In Rubrica Breviarii inserta hymno *Iste confessor* etc. indicatur eo casu solummodo mutandum esse tertium versum, cum festum sancti Confessoris sive Pontificis, de quo recitatur officium, non incidit in obitus diem. Hujus Rubricae Sacra Rituum Congregatio in duobus decretis jam declaravit regulam hujusmodi apprime esse servandam. Ita in una sub die 13. Junii 1682 Ordinis Minorum S. Francisci statuit in casu translationis a die obitus ad diem immediate sequentem tam in reliquo officio retineri versum *Meruit beatas* etc. quia officium ipsa obitus die inceptum ita adnectitur sequenti diei ut veluti ejusdem diei obitus prosecutio habenda sit; in altero vero sub die 11. Junii 1701 in una tertii Ordinis S. Francisci edixit: mutandum esse tertium versum si assignata sit dies fixa, quae non est dies obitus, licet officium fiat de die obitus. Quapropter cum in allato dubio illud ipsum requiritur, quod in supradictis decretis statutum fuit, huic respondendum: *Serventur decreta.*

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863. p. 2243.)

VESPERAE

1) SS. Angelorum.

In catholici regis regnis dies 24. Oct. assignatus est pro Officio s. arch. Raphaelis sub ritu dupl. min. et die 25. Oct. assignatum et Officium SS. Gavini, Prothi et Januarii ejusdem ritus. Quid faciendum in vesperis? S. C. resp.: Vesperae celebrande sunt de praec. festo s. Raph. cum comm. de seq. juxta rubr. XI. de concurrentia n. 2. prope finem. n. 3172 ad 4 die 25. Sept. 1688. *Vesperae dimid.* (decr. n. 2988; 3005.)

2) Antiphonae.

Vd.: *Martyr.* (ant.); *Antiphonae.*

3) SS. Apostolorum.

Occurrentes cum Dedicatione Ecclesiae, Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (vesp. etc. decr. n. 4126 ad 1; n. 4157 etc.)

4) Celebrans Canonicus et Dignit.

(Obligatio.)

Cusentina.

Cum alias dignitates et canonici ecclesiae Cusentinae sentientes se gravatos ab eorum Archiepiscopo ad celebrandum secundas vesperas in quibusdam solemnitatibus et Dominicis per annum, quas Archiepiscopus juxta formam libri Caeremonialis per eosdem dignitates et canonicos, qui primas vesperas cantaverant celebrari jusserat, licet ex antiqua dictae ecclesiae consuetudine dictae secundae vesperae non per eosdem dignitates et canonicos, qui primos cantaverant et per sui cantorem vel hebdomadarium celebrari consueverint, petentes non gravari ultra solitam et immemorabilem dictae ecclesiae consuetudinem, quam probare intendebant. Et eadem sacra Rituum Congregatio negotium remisit ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Perettem coram quo pro parte canonicorum processum de mandato ejusdem Sacrae Congregationis ab Episcopo Marturano confectum praesentaverunt, ex quo praetendebant satis fuisse probatam immemorabilem consuetudinem non consuevisse secundas vesperas cantari ab eisdem dignitatibus et canonicis, qui primas cantaverant, et cum idem Illmmus D. Cardinalis Perettes in congregatione facta sub die 27. Julii 1609 retulisset constare licet non plene de praetensa consuetudine ex dicto processu et propterea quia liber Caeremonialis non tollit consuetudinem immemorabilem, Congregatio judicavit tunc non esse dictos canonicos ultra eorum consuetudinem cogendos ad secundas vesperas celebrandum. Quia tamen in praemissis non fuerat archiepiscopus auditus, ad ipsius instantiam posse Congregatio mandavit supersederi in relatione dicti decreti ad favorem canonicorum, donec maturius auditis rationibus et juribus Episcopi quid statuendum esset decerneretur. Et cum ad instantiam ejusdem archiepiscopi ab eadem Congregatione commissum fuerit examen eidem Episcopo Marturano et causa ob absentiam ab Urbe Illmmi D. Cardinalis Penetti commissa fuerit Illmmo D. Cardinali Gapporio, coram quo praesentaret Archiepiscopus processum praedictum formatum ad sui favorem una cum alio processu jam ab eodem episcopo Marturano ad favorem canonicorum confecto, tandem auditis partibus pluries eorumque procuratoribus et advocatis in voce et in scriptis tam in facto quam in jure, idem Illmmus et Rmus D. Cardinalis Gapporius merita causae in plena congregatione retulit. Et eadem Sacra Rituum Congregatio audita dicti Illmmi et Rmmi D. Cardinalis Gapporii relatione censuit et declaravit praetensam et allegatam consuetudinem a canonicis non fuisse probatam, et ideo teneri juxta decretum concilii provincialis et ipsius archiepiscopi atque juxta formam libri Caeremonialis ad celebrandum et canendum etiam secundas vesperas in illis solemnitatibus et dominicis per annum prout archiepiscopus ordinavit. Et ita censuit et declaravit ac in civitate et ecclesia Cusentina servari mandavit quibuscumque non obstantibus.

Die 20. Nov. 1610.

(Anal. J. P. Ser. VII. p. 111. n. 370. Ed. Romae 1864.)

5) Commemoratio.

Vd.: *Commemor. in vesp.*

6) Defunctorum.

Vd.: *Off defunct.*

7) Dignitas celebrans absente Episcopo.

Cf.: *Dignitas; Usus Pontifical.;* Solemnit. *pontif. Vesp.* (celebrans.)

Absente vel impedito Episcopo te-

netur prima Dignitas celebrare primas et secundas Vesperas. n. 1044 die 21. Junii 1636; n. 2513 die 13. Sept. 1670.

Ad primam Dignitatem pertinere Vesperas cantare in illis diebus et solemnitatibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, id faceret. n. 363 die 17. Nov. 1607.

Officia divina etc. et alias similes functiones, quas faceret Archiepiscopus, si praesens esset, eo absente vel impedito ad Dignitates et Canonicos Cathedr. *successive et non alternatim pertinere*. n. 2520 die 29. Nov. 1670. Omnes functiones et jus praecipue cantandi missas et vesperas in solemnioribus impedito Episcopo spectare et Archidiaconum uti primam Dignitatem Andrien. n. 2527 die 28. Febr. 1671.

Functiones majores ad Episcopum spectantes ipso absente vel impedito spectare ad primam Dignitatem Cathedr. et non ad alias Dignitates et Canonicos in hebdomada eis assignata. n. 2997 die 26. Sept. 1682.

Vesperas celebrare absente vel impedito Archiepiscopo ad primam Dignitetam et ea impedita ad secundam et successive ad tertiam vel quartam et omnibus Dignitatibus absentibus et impeditis ad primum vel secundum Canonicum pertinere. n. 366 die 19. Jan. 1608; n. 739 die 27. Mart. 1628.

Functiones solemnes pro Episcopo absente vel impedito non ad alium quam ad digniorem de Capitulo spectare et pertinere ordine successivo. n. 1185 die 19. Novbr. 1639; n. 1226. die 28. Apr. 1640; n. 1276 die 6. Oct. 1640.

Non posse Archipresbyterum uti primam Dignitatem functiones solemnes alteri delegare, sed illas spectare ad digniorem ordine successivo. n. 1253. die 21. Aug. 1640.

Absente vel impedito Episcopo Vesperas primas solemnes non spectare ad Hebdomadarium sed ad digniorem, qui in crastinum est solemniter celebraturus. n. 1262 die 15. Sept. 1640.

Non licet Ordinario solemnes functiones, quae spectant ad digniorem de Capitulo, per aliquem ex Canonicis ipsi benevisum peragi facere. n. 1356. die 11. Nov. 1641.

Functiones solemnes absente vel impedito Episcopo ad digniorem de Capitulo, quocunque nomine nuncupetur, pertinere, *dummodo sit in Sacerdotio constitutus*. n. 1414 die 13. Sept. 1642.

Absente Episcopo pertinere ad primam Dignitatem praesentem Vesperas etc. cantare, dummodo sit in sacris Ordinibus constituta. n. 1448 ad 1 die 16. Maii 1643.

Vesperas pontificales cantare absente vel impedito Episcopo ad primam Dignitatem spectare. n. 1480 die 22. Nov. 1643.

Functiones solemnes, Missas et Vesperas cantare, impedita prima Dignitate (excomunicata) obeundas esse per Dignitatem sequentem non autem delegandas a Vicario. n. 1546. ad 1 et 2. die 7. Oct. 1645.

Vicario uti Vicario nullum competere jus supplendi vices Episcopi in cantu missarum solemnium aliorumque Divinorum. n. 1979 die 29. Mart. 1659.

8) Dignitatis Assistentia.

Archipresbyter (prima dignitas) celebrans vesperas sol. in Metrop. Nazarena absente vel imped. Archiepiscopo uti potest assistentia sex presbyterorum pluvialibus paratorum. (Caer. Ep. l. 1. c. 3.) n. 3507 ad 1 die 21. Febr. 1699; n. 3579 ad 1 die 26. Apr. 1701.

9) Dignitatum et Canonicorum.

I. Ministri.

Canonico *Vesperas* cum pluviali celebrante et Officium faciente *Presbyteros* non tamen Canonicos cum pluvialibus assistere debere juxta Caeremoniale. (Lib. II. c. III.) n. 901. ad 2 die 8. Mart. 1631.

Vd: *Diac. et Subd. Canonicorum*; *Dignit. celebr.*

Convenire, ut Canonicus, qui Missam celebrarit, faciat etiam Officium Vesperarum in dominicis et ordinationem Episcopi circa hoc omnino servandam esse non osbtante quacunque contraria consuetudine. n. 189 die 25. Jan. 1603.

Decreta emanata (de servitio Canonicorum pro Diacono et Subdiacono) non habere locum in Vesperis et Matutinis, quia in ipsis non adhibetur neque Diaconus neque Subdiaconus. n. 907 ad 2, die 22. Mart. 1631.

In Vesperis Dignitatum et Canonicorum non Canonicos sed alios inferiores cum pluvialibus inservire debere. n. 955 die 30. Apr. 1632; n. 2124 die 23. Julii 1661; n. 2890 ad 1 die 17. Junii 1679.

Canonicis Officium facientibus ad Vesperas non Canonicos cum pluvialibus assistere debere sed alios Sacerdotes inferiores *de gremio capituli.* n. 1113. die 22. Jan. 1639.

Non tenere Canonicos ad assistentiam Vesperarum cum Pluvialibus. n. 2486 ad 3 die 20. Julii 1669.

Canonicos non teneri ad assistentiam Vesperarum cum Pluvialibus, ad id compelli posse duos Capellanos de praesenti in Ecclesia existentes. n. 2493 die 31. Aug. 1669.

Ad dubium: An Decano cathedr. Tropien. cantanti Vesperas solemnes debeatur assistentia sex Presbyterorum antiquiorum et Pluviale distinctum et pretiosius eo, quo utuntur praedicti Canonici et Dignitates, privative quoad dictos Canonicos et Dignitates solemniter pariter dictas Vesperas cantantes, in casu etc.? Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Negative."

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3884 ad 3. Die 21. Martii 1716.

In diebus solemniorib. Celebrans in vesperis tantum potest uti quatuor Capellanis pluvialibus indutis. n. 3934 ad 2. die 19. Aug. 1719.

Cf.: *Officium.* (Recitat. tempus, decr. diei 7. Sept. 1861.)

Brundusina.

Sacra Rituum Congregatio juxta alterius resoluta dignitatibus petentibus responderi quid servandum, quando vesperae celebrantur per aliquem ex dignitatibus seu canonicum, circa assistentiam, prout etiam quando solemniter praedictae dignitates seu canonici missas celebrant, respondit in celebratione missae solemnis inservire debere pro diacono et subdiacono canonicos, et non alios inferiores; officium vero facientibus ad vesperas non canonicos cum pluvialibus assistere debere sed alios sacerdotes inferiores de gremio capituli. Die 22. Jan. 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 270. n. 1240.)

II. A quibus celebrandae in solemnit. in Cathedralibus?

Cusentina.

Cum alias dignitates et canonici ecclesiae Cusentinae sentientes se gravatos ab eorum archiepiscopo ad celebrandum secundas vesperas in quibusdam solemnitatibus et Dominicis per annum, quas archiepiscopus juxta formam libri Caeremonialis per eosdem dignitates et canonicos, qui primas cantaverant, celebrari jusserat, licet ex

antiqua dictae ecclesiae consuetudine dictae secundae vesperae non per eosdem dignitates et canonicos, qui primas cantaverant, sed per succentorem vel hebdomadarium celebrari consueverint, petentes non gravari ultra solitam et immemorabilem dictae ecclesiae consuetudinem, quam probare intendebant. Et eadem Sacra Rituum Congregatio negotium remisit ad Illmum et Rmum D. Cardinalem Perettum, coram quo pro parte canonicorum processum de mandato ejusdem Sacrae Congregationis ab Episcopo Marturano confectum praesentaverunt, ex quo praetendebant satis fuisse probatam immemorabilem consuetudinem non consuevisse secundas vesperas cantari ab eisdem dignitatibus et canonicis, qui primas cantaverant, et idem Illmus D. Cardinalis Perettus in congregatione facta sub die 27. Julii 1609 retulit constare licet non plene de praetensa consuetudine ex dicto processu et proptera, quia liber Caeremonialis non tollit consuetudinem immemorabilem, Congregatio judicavit tunc, non esse dictos canonicos ultra eorum consuetudinem cogendos ad secundas vesperas celebrandum. Quia tamen in praemissis non fuerat archiepiscopus auditus, ad ipsius instantiam postea Congregatio mandavit supersederi in relatione dicti decreti ad favorem canonicorum, donec maturius auditis rationibus et juribus archiepiscopi, quid statuendum esset decerneretur. Et cum ad instantiam ejusdem archiepiscopi ab eadem Congregatione commissum fuerit examen eidem episcopo Marturano et causa ob absentiam ab Urbe Illmi D. Cardinalis Peretti comissa fuerit Illmo D. Cardinali Capponio, coram quo praesentavit archiepiscopus processum praedictum formatum ad sui favorem unacum alio processu jam ab eodem Episcopo Marturano ad favorem canonicorum confecto, tandem auditis partibus pluries eorumque procuratoribus et advocatis in voce et in scriptis tam in facto quam in jure idem Illmus et Rmus D. Cardinalis Capponius merita causae in plena Congregatione retulit.

Et eadem Sacra Rituum Congregatio, audita dicti Illmi et Rmi D. Cardinalis Capponii relatione censuit et declaravit praetensam et allegatam consuetudinem a canonicis non fuisse probatam et ideo teneri juxta decretum concilii provincialis et ipsius archiepiscopi atque juxta formam libri Caeremonialis ad celebrandum et cantandum etiam secundas vesperas in illis solemnitatibus et dominicis per annum prout archiepiscopus ordinavit. Et ita censuit et declaravit ac in civitate et ecclesia Cusentina servari mandavit quibuscumque non obstantibus. Die 20. Novembris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 111. n. 370.)

10) Dimidiatae.

Vd.: *Dies octavae; Dies octava; Dedicatio Eccles.* (Vesp.) *Vesp. de B. V. M.; SS. Trinit.* (vesp.); *S. Angel. custos; Octava corp. Chr.; Vesperae.* (regul.); *Dedicat. Eccles. Cath.* (vesp.) *Dedicatio Basil. Later.* (vesp. decr 4594.); *Vesp. de SS. Angelis; Concurentia; SS. Sacram.* (Off. fer. decr. n. 4191.) *Nativit. Dom.* (vigil.)

Si concedatur recitare die 2. Oct. de ss. Angelis custodibus et die 3. de translatione s. Clarae, vesperae a capitulo de sequenti cum commemorat. praecedentis recitandae sunt. n. 2988 ad 2 die 13. Junii 1682.

Secundae Vesperae de die octava non privileg. concurrentes cum I. vesp. festi dupl. debent dimidiari et fieri a capitulo de festo sequenti. S. R. C. 12. Julii 1664.

Quando 2. vesp de ss. Angelis custod. (Off. dupl. min.) concurrunt cum 1. vesp. alicujus dupl. min. per annum,

in 2. Vesp. ss. Angel. a cap. facienda de sequ. dupl. min. n. 3005 ad 5 die 28. Dec. 1682.

In occurrentia festorum s. Antonii Patavini c. et s. Blasii Ep. c., qui in civ. Panormitana ex indulto sub dupl. maj. celebrantur, vesperas esse dimidiandas et faciendum esse a cap. de seq. cum com. de praeced. n. 3057 ad 1. die 17. Junii 1684.

Ad dubium: an occurrente sancto Patrono antiquiori civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, integrae vesperae debeantur antiquiori cum sola com. recentioris?

S. C. resp. Nullam habendam esse rationem de potioritate Patronatus. n. 3057 ad 2 die 17. Junii 1684.

Contingit quandoque in civitate et Dioecesi Tridentina, quod 2. vesp. s. Simonis Innocentis et Martyr. Trident. occurrant cum. I. vesp. s. Adalberti Ep. et Mart. Tridentini et de utroque fit Officium per annum sub ritu dupl. maj., quid agendum in vesperis? S. C. resp.: Ubi *solemni pompa* celebratur festum s. Simonis, vesperae de eo debent esse integrae, alibi vero debent dimidiari. n. 3122 ad 1. die 20. Julii 1686.

In occurrentia festorum fieri debet de digniori. Accidit in Hispania quod in eadem 9. Aug. concurrunt 2. vesp. ss. mm. Justi et Pastoris sub ritu dupl. II. cl. et primae vesp. s. Laurentii m. ejusd. cl. Cumque inter martyres non appareat, quo pacto major vel minor dignitas possit considerari, licet major sit solemnitas s. Laurentii quam ss. Justi etc., pro quibus non fit vigilia neque octava, festum est de praecepto, prout observetur pro Laurentio. Quid agendum in Vesperis? S. C. resp.: In casu habendam esse nullam praeferentiam sed Vesperas fore dimidiandas ad Capitulum juxta rubr. XI. n. 2. in principio. n. 3173. die 25. Sept. 1688.

In I. vesp. communibus diei octavae et dominicae privil. Vesperae debent recitari cum psal. Sabbati et a capit. de dominica privileg. addendo in fine commemorationem diei octavae. S. R. C. 9. Novb. 1622.

Festa fori cum festis chori tantum sed ejusdem ritus concurrentia utrasque vesperas integras habere non debent. n. 3853. ad 2 die 8. Apr. 1713.

Ad dubium: Cathedralis Ecclesia s Jacobi celebrat Festum illorum Sanctorum, quorum Reliquias habet, cum Vesperis solemnibus, Missa, Processione; a saeculo XIII. ad annum 1761 in omnibus Ecclesiis Archiepiscopatus Officium celebrabatur cum Vesperis integris in concurentia alterius Festi ejusdem ritus, et Credo dicebatur in Missa. Praedicto anno (qua auctoritate ignoratur) reformata fuit hujus Officii recitatio, integris manentibus Vesperis pro Cathedrali tantum et Credo in Missa, pro aliis autem Ecclesiis dimidiatis Vesperis a Capitulo. Postremo absente archiepiscopo jussit Vicarius generalis, quod Vesperae in concurrentia ejusdem ritus in toto Archiepiscopatu fierent a Capitulo. Quaeritur: An attenta consuetudine a saeculo XIII. sequenda sit prima methodus an potius secunda vel tertia? Et S. eadem C. rescribendum censuit, ut infra, videlicet: „Scribatur Rmo Archiepiscopo juxta mentem.“

Et ita declaravit et servari mandavit die 8. Aprilis 1808. n. 4507. ad 3.

Cum Rubricarum dispositio et tabella concurrentiae semper et ubique servanda omnino sit, quaeritur:

„An, concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae, sanctorum Angelorum, s. Joannis Baptistae, s. Joseph et ss. Apostolorum cum alio duplici min. ejusd. ritus sed inferioris dignitatis, Vesperae sint dimidiandae vel integrae persolvendae de die octava

Dedicationis Ecclesiae, de sanctis Angelis, de s. Joanne Baptista, de s. Joseph et ss. Apostolis? S. C. resp.

„Vesperas esse dimidiandas". n. 4594. ad 5. die 23. Apr. 1823.

Eadem similiter ex causa sciscitatur:

„An Festis secundariis sanctorum Angelorum, s. Joannis Baptistae, s. Joseph et ss. Apostolorum concurrentibus cum Sanctis ejusdem ritus sed inferioris dignitatis Vesperae sint dimidiandae vel integrae persolvendae de sanctis Angelis, de s. Joanne Baptista de s. Joseph et de sanctis Apostolis?" S. C. resp:

Si festa sint rit. dup. maj. servetur Tabella concurrentiae ad num. 6, si sint rit. dup. min. servetur eadem Tabella num. 5. *Ibidem ad 6.*

11) Dominicae I. Adv. et immac. Concept. B. V. M.

Ad dubium: Utrum concurrentibus secundis vesperis officii votivi immaculatae Conceptionis cum vesperis primae dominicae adventus fieri debeat usque ad capitulum de officio votivo et a capitulo de dominica cum commemoratione immaculatae Conceptionis, vel, cum de hujusmodi officio votivo in adventu non fiat, vesperae debeant esse integrae de sabbato et absque commemoratione?

Resp. Ex generalis hujus Sacrae Congregationis decreto sub die 24. Apr. 1706 officia votiva, quae ab Apostolica Sede concessa sunt celebranda semel vel pluries singulis hebdomadis vel mensibus per annum, non possunt omnino celebrari nec hujusmodi indulta locum habent in seriis adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, sive cum jejunio sive absque jejunio, nec in feria secunda rogationum nec in illa feria, in qua secundum rubricas est reponendum officium dominicae. Cum itaque officium votivum immaculatae Conceptionis concurrere possit cum vesperis primae dominicae adventus, quaeritur ut in dubio. Recitatio quidem officii votivi usque ad capitulum dominicae primae adventus nullam praeseferet difficultatem, cum proprie adventus a dominicae capitulo in primis vesperis incipiat. Sed cum a recitatione psalmorum officii votivi in vesperis sejungi non possit ejusdem commemoratio, id profecto sequi videretur, ut ea commemoratio, quae est pars officii votivi, fieret postquam incoeptum est officium dominicae, ac proinde incideret quodammodo in tempus a supradicto decreto prohibitum. Ex hac simplici expositione videretur exurgere responsum affirmativum ad secundam dubii partem. Opportune autem occurrit decretum 23. Junii 1736 in Einsidlen. ad 5, ubi agitur de concurrentia diei infra octavam s. Benedicti (quae octava a Benedictinis ex privilegio celebratur intra quadragesimam) cum dominica Passionis. Hoc enim in casu etsi praecipiatur nihil de octava faciendum esse in dominica Passionis utpote privilegata, resolvitur tamen, ejusdem octavae commemorationem admittendam esse in primis vesperis praefatae dominicae „quando octava (sunt verba decreti) celebratur post dominicam passionis" hoc est quando in sabbato ante praedictam dominicam non fit de septima sed de alia die infra octavam. Si enim ageretur de die septima, cum haec careat secundis vesperis (supervenientibus primis diei octavae, de qua nihil faciendum est in dominica saepedicta) ejusque officium terminetur ad nonam, locus non est commemorationi octavae, non quia a vesperis dominicae Passionis respuatur, sed quia (prout modo dictum est) dies septima infra octavas caret secundis vesperis. Et hinc est quod in hoc eodem decreto ad praecedens dubium 4„ in

quo agitur de occurrentia diei octavae s. Scholasticae (cujus etiam octava a Benedictinis ex privilegio in quadragesima celebratur) in feria IV. Cinerum, statuitur nihil de octava faciendum esse in vesperis diei praecedentis, non equidem quia a praedicta feria IV. Cinerum rejiciatur (haec enim neque habet primas vesperas cum ejus officium incipiat a matutino) sed ob supra allatam rationem nimirum quia cum officium diei septimae infra octavam desinat ad nonam (septima enim dies secundis caret vesperis) et officium diei octavae crastina die a feria IV. Cinerum praedicta impediatur, commemorationi locus esse non potest. Quare absque ulla haesitatione proposito dubio respondendum videtur: — affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 339.)

12) Ab Episcopo non celebr. cum cappa.

Episcopus non debet cum cappa Vesperas celebrare. S. C. R. in *Alexandr.* 23. Mart. 1688 ad 8.

Vd.: *Solemnit. pontific.*; *Vesp. pontif. Diaconi assist.*; *Assistens*; *Diaconus; Minister de libro etc.; Ministri in Pontif.; Canonici parati assist. etc.* (decr. n. 3851.)

13) Festi Domini.

Vd.: *Vesperae B. V. M.* (decr. n. 4681.)

14) Hymnus in festo s. Confess.

Vd.: *Meruit Beatas etc.; Versus tertius.*

Si festum s. Confessoris transferatur in *proxime sequentem diem,* in Hymno: *Iste Confessor* etc. nulla fit mutatio versiculi sed dicitur: *Meruit beatas, dummodo primae Vesperae non sint impeditae.* Sac. Rit. Congreg. 13. Jan. 1683.

Translato autem festo s. Confessoris ultra sequentem diem, in Hymno: *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo: *Meruit supremos.* Sacra Rit. Congregat. 14. Jun. 1692.

15) Integrae.

Vd.: *Vesp. dimid.* (decr. n. 3057; 3122; 4507); *Occurrentia festor.*

Festa per annum duplicia, quae sol. celebrantur a choro et in populo sunt de praecepto, in occurrentia cum aequalibus quoad ritum et dignitatem possunt habere integras vesperas ad sensum rubr. XI. Brev. rom. n. 2. n. 4160 ad 2. die 22. Aug. 1744.

Ad dubium: In occurrentia Officii ritus dupl. maj. cum die oct. alicujus Sancti quomodo ordinandae sunt Vesperae? S. R. C. rescribendum censuit:

„Totum de dupl. maj. cum com. diei oct.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5116. ad 2.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Quomodo celebrari debeat Officium in 2. Vesp. in Ecclesia s. Rochi Titul., an de Assumpt. B. V. M. an vero de s. Rocho? S. C. resp.: Totum de Assumpt. B. V. M. cum com. s. Rochi. n. 2991. die 22. Aug. 1682.

Ad dubium: An in Ecclesiis, in quibus Festum SS. Trinitatis est 1. cl., concurrentibus vesperis diei octavae ejusdem cum dupl. seq. maj. tantum, vesperae debeant fieri integrae de octava cum com. sequentis, ut rubrica gener. praescribit in Octavis Epiphaniae, Pasch., Ascens. et Corp. Chr? S. C. resp.: Affirmative. n. 3706 die

13. Sept. 1704. Vd.: SS. *Trinitas* (vesperae.)

Quando secundae vesp. solemnitatis s. Augustini Patris et Patroni principalis totius Ord. Erem. Excalceat. cum festo B. V. M. de Consolatione occurrant, quod celebratur in dominica infra octavam ejusdem s. Patris, cuinam ex praedictis solemnitatibus, quam ambae in toto Ord. sunt sub ritu dupl. I. cl., essent integrae vesperae concedendae? S. C. vesp.: Integras vesp. recitandas esse de festo B. V. M. cum com. s. Augustini. n. 4357 ad 2. die 17. Aug. 1771.

Aliquando transfertur Patrocinium B. V. M. ad 17. vel 19. Dec., quo casu concurrit in 1. vel 2. vesp. cum Officio Exspectat. B. V. M. S. C. resp.: Hoc in casu totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti. n. 4393 ad 12 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: Dum duo Officia Passionis concurrunt, quaeritur: utrum Vesperae debeant fieri de primo vel de secundo? S. R. C. resp.: Nihil de sequenti, dummodo non fuerit potioris ritus, tunc enim nihil de primo. n. 4878 ad 7 die 11. Aprilis 1840.
Vd: p. 748 decr. n. 5223.

Ad dub.: In choro Cath. Ecclesiae Barchinonen. Officium Translationis s. Eulaliae sub ritu dupl. cantatur cum magno apparatu et solemnitate: in concurrentia cum aliis dupl. maj. Vesperae dicti Officii ratione magnae solemnitatis possuntne celebrari integrae?
S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Posse, si Officium sequens non fuerit majoris dignitatis juxta num. VI. tabellae concurrentiae."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 11. April. 1840. N. 4878 ad 1.

16) Beatae V. Mariae.

Ad dub.: An dies octava Conceptionis B. V. M. concurrens cum quocunque dupl. min. habeat integras primas et secundas vesperas et an hoc quoque observandum est in omnibus octavis diebus festivitatum B. V. M. tam particulariter alicujus Religionis quam generaliter totius Ecclesiae? S. C. resp.: affirmative. n. 3244 ad 1 die 11. Aug. 1691.

Dies octavarum Assumptionis, Nativit. aliorumquė festorum B. V. M. octavam habentium concurrentes cum officio dupl. minori habere debent integras vesp. S. R. C. 1. Mart. 1681.

Vd. *Dedicatio eccles.* (vesp. decr. n. 4900); *Concurr. festor.*

Ad dub.: Decr. diei 11. Aug. 1691 quod praecipit in concurrentia Octavarum Beatae Mariae Virginis Vesperas non dividi sed integras esse de Deipara, extendi etiam ad Octavas Festorum Domini?"

Sacra eadem Congregatio resp.: Affirmative. Et ita decrevit ac servari mandavit.

Die 7. Aprilis 1832. n. 4684.

Secundae vesperae Annuntiationis occurrentes cum primis diei festi s. Marci recitantur integrae de Annuntiatione ob praestantiam dignitatis, non propter qualitatem praecepti. S. R. C. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

17) Octavae festi Domini.

Ad dubium: An Octava cujuscumque Festi Domini Nostri Jesu Christi occurrens cum duplici majori vel minori debeat habere Vesperas integras, uti fit in Octava Ascensionis, Corporis Christi et uti declaratum fuit a sacrorum Rituum Congregatione die 13. Septembris 1704 pro Octava sanctissimae Trinitatis? S. C. resp.: Serventur Decreta. n. 4669 ad 46 die 12. Novbr. 1831.

18) Parochiales.

a) Ministri.

Vd.: *Vesp. Dignit. et Canon.* (Ministri, decr. n. 3934);

b) Pluviale.

Cf.: *Versiculi; Benedicamus etc. Dedicatio Eccles.* (vesp.); *Pluviale;* Vesp. (pluviale).

Hebdomadarium seu alium, qui Officium faciat, in Vesperis solemnibus indui debere *pluviali* a principio Vesperarum usque ad finem; quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali essent induti, abusu quocunque non obstante. n. 56. die 20. Julii 1593.

In Vesperis Sacerdotem pluviali indutum esse debere. n. 1653 die 5. Oct. 1652.

c) Sedes.

Beneficiati cum pluviali Vesperarum Officium absolventes sedere non debent in banco, in quo sedent canonici. n. 2082 ad 4. die 20. Novb. 1660.

Ad dub.: An Capellanus de Massa solemniter Vesperarum officium peragens cum pluviali sedere debeat in loco, ubi sedere solet Canonicus hoc munus absolvens? S. C. resp.: *Negative.* n. 2083 ad 4 die 18. Decb. 1660.

Cf. *Sedes Celebrantis et Ministr.*

19) Pluviale.

Vd.: *Vesp. paroch.* (pluviale.) *Pluviale.*

Tranen.

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in ecclesiis sancti Sepulchri et s. Jacobi vulgo de Barletta intra fines archidioecesis Tranen. illud est in more positum, ut dum in solemnioribus missas solemnes et vesperas celebrant rectores earum, praeter ministros inservientes eis assistunt alii sex presbyteri pluvialibus induti. Quum autem a consuetudine ista, quae nullo apostolico indulto innititur, difficile admodum sit desistere absque fidelium admiratione et scandalo, rectores ipsi Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarunt, ut eam confirmare dignaretur, adeo ut licite deinceps in ea perseverare valeant. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in ordinariis comitiis, ad relationem R. D. infrascripti pro-secretarii, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: Permitti posse quoad vesperas solemnes tantum. Die 10. Januar. 1852.

(Anal. J. P. 1832 p. 734).

Ad dub. Theatinorum: An eorum hebdomadarius quando celebrat Vesperas debeat accipere pluviale a principio Vesperarum illudque durantibus Vesperis usque ad finem retinere vel satis sit illud accipere ad Capitulum et retinere usque ad finem Vesperarum, prout hactenus consueverunt? Sacra Rituum Congregatio respondit: Circa pluviale servandum esse eorum consuetudinem. Hinc potestne concludi istam praxim esse licitam in omnibus Ecclesiis, quamvis Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. III. n. 1. indicet pluviale ab initio accipiendum, vel potius supradicta responsio estne concessia specialis pro Theatinis, quae extendi non debet et in aliis Ecclesiis servandum Decretum diei 20. Julii 1593 in Calaguritan. (*vd.: supra n.56.*) statuens quod hebdomadarius in Vesperis solemnibus induit debeat pluviali a principio Vesperarum?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

Ad dub.: Utrum attenta consuetudine canonici, qui in solemnitatibus vesperarum officium faciunt, possint manere in habitu chorali usque ad ca-

pitulum et tunc tantum assumere pluviale? Item an liceat ipsis in officio solemni matutini et laudum nunquam se pluviali induere et incensare Altare?

Resp.: Quemadmodum et caeterae divini officii horae ita et vesperae antiquissimae sunt in Ecclesia habitaeque semper tamquam omnium diei horarum maxime solemnes et respondebant vespertino sacrifico, quod Deus ab haebreis fieri volebat. Quapropter tum ordines romani tum pontificalia ac ritualia omnium fere ecclesiarum jubent diebus solemnioribus ab ipso episcopo sacris vestibus induto, integrum persolvendum esse vesperarum officium. His apprime consonat Caeremoniale Episcoporum, quod *lib. II. cap. de vesperis solemnibus episcopo in crastinum celebraturo* haec praecipit: Postquam episcopus ad ecclesiam pervenerit... paratisque omnibus canonicis amictibus et sacris paramentis deponet cappam capietque sacra indumenta... Cum episcopus sic paratus paululum sederit surgit deposita mitra et versus ad altare dicit secreto: Pater noster etc. Quod si episcopus in crastinum non erit celebraturus, sed tamen vesperis solemnibus assitere voluerit, praefatum Caeremoniale (lib. II. cap. 2) constituit ut ipse sacris paramentis indutus vesperas *incipiat ac perficiat.* Non solum autem episcoqum verum etiam canonicos diebus dominicis aliisqui festivis sacris indumentis amictos integras vesperas persolvere teneri satis expressse demonstrat Caeremoniale Episcoporum. Siquidem in lib. II. cap. 3. ita legitur: „In Ecclesiis cathedralibus, absente episcopo, et in collegiatis canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris tempori convenientis super rocchetto, si eo utatur, aut super cotta et cum eo parantur quatuor aut sex presbyteri de gremio ipsius ecclesiae non tamen canonici; coadunatisque canonicis et aliis de clero in chorum praedictus canonicus celebrans procedet e sacristia..; ipse canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de choro, qui secreto dicit: Pater noster etc. Supradicto ordine semper diebus dominicis et festivis, quae a populo observantur, a canonico hebdomadario tam in collegiatis, quam in cathedralibus ecclesiis, absente episcopo, vesperarum officia celebrantur. „Haec quoque S. Congregatio in una Calaguritan. die 20. Julii 1593 decrevit: „Hebdomadarium seu alium qui officium faciat, in vesperis solemnibus indui debere pluviali a principio vesperarum et sic indutum permanere usque ad finem. Quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali induti essent. Abusu quocunque non obstante." (Vd. p. 742 n. 56.) Quod et confirmavit in una Hieracen. diei 14. Maii 1644. Ex his itaque evidenter apparet, in vesperis pluviale assumendum non esse ad capitulum sed antequam vesperarum officium inchoetur.

Officium vero matutini et laudum, licet minorem praeseferat solemnitatem, veteres tamen, diebus saltem solemnioribus, consueverunt iisdem fere ritibus persolvere, quibus vesperarum officium celebrabant; in praesenti autem disciplina ex Caeremonialis Episcoporum dispositione (lib. II cap. 6) sequenti ratione perficiendum est: „In cathedralibus et collegiatis ecclesiis absente episcopo hora competenti congregantur in sacristia omnes canonici, ubi iduuntur suo consueto habitu canonicali. Canonicus quoque seu alius dignior presbyter ecclesiae missam celebraturus induitur eodem habitu canonicali vel alio suae dignitati convenienti, quo in ecclesia uti consuevit. Qui sic congregati incipiunt progredi versus chorum... Postquam omnes venerint ad loca indicante

caeremoniario surgit canonicus praedictus et dicit secreto: Pater noster etc. Circa finem tertii nocturni Canonicus faciens officium accipit pluviale coloris tempori congruentis et duo cantores similiter, cum cantatur octavum responsorium, duo acoliti sumunt candelabra duo, quae cum candelis accensis deferunt ante canonicum paratum et ea tenent, donec legerit totam lectionem et inceperit hymnum *Te Deum.* Hymno expleto incipit laudes, in quibus omnia servantur, quae de vesperis in collegiatis superius dicta sunt." Ex dictis itaque colligitur in officio etiam matutini et laudum ab hebdomadario et cantoribus assumendum esse pluviale, et cum cantatur *Benedictus* thurificandum esse altare. Utrum autem id praestandum sit omnibus diebus festivis vel tantum in solemnioribus ex Caeremoniali non apparet. Quapropter hac in re videtur standum esse locorum consuetudini, dummodo tamen id non omittatur in solemnioribus anni diebus quemadmodum haec S. Congregatio constituit in una Neapolitana die 13. Junii 1676.

Quae cum ita sint in ea sum sententia constitutus ut scribatur: *Negative ad utramque partem.*

S. C. resp.: In voto Magistri Caeremon.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 787.)

20) Pontificales.

Si Episcopus erit solemniter Missam sequenti die celebraturus Vesperae solemnius peraguntur, quam si non esset celebraturus. Quod praecipue in his vigiliis observari solet, videlicet, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae, sancti Titularis Ecclesiae et Patroni Civitatis.

Secundae Vesperae poterunt etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis et in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi ac in festo sancti Titularis Ecclesiae et sancti Patroni Civitatis.

(Caer. Ep. l. II. c. n. 2. 3.)

Vd.: *Solemnit. Pontif.*

21) Primae incipiunt festum.

Vd.: *Solemnitas.*

Sacrae solemnitates regulariter a I. Vesperis initium sumunt. Caer. Ep. l. II. c. 1. n. 1.

22) Quadragesimales.

(Hora recitandi in choro.)

Exceptis Dominicis recitari solent in Cathedralibus et Collegiatis vesperae post matutinam concionem; *ex can. Solet, de consecr. dist. 5., Cajetan. in summ. verb.*: *hora*; *Ceccoper. lib. II. num. 22.*

(Ex resol. S. C. C. diei 23. Jan. 1790. *Abulen.)*

Ad dubium: An sit licita consuetudo cantandi vesperas *post* prandium in die Dedicationis Ecclesiae, quo festum plurimum cadit tempore quadragesimali? S. C. resp.: *Servandas esse rubricas.* n. 1535. die 21. Julii 1645.

Vd.: *Pontificalia Episcopi.* (Dies etc.)

23) Recitatio ante meridiem in choro.

Vd.: p. 749. n. 26.

Caven et Sarnen.

Exstat in Civitate Sarnensi Collegiata et Parochialis Ecclesia Deo in honorem s. Matthaei dicata, ubi praeter Rectorem Parochum et quatuor Hebdoma-

darios decem adsunt Canonici, quorum singuli ad Chori servitium quotidie obeundum obstringuntur. At vero inservientium numerus ad duos Hebdomadarios et ad sex dumtaxat Canonicos imminutus in praesentiarum deprehenditur; quatuor autem ex iis senio sunt fere confecti, qui aestivis praesertim mensibus extra civitatem valetudinis curandae causa abire solent. Hinc supplices una cum Rectore Parocho Canonici Sacram hanc adierunt Congregationem rogantes, ut mensibus Junio, Julio, Augusto et Septembri sibi liceat Vesperas et Completorium ante meridiem recitare. Aestivo enim tempore valde infensum esse referunt Sarnensis Civitatis coelum atque ipsam quoque Collegiatam Ecclesiam altiori ejusdem Civitatis loco prope montem adeo sitam, ut non sine gravi incommodo pomeridianis horis ad eam accedere possint.

Rogatus Episcopus, ut non modo de causis, ob quas aliquot praebendae suis nunc carent possesoribus, sed de annuo etiam cujuslibet praebendae redditu et oneribus, nec non de vera necessitate indulti ac de tempore ad id necessario referret, haec in suis literis habuit: ,,Il motivo di non esseri proveduti li tre Canonicati e perche ancora verte la questione se debba e non rimanere essa Chiesa Collegiata oppure ricettizia, attessa la mancanza della Bolla di erezione vi è proobitione ministerialmente comunicata da poterli provedere. Per li due Eddomadariati poi, perchè i medesimi sono a carico del Collegio, i Canonici non vogliono provvederli perchè ricavandosi il loro stipendio dalla decima, ed essendo questa mancata, non hanno su di di che soddisfarli.“

,,La rendita poi prebende é la seguente una con i pesi, incluse anche la messe; Quella del Rettore ascende a Ducati 148 di regno sa dei quali vi gravitano di pesi Ducati 88. 06; quella della prima prebenda e di Ducati 87. 06, e pesi Ducati 62. 68, della seconda Ducati 242. 06, pesi Ducati 90, della terza Ducati 63. 51, pesi Ducati 48. 19, della quarta Ducati 204. 17, pesi Ducati 70, della quinta Ducati 67. 42, pesi ducati 28. 60, della sesta Ducati 177. 16, pesi Ducati 114. 70, della prima prebenda vacante Ducati 135. 77, pesi Ducati 73. 12, della seconda vacante Ducati 200. 03, pesi Ducati 85. 23, della terza finalmente Ducati 219. 68, pesi Ducati 108. 48. Gli eddomadari hanno Ducati 16 per ognuno, che sono pagati dallo stesso Collegio.“

,,Interno poi alla localita della Chiesa posso suggiunge e, che la medesima essendo situala sopra la Citta versa il monte, nei tempi estivi si soffre nelle ore pomeridiane a giungervi. Quindi attesa la situatione sopraccennata della Chiesa, non che lavanzata eta di quatro attuali Canonici, e la vacanza dit e Canonicati e due Eddomiariati sarei di parere, che si potesse annuire alla dimanda per tre mesi soltunto della estate, cive Luglio, Agosto e Settembre, avendo anche considerazione all' Aria malsana di quella Citta, pel quale motivo i miei antecessori qualche volta si sono arbitrati a concedere tale licenza da per loro restando pero esclusi i giorni festivi.“

Ea primis Ecclesiae temporibus disciplina invaluit, ut vesperae hora duodecima post solis ortum, Completorium vero post occasum solis, ingruente jam nocte, recitarentur. Benedict. XIV. Instit. 107. §. 4. n. 20.

Ast de austeriori hac disciplina postea temporis aliquantulum remissum fuit eaque invehi coepit consuetudo, ut binae illae divini Officii horae, quemadmodum et ceterae, commodiori tempore a Canonicis saecularibus in choro persolverentur. Hinc quod in Clemen-

tina I. de celeb. Missar. statutum legitur, divinum nempe Officium in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis debitis horis esse psallendum, ita plane intelligi debet, ut eo tempore recitetur, quod in omnibus hodie Ecclesiis ex legitima observantia sancitum est, cui absque gravi causa non esse derogandum refert *Fagnan.* in lib. 1. Decret. cap. *Consuetudines* de Consuetud. num. 14 et S. Congr. in Cingulana Servitii Chori 29. Martii 1817 §. I. dubium. Jam vero neminem latet illud apud omnes tam Collegiatas quam Cathedrales Ecclesias in more nunc positum esse, ut Vesperae et Completorium nonnisi post meridiem possint recitari. Quae autem viget praescriptio de horis canonicis certo quodam tempore persolvendis ex constanti et universali Ecclesiarum usu rite constituta, hanc quidem servandam omnino esse tradit *Vega* in Sum. verbo: Horae num. I, *Ceccoper.* Lucrubr. canon. lib. 2. num. 19, S. Cong. in Derthonen. Constitutionum capitularium 12. Septembris 1829 §. Porro.

Verumtamen id ex adverso receptum compertumque est ut aliqua intercedente aut necessitatis aut utilitatis causa opportunum tribui soleat indultum, quo Capitulares nonnullas ex canonicis horis alio, quam praefinitum est, tempore valent recitare. *Brasch* in Promptuar. Synod. Cap. 86. n. 13, *Ceccoper.* loc. cit. num. 20, *Benedict.* XIV. Instit. 107. §: 4. num. 20., S. Congregatio in Segovien. 25. Jan. 1794. §: Recitandum. Huic autem rei ipsa pluries adhaesit S. Congr., quemadmodum probant exempla in Abulen. Servitii Chori 23. Jan. 1790, in Pisauren. Servitii choralis 27. Aprilis 1822, in Massenen. 14. Decbr. 1822 et in Derthonen. Constitutionum 12. Sept. 1829 ad I. dub., ubi tum ob praesens valetudinis discrimen propter loci ac coeli naturam tum aliis legitimis de causis agitur, quarum ratio sedulo habenda videretur. Canonicorum precibus indultum est ut necessariis et opportunis facultatibus Ordinariorum arbitrio et prudentia ad id tributis, possent illi post absolutas horas vespertinas Matutinum et Laudes diei sequentis in choro persolvere. Quin etiam, ubi aestivis mensibus adeo infensus foret aer, ut Canonici absque gravi valetudinis detrimento Ecclesiae inservire non possent, eadem S. Congregatio ita aequam et ligitimam exinde causam adesse censuit derogandi ss. Canonum sanctionibus, ut modo servitium chori ad mediariam reduxerit ceu in Castri Maris Servitii Chori 30. Julii 1735, modo etiam Canonicos ab ipso residendi onere atque integro chori servitio per aliquod tempus exemerit veluti in Grossetana Servitii Chori 18. Martii 1820 et 20. Martii 1830. In themate erit EE. VV. decernere, utrum justae adsint utilitatis et necessitatis causae, quae expetitam a Sarnensi Capitulo veniam tribuendam suadeant. Profecto ex Antistitis testimonio aestivis mensibus videtur plerumque contingere, ut quatuor senes Canonici, qui adversa laborant valetudine, sese chorali servitio eximant, et pro ea curanda a civitate proficiscantur. Hinc duo tantum superessent Canonici, qui una cum binis Hebdomadariis debeant quotidie per aestatem divini officii recitationem in choro praestare. Hoc vero oneris cum ubique locorum esset incommodum iteratis vicibus Ecclesiam in urbis vertice positam, prout in casu, et manere et post meridiem adire, tum eo etiam magis permolestum, ne sine summo valetudinis damno esse conjicitur in civitate Sarnensi, cujus coeli aspirationem mensibus praesertim Julio, Augusto et Septembri ita gravem et saluti calamitosam esse refert Ordinarius, ut ejusdem Antecessores Episcopi auctoritate

sua non dubitaverint eam quandoque Canonicis veniam impertiri, quam ipsi nunc flagitant ab hoc S. Ordine, exceptis tamen festis diebus. Suis itaque precibus futurum ut EE. VV. ex aequitate et indulgentia subscribant, sibi pollicentur Rector Parochus et Canonici Oratores. Neque enim hi audent narratis de causis reductionem servitii choralis aut ab residentiae lege exemptionem expostulare, sed illud solummodo petunt, quod si iisdem concedatur, certe nihil detrimenti ex eo capturum chori servitium arbitrantur.

Dubium:

An et quomodo sit concedendum indultum in casu?

S. C. resp.: Affirmative juxta votum Episcopi ad quinquennium, nisi prius augeatur numerus Canonicorum, facto verbo cum SSmo.

Die 12. Apr. 1832.

24) Regulatio.

Vd.: *Festum* (Dignitas), *Vesperae dimid.*, *Vesp. integ.*

Ad dubium: Quomodo regulari debeant vesperae, si concurrant duo Pont. Mart. vel Pont. Mart. cum Mart. non Pont. vel M. cum Conf. vel duo Confess. Pont. aut non Pont. vel Pont. cum non Pont. vel duae V. Mart. aut M. non Virg. vel Virg. non Mart. cum M. non Virg. Si utrumque festum occurrens sit dupl. per annum maj., an vesp. debeant dividi et fieri a cap. de seq. cum com. praec., vel semper habenda sit ratio dignioris, ita ut de eo fiant vesp. integ. cum com. alterius? S. C. resp.: Dignitas personarum attendenda est in solis eorum festis, quae expressa sunt in eadem rubrica dict. n. 1. vers: Inter festa. n. 3122 ad 2 die 20. Julii 1686.

Ad dub.: Etsi semper habenda sit ratio dignioris, quomodo attendenda sit hujusmodi dignitas, si concurrant duo PP. vel duo MM. non PP. vel duo CC. PP. vel duo non PP. vel duae VV. MM. vel duae VV. non MM., vel duae MM. non VV., si utraque sunt dupl. per annum majora?

S. C. resp.: In *casibus praepositis* nullam habendam esse praeferentiam sed Vesp. fore dividendas. n. 3122 ad 3 die 20. Julii 1686.

Ex parte Fr. Francisci a Neapoli infrascriptum dubium S. R. C. demisse declarari supplicatum fuit: Supponunt nonnullae Ecclesiae (et hoc ex earum Calendariis) ss. Martyres in concurentia Officiis duplicis cum s. Confessore debere habere vesperas integras propter majorem dignitatem et nobilitatem, quam habet Martyr prae Confessore et hanc majorem dignitatem ac nobilitatem tribuunt etiam Confessori concurrenti cum Virgine sicque in concurrentiis, quae possunt accidere, tribuentes semper integras Vesperas ei, quem putant digniorem, non aliter ac fit in concurrentia festorum Domini, B. M. V., Angelorum et Apostolorum. Quaeritur: An haec major dignitas intersit et attendenda vere sit inter Officia aequalis ritus et ejusdem solemnitatis aut potius standum sit praescriptioni Rubricarum Breviarii romani de concurrentia Officii n. 2, quae dicit: „Regulariter fit a capitulo de sequenti etc.?"

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

„Negative."

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3819. ad 1. Die 14. Decembris 1709.

Ad dubium: Occurrente festo dupl. 2. cl. octavam habente cum dominica Septuag., si forte transferatur ad sequens Sabb., 2. Vesperae erunt ut in

1. aut ut in 2. vesp. festi cum commemor. dominicae in Sexag. aut erunt de psalterio a cap. de dom. cum commem. diei octavae ut in primis festi et quid si dies octava habeat orationem propriam? S. C. resp.: Secundas vesp. festi fieri debere cum commem. dom. Sexag. et in die octava esse recitandam orationem propriam ejusdem octavae. n. 4055 ad 1 die 15. Septbr. 1736.

Qualitas festivitatis non est ratio, quod vesperae sint integrae de tali festo, nisi hoc festum fruatur simul qualitate vel majori dignitatis vel ritus. n. 4119 ad 3. die 2. Sept. 1741.

Ad dubium: In Dioecesi Albensi plura fiunt Officia de Passione vel de Mysteriis vel de Instrumentis Passionis D. N. J. Ch., veluti sacratissimae spineae Coronae, Orationis in monte Oliveti, CommemorationisPassionis, pretiosissimi Sanquinis, sacratissimae Crucis, Insignis Miraculi SS. Sacramenti, sacratissimi Cordis Jesu etc. Non raro autem hujusmodi Officia inter se concurrunt in Vesperis et quoniam regula liturgica est, ut *numquam idem de eodem in eodem Officio fiat Officium et Commemoratio*, hinc quaeritur 1: num quoties duo ex praedictis Officiis concurrunt in paritate ritus, Vesperae integrae debeant esse de praecedenti, nihil de sequenti sed si sequens potioris ritus fuerit, Vesperae integrae debeant esse de sequenti, nil de praecedenti, non secus ac faciendum docuit S. R. C. in concurrentia duorum Officiorum de Passione Domini aut de eadem B. M. V. in Barchionen. die 11. Apr. 1840 ad 7. et Ordinis Minorum Reformatorum die 16. Mart. 1779 ad 12. Quaeritur 2: an in occursu vel concursu praedictorum Officiorum infra Octavam vel cum die octava alicujus ex iisdem Officiis, quod fiat cum Octava (ut in hac Ditione Pedemontana Officium Sacratissimae Sindonis fit ritu dupl. I. Cl. cum Octava) omitti debeat Commemoratio de die infra talem Octavam vel diei infra hujusmodi Octavam? Quaeritur 3: an idipsum servandum sit, ut in praecedenti quaestione secunda, etiam in concursu aut occursu alicujus ex enunciatis Officiis cum aliis Festis Domini aut infra Octavas eorumdem, puta Ascensionis, Transfigurationis Domini, SS. Corp. Chr.? Quaeritur 4: an in concursu diei octavae alicujus ex enunciatis Officiis cum aliquo Officio alicujus Sancti ritu dupl. min. veluti diei octavae sacratissimae Sindonis cum Officio s. Antonini modo ritu dupl. min., vesperae debeant fieri a capitulo vel potius integrae de die octava sacratissimae Sindonis utpote dignioris, et cum sola commemoratione s. Antonini? Quaeritur 5: num in concursu diei Octavae SS. Corp. Chr. cum I. Vesperis Sacratissimi Cordis Jesu ritu dupl. I. Cl. omitti debeat commemoratio SS. Corp. Chr.?

S. C. rescribendum censuit

Quoad questionem 1: Affirmative.

Quoad quaest. 2: Negative.

Quoad quaest. 3: Affirm.

Quoad quaest. 4: Vesperas recitandas de die octava cum commem. tantum sequentis.

Quoad quaest. 5: Affirmative.

N. 5223. ad 3 die 16. Febr. 1856

Vd.: p. 741. decr. n. 4878.

25) Ritus.

a) Acolythorum accessus ad orationes.

Vd., *Vesp. ritus.* (Orationes.)

b) Acolythorum genuflexio cor. SS. Sacr.

Ad dub.: Utrum in Vesperis coram SS. Sacramento celebratis Acolythi accedentes ad altare, ut accipiant sua

candelabras, vel ab eo revertentes, debeant ante SS Sacramentum expositum utrumque genuflectere vel unicum?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

c) Acolythorum Genufl. cor. non exp. SSmo.

Ad dub.: In Vesperis solemnibus Acolythi accedentes ad Altare ut sua candelabra sumant, debent quidem genuflectere, sed quaeritur: utrum tunc quando ab altari, recedant, ut adeant Hebdomadarium, genuflexio ab ipsis candelabra gestantibus iterum facienda sit in hoc recessu, similiter: utrum quando cantato capitulo iterum accedunt ab altari ab ipsis Acolythis in accessu genuflectendum sit sive antequam sive postquam deposuerint sua candelabra?

S. C. resp.: Acolythos genuflectere tantum debere in transitu ante medium altaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

d) Benedicamus.

Oratione (vel Orationibus) finita duo ex ultimis presbyteris paratis accedunt ad medium chori ad altare versi et ibi voce altiori cantant: Bened.: D. et redeunt ad Celebrantem.

(Caer. Ep. l. II. c. III. n. 15.)

e) Locus Celebrantis.

Ad dub.: An Sacerdos cantans vesperas debeat incipere: *Deus in adjut.* etc. in medio ante altare an vero in presbyterio in sede, ubi sedere consuevit ad cornu Epistolae et an ipsemet debeat intonare primam antiphonam, hymnum et antiphonam ad Magnif. et an pariter debeat orationem cantare stans in eodem loco?

S. C. resp.: Servanda est forma caeremon. l. 2. c. 3.

Die 19. Maii 1607.

Caeremon. dicit: Juxta sedem in presbyterio sacerdos cantans vesperas debet intonare: *Deus* etc., primam antiph., hymnum et antiphon. ad Magnif. et cantare orationem.

f) Magnificat a celebrante etc. dicendumne est?

Ad dubium: Utrum in Vesperis solemnibus hebdomadarius thurificans altare debeat interim recitare Canticum: Magnificat anima mea Dominum, alternatim cum duobus assistentibus, prout moris est in pluribus Ecclesiis, quamvis Caeremoniale Episcoporum prorsus sileat de hoc ritu, vel celebrans nihil dicens hanc thurificationem peragere debeat sicut fit in aliis Ecclesiis?

S. C. resp.: Laudandum usum recitandi in vesperis canticum „Magnificat“ in thurificatione altaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 pag. 2195.)

g) Orationes modus dicendi.

Cum per chorum repetitur Antiphona Cantici *Magnificat.* . . . Caeremoniarius medius inter duos Acolythos ceroferarios eos cum debitis reverentiis ducit ad Episcopum. Oratione finita, dum repetit *Dom. vob.*, Caeremonarius cum ceroferariis factis debitis reverentiis redeunt ad altare et in suo loco reponunt candelabra. *Caer. Ep.* l. II. c. I. n. 17.

Finito Cantico et repetita per chorum antiphona Celebrans (canonicus) cantat Orationem stans versus altare a latere epistolae duobus Acolythis ceroferariis candelabra cum cereis accensis afferentibus et alio inter illos medio librum tenente. *Caer.Ep.* l. II. c. II. n. 10; c. III. n. 10.

Vd.: *Te Deum.* (Oratio).

Dicto: *Pater noster etc.* (*in Vesp. Def.*) duo Acolythi ceroferarii accedunt ante Episcopum cum candelabris et cereis accensis ex cera communi et inter eos erit medius cappellanus de libro serviens . . .

Dum repetitur Antiphona *(ad Bened. in laud. Def.)* accedunt duo Ceroferarii cum Capellano librum tenente ante Episcopum. *Si autem Episcopus Off. (Def.) faciet in sua sede Pontificali, tunc ad preces descendit ad faldistorium et ad Orationem tunc non erunt necessarii Acolythi. Caer. Ep.* l. II. c. *X.* n. 4. 7. 8.

Vd.: *Orationes* (Acolythi).

26) Sabb. Sancti.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. n. 4641 nota p. 660)

27) Tempus recitandi.

Vd.: p. 744 n. 22 et 23.

Ad dub.: In die Nativitatis Domini et in die Paschatis Resurrectionis immediate post peractum Officium matutinale et ante prandium canonicis licet necne recitare vesperas et completorium ratione lautioris prandii protrahendi illis in diebus?

Resp.: Vesperae et completorium, uti ex ipso nomine colligitur, tam publice quam privatim regulariter hora vespertina, id est post meridiem recitanda sunt, solis exceptis quadragesimalibus feriis, in quibus vesperae tantum dicuntur immediate post nonam et missam conventualem de feria, ad retinendam antiquitatis memoriam, qua fideles diebus jejunii nonnisi post peractum totum officium ab ecclesia discedebant. Hac de causa in Breviario ante vesperas feriae IV. Cinerum legitur haec rubrica: Hodie et duobus sequentibus diebus dicuntur vesperae hora consueta: sabbato vero et deinceps usque ad Pascha dicuntur ante comestionem tam in festis quam in feriis, in quibus dicuntur hora consueta.“ Dixi: *regulariter,* quia privata recitatio ex speciali indulto concedi solet ante meridiem missionariis apostolicis, publica vero, scilicet quae in choro celebratur, aliquando permittitur legitima causa interveniente ab Episcopo recognita, uti ex. gr. esset processio solemnis pro publico bono indicta, ad quam accedere tenentur tam religiosae familiae quam clerus saecularis collegiatarum et cathedralis, ita, ut desit tempus aut etiam maximi sit incommodi vesperas habendi post meridiem et hora consueta. Ast quis unquam dicere audebit legitimam exhibere causam anticipandi vesperas de mane lautiorem comestionem, quae diebus solemnibus flexo in vesperam die protrahi solet; praesertim in festis Nativitatis et Resurrectionis, in quibus vesperae solemnes in Ecclesiis cantandae sunt et in Cathedralibus decet ut ipse episcopus eas persolvat ad formam caeremonialis lib. 2. cap. 1. num. 3. ubi dicitur: Secundae vesperae poterunt etiam per episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in dominica Resurrectionis et in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Quisque igitur videt quam incongrua sit haec petitio? S. C. resp.: Negative et abusus, si adest, penitus eliminetur.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863, 2248.)

Romana.

Moniales S. Mariae in Campo Martio supplicarunt pro facultate recitandi vesperas ante prandium in choro et deinde cantandi in vigilia S. Benedicti. S. C. resp.: *Lectum.*

Die 13. Februarii 1666.

(Anal. J. P. 1865 p. 1145 n. 1795.

Placentina Hispaniarum.

Supplicavit capitulum cathedr. com-

mutari horam recitandi vesperas aestivo tempore ob immensos calores, qui retrahebant fideles ad interessendum circa horam nonam.

S. C. resp.: Affirmative.

Die 15. Julii 1634.

(Anal. J. P. 1863 p. 259.)

Vd.: *Chorus* (tempus).

Sarnen.

(Mane recitandae in choro.)


Sarnensis Ecclesiae Canonici referunt, Cathedralem illam Aedem eo loci sitam esse, ut nonnisi longa, deterrima, aestuosa et pulverulenta via ad eam pateat accessus. Hinc aestivis praesertim temporibus convenire illuc ad Vesperarum officium ac procedere idcirco maximis caloribus in solem et pulverem nedum pergrave incommodum gignit sed et valetudini maxime infestum est morbosque ut plurimum approperat. Supplices itaque postulant, ut quatuor mensibus Junio, Julio, Augusto, Septembri facultas sibi decernatur, ut vespertinas horas mane possint recitare, per l'impossibilita di potersi giornalmente dopo il mezzo giorno portare alla Chiesa, onde sequirebbe il disordine di vedersi diminuito in una maniera significante il servizio del Coro.

Veritati inniti preces testatur luculenter Episcopus: ,,Incommodo non leggiero (inquit) si soffre per portarsi nelle ore pomeridiane al servizio del Coro, che comincia alle ore ventuna, e per dovere camminare per lungo tratto di strada in loughi scoperti, sassosi, ed erti, sempre sotto i raggi del sole; al che dee aggiungersi l'aria malsana die Sarno, che agli istessi naturali produce delle febri terzanarie. La massima distanza, subdit ipse, ascende a poco piu di un miglio, la minima e poco meno di tre quarti di miglio.''

Quatuordecim sint Canonici praeter octo Beneficiarios seu Hebdomadarios. Choralia officia alternis hebdomadibus pars illorum media ex cathedralium instituto rite obeunt; festis tamen diebus et adventus ac quadragesimae tempore nec non per octavas digniores omnibus onus est convenire praesertim ad Sacrum solemne et ad Vesperas.

Ducata centum octoginta plus minus percipiunt singulae quatuor Dignitates Praebendae canonicales reliquae e centum Ducatis ad centum quadraginta aestimari possunt: carent vero quotidianis distributionibus. Exstant bini ex Canonicis qui potiuntur censu ducatorum septuaginta dumtaxat.

Haec de Collegii statu narrat Episcopus: illud vero maxime notatu dignum est, justam adeo ac veram esse causam, qua expetitam Vesperarum recitationem horis matutinis praeverti postulant, ut superiori saeculo Franciscus Novellius Sarnensium Episcopus postulationi hujusmodi, quam alias ex more editam in libello asserebant Canonici, libere, uti consueverat, annuerit, dato de ea re in haec verba rescripto die 24. Maji 1747. ,,Dispensamus cum Oratoribus Canonicis pro vespere et completorio de mane diebus ferialibus tantum, per totum mensem Septembris servata forma soliti.'' Id et recentiori tempore datum ab Episcopo pro uno tantum mense dicunt Oratores, ita tamen ut apostolicum privilegium exquirendum mandarit. Hisce ennarratis ea se in sententia esse declarat Episcopus, ut a primo mensis Junii die ad integrum mensem Septembris statuta pro vesperis hora sit vigesima prima cum dimidio: a die vero primo Julii ad decimum Augusti, quo tempore aestus vehementius invalescit, permissum sit, vesperas cum Completorio ante prandium recitari ferialibus diebus, ad eccezione delle feste di doppio precetto.



Fuit quidem vel a primis temporibus sancta Ecclesiae institutio tempora diei ita piis officiis partita haberi, ut praeter illa spatia, quae aut necessariae quieti aut muneribus vitae debitis interjiciuntur, dies noctesque statis quibusdam horis in divinis laudibus Clericorum coetus versarentur. Hinc distributa horarum intervalla ac discrimina, quibus singulis hymni, preces et psalmi cuique apti tempori mysterioque adscripti sunt. Ex benignitate tamen Ecclesiae praecipua nunc horarum distributio inter matutinas et vespertinas animadvertitur. Quare id etiam contendere, ut vespertinae horae ipso mane recitentur, absonum nimis ab Ecclesiae institutis videtur. Datum quidem haud raro est, quando praesertim vehementius in hieme frigus aut coeli infesti gravitas aut justae aliae causae intercedunt, ut vespere post completorium Matutinum recitetur, idque saepe a sacro hoc Ordine concessum est. Bened. XIV. Inst. 107. num. 20., *Braschius* in Prompt. Synod. cap. 86. num. 18. S. C. C. Abulen 23. Junii 1790.

At praeverti ante meridiem vespertinas horas nimium ab Ecclesiae consiliis in officiorum tempore definiendo abhorrere visum est. Sacris enim Ecclesiae praescriptionibus sancita est facultas recitandi superiori die post prandium Matutinum cum laudibus; ac proinde facilius, quod privatim peragi officium potest, id et de publica precatione permittitur.

Nihil tamen secius adsunt et de petita per Sarnenses Canonicos concessione nonnulla exempla; ac prae ceteris commemorandum est rescriptum a Benedicto XIV. editum anno 1744, quo Collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Anconitanae permissum est, Vesperas cum completorio recitari horis matutinis tempore hyemali a die secundo Novembris ad dominicam Palmarum exceptis diebus festis, *Syn. Ancon. Card. Bufalini* lib. 1. tit. 2 et in app. par. 2. n. 4. §. 28. Probe enim noverat providentissimus ille Pontifex, qui Ecclesiae Anconitanae praefuerat, quo labore ascensus pateret ad sacram illam Aedem, quae in summo monte est. Sacer autem hic Ordo superiori anno, habita inprimis ratione perexigui Canonicorum numeri, qui ex Collegarum infirmitate superant, necnon asperioris loci naturae, eadem facultatem Sarnensi Collegiatae s. Matthaei ad quinquennium, nisi prius numerus Canonicorum augeretur concessit. S. C. C. Sarnen. 24. Mart. 1832.

Verum pro Sarnensis Capituli petitione perpendendum est, aliquid jam eidem olim datum fuisse ab Episcopis, licet nulla, quod constet, ipsis tributa in eam rem facultas esset ab Apostolica Sede. Animadvertant EE. PP. an ex Episcopi voto annuendum precibus sit.

Dubium:

An et quomodo Capituli Cathedralis Ecclesiae Sarnensis concedendum sit indultum recitandi mane Vesperas cum Completorio mensibus aestivis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 30. Mart. et 25. Maii 1833.

VESTES.

1) Ecclesiasticae.

a) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia); *Supellectilia.*

Eminentissimi et reverendissimi Patres.

Sapientissimo judicio Vestro haud levis momenti proponitur quaestio, quae

novitatem in sacris ritibus inducendam respicit. Paucis abhinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus vestes ecclesiasticae sacrificio Missae aliisque divinis officiis inservientes conficiuntur. Ex nonnullis planetis Romam dono missis viris distinctissimis dignoscitur texturam seu ut ajunt l' orditura ex gossipio aut simili materia solida compositam esse, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea lucidissima, quae aurea dixisses si ex vitro lux auro simillima produci posset; vitrum autem in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eo pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis a peritis artis textoricae lama d'oro, e d'argento nuncupatis vel etiam admodum operis phrygii disponuntur juxta proprium vocabulum di proccato. Ars hujus inventionis consistit in cognitione rationis, qua filamenta vitrea inserantur, quae facile in minutissima frustula rediguntur: quod ingeniosus auctor nondum patefecit.

Hisce pro dubii explanatione praemissis in ejusdem solutione juvabit imprimis cognoscere quid leges ecclesiasticae super materia sacrarum vestium praescribant.

Rubricae generales Missalis Romani tit.: *Ritus servandus in celebratione Missae cap. 1.* de praeparatione Sacerdotis celebraturi num. 2. advertunt, quod paramenta ipsa non debent esse lacera aut scissa sed integra ac decenter munda ac pulchra. Requiritur itaque ab allato textu decentia in sacris vestibus, quae Missae inserviunt: sicut etiam eruitur ex *can. Vestimenta de consecratione dist. 2.*: Vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur et sacrata esse debent et honesta, quibus aliis in usibus non debent frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis officiis. Quam sententiam sequuntur Scriptores ecclesiastici, qui unanimiter sentiunt in sacris vestibus decentiam requiri ac propterea tenent quod quo magis materia ista pretiosior fuerit et decentior eo erit Deo gratior ac ipsius Ecclesiae menti conformior tamquam correspondens venerationi debitae augustissimo Sacramento. Hinc necesse erit inquirere utrum ob stabilitatis defectum, vilitatem ornatus et rei novitatem hujusmodi vestes ecclesiastico cultui conveniant.

In texturis vitreis stabilitatem non reperiri probatissima res est, quia vitrum ad subtilitatem redactum est fragilissimum ac praeterea secat quamlibet leviorem materiam, quae ipsum pertingat. Praeterea si telae praedictae pluentur contra ordinem ejusmodi texturae, filamenta vitrea in minutissima frustula facile confringuntur, sericum scindunt, a textura dividuntur et in calicem et corporale prosiliunt. Potest etiam evenire, quod Celebrans redeat ab Altare cum planeta omni ornatu carente, immo etiam deformi ob filamenta quae pendere possunt a locis ubi vitrum insertum erat, nam in texturis admodum phrygii operis ita filamenta vitrea ordinata sunt, ut unum ab altero sustentetur ac propterea si decidat filamentum, a quo reliqua sustinentur, deperit illico forma ornatus, florum, crucis aut similis rei vitro elaboratae nihilque remanet nisi filamentorum acervum: ex qua laceratione vestes sacrae ad quodlibet officium ineptae reddantur. Ut itaque videtur periculum, quod particulae vitri cadant in calicem aut corporale, et quod post breve tempus vestes sacrae deformes appareant, hujusmodi textura ab officiis divino cultui deputatis excludenda erit, habita quoque ratione ad vilitatem materiae ipsius, quae opponitur praxi et usui omnium eccle-

siarum ab ipsis religionis christianae servato.

Et re quidem vera ex textu superius relato requiritur in vestibus sacris pulchritudo, nempe quod materia quibus conficiuntur sit pretiosa, sicut ab omnium saeculorum monumentis colligitur: constat enim catholicos curam omnem insumpsisse, ut quaevis ornamenta sacris mysteriis deputata splendidissima semper et pretiosissima apparerent. Sufficiat pro primis Ecclesiae saeculis testimonium auctoris libri Constitutionum apostolicarum, qui splendidam vestem in missa adhibitam commemorat. Pro sequentibus saeculis sat erit neminisse stolam aureis filis contextam a Constantino Magno donatam Macario Hierosolymorum Antistiti, casulam purpuream auro gemmisque praetextam, stolam et orarium aurea textura et pretiosarum gemmarum sideribus insignia, quibus s. Augustinus Anglorum Apostolus A. D. 600 s. Livinum decoravit a die, qua illum Sacerdotem consecravit, et sexcenta alia testimonia, quae passim apud ecclesiasticos scriptores reperiuntur. Pro medio aut infimo aevo ab ecclesiasticis scriptoribus innumera proferuntur testimonia nobisque sufficient exempla Joannis Abbatis Monasterii Montis Cassini, qui A. D. 937 planetam cum listis argenteis pro captivorum redemptione hostibus tradidit, et uxoris Roberti Guiscard A. D. 1036. b. Benedicto planetam purpuream cum friso et cum aquila de margaritis et tunicam unam de panno perso inaurato offerentis. Tandem inutile est pro sequentibus. temporibus auctoritatibus rem probare, cum nemo dubitet in sacrarum vestium ornatum aurum, argentum gemmasque semper adhibitas fuisse. Igitur apparet non recte substitui vitrum auro, argento, gemmis reliquisque materiis pretiosis, quibus per tot saecula consuevit ornari sacras vestes ac proinde novum morem, de quo est sermo, usui tot saeculis religiose servato adversari immo novitatem sapere, quam semper exhorruit Ecclesia.

Facile ostendi posset Ecclesiam semper novitates repugnasse, quae absque necessitate ordinem praescriptum perturbant. Quin antiqua facta recinamus, duo nobis occurrunt recentissima exempla, quae versabantur circa novitates in Ecclesiis inducendas, substituendo videlicet lineae suppellectili pro Celebrantis et Altaris usu telas ex gossipio confectas et candelis cereis candelas ut vocant stearinas. In primo casu haec S. Congregatio, cui hujusmodi quaestiones perlatae fuere cuique incumbit ob sui institutionem ritus veteres retinere, exoletos restituere, depravatos emendare pro Dei cultu, Sanctorum veneratione, populi christiani eruditione et verae fidei protestatione tuetur usum telae lineae ab Ecclesiae primordiis inductum in altero novitatem respuit respondendo: Consulantur rubricae, quae nedum pro sacrificio et Altaris usu verum etiam in ipso Ecclesiarum ornatu cereas candelas praescribunt.

Addi posset alterum argumentum ex ratione mystica desumptum; etenim in ornamentis aureis vel argenteis, quibus distinguuntur sacrae vestes, virtutes indicantur, quae in actibus omnibus, comitare debent Sacerdotem juxta Ivonem Carnotensem, aut angelorum imago repraesentatur in ornatus decore ex s. Gregorii Nazianzeni sententia.

Verum quae attulimus sive pro decentia Sacrificii sive ex usu et praxi tot saeculorum sive ex novitate rei, quae semper in usibus ecclesiasticis perniciosa fuit, ejus ponderis esse videntur, ut novam hujusmodi texturam ab Ecclesiis eliminent.

Verum inter hasce rationes, quae ab usu sacro vitreas texturas excludunt, maximi ponderis est argumentum quod depromitur a scandalosa novitate, quae in sacris ritibus quotidie adduci vellet. Utinam in locis divino cultui dicatis servaretur gravitas, quae decet Domum Dei et domum orationis sicut ex tot loculentissimis patrum nostrorum exemplis edocemur. Certe profanationi via quaevis intercluderetur, si quaerendo quae Dei sunt in ipso apparatu, in musicarum harmonia, in luminum quoque dispositione, immo in ipsa Verbi Dei praedicatione, loca sacra a theatris aliisque profanis spectaculis distinguerentur. Adverti quidem posset cum s. Innocentio: Si instituta ecclesiastica integra vellent servare Domini Sacerdotes nulla diversitas, nulla varietas haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc aestimat esse tenendum inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur ac fit scandalum in populis etc. Itaque proposito dubio negative responderem, si tamen videbitur sapientissimo judicio Vestro, cui, quae hucusque exposui, humillime submitto.

Corresp. de Rome 14. Junii 1831. num. 67. 284.

b) Nitor.

Quod Deus in veteri testamento et praecipue in Exod. cap. 28. de necessitate atque nitore sacrorum suppellectilium, quae cruentis sacrificiis inservire debebant, praescripsit, Ecclesia catholica a primis usque temporibus ad majorem divini cultus splendorem penitus adimplevit. Testis est *Theodoritus Hist. Eccl. lib. 2. cap. 27. pag. 3.*, qui refert ipsum Constantinum Macario Episcopo Hierosolymitano sacram vestem aureis filis contextam donasse, ut ea indutus Sacra posset peragere. De necessitate ac nitore s vestium sancitum fuit in concilio Laodic. anno 363. can. 22. et 23., in in Concilio Carthaginiensi IV. Can. 41. Idipsum ss. Patres voluere, ut Gregorius Nazianzenus in Som. de Athanasio tom. 2.,Hieronymus lib. 1. contra Pelagium, Chrysostom. Homil. 6. ad popul. Antiochen., s. Leo IV. in homil. de cura pastoral. tom. 8., concil. general. Collect. Labbeon., s. Petrus Damian. lib. 4. Epist. 14. tom. I., Conc. Lateran. cap. 19. relat. in cap. Relinqui 2., Conc. Trid. sess. 22. cap. 5., ibi: „Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia vestes instituit aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo mentes Fidelium per haec visibilia Religionis et Pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur.“

(Ex resol. S. C. C. die 8. Augusti 1801. *Praenestina.*)

Vd.: *Paramenta; Munditia*; *Supellectilia.*

c) Profanus usus.

Vd.: *Vasa s.* (prof. usus); *Paramenta.*

Vestes sacrae non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap.: *Semel* 51. de Reg. Juris in 6. et concordat can.: *Quae semel* 4. caus. 29. q. 3. Nec ad alios usus, quam quibus dedicatae sunt, transferri debent; can.: *vestimenta* 42. et can.: *Ad nuptiarum* 43 de consecr. dist. 1.

d) Vetustae.

Vestes sacrae, cum fuerint vetustate consumptae, incendio dandae sunt et cineres in Baptisterio vel alio loco

abdito et honesto condi debent; can.: *Altaris* palla 37. de consecr. dist. 1.

2) Ecclesiasticorum in eorum Sepultura.

Vd.: *Sacerdos def.; Paramenta Episcopi post obitum.*

VESTIS.

1) Alba in Baptismo.

Vd.: *Bapt.* (vestis).

2) Caudatarii Cardinalis.

Vd.: *Caudatarius.*

Brevis instructio pro DD. Caudatariis circa vestes quibus de more utuntur in functionibus Emorum et Rmorum DD. S. R. E. Cardinalium.

1. Caudatarius in omnibus capellis pontificiis procedit in habitu violaceo, id est, cum toga, veste superiore, vulgo soprana et caputio praedicti coloris; idemque observandum est in capella, quae celebratur die festo sancti Thomae Aquinatis in templo divae Mariae super Minervam.

2. Induet togam violaceam et pallium talare nigrum in omnibus capellis cardinalitiis.

3. Cum eadem toga violacea et pallio nigro progredietur in omnibus supplicationibus et in omnibus publicis precibus, quocumque tempore et in quacumque Ecclesia peragantur sive pro indulgentia sive pro quacumque alia urgente necessitate ipsae fiant. Et hoc servatur si tam in supplicatione vel publicis precibus supradictis interveniat quam si non intervenit Summus Pontifex. Similiter quando peraguntur supplicationes in octava Corporis Christi, quamvis iisdem interesset unus tantum Cardinalis cum cappa ut fieri solet.

4. In omni consistorio publico procedit cum toga, superiore veste sive soprano et caputio eo modo, quo superius dictum est de capellis pontificiis. Sed in consistoriis semipublicis incedet cum toga violacea et pallio talari nigro; tandem in consistoriis secretis progredietur cum vestibus communibus, quibus pro more utuntur caeteri capellani.

5. In casu earum Congregationum, quibus consuescunt adesse Emi DD. Cardinales si eo tempore in Palatio Apostolico incideret capella pontificia et in fine praedictarum Congregationum Emi DD. optarent interesse capellae, sicuti aliquando obvenire solet, in hoc casu caudatarius incedet cum toga violacea et deferendam curabit vestem superiorem cum caputio, quam induet tunc cum Emi DD. profecturi erunt; ab hoc ingrediatur in capellam cum toga, veste et caputio.

6. Quando S. Pontifex se conferet ad aliquam Ecclesiam sacrificium peracturus caudatarii Emorum Cardinalium accedentium, ut adsint Summo Pontifici sacrum facturo, procedant cum toga et pallio coloris nigri et hic est habitus, quo communiter utuntur caeteri capellani.

7. In exequiis anniv., quae pro summis Pontificibus celebrantur ex more in Basilica Vaticana, induent togam violaceam et pallium nigri coloris, sed tamen in illis, quae persolventur in capella palatii apostolici, togae violaceae adjicient vestem superiorem et caputium, ex eo quia est capella pontificia.

8. In conclusionibus, quae propugnantur in cancellaria a DD. praelatis auditoribus S. R. Rotae et a DD. Advocatis consistorialibus, utentur toga violacea et pallio nigro.

9. Cum Cardinalis Cardinalem of-

ficiose visendum adibit, sive visitatio sit publica sive privata, dummodo procedat in habitu, in privatis visitationibus caudatarius visitati praemittet Capellanum, qui visitantis vestem sublevet tam in accedendo quam in recedendo usque ad currum et ipse suum ministerium exhibere debet.

10. In concionibus, cum Cardinalis concionem audiendam adibit, quamvis inducant cappam, ut concioni assistant, caudatarius incedet cum toga et pallio nigri coloris, eo, quia evenire potest, quod passim contingit, ut alter vel plures Cardinales post congregationes se conferant ad audiendam concionem, ubi interest alter Cardinalis; quod cum praevideri non possit ab eorum caudatariis, qui procedunt in habitu communi, indecens foret, ut quidam inspicerentur cum toga violacea et alii cum toga nigra.

11. In omnibus aliis circumstantiis ultra jam praenotatas caudatarii utantantur semper talari veste et pallio nigri coloris.

Die 14. Maii 1706.

(Anal. J. P. 1857 pag. 1929.)

3) Caudatarii Episcopi.

Ad dub.: An, quando Episcopus ipse defert Sanctissimum Sacramentum sub baldachino, ipsius caudatarius, qui saepe saepius est laicus et laicis vestibus indutus, incedere possit sub baldachino et intra baldachinum?

S. C. resp.: Caudatarium veste talari et superpelliceo uti debere et incedere post Episcopum, nulla habita baldachini ratione.

Die 11. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 pag. 1429.)

4) Clericorum.

Vd.: *Habitus Clericor.; Caeremon.* (vestis); *Sacerdos* (habitus); *Talaris.*

5) Episcopi.

Vd.: *Episcopus* (habitus, vestis.) *Episcopus titut.; Cappa; Mozzetta; Titularis episcop.*

a) Regularis.

Vd : *Regul. episcopus.*

(Privileg.)

Facultas utendi vestibus episcopalibus pro religiosis regni Poloniae, qui ad episcopalem dignitatem promoventur.

Venerabili fratri
Prospero Episcopo Sandomiriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit in regno Poloniae consuetudinem invaluisse, ut Episcopi, etiamsi in aliquo regulari ordine professionem emiserint, antequam ad episcopatum essent electi, nihilominus apostolico eis suffragante indulto, eodem, quo alii Episcopi, e clero assumpti saeculari, in episcopalibus aliisque eorum propriis functionibus utuntur vestitu, ideoque te, qui in in ordine minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupati professionem emisisti regularem, memorato donari privilegio summopere exoptare humiliterque exposcere.

§. 2. Nos igitur te specialibus favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae, ut regulari professione in ordine praedicto a te emissa minime obstante tua durante mora in regno praedicto in posterum eodem vestitu, quo alii Episcopi in regno saeculari assumpti in praedictis functionibus utuntur, ac etiam rocchetto loco cottae in pontificalibus aliisque functionibus peragendis uti libere et licite possis et valeas

auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Septembris 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 338. Ed. Romae.)

b) In Synodo.

Vd.: *Episcop.; Episcop. titul. et regul.; Titul. et Regul. Episcopus.*

Sacrae vestes cujusque dignitatis seu ordinis gestandae sunt a Clericis Synodo interessentibus, ut ex antiquis Synodorum Constitutionibus et more moderno erudite tradit *Benedictus XIV.* de Synodo dioecesana lib. 3. cap. 11. n. 1. 2. et 3. *Et inprimis Episcopus in Congregationibus antesynodalibus* in aedibus episcopalibus fieri solitis praesidet indutus habitu praelatitio, rocchetto scilicet et mozzetta; *cum ad Ecclesiam accedit Synodum incaepturus* aut prosecuturus incedit indutus Cappa; priusquam preces recitet, quae cujusque sessionis initio dicendae sunt, praeter superpelliceum, amictum et stolam induit pluviale rubeum. In solemni supplicatione seu processione, quae cum universo Clero in Synodi initio et fine per urbem institui solet, pergit indutus alba, stola, pluviali rubeo, Mitram pretiosam et pastoralem baculum deferens et *has easdem vestes in sessionibus synodalibus retinet:* Idem loco citato num. 3. ex *Caeremoniali Episcop.* lib. 1. cap. 31. et *Gavant.* in praxi Synodi dioecesanae cap. 13. Secunda autem die Synodi recitat consuetas preces Defunctorum in pluviali nigro et tertia die assistit Missae cum stola et pluviali albo. *Idem* libr. 6. cap. 1. num. 4.

c) In variis temporibus.

Vd.: *Mozzetta; Rocchettum; Mantelettum; Regul. Episcop.; Titul. Episcop.*

Episcopus postquam ad suam dioecesim et civitatem et Archiepiscopus ad suam provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis sive laneis sive ex camelotto, superinduta super Rocchettum Mozzetta. Et domi eodem utetur habitu, saltem dum sit aliqua congregatio coram ipso Episcopo vel Ordinandorum examen vel aliquid simile; ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitano, dum celebratur Concilium provinciale; quo habitu, scilicet, Mozzetta cum Rocchetto discooperto in dictis congregationibus utetur tam ipse Metropolitanus quam alii Episcopi provinciales, qui ibidem pro Synodo celebranda convenerunt. Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit, quoties per civitatem et terras seu oppida suae dioecesis incedet. Sed habenda est distinctio temporum; nam *in Adventu,* incipiendo a Septuagesima per totam Quadragesimam, item in omnibus vigiliis, quibus jejunatur et in quatuor temporibus (exceptis his, quae incidunt post Pentecosten) ac sextis feriis totius anni, differens erit vestium gestatio, quia tunc Episcopum decet uti vestibus laneis et nigri coloris, excipiendo tamen aliquot dies, quibus signum moestitiae ostendi non debet, videlicet a die Nativitatis Domini et per totam octavam Epiphaniae, a die Dominicae Resurrectionis usque ad Dominicam SS. Trinitatis, item per octavas Festorum SS. Sacramenti, Assumptionis gloriosae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiae Cathedralis et sancti Patroni Civitatis ac Dedicationis propriae Ecclesiae; item in anniversariis electionis et consecrationis ipsius Episcopi,

die adventus alicujus magnis principis vel cum celebratur aliqua publica laetitia: in aliis vero octavis, ut Nativitatis gloriosae Virginis, Sancti Joannis Baptistae, Sancti Laurentii, dies tantum octavarum excipiuntur; similiter omnia festa duplica, quae per annum incidunt extra Adventum, Septuagesimam et Quadragesimam, sed Annuntiationis festo, etiamsi infra Quadragesimam occurat, vestibus violaceis uti debent. Haec quae dicta sunt, circa *vestes quotidianas* observanda sunt. Quoad *Cappas* vero, quibus Episcopi in propriis Ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneae et violaceae, et non alterius coloris. In solemnioribus tamen festis, quae in rubricis Breviarii primae classis vocantur, dempto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris, quibus quidem cappis pelliculae albae circa collum et pectus de more consutae sint, quae deinde vigilia Pentecostes seu pro diversitate locorum citius aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, praeintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, removentur et loco pelliculorum sericum rubrum apponitur. Canonici vero regulariter in Ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt et loco earum assumunt cottas supra rocchettum. Caeterum, quod dicitur de hujusmodi Episcoporum habitu, tam capparum quam ceterarum vestium, *non est intelligendum de Episcopis regularibus,* qui non mutant colorem sui habitus neque induunt rocchettum, sed in Ecclesia propria uti debent cappa coloris suae religioni convenientis pellibus seu serico ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula Clerici regulares Canon. regul., qui rocchetto utuntur et colore violaceo, ut et Presbyteri S. Spiritus et Militiarum s. Joannis, s. Jacobi et aliarum. Omnes autem tam saeculares quam religiosi Episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur, cordulis pariter et floccis sericeis viridibus ab eo pendentibus. Galerus quoque duplicis formae habendus est, alter quo in solemnioribus equitationibus utuntur, ejusdem formae (praeter colorem) quo Emminentissimi Cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt, alter simplicior, uterque ex lana ac serico viridi exornati. *Extra Dioecesim et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur Cappa* cum in divinis Pontifice Maximo vel sacro Cardinalium Collegio praesente assistunt. Dum iter agunt, utuntur brevioribus vestibus cum manicis sub genu per palmum vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis ut supra explicatum fuit, circa collum vero fasciam sericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum vel circa, longitudinis fere ad mensuram vestium pendentium habere consueverunt. In Dioecesi autem vel Provincia mozzetta superinduenda est sine praedicta fascia.

Caer. Ep. l. 1. c. III.

Ad dubium: Juxta Caeremoniale lib. 1. cap. III. n. 2. tempore Adventus et a Septuagesima ad Pascha etc. Episcopum decet uti vestibus nigris, excipiendo tamen aliquot dies festivos, quum celebratur aliqua publica laetitia; quaeritur autem: utrum excipi etiam debeant Festum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis' feria quinta in Coena Domini et dies quibus Episcopus visitat parochias, quae visitatio est festivitas laetitiae?

S. C. resp.:

Feriam quintam in Coena Dom. non esse excipiendam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2197.)

6) Episcopi et Sacerdotis def.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Episcopus*; *Paramenta Episc. post obitum.*

7) Religiosorum non possunt indui a Saecularibus.

Vd.: *Repraesentationes etc.*

Saeculares utentes vestibus Religiosis ignominiose in ludis vel in lasciviis peccant mortaliter et incurrunt graves poenas et possunt puniri per Judices saeculares. Unde *Concilium Mediolanense* 1. p. 2. tit. de Clericorum vestitu expresse statuit, quod induentes vestes Religiosorum ad mascheras gravi poena puniantur et etiam illi, qui eas commodant. Et *Ursaya* Inst. crim. lib. 2. tit. 6. num. 112. cum aliis ibi citatis observat, quod verbum *Maschera* derivat a dictione *Mascha*, quae apud Longobardos significat Kacodaemones et Lamias, exinde inferendo solum nomen mascherae horridum et perniciosum esse.

Hinc locorum Ordinarii aliique Praelati regulares non debent dare licentiam nec permittere, quod Moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, proprias religiosas vestes dimittant et assumant alienas mascheras. Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Ferrar. 27. April. 1664.

VESTITIO MONIALIUM

Vd.: *Bened. Monial.* (missa)

VEXILLIFER.

Non licere Vexillifero capite cooperto vexillum deferre nec inter Capitulares, sed detecto capite incedere debere inter laicos et contrarium abusum omnino prohibendum. n. 3225, die 10. Jun. 1690.

VEXILLUM.

1) Cleri in proccessione.

Mantuana.

Cum institutum fuerit coram episcopo Mantuano a parochis et capellanis civitatis Mantuae tamquam divisim viventibus a canonicis et beneficiatis cathedralis ejusdem, vigore eorum statuti sibi competere jus erigendi proprium vexillum et obtinuerint ex decreto praefati episcopi sub die 3. Jun. 1689 emanato, eisdem parochis et cappellanis licere erigere palium seu vexillum, sub quo incedere debeant in processionibus in eodem loco, quo incesserunt in processione divi Marci anni proxime elapsi 1689, modo capitulum et beneficiati praedicti recursum habuerunt ad hanc S. Rituum Congregationem pro infirmatione et revocatione praedicti decreti episcopi. Et eadem Sacra Congregatio utraque parte audita et informante, tam in voce quam in scriptis, referente Emo de Laurea, censuit decretum episcopi non sustineri et quoad locum audiantur interesse habentes; et ita decrevit et servari mandavit.

Die 11. Februarii 1690.

(Anal. J. P. 1865. p. 1311. n. 2411.)

Alexd. PP. IV. ad Clerum Urbis de processione, quae fit ad Basilicam s. Petri die festo s. Marci.

Provida de liberatione decernimus et irrefragabili constitutione sancimus ut Canonici tam saeculares quam regulares et monachi omnium parochialium ecclesiarum cum crucibus et aliis insigniis consuetis, ecclesiarum vero presbyterornm et diaconorum cardinalium et monasteriorum cum crucibus propriis et vexillis, archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratuum et capellarum exemptarum et omnium a-

liarum, quae duodecim denarios vel plures pro hujusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argentis, aureis vel aliis, quas habent, et cum vexillis, si habent, et portare consueverunt, Clerici quoque aliarum capellarum, quarum singulae tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt vel cum propriis crucibus et vexillis, vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induti vestimentis sericis, aut superpelliccis, sive cottis, in eodem festo vadant processionaliter annuatim ad basilicam supradictam recepturi salarium vel presbyterium consuetum, quod eis per canonicos ejusdem basiliae et unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres Minores, Praedicatores, Eremitae ac religiosii cujuscunque ordinis, cum crucibus in eodem festo processionaliter vadant ad basilicam memoratam.

Die 20. Apr. 1260.

(Bull. R. t. III. p. 671. Ed. Aug. Taur.)

Pius PP. VII.

Canonicis Colleg. s. Christinae Civit. Eugubinae.

Ut S. Crucis vexillum in capitularibus processionibus elatum praeseferre possitis concedimus et indulgemus.

Die 22. Nov. 1805.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 394.)

2) Confraternitatis.

Facultas confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti loci seu Castri s. Petri Bononiensis dioecesis elevandi in processionibue proprium vexillium vulgo confalone o stendardo.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confratres archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti in loco seu in castro sancti Petri istius Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, erectae, quod cum jamdiu eadem archiconfraternitas in dicto castro instituta ac inter ceteras ejusdem castri confraternitates ipsa perantiqua ac ob pia opera, quae a dictis confratribus exercentur, maxime illustris existat, hinc ipsi, quemadmodum aliae confraternitates praesertim sub titulo sanctissimi Sacramenti in hac tua dioecesi solent licentiam elevandi in publicis functionibus et prosessionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo stendardo o confalone, eis per Nos concedi summopere possidere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis dictae archiconfraternitati seu ejus confratribus pro tempore existentibus licentiam elevandi in quibusvis processionibus et supplicationibus aliisque publicis functionbus per dictum castrum pro temporie habendis proprium vexillum vulgo

stendardo o confalone nuncupatum auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia concedas et indulgeas.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 22. Apr. 1788.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 145. Ed. Romae.)

Confirmatio Brevis Clementis XIII., sententiae A. C. et rescripti Domini Cardinalis pro-auditoris, in quo conceditur confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii in castro s. Petri Bononiensis dioecesis canonice institutae facultas elevandi proprium vexillum vulgo confalone in processionibus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Commissae Nobis apostolicae Sedis Nos hortatur auctoritas ut nedum locis sed etiam personis auxilium devotione debita implorantibus praesidium impendere debeamus, quia sicut injusta poscentibus nullus tribuendus est effectus sic legitima et justa desiderantium nulla est differenda petitio.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confratres archiconfraternitatis sub invocatione ss. Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctae Mariae Majoris loci castri sancti Petri Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, institutae, quod alias a felicis recordationis Clemente PP. XIII. praedecessore Nostro rescripta felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris itidem Nostri, ac instrumentum super facultate ac licentia elevandi in publicis functionibus per dictum castrum sancti Petri pro tempore babendis proprium vexillum, vulgo stendardo o confalone nuncupatum, a bonae memoriae Vincentio, dum vixit, Cardinale Malvetio, ex concessione et dispensatione apostolica tunc archiepiscopo Bononiensi in vim facultatum sibi a memorato Benedicto praedecessore concessarum confirmari obtinuerunt per suas literas in simili forma Brevis die 4. Sept. 1759 expeditas tenoris, qui sequitur:

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confraternitas sub invocatione ss. Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctae Mariae majoris castri sancti Petri Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, institutae, quod alias dilectus filius Noster Vincentius Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Malvezzi nuncupatus metropolitanae ecclesiae Bononiensis ex concessione et dispensatione apostolica praesul vi facultatum sibi a felicis recordationis Benedicto Papa XIV. praedecessore Nostro attributarum ipsis exponentibus licentiam elevandi in publicis functionibus et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum, vulgo stendardo o confalone nuncupatum, illoque sub nonnullis praescriptis conditionibus utendi concessit prout constat ex publico ea super re confecto instrumento, tenoris sequentis nempe: In Dei nomine. Amen. Fidem facio et attestor ego notarius infrascriptus s. pastoralis visitationis cancellarius, qualiter occasione dictae s. pastoralis visitationis sub die octava Maii 1756 per Emum et Rmum dominum Cardinalem Bononiae Archiepiscopum et principem habita de Ecclesia archipresbyterali sanctae Mariae Majoris castri sancta Petri Bononiensis dioecesis inter cetera sequens factum fuit decretum videlicet: Attentis supplicationibus humillime porrectis SSmo

Domino Nostro Benedicto XIV. mediante Imelda Lambertini moniale in monasterio sanctae Mariae novae Bononiae et ejus ex fratre nepte dilectissima nomine prioris et confratrum omnium dictae archiconfraternitatis, ut inter tot gratias ac privilegia in sua elevatione eidem concessa etiam ipsam vexillo vulgo confalone insigniri dignaretur, quas preces nostro arbitrio et prudentiae cum opportunis et necessariis facultatibus remisit, ut per epistolam et supradictae excellentiae suae neptis nobismetipsis sub datum in arce Gandulfi 15. Junii 1754 Sanctitas Sua significavit.

Nos occasione hujus Nostrae sacrae postoralis visitationis supradictae plebanae ecclesiae mandavimus, ut confratres ipsius archiconfraternitatis cappa induti sub suo signo praecedente vexillo *volgo confalone* accederent ad palatium nobilis viri comitis Caesaris Malvasia in eodem castro pro nostra residentia occasione talis visitationis nobis assignatum et ad archipresbyteralem supradictam nos sociarent, ut prompte exequi fecerunt completa visitatione pastorali et confirmationis sacramento administrato aliisque de ritu peractis, cum publicae venerationi extaret statua beatae virginis Mariae de Rosario in cappella ipsius archiconfraternitatis exposita et ad petendam necessariam pluviam solemnis supplicatio magno populi Clerique concursu ac nostro interventu cum eadem beata virgine Maria de Rosario per vias ejusdem castri instructa fuit a confratribus supradictae archiconfraternitatis cum dictis vexillo et signo ipsam praecedentibus data per nos deinde benedictione cum dicta beatae Mariae Virginis statua eaque in suo altare reposita et sic omnino expleta functione in sacrario ecclesiae archipresbyteralis fuerunt de nostro expresso mandato convocati officiales omnes tam dictae archiconfraternitatis quam confraternitatum ss. Sacramenti et sanctae Catharinae virginis et martyris in eodem castro erectarum et existentium, quibus omnibus per nos patefacta fuit *specialis gratia* a praelibato SSmo Domino Nostro Papa feliciter regnante concessa ipsis confratribus archiconfraternitatis SS. Rosarii usus et delationes in processionibus vexilli *vulgo confalone in privilegium praecipuum* et in honorem distinctum archiconfraternitatis et terrae suae seu castri; ad evitandas porro omnes dissentiones, quae ex parte supradictarum confraternitatum aliquando exoriri possent, occasione *tam insignis gratiae* injungimus et stricte mandavimus etiam sub poenis arbitrio nostro et successorum nostrorum reservatis, confratribus archiconfraternitatis SSmi Rosarii tam praesentibus quam futuris, ut hujusmodi gratia moderate et praecedenter utantur attributa postea eisdem facultate deferrendi dictum vexillum vulgo confalone semper et in omnibus et quibuscumque processionibus et supplicationibus de ritu, de praecepto, de lege et de consuetudine loci et archiconfraternitatis necnon in aliis a Nobis et a successoribus Nostris forsan demandandis siculi etiam ab archipresbytero pro tempore ordinandis in quocumque casu et necessitate eidem benevisis, hac tamen lege, sine qua hujusmodi gratia ipso facto corruat, quod in supra expressis supplicationibus, quando non interveniat, nisi sola archiconfraternitas sanctissimi Rosarii sub suis signo et vexillo ut supra intercedere possit ac valeat semper et quotiescumque eidem placuerit, quando vero interveniant cuicumque ex supradictis processionibus aut una aut ambae aliae duae confraternitates nempe sanctissimi Sacramenti et sanctae Catharinae, hoc casu archiconfra-

ternitas *ipso dicto vexillo vulgo confalone et suo signo insimul uti pariter possit* et valeat, sed semper sine minimo praejudicio praecedentis praeeminentiae, jurisdictionis, aut quorumcumque aliorum jurium, etiam speciali et individua mentione dignorum, aliis duabus confraternitatibus spectantium et competentium et ubicumque, ita ut per supradictam gratiam usus et delationis dicti vexilli confalone nuncupati nullum umquam majus aut alterius jus ipsi archiconfraternitati sanctissimi Rosarii acquiratur et ne minimum quidem praejudicium uni vel alteri vel ambabus insimul confraternitatibus et sic distinctim vel unitim unquam inferatur: et hoc inhaerendo expressae et Nobis patefactae intentioni et voluntati Sanctitatis Suae occasione gratuitae condecorationis, ut supra concessae, et non alias, nec alio modo sed et omni etc. Quibus omnibus officiales dictarum archiconfraternitatis et confraternitatum, etiam nomine aliorum confratrum eorumque successorum perpetuo obedire reddiderunt, utque in libro, in quo adnotata reperiuntur dicta decreta, ad quod etc. In fidem etc. hac die 12. Februarii 1759.

Ex audientia SSmi die 10. Julii 1756.

Sanctissimus praevia avocatione causae ab A. C. et ab alio quovis judice seu tribunali indultum utendi introscriptis insigniis del confalone nuncupatis confraternitati oratrici alias a Sanctitate Sua concessum benigne confirmavit et quatenus opus sit de novo concessit dictaeque confraternitatis priori et hominibus hujusmodi insignium usum in processionibus perpetuo competere nec ab aliis confraternitatibus castri sancti Petri, etiam vigore anterioris cujusdem rescripti in aliis rerum circumstantiis a Sanctitate Sua emanati et consecutivi decreti curiae archiepiscopalis Bononiensis seu alio quocumque praetextu iisdem prohiberi posse decrevit et ad dominum Cardinalem Archiepiscopum Bononiensem etc. J. C. Boschi Secretarius.

In hoc rerum statu dicti exponentes licet nulla quaestio super indulto sibi concesso elevandi proprium vexillum seu confalone oriri posse videatur, nihilominus ad dirimendas quascumque lites, quae sub praetextu quod facultas sibi concessa per simplicia rescripta sit attributa, in posterum oriri forsan possent praemissa omnia per Nos confirmare seu de nova concedi plurimum desiderent,

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinserta instrumenta ab ipso Vicentio Cardinali et Archiepiscopo, ut praefertur, super praefata facultate elevandi proprium vexillum seu confalone ipsis exponentibus concessa, inde confecta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus ac eisdem modernis et pro tempore existentibus memoratae archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii priori, officialibus et confratribus facultatem elevandi proprium vexillum vulgo confalone in quibusvis processionibus et

supplicationibus aliisque publicis functionibus, servata tamen forma et concessione ac tenore primodicti praeinserti instrumenti, auctoritate et tenore praefatis, quatenus opus sit, de novo concedimus ac impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 4. Septembris 1759.

Pro domino Card. Passineo.
Joannes Floricus substitut.

Ex audientia Sanctissimi.

Die 12. Augusti 1780.

Sanctissimus auditis informatione et voto Eminentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis privilegium elevandi in publicis functionibus et processionibus quibuscumque per castrum sancti Petri habendis vexillum seu confalone venerabili Archiconfraternitati oratrici indultum a sanctae memoriae Benedicto XIV. et subinde a sanctae memoriae Clemente XIII. confirmatum benigne iterum confirmavit et approbavit juxta petita; necnon insuper ad dirimendas praecidendasque lites et controversias super eodem vexillo fortasse exoriendas declaravit, eidem Archiconfraternitati oratici licere uti proprio vexillo seu confalone eisdem modo et forma, quibus utuntur et sacrosanctae urbis basilicae et venerabilis Archiconfraternitas s. Mariae Virg. ejusdem civitatis Bononiensis, contrariis quibuscumque non obstantibus: et ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Brevium Pro-Secretarium pro expeditione Brevis in forma.

B. Card. Giraud, Pro-Auditore.

Loco † Signi.

Hinc, ut tam dictas literas apostolicas memorati Clementis praedecessoris Nostri necnon sententiam A. C. ac praedictum rescriptum, quo firmius subsistant atque serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio per literas in simili forma Brevis communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati praeinsertas memorati Clementis praedecessoris apostolicas literas necnon dictam sententiam A. C. et nostrum rescriptum auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus eique apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 13. Septembris 1780.

(Bull. r. Contin. t. VI. pag. 245.)

3) In funeribus.

PP. Minores Convent. in associatione cadaverum tam in propriis quam in aliis Ecclesiis tumulandorum non possunt erigere vexillum seu stemna religionis vulgo *stendardino*. n. 4430 ad 2 die 18. Septembris 1787.

Vd.: *Processio funebr.* (crux eccl. tumul. — Instit. Bened. XIV.)

4) In processione SSmi.

Non licere Confraternitati Suffragii in Cathedrali Antuerp. exponere SSmum cum apparamentis ***nigris*** et in pro-

cessione illud deferre cum vexillis nigri coloris. n. 3075 ad 1 die 10. Februarii 1685.

Vd.: *Crux hastata,* (decr. n. 4894); *Vexillum Cleri* (Constit. Alexand. IV.)

5) **In signum dedicat. Eccles.**

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicujus Ord.* (decr. n. 4842.)

6) Sign. victoriae in Eccles. asservandum.

Insignia sive vexilla apposita in Ecclesiis in signum alicujus victoriae contra *s. fidei hostes* obtentae in constitutione Piana (Pius V.) non comprehendi censuit. S. C. Ep. 22. Martii 1580.

VIA CRUCIS.

1) Benedictio.

a) Qua in re consistit?

Vd.: *Via Crucis* (renovat.)

b) Amissio.

Multoties ad dealbandas parietes ab iis disjunguntur simul vel successive quatuordecim cruces vel imagines viae crucis, aliquando ex una Ecclesia in aliam transferuntur vel in oratorium: quaeritur: an amittantur benedictio et indulgentiae?

S. C. resp.: Non amittuntur benedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum crux removeatur a pariete Ecclesiae ad illam dealbandam, sed si simul omnes cruces removeantur, (ut postea iterum ponantur in dicta Ecclesia) fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam Ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine apostolica facultate.

Die 20. Junii 1836.

(Anal. J. P. 1858 pag. 773.)

Ad dub. 1: An quando in priorum tabularum locum aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi et Viam Crucis erigendi?

2. An mutatio tabularum et crucium de loco in locum in eadem Ecclesia secum importet annihilationem indulgentiarum Viae Crucis annexarum?

S. C. resp. ad I.: Negative, dummodo substitutio non sit majoris partis Crucium.

Ad II.: Negative, quando fit in eadem Ecclesia.

Die 12. Augusti 1842.

(*Ibid.*)

Ad dub. 1.: An quando cruces quaedam seu imagines stationes viae crucis repraesentantes ob reparationem seu ornamentum templi vel ob quoddam aliud motivum legitimum sunt provisorie tantum translatae ad paucum vel ad longum tempus, istud sacrum exercitium viae crucis amittat indulgentias sibi annexas?

2.: An in casu amissionis indulgentiarum et translationis provisoriae quarumdarum imaginum necessaria sit nova istarum seu omnium imaginum benedictio?

3. An supposita illa nova imaginum benedictione requirantur denuo omnes Caeremoniae praescriptae, sicut pro prima institutione viae crucis?

Sacra etc. resp. ad I.: Negative.

Ad 2. et 3.: Jam responsum in primo.

Die 3. Augusti 1842.

(*Ibid.*)

Curatus parochialis Ecclesiae de Saint-Quen, Civitatis Rothomagensis, petit a S. Congregatione potestatem

permutandi quoad locum viae cruces stationes in propria Ecclesia existentes eisque substituendi alias stationes seu tabellas absque ulla peculiari caeremonia ita tamen ut hae postremae eisdem fruantur indulgentiis?

S. C. respondit: Ex pluribus hujus S. C. decretis colligitur minime necessarium esse facultatem commutandi stationes seu cruces quoad locum, dummodo agatur de eadem Ecclesia, minimeque facultate indigere substituendi stationes seu tabellas dummodo tamen cruces omnes superpositae vel in *majori* numero perseverent, secus vero, nova erectio novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate.

Die 20. Augusti 1844.

(*Ibid.* pag. 774.)

2) Erectio.

a) Asservatio rescripti.

Circa erectionem viae crucis omnia, quae talem erectionem respiciunt, nempe postulatio, erectionis concessio et instrumentum erectionis tam in actis Episcopatus quam in codicibus paroch. remanere debent. Si literae erectionis deperditae fuerint, ex actis episcop. testimonium repeti debet.

S. C. J. 25. Septembris 1841; 27. Januarii 1838.

b) Facultas et locus.

Vd.: *Via crucis* (Erectionis facultatis tenor; Erectionis modus ab Ep. etc.)

Quoniam dilectus filius Leonardus a Portu Mauritio, ejusdem ordinis minorum reformatorum nuncupatorum frater expresse professus, nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum praeinsertas literas Clementis praedecessoris praefati et in eis contenta quaecumque, quo firmius subsistant et serventur exactius, confirmare verum etiam nonnulla ut infra declarare et praescribere de benignitate et auctoritate apostolica dignaremur, Nos igitur ipsum Leonardum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Leonardi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinsertas Clementis praedecessoris literas et in eis contenta quacumque auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus necnon earumdem praeinsertarum literarum tenorem, formam et dispositionem sine ulla interpretatione et restrictione omnino inposterum servari mandamus. Praeterea cuicumque parocho, ut praevia proprii Ordinarii seu Antistitis in scriptis obtinenda licentia, sub directione cujuslibet fratris ejusdem ordinis minorum sive observantium sive reformatorum sive collectorum vel ad excipiendas sacramentales christifidelium confessiones approbati vel praedicatoris verbi Dei de quocumque conventu, sive proximo sive remoto, ad parochi arbitrium, de suorum tamen superiorum consensu ac permissu erigendi viam crucis seu Calvarii, ut praemittitur, sive in propria parochiali Ecclesia sive alibi in ejusdem parochialis Ecclesiae districtu erigendi facultatem tribuimus et impertimur. Volumus autem, ut via crucis seu Calvarii hujusmodi in iis civitatibus, oppidis et locis, ubi ab ipsis fratribus ordinis praefati in suis respective Ecclesiis sive alibi jam erecta reperitur, de novo minime eri-

gatur, nisi ubi, licet alia in civitate, oppido et loco quolibet via crucis et Calvarii hujusmodi erecta fuerit, ea tamen vel itineris longitudo vel viae asperitas, ut christifideles non sine gravissimo incommodo aut nullo pacto illuc ad eamdem viam crucis seu Calvarii peragendam accedere valeant. Quo casu locorum ordinarii, quorum arbitrio ac prudentiae praemissa omnia ordinandi ac praescribendi relinquimus, ordinent et praescribant etc.

Datum Romae etc. die 30. Augusti 1741.

(Anal. J. P. 1858 pag. 762,)

In Provincia Helvetica.

Commendabilis sollicitudo Patrum Capucinorum difficilioribus obeundis missionibus emicare videtur in Helvetica Provincia, ubi austerioris vitae exemplo et apostolico munere, praesertim in adjuvandis catholicis, desertam prope vineam Domini colere satagunt. Inter plurima pietatis ac religionis opera dominicae Passionis cultum impensius promoventes viam crucis, quia patientis Domini mysteria facilius meditantur, instituere cupiunt; quod quidem opus ut uberiori fructu coalescat, opportunum imo necessarium adstruunt a s. Sede indulgentias eidem pio operi concessas assequi posse. Verum, cum earum erectio tantummodo ad fratres sub regimine P. Generalis Observantiae limitata sit vigore Brevis SS. D. Nostri incipientis: *Exponi* etc. sub datum 16. Januarii 1731, quorum in Provincia Helvetica neque conventus neque missionarii degunt, ut testatur etiam P. Vice-Commissarius Generalis Observantiae, hinc Patres Capucini supplicant pro facultate erigendi viam crucis in eadem provincia cum concessione consueta indulgentiarum. Remissis a P. Generali Capucinorum, instante etiam nomine totius Helvetiae, ne scilicet tam praeclaro spirituali emolumento careant incolae fideles acatholicique magis ac magis aedificentur, dignabuntur idcirco EE. VV. respondere: *An PP. missionariis capucinis degentibus in Helvetia, ubi non adsunt Patres Minores de Observantia, danda sit facultas erigendi viam crucis cum indulgentiis annexis in casu etc.?*

S. C. respondit: „Auditis RR. Patribus Observantiae affirm. et ad mentem, quae in sacro concessu concors fuit, ut semoto quocumque irreverentiae periculo, quod in locis acatholicorum subesse supponebatur, petita facultas provinciae concederetur; in audientia autem pontificia SSmum inter et Emmum D. Cardinalem Picum S. Congr. Praefectum fuit concordatum, ut a RR. PP. Observantibus ceu quos s. Sedes privilegio sanctae crucis ob onerosam sacrorum locorum Jerosolymitanorum custodiam privative distinxisset, apostolicae concessionis diploma expediretur;“ prout et humanissime fuit expeditum sub tenore sequente:

Fr. Joannes Antonius a s. Cruce Ordinis Minorum regularis Observantiae S. P. N. Francisci lector jubilatus et in hac cismontana Familia tam Observantium, quam Discalceatorum Vice-Comissarius Generalis et servus.

Dilecto plurimum in Christo R. P. Ministro Provinciali Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Helvetiae ejusque successoribus salutem.

Cum a Summorum Romanorum Pontificum largitate et clementia concessa nobis sit veluti peculiare nostri Ordinis decus et ornamentum facultas erigendi ubique terrarum vias crucis, quas ajunt, ad illarum similitudinem,

quae in sanctis Palaestinae locis ac praesertim Hierosolymis sunt, dummodo id fiat per aliquem ex nostris fratribus, Ministro generali totius Ordinis Fratrum Minorum immediate subjectis, qui ad id prius a superiore generali obtinuerit facultatem. Cumque aliunde Emus ac Rmus DD. S. R. Card. Picus nobis perhumaniter significaverit catholicos Helvetiae populos magnopere efflagitare, ut detur ipsis tam pium ac sanctum exercitium inire et indulgentias ei annexas lucrari, et insuper ductus zelo ac studio christianae pietatis fovendae ac propagandae dignatus sit a SSmo D. N. Clemente XII. feliciter regnante nobis opportunam impetrare potestatem, qua in praedictis locis Helveticorum, in quibus conventus nostri Ordinis non reperiuntur neque ea, ob nimiam distantiam, nostri religiosi adire possunt, ad erectionem Viae Crucis Patres Minores Capucinos sufficere valeamus, quemadmodum suis literis hesterna die nobis communicavit; quapropter nos vehementissime cupientes ad majorem Dei gloriam et ad memoriam Passionis D. N. Jesu Christi jugiter in fidelium mentibus augendam sanctissimum viae crucis exercitium ubique agi et celebrari, tibi, admodum reverende Pater Minister Provincialis praememoratae provinciae ac successoribus tuis pro tempore existentibus facultate a SSmo D. N. PP. Clemente XII. nobis benigne concessa per has nostras literas copiam facimus, quatenus per vos ipsos aut per alios religiosos viros, vestrae curae immediate subjectos, a vobis ad hunc effectum specialiter deligendos, in recensitis tantum Helveticorum regionibus, in quibus aliquot incliti ac piissimi Ordinis vestri conventus exstant, vias crucis erigere possitis ad hoc ut Christifideles indulgentias omnes a Summis Pontificibus concessas operam dantibus viae crucis devoto exercitio lucrari et consequi possint et valeant, servatis in omnibus Summorum Pontificum constitutionibus et decretis hac de re editis. Et Deus pacis sit cum omnibus vobis. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas dedimus et majori sigillo officii nostri muniri jussimus.

Datum Romae ex Ara coeli die 17. Januarii anni 1738.

(Anal. J. P. 1858 pag. 765.)

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum jam dudum sane dignus et laudabilis in plurimis christiani orbis partibus Dominicae Passionis memoriam pio quodam exercitio, vulgo via crucis seu Calvariae nuncupato, statutis precibus locisve recolendi usus inoleverit et ad praesens, sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum *Provinciae Bavaricae* maxime vigeat, Nos, ut devotio hujusmodi majore in dies acquirat incrementa eamque coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem fidei nostrae commisit Altissimus, confovere atque excitare volentes de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi atque supplicationibus dilecti in Christo filii, nobilis viri, Maximiliani Josephi, Bavariae Ducis, S. R. J. Principis Electoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui piam devotionem viae crucis hujusmodi, quoties in aliqua ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum provinziae Bavariae dumtaxat, Dominicae Passionis memoriam, ut praefertur, recolendo peregerint aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, eas-

dem indulgentias et peccatorum remissiones, ac ponitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Innocentius PP. XI., Innocentius XII. aliique Pontifices praedecessores nostri Christifidelibus, praedictum Viae Crucis exercitium in ecclesiis Fratrum Ord. Minor. s. Francisci de Observantia et Reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concesserunt, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus, non obstantibus nostrae et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Die 26. Martii 1746.

(Ibid. pag. 766.)

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum jamdudum sane dignus et laudabilis in plurimis christiani orbis partibus dominicae Passionis memoriam pio quodam exercitio, vulgo via crucis seu Calvariae nuncupata, statutis precibus locisve recolendi usus inoleverit et ad praesens, sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum s. Francisci Capucinorum nuncupatorum provinciarum Hispaniarum maxime vigeat, Nos, ut devotio hujusmodi majora in dies acquirat incrementa eamque coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem fidei nostrae credidit Altissimus, confovere ac excitare volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi atque supplicationibus charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, Hispaniarum regis catholici, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui piam devotionem viae crucis hujusmodi, quoties in aliqua ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum provinciarum Hispaniarum existentium dumtaxat, Dominicae Passionis memoriam, ut praefertur, recolendo peregerint aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, adimpleverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. recor. Innocentius PP. XI. et Innocentius PP. XII. aliique Romani Pontifices praedecessores nostri Christifidelibus viae crucis exercitium in Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum ejusdem s. Francisci de Observantia et Reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concesserunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus nostrae et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae.

Die 5. Julii 1751.

(Ibid. pag. 767.)

Episcopus Gratianopolitanus licentiam obtinuit erigendi in sua dioecesi plures sodalitates, pium quoque viae

crucis exercitium, necnon declarandi unum altare privilegiatum in Ecclesiis parochialibus ac denique parochos deputandi pro impertienda indulgentia plenaria in mortis articulo. Quaerit a S. C.: utrum duo Vicarii generales (titulares) ejusdem Episcopi, qui cum ipso unam personam moralem efficiunt, omnes gaudeant facultatibus praedictis, scilicet sodalitates erigendi, instituendi viam crucis, altaria declaranda etc.?

S. C. respondit: Indulta seu facultates, de quibus in praedicto dubio et si non cedant in propriam Episcopi utilitatem sed in gratiam dioecesanorum, non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad certam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata, ita ut eo absente vel morbo laborante sive nimiis occupationibus impedito vices pro eo alius gerat, tamquam ab ipso legitime delegatus: sed cum sint potius favores, quos idem Episcopus ab apostolica Sede personaliter impetraverit, tunc ab Episcopo tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi nisi in precibus apostolicae sedi delatis eos expostulasset iis verbis aut similibus, nempe: Si per se vel suos Vicarios generales erigendi, communicandi etc.

Ita S. Congr. die 24. Maii 1843.

(Ibid. pag. 769.)

Ad dub.: Utrum qui obtinet diversas facultates ab apostolica sede, scilicet altaris privilegii personalis, erigendi stationes viae crucis, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere dictas facultates ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis?

S. Congregatio respondit: Affirmative quoad viae crucis erectionem. Negative relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus.

Die 25. Septembris 1841.

(Ibid.)

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

Vicarius generalis dioecesis Apamien. pro tranquillitate suae conscientiae reverenter expostulat ab E. V. R.: an pro validitate erectionis viae crucis et ad lucrandas indulgentias ipsi adnexas sit absolute necessarius processus verbalis ab Episcopo vel ab ejus Vicario conficiendus, Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita in una Bituricen. die 28. Septembris 1838 simili dubio respondendum censuit. S. C. resp.: Circa erectionem stationum viae crucis, impetratis antea ab apostolica sede necessariis et opportunis facultatibus; omnia et singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus Archiepiscopatus remaneat et testimonium saltem in codicibus paroeciae seu loci, ubi fuerit erectum hoc pium exercitium, inferatur.

Die 25. Septembris 1841.

(*Ibid.* pag. 770.)

Beatissime Pater.

A. P. V. Descamps, Vicarius generalis Dioecesis Tornacensis ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus exponit ut infra: Cum rescripta s. Congregationis indulgentiarum, quibus facultas erigendi viam crucis sacerdotibus saecularibus conceditur, eamdem facultatem deliminent ad ecclesias seu publica seu privata oratoria de dioecesi locorum, in quibus ordo Minorum observantium s. Francisci Assisiensis non existit, diversae circa horum verborum sensum moventur quaestiones; ideo Sanctitati Vestrae supplicatur quatenus sequentia dubia solvere dignetur.

Dubium 1: Quid per loca, in quibus ordo s. Francisci existit, intelligendum

est, an parochia tantum ad districtus pagi, oppidi vel civitatis, ut communiter intelligitur, an universa dioecesis, ut volunt religiosi praefati?

2: An per formulam rescripti censeatur prohibitum, quominus via crucis erigatur extra Ecclesias vel oratoria v. g. in coemeterio vel in claustris?

3: An sub poena nullitatis apponatur praedicta facultatis delimitatio, ita ut via crucis a sacerdote saeculari intra loca, in quibus ordo s. Francisci existit vel extra Ecclesias seu oratoria erecta sit denuo benedicenda?"

Et Deus etc.

Cum hujusmodi dubia ad meliorem eorum resolutionem reformata fuissent ut infra:

1: Quid per loca, in quibus ordo minorum s. Francisci Assisien. non existit, intelligendum sit in casu an civitas, oppidum, pagus, cum respectivis suburbiis sive locis eis adjacentibus?

Et quatenus negative,

2: An intelligendum sit paroecia vel universa dioecesis aut alia quaclibet dioecesis sectio seu pars?

3: An per formulam rescripti censeatur prohibitum, quominus via crucis erigatur extra Ecclesias vel oratoria sive publica sive privata, ex. gr. in coemeteriis vel in claustris?

4: An sub poena nullitatis apponatur facultatis delimitatio ad loca, ubi ordo minorum observantium s. Francisci non existit et ad Ecclesias et oratoria tantum ejusmodi locorum, ita ut via crucis a sacerdote saeculari in locis, in quibus laudatus ordo extat, vel extra Ecclesias seu oratoria erecta, denuo erigenda sit?

Cum eadem supra enunciata quatuor dubia sic reformata in sacra indulgentiarum sacrarumque reliquiarum Congregatione habita die 14. Decembris 1857 in Palatio Apostolico Vaticano fuissent proposita, Emi Patres, rebus mature discussis, respondendum esse decreverunt ut infra

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Provisum in primo.

Ad III. et IV.: Affirmative.

Datum Romae ex secretaria ejusdem s. Congregationis die 20. Januarii 1858.

(Anal. J. P. 1858 pag. 955.)

Ad dub.. Utrum qui obtinet diversas facultates ab apostolica Sede, scilicet altaris privilegii personalis, erigendi stationes viae crucis, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere dictas facultates ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis?

S. C. respondit: Affirmative quoad viae crucis erectionem, negative relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus.

Die 5. Februarii 1844.

(Corresp. de Rome 1848- 49. Ed. II. pag. 47.)

Declaratio, quod Provinciae Galliae ad conventus B. Mariae Miraculorum de Urbe tertii Ordinis sancti Francisci comprehendantur in Brevi sanctissimi Domini Nostri circa vias crucis etc.

Clemens PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias Nos supplicationibus dilecti filii Bernardi Monterde Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum nomine Nobis humiliter

porrectis inclinati decrevimus ac indulsimus, ut loca pia, via crucis seu Calvarii nuncupata, ad instar stationum Montis Calvarii in Ecclesiis ac locis piis Ministro generali pro tempore existenti dicti ordinis non subjectis nec ab eo dependentibus per fratres ordinis praefati tunc erecta et in posterum erigenda eisdem indulgentiis ac privilegiis fruerentur et gauderent, quibus fruebantur ac gaudebant erecta in Ecclesiis et locis ordinis praedicti: ita tamen, ut quoad deinceps erigenda modus et forma servarentur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis et locis dicti ordinis eatenus fieri consueverant, et accederet licentia ordinarii loci ac consensus Parochi et Superioris Ecclesiae et loci pii, ubi de eis erigendis agi contingeret et alias, prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma brevis expeditis literis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens Papa XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Monterde, Procurator generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum tam suo quam dilecti etiam filii moderni ministri generalis dicti ordinis nomine, quod, cum antiqua vigeret ac etiam nunc vigeat in ordine hujusmodi consuetudo erigendi et instituendi per illius fratres, in vim facultatis sibi alias a Sede apostolica concessae, pia loca, via crucis seu Calvarii, nedum in ejusdem ordinis sed etiam in aliis Ecclesiis ac locis ab eo minime dependentibus isque mos in universis regnis Hispaniarum ac plurimis Italiae regionibus semper antehac retentus fuerit et adhuc de praesenti servetur: licetque dudum fel. rec. Innocentius PP. XII. praedecessor Noster ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret Commissarius generalis pro ultramontana familia dicti ordinis, praefata loca pia viae crucis seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innocentii PP. XI. praedecessoris quoque nostri literis in simili forma Brevis die 3. Septembris 1686 super confirmatione diversarum indulgentiarum et privilegiorum ipsius ordinis editis comprehendi ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in literis hujusmodi concessis et expressis declarasset, per suas itidem in forma Brevis die 5. Decembris 1696 desuper expeditas literas idque absque limitatione ac restrictione dictorum bonorum viae crucis seu Calvarii ad Ecclesias et loca ordinis praefati factum fuisset, nihilominus aliqui existimantes facultatem illa erigendi et instituendi ad Ecclesias et loca ordinis praedicti, indulgentias vero et privilegia ejusmodi ad personas, obedientiae ac directioni pro tempore existentis Ministri generalis ejusdem ordinis subjectas respective limitata et restricta esse a piae mem. Benedicto PP. XIII. etiam praedecessore Nostro, indulgentias et privilegia praefata ad quoscumque utriusque sexus Christifideles dicto Ministro generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia crucis seu Calvarii penes fratres supradicti ordinis privative quoad alios quoslibet visitarent ibique memoriam Dominicae Passionis devote recolerent aliaque injuncta opera peragerent, extendi et ampliari extimuerunt, prout in ipsius Benedicti praedecessoris nostri literis sub plumbo, anno incarnationis millesimo septingentesimo vicesimo sexto quinto Nonas Martii, Pontificatus sui anno tertio, emanatis uberius continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus non minus ratione sui officii Procuratoris generalis hujusmodi quam de expresso

mandato dicti moderni Ministri Generalis, ad enatam occasione praemissorum confusionem tollendam remque in statum pristinum restituendam, praedicta loca pia viae crucis seu Calvarii per eosdem Fratres etiam in Ecclesiis et locis, quae non sint dicti Ordinis, erecta et erigenda, eisdem indulgentiis et privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto praedecessore, postquam literae suae praefatae prodierant ad supplicationem dilectae in Christo filiae Nobis mulieris Violantis et Bavariae Principissae Etruriae Viduae, Fratribus recessus sancti Francisci ad Montem Florentinum et Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis in viam cujusdam rescripti die 10. Nov. 1729 ejus jussu editi concessum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Benardi votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes necnon utriusque Innocentii et Benedicti praedecessorum literarum praefatarum tenores et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, quod praedicta loca pia viae crucis seu Calvarii in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus et aliis itidem piis locis, ipsi Ministro Generali non subjectis nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta et in posterum erigenda in Ecclesiis et locis Ordinis praefati, autoritate Apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus ac quatenus opus sit de novo concedimus et indulgemus, ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda modus et forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesia et locis Ordinis praedicti hactenus fieri consueverunt et accedat licentia Ordinarii loci ac consensus Parochi et Superiorum Ecclesiae Monasterii, Hospitatis et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 10. Junii 1732.

(Bull. r. t. XIV. p. 228. Ed. Luxbg.)

c) Facultatis tenor.

Vd.: *Via Crucis* (erectionis modus ab Ep.)

Ad dub. 1: Detecta nullitate alicujus erectionis stationum Viae crucis ob defectum executionis conditionum in apostolico rescripto vel de jure praescriptarum estne necesse, hujusmodi nullitate sanata iterum benedicere cruces et pictas tabellas jam antea benedictas?

2. Petitiones pro hujusmodi erectionibus fierine debent de jure in scriptis sub poena nullitatis concessionis, vel sufficit quod factae sint oretenus?

3. Si hujusmodi erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis et sequutae exequutionis, poteritne hujusmodi defectus in posterum atque etiam post longum tempus suppleri?

4. Estne tempus determinatum et quale pro confectione documenti sequutae erectionis stationum Viae Crucis vigore apostolici indulti?

Ex sacra Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita sic respondetur

Ad 1: Dummodo nullitas non cadat super cruces antea benedictas, minime necessarium est alias nullitate sanata iterum cruces benedicere.

Ad 2: Quamquam in scriptis ac de consensu Ordinarii et loci patroni optanda sit petitio, tamen si oretenus, sub poena nullitatis, negative.

Ad 3: Suppleatur documenti defectui per novas literas institutionis seu confirmationis ab Ordinario conficiendas dummodo constet aliunde de sequuta erectione.

Ad 4: Negative, sed expedit, ut quam primum conficiatur documentum juxta apostolicam concessionem, ne dubia in posterum oriantur.

Datum Romae ex Sec. ejusdem etc. Die 27. Jan. 1838.

(Anal. J. P. 1858, p. 770.)

d) Modus ab Episcopo servandus.

Archiepiscopus Bituricensis ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit quod delegatus a S. V. ad erectionem sanctarum Viarum Crucis cum facultate subdelegandi parochos suae dioecesis, aliquoties viva voce delegavit, aliquoties scripto ad parochos misso, non autem inserto in codicibus sive parochiae sive archiepiscopatus aliquoties tandem scripto inserto quidem in codicibus sive archiepiscopatus sive parochiae, postulatione vero dictae erectionis a Parocho facta, viva voce, non autem supplicem libellum scriptura exaratum. Cum autem quidam pii sacerdotes in vulgus emittant responsiones sacrae poenitentiariae, quae ut validas tantum habent, si verae sint, erectiones, quae scripto postulatae fuerunt et concessae et quarum concessio inserta fuit in codicibus sive archiepiscopatus sive parochiae, ubi facta fuit erectio. Dictus archiepiscopus animarum paci consulere volens enixe rogat S. V. ut respondere velit

1: Utrum ad validitatem erectionis sacrarum viarum crucis necessarium sit ut postulatio erectionis scripto fiat, scripto etiam concedatur erectio et utrum dictae insuper concessionis remanere debeat instrumentum in codicibus sive archiepiscopatus sive parochiae et tandem utrum sit necessarium erectionis ipsius testimonium in ejus parochiae codicibus insertum?

2: Posito quod haec omnia sint indulgentiarum conditio sine qua non, rogat idem archiepiscopus, ut sanare velit omnes ecrectionis in sua dioecesi factas ab octo et triginta annis, ita ut non obstantibus praefatis defectibus omnes utriusque sexus fideles lucrari valeant indulgentias sanctarum viarum crucis consuetas perrcurrendo stationes, quae sic erectae fuerint, quod etc.

Ex Sacra Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita die 28. Septembris 1838. Cum sicut humillime exponebat archiepiscopus Bituricensis ab apostolica Sede delegatus pro Viae Crucis stationibus erigendis cum facultate ad eumdem effectum ejusdem suae dioecesis parochos quoque subdelegandi, per plures annos erectiones s. viae crucis pluribus in locis praefatae dioecesis absque postulatione in scriptis fuisse peractas, nonnullas vero sine instrumento concessionis, alias demum, quin in codicibus parochiae tesmonium erectionis insertum fuisset, hinc s. Indulgentiarum Congr. re mature perpensa auditisque consultorum votis spiritualem fidelium utilitatem prospiciens sanavit quemcumque defectum stationesque ab octo et triginta annis sic erectas con-

validavit et insuper voluit, ut imposterum facultatibus archiepiscopi ab Apostolica sede impetratis perdurantibus, sive absolutis iterum impetrandis, omnia ac singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus archiepiscopatus remaneat et testimonium saltem in codicibus paroeciae inseratur.

Die 28. Sept. 1838.

(Anal. J. P. 1858. p. 771.)

Ad dub.: An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare et stationes percurrere, ut valida sit erectio? An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato alter quicumque tabulas collocare possit privatim sine caeremoniis et etiam in alio tempore.?

Sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita praemittens quod in erectione Viae Crucis benedicendae tantum sint Cruces, minime vero tabulae seu picturae ad praefata dubia sic respondendum esse censuit, ad primum: negative.

Ad secundum: Affirmative.

(Anal. J. P. 1858. p. 772.)

Beatissime Pater! Actualis episcopus Brugensis in Belgio S. V. humiliter exponit, quaedam dubia in dioecesi sua existere circa valorem indulgentiarum sacrosanctae Viae Crucis orta ex responsis, uti asseritur, unius ex consultoribus s. Congregationis indulgentiarum et ss. reliquiarum, ex quibus eruebatur pro valore indulgentiarum s. Viae Crucis praeter ordinarias conditiones requiri:

1. Ut sint quatuordecim cruces.

2. Ut eae in ecclesiis ita collocentur, ut incipiant a cornu evangelii et desinant in cornu epistolae. Cum vero in hac dioecesi Brugensi uti et in toto Belgio a tempore immemorabili contrarius extiterit usus, nempe ut loco quatuordecim crucium quatuordecim Icones mysterii cujuslibet stationis adhibeantur et ita dispositae sint, ut incipiant a cornu epistolae et desinant in cornu evangelii, juxta usum instituendae processionis in Belgio, cumque ex utriusque hujus usus immutatione in quibus ecclesiis hujus dioeceseos facta (in vim pradiçtorum responsorum), incommoda necnon obloquia oriantur, hinc ad S. V. humiliter recurrit praefatus episcopus Brugensis, quatenus dignetur declarare

1: An loco quatuordecim crucium possint adhiberi et retineri 14 Icones vel tabulae depictae repraesentantes mysteria cujuslibet stationis?

2. An indifferens sit, ut incipiant a cornu epistolae et desinant in cornu evangelii ac viceversa. Et Deus etc. Ex Secretaria S. C. indulgentiarum die 13. Martii 1837 dubiis propositis super exercitio Viae Crucis respondetur ad 1: Negative, possunt, ubi commode fieri potest (ait Summus Pontifex Benedictus XIII. in sua constitutione: *Inter plurima**) quinto nonas Martii 1726 super exercitio Viae Crucis retineri quatuordecim Icones vel tabulae depictae stationes repraesentantes Viae Crucis vel quatuordecim cruces prius benedictae supra quamlibet iconem vel tabulam depictam sunt collocandae et retinendae. Non

---

*) Vd.: *Via Crucis.* (Indulg. Constit. Bened. XIII.)

enim benedicuntur Icones sed cruces ad acquirendas indulgentias eidem exercitio adnexas.

Ad 2. Non est de necessitate praecepti, ut ad acquirendas indulgentias incipiendum sit pium exercitium Viae Crucis a cornu evangelii, haec tamen est consuetudo ac praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus. In quorum fidem etc.

Die 13. Mart. 1837.

(Anal. J. P. 1858. p. 772.)

e) Nullitas.

Vd.: *Via Crucis.* (erectionis facultatis tenor n. I.; erectionis modus ab Ep.)

f) Per Subdelegatum.

Vd.: *Via Crucis.* (erectionis modus ab Ep. etc.)

3) Indulgentiae.

Vd. pag. 767—774.

a) Amissio.

Vd.: *Via crucis.* (benedict. amissio)

b) Falsae et verae.

Nuper Sacrae Congregationi Indulgentiis sacri que reliquiis praepositae relatum fuit passim evulgari summarium quoddam indulgentiarum germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit: „Indulgentiae, quae concessae fuerunt a sa. mem. Papa Sixto V., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII., Clemente IX. super coronis, crucibus factis Hierosolymis et Bethlehem, denuo confirmatae a Summis Pontificibus Clemente X. et Innocentio XI., die 11. Junii 1670, impressum Augustae a Joanne Michaele Labbert anno 1720. Cum autem in dicto summario nonnullas indulgentias falsas aut apogryphas aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit, ideo, ne fideles decipiantur, eadem Sacra Congregatio habita die 11. Martii 1721 praedicti summarii Augustae impressi vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illud prohibuit sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis declaranda gestantes cruces et coronas, quae loca Terrae sanctae et sacras reliquias ibi existentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari posse, quas san. mem. Innocentius XI. literis in forma brevis emanatis die 28. Januarii 1688 praedicta gestantibus et pia opera in eodem brevi praescripta devote peragentibus concessit. Insuper cum eidem S. Congregationi pariter delatum fuerit nonnullos turpis lucri cupidos non sine magno fidelium scandalo praedictas cruces et coronas publice vendere aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere: ideo stricte prohibuit, ne imposterum aut publice aut secreto vendantur aut quomodocumque commutentur addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur et quod neque commodari aut precario dari possint et quod aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari altera non valeat, quod si secus fiat, praedictae cruces et coronae careant iudulgentiis jam concessis. Cum etiam Sacrae Congregationi Indulgentiarum innotuerit evulgatum fuisse alterum summarium indulgentiarum germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis et nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: „Indulgentiae, quae crucibus Calvaricensibus concessae fuerunt a Romanis Pontificibus Pio V., Gregorio XV. et Clemente X., denuo confirmatae ab Innocentio XII.“ Et incipit: „Pro consolatione christifidelium et sanctae Crucis amatorum,“ in quo multae indulgentiae penitus confictae, apogrpyhae et falsae deprehensae fuerunt, sacra Congregatio dicti summarii impressionem et usum sub iisdem poenis in Indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus

omnibus per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro Innocentio XIII. relatis die quarta mensis Junii Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit et in omnibus executioni mandari jussit. Datum Romae die quinta ejusdem mensis anni 1721. *L. Card. Picus* praefectus. *Raphael Cosmus* de Hieronymis Secr.

(Anal. J. P. 1858 pag. 779.)

c) Modus lucrandi.

Beatissime Pater. Fr. Sigismundus Sacerdos et concionator Capucinus, Helveticae provinciae alumnus, pedibus S. V. humillime provolutus solutionem sequentis dubii enixe expostulat. Nempe Summus Pontifex Benedictus XIV. in suis monitis ad recte peragendas Viae Crucis stationes, editis die 10. Maji 1742 et praecipue sub numero VII. sic ait: VII. Che essendo eretta la Via Crucis nella chiesa, per quel tempo degli uffizii divini, e della santa messa, e quande in chiesa vi sia sul concorso di populo, che possa cagionar tumulto e disturbo, si astengano di pratticarlo, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento, si devono visitare ad una le stazioni. Ex hujus moniti conclusione dubium oritur, unde quaeritur: *Utrum christifideles in magni populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viae Crucis lucrari?*

Et S. Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita etc. respondit: Negative, singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationem Viae Crucis indulgentiis necessario requiri aliquem corporis motum ut clarius declaratum est ab hac S. Congregatione die 30. Sept. 1837. Che si passi da una stazione all altra per quanto permette o la multitudine delle persone che la visitano, o la ristre Meza del lougo, dove sono erette. — In quorum fidem.

Datum Romae ex secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum die 26. Februarii 1841.

(Anal. J. P. 1858. p. 774.)

Ad dub.: Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis in ecclesia vel oratorio erectae annexas requiriturne recitatio sex Pater et Ave post quatuordecim stationes? Sacra Congregatio respondit: Negative. Anno 1836. (*Ibid.* p. 775.)

Recitatio orationis dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione quam sexies ipsas preces iterare post absolutas omnes stationes, est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrandas hujus Viae Crucis indulgentias ex admonitibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo jussu et approbatione editis tum Clementis XII. sub die 30. Aprilis 1722 tum Benedicti XIV. sub die 10. Maji 1742.

Die 2. Junii 1838. (*Ibid.*)

Ad dubium: An sex Pater, Ave et Gloria requirantur ad lucrandas indulgentias Viae Crucis sive stationes recitentur privatim sive solemniter cum concursu?

S. Congr. respondit: Talem recitationem esse tantum pium usum laudabilemque consuetudinem a fidelibus inchoatam, ut patet ex monitis S. Congregationis jussu Clementis XII. sub die 3. Aprilis 1731 editis.

Ad dub.: An quaedam stationes, exempli gratia, prima, decima quarta et quaedam aliae si solae visitentur, habeat unaquaeque indulgentiam plenariam?

S. C. respondit:

Negative.

Die 3. Aug. 1842. (*Ibid.*)

Ad dubium: An indifferens sit, ut incipiant in cornu evangelii aut viceversa?

S. C. resp.: Non est de necessitate praecepti ut ad acquirendas indulgentias incipiendum sit pium exercitium Viae Crucis a cornu evangelii; haec tamen est consuetudo ac praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus.

Anno 1837. (*Ibid.*)

Ad dub.: An quando possessor coronae Domini vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae suae crucis?

S. C. resp.: Negative absque speciali facultate.

Anno 1842. (*Ibid.* p. 777.)

Ad dub.: An omnes christifideles ex adversa valetudine vel ex justa aliqua causa praepediti quin valeant visitare Viam Crucis in ecclesiis possint Via Crucis indulgentias lucrari meditando de passione Christi coram tabulis lineari pictura expressis in libro ad hoc composito, prout fuit concessum a SS. PP. Pio VII. fel. mem. in Brevi ad venerabilem archiepiscopum Burdigalensem transmisso sub die 20. mensis Augusti anno 1822?

S. C. resp.: Affirmative, dummodo libellus, quem in lucem prodiit clarus vir Petrus Bombelli, ex speciali privilegio Pii VII. sub die 10. Januarii 1804 ac Pii VIII. sub die 25. Nov. 1830, habeat in calce decretum hujusmodi concessionis subscriptum a rev. patre ministro generali Ordinis Minor. Observ. s. Francisci.

Die 3. Aug. 1842. (*Ibid.* p. 778.)

Galliarum.

Emi ac Rmi DD. In Gallia plurimi fideles persuasum habent, se lucrari posse Indulgentias *Viae Crucis*, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die etiam non uno tractu sed interposito majori minorive inter stationes intervallo. Item putant pro libitu vel commodo dividi posse Rosarium B. M. Virginis, ita ut acquirantur tum Indulgentiae adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium licet non uno tractu sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum Indulgentiae speciales sodalitatis SSmi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur.

Haec autem interpretatio plurimum favet pietati spiritualique utilitati multorum utriusque sexus fidelium tam regularium quam saecularium, qui devotis hisce exercitiis uno tractu absolvendis, ut plurimum, impares, indulgentiis ipsis adnexis, cum suo animarumque in purgatorio detentarum dispendio quam saepissime frustrarentur, nisi eas modo superius exposito lucrari possent. Cum vero exortum sit ea de re dubium, ex eo praesertim quod contraria videatur doctrina nec non praxis Romae vulgo recepta, ad SS. D. Nostrum Pium Papam IX. humillimae porrectae sunt preces, ut Ipse suprema sua auctoritate quaestionem dirimere vellet et quatenus supradictam interpretationem veritate consentaneam non judicaret, benigne concedere dignaretur, ut deinceps modo

jam exposito acquiri possent Indulgentiae tum Viae Crucis tum SS. Rosarii.

Porro Sanctissimus Pater Episcopo cuidam ad haec respondere dudum dignabatur, se quidem iis personis quae ipsum Episcopum rogaverant, ut a Sanctitate Sua ea, de quibus supra enixe expostularet vel quae ea de re ipsum postea interrogarent, facultatem SS. Rosarium recitandi necnon sanctum Viae Crucis exercitium peragendi eo modo, qui in precibus supra expositus fuit, quando aliter status sui occupationibus praepediti, facere non possent, benigne concedere, quin tamen hanc suam concessionem scripto signandam censuerit, generalem vero facultatem, quae omnibus suffragetur fidelibus, nequaquam.

Quae cum ita sint et maxime intersit fidelium, praecipue Gallorum, commodo, ut hac in re omnis, si quae sit, eronea de medio tollatur opinio, praesertim ubi haec pretioso Indulgentiarum thesauro, ne acquiratur, officiat, placeat, quaeso, Emminentiis Vestris Rnis opportunam emittere decisionem, quae utilissimam fidelibus fore nemo non viderit.

Et Deus etc.

Cum in sacra Indulgentiarum sacrarumque reliquiarum Congregatione ex supraenunciatis precibus proposita fuissent dubia

1: An fideles lucrentur Indulgentias via crucis, dummodo quatuordecim stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu sed interposito majori minorive inter stationes intervallo? Item an pro libito vel commodo dividi possit Rosarium B. Mariae Virginis, ita ut acquirantur tum Indulgentiae adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra dies patium licet non uno tractu sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, cum Indulgentiae speciales sodalitatis SSmi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur licet in plures quam tres partes dividantur? Et quatenus negative,

2) An supplicandum sit SSmo pro concessione?

Emi Patres in Comitiis generalibus diei 14. Dec. 1857 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, audito consultoris voto, responderunt

1: Ad utrumque negative, exceptis confratribus quod attinet ad Indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii infra hebdomadam.

2: Ipsi Emi Patres non obstantibns rationibus P. Consultoris et conditionibus ab eo propositis, sub quibus gratiae impetratio a SSmo postulari posset, nempe tolerari saltem posse, ut fideles in privato tantum pio exercitio viae crucis necnon in privata recitatione tertiae partis SSmi Rosarii sine amissione Indulgentiarum eisdem piis operibus concessarum dividere possint in casu tantum legitimae causae stationes viae crucis et denaria seu vulgo *Poste* SSmi Rosarii, dummodo adimpleant omnia intra unius diei spatium necnon caeteras conditiones, responderunt: *Non expedire.*

Itaque facta per me subscriptum S. Congregationis secretarium SSmo Dno Nostro Pio Papae IX. de his omnibus fideli relatione in audientia die 22. Jan. 1858 Sanctitas Sua resolutiones Sacrae Congregationis confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

F. Card. Asquinus Praefectus.

Aloisius Colombo Secretarius.

(Ibid. p. 1222.)

Ad dub.: An quando possesor coronae vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae viae crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis?

S. C. resp.:

Negative absque speciali facultate.

Anno 1841.

(Ibid. p. 1226.)

d) Quomodo ab infirmis et carceratis lucrandae?

Vd. p. 779 decr. 3. Aug. 1842.

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum nuper Nobis curavit dilectus Filius Raphael a Ponticulo Minister Generalis ut praefertur Ord. Fr. Min. S. Erancisci jam ab hac Sancta Sede facultatem concessam fuisse, cujus vi Fideles vel infirmi vel carcere detenti aliave legitima causa impediti recitantes viginti vicibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Trisagium ante crucem, quam manu tenere debeant, benedictam a Ministro Generali Ord. Min. S. Francisci vel Provinciali aut a Guardiano quocumque dicti Ordinis indulgentias Stationum viae crucis seu Calvariae lucrari valeant. Cum vero ut idem dilectus Filius Nobis retulit in nonnullis regionibus Conventus praesertim recens erecti existant, qui Guardianos non habeant sed Superiores, qui Praesides nominantur, aut etsi habeant, saepe eveniat ut vel sacris ministeriis et spirituali proximorum commodo aut etiam aliis negotiis peragendis operam impensuri a respectivis Conventibus per aliquod temporis spatium abesse debeant, quo tempore eorum vices gerunt, qui Vicarii Conventus nuncupantur, hinc fit ut saepe in dictis Regionibus nullus Frater ex eodem Ordine praesto sit auctoritate praeditus, quo piis Fidelium votis et spirituali consolatione satisfieri possit. Quare praefatus Minister Generalis enixe Nobis supplicavit ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos Fidelium commodo, quantum in Domini possumus, consulere et piis hujusmodi precibus obsecundare volentes praesidibus nunc et pro tempore existentibus in Conventibus Fratrum Ord. Min. S. Francisci, qui Guardianos non habent, necnon Vicariis Conventuum ejusdem Ordinis, qui absentibus Guardianis respectivi Guardiani vices gerunt, facultatem memoratam, quae ab hac sancta sede alias Ministro Generali, Provinciali et cuivis Guardiano praedicto Ministro Generali subdito concessa fuit benedicendi cruces cum adnexis Indulgentiis Stationum viae crucis seu Calvariae, dummodo tamen omnia quae praescripta sunt ab eis serventur, tenore praesentium auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum concedimus et elargimur. In contrarium facien. non obstant. quibuscumque.

Datum Romae apud. S. Petum sub anulo Piscatoris die XI. Aug. 1863.

Loco † Sigilli.

Pro D. Card. Paracciani Glarelli.

Jo. B. Brancaleoni Castellani
Substitutus.

Praesentes Literae Apostolicae in forma Brevis sub die 11. Aug. 1863 exhibitae sunt in Secretaria S. C. Indulgentiarum die quinta Septembris ejusd. anni ad formam Decreti ipsius S. C. diei 14. Aprilis 1856.

In quorum Fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die et anno ut supra.

Copiae originali conformis.

A. Archipr. Princivalli Substitutus.

(Anal. J. P. 1864. p. 947.)

e) Quae et quibus concessae?

Vd.: *Via crucis* (erectionis facultas et locus.)

Declaratur in constitutione Innoc. XI. circa privilegia et indulgentias ordinis min. s. Francisci de observ. comprehendi eorumdem loca viae crucis seu Calvarii.

Innocentius PP. XII.

Alias a fol. mem. Innocentio Papa XI. Praedecessore Nostro ad preces dilecti filii Francisci Diaz a s. Bonaventura Commissarii generalis curiae pro familia ultramontana ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum super confirmatione quarumdam literarum apostolicarum eidem ordini ejusque Ecclesiis, confraternitatibus, domibus, locis ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni Ministri generalis ordinis hujusmodi subjectis circa privilegiorum, indulgentiarum concessionem et communicationem respective concessarum emanarunt literae in simili forma brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Innocentius Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus a s. Bonaventura, charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis catholici concionator et theologus ac in romana Curia pro ultramontana familia Ministro generali ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum subjecta commissarius generalis, quod privilegia gratiae, concessiones, favores et indulgentiae etiam plenariae ac poenitentiarum relaxationes caeteraque indulta ordinibus, congregationibus, confraternitatibus, domibus, Ecclesiis, locis, benefactoribus ac omnibus et singulis utriusque sexus personis obedientiae seu directioni praedicti Ministri generalis fratrum minorum subjectis olim ab apostolica Sede concessa seu communicata per plurium romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones et praecipue per literas fel. m. Clementis VIII. incipientes: *Ratio pastoralis*, anno 1597 expeditas, ac Pauli V., quae incipiunt: *Injuncti nobis*, anno 1609 concessas, et Urbani VIII. romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum incipientes: *In plenitudinem* et tertio Idus Maii 1625 datas, confirmata et sub aliquibus modificationibus innovata fuerunt: unde praefatae utriusque sexus personae observantiae seu directioni dicti ministri generalis subjectae, quibus memorata communicatio privilegiorum, indulgentiarum et concessionum tam inter se quam cum aliis ordinationibus, congregationibus ac societatibus etiam Jesu ac confraternitatibus concessa fuit juxta clausulas et praescriptum dictarum literarum apostolicarum et cum restrictionibus in illis appositis, et aliter ea usae fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ut praemissa firmius subsistant et conserventur, praefatus Franciscus Commissarius generalis curiae praedictae Clementis ac Pauli et Urbani praedecessorum literas cum clausulis in eisdem contentis a nobis innovari et omnes aliorum romanorum Pontificum successorum concessiones ad fa-

vorem dictorum ordinum, congregationum, confraternitatum, locorum, benefactorum et aliarum utriusque sexus personarum praedictae obedientiae seu directioni subjectarum expeditas apostolicae confirmationis nostro patrocinio communiri plurimum desideret, Nos ipsius Francisci Commissarii generalis curiae votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio et attenta relatione, quam vener. etiam frater noster Alderanus Episcopus Portuensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti ordinis apud Nos et sedem apostolicam protector eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, praedictas Clementis incipien.: *Ratio pastoralis*, ac Pauli, quorum initium: *Injuncti nobis*, et Urbani praedecessorum, quae incipiunt: *In plenitudinem* aliorumque Romanorum Pontificum successorum literas super praemissis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu nec sint revocatae aut sub aliqua revocatione comprehensa sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac posterioribus constitutionibus et ordinationibus apostolicis regularibusque ordinis praedicti institutis non adversantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes etc. Non obstantibus etc. Volumus autem etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 5. Septembris 1686, pontificatus nostri anno decimo.

J. G. Card. Slusius.

Postmodum vero pro parte ejusdem Francisci Nobis exposito quod a nonnullis praetendebatur in praefata communicatione privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum memoratis personis praedictae obedientiae seu directioni subjectis, sicut praemittitur, concessa minime comprehendi loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem ideoque pro ejus parte Nobis supplicato ut loca et Ecclesiae hujusmodi ab eadem communicatione minime excludi declaramus: Nos supplicem libellum Nobis super praemissis porrectum ad Congregationem venerabilium pariter fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum remisimus pro voto; ipsa vero Cardinalium Congregatio per suum decretum die 16. Jul. 1695 emanatum praeinsertis Innocentii praedecessoris literis perpensis censuit, si ita Nobis placuisset, praedicta loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque Orientis extra Jerusalem esse comprehensa seu comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis, servatis tamen in omnibus et per omnia forma et tenore earumdem literarum factoque Nobis subinde per tunc existentem memoratae Congregationis de praemissis relatione, Nos ipsius Congregationis sententiam approbavimus, prout in dicto decreto plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis denuo nuper exponi fecit, post decretum supradictum adhuc nonnulli dubitent, an pia loca viae crucis seu Calvarii nuncupata a personis supradictis ad instar stationum montis Calvarii, vigore diversorum privilegiorum eis ab hac sancta sede (ut asseritur) concessorum erecta in communicatione praefata comprehendantur, Nobis propterea idem Franciscus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Franciscum amplioris favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc., hujusmodi supplicationibus inclinati de secundo dictorum Cardinalium consilio et attenta relatione, quam dilectus modernus Commissarius generalis curiae dicti ordinis eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, etiam praefata loca pia viae crucis seu Calvarii in supradictis Innocentii praedecessoris literis comprehendi et proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in literis hujusmodi concessis et expressis, eorum tamen tenore servato auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, salva tamen semper in praemissis auctoritate secundo dictae Congregationis Cardinalium.

Decernentes etc.

In contrarium etc.

Volumus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 5. Decbr. 1696.

(Bull. r. t. IX. p. 446, 447.)

(Anal. J. P. 1864 pag. 941.)

Literae ad Archiepiscopum Valentinum actu Inquisitorem generalem et Nuntium Hispaniarum circa memoratae constitutionis executionem.

Innocentius Episcopus etc.

Salutem etc..

Sua Nobis dilectus filius F. Franciscus Diaz a sancto Bonaventura s. Congregationum Indicis, Rituum et super disciplina seu reformatione Regularium consultor ac missionariorum diversarum provinciarum ordinis fratrum minorum s. Francisci familiae ultramontanae procurator petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a fel. record. Innocent. Papa XI. praedecessore nostro literae in forma brevis sub die 5. Septembris de anno Domini 1686 emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum et indulgentiarum etiam plenariarum usque tunc non revocatarum inter Ecclesias, loca et confraternitates, congregationes, ordines et personas utriusque sexus obedientiae vel directioni Ministri generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci subjectas, a pluribus romanis Pontificibus ipsius Innocentii et Nostris etiam praedecessoribus, eisdem per diversa privilegia concessa, a qua communicatione, prout iteratis vicibus a Sede apostolica extitit declaratum, resultare dignoscitur, quod quando decoratum reperitur altare unius loci vel una Ecclesia aut una confraternitas seu quaevis Congregatio Ordove, aliquorum e dictis personis aliqua indulgentia, sive plenaria sive non, applicabili pro animabus purgatorii, ad favorem earumdem tantum personarum vel omnium simul Christifidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo loco, altari vel Ecclesia confraternitatum, in diebus in concessione expressis, perfecerint

quod per eamdem concessionem fuerit praescriptum, in omni loco, altari vel Ecclesia confraternitatum, Congregationum, ordinum et personarum praefatarum eadem indulgentia ab omnibus respective acquiretur, qui iisdem diebus easdem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum sicut eadem petitio subjungebat praetendentibus nonnullis scrupulosis quod in praefata communicatione generali comprehensa non veniant loca et Ecclesiae terrae sanctae aliarumque partium Orientis existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quaecumque dubia fuit Nobis pro parte praefati ordinis humiliter supplicatum quatenus non essent exclusa praememorata loca et Ecclesiae terrae sanctae et multo Minorum aliarum partium Orientis a communicatione matura et reciproca, quae includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquantur privilegia et constitutiones pontificiae praefatae ad hoc, ut indulgentiae saepedictae eisdem concessae et ususque modo non revocatae obtineri valeant sine ullo dubio non aliis Ecclesiis, altaribus et locis piis ac devotis spectantibus ad personas praememoratas obedientiae vel directioni subjectas, stante, quod sanctae sedis mens fuit semper haec omnia loca reddere aequaliter condecorata et a fidelibus venerata, ob meritum aequale uniforme vel aequivalens, quod jam dictae personae in Dei et sanctae Ecclesiae servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate apostolica, dignaremur. Nos vero praefatam declarationem commisimus Congregat. dilectorum fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quae sub die 16. mensis Julii currentis anni perpensis praedictis literis dicti Innocentii XI. praedecess. nostri declaravit praedicta loca et Ecclesias terrae sanctae aliarumque partium Orientis extra Jerusalem esse comprehensa sive comprehensas in dictis privilegiis, indultis et indulgentiis et deinde sub die 27. ejusdem mensis sententiam praedictae Congregationis approbavimus, ut in decreto dictae Congregationis desuper edito latius continetur. Sed quia adhuc post praedictum decretum dubitabant nonnulli, ea mens dictae Congregationis fuerit stabilire, quod pia loca viae crucis seu Calvarii ad recolendam seu meditandam Christi passionem a praememoratis personis seu ordinibus, ad instar stationum Calvarii montis, juxta diversa etiam privilegia sanctae sedis, erecta comprehensa sint a praefata mutua communicatione, eadem Congregatio sub die 12. mensis Novembris mox elapsi declaravit, etiam praefata pia loca comprehendi in saepedictis literis Innocentii XI. praedecessoris nostri ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in eisdem literis contentis et expressis ac Nos sententiam praememoratae Cong. sub die 15. ejusd. mens. Nov. pariter benigne approbavimus, sicut in decreto praefatae cong. desuper similiter emanato plenius continetur. Cum autem sicut dicta petitio etiam subjungebat, idem exponens pro majori praefatorum missionariorum quam caeterarum personarum praememoratarum quiete cupiat, ut literae praefatae ac declarationes et decreta a memorata Congregatione cum nostra approbatione desuper emanata suum ubique sortiantur effectum non obstante forsan sinistra interpretatione seu contradictione nonnullorum religiosorum aliorum ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro rescripto, ideo, ne literae et declarationes ac decreta hujusmodi suo debito careant effectu, Nobis supplicari fecit exponens praedictus, ut ei in praemissis oppor-

tunc providere de simili benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum, merita causae et causarum hujusmodi praesentibus pro expressis habentes ipsum exponentem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque censuris et poenis ecclesiasticis a jure vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati discretioni vestrae, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur in exemplos per apostolica scripta, mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis et aliis, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum literarum ac declarationum necnon decretorum hujusmodi, juxta illorum formam et tenorem prout de jure et dummodo judicium super praemissis alibi coeptum non sit, auctoritate nostra procedatis procedique mandetis et faciatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum, etiam per edictum publicum constito de non tuto accessu, quos, quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit, citandi illis et quibus videbitur, sub sententiis, censuris et poenis inhibendi contradictores in illas incidisse, servata forma Concil. Trid., declarandi, aggravandi, reaggravandi et interdicendi auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi necnon alia in praemissis necessaria et opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam et liberam apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno Incarnationis dominicae 1696 17. Cal. Januarii, Pontificatus nostri anno sexto. (Ibid. pag. 943.)

Pius PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Quum sicut Nobis nomine dilectorum filiorum Joachim et Philippi germanorum fratrum Bombelli de Urbe expositum est, eorum genitor bo. me. Petrus Bombelli incisor aerarius de spirituali illorum Christifidelium consolatione sollicitus, qui quatuordecim viae crucis stationes in Ecclesiis seu publicis oratoriis rite expositas non habent vel personaliter visitare nequeunt, stationes ipsas in uno libello excutere aereque imprimere curaverit fel. rec. Pius PP. VII. praedecessor noster fideles universos stationes hujusmodi sic impressas pie ac devote recolentes omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus et spiritualibus gratiis, quae ab hac apostolica sede pro stationes hujusmodi publice et rite erectas visitantibus concessae sunt, benigne locupletavit. Quum autem hujusmodi libelli exempla, quae dicto Petro Bombelli vivente fuerant impressa, innumeris defecerint postulatis et in dies ab omnibus orbis partibus avidius exposcantur, praedicti fratres Bombelli, quibus sunt ex paterna haereditate eaedem viae crucis in aere incisae stationes, suppliciter a Nobis petierunt, ut eumdem libellum modo et forma superius expressis denuo ab eis in posterum typis committendum iisdem ditemur privilegiis et gratiis, quae per Pium praedecessorem nostrum, eorum genitore supplicante, apostolicis suis in simili forma Brevis die 10. Januarii 1804 datis literis concessa sunt. Nos igitur piis eorumdem fratrum votis, quantum cum domino possumus, benigne annuere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis

inclinati auctoritate Nobis a Domino tradita ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus stationes viae crucis a memorato Petro incisas et in libello a germanis fratribus Joachim et Philippo Bombelli inposterum typis denuo committendo impressas pie ac devote contemplantibus indulgentias tam plenarias quam partiales aliasque spirituales gratias pro stationes hujusmodi in quacumque Ecclesia aut alio loco publice expositas visitantibus jam alias impertitas, dummodo in reliquis injuncta pro illis consequendis rite expleverint ac dummodo in unoquoque libelli hujusmodi exemplo decretum moderni et pro tempore existentis ministri vel Vicarii generalis ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupati vel Commissarii generalis familiae Cismontanae, aut si exempla praefata ultra montes transmittantur, decretum hujusmodi a Procuratore generali dicti ordinis vel ab officiali Curiae ultramontanae praeapponatur firmisque desuper remanentibus ipsius ordinis privilegiis, auctoritate apostolica tenore praesentium communicamus, tribuimus et impertimur. Non obstantibus, quatenus opus sit, cancellariae apostolicae regulis de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 23. Novbr. 1830. J. Card. Albanus.

(Ibid. pag. 946.)

Vd.: *Via crucis* (Indulg. quomodo ab infirmis etc. p. 781.)

Benedictus PP. XIII.

Fratres ordinis s. Franc. exponunt pium exercitium viae crucis appellatum, quo tota dominicae passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa inque plures stationes distributa, eo modo, quo peregrini civitatis s. Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes invisunt, contemplanda proponeretur, in varias christianorum provincias magno animarum fructu intulisse ac piae recordationis antecessorem nostrum Innocentium Papam XII. hujusmodi exercitium largitione coelestium munerum promovisse per literas apostolicas in forma brevis sub anulo piscatoris incipientes: *Ad ea per quae* Romae datas apud s. Mariam Majorem die 14. Decembris anno 1692, Pontificatus 2., ubi inter alia omnibus et singulis fratribus et monialibus atque aliis utriusque sexus personis ordinum et Congregationum, obedientiae seu directioni ministri generalis fratrum minorum de observantia subjectis Christique fidelibus confratribus et consororibus quarumcumque confraternitatum et societatum sive sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis immaculatae sive sub alia qualibet invocatione in eorundem fratrum et monialium Ecclesiis canonice erectarum sive erigendarum orationi mentali, quae dicitur viae crucis exercitium, quo ratione suae regulae et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos vel saltem per quadrantem horae singulis diebus perque totum mensem orationi et exercitio hujusmodi vacantibus, dummodo vere poenitentes et peccata sua confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent proque christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. M. Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo in cari-

tate conjunctis ex hac vita migrantibus applicare possent, apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit."

„Declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes privilegiis et indulgentiis frui, quae Romani Pontifices locis sanctis, ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent, atque ita ab omnibus asseri et censeri debere volumus." . . . „Insuper ne a participatione bonorum spiritualium, quae ab exercitio viae crucis provenire speramus, ullus arceatur de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles et privilegia superius expressa etiam per viam communicationis indulgentiarum, quae Locis sanctis intra et extra Hierusalem concessa fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, monialibus, ac personis jam dictis, quae per Nos approbantur et confirmantur, ad quodcumque christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subjectos, qui exercitium viae crucis et alia christianae pietatis opera ejusdem modo et forma, quae a fratribus et personis praedictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti ordinis privative quoad alios quoscumque, peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

Const. Bened. XIII: *Inter plurima* die 5. Mart. 1726.

(Anal. J. P. 1858, p. 758.)

f) Non in tabula sed in cruce sitae.

Cum ad lucrifaciendas indulgentias, quae pro stationum viae crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio sed crucium proindeque si ob vestutatis causam ipsae tabulae removentur pro ipsarum stationum contemplatione, ac in earum locum etiam absque pontificia facultate novae tabulae substituuntur, indulgentiarum concessio perseverat, imo etsi cruces ipsae, quae necessario requiruntur, ob eamdem rationem, vestutate scilicet labentes, renovari debeant, dummodo de ipsis non sit major pars, nec nova erectione indigetur nec indulgentiarum beneficium amittitur.

Die 13. Nov. 1837.

(Anal. J. P. 1858. p. 773.)

Vd.: *Via cruc.* (benedictionis amiss.; renov.)

4) Mutatio.

Vd.: *Via crucis.* (benedictionis amissio.)

5) Renovatio.

Vd.: *Via crucis.* (Indulg. non in tabula etc.; benedictionis amissio.)

Quoad restaurationem alicujus viae crucis notandum est, *benedictionem cadere in cruces superpositas*, quae ex ligno tantum esse debent, *minime vero in tabulas vel imagines*, quae reparari quibusque aliae substitui possunt absque nova benedictione, *dummodo remaneant cruces benedictae saltem quoad majorem partem.* Quando vero nova erectio et benedictio facienda est, tunc tabulae et cruces antea benedictae sine omni caeremonia privatim et alio tempore a quocunque collocari possunt.

S. C. J. 24. Aug. 1842; 20. Aug. 1844; 14. Jun. 1845.

6) Stationum distantia.

Sacra Congregatio Indulg. ss. Reliquiis praeposita declaravit: Inter stationes viae Crucis non requiri distan-

tiam aequalem viae crucis Hierosolymitanae nec determinatam. Et facta de praedictis SSmo Dno Nostro relatione S. Sua benigne approbavit. L. *Ep. Alban. Card. Picus* Praef. *Jo. Archiep. Tyri*, secret.

Die 3. Dec. 1736.

(Anal. J. P. 1857. p. 1945 et anno 1858. p. 762.)

7) Translatio.

Vd.: *Via crucis.* (bened. amissio.)

VIA FERREA.

(Benedictio.)

Formula approb. a S. R. C.

℟. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℟. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam utilitatemque hominum condidisti, dignare quaesumus hanc viam ferream ejusque instrumenta bene † dicere et benigna semper tua providentia tueri et, dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes et viam mandatorum tuorum currentes ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen

Oremus.

Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris et bene † dic currus istos dextera tua sancta; adjunge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes, qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis: et quemadmodum viro Oethiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti per Apostolum tuum fidem et gratiam contulisti, ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti post omnes viae et vitae hujus varietates aeterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.

(Anal. J. P. 1837. p. 2942.)

VIA PROCESSIONIS.

Vd.: *Processio SS. Corp. Chr.* (via); *Lytan. maj.* (via); *Process. funebr.* (via.)

SS. VIATICUM.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened SS. Sacram. in commun. infirm.*; *Incensatio SSmi* (in pyxide expos.); *De bened. ante port. eccles.* vd.: *SS. Sacram. euch.* (bened. ante portas.)

2) Denominatio.

Viatici nomine apud profanos scriptores intelligitur *cibus et pecunia, quae in viam seu iter peragendum praeparuntur*. Unde apud Plautum teste eruditissimo Patre Gobat tom. 1. tract. 4 n. 180. dicitur viaticus is, qui sibi prospexit de rebus necessariis profectioni. Viatici enim nomen venit a voce *via* et sumit annominationem a *cibariis*, quae a viatoribus ad iter agendum praeparantur. Hinc a sacris scriptoribus Divina Eucharistia identidem nuncupetur Viaticum. *S. Thomas* 3. p. g. 73. art 4.: In corpore, ibi: ,,In quantum scilicet hoc Sacramentum est praefigurativum frui-

tionis Dei, quae erit in patria, secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi", et sic expresse vocat ipsum Concilium Carthaginiense relat. in can: *Is qui* 8. caus. 26. q. 6. et Concilium Nicaenum relat. in can: *De his* ead. causa et quaestione, ubi statuit: „Ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitae non defraudetur Viatico."

3) Dies distributionis.

Viaticum dari debet etiam in die Parasceves, sed nullatenus ipsa potest sanis praeberi Eucharistia. Sacra Rituum Congregatio 19. Feb. 1622.

Vd.: *SS. Sacr. Euch.* (distrib.); *Communio;* pag. 802. n. 15.

4) Exitus.

Vd.: p. 794 n. 8 et 9.

5) Licentia portandi.

Non potest Episcopus prohibere Curato, ne administret Viaticum infirmis sine sua licentia. S. C. Ep. 30. Oct. 1640.

6) Modus accipiendi.

Si quis Sacerdos aegrotus SS. Viaticum suscipere vellet manibus suis atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, dammari non meretur.

Bened. XIV. De Syn. dioec. l. 13. c. 13. c. 19. §. 25.

Tenetur aegrotus in mortis periculo constitutus tum jure ecclesiastico tum divino Sacrum Viaticum sumere quamvis non sit jejunus: *Communis.* Sumere Eucharistiam per modum Viatici est ipsam sumere eo tempore, quo pro mortis periculo obligat praeceptum: *Vasqu.* tom. 3. in 3. p. dup. 214. n. 17., *Hurtad.* de Euchar. disp. 10. diff. 2., *Gob.* t. I. tract. 4. n. 181, et alii.

Et licet aegrotus sit jejunus, recte adhibetur formula: *Accipe Viaticum* etc. cum non minus sumat Eucharistiam per modum Viatici aegrotus jejunus ac non jejunus, ex quo Viaticum sit praeparatio pro via ad coelestem patriam brevi aggredienda tam a jejuno quam a non jejuno; Viatici enim nomen venit a voce *Via* et sumit annominationem a *cibariis*, quae a viatoribus ad iter agendum praeparantur.

Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire non potest Sacramentum administrari sub specie vini neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino relinquendus est non refectus sacra Communione, cum praeceptum Viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab Ecclesia latina omnino prohibetur. *Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti*, ut facilius deglutiatur: *Bened. XIV. de Sacrif. Miss.* lib. 3, cap. 19. §. 6.

7) Modus portandi.

Honorius PP. III. Archiep. et Episcopis Hiberniae.

Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur Hostia salutaris, quilibet reverenter se inclinet, idem faciens cum ipsam portat presbyter ad infirmum: quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat et referat manifeste et honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur.

Die 19. Nov. 1219.

(Bull. r. t. III. 366. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Vd.: *SS. Viatic.* (Quibus portand?; in fer. VI. Parasc.) *Candelae in portando etc.; Pileolum in portando etc.; Laterna; Incensat. SSmi* (in pyxide expos.); *Visitat. SS. Sacram.*; t. III. p. II. p. 256. *nota.*

Paulus PP. III. ad Confratern. SS. Corp. Chr. Romae.

Rector cujuslibet ecclesiae seu illius locumtenens, quotiescumque esset necessarium SSmum alicui infirmo ministrare et ad illius domum deferri, *campanam suae ecclesiae certis ictibus* pulsari facere tenetur ad hoc, ut confratres vicini parochiae illius ecclesiae se moneri et convocari ad associandum SSmum ipsum cognoscerent et per se ipsos associarent, si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum ex suis dignioribus familiaribus SSmum ad domum infirmi facibus accensis associari et comitari facere tenentur.

Die 30. Nov. 1539.

(Bull. r. t. VI. p. 1539. Ed. Aug. Taur. 1860.)

„Regulares deferentes Sacram. Eucharistiae in crumena contra canones facere.“

(Anal. J. P. 1864. p. 816.)

„Damnat pariter S. C. C. detestabilem usum, quo regulares deferunt SSmam Eucharistiam in crumena, cum hoc sit contra reverentiam debitam Sacramento et contra canones et ideo quoad gestationem ejusdem Sacramenti esse servandum Ritulae romanum.“

Die 2. Oct. 1677.

(Ibid. p. 817.)

Instructio episcopis mittenda, ut a confessariis observetur.

„Redarguat et improbet opinionem afferentium communionem quotidianam esse de jure divino. Doceat in Ecclesia aut oratoriis privatis cum privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam esse Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et hisce publice et cum prompa juxta formam Ritualis romani.“

S. C. C. 24. Sept. 1678.

(Ibid. p. 823.)

Ex decr. Conc. prov. Vienn. die 9. Nov. 1858.

Cum Deum habitare nobiscum populi christiani nobilissimum decus et gloriae, quae in nobis revelabitur, praelibatio quaedam existat, Deum habitantem nobiscum, ubicumque compareat, summo adorationis obsequio confiteamur et celebremus. Itaque publice prodeunti, ut aegrotos visitet atque soletur, nullum desit venerationis signum. In civitatibus SS. Sacramentum non aliter quam sub baldachino per vias publicas deferatur. Excitatur praeterea parochorum pietas, ut in majoribus oppidis, ubi locorum conditio difficultates non parit et baldachinum portaturi non deerunt, animum rei advertant et quamprimum fieri poterit, venerationis illius officium Deo Redemtori exhibeant.

(Tit. III. cap. IV.)

Ex decret. Conc. prov. Prag. die 23. Sept. 1860.

Sacra Eucharistia ad aegrotos, sive illa refici velint ex devotione sive muniri ut Viatico, publice et honorifice deferatur a sacerdote superpelliceo et stola induto, campanula adventum Domini sonitu suo annuntiante.

Morem hic ibique vigentem deferendi SS. Sacramentum sub baldachino cum majori solemnitate et fidelium comitatu, grati laudamus volumusque ut pia haec consuetudo, ubi adhuc desideratur, pro viribus inducatur. Deferantur autem, quantum locorum et temporis rationes admittunt, plures

particulae consecratae in parvo ciborio proprio operculo cooperto, tum ut aegroto Eucharistia jam refecto cum SS. Sacramento benedici possit atque illud comitantes Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum participes fiant, tum ut ipse sacerdos facilius evitet difficultates, si fors neganda esset infirmo sacra Communio. Occulte autem SS. Sacramentum ad infirmos nunquam deferatur, nisi Ordinarius facultate a Sede Apostolica concessa ex gravissima causa dispensaverit.

Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum praevalet et iniquitas, est deferenda a Sacerdote Stolam semper habente propriis coopertam vestibus in sacculo seu bursa pyxide recondita, per funiculos collo appensa ac in sinu reposita, ab uno saltem Fideli in defectu Clerici associato. In aliis vero locis, ubi non tanta adsunt infidelium seu haereticorum pericula, praecipitur, quod Sacerdos indutus superpelliceo stolaque utique humero circumsepta et praecedente uno saltem lumine hymnos et psalmos submissa voce rerecitans, in sacra pyxide vel in Calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat. Bened. XIV. Const. 59. incip.: *Demandatam* §. 23.

Viaticum ad locorum distantiam, difficultatem itinerum et viarum asperitatem deferri potest a parocho equitando juxta tamen arbitrium et prudentiam Episcopi.

Die 23. Jan. 1740.

Ad dub.: 1. Quum juxta S. R. C. 16. Junii 1663 in Granaten. ad dub. VII. 28. Sept. 1675 in Salernitana et 3. Martii 1671 in Aequen. omittendus sit versiculus: *Dominus vobiscum*, ante orationem: *Deus qui nobis etc.* in reponendo SSmo Sacramento post ejusdem expositionem, quaeritur: an omitti quoque debeat ante orationem post reditum processionis a communione infirmorum?

2. Juxta decreta S. R. C. 14. Jun. 1687 in Sarzanen et 10. Sept. 1718 in Catanien. in repositione SSmi Sacramenti oratio: *Deus qui nobis etc.* determinanda est cum conclusione brevi, quaeritur: an pariter sub conclusione brevi terminanda sit hujusmodi oratio post reditum a communione infirmorum et post administrationem in Ecclesia sanctissimae Eucharistiae?

S. C. resp. ad 1: Servandum omnino Ritualis praescriptum.

Ad 2: Ut ad proximum.

Die 7. Sept. 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 222.)

Ad dub.: Utrum propter viarum asperitatem ac ventorum, nivium glacierumque incommoda permitti possint a Rmo N..... Episcopo, ut parochi sacrum viaticum deferant capite cooperto pileo? Et quatenus nisi de speciali gratia illud liceret, supplicatur pro parte supradicti Episcopi ad illam gratiam obtinendam prout in una Bisinianen. 23. Maji 1846.

Resp.: Rituale romanum de communione infirmorum ea describens, quae paranda sunt et quae sacerdos praestare debet, „ipse vero sacerdos, ait, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti utraque manu accipit vas cum Sacramento et deinde umbellam seu baldachinum subest nudo processurus capite.

Hinc praeveniens casum longioris aut difficilioris itineris obeundi et etiam necessitatem equitandi inter ea quae talibus in circumstantiis facienda praescribit nullum verbum facit de capite

operiendo. Atque haec ideo exponenda esse putavi, ut intelligatur non posse ab Episcopo permitti ut parochi in delatione viatici, prout in casu, caput pileo cooperiant. Pompejus Sarnellus episcopus Vigilensis Ep. 26. tom. 1. in re, de qua agimus, affert inter cetera testimonia auctoritatem Nicolii, qui Lucubr. can. lib. 3. tit. 41. de celebr. miss. cap. *Nullus de consecrat.* dist. 1. haec habet: „Episcopus dispensare non potest, ut sacerdos accedat ad altare cum baculo vel pileolo in celebratione missae vel dum viaticum defert ad infirmos utatur. Et notandum est, quod hic non agitur de pileolo. Id probe nosse significat episcopus N.... qui easdem fere circumstantias exponens, quae in Bisinianen adductae reperiuntur, rogat, ut quemadmodum illi episcopo ex speciali gratia ita sibi concedatur posse permittere. Dixi easdem fere circumstantias ac in Bisinianen., quia ibi res erat tantum pro parocho et oeconomo Acrir et hic generica pro parochis, tum quia agebatur ut plurimum de agris dissitis ac per pluria milliaria distentis, quod in nostro dubio non exprimitur. At hoc parum refert nec quidquam obstare puto, quominus vos dignemini annuere pro petita speciali gratia, ex qua Episcopo N.... concedatur posse pro suo arbitrio et prudentia permittere ut parochi in expositis circumstantiis viaticum deferant capite cooperto pileo ad instar concessionis, quae facta fuit in Bisinianen juxta formam illius, quae concessa jam fuerat in Lauden. 23. Jan. 1740. nimirum, S. C. commisit Episcopo N... ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod parochi circumstantiis expressis in dubio capite pileo cooperto viaticum deferre valeant comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contr. non obst. quibusc.

S. C. commisit episcopo N. ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod parochi in circumstantiis expressis in dubio capite pileo cooperto Viaticum deferre valeant comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 2858. p. 347.)

Benedictus PP. XIV.

Episcopis Regni Serviae.

Dum sacerdos tantum Sacramentum ad Infirmos defert, decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus praecipitur, ut indutus superpelliceo stolaque utrique humero circumsepta et praecedente uno saltem lumine hymnos et psalmos submissa voce recitans in sacra pyxide vel in calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat. At ubi (sicut ibidem additur) Turcarum vis praevalet et iniquitas, Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertem vestibus, in sacculo seu bursa pyxidem recondat quam per funiculos appensam in sinu reponat et nunquam solus procedat, sed uno saltem Fideli in defectu Clerici associetur.

Die 2. Feb. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 306 §. 23.)

Non sine tintinnabuli pulsatione a scholastico seu campanario facienda deferendum esse viaticum statuunt plura concilia. Apud *Albericum* in chronico ad ann. 1200 exstat ea de re peculiare statutum Guidonis Cardinalis et apostolicae Sédis in Germania Legati. Sed de varia in deferendo ad aegrotos viatico disciplina consule

praeter *Baronium* in Martyrol. ad d. XVIII. Kal. Sept., *Bonam:* Rerum liturgic. lib. 2. cap. 17. §. 5., *Martenium* aliosque, Eminentissimum *Garampium* in vita b. Clarae Ariminensis p. 187 et 509 et t. III. bibl. ritual. Zaccarian., *Maldonatum* disp. 3. p. 164 seq.

8) Obligatio parochi ad deferendum.

Benedictus PP. XIV.

Vd.: *Paroch.* (administ. SS.)

VV. Fr. Episcopis Regni (Turcarum) Serviae.

Dolenter nimis accepimus vel adeo desertas et ruinosas esse istarum regionum Ecclesias vel adeo insolescere infidelium furorem, ut sanctissima Eucharistia neque decenter neque tuto, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique fideles infirmi absque salutari viatico naturae debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri et provideri debet. Quamobrem infirmorum notitia per parochos anxia diligentia est inquirenda, non tantum pro iisdem poenitentiae sacramento expurgandis christianisque monitis ac spiritualibus consolationibus juvandis ac sublevandis, verum etiam, ut sanctissimo Christi Corpore reficiantur atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex fidelibus mortis periculum instare perspiciant, praedictum Sacramentum Eucharistiae quamprimum ipsi ministrent et, si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferre debent, cum extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacratis missam celebrare non liceat.

Die 2. Febr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 306. §. 22.)

Dubitari nequit Parocho dumtaxat domicilii nec ulli alii extra necessitatis eventum fas esse sacro oleo aegrotantes sive laicos sive clericos inungere illisque SSmi Corporis Christi viaticum ministrare. *Bened. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 8. cap. 5. n. 7., *Reiffenstuel* jus can. lib. 3. tit. 28. n. 27. Hanc legem ab Ecclesiis quoque Collegiatis et Cathedralibus servandam dixit s. Congregatio in Mantuana jurisdictionis 16. Martii 1689, in Tiburtina juris administrandi sacramenta 12. Maii 1685 et alibi passim, ut videre licet in Viterbien. juris tumulandi 10. Maii 1766 §: Dubitatum. Et licet contrarium ex peculiaribus fortasse circumstantiis dixerit in Derthonen. jurium parochialium, attamen praecedentem sententiam instauravit in Eugubina jur. parochialium 2. Aprilis 1729, etiamsi Canonici Cathedralis Ecclesiae consuetudine ac sanctione dioecesanae Synodi inniterentur uti monet folium in Avenion. jurium parochialium 1. Martii 1766 §: de Canonicis, iterumque decrevit in Andrien. 24. Januarii 1767. Proposito siquidem dub. V.: An Canonicis sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai in casu etc.? respondit ad V.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; et die 19. insequentis Septembris stetit in decisis et amplius.

(S. C. C. die 16. Junii 1827.)

9) Oratio etc.

Vd.: *Professio fidei.*

Ad dub.: Utrum a Parocho viaticum ad infirmos deferente antiphona: *Asperges etc.*, ant: *Vidi aquam etc.* tempore paschali, sit recitanda et ab

ipso quoque ad Ecclesiam reddito oratio dicenda: *Deus qui nobis etc.* vel: *Spiritum nobis etc.*?

S. C. resp.: Servandum esse omnino Rituale, nulla habita ratione temporis paschalis. n. 3614 ad 7 die 11. Februarii 1702.

Ad dub. 1. An, data distantia Ecclesiae parochialis ab infirmo SSmo Viatico reficiendo et proximitate Ecclesiae parochiae Parocho vel illius Coadjutori urbane petenti sacram Eucharistiam extrahere ab Ecclesia regulari ut opportune consulat saluti spirituali infirmorum, liceat Regularibus ipsis, cujuscumque sint ordinis, instituti vel societatis, illam denegare sub motivo exemptionis et privilegiorum? Et quatenus negative,

2. An in dicto casu regulares ipsi teneantur praestare patientiam, ut exerceantur a Parocho in reditu ad Ecclesiam functiones praescriptae a Rituali romano; et a praefatis edictis respective pro majore veneratione SSmae Eucharistiae, quas peragere solet Parochus in propria Ecclesia, scilicet canere hymnum: *Tantum ergo Sacramentum etc.*, thurificare, breviter hortari populum ad associandum Venerabile, indulgentias publicare associantibus concessas et denique populo benedicere?

3. An in dicto casu liceat Regularibus aliqua ex supradictis functionibus peragere, an vero ad Parochum omnes spectent?

Et S. eadem R. C. consuit respondendum

Ad 1. „Non licere nec Regularibus nec Presbyteris saecularibus etiam exemptis in casibus necessitatis tantum denegare."

Ad 2. „Negative."

Ad 3. „Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam."

Et ita declaravit. N. 3732 die 22. Augusti 1705.

10) Paramenta.

Tempore etiam sacrificii missae administrari potest ss. viaticum in paramentis nigris. n. 4651 ad 2 die 19. Decembris 1829.

Vd.: *Missa interrupta per administr. ss. viatici*; *Stola* (administ. SSrum decr. n. 4623); *Missa* (celebrans sedere non debet, epist. Bened. XIV. n. XVIII.); *ss. viaticum* (modus port.)

11) Portandum ad Episcopum.

Vd.: *Episcopus aegrot.; Professio fidei Episcopi.*

Ad dub.: An Capitulo Cath. ejusque primae Dignitati competat jus administrandi Episcopo aegrotanti sacramenta ss. Eucharistiae et extremae unctionis seu potius an et in quibus casibus idem jus competat Parocho Tridentini in casu?

S. C. C. resp.: Servetur Caeremoniale.

Die 7. Junii 1760.

Tum majori, qua poterit, devotione et humilitate Episcopus sacrum sumat viaticum, quod illi deferat prima Dignitas comitante Capitulo et toto Clero cath. in habitu eccles. et cum candelis accensis, et, si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum moneatque Episcopus sacristam seu Curatum, ut, cum tempus erit, extr. unctionis sacramentum sibi administret et animae commendationem faciat.

Caer. Ep. l. II. c. XXXVIII. n. 4.

12) Portandum ad Canonicos.

Vd.: *SS. Viaticum* (portand. Sacerdot.; decr. 16. Mart. 1680 et 17. Mart. 1663.

Mediolanen.

Dubium:

Aegrotantibus Canonicis ss. viaticum, extrema unctio et caetera, quae rite praescribuntur, suntne praestanda ab Episcopo auxiliari canonico vel ab Archipresbytero, qui est etiam parochus?

Archipresbyteratus dignitati cura etiam animarum ipsius metropolitanae utpote Ecclesiae parochialis adnexa est. Patet id ex ipsa provisione archipresbyteratus facta per apostolicas literas VII. Cal. Aprilis 1858 favore actualis archipresbyteri Caesaris Mariae ex comitibus Pertusati, quarum authenticum exemplar ob oculos habuimus: ,,Cum itaque archipresbyteratus metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis, qui inibi dignitas post pontificalem major existit et quem pro tempore obtinenti, uti accepimus, dilectorum filiorum parochianorum dictae metropolitanae parochialis etiam existentis Ecclesiae cura imminet animarum, adeo, ut in commendatione ordinarii de vita et moribus, cujus in iisdem literis fit mentio, laudis ac meriti loco jure tribuatur, illum in vigesimo septimo aetatis anno constitutum in cura animarum exercitio et in aliis ecclesiasticis ministeriis versatum existere. Patet ex ipso voto metropolitani Capituli nomine exarato, ex quo officia, ,,quae canonicis majoris Capituli vel aegrotantibus vel vita functis praestanda sunt quaeque paroecialia dicuntur, nec operis pretium est eadem archipresbytero contendere utpote prima dignitate donato, non uti parocho.'' Patet denique ex auctoritate curiae ecclesiasticae mediolanensis in voto vicarii generalis, qui ,,audentius censet, omnia haec ad archipresbyterum pertinere, quod et cum voto a majori capituli parte approbato conveniat.''

Haec satis ostendunt archipresbyterum cura animarum affectum esse, et si ponamus curam animarum independentem omnino esse a capitulo et ipsum absolutum parochum esse, nulla exurgere posset dubitatio, quin aegrotantibus subsidia ecclesiae ministrare et funera ducere et peragere exequias non solum quoad cadavera parochianorum sed etiam canonicorum ad ipsum spectaret non tamen ratione primae dignitatis, qua eminet, sed ratione beneficii curati, quod absolute et latissime possideret, sicut ad ipsum de jure spectant caetera munera parochialia.

Sed hinc exsurgit ratio dubitandi, an scilicet absoluta sit et latissima ipsius parochialitas et ab omni sive consuetudinis sive jurisdictionis capituli impedimento libera sit et immunis. Atque hinc ut ad solutionem dubiorum proprius accedamus, sunt quaedam in hanc rem notanda ex documentis, quae nobis exhibita sunt et quae in summario reperiuntur; quae quidem fatemur neque satis clara esse neque plena ut quaestionis status cum suis omnibus circumstantiis compertus fiat, sed talia, quae ad quaestionem definiendam sufficere videantur. Duo sunt, quae in examen assuimus. Alterum caeremoniarum magister, qui in suis deductionibus, dum partes canonici episcopi titularis sustinere contendit, textum affert caeremonialis Ambrosiani pag. 270, ubi, licet nonnulla praescribantur circa praeeminentiam eorum qui canonicis aegrotantibus ss. viaticum ministrare debent eosque s. oleo inungere, liberum tamen relinquitur canonico infirmo, si velit, unum vel alterum ex collegis ad haec pietatis officia sibi praestanda pro sua voluntate et consolatione posse deligere: ,,Sacramenta omnia — en verba ex

caeremoniali Ambrosiano desumpta — eidem (canonico) aegrotanti ministrabit praepositus seu alius ex capitulo praefectus et delectus, sanctissimum vero Eucharistiae Sacramentum ad aegrotum a majore supra delatum sectabuntur alii omnes canonici et clerici Ecclesiae luminibus aliisque requisitis adhibitis... Nihilominus si infirmus velit ab alio sibi beneviso sacramenta hujusmodi administrari, hoc illius relinquitur voluntati et consolationi."

Ad germanam hujus textus interpretationem clariora verba vel documenta desideremus. Verum nos non inquirimus, ad quae tempora referenda sit praescriptio illa neque si aliquam mutationem passa sit neque id sit praepositus aut alius ex capitulo praefectus seu delectus aut ille, qui *majoris* nomine insignitur. Duo tantum animadvertimus, unde satis emergit nihil ex allato textu erui posse favore canonici episcopi auxiliaris; *primo* ex praescriptione citata constare officium ministrandi sacramenta canonicis aegrotantibus pertinere vel ad illam taxative *dignitatem* vel ad *alium* a capitulo electum, nulla facta mentione alicujus canonici praeferendi, qui episcopali dignitate aut alia qualitate praeditus sit. Episcopalem ipsam dignitatem aut qualitatem auxiliaris, utpote a capitulo extraneam et accidentalem, nihil conducere ad actus jurisdictionales determinandos aut praelationem supra alios inducendam in primi dubii solutione satis ostendimus. Ergo nihil est ex hac parte, quod faveat in casu proposito praelationi canonici episcopi auxiliaris. At neque quod sequitur praelationem hujusmodi determinare *secundo* loco notamus. Licet enim *consolationi* et *voluntati* aegrotantis relinquatur vocare aliquem *sibi benevisum sacerdotem*, hoc non constituit novam legem, sed est accidentalis exceptio et licet reapse ipse episcopus auxiliaris ab aegroto seligatur, id certe non a dignitate episcopali aut a qualitate auxiliaris determinatur sed accidentaliter provenit a voluntate canonici infirmi, cui is bene visus sit. Ergo ex allato textu sive concursus illius taxative *dignitatis* sive *electio* capituli sive etiam *voluntas infirmi* determinant canonicum, qui debeat sacramenta illa ministrare: atqui character episcopalis aut qualitas auxiliaris nullam habet intrinsecam relationem neque ad illam dignitatem neque ad *liberam electionem* capituli neque ad *voluntatem* infirmi. Haec nobis sufficiunt, ut concludamus ex allato textu nihil erui posse favore Episcopi auxiliaris. Rem tamen ex integro determinat alterum quod in examen assumimus documentum, nempe ex auctoritate curiae ecclesiasticae Mediolanen. desumptum, ex quo habemus, quae sit origo, natura, mutationes parochialitatis tam quoad archipresbyterum tam quoad capitulum, et quae demum sit consuetudo, quae in hac re *viguit semper vigetque.* Initio enim capitulum metropolitanum parochialitate habituali late sumpta potiebatur, at ea parochialitas habitualis progressu temporis et quidem aetate retentiori a capitulo transiit absolute ad archipresbyterum, qui declaratus est parochus independenter ab ipso capitulo. Hoc autem intelligendum est respectu parochianorum, non autem respectu ipsius capituli, cui in casu infirmitatis et mortis alicujus ex ipso capitulo, primo quidem archipresbyter, sed eo absente ille qui in capitulo insigniori presbyterali dignitate fulget, spiritualem opem et pia officia praestat. Ex quo quidem patet habitualem curam animarum, quae prius latissime inhaerebat capitulo, licet abolita fuerit respectu parochianorum, non tamen fuisse peni-

tus exstinctam, sed remanere adhuc et vigere respectu eorum, qui sunt de capitulo. Et quamvis archipresbyter existimet se parochum absolute esse etiam respectu eorum, qui sunt de capitulo, tamen ei contradicit citatum testimonium curiae ecclesiasticae a vicario generali latum his verbis: „Nollem tamen archipresbyterum se absolutum dicere respectu capituli, eo quod, ut ipse in sua responsione declarat, parochialitas habitualis capituli abolita sit. Abolita quidem fuit respectu parochianorum ecclesiae metropolitanae, minime vero respectu capituli ipsius, cum semper et usque in praesens consuetudo viguerit et vigeat, ut archipresbytero absente ille qui in capitulo insigniori presbyteratus dignitate praefulget, infirmis sacramenta ministret et mortuorum funera ducat."

Cum itaque ex dictis Metropolitana Mediolanensis actis existat etiam ecclesia parochialis cum cura animarum eaque cura afficiatur archipresbyter, qui inibi est prima dignitas, ***absolute et independenter a capitulo respectu parochianorum***, cumque ejusdem animarum curae sit munus sacramenta infirmis ministrare mortuorumque funus ducere, jam patet respectu parochianorum omnia haec praestanda esse ab archipresbytero utpote parocho, quia respectu parochianorum penes ipsum est cura habitualis imo et actualis. Sed cum parochialitas seu cura habitualis respectu eorum, qui sunt de capitulo, inhaereat adhuc ipsi capitulo et sola insit parocho cura actualis et, ut ajunt, „in exercitio tamquam penes vicarium, cumque in hac hypothesi semper et usque in praesens consuetudo viguerit et vigeat, ut archipresbytero absente ille, qui in capitulo insigniori presbyterali dignitate praefulget, infirmis sacramenta ministret et mortuorum funera ducat," ex hoc etiam consequitur, praedicta omnia in concursu dignitatum non ab episcopo auxiliari praestanda esse sed ab ipso archipresbytero utpote prima dignitate.

Quibus sic stantibus respondendum censeo: Spectare ad archipresbyterum in casu, attenta praesertim consuetudine.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam servata tamen vigente consuetudine.

Die 19. Septembris 1859.

(Anal. J. P. 1861 pag. 1045.)

Ad dub.: An Canonicis sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu dictae Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 24. Jan. 1767.

Ad dub.: An jus administrandi sacramenta infirmo Priori Collegiatae Ecclesiae s. Michaelis Archangeli et eidem mortuo funus peragendi spectet ad Canonicum sen. capituli ad confessiones approbatum seu potius ad Parochum viciniorem in casu etc.?

S C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 25. Jan. 1712. *Pisaur.*

Ad dub.: An Canonicus Colleg. habitans in domo sita intra fines alterius parochiae, ex quo dicta Ecclesia colleg. caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere sacramenta ab Ecclesia Colleg. vel potius a Parocho domicilii?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 3. Dec. 1718 ad 15. *Derthon.*

Ad idem dub. S. C. C. resp.: Dilata et exhibeatur Breve Gregorii XV.

Die 14. Apr. 1725. *Derthon. III.*

De Canonicis aliisque Ecclesiae cathedrali addictis in aliena parochia habitantibus pluries resolutum fuit, jus administrandi eisdem infirmis sacramenta spectare ad solum Parochum domicilii seu habitationis, non vero ad Parochum Cathedralis *ut in Mantuana jurisdictionis 16. Martii 1680 ad IV. dubium, in Tyburtina juris administrandi sacramenta et funerandi 12. Maii 1765 ad I. dub., in Tolentinat. jur. paroch. 2. Sept. 1694 ad I. dubium et in Narnien .jurium parochialium 26. Septembris 1699 ad I. dubium.*

Et licet peculiaribus fortasse facti circumstantiis contrarium fuerit firmatum *in Derthonen. jurium parochialium 13. Decembris 1748 ad XV. dubium*, primaeva tamen sententia fuit approbata ac complexa *in Eugubina jurium parochialium 2. Aprilis 1729*, in qua proposito dubio: *An Parocho Cathedralis Eugubii licitum sit subministrare sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis et in alienis parochiis commorantibus etiam privative ad proprium parochum domiciliarium?* responsum fuit: *Negative et spectare privative ad Parochos domiciliarios et amplius*: et ita quoque censuit s. Congr. Rituum *in sancti Severini Praeeminentiarum 13. Martii 1756.*

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Sept. 1778. *Avenionen.*)

Januen.

In Oppido Clavarii Januensis Ducatus duae exstant paroeciae, altera dicata s. Joanni Baptistae, altera s. Jacobo Apostolo, quarum prima labente anno 1823 a SS. D. N. Leone XII. in insignem Collegiatam erecta. Cumque rumor incesserit, Canonicos novae Collegiatae sibi asserere jus deferendi viaticum Canonicis extremo morbo laborantibus, quamvis extra limites paroeciae s. Joannis Baptistae lares habentibus eorumque funera in Collegiata Ecclesia explendi et ibi cadavera tumulo condendi, Rector parochialis Ecclesiae s. Jacobi ad jura sua tuenda jurgiaque facile oritura praecidenda hunc adiit s. ordinem, ut controversias dirimere dignaretur.

Archiepiscopus de sua sententia rogatus rationum momenta a Canonicis exhibita transmisit votumque suum aperiens inquit: „Quanti eae rationes habendae sint sapientiae prudentiaeque EE. VV. erit judicare. Nos quantum cum Domino possumus preces et vota laudati Capituli vestro patrocinio commendamus, quatenus, quod secundum juris regulas haud licere fortasse conspicitur, id ex apostolicae Sedis privilegio Clavarensi Collegiatae concedatur.“ Huic Archiepiscopi voto concinit vetusta Ecclesia disciplina; antiquitus enim Clerici omnes servitio alicujus Ecclesiae mancipabantur eique adeo haerebant, ut plures editi sint canones ad eos redarguendos, qui a sua Ecclesia discederent, ut alteri inservirent. Quae quidem etiamsi hodie remissius obtineant, nihilominus Clerici perpetuo alicujus Ecclesiae sevitio addicti ac titulum beneficii residentialis in ea habentes censentur filii et parochiani illius Ecclesiae, in qua jugiter spirituali pabulo reficiuntur et divina audiunt aut peragunt, non autem paroeciae, ubi retinent lares,

arctius siquidem Ecclesiae, ubi sacramenta percipiunt et divina audiunt, quam paroeciae, in qua domicilium constitueruut, conjunguntur, *Amostaz.* de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 10., *Franc.* de Eccl. Cath. cap. 17. n. 14., s. Congr. in Andrien. 20. Decembris 1766 §: Eveniente.

Ex hoc vinculo Clericorum cum Ecclesia, in qua beneficium possident residentiale, duo veluti sua sponte consequi autumant Canonici Oratores.

1. Scilicet Parocho Ecclesiae Collegiatae s. Joannis Baptistae jus esse sacramenta ministrandi Canonicis aegrotis, licet in aliena parochia degentibus; nam Canonici sive intra limites paroeciae, cui fuerunt adscripti, sive in aliena parochia domum habeant, ibi domicilium ratione beneficii cum residentia contrahunt, ubi residere tenentur, *Bursat.* consil. 226. n. 18., *Reiffenstuel* jus canon. lib. 3. tit. 28. num. 15. Hinc s. Congregatio in Derthonen. 3. Decembris 1718 proposito dub. XV: An Canonicus Ecclesiae Collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius parochiae, ex quo dicta Ecclesia caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere sacramenta ab Ecclesia Collegiata vel potius a Parocho domicilii? responsum dedit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

2. Canonicum sepulchro majorum destitutum nullave sibi electa sepultura decedentem intra limites alterius paroeciae sepeliendum esse in Ecclesia Collegiata. Statuunt enim jura illos, qui sepulturam non elegerunt, humo esse tradendos, ubi officia consueverunt audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta, cap. 1. et 4. de sepult. cap. 2. eod. tit. in 6. Quoties namque agitur de Sacerdotibus aut Clericis perpetuo alicujus Ecclesiae addictis et titulum in ea retinentibus, qui propterea ita sunt conjuncti cum sua Ecclesia, ut sint cum illa cor unum et anima una, *Franc.* de Eccl. Cath. cap. 17. num. 17., *Rota* in Hydruntina sepulturae 27. Novbr. 1713 cor. Ansaldo, aequum videtur, ut ii omnes Clerici, quos cum eadem Ecclesia unicum vinculum devinxerat et quorum viventium una mens in domino erat, post eorum obitum nec inter se separentur, sed in eadem Ecclesia insimul condantur, *Reiffenstuel* lib. 3. decret. tit. 28. num. 14. *Pirhing.* jus canon. lib. 8. tit. de sepult. num. 9.

Haec tamen haud sibi obesse contendit Parochus s. Jacobi. Quidquid enim antiqua Ecclesiae disciplina suaderet ac praesertim in iis locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habebant limites nec earum Rectores proprium populum, quem regerent, nihilominus post Tridentinam Synodum, quae sess. 24. cap. 13. de reform. praecepit Episcopis, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignarent, qui eas cognoscere valeret et a quo solo licite sacramenta susciperet, dubitari nequit Parocho dumtaxat domicilii nec ulli alii extra necessitatis eventum fas esse sacro oleo aegrotantes sive laicos sive Clericos inungere illisque ss. Corporis Christi viaticum ministrare. *Bened. XIV.* de Synod. dioec. lib. 8. cap. 5. n. 7., *Reiffenstuel* loco cit. n. 17. Hanc legem ab Ecclesiis quoque Collegiatis et Cathedralibus servandam dixit s. Congregatio in Mantuana jurisdictionis 16. Mart. 1689, in Tiburtina juris administrandi sacramenta 12. Maii 1685 et alibi passim, ut videre licet in Viterbien. juris tumulandi 10. Maii 1766 §: Dubitatum. Et licet contrarium ex peculiaribus fortasse circumstantiis dixerit in Der-

thonen. jurium parochialium attamen praecedentem sententiam instauravit in Eugubina jur. parochialium 2. Apr. 1729 etiamsi Canonici Cathedralis Ecclesiae consuetudine ac sanctae dioecesanae synodi inniterentur uti monet folium in Avenion. jurium parochialium 1. Martii 1766. §: de Canonicis, iterumque decrevit in Andrien. 24. Januarii 1767. Proposito siquidem dub. V: An Canonicis sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai in casu etc.? respondit ad V: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et die 19. insequentis Septembris stetit in decisis et amplius.

Similiter quod pertinet ad tumulationem, contendit Parochus cadavera Canonicorum nullam electa sepultura decedentium esse humanda in parochia domicilii nisi in Collegiata proprium extet Canonicorum sepulchrum vel familiae sepultura, ut docuit s. Congr. in Avenionen. jurium parochialium 1. Martii 1766 §: Eos, et in Avenionen. 19. Septembris 1778. §.: Hinc. Si enim peculiarem Collegium Canonicorum sibi non condiderit sepulturam, praesumi nequit Canonicum defunctum ibi sepulturam elegisse, ubi proprium pro consortibus sepulchrum non fuerat excisum. Quocirca s. haec Congregatio in Derthonen. jurium parochialium 3. Decembris 1718 rogata: An Canonicus Ecclesiae Collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius parochiae decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Collegiata vel in parochia domicilii? responsum dedit ad XVI: Affirmative, dummodo adsit sepulchrum Canonicorum. Eamdemque nuper protulit in s. Miniatis jurium parochialium 24. Novembris 1821 ad 11. dubium. Jam vero in Collegiata Clavari nullum adest a Canonicis exstructum sepulchrum pro iis, qui sunt chori servitio addicti ac propterea subdit Parochus cadavera Canonicorum in parochia domicilii sunt condenda.

Dignentur itaque Emi Patres ea, qua pollent, juris peritia dirimere

Dubia.

I. An et ad quem spectet jus ministrandi sacramenta Canonico aegrotanti in casu?

II. An Canonicus habitans extra parochiam Collegiatae decedens non electa sibi sepultura nulloque praeditus Majorum sepulchro sepeliri debeat in Ecclesia Collegiata in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative ad Parochum domicilii.

Ad II: Negative.

Die 16. Junii et 21. Julii 1827.

13) Portandum ad Cardinales.

Qui aegrotanti Cardinali assistent, si ille morbo oppressus ejus rei non meminisset, curent diligenter, ut in tempore ecclesiastica sacramenta non clam sed publice administrentur et dum in extremis laborare incipit, advocent executores, qui decedentem solitis officiis consolentur et bonorum omnium descriptionem faciant eaque fidis ministris et in locis tutis custodienda committant. Executores in domo decedentis convenientes, quae ad salutem seu consolationem animae illius pertinent, in primis procurabunt ordinabuntque, ut viri religiosi psallentes et orantes morientem circumstent; administrationi et curae domus praeficiant aliquem ex suis, qui cum officialibus domus familiam gubernet pacifice et

quite et necessaria provideat; indeque ad deducendum funus, quae opportuna sunt, statuant; et comittant alicui docto viro, ut orationem funebrem meditetur.

Catalanus (Caeremon. Eccles. rom. tom. I. pag. 187.)

14) Portandum infra missam.

Vd.: *Missa* (interruptio per adm. Viaticum)' *Pileolum in portando s. Viatico; Oratorium* (Missa etc. decr. n. 4782). *Viaticum* (param.)

15) Portandum in fer. VI. Parasceve.

Non est reprobandus parochus, qui defert SS. Viaticum infirmo fer. VI. in Parasceve, dummodo private et submissa, quinimo submississima voce recitat psal. consuetos per vias publicas, etiam dicat: *Gloria Patri etc.* quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse cum functionibus Ecclesiae hujus diei, et considerandum est quod defert cum stola atque pluviali albi coloris, quando in fer. supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus; ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione dimittat fer. VI. in Parasc., quia in publica Ecclesia non debet recondi. n. 4170. die 15. Maii 1745.

Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (Distrib. in Parasc.), *Sepult. Sacerd. def.* (decr. *Tornacen*); *Sepult. Cleric.* (t. III. p. II. pag. 18.)

16) Portand. ad Sacerdotes aegrotos.

Ad dubium: Quaeritur: an in administrando Viatico s. aegrotanti Sacerdoti aliquis sit ritus specialis diversus a ritu praescripto a Rituali rom. „de Communione infirmorum," ut innuere videtur Caer. Ep. l. 2. c. 38. n. 3. 5. dicens: Profiteatur *Episcopus* aegrotans catholicam fidem ex formula ab apostolica Sede praescripta, et quatenus affirmative, utrum servari possit sequens ritus, qui legisur in quodam Rituali.

1. Paratis omnibus, ut in Rituali romano de Communione infirmorum, Sacerdos infirmus ss. Eucharistiam sumpturus induatur superpelliceo et Stola albi coloris in collo pendente.

2. Deinde Sacerdos ministrans domum ingrediens dicat: *Pax huic domui* etc. ut in Rituali romano de Communione infirmorum usque ad Antiphonam: *Asperges me* inclusive etiam repetitam et reversus ad SSmum Sacramentum genuflectat et stans dicit V.: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* R. *Et salutare tuum da nobis.* V. *Salvum fac servum tuum.* R. *Deus meus sperantem in te.* V. *Mitte ei auxilium de Sancto.* R. *Et de Sion tuere eum.* V. *Nihil proficiat inimicus in eo.* R. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* V. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* R. *A facie inimici.* V. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Deus infirmitatis humanae singulare praesidium auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adjutus Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.* R. *Amen.*

3. Finita oratione genuflectit Sacerdos ministrans et accedit ad infirmum, a quo professionem fidei exegit dicens: *Frater carissime,* (si sit superior: *Reverende Pater*) *oportet in testimonium fidelissimi animi tui, ut catholicam fidem, quam semper tenuisti, nunc ss. Eucharistiam sumpturus profitearis.* Dic ergo *Credo in Deum etc.* id est Symbolum Apostolorum. Si infirmus Sacerdos prae infirmitate nequeat Symbolum recitare, alter ejus nomine illud integre recitet.

4. Recitato symbolo sacerdos ministrans, si placet, adhortatur infirmum sacerdotem.

5. Facta exhortatione vel recitato symbolo, si non sit exhortatio, ipse infirmus sacerdos vel alter ejus nomine peccatorum confessionem faciat dicens: *Confiteor;* quo dicto mox sacerdos ministrans dicet: *Misereatur etc. Indulgentiam etc.* Tum accedet ad infirmum s. pyxide discooperta et incipit hymnum: *Te Deum*, quem sacerdotes et clerici circumstantes recitabunt alternatim usque ad hunc versum inclusive: *Fiat misericordia etc.* Tunc sacerdos ministrans sumit sanctam Eucharistiam intra digitos, quam ostendit infirmo, qui silentibus aliis dicit: *In te Domine etc.* Quo peracto sacerdos ministrans dicit: *Ecce Agnus Dei etc.* ut in Rituali romano de Communione infirmorum.

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Negative in omnibus."

Atque ita rescripsit. N. 5221 ad 10. Die 21. Julii 1855.

Jus administrandi Sacramenta Canonenicis et Beneficiatis Ecclesiae Cathedr. infirmis et habitantibus in alienis parochiis spectat ad Parochum Cathedr.

S. C. C. 16. Mart. 1680; 12. Maii 1685; 11. Sept. 1694; 17. Sept. 1695; 26. Sept. 1699.

Administrare sacramenta Canonicis colleg. sine cura animarum ad parochum spectare, in cujus districtu Collegiata posita est, nisi Collegiata gaudeat ap. privilegio.

N. 2209 ad 5. die 17. Mart. 1663.

Ad dub.: An presbyteris seu clericis adscriptis servitio dictae Ecclesiae s. Nicolai et habitantibus in ambitu Ecclesiae Cathedralis in casu infirmitatis sacramenta sint administranda a Vicario dictae Ecclesiae s. Nicolai seu potius a Vicario Cathedralis?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 24. Jan. 1767.

Vd.: *Sepultura cleric.* (tom. III. pars II. pag. 18.)

Eugubina.

Monachi Olivetani Congregationis Eugubinae supplicarunt definiri: an liceat Canonicis Cathedralis Ecclesiae Eugubinae administrare sacramenta presbyteris in eorum parochia degentibus absque eorum expressa licentia? Item an dicti Canonici possint jure praetendere quartam funeralium pro decedentibus in ipsorum monachorum parochia in praejudicium ipsorum oratorum?

Et sacra Congregatio respondit: Negative in omnibus contra Canonicos.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863 pag. 207.)

Eugubina.

(Conc. Tr. C. 13. S. 24. De ref:)

Exemplo Summi Pontificis s. Evaristi, qui juxta veriorem opinionem inchoante secundo saeculo parochiarum divisionem demandavit, quam postmodum sub Valeriani prosecutione suppressam s. Dionysius in fine tertii saeculii terum explevit seu verius restituit, ut ex sua epistola relata in can. „Ecclesias" 15. quaest. 1., et post alios observat *Eminentissimus Petra ad constit. 2. Gregor. XI. n. 11. tom. 4.* quamque etiam s. Tridentina

Synodus per generale decretum ubique locorum fieri praescripsit in sess. 24. cap. 13. de ref. Hoc inquam exemplo et praecepto fere omnes ecclesiarum antistites ante vel post concilium eandem executioni demandarunt distinguendo populum in certas propriasque parochias ac unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignando, a quo licite sacramenta accipi deberent, ut de origine et divisione parochiarum in provinciis tam orientalibus quam occidentalibus late disserit Filisacus de origine paroec. cap. 4. per tot.

Inter alios, qui hoc pastorale munus fideliter adimpleverunt, fuit Cardinalis Marcellus Cervinus nuncupatus s. crucis et deinde ad summi Pontificatus apicem evectus, retento eodem nomine Marcelli II. Iste enim anno 1545, dum Ecclesiam Eugubinam regebat, ad removenda scandala, quae ob parochiarum confusionem fuerant in civitate exorta, easdem ad magis distinctam separationem reduxit assignando unicuique et praecipue Ecclesiae cathedrali proprium et distinctum territorium cum certis et determinatis limitibus ac districte inhibendo ne ullus rector alterius parochiam ingredi praesumeret pro administrandis sacramentis.

Ecclesia tamen Cathedralis seu illius parochus vel in vim matricitatis ac superioritatis competentis Ecclesiae Cathedrali tanquam universali parochiae totius civitatis et dioecesis vel ratione antiquae consuetudinis semper contendit exercere privative nonnulla jura parochialia etiam in alienis parochiis et praecipue dandi benedictionem circa corpus in domo defuncti et obtinendi praecedentiam in associatione cadaverum ad Ecclesias sepelientes necnon administrandi sacramenta quibuscunque clericis et sacerdotibus infirmis quamvis in alienis parochiis degentibus.

Delata tamen controversia circa primum punctum benedictionis cadaverum et praecedentiae in associatione ad s. Congregationem rituum, inter praedictum parochum Cathedralis et parochum s. Petri Congregationis Olivetanae die 5. Julii 1614 s. Congregatio ita declaravit: Non esse probatam consuetudinem et idcirco terminandam esse causam secundum jus commune, videlicet quod quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius parochus, qui stolam deferens a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpus sepeliendum erit, aliis omnibus praecedere debet, in Ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, officium faciat circa corpus et aliis praecedat parochus ipsius ecclesiae et ita ut supra in Civitate Eugubina inter Curatum Ecclesiae Cathedralis et Curatum s. Petri monachorum Olivetanorum servandum esse censuit et declaravit atque servari mandavit quibuscumque non obstantibus; et hoc decretum refert etiam *Panimoll.* dec. 1. adnot. 10. n. 18.

Examinata subinde in eadem sacra Congregatione rituum alia quaestione inter easdem partes super administratione sacramentum clericis et presbyteris infirmis et pariter contra parochum Cathedralis sub die 30. Septembris 1628 rescriptum fuit, prout adnotatur in regestis decretorum ejusdem Congregationis, scilicet: „*Monachi Olivetani Civitatis Eugubinae supplicarunt definiri: an liceat Canonicis cathedralis Ecclesiae Eugubinae administrare sacramenta presbyteris in eorum parochia degentibus absque eorum expressa licentia?* Item: *An dicti Canonici possint jure praetendere quartam funeralem pro decedentibus in ipsorum monachorum parochia in praejudicium ipsorum oratorum?* Et sacra Congregatio respon-

dit: Negative in omnibus contra Canonicos.

His non obstantibus continuavit parochus Cathedralis in hac administratione sacramentorum clericis et sacerdotibus infirmis in alienis parochiis commorantibus, licet aliquando reclamantibus et aliquando protestantibus reliquis parochis civitatis, immo haec privativa administratio sacramentorum favore parochi Cathedralis approbata et confirmata fuit in Synodo Eugubina celebrata anno 1632 sequenti decreto: „Illud etiam decretum confirmandum et renovandum esse duximus, saepius in synodis praedecessorum nostrorum evulgatum, nimirum ad solum Ecclesiae cathedralis parochum infirmis clericis aliisque sacerdotibus saecularibus aegrotantibus et in quacunque parochia existentibus omnium sacramentorum administrationem spectare et pertinere', quippe quod immemorabilis temporis consuetudine satis superque vallatum et firmatum esse comperimus; quocirca decernimus et statuimus, parochum praedictum a nemine in praefato suo ministerio molestari posse; si qui vero quidquam in contrarium attentare praesumpserit, poenis arbitratu nostro afficietur.

Anno vero 1694 introducto ex parte parochorum civitatis judicio coram Ordinario adversus hanc privativam administrationem sacramentorum praetensam a praedicto parocho Cathedralis succubuerunt in judicio manutentionis mediante decreto, quo idem Ordinarius declaravit, manutenendum esse parochum Cathedralis in sua quasi possessione administrandi sacramenta clericis et presbyteris infirmis in quacumque parochia existentibus; devoluta subinde causa in gradu appellationis ad hanc sanctam Congregationem ac assumpto nomine boni juris in Congregatione habita die 12. Novembris 1695 rescriptum fuit: Coadjuventur probationes, ad quem effectum dentur literae compulsoriales hinc inde et interim manutenendum parochum Cathedralis."

Existimantes autem praefati parochi absque ope literarum compulsorialium et remissorialium eorum bonum jus satis elici posse ex supradicto decreto sacrae Congregationis rituum nuper reperto ac etiam ex aliis probationibus aliunde conquisitis, quae immemorabilem seu centenariam possessionem ex parte parochi Cathedralis praetensam et constitutiones synodales evertere valeant, subscribi et proponi hodie curarunt infrascriptum dubium.

Adsunt plura decreta hujus sacrae Congregationis, quibus praecisive ab observantia et in solo puncto juris resolutum fuit: Jus administrandi sacramenta Canonicis et beneficiatis Ecclesiae cathedralis infirmis et habitantibus in alienis parochiis spectare ad parochum domicilii seu habitationis, non vero ad parochum Cathedralis, ut in Mantuana jurisdictionis 16. Mart. 1680 ad quartum, in Tyburtina juris administrandi sacramenta et funerandi 12. Maii 1685 ad primum, in Tolentinaten. jurium parochialium 11. Septembris 1694 ad primum, in Novarien. juris administrandi sacramenta 17. Sept. 1695 ad primum et in Narnien. jurium parochialium 26. Sept. 1699 ad primum.

Jura parochi Cathedralis non adhuc sunt deducta, dignabuntur itaque EE. VV. summa qua pollent sapientia decernere:

An parocho Cathedralis Eugubii licitum sit subministrare sacramenta quibuscunque clericis et sacerdotibus infirmis et in alienis parochiis commorantibus etiam privative ad proprium parochum domiciliarium?

S. C. C. resp.: Negative et spectare privative ad paroçhos domiciliarios et amplius.

Die 13. Mart. et 2. Apr. 1729.

S. Miniati.

Civitatis sancti Miniati Parochi preces huic sacrae Congregationi obtulerunt postulantes, ut tecta sartaque servaretur eorum parochialis jurisdictio adversus Sacerdotem Carolum Nistri Cathedralis Ecclesiae Praepositum itemque Parochum, qui ab anno 1800 occasione funeris Dominici Ansaldi ejusdem Cathedralis Canonici jus suum esse contendit administrandi Sacramenta Canonicis, Beneficiatis caeterisque ad capitulum Ecclesiae Cathedralis pertinentibus, quamvis in aliena Paraecia suum habeant domicilium, necnon eorumdem cadavera associanda, funus peragendi et tumulandi jus habere praesumit. Asserebant Parochi, numquam Capitulum seu Cathedralis Praepositum alicujus statuti vigore aut aliqua consuetudine Sacramenta vel paschali tempore vel in extremo mortis periculo administrasse iis, qui etsi Cathedrali Ecclesiae sint adscripti tamen extra illius paraeciae fines suum habeant domicilium.

Hasce preces Episcopo remisit pro informatione *et voto audito Capituli* Antistes asserit: numquam Cathedralis Capitulum habuisse ne in forza d' immemorabile, *ne in virtu di statuto particolare l'osservanza di amministrare neque in Paschate neque in extremis i Sagramenti a quei Canonici, Cappellani, Beneficiati, e Chierici, che abitano ad libitum nelle loro Case Famigliari poste in diverse, ed aliene parochie della Cita, e neppure adesso e in possesso di tale Amministrazione di Sagramenti.* Hinc nullum jus competere Cathedralis Capitulo ait Episcopus circa eorum funera, excepto jure sepeliendi, quando sine electione ejusdem decedant. Deinde distinctas esse paraecias asserit nec umquam Capitulum parochorum jura perturbasse: *Ma questo Proposto Nistri ha creduto, che tanto i Canonici, che i Cappelani ec. debbano considerarsi suoi parochiani, quantunque abitino in diverse parochie, ed aliene, percio pretende i loro funerali, ed aver dirito ai medesimi.*

Tandem Episcopus desiderium suum aperit, ut quaestio isthaec a Sacra Congregatione definiatur, ut scandala et offensiones finem habeant quae futura putat.

Quod vero ad Capitulum pertinet, transmisit Episcopus decem Canonicorum votum, qui de parochorum precibus requisiti responderunt: *sono di sentimento, che la detta supplica sia ragionevole, mentre il Capitolo de S. Miniato, ne gli Antecessori Proposti nell' Amministrazione de Sagramenti, e nella circostanza della morte, funerali, e sepultura di quaesti Canonici non hanno mai deviato dal comun dirito, ne' si prova osservanza contraria al medesimo, percio intendono uniformarsi al dotto, a savio sentimento del Reverendissimo Signor Arcidiacono Morali Lettore di diritto nella celebre Universita di Pisa*, qui Parochis favet.

De consensu partium haec causa ad hanc Congregationem delata est et *quatuor* concordatis *dubiis* hodie proponitur informantibus Parochis, silente vero Proposito. Quoad primum dubium, nempe — *An et cui competat jus administrandi Sacramenta Canonicis et Beneficiatis caeterisque ad Capitulum Miniatense pertinentibus extra Paraeciam dictae Ecclesiae Cathedralis degentibus,* parochi ut hoc jus ad se pro-

bent pertinere tria asserunt. I. Quodsi veri parochiani sint, qui intra paraeciae fines domicilium habent. Ex incolatu enim acquiritur jus parochialitatis tum quoad parochos tum quoad subditos. *Caren. relat. pract. forens. 80. numm. 5* et *Pignatell. cons. can. 5. in princip. tom. 8.* Si haec generalia sunt, nullum dubium est, quiaetiam eos comprehendat, qui Ecclesiae Cathedralis servitio mancipati sunt. Hinc ad excludendum quoque jus praepositi afferunt Parochi *Can. Eccl. caus. 13. quaest. 1.* ubi statuitur, *ut nullus* (parochus) *alterius parochiae terminos aut jus invadat, sit unusquisque terminis suis contentus; et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat*, ideoque injuria praepositum parochi jus exercere extra suae paraeciae fines contendere dicunt.

Secundo loco probare conantur Parochi, nullum jus habere praepositum, quia nullum affere potest speciale privilegium Ecclesiae Miniatensi concessum, nec alibi in jure canonico hoc privilegium generatim cathedralibus ecclesiis indultum reperitur. Quod si aliquando ecclesia cathedralis nominatur paraecia universalis, hoc intelligendum est metaphorice et analogice, sibique tantum vindicat locum, quando paraeciarum ecclesiae per constitutos limites divisae non inveniantur. At contra cum in Civitate S. Miniatis et limites statuti inveniantur et separatae sint paraeciae, nequit praepositus constitutos sibi limites praetergredi et aliarum paraeciarum fines invadere.

Suum jus *tertio* probant parochi ex *consuetudine,* quia nunquam cathedralis praepositus administravit sacramenta vel in Paschate vel in vitae extremis his, qui in aliena paraecia degebant, etiamsi addicti essent ecclesiae cathedrali: immo contrarium demonstrant, scilicet semper parochos hanc jurisdictionem exercuisse; quod magis comprobatur ex aliquibus Episcopi rescriptis, quibus impertitur facultas recipiendi SS. Viaticum ab Ecclesia cathedrali — *purche tal gratia non passi in consuetudine.*

Secundum dubium respicit associationem, funus ac tumulationem cadaverum. Contendunt parochi, nullimode posse praepositum Nistri sibi vindicare cadavera canonicorum aliorumque, nisi illi expresse in cathedrali sepulturam elegerint. Ajunt enim hoc privilegium non competere cathedrali jure parochialitatis, quia in *primo dubio* satis probasse putant, hoc titulo carere supra addictos clero cathedralis alibi habitantes. Ex jure vero communi omnes Christifideles deponendi sunt in propria paraecia, nisi majorum sepulcro gaudeant vel alibi sepulturam eligant. Exemplo vero majorum invectum est, canonicos in canonicali sepultura esse deponendos, si in Ecclesia, cui inservierunt, hoc speciale sepulchrum adsit; quo in casu canonici in cathedrali tumulandi sunt, non quatenus cathedrali S. Miniatis nulla sit canonicorum sepultura, nullum jus sibi vindicare potest praepositus tumulandi cadavera addictorum cathedrali sed alibi habitantium.

Excluso jure parochialitatis et jure tumulandi excluditur jus associandi tamquam illis accessorium. Quod si tumulandi essent Canonici in Cathedrali ob electionem sepulturae, ne tunc quidem liceret inconsulto Parocho defuncti cadaver efferre et associare. Nemo enim potest in aliena paraecia aliquam exercere jurisdictionem, ut pluries decisum fuit ab hac s. Congregatione praesertim in *Narnien. jurium parochialium 26. Septembris 1699.* Ex iisdem rationibus negant Parochi jus Praeposito compe-

tere funera exequendi, quia hoc est tumulationi accessorium.

Quaeritur in tertio dubio de quarta funeraria sive portione canonica Parochis debita „*quia dignus est operarius mercede sua; cap. 1. de Sepult.* Parochi asserunt eis competere, quia jura parochialitatis exercent et Sacramenta administrant. Quum igitur ad parochos pertineat quarta funeraria, quando quis deponatur in sepulchro majorum vel in sepultura electa extra parochialem Ecclesiam, ita quarta sibi deberi contendunt, si Canonici aliique sepeliantur in Cathedrali, quia ubi eadem est ratio eadem debet esse juris dispositio.

Breviter parochi de *quarto dubio* agunt. Asserunt enim ex resolutione Congregationis ss. Ritibus praepositae et hujus S. Congregationis ad parochum domicilii spectare cadaveris aspersionem, antequam e domo extrahitur, et Antiphonae *De Profundis* intonationem. Caetera vero EE. PP. habent in distributa parochorum allegatione, qui uni in arenam descendunt; Capitulum enim Cathedralis Ecclesiae seu potius Praepositus Nistri vadimonium deseruit.

Proponuntur Dubia:

I. An et cui competat jus administrandi Sacramenta Canonicis, Beneficiatis caeterisque ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Miniatensis pertinentibus extra paraeciam dictae Ecclesiae Cathedralis degentibus in casu?

II. An et in quo casu parochus ejusdem ecclesiae Cathedralis jus habeat associandi funus peragendi et tumulandi cadavera Canonicorum, Beneficiatorum aliorumque, ut supra, licet domicilium habuerint ac Sacramenta receperint sub aliena paraecia in casu?

Et quatenus affirmative,

III. An praedictae paraeciae competat quarta funeraria in casu etc.?

IV. An in casu, quo Capitulum et Praepositus Cathedralis sive illius parochus interfuerint associationi cadaverum Canonicorum aliorumque, ut supra, extra paraeciam Cathedralis degentium aspersio cadaveris, antequam e domo efferatur, et intonatio Antiphonae „De Profundis“ spectet ad Capitulum ejusque praepositum vel Parochum seu potius ad Parochum domicilii in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative favore parochi domicilii.

Ad II. Affirmative quatenus adsit sepulchrum pro addictis Chori servitio vel sepulchrum Majorum vel illud ipsi in Cathedrali elegerint, requisito tamen parocho domicilii pro associatione et salva eidem quarta funeris in quantitate juxta consuetudinem loci.

Ad III. Provisum in secundo.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 15. Sept. et 24. Nov. 1821.

17) Non portatur ad Infirmos adorandi causa.

Vd.: *SS. Sacrament. euch.* (Delatio ad incendium etc., constit. Bened. XIV. §. 12); *SS. Viatic.* (quib. port.)

18) Quibus porrigendum et quibus non?

Benedictus PP. XIV.

Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinal., ac Archiep. et Episcopis Regni Galliarum in novissimis Comitiis Cleri gallicani congregatis salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex omnibus christianis orbis regio-

nibus, ad quas imposita imbecillitati nostrae pastoralis cura protenditur, quum multa saepe ad Nos deferantur, quae animum nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sollicitum et anxium habeant, vix tamen aliunde Nobis majores perturbationes atque doloris causae acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum et dissensionum incommodis, quibus florentissimum illud regnum et catholicam Gallorum nationem aliquot ab hinc annis jactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum optimum maximum enixe rogare ac interpositis etiam aliorum precibus orare atque obsecrare, ut ipse, qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Saepe etiam, datis ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum regem christianissimum apostolicis literis, illius opem et brachium ad ecclesiasticae pacis tutelam atque praesidium imploravimus. Iis autem, qui ad Nos et ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus Nos promptos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiae gallicanae, quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid Nobis vitae superesse posset, libenter impendere atque omnia, quae Nobis agenda proponerentur et aggredi et urgere, dummodo ejusmodi consilia essent, quae ad repellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur et quorum exercitio cum spe prosperi eventus suscipienda et ad intentum finem utiliter processura viderentur.

Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt literae e gallicani Cleri Comitiis die 21. Oct. elapsi anni ad Nos scriptae, quas quidem legentes vestram, venerabiles fratres, firmitatem atque constantiam vestram perspeximus et perfectam consensionem in custodiendo verae sanaeque doctrinae deposito et in retinenda, quam semper majores vestri professi sunt, erga Apostolicam B. Petri Sedem catholicae unitatis centrum observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus quoad canonicas regulas et principia, sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum nessesario est, ut eadem communia principia in usum dedicantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a conventu vestro, haud tamen mirum videri debet scientibus, id alias inter sacros antistites et doctrina et morum sanctitate conspicuos in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnam autem praeconceptae consolationis nostrae accessionem sese obtulit eximia christianissimi regis pietas et religio, cum hereditario ipsius in hanc Apostolicam Sedem obsequio conjuncta, quae non in recentioribus tantummodo illius literis, quas die 19. Decembr. ejusdem elapsi anni, praedictam cleri epistolam huc mittens, ad Nos dedit, sed in caeteris quoque omnibus ab eo conscriptis praeclare enituit: in quibus testari possumus atque debemus, Nos semper per illius regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant orthodoxum principem et vera in Deum religione et sincera erga romanam sedem pietate praeditum eundemque pacis atque concordiae in suis regnis restituendae et conservandae amantissimum. Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas apostolicae constitutionis, quae incipit: *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a

debita erga ipsam subjectione sese subducere aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, *ut in ea, quae exorta est, controversia: utrum hujusmodi refractariis sanctissimum Corporis Christi Viaticum expetentibus derogari debeat?* sine ulla haesitatione respondendum sit: *Quoties praedictae constitutioni publice et notorie refractarii sint, denegandum eis esse, ex generali nimirum regula,* quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad eucharisticae communionis participationem admitti sive eam publice sive privatim requirat.

Publici autem atque notorii sunt refractarii in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a judice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae constitutioni: *Unigenitus* venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint: quicumque etiam hujusmodi contumaciae reos se in judicicio confessi fuerint, nihilominus vel eo tempore, quo sacrum ipsum viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem constitutioni debitae, *in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit:* in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus judex sententiam tulit vel saltem alias suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens.

In quo tamen prae oculis habenda est differentia, quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii, *est aliud notorii genus,* quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportet.

Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen innititur conjecturis, praesumptionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis aut qui praejudicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur, quibus, dum fides habetur, satis compertum est tum praeteritorum temporum tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli ac in transversum agi contingat.

Quia vero nonnulli animarum pastores Ecclesiaeque ministri, pietate et zelo commendati, hujusmodi conjecturis et praesumptionibus deferentes, dum ad sacrum viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo auxii haerent, verentes, ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint, certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur.

Hoc itaque primum animadvertere debent: *an scilicet ei, qui extremum viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, paschali praesertim tempore, a loci illius parocho, ubi degebat, eucharistica Communio administrata fuerit:* si enim haec illi in vita non fuerIt denegata, argumento id erit aut hominem illum ab omni labe immunem aut saltem non vere notorium peccatorem repu-

tatum fuisse, indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad eucharisticam mensam admissus fuit et ante id tempus, quo postrema sacramenta aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam juxta praemissa contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validae adversus aegrotum praesumptiones et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant, in his rerum circumstantiis *oportet, eos, remotis arbitris, aegrotantem alloqui eique cum omni lenitate et mansuetudine,* non tamquam disputantes eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem, rogantes eum et observantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet: eidemque praeterea demonstrantes quod, quamvis ipsi parati sint sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperent, quae praeter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

Hanc itaque judicandi agendique normam oportet vos, venerabiles fratres, utpote Nostro et apostolicae Sedis judicio prolatam, inferioribus animarum pastoribus caeterisque Presbyteris per civitates et dioeceses vestras sacramenta legitime administrantibus sequendam et observandam proponere. Quod quidem judicium super vigentibus controversiis a Nobis interpositum et ecclesiasticis regulis nititur et conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis et gravium ipsius nationis vestrae Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illustrium praedecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas isthic controversias subortaque dubia ad Nos et apostolicam Sedem deferre certamque hinc regulam ad revocandam tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem exposcere, ita nunc officii vestri partes vestraque simul apud Deum et Ecclesiam merita cumulabitis, si suprascriptam agendi methodum ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod Nos a fraternitatibus vestris eo fidentius exspectamus Nobisque pollicemur, quo magis Nobis ipsis conscii sumus, nihil diligentiae aut studii a Nobis praetermissum fuisse sive in perpendendis ac discutiendis articulis, quos Episcopi in praefati Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus, ad rem penitus percipiendam rectoque judicio definiendam opportunis sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a venerabilibus fratribus nostris hujus S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus, sive in caeteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae divini luminis adjutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praetermisimus, Nobis promereri possemus.

Neque vero dubitamus, quin carissimus quoque in Christo filius noster rex christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad Nos datis literis fovere et adjuvare non recusavit, pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate validam fraternitatibus vestris opem praebere studeat, quo tam vobis quam inferioribus Ecclesiae ministris liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum mysteriorum administrationem moderari. Qua quidem fiducia Nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis fratrum vestrorum articulis respicientibus episcopalia jura circa eorumdem sacramentorum participationem concedendam vel denegandam et varias super hac re obortas controversias, sed potius cum ipso christianissimo rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra episcopatus jura sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum et proprio et majorum suorum more facturum certo confidimus, ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae, illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laetentur. In cujus optatissimi eventus auspicium fraternitatibus vestris cunctisque populis pastorali curae vestrae concreditis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. Octobris 1756 Pontificatus nostri anno decimo septimo.

Doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam ss. Eucharistiam nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis romani, si vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. S. C. C. 12 Februarii 1679.

Non licet ss. Eucharistiam ad aegrotos deferre, qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quod Pius V. prohibuit. *Cong. C. ap. Bened. XIV. Annot. tom. 2. p. 4. sect. 2. n. 367.* Aegrotis morbi proximis, cujuscunque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, s. Eucharistiae viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit. Alex. VII. Const.: *cri Apostolatus* 18. Junii 1658; Clem. IX. Const.: *In Ecclesia* 13. 13. Septembris 1669.

Vd.: *Communio* (frequens); *Missa* (Celebrans sedere non debet; Epist. PP. Bened. XIV. n. XVIII.); *SS. Viaticum* (modus portandi, Constit. Bened. XIV.); *SS. Sacram. Euch.* (communio domest.; particulae); *Indulg. infirmor. habitual.*

19) Quoties portandum?

Juxta Rituale romanum Pauli V. *tit. de Commun. Infirm.* non potest Viaticum ministrari de novo, nisi infirmus per aliquot dies supervivat.

Quaestionis propterea est, quot dies debeant intercedere? Sunt, qui tenent sufficere, quod intercedant duo dies, ea adducta ratione, quod numerus pluralis contentus est „duobus.“ At

dictionem *aliquot* importare majorem numerum dierum et saltem quatuor, tenet *Romaguer ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 27. cap. 28. num. 38.*

VICARIUS.

1) Apostolicus.

a) Celebrans.

Non potest habere Vicar. apost. duos Clericos cum cottis, quando celebrat, ut ipsi inserviant, etiamsi sit Protonotarius apostolicus: et nec quatuor candelas accensas in altari tenere, nisi hoc fieret propter ibi festivitatem currentem: S. Rit. Congr. 7. Augusti 1627.

Neque potest facere functiones episcopales absente veli impedito Episcopo, sed hoc spectare ad primam dignitatem et successive ad alios seniores de capitulo declaravit S. Rit. Congr. in Brundus. 5. Febr. 1614, in Alatrina 22. Jan. 1618, in Algaren. et in alia Brundus. 20. Dec. 1625.

Neque potest Missas solemnes cantare, SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre nec aliis functionibus ecclesiasticis se immiscere sed tantum praeesse, ut omnia suo ordine recte fiant: S. Congr. Episcop. in Sassaren. 14. Aprilis 1593, in Bisinianen. 16. Maii 1600, in Spoletana 22. Dec. 1611, in Ortonen. 19. Septembris 1627.

Ad dub.: An teneantur Canonici Cathedralis Juvenacen. excipere et associare ad portam Ecclesiae Vicarium apost. eidemque ministrare aspersorium et textum osculandum expleto Evangelii cantu, necne thurificari triplici ductu et debeatur assistentia Caeremoniarum Magistri? S. C. resp.: Quoad thurificationem servandam esse ejusdem Ecclesiae consuetudinem. In reliquis vero Vicario quamvis apostolico praerogativas praedictas minime competere. n. 1909 die 13. Jul. 1658.

Vicario ap. Spoleti in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus deberi tantum illas praerogativas, quibus gaudent Vicarii gen. Episcopi; titulum vero „Illmi" dicto Vicario ap. non deberi, necnon praeceptum Notariis factum abolendum et poenas comminatas non afficere. n. 3062 die 12. Aug. 1684. Item decretum emanatum est pro Vicario ap. Immolens. civitatis sub n. 3063 ad 1—4 die 12. Aug. 1684.

b) Incensatio, Pax, Liber osculandus.

Vd. supra lit. a.

Non potest praetendere Vicarius apost., ut sibi detur incensum inter Missarum solemnia, nempe in principio Missae, post Evangelium et in offertorio, sed semel tantum dari debet in offertorio et non amplius. Et tunc si Episcopus est praesens, bis ducto thuribulo, si absens, ter ducto: S. Congr. Episc. in Cajetana 14. Januarii 1595.

Neque potest praetendere, ut sibi deferatur osculandus liber Evangelii, nisi sit Episcopus, quia hoc est privilegium solis Episcopis concessum: S. Congr. Episc. 28. Augusti 1589.

c) Praecedentia et Praerogativa.

Vicarius Apostolicus debet habere in Choro, si non sit Canonicus, praecedentiam supra omnes et ideo sedere debet in digniori sede, non tamen in solio episcopali: S. Congr. Episc. in Cajetana 22. Januarii 1596. Quod si dignior sedes Chori esset occupata, tunc Dignitates et Canonici descendere debent inferius uno gradu relinquendo

majorem ipsi Vicario. S. Congr. Episc. in Licien. 14. Aug. 1590.

Vicario apostolico in omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis functionibus debentur tantum illae praerogativae, quibus gaudent Vicarii generales Episcopi et titulus Illustrissimi Vicario apostolico non debetur. S. Rit. Congr. in Spoletana 12. Augusti 1684 et in Imolen. eod. die et anno.

d) Residentia.

Vicarius apstolicus tenetur residere in dioecesi, ad quam regendam missus fuit, nec potest ab ea ad longum tempus discedere et alium substituere absque praevia licentia sacrae Congregationis Episc. ut ead. s. Congr. declaravit in Spoletana 19. Jun. 1607.

Quod habet locum, etiamsi sit vocatus ab aliquo Principe, nam neque tunc potest: S. Congr. Episcop. in Messanen 27. Maii 1608. Neque potest absque dicta licentia discedere, etiamsi sit accessurus ad Urbem: S. Congr. Epis. in Reatina 22. Decembris 1600.

e) Titulus.

Vd. *supra lit.: a. decr. n. 3062.; lit. c.*

f) Visitat. Eccles.

Vicarius apostolicus potest visitare dioecesim, et si cum ipso visitet etiam Episcopus, non potest Episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum: nec possunt Episcopus et Vicarius apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas, ut, ne Clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit S. Congr. Episcop. in una Cajacen. 20. Aprilis 1661, in Consentinen. 19. Novembris 1652 et in Bisinianen. 23. Augusti 1652.

2) Capitularis.

a) Associatio in Visitatione.

Abellinen.

Certum exploratumque quum sit in unaquaque Dioecesi, elapso anno a die novissimae Visitationis peractae ab ult. Episc. defuncto, posse Vic. Capitularem legitime electum hanc ipsam Visitationem per Dioecesim instituere, Sede adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo modo et ritu sit a Clero excipiendus hac in actione quaeque ab eodem Clero obsequia illi sint prasstanda; oportet enim ut minora sint illis, quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio volensque omnia ordinate instituere Rmus Vic. Cap. Abellinen. S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit nimirum:

1) Quo ritu excipiendus sit Vicarius ad valvas uniuscujusque Eccl. Dioecesis?

2) An omnes de Clero et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16. mense Apr. anno 1842 S. eadem C., audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Exquiratur Votum Magistri Caeremoniarum.* Quo elaborato praeloque cuso iterum propositis recensitis Dubiis ab Emo et Rmo D. Card. Carolo Acton Relatore in altero ordinario S. R. Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Emi et Rmi P. S. Ritibus praepositi, omnibus accurate libratis riteque consideratis rescribendum censuere: „Dilata et ad Mentem. *Mens est* ut Emus Card. Praefectus cum SSmo agat de necessitate supplendi hac in re defectui Caeremonialis.“ Atque ita rescripsit. Die 16. Sept. 1843.

Super omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI. P. M. per Em. et Referendissim. Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Ep. Portuen., S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarium, S. R. C. Praefectum, fideli relatione, S. S. benigne annuit et praedicto defectui supplendum esse mandavit juxta modum a Magistro Caerem. in suo Voto praepositum, videlicet: „Vic. Cap. procedat ad Eccl. Cath. veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet Superpelliceum vel alia insignia canonicalia, si sit Canonicus, eidemque Biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Praecedente Cruce capitulari caeterisque de clero recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Sacellum, ubi SSmum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petit Aram et brevi Oratione super infimo gradu peracta sedebit in camerali sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata, caeterisque in propriis subselliis consedentibus, et caput bireto cooperiens tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum et deinde proponet causas adventus sui, ut habetur in Pont. Rom. *(Ordo ad visitandas Parochias.)* His absolutis ab altari descendet et in plano extra latus Epistolae stans supra Superpelliceum vel Rocchetum, si eo utatur, Amictum, Stolam et Pluviale nigrum induat eique duo Sacerdotes assistent. Interim sedes ab Altari amovebitur, cujus frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta Altare in cornu epistolae versus ad populum incipit Antiphonam: *Si iniquitates.* Caetera peragantur ut in Pont. Rom. loc. cit.“

Quam methodum S. S. firmitate sua communivit.

Die 8. mense Nov. eodem Anno 1843. n. 4973.

b) Benedictiones.

Vd.: *Bened. param.*; *Param.*; *Suppellect.*; *Utensil. s.*

Vencien. in Gallia.

Vicarius capitularis sede vacante petiit indultum benedicendi ecclesiasticam suppellectilem. Et s. Congregatio annuit durante sede vacante et pro iis rebus tantum, in quibus sacra unctio non adhibetur. Die 10. Maii 1642.

(Anal. J. P. 1863 p. 282.)

c) Celebrans.

Decretum alias factum supra praedictis functionibus contra Vicarium Ordinarii, comprehendere et afficere etiam Vicarium *capitularem* et dictas functiones episcopales spectare ad primam Dignitatem. n. 702 die 7. Aug. 1627; n. 736 die 27. Mart. 1628.

Cf.: *Vicar. general.; Dignitas; Applicatio Vicarii capit., Bened.* (delegatio).

d) Concedit privil. Altaris.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

e) Distributiones.

Vd.: *Vicar. cap.* (praeced.)

Ad dub.: An Vicarius Capitularis lucretur distributiones quotidianas, si Choro propter suum munus non insit? Variant Doctores. *Affirmativam* enim sententiam defendunt *Pellegrinus* in praxi vicar. p. 1. sect. 4. subs. 2.

num. 21., *Garcias, Gonzalez, Pavin.*, *Covarruv.* et alii ab ipso citati dicentes, non currere paritatem de Vicario Episcopi, qui ideo ipse non interessendo choro non lucratur distributiones, quia servit Episcopo et non Ecclesiae, ut servit Vicarius Capitularis sicut notat Rota dec. 222. num. 5. p. 2. diversar. *Negativam* autem sustinent *Monacell.* tom. 3. tit. 1. formul. 41. num. 5., *Moneta* de distributionibus part. 2. q. 11. num. 83. et seq., *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 54. num. 165. vers.: Qui dum a Choro absens est et de Canonicis et dignitatibus cap. 42. n. 39. et alii plures. Ut autem concilientur Doctores dicendum est, standum esse legitimis locorum consuetudinibus ut ibi Vicarius Capitularis absens a choro lucretur distributiones, ubi adest legitima consuetudo eas lucrandi, arg. cit. cap.: Cum tanto 11. de consuetudine; et sic tenent *Rota* cit. decis. 222. num 6. part. 2. divers., *Barbosa* loco cit., *Quaranta* in Summa Bullar. verb.: Capitulum Sede vacante, vers: Octavo dubitatur; *Prosper August.* in addit ad. d. Quarant. num. 8. in fine, *Rebuff.* titul. de Vicario Episcop. num. 5. et ipse *Pellegrinus* loco citat. num. 31. in fine, cum aliis ibi allegatis.

f) Facultas reducendi vel suspendendi missas.

Ad dub.: An et quomodo Vicario generali, absente Episcopo et Vicario capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi vel suspendendi Missas?

S. C. resp.: Juxta votum emin. Relatoris.

Die 16. Augusti 1794. *Ecclesien.* ad VIII.

g) Habitus.

Non licet Vicario capitulari Metropol. Tarentinae interesse choro et aliis functionibus capitularibus. n. 3905. ad 3. 23. Mart. 1709. Idem Vicarius cap. interesse non potest concionibus cum canonicis collegialiter et habitu canonicali consedentibus interesse cum sygmate, vulgo zimarra.

Ibid. ad 5.

h) Indulgentias non concedit.

Vicarius capitularis non potest concedere Indulgentias. *Card. Petra* tom. 3. commentar. ad constitut. 16. Alexandri IV. n. 26. ubi dicit, quod in hanc sententiam videtur fuisse Sacr. Congr. sub die 13. Nov. 1688., ibi: Dubium indulgentiarum. Quaeritur: An Vicarius capitularis sede episcopali vacante facultatem habeat concedendi Indulgentias, quas ceteroquin concedere potest Episcopus vivens?“ Sacra Cong. respondit: Vicarius se abstineat. Et sic tenent *Archidiaconus* in cap. 1. *de Poenit. et remissionibus in 6.*, *Cardinal.* in cap. *Accedentibus* 12. de excessibus Praelator; *Fagnan.* ibid. n. 17., *Sotus* in 4. dist. 21. qu. 1. art. 4., *Lavorius* de indulgentiis part. 2. cap. 11. n. 52; *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 5. tit. 16. n. 27., *Bonacina* tom. 1. disp. 6. de Indulgent. q. 1. punct. 3. n. 23., *Monacell.* tom. n. 64. ubi dicit, quod posset Vicarius Capituli accusari tempore Sedis vacantis ipsum concessisse Indulgentias, quas Episcopus vivens concedere censuevit; nam talem potestatem Vicarium Sedis vacantis non habere constat ex declaratione Sac. Cong. Conc. 13. Nov. 1688, quae dubio proposito respondit: Abstineat; *Barbosa* part. 3. de Offic. et potest. Episcopi allegat. 88. n. 21. cum Navarr., Selu., Cordub., Ledesma, Torreblanca, Henriq., Suarez,

Reginald., Sanctarell., Rhedo et aliis, contra Silvestrum, Lazarium, Zerolam Aloysium Riccium, Azorium et alios et etiam contra ipsum Barbosam lib. 1. Juris ecclesiastic. cap. 32. n. 91. et tractat. de Canonicis et Dignitatibus cap. 42. n. 91. Et ratio nostra est, quia, licet concedere Indulgentias sit actus Jurisdictionis, est tamen actus reservatus dignitati episcopali, cum sit de majoribus; cap. *Accedentibus* 12. de excessibus Praelatorum; ubi *Fagnan.* n. 17. cum pluribus ibi citatis, adeo ut etiam Auctores contrarii fateantur tutius esse, quod Capitulum seu Vicarius committat alicui Episcopo ut indulgentias concedat nomine ipsius Capituli.

i) Licentiam Pontificalia exerc. et ordinandi concedit.

Potest Vicarius capitularis etiam ante lapsum anni concedere licentiam extero Episcopo exercendi Pontificalia in Ecclesiis Dioecesis et Ordines conferendi Clericis exteris habentibus Literas suorum Episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis sedis. Sac. Congregatio in Brixien. 16. Maii 1705, *Barbosa* de Canonicis et Dignitat. c. 42. n. 124, *Quaranta* in Summa Bullar. verb.: Capitulum Sede vacante p. 11., *Navarr. consil.* 27. de tempor. Ordinat., *Molfesius* in Summa tract 2. n. 28., *Piasec.* part. 1. c. n. 13. pag. 39., *Marcus Anton. Genuens.* in praxi Archiep. Neapolitan. c. 87 n. 33., *Marcian.* part. 6. c. 3. n. 16., *Fornar.* de Ordine c. 5. n. 8. vers.: Quarto nota; et alii.

Potest Vicarius ante lapsum anni obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo Ordines cum licentia sui Ordinarii hanc licentiam subordinatam concedere. *Navarr.* consit. 20. de temporibus Ordinat.; *Piasec.* loc. cit., *Barbosa* loc. cit. num. 123. et alii.

Potest Vicarius capitularis dare licentiam Episcopo externo confirmandi, Ecclesias consecrandi, reconciliandi et alia ad usum Pontificalium spectantia exercendi in sua Jurisdictione. Sacr. Congregat. Episcop. in Nepesina 15. Dec. 1603.

Et ipsemet Vicarius potest Ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. Cong. Rit. in Hidruntina 15. Dec. 1632. apud *Bonfadin.* in Thesaur. Eccles. de resolut. 51. num. 23 et *Barbos.* in Summ. Collectan. 712. n. 4.

Non posse Vicarium Capitularem infra annum dictae vacationis concedere licentiam Episcopo externo commoranti in Dioecesi, ut ordinet Regulares etiam praevio examine per ipsum Vicarium facto tenent *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 7. cap. 10. n. 3. et tractat. de Canonicis et Dignitatibus cap. 42. n. 121. et lib. 1. Juris eccl. cap. 32. n. 121., *Raguc.* de voce canon. part. 39. n. 4. At rectius contrarium docent *Novarr.* consil. 27. de temporibus Ordinat., *Quaranta* in Summa Bull. verb: Capitulum sede vacante q. 11., *Genuens.* in praxi Archiepiscop. Neapolitan. c. 87. num. 33., *Piasec.* in praxi Episcopor. part. 1. cap. 1. num. 13.

k) Nominari non debet in Missa.

Vicarius capitularis loco defuncti Episcopi in Missa nominari non debet. Benedict. XIV. Constitut. incip.: *Ex quo primum* §. 20.

l) Praecedentia, Sedes.

Cf.: *Canonici* (praecedentia); *Processio* (canonici parati.)

Praecedentiam sede vacante deberi Vicario capitulari post digniorem de

Capitulo. n. 1013 ad 5. die 9. Dec. 1634.

Vicario capitulari locum competere tam in choro quam in processionibus a sinistris primae Dignitatis vel, prima Dignitate deferente SS. Sacramentum, a sinistris primi et dignioris Canonici repraesentantis Capitulum. n. 1877 die 16. Mart. 1658.

Vacante sede episcopali Vicarium capitularem in choro, sessionibus caeterisque ecclesiasticis functionibus digniorem locum dimittere debere primae Dignitati Capitulum repraesentanti. n. 1957 die 15. Febr. 1659., n. 3010 die 23. Jan. 1683.

Vicarius capit. Metropol. Tarentinae conciones audiens inter missarum solemnia non potest praecedere Canonico celebranti s. vestibus induto; item non potest, incedens in processionibus cum vestibus nigris, incedere post Canonicum celebrantem; incedens vero cum vestibus suae dignitatis occupare debet proprium locum in processionibus, sed non incedat post Canonicum celebrantem prout Episcopus. n. 3805 6—8 die 23. Mart. 1709.

Balneoregien.

Archidiaconus Balneoregien. supplicavit responderi: An Vicarius capit. sede vacante, qui sit de gremio capituli, possit in choro et processionibus cum habitu canonicali praecedentiam praetendere supra antiquiores de capitulo et lucrari distributiones?

S. C. resp.: Negative juxta alia resoluta.

Die 11. Aug. 1635.

(Anal. J. P. 1863. p. 262.)

Si Vicarius capitularis, ubi adest consuetudo interessendi choro pro lucrandis distributionibus, voluerit ipsas lucrari, debet interesse cum solita veste canonicali et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem praecedendo. *Rota* in Lucerna Beneficii 18. Dec. 1579 coram Seraphino et eadem *Rota* decis. 288. num. 2. part. 2. recent. apud *Barbos.* de off. et potest. Ep. p. 3. alleg. 54. num. 166. et *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. sect. 4. subs. 2. n. 35. et sic tenent cum ipsis plures alii Doctores.

Si vero voluerit distributiones lucrari, debet praecedere omnes, excepta prima Dignitate post pontificalem; sic rescriptum fuisse a Sacra Congregatione in una Assisiensi de mense Augusti 1630, dum ipse esset Assisii, testantur *Nicolius* in Floscul. verb: Vicarius capitularis num. 67. et refert etiam Pellegrin. loc. cit. num. 34. et alii.

Vicarius Capitularis non potest occupare sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed sedere debet in alia sede portatili: Sacr. Congr. Rit. in Nucerina 10. Apr. 1601. apud Pellegrin. loco cit. num. 34. et *Barbosa* de Canonicis et Dignitatibus, cap. 42. num. 42.

Archidiaconus seu alia Dignitas major post pontificalem praefertur Vicario capitulari, etiamsi dictus Vicarius non sit Canonicus, *Barbos.* cit. cap. 42. num. 41. et cit. alleg. 54. num. 167 cum aliis ibi citatis.

m) Synodum convocat.

Potest Vicar. cap. dioecesanam Synodum congregare elapso anno ab altera Synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacra Cong. Conc. referunt *Garcias* de Benefic. part. 3. cap. 2. n. 8., *Card. Petra* tom. 5. comment. ad constitut. 4. Calisti III. sect. 2. n. 113. et alii plures.

Et eo tempore, quo Synodum celebrat, potest eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. Sac. Congreg. Episcop. in Neapolitana 12. Jan. 1604.

n) Visitatio Dioecesis.

Vd.: *Visit. Vicarii capit.*

3) Curatus.

(Praeced.)

Praecedentiam deberi Vicario-Curato *perpetuo* supra amovibilem. n. 1441 ad 3 die 14. Mart. 1643.

Vd.: *Paroch.* (praeced.), *Process.* (Clerus saec. — Clerus colleg. supra parochos:)

4. Foraneus.

a) Benedictio Supellectil.

Vd.: *Supellectil.* (bened. decr. 14. Novbr. 1615.)

b) Denominatio.

Vicarius foraneus dicitur ille, qui in certa parte Dioecesis extra civitatem Sedis episcopalis vel in Oppidis per Episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceat; cap.: *Romana* 1. de Officio Ordinarii in 6. et ibi Glossa verb.: *Foraneus,* et alia Glossa in Clement.: *Et si principalis* 2. de rescriptis verb.: *Foraneo.* Et dicitur Foraneus, quia foris seu extra locum, in quo Sedes episcopalis reperitur, Episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem: *Glossa* in cit. cap.: *Romana* 1. de Officio ordinarii in 6. verb.: *Foraneus,* et alia Glossa in cit. Clement.: *Et si principalis* 2. de rescriptis in casu verb.: Nota.

Vicarii foranei dicuntur illi, qui in certa parte Dioecesis extra Civitatem Sedis episcopalis vel in Oppidis per Episcopum constituuntur, ut ibi jurisdictionem quandam exerceant; cap.: *Romana* 1. de Offic. Ordinarii in 6. Et ab ipsis appellari potest ad Episcopum: *Bened. XIV. de Syn.* D. lib. 3. n. 5. Antiquissimi sunt et origo eorum ad Chorepiscopos est referenda. *Idem ibidem n. 6.* Chorepiscopis enim suffecti sunt Archipresbyteri, Archidiaconi et Decani rurales. *Idem ibid. n. 7.* Vicarii Foranei in Italia etiam ante s. Carolum Borromeum esse coeperunt, ut in aliis locis. *Idem ibidem* n. 8. contra aliquos aliter sentientes; sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. *Idem ibidem n. 9.* Si Parochi sint, Synodo dioecesanae intervenire debent, si non sint, tenentur, si Episcopus eos vocet idque expediat, quoniam ab istis tamquam oculatis testibus melius quam a Vicario generali certior fieri poterit de iis, quae in remotis Dioecesis partibus occurrunt et aliquam fortasse sanctionem exposcunt. *Idem ibidem n. 10.*

c) Incensatio.

Nullo modo licere Vicario foraneo habere thus triplici ductu. n. 2481 die 8. Junii 1669.

Vicario foraneo ratione sui Officii non debere ante alios thuris et pacis honorem. n. 2659 die 11. Nov. 1673

Cf.: *Incensatio; Vicar. for.* (praeced.)

d) Munus.

Vd.: *Vicar. foran.* (denominatio.)

Officium Vicarii for. est inquire de vita et moribus Clericorum, an Parochi et Presbyteri sui Vicariatus habeant libros, quos habere debent, an observent Decreta synodalia, an eorum incuria divinus Cultus aliquid detrimenti patiatur? et de his omnibus ad Episcopum relationem facere. *Conc. Mediolanen.* 1. p. 2. tit. de Vicar. for.

Tenentur significare Episcopo Curatos non residentes in sua regione. *Concil. Mediolanen.* 1. p. 2. tit. de Residentia.

Vicariis for. obedire debent omnes Curati et alii Clerici, cujuscumque dignitatis sunt, alias per Episcopum puniri possunt.

Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. de Vicar. for.

e) Praecedentia.

Vd.: *Dominica* (licentia laborandi.)

Vicarius foraneus sedeat primus in illis, quas ipse facit, congregationibus. Die 20. Dec. 1603.

Vicariis foraneis in choro, sessionibus, processionibus et aliis similibus ecclesiasticis functionibus nullam praeeminentiam seu praecedentiam super alios antiquiores seu digniores ipsius loci presbyteros, Dignitates seu Canonicos competere. N. 255 die 16. Oct. 1604. Decretum hoc confirmatum fuit die 15. Februarii 1614., n. 260 die 29. Jan. 1605; n. 861 die 8. Jun. 1630, n. 2953 die 7. Jun. 1681; n. 3123 die 31. Aug. 1686.

Sed eum stare et sedere debere in loco suae receptionis, si sit de gremio Capituli. n. 1985 die 24. Maii 1659; n. 2481 die 8. Jun. 1669; n. 2601 die 3. Sept. 1672.; n. 2659 die 11. Nov. 1673 cum append.: ,,non obstante quacumque ordinatione Episcopi, nec cum nec sine cotta, nec in choro nec in processionibus et debet in choro uti cotta sicut alii presbyteri . . .“

Decreta de Vicariis foraneis intelligenda esse indistincte, tam quando Vicarius est cum, quam quando est sine cotta, tam in choro quam in processionibus, quibus in locis Vicarius foran. debet tamquam unus ex Presbyteris seu Canonicis Ecclesiae in loco sibi convenienti juxta provisionem seu ordinem suum sedere, stare et incedere cum cotta, prout alii Canonici seu Presbyteri, alias non lucrabitur distributiones quotidianas; neque Vicarius debet thuris honorem et pacis osculum recipere ante Dignitates, Canonicos seu presbyteros ipso digniores. n. 279 die 24. Sept. 1605.

Vicario foraneo ratione sui Vicariatus officii nullam super Archipresbyterum vel alios Presbyteros ipso antiquiores et digniores praeeminentiam in choro aut in publicis processionibus competere. Neque in congressibus, in quibus casuum conscientiae disputationes habentur. n. 2169 die 3. Julii 1662; n. 3078 ad 2 die 10. Feb. 1685. n. 278 die 17. Nov. 1640; n. 297. die 25. Feb. 1606; n. 301. die 4. Mart. 1606; n. 733. die 27. Mart. 1628. Neque posse ipsum Archiepiscopum quidquid contra S. C. decretum decernere. n. 1964. die 15. Feb. 1659.

Praecedentiam deberi Vic. for. in Congregationibus casuum conscientiae tamquam Vicario supra Archipresbyterum Dioecesis Firmanae et omnes alios Rectores, Curatos, Praepositos et alios eidem subjectos in dicto Vicariatu. n. 2926 die 31. Aug. 1680; n. 3123 die 31. Augusti 1686.

In Congregationibus tantum, quae singulis mensibus de mandato Episcopi fiunt, in quibus Vicarius foraneus *tamquam Episcopi delegatus* intervenire solet, praecedentia danda sit Vicario foraneo. Extra quas Congregationes nullam Vicario nec in Ecclesia nec extra praeeminentiam competere sed debere stare, sedere vel incedere in loco suae receptionis sive antianitatis cum aliis Canonicis seu Presbyteris, prout staret, sederet vel ince-

deret, si Vicarius non esset. Num. 438 die 19. Mart. 1611; n. 1583 die 4. Maii 1647; n. 3272 die 26. Apr. 1692 *cum appendice:* Vicarium for. extra dictas Congregationes loco sibi alias juxta suam receptionem inter caeteros sacerdotes assignato contentum esse debere neque primam sedem in choro praesertim Ecclesiae Matricis neque pacem aut thurificationem ante alios neque praecedentiam in processionibus et funeralibus praetendere aut se in antiphonis et psalmis intonandis, divinis officiis ordinandis et aliis juribus, praeeminentiis et praerogativis ad Archipresbyterum aliosque ipso digniores seu antiquiores presbyteros spectantibus, ex eo solum quod Vicarius for. existit, ingerere posse sed debere stare, sedere vel incedere in loco suae receptionis sive antianitatis cum aliis Canonicis seu Presbyteris, prout staret, sederet et incederet si Vicar. for. non esset. Et ita servandum esse non obstantibus quibuscunque. n. 3293 die 12. Sept. 1692; n. 3600 die 1. Oct. 1701.

Vicario nulla super digniores seu antiquiores Dignitates, Canonicos seu Presbyteros loci, ratione sui Vicariatus foranei, praecedentia competat. n. 443 die 25. Junii 1611; n. 798 die 10. Febr. 1629.

Vicariis foraneis ratione vicariatus hujusmodi in choro, sessionibus, processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus nullam super alios antiquiores seu digniores loci ipsius Presbyteros, Dignitates vel Canonicos competere praecedentiam. n. 567 die 23. Mart. 1619; n. 843 ad 2. die 22. Decembris 1629; n. 2832 die 10. Julii 1677; n. 3078 ad 1. die 10. Februarii 1685.

Vicarium foraneum posse intervenire in Congregationibus capitularibus et habere vocem in omnibus actibus capitularibus, dummodo sedeat in suo loco uti unus de Capitulo (Colleg.) n. 843 ad 1. die 22. Dec. 1629.

Vicario foraneo nullam competere praeeminentiam nec ullum jus ecclesiasticas functiones obeundi ratione vicariatus. n. 1939 die 7. Dec. 1658.

Vicariis foraneis non competere praecedentiam adversus *parochos.* n. 2219 die 16. Junii 1663.

Nullam competere praecedentiam et praeeminentiam Vic. for. supra *parochum* Aidonis et alios presbyteros in omnibus functionibus ecclesiasticis tam in Ecclesia quam extra faciendis, non obstante contraria consuetudine adducta etiam immemorabili. n. 2236 die 4. Aug. 1663.

Praedicta decreta habere locum tam in actibus sacerdotalibus quam in jurisdictionalibus, et in quibus assistunt uti Vicarii. n. 2323 die 20. Junii 1665.

Deberi Vicario for. Collegiatae Novarien. in Congregationibus casuum conscientiae praecedentiam supra omnes Congregatos et Canonico Curato ejusdem Collegiatae juxta antianitatem suae curae ad formam statuti. num. 3778 ad 2. die 10. Dec. 1707.

Vd.: *Parochus*; *Processio* (clerus saecul.)

Papien.

S. Rituum Congregatio ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Casanate, instante Hieronymo Rolandi Rectore loci de Ottobiano Dioecesis Papien., declaravit praecedentiam deberi Vicario foraneo in Congregationibus casuum conscientiae tamquam Vicario supra omnes Rectores, Curatos, Praepositos et alios eidem subjectos in

dicto vicariatu quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Die 30. Sept. 1679.

(Anal. J. P. 1865 p. 1224 n. 2114.)

Spoletana.

S. Rituum Congregatio ad instantiam communitatis et publicorum repraesentantium loci Causarum Spoletanae Dioecesis inhaerendo aliis decretis emanatis declaravit Vicario foraneo ratione sui vicariatus nullam deberi praeeminentiam circa praecedentiam controversam inter praedictos, communitatem et Vicarium foraneum in recipiendo candelas, cineres et palmas; et ita declaravit.

Die 20. Sept. 1687.

(Anal. J. P. 1865 p. 1291. n. 2338.)

Syracusana.

Saepe sacra Rituum Congregatio declaravit nullam Vicariis foraneis per dioeceses constitutis ratione sui Vicariatus hujusmodi super alios Presbyteros, Canonicos seu Clericos competere praeeminentiam, praerogativam seu digniorem locum in Ecclesia, in choro sive in procsesionibus, sed illos debere inter Canonicos seu Presbyteros vel Clericos sui ordinis tam in Ecclesia quam in choro et processionibus cum habitu convenienti et in loco eis debito ratione antianitatis stare, sedere vel incedere, in quo starent, sederent vel incederent, si Vicarii foranei non essent, quod etiam in civitate Leonina Syracusanae Dioecesis et ubique servandum esse censuit et declaravit.

Die 7. Julii 1612.

(Anal. J. P. 1863 p. 125 n. 403.)

Lunen. Sarzanen.

S. C. resp.: Constitutiones synodales dantes praecedentiam Vicariis foraneis supra sacerdotes antiquiores in ordine, non esse attentendas.

Die 16. Febr. 1636.

(Anal. J. P. 1863 p. 265.)

Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet praecedentiam in choro, sessionibus et processionibus et aliis actibus et functionibus ecclesiasticis supra alios parochos, canonicos et presbyteros ipso antiquiores et digniores, sed debet ipse Vicarius foraneus stare tam cum cotta quam sine ulla, ubi staret etc. si Vic. for. non esset, non obstante quacumque ordinatione Episcopi in contrarium, praeterquam in Congregationibus, quae de mandato Episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tamquam Episcopi delegatus praecedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa et aliis, quae fiunt ante Congregationem. S. Congr. Rit. in Brundusina 17. Nov. 1600, in Oritana et Catan. ead. die et anno; in Marsicen. Spoletana et Bononien. 11. Apr. 1601, in Regien. 2. Mart. 1602, in Tropien. 25. Januarii 1603, in Neocastren. 12. Aprilis 1607, in Comen. Valevatiae 19. Mart. 1611, in Lucerina 24. Junii 1611, in Syracusana 7. Julii 1612, in Hydruntina Soleti 2. Mart. 1613, in Mediolanen. Cerbettae 3. Dec. 1616, in Campana Terrae Castri 7. Sept. 1618, in Spoletana Terrae Casciae 23. Martii 1619, in Salernitana 27. Mart. 1638, in Neritonen. 22. Dec. 1629 et in Tranen. 9. Apr. 1633 et saepissime alibi. Etiam quacumque consuetudine contraria non obstante. Eadem sacra Rituum Congregatio in Syracusana 3. Junii 1630.

f) Residentiae locus.

Vd.: *Residentia parochi* (locus).

Vicarii foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint vel in alio

non multum distanti. S. Congr. in Trojanen. 12. Dec. 1646. Locus autem debet esse equidem numerosus.

5) Generalis.

a) Annulus.

Vd.: *Annulus.*

Non potest Vicarius gen. uti annulo tempore, quo celebrat, licet sit Protonotarius apostolicus non participans. S. Rit. Congr. 11. Febr. 1623 apud *Gavant.* in Manual. Episcop. verb.: *Missae ritus* n. 12. et *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. s. 1. subs. 2. num. 12. et multo minus, si sit Canonicus cathedralis. Ead. S. Rit. Congr. 29. Nov. 1629 apud *Gavant.* loc. cit. n. 13. et *Pellegrin.* loc. cit. num. 12.

In decr. S. Congr. 4. Aug. 1663 dicitur, quod possunt Canonici Cathedralis Missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie.

b) Associatio et aspersio.

Cf.: *Aspersorium* (quibus non porrig.)

Non licet Vicario generali deductio ab ejus mansionibus ad Ecclesiam per Clericos et a porta Ecclesiae ad chorum per Beneficiatos nec administratio aspersorii per Canonicum.

N. 1765 die 7. Aug. 1655.

Vicario generali accedenti vel ad dandam Canonicis possessionem vel alia quacunque de causa praestanda non est honorifica associatio duorum Canonicorum nec ministrandum ad fores Ecclesiae aspersorium.

N. 4662 ad 2 et 3 die 17. Jul. 1830.

c) Benedictionis et reconcil. potestas.

Ebroicen.

Vicarius generalis Ecclesiae Ebroicen. ob continuam absentiam Episcopi obtinuit superioribus annis indultum a fe. re. Paulo V. benedicendi vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica et reconciliandi Ecclesias pollutas in absentia Episcopi ad triennium; quo jam finito petiit modo aliud simile indultum ad decennium et re ad hanc s. Congregationem remissa respondit: concedendum ad aliud triennium.

Die 6. Febr. 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 194.)

Vd.: *Reconcil. eccles.; Vasa s.; Supellectil.*

Praeter auctoritatem delegatam Episcopi debet Vicarius pro benedicendis paramentis sacris obtinere licentiam sacrae Congregationis Rituum, quae solet illam concedere in hunc qui sequitur modum. S. Rituum Congr. attribuit ad triennium N. Vicario generali N. facultatem benedicendi sacram supellectilem aliaque indumenta ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur et dummodo expressus interveniat ordinarii consensus etc. Rescribendo Episcopo sacra Rituum Congregatio facultatem indulsit reverendissimo D. N. moderno Episcopo N. ut subdelegare possit licentiam benedicendi sacra supellectilia ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur, ejus Vicario generali et aliis sacerdotibus suae dioecesis sibi benevisis in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis etc. juxta decretum relatum a Gavanto in Manuali Episcoporum verbo: benedictio n. 5.

(Anal. J. P. III. Ser. 1858 p. 866.)

Non potest Vicarius generalis, etiamsi fuerit Episcopus, ex generali commissione sine speciali mandato Episcopi exercere ea, qnae sunt ordinis episcopalis, ut: consecrare Ecclesias

et altaria, Chrysma et Oleum sanctum conficere, Sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare et alia hujusmodi: *Rebuff.* in praxi benefic. tit. de Vicario n. 33. et num. 168. cum sequ., *Sbroz.* de Vicario episc. lib. 2. quaest. 5. n. 10. et q. 6. cum seq., *Azorius* part. 2. lib. 3. cap. 45. q. 9. et cap. 46. vers.: Confirmationes, *Ugolinus* de offic. et potest. Episc. cap. 4. §. 7. n. 2. vers. 8., *Franciscus Leo* in thesaur. fori eccl. part. 1. cap. 12., *Barbosa* part. 8. de offic. et potest. episc. allegat. 83. cum aliis ibi citatis, *Pellegrin.* in praxi Vicar. p. 1. s. 1. subject. 2. a num. 1. ad 5. et alii passim.

d) In Capitulo.

Vd. p. 829 decr. n. 298. 1160. 1247.

Vicarium generalem, qui sit de gremio Capituli, acta capitularia subscribere debere in loco suae receptionis in canonicatu. N. 1148 die 16. Apr. 1639.

e) Celebrans.

Vd.: *Dignitas* (Celebrans); *Processio* (Dignitas); *Assistens; Vesperae; Bened.* (delegatio); *Missa priv. Abb., Dignit. etc.; Vicar. gen.* (missa).

Vicar. gen. non potest baldachinum erigere, absente Episcopo, in Ecclesiis exemptis invitis Monachis. S. Rit. Congr. in causa Congregationis Casinensis 10. Julii 1621 apud Pellegrin. in praxi Vicar. p. 1. sect. 1. subs. 2. num. 11.

Neque potest absente vel impedito Episcopo facere functiones episcopales, sed spectat facere ad primam dignitatem capituli et successive ad alios. S. Rit. Congr. in Algaren. et Brundusina 20. Decembris 1661 et in alia Brundusina 5. Febr. 1614 et in Alatrina 22. Januarii 1618.

Neque potest uti Vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare nec SS. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum praeesse, ut omnia suo ordine fiant. S. Congr. Episc. 29. Septbr. 1627 apud *Barbosam* in summa dec. ap. coll. 715. num. 12.

Neque potest dare benedictionem Diacono, antequam cantet evangelium, neque benedicere praedicatori, antequam pulpitum ascendat. S. Congr. Rit. in Pacen. 17. Martii 1607 apud *Pellegrin.* l. cit. sub. n. 13. et *Barbosam* in summa dec. ap. coll. 715. num. 9.

f) Circulus.

V. g. non potest praetendere, ut ipsi missam solemnem cantanti assistant Canonici et faciant circulum ante ipsum. S. Rit. Congr. 8. Mart. 1595.

Vd.: *Circul.*

Maceraten.

Petiit Vicarius generalis Maceraten. declarari, an ipse uti Vicarius possit et debeat cum Canonicis Cathedralis facere circulum ante Episcopum ad hymnum angelicum, Credo et Sanctus?

Et Sacra Congregatio respondit: Dignitates et Canonicos tantum debere facere circulum ante Episcopum et non alios.

Die 28. Septembris 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 223.)

g) Pro Dioecesi alteri unitae.

Ad dub.: An Episcopus Cariatens. teneatur deputare Vicarium gener. pro Dioecesi Geruntina?

S. C. C. resp.: In casu, de quo agitur, affirmative.

Die 2. Oct. 1706; 11. Febr. 1708; 18. Augusti 1708.

Et sub die 12. Febr. 1724 S. C. C. resolvit ad idem dub.: Standum in decisis juxta modum et modus est, quod Geruntinae deputetur ab Episcopo Vicarius denominative tantum generalis cum facultatibus concordandis coram Emo Praefecto, ita tamen, ut ab ejusdem sententiis appellatio interponatur ad Episcopum.

(Conc. Tr. C. 16. S. 24. De ref.)

h) Facultas reducendi vel suspendendi missas.

Ad dub.: An et quomodo Vicario generali, absente Episcopo, et Vicario capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi vel suspendendi missas in casu?

S. C. resp.: Juxta votum Eminent. Relatoris. Die 16. Aug. 1794. *Ecclesien* ad VII.

i) Facultas sodalitates, viam crucis et altare privileg. erigendi.

Vd.: *Via crucis* (erectionis facult. etc., decr. pro Episcopo Gratianopol. et seq.; Erectionis modus ab Episcopo etc.)

k) Habitus.

Habitum vicarialem esse subtanam cum mantello et ideo Vicarium gen. Turritanum, nisi sit Praelatus, non posse uti subtana cum cauda et mantelletto. Et ita servari quibuscunque non obstantibus. n. 1202 die 4. Februarii 1640.

Vicarialem habitum esse subtanam cum mantello, talari et bireto; et Vicarium non Protonotarium nullo modo posse uti subtana cum cauda et mantelleto ut pluries declaravit S. C. n. 3234 ad 2 die 2. Dec. 1690.

Anagnina.

Precibus Sacerdotis Ant. Sibilia Canonici Cath. Anagninae et in praesentiarum Vic. gen. in Civitate Ferentina exquirentis ut insignia concessa Capitulo Cath. Anagninae gestare etiam valeat dum choro assistit in memorata Civitate Ferentina sancta Congregatio rescripsit: „Juxta alias decreta incedere debere in habitu vicariali.“

Die 18. Febr. 1843.

Vd.: *Vicar. gener.* (Praeced. etc.)

l) Habitus in Synodo.

Vd.: *Vicar. ap.* (praeced.)

Vicarius generalis in Synodo dioecesana, si Protonotarius sit apostolicus, utitur vestibus hujus muneris, Rocchetto scilicet et Mantelletta. Et si ea careat praerogativa, utitur vestibus, quibus per Urbem incedere solet. Si autem sit de gremio capituli, in missa et solemni supplicatione utitur vestibus canonicalibus; in sessionibus vero synodalibus, illis depositis, proprias assumit. Bened. XIV. de Synodo dioec. l. 3. c. 11. num. 7. ex Gavanto cap. 13. num. 11. et 12.

m) Incensatio.

Nepesina.

Pro parte Episcopi Nepesini a sacra Rituum Congregatione quaesitum fuit: an suus Vicarius generalis, qui non est praelatus, sed in habitu suo ordinario cum subtana et mantello nigro, absente Episcopo, sedet in choro in primo loco supra omnes Canonicos in vesperis et missis, quae in Ecclesia cathedrali celebrantur, absente Episcopo triplici ductu thuribuli sit thurificandus vel potius duplici? Eadem sacra Rituum Congregatio respondit: Vicarium praedictum, licet sedeat in choro supra Canonicos absente Episcopo, cum non sit praelatus nec paratus, sed in habitu ordinario cum

mantello et subtana nigra assistat divinis, non triplici sed duplici ductu thuribuli thurificandum esse censuit et declaravit.

Die 11. Januarii 1617.

(Anal. J. P. 1863 pag. 144.)

Vd.: *Canonici* (incens.); *Vic. gen.* (sedes, praeced.)

Vicarius thurificatur ante Canonicos sive is, qui thurificat, sit Acolythus sive Clericus sive etiam Canonicus. Nam cum in missa unus ex Canonicis cantet Evangelium et ad illum spectet thurificare caeteros omnes Canonicos, debet utique thurificare Vicarium, qui praecedit Canonicos, et licet in praeteritum Vicarius non fuerit a Canonicis thurificatus ante Canonicos et ab eodem, qui caeteros Canonicos thurificare solebat. Num. 374 ad 1 die 15. Mart. 1608.

Ratione vero paramentorum Canonici *parati* debent thurificari ante Vicarium maxime si non utatur habitu Praelati, id est, Rocchetto et Mantelletto. *Ibid.* ad 2.; n. 2254 die 24. Novembris 1663.

Non debetur Vicario generali praecedentia in incensatione, quando Dignitates et Canonici sunt induti *sacris vestibus.* Num. 964 die 17. Julii 632; n. 2867 ad 2 die 26. Novembris 1678.

Canonicos sacris indutos ante Vicarium thurificandos. Num. 1906 die 13. Julii 1658.

Vicarius non solum post Canonicos sacris indutos et Sacrificii ministros, verum etiam post Canonicos sacris amictos apud stalla choralia existentes thurificari debet. Num. 1924 die 7. Sept. 1658.

Vicarium, licet sedeat in choro supra Canonicos, absente Episcopo, *cum non sit Praelatus* nec paratus, sed in habitu ordinario cum Mantello et Subtana nigra assistat Divinis, non triplici sed duplici ductu thurificandum esse. Num. 527 die 14. Jan. 1617.

Vicario gen. non Praelato vel alias Protonotario apost. in habitu tamen praelatitio Divinis non interessenti nec absente Episcopo trini ductus thuribuli thurificationem competere sed tantum duplici ductu eum thurificari debere. Num. 1996 die 19. Julii 1659; n. 2783 ad 2 die 13. Junii 1676; num. 2797 ad 3 die 14. Novembris 1676.

Ad dub.: An assistens Vicarius gen. in choro in habitu praelatitio protonotariatus sit thurificandus triplici ductu etiam praesente Archiepiscopo ac etiam ante Canonicos paratos?

S. C. resp.: *Negative.* num. 2829 die 10. Julii 1677.

Vicarius Episcopi thurificetur pro consuetudine Ecclesiae. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 29.

Vicarium general. in *habitu vicariali* tam praesente quam absente Archiepiscopo thurificari debere ante omnes Dignitates et Canonicos. Num. 1112 die 9. Dec. 1638.

In concursu cum gubernatore et prioribus Civitatis Vicario generali deberi duas tantum thurificationes, nisi adsit consuetudo, quae tamen erit probanda. Num. 1294 die 2. Mart. 1641.

Minime ipsum Vicarium ante sed post assistentes Episcopo thurificandum esse. Num. 1755 die 19. Junii 1655.

Vicarius generalis interveniens choro praesente Episcopo est thurificandus eique pax praebenda ante Dignitates et Canonicos, dummodo Canonici non sint s. paramentis induti et exceptis

illis, qui assistentiam praestant Episcopo etiam chorali habitu induti. N. 4174 ad 1 die 3. Jul. 1745.

n) Indulgentiar. concessio.

Non potest de jure Vic. gen. sine speciali mandato Indulgentias concedere; arg. cap.: *Antecedentibus* 12. de excessibus Praelat. et ibi *Fagnan.* n. 17. cum pluribus aliis, *Card. Petra* tom. 3. Comment. ad Constit. 16. Alexandri IV. n. 26., *Barbosa* in Summa decis. apost. verb.: Vicar. gen. Episcopi etc. n. 90 cum pluribus ibi allegatis.

o) Jurisdictionem, non ordinem episcopalem exercere potest.

Vd.: *Vic. gen.* (bened. etc. p. 823.)

Jurisdictionem episcopalem, per Vicarium generalem exerceri valet, ex *cap. fin. ibique gloss. verb.: non possunt de offic.* Vicar. in sexto; *Pellegrin.* prax. Vicar. part. 1. sect. 2. subject. 2. sub num. 1. et num. 18.

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Jan. 1801. *Lauden.*)

p) Licentiam Pontif. exercendi non concedit.

Vicar. gen. non potest concedere licentiam alteri Episcopo exercendi Pontificalia in sua dioecesi, nisi habeat ad id speciale mandatum. Sacra Congr. Concilii apud Barbosam in summa ap. decis. coll. 715 n. 16.

q) Missam privat. celebr.

Vicar. gen. non potest, quando celebrat, habere duos capellanos sive clericos, qui illi cum cottis inserviant. S. Congr. Rit. 7. Aug. 1627.

Neque in altari quatuor candelas accensas tenere, nisi hoc fieret in illo altari propter solemnitatem diei festi. Ead. S. Rit. Congr. 7. Aug. 1627.

Neque potest sumere paramenta de altari, quia hoc facere solis Episcopis permittitur. Eadem S. Rituum Congregatio 7. Jul. 1712.

Nisi propter necessitatem ob loci angustiam id faciat; uti alii sacerdotes in simili casu faciunt et tunc ipsa paramenta non in medio altari sed in cornu Evangelii sumere debet, ut declaravit S. Rituum Congr. de die 7. Julii 1612.

Vd.: *Missa priv. Canon., Dignit. et Vicarii gen.; Vicar. gen.* (celebr.)

Pennen.

Archidiaconus Ecclesiae Pennen. s. Rituum Congregationi exposuit: Vicarium generalem ejusdem Ecclesiae fecisse ei praeceptum sub poena unciarum aur. 25. etc. ne audeat vel praesumat aptare, ponere nec aptari aut apponi facere credentiam seu mensam in cathedrali Ecclesia Pennen. nec in alio quovis loco tempore, quo ipse Archidiaconus celebrat missam solemnem, nec in dicta credentia seu mensa apponi facere calicem, patenam, candelabra, scottocoppe, luminaria etc., sed quia juxta rubricas missalis romani dicta mensa seu credentia non prohibetur, immo conceditur et permittitur in missis, quae solemniter decantantur, petiit declarari: An licite Vicarius dictam mensam seu credentiam prohibere potuerit?

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit: rubricas missalis servandas esse nec licere Ordinario seu Vicario prohibere ea quae juxta dictas rubricas missalis conceduntur, dummodo juxta formam et modum in dictis rubricis praescriptum praeparentur et ordinentur. Et ita declaravit et in civitate

Pennen. servari mandavit quibuscumque non obstantibus.

Die 4. Julii 1615.

(Anal. J. P. 1863 p. 137.)

r) Praecedentia, habitus, chorus, distrib.

Cf.: *Sedes Vicarii gen.; Praepositus.; Officium* (quod recitand.); *Capitulum* (praecedent.): *Purif. B. M. V.* (Ordo accip. etc.) *Dignitas*; *Parasceve.*

Vicarius praecedere debet omnes Canonicos, Dignitates et Archidiaconum. n. 17 die 17. Sept. 1591; n. 115 ad 1 die 9. Mart. 1597.

Praecedentiam semper dandam esse supra Dignitates et Canonicos Vicario generali *tam absente quam praesente* Episcopo. Num. 768 die 7. Augusti 1628.

Vicarium general. in processionibus ultimo loco incedere debere inter Canonicos seu Dignitates, dummodo non sit consuetudo in contrarium. n. 789 ad 3 die 20. Dec. 1628.

Vicario generali deberi in habitu *vicariali* praecedentiam supra Dignitates, Canonicos omnesque alios de choro tam intra quam extra Ecclesiam. n. 938 die 22. Nov. 1631; n. 954 ad 2 die 30. Apr. 1632.

Tum absente quam praesente Episcopo, dummodo Canonici non sint parati sacris vestibus. n. 1026 die 13. Sept. 1635; n. 1046 ad 1 die 6. Septembris 1636; n. 3234 ad 2 die 2. Decembris 1690; n. 1287 die 12. Jan. 1641; num. 1755 die 19. Junii 1655.

Vicario gen. nullam competere praecedentiam super Canonicos sacris indutos, quamvis ipse incedat in habitu Protonotarii. n. 1971 die 15. Febr. 1659; n. 3058 die 17. Junii 1684; 14. Junii 1608; 5. Julii 1614.; num. 2274 ad 1 die 24. Maii 1664.

Canonicus, locum Vicarii obtinens in Ecclesia Cathedr., si jurisdictionem habeat, praecedere debet omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episopum, qui Suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa divinis officiis in choro interessentes. n. 74 die 8. Febr. 1594.

Vicario generali sede vacante tribuendum esse locum digniorem et praecedentiam in omnibus actibus tam in Ecclesia quam extra eam supra omnes Dignitates et Canonicos; non vero ad eum pertinere missas, ab Episcopo celebrari solitas, eo absente vel alias impedito, celebrare, sed ad Dignitates. n. 75 die 26. Apr. 1594; n. 2274 ad 1 die 24. Maii 1664.

Vicario generali convenire locum supra omnes Canonicos tam in congregationibus capitularibus et sessionibus, quam in processionibus, *dummodo Canonici sacris vestibus parati non incedant.* n. 159 ad 3 die 3. Aug. 1602; n. 2117 ad 2 die 2. Jul. 1661.

Vicarius gen. juxta declarationes S. C. R. tam praesente quam absente Episcopo in ecclesia, choro, processionibus, synodo et aliis publicis et privatis actibus, in quibus ipsi uti Vicario adesse contigerit, Canonicos et Dignitates praecedere debet, nisi tamen ii s. vestibus sint induti. Num. 2994 ad 2—5 die 22. Aug. 1682.

Vicario gen. in habitu vicariali tam absente quam praesente Episcopo (*nisi tamen consueverit sedere in sede et loco separato)* semper et ubique deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo, dummodo hi non sint parati. *Si vero Vic. gen. sit de gremio Capituli,* sedere debet in loco suae receptionis, si vult distributiones lucari. n. 3249 die 15. Sept. 1691.

Vicarius generalis praecedere debet omnes Dignitates et Canonicos, dummodo non sint parati et Vicarius non sit ex numero Dignitatum vel Canonicorum ejusdem Ecclesiae et velit tamquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere, quia tunc sedere debet in stallo suae Dignitatis vel Canonicatus. n. 192 die 12. Apr. 1603; n. 2161 die 9. Apr. 1661.

Vicarius supra Dignitates et Canonicos *paratos nullam* habeat praecedentiam sed tantum illis praecedat, quando sunt in habitu canonicali ordinario et *sine paramentis*. n. 216 die 6. Sept. 1603; n. 2066 die 12. Junii 1660.

Praecedentiam competere Dignitatibus et Canonicis paratis supra Vicarium gen. neque allegatam consuetudinem, immo potius abusum, illi suffragari. n. 605 die 24. Sept. 1621.

Vicarium incedere debere inter Canonicos digniori loco, quandocunque iidem non fuerint sacris vestibus induti; tunc enim Vicarius a *processionibus* abstinere debet vel post Episcopum incedere, nisi Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem loco immediate post Episcopum. Num. 1923 die 7. Sept. 1658.

Vicarium gener. Alexan. in processionibus debere incedere medium inter Dignitates, dummodo non sint paratae. n. 4128 ad 3 die 28. Julii 1742.

Vicarium generalem, quoties *ut Canonicus* in choro et in Capitulo seu aliis actibus interesse intendit in habitu et apparatu canonicali, in loco suae receptionis sedere aut incedere debere, quoties autem ut Vicarius vult praecedere Canonicos, habitum canonicalem dimittere debere. Num. 234 die 21. Febr. 1604; n. 664 die 21. Novembris 1626; n. 910 die 22. Mart. 1631; n. 1013 ad 6 die 9. Decembris 1634; n. 1631 die 2. Mart. 1652; n. 1973 die 29. Mart. 1659; num. 2416 die 23. Julii 1667.

Vicarius distributiones quotidianas lucrari non posse, nisi in choro assistat cum cotta et habitu dignitati suae convenienti, prout assistunt caeteri Dignitates. Locum vero Vicarii, in quo tamquam Vicarius ad Officium et conciones sedeat, illum esse debere, quem idem Vicarius haberet praesente Archiepiscopo, nec licere sibi sedem cum tapete et pulvino sericeis parare in loco, in quo sederet Archiepiscopus, si praesens esset. In processionibus vero, in quibus *ut Vicarius* in habitu suo ordinario incedit, praecedentiam ei debere super omnes alias Dignitates et Canonicos, etiam Protonotarium; sed quatenus etiam dentur distributiones Canonicis procesionibus interessentibus, illas Vicarium lucrari non posse, nisi in habitu canonicali incedat. Num. 275 die 16. Julii 1605; n. 959 die 21. Junii 1632; n. 1180 die 17. Sept. 1639; n. 2407 die 2. Apr. 1667; num. 2821 die 3. Apr. 1677; n. 3022 die 22. Maii 1683.

Vicarium generalem praesente Praeposito et in omnibus *actibus capitularibus* et quandocunque distributiones quotidianas lucratur, debere stare vel incedere in suo stallo vel loco canonicali; absente Praeposito tamquam Vicarius generalis in primo et digniori loco. n. 298 die 4. Mart. 1606.

In actibus capitularibus non debetur praeeminentia Vicario gener. supra Dignitates et Canonicos antiquiores in canonicatu. n. 1160 die 23. Maii 1639.

In Capitulo Vicarium general. uti Vicarium non habere vocem, uti vero Canonicum nonnisi in loco suae receptionis. n. 1247 die 7. Julii 1640.

Semper et ubicunque tam in sedendo quam in incedendo in processionibus et in omni loco et actione, ubi simul convenire vel incedere contigerit Vicarium in Spiritualibus et Gubernatorem civitatis Ravennaten., tam praesente quam absente Archiepiscopo, praecedentiam dandam esse Vicario juxta stylum et antiquam et laudabilem consuetudinem civitatis Ravennat. n. 340 die 28. Apr. 1607.

Debere Vicarium, si sit Canonicus, cum Canonicis in loco suo incedere et quatenus tamquam Vicarius funera defunctorum associare voluerit, nihil lucrari de cera seu aliis distributionibus, quae dantur seu dari solent Canonicis associantibus funera. Num. 380 die 10. Maii 1608.

Non convenire et amplius mandavit significari Episcopo S. R. C., ut amplius in futurum non faciat incedere suum Vicarium inter Dignitates et Canonicos paratos. n. 383 die 14. Junii 1608; n. 2783 ad 1 die 13. Junii 1676.

Vicarium generalem, cum sit Primicerius et tertia Dignitas Ecclesiae Lauretanae, nullo modo posse lucrari distributiones quotidianas nisi in proprio suo stallo et in habitu canonicali, quo similes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonici utuntur, missis, horis canonicis etc. assistat. Caeterum, si tamquam Vicarius generalis in habitu Praelati primum locum supra omnes Dignitates et Canonicos habere contenderit, tunc nullo modo posse nec debere lucrari distributiones quotidianas. Num. 402 die 21. Mart. 1609.

Praecedentiam dandam esse Canonicis *paratis* nec convenire, ut Vicarius Canonicis paratis praecedat. Num. 423 die 6. Mart. 1610.

Spiritualem jurisdictionem temporali esse praeferendam et ideo Vicarium gen. Episcopi in tota dioecesi praeferendum esse omnibus Commissariis et Potestatibus locorum dioecesis tam Sassoferati quam alibi. n. 427 die 15. Maii 1610.

Praecedentiam in omnibus dandam esse Vicario gen., quando *tamquam Vicarius* et non tamquam Canonicus in choro et actis publicis assistit. Quando vero Vicarius est Canonicus, non posse tunc lucrari distributiones quotidianas ... nisi in habitu canonicali et in loco suae promotionis sedeat et assistat tamquam Canonicus, qui tunc Decano et aliis Canonicis dignioribus et antiquioribus locum digniorem et thurificationis et pacis honorem cedere debet. n. 430 die 7. Aug. 1610; n. 1112 die 9. Decembris 1608.

Praecedentiam deberi Vicario generali supra Archidiaconum, quando intervenit cum habitu *vicariali*. Num. 1197 die 14. Jan. 1640; n. 1239 die 17. Julii 1640.

Vicarium general. debere praecedere Archidiacono in omnibus functionibus quando Canonici non sint parati. num. 1664 die 10. Maii 1653.

Vicarium praeferendum esse omnibus Dignitatibus ac Canonicis, qui sacris non sunt induti. n. 1910 ad 1 die 13. Julii 1658.

Vicarius generalis Bituntini absente vel praesente Episcopo semper debet praecedere supra omnes Dignitates et Canonicos, quando tamen non sint parati, etiamsi Vicarius sit unus de Canonicis et non incedat in habitu canonicali sed vicariali tam in choro, processionibus et sessionibus quam in omnibus aliis ecclesiasticis functionibus; et quando Vicarius gen. Canonicus incedit indutus hab. vicariali non debet gaudere distributionibus

quotidianis; et quando incedit cum habitu canonicali, debet sedere in suo stallo chori et in processionibus aliisque functionibus procedere in suo loco. n. 2755 die 28. Sept. 1675; n. 2797 ad 1 die 14. Nov. 1676.

Praecedentiam dandam esse Vicario gen. super omnes Dignitates et Canonicos, *dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum Dignitatum et Canonicorum*, quia tunc deberet sedere et incedere in loco suo, ut distributiones quotidianas lucrari possit, et *dummodo Canonici non sint s. vestibus parati*, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem Canonicis paratis. n. 494 die 5. Jun. 1614.

Vicario gen. numquam (neque in choro neque in processionibus) competit praecedentia supra Canonicos paratos *nec usus sacrar. vestium, nisi sit de gremio Capituli;* et eo casu stare debet in loco suae receptionis juxta alias resoluta. n. 3234 ad 1 die 2. Dec. 1690.

Semper et ubique et in omni loco, tam praesente quam absente Episcopo, praecedentiam dandam esse Vicario gener. quibuscunque non obstantibus, *dummodo non incedat in habitu canonicali,* quatenus sit de gremio Capituli. n. 547 die 19. Aug. 1617; n. 1247 die 17. Jul. 1640.

Vicario, *qui non est de Capitulo,* non licere ultimo loco cum cotta praecedere et manere in choro inter Canonicos. n. 695 die 17. Jul. 1627. Vicario nunquam competere.... usum Pluvialis, nisi sit de gremio Capituli et in hoc casu debere incedere in loco suae receptionis, non obstante contraria consuetudine, quam abusum. n. 1943 die 7. Dec. 1658; n. 1973 die 29. Mart. 1659.

Si non adsit alius locus pro Vicario, Vicarium sedere debere in primo stallo, quia non per hoc dicitur occupare stallum Archidiaconi. n. 712 die 20. Nov. 1627.

Non convenire Vicario gener. praecedentiam supra facientem Officium sacris vestibus indutum. n. 990 die 17. Sept. 1633.

Ripana.

In causa praecedentiae inter vicarium generalem episcopi Ripani et comissarium ejusdem civitatis Congregatio sacrorum Rituum, Illmo Crescentio referente, inhaerendo decreto ab ipsa emanato sub die 28. Maji 1616 praecedentiam semper et ubique tam absente quam praesente episcopo competere vicario generali supra commissarium supradictum neque communitatem ad probandam praetensam contrariam consuetudinem admitti debere censuit.

Die 19. Jan. 1619.

(Anal. J. P. 1863. p. 155.)

Bituntina.

Pro parte Rmi Episcopi Bituntini supplicatum fuit pro declaratione: An vicarius generalis sive absente sive praesente episcopo tam in functionibus, quae fiunt in Ecclesia, quam in publicis processionibus praecedere debeat regio gubernatori et syndico civitatis? Et s. Rituum Congregatio respondit: Servetur consuetudo ecclesiae; et ita decrevit.

Die 17. Jun. 1679.

Anal. J. P. 1865. p. 1222. n. 2101.

Melevitana.

Licet contra capitulum ecclessiae Melitae ejusque archidiaconum digni-

tates et canonicos per istam s. Congregationem fuerit sub diebus prima Octobris et 3. Dec. 1661 ac 21. Jan. 1662 contra immemorabilem et antiquissimam consuetudinem illius ecclesiae resolutum ex nonullis allegatis probationibus contrariae consuetudinis praecedentiam deberi vicario, adhuc concessa Capitulo remissoria ad probandam immemorabilem consuetudinem et delato processu ad s. Congregationem illoque una cum aliis juribus ad relationem Emmi Columnae ponentis examinato acriter utraque parte informante in Congregatione habita sub die 28. Jul. proxime praeteriti censuit: *Praevio recessu a decretis praecedentiam deberi in choro et processionibus Capitulo.* Verum quia Antonius Mansus modernus vicarius generalis, aegreferens hanc resolutionem et excogitans modum illam supplantandi et eludendi et imposterum inquietandi capitulum ejusque capitulares incoepit se jactare velle amovere a choro consuetam et fixam sedem vicariis generalibus assignatam in ordine capellanorum illamque in aliam ecclesiae partem transportare et situare, etiam in eminenti loco; unde capitulum praedictum ad tollenda futura inconvenientia et scandala et eliminandas novas lites et praetensiones denuo recurrit parte citata ad EE. PP. pro confirmatione dicti decreti emanati die 28. Jul. proximi praeteriti ad ejus favorem et impositione perpetui silentii eidem vicario supra dicta praetensa praecedentia, ipsique etiam inhiberi, ne ullo modo audeat amovere sedem fixam vel aliam de novo in quovis alio loco ponere, idque sperat obtinere ex rationibus et fundamentis deductis in scriptis alias sub memoriali datis et aliis quae dantur in praesenti. Et Deus etc.


Iterum per Emum Columnam proposita causa Melevitana praecedentiae pro capitulo et archidiacono cathedralis contra vicarium generalem s. Rituum Congregatio ad relationem ejusdem Emi Columnae rescripsit: *Episcopus non permittat aliquid innovari per vicarium inconsulta s. Congregatione. Quo vero ad praecedentiam in decisis et imponatur perpetuum silentium; et ita decrevit.*

Die 24. Nov. 1685.

Annotatio

Facti pro capitulo, archidiacono et dignitatibus ecclesiae Melevitanae contra vicarium generalem episcopi.


Quamvis capitulum ecclesiae cathedralis Melevitanae ejusque archidiaconus et aliae dignitates ab antiquissimo et immemorabili tempore citra semper consueverint praecedere vicarium episcopi in choro aliisque functionibus et actibus ecclesiasticis, tam praesente quam absente eodem episcopo, nihilominus D. Antonius Mansus vicarius generalis moderni episcopi dictae eccles. praetendens modo praecedere velle dictum capitulum ejusque dignit. non paratos et aspirans prae ceteris in choro occupare stallum illius primae dignitatis, in quo perpetuo sedere soluit archidiaconus capituli, in prosecutionem consimilis praetensionis alias et de anno 1661 propositae in hoc s. Tribunali ad relationem cl. mem. Card. Franciotti et respective tunc excitatae a D. Alexandro Bononia canonico ejusdem ecclesiae olim officium vicarii bo. me. Belaguer Episcopi exercente hujus praetensionis et novationis introductore; verum quia ostenso pro parte capituli die 2. Julii 1661, quod revera illi praecedentia deberetur, censuit ipsa S. C. ut praefata antiquissima consuetudo pro capitulo ser-



varetur. Et praesentato successive hujusmodi decreto dicto episcopo Belaguer, praedictus Alexander Bononia ejus vicarius intuens se omni jure destitutum ad sustinendam excitatam novitatem et propriam ejus ambitionem praecedere volentis et erogantis modum non minus supplantandi capitulum quam fraudandi dictum decretum, tandem modum invenit impugnandi eamdem consuetudinem, quae pro capitulo semper viguit, negando illum viguisse et conando se contrarium probare curavit de proprio ejus marte et absque ullo ordine et remissoria hujus s. Congregationis septem testes ad perpetuam rei memoriam examinari in ipsamet curia episcopali et fecit subinde suum episcopum reclamare adversus praedictum decretum et in suis literis reclamatoriis eidem S. C. directis, ut magis reclamatio ista reciperet fomentum, adjecit et respective inseruit fidem publicam depositionum dictorum septem testium asserentium contrariam consuetudinem ab illa capituli pro vicario vigere et viguisse. Unde auditis ab eadem S. C. ipsius Episcopi Belaguer reclamationibus ac visis depositionibus dictorum testium ita exhibitis prodiit, nullo ex parte capituli citato, decretum dicto Alexandro Bononiae vicario 1. Oct. ejusdem anni favorabile, cum quo responsum fuit illi praecedentiam deberi, et quo petita nova audientia in instantiam capituli non solum haec fuit denegata propter testimonium dictorum septem testium, sed, quod deterius est, favore dicti vicarii Bononiae statutum fuit in decisis die 3. Dec. ejusdem anni 1661 et successive 22. Jan. 1662 capitulo fuit quoque denegata remissoria et compulsoria ad probandam inveteratam ejus consuetudinem et possessionem praecedendi ab antiquissimo tempore citra, quasi fuisset impossibile ob dictum testimonium septem testium ipsi S. Congregationi ab eodem episcopo adductum potuisse probari contrarium.

Quare audientes tunc archidiaconus et canonici ejusdem capituli seriem horum decretorum S. Congregationis emanatorum contra ipsam consuetudinem ejusque veritatem in capitulo vigentem et perpetuo observatam pro eodem archidiacono et aliis dignitatibus venerunt ad Urbem et comprobato fumo dictae consuetudinis et ejus veritatis, die 5. Aug. 1662 ab eadem s. Congregatione obtinuerunt remissoriam et compulsoriam, cum solita clausula: *Non redardato executione decreti pro dicto vicario Bononia emanati, ut supra die 1. Oct. 1661.*

Cumque expedita sit postmodum ad partes dicta remissoria et compulsoria examinatisque 22 testibus et compulsatis diversis antiquis et modernis juribus, fuit, his mediantibus, concludenter probatum, capitulum semper praecessisse et praecedere vicario et nullatenus unquam vicarium praecessisse capitulo ejusque dignitatibus ut infra demonstrabimus. Et quia etiam examen praedictorum testium absque ordine hujus s. Congregationis, sed de proprio marte examinatorum ad instantiam praedicti vicarii Bononia, in quo nimium Congregatio se fundavit, erat falsum et malis artibus ab eodem Bononia extortum et a suo episcopo Belaguer suppositum, obstricti fuerunt praedicti canonici, qui ad curiam venerunt, etiam recurrere ad Summum Pontificem Alexandrum VII. adversum violentiam contra eos publice in choro cum magno populi scandalo peractam ac dicto vicario, cum fomento dicti sui episcopi Belaguer et respective adversus falsitatem eorumdem testium ut supra machinatam et successive introdicta falsitatis causa hujusmodi



in judicio criminali coram A. C. contra dictum Bononiam vicarium, eoque ad Urbem accersito et constituto ac postea habilitato sub fidejussione de habendo domum et deinde Urbem pro carcere, compertum fuit quod aliud in dicto examine fuerat scriptum ab actuario curiae episcopalis, quam deposuerint et dixerint ipsi testes, qui unanimiter repetiti totum contrarium probando hanc falsitatem detegerunt.

Et quia deveniendum erat ad sententiam declaratoriam falsitatis dicti examinis et respective condemnatoriam ejusdem vicarii, iste in suis defensionibus negavit testes fuisse examinatos de ejus ordine minusque eum illos examinasse, sed eosdem examinasse notarium curiae episcopalis et ita ob defectum probationis propriae culpae suam evitavit condemnationem cum clausula tamen: *Ex hactenus deductis.* Et quoad examen fuit per judicem criminalem de voto Congregationis ipsius A. C. declaratum falsum et prorsus nullam mereri fidem in judicio nec extra prout ex sententia desuper promulgata et in judicatum transacta. Sequuta autem dicta declaratione falsitatis examinis et remanente nostro capitulo et canonicis in suo primaevo jure et in eorum quieta et pacifica possessione praecedendi, ac defuncto praedicto episcopo Belaguer, ei successit bo. me. Boena, cui morienti successit bo. me. Astiria et huic pariter decedenti successit Rmus Molina; et pro toto tempore horum Episcoporum Meliten. capitulum semper extitit in eadem quieta possessione praecedendi illamque etiam pacifice continuavit absque eo, quod nullus prorsus ex quinque vicariis generalibus episcoporum praedictorum et capitularibus umquam praetendisset dictam possessionem intervertere et praecedere eidem capitulo et suis dignitatibus, donec et quousque praedictus Rmus Molina ab ecclesia Melevitana transivit ad ecclesiam Herden, in qua cum anno praeterito successisset Rmus Coccus modernus episcopus Melevitanus fuit resuscitata per praedictum Antonium Mansum ejus vicarium generalem dicta praetensio praecedendi ad suggestionem supradicti canonici Bononiae et nonnullorum aliorum canonicorum ejusdem capituli, propter eorum particulare interesse et fines quos ita faciendo in gratiam dicti moderni episcopi sperant assequi posse in praejudicium et in supplantationem jurium ipsius ecclesiae ejusque capituli.

Rebus itaque in hoc statu se habentibus hodie tota causae quaestio restringitur ad praecedentiam et respective ad ejus manutentionem et cui eadem debeatur, scilicet, an capitulo et ejus dignitatibus an vero dicto moderno vicario? Et utramque deberi capitulo et suis dignitatibus, non autem Vicario responderi supplicamus ex infrascriptis.

Licet enim in abstracto loquendo de jure determinatum non sit praecedentiam debere potius vicario quam capitulo, cum solum in hoc pugnant duae opiniones, altera Abbatis in cons. 21. lib. 1. vicario favorabilis, et alia Menochii illi contraria et favorabiles capitulo in cons. 51 et cons. 275, et comprobat Riccardus apud eumdem Menochium in cons. 52 sitque opinio Abbatis magis recepta, etiam quod fundamenta et rationes suae opinionis saltem in aliqua eorum parte videantur prorsus grossae et inanes, eum dicit convenire vicario praecedentiam etiam de jure divino, ut contra eum increpat Navarrus in cons. 1. de major. et obed. cum aliis hinc inde relatis a bo. m. Card. de Luca in praeem. disc. 18, —

Nihilominus loquendo in concreto casus nostri nullum dubium est quin praecedentia capitulo debeatur. Versamur enim in materia praecedentiae, in qua debet attendi observantia et consuetudo ipsius capituli, etiam ad formam caeremonialis romani tit. de sedib. Episcop. fol. 87; quae cum semper in hac ecclesia viguerit ad illius favorem et nequaquam ad favorem vicarii, non debet eadem alterari neque mutari sed debet servari juxta modum prius observatum et praeteritam consuetudinem, ut millies respondit ipsa s. Rituum Congregatio et signanter in Alexandrina 15. Maji 1608, ut testatur et refert Barbosa in Summa apost. decis. collect. 714 verbo: *Vicarius* n. 1. et alias refert resolutiones *Pignatellus* lib. 4. consult. 73. n. 5., *Sperell.* decis. 76. n. 3. et caeteris relatis tradit Card. de Luca in Miscell. eccles. discurs. 39. n. 4. et de praeem. discurs. 78. n. 1 in fine, tum quia non sint introducendae novitates in ecclesia, quae semper dicuntur damnabiles, ut in puncto praecedentiae tradit Card. de Luca in Miscell. eccles. dicto discursu 39 n. 3 et 17, tum etiam quia ex ipso novationis et subversionis ordine scandalum generatur in populo, quod omnino cohiberi oportet, ut in eisdem terminis praecedentiae observat *Sperellus* d. decis. 76. n. 13. cum seq.

Quod autem in casu nostro capitulum ejusque dignitates et prae ceteris archidiaconus praecesserit in choro aliisque functionibus Vicario episcopi, controverti non potest neque debet. Primo quia Vicarius in ipso choro semper habuit proprium stallum constructum et positum subtus sedem ipsius episcopi in primo loco ante capellanos, in quo ipse indutus vicariali habitu perpetuo sedere consuevit ut probant 22 testes examinati vigore remissoriae hujus s. Cong. Summario n. 4., quod demonstrat ad evidentiam consuetudinem sedendi in primo stallo archidiaconi post sedem pontificalem non fuisse vicarii sed ipsius archidiaconi in eo sedentis, cum nemo posset duplicem sedem et locum habere in uno eodemque choro et de ratione egregie *Ubaldus* decis. 121 n. 2 cum seq. et signanter n. 4, nec licet proprium deserere locum et alienum occupare, ut dixit Rota decis. 254 n. 27. p. 10. recent. Sed quilibet debet suas sedes retinere et in eisdem sedere juxta modum praescriptum in ipso choro, qui consuetudinem sedendi et respective praecedendi designat, quive modus praeposterari et deturpari non debet, ut docet *Baldus* in cap. *dum olim de consuetud.* et observat *Sperellus* dicta decis. 76. n. 3. in fine et pluries resolvit haec S. C. sicut refert *Barbosa* in Summa apost. decis. collect. 228. in verbo: vicarius, collect. 714. n. 1 et 2.

Secundo consuetudo capituli probatur esse quidem antiquissima ex septem testibus compulsatis in vim decreti hujus S. Congregationis et examinatis usque ab anno 1528 a Rmo de Nassis episcopo Nicopolensi vicario generali archiep. Panormi metropolitani et ab isto delegato in Insula Melitae cum facultatibus necessariis et opportunis ad derimendas praetensiones, quas tunc pariter excitabat vicarius generalis, praecedendi capitulum et ejus dignitates. Summ. n. 5.

Tertio probatur eadem consuetudo capituli ex sententia subsecuta de eodem anno 1528 prolata a dicto delegato metropolitani mediante examine praedictorum septem testium ibi: „Quoniam in choro et processionibus nullum locum tenere vicarium nobis constat etc.; Summ. n. 6., quae optime consuetudinem probat, nedum quia ex

actis et dictorum testium depositionibus justificata remanent, sed etiam quia, cum in eadem sententia antiquissima fiat commemoratio consuetudinis et observantiae tam dicti capituli Melevitani quam totius metropolitanae dioecesis Panorm., eadem consuetudo remansit concludenter probata, praesertim propter ejusdem sententiae antiquitatem, ut per Gravetam de antiquitate temporum par. 2. per totam et signanter n. 8.

Quarto consuetudo capituli probatur quoque a duobus historicis scilicet a Rmo Abbate Pirro et a Commendatore Abela facientibus mentionem de supradictis testibus examinatis anno 1521 et de sententia praedicti delegati et de vicario praecedentiam non habente in nostro choro et processionibus supra canonicos. Summario n. 7. Quibus historicis maxime est deferendum in casu nostro, ut alias in similibus respondit Rota decis. 183 n. 5. p. 13. et decis. 503 n. 6. et decis. 574 n. 5. et decis. 679 n. 9. et decis. 749 n. 2. p. 18. rec. Quinto etiam probatur consuetudo capituli ab alias testibus receptis et examinatis anno 1540 et 1545 deponentibus eos vidisse capitulum et dignitates semper praecedere vicariis generalibus et nunquam vidisse illis capitulo et dignitatibus praecessisse. Summ. n. 8.

Sexto comprobatur consuetudo capituli et respective ejus possessio praecedendi ex quodam decreto bo. mem. Duzzinae Visitatoris Apostolici ex adverso dando emanato de 1575, in quo ipse Visitator arbitrans non convenire vicarium generalem sedere in choro et incedere in processionibus post canonicos declaravit, ibi: — (sunt propria verba decreti) R. Vicarius generalis videtur absurdum quod post omnes canonicos sedeat in choro et processionibus. — Cum autem in dicto decreto fiat mentio de praecedentia per canonicos retenta, ergo eorum erat consuetudo praecedendi, non obstante quod haec ipsi visitatori videretur absurda quia potius erat congrua et honesta ac debita in vim praecedentis legitimae consuetudinis probatae per testes desuper recensitos et examinatos annis 1528, 1540 et 1545, ut etiam fuerat declaratum in praedicta sententia delegati metropolitani Panormi, cui sententiae et probationibus omnino standum erat, praesertim cum ab anno 1528 prolationis ipsius sententiae usque ad annum 1575 esset elapsum tempus annorum 40. et ultra et sententia fuisset observata pro toto tempore d. 40 annorum et ultra; unde propterea plane absurdum fuit ipsius visitatoris declarare vicarium praecedere debere canonicis contra ipsam consuetudinem, cum sententia, quae dictam consuetudinem prius canonizaverat et quae etiam in judicatum erat transacta et tanto tempore observata, de jure retractari non potuisset vel aliud fieri contra eam, ut dixit Rota dec. 152 n. 12. p. 17 rec. et cor. Celso d. 523 n. 13. et cor. Remboldo dec. 331 n. 4. vers.: *Maxime quia* d. sententia juncto n. 5. et proinde licet a praedicto visitatore hujusmodi emanasset decretum, hoc tamen fuit etiam undique nullum, quia prodiit capitulo non citato nec causa cognita et ideo tamquam tale numquam fuit habitum in consideratione nec habuit effectum nec demandatum executioni prorsus evanuit, quia semper capitulum remansit in sua praecedentia et in continuatione suae possessionis.

Septimo justificatur quoque consuetudo capituli vicario praecedendi ex epistola anni 1606 hujus S. Congr. Sum. n. 9., ad quam cum recurrisset

capitulum, ex quo episcopus dicti temporis se jactabat velle suum vicarium praecedere et capitulum perturbare, fuit in d. epistola ordinatum ut circa praecedentiam ejusque consuetudinem et possessionem penes capitulum residentem nihil innovaretur, quodque si aliquid ipse episcopus in contrarium praetenderet, recurreret, praevia tamen citatione contra idem capitulum per ipsum facienda coram dicta S. Cong. et cum d. epistola fuisset in partibus expedita et praesentata, episcopus numquam citavit capitulum, sed acquievit et proprias deseruit jactationes, remanente semper capitulo in ejus quieta et pacifica possessione et observantia suae consuetudinis praecedendi vicarium.

Octavo consuetudo inconcussa capituli est quoque probata per 22 testes vigore remissoriae hujus S. Cong. examinatos in Sum. d. n. 4., qui non solum illam concludentissime probarunt cum observantia continuate per 40 et ultra annos sed etiam cum qualitate et requisitis verae consuetudinis immemorabilis, ut liquet ex lectura earum dispositionum relatarum d. Summario n. 4.

Nono demum consuetudo capituli probatur in casu nostro nedum ex alia consimili consuetudine vigente in metropolitana ecclesia Panormi, cui nostra Ecclesia Melevitana est suffraganea, ut liquet ex praefata sententia metropolitani data in Sum. n. 6., sed etiam a generali consuetudine pariter vigente in toto regno Siciliae, ut testatur Rmus Archiep. Messanen. in sua ep. scripta huic S. C. Summ. n. 10., ut dixit Rota corum Ubaldo p. 1. dec. 229 per totum et cor. Seraphino dec. 624 n. 4. et cor. Dunoz. decis. 246 n. 2. et indubitanter, cum etiam insula Melitae vivat cum consuetudinibus d. Regni ut dixit Rota dec. 356 n. 3. p. 14. rec. et testatur Card. de Lucca de dote disc. 90. n. 5. et de fideic. in supplement. disc. 217 n. 8. cum duobus seq.

Ex quibus ita adductis et intimatis, sicut amplius dubitari nequit de praecedentia capituli ejusque dignitatum et de illius consuetudine et possessione, ut in terminis consuetudinis praecedendi dixit Rota cor. Pamphil. dec. 127 n. 2., ita eidem capitulo et dignitatibus competere debet manutentio in quieta et pacifica possessione ejusdem praecedentiae, ut dixit Rota dec. 102 p. 10. et dec. 320 p. 11. et dec. 148 p. 12. et dec. 168 et 303 p. 16. et decis. 781 p. 28. rec.

His praemissis non adversatur compromissum anni 1546 inter tunc archidiaconum et episcopum Meliten., quia compromissum hujusmodi non tenet, cum agatur de praecedentia et sic de re gravissimi praejudicii, nisi factum esset cum solemnitatibus de jure requisitis, ut per *Gonzal.* super reg. 8. §. 4. praeem. num. 30 et seq. et in terminis praecedentiae inter vicarium et capitulum Card. de Luca de canonicis disc. 30. num. 19, 20. lib. 12 et legitur factum ab ipso solo archidiacono nullam facultatem habente a cupitulo et amplius non fuit factum ad desidendam controversiam super praecedentia, sed solum ut supersederetur in lite, quae tunc, ut in dicto compromisso refertur, verti sperabatur super dicta praecedentia coram episcopo Melevitano et nihil innovaretur interim, quo d. Episcopus, qui se contulerat ad Urbem, non reverteretur, ut ulterius pro eodem interim voluerunt stare declarationi fratris Martini Portalrubio, qui alias functus fuerat officio vicarii generalis, adjecta clausula: sine praejudicio jurium ambarum partium. Sum. num. 11. Unde quamvis d. Portalrubio declaraverit se dum

erat vicarius sedisse in propria sede episcopi, subdit decanum, qui est secunda dignitas contra ipsum protestatum fuisse eumque requisivisse ut vellet declarare, quod propterea nullum censeretur factum praejudicium canonicis et dignitatibus, prout ita idem compromissarius declaravit Sum. n. 12. et propterea sequitur quod licet dictus Portalrubio sederit in sede episcopi in sua absentia, sicut quoque deponit unus testis solitus ex adverso allegari examinatus anno 1545, non tamen potest dici aliquod jus sive possesionem d. vicario fuisse quaesitam stante d. protestatione et declaratione, ac etiam quia postea idem Portalrubio in processionibus nullam habuit praecedentiam, ut idem testis deponit Sum. num. 13., incessit una cum officialibus sive magistratu saeculari qui certe non praecedunt canonicis, et allegare dictam possessionem in propria sede episcopali est allegare maximum absurdum, quia vicarius numquam potest occupare sedem episcopi ut censuit S. Congr. Rituum in una Brundusina 16. Jul. 1605 relata per Barbosam in Summa apost. dec. collect. 714. n. 5., et quo tollit funditus omnem amaritudinem, quia hujusmodi actus inconveniens fuit ultra centum annos et consequenter etiam ex hoc capite amplius allegari non posset.

Minusque obstat decretum hujus S. Cong. anni 1619 emanatum pariter solitum ex adverso allegari pro praecedentia vicarii, quia, ultra quod nunquam fuit observatum nec demandatum executioni, fuit extortum, capitulo non citato et tacita supradicta antiquissima sententia metropolitani anni 1528, necnon inveterata observantia et consuetudine Capituli, qua mediante illud fuid semper in quieta et pacifica possessione praecedendi. Fuit quoque attentatum et respective extortum contra formam alterius decreti ejusdem S. Cong. praecedenter pro capitulo emanati neque ab anno 1606, Summ. d. n. 9, in quo dictum fuerat ab ipsa S. Congr. quod capitulum non molestaretur in sua praecedentia nisi ipso citato coram eadem S. Cong.

Nec refragantur alia decreta ejusdem S. C. pariter pro vicario emanata d. annis 1661 et 1862, quia cum haec prodierint sub falso examine septem testium, tunc a Vicario Bononia suppositorum statim atque doceatur de dicta falsitate prout doctum fuit ex repetitione eorumdem testium et ex sententia declarante illorum falsitatem, Summ. n. 2. et 3, et cum successive ab ipsamet S. Cong. fuisset capitulo concessa remissoria et compulsoria, in cujus executionem fuerunt compulsata praedicta jura et respective examinati 22. testes praecedentiam capituli justificantes et respective probantes, ut liquet ex Summario in numeris allegatis, d. decreta, sicut remanent sine fundamento probationis et adversantur undique eisdem d. nostra jura compulsata et testium depositiones; non solum attendi non debent, sed plane veniunt revocanda et persistendum in primo decreto facto die 2. Julii d. anni 1661 favore capituli, in quo fuit ordinatum, ut antiquum solitum servaretur, non obstante quodam alio praetenso decreto pro parte D. moderni vicarii obtento sub die 2. Dec. proximi praeteriti, quia dictus vicarius illud obtinuit non solum capitulo non citato, sed etiam tacita dissimulata lite, quae in ipsa S. Cong. pendebat et pendet, de qua hodie agimus et propterea uti subreptitium allegari non meretur.

Et demum nullius est relevantiae quod dicti testes vigore remissoriae examinati non probent immemorabilem consuetudinem capituli, tum quia con-

stict de initio ejus praecedentiae desumpto a praedicta sententia anni 1528, tum etiam quia constet de praedictis actibus vicarii in contrarium, nam ultra quod immemorabilis fuit concludenter probata per dictos testes remisoriales etiam cum suis debitis requisitis, ut patet ex eorum lectura et tenore relato in Summ. d. .n 4., respondemus non subsistere in facto quod a praedicta sententia anni 1528 desumatur initium possessionis capituli. Ea enim licet prodierit dicto anno, tamen cum fuisset promulgata praevio examine septem testium tunc receptorum et deponentium ante dictum tempus capitulum praecessisse vicario Summ. d. n. 5., aut quod memoria possessionis capituli ejusque initii non constat et propterea sententia praedicta non destruit immemorabilem sed potius illam comprobat ut dixit Rota coram Buratto decis. 436 a n. 4. cum seq. et decis. 730 n. 3. et 4. et in Recent. p. 10. decis. 168 n. 35 et part. 19. decis. 136. n. 32. cum seq. et comprobat Card. de Luca de Regalib. in supplem. disc. 184. n. 5. et 11. et de judiciis dis. 21. n. 61, non obstantibus praedictis actibus in contrarium, quia ultra quod illi nunquam fuerunt effectuati, non percutiunt possessionem praecedendi vicarium capitulo, quia nunquam per vicarium docetur aliquem fuisse actum possesorium supra capitulum et dignitates in choro et aliis functionibus et consequentur dicti actus utpote non concernentes immemorabilem possessionem capituli ejusque consetudinem illam non tollunt, sed potius cum non fuerint effectuati eamdem confirmant, ut tradit Pignatellus lib. 1. consult. 104. n. 52.

Praeterea nec eget capitulum immemorabili et quatenus illa egeret, ei sufficeret praedicta sententia anno 1528, quae deservit pro valido vel saltem titulo colorato sufficienti ad praescribendum juxta glossam in cap.: *si diligenti*, in verbo: *ejus fides de praescr.* et dixit Rota cor. Comitulo dec. III. n. 9. cum quo proinde juncta quadragenaria ista aequipollet immemorabili et operatur eumdem effectum juxta textum in cap. 1. de praescript. in 6. et dixit Rota coram Coccino decis. n. 295 per totam.

Praesertim cum non agatur de praecedentia vicario debita ex aliqua lege et juris constitutione, sed ex communiori doctorum opinione, quo casu cum consuetudo non sit contra jus sed praeter jus, eo magis remanent prascripta non solum per dictam quadragenariam cum titulo putativo ut in specie tradit Card. de Luc. de praeem. disc. 18. n. 6 et 7. et dixit Rota dec. 20. n. 7. p. 3. rec., sed per decennalem Rota coram Dunoz. decis. 855 num. 6., et in Recent. pag. 10. decis 102. n. 5. cum. seq., Pamphil. decis. 127 n. 6. et ibi.: Adden. n. 7., non obstante quod dicatur irrationabilis dicta consuetudo, ut capitulum praecedat vicario, quia ultra quod capitulum est magis dignum quam persona vicarii, maxime dum accipitur collective et collegialiter, ut ex pluribus allegatis habetur in his terminis per Card. de Luca de praeemin. d. dis. 18. n. 2. et seq., satis rationabilis remanet in praesenti hypotesi, cum si ea immutaretur remaneret turbatus totus ordo chori et causaret scandalum nedum in ista ecclesia Melevitana sed etiam in illa metropolit. Panormi caeterisque ecclesiis totius Regni Siciliae, et proinde satis, ut haec inconvenientia tollatur; constare dicitur de consuetudinis rationabilitate, ut in specie observat Sperellus dec. 76. n. 13. Et ex his responderi supplicamus praecedentiam deberi capitulo et dignitatibus ac respective mandari vicario sedere in suo

solito stallo posito in prima sede ante capellanos eidemque imponi perpetuum silentium, ut semel tandem illius praetensio ita finem accipiat. Quare etc.

Nicolaus Gallus.

Juris. Pro capitulo et dignitatibus ecclesiae Melevitanae contra vicarium generalem.

Praecedentia et respective manutentio debetur capitulo et ejus dignitatibus, quia quoad primam partem licet sententia Abbatis cons. 21. lib. 1. praevaluerit opinioni, quam contra eum tuetur Menoch. cons. 51. n. 55. et seq. et subscribentes, non tamen locum sibi vindicare debet adversus consuetudinem, quam in materia praecedentiae omnino attendendam esse advertit bo. mem. *Fagnanus* in cap.: *cum certum* n. 16. ubi: etiamsi repugnaret dispositioni juris communis de majorit. et 60., *Zabarell.* cons. 62. n. 1., *Gratian.* discept. 298. n. 8., *Pignatell.* consult. canon. 19. sub n. 12. consult. 25. n. 1. et sub n. 4 et sub n. 10. tom. 4., *Sperell.* decis. 76. n. 3., *Seraph.* decis. 335. n. 3. et dec. 964. n. 1., *Mantic.* dec. 244 n. 2., *Bich.* d. 566 n. 9. et in recent. dec. 288. in fine p. 1. dec. 214 n. 2. par. 4. tom. 5. et decis. 156 n. 1. p. 17. et respondit haec S. Cong. in hac causa. Summ. n. 1.

Multo magis cum eadem non modo sit conformis consuetudini ecclesiarum vicinarum secundum quam cessante juris dispositione ut in casu nostro judicandum esse respondit Innocent. III. in cap.: *super eo* 22. de censibus, glossa in cap.: *statuimus* 15. verbo: potiorem prope finem vers.: sed videtur quod revertendum sit de majorit. et obedien., *Abbas* in cap.: *olim* n. 4. et 7. de consuetud., Innoc. in cap. fin. n. 8. de Offic. Archid., *Pignatell.* dicta consult. 25. n. 8., Rota decis. 389 n. 10., ubi quod recurritur ad regionem circumvicinam pro substinendo titulo ex consuetudine resultante p. 5. recent., quinimo consuetudini ipsius metropolitanae Panormi, Sum. n. 6., quae sicut aliarum ecclesiarum est mater ita justum est esse illarum magistram, canon: *de iis* 13. distinct. 12., canon. institut. de consecr. distinct. 2., *Ventrig.* de Jurisd. Archiep. cap. 81. n. 3.

Et totius Provinciae Regnique Siciliae, Summ. n. 10., per quam certum est abrogari ipsas leges etiam generales et latas pro tota Ecclesia, ut advertit *Suarez.* de legibus lib. 7. cap. 18. n. 6. et lib. 8. cap. 8. sub n. 5. vers.: minor.

Consuetudo igitur nostrae Ecclesiae non solum est decennalis, quod sufficeret in iis, quae non sunt contra sed praeter jus juxta glossam in cap. fin. verb.: *consuetudo de consuetud.* in 6. *Innocen.* in cap.: *dum dilectus* de consuetud., *Pignat.* d. consult, 25. sub. n. 11., ubi: quod per eam inducitur titulus praesumptus, *Cassad.* decis. 2. de caus. poss. et pret., *Sperell.* decis. 89 n. 23., *Rota* decis. 163. n. 4. p. 2. divers. et in recent. decis. 375 n. 8. p. 2. et decis. 214. n. 2., quae loquitur in materia praecedentiae p. 1. tom. 2., utique non controversa ab anno 1664, quo per sententiam A. C. falso declarato examine testium favore vicarii Bononiae examinatorum tempore quinque vicariorum et trium episcoporum dignitates et capitulum vicarios praecesserunt.

Sed immemorabilis, cum usque ab anno 1528, quo primo orta fuit hujusmodi controversia, productis pro parte dignitatum et canonicorum articulis ad protuendam antiquissimam consuetudinem, in cujus contrarium memoria hominum non existebat, quod

Vicarii generales Episcoporum ac capituli sede vacante, tam praesentibus ipsis Episcopis quam etiam absentibus, nullam omnino habebant praecedentiam sive in choro sive in aliis sessionibus et processionibus ratione muneris vicariatus, et super eis examinatis testibus, auctoritate metropolitana lata fuit sententia, qua declaratum fuit eisdem Vicariis propter vicariatus officium nullum locum competere, ut in summ. n. 6., de qua etiam sententia praevia testium depositione ut supra testantur historici Ecclesiae et respective Insulae Melevitanae summ. n. 7., quibus plenam fidem esse adhibendum advertit J. C. l. 1. vers.: a quibusdam scriptoribus ff. de offic. Praef. Praetor., Bart. in l. 1. n. 22. ff. si cert. pet., Rota coram Merlino decis. 817 n. 4., coram Coccino decis. 1867 n. 19. et in recent. decis. 93 n. 14. et decis. 353 n. 23. p. 5. prout successive alii testes examinati fuerunt de annis 1540 et 1545 summ. n. 8.

Eadem etiam immemorabilis post instauratam de anno 1661 eamdem controversiam in hac S. Congr. a Vicario tunc temporis Bononia, altero ex modernis instigatoribus probata fuit cum omnibus suis requisitis per testes 22 servatis serv. vigore remissoriae dictae S. Congr., qui dantur summ. n. 4. Immemorabilis autem dicitur habere eamdem vim, quam haberet privilegium apostolicum capitulo ejusque dignitatibus concessum, l. hoc jure § 7. ff. de aqua quotidiana et aestiva, glossa in cap.: novit., verbo: consuetudinem de judiciis, et in canone: conquestus 9. quaest. 3., et latissime probat *Suarez*. de legit. lib. 8. cap. 7. n. 5. et seq., Rota decis. 815 n. 3. et decis. 864 n. 2., 7. et seq. coram Coccino et in recent. dec. 671 n. 16. p. 18., et contra eam nihil esse innovandum constantissime semper respondit haec sacra Congregatio ut penes Pignatell. d. consult. 25 n. 12. tom. 4.

Non obstant decreta favore Vicarii emanata primo de anno 1575 a Vicario apostolico et ultimo loco favore dicti Bononiae a s. Congr. prima Octobris et 3. Decembris 1661, quia illud visitatoris non efficit capitulum ejusque dignitates non citatas easque sua possessione privare non potest ut respondit Rota dec. 802 n. 7. p. 1. divers. decis. 267. n. 12. p. 4. tom. 2. et decis. 64. n. 2. p. 11. recent. prout vere privatae non fuerunt ob continuatam semper eamdem possessionem, ut ex dicta immemorabili successiva probatur.

Illa autem hujus s. Congr., cum emanaverint super depositionibus testium, quae nullam merebantur fidem, ut declaratum fuit per sententiam A. C. in criminalibus, sum. n. 3., laborant manifesta obreptione, ideoque nullius sunt roboris et efficaciae, cap. 2. de fid. Presbyt. in 6., Clementina prima de praebendis, Rota decis. 352 n. 8. p. 10. dec. 14. n. 25. et decis. 414 n. 4. p. 13. recent.

Nullum etiam ex dictis decretis aptum fuit sententiam in judicatum transactam et spatio 40 annorum et ultra observatam tollere dictam immemorabilem vel interrumpere, ut respondit Rot. cor. Burat. decis. 739 n. 3. et in Rec. decis. 136. n. 32. et seq., ubi: quod dempto per aliquam sententiam contrariam tempore finito semper remanet tempus infinitum per immemorabilem repraesentatum.

Unde cum Vicarius habeat in choro propriam sedem subtus illam Episcopi, primam scilicet in ordine capellanorum cum genuflexorio et tapete et locum in processionibus inter magistratum juratorum immediate post Archidiaconum et dignitates easdem processiones

claudentes, ut signanter deponit tertius testis d. n. 4. et alter num. 13., non debet alienum locum occupare, praesertim illum Episcopi absentis, ut in puncto declaravit haec s. Congr. in Brundusina penes Barbos. decis. apost. collect. 714. n. 5., nec novitates excitare quae ad totam provinciam Panormitanam regnumque Siciliae, in quibus eadem viget consuetudo, extenderentur, quas quidem esse periculosas et perniciossissimas juxta responsum Honorii III. in cap.: consuetudinis de consuetud., et *Innocent.* in canone: quis nesciat 11. diffinit. observ., *Pignatell.* d. consult. 25. n. 5. et consult. 64. n. 7. tom. 4. et in casu nostro satis demonstravit observantia.

Quoad manutentionem, cum possessio saltem a d. anno 1664 ut dixi sit incontrovertibilis, eadem denegari non potest vulgato § retinendae instit. interdict., *Bart.* in l. 1. §: quod ait praetor n. 14. etc.: uti possidetis, *Tho.* dec. 35. n. 15., *Buratt.* dec. 566. n. 5.

Absque eo quod considerari possint actus possessorii forsan facti a d. Vicario Bononia ante dictum annum 1664 vigore dictorum decretorum S. Cong. anni 1661, quia superventa postmodum sententia A. C. in criminalibus, ut dixi, capitulum et dignitates eorum antiquam possessionem pacifice continuarunt et certum est, quod Vicarius per negligentiam possidendi per decennium propriam possessionem amisit ex theorica Bart. in l., Celsus n. 13. ff. de usucap., Rota decis. 378 sub n. 2. vers.: quia p. 1. div., Burat. decis. 604 n. 1. ibique Alden. n. 18. et seq., Ubald. decis. 437 num. 11. Quare etc.

Urbanus Spretus Adv.

Facti. Pro eodem capitulo contra Vicarium generalem in secunda propositione.

Postquam in hac causa prodiit decretum 28. Julii prox. pro praecedentia capituli in choro et processionibus Vicarius generalis Meliten. adversarius aegre ferens hanc S. Cong. resolut. adeo justam propter inconcussam et inveteratam consuetudinem Eccles. in causae discussione ostensam excogitare coepit modum, quomodo posset in futurum idem capitulum inquietare et supplantare decretum desuper factum; unde jactando velle amovere a choro consuetam et fixam sedem Vicariis assignatam in primo loco ante capellanos illamque asportare in aliam Ecclesiae partem et situare in eminentiori loco ejusd. Ecclesiae, cogimur propterea hodie recurrere ad Emos PP., ut deinceps aliae removeantur conquestiones et scandala, humiliter supplicando mandari praevia confirmatione dicti decreti imponi eidem Vicario perpetuum silentium ipsique inhiberi, ne audeat d. ejus consuetam sedem amovere et alio asportare et speramus annuendum.

Nam quoad mutationem sedis Vicariis assignatam in primo loco ante capellanos, ejus amotionem et collocationem in alio eminentiori loco Ecclesiae, videtur omnino talis novitas prohibenda, tum quia Vicarius debet habere locum juxta consuetudinem Ecclesiae, quae non est mutuanda, ut respondit S. Rit. Congr. in una Alexand. 15. Martii 1608, tum etiam quia Vicarius non potest sedem arbitrio suo parare, sed debet sedere in sede solita Vicariis assignata, ut pariter censuit ead. S. Rit. Congr., ut testatur et refert Barbosa in summ. apost. decis. collect. 714 n. 1. 2.

Quo vero ad confirmationem decreti et impositionem perpetui silentii nostra supplicatio undique videtur congrua et rationabilis et consequenter admittenda, ut finis liti imponatur et futura jurgia praesertim inter Ecclesiasticos

radicitus deleantur et tanto magis huic nostrae petitioni annuere supplicamus, tum quia pluries partem adversam provocavimus ad dicendam causam, ob quam decretum non sit ab hac Sacra Congregatione confirmandum et perpetuum silentium imponendum ut ex citationibus et inclinationibus et intimationibus originaliter datis in fasciculo Emi D. Ponentis, tum etiam quia in rei veritate idem decretum est undique justum, ut fuit ostensum in praeterita nostra propositione, quatenus opus sit, benigne reassumenda et revidenda et illius justitia etiam ex abundantia hodie comprobabitur ex aliis rationibus infra adducendis. Et ob id cum nos habeamus justitiae fundamentum, cui idem decretum innititur, locus est confirmationi et impositioni perpetui silentii.

Justitia autem decreti redditur incontrovertibilis in casu nostro non solum ex quo numquam vicarii Episcoporum Meliten. ab immemor. tempore citra praecesserunt capitulo, sed capitulum illis perpetuo praecessit, ut in dicta nostra praeterita propositione, verum et quotidie docemus, quod Vicarius Episcopi de anno 1622, qui capitulo de more regionis non praecedebat, contendit primum locum habere adversus magistratum in processionibus, unde cum magistratus numquam in functione ecclesiastica praecedat capitulo, ut millies respondit ipsa S. Rituum Congr. ut testatur Barbosa in summa apostolicarum decis. collect. 460 per tot. et collect. 714. n. 24. et Vicarius d. temporis anno 1622 succubuerit in d. praecedentia cum magistratu, summ. n. 1. Ergo Vicarius non praecedebat eidem capitulo quia, si illi praecessisset utique contendisset de praecedentia cum magistratu capitulum non praecedente et tum praecedentiam obtinuit magistratus contra ipsum Vicarium, recurrit eadem consequentia, quod illam non habebat contra capitulum et consequenter nec hodie habere poterit juxta axioma, si vincam vincentem te, eo fortius vincam te, de quo late mille ad propositum relatis tradit Barbos. tract. varii axioma 226. a n. 1. et per tot.

Ac insuper dicebatur in praeterita propositione ex adv. pro parte moderni vicarii quod post rumorem causatum anno 1661 et 1662 a Vicario Bononia tunc malis artibus occupante nostram praecedentiam, ut ostensum fuit in praeterita propositione, capitulum non docere praecessisse Vicariis generalibus minusque suam possessionem continuasse usque ad praesens et ob eam rem inferebat eidem capitulo praecedentiam non deberi; nam ultra quod hoc gratis asserebatur, veritatem praecedentiae capituli ejusque possessionem probarunt quoque quatuor testes, qui tunc per inadvertententiam fuerunt praetermissi et propterea dantur hodie summ. n. 2. et consequenter semper magis remanet inconcussa justitia decreti. Quare etc.

Nicolaus Gallus.

(Anal. J. P. 1865 n. 2294 p. 1268.)

Forolivien.

S. Rituum Congregatio ad preces Episcopi Forolivien. declaravit illius Vicarium generalem praecedere debere magistratibus ejusdem civitatis in omnibus functionibus, in quibus simul interveniant.

Die 24. Novembris 1668.

(Anal. J. P. 1865 p. 1155 n. 1844.)

Lucana.

Vicarius generalis Cathedralis Lucanae exclusus alias ad probandam praetensam per ipsum immemorabilem consuetudinem praecedendi Canonicos et Dignitates

etiam incedentes cum sacris vestibus proposuit modo pro obtinenda eadem remissoria jam petita tres articulos ad effectum illam facilius impetrandi, non se astringens ad actum tantum, quando Canonici et Dignitates sunt induti sacris vestibus, sed etiam indistincte probandi. 1. Ab immemorabili habuisse semper praecedentiam supra omnes de capitulo. 2. Etiam quando incedunt parati cum paramentis sacris. 3. Maxime absente Episcopo. Ex adverso capitulo replicante remissoriam petitam esse denegandam ex eo quia quoad primum articulum nulla est altercatio, nulla contentio, nulla controversia: et agens pro capitulo non impugnat, cum adsint super hoc plures hujus sacrae Congregationis resolutiones, quo vero ad alios duos, cum in effectu sit unus et idem articulus, non deberi remissoriam concedi, tamquam inpertinentiam exorbitantem et irrationabilem, juxta alias per hanc sacram Congregationem in his terminis resoluta, utraque parte acerrime informante.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Emi Virilis re mature discussa respondit: remissoriam per Vicarium petitam non esse concedendam.

Die 7. Decembris 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 225.)

Ferrarien.

In causa Ferrarien. inter Vicarium generalem Illmi et Rmi D. Cardinalis Lenii Episcopi Ferrarien. ex una et Archipresbyterum et Capitulum ejusdem Ecclesiae ex altera partibus circa praecedentiam inter ipsum Vicarium et alias Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae, proposito hujusmodi negotio in sacra Rituum Congregatione et consideratis juribus et rationibus hinc inde deductis praecipue autem consuetudine dictae Ecclesiae et Caeremoniali romano cap. 13. ante finem et cap. 23. in fine lib. 1. ac literis bo. me. Cardinalis Alexandrini sub die 23. Augusti 1593 necnon transactione sive declaratione anni 1595 et audita relatione in hac causa facta ab Illmo et Rmo D. Cardinali Lancelotto, eadem sacra Congregatio inhaerendo decretis alias in similibus causa factis, absente Episcopo, sine ulla contradictione censuit, praecedentiam dandam esse Vicario generali supra archipresbyterum et omnes alias Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae tam in choro quam in processionibus et in omnibus neque in hoc casu quando Episcopus abest, procedere aut suffragari capitulo allegatam consuetudinem, Caeremoniale, literas Cardinalis Alexandrini et transactionem sive declarationem praedictas, quidquid dicendum sit, quando Episcopus est praesens, super quo tamen nihil fuit firmatum.

Et ita censuit et declaravit. Die 20. Decembris 1614.

(Anal. J. P. 1863 p. 133.)

Vicarius generalis praesente Episcopo in die Purificationis non debet accipere candelam ante Canonicum vel Dignitatem, qui Episcopo ministravit: S. C. R. in Lucerina 14. Maii 1600 in resp. ad 3. dub. apud Barbosam: summa apost. decis. coll. 714 num. 21.

Vicarius generalis non est Praelatus; licet absente Episcopo, cum in suo habitu ordinario cum subtana et mantelletto nigro sedeat in choro in primo loco supra Canonicos, thurificandus est duplici, non autem triplici ductu thuribuli. S. R. C. in Nepesina 15. Januarii 1627 apud *Barbosam* l. cit. num. 22.

Vicarius generalis thurificandus est, debet accipere candelam, palmam et cineres et adorare crucem ante et post capitulum juxta Ecclesiae consuetudinem: S. Congr. Rit. in Neocastren. 16. Januarii 1607 et in Alexandrina 15. Martii 1608 apud *Barbosam* loc. cit. num. 23.

Vicarius generalis in spiritualibus juxta Ecclesiae laudabilem consuetudinem debet semper in omni loco praecedere gubernatori civitatis in temporalibus, tam praesente quam absente Episcopo. Sacra Rituum Congregatio in Ravennaten. 28. Aprilis 1067 apud *Barbosam* loco citato num. 24.

Adnotatio.

De praecedentia Vicarii generalis non conveniunt Doctores. Vide *Manrique, Ferr.* de Praecedent. et Praelat. ecclesiast. quaest. 52 n. 2. et 3. Et quod notandum est, quisque pro sua opinione resolutiones allegat sacrarum Congregationum. Id ex eo evenit, quod in obscuro est, an, quae allegatur resolutio, ea innixa sit nudae juris dispositioni an peculiari illius Ecclesiae consuetudini.

Mihi autem ea semper arrisit sententia, quod Vicarius generalis in iis actibus praecedentiam obtinere debeat super ipsas ecclesiasticas dignitates, in quibus uti Vicarius generalis intervenit. Caeterum si res sit in actibus, in quibus non intervenit, nulla ipsi praecedentia debetur.

Atque hinc quod si Vicarius generalis Canonicus et divinis officiis uti Canonicus interveniat, nullam obtinet praecedentiam ratione muneris Vicarii generalis. Confer *Du Casse* in prax. jurisdict. voluntar. et contentios. tom. 1. sect. 2. num. 1.

Dubitari vero contingit: an Vicarius generalis in illis actibus, in quibus intervenit uti Vicarius generalis, praecedentiam debeat obtinere praesente etiam Episcopo? Magis vero in hac quaestione variant doctores. *Affirmant Pignatell.* consult. canon. tom. 3., consult. 64. n. 3., *Robusterius* Rotae olim Auditor in quodam suo voto apud Gratianum discept. forens. cap. 3. num. 23., *Anton. de Pret.* de jurisdict. Episcop. cap. 6. fer. per tot., *Lotter* de re benefic. lib. 1. p. 16. n. 65., *Sbroz.* de offic. Vicar. lib. 2. quaest. 24. fere per tot., *Carol. Anton. de Luca ad Ventrigl.* tom. 2. adnot. 14. § 2. n. 1. *Negant vero Menoch.* consil. 51. et 217. utrobique fere per tot., *Marescot.* variar. resolut. lib. 3. cap. 69. pariter fere per tot. *Adde etiam Ventriglia* tom. 2. adnotat. 14. § 2. num. 19. et plur. sequent., *Ferr., Manrique,* de praecedent. et praelat. ecclesiastic. quaest. 52. num. 6.

Responsio Autoris.

His, quae hic adducuntur circa praecedentiam Vicarii generalis, consonant omnino, quae tradita sunt superius, ubi ex variis decretis asserui, quod Vicarius generalis debet habere primum locum ante Capitulum, Canonicos et Dignitates tam praesente quam absente Episcopo, si interveniat uti Vicarius generalis, non autem si uti Canonicus et in habitu canonicali; et quia etiam circa hoc variant Doctores diversas afferentes hinc inde sacrarum Congregationum resolutiones, ad ipsas conciliandas servanda est cujusque Ecclesiae inveterata legitima consuetudo, *argument. leg. De quibus 32. ff. de legibus*, ibi: „Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur.“ *Et L. sed et ea 35. ff. eodem*, ibi: Sed et ea, quae longa consuetudine comprobata sunt ac per

annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus quam ea, quae scripta sunt, jura servantur;" cum similibus. Sicque etiam censuit s. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Mart. 1607 in respons. ad 3. dubium, ut jam tradidi ego in hoc art. n. 1. ibi: „Locus Vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiae, quae non est mutanda."

Praecedentiam deberi Vicario supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate vel alio *repraesentante* Capitulum. N. 1057 die 12. Junii 1638; n. 2407 die 2. Apr. 1667.

Vicarium generalem non posse sibi *mutare* sedem, sed sedere debere in loco solito et consueto. N. 1184 die 19. Novembris 1639

Semper et ubique deberi praecedentiam Vicario gener. supra Dignitates et Canonicos (quantumvis Protonotarios) tam praesente quam absente Episcopo, dummodo Vicarius general. incedat cum suo habitu *vicariali*, nempe cum subtana et mantello et nullo modo cum cotta, et dummodo Dignitates et Canonici non sint sacris vestibus induti. Num. 1330 et 1331 die 11. Maii 1641; n. 1538 die 26. Aug. 1645.

Ad dubium: An Vicarius gen. in choro, in Ecclesia et ubique praecedere debeat omnibus Canonicis et Dignitatibus etiam primae post pontificalem, sive Praepositus, Archidiaconus etc. vocetur, ac etiam in thurificatione ac cinerum, candelarum etc. distributione, quacunque consuetudine in contrarium, si adsit, non obstante?

S. C. resp.: In omnibus affirmative. N. 2835 die 2. Oct. 1677.

Vicario gen. quotidiano habitu induto sive, (si sit Protonotarius) cum rocchetto et mantelletto dandam esse praecedentiam semper et ubique supra omnes Dignitates et Canonicos s. vestibus non indutos. N. 3194 ad 1 die 30. Julii 1689.

Assistentibus in choro Vicario generali et Praeposito praecedere debet Vicarius sed eadem praecedentia eidem non debetur, si Praepositus sit indutus s. vestibus aut si Vicarius sit simul canonicus et intersit in choro cum habitu canonicali. N. 4040 ad 6 et 7 die 21. Apr. 1736.

Episcopus ne sinat, Vicarium in choro et Ecclesia habitu canonicali indutum interesse, nisi partes Canonici expleret, si velit idem distributiones gaudere. N. 1757 die 19. Jun. 1655.

Vicarius generalis extra functiones ecclesiasticas, scilicet in sermonibus synodalibus aliisque Congregationibus Dignitatibus et Canonicis praeferendus est. N. 1799 die 10. Junii 1656.

Vicarium gen. semper praecedere debere Archidiacono cathedr. Aquilae in concionibus et quibuscunque aliis functionibus publicis, in quibus non lucrantur distributiones quotidianae et in quibus ipse Vicarius intervenit sine habitu canonicali et almutia sed simpliciter tamquam Vicarius. N. 2402 die 2. Apr. 1667.

Vicarius gener. Episcopi in habitu vicariali incedens in *associatione ejusdem Episcopi* praecedat omnibus Canonicis, si est Protonotarius, secus sin minus et tunc abstineat ab incedendo in associatione. N. 2503 ad 2 die 30. Maii 1670.

Vicario gen. semper et ubique deberi praecedentiam supra *Gubernatorem* seu Commissarium non Praelatum tam absente quam praesente Episcopo. N. 3239 die 20. Jan. 1691.

Tranen.

Quum in suis apost. literis in forma Brevis s. m. Gregorius Papa XVI. commiserit Rmo Anidren. Ep. administrationem Archidioec. Tranen. cum adjecta Eccl. Visisiensi, ibi Vicarium gen. utpote suum Locumtenentem constituit, cui interdum ad chorum accedenti praecedentia denegatur quoad stallum ab Archidiacono, prima Capituli Tranen. Dignitate. Quod S. R. C. exponens idem Vic. gen. enixe rogavit ut formiter declaretur, an Vic. gen. in choro occupare debeat primum stallum ac proinde praecedere omnibus Dignitatibus? Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in ordinariis Comitiis, referente me subscripto Secretario maturo examine perpensis expositis ac aliis in similibus decretis respondendum censuit: „Juxta alias decreta Vic. gen. in choro et in habitu vicariali omnibus etiam Dignitibus non paratis praecedit, excluso tamen Hebdomadario.“

Atque ita rescripsit ac in Metropolitana Tranen. Eccl. servari mandavit. n. 5076 Die 27. Feb. 1847.

Vd.: *Titul. Episcop.* (Pontific. exercens imped. — decr. *Mediolan.*)

s) Praeced. in Synodo.

Ad dubium: An Vicar. gen. Protonotario debeatur in Synodo praecedentia supra omnes Canonicos et Dignit. habitu canonicali indutos?

S. C. resp.: Affirmative: secus vero quando Canonici sint induti s. vestibus. n. 3540 ad 6. die 23. Januarii 1700.

Vd.: *Synodus* (habitus).

t) Praecedentia absente Episcopo.

Vicario gen. in *absentia Episcopi* primus locus chori assignetur; sed ne Archidiacono praejudicium inferatur, primus locus immediate post Vicarium a parte sinistra ipsi Archidiacono assignetur; secundus locus a parte dextera apud Vicarium Archipresbytero, tertius tertiae Dignitati et sic successive per ordinem, ita ut una quaeque Dignitas locum primum, secundum etc. post Vicarium occupat, qui primae, secundae etc. Dignitati convenit. *Praesente vero Episcopo et in absentia Vicarii*, quaelibet Dignitas sedeat in in suo proprio stallo. n. 432 die 25. Sept. 1610.

Solam absentiam Archiepiscopi a choro vel ab ecclesia sufficere ad hoc, ut Episcopus absens dicatur et locum habeat consuetudo, ut Vicarius in absentia Episcopi praecedat Archipresbytero. n. 433 die 20. Nov. 1610.

Vd.: *Titul. Epis.* (Pontif. exercens impedito etc., decr. *Mediol.*)

u) Processionem indicit.

Vd.: *Processio* (Indictio.)

v) Reverentia et Obedientia.

Teneri omnes Canonicos tam exemptos a jurisdictione Ordinarii quam non exemptos facere solitam et debitam reverentiam Vicario generali existenti in choro. n. 499 die 11. Novembris 1614.

Nullo modo deberi obedientiam in choro Vicario generali seu capitulari absente Episopo, antequam solemniter celebret, prout praestatur Episcopo praesenti. n. 961 die 21. Jun. 1632.

Vd.: *Chorus* (reverentia.) *Reverentia; Salutatio.*

w) Sedes.

Cf.: *Vicar. gen.* (praecedentia etc.); *Sedes Vicarii gen.*

6) Gener. apostolicus Ordinis.

Carmelitarum.

Vicarius generalis apostolicus suffectus in locum generalis demortui petiit declarari: an sibi debeatur praecedentia in capella pontificia et alibi in concursu vicarii apostolici ordinis Praedicatorum, vivente suo generali? Sacra Congregatio respondit: Praelationem et praecedentiam in capella pontificia et ubique deberi vicario apostolico ordinis Carmelitarum supra vicarium apostolicum ordinis Praedicatorum in casu proposito.

Die 22. Nov. 1631.

(Anal. J. P. 1863 p. 239.)

7) Gener. Protonotarius.

Vd.: *Vic. gener.* (praeced.)

Non licere Vicario gen. Protonotario Maceratensi uti in choro habitu Protonot. et lucrari distributiones, sive intersit sive non Episcopus; et neque diebus, quibus ab eodem Episcopo fit solemniter Capella, praetenso usu et solito in contrarium non obstante. n. 2266 die 15. Mart. 1664.

Tamquam Protonotario licere Vicario gen. uti habitu Protonot. cum omnibus ipsi Protonotario competentibus, sed inter alios Protonotarios et in loco, qui Protonotario deberetur et in habitu Protonotarii nullam competere praeeminentiam uti Vicario. n. 2329 die 20. Jun. 1665.

VICARII PERPETUI

Basilic. Urbis.

Vicariis perpetuis Basilicarum s. Joannis in Lat., s. Petri in Vat., s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damaso competere in processionibus praecedentiam supra rectores parochos aliarum Ecclesiarum urbis, servata tamen alternativa solita inter Ecclesias s. Mariae Transtiberim et s. Laurentii in Damso. n. 3315 ad 1. die 13. Jul. 1639.

VICE-LEGATUS.

Vd.: *Praeses.*

VIDI AQUAM.

In aspersione infirmi et cubiculi tempore pasch. antiph.: *Asperges* non est mutanda in: *Vidi aquam.*

S. R. C. 11. Febr. 1702.

VIGILIAE.

1) Adventus.

Vd. *Nativit. Dom.* (Vigil.)

De Vigilia, quae occurrit in Adventu, nihil fit in Officio; in Missa, in qua de vigilia fit commemoratio, legendum est ejus Evangelium in fine, exceptis feriis quatuor temporum. n. 4401 ad 4. die 16. Feb. 1781.

2) Antiquitas et Institutio.

Vigilia est solemnioris Festi praeventio instituta in Ecclesia in praeparationem ejusdem festi, praesertim observatione jejunii ac nocturnae, ut antiquitus, vigilantiae in Dei laudibus. Antiquitus enim praeter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud Ecclesias, quarum festa praeveniebant. *Quarti* part. 1. tit. 3. n. 2., *Merati* tom. 1. sect 4. cap. 7. n. 1. et alii passim. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliae, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur et mos vigilandi de nocte, propter abusus, qui irrepserant, fuerit sublatus: *Concil. Sabinen.* cap. 22., ibi: „Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda saepe ac enormia sub hac boni specie commit-

tuntur, ipsas fieri de caetero firmiter prohibemus." Sic apud *Paravicinum in Poliant.* sacror. Canonum verb.: Vigiliae n. 3. Et sic tenent *Honorius in Gemma* lib. 3. cap., *Gavant.* part. 4. tit 13. n. 1., *Durandus* in Rationali lib. 6. cap. 7. n. 8., *Quarti* loco cit. n. 2. et alii.

Dictae nocturnae Vigiliae viguerunt non solum in primaevis Christianorum temporibus sed in variis Ecclesiis Cathedralibus et aliquibus parochialibus continuarunt usque ad XV. saeculum, ut ex multis ostendit *Martene* in tract. de antiqua Ecclesiae disciplina cap. 7. n. 3. sequutus a *Merato* loco cit.

Unde *Vigilantius* Haeresiarcha sui nominis hostis, qui saeculo quarto temerario ausu Vigilias improbabat, confutatus fuit a s. Hieronymo, a quo per jocum dicitur *Dormitantius* et in *Concilio Aquisgrausens.* sub Ludovico Pio cap. 130 sic habetur: „Est autem quoddam genus haereticorum superfluas existimantium Vigilias et spirituali opere infructuosas, dicentium jura temerari dei, qui noctem fecit ad requiem sicut diem ad laborem, qui haeretici graeco sermone Nyctazontes hoc est somniculosi vocantur." Ita apud *Paravicinum* loco cit. n. 1. in fine.

Vigiliae nocturnae viguerunt etiam ante Legem evangelicam tum apud Ethnicos tum apud Judaeos, qui duodecim horas noctis artificialis dividere solebant in quatuor partes aequales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel brevitatem; nam in aestate erant breviores, in hyeme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliae militares dicebantur; et harum quaelibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam et dicebatur *Conticinium;* secunda incipiebat ab hora tertia et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum*, tertia incipiebat ab hora sexta et terminabatur in nonam et dicebatur *Gallicinium;* quarta, quae proprie dicebatur Vigilia matutina, incipiebat ab hora nona et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum.*

Praedictarum Vigiliarum mentio fit in veteri Testamento. *De prima vigilia Threnor.* 2. vers. 18: Lauda in nocte in principio vigiliarum. *De tertia* Judicum 7. vers. 59: Incipientibus vigiliis noctis mediae. *De quarta* Exodi 14. vers. 24: Jamque advenerat vigilia matutina. In Testamento etiam novo habetur multis in locis expressa mentio earumdem vigiliarum, Lucae 2. vers. 8: Pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis. S. Matthaeus cap. 14. vers. 25. de Christo loquens ait: „Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare." Et idem Christus Dominus Marci 13. vers. 35. dixit: „vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero an media nocte an galli cantu an mane." Quod hic dixit *sero*, intelligit primam vigiliam noctis. Quod hic dixit *media nocte in galli cantu*: Lucae 12. vers. 38. dixit „Si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit;" et quod hic dixit *mane*, S. Matthaeus cit. cap. 14 vers. 25. dixit: *Quarta autem vigilia noctis.* Ethnicos quoque nocturnas Vigilias celebrasse in honorem suorum deorum ostendit *Card. Bona* de divina Psalmodia cap. 4. Haec ad literam eruditissimus *P. Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. sub num. 1. §.: Hujusmodi vigiliae.

Hinc tres Matutini Nocturni instituti fuerunt, ut responderent tribus vigiliis sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat et Laudes,

ut responderent quartae vigiliae sub lucis ortum; *Amalarius* l. c., Merati t. 2. sect. 4. cap. 1. vers.: Caeterum et alii.

Vigiliae nocturnae fuerunt abolitae propter abusus, qui irrepserant, ut ex concilio Sabinensi et Doctoribus supra allatis dictum est.

Abolitis supradicta ratione fere universaliter praedictis Christianorum vigiliis solumque adhuc in aliquibus insignioribus Ecclesiis pie ac laudabiliter observatis, ut in Ecclesia Parisiensi, ad tradita per *Grancolas* lib. 1. cap. 23., in Ecclesia Toletana ac in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis s. Crucis, in Ecclesia Cenomanensi in nocte s. Juliani, et in Ecclesia s. Martini Turonensis in nocte Festi transitus ejusdem sancti, ut ex aliis d. P. *Merati* cit. tom. 2. sect. 3. cap. 7. vers.: *Abolitis*, et alibi, ut referunt, alii per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini et in pluribus Regularium utriusque sexus Ordinibus, qui diversis horis nocturnis surgunt ad Matutinum decantandum, ita ut in qualibet noctis vigilia aliquis regularis Ordo surgat ad nocturnas Laudes Deo persolvendas, remansit apud universalem Ecclesiam vigiliarum nomen sive ad indicandum jejunium in ipsis observandum sive Officium divinum in ipsis recitandum.

3) Apostolorum.

Ad dubium: An de Vigiliis ss. ap., in quibus non jejunatur, fieri debeat Officium seu legi 9. l. de homilia cum com. ad Laudes, prout fit in aliis locis, ubi jejunatur?

S. C. resp.: Fiat Officium de Vigilia in omnibus Vigiliis descriptis in Brev. rom. juxta rubricam Breviarii tit. 6. de Vigiliis. n. 2974 die 24. Jan. 1682.

4) Ante Consecrat. Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil. decr. n. 4979; n. 5008.)

5) Ascensionis D.

In Vigilia Ascensionis fer. 4. Rogationum, si occurrat festum primae classis, tunc nec in Officio nec in Missa fit aliquid de ipsa. Unde in tali casu cantari debet in cathedralibus et Collegiatis solum Missa de dicto festo post Tertiam et alia de Rogationibus post Nonam, omissa illa de vigilia. Si autem in dicta vigilia occurrat aliquod festum novem lectionum duplex seu semiduplex, tunc officium fit de eo cum lectione de homilia vigiliae et ejus commemoratione ad laudes et cantari debent tres Missae; prima de festo post Tertiam cum colore tali festo convenienti, secunda de vigilia post Sextam in paramentis coloris albi; tertia de rogationibus post Nonam in paramentis violacei coloris, ac in fine cujuslibet dici debet Evangelium s. Joannis. *Merati* tom. 1. par. 4. tit. 11. num. 14. cum Gavanto et aliis ibi cit. Advertendum est autem, quod licet occurrente festo primae classis in vigilia Ascensionis feria IV. Rogationem, nihil sit agendum de ipsa tam in Officio quam in Missa: si tamen tale festum primae classis occurrat in feria 2. Rogationum, quia ipsa est feria major, debet de ea fieri commemoratio tum in Missa cum ejus Evangelio in fine, tum in Officio cum ejusdem nona lectione. Et in hac feria cani debent in Cathedralibus et Collegiatis duae Missae, prima de festo, in qua nulla fit commemoratio feriae, et secunda de feria, in qua nulla fit commemoratio festi. Non sic vero de feria 3. Rogationum, quia ipsa est tantum feria minor; unde occurrente, in ipsa festo duplici primae classis,

nihil de ipsa agendum est in missa tum in officio. Immo in officio de ea nihil fit, quocumque in ipsa occurrente festo etiam simplici, de quo occurrente simplici sit officium sine commemoratione feriae, sed tantum de cruce, ut tempore paschali. Et tunc missa dici potest vel de festo simplici cum commemoratione Rogationum vel de Rogationibus cum commemoratione festi simplicis, ut dicitur in Rubrica propria, et tertia Oratio erit *Concede* ac ultimum Evangelium sancti Joannis in utralibet. Nec tunc in Cathedralibus et Collegiatis canendae sunt duae missae, ut resolvit Sacr. Rit. Congr. 5. Jul. 1698. in Collen., in qua ad sequens inter alia propositum tertium dubium: *An occurrente in feria tertia Rogationum festo simplici in Cathedrali et Collegiatis sint cantandae duae missae?* Respondit ad 3: Negative. Sic cum Gavanto et aliis eruditissimus P. Merati tom. 1. part. 4. titul. XI. n. 11. 13. 14, et tom. 2. sect. 6. cap. 16. n. 21. recte advertendo ex Rubricis missalis et breviarii magis esse privilegiatam feriam secundam Rogationum et Vigiliam Ascensionis in feria quarta, quam sit feria tertia utpote *feria* minor, cedens festo simplici, de quo tamen festo simplici nequit fieri officium in feria 2. Rogationum et Vigilia Ascensionis communiter nuncupata feria quarta Rogationum. Insuper habentes indultum, ut semel vel pluries in singulis hebdomadis aut mensibus dicant officium et missam, verbi gratia de Sanctissimo Sacramento aut certo aliquo Sancto diebus nullo festo duplici vel semiduplici impeditis, non possunt uti hoc suo privilegio in feria II. et IV. Rogationum seu Vigilia Ascensionis ex Decreta generali Urbis et Orbis edito a Sacra Rituum Congr. 20. Martii 1706, bene vero in feria III. Rogationum in dicto Decreto non excepta.

De orat. in vigil. Ascens. vd. *Missale* (Correctio II. C. n. 13.)

6) Commemoratio.

Vd.: *Vigiliae* (Officium.)

7) Epiphaniae.

(Missae vot. et de Requ. vetitae.)

Vd.: *Missa cantata de Requ. ex devot.* (decr. n. 4474.)

Cum de anno 1617. 12. Apr. decretum fuerit, non esse celebrandas missas vot. vel de Requ. in vigilia Epiph. Dom. et in Calendario Romae impresso excludantur tantum Epiphania et dies infra ejus octavam, nulla facta mentione vigiliae, quaeritur: an dictum decretum sit universale an speciale tantum pro aliquibus Ecclesiis et Religionibus?

S. C. resp: Detur seu servetur decr. diei 27. Apr. 1697.

Ad dubium: An sit licitum celebrare in vigilia Epiphaniae missas priv. de defunctis, cum etiam possint celebrari similes missae infra octavam Nativ. Chr. die, in qua fit Officium dominicae vacantis, videtur etiam, quod possint celebrare in vigilia Epiph., in qua etiam recitatur officium dominicae vacantis si non sit alia ratio, ob quam tali die hae missae pro def. prohibeantur?

S. C. resp.: Negative. n. 3788 ad 2 die 16. Junii 1708.

In vigilia Epiphaniae missae vot. et de Requ. celebrari non possunt. n. 3918 die 10. Dec. 1718; die 28. Sept. 1675.

In vigilia Epiphaniae D. non possunt celebrari missae privatae de Requie et votivae. n. 3991 ad 7 die 16. Sept. 1730.

Vd.: *Missa de req. infr. oct.; Missa vot. priv.*

In vigilia Epiphaniae prohibentur missae votivae et de requiem; potest tamen cani una votiva solemnis pro re gravi et una de requiem solemnis praesente cadavere. Sac. Rit. Cong. 27. Apr. 1697, 16. Jun. 1708, 10. Dec. 1718. et 16. Sept. 1730. Dictae autem missae solemnes cantari possunt, etiamsi ipsa vigilia sit dies 3., 7. aut trigesima et anniversarium depositionis defuncti in Ecclesia tumulante et non aliter. Sac. Rit. Congreg. 10. Dec. 1718. Sic ex Calendario Minorum de observantia Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis.

8) **Festorum jejunandae et anticipandae.**

Vd.: *S. Joannes Baptista; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553, ad 3.); *Reductio festor.* (decr. n. 4759, 4773.) *Jejunium.*

Ad dubium: An populi celebrantes quotannis festum Titularis in vigilia alicujus Sancti teneantur anticipare jejunium in die praecedente praedictum festum?

S. C. resp.: Negative et in casibus particul. recurrendum ad S. C. n. 4526 ad 45 die 7. Sept. 1816.

S. C. Incolis Ecclesiae parochialis S. Saturnini, Dioec. Tarbien., celebrantibus diem solemnem dicti Sancti, quae occurrit in Vigilia *s. Andreae* ap., dictam vigiliam anticipari ad antecedentem in diem festivitatis s. Saturnini benigne indulsit. n. 2587, die 14. Maii 1672.

S. C. benigne concessit, ut jejunium vigiliae s. *Laurentii* m. in terra s. Agathae Plebis Gorganzolae transferatur in diem antecedentem octavam Augusti, dum die 9. Aug. propter festum solemne s. Firmi incolae dictae terrae jejunium non servant. n. 2605 die 3. Dec. 1672. Idem indulsit S. C. pro loco Campi de Ferro Dioeces. Terdonens. n. 2823 die 3. Apr. 1677. et sub n. 3681 die 12. Apr. 1704 pro oppidis Trivultii et Burgi Dioeces. Papiensis. Item pro oppido Ottobiano Dioeces. Papien. n. 4126, die 7. Jun. 1742.

S. C. benigne concessit, ut quando festum s. Christinae v. m. Titularis Ecclesiae Paroch. ac Patronae loci de Aro incidit in vigiliam s. *Jacobi* ap. totius Hispaniae Patroni, dicta Vigilia s. Jacobi transferatur in vigiliam s. Christinae, ita ut tam incolae quam advenae (adimpleto et servato ut praedicitur jejunio) die seu festo ipsius s. Christinae vesci carnibus non prohibeantur. n. 2636 die 17. Junii 1673.

S C. benigne concessit, ut vigilia s. *Matthaei* ap. quoad commemor. in Officio et jejunium transferatur ad praecedentem diem 19. Sept., attento quod in in die 20. celebratur Aquavivae festum s. Eustachii Titul. ac princip. patroni. n. 3016 die 20. Mart. 1683.

Ad dubium: An vigilia s. *Matthiae* ap. occurrens 1694 in fer. 3. post dom. Quinquages. possit ratione carnis privii anticipari cum jejunio?

S. C. resp.: *Negative* et jejunium praedicta fer. 3. omnino servandum. n. 3326 die 23. Jan. 1694.

Vigilia s. *Marci* jejunanda et in feria 3. Dominicae Resurrectionis anno 1696 occurrente transferatur *jejunium* ad diem immediate antecedentem, in quam Officium s. Marci transferetur. n. 3375 die 17. Dec. 1695.

Cum in loco Curtis Olonae Dioecesis Papien. die 9. Augusti Festum s. Firmi Mart. ex antiqua consuetudine solem-

niter celebretur ibique nundinae magno finitimorum populorum concursu fieri soleant ac in eumdem diem incidat pervigilium s. Laurentii Mart. adeoque jejunium a majori confluentium et indigenarum parte violari contingat, supplices libellos S. R. C. porrexere communitas et homines praedicti loci, ut jejunium ipsum, quod servandum esset die 9., imposterum servari posse die 8. Augusti, indulgere dignaretur.

Et s. eadem R. C. resp. referente Emo et Rmo D. Card. Casino: „Gratiam petitam concedendam esse, arbitrio Emi Episcopi, si SSmo videbitur."

Die 26. Augusti 1713.

Factaque deinde per Pro-Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione Sanctitas Sua benigne annuit. N. 1857 die 6. Sept. ejusdem anni 1713.

Derthonen.

Populus Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria ante postremam reductionem festorum factam sub die 14. Novembris 1806 servabat indultum reductionis festorum servandorum in Liguria ex decreto sa. me. Pii Papae VI. sub die 23. Augusti 1782, ex quo indulto constat Januenses non fuisse solutos a praecepto servandi festivum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in vigilia festi et audiendi sacrum in festis suppressis et jejunandi in vigiliis sanctorum Apostolorum. Servabat item jejunium in vigilia festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis Patronae principalis Liguriae ab antiquo servatum in tota Liguria. Anno 1815 conjuncta cum Pedemontio Liguria et promulgato indulto reductionis festorum et jejuniorum servandorum in Pedemontio ex decretis Summorum Pontificum Pii VI. dato sub die 27. Maii 1786 et Pii VII. dato sub die 9. Novembris 1814 recensitus populus Civitatis Novarum a praedicto anno 1815 ad hanc usque diem conformavit et conformat se ad servandum indultum Pedemontanum, ex quo indulto constat Pedemontanos esse solutos a praecepto servandi festivum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae et jejunandi in vigilia festi et ab aliis praeceptis expositis in indulto Januensi. Hisce omnibus expositis s. Rituum Congregationi humillime supplicavit R. D. Molinelli Vicarius capitularis Derthonen. declarari: An, non obstante unione Liguriae cum Pedemontio, populus ejusdem Civitatis Novarum Dioecesis Derthonen. in Liguria debeat servare festivum diem Nativitatis sancti Joannis Baptistae Patroni principalis Liguriae cum jejunio in vigilia festi? Similiter an debeat servare jejunium in vigilia festi Conceptionis Beatae Mariae Virginis pariter Patronae principalis Liguriae, ut servabat ante postremam reductionem festorum sub die 19. Nov. anni 1814?

Et sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis omnibus mature accurateque consideratis rescribendum censuit: „Nihil innovetur et servetur praxis, quae in usu fuit ab anno 1783 ad annum 1806." Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 7. Aprilis 1832 num. 4679.

9) Quae jejunandae?

Vd.: *Vigil.* (novas Episcopus etc.)

Jejunandum est ex praecepto scripto in Vigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V. et omnium Apostolorum, exceptis vigiliis sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi ac sancti Joannis Evangelistae, textu expresso

in cap.: *Ex parte vestra 1.*, et cap.: *Consilium 2.* de observatione jejuniorum. Ideo autem excipiuntur ab obligatione jejunii dictae vigiliae sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi ac s. Joannis Evangelistae, *quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem paschalem, istius autem infra Natalem Domini* celebratur; sint verba praecisa citat. cap.: *Consilium.*

Generali autem consuetudine vim praecepti habente sive ex praecepto tradito et non scripto, ut vult Cardenas et alii Theologi, jejunandum est in vigiliis Pentecostes, Nativitatis s. Joannis Baptistae, s. Laurentii et festivitatis omnium Sanctorum. Sic expresse sapientissimus P. *Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. sub. num. 1. verbo: *Abolitis* in fine, ubi recte subdit, quod praeter dictas vigilias aliae duae in Breviario et Missali recensentur, id est Epiphaniae et Ascensionis Domini, sed sine obligatione jejunii, solum ideo retentae, quia in his solemnitatibus perinde ac in aliis vigiliae olim solemnes in Ecclesiis haberentur, tum ut de iis officium rite persolvatur. Ideo autem in ipsis non jejunatur, quia nulla adest lex seu consuetudo ad id obligans, ob laetitiam Nativitatis Domini et ejusdem Resurrectionis; quam ob causam neque jejunatur in vigiliis s. Joannis Apostoli et Evangelistae et sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, ut dictum est supra per expressum allatum textum, cap.: *Consilium 2.* de observatione jejunior.; *Gavant.* tom. 1. pag. 1. tit. 3. n. 6. et tom. 2. sect. 3. cap. 7. num. primo et alii passim.

Vigilia occurrente in Dominica jejunari debet in Sabbato antecedenti, textu expresso in cap.: *Ex part.* 1. de observatione jejuniorum.

Si Vigilia s. Joannis Baptistae cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria 4. S. Rit. Congr. 23. Septembris 1638 in decreto Urbis et Orbis et Urbanus VIII. 14. Octobris ejusdem anni 1638 in appendic. 2. constitut. 45. incip.: *Cum evenire.* Et eo anno nihil prorsus in officio et missa nec commemoratio fit de vigilia, quamvis anticipetur jejunium feria 4. prout respondit sacra Rit. Congr. 18. Sept. 1706 inquiens: Nihil de vigilia in officio et missa, apud Monacell. part. 4. supplement. ad 2. tom. num. 459. quod approbavit Clemens XI. 2. Octobris ejusdem anni ut in ejus Bullario particulari part. 3. decret. 9.

Vd.: *S. Joann. B.* (vigilia.)

Idem declaratum est quoad jejunium pro vigilia s. Antonii de Padua, si occurrat in festo Corporis Christi; vide verb.: Jejunium art. 1. n. 23.

Si vigilia cum jejunio occurrat in festo solemni alicujus patroni principalis, potest licite ab Episcopo fieri commutatio jejunii in die praecedenti. Vide rubricas particulares breviarii Franciscani tit. de vigiliis n. 73.

10) Intra octav. SS. Corp. Chr.

Vd.: *Octava SS. Corp. Chr.* (off., decr. n. 4448.)

11) Officium et Missa.

Vd.: *Vigil. Ascens. D.*

Officium de vigilia fit in omnibus vigiliis per annum, quae jejunantur nisi in die Vigiliae occurrat festum novem lectionum, quia tunc fit officium de tali festo et legitur nona lectio de homilia vigiliae et fit commemoratio de ea ad laudes tantum cum antiphona ad Benedictus et V. feriae occurrentis de psalterio et oratione vigiliae, *text. expr. in rubrica de vigiliis n. 1.* Si autem tale festum occurrens in die vigiliae fuerit

primae classis, tunc nihil prorsus nec commemoratio fit de vigilia excepta vigilia Epiphaniae; sic expresse in *cit. rubr. n. 2.* Et idem servandum est, quando aliqua vigilia cadit in Adventu, Quadragesima et quatuor temporibus, quia nulla in his fit commemoratio de vigilia. *Ita expresse cit. rubric. n. 2.*

Si vigilia occurrat in Dominica, anticipatur ejus officium in Sabbato praecedenti non impedito officio novem lectionum; quia tunc de vigilia fit tantum commemoratio. Excipiuntur tamen ab hac regula vigilia Nativitatis et Epiphaniae Domini, quae si venerint in Dominica, nihilominus fit officium de ipsis, textu expresso in *citata rubrica num.* 2. Si autem alicubi anticipetur seu transferatur jejunium alicujus vigiliae in pridianum diem ob principale et solemne festum patroni loci in ipsa vigilia occurrens, non est transferendum nec anticipandum officium vigiliae, sed de ipsa nihil tunc fit in officio et missa, arg. cit. decret. s. Congr. Rit. n. 16., et tenent *Gavant.* ac *Merati* tom. 2. sect. 3. cap. 7. n. 3., *Quarti* par. 1. tit. 3. sect. 2. dub. 2., ubi concludit, quod non impetrata licentia a Sede apostolica omittendum sit tunc officium cum missa vigiliae.

Officio vigiliae, quod tunc erat de feria, addit s. Pius V. homiliam in evangelium, quod in missa legebatur; *Azorius* lib. 10. cap. 16. quaest. 5., *Gavant. et Merati* loc. cit. n. 5.

Licet ex supradictis, si vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et quatuor temporibus, non sit facienda de ipsa commemoratio in officio, est tamen facienda in missa, ut praescribit *Rubrica Missalis tit. de Feria et Vigilia.* Et ratio diversitatis est, quia cum vigilia habeat orationem propriam et non confundatur cum oratione feriae hinc nulla est ratio, cur debeat omitti ejusdem commemoratio in missa, quae in sola oratione consistit. At vero in laudibus commemoratio involvit etiam antiphonam et vers. feriae, quae deberent repeti, si deberet in officio fieri commemoratio vigiliae, cum semper in tali commemoratione desumatur antiphona et versus ex feria tunc occurrente, ut recte advertit doctissimus *P. Merati* tom. 2. sect. 3. c. 7. n. 4. Non fit autem commemoratio de vigilia nec in missa in festis primae classis, sicut nec fit de ipsa in officio, textu expresso in *Rubrica Missalis titul. de feria et vigilia n. 2.* ibi: „Quod si vigilia occurrat in die alicujus festi ex majoribus primae classis, in missa non fit commemoratio de ea sicut nec in officio.“

12) Nativit. Domini.

Vd.: *Missa de requiem inf. oct., t. I. p. 202; Missa votiva priv.*

In vigilia Nativitatis Domini sicut in tota ejus octava prohibentur missae votivae et de requiem, excepta una solemi pro re gravi et de requiem cantata praesente cadavere. S. Rit. Congr. 28. Aug. 1637, 25. Septembris 1708 et 15. Septembris 1714.

13) Novas Episcopus instituere non odtest.

Vigilias novas non appositas in Calendario romano non potest ordinare Episcopus quoad officium et missam, sed requiritur licentia Sedis apostolicae, ut patet ex bullis sancti Pii V. appositis in initio missalis et breviarii et ex decreto s. Rit. Congr. addito rubricis breviarii. Neque quoad jejunium, ut pluries decrevit s. Rit. Congr. die 3. Martii 1731 ut refert *Scarfantonus* ad Ceccoperium part. 3. addit. 24. sub n. 18. pag. 69. juxta novissimam edition. Viterbiens. de anno 1738 ubi: A magistratu provin-

ciae Gupuscoae cum mandatis procurae omnium locorum fuit emissum votum jejunandi in vigilia s. Ignatii Loyolae tamquam patroni principalis illius; quod cum servare renuerit clerus, propterea Episcopus tamquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reportavit Clerus Chirographum a Benedict. XIV. quo improbatum fuit illud factum Episcopi sub die 21. Martii 1729, a quo cum petita fuisset oris aperitio, in s. Rit. Congr. die 3. Mart. 1731 ponente Eminentissimo Origo, fuit denegata et iterum postulato recessu a decisis die 15. Sept. s. eadem Congr. stetit in decisis. Sic apud Joan. Baptistam *Pittonum* constitut. ac decision. pro s. ritibus tom. 2. num. 1012.

14) Pentecostes.

Reformatorum Ordinis s. Francisci.

Fratris Bernardini Crucifixi in Aracoeli pro licentia celebrandi festum s. Bernardini unica tantum missa cantata ratione concursus die sabbati vigiliae Pentecostes: Non licere.

Die 6. Maii 1673.

(Anal. J. P. 1865 p. 1180 n. 1972.)

Vd.: *Missa de requ. inf. oct.; Missa vot. priv.; Missa vot.* (dies et octavae etc.)

In vigilia Pentecostes prohibetur quodcumque officium etiam primae classis; item prohibentur missae votivae et de requiem excepta una votiva pro re gravi et de requiem cantata praesente cadavere, quae tamen prohibetur in Dominica Pentecostes et duobus sequentibus ex decreto sacrae Congregationis Rituum 10. Decembris 1718 relato a Calendario Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis. Ex novissimo decreto edito 2. Sept. 1741 permittitur missa solemnis de requiem praesente cadavere feria 2. Paschae aut Pentecostes.

15) Omnium Sanctor.

Vd.: *Missale* (correctio. decr. n. XIV.)

16) Translatio.

Vd. p. 852. n. 8.

Rothomagen.

Cum festum s. Quintini martyris principalis patroni oppidi seu loci de Neucourt ab illius incolis aliisque finitimis magno pietatis studio ac populorum frequentia in vigilia omnium Sanctorum celebretur et proinde jejunii observatio difficilis reddi videatur, ab iisdem humiliter Congregationi sacris Ritibus praepositae supplicatum fuit, ut sibi concedere dignaretur facultatem vigiliam omnium Sanctorum in praecedenti die anticipandi. Et Emis PP. visum fuit id posse concedi, si SSmo D. N. placuerit. De qua s. Congregationis sententia habita ab Emo D. Cardinali Capponio praefecto relatione Sanctitas Sua annuit.

Die 27. Februarii 1651.

(Anal. J. P. 1863 p. 312.)

S. VINCENTIUS MART.

(Missa et Off.)

Ad dub.: An in missa s. Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniorum officium quotannis persolvitur ex apostolico indulto die 5. Julii 1819 sub ritu dupl. II. cl. cum octava dicendum sit Symbolum Nicaenum?

Emi itaque ac Rmi PP... respondendum censuerunt:

„Affirmative ex concessione."

Atque ita rescripsere ac servandum omnino mandarunt. N. 4787 ad 1. Die 27. Augusti 1836.

Pius PP. VI.

Emanavit nuper a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet: Conchen. Sanctissimus Dominus Noster Pius sextus Pontifex Maximus ad humillimas preces reverendissimi Episcopi Conchensis benigne concessit elevationem ritus officii sancti Vincentii Martyris a semiduplici ad dup. min. cum lectionibus propriis secundi nocturni jam alias adprobatis *pro Provincia Valentina* et cum lectionibus tertii nocturni ex homilia s. Gregorii PP. in Evangelium „*Si quis vult etc.*" de communi unius martyris secundo loco, recitandum in *tota dioecesi Conchensi* in die ejus festo.

Die 15. Junii 1793.

Loco † Signi.

Card. Archintus, Praefectus.

D. Cappola S. R. E. Secretarius.

Cum autem sicut venerabilis frater modernus Episcopus Conchensis praedictus Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi quo firmius subsistat et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 5. Julii 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 333.)

Claramonten.

Fratres minimi conventus Claramonten. s. Rituum Congregationi supplicaverunt ipsis facultatem attribui, ut possint quotannis die 31. Augusti recitare officium duplex in octava s. Vincentii martyris intuitu corporis ejusdem sancti, quod asservatur in eorum Ecclesia. At Emi PP. eidem Congregationi praepositi petitioni praefatae tantum intra limites decretorum generalium annuerunt, quod scilicet, praevia corporis approbatione ab Ordinario facienda, die tantum martyrii vel translationis aut his etiam incertis, alia arbitrio ejusdem Ordinarii statuenda fratres oratores possint officium sub ritu duplici e communi unius martyris assumendum recitare.

Die 19. Junii 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 329.)

VINUM PRO CELEBR. MISSAE.

a) Materia.

Solum vinum ex vite est materia apta consecrationis; Concil. Carthaginiens. III. capit. 4., Concil. Lateranens. cap.: Firmiter de Summa Trinitate, Concil. Florentin. sess. ult. in decreto unionis §: Tertium, et Communis Catholicorum.

Unde cerevisia et sicera non est apta materia, cum illa fiat ex frugibus et praecipue ex hordeo, ista ex pomis. Item apta materia non est lac, mel, oleum, balsamum et similia. Item apta materia non est succus extractus ex pomis, malogranatis et moris et hujusmodi. Item apta materia non est agrestum ex uvis penitus immaturis expressum et acetum, quia illud nondum est vinum et istud intelligitur jam substantialiter corruptum. Item ma-

teria apta non est äqua ex vite ad modum lacrimae decidens, quia licet de vite proveniat, nihil tamen vini nec ejus accidentia continet. Item materia apta non est vinum adhuc in uvis existens et non expressum, cum potius vim habeat cibi quam potus. Item materia apta non est vini vapor, id est subtilior et magis ignea ipsius pars, vulgo, Acquavita aut Spirito di vino, quia nulla fere habet accidentia vino communia. Item materia apta non est vinum ita decoctum et adustum, ut per decoctionem duae ipsius partes fuerint consumptae, remanente tertia parte densiori et dulciori, quia talis tertia pars est substantialiter diversa a vino nec ad potum deservit, sed ad cibos condiendos. Item materia apta non est vinum in pane imbibitum, quia tale vinum habet potius rationem cibi quam potus, unde consecrari nequit sicuti simili de causa consecrari nequit uva seu vinum adhuc in uva existens et non expressum; sic communis Doctorum quoad omnes supra positas conclusiones.

Apta tamen materia pro consecratione est vinum miraculosum, quale fuit illud in Cana Galilaeae a Christo ex aqua productum, quia ipsum in substantia est ejusdem rationis et speciei cum vino ex vite expresso, sicuti in substantia est ejusdem rationis cum pane triticeo panis miraculose ex lapide seu alia materia productus.

Mustum immediate ab uvis expressum et non depuratum in casu alicujus necessitatis est materia apta et licita pro consecratione; colligitur ex *can.: Cum omne crimen, de consecrat. dist.* 2., ubi dicitur, quod in necessitate possit exprimi botrus in calice, aqua misceri et consecrari, quod clare demonstrat, tale mustum esse materiam aptam et validam et ex necessitate etiam licitam, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; can.: *Quod non est licitum 4. de Regul. Juris, cap.: Omnes 1. de Feriis, cap.: Consuluisti 3. de celebrat. Missar., cap.: Consilium 2. de observatione jejun. cum similibus.*

Uno verbo omnia vina de vite modo consueto extracta, quae non sint substantialiter corrupta vel notabiliter mutata, sunt materia apta consecrationis, quamvis aliqualiter alterentur, ut si calefiant et modice coquantur, modico aquae immisceantur aut aliquo aromate ad ea conservanda condiantur. Nec refert, an dicta vina sint alba vel rubra, cum utraque sint vera genimina vitis. Quamvis tamen ubi commode haberi possint vina alba, convenientius sint adhibenda, ut statuit *Concilium Mediolanense p. 1. tit.: Quae pertinent ad celebrationem missae,* ibi: „Quamobrem etiam vino albo ubi possint ad missae sacrificium sacerdotes utantur.“

Probabile fortasse est, quod si vinum imbibitum in pane erumpat supra panem aut si uva matura pungatur, ita ut erumpat succus quasi in bullas, sit materia apta ad consecrationem; sic *La Croix* lib. 6. part. 1. n. 436 cum Suarez et Haunold ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia ex ipso quod vinum erumpat, desinit esse pars talis panis intincti vel uvae et est vere demonstrabile, sicut si quis videat sanquinem erumpere e vulnere Pauli, vere dicit, hic est sanquis Pauli. Item probabilius est, quod vinum congelatum sit materia ad consecrationem; *Silvester* verbo: Eucharistia 2. qu. 10., *Angelus* verbo: Missa n. 23., *Suarez.* disp. 45. sect. 1. vers.: Unde tertio concludo, *Reiffenstuel* Theol. moral. tract. 14. n. 14. qu. 3. n. 25. testans de communiori Theologorum, *La Croix* cum Busemb. et aliis lib. 6. part. 1. n. 434. et alii plures contra Armillam, Henriquez, Felicem Potest. et alios;

et ratio nostra est, quia vinum congelatum est proprium vinum ex vite substantialiter et ex natura sua potabile; et quamvis hic et nunc propter congelationem non sit proxime potabile, hoc est per accidens; potest enim facile per liquefactionem redigi ad formam potabilem: unde attendendum est ad id quod est per se et ex natura sua et non ad id, quod est per accidens. Si quis autem sine necessitate in vino congelato consecret, peccaret graviter, quia sine necessitate consecaret in materia aequaliter dubia, cum supracitati Doctores putent esse materiam insufficientem et invalidam, unde priusquam consecretur, debet liquefieri vel complectendo calicem manibus vel ignem aut calidos pannos applicando, *sicuti rubricae Missalis tit. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus* praescribunt esse faciendum, si post consecrationem sanguis congeletur in calice, ibi: Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat."

Sine vino nunquam licet consecrare solum panem: Consecratio enim utriusque speciei panis et vini est de necessitate praecepti divini. Falsum enim et fabulosum est, quod Innocentius VIII. dispensaverit cum Norvegis, ut in una tantum specie consecrarent.

Guttae vini existentes intra calicem discontinuae et a reliquo vino sejunctae probabiliter non remanent consecratae; *Suarez.* disp. 43. sect. 6 §: Sed objicies *Reginald.* lib. 29. cap. 2., *Gavantus* in rubric. Missalis part. 3. tit. 7. n. 4., *Madernum* tract. 2. de Sacramento Eucharistiae qu. 2. art. 4. n. 15., *Cacheranum* tract. 9. de Eucharist. ut Sacramento cap. 2. §. 6. 1. 126., *Felic. Potestat.* tom. 3. part. n. cap. 2. n. 227. et alios contra Bonacinam disp. 4. q. 2. punct. 5. proposit. 2. n. 7., Coninch., Tolet., Rodriguez., ab ipso citatos et alios; et ratio nostra est, quia intentio legitima sacerdotis fertur solum in materiam existentem in calice demonstrabilem per pronomen: Hic, et licite consecrabilem; licite autem est solum consecrabile vinum aqua commixtum, cum hoc sub gravi praecipiatur ab Ecclesia, ut mox dicetur, qua aqua non censentur commixtae guttae vini intra calicem existentes discontinuae et a reliquo vino sejunctae adeoque etc. Advertendum tamen est, quod guttae illae vini, si ante consecrationem inadvertenter non fuerint abstersae, non debent post consecrationem abstergi propter probabilitatem, quod sint consecratae juxta opinionem supradictorum doctorum.

Altera materiae Eucharistiae pars est vinum de vite, sive album sive rubrum sive alterius coloris sit, apta materia est, cum non color sed substantia liquoris ex uvis expressi a Christo Domino stabilita sit hujus sacramenti materia. Quod quidem notandum duxi, ut quisque intelligat, Moscovitas in manifesto versari errore si credant, ut Auctores nonnulli referunt, solum vinum rubrum aptam esse Eucharistiae materiam. De vino duo discutienda offert dubia Orientalis Ecclesia, alterum scilicet de censuetudine, quae in Aethiopia et apud Syros nonnullos viget, de adhibendo, ob vini penuriam, liquore ex uvis passis expresso; alterum vero de Armenorum errore, qui censent, nefas esse vino modicum aquae miscere; quibus et tertium addemus, de aqua fervente, quam Graeci peracta jam consecratione in calicem mittunt.

Quaeres I. *Utrum liquor ex uvis passis et zebibo expressus licite ac*

valide in Eucharistia perficienda usurpetur?

Nota 1. Fagundez praecept.* lib. 2. cap. 3. ita scribit: „Scio, in Aethiopia ex defectu vini assumere Catholicos et Patres nostrae societatis uvas non ita passas et eos aquam superinfundere, quoadusque lentescant, et postea exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo consecrant, satis generosum; et primus Auctor hujus rei fuit sanctissimus Vir Andreas de Ojedo Patriarcha ejusdem Aethiopiae.

Nota 2. Anno 1703 die 14. Febr. propositum fuit dubium a P. Josepho de Jerusalem Ordin. Minor. strict. Obs. ac Missionibus Aethiopiae Praefecto: *An liceat Missionariis celebrare cum vino ex zebibo vel uvis passis expresso, ut in regionibus illis fieri solet?* Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem a dicto P. Josepho, quo praecise modo conficiatur vinum ex uvis passis vel zebibo in Aethiopia, et postea iterum formari et proponi idem quaesitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores et successive in Congregatione coram Sanctitate sua habenda. Responsum deinde fuit a supradicto P.: vinum hujusmodi in hunc fieri modum: sumuntur ex. grat. 4. librae zebibi, franguntur atque in apto vase tunduntur ac deinde totidem frigidae aquae in idem vas infunduntur eaque in infusione servantur per sex, octo vel ad summum decem horas; exarabitur postea zebibi vel uvae passae materia eaque ab exteriori aqua purgata aut panno stringitur vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriori diligentia utuntur, dum celebrant. Hac praemissa explicatione fuit iterum propositum dubium: Lectis quoque relationibus et rationibus Patris Joannis Damasceni Consultoris necnon variis experimentis factis pro eruendo dicto vino Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit: *Licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo vel uvis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum.* S. C. C. Off. 12. Julii 1706.

Resp. His praemissis, ubi vinum desit, ut revera deest in regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore, valide ac licite usurpatur, si tamen ex colore, odore atque sapore censeri possit verum vinum; nam si liquor ex uvis de vite extractus esset atque iis qualitatibus deprehenderetur uvas illas passas vel zebibum ex decoctione non mutavisse constat uvae naturam. Quamobrem probare non possum Verricelli responsionem, qui negative respondendum censet, „quia zebibum est adeo decoctum ab igne, ut non possit ex eo confici simpliciter vinum, cum addito nempe: vinum coctum seu sapa"; nam zebibum uva est, ignis vel solis calore exsiccata; et si post infusionem in aqua liquorem exprimat, qui colorem saporemque servet vini, non video, cur verum vinum censeri nequeat, quod accedentarie tantum ab illd differat.

b) Pro Purificat. calicis.

Ad dub.: An loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria, licite adhiberi possit tantum aqua?

Sacra Congregatio s. offic. 14. Julii 1707 ad hujusmodi quaesitum propositum ab Episcopo Quebecensi respondit: „citra maximam vini penuriam servandas esse pro viribus rubricas Missalis romani, praesertim in purificatione seu prima ablutione", dum vero tanta sit vini penuria, ut, nisi sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent pluries ad

non celebrandum, adhibere posse solam aquam, declaravit Congr. in responsione ad dubia proposita a Missionariis Sinensibus die 23. Januarii 1665.

c) Aqua cum vino commiscenda.

Vino parum aquae miscet tum Occidentis tum Orientis Ecclesia. In Occidente id omittunt Lutherani Calvinianique, quod consuetudo sit non a Christo sed ab hominibus orta quodque praeceptum, quod orthodoxa inculcat Ecclesia, evangelicae puritati ac libertati adversetur. In Oriente vero aquae mixtionem rejiciunt Armeni; ii in conciliabulo Monophysitas illos imitati sunt, quos Brunus appellatos fuisse censet Julianitas et Cajanitas, qui, ut Anastasius Sinaita renunciatus Antiochiae Patriarcha anno 561 scribit, *vinum merum sine aqua offerunt, ut exinde deprehendantur confiteri Christum nuda et simplici deitate constare.* Facile autem est demonstrare, Ecclesiam ad Christi imitationem Apostolorum aetate statuisse, ut vino parum aquae misceretur, idque habitum semper fuisse ut Ecclesiae praeceptum; Christum Dominum vino parum aquae miscuisse ex eo liquet, quod dum Pascha celebraret more Judaeorum Eucharistiam instituerit, ut etiam Armeni ac alii Haeretici fatentur; at Judaei calicem paschalem aqua temperare solebant, ut constat ex Misna de benedictione 7, ex Rabi Maimonide aliisque et ex vulgari eorumdem antiquo more, *proverbiorum cap. 9. et Apocalypseos cap. 18.* Deinde Christum Dominum aqua calicem temperasse testatus est Irenaeus circa medium II. saeculi lib. 4. adversus haeres. cap. 57. inquiens: „accipiens Dominus panem suum esse corpus confitebatur et temperamentum calicis suum sanquinem confirmavit; libr. autem 5. cap. 2. temperamentum calicis mixtum calicem vocat," inquit Massuetus et Cyprianus epist. 63. ad Caecilium III. saeculo scripsit: *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit*, hoc est in calice vino aquam fuisse mixtam, ut ipse ibidem explicat. Ergo primis saeculis Ecclesia credebat Christum aqua vinum temperasse. Morem autem hunc eam fuisse imitatam testatur Justinus Apologia 2.: „Deinde, inquiens, ei, qui fratribus praeest, offertur panis et poculum aquae et vinum;" testatur quoque Auctor Constitutionum apostolicarum lib. 8. cap. 12. de Christo dicens: *Similiter calicem miscuit ex vino et aqua, sanctificavit etc.* Et, ut mittam alios PP., omnes antiquae Liturgiae Jacobi Chrysostomi etc. hujus mixtionis ritum praescribunt illumque servandum praecepere concilia Carthaginiense III. anno 397 celebratum, Truilanum supra citatum, Florentinum et Tridentinum, quod sess. 22. cap. 7. ait: „Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur." Cum res ita se habeat, palam est, Ecclesiam consuevisse semper et ubique vino modicum aquae miscere, idque non pro re indifferenti sed praecepta habuisse.

Graeci praeter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiae sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem „ut scilicet sanguis et aqua, quae fluxerunt a sancto latere Domini et Dei Salvatoris nostri Jesu Christi tempore

salutaris passionis ejus, vivica esse constet, veluti ex vivico deificato corpore vivica, ait Balsamon in resp. ad quaesita Marci Patriarchae Alexandrini, mixtio haec damnari non potest, tum, quod antiqua sit ac a sanctis Patribus commendata: nam praescribitur in Liturgiis Basilii et Chrysostomi ac laudatur a Nysseno orat. catech. cap. 37. a Theodoreto dialogo primo inscripto: *Immutabilis*, a Damasceno lib. 4. cap. 14. atque ab aliis Patribus, tum etiam quia constit.: *Et si Pastoralis* §. VI. num. 2 Graeco-Italis *permittitur facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet juxta ritum in Liturgia praescriptum aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.* Qaamquam id Graecis permissum est, tamen errore non carent Phociani, qui Latinos ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accusant; nam ritum omittendo, particulari Ecclesiae praescriptum, non negant nec improbant id quod Ecclesia per illum ritum significare contendit ut illi perperam arbitrantur.

Vino consecrando admiscenda est aqua; *can: In Sacramentorum 1., can: Sicut in Sacrificando 2., can: Non oportet 4., can.: In Sacramento 5., can.: Cum omne 7., can.: in Calicem 83. dist. 2. de consecr. cum similibus.* Conc. Floren. in Decreto Unionis §: Tertium, Conc. Trident. sess. 22. cap. 7.

Vino consecrando admiscenda est aqua ob tres potissimum rationes, quas adducit Conc. Trident. cit. sess. 22. cap. 7. praecisis his verbis: „Monet deinde sancta Synodus praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtone recolitur, et cum aquae in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.“ Et concordat Conc. Florent. loc. cit. et cit. c.: In calicem 83. dist. 2. de confer., c.: Cum Marthae 6. de celebrat. missarum, cum similibus.

Praeceptum de aqua miscenda vino consecrando est tantum ecclesiasticum et non divinum: *Communis* et clare patet ex illis mox adductis verbis Conc. Trid.: Praeceptum esse ab Ecclesia.

Vinum plus quam aqua in calice pro sacrificio est ponendum: cap.: *Perniciosus* 13. de celebratione missar. Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes: Concil. Tribur. 1. cap. 19. et concordant Rubricae Missalis, tit. 7 de Offertorio, ubi praecipitur, quod Sacerdos infundat parum aquae in Calice, et Concil. Florentin. in cit. decreto Unionis §.: Tertium dicit, quod vino ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet.“

Aqua mixta vino non convertitur immediate in Sanguinem Christi, sed solum mediante id est convertitur prius in vinum et eo mediante per consecrationem in Sanguinem. Sic expresse *s. Thomas* part. 3. qu. 74. art. 8., *s. Bonaventura* in 4. dist. 11. part. 2. art 1. qu. 3., *Scotus* in 4. dist. 11. qu. 7. cum omnibus Thomistis et Scotistis ac pluribus recentioribus contra plures alios; et ratio nostra est, quia solum vinum ex vite est materia apta Consecrationis; ex Concil. Carthaginiens. III. cap. 24., Conc. Lateranens. in cap.: *Firmiter,* de Summa Trinitate, Concil. Florentin. sess. ultim. in decreto unionis; atqui aqua nondum conversa in vinum non est vinum ex vite, immo nullatenus vinum, ergo

etc. Hinc Innocentius III. in cap.: *Cum Marthae* 6. de celebrat. Missar. §.: *Quaesivisti,* rejectis duabus aliis sententiis videtur aperte asserere, nostram opinionem asserentem aquam prius in vinum converti esse probabiliorem.

Et idem Innocentius III. lib. 4. de Altaris Mysterio cap. 31. expressius suam mentem in hoc explicat praecisis his verbis: „Quibusdam vero non absurdum videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinem ea videlicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum et vinum per consecrationem transit in Sanguinem; quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquae? Et Catechismus romanus de Eucharistia cap. 4. tradit, hanc opinionem de conversione aquae in vinum esse Scriptorum ecclesiasticorum testimonio roboratam.

Permittendum non est Armenis ad unionem cum s. rom. Ecclesia venientibus, ut cum solo vino sacrificium missae peragant.

Sancta Congr. de Propag. 30. Junii 1635.

d) Cum micis panis non est miscendum.

Alexand. III. Upsellensi Archiepiscopo et Suffrag.

Non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolicas institutiones, cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis missam celebrare audivimus; cum magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostrae salutis, non siccam faecem vini, non micas panis vino intinctas accepit sed panem et calicem et benedicens dedit discipulis. Quia igitur secus agere evangelicae et apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae penitus est adversum, apostolica prohibemus autoritate, ut cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis vel alio modo, quam Dominus instituit, nullus de caetero sacrificare attentet sed secundum formam sacrosanctae Ecclesiae romanae, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem et vinum aqua mixtum in sacrificio corporis et sanquinis Christi offeratis.

Die 9. Sept. 1170. (Bull. r. t. II. p. 734. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexander PP. III.

Upselensi Archiepiscopo et Suffraganeis ejus.

Non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolices institutiones cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis Missam celebrare audivimus: et fideles laicos non christiano more absque sacerdotali benedictione et Missa matrimonium contrahere. Unde saepe illicita contingit fieri conjugia et inter legitimas personas divortium intervenire. Sane cum omne crimen atque omne peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de caetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum enim magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostrae salutis non siccam faecem vini, non micas panis vino intinctas accepit sed panem et calicem et benedicens dedit discipulis suis. Quia igitur secus agere evangelicae et apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae penitus est adversum, apostolica prohibemus auctoritate, ut cum sicca faece vini vel cum micis panis vino intinctis vel alio modo, quam Dominus instituit,

nullus de caetero sacrificare attentet, sed secundum formam sacrosanctae Ecclesiae romanae, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem et vinum aqua mixtum in sacrificio corporis et sanguinis Christi offeratis.

Dat. Tusculani V. Idus Sept. 1181. (Bull. r. t. IX. p. 26. Ed. Luxbg.)

VIRGA.

1) Cantoris.

Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatis ad Collegiatam se confert, non valet virgam gestare, qua utitur in Cathedrali, sed ea uti valet Cantor Collegiatae etiam praesentibus Canonicis Cathedralis. n. 4439 ad 5 et 6 die sine dato (videtur esse 28. Julii 1789.)

2) Poenitentiariorum.

Quoad virgam Poenitentiariorum datur hic ad literam consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur:

Consultatio XXII.

An Canonicus Poenitentiarius in Cathedrali Ecclesia uti possit virga sive, ut ajunt, bacchetta?

Non potest quia est praejudiciale Poenitentiariis Ecclesiarum Patriarchalium Urbis et novitatis introductivum. Quippe quaelibet Cathedralis non poterit sibi tamquam licitum arrogare quod in simili Romae gestum fuerit. Non enim talis canonicus Poenitentiarius est Poenitentiarius D. Papae, sed institutus ob observationem Decreti Conc. Trid. sess. 24. cap. 8 de reform. Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supremae auctoritatis, unde solus summus Poenitentiarius illam tenet eoque praesente minores Poenitentiarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicumque Poenitentiario cujuslibet ecclesiae sed solum illis, qui immediate sunt Poenitentiarii Summi Pontificis.

Accedit resolutio sacrae Cong. super causa Abulensium anno 1597 die 21. Aprilis. Quaesitum enim fuerat: an Canonicus Poenitentiarius teneretur auscultare confessiones etiam non reservatorum, an sedere et assistere in sede determinata statis temporibus et horis ante et post meridiem? an deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in Patriarchalibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quaesita; ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit sacra Cong. Episcop. et Regular. die 16. Mai 1596 in una Neapolitana per haec verba: „Che senza privilegio apostolico non possono i Confessori tener in mano le bacchette, come fanno i Penitenzieri di Roma.“

Quare cum sit contra usum totius Ecclesiae, nusquam enim tales Poenitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem et rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit sacra Cong. Concilii in una Romana Poenitentiarii Lateranensis die 13. Nov. 1639, de qua testatur Dominicus Andolphinus Parochus s. Luciae ad apothecas, vir pius et ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

Major poenitentiarius potest concedere Indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus, qui ipsi poenitentiali virga tangendos se submiserint: Innocent. XII. constit. incip.: *Romanus Pontifex.*

VISITATIO.

1) Aedium eccles.

In Visit. aed. eccl. peragenda est inquirendum de:

1) Incolis.
2) Cohabitatione ancillarum.
3) Facinoroso latibulo.
4) Reparatione.
5) Distantia ab Ecclesia.

Gavant. Merat. V. p. 66. Ed. Venet. 1823.

2) Altaris.

a) Pro lucrando Jubilaeo.

Vd.: *Visit. Eccles.* (pro lucrando Indulg. Jubil.)

b) Modus.

Vd.: *Visit.* (Ecclesiae — modus —; utensilium etc.)

In Visit. alt. peragenda est inquirendum de:

1) Altare majori.
2) Gradu ad illud.
3) Gradu in eo.
4) Ara lapidea.
5) Consecratione totius.
6) Tela cerata, immobili.
7) Fenestella.
8) Mappis tribus vel una duplicata.
9) Earum benedictione.
10) Cruce.
11) Candelabris.
12) Icone.
13) Statuis.
14) Tabella secretarum.
15) Tela stragula.
16) Mutatione mapparum.
17) Palliariis.
18) Umbellis.
19) Suppedaneo.
20) Fenestra urceorum.
21) Cancellis.
22) Cereostata.
23) Campanula.
24) Clavo pro bireto Sacerdotis,
25) Pulvinari.
26) Tabella ultimi Evangelii.
27) Dote altaris.
28) Patrono.
29) Oneribus Missarum.
30) Titulo beneficii.
31) Festis.
32) Officio
33) Privilegiis Defunctorum.

Gavant. Merat. I. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

3) Archidiaconi.

Dub. I.: An Archidiaconus Ecclesiae Gerundens. per se visitare possit ecclesiam, Capitulum, Canonicos et Dioecesim et necessaria ad bonum ecclesiae regimen demandare in casu?

Dub. II.: An idem Archidiaconus procedere valeat in visitatione et extra eam contra capitulum et singulos Canonicos tam in civilibus quam in criminalibus sine conjudicibus et adjunctis ejusdem capituli in casu?

S. C. C. resp.

Ad I.: Negative quoad ecclesiam Cathedralem et Capitulum et in reliquis affirmative.

Ad II.: Quoad provisionem provisum in superiori; extra vero visitaeionem Archidiaconum procedere debere cum adjunctis ad formam concilii in criminalibus tantum.

Die 12. Feb. 1729.

Vetitam Archidiaconis esse Dioecesis visitationem absque Episcopi licentia, ut observant Canonistae omnes in *Cap. 1. de Offic. Archid.*, et statuit *Concil. Trident. sess. 24 cap. 3. de Refor.*

(Ex resol. S. C. C. die 16. Sept. 1769.)

4) De Baptismalibus.

Vd.: *Visit. Parochi.*

In Visit. Baptism. peragenda est inquirendum de:

1) Qualitate fontis.
2) Conopaeo.
3) Umbella.
4) Cancellis.
5) Imagine s. Joannis Bapt. Christum baptizantis.
6) Aqua.
7) Sacrario vicino.
8) Cochleari pro infundenda aqua.
9) Vase oleorum sacrorum.
10) Sale.
11) Linteis ad tergenda capita.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. de Bapt. peragenda est inquirendum:

1. An fons sint lapideus vel ex alia materia solita cum cooperculo ex metallo sine rimulis, propeque adsit Sacrarium?

2. An fonti affixum sit tabernaculum seu, ut appellant, ciborium saltem ligneum decore fabrefactum, in quo sit condignatio, ubi vascula argentea seu stannea oleorum chrismatis et catechumenorum reponantur cum suis inscriptionibus?

3. An ibi retineatur cochlear argenteum seu saltem stanneum ad fundendam aquam in caput Baptizandi, vas cum sale benedicto et linteamina munda?

4. An ciborium decenti conopaeo vestiatur ne sordes superne decidant et illud commaculent et firmissima sera claudatur?

5) An obstetrices sint examinatae et approbatae?

6. An admittantur Patrini minores annis 14 et Matrinae minores 12, et an Regulares vel Clerici in s. Ord. constituti sine licentia?

(Act. Mediol. Eccles. p. 1. Synod. dioec. 3. Dec. 17.)

7. An Baptismus infantium protrahetur et differatur ultra tres dies et nomina ethnicorum imponantur? *(Clement. Unic. de Baptism.)*

8. An baptizati eodem die a Parocho vel alio, qui de ejus licentia aut Episcopi Sacramentum minsitravit, describantur in libro baptizatorum?

9. An hoc Sacramentum extra casum necessitatis conferatur domi?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

5) B. Mariae V.

a) Festi ritus.

Quum Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum Beatae Mariae Virginis patrocinium fuerit expertus, dum aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactaretur et ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante et insanientium hominum congerie in ecclesiastici Status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent, ac animo reputans sexto Nonas Julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Festum Visitationis ejusdem Deiparae, fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe et aliquot post dies civilem Apostolicae Sedis Principatum fuisse restitutum opibus, consilio et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuensi sanctae

Rufinae et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Decessores suos s. Pium V. et sa. me. Pium VII. aemulatus mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato sibi et fideli Populo christiano in adjutorium venit, hoc ipsum Visitationis Festum ducatur in posterum per universum Orbem ritu duplici secundae classis. Atque hoc Decretum in Acta Sacrorum Rituum Congregationis reponi ac publici juris fieri mandavit pridie Kalendas Junii Anno 1850.

A. Card Lambruschini Ep. Portuensis etc.

S. R. C. Praefectus.

Loco † Sigilli.

Correspond. de Rome Ed. II. 14. Aug. 1850. n. 37 p. 48.

b) Institutio.

Institutio festivitatis Visitationis B. Mariae Virginis pro die 2. Julii cum adhortatione ad jejunium vigiliae indulgentiisque pro interessentibus officiis dictae festivitatis ex constitutione Urbani VI.

Bonifacius (IX.) Episcopus servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordi pietate recipiens, etiam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet verbum supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit, caritas temporis veniente plenitudine Verbum ipsum aeternum, sub forma servi, carnem nostrae mortalitatis assumere, ut eamdem mortem nostram moriendo destrueret ac damnationis sententiam simul et maculam, quam, per reatum primi hominis, generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens verbi aeterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica praeelegit virginem, in cujus utero, mystico spyramine, verbum ipsum carnem susciperet, ut egrederetur, juxta verbum propheticum, virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascenderet et requiesceret spiritus domini super eum; perfectam reginam inclytam matrem eligens, quae tanto Regi digna fuit, sui corporis thalamum, praeparare, de quo tamquam sponsus prae filiis hominum procederet speciosus, locum in Nazareth, quae flos sanctitatis dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo, per angelicae salutationis eloquia, ipsius incarnati verbi mysteria miraque fuerunt solemnia celebrata. Ibi enim sumpsimus nostrae redemtionis exordia ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit et de aeternitate laetitiam. In hoc etenim tantae foecunditatis loco virgo regia venustissima a Domino conservata, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimata, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, Redemtorem gentium virgo concepit datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

§. 1. Sane ipsa Regina caelorum, in cujus se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per angelum nunciato nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tamquam ancilla humilis, quamvis mater effecta domini, humilitatis suae, quam respexit dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam, quae vocabatur sterilis, jam semestri praegnantem,

cum festinatione: et quemadmodum ab angelo humillime salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsa Elisabeth humiliter salutavit; Elisabeth vero, ut salutationem audivit virginis gloriosae repleta Spiritu sancto et incarnati verbi mysterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater domini mei ad me. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit prae gaudio infans in utero meo: et beata quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a domino.

§. 2. Ad quam virgo veneranda, in humilitatis spiritu, respondens illud mirabile canticum decantavit: Magnificat anima mea dominum et exsultatavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus. O magnum mysterium, o admirabile commercium, o ineffabile sacramentum, ut matres de pignoribus, quae gestabant in uteris, in spiritu praesentirent et etiam prophetarent et, ut sacri Evangelii pandit historia, caeli regina gravida partu consecranda divino, pro humilitatis amplioris signaculo, praecursoris sui, quem gestabat, filii, genitrici gravidae humanitatis impendit obsequium: quo impenso completoque hujusmodi visitationis quasi trium mensium tempore in domum suam est reversa.

Haec est enim illa de qua sacra canunt elogia: Sole amicta, Lunam habens sub pedibus, stellis coronari meruit duodenis, haec est enim illa quae in suis castis visceribus caeli terraeque gestavit Opificem et sola cunctas haereses interemit et pro christiano populo, ut advocata strenua et exoratrix pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit.

§. 3. Igitur felicis recordationis Urbanus Papa sextus, praedecessor noster, dignum reputans et debitum ut festum Visitationis ipsius B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth, in Dei Ecclesia celebretur, pio testimonio sancti suffultum Evangelii humanis nequit rationibus detrectari: ac attendens quod laudes tantae Virginis humana lingua non sufficit exprimere nec etiam sancti et justi eam, in cujus ille, quem caeli capere non poterant, se contulit aula virginali, dignis laudum praeconiis ad plenum effere poterunt: et considerans quod, ex quo Dominum in Sanctis suis laudare jubemur, quanto magis in veneratione B. Mariae Virginis matris ipsius, exsultantibus animis collaudare et ejus laudum augendo titulos, gratias referre, quem genuit, Filio debeamus, quae etiam exaltata super sydera, stellato consedit sui solio Genitoris, nec etiam divinae visus fuisset resistere voluntati, quae tam sibi quam aliis viris devotis ad hujusmodi sanctam festivitatem celebrandam, ut pie idem praedecessor credidit, dignata fuit mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc matura praehabita, de fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalum, de quo numero tunc eramus, consilio, ad exaltationem fidei catholicae dignae et rationabiliter videlicet sexto Idus Aprilis, pontificatus sui anno undecimo, statuit ut festum praefatum videlicet Visitationis B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth sexto Nonas Julii, annis singulis, in Dei Ecclesia, cum laudum cantico, laetitiae jubilo cordisque tripudio, sub duplici officio per orbem universum solemniter celebra-

retur. Suasit etiam et consuluit idem praedecessor, ut ipsius festi vigilia Nativitatis et Assumptionis praedictae Virginis festivitatum etiam in observatione jejunii devotius observaretur. Et mandavit quod simile, non tamen duplex officium absque alicujus Sancti commemoratione, exceptis primis vesperis ante octavam apostolorum Petri et Pauli, et officio totius diei octavae, cum commemoratione tamen ejusdem novi festi, per septem sequentes dies in Dei Ecclesia cum celebritate debita decantetur.

§. 4. Ac etiam volens idem praedecessor Christifideles ad collendum tantae festum virginis et etiam celebrandum donis spiritualibus animare ipsosque mysticis de thesauris militantis Ecclesiae benedictionum muneribus cupiens praevenire: omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in Ecclesia, n qua idem officium celebraretur, interessent, centum, qui vero missae: totidem, qui autem primi festi vesperis: similiter centum, qui autem secundis totidem, illis vero qui Primae, Tertiae, Sextae, Nonae ac completorii officiis, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies, illis autem, qui per octavas festi praedicti matutinalibus, vesperarum, missae ac praedictarum horarum officiis interessent, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisus de injunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxavit.

§. 5. Ne autem, pro eo quod ipsius praedecessoris superveniente obitu literae apostolicae super praemissis confectae minime extiterunt, hujusmodi constitutio dicti praedecessoris frustretur effectu: volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod hujusmodi constitutio a dicta die, videlicet sexto Idus Aprilis, perinde sortiatur effectum ac si super ea praedecessoris literae sub ipsius diei dato confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes literae ad probandum plene constitutionem hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios Ecclesiarum praelatos monemus et hortamur in Domino, per apostolica eis scripta in virtute sanct. obedientiae districte praecipiendo mandantes et in remissionem peccaminum injungentes, quatenus tam gloriosum festum et celebre annis singulis sexto Nonas Julii, ut praefertur, devote ac solemniter celebrent ac jejunium vigiliae hujusmodi suadeant in augmentum meriti observari et faciant per universas Ecclesias suarum civitatum et dioecesum celebrari ac officium peragi supradictum: ut pia ejusdem Virginis Mariae intercessione ipsi Christifideles et hic a noxis protegi et in futuro sempiterna gaudia consequi mereantur.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis et mandati paginam infringere, etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 9. Nov. 1389.

(Bull. r. t. IV. pag. 602. Ed. Taur. 1859.)

Bonifacii PP. IX. literas super festo Visitationis sanctissimae Virginis Mariae confirmat Nicolaus.

Nicolaus V. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum gesta Pontificum, quibus potissime salus animarum procu-

ratur recenseri convenit, ut illa omnibus innotescant.

§. 1. Hinc est quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Bonifacii Papae noni, praedecessoris nostri, in ejus regestro compertum, de regestro ipso de verbo ad verbum transcribi et praesentibus annotari fecimus, qui est talis: Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Superni benignitas . . . . .

§. 2. Caeterum, ut earumdem literarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat autoritate apostolica decernimus ut illud idem robur eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales literae supradictae, ut eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque fuerit exhibitus vel ostensus: ut eidem stetur firmiter in omnibus sicut ipsis originalibus literis staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nihil novi concedere intendimus, sed tantum per dictum praedecessorem concessa in suo robore permanere.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis et intentionis infringere, etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Mart. 1451.

(Bull. r. t. V. pag. 106. Ed. Taur. 1860.)

c) Occurrentia.

Ad dubium: An dum Dom. I. Julii occurrit festum Visitationis B. M. V. per novissimum gen. decretum elevatum ad ritum dupl. II. cl., ea ipsa dom. de Visitatione Deiparae recitari omnino debeat, translato ad feriam II. immediate sequentem Officio pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr. de anno 1849. IV. Id. Aug. sub pari ritu dupl. II. cl. ad universam Eccl. indulto? S. ipsa C... respondendum censuit:

„Affirmative in omnibus juxta memorata novissima Decreta.“

Atque iter rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Mart. 1851. N. 5157 ad 9.

Vd.: *Visit. B. V. M.* (transl. decr. n. 5191.); *SS. Sanguis J. Chr.* (dies fest.)

Urbis et Orbis.

Quum SSmus D. N. Pius Papa IX. ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum B. M. V. patrocinium fuerit expertus dum aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactaretur et ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante, et insanientium hominum congerie in ecclesiastici status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent, ac animo reputans VI. Non. Jul. superiore anno, quo die ab Eccl. peculiare recolitur Festum Visitationis ejusdem Deiparae, fuisse excessum occupantium jugum ad Urbe, et aliquot post dies civilem Apost. Sedis Principatum fuisse restitutum opibus, consilio et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo Card. Aloysio Lambruschini Ep. Portuen. s. Rufinae et Centumcellarum, S. R. C. praefecto, decessores suos s. Pium V. et s. m. Pium VII. aemulatus Mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae virgini, quae insperato sibi et fideli populo christiano in ad-

jutorium venit, hoc ipsum visitationis festum ducatur in posterum per universum orbem *ritu dupl. II. cl.* Atque hoc decretum in acta S. R. C. reponi ac publici juris fieri mandavit pridie Kal. Jun. 1850. n. 5144.

Valven. Sulmonen.

Quum festum Visitationis Deiparae ex apostolico Indulto in regno utriusque Siciliae instituatur sub duplici praecepto, quum hujusmodi festum vulgari titulo nuncupetur „gratiarum," Rmus Episcopus Valven. Sulmonen. anceps haerebat quodnam officium recitandum esset die 2. Julii, illud nimirum Visitationis an illud B. M. V. Gratiarum? Ad tollendam quocirca dubitationem omnem humillimas porrexit preces S. R. C. opportunam exposcens declarationem. Quae in ordinario coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente me infrascripto Secretario, respondendum censuit: „Servetur festum de praecepto cum officio Visitationis Beatae Mariae Virginis."

Atque ita in posterum servandum esse mandavit die 27. Aug. 1836. Num. 4791.

e) Titularis.

Vd.: *Patronus* (transl. Solemnit. Patroni in dom. seq. decr. n. 4985.)

f) Translatio.

Ad dub.: Quum per decretum *Urbis et Orbis* sub die 31. Maii 1850 festum Visitationis B. M. V. elevatum sit ad ritum dupl. II. cl., quo pari sub ritu antecedenti anno 1849 die 10. Aug. concessum fuerat toti orbi pro Dom. I. Julii festum pretiosissimi Sanquinis D. N. J. Chr. quaeritur: 1. Utrum festum Visitationis Deiparae sit unum ex festis primariis B. M. V. vel ex secundariis tantum et consequenter quod horum festorum sit alteri praeferendum in casu occurrentiae, qui locum habebit sequenti anno 1854? Quaeritur secundo: quomodo ordinandae sint vesperae pretiosissimi Sanguinis quando festum Visitationis incidit vel in Sabbatum vel in Feriam II.?

S. C. resp. quoad primam quaestionem: provisum per generale Decretum diei 10. Aug. 1849, in quo edicitur ut officium pretiosissimi Sanguinis transferatur occurrente Dom. I. Julii alio officio potioris vel aequalis ritus. Quoad 2. quaestionem: juxta rubricas.

Atque ita rescriptum fuit. N. 5191. Die 23. Junii 1853.

Vd.: *Visit. B. M. V.* (Occurr.)

Ad dub.: An off. Visit. B. V. M. die 2. Julii, in quo festum dedicat. Ecclesiae s. Jacobi occurrit, celebrari debeat die immediate sequenti, etiamsi fuerit dies dominica?

S. C. resp.*:* Faciendum est de officiis, de quibus agitur, in die immediate sequenti, etiam in occursu dominicae, propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum decretum Pisaur. 2. Julii 1712.

Die 20. Novembris 1717. *In una Urbis.*

g) Vesperae.

Congregationis scholarum piarum.

Quum anno vertente 1859 tribus subsequentibus diebus occurrant tria festa ritus duplicis secundae classis, videlicet sacri Cordis Jesu die prima Julii, Visitationis Beatae Mariae Virginis die secunda, et pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi die tertia ejusdem mensis, quaeritur: quomodo ordinandae sint vesperae praedictorum festorum in respectiva concurrentia?

Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum coadunata in ordinariis comitiis rescribendum censuit:

Juxta rubricas et hujus sacrae Congregationis decreta festum Visitationis Beatae Mariae Virginis habere debebit integras utrasque vesperas.

Die 26. Martii 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 250.)

6) Beneficiatorum.

Vd.: *Visit. Clericor.*

In Visit. Benef. peragenda est inquirendum de:

1) Nomine.
2) Cognomine.
3) Patria.
4) Aetate.
5) Beneficii titulo.
6) Pluralitate beneficiorum.
7) Pensionibus activis.
8) Passivis.
9) A quo collatio?
10) Quando?
11) Professione fidei.
12) Redditibus.
13) Oneribus.
14) Satisfactione.
15) Officio divino.
16) Praediis.
17) Finibus descriptis.
18) Arboribus caesis.
19) Alienatione.
20) Locatione.
21) Consanguineis
22) Inventario.
23) Bullae ostendantur.
24) Pactis simoniacis.
25) Facultate celebrandi.
26) Ministrandis Sacramentis.
27) Renuntiatione beneficii.
28) Publicatione.
29) Permutatione.
30) Unione.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 68. (Ed. Venet. 1823.)

7) Cancellarii.

In Visit. Canc. peragenda est inquirendum:

1) An scripturae tam actorum civilium quam criminalium integre et distincte in locis ac armariis aptis fideliter retineantur?

2) An retineatur liber bene compactus, in quo registrentur nomina et cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam constit. Pii IV. (89.) emiserunt et an in dicto actu adhibeantur testes, cum expressione diei et anni, prout adhibendi sunt?

3) An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur et registrentur supplices libelli, decreta et rescripta gratiosa, provisiones et permissiones episcopales, in quibus non conficiuntur processus?

4) An retineatur liber bene compactus et cartulatus, in quo adnotentur ea omnia, quae pertinent ad Moniales?

5) An retineatur liber, in quo adnotentur ordinationes generales et partic. aliaeve Episcopi pontif. functiones?

6) An acta Ordinandorum distincte ac ordinate serventur et custodiantur?

7) An adsit Inventarium omnium scripturarum et processuum?

8) An supradicti libri retinendi habeant in frontispitio seu titulo subscriptionem et approbationem Episcopi vel Vicarii gener. et Cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti et a principio inscripti, prout illam continere deberent, ut illis major fides praestari possit?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad 1. t. post n. 267.

8) Capellarum.

Vd.: *Visit. Orator.*

In Visit. Capell. peragenda est inquirendum de:

1) Altaribus.
2) Imaginibus.
3) Clausura contra bestias.
4) Reparatione.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 66. (Ed. Venet. 1823.)

9) Capellarum in ecclesiis regularibus erectarum.

Vd.: *Visit. (Confrat.;* Eccles. regul.)

Non potest Episcopus visitare capellas et altaria laicorum seu confraternitatum laicalium in Ecclesiis Regularium erecta, ut resolvit s. Congr. Concilii apud *Fagnan.* in cap.: *Grave gerimus* n. 48. et expresse *Pignatell.* tom. 10. consult. 39. n. 9. Quamvis enim possit Episcopus visitare confraternitates laicales erectas in Ecclesiis Regularium in iis, quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, ut pluries respondit tum s. Congr. Ep. tum sacra Congr. Concil., tamen nullatenus visitare potest capellas et altaria in Regularium Ecclesiis per ipsas confraternitates laicales constructa, ut pluries declaravit dicta s. Congr.

In Spoletana Juris visitandi S. C. 30. Sept. 1730 respondit, quod Episcopus visitare potest capellam confraternitatis sanctissimae Conceptionis in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Montis Leonis ad formam decreti in Nucerina Pagnorum 25. Julii 1629.

In Ravennaten. Visitationis 7. Apr. 1731 ubi propositis tribus sequentibus dubiis:

I. „An Capella et altare s. Antonii sita in Ecclesia PP. Minorum de Observantia Ravennae subsit Visitationi Reverendissimi Archiepiscopi?"

II. „An ornamenta et suppellectilia ejusdem altaris et capellae spectantia ad eosdem Patres possint ab eo visitari?"

III. An ea spectantia ad societatem s. Antonii, quae in actu Visitationis servantur in arca aut in alio loco, visitari debeant in locis, in quibus asservantur seu potius asportanda sint intra capellam praefatam ibique visitari?"

S. Congr. Conc. die et anno quo supra respondit ad I: Affirmative ad formam Nucerinae. Ad II: Negative. Ad III: Posse visitari ubicumque serventur.

In Murana Visitationis 21. Junii 1732 S. C. C. ad 2. dub.: An Episcopus visitare possit altaria sanctissimi Rosarii et sancti Francisci existentis in Ecclesia PP. Minorum Conventualium oppidi s. Felicis in casu? respondit: Affirmative ad formam resolutionis in Nucerina Paganorum et amplius. Quam decreti in Nucerina Paganor. formam, quia fere semper secuta est sacra Congr. et signanter in Urbanien. Visitationis capellae 23. Sept. 1690 ut in lib. 40. decretor. p. 657., in Firmana jurisdictionis 4. Augusti 1714 ad 1. dub. in lib. 14. decretor. pag. 276. et pag. 303., in Spoletana juris visitandi 30. Sept. 1730 ut in libr. 80. decret. pag. 290. et in Ravennaten. Visitationis 7. Apr. 1731 ut in lib. 81. decr. pag. 244. et in d. Murana Visitationis 21. Jun. 1732, hic pro regula afferimus ad literam:

In Nucerina Paganorum 23. *Junii 1629* sacra Congr. Conc. „inhaerendo declarationibus alias factis, censuit: confraternitates laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse

necnon illarum capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes; in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae', onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent,“ ut in lib. 4. decretorum pag. 115.

10) Capellarum publicor. carcerum.

Montis Alti.

Carcer publicus Civitatis Montis Alti situs est sub apostolico Palatio, quod habitat Praeses Civitatis. In eodem carcere est capella, quam custodit et necessariis omnibus instruit sodalitium sanctissimi Sacramenti, quod proximum habet oratorium divo Nicolao dedicatum. Capellam carceris ab anno 1595 visitarunt semper Episcopi: at, qui nunc civitati praeest, reputans eamdem capellam ab episcopali visitatione exemptam esse, quod sita sit intra ambitum Palatii apostolici, obstitit anno 1753, ne illam Episcopus visitaret. Re ad hoc sacrum Tribunal delata a Promotore Fiscali auditoque, ut fieri solet, Episcopo, causa nunc proponitur et disputat Promotor juris dispositionem favere Episcopo, intra cujus dioeceseos fines sita est capella idque etsi de possessione episcopali non constaret, cap.: *Cum persona* §. *fin. de privileg. in 6.* Quid igitur, cum de possessione visitandi per fere duplicem centenariam constat? Teneri Praesidem vehementissimas exemptionis probationes edere, quae vincant juris dispositionem et vetustissimam possessionem, in qua sunt Episcopi: exemptionem capellae derivari non posse a personis, a quibus instruitur et custoditur, neque a loco sui situs, non a personis, quae, licet sint laicae quales sunt sodales sanctissimi Sacramenti, Tridentina lege visitationibus Episcoporum subjiciuntur: non a loco sui situs, nam, licet sit sub Palatio apostolico, non tamen Summi Pontifices expresse sibi reservarunt jurisdictionem in eo loco excludendo illam Episcoporum, sed generalem tantum ei tribuerunt exemptionem, quae non vetat Episcopis, ne visitationem expleant, ut ex textu in cap.: *ex parte* de privileg. in 6. tradunt *Gonzalez.* ibidem lit. B., *Fagnan.* ad eumdem tit. decretal. num. 8. et 9., *Pignatell.* consult. 114. n. 12. tom. 1., *Ferrar.* biblioth. canon. verbo: *Capella* num. 39. Atque hanc ipsissimam quaestionem inter Praesidem Fulgini et Episcopum hac ratione ab hoc sacro Tribunali secundum Episcopum definitam fuisse die 15. Decembris 1663 refert *Crispin.* in visitat. pastoral. par. 2. §. 37 sub n. 3. Haec atque alia Promotor. A Praeside nihil habuimus. Dubium est:

An Capella publicorum carcerum Civitatis Montis Alti posita subtus Palatium apostolicum Praesidis sit subjecta jurisdictioni et visitationi Episcopi ejusdem Civitatis in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 17. Sept. et 19. Nov. 1757; 28. Jan. 1758.

11) Capituli Canonicor. Cath.

a) Per Episcopum vel Episcopo impedito per Delegatum facienda.

Vd.: *Visitatio Episc.* (Episcopo impedito etc.) *Visitatio Vicarii capit. et gen.* (Jus, decr. de die 13. Sept. 1721); *Visitat. Eccles. Colleg.* (decr. *Calagurit.*); *Visitat. Epis.* (Subdeleg.)

Episcopo concurrente impedimento legitimo licere per Delegatum visi-

tare propriam Cathedralem et totum corpus Capituli, nedum in Temporalibus, verum etiam in Spiritualibus.

Standum esse circa impedimentum *soli Episcopi assertioni.*

Impedimentum esse continuum toto tempore a s. Concilio pro visitatione facienda praescripto durante non oportere sed remittendum esse Episcopi conscientiae.

S. C. C. die 29. Jan. 1701 *Portugallen.*

Episcopus Cassanensis per Delegatum visitans integram potest exigere procurationem.

Die 17. Maii et 14. Junii 1749.

Si Episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, in quo solent capitulares congregari et eorum actus expediri consueverunt, si id tamen commode fieri potest. Sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties persequi velit visitationem alicujus personae de capitulo; et si capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non potest extra locum solitum congregare: S. Congr. Concil. apud *Barbosam* in Summa apostolic. decis. collectan. 717. num. 9.

Visitatio personarum capitularium, quae juxta canonicas sanctiones, ut in decr.c. 4. sess. 6. de reform. dicitur facienda, intelligitur juxta dispositionem juris communis citra punitionem et privationem: S. Congr. Conc., de qua *Rota* decis. 328. part. 2. diversor. apud *Barbosam* in Summa verbo: Visitatio num. 9. Unde in visitatione generali Episcopus solus sine conjudicibus procedere potest contra canonicos eisque poenam imponere extraordinariam, quae magis morum emendationem quam correctionem respiciat. S. Congr. in Oriolen. 27. Martii 1632 in resp. ad 4. dub. apud *Barbosam* loc. cit. num. 11.

In Visit. Cap. Can. est inquirendum:

1. An officium divinum, Missae et horae canonicae in Ecclesia et choro statutis horis recitentur et caeterae functiones expleantur?

2. An cum veste talari et habitu canonicali devote, modeste, attente et cum silentio?

3. An punctatores fideliter officium exerceant et juramentum praestiterint?

4. An Capitulum determinata die convocetur, et a quo?

5. An resolutiones capitulares fiant per vota secreta et in libro fideliter registrentur per Capituli Secretarium?

6. An Officiales Capituli singulis annis per vota secreta eligantur et in fine anni suae administrationis rationem reddant et de ratione reddita in libris Capituli legitime appareat?

7. An adsit Archivium scripturarum, in quo inventarium bonorum omnium Capituli custodiatur una cum caeteris scripturis ad usum pertinentibus?

8. An adsint statuta Ecclesiae seu constitutiones Capituli et an sint ab Ordinariis vel a Sede apostolica approbatae?

9. An adsint distributiones quotidianae?

10. An adsint Praebendae theologalis et poenitentialis?

11. An Dignitates et Canonici sint ordine distincti?

12. An adsint Mansionarii et Beneficiati vel Capellani servitio chori addicti?

13. An in choro adsint psalteria, antiphonaria et caeteri libri necessarii?

14. An adsit tabella horaria?

15. An celebretur quotidie Missa conventualis pro Benefactoribus?

16. An Canonici inserviant per se ipsos vel per substitutum?

17. An Canonici sint promoti ad Ordines sacros eorum praebendis annexos?

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad t. 1. post n. 267.)

Ad dub.: An Episcopus Atrebatensis suam cathedralem Ecclesiam ejusque capitulum et personas visitare possit ad praescriptum dicti cap. 4. sess. 6. et extra visitationem capitularium causas criminales, cum adjunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere valeat ex decreto dicti concilii cap. 6. sess. 25., asserta concordia, exemptionis, privilegiis, sententiis, praescriptione vel consuetudine etiam immemorabili contraria non obstantibus et an in praemissis obstet Episcopo juramentum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis ac libertatibus Ecclesiae suae praestitum die 17. Maii 1623. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit: Episcopum Atrebatensem posse Ecclesiam suam cathedralem ejusque capitulum ac personas visitare et extra visitationem causas criminales capitularium una cum adjunctis; aliorum vero, qui nec dignitates obtinent nec sunt de capitulo, per seipsum cognoscere ac definire, non obstante asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, sententiis et praescriptionibus vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, eidemque Episcopo, quominus praedicta exequi possit, minime obstare juramentum ut proponitur praestitum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis atque libertatibus Ecclesiae suae.

Robertus Card. Ubaldinus.

Die 3. Novembris 1623.

(Anal. J. P. 1863 p. 1666.)

b) Per Vicarium capitul. facienda.

Vd.: *Visitatio Archidiaconi.*

c) Modus.

In Visit. Cap. Can. peragenda est inquirendum de:

1) Iis, quae ad Collegium communiter spectant?
2) Origine.
3) Numero Canonicorum.
4) Dignitatibus, quot et quae?
5) Habitu chorali.
6) Statutis.
7) Distinctione praebendarum.
8) Redditibus.
9) Distributionibus.
10) Servitio.
11) Cantu.
12) Punctationibus.
13) Theologali praebenda.
14) Poenitentiaria.
15) Doctoratu.
16) Officialibus Capituli.
17) Conventu Capitulari.
18) Sigillo.
19) Actis.
20) Oneribus.
21) Missis solemnibus.
22) Horis canonicis.
23) Chori disciplina.
24) Concionibus.
25) Anniversariis.
26) Missarum numero.
27) Officiis propriis.
28) Festis, Archivio.
29) Inventariis bonorum mobilium, immobilium.
30) Mansionariis seu Capellanis.
31) Habitu.
32) Mercedibus.
33) Consuetudinibus Ecclesiae.
34) Processionibus.
35) Ritu.
36) Magistro caeremoniarum.
37) Sacrista.

38) Clericis.
39) Musicis.
40) Organista.
41) Aleis.
42) Ratione reddituum reddenda.

A singulis exquirendam est ut de aliis Beneficiatis, et praeterea: an minor sit 22 annis vocatus ante Subdiaconatum, an receperit aliquid pro admissione novi Canonici.

Gavant. Merat. t. V. pag. 68. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: p. 875.

12) Clausurae Monialium.

Vd.: *Visit. Monial. claustror.*

13) Clericorum.

Vd.: *Visit.* (Presbyt.; Personae; Benefic.)

In visitatione Clericorum peragenda est inquirendum :

1. An habeat penes se Testamentum vetus et novum lat. vulgatae edit., Concilium Trid., Catechism., Rituale et Summam aliquam theolog. mor. et librum aliquem spiritualem?

2. An semper incedat cum veste clericali, rasura et tonsura decenti, missam audiat quotidie, ecclesiae, cui est adscriptus, saltem diebus festis inserviat, doctrinam christ. doceat, communionem frequent. et scholam. (*Conc. Trid.* S. 23. c. 11. 13 et 14. De Ref.)

3. An aleis aliisque ludis incumbat aut venationi, spectaculis et choreis intersit et in profanis comoediis fiat actor et an cum mulieribus cohabitet et quae sint?

4. An implicet se negotiis saecularibus mercaturam exercendo, praedia aut vectigalia laicorum conducendo aut Laicis pro factore seu magistro domus inserviendo?

5. An habeat superpelliceum et biretum mundum.

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

In Visit. Cleric. peragenda est inquirendum de :

1) Sedibus.
2) Legili.
3) Antiphonaria.
4) Breviariis.
5) Martyrologio.
6) Kalendario.
7) Pontificali.
8) Caeremoniali.
9) Directorio chori.
10) Libris processionum.

In visitatione cujuscumque Cleri de

1) Nomine.
2) Cognomine.
3) Patria.
4) Aetate.
5) Patrimonio.
6) Servitio Ecclesiae.
7) Ordine.
8) Habitu.
9) Tonsura.
10) Barba.
11) Annulo.
12) Capillis.
13) Calligis.
14) Collariis.
15) Negotiatione.
16) Venatione.
17) Armis.
18) Spectaculis.
29) Larvis.
20) Docendo puellas.
21) Servitio laicorum.
22) Si externus, dimissoriis literis.
23) Confessione frequenti.
24) Missa seu communione.
25) Cantu Gregoriano.
26) Musica.
27) Studiis literarum.
28) Habitatione.
29) Officio divino sive parvo Beatae Virginis.

Gavant. Merat. t. V. p. 66 et 69. (Ed. Venet. 1823.)

14) Coemeterii.

Vd.: *Visit. de Funeribus.*

15) Collegiorum regiorum.
(Non licet.)

Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sunt executores; habent jus visitandi Hospitalia, Collegia quaecumque et Confraternitat. Laicorum, etiam scholas, sive quocumque alio nomine vocant, non tamen, quae sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia.

Ex resol. S. C. C. die 21. Junii 1783. *Eugubina.*

16) Commendatarii.

Vd.: *Visitat. Episcopi* (Jus et Oblig. decr. diei 23. Jun. 1725); *Visitatio Eccles. par. et curat. Regul.* (decr. *Lycien.* die 23. Junii 1725.)

Dicebatur Concilium subjecisse commendatarios Ordinariis in Materia residentiae praesenti Decreto. Idemque cum de incompatibilitate agitur *sess. 7 cap. 4* aut de cura animarum sacramentali, quam ipsimet Commendatarii exercent, *sess. 25 cap. II. de Regul.*, extra istos casus Concilium nihil in specie decrevisse, a quo Commendatarii possint visitari et corrigi; considerandum autem esse, quod ea hodie opinio recepta sit, Commendatarios perpetuos pro veris titularibus haberi et jura de Abbatibus et Prioribus loquentia habere etiam locum in hisce Commendatariis probatur d. c.: *Nemo de elect.* in 6. *Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 9. §. 9., Rebuff. de nominat. quaest. 8. num. 29, et de pacific. poss. num. 96 et 43, Gomes. in form. resign.* quaest. 4. num. 2. et *de idon. quaest. 5.* num. 6. Consequens ergo videtur, ut quemadmodum Abbates a suis Superioribus regularibus visitari debent, etiam ipsi Commendatarii visitari possint. Quod si hoc omnino convenire aut decere videtur, rusus advertendum, an nullo expresso jure nullaque clara concessione apostolica ab his visitentur et quamquam se exemtos probarent, posse tamen ab Ordinariis judicari ratione rei, contractus aut delicti, ut sanxit constitutio Innoc. IV. cap. I. de *privileg.* in 6., quam Concilium innovavit atque etiam ampliavit in causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi certus Judex a sede apostolica in partibus deputatus esset et generaliter quoque in aliis causis, si certus Delegatus non adesset, ut dicitur *sess. 7 cap. 14.* Quoad materiam tamen visitationis visum est plerisque non posse commendatarios nomine commendae visitari neque corrigi nisi a delegatis sedis apostolicae, sed quia aliqui Ordinarii hanc facultatem sibi competere credunt et ob id urgent aliquos commendatarios, Sanctitas Sua jussit, ut audiantur commendatarii, quibusnam rationibus se ab hac visitatione tueantur, ideo eis auditis amplius erit deliberandum.

Item dubitatum fuit: an commendatarii eorum monasteriorum, quae habent conventum a suis Superioribus regularibus visitatum, ab Ordinariis locorum visitari et corrigi possint? Ad hoc autem respondetur, quod licet Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. II.* de commendatariis non meminerit in illa commemoratione personarum, quae ab Ordinariis visitari debent, non obstantibus quibuscumque privilegiis eis concessis, Congregatio çensuit, si nullius dioecesis sint, ad Episcopos nullum jus pertinere sed ad Sedem

Apostosicam, si vero in certa Dioecesi sunt, quoad residentiam subjacere Episcopo ordinario loci, *per cap. II. sess. sextae,* et eidem quoad incompatibilia. *Sess. 7. cap. 14.* Et ponderando quod caput 14. loquitur de commendatis, cap. 5. dat Jurisdictionem Episcopis. Quod vero spectat ad visitationem et correctionem, Congregatio censuit eos non posse ratione commendae visitari aut corrigi, nisi a summo Pontifice aut ejus delegato, licet Alciatus, qui adversabatur, diceret: ***visitator est Delegatus.*** Ratione autem delicti, rei, contractus ad jus commune se remiserunt prout Concilium se remiserit, illudque ampliavit, ut sup. cap. 14. sess 7, quod est notandum, cum Concilium per d. caput innovaverit cap. 1. *de privil.* in 6., quod incipit: *Volentes.*

Declar. S. C. C. Interpr. ad verba S. 6. c. II.: *In titulum et commendam etc.* (Ed. Gallemart. 1781. p. 82.)

Triventina.

(Conc. Tr. C. 8. 9. Sess. 22. de ref.)

Invalescit jurisdictionalis controversia inter Episcopum Triventinum et Commendatarium Ecclesiae s. Thomae de Aquila ordinis s. Joannis Hierosolymitani ea propter, quod praelibatus Episcopus jus sibi asserat perlustrandi in sancta Visitatione parochialem Ecclesiam s. Nicolai in castro Sangri, assertam jam d. commendae granciam seu membrum, nedum in iis, quae animarum curam Sacramentorumque accuratam administrationem concernunt verum quidem in spectantibus ad oeconomicam bonorum administrationem. Siquidem eques commendatarius privilegia et exemptiones exagerat, quibus Hierosolymitana religio praemunita asseritur, ne Ordinarii ejus Ecclesias et membra ineant nisi in his, quae ad curam animarum spectant; at contra insurgit Episcopus contendens, in possessione exigendi rationes hujusmodi administrationis longo temporis decursu confirmata perturbari modo non posse tum quia nullibi constare asserit, quod praememorata parochialis Ecclesia religioni Hierosolymitanae subsit tum quoque cum Episcopi ex jure saltem delegato cogere possint administros quorumcunque locorum piorum super recta reddituum dispensatione, ac tandem procul dubio, ex quo redditus, quorum ratio exigere contendit, nequaquam pertinent ad mensam jam d. commendae, quinimmo a saecularibus administrantur, ut satis liquere asserit ex documentis, quae in Summario recensentur. Hinc ex utrimque uberius adducendis EE. VV. erit, qua pollent sapientia, decernere: *An Episcopo Triventino in actu Visitationis vel extra liceat revidere rationes et respective exigere redditionem computorum a Procuratoribus seu Administratoribus oeconomicis reddituum Ecclesiae parochialis s. Nicolai Castri de Sangro in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Affirmative exceptis bonis spectantibus ad commendam.

Die 9. Sept. 1713.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. de ref.)

Contendit Reverendissimus Episcopus Asculanus se visitare posse Ecclesiam sancti Joannis ad Templum, quae est commenda sacrae Religionis Hierosolymitanae, non solum quia sui in Episcopatu praedecessores eam visitarunt, sed etiam quia Concilium Tridentinum *sess. 7. de Reform. cap. 8.* decernit, quod locorum ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate ordinaria singulis annis visitare teneantur, et *sess. 21 cap. 8. de Reform.* statuit quod commendata Monasteria, Abbatiae, Prio-

ratus et Praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, necnon Beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, tamquam apostolicae sedis delegatis annis singulis visitentur.

Absque eo, quod suffragari valeant Equiti commendatario privilegia religionis exemptiva a jurisdictione ordinariorum innovata post Concilium Tridentinum a s. Pio V. *Constitut. 67. et Constit. 136. Bull. tomo 2.*, quandoquidem literae hae apostolicae s. Pii V. redactae dicuntur ad terminos s. Concilii Tridentini a Summo Pontifice Gregorio XIII. in sua *const. 67.* citato tom. 2. Bullarii.

Adversus autem fundamenta huc — usque deducta facere posse videtur resolutio hujus sacrae Congregationis in Mantuana juris visitandi 17. Jun. 1690. lib. 40. Decret., in qua dictum fuit: Episcopum non posse visitare Ecclesiam non parochialem spectantem ad commendam s. Joannis Hierosolymitani, etiam si pluries fuisset a praedecessoribus Episcopis visitata.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam s. Joannis ad Templum in casu?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 4. Feb. 1719.

Commendatarii quamvis possint visitare Monasteria sibi commendata in iis, quae pertinent ad curam animarum et administrationem Sacramentorum, ut censuit Sacra Congregat. Episcop. in *Senogallien seu Nullius,* 6. Aug. 1601 et in *una Cisterciensium* 17. Sept. ejusdem anni, non possunt tamen ea visitare quoad disciplinam regularem, ut respondit eadem sac. Cong. Episc. 2. Aug. 1647. apud *Nicolium* in Flosculis verbo.: Visitatio ordinaria sub n. 4, et aperte habetur ex Concilio Trid. sess. 20. de regularibus cap. 20. ac expresse statutum est ab Innoc. X. Constitut. 62. inc.: *Pastoralis,* et ab Alexandro VII. Constitut. 6. incip.: *Exponi,* ubi declaratum est, quod obtinentes Monasteria in Commendam, etiamsi fuerint S R. C. Cardinales, nullam in Monasteriis sibi commendatis quoad eorum Monachos jurisdictionem exercere possint; ibi §. 2. „Tenore praesentium declaramus, decernimus ac statuimus non licere commendatariis Priores, Sub-Priores aut Officiales claustrales instituere ac destituere, visitare Monachos eosdemque corrigere nec facultates eisdem in literis apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea, quae Institutum regulare concernunt ac tenore praedictorum privilegiorum et sacri Concilii dispositione monastico regimini relinquuntur, trahi posse ac debere.“

Et similia etiam habentur in Const. 32. ejusdem Alexandri VII. incip.: *Sacrosancti,* edita favore Monasteriorum Camaldulensium.

Advertendum est, quod in Guardien. exortis pluribus controversiis circa jurisdictionem, quam Episcopus Guardiensis asserebat sibi competere in Oppido Aquaevivae ad commendam s. Primiani religionis Hierosolymitanae, proposita ei resoluta fuerunt pluria dubia, ut sequitur:

I. An Episcopus Guardien. in Visitatione Ecclesiae s. Joannis Oppidi Aquaevivae possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et Sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum et defunctorum?

II. An dictus Episcopus uti Sedis Apostolicae delegatus corrigere possit

parochum aliosque dictae Ecclesiae ministros tam in actu visitationis quam extra?

III. An possit ut supra inquirere contra dictos parochum et presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum et Sacramentorum administrationem sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus et in omnibus circa morum correctionem civilibus et mixtis? et quatenus affirmative,

IV. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam commendatarium quam Ministros?

V. An possit mandare in actu visitationis, ut calices et decentia paramenta ad decorem administrationis provideantur?

VI. An cognitio satus liberi eorum, qui Matrimonia contrahunt in dicto oppido, et literas eis dare spectet ad Episcopum?

VII. An facere testamentum vulgo dictum (dell' Anime) juxta solitum Dioecesis spectet ad Episcopum?

VIII. An Episcopus tam in actu visitationis quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium et ministros dicti Oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus v. g. usuris, concubinatibus, percussionibus clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et tali casu censuris ecclesiasticis uti?

IX. An tueri immunitatem in dicto Oppido spectet ad dictum Episcopum, etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut eos valeat declarare excommunicatos?

X. An sit manutenendus Episcopus in quasipossessione decernendi Monitoria in dicto Oppido pro deperditis?

XI. An spectet ad Episcopum praestare consensum alienationi bonorum dictae Ecclesiae vel alterius Loci pii juxta terminos cap. *Terrulas 12. q. 2.*

XII. An possit destinare concionatorem in dicto Oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum Dioecesis?

XIII. An spectet ad Episcopum praestare licentiam concionandi in dicto Oppido?

XIV. An parochus dicti Oppidi sese absentare possit a parochia ultra terminum a sacro Concilio praefixum sine licentia Episcopi?

XV. An d. Parochus et caeteri presbyteri servientes Ecclesiae teneantur accedere ad Synodum dioecesanam Episcopi?

A S. C. die 5. Sept. 1693. responsum fuit: *Manutenendum esse Episcopum in omnibus.*

Postmodum vero cum ad instantiam commendatarii, qui novae audientiae beneficium impetraverat in iis quae respiciebant jurisdictionem indepententem a delegata circa curam animarum, die 15. Jan. 1695 discussa fuerint alia, quae sequuntur, dubia videlicet:

I. An Episcopus Guardien. possit inquirere contra parochum Ecclesiae oppidi Aquaevivae non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem sed etiam aliis causis civilibus et mixtis? Et quatenus affirmative,

II. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam commendatarium quam ministros?

III. An Episcopus tam in actu visitationis quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium et mimistros dicti oppidi pro delictis ad curam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussione clericorum, inobservantia dierum fes-

torum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et in tali casu censuris eccles. uti?

IV. An tueri immunitatem ecclesiasticam in dicto oppido spectet ad Episcopum etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut valeat eos declarare excommunicatos?

V. An sit manutenendus in possessione decernendi monitoria pro deperditis in dicto oppido?

V. An ad ipsum spectet praestare consensum alienationi bonorum dictae ecclesiae vel alterius loci pii juxta terminos cap.: *Terrulas* 12. q. 2.

VII. An possit destinare concionatorem in d. oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum dioecesis?

VIII. An praestare licentiam concionandi in eodem oppido?

IX. An dare licentiam parocho abessendi?

X. An dictus parochus et caeteri presbyteri inservientes ecclesiae teneantur accedere ad Synodum dioeces. Episcopi?

XI. An literae remissoriales et compulsoriales favore commendatarii sint concedendae?

Rescriptum fuit

ad I: In Decisis.

ad II: Affirmative.

adIII: Affirm. exceptis commendatario et aliis ministris habentibus tria requisita.

ad IV et V: Affirmat.

ad VI: Affirm. praeterquam quoad bona religionis.

ad VII: Affirm. et quoad coactionem ad solvendum servetur solitum.

ad X: In Decisis quoad parochos et beneficiatos, quo vero ad alios dilata et ad mentem.

ad XI: Negative quoad remissoriales et affirm. quoad compulsoriales.

Praeterea cum disceptatum fuerit: An oeconomo ecclesiae parochialis s. Mariae Esther commendae s. Joannis Hierosol. oppido Aquaevivae Collis de cruce liceat conjungere in matrimonium parochianos dictae ecclesiae absque probatione status liberi facienda coram Episcopo Guardiensi et sine illius licentia?

S. C. resp.: Negative.

Die 21. Apr. 1710.

Postremo discussis quatuor hisce dubiis:

1) An Episcopus Guardiensis possit exigere subsidium caritativum ab ecclesia s. Joannis Aquaevivae?

2) An Episcopus possit exigere cathedraticum seu synodaticum a dicta ecclesia ejusque parocho?

3) An Episcopus in actu visitationis facienda in dicta ecclesia possit exigere procurationem?

4) An Episcopus in eadem visitatione possit recognoscere libros administrationis bonorum ejusdem ecclesiae ejusque rationem petere?

S. C. resp. ad 1, 2 et 3: Negative.

ad 4: Affirmative jure delegato.

Die 14. Nov. 1733.

Verum quia tam adversus postremam hanc resolutionem hodiernus Episcopus, quam contra praecedentes sibi contrarias Eques Ant. Cedronius dictae commendae possessor novae audientiae beneficium impetrarunt, idcirco ad extinguendas contentiones, quae inter eundem Episcopum et commendatarium dicti oppidi Aquaevivae in dies oriebantur, proposito sequenti dubio:

An, quae et super quibus Episcopo Guardiensi competat jurisdictio in commenda, seu oppido Vallisvivae,

Collis crucis et paroch. ecclesiae s. Mariae Esther, ita ut sit standum vel recedendum a decisis sub die 5. Sept. 1693, 15. Jan. 1695, 21. Apr. 1710 et 14. Nov. 1733?

S. C. resp.: Praevio recessu a decisis de die 14. Nov. 1733. In reliquis in decisis.

Die 14. Mai 1736.

Unde recessit eadem S. C. a Decisis in Guardien.

Die 4. Nov. 1735.

17) Confessionalium.

In Visit. confess. peragenda est inquirendum de:

1) Sede in publico.
2) Laminis foratis.
3) Velo spisso.
4) Imagine pia.
5) Bulla Coenae.

6) Casibus Episcopo reservatis ibidem affixis.

7) An claudi queat ipsa sedes, ne laici sedeant?

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visitatio de Poenitent:*

18) De Confirmatione.

In Visit. de conf. peragenda est inquirendum:

1. An in Officio Patrini admittantur non confirmati vel ignorantes rudimenta fidei, an Regulares, an in ordinibus s. constituti?

2. Ad admittantur ad recipiendum hoc sacramentum minores septennio, qui non fuerint instructi ac adulti non confessi?

3. An, qui fuerunt Patrini in Baptismo, admittantur et fiant patrini ejusdem pueri in Sacramento Confirmationis?

4. An pueri vel puellae ducantur ad recipiendum hoc Sacramentum extra Dioecesim?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

19) Confraternit.

Vd.: *Visit. Hospital.; eccles. Confrat.*

In Visit. Confr. peragenda est inquirendum:

1) Inspiciantur libri rationum.
2) Expensis.
3) Locationibus.
4) Contractibus.
5) Commessationibus.
6) An Officiales sint debitores?
7) Qui alii debeant?
8) Legatis nondum solutis.
9) Superfluis sumptibus.
10) Juramento Officialium.
11) Salario ministrorum.
12) Quaestoribus.
13) An cum campanula seu tabella?
14) An artificio precum indecoro?
15) Conventione cum quaestuariis.

Eadem observantur in Montibus pietatis, praesertim ut usurae suspicio arceatur.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 69. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visit.* (capellar.; eccles. regul.)

In Visit. Confrat. est inquirendum:

1) An sint legitimae erectae auctoritate apost. vel ordinaria et habeant statuta approbata?

2) An bona et eleemosynae fideliter administrentur et officiales a plena confratrum congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, computa revideantur et solidentur?

3) An habeant inventarium omnium et singulorum bonorum, capellanum et depositarium ab Episcopo approbatos?

4) An retineant libros distinctos, in quorum primo resolutiones societatis legitime congregatae registrentur; in secundo nomina et cognomina confratrum; in tertio revisiones computorum et sententiae absolutoriae seu commendatoriae administratorum et aliorum officialium societatis necnon decreta visitationum.

5) Au habeant archivium scripturarum?

6) An sint aggregatae archiconfraternitatibus Urbis vel habeant alia indulta et privilegia?

7) An confratres debitores societatis bona et introitus ejusdem administrent?

8) An bona stabilia societatis locentur absque praevio edicto et ultra triennium?

9) An intersint processionibus publicis?

(*Monacell.* t. I. in append. in fine, et t. IV. suppl. ad 1. t. post n. 207.)

20) Convisitatores.

Vd.: *Visitatio Episcopi* (comitatus; modus num. 12.)

21) Decani ruralis.

Vd.: *Visit. Vicarii foranei.*

22) Decretorum Episcopi visitantis auctoritas.

Vd.: *Visitatio Eccles. par. et cur. regul.* (decr. *Lycien* diei 23. Juni 1725): *Visitat. Episcopi* (Jus et Oblig., decr. *Pacen.* diei 15. Jan. 1729. decreta etc.)

23) Decretum Visit. vim legis habet.

Decretum utpote editum in s. Visiatione vim legis habere censent *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. gloss. 9. § 1. num. 18., *Massubr.* de Synod. cap. 4. num. 41.

(Ex resol. S. C. C. diei 21. Junii 1788. *Asculana.*)

Ad dub.: Num aestimari debeat decretum visitationis, quod usu ab initio receptum non demonstratur longeque ultra quadragenariam neglectum apparet? Pro negativa est sententia *Fagnan.* in lib. decretal. cap. *Treugas* num. 69. de Treug. et Pac.

(Ibid.)

Decretum in visitatione latum maximi faciendum esse dixit Rot. in Rex. decis. 90. num. 16. et coram Emer. sen. decis. 105. num. 1.

Die 21. Apr. 1787 *Aquipendien.*

Episcopus visitando Ecclesias curatas exemptas vel Regularibus subjectas potest facere decreta in iis, quae concernunt rectam administrationem et custodiam Sacramentorum, et quatenus decreta discrepant ab illis, quae fecerunt Superiores exempti seu Regulares, debent ordinationes Episcopi praevalere et observari. S. Congr. Concil. in Veronen. 10. Julii 1628 in Mediolanen. 12. Novembris 1689 et Congregatio particularis deputata ab Alexandro VIII. in causa Hispalen. 30. Jan. 1694 in respons. ad 6. et relata in Congr. generali 18. Augusti 1696.

Visitatio pastoralis et executio decretorum in ea editorum Episcopis omnibus inculcatur. Benedictus XIV. tom. 1. constitut. 2. Incip.: *Ubi primum* § 6. et constit. 140. incip.: *Gravissimum* § 18.

Tuentur sane Canonici decretum Archiepiscopi ex antiquissimo altero Visitatoris apostolici, cujus maxima est auctoritas, quasi ab ipso Pontifice delegante prodiisset, *per text. in leg. disputare Cod. de crimin. sacrileg.*

(Ex resol. S. C. C. diei 13. Junii 1795 *Firmana.*)

Pluries in sacris Visitationibus quotidianum Missae couventualis applicationem pro Benefactoribus in genere mandarunt Episcopi, licet non semper

hujusmodi mandatis Canonici paruerint contra notissimas Ecclesiae leges jubentes, ne interposita quidem appellatione suspendi posse executionem decretorum, quae ab Episcopis in s. Visitatione fuerint edita. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 10. de ref.*; *Ben. XIV. Const.: Ad Militantis.*

(Ex res. S. C. C. diei 19. Apr. 1823 *Camerinen.*)

Visitator si juris non adhibeat solemnitates, nullius roboris evadere ejus decreta, *Card. de Luca in annot. ad Concil. Trid. disc. 5. n. 5., Ursaya discept. eccles. 2. part. 11. n. 49., Rota cor. Molin. tom. 1. dec. 284. num. 4.*

(Ex res. S. C. C. diei 14. Maii 1825. *Nullius Foropompilii.*)

Decreta in s. Visitatione edita vim legis obtinere censentur, *Gonzal.* ad Reg. 8. cancell. gloss. 9. §: 1. num. 18., *Masubr.* de Synod. cap. 4. n. 4., S. Congr. in Asculana 21. Junii 1788. §. Res.

(Ex res. S. C. C. diei 14. Apr. 1832. *Nullius Foropompilii.*)

Quae enim decreta per Visitatorem apostolicum feruntur, ea, oportet, omnimodam nanciscantur observantiam, perinde ac si ab ipso Pontifice delegante prodiissent ceu probat *text. in leg. disputare cod. de crimin. sacrileg.* et perpendit s. Congr. in Firmana 13. Junii 1795 §: Tuentur.

(Ex res. S. C. C. diei 14. Apr. 1831 *Reatina.*)

Visitatoris apostolici decreta omnimodam nancisci debent executionem, perinde ac si ab ipso Pontifice delegante prodiissent, *ex text. in leg. disputare cod. de crimin. Sacrileg.*, s. Congr. in Firmana 13. Junii 1795 §. Tuentur.

(Ex res. S. C. C. diei 14. Aprilis 1832. *Nullius Foropompilii.*)

24) Decretor. forma

Vd.: *Visit.* (finis.)

a) In fine Visitationis locorum.

Nos NN. Ecclesiarum S. M. Visitantes mandamus, ut infra:

Quod Tabernaculum SS. Eucharistiae vestiatur intus serico panno. Quod etc.

Supradicta fiant intra spatium mensium duorum vel sex etc. sub poena etc.

Ita pronunciamus et declaramus Nos NN. Dat. die etc. Gratis etiam quoad scripturam. N. Notarius.

b) Forma decretorum in fine Visitationis personarum.

Nos N. N. visitato choro loci N. decrevimus ut infra:

Quod N. N. ob ejus notabilem ignorantiam abstineat ab altaris sacrificio, donec instruatur.

Quod N. N. qui duo habet beneficia sub eodem tecto in Ecclesia S. N. infra duos menses peremptorie a die publicationis hujus decreti debeat obtinuisse dispensationem a s. Sede apostolica et praesentasse in Curia episcopali, alias, elapso dicto termino, possint dicta beneficia aliis conferri: et sic de aliis: subscribat Visitator et Notarius, qui adhibitis duobus testibus unicuique praedictorum ad se vocato evulget, vel, si sit absens, ad valvas Ecclesiae decretum affigat.

Idem fiat cum debitoribus locorum piorum et administratoribus non absolutis.

c) Forma profanandi altaria et Ecclesiam ex actis eccles. Mediolanen. Concilii IV. Prov.

Primo, si quae sacrae reliquiae ibi sunt diligenter reconditae, transferuntur, quo voluerit Episcopus, vocata clero vicino et populo, si corpora sunt aut insignes reliquiae.

Sacrae item imagines eo transferantur. Tum aliquantisper genibus flexis ante altare profanandum tacite orans Visitator seu Rector Ecclesiae orationem de Sancto dicit alta voce, cujus nomini altare dicatum est; tum ab omni parte illud detegat, lapidem consecratum evellat sine fractione, tum manibus suis lavet atque abstergat aqua in sacrarium fusa: demum ab operariis reliqua pars altaris amovetur. Si plura altaria sint profananda, *idem fiat ad singula.*

Altaribus amotis fidelium ossa exhumentur unoque loco collecta reponantur, praesente Rectore, qui tacite orans ante altare majus, deinde cum clero et populo vicino procedente, jubet ea ad locum efferri destinatum, cum psalmis et precibus pro Defunctis ubi, si licet, celebretur missa pro iisdem.

Denique diruatur ab operariis et crucis insigne ibi figatur, ex Trid. Sess. 21. cap. 7. *Idem fiat caemeteriis profanandis.*

d) Formulae nonnullae criminales, quae in Visitatione frequentius accidunt.

I. Contra non residentem aut non deferentem habitum clericalem.

Mandato multum R. R. D. N. N. Visitatoris etc. citentur ad valvas Ecclesiae N. per quemlibet nuntium N. N. Filius N. ejusdem Ecclesiae curatus, ab ea absens ultra annum etc., vel in habitu non incedens clericali, quatenus die ... non compareat coram reverend. D. Vicario generali loco solitae audientiae ad videndum se privatum declarari beneficio et fructibus etc. et circa haec opportuna fieri etc., aliter etc. Datum N. die etc.

Visitator.

Die etc. detulit mihi Notario Visitationis N. Nuncius publicus medio ejus juramento praesentaliter etc. se affixisse et affixam reliquisse citationem suprascriptam in valvis etc.

N. Not. Visitat.

II. Contra concubinarios seu inconfessos etc.

Devenit ad notitiam R. D. Visitatoris, qualiter N. N. ab anno citra (ultra) stetit et stat de praesenti in concubinatu publico cum N. etc. in scandalum, etc. propterea, etc. ordine praefati D. Visitatoris, vocati praedicti et summarie examinati, dixerunt etc.

Vel citantur omnes infrascripti coram R. D. Visitatore in aedibus parochialibus etc., ubi elegit etc. pro die crastina, hora .... ad docendum se confessos esse peccata sua et in Paschate proxime praeterito sumpsisse etc., alioquin citantur coram Vicario generali pro die ... juridica etc. ad videndum se interdici etc. et alia fieri etc. Dat.... die etc.

Citandorum nomina sunt haec:
N. N.

Si fateantur coram Visitatore, prohibeat concubinarios sub poena centum aureorum etc., excommunicationis in subsidium etc.

Si acceptent mandatum, jubeat praestare fidejussionem, etc.

Contra Absentes fiat ut supra, assignatis terminis tribus, et affixo mandato ad valvas Ecclesiae.

III. Contra eos, qui negligunt executiones ordinationum.

Mandato R. D. Visitatoris moneatur Venerab. Presb. N. Rector N. quatenus termino trium dierum, quorum primus pro prima monitione, etc. post harum praesentationem poena suspensionis ipso jure incurrenda, solvisse debeat in manibus N. scuta ... pro executione ordinationum in visitatione dictae Ecclesiae factarum, quas adimplere neglexit. Datum etc.

IV. Contra debitores locorum piorum. Mandato, etc. ut supra mutatis mutandis forma sequestri pro executione ordinationum.

Mandato etc. praecipitur infrascriptis debitoribus, etc. bonorum spectantium ad Eccles., quatenus penes se in sequestrum teneant, etc. omne et totum id quod etc., neque partem aliquam eorum alicui relaxent absque expressa licentia R. D. V. et haec pro executione ordinationum factarum faciendarumque et omnia haec sub poena iterum de proprio solvendi et scutorum 50 locis piis etc. et excomm. in subsidium etc. Dat. etc.

V. Forma relaxationis sequestri.

Mandato etc. praecipitur infrascriptis nominatis colonis etc. R. N. debitoribus, penes quos omnes singuli fructus, ficta et pecunia spectantia ad D. R. N. ratione beneficii etc. sequestrata fuerunt de mandato ejusdem R. D. V. die ... mense ... anno ... quatenus statim habito praesenti praecepto et sine aliqua exceptione relaxent omnia penes eos sequestrata etc. attenta cautione et promissione per D. R. N. praestita de stando jure etc. et de exequendis ord. etc. haec sub poena cuilibet contrafacienti scutorum 100 locis piis etc. necnon excommunicat. in subsidium.

Dat. etc. quorum praecipiendorum nomina sunt: haec N. N.

Gavant. Merat. tom. V. p. 76—78. (Ed. Venet. 1823.)

25) Per Delegatum.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Delegatus, Subdeleg.); *Visit. Capituli cath.*

26) Dignitatis exemptae.

Visitare potest Episcopus Dignitatem exemptam in concernentibus curam animarum illi annexam. S. Congreg. Concil. in Burgen. 18. Aug. 1628 apud *Barbosam* summa apost. decis. verb.: *Visitare,* quando et quae Episcopus valeat num. 14.

27) Dioecesium Suffraganeorum.

Metropolitani olim post plene visitatam propriam dioecesim poterant etiam visitare dioeceses suorum suffraganeorum, sed hodie hoc amplius non possunt, nisi ex causa cognita et probata in concilio provinciali vel a sacra Congregatione: Concil. Tridentin. cit. sess. 24. cap. 3., Sacra Congregatio Episcop. in Cajacen. et Theanen. 22. Aprilis 1603 apud *Nicol.* in Floscul. verb.: Visitatio ordinaria n. 2.

Visitatio Ecclesiarum Cathedralium et Dioecesium Episcoporum a Metropolitano fieri non permittitur nisi de mandato Conc. provinc.: *Bened. XIV.* constitut. 98. incip.: *Inter plures* §. 18.

28) Doctrinae christianae.

Vd.: *Visit. Poch.*

In Visit. doct. chr. est inquirendum:

1) An in Cathedrali aliisve Ecclesiis paroch. reperiantur erectae sodalitates doctr. christ.?

2) An adsint peccatores publici, puta Concubinarii, Sortilegi, Usurarii, Blasphemi, Lamiae, Conjuges separati absque licentia, Evulgantes erroneas et falsas propositiones ac damnatas ab Ecclesia doctrinas?

3) Confessarii tam saecular. quam regul. absolventes a reservatis absque Episcopi expressa facultate, haeretici aut de haeresi suspecti?

4) An in Ecclesiis paroch. et aliis, in quibus sodalitates sunt erectae, edoceantur pueri et puellae in his, quae pertinent ad mysteria fidei et bonos mores?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

29) Ecclesiae Colleg. per Vicar. cap.

Vd.: *Visitatio Episcopi* (Jus et Oblig., decr. *Pacen.* diei 15. Jan. 1729.) *Visit. Archidiac.*

Calaguritana.

(Conc. Tr.C. 4. S. 6. de Refor.)

Ecclesia Collegiata s. Mariae della Redonda Oppidi Lucrony, Civitas nuncupati, alias subjecta jurisdictioni Episcopi Calaguritani ac etiam Capituli Cathedralis, de tempore tamen sedis vacantis, obtinuit de anno 1727 a san. mem. Benedicto XIII. annuente eodem Episcopo ac praevio voto hujus sacrae Congregationis indultum insignitatis cum omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus aliae Collegiatae insignes regnorum Hispaniarum de jure, usu, consuetudine, privilegio (non tamen particulari) aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, necnon quod eadem Ecclesia illiusque Decanus, Dignitates, Canonici, Beneficiati et Capellani, visitari deberent juxta dispositionem Concilii Tridentini sess. 6. cap. 4. de reform. visitatione nempe particulari per pro tempore existen. Episcopum Calaguritanum, prout Episcopi per se ipsos Ecclesias cathedrales et collegiatas visitare tenentur et debent ad formam praedicti Concilii Tridentini. In vim hujusmodi insignitatis cum se jactaverint capitulum et Canonici praefatae Collegiatae, quod non possent nec deberent ipsi eorumque Ecclesia visitari per Capitulum Calaguritanum aut ejus Vicarium capitularem, sede episcopali vacante, idem Capitum Cathedralis habuit recursum ad Auditorem Sanctissimi pro aperitione Oris adversus praefatum Breve insignitatis tanquam subreptitie obtentum et sibi summopere praejudiciale; remissa tamen causa huic sacrae Congregationi cum clausula: *de aperitione Oris ejus arbitrio, firmo interim remanente Breve quoad insignitatem*, proponuntur infrascripta duo dubia ad instantiam ejusdem Capituli Calaguritani praetendentis dandam esse aperitionem Oris ex capite subreptionis Brevis necnon praejudicii ei provenien., vel declarandum, quod non obstante dicto indulto insignitatis eidem Capitulo vel ejus Vicario sede vacante competat jus visitandi Ecclesiam Collegiatam illiusque Dignitates et Presbyteros ex rationibus late adductis in scripturis ejus nomine circumferendis.

Quoad jus visitandi competens Vicario capitulari sede vacante sacra Congregatio in Ostunen. 28. Julii 1708 ad dubium propositum: *an et quando Vicarius capitularis posset visitare?* respons. dedit: *Affirmative post lapsum anni* — ut lib. 53. Decret. fol. 266. *Et magis in specie de visitatione Civitatis ac Capitularium Ecclesiae Cathedralis, quae nonnisi per ipsum Episcopum visitari debeat ex Concilio in dicto cap. 4. sess. 6. de reform.* resolutum fuit in Salernitana.. Octobris 1589 lib. 6. fol. 81. tergo, ubi resolutum fuit: *Posse Vicarium capitularem visitare Ecclesiam Salernitanam et Dioecesim*; et clarius in dubio visitationis 13. Sept. 1721, ubi quaesito:

I. An Vicarius capitularis Scordonen. facere possit visitationem Civitatis et dioecesis? II. An facere possit visitationem personalem Capitularium in casu? rescriptum fuit ad primum et secundum: *Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimae visitationis peractae ab Ordinario.* Ut lib. decret. 71. fol. 397. terg. et 398.

Jura Capituli Collegiatae non adhuc sunt deducta. Dignabuntur itaque EE. PP. definire:

1. An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc.? et quatenus negative;

2. An Capitulo Cathedralis Ecclesiae Calaguritanae sede vacante ejusque Vicario capitulari competat jus visitandi Ecclesiam s. Mariae della Redonda ejusque Dignitates et Presbyteros in casu etc.?

S. C. resp.

Ad primum: Negative.

Ad secundum: Affirmative et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

30) Ecclesiae Confraternitatis.

(Conc. Tr. S. 7. C. 7. De ref.)

Ad dub.: An Episcopo competat jurisdictio cum jure visitandi capellam societatis alicujus?

S. C. C. resp.: Affirmative ad formam decreti in Nucerina Paganor. 23. Julii 1629.

Die 30. Sept. 1730. *Spolet.*

Decretum Nucer. Pagan.

„S. C. inhaerendo declarationibus alias factis censuit confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium exempt. institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse, necnon illarum capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinor. officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem confratrum relationem habent.“

Idem decretum fuit die 23. Sept. 1690 *Urbanien.*; 4. Aug. 1714 *Firmana*; 7. Apr. 1731 *Ravennat.* Episcopum jus visitandi habere confraternitates laicorum erectas in Ecclesiis regul. exemptis ejusque jurisdictioni illas subesse; censuras quoque Episcopum jure suo ferre posse in monachos impedientes visitationem.

Die 21. Junii 1732. *Murana.*

Ad dub.: An possit Episcopus seu Vicar. gener. visitare altare Confraternitatis ss. Rosarii existens in Ecclesia conventus PP. s. Dominici?

S. C. C. resp.: Dentur decreta.

Die 16. et 30. Mart. 1715.

Ad dub.: An liceat Episcopo Sutrino visitare Hospitale et Oratorium Disciplinatorum Roncilionis?

S. C. C. resp.: Affirmative jure ordinario.

Die 7. Dec. 1715 ad 1 et 2. *Sutrina.*

Ad dub.: An confraternitates laicales erectae in altaribus Ecclesiarum paroch. Abbatiae s. Laurentii in Dogliolo subjaceant visitationi, directioni et jurisdictioni Episcopi?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 21. Jan. et 4. Febr. 1719.

Firmana.

(Conc. Tr. C. 8. 9. S. 21. De ref.)

Jam pridem laicalis confraternitas sub invocatione sanctissimi Rosarii erecta in conventu parvo minorum conventualium s. Francisci oppidi s. Elpidii praetensionem excitare coepit super exemptione ab ordinaria jurisdictione potissimum quoad liberam absolutamque proventuum ac piorum legatorum administrationem. Hinc instaurato judicio in tribunali A. C. super executione et observatione constitutionis 86. s. Pii V. incip. „*Consueverunt*“ §. 5., in quo sancitur hujusmodi confraternitates licite et libere

posse in pios earum usus convertere oblationes et legata quaecunque etiam ordinarii loci licentia desuper minime petita, jam dicta confraternitas sententiam favorabilem reportavit, unica eadem parte informante. His excitatus promotor fiscalis curiae archiepiscopalis Firmanae recursum suppliciter habuit ad R. P. Auditorem SS. D. N, qui causam ejusmodi ad s. EE. PP. consessum rejecit. Impraesentiarum itaque promotor ipse fiscalis inixe contendit, quod praememorata societas nullatenus constabilire possit praetensam exemptionem et libertatem, potissimum quoad visitationem et bonorum administrationem inter alia sedulo attenta praetensa observantia super jurisdictione exercita nedum quoad confraternitatem, sed quidem in ipso parvo monasterio. Considerandum itaque superest: num Archiepiscopus et quonam jure, ordinario nempe vel delegato, jurisdictionem explicare possit tum in visitationibus hujusce confraternitatis cum etiam in administratione sive exactione rationum ipsius bonorum sub infrascriptis concordatis dubiis, quae sapienter resolvere EE. VV. dignabuntur ex latius utriusque adducendis:

I. An Archiepiscopus Firmanus possit visitare confraternitatem ss. Rosarii erectam in conventu PP. Conventualium s. Francisci terrae s. Elpidii?

II. An Confraternitas praedicta possit administrare omnes proventus dictae confraternitatis absque assensu Ordinarii?

Et quatenus affirmative,

III. An Confraternitas teneatur reddere rationem de dicta administratione praefato Ordinario?

S. C. C. resp.: In Omnibus affirmative et amplius.

Die 7. Julii et 5. Aug. 1714.

Maceraten.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. De ref.)

Episcopus Maceraten. in visitatione facta anno 1625 Ecclesiarum et piorum locorum castri Urbisagliae suae dioecesis visitavit Ecclesiam sub titulo s. Mariae Misericordiae, cumque haec Ecclesia fundata praetenderetur in solo Lateranensi, eam visitavit sine praejudicio quorumcumque jurium sibi uti Ordinario competentium, cumque confraternitas laicorum praedictam gubernet Ecclesiam a se, uti dicitur, aedificatam, confraternitatem auctoritate ordinaria visitavit, cumque exhibitis libris administrationis bonorum nonnullos invenisset administratores absolutos in reditione rationis a Vicario Capituli Lateranensis Tolentini degente, eos novae redditioni rationis subjecit et Vicario inhibuit, ne se in posterum in hisce actibus jurisdictionalibus ad episcopalem auctoritatem pertinentibus immisceret habitoque adversus hoc decretum recursu a C apitulo Lateranensi causa remissa uit ad hanc s. Congregationem.

Quoad confraternitates existentes in Ecclesiis regularium pluries resolutum fuit ab hac s. Congregatione: *eas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi et eas ab ipso visitari posse, necnon illarum capellas, in his tamen, quae respiciunt administrationem dictar. confraternitatum, necnon altare, si dictis confraternitatibus incumbit onus illud manutenendi,* et decreta fuerunt a me per extensum relata in causa Consentinae visitationis, censurarum, quae fuit apposita in Congregatione habita die 19. Septembris 1732.

Quoad *confraternitates erectas in Ecclesiis sitis in solo Lateranensi* nonnullae aliae adsunt resolutiones; praetendente etenim confraternitate sanctissimi Sacramenti civitatis Anco-

nae se esse exemptam a jurisdictione Episcopi et subjectam Vicario Basilicae Lateranensis et constituente suum fundamentum in donatione facta anno 1535 Capitulo cujusdam domus, in qua constructa fuit Ecclesia, et in aggregatione facta anno 1597 et excipiente Episcopo, obstare constitutiones apostolicas Clementis VIII. et Pauli V. et pluries eam visitatam fuisse a suis praedecessoribus, propositum fuit in Congregatione habita die 8. Martii 1681 sequens dubium: „*an eminentiss. Episcopo Anconae competat jus ordinarium vel delegatum super dicta confraternitate et Ecclesia?* Et in Congregatione habita die 22. ejusdem mensis et anni rescriptum fuit: *competere eminentissimo Episcopo jus ordinarium*, uti habetur libro 31. decr. pag. 352. et pag. 363. et licet die 26. Aprilis 1687 fuerit recessum a decisis quoad Ecclesiam, et dictum, quod iterum proponeretur quoad confraternitatem, causa tamen deinde nullum alium habuit progressum.

Item cum die 19. Februarii 1701 proposita fuisset causa Mileten., in qua deputatus a Capitulo Basilicae Lateranensis Ecclesias sitas in solo basilicae et confraternitates in eis erectas visitaverat, in revisione computorum pecunias exegerat, disputatum fuit tertio loco sequens dubium: „*an praedictus Vicarius Lateranensis in dicta dioecesi Miletensi possit revidere computa et visitare libros administrationis reddituum societatum laicarum erectarum in eisdem Ecclesiis et an pro dicta computorum revisione possit recipere a dictis societatibus aliquod emolumentum seu mercedem?* Et huic dubio die 23. Apr. ejusdem anni rescriptum fuit: negative ad utrumque, uti habetur libro 51. decret. pag. 97 et pag. 211.

Causa reproposita fuit die 29. Apr. 1702, et in eo quod attinet ad dictum tertium dubium, in congregatione habita die 13. Maji ejusdem anni rescriptum fuit: *In decisis quoad primam partem, praeterquam quoad archiconfraternitates erectas auctoritate Capituli, et quoad secundam: in decisis,* uti habetur lib. 52. decret. pag. 160. et pag. 190.

Haec ipsa causa Mileten. ad ulteriora progressa est et instante capitulo Lateranensi dubia mutata fuerunt, quocirca in Congregatione habita die 17. Nov. 1706 proposita fuerunt haec dubia, primo: *An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam dioecesim possit visitare ecclesias, confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi?* Secundo: *An dicta subdelegatio spicialis debeat a subdelegato ostendi et inseri in actis visitationis?* Tertio: *An Episcopus vel ab eo subdelegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato? Et ad primum* responsum fuit: negative, etiam quoad confraternitates erectas auctoritate capituli; *ad secundum et tertium:* affirmative, uti habetur lib. 53. decr. pag. 482 et pag. 486 a tergo.

Jura circumferuntur; unde onus erit EE. VV. decernere:

An Episcopus Maceratensis possit jure ordinario visitare confraternitatem sub invocatione s. Mariae Misericordiae, erectam in Ecclesia ejusdem tituli sita in castro Urbisagliae, quamvis in solo Basilicae Lateranensis aedificata sit in casu?

S. C. C. resp.? Affirmative.

Die 26. Apr. et 10. Maji 1727.

(Conc. Tr. c. 8. S. 7; C. 9. S. 22. De ref.)

In quodam Capella, sita in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Montis Leonis ac exstructa in solo Lateranensi erecta, reperitur ab antiquissimo tempore Sodalitas seu pia Adu-

nantia Mulierum sine sacco, sub invocatione sanctissimae Conceptionis, habens certas regulas et statuta, praecipue quod Abbatissa eligenda ex sororibus conservaret ac distribueret Eleemosynas, ac etiam quod qualibet prima Dominica cujusque Mensis congregare deberet sorores in Ecclesia ad effectum auscultandi Sacrum ac recipiendi oblationem unius Panis vel Obuli; ulterius qualibet die Lunae post primam Dominicam in mense teneatur celebrare facere unam Missam pro animabus Sororum defunctarum ac aliam Missam in omnibus Festivitatibus B. Virginis, ac insuper quod singulae sorores debeant aliquid relinquere Adunantiae, dummodo relictum non sit in minori summa trium librarum caerae laboratae, prout latius ex dictis statutis, quae dantur impressa.

Praedicta Societas fuit de anno 1619. aggregata Venerabili Archiconfraternitati ss. Laurentii et Damasi de Urbe, cum communicatione omnium Privilegiorum et Indulgentiarum ad formam notissimae Constitutionis Clement. VIII., cujus tenor fuit in aggregatione insertus.

Cum aliqua pars Eleemosynae ac oblationum praefatae Societatis erogarentur in beneficium Ecclesiae PP. Minorum Conventualium, praecipue pro manutentione Lampadis accensae ante Capellam Sanctissimi Sacramenti ac pro linteaminibus necessariis pro celebratione Missarum injunctarum in constitutionibus praedictae Societatis Episcopus Spoletanus in actu Visitationis factae de anno 1720 mandavit, quod in vim Bullae aggregationis Societatis in alios usus erogare non deberet ejus redditus ac eleemosynas quam in commodem ipsius Capellae, prohibens manutentionem dictae lampadis aliasque expensas fieri solitas in Ecclesia PP. Conventalium; ac ulterius mandavit celebrari Missas in Capella Societatis in solis Festivitatibus designatis in dicta Bulla Aggregationis, ad cujus quoque tenorem voluit imposterum promulgari Indulgentias.

Appellarunt PP. Conventuales ab hujusmodi decretis ad A. C. Sed remissa per causae auditorem Sanctissimi huic s. Congregationi, proponuntur hodie infrascripta dubia ad instantiam eorumdem PP. praetendentium, haud subsistere dicta decreta et quod nullum jus competat Episcopo visitandi dictam Capellam Societatis tanquam mere laicalis et constitutae ad solum finem exercendi spontanea opera pietatis et devotionis non obstante praefata aggregatione, quae obtenta fuit a quodam asserto Procuratore Confraternitatis, de cujus tamen mandato procurae non constat; ac etiam quia asserta aggregatio nunquam habuit effectum, et demum contendunt attentatam fuisse Visitationem nuper factam a moderno Episcopo, pendente lite, ut latius ex scriptura eorum nomine circumferenda.

Circa jus visitandi Confraternitates, erectas in Ecclesiis Regularium adsunt plura decreta hujus s. Congregationis, nedum antiquiora. In Nullius Januar. 1598. et Guardien. 1600. lib. 9. Decret. fol. 49 et 105., sed magistrale est illud editum in Nucerina Paganorum 23. Jun. 1629. lib. 14. fol. 114. terg. sequentis tenoris: S. Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit confraternitates Laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse Jurisdictioni et Visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare et illius cultum, Episcopum posse visitare

circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta Altaris seu Capellae, onera Missarum, atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent — et ad istius normam resolutum quoque fuit in Urbanien. Visitationis Capellae 23. Sept. 1690. lib. 40. fol. 657. terg. et in Firmana Jurisdictionis proposita 7. Jul., et resoluta 4. Aug. 1714 ad primum lib 64. fol. 276. terg. et fol. 303.

Non gravabuntur itaque EE. VV. ea summa, qua pollent, sapientia decernere:

I. An decreta seu provisiones Episcopi Spoletani substineantur in casu?

II. An Episcopo competat jurisdictio visitandi capellam, de qua agitur in casu?

III. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu?

S. C. resp.:

Ad I.: Affirmative.

Ad II. Affirmative ad formam decreti in Nucerina Paganorum 25. Jul. 1629.

Ad III.: Negative et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

Ravennaten.

(Conc. Tr. C. 8. C. 9. S. 22. De ref.)

In Civitate Ravennatensi adest Ecclesia s. Appollinaris Patrum Minorum s. Francisci de Observantia, in qua residet sodalitas s. Antonii Patavini, quae in Altari ejusdem Sancti, lapidibus seu marmoribus etiam pretiosis ornato, plura pietatis opera exercet ac varia suppellectilia ad ornamentum dicti Altaris construxerat, Archiepiscopus Ravennatensis, putans dictum Altare, quamvis in Ecclesia regulari existens, ejus Visitationi subjectum esse, requisivit hujus Sacrae Congregationis oraculum, a qua sub die 25. Sept. anni 1728 rescriptum obtinuit: Quod ipse uteretur jure suo ad formam decretorum alias editorum in *Nucerina Paganorum* 23. Jun. 1629. et in *Urbanien.* 23. Sept. 1690.

Decretum Sac. Congregationis in dicta Nucerina Paganorum, cum quo procedere debent Episcopi in Visitatione rerum seu altarium — spectantium ad Confraternitates, non inutiliter transcribitur, ibi: „Sacra Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae confraternitatum administrationem respiciunt, et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare et illius cultum Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta Altaris seu Capellae, onera Missarum atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem Confratrum relationem habeant.“ Cumque ex decreto superius allato resultet Visitationem peragi pose quoad ea, quae administrationem Confraternitatum respiciunt et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent, hinc sacra Congregatio ad casum propositum a dicto Archiepiscopo sub die 28. Jul. anni praeteriti rescripsit: „Quod exhiberetur Instrumentum erectionis Confraternitatis: ex qua erectione appareret, super quibus versaretur ejus administratio et respective ad quae extendabatur obligatio Confraternitatis. Modernus Archiepiscopus loco transmittendi dictam erectionem, exhibuerat fidem Archivistae ac etiam Cancellarii ejus Curiae deponentium dictam erectionem non invenisse, sed

quod plures scripturae deficiunt aliaeque confusae remanent ob incendium sequutum paucis ab hinc annis in dicta Cancellaria, transmisit tamen actum publicum visitationis peractae de 1684 ab Archiepiscopo Guinigio, qui dictum Altare ejusque supellectilia visitaverat, et in eo enuntiatur, quod sub die 30. Maii 1642 ex rogitu Octavii Stellae Curiae Archiepiscopalis Notarii inter PP. Minores de Observantia et Confratres ejusdem Societatis s. Antonii inita fuit transactio cum auctoritate recolendae memoriae Cardinalis Capponi tunc dictae Ecclesiae Archiepiscopi, in qua praedicta confraternitas erecta fuit subjecta Decretis et Visitationi Archiepiscoporum pro tempore ad forman Constitutionum apostolicarum; idque actum fuerit cum auctoritate san. mem. Urbani VIII. prout ex literis in forma Brevis sub die 30. Augusti anno 19. ejus Pontificatus.

Aliud antiquum monumentum adest in eadem Capella in marmore infixum scilicet: *Divo Antonio Patavino gratiarum intercessori pietas Ravennatum erexit anno 1677.*

Ex his aliisque ab utraque parte deducendis dignabuntur EE. VV. sapientissime de more respondere ad infrascripta dubia:

1. An Capella et Altare sancti Antonii sita in Ecclesia PP. Minorum de Observantia Ravennae subsint Visitationi Reverendissimi Archiepiscopi?

2. An ornamenta et supellectilia ejusdem Altaris et Capellae spectantia ad eosdem PP. possint ab eo visitari?

3. An ea spectantia ad Societatem s. Antonii, quae in actu Visitationis servantur in Arca aut in alio loco, visitari debeant in locis, in quibus asservantur, seu potius asportanda sint intra Capellam praefatam ibique visitari?

S. C. resp.

ad 1.: Affirmative ad formam Nucerinae;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Posse visitari ubicumque servantur.

Die 10. Mart. et 7. Apr. 1731.

Murana.

In Ecclesia Coenobii Fratrum Minorum Conventualium Oppidi s. Felicis binae sunt arae, altera dedicata SSmo Rosario, altera s. Francisco Assisiensi. In iis fuerunt olim instituta duo Laicorum Sodalitia, quibus etiam imminet onus Altaria eorumque ornamenta conservandi et reparandi. Utrumque Altare semper antehac consuevit ab Episcopis visitari, editis quoque opportunis decretis tam circa proventuum administrationem quam circa ipsorum Altarium restaurationem atque ornatum, ut probant allata documenta ab anno 1679 ad 1730.

At quamvis Episcopus die 14. Jun. superioris anni per Vicarium foraneum significasset Rectori Coenobii, quem vocant Guardianum, se mox accessurum visitandi causa utrumque illud Altare, nihilominus adventante ad Ecclesiam Episcopo restitit Guardianus, clausis Ecclesiae foribus, quas nec etiam pluries monitus aperiri voluit. Itaque Episcopus statim, ut illatam dignitati et auctoritati suae injurium vindicaret suamque tueretur possessionem, P. Guardianum excommunicatione pertulit et publicas denunciationes, quas cedulones nuncupant, proponi jussit.

Quamobrem tum de censuris ipsis, quas non substineri contendit P. Quardianus, tum etiam de potestate visitandi memorata Altaria deliberandum hodie est.

Quantum vero attinet ad primum putat Episcopus, sibi jam existenti in

possessione visitandi Aras illas licuisse judiciario ordine non servato, nec monitione praemissa, P. Guardianum anathemate mulctare, juxta *Text. in cap.*: *Cum ex Officiis, de praescript., cap.*: *Cum nuper censib., et cap.*: *Dilecto* §.: *Et quidem de sent. excom. in 6.*, ut luculenter probat *Fagnan.* in Cap.: *Procurationes* a num. 27. ad plures seqq. de Censib.

Plura ad excusandum factum adducit Guardianus, sed illud potissimum, eo animo fuisse Episcopum, ut non solum altaria illa sed etiam Ecclesiam visitaret.

De jure autem et modo visitandi Sodalitia eorumque Capellas in Ecclesiis Religiosorum existentes plures ab hac sac. Congregatione prodierunt resolutiones ac praesertim in *Nucerina Paganorum* 23. Junii 1628. his verbis: „S. Congr., inhaerendo declarationibus alias factis censuit Confraternitates Laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse, necnon illarum Capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciant et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem confratrum relationem habent“, ut in lib. 14. decr. pag. 115. Quam quidem decreti normam secuta fuit sacra Congregatio etiam in *Urbanien.* visitationis capellae 23. Sept. 1690 lib. 40. decr. pap. 657. et in *Firmana* jurisdictionis 4. Aug. 1714 a 1. dubium, ut in lib. 14. decr. pag. 276. et pag. 303. et in *Spoletana* juris visitandi 30. Sept. 1730 ut in lib. 80. decr. pag. 290. et in *Ravennaten.* visitationis 7. Apr. 1731 ut in lib. 81. decr. pag. 144.

Opponit Guardianus quoad altare s. Francisci jam inde ab anno 1725 sublatam de medio fuisse confraternitatem, quae ibi fuerat instituta, adeoque etiam cessasse causam visitationis ab Episcopo peragendae.

Porro in visitatione, quam hodiernus ipse Episcopus obivit anno 1726 haec legitur annotatio: „In questo altare (scilicet s. Francisci) vi era la Confraternita sotto il titolo di s. Francesco, oggi pero non vi é.“ Sed tamen singulis sequentibus annis Episcopus iterum visitavit utrumque altare et quidquid facto opus erat praescripsit (nulla quidem habita mentione confraternitatis) ac tandem anno 1730 ambo eadem altaria interdicto subjecit, usque dum satisfactum fuisset decretis de illorum restauratione.

Definiendum igitur erit:

1. *An censurae sustineantur?*

2. *An Episcopus visitare possit altaria sanctissimi Rosarii et sancti Francisci existentia in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Oppidi s. Felicis in casu?*

S. C. resp. ad I: Affirmative. Ad II: Affirmative, ad formam resolutionis in Nucerina Paganorum et amplius.

Die 21. Junii 1733.

31) Ecclesiae non curatae.

Vd.: *Visit. eccles. par. et curat. regul.* (decr. diei 23. Jun. 1727 2do; 11. Jan. 1727.)

32) Ecclesiar. erectarum in solo Lateranensi.

Vd.: *Visit.* (capellar.; eccles. regul.); pag. 890. decr. *Macerat.*

Episcopus sive per seipsum sive per alium delegatum visitare potest

Ecclesias etiam non curatas, quae reperiuntur erectae in solo Lateranensi ut clare patet ex responsione sacrae Congregationis Concilii ad sequentia dubia proposita ab Episcopo Mileti.

I. „An Episcopus Miletensis tanquam Delegatus apostolicus possit subdelegare suum Vicarium generalem vel aliam Dignitatem ecclesiasticam sibi benevisam in visitatione dioecesis et praecipue Ecclesiarum, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi.“

II. „An Vicarius destinatus in dicta Dioecesi Mileten. a Reverendissimo Capitulo Basilicae Lateranen. posset revidere visitationes factas ab Episcopo sive ejus delegato Visitatore in dictis Ecclesiis?“

III. „An praedictus Vicarius Lateranen. in dicta dioecesi Mileten. possit revidere computa et visitare libros administrationis reddituum societatum laicarum erectarum in iisdem Ecclesiis et an pro dict. computorum revisione possit recipere a dd. societatibus aliquod emolumentum seu mercedem?“

IV. „An Vicarius destinatus in dicta Dioecesi Mileten. a dicto reverendiss. Capitulo possit indicere concursum in occasione vacantiae Ecclesiarum parochialium, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi?“

V. „An Episcopus Mileten. in praefatis Ecclesiis intra fines suae dioecesis possit exercere suam jurisdictionem ordinariam quoad provisionem parachialium aliorumque concernentium curam animarum et administrationem sacramentorum?“

VI. An in alienationibus rerum earumdem Ecclesiarum solemnitates requisitae etiam in vim can.: Terulas quaest. 2. adhiberi debeant per Episcopum vel per dictum Vicarium destinatum a capitulo dictae sacrosanctae Basilicae Lateranensis?“

VII. „An in casu, quo praedictus Vicarius destinatus a Capitulo se ingereret in Jurisdictionalibus et causis spectantibus ad Episcopum Mileten. possit ab eodem coerceri et puniri canonicis censuris et poenis?“

Quibus praepositis, auditis partibus in plena Congregatione, 23. Aprilis 1701 responsum fuit

Ad primum: Posse visitare per se vel per alium etiam Ecclesias sitas in solo Lateranensi ad formam s. Concilii.

Ad secundum: Negative.

Ad tertium: Negative ad utrumque.

Ad quartum: Negative.

Ad quintum: Dilata.

Ad sextum: Spectare ad Episcopum privative.

Ad septimum: Affirmative.

Super quibus reproposita causa 3. Maii 1702 eadem Congregatio respondit

Ad 1: In decisis.

Ad 2: In decisis.

Ad 3: In decisis quoad primam partem, praeterquam quoad Archiconfraternitates erectas auctoritate Capituli; et quoad secundam: in decisis.

Ad 4: In decisis.

Ad 5: Quoad primam partem affirmative.

Ad 6: Dilata,

Ad 7: In decisis.

Et iterum in eadem causa et inter easdem partes propositis novis dubiis

I: An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam dioecesim possit visitare Ecclesias, Confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi?“

II. „An dicta subdelegatio specialis debeat a Subdelegato ostendi et inseri actis Visitationis?“

III. „An Episcopus vel ab eo Delegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato?"

IV. „An Vicarius Lateranensis in visitatione, quam facit jure ordinario possit petere, ut sibi ostendantur acta visitationis factae ab Episcopo vel ejus Delegato?"

V. „An Ecclesias parochiales fundatas in solo Lateranensi valeat Episcopus visitare jure ordinario?"

Die 27. Novembris 1703

S. Congr. etc. respondit

Ad 1: Negative et quoad confraternitates juxta resolutiones jam factas.

Ad 2: Affirmative.

Ad 3: Affirmative.

Ad 4: Affirmative, non tamen auctoritative ad effectum corrigendi.

Ad 5: Negative.

33) Ecclesiae exemptae.

(Episcopo licet.)

Vd.: *Visit. Eccles. par. et cur. regul.*; *Visitat. Episc.* (Jus etc. praecipue decr. *Bononien.*)

Perantiquae viguerunt controversiae primum in auditorio s. Rotae usque ab anno 1579 postmodum in hac s. Congr. inter Archipresbyterum Ecclesiae Collegiatae s. Petri oppidi Cerignolae in Apulia ex una et Episcopum Minerbinen. ex altera partibus praetendente eodem Archipresbytero sese exemptum esse a cujuscumque Episcopi jurisdictione ac in praefato oppido jurisdictionem quasi episcopalem exercere posse cum territorio separato nullius dioecesis atque literas dimissoriales ad quoscumque catholicos Antistites suis subditis concedere, ex adverso contendente Episcopo ad se uti viciniorem spectare jus visitandi Ecclesias et personas Oppidi antedicti omniaque vicinioritatis jura exercere et concurrente in causa etiam Episcopo Asculano, qui se asserebat aliis viciniorem, de anno 1660 unitim hi duo Antistites libellum supplicem porrexerunt huic s. Congregationi pro declaratione, cuinam eorum spectaret jus visitandi Ecclesias Oppidi Cerignolae, et prodiit rescriptum sub die 19. Junii praelibati anni in Minerbinen. et Asculana. Congregatio Concilii censuit: *Jus visitandi praefatas Ecclesias nullius dioecesis ex cap. 9. sess. 24. de reform. competere Episcopo Minerbinen.* Iterum proposito dubio S. C. resp.: Manutenendum esse Ep. Minerbinen.

Die 30. Maii 1699 et 1. Jun. 1709.

Ecclesiae Collegio vel Monasterio exempto unitae ab Ordinario, quamvis curam non habeant neque unquam ab ejus praedecessoribus sint visitatae, *jure delegato* visitantur.

S. C. C. die 2. Oct. 1721 *Bonon.* 23. Junii 1725 *Lycien.*

Ordinario competere jus visitandi *collegiatam exemptam jure deleg.*, parochiam vero eidem canonice adjectam juxta decreta Conc. Tr. Sess. 7. et 21. cap. 8.

S. C. C. die 30. Jan. 1736 *Regien.*

Episcopo licet visitare Ecclesiam *abbatiae exemptae* quoad Sacramenta et Sacramentalia.

S. C. C. die 23. Jan. 1734. *Larin.*

Episcopus tamquam Sedis apostolicae Delegatus visitare potest omnes Ecclesias saeculares exemptas, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis: *Communis*, textu expresso in Conc. Trid. sess. 7. de refor. c. 8.

Item potest Episcopus vicinior tamquam Sedis apostolicae Delegatus visitare Ecclesias omnes saeculares nul-

lius dioecesis quantumque exemptas et sedi apostolicae immediate subjectas, etiamsi in illis Praelatus inferior habeat quasi episcopalem jurisdictionem. Concil. Tridentin. sess. 24. de refor. cap. 9., *Barbosa* ad dict. cap. 9. n. 1. et 2. allegans *Rotam* decis. 396. part. 1. recent. et plurimos Doctores. Non potest tamen visitare Ecclesias regulares nullius dioecesis, ut ex Trident. et decret. s. Congr. ad longum probat *Fagnan.* lib. 3. decretal. in cap.: Nullius de parochiis num. 33. et 37. et *Matthaeuc.* Official. Cur. cap. ult. n. 12. ad 14. et alii.

Visitare jure delegato potest Episcopus Ecclesias unitas Collegiis exemptis. S. Congr. Concil. in Bononien. juris visitandi 2. Oct. 1721. Sic refert *Ursaya* in Miscellan. l. 1. Sac. et profan. lit. V. n. 127.

Visitare tamen non posse Episcopum beneficia unita universitati Complutensi ob privilegia, quae habet, decrevit s. Congr. Concil. die 22. Junii 1606 apud *Aldan.* in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 7. n. 10. et *Barbosa* summa apostolic. decis. verbo: Visitare, quando et quae Episcopus valeat num. 14.

Patres Tridentini *sess. 7. cap. 8. de reform.* praeceperunt locorum Ordinariis, ut Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitent et opportunis juris remediis provideant, ut, quae reparatione indigent, reparentur, etiam per sequestrationem fructuum, *cap. 8. sess. 21. de reform.*

(Ex res. S. C. C. diei 22. Maii 1830. *Tuscanen.*)

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7.; C. 8. S. 21. C. 9. S. 24. De refor.)

Jam de mense Octobris anni ultimo effluxi Episcopus Spoletanus sanctam visitationem prosequens in ducatu Ferentilli mandatum dedit Canonico Guerrae perlustrandi abbatialem Ecclesiam s. Petri, cui animarum cura incumbit, cumque idem Canonicus medium teneret iter, obviam habuit sacerdotem Augustinum Placidum Vice-Curatum praelibatae Ecclesiae, qui praesignificavit ex praescripto Petri de Ancajanis Abbatis ejus fores clausas esse, ne visitationi aditus pateret, quemadmodum re ipsa deprehendit irritoque conatu reserari mandavit; hinc eodem Vice-Curato exponente Ecclesiae claves resumpsisse jamdicti Abbatis Nepotem tum praesentem, Canonicus subdelegatus cum ipso colloquium instituit, at denique re infecta discessit. Porro id aegreferens Promotor fiscalis pro directione visitationis specialiter electus exhibitis in episcopali Curia ad praemissorum verificationem testium depositionibus alisque documentis, quae in summario dabuntur, sub die 25. praelibati mensis Octobris opportunam desuper inquisitionem instituit ac postridie expediri citationem curavit adversus praememoratum Augustinum Placidum quatenus in termino horarum sex, quarum duae pro primo, binae sequentes pro secundo, reliquae vero ultimo respective termino computarentur, judicio sisteret ad dicendam causam, quare ob perturbatam visitationem jure delegato in saepedicta Ecclesia versantem censuris obnoxium declarari eamque Ecclesiam ecclesiastico subjici interdicto non deberet; exindeque sub die 27. subsequenti actis reproductis cum monitione, ut perhibetur, legitime exsecuta ejusque contumaciali absentia incusata Episcopus Spoletanus praefatum Augustinum anathemati subjectum Ecclesiamque interdictam declaravit literis subinde affixis. Protinus quidem Abbas praememoratus de Ancajanis idemque Au-

gustinus ab hujusmodi actis provocarunt ad Tribunal A. C. beneficiumque absolutionis cum reincidentia reportarunt, autumantes Ecclesiam saepedictum abbatialem ne dum ab Episcopo jurisdictione esse exemptam, immo vero in territorio separato consistere. Quoniam vero Spoletanus Antistes pro certo habet dictae Ecclesiae situationem in dioecesi Spoletana, quin etiam contendit, nullimodo visitationem eludi posse in praefata abbatiali Ecclesia, quaquaversum causa hujusmodi versetur, eo sub obtentu, quod etiamsi in hypothesi ageretur Ecclesiae saecularis exemptae, immo vero nullius dioecesis, nihilominus Episcopus vicinior perlustrare eam posset tamquam Sedis apostolicae delegatus, non obstantibus privilegiis quibuscunque et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Hinc ejusmodi controversia ita ab R. P. Auditore SS. bipartita fuit, ut quoad jurisdictionem ordinariam, quam prae viribus Episcopus propugnare contendit, judicium coram A. C. prosequeretur, quo vero ad jurisdictionem delegatam causa in hoc sacro concessu decerneretur. Subscriptis itaque ad hujusce decreti formam binis dubiis partes supplices exspectant summum EE. PP. oraculum pro declaratione:

I. An Episcopo Spoletano competat jurisdictio delegata in casu?

II. An censurae sustineantur in casu?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative quoad visitationem;

ad II: Negative et amplius.

Die 9. et 30. Sept. 1713.

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7.; C. 8. S. 21.; C. 9. S. 24. De ref.)

Jam de anno proxime effluxo coram Episcopo Spoletano visitationis munus obeunte in oppido Nursiae stitit Andreas Ferretti Procurator Equitis Commendatarii Platamonii eique contestatus fuit, ne iniret Ecclesiam s. Jacobi annexamque domum, quam incolunt Patres Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii, cum sub pleno dominii jure esset hierosolymitanae religionis exindeque perlustrari nullo modo deberet, perspectis ejus privilegiis ac exemptionibns; at praelaudatus Antistes, protestatione admissa, quatenus de jure afficeret, animum suum aperuit invisendi jam dictam Ecclesiam nedum ordinaria auctoritate verum quidem tamquam apostolicus Delegatus, ut re ipsa sub die 7. Augusti praelibati anni praestitit. Statim itaque jam dictus Procurator provocavit ad Tribunal A. C. remissaque subinde hujusmodi controversia ad EE. PP. concessum, modo pro parte ejusdem religionis exponitur, quod jam inde ab anno 1698 precibus inclinatus PP. Congregationis Oratorii tum Commendatarius Spinula eis concessit perpetuum usum praelibatae Ecclesiae, spectantis ad Commendam s. Jacobi, accedente consensu magni Magistri; prae caeteris vero in hujusce concessionis instrumento cautum expresse fuit, quod sacrae religionis insignia supra januam jugiter retinerentur, quae patens argumentum forent pleni ejus dominii, quodve jus visitandi privative Commendatario competeret neque praeter usum quidquam amitteret in praedicta Ecclesia.

Iterum quoque perpetuum hujusmodi usum obtinuerunt PP. Congregationis Oratorii, postquam oppido Nursiae infausto terrae motu concusso Ecclesiaque praedicta s. Jacobi fere eversa novum templum a fundamentis in ejus solo suscitarunt, quam subinde concessionem s. Congregationis Episcoporum et Regularium auctoritate confirmari curarunt. Cum itaque contro-

verti nec posse asserat religio hierosolymitana ejus plenum supradictae ecclesiae dominium, cui animarum cura minime incumbit, consequens esse prosequitur, quod Episcopus neque ordinario neque delegato jure eam perlustrare possit. Verum Promotore fiscali Curiae episcopalis his reponente, quod ecclesia nuper sub titulo s. Philippi aedificata nullatenus spectet ad praelaudatam religionem, sed tantummodo Patres Oratorii haberi possint tamquam ejus Livellarii seu Emphiteutae ratione soli praetereaque neque exemptionem aucupari valeant ex facto praefatae concessionis, cum exinde neque servientes nec familiares saepedicti militaris ordinis evaserint, aliusmodi vero ejus privilegia communia ipsis fieri nequeant. Superest, quod EE. VV., qua pollent sapientia, concordata dubia definiant:

I. An liceat Episcopo visitare Ecclesiam, de qua agitur, in casu?

II. An visitatio facta sit attendenda in casu?

S. C. C. resp. ad I: Negative.

ad II: Provisum in primo.

Die 29. Julii 1713.

Iterum proposito dubio:

An sit standum vel recedendum a decisis sub die 29. Julii 1713?

S. C. C. resp. ad I: In decisis quoad materiale ecclesiae, in reliquis spectare ad Episcopum;

ad II: In decisis et amplius.

Die 16. Decembris 1713.

34) Ecclesiae unitae cum exempto Monaster.

(Episcopo non licet.)

Naulen.

Monasterium et ecclesiam s. Mariae de Ripa in dioecesi Naulensi diminuto ob reddituum inopiam Monialium Ordinis Cisterciensis numero, Leo decimus Pontifex providentissimus anno 1519 Monasterio Vallis Piae Congregationis Olivetanae, quod Finarii est in Dioecesi Savonensi, perpetuo univit, adnexuit et incorporavit ea lege, ut Priores Monasterii sanctae Mariae de Ripa per aliquem vel aliquos Monachos vel alium Regularem cujusvis alterius ordinis vel saeculares Sacerdotes singulis Dominicis et aliis festivis diebus Missam celebrari et alias in Divinis eidem ecclesiae deservire facere tenerentur, quod ad haec usque tempora diligenter servatur. Nulla inter Monachos Congregationis Olivetanae et Naulenses episcopos de hoc monasterio s. Mariae de Ripa exorta fuit controversia, quod episcopi nullam in eo jurisdictionem sibi arrogarent, sed anno 1654, qui tunc ecclesiae Naulensi praeerat, episcopus praetextu constitutionis: *Instaurandae* latae ab optimo Pontifice Innocentio X., et cognitissimi decreti: *Ut in parvis,* jurisdictionem acquirere tentavit. Re tamen ab Abbate Monasterii Vallis Piae Finarii delata ad sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episc. et Regular. praepositam proposita rejectus fuit episcopus et objurgatus gravi epistola. Hoc exemplo non deterritus, qui nunc ecclesiae praeest Naulensi, anno 1748 ecclesiam monasterii s. Mariae de Ripa nunquam ab episcopis Naulensibus visitatam et clam Monachos Olivetanos visitare primus voluit, sed, ubi id Abbas Monasterii Vallis Piae rescivit, primum contra eamdem visitationem protestationem emisit, inde ad hoc sacrum Tribunal venit, postulans ut ab eminentissimis Patribus definiretur episcopos Naulenses neque ordinario neque delegato jure ecclesiam illam visitare posse. Auditus fuit, ut fieri solet, episcopus Naulensis, qui in epi-

stola sua totus est, ut jura sua tueatur.

Causa nunc proponitur et disputant Monachi Olivetani Vallis Piae Finarii Monasterium s. Mariae de Ripa unitum fuisse accessorie et subjective monasterio Vallis Piae, quia id ferant verba: Monasterium de Ripa praedictum praefato monasterio Vallis Piae authoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus et adnectimus et incorporamus" ut uno consensu docuerunt *Barbos.* de offic. de potest. Episc. alleg. 61. num. 23. et seqq., *Hojed.* de incompat. benef. par. 2. c. 3. num. 3., *Garzia* de benefic. par. 12. cap. 2. num. 55., *Pax Jordan.* lucubr. lib. 10. tit. 32. num. 11., *Murga* de benef. quaest. 4. sect. 6. num. 197. et seq., *Carol. Anton. de Luca* ad Ventrigl. in prax. adnot. 8. §. 2. num. 3. tom. 2. Cum aliud sit, quum duo beneficia, ecclesiae vel monasteria invicem et simul uniuntur, aliud vero, cum unum alteri unitur; nam primo casu utrumque aequali unione afficitur et ideo utrumque aeque principaliter uniri et connecti oportet; altero vero casu, quod unitur alteri, nonnisi accessorie et subjective uniri et connecti possit, ut disserunt *Fagnan.* in cap.: novit. num. 3. de sed. vacan., *Schmalzgrueb.* in jus canon. lib. 3. tit. 5. num. 161., *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 119., *Leuren.* For. benef. quaest. 88. n. 2. Ubi enim beneficium vel ecclesia alteri unitur, definivit esse corpus, quod per se ipsum consistat et ideo necesse est, ut alterius, cui unitur, pars et membrum fiat, quod est esse unitum accessorie et subjective, quae fuit *Angeli* jurisprudentia in cons. 248. vers.: sed ubi sit unio, quam laudant probantque *Ferrett.* cons. 242. n. 5. vers.: et quando, *Mandos.* ad regul. 12. cancell. quaest. 1. num. 6., *Hojed.* de incompat. par. 2. cap. 3. num. 3. vers.: nam si fiat unio, et vers.: tamen incorporatio, *Gratian.* discept. 291. n. 2. et 3. aliique frequentissime.

Ex hac igitur subjectiva unione monasterii de Ripa, quam Leo X. fecit monasterio Vallis Piae Finarii, efficitur, ut monasterium de Ripa factum fuerit pars et membrum monasterii Vallis Piae et ideo frui debeat omnibus juribus, privilegiis et exemptionibus, quibus praestat principale corpus, cui facta fuit unio, nempe monasterium Vallis Piae, ut tradunt *Paris.* cons. 128. num. 17. et 20. lib. 4., *Garz.* de benef. par. 7. cap. 10. num. 23 et 8., *Murga* quaest. pastor. par. 2. quaest. 5. n. 1. et 2. et quaest. 6. n°. 20., *Card. Petra* ad constit. apost. Anastas. IV. const. 1. sect. 1. n. 45, itaut, siculi Monasterium Vallis Piae Finarii exemptum omnino est ab omni episcopali jurisdictione sive ordinaria sive delegata et sive una sive altera ab Episcopo Savonensi visitari nequit, ita monasterium et Ecclesiam de Ripa veluti partem, membrum et accessorium monasterii sive ordinaria sive delegata authoritate visitari non posse, cum explorati juris sit non posse Episcopum visitare ne jure quidem delegato Ecclesias illas, quae subjective unitae fuerint monasterio Regularium exempto a quavis etiam delegata jurisdictione episcopali ut docent *Conzolez.* ad dicta reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. num. 34. et seqq., *Tamburrin.* de jur. Abbat. tit. 1. disput. 15. qu. 7. num. 10. et perpetua fuit sacri hujus Tribunalis sententia. Nam, ubi de subjectiva unione non constabat, decrevit Ecclesias delegatae Episcoporum jurisdictioni subjectas esse et jure delegato posse visitari, ut in *Lycien.* visitationis et censurarum 29. Januarii 1724 et 23. Junii 1725 ad I. dubium, in *Placentina* 17. Augusti 1726 et 11. Januarii 1727 ad I. dubium, in *Montis Regalis* 15. Martii 1727 aliis-

que. Contra vero, ubi de subjectiva unione constabat, censuit Ecclesias ab omni jurisdictione et visitatione etiam delegata exemptas et solutas esse, ut patet ex decretis collectis a *Tamburrin.* dicta quaest. 7. num. 10., *Barbos.* ad Concil. Trid. sess. 7. cap. 8. num. 15. et 18. de reform. et *Panimoll.* decis. 84. annot. 1. num. 20. et advertitur in folio dictae Lycien. visitationis et censurarum diei 18. Decembris 1733 §.: Additur, et die 23. Juli 1725 §.: Haec quoad Ecclesias regulares.

Nec mutare ajunt Monachi Olivetani decreta Tridentini, quae initio hujus causae adscripsimus, quod illa vel sermonem habeant de Ecclesiis commendatis vel de Ecclesiis, quae, licet ad Regulares spectent, a saecularibus tamen retinentur, vel de Ecclesiis parochialibus, quorum nullus sit casus, in quo versamur. Haec Patres monasterii Vallis Piae Finarii. A Promotore Fiscali Curiae episcopalis Naulensis nondum libellum jurium habuimus. Dubium est:

An Episcopus visitare possit Ecclesiam s. Mariae de Ripa, vulgo s. Benedicti in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 2. Dec. 1752.

35) Ecclesiae exemptae Religionis Hierosolymitanae non licet.

Vd.: *p. 899. Spoletana.*

Nucerina.

Episcopus Nucerinus, dum anno 1780 suae Dioecesis Visitationem perageret, visitavit etiam Ecclesiam ruralem divo Leonardo dicatam, quae sita est in territorio Oppidi Gualdi, et pertinet ad Commendam s. Justini Perusiae Ordinis Hierosolymitani. Nonulla edidit decreta, quibus dictam Ecclesiam restaurari et sacris suppellectilibus provideri mandavit; utque omnia, quae praeceperat, citius adimplerentur, sequestro subjecit redditus quorundam bonorum ad dictam Commendam spectantium. Ubi primum haec innotuerunt Equiti Didaco Emanueli Rovero Commendae possessori, statim ipse de turbata jurisdictione apud sacram Congregationem conquestus est petitque, ut irrita declarentur acta per Episcopum hac de causa gesta. In locum Equitis Rovero subrogatus deinde fuit Eques Bonacursius, qui jura sui praedecessoris prosequitur sub dubiis inferius descriptis.

Inquit, ecclesias Ordinis Hierosolymitani exemptas esse ab Episcopi Visitatione, prout in pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus declaratum fuit, solumque a s. Pio V. Episcopis fuisse permissum, ut jure delegato visitarent Ecclesias et Beneficia cum cura animarum, coercita tamen Visitatione ad ea tantum, quae Sacramentorum administrationem respiciunt. Id ipsum a san. mem. Benedicto XIV. confirmatum et sacrae Congregationis decretis fuisse roboratam. Hoc igitur posito contendit nullo jure potuisse Episcopum Nucerinum visitare Ecclesiam s. Leonardi, quae parochialis non est et cujus manutentioni et decori per Visitationem anno 1779 expletam ab Equite Joa. Baptista Severi fuit abunde provisum.

Nec obesse, quod eadem Ecclesia saepius subjecta fuerit Episcopi Visitationi, quia non debent attendi quidquid perperam fecerunt Episcopi praedecessores, quorum factum prosternitur a clausula, *sublata et decreto irritante:* quibus apostolicae Constitutiones munitae sunt, maxime quia sacr. Congr. die *17. Junii 1690* in causa *Mantuana* declaravit non licere Episcopis visitare Ecclesias non parochiales Ordinis Hierosolymitani, quamvis a praedecessoribus Episcopis fuissent visitatae. Ex his omnibus infert ad II.

dubium irritam esse Visitationem peractam ab Episcopo Nucerino et omnino circumscribendum ex defectu jurisdictionis sequestrum de ejus mandato colonis Commendae indictum.

Episcopus refert praedecessores suos nunquam omisisse Visitationem Ecclesiae s. Leonardi, idque comprobat attestationibus tum Canonici senioris, qui per plures annos munus Convisitatoris exercuit, tum etiam Cancellarii episcopalis, qui pervolutis Actis Visitationum testatur ab anno 1579 Episcopos Nucerinos pacifice semper dictam Ecclesiam visitasse pluraque in actu Visitationis edidisse decreta ejusdem Ecclesiae decorem et manutentionem respicientia. Advertit perperam in dubium revocari Episcopi auctoritatem, quam sac. Congregatio attenta immemorabili consuetudine, etiam lite pendente, semper praeservavit. Notat insuper supervacaneum fore Dioecesis Visitationem instituere, nisi Ordinarii locorum facultate potirentur adigendi Ecclesiarum Rectores, etiamsi Milites Hierosolymitani sint, ad executionem Decretorum, quae in ipsa Visitatione edita sunt, per fructuum sequestrationem: *Monacellus Formular. legal. part. 2. tit. 15. for. 1. num. 28.*

Addit ulterius, inanem esse quaestionem de circumscriptione sequestri quod Eques Commendatarius nunquam voluit attendere, cum singulis annis consuetos redditus perceperit. Demum inquit: *Promotor meus Fiscalis, cum decreverit nullam velle sibi suscipere in hac causa partem, declarat praefixum habere sibi terminum, quem illi praefigere debebam jussu EE. VV., cum instante Equite Commendatario s. Justini Perusiae EE. VV. visum fuerit ad me nullatenus spectare ejusdem Ecclesiae visitationem, me hoc ulteriori incommodo levatum putabo et libenter a visitatione ejusdem abstinebo, cum persuasum mihi sit, hoc inter jura numerandum non esse, quae pastoralis sollicitudo debeat Ecclesiae sumptibus tueri.*

Ex dispositione sacri concilii Trid. *Sess. 7. cap. 7. de reformatione* habetur: *Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis seu aliis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur ab Ordinariis Locorum annis singulis visitentur . . . . . appellationibus privilegiis, exemptionibus minime suffragantibus.* Rursus in eadem *Sessione cap. 8.* statutum est: *Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur et opportunis Juris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, Judicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.*

Sub hac Tridentini dispositione existimarunt Equites Hierosolymitani nequaquam comprehendi illorum Ecclesias et Capellas, licet in illis cura animarum exercetur; hinc graves inter ipsos et locorum Ordinarios ortae sunt controversiae, quas tamen compescere voluit s. Pius V. Constitutione edita die 21. Septbr. 1571, cujus initium est: *Exposuit*, in qua §. 3. decrevit: *Omnes et singulos locorum Episcopos et alios Superiores tamquam Apostolicae Sedis Delegatos omnes et quascumque parochiales Ecclesias caeteraque Beneficia Ecclesiarum suarum, Civitatum et Dioecesum, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem* (scilicet Hierosolymitanam), *ejusdem Milites, Capellanos, Ministros Rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis episcopalem et tempo-*

ralem jurisdictionem Religio et Milites praedicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios et Ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae animarum curam illiusque exercitium et Sacramentorum administrationem respiciunt) *visitare, omnesque actus Visitationem concernentes exercere posse et debere.*

Ulterius §. 4. mandavit, quod *Episcopi et alii Superiores Visitationem hujusmodi* tanquam Delegati Apostolicae Sedis faciant, et tandem §. 8. expresse inhibuit *dictis Episcopis et aliis Superioribus, ne hac visitandi facultate eis per praesentes concessa alio utantur modo, quam praescripto.*

Post relatam s. Pii V. Constitutionem aliam san. mem. Benedictus XIV. edidit die *12. Martii 1753* Constitutionem, quae incipit: *Inter illustria.* In hac confirmavit omnia Privilegia a Romanis Pontificibus Ordini Hierosolymitano concessa recepitque sub immediata Sedis Apostolicae protectione Domos, Hospitalia, Ecclesias, Capellas, Oratoria ac Loca et Membra quaecumque ad dictam religionem pertinentia. Deinde vero §. 3. jussit, ne Episcopi *ullam in eos vel ea Jurisdictionem, Correctionem, Superioritatem, Dominium seu Potestatem praeter quam in his, quae ad animarum Curam et Sacramentorum administrationem pertinent, aliisque in casibus per dictum Consilium* (scilicet Tridentinum) *seu per Apostolicas Constitutiones aliasque Ordinationes praefatas, expressis et declaratis exercere, aut excommunicationis aliasque sententias, censuras et poenas promulgare (etiamsi forsan hactenus per abusum seu alterius privilegium aut negligentiam, etiamsi per longum tempus taliter observatum non fuisset, seu dicti Hospitalis ejusque Membrorum, Ecclesiae non parochiales, in quibus SacramentaFidelibus non administrantur, pluries fuissent a praedecessoribus Episcopis visitatae) possint et valeant.*

Pluries de hac re actum fuit in Sac. Congregatione; Episcopi Mantuani ab anno 1576 ad annum usque 1689 quinquies visitaverant ecclesiam s. Joannis de Templo, quae est membrum Commendae s. Vitalis et Sepulcri Veronae; de hujusmodi Visitatione conquestus est Frater Commendatarius Bernardinus della Ciaja et proposito dubio: *An Episcopus potuerit et possit dictam Ecclesiam ad Commendam Ordinis Hierosolymitani spectantem visitare? die 17. Junii 1590* prodiit resolutio: *Negative; lib. 40. decret. pag. 396.*

Rursus cum Episcopus Spoletanus nedum ordinaria Auctoritate, verum etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegatus visitasset Ecclesiam s. Jacobi Oppidi Nurtiae ad Religionem Hierosolymitanam pertinentem, reclamavit Commendatarius disputatisque dubiis in *Spoletana Visitationis:*

I. An licet Episcopo visitare Ecclesiam, de qua agitur in casu etc.?

II. An Visitatio facta sit attentenda in casu etc.?

Die 28. Julii 1713 rescriptum fuit

ad I.: *Negative,*

ad II.: *Provisum in primo, lib. 63. decret. pag. 312.* Reproposita causa die *16. Decbr.* ejusdem anni responsum est

ad I.: *In decisis quoad materiale Ecclesiae; in reliquis spectare ad Episcopum,*

ad II.: *In decisis, dicto lib. 63 decret. pag. 529.* (Vd. p. 900.)

In Asculana Visitationis contendebat Episcopus visitare posse ecclesiam s. Joannis ad Templum, quae est Commenda sacrae religionis Hierosolymitanae, non solum quia sic praedecessores eam visitaverant, sed etiam quia Concilium Tridentinum

Sess. 7, cap. 8 de Reform. decernit, quod locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas visitare teneantur, atque insuper quia *Sess. 21. cap. 8 de Reform.* statuit, quod Monasteria commendata, Prioratus et Praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, necnon Beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis tanquam Apostolicae Sedis Delegatis annis singulis visitentur. Hinc discusso dubio: *An et quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam s. Joannis ad Templum?* Die *4. Mart. 1719,* plenis suffragiis edita est resolutio: *Negative.*

Quandoque tamen in solo judicio manutentionis sac. congregatio praeservandam censuit episcopis visitandi facultatem. In *Mileten. Jurisdictionis* contendens Religio Hierosolymitana ad Episcopum Miletens. nequaquam spectare exercitium spiritualis Jurisdictionis in Oppidis Melicuccae et Drusii, quae Oppida quoad temporalia ordini Hierosolymitano subjecta erant; decem et septem hac de re discussa fuerunt dubia et haec inter VII. sic conceptum: *An in jure visitandi Ecclesias parochiales aliasque omnes dictarum Commendarum sit concedenda manutentio Episcopo seu potius Commendatario? Die 3. Aug. 1743* prodiit responsio: *Manutenendum esse in omnibus Episcopum.*

Demum quod attinet sequestra quibus redditus Commendae subjecit Episcopus, ut Visitationis decreta adimplerentur, notandum, quod Sac. Congregatio die 18. Maii 1590 *Episcopo Hieracensi* sic rescripsit: *Ad id quod A. T. nomine quaesitum fuit a sac. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini SSmi Domini Nostri auctoritate Interpretum videlicet: liceatne sibi sequestrare fructus Beneficiorum, etiamsi sint Hierosolymitanorum Militum, ad eorum Ecclesias instaurandas, non obstante Sanctissimi Domini Nostri Constitutione, prout latius in libello continetur? Illustrissimi Patres responderunt*: *id utique A. T. licere*: lib. 7. literarum Sacrae Congregationis pag. 165. Hisce adnotatis definient EE. VV.

I. An liceat Episcopo visitare Ecclesiam s. Leonardi spectantem ad sacram Religionem Hierosolymitanam in casu?

II. An Visitatio facta sit attentenda, et respective servandum saequestrum in casu?

S. C. resp.: Negative ad utrumque.

Die 11. et 25. Jan. 1783.

Perusina.

Nonnullae exstant in Dioecesi Perusina tum parochiales Ecclesiae tum non parochiales, quae de juribus sunt Commendae s. Justini Ordinis Hierosolymitani. Has omnes Ecclesias indistincte visitavit Episcopus Perusinus in prima et secundaDioecesis Visitatione; verum existimansEquesBonacursius dictae Commendae possessor easdem Ecclesias, quae parochiales non sunt, ratione privilegiorum sacrae Religionis a Visitatione Episcopi exemptas esse, conquestiones suas ad sac. Cong. detulit et bina infrascripta dubia ab EE. VV. definienda proponit.

Ad tuenda propria jura repetit ipse ea omnia, quae deduxit in alia identifica quaestione, quam habet cum episcopo Nucerino, et sustinet ecclesias ordini Hierosolymitano addictas nequaquam episcoporum jurisdictioni subjectas esse solumque episcopis licere illas visitare, si parochiales fuerint, quoad ea, quae curam animarum et Sacramentorum administrationem res-

piciunt, nec ad hanc evertendam exemptionem prodessse episcopis longaevam consuetudinem, cum per Constitutionem san. mem. Benedicti XIV. incipientem: *Inter illustria*, sit penitus sublata.

Episcopus refert ex codicibus sacrarum Visitationum deprehendi, ab episcopo Ferniani praedecessore suo anno 1733 visitatas fuisse ecclesias tum paroch. tum non paroch., ac praesertim Oratorium s. Justini eamdemque visitationem explevisse annis 1763 et 1768 Episcopum Amadei et propterea praedecessorum exempla secutum fuisse, dum in prima et secunda Visitatione dictas Ecclesias visitare non omisit; addit, quod licet juxta mandata sac. congreg. promotori fiscali praefixerit terminum ad deducendum jura, nihilominnius ipse *nullam in hac re partem faciet et opponere prorsus omittet, cum ego summum profiteor obsequium erga sacram Religionem Hierosolymitanam et EE. VV. jussibus obtemperare perlibenter promptus ero.*

Quae ad rem conferre possunt, habent EE. VV. ex praecedenti causa *Nucerina juris visitandi* in praesenti folio descripta; perpensis igitur omnibus, quae ibidem animadversa sunt, dignabuntur decernere

I: An liceat Episcopo visitare Ecclesias non parochiales spectan. ad sacram Religionem Hierosolymitanam in casu?

II. An Visitatio facta sit attentenda in casu?

S. C. resp.:

Negative ad utrumque.

Die 11. et 25. Jan. 1783.

36) Ecclesiae ad lucrandas indulgentias.

Vd.: p. 907 n. 37.

a) Ecclesia unica si est in loco.

Urbis et Orbis.

Ex audientia SSmi. Die 15. Mart. 1852.

In sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita apud Vaticanas Aedes die 6. Febr. 1852 habita duo enodanda delata fuerunt dubia:

1. An, scilicet in Jubilaeo tum ordinario tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a PP. Benedicto XIV. traditae, quibus non adversatur Bulla Jubilaei?

2. In Bulla Jubilaei solet praescribi visitatio plurium Ecclesiarum ejusdem civitatis aut loci; sed plurimis in locis unica adest Ecclesia. An in hoc casu Episcopus possit visitationem caeterarum Ecclesiarum in aliud opus pium commutare vel etiam Capellam, Altare, Crucem aliumve pium locum Ecclesiarum loco visitandum designare? Cum vero Emi Patres in generalibus comitiis ut sapra habitis, re mature perpensa, fuerint in voto quoad primum: *Affirmative;* quoad vero secundum: *Supplicandum a SSmo ut per decretum generale facultatem tribuat Ordinariis toties visitandi unicam Ecclesiam quot sunt Ecclesiae pro acquisitione Jubilaei visitandae;* de omnibus per me infrascriptum s. Congregationis Cardinalem praefectum SSmo Domino Nostro PP. Pio IX. facta fuit relatio in Audientia diei 15. Mart. 1852 et Sanctitas Sua de Apostolica benignitate resolutionem ejusdem sacrae Congregationis approbavit ac propositam facultatem Ordinariis in casu et ad effectum de quo supra benigne concessit et ut praedicta concessio omnibus patefiat per Decretum generale publicandum esse mandavit.

Datum Romae ex Secretaria s. Congr. Indulgentiarum.

F. Card. Asquinius Praefectus.

Loco † Sigilli.

A. Columbo, secretarius.

(Anal. J. P. 1853 p. 1206.)

b) Quoties?

Decretum Congregationis s. Benedicti in Gallia. In generalibus Comitiis sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis habitis die 29. Feb. 1864 sequentia dubia per Joannem Baptistam Nisolas Monachum Congregationis Gallicae sancti Benedicti proposita fuere.

1. Cum ex diversis Decretis s. Congregationis Indulgentiarum jam liceat plures plenarias Indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur: an dictum Decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?"

2. Qui Decreto ipso uti voluerit, an teneatur Ecclesiam vel publicum Oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus quot sunt Indulgentiae lucrificandae? Et quatenus affirmative,

3. ,,An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt Indulgentiae lucrandae quin de ecclesia post quamlibet Visitationem quis egrediatur et denuo in eam ingrediatur?"

Hisce itaque ab eminentissimis patribus mature discussis votisque consultorum perpensis respondendum esse statuerunt

ad 1: ,,Affirmative,"
ad 2: ,,Affirmative,"
ad 3: ,,Negative."

Datum Romae ex Secretaria s. congregationis Indulgentiarum die 29. Feb. 1864. F. Antonius Mariae Card. Panebianco Praefectus.

A. Columbo, secretarius

(Anal. J. P. 1854. p. 765.)

c) Modus et Tempus.

Vd.: *n. 37. a.*

Decretum Sac. Congreg. Indulgentiis et sacris Relquiis praepositae. Cum in nonnullis Brevibus ac Indulgentiarum Decretis, praesertim triduorum pro Sanctis et officiorum generalium pro defunctis praetermittantur verba: a primis vesperis usque ad occasum solis etc.: devote visitaverint etc., quae passim in apostolicis Brevibus inseri solent, orta est dubitatio: a quonam tempore Indulgentiae sine praefata clausula expeditae initium sumant; quapropter hujusmodi dubio in sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita discusso die 2. Jul. 1754 eadem Sacra Congregatio declaravit: tempus antedictarum concessionum ab initio diei naturalis, videlicet ab ortu solis incipiendum: et facta per me infrascriptum ejusdem sacrae Congregationis Secretarium die 3. ejusdem mensis SSmo Dno Nostro relatione Sanctitas Sua votum sacrae Congregationis benigne approbavit. Fr. J. Card. Portocarrero Praef. M. Erba Proton. Aq. Secret.

(Anal. J. P. II. Ser. p. 2328. Romae 1857.)

37) Ecclesiae ad Jubilaeum lucrand.

Vd.: p. 906. n. 36.

a) Ecclesia praescripta.

Visitatio est necessario facienda illarum ecclesiarum, quae fuerint ab Ordinario loci aut curam animarum habente designatae, ut habetur clare ex verbis Bullae et tenent communiter Doctores. Hinc Regulares etiam tenentur visitare Ecclesiam seu Ecclesias designatas ab Ordinario et si sua propria Ecclesia fuerit ab Ordinario designata pro Visitatione, Regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, dummodo tantum non fuerit ab Ordinario designata solummodo pro mulieribus, quia tunc tenerentur visitare alienam Ecclesiam designatam pro viris; *Felix Potestas* tom. 1. part 4. n. 3834, *Bard.* et alii. Quando

quis prae nimio hominum concursu nequit ingredi Ecclesiam visitandam, *satisfacit visitanda extra portam ibique orando*, *Lugo* tom. 6. disp. 27. n. 97. *Gobat.* in Quinario tract. 3, cap. 20. n. 129., *Suarez*, *Bonacina*, et alii cum Diana part. 1. tract. 11. resol. 103., *la Croix* loco cit. n. 1433 et alii passim.

Si ratione talis nimii concursus nequidem ad portam Ecclesiae pertingere posset, satis esset visitare et orare in Coemeterio, quia et hoc modo dicitur moraliter visitare Ecclesiam. Coemeterium enim in favorabilibus venit nomine Ecclesiae, argument. cap.: *Odia* 15. de Regulis Juris, ibi: Favores convenit ampliari, *Suarez* tom. 4. d. 42. sect. 1. n. 7., *Lezana* verb.: Jubilaeum n. 11., *Layman* lib. 5. tract. 7. c. 3. n. 4., *Gobat.* l. c. n. 129. et alii.

Quando praescribitur orari in certa Capella vel ad certum Altare Ecclesiae, oportet ingredi, La Croix l. c. n. 1433. et alii.

Quando praescribitur visitatio plurium Altarium in eadem Ecclesia, non sufficit esse in ipsa ecclesia et animo converti ad illa Altaria, sed requiritur, ut aliquo signo, v. g. conversione capitis aut corporis significetur et demonstretur conversio animi ad singula designata Altaria, quia exigitur visitatio sensibilis, nempe talis actio, quae exterius indicet orationem aut alium actum religiosum fieri ad talia Altaria: *Lugo* loco cit. num. 98. *Gobat.* loco cit. num. 131. et alii passim.

Si autem in aliqua Ecclesia non essent tot altaria, quot visitari praescribitur, satisfacit quis tot inclinationes et orationes repetendo ad illa quae ibi existunt, quot Altaria visitare debuisset: Diana part. 1. tract. 11. resolut. 102., *Bellegambe* part. 3. sect. 4. quaest, 9., *la Croix* l. cit. n. 1433., *Escobar* et alii.

Quando praescribitur visitatio plurium Ecclesiarum, non requiritur quod visitentur omnes una die, sed sufficit, quod visitentur inter eamdem hebdomadam, qua quis intendit lucrari Jubilaeum, nisi tamen in aliqua Bulla quid diversum praescribatur, quia tunc esset ipsi standum, *La Croix* loc. cit. num. 1433, et alii passim.

Qui Missam pergit audire in Ecclesia designata, hoc ipso visitat. Belleg. part. 2. sect. 5, *la Croix* loc. cit. num. 1432, et alii.

Visitatio Ecclesiarum potest fieri etiam curru vel equo; *Gobat* loc. cit. num. 132, *la Croix* loco cit. n. 1432, *Benzonius* et alia.

Debet tamen visitatio fieri devote, ut dicit Bulla. Devote autem censetur fieri etiam a constituto in mortali, item ab immodesto et peccante per viam, si modeste ingrediatur Ecclesiam et devote oret in ea, *quia, non est necesse, quod omnia opera paragantur in gratia, sed sufficit si in gratia peragatur opus ultimum. Belleg.* loc. cit. quaest. 5., *Gobat.* loco citat. num. 127. *la Croix* loco cit. n. 1432, *Perynus*, *Navarrus* et alii.

Qui vicini sunt Ecclesiae designatae et qui habitant in ea, ipsam visitando consequuntur tantam Indulgentiam, sicuti illi, qui veniunt a longe, quia remissio non proportionatur labori sed meritis, quae dispensatur. S. Thomas dist. 20. quaest. 1. art. 3. q. 2. ad 4., *Gobat.* loc. cit. num. 131., *Navarrus* et alii passim.

Opera praescripta Jubilaeo lucrando possunt impleri partim in uno loco partim in alio, dummodo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilaei; *Lugo* cit. disp. 17. a n. 123, *Bellegambe* p. 3. sect. 3. q. 6., *Layman* lib. 5. c. 8. n. 11, *Sannig*

lib. 5 decret. tit. de poenit. et remis. cap. 2. n. 16, *la Croix* l. c. n. 1434, *Diana* p. 5. tract. 12. resol. 53, *Castropol. Bonacina* et alii passim. Et ratio est, quia favor Jubilaei est personalis, ex cap.: *autem Privilegium 7 de Regul. Juris in 6. Privilegium personale personam sequitur,* adeoque quocumque quis pergat, fert secum illum istum favorem et jus utendi omnibus jubilaei facultatibus, tum quia Bulla Jubilaei non requirit, ut omnia opera impleantur in loco publicato jubilaei, adeoque etc. Dicitur autem notanter: *Dummodo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilaei, quia, cum visitatio debeat fieri illarum solarum Ecclesiarum, quas Ordinarius designavit, non potest fieri in alio, in quo nondum designatae sunt Ecclesiae visitandae, Layman, Diana* l. c., *Lugo* l. c. n. 127, l. c. n. 90.

Hinc colliges, quod si quis in loco, ubi publicatum est Jubilaeum, visitaverit designatas Ecclesias et inde iter arripuerit, poterit in itinere reliqua opera peragere. *Citati Doctores.* Nec tenetur ratione Jubilaei differe iter in aliud tempus, nam Bulla sine distinctione offert gratiam iter agentibus, l. cit. sub n. 90 in fine et passim.

b) Dispensatio.

Pius PP. VI. ad Poenitentiarios Urbis in s. anno deputandos.

Concedimus iisdem poenitentiariis minoribus, ut dispensare possint super visitatione quatuor Basilicarum cum exteris, qui vel ob paupertatem vel ob aliam urgentem causam in urbe remanere non possunt, aut reducendo ad tres saltem dies visitationes earumdem quatuor basilicarum alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes praescriptas in alia pia opera ad ipsorum poenitentiariorum prudens arbitrium commutando.

Cum civibus autem et incolis Romanis, qui morbo vel aliquo legitimo impedimento detenti non valent praedictas Basilicas visitare, possint praescriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quae illorum possibilitati proportionata esse viderint, dispensando commutare, suam tamen conscientiam oneraturi, si super hujusmodi visitationibus inconsulto et sine justa et rationabili causa, sive cum exteris sive cum romanis civibus aut incolis dispensaverint.

Confessarii porro pro hoc anno sancto a memorata Cardinali vicario designati se omnino gerant quoad absolutionem a censuris ac peccatis et quoad dispensationes juxta facultates ipsis concessas in suis literis a Cardinali majori poenitentiario, facta iisdem quoque facultate dispensandi circa visitationes praescriptas quatuor basilicarum eodem prorsus modo ac poenitentiariis minoribus facta est.

Atque item pariter se gerant confessarii regulares quicumque alias ejusdem Cardinalis vicarii seu ipsius vicegerentis approbationem ad confessiones habentes et insuper per suos respective Regulares praelatos seu superiores ad excipiendas suorum religiosorum confessiones deputati, concessa ipsis etiam facultate dispensandi circa visitationes basilicarum cum suis ejusdem coenobii seu domus regularis poenitentibus eodem quo supra dictum est modo.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. t. Contin. t. V. 2. Ed. Romae.)

Indultum Sanctissimi Domini Nostri pro fidelibus regni Galliarum ut possint hoc persecutionis tempore in Gallia indulgentias lucrari.

Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalum congregationis benigne indulget fidelibus regni Galliarum ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit, ut deficientibus sacerdotibus, qui confessiones excipere valeant praefixo tempore, fideles utriusque sexus ejusdem regni indulgentias consequi possint tum ab eadem Sanctitate Sua tum a romanis pontificibus praedecessoribus concessas sacramentali confessione non praemissa, modo actum contritionis eliciant, cum proposito confitendi quam primum fieri poterit.

Item Eadem Sanctitas Sua benigne indulget, ut iidem fideles propter deficientiam ecclesiarum indulgentias consequi valeant, preces a Sanctitate Sua aut praedecessoribus suis praescriptas recitantes privatis in domibus ad instar oratorium decenter redactis, in quibus catholici coguntur sacra facere.

Ex aedibus Vaticanis die 1. Apr. 1794.

F. X. Card. de Zelada.

(Bull. r. t. Cont. t. IX. p. 318. Ed. Romae.)

Leo XII. ad poenitentiarios et confessarios Urbis tempore jubilaei.

Nostrae itidem charitatis sollicitudines ad eos convertemus qui legitima causa praepediuntur, quominus decretas quatuor basilicarum visitationes exequantur, quales sunt praesertim moniales aliaeque virgines seu mulieres in perpetua clausura viventes, vel oblatae aliaeque in religiosis aut piis domibus seu conservatoriis degentes, nec carceribus seu custodiis detenti et morbis affecti, aliis quippe nostris peculiaribus literis statuemus, quae in Domino magis expedire videbuntur ut plenarii jubilaei participes effici valeant.

Die 21. Oct. 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 277. Ed. Romae.)

c) Ante vel post confessionem.

Pius PP. VI. ad Poenitentiarios Urbis in s. anno deputandos.

Confessionem et communionem pro hoc Jubilaeo consequendo injunctas non necesse est visitationibus quatuor basilicarum praemittere, satis erit vel in hujusmodi visitationum decursu vel etiam post easdem visitationes expletas confessionis et communionis sacramenta suscipere.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. Contin. t. 5. p. 3. Ed. Romae.)

d) Modus.

Vd. p. 907 n. 37. a.

e) A. Surdis Mutis.

Vd.: *Surdomuti.*

f) Reducta.

Pius PP. VI. ad Poenitentiarios Urbis in s. anno deputandos.

Si quod superveniat indultum, quo praescriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur, quisquis ante id indultum visitationes peregisset paucioribus numero diebus, quam qui in indulto praescribuntur, in visitationes a se jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi indulto praescriptarum, superaddendo nimirum alias, quae desint ad explendam summam indulto praefinitum. Si vero eam summam seu numerum antea jam explevisset vel etiam excessisset, unum saltem diem visitationis quatuor basilicarum praeterea adjunget, ut indulti beneficio frui valeat.

Die 26. Feb. 1775.

(Bull. r. Contin t. V. p. 3. Ed. Romae.)

38) Ecclesiae visit. modus.

In Visit. Ecclesiae est inquirendum:

1. An aedificentur ecclesiae, capellae, oratoria publ. absque licentia Episcopi et dote et quae jam aedificatae fuere, sint collapsae et indigeant reparatione? can.: *Nemo Ecclesiam*, can.: *Nullus presbyter.* dist. 1. de consecr.

2. An altaria habeant in medio saltem lapidem s. debitae latitudinis coopertum tela cerata, gradum ligneum vel lapideum cum duobus candelabris et cruce cum imagine Crucifixi? can.: *Si motum* dist. 1. de consecr.

3) An dicta altaria habeant icones integras decenter depictas cum imaginibus s. ab Episcopo benedictis?

4. An sint mensae eorundem altarium lectae cum tribus mappis albis et mundis, quarum superior ab utroque latere usque ad suppedaneum descendat?

5. An habeat suppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus vel legili et tabellas sacri convivii, Lavabo et: In principio?

6. An altaria sint proportionatae altitudinis et longitudinis, muro undique pleno et incrustato ac signo crucis in facie munita cum pallio?

7. An muri, tectum, pavimentum, valvae, campanae et campanile indigeant reparatione?

8. An in Sacrario adsint suppellectilia omnium colorum integra et munda, an armaria, in quibus custodiantur, an calices et patenae deauratae, an corporalia, pallae, purificatoria, manutergia, bursae, bireta, vela, missalia omniaque decentia et expolita? can.: *in Sancta,* et can.: *Vestimenta,* de consecr. dist. 1.

9. An adsint sedilia vel scamna, quae sacerdotes celebrantes aut functiones Ecclesiae perturbent et impediant?

10. An aqua lustralis sit in vase expolito et renovetur singulo octava die?

11. An adsit inventarium bonorum et ss. suppellectilium?

12. An pro Sacrificio missae peiviculae mundae, ampullae, campanulae, manutergia, hostiae albae et instrumenta pro illis necnon particulis rotundendis?

13. An sit libera vel potronata?

14 An habeat portam habentem aditum immediatum in domum laicorum, quae debet claudi si inveniatur habere?

15. An campana seu campanae sint ab Episcopo benedictae?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267)

Vd.: *Visit. Sacristiae.*

In Visit. Eccl. peragenda est inquirendum de:

1) Choro.
2) Cruce magna in medio, alto loco cum Salvatore.
3) Sede episcopali cum gradibus et umbella.
4) Navibus Ecclesiae.
5) Parietibus.
6) Imaginibus Sanctorum.
7) Pulpito.
8) Fenestris.
9) Sepulchris.
10) Sedibus mulierum et populi.
11) Divisione sexus.
12) Tecto.
13) Pavimento.
14) Armariis.
15) Arculis eleemosynarum.
16) Vasibus aquae benedictae.
17) Porta.
18) Super eam imagine.
19) Cruce in culmine.
20) Caemeterio.

21) Clausura.
22) Cruce lignea.
23) Arboribus.
24) Campanili.
25) Campanis.
26) Earum benedictione.
27) Funibus, scalis.
28) Culmine.
29) Cruce.
30) Ostio.
31) Clavibus.
32) Usu earum.
33) An ad laicorum negotia?
34) Confessione sub Altari majori.
35) Patrono.
36) An profana serventur ibi?
37) Epitaphiis indecoris.
38) Sepultura pro Clero.
39) Sepultura pro pueris.
40) Ecclesiae titulo.
41) Dedicatione.
42) Festis utriusque.
43) Officio, quo ritu.
44) Aliis Festis propriis.
45) Indulgentiis.
46) Stationibus.
47) Oratione quadraginta Horarum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

39) Ecclesiar. nullius Dioecesis.

Vd.: *Visit. Commendat.*

Gravissima se offert quaestio: an ex Concilio Trid. sess. 24. c. 9. de ref. loca nullius dioec. visitari queant ab Episcopo qua ap. Delegato, cujus Ecclesia cathedr. est proximior?

Una omnium sententia est: Ecclesias nullius *regulares* visitari haud posse; et quoad ecclesias nullius *saeculares* sunt, qui distinguunt inter Ecclesias *nullius proprie,* ut sunt jam a dioecesi separatae, in quibus Praelatus inferior habet omnimodam quasi episcopalem jurisdictionem, et ecclesias *nullius improprie,* ut sunt positae intra fines dioecesis, in quibus Praelatus inferior habet quasi episcopalem jurisdictionem sed non omnimodam. Visitari autem posse illas negant, hasce vero affirmant *Ciarlin.* controv. 67. n. 25. lib. 1. et controv. 22. n. 112. et seq. l. 2., *Ros.* de resid. Ep. c. 4. sect. 6. n. 483. et seq.; *Crispin.* de visit. part. 1. §. 13. n. 40., *Manent.* de Potest. Episc. p. 3. c. 6. n. 2.

Alii absolute affirmant, jus esse Episcopo ex citata conciliari sanctione visitandi ecclesias nullius etiam proprie. *Fagn.* in cap.: *Grave* n. 21. de off. Ordinar.; *Barbosa* ad Concil. Trid. d: sess. 24. d. c. 9. n. 2. et sequ. de reform.; cl. m. *Card. Petra* in comment. ad const. apost. const. 4. Calixti III. n. 141. et seq. aliique. Et huic opinioni videtur adhaesisse Rota in Nollana Benef. 25. Junii 1759 cor. R. P. D. Paracciano Decano.

Mihi autem magis arridet prior opinio distinguens ecclesias *nullius improprie*; hujusce opinionis plures eaeque solidae et ineluctabiles afferri possent rationes, sed ea hic sufficiat, quae ex ipsis verbis Concilii Trid. s. 24. c. 9. de ref. desumitur. Verba sunt: „Quae alias etc. de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in illis ecclesiis saecul. observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur, ut ab Episcopo, cujus Cathedralis est proximior, visitentur.“

Satis enim hinc patet, quod Conc. de ecclesiis loquitur, non quae vere et proprie sunt *nullius*, sed abusive et improprie *nullius* sunt. Si enim loqueretur de ecclesiis, quae vere et proprie sunt nullius, inquiisset non: in *nullius dioecesi esse dicuntur,* sed: in *nullius dioecesi existunt*: nam aliud: *in nullius dioecesi dici* etc. denotat

primum *proprietatem* ac *veritatem*, secundum vero *improprietatem* et *abusum*, ut monet *Rebuff.* in leg. 3 §.: Ejus, qui ff. de verb. signif.

Quid plura? Satis esse debet ea, quae in s. Congr. Ep. et Reg. negotiis praeposita, tum in altera concilii interprete obtinet praxis comittendi quandoque Episcopo viciniori, ut visitet loca haec vere et proprie *nullius*, in quibus inferior Praelatus habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem ad tramites facultatum ipsi communicatarum, ut testatur *Card. de Luca* in adn. ad Conc. Trid. discurs. 15. n. 10., *Crispin.* de visit. p. 1. §. 13. n. 40. Quomodo enim asseri potest, Concilium Trid. episcopo viciniori qua Delegato ap. potestatem fecisse visitandi mox dicta loca, si vicinior episcopus visitare ea nequit jure suo sed opus habet commissione alterutrius s. Congregationis nec transire valet limites facultatum ipsi communicatarum?

Quod vero attinet ad decisionem Rotae in Nolana beneficiorum 26. Jun. 1759, satis esset dicere, quod ea est contumacialis; sed accedit hoc amplius, quod denuo proposita causa die 3. Mart. 1760 coram eadem s. Tribunal nil definire voluit de hoc articulo.

40) Eccles. par. et cur. regular.

Vd.: *Visit. Ecclesiae exemptae*; *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig.); *Visit. Eccles. Confrat.*; *Visit. Episc.* (capellae).

Visitare potest Episcopus *jure ordinario* eccles. regul. et alio modo exemptas, quibus imminet cura animarum saecul. personarum et clerici tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quae curam et sacramentorum administrationem spectant, jurisdictioni, visitationi et exercitioni Ordinarii.

S. C. C. die 23. Jun. 1725 *Lycien.* §: *Pluribus.*

Episcopus nec jure ordin. nec deleg. visitare postest ecclesias *non curatas*, quae sunt de mensa monasterii eique subjective unitae.

Ibid. §: *Haec quoad.*

Jurisdictio vel ordinaria vel delegata episcopis super ecclesiis unitis monasteriis vel commendatis non est privata, sed cumulativa cum inferioribus, ita tamen, ut visitante tam episcopo quam inferiore et decreta edentibus, praevalere debeant decreta episcopi, si adversentur decretis inferiorum.

S. C. C. die 29. Julii 1628.

Licere episcopo visitare *jure delegato* ecclesiam campestrem non curatam et cui saeculares non deserviant, ad monasterium Carmelitarum pertinentem, posse vero celebrare PP. Carmelitas in illa ecclesia consuetas festivitates sine licentia et assistentia parochi sedesque confessionales in ea retinere.

Die 17. Aug. 1726 *Placent.*; 11. Jan. 1727.

Eodem modo Episcopum visitare posse capellam ruralem Carthusian. in ipsius dioecesi pertinentem.

Die 15. Mart. 1727 *Montis Regalis.*

Ad dub.: An Episcopo Placentino liceat visitare Ecclesiam s. Mariae PP. Carmelit. calceat.?

S. C. C. resp.: Affirmative jure tamen delegato.

Die 27. Julii et 17. Augusti 1726. *Placentina.*

Vd.: *Visit.* (capellarum etc.; regul.); *Regular.* (jurisd. etc.)

Episcopus potest *jure delegato* visitare ecclesiam ruralem seu campestrem

s. Mariae Galliani pertinentem ad Monachos Olivetanos.

Lycien. Visitationis et Censur. 29. Jan. 1724 et 23. Junii 1725.

Episcopus potest *jure delegato* visitare ecclesiam campestrem s. Mariae de Albiano Pontis Nurii spectantem ad Carmelitas calceatos.

Placentina 17. Aug. 1726.

Episcopus visitare potest capellam ruralem sub titulo B. V. M. ad Nives in sua dioecesi in finibus loci Morosii spectantem ad Monachos Carthusianos.

Montis Regalis 25. Nart. 1727.

Alexand. VII. constit. incip.: Posito decreto etc. approbaverat declarationes S. C. Ep. et Reg., quod nempe visitationi et jurisdictioni Ordinarii subsint ecclesiae conventuum et capellae granciarum sive in eis degant conversi pro agrorum cultura sive non.

Jurisdictio episcoporum visitandi parochiales ecclesias fratrum militum sancti Joannis Hierosolymitanti quoad animarum curam et administrationem sacramentorum.

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii debitum, cui, disponente Domino, praesidemus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae discordiarum et litium ac controversiarum quarumlibet materia tollatur.

§. 1. Sane cum nonnulli ex venerabilibus fratribus episcopis dilectos filios, magistrum, bajulivos, castellanum empostae, priores, donatos, capellanos, fratres, milites et alias quascumque personas hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, ratione ecclesiarum curam animarum habentium illarumque rectores et ministros, ad ipsum magistrum spectantium et pertinentium, juxta s. oeconomiciConcilii Tridentini decreta, visitare, dictus vero magister et alii praedicti ipsos illorumque ecclesias, capellanos et ministros dictis decretis minime comprehendi sed ab illis exemptos esse praetenderent, materia quaestionis orta.

§. 2. Nos igitur, eorum paci et quieti consulere volentes, omnes lites et controversias hujusmodi, tam in romana curia quam alibi, coram quibuscumque judicibus, in quacumque instantia pendentes illarumque status et merita pro sufficienter expressis habentes, ad Nos avocantes, eas cassamus, extinguimus et super illis perpetuum silentium imponimus ac omnes dictae militiae personas a quibusvis censuris, harum controversiarum occasione contra eas per quoscumque latis et incursis, absolvimus.

§. 3. Et ne in futurum aliqua amplius controversia oriri possit, decernimus, declaramus, statuimus omnes et singulos locorum episcopos et alios superiores tamquam apostolicae Sedis delegatos, omnes et quascumque parochiales ecclesias caeteraque beneficia ecclesiastica suarum civitatum et dioecesium, quibus animarum cura imminet, ad dictam religionem ejusque milites, capellanos, ministros, rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis episcopalem et temporalem jurisdictionem religio et milites praedicti haberent eorumque ecclesias, rectores, vicarios et ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quae animarum curam illiusque exercitium et sacramentorum administrationem respiciunt) visitare omnesque actus visitationem concernentes exercere posse et debere; ac rectores caeterosque hujusmodi ministros, curam animarum exercentes, minus idoneos repertos, si quidem ad nutum amovibiles sint, statim amovere, sin vero titulares sint, illico suspen-

dere ac superiores eorum monere, ut intra aliquem brevem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos episcopos et alios superiores examinatos et approbatos, titularibus vero suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos et approbatos, ut supra, in coadjutores seu vicarios, juxta decretum concilii sessione vigesima prima, capite sexto. Interea vero dum haec subrogatio seu deputatio fiat, ipsi episcopi et alii superiores, pro necessitate curae animarum, provideant arbitrio suo; quod si superiores dictorum rectorum et ministrorum intra tempus praefixum non subrogaverint aut deputaverint ut supra, tunc, dicto termino elapso, ipsi episcopi et alii superiores alios, praevio examine, juxta ejusdem concilii formam idoneos repertos, in locum amotorum subrogent. Titularibus vero suspensis coadjutores deputent juxta dictum capitulum sextum sessione vigesima prima, qui tamen in dictis parochialibus perinde inserviant ac si subrogati aut deputati ab ipsis superioribus religionis et militum praedictorum fuissent.

§. 4. Volumus autem quod episcopi et alii superiores praedicti visitationem hujusmodi et praedicta omnia solum tamquam Delegati apostolicae sedis et gratis et absque ullis dictae religionis rectorum et ministrorum impensa et onere faciant.

§. 5. In collatione item ordinum, necnon consecratione ecclesiarum et sacrorum vasorum ac benedictionibus et aliis actibus spiritualem curam concernentibus ac institutione praesentatorum ab eisdem militibus ad beneficia aut approbatione seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum praesentium vigore contigerit, gratis omnia faciant et diligenter attendant ut nullos admittant, qui qualitates a concilio requisitas non habeant ac praevio examine juxta ejusdem concilii decreta idonei non existant.

§. 6. Nolumus autem episcopos et alios superiores locorum suprascripta facultate visitandi uti, qui cum eadem religione et militibus super jurisdictione episcopali in locis visitandis coram quibuscumque judicibus litigent, nisi ipsi episcopi et alii superiores in quasi possessione antiqua exercitii jurisdictionis hujusmodi existerent, salvo tunc jure utrique illaeso in petitorio, sed quod episcopi et alii superiores jus aliquod in jurisdictione hujusmodi non habentes nullumque interesse prorsus praetendentes, facultate praedicta utantur.

§. 7. Nolumus item per praesentes ullum afferri praejudicium juri visitandi dictas parochiales ecclesias et alia beneficia curam animarum habentia, quod antea religioni et militibus praedictis competebat.

§. 6. Inhibemusque expresse dictis episcopis et aliis superioribus ne hac visitandi facultate, eis per praesentes concessa, alio utantur modo quam praescripto.

§. 9. Sicque per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 22. Sept. 1571.

(Bull. r. t. VII. p. 943. Ed. Aug. Taur.)

Lycien.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. De ref.)

Cum visitatores deputati ab episcopo Lycien. accessissent ad quamdam ec-

clesiam sitam in loco Galliani Dioecesis Lycien., nonnulli Monachi Olivetani monasterii ss. Nicolai et Cataldi Civitatis Lycien. se huic visitationi opposuerunt sub obtentu exemptionis memoratae ecclesiae et pertinentiae ad suum monasterium.

Paulo post cum ecclesiae festivitas immineret et Archipresbyter Oppidi Turchiarosi ad eam pariter accessisset, ut sacerdoti Andreae de Laurentio sacristae opem ferret, parando necessaria pro decenti ecclesiae ornatu, nonnulli Monachi Oliveteni conversi, vi adhibita, utrumque ab ecclesia expulerunt delataque ab expulsis notitia expulsionis ad curiam episcopalem percussores fuerunt declarati excommunicati et sic ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus evitandi.

Ex his bina controversia inter monachos et Curiam episcopalem Lyciensem exorta est, altera videlicet super facultate visitandi Ecclesiam ruralem s. Mariae Galliani et altera sub validitate censurarum.

De his factum alias fuit in hac s. Congr., cumque Promotor Fiscalis demonstrasset, non esse dubitandum de situatione ecclesiae in dioecesi Lycien., et ulterius addidisset, eam nullo modo pertinere ad monasterium, cum ecclesia pertinens ad monasterium non sit illa, de qua nunc agitur, sed alia sub titulo s. Anastasiae, quae ex injuria temporum fuit aequata solo, et quod, quatenus ad monasterium pertinuisset, eadem semper potuisset jure delegato visitari juxta *cap. 8. sess. 7. de reform.*, etiamsi praecedentes episcopi eam numquam visitassent, cum exercitium jurisdictionis in toto territorio jus episcopale praeservet in ecclesia etiam, quae numquam fuisset visitata, uti colligitur ex folio Congregationis habitae die 18. Decembris 1723, bina tandem fuerunt dubia disputata in Congregatione habita die 29. Jan. 1724, quorum primum fuit: *An Ecclesia ruralis s. Mariae Galliani sit subjecta jurisdictioni et visitationi Episcopi in casu?* Et huic dubio responsum fuit: affirmative. Secundum fuit: *An censurae sustinerentur in casu?* Et huic dubio nulla data fuit responsio, ex quo ignorabatur, an auditor S. S. causam etiam remisisset ad hanc s. Congregationem quoad punctum censurarum. Cumque quoad primum dubium impetrata fuerit a Monachis nova audientia et certa sit in praesenti remissio causae ad hanc s. Congregationem etiam quoad punctum censurarum, bina idcirco proponuntur in praesenti dubia disputanda, quae ad calcem restrictus referuntur.

Pluribus in locis sacrum Concilium Tridentinum loquitur de jure episcopis competente in visitando ecclesias regulares et alio modo exemptas; si etenim alicui monasterio immineat cura animarum personarum saecularium, personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cujus sunt dioecesi, uti habetur *sess. 25. de regul. cap. 11.* et haec Episcoporum jurisdictio non est delegata, sed ordinaria, cum per concilium exemptio regularium in eo, quod attinet ad curam animarum, jam fuisset de medio sublata in cap.: *per exemptionem* de privilegiis in 6. et est sententia hujus s. Congregationis, de qua apud *Fagnan.* in cap.: *Cum dilectus* n. 42. de religiosis domibus, et discusso articulo firmavit Rota in Firmana jurisdictionis 10. Maii 1700 §. 22. et seqq., et in Firmana jurisdictionis super modo visitandi 13. Martii 1702 per totam et signanter num. 22. et seqq. cor. bo. mem. Molines Decano. Item sacrum

Concilium sess. 7. cap. 7. de reform. dat Ordinariis facultatem singulis annis visitandi beneficia ecclesiastica curata, quae perpetuo unita sint et annexa monasteriis et quando agitur de monasteriis et Abbatiis commendatis, in quibus non vigeat regularis observantia, necnon de beneficiis tam curatis quam non curatis, saecularibus et regularibus, qualitercumque commendatis, tunc episcopus uti sedis apostolicae delegatus potest ea singulis annis visitare juxta caput 8. sess. 21. de reform., quod procedere dicitur tam in monasteriis commendatis quam in eorum membris, quoties in eis non vigeat regularis observantia, ut late ostendit *Rota* in Firmana jurisdictionis super reservatis 15. Aprilis 1701 §. 25. cor. bo. me. Molines.

Haec quoad Ecclesias regulares, in quibus adest cura animarum, vel quoad ecclesias commendatas et monasteria pariter commendata, in quibus non viget regularis observantia, quoad reliquas autem quascunque ecclesias quomodolibet exemptas, sive illis immineat cura animarum sive non, idem sacrum Concilium sess. 7. cap. 8. de reform. dat locorum Ordinariis auctoritatem easdem singulis annis visitandi et auctoritas ibi data a Concilio est delegata, uti ex textu colligitur et bene adnotavit *Fagnan.* in cap.: *cum dilectus* num. 43. de religiosis domibus, et quamvis caput hoc pertinere videatur et respicere ecclesias saeculares, extenditur nihilominus ad ecclesias, quae spectant ad regulares, si eisdem deserviatur a saecularibus, juxta resolutionem hujus s. Congregationis 15. Februarii 1596 lib. 8. decret. pag. 163. a tergo, ibi: *Congregatio Concilii respondit, posse Episcopum visitare quascumque Ecclesias saeculares intra fines suae dioecesis existentes vigore capitis 8. sess. 7. etiamsi ad regulares pertinent et ab eis dependeant*, *dum tamen per saeculares eis deserviatur, nisi forte ageretur de Ecclesiis non curatis et quae essent de mensa monasterii seu subjective unitae monasterio, hae siquidem nec jure ordinario nec jure delegato possunt ab Episcopo visitari*, juxta late firmata per *Rotam in Firmana* jurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702 § 4. et seqq. cor. bo. mem. Molines, et in Burgen. jurisdictionis seu visitationis 3. Julii 1713 §: *Quoad reliqua*, et 19. Januarii 1714 §: *Respectu vero* cor. bo. mem. Barbadico, et jurisdictio a sacro Concilio tributa Episcopis cap. 7. et 8. sess. 7. de reform. et cap. 11. sess. 25. de regul., de qua supra, non est privativa sed cumulativa cum inferioribus juxta resolutiones hujus s. Congregationis apud *Fagnan.* in cap.: *Quanto* num. 31. et 32. de officio Ordinarii, et in cap.: *privilegia* n. 40. de privilegiis, et secuta est Rota in Firmana jurisdictionis supra citata §. 39. coram bo. mem. Molines et in citata pariter Burgen. jurisdictionis 19. Jan. 1714 §: *Ubi praetermittenda*, cor. bo. mem. Barbadico: ita tamen ut visitantibus tam episcopo quam inferiore *et decreta edentibus praevalere debeant Episcopi decreta, si haec adversentur decretis inferiorum*, juxta resolutionem hujus s. Congregationis 29. Julii 1628 in causa Veronen. lib. 13. decr. pag. 490. a tergo ibi: *non prohiberi dictis Superioribus regularibus decreta facere, dummodo decretis Episcopi non adversentur, quae tali casu praevalere et observari debent.*

Ad tramites eorum, quae hucusque deducta sunt, contendunt Monachi Olivetani, se et suas ecclesias omnes esse exemptas a jurisdictione episcopi nec ullo modo sibi posse vindicare locum dispositionem sacri concilii aut sess. 21. de reform. aut sess. 25. de

Regul. cum in praesenti non agatur aut de ecclesia habente curam animarum aut de ecclesia commendata, idemque judicium ferendum esse de cap. 8. sess. 7. de reformat. cum deficiat in facto suppositum, quod ecclesiae rurali s. Mariae Galliani deserviatur a presbyteris saecularibus, uti fusius videri potest in ipsorum scriptura per manus circumferenda, in qua etiam contendunt, censuras latas nullitatis vitio laborare, cum latae fuerint post interpositam appellationem et cum factum non esset notorium, in quo solo casu episcopus potest exemptos declarare incursos in censuras. Addunt, eumdem Ordinarium judicialiter processisse, quod est ipsi vetitum, quando agitur de exemptis, licet factum sit notorium, et demum concludunt, factum non esse probatum et sic censuras non tam nullitate quam injustitia laborare.

Quando alias actum fuit de hac eadem causa in hac sacra Congregatione nonnulli ex EE. PP. ponderarunt, ut videretur: an applicabilis esse posset dispositio bullae 55. Innocentii X. bull. t. 5., in qua subduntur visitationi et correctioni Ordinarii uti Sedis apostolicae delegati conventus et granciae monasteriorum, in quibus sex religiosi non aluntur? et etiam: an applicabiles sint resolutiones s. Congr. super statu regularium, quae referuntur n. 4. inter constitutiones Alexandri VII. bull. tom. 6. ubi dicitur, ecclesias et capellas Granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, posse ab Episcopo visitari et etiam subesse visitationi episcopi ecclesias et capellas granciarum, in quibus nullus degit conversus.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere

1: An sit standum vel recedendum a decisis?

2. An censurae sustineantur in casu?

S. C. C. resp. ad I.: In decisis, jure tamen delegato;

ad II: Negative et amplius.

Die 23. Junii 1725.

Larinen.

In abbatia s. Agathae, quae dicitur Grancia monasterii Insulae Tremitanae ad Canonicos regulares Lateranenses spectantis, extat ecclesia, in qua cum ab uno ex eisdem religiosis administrarentur sacramenta colonis, episcopus anno 1653 consuluit hanc sacram Congregationem, an ei liceret ecclesiam illam visitare. Itaque die 20. Decembris ejusdem anni s. Congregatio respondit: Sacrum Concilium assistere episcopo necnon constitutionem Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, ideo exequendum, ut in lib. 19. decr. pag. 296.

Cum vero abbas de hujusmodi decreto edoctus affirmaverit curam animarum minime exerceri in ea ecclesia, episcopus anno 1654 edidit hoc decretum: „Non esse visitandam dictam abbatiam pro cura animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur curatus et exigeretur fons baptismalis et exerceretur in ea cura animarum non inservientium monasterio.“ Atque hinc consueverunt incolae sese gerere tanquam subjectos quoad parochialia munia archipresbytero Serrae Capriolae.

At cum recenter compertum habuerit episcopus conferri in ea ecclesia s. Agathae baptismum aliaque sacramenta, supplex postulavit proponi dubium:

An liceat Episcopo Larinen. visitare Ecclesiam s. Agathae Insulae Tremitarum quoad sacramenta et sa-

cramentalia, itaut sit standum vel recedendum a decisis die 20. Decembris 1653 in casu?

S. C. C. resp.: Dilata et interim Canonici regulares abstineant ab exercitio curae animarum in ecclesia s. Agathae.

Die 27. Junii 1733.

Continuatio Larinen.

Episcopus Larinen. anno 1653 petiit declarari ab hac s. Congregatione: an ei jus esset visitandi ecclesiam existentem in abbatiae s. Agathae, quae esse dicitur Grancia Monasterii Tremitani Canonicorum regularium Lateranensium. Responsum vero fuit die 20. Decembris ejusdem anni in haec verba: S. Concilium assistere episcopo necnon constitutionem Gregorii XV. de exempt. privileg. ideo exequendum ut in lib. 19. decr. pag. 296.

Hoc edito decreto, cum episcopus tunc temporis visitationem esset aggressurus illius ecclesiae in iis, quae versabantur circa sacramentorum administrationem negavit abbas monasterii ullum curae animarum exercitium obiri consuevisse in ea ecclesia quoad laicos. Itaque episcopus anno 1654 decrevit: Non esse visitandam dictam abbatiam pro cura animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur curatus et erigeretur Fons baptismalis et exerceretur in ea cura animarum non inserventium monasterio.

Cum tamen hodiernus Episcopus compererit nunc in ea ecclesia sanctae Agathae administrari incolis baptismum aliaque sacramenta cum parochialium munium exercitio, institit declarari: an sibi liceret eamdem ecclesiam visitare ad normam rescripti, ut dictum est, editi anno 1653. Causa autem proposita die 27. Junii superioris anni ejusque decisionem differri postulante abbate prodiit rescriptum hoc: Dilata et interim Canonici regulares abstineant ab exercitio curae animarum in ecclesia s. Agathae.

Nunc vero abbas monasterii Tremitani duo potissimum demonstrare nititur, videlicet quod in memorata ecclesia s. Agathae jam inde a multis annis consueverint sacramenta administrari incolis ejus oppidi quodque ecclesia et oppidum nullo modo subsint jurisdictioni Episcopi Larinensis sed imo extra fines dioecesis. Larinen. existant atque in separato territorio abbatis Monasterii Tremitani.

Quantum pertineat ad primum, abbas docet fuisse jam tum ab annis circiter sexaginta in ea ecclesia s. Agathae gestum quicquid ad parochi officium spectat, nuptias nempe conciliando juxta Tridentinae Synodi praescriptum, infantes expiando aqua salutis, extremis muniendo sacramentis aegrotos et sepeliendo mortuorum cadavera. Episcopus tamen etiam docet quandoque incolis oppidi s. Agathae administrata fuisse sacramenta ab archipresbytero vicini oppidi Serrae Capriolae, quasi eorum parocho.

Quo vero ad alteram longe graviorem assumpti partem in medium profert abbas plura pontificia diplomata ex quibus adstrui putat veram conditionem territorii separati.

At perpendendum erit, num ea diplomata exemptionem dumtaxat monasterii ejusque abbatis impertiantur, an vero etiam jurisdictionem quasi episcopalem in populum, cum territorio a quacumque alia dioecesi sejuncto. Praeterea videtur etiam animadvertendum diplomata illa agere de monasterio insulae Tremitanae, non vero etiam de oppido s. Agathae ejusque ecclesia. Contendunt tamen Canonici Lateranenses abbatiam s. Agathae esse

granciam Monasterii Tremitani proindeque eisdem potiri privilegiis. Denique ut oppidum s. Agathae excludant a Dioecesi Larinensi, vetera quaedam proferunt monumenta, quatuor vel quinque ab hinc saeculis edita, in quibus describitur ambitus dioeceseos Larinensis pluraque enumerantur oppida vel pagi, nulla tamen facta mentione oppidi s. Agathae.

Monumentum itaque hujus causae in eo ponitur, an satis constet oppidum s. Agathae ejusque ecclesiam sic esse in territorio separato, ut unice subsit spirituali jurisdictioni abbatis monasterii Tremitani; nam ceteroquin si in dioecesi Larinensi existat, sique incolae ejusdem oppidi comprehendantur sub grege Episcopi Larinensis, sique demum cura animarum inhaereat eidem Ecclesiae, manifestum utique erit arceri non posse Episcopum Larinensem a visitanda memorata Ecclesia, utcumque exempta, nam ecclesias etiam regulares vel monasteriis annexas, in quibus parochialis cura saecularium exerceatur, Episcopus possit ac debeat visitare in iis, quae ad hujusmodi exercitium spectant, decernitur a s. Conc. Trid. sess. 7. cap. 7. et 8. de Ref. ipsique etiam Religiosi in spectantibus ad exercitium curae animarum sacramentorumque administrationem subjecti sint jurisdictioni et visitationi et correctioni episcopi dioecesani, quemadmodum cautum fuit ab eadem synodo cap. 17. sess. 25 de regular. eamdemque legem confirmavit Gregorius XV. in constit., quae incipit: *Inscrutabili* §. 4.

Partes itaque hujus sac. congreg. erunt definire:

An liceat Episcopo Larinen. visitare ecclesiam s. Agathae insulae Tremitarum quoad sacramenta et sacramentalia, itaut sit standum vel recedendum a decisis die 20. Dec. 1753 in casu?

S. C. C. rep.:
Affirmative et amplius.
Die 9. et 23. Jan. 1734.

Amalphitana.

In obsequium resolutionis S. C. C. parochus seu abbas commendatarius cathedraticum ab anno 1709 usque ad annum 1722 pacifice persolvit; subinde verbo cum ab ejus praestatione destiterit, recentiori ipsius exemplo adhaerens abbas Minerva in commendam dictae parochialis seu abbatialis ecclesiae successor non solum detrectat hodie cathedratici jura praestare, verum etiam contendit, archiepiscopum Amalphitanum neque praefatam parochialem seu abbatialem ecclesiam visitare neque occasione visitationis quidquam posse procurationis nomine exigere, iisdem prope innixus rationibus, quas jamdudum expendendas sacrae congregationi proposuerat ejus praedecessor.

Ad extinguendas itaque lites inde exortas atque ad sarta tecta servanda jura suae mensae archiepiscopus veteri fretus consuetudine, juxta quam putat satis probari, tum cathedraticum tum procurationem archiepiscopo antedictam abbatialem et parochialem ecclesiam visitanti fuisse a parocho seu abbate commendatario saepedictae ecclesiae anteactis temporibus persolutam, duo mox describenda dubia decidi postulat:

I. An eidem Archiepiscopo competat jus visitandi praedictam ecclesiam s. Mariae? Quatenus affirmative,

II. An Archiepiscopo debeatur procuratio in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative in omnibus et amplius.

Die 24. Jan. et 14. Mart. 1739.

Episcopus potest visitare quascumque Ecclesias saeculares intra fines suae Dioecesis existentes etiamsi ad

Regulares pertineant et ab eis dependeant, dum tamen per saeculares eis deserviatur et hoc vigore Concilii Trident. sess. 7. de reformat. cap. 8. Sic decisum fuisse referunt *Armendar.* in add. ad recopil. leg.; *Navar.* lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. n. 3, *Ventriglia* prax. part. 2. annotat. 24. §. 1. n. 7. Secus autem Ecclesias Regulares Nullius Dioecesis, ut ex Tridentino et Decreto sacrae Congregationis ad longum probat *Fagnan.* et *Matthaeucc.*

Vicinior episcopus potest visitare Beneficia saecularia et Clericos saeculares Abbatiae Nullius Dioecesis ipsosque culpabiles repertos corrigere; et dicitur vicinior episcopus solum ille, cujus Cathedralis ecclesia sit abbatiae proximior, non autem locus dictae Abbatiae subjectus. *Barbosa* supra Trid. cit. sess. 24. cap. 9. num. 4 attestans sic decisum fuisse die 2. Aug. 1596.

Item visitare potest omnes ecclesias curatas Monasteriis Regularium unitas. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 7. et sess. 25. de Regularibus cap. 11. In iis enim, quae spectant ad curam animarum saecularium, tam Ecclesiae quam personae regulares curam exercentes subjacent jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, ut decisum fuisse sub die 4. et 6. Jun. 1627. refert. *Barbosa* supra concil. sess. 25. de Regularibus cap. 11. n. 4. et 5., et novissime sacra congr. concilii in Mediolanen. 12. Nov. 1689 et Cong. particularis deputata ab Alexandro VIII. in causa Hispalen. 30. Jan. 1694. in respons. ad 6. ad relata in Congr. generali, 18. Aug. 1696. apud *Monacell.* par. 1. tit. 5. formul. 2. n. 2.

Dummodo tamen ecclesia parochialis non sit illius conventus, in quo Generalis ordinis habet residentiam ordinariam, quia ipsa gaudet exemptione a Jurisdictione Ordinarii. Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 11. et sacra Cong. Concil. in Lauden. Jurisdictionis 1. Dec. 1691, in qua plene articulo discusso et partibus informantibus fuit resolutum: Constitutionem Gregorii XV. incipientem: *Inscrutabili*, non derogasse privilegio cap. 11. sess. 25. de Regularibus favore Generalium ordinum concesso. Sic refert *Monacell.* part. 1. tit. 6. formul. 20. n. 14. et sic alias censuit eadem sacra Congreg. teste *Ventriglia* part. 1. annotat. 48. §: *unico* num. 91. Quamvis *Barbosa* in Summa apostolic. decision. verb.: Visitare ecclesias et loca Regularium quando possit episcopus, referat ex Armendar. et Lezana sacram Congr. Concilii censuisse, quod visitare possit episcopus ex Decreto Concilii sess. 7. cap. 6. de reform. ecclesias parochiales unitas Monasterio canonicorum regularium, tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat.

Quamvis episcopus possit visitare ecclesias parochiales Monasteriis Regularium unitas vel annexas, nequit tamen visitare domos ipsarum parochialium, in quibus non viget regularis observantia, sed in eis habitant soli Parochi saeculares ab eo approbati, ut alias respondit sacr. Congreg. apud *Fagnan.* lib. 1. Decretal. de cap.: *Grave gerimus* 19. n. 16. in officio Ordinarii.

Ad dub.: An Parochi regulares cujuscumque Ordinis illi sint et praesertim Praemonstratenses, Cistercienses et Benedictini exercentes curam animarum personarum saecularium, et non commensalium in parochiis in Dioecesi Omolucensi, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae et annexae sive sint de Jurepatronatus, etiamsi

cura Animarum residere dicatur in Abbatibus, visitationem episcopi subire teneantur in iis, quae pertinent ad curam animarum, sive episcopus visitet per se sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum Monasteriorum?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 7. Jun. 1755.

Palentina.

Monasterio s. Zoili ordini. s. Benedicti, quod est in oppido de Carrion Palentinae dioecesis, univit san. mem. Sixtus IV. parochialem ecclesiam s. Mariae Magdalenae cum facultate, ut in ea exerceretur animarum cura per monachum ad nutum abbatis amovibilem, *dioecesani loci et cujuvis alterius licentia super hoc minime requisita.* Hujus unionis praetextu non minus quam vigore privilegiorum ordinis Cluniacensis hodiernus abbas renuit anno 1761 ad visitationem dictae ecclesiae admittere episcopum Palentinum, cujus ordinariae jurisdictioni subjacent clerus et populus parochiae; quare episcopus abbatem monuit, ut assertae exemptionis jura deduceret: quamadmodum decernitur in cap.: *Cum persona 7. de privilegiis in 6.*

Et interim praefixo illi termino ad praesentandum sacerdotem idoneum, ut ab episcopo approbaretur ad curam animarum sub poena majoris excommunicationis ipso facto incurrendae inhibuit quibuscumque sacerdotibus saecularibus aut regularibus, ne ad deputationem abbatis praefatam curam exercerent sine approbatione episcopi etiamsi ab eo obtinuissent facultatem audiendi confessiones: praecepitque parochianis, ut donec sacerdos aliquis specialiter approbaretur ad curam animarum, alteram adirent ejusdem oppidi ecclesiam parochialem s. Andreae pro sacramentis suscipiendis, constituto in viciniis sacerdote, qui sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis ministraret de nocte et in casibus repentinae necessitatis. Et hujusmodi episcopi decretum confirmatum fuit in gradu appellationis a Nuncio apostolico Hispaniarum, qui novam insuper appellationem a monachis interpositam admisit in devolutivo tantum.

Pro dirimenda itaque controversia exemptionis episcopus preces obtulit sanctissimo domino nostro, a quo data fuit rei cognitio huic sacrae congreg. fuitque ab ejus R. P. D. auditore resecta instantia abbatis petentis remissionem causae ad Patres. Et nunc disserit episcopus, ecclesiam parochialem, de qua agitur, suae subesse ordinariae jurisdictioni ex dispositione juris, ut in *in cap. 16. de offic. Ordin.:* Nec officere illius unionem a sa. m. Sixto IV. factam exempto monasterio s. Zoili, quia sacrum concilium tridentinum episcopis restituit jurisdictionem nedum in ecclesias parochiales monasteriis unitas, quas voluit annis singulis ab eis visitari, ut in cap. 7. sess. 7. de reformat., sed etiam in ipsas ecclesias monasteriorum, quatenus eis immineat cura animarum, itaut personae tam regulares quam saeculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cujus dioecesi sunt sita, ut in cap. 11. sess. 65 de Regul.

Minusque autumat prodesse monasterio s. Zoili privilegia ordinis Cluniacensis, quae illi fuerunt communicata a san. mem. Eugenio IV., quia in citato cap. 11. sess. 25. de Regul. exemptio praeservatur non omnibus monasteriis ordinis Cluniacensis, sed ipsi solum *monasterio Cluniacensi* cum suis limitibus. Et nullius ponderis re-

putat privilegia a san. mem. Clemente VIII. concessa congregationi Valisolettanae, cui unitum monasterium s. Zoili, tum quia privilegia Clementina concessa fuerunt sub expressa clausula: *Quatenus decreti concilii tridentini non adversentur*, quod innuit potius denegatam fuisse exemtionem in ecclesiis parochialibus, quae a sacro concilio tridentino subjiciuntur potestati episcopi, ut dixit Rota in decis. 507. n. 12. pag. 19. recent. tum insuper quia Clementinis privilegiis aliisque omnibus, si quae essent praejudicialia episcopo, derogatam fuit a san. mem. Benedicto XIV. in constitutione: *Firmandis* 109. tom. 1., qua praecipitur circa praemissa observantia sacri concilii tridentini, non obstantibus quibusdam *consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque exemptionis et indultis*: qua ratione censet nec etiam suffragari posse monasterio quamcunque possessionem vel consuetudinem ab eàdem Benedictina constitutione sublatam.

Advertendum tamen est, quod san. mem. Gregorius XV. in constitutione: *Inscrutabilibi* 19. §. 4 sancivit, ut personae quaecunque saeculares aut regulares exemptae, curam animarum exercentes vel administrantes sacramenta in quibusvis ecclesiis regularibus sive saecularibus, in his, quae hujusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi *tamquam sedis apostolicae delegati* plene in omnibus subjiciantur, verum *Rota* in decis. 771. num. 8. et 9. tom. 2. part. 1. coram Molin. censuit, episcopum posse has ecclesias parochiales monasteriis unitas visitare jure ordinario, vigore çoncilii tridentini sess. 7. cap. 7. de reformat.

Praeterea defendit, nemini licere in eadem ecclesia curam animarum exercere sine Ordinarii licentia, approbatione et examine, ut cavetur in can.: *sane quia 16. quaest 2.*: Nec obstare indultum Sixti IV. de licentia Ordinarii non requirenda, quia resistit posterior censura sacri Concilii Tridentini in d. cap. 11. sess. 25. de Regular., ne in his parochialibus aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem (Episcopi) consensu ac praevio examine per eum aut ejus vicarium faciendo; et quia expresse quibuscumque contrariis derogatur tum a s. Pio V. in constitutione: *Ad exequendum* 47. ubi §. 5. idem statuitur, tum a san. nem. Bened. XIV. in praedicta constitutione: *Firmandis* (vd. p. 925.) 109. tom. 1, ubi §. 11. decernitur, ut hujusmodi parochis sine Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam liceat, quamvis a suis superioribus deputati iidem ad nutum amovibiles. Et in circumstantiis similis privilegii ita censuit haec sacra congregatio in altera Palentina 9. Feb. 1760. lib. 110. decretor. pag. 57., imo subeundum esse a regularibus novum examen pro approbatione ad curam animarum, etiamsi prius approbati essent ad confessiones audiendas et ad curam secundariam seu ad parochum coadjuvandum in exercitio curae, definitum fuit in Colonien. 10. Maji ejusdem anni 1760. lib. 110. decret. pag. 168, idque potiori jure locum obtinere videtur in Hispaniis, vigore constitutionis: *Apostolici ministerii* pro reformanda in illis partibus disciplina editae a san. mem. Innocentio XIII. et confirmatae a san. mem. Benedicto XIII. in altera constitutione: *In supremo* 16. post concilium romanum, ubi sub §. 11. expresse decernitur, specialem requiri approbationem episcopi ad curam animarum nec sufficere approbationem ad audiendas confessiones, etiamsi non agatur de parocho sed de Capellano coadjutore.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

I: An parochialis ecclesia s. Mariae Magdalenae unita monasterio Benedictinorum sive regulari illorum ecclesiae sub titulo s. Zoili in Villa de Carion ordinis cluniacensis ordinariae jurisdictionis sit subjecta et pastoralis illius visitatio omnesque acipsam respicientes ad Ordinarium Palentinum pertineant? Et quatenus negative,

II: An liceat abbati dicti regii monasterii exerceri facere animarum curam supradictae parochialis ecclesiae s. Mariae Magdalenae per presbyterum, sive secularem sive regularem ad ejus nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione et examine in casu?

S. C. resp.: Dilata et ad Em. praefectum juxta mentem.

Die 4. Jun. 1763.

Continuatio Palentinae.

Sacra haec congregatio, cum monachi tunc sua jura non tuerentur, benignius cum iis agendum censuit. Causae decisionem distulit et rescripto addidit: *Ad Eminentissimum praefectum juxta mentem.*

Non usque adhuc de sua contumacia desiliunt monachi: hinc instantior factus episcopus petit, ut modus tandem controversiae ac finis imponatur, maxime ut tumultus ac turbae vitentur, quae ope monachum, eo loci oriri possunt ex decreto, quo se inconsulto exerceri curam in illa ecclesia prohibuit ac designavit popularibus ecclesiam aliam; quod decretum reclamantibus monachis Nuncius apostolicus confirmavit.

Addit frustra eos exspectari, qui ab initio hujus sacrae congregationis judicium ut declinarent summopere enisi sunt. Et licet pro conscribendis causae dubiis ac ad conferenda hinc inde jura pro ordinatione ejusdem causae discutiendae comparuerint, attamen judicium illico deseruerunt et EE. PP. sententiam reformidant adhuc: Monitum (quae mens hujus sacrae congregationis erat) jam satis superque de hoc fuisse procuratorem generalem ordinis, qui respondit sibi renuntiasse abbatem s. Zoili, ut a paranda amplius defensione desisteret nihilque de causa ageret. S. C. resp.

Ad I.: Affirmative in iis, quae curam animarum et sacramentorum administrationem respiciunt.

Ad II.: negative.

Die 28. Jan. et 18. Feb. 1764.

Declaratur jus visitandi parochiales ecclesias Regularium in insulis Philippinis competere locorum Ordinariis.

Clemens Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Archiepiscopus Manilan. Nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres ordinum praedicatorum, minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum ac eremitarum s. Augustini necnon clerici seu presbyteri regulares societatis Jesu ordinariam visitationem in septingentis et amplius parochialibus ecclesiis, seu (ut vocant) doctrinis, quas in dioecesi Manilan. et aliis insularum Philippinarum episcopatibus regant et respective exercent, admittere renuant seque potius animarum curam dictasque parochiales ecclesias deserere quam sese Visitationi praedictae subjicere velle declarent, plura scandala et inconvenientia cum neglectu constitutionum apostolicarum ac decretorum concilii tridentini exoriantur, ac proinde ipse archiepiscopus de opportuno desuper remedio a Nobis provideri plurimum desideret, Nos ejusdem archiepiscopi votis hac in re,

quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum ex Ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dicti Concilii Tridentini Interpretibus super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum, qui Fratrum et Clericorum seu Presbyterorum Regularium praedictorum procuratorem citatum et informantem super praemissis audiverunt, consilio jus visitandi Regulares in iis, quae concernunt curam animarum ac Sacramentorum administrationem archiepiscopo Manilan. aliisque episcopis in Insulis Philippinis existentibus competere nec eosdem Regulares parochias seu doctrinas, de quibus agitur, sub censurarum, amissionis bonorum aliisque arbitrariis poenis dimittere posse, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus.

Decernentes pariter easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud s. Petrum sub die 30. Jan. 1705.

(Bull. r. t. XII. p. 448. Ed. Luxbg.)

Benedictus PP. XIV.

Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti praedecessores nostri romani pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adjicere easque apostolicas constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent et ordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt vel antiqua patrum constituta renovare, interpretari aut declarare vel competentium romanae curiae tribunalium sive congregationum judicata et responsa colligere, confirmare aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire viderentur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. record. praedecessor noster Clemens PP. X. per suam constitutionem, quae incipit „*Superna*“ datam XI. Cal. Junii anno MDCLXX, inhaerendo pluribus resolutionibus congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga episcopos locorum Ordinarios observantiam, et subjectionem, tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective ordinum habenda quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus poenitentiae sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae

praedecessor noster Innocentius Papa XII., quum ad normam plurium resolutionum congregationis concilii praefatae certas sacrarum ordinationum regulas et singulorum episcoporum jura in proprios subditos praefinivit, lata constitutione, quae incipit „*Speculatores*,“ sub datum pridie Nonas Nov. 1699.

§. 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in apostolicis nostris literis, quarum initium est: *Sacramentum poenitentiae* anno 1741 Calendis Junii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, juxta declarationes in causis hujus generis, diversis temporibus et casibus prolatas a congregatione a venerabilium fratrum nostrorum romanae ecclesiae Cardinalium, contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum. Ad ipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis encyclicas literas dedimus sub die 14. Aug. hujus anni 1745, quarum initium est: *Cum semper oblatas*)*, quibus a praedicta congregationis concilii tridentini interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto, tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonici aliique de earum gremio, missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum episcoporum jura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad Regularium monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura constitutione asserere atque, ut infra, definire et constituere in animum induximus.

§. 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regulares sint sive ipsi saeculares, sacri Tridentini concilii praescripto sess. 25. cap. 11. de Regularibus *subesse debent immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi in cujus dioecesi praedicta monasteria „sunt sita,“* exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habeant atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent, salvo tamen eorum episcoporum jure, qui majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.

§. 3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali jurisdictione exempti, quos neque parochos neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus christifidelium matrimoniis interesse sine praevia episcopi aut parochi licentia, quaesitum fuit: *utrum hujusmodi sacerdotum correctio atque in eosdem animadversio ad episcopum, an vero ad eorum superiores privative spectaret?* Cumque ii privativum ejusmodi jus ex eo deducerent, quod Tridentina synodus loco citato, dum *facultatem tribuit episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum jurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem pertinent*, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi

*) Vd.: Tom. II. 79.

sunt vel animarum curam exercent, cujusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur, futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. record. praedecessor noster Gregorius Papa XV. ac de consilio Congregationis s. Concilii Tridentini interpretis edita constitutione, quae incipit „*Inscrutabili*“ data Nonis Februarii anno Incarnationis dominicae 1622 decrevit et declaravit „*ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio aut in eorumdem sacramentorum vel alicujus ex illis administrationem concernunt, omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi, tanquam sedis apostolicae delegati, plene in omnibus subjiciantur.*“

§. 4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit; pluraque dubia tam in congregationibus sanctae romanae ecclesiae Cardinalium, quam in auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt circa peculiarium quorumdam actuum naturam: *an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam seu ad sacramentorum administrationem pertinere et consequenter, an episcopus in visitandis Regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset necne suam circa hujusmodi actus jurisdictionem exercere:* tum etiam: *an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes abbatis generalis seu capitis ordinis ideoque ecclesia hujusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret episcopo, in visitatione subjecta non esset?* Cum igitur resolutiones in praedictis curiae nostrae tribunalibus circa hujus generis quaestiones identidem captas earumque rationes et fundamenta diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus aliorumque virorum in juris canonici praestantium; nonnulla super his de apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus ac praesenti nostra constitutione inviolabilem quamdam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum s. Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

§. 5. Optimo sane consilio ab episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singulae dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum praedicationibus verbi dei et administratione sacramentorum poenitentiae et eucharistiae spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent: *an hujusmodi missionarios sive saeculares sive alterius instituti vel ordinis regulares, ab episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur?*

Quod dubium, quum in congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita examinatum fuisset, sub die 31. Augusti 1668 affirmative resolutum fuit: *ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant omnibusque rebus juvari, quibus ad injunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit.* Quod Nos quoque probamus et auctoritate apostolica confirmamus atque in posterum (quoties id opus esse prudenti episcopi arbitrio judicatum fuerit) ab omnibus hujusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

§. 6. *Sed et in ipso visitationis cursu atque etiam extra illam* aliqui Regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti hanc episcopis controversiam moverunt: *utrum iis liceret in ipsorum regularium ecclesiis seu parochialibus seu non parochialibus sacramentum confirmationis administrare?* Quae quidem controversia in Congregatione Concilii partibus plenissime auditis *pro episcopis decisa fuit*, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eandem definimus.

§. 7. *In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet episcopo omnia ecclesiarum hujusmodi altaria visitare sed illud dumtaxat, in quo sanctissimum eucharistiae Sacramentum asservatur et consequenter sacrum ipsum tabernaculum*, fontem quoque baptisterii, si adsit, item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet, pulpitum ecclesiae, e quo parochus jus habet verba Dei juxta praecipuum ministerii sui munus annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiae ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis tam intra ecclesiam quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanarum, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum praeter res supra enuntiatas omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur vel sacra olea sive in baptismo sive in extrema unctione adhibenda vel aqua baptisterii vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

§. 8. *Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi*, cujus quidem, si regularis sit, agendi rationem in iis, quae spectant ad observantiam proprii ipsius regularis instituti, non est episcopi requirere, quum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat, licet tamen episcopo vel potius ipsi specialiter incumbit ipsius parochi seu curati, etiam regularis, vitam ac mores scrutari quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini congregatio sapienter decrevit et Nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus et statuimus.

§. 9. *Ad personalem quoque parochi visitationem proindeque ad episcopi jus et officium pertinet ea occasione examinare:* an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad synodum vocatus iverit; an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae ha-

beri solitas frequentet; an onera, quae secumfert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an missam pro populo applicaverit diebus festivis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a s. Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione et pueros in fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an statis diebus excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet et sacramenta ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem opportunis instructionibus erudierit; an priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere eosdemque libere matrimonio consentire ac demum in doctrina christiana, maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum vero sacro chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum et status animarum.

§. 10. Uno verbo quidquid episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare ac meritas in eumdem poenas statuere, *in quo nihilominus episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis jus cumulativum cum ipso habet,* ita tamen, ut si aliter a superiore regulari, aliter ab episcopo decerni contingat, hujus non vero illius decretis sit standum, prout alias a congregatione Tridentini concilii interprete judicatum fuit Nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. *Privativum tamen episcopi jus est in parochianorum mores inquirere,* ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim superioribus regularibus in hujusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit jurisdictio.

§. 11. *Eveniente autem casu, quo vel episcopus vel superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum eademque privandum esse judicaverint,* quoniam hujusmodi parochis sine praevia episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati iidemque ad nutum sint amovibiles, dubitatum fuit: *an episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere sine superioris regularis consensu et an remotionis causas eidem adducere easque verificare deberet, tum etiam an regularis superior ad similem remotionem et privationem suo jure deveniens, consensum episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur?* Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit: *hujusmodi parochos tam ab episcopo quam a superiori regulari aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse,* nec unum alteri causas judicii sui aperire multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

§. 12. Postquam vero Tridentina

Synodus loco superius declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares quam regulares animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus hujusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi (quod quidem, juxta magis receptam tribunalium hujus nostrae curiae sententiam intelligitur de jurisdictione episcopi ordinaria, non vero de delegata); *illa tamen monasteria seu loca ibidem a concilio excipiuntur, in quibus abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent, salvo nihilominus eorum episcoporum jure qui alia quapiam ex causa seu titulo majorem in praedicta loca vel personas jurisdictionem exercent.* Quare nonnullis episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tanquam delegatis a sede apostolica in parochos praedictos sive in parochianos aliquem jurisdictionis actum exercere, congregatio concilii respondit, quod ubi abbas aut superior regularis suam probat jurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos et contra episcopus probare nequit ampliorem in eosdem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet episcopus tam a visitatione quam ab alio quocumque jurisdictionis actu in hujusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius concilii decretis consonum, Nos etiam apostolica confirmatione roboramus.

§. 13. *Similiter ab episcopi jurisdictione, visitatione et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta synodus excipit tam saeculares quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent:* quae exceptio sive limitatio pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo: an ad inducendam hujusmodi exemptionem ab episcopali visitatione satis sit, quod in aliquo monasterio resideat abbas regularis, licet is ordinis sui Generalis non existat? Super quo praefata concilii congregatio pronuntiavit, non sufficere abbatis cujuslibet residentiam, nisi sit abbas totius ordinis sui generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices abbates aut regularium superiores nominat, quum ab episcopi jurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum, in quibus abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua jurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices abbates aut superiores regulares gaudere, quamvis non sunt ordinum Generales. De abbatibus autem generalibus seu ordinum capitibus tunc loquitur eadem s. synodus, quum a jurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus abbates generales praedicti aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum judicari et censeri debere statuimus minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur, inter verbum „abbates“ aliudque „generales“ utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius concilii, quod in archivio sedis apostolicae in arce sancti Angeli

asservatur; quodque, ut genuinam hujus loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus; proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem nota distinctionis est expungenda.

§. 14. *Altera quaestio est: an ad obtinendam exemptionem ab episcopali jurisdictione et visitatione sufficiat, quod aliquod monasterium superioris Generalis sedes existat*, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis sedes superioris Generalis, prout a congregatione concilii constanter judicatum fuit, quum verba Tridentini de capitibus ordinum loquentis non ad loca sed ad personas praesulum regularium in iis locis residentium referantur.

§. 15. *Tertio dubitari contingit: an exemptio ab episcopi visitatione, quam Tridentina Synodus ut supra concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident abbates generales aut capita ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt et ab iisdem dependent?* Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta neque porro eadem ratio honoris cujusdam et reverentiae habendae erga superiores ordinum generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes locum habeat in aliis parochialibus eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis, quod pluries congregatio concilii censuit, hujusmodi scilicet ecclesias unitas minime exemptas esse a jurisdictione et visitatione episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur, id ipsum Nos, praedictae congregations resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

§. 16. *Quaesitum fuit quarto loco: an ratione exemptionis a jurisdictione episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium superiorum generalium et propter eorumdem rectorum omnimodam subjectionem jurisdictioni et correctioni praedictorum Generalium regularium jus aliquod et jurisdictio attributa sit iisdem superioribus generalibus in saeculares subditos hujusmodi ecclesiarum sive parochianos an vero dicendum sit jus ad episcopum privative pertinere?* Super quo decernimus: Episcopo plenam et privativam jurisdictionem competere in parochianos, ad eundemque episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum vel per vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque superior hujusmodi generalis aliquem sive saecularem sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit, sed etiam si episcopus hujusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis sive saecularibus sive regularibus, non recte administrari cognoverit; posse ipsum et aliquando etiam debere pro sui officii munere apud superiorem generalem instare, ut parochum seu curatum hujusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicae sedis auctoritate, si nempe Generalem praedictum aut reluctantem aut paracho plus aequo faventem invenerit.

Die 6. Novembris 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 432.)

41) Eccles. regul. non curat.

Ad dub.: An liceat Episcopis visitare altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum

saecularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum saecularium?

S. C. resp.: Episcopis non licere visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec loca, ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur.

Die 5. Feb. 1622.

(Bull. r. t. III. p. 453. Ed. Luxbg.)

Episcopum visitare posse *jure deleg.* quascumque ecclesias saeculares intra fines dioecesis existentes, etiamsi ad regulares pertineant, dummodo tamen iis deserviatur per saeculares.

S. C. C.: die 15. Feb. 1696.

42) Ecclesiae a Vicario gener facienda.

Vd.: *Visit. Episcopi.* (subdeleg.)

43) Ab Episcopo facienda.

a) Associatio Canonicorum.

In occasione solemnis visitationis Canonici collegiatae Liburni tenentur associare et reassociare archiepiscopum processionaliter cum clero et cruce et accedere ad habitationem, quando vult pergere ad ecclesiam solemniter celebraturus itemque cum clero et cruce comitari eum usque ad domum. Ad hanc associationem, in qua debent anteire archiepiscopum, tenentur toties quoties ille pontificaliter accedit ad ecclesiam. n. 3026 ad 1—6. die 24. Jul. 1683.

Ad dubium: An capitulum et Canonici collegiatae Minorissae teneantur recipere processionaliter in *porta dicta civitatis* episcopum Vicen. quotiescunque accedit pro facienda confessione et an episcopus possit idem capitulum censuris aliisque poenis compellere in casu?

S. C. resp.:

Negative ad utrumque, nempe non teneri nec posse cogi, nisi prima vice. n. 3624 ad 1 et 2 die 18. Mart. 1702.

b) Capellae regul.

Montis Regalis.

(Conc. Tr. C. 8. S. 7. de Refor.)

Vd.: p. 873. n. 8. 9.

Patres Carthusiani Casularum habent in dioecesi Montis regalis quamdam granciam vocatam *Consovero*, quae habet capellam annexam sub titulo Beatae Mariae Virginis ad Nives. Capella haec habebat januam in via publica, sed anno 1699 eadem clausa fuit relictis tantum duabus lateralibus fenestris crate ferrea munitis et ostio aperto intra ambitum granciae. Capellae huic inservit sacerdos saecularis, qui celebrat missam diebus festivis et eleemosynam recipit a colonis patrum et ab aliis personis ejusdem regionis.

Procul ab hac grancia per milliare circiter habent iidem patres habitationem et in ea semper degit unus ex ipsis sacerdos, qui appellatur procurator, una cum aliquibus fratribus conversis pro agrorum cultura et in hac habitatione adest sacellum pro missae celebratione. Capella sub titulo s. Mariae ad Nives alias fuit visitata ab Ordinario, cumque hodie super visitatione exorta sit controversia, disputandum proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Juxta sac. Concilium sess. 7. cap. 8. de reformat. subjiciuntur episcopi visitationi ecclesiae, quae pertinent ad regulares et ab eis dependent, si illis per sacerdotes saeculares deser-

viatur, uti late firmavit Rota in Firmana jurisdictionis 15. Apr. 1701 coram bon. mem. Molines et fuit resolutum in hac sac. Congregatione in Licien. visitationis 23. Jun. 1725.

Loquendo de granciis monasteriorum, eaedem de jure communi sunt exemptae a jurisdictione Ordinarii, qui idcirco prohibetur exigere procurationem ab oratoriis, quae in illis existunt juxta textum in cap.: *ultimo* de capellis monachorum. Quo attento, si procuratio est prohibita etiam prohibita dici debet visitatio, uti late argumentur *Fagnan.* in opusculo de granciis impresso ad cap. „auctoritate" de censibus n. 4. et seqq. Venetae impressionis.

Sed res haec aliter se habet attentis posterioribus constitutionibus tum Innocentii X. tum Alexandri PP. VII.; ab hoc etenim declaratum fuit, quod subsunt visitationi et jurisdictioni Ordinarii ecclesiae conventuum et capellae granciarum, sive in eis degant conversi pro agrorum cultura sive non, juxta ejusdem Alexand. constitutionem 4. bull. tom. 6., et ab hac visitatione exemptae sunt solum granciae, quae suut domus rurales sive praedia rustica, in quibus degunt conversi pro agris colendis, sed absque eo quod sit in his ecclesia vel publicum oratorium; teste *Fagnan.* loco citato.

In terminis ecclesiae campestris s. Mariae de Albiano Placentinae dioecesis, quae erat grancia conventus PP. Carmelitarum ejusdem civitatis sacra congregatio die 17. Aug. 1726 et die 11. Jan. 1727 censuit: *Esse vistandam ab Ordinario sed jure delegato.*

Difficultus autem specialis in casu, qui proponitur, consistit in ostio ecclesiae, quod amplius non est apertum in via publica sed in grancia; videndum est etenim an id fieri potuerit, et an etiam si factum sit prodesse valeat?

Quibus stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An episcopus Montis regalis possit visitare capellam ruralem sub titulo B. M. V. ad nives existen. in sua dioecesi in finibus loci Morosii et nuncupat. „alla porta" sive in reggione di Consovero in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et portam esse aperiendam versus viam publicam.

Die 8. Feb. et 15. Mart. 1727.

c) Comitatus.

Vd.: p. 943. Annot. circa 12.

Ad dub.: An episcopo visitanti possit praefigi personarum ejus comitatus?

S. C. C. resp.: Arbitrio et conscientiae episcopi ad formam concilii et ad mentem.

Die 16. Jan. 1722.

Ad dub.: Qualis debeat esse comitatus ejusdem Episcopi visitantis ad effectum praestationis victualium?

S. C. C. resp.: Episcopum debere esse contentum de moderato ac modesto equitatu ac famulatu.

Die 14. Dec. 1654.

Pro visitatione facienda eligi solent ab episcopo duo convisitatores satis experti et in rebus ecclesiasticis versati, cap. *in singulis* de statu Monachor. *et Extravagant. Debent.* de offic. Ordinarii inter commun.

Non est tamen necessaria talis electio seu assumptio convisitatorum seu adjunctorum, sed tantum voluntaria, cum possit episcopus sine illis visitare etiam capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum, ut deciditur in Conc. Trident. sess. 6. de reformat. cap. 4 ibi: Per se ipsos vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis; et sic tenet communis doctorum.

Unde visitare potest episcopus sine adjunctis corpus ecclesiae cathedralis, sacramenta, reliquias, vestes, ornamenta caeteraque ad cultum divinum destinata. Item capellas, capellanias, dotationes, anniversariorum institutiones, memorias defunctorum, pia opera et res seu bona fabricae vel ecclesiae. Sic Sac. Congr. Concil. apud *Barbosam* in summa apostolic. dec. verb.: Visitare quando et quae episcopus valeat n. 17.; *Armendar.* lib. 1. tit. 6. de visitat. n. 133. Nec potest capitulum cathedralis se eximere ab hac visitatione praetextu exemptionis et praescriptionis immemorabilis. Sac. Congr. Conc. *in Hispalen.* Jurisdictionis 4. Jun. 1699 et 4. Maji 1690 apud *Monacell.* tom. 1. tit. 6. formul 2. n. 27.

d) Decreta in Visitat. lata.

Vd.: *Suppellect.* (Renovat., decr. diei 12. Apr. 1710), *Visit. eccles. par. et cur. regul.* (decr. diei 29. Jul. 1628), *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig. decr. *Pacen.*); *Visitatio* (decreta.)

e) Delegatus.

Vd.: *Visitat. Episcopi.* (Obligat.); *Capituli.*

Episcopi aliique superiores non solum possunt sed etiam tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos vel visitatores, qui Presbyteri sint vel Diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio totam Dioecesim et ecclesias ejusdem visitare: *Communis*, claris Juribus in can: *Decrevimus* 10. caus. 10 qu. 1. ibi: Decrevimus, ut annuis vicibus ab episcopis dioeceses visitentur, can: *episcopum* 11. eadem caus. et qu. ibi: Episcopum singulis annis ire oportet, ut acquirat. etc. Quod si ipse aut languore detentus aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui redditus Basilicarum et ministrantium vitam inquirant. Et concil. tridentin. sess. 24. de ref. cap. 3. ibi: Patriarchae, primates, metropolitani et episcopi propriam dioecesim per se ipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium generalem aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non praetermitant.

Si episcopus visitare velit ex decreto sess. 6. cap. 4. de reformat. debet id personaliter agere; secus si ex aliis concilii decretis, cum id per suum Vicarium generalem aut visitatorem facere possit, si modo legitime impeditus fuerit, ut permissum est sess. 24. cap. 3. de reformat. etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cum dict. cap. 3. exemptiones tollat. Sic decisum fuisse a sacra Congr. Concil. testantur *Aldan.* in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 7. n. 2., *Barbosa* in summa dec. apost. verb.: visitatio n. 18. et supra Concil. sess. 6. de reformat. cap. 4. n. 4 et n. 17., ubi cum aliis videtur tenere, quod possit episcopus etiam per delegatum visitare capitulum cathedralis et adducit decretum sac. Cong. Concilii in Toletana, ubi resolutum fuit, serenissimum Cardinalem Infantem archiepiscopum Toletanum non teneri per propriam personam capitulum eccleciae cathedralis visitare, sed id agere posse per coadministratorem.

f) Dierum numerus.

Vd.: *Visitat.* (tempus).

Conquerente apud sac. congregationem capitulo collegiatae ecclesiae terrae Terlitii, quod episcopus, qui jus visitandi cum archipresbytero ejusdem terrae cumulativum habere dici-

tur, ad visitationem solus accedens moram ibidem per quadraginta continuos dies visitando traxerit nec visitationem ipsam, dum discessit, adhuc explevisse declaraverit, quodque a capitulo dumtaxat procurationem tanti temporis in magna quantitate ducator. 80 exegerit, tametsi alias plures ecclesias, confraternitates, oratoria, beneficiatos et loca pia visitaverit. Sacra congregatio super exposito episcopi informationem de more exquisivit.

Episcopus igitur refert, quod praedecessoris exemplo innixus ad visitationem solus accessit et in dicta terra Terlitii quadraginta dies transegit nec visitationem integre perfecit, nam ibi a multo tempore nulla visitatio expleta fuerat et capitulum ipsum ad reddendum nonnullorum capitalium distractorum rationem coactum pro documentis in re satis antiqua perquirendis tempus rogavit; procurationem vero a solo capitulo recepisse, sed in cibariis dumtaxat, quia et antecessori suo ab illo pariter praestita fuerant. Super infrascriptis itaque dubiis EE. VV. hodie statuendum superest:

I. An visitatio durare debeat arbitrio visitatoris seu potius praescribendum sit certum et determinatum tempus?

II. An constet de excessiva procuratione, quae veniet restituenda?

III. An procuratio sit praestanda a sola collegiata Terlitii vel per contributum ab omnibus aliis ecclesiis et locis piis visitandis? Et quatenus per contributum,

IV. An et a quo sit facienda repartitio seu exactio?

Sacra Congregatio die 23. Jan. 1706. respondit

ad I.: Affirmative quoad primam partem ad formam concilii et negative quoad secundam;

ad II.: Negative;

ad III.: Negative quoad primam partem et affirmative ad secundam;

ad IV.: Faciendum esse a capitulo et in casu controversiae ab episcopo visitatore et amplius, ut in lib. 56. decr. pag. 25.

Ad dub.: An episcopo visitanti possit praefigi numerus dierum, quibus permanere debet in visitatione loci visitandi?

S. C. C. resp.: Arbitrio et conscientiae episcopi ad formam concilii et ad mentem.

Die 16. Jan. 1721.

S. Marci ad 6.

Ad dub.: Per quod tempus in locis visitandis sint Episcopis praestanda victualia?

S. C. resp.:

Per episcopum celeriter visitationem esse absolvendam et ad actus extraneos non esse divertendum.

Die 14. Dec. 1654.

g) In quam Ecclesiam primum ingredi debeat?


Vd.: *Visit. Ep.* (A qua Ecclesia etc.)

Ad dub.: I. An in primo solemni ingressu teneatur archiepiscopus accedere ad Ecclesiam majorem vel ad Ecclesiam sibi benevisam ad recipiendam obedientiam ab universo Clero Terrae Vasti?

II. An in reliquis visitationibus, in quibus vult exigere obedientiam ab universo Clero, teneatur eam recipere in ecclesia majori vel alia sibi benevisa ejusdem loci vel quatenus in uno vel in utroque ex dictis casibus teneatur accedere ad ecclesiam majorem?

S. C. C. resp. ad 1 et 2: Arbitrio archiepiscopi in casu de quo agitur.

Die 25. Jan. 1721.



h) A qua Ecclesia incipienda?

A qua Ecclesia inchoanda sit visitatio remittitur arbitrio Episcopi. Licet enim visitatio ut plurimum soleat inchoari ab ecclesia cathedrali id tamen non est de praecepto, cum possit episcopus inchoare ab Ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis juribus et sine praejudicio aliarum Ecclesiarum Sic sac. Congr. Rit. in Egitanien 10. Jun. 1602. in respons. ad 2 dub. ut ex aliis refert *Ventriglia* prax. t. 2. annot. 24. §. 1. n. 26., *Barbosa* in Summa verb.: Visitatio n. 1., *Monacel.* tom. 1. tit. 5. formul. 2. n. 26.

i) Episcopo impedito per Delegatum facienda.


Vd.: *Visitatio Capituli* (Episcopo impedito); *Visit. Ep.* (Delegat., Subdelegat.)

Ordinarium volentem visitare in vim c. 4. S. 6. teneri per se ipsum, volentem autem visitare ex c. 3. S. 24. posse per suum generalem vicarium aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit.

S. C. C. die 12. Mart. 1593. *Hispal.* (Ex L. VII. decr. p. 98. rel. a Bened. XIV. de Syn. dioec. XIII. 9.)

k) Episcopus praedicare debet.

Episcopus in visitatione tenetur praedicare verbum Dei, per se aut saltem per alios; alias, nisi legitima causa excusetur, ipsum peccare mortaliter, ex Cajetano, Genuensi, Gavanto, Abbate et Piasecio firmat *Monacell.* t. 1. tit. 5. formul. 1. n. 51. adducens ad id text. in cap.: *Placuit* 10. q. 1. et cap. 1. §.: *Sane* de censibus in 6. et concludens, quod quomodo se excusent coram Deo tot Episcopi qui nihil prorsus curant de hoc in visitando, ipse Deus scit.



l) Interrupta.

Episcopum differre posse servatis finibus moderati et prudentis arbitrii visitationem incoeptam, si fuerit impeditus.

S. C. C. die 19. Dec. 1739. *Gerund.* ad III. (Conc. Tr. S. 6. c. IV.)

m) Jus et Obligatio.

Vd.: *Visitat. ecclesiae exemptae.*; *Visitatio* (jus.)

Ad dub.: 1. Anultra Visitationem delegatam competentem episcopo Anglon. in ecclesia abbatiali competat eidem Episcopo jus faciendi visitationem localem et personalem aliarum ecclesiarum et cleri terrae Carbonis authoritate ordinaria vel potius competat Emo Abbati?

2. An cumulative vel privative?

S. C. resp.

Ad 1.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad 2.: Cumulative ad formam Clusinae.

Die 28. Mart., 16. Maii. 6. Junii 1716; 16. Jan., 30. Jan. 1717.

Ordinarium volentem visitare in c. 4. S. 6. teneri per se ipsum, volentem autem visitare ex c. 3. S 24. posse per suum generalem vicarium aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit.

Die 12. Mart. 1593. *Hispal.* (Ex L. VII. Decr. p. 98. rel. a Bened. XIV. de Syn. dioec. XIII. 9.)

Visitare potest Episcopus *jure deleg.* beneficia curata monasteriis perpetua unita, monasteria et abbatias commendatas,*) in quibus non viget regularis observantia, et demum beneficia curata et non curata saecularibus et regul. qualitercumque commendata et eorum

*) Vd.: *Visit.* Commendatarii.

membra, quoties in illis non servetur regularis disciplina.

Die 23. Jun. 1725. *Lgcien* §. *Pluribus.*

Ad dub.: An episcopus s. Marci possit per seipsummet quotannis visitare omnes Ecclesias omniaque loca suae Dioecesis et an intra annum possit plures facere visitationes?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem et quoad secundam pariter afffrmative sed absque ulla procuratione.

Die 16. Jan. 1722.

Bononien.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7. De refor.)

In civitate Bononiae, quam, ut caeteri praetermittantur, summi ipsi romani Pontifices vocare non dubitarunt antiquissimam studiorum matrem, commune bonarum artium domicilium et disciplinarum emporium, uti legi potest in literis apostolicis Leonis X. impressis apud *Dulcinum de Vario Bononiae Statu* lib. 6. p. 292. et in constit. 69. §. 1. inter eas Pii IV. Bull. t. 2 et in constit. 67. §. 7 inter eas Clementis VIII. Bull. tom. 3. Xystus Papa V. Collegium fundavit pro quadraginta ex Provincia Marchiae Scholaribus eidemque elargitus est annuos redditus, privilegia et exemptiones, de quibus in sua Constit. 89. Bull. tom. 2.

Hic idem Pontifex huic suo collegio nonnullas Ecclesias tunc vacantes concessit et assignavit, incorporavit, applicavit et appropriavit, itaut nedum collegii rector et scholares realem et actualem illarum possessionem ingredi sed etiam eas retinere, regere administrare et earum fructus et emolumenta in suam utilitatum et necessitem convertere possent necnon illis deservire facere per presbyteros saeculares vel de superiorum suorum licentia cujusvis ordinis regular. idoneos juxta statuta desuper edenda ponendos et amovendos dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita, uti legitur in Bulla mox allegata §. 6.

Super harum Ecclesiarum visitatione anno 1692 exorta est controversia inter eminentissimum civitatis Bononiae archiepiscopum et eminentissimum tunc temporis collegii Protectorem, contendente hoc non posse ab illo expleri visitationem ecclesiarum ullo modo cum exclusione etiam juris delegati, cumque sac. haec congreg. tunc censuerit esse exquirendum votum Rotae, nec ab inde citra aliquid gestum sit et eminentiss. Card. Bononiae archiepiscopus in postrema relatione suae ecclesiae, quam post personalem visitationem sacrorum liminum juxta morem sac. huic exhibuit congregationi, nedum statum praedictae controversiae exposuerit, sed etiam hoc intermedio tempore ad suas manus dixerit devenisse ipsius collegii constitutiones editas a clar. mem. Alexandro Cardinali Montalto, primo ejus protectore, et in forma specifica confirmatas ab eodem Xysto V.. quae favorabili resolutioni dubii alias propositi ita prodesse ipsi visae sunt, ut ad controversiae resolutionem procedi possit absque voto Rotae alias ab hac sac. congregatione requisito post mutua officia hinc inde, hoc es inter memoratum eminentiss. archiepiscopum et praesentem eminentiss. collegii protectorem praemissa, dubium ad calcem hujus restrictus referendum in hac sac. congregatione examinandum proponitur.

Tria vero sunt fundamenta, quorum ope eminentissimus archiepiscopus putat se posse ecclesias collegio unitas *jure delegato visitare.* Primum est, *quia episcopus tanquam sedis apo-*

stolicae Delegatus potest visitare Ecclesias saeculares exemptas juxta caput 8. sess. 7. de reform. etiamsi Ecclesiae saeculares exemptae essent commendatae et sive illis immineat sive non cura animarum, juxta cap. 8. sess. 21. de ref.

Secundum est, quod in allegatis constitutionibus Card. Alexandri Montalti statuitur, *quod Sacerdotes deservientes Ecclesiis Collegio annexis omnia obsequia Ordinariis impendant in iis, quae exempti per decreta s. Concilii Tridentini facere tenentur*, hinc inferendo ad visitationem, quam Sacerdotes saeculares in suis Ecclesiis licet exemptis admittere tenentur ad tramites Tridentini in locis allegatis.

Tertium tandem est, *quod visitandi facultas ita pertinet ad Ordinarium ut etiamsi in fundatione alteri concessa esset, non per hoc tamen exclusus censetur Episcopus*, cui tantum expressa prohibitio praejudicare potest juxta resolutiones hujus sacrae Congregationis, de quibus apud *Ludovis.* decis. 8. per tot.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An Emmus Archiepiscopus jure delegato Ecclesias unitas et annexas Collegio Montalto visitare possit in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 2. Oct. 1721.

Episcopus debet per se ipsum legitime non impeditum dioecesim visitare singulis annis et si propter ejus latitudinem non possit visitare totam quotannis, debet saltem toto biennio per se vel suos visitationem complere. Sic expresse Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.

Vd.: *Visit. Ep.* (per Deleg.); *Capituli.*

Episcopus per se ipsum visitationis munus peragere tenetur non autem per Substitutum, nisi legitimo impedimento infirmitatis vel hujusmodi praepediatur. Sic enim praecipit Trid. S. 24. de ref. c. 3.: „per se ipsos, si legitime impediti fuerint per suum general. Vicarium aut visitatorem."

Idque jure optimo cautum fuit, quoniam uberes visitationis fructus majori ex parte evanescunt, quando praelatus ipse oculari inspectione singula non perlustrat nec ore proprio exhortationis et ordinationis verba pronuntiat. Ita *Pax Jordanus* vol. 2. l. 7. tit. 1. n. 30. *de gener. visit.*

Idem: „Limita quando non esset tanta necessitas visitandi per se ipsum omnes parochias, posset enim per alium discretum virum, etiamsi non esset alias legitime impeditus, eas visitare." Unde Innoc. in c.: *Romana* n. 2. ad medium de consul. in 6: „Plene, inquit, visitatum intelligimus, licet aliquae parochiae remaneant invisitatae personaliter, quia forte in illis non est necessario visitatio vel sufficit, si fiat per aliam discretam personam." *Ibid. n. 36.*

Pacen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 25. De ref.)

In antecedenti Congregatione tria tantum dubia proposita et resoluta fuerunt, nempe ad primum, quo quaerebatur:

An Episcopus Pacen. seu visitator ab eo deputatus visitando Ecclesiam Collegiatam de Zafra, tam jure ordinario quam jure delegato ad formam concordiae possit non solum decreta et ordinationes opportunas facere, sed etiam completa visitatione ipsi jurisdictio competat pro eorumdem decretorum et ordinationum executione ac observantia seu potius spectet ad abbatem in casu?" Res-

ponsum fuit: „affirmative in omnibus juxta modum; modus est, quod Episcopus Pacen. visitans per se ipsum vel per alium possit semper et quandocunque etiam extra visitationem exequi et observari facere sua decreta in visitatione facta et abbatem teneri exequi et observare facere eadem decreta et tanquam merum exactorem cogere suos subditos ad illa observanda et exequenda etiam juris remediis."

Ad secundum, quo disputabatur: *An Episcopus seu illius visitator possit compellere conservatores librorum ad transportandos libros administrationis mensae capitularis, legatorum piorum, beneficiorum, capellaniarum, ad domum, in qua exstat dictus Episcopus seu dictus visitator, seu potius visitare debeat in archivio et locis ejusdem ecclesiae in casu?*" responsum fuit: „quoad primam partem affirmative quoad Episcopum et negative quoad visitatorem; ad secundam partem provisum."

Ad tertium demum, quo quaerebatur: *An et quomodo possint conficere processus informati super defectibus, excessibus, delictis commissis per Dignitates, Canonicos, Portionarios, Beneficiatos, Capellanos aliasque personas dictae ecclesiae easque corrigere et punire poena correctionali seu poenitentiis in casu?*" Responsum fuit: „Affirmative et debere procedere extrajudicialiter." Dignabuntur itaque in praesenti, praevia reassumptione folii tunc distributi, reliquis infrascriptis dubiis prout caeteris aliis causis ob temporis angustiam, tunc non propositis, sapientissime de more respondere:

IV. An reperti culpabiles teneantur ad satisfaciendum mulctae et poenae correctionali ac an nomine poenae correctionalis intelligatur carceratio, reclusio, mulcta pecuniaria et suspensio a Divinis in casu?

V. An Episcopus seu ejus visitator teneatur dictos processus informativos abbati consignare seu ejus officiali vic. gener.? et quatenus affirmative,

VI. An Episcopus seu illius visitator possit dicto abbati ejusque curiae terminum competentem praefigere ad compilandos processus super criminibus in forma juris et reos ad condignam poenam condemnandos in prima instantia, quae abbati competit ex forma concordiae in casu?

VII. An Episcopus Pacen. possit tam in visitatione quam extra formare processus super crimina concubinatus alicujus vel aliquarum personarum d. ecclesiae et quas culpabiles repererit punire et in dictis causis pronuntiare privative quoad abbatem vel potius cumulative vel potius cognoscore de dicto delicto spectet ad abbatem privative quoad Episcopum in casu?

S. C. C. resp.

Ad quartum: affirmative in omnibus, dummodo carceratio sit ad breve tempus et ad mentem; *ad quintum*: esse in facultate *Episcopi et ad mentem; ad sextum*: affirmative prout *de jure; ad septimum*: iterum proponatur.

Die 15. Jan. 1729.

Lancianen.

Pastoralis officii partes impleturus Archiepiscopus Lancianensis s. dioecesis suae visitationem tam localem quam personalem indixit aggressusque fuit anno 1732; quia vero adversa valetudine et aliis gravioribus distentus curis utramque eo anno explere nequivit, ut coeptum opus subinde perficeret, intermissae visitationis

initium a Terra Castrinovi sequenti anno 1733 adoriri decrevit.

At quidem ecclesiastici dictae terrae nimirum Sacerdotes Petrus Crognale, Petrus de Fario, Julianus Crognale, Benjaminus Virgilii et Clericus Antonius Caporale sub obtentu, quod Archiepisopus ob peculiare fortasse odium contra ipsos conceptum, extra generalem visitationem personaliter eos visitare vellet, nomine totius Cleri ejusdem terrae supplicem huic s. Congregationi porrexerunt libellum, quo postularunt, ut praeciperetur Archiepiscopo, ne personali visitationi extra generalem eos subjiceret. S. autem Congregatio die 18. mensis Julii 1733 rescripsit: Audiatur Archiepiscopus, non retardato tamen exercitio facultatis procedendi ad formam s. Concilii Tridentini.

Usi non sunt praefati Ecclesiastici hoc rescripto; quocirca Archiepiscopus praepositi tenax die 16. subsecuti mensis Augusti ad Valvas Ecclesiae Matricis Terrae Castrinovi Edictum affigi curavit visitationem localem et personalem pro die 21. ejusdem mensis indicens; et licet ab hac indicta visitatione memorati Ecclesiastici praemissa protestatione eidem Archiepiscopo intimata ad hanc s. Congregationem appellare profiterentur, attamen ejusmodi appellatione in devolutivo tantum admissa laudatus Praesul ad Terram Castrinovi statuta die se recepit; quo perventus, dum s. actionem caeteris jam servatis ritibus ab osculo Crucis auspicatur, quidam Notarius elata voce aliam legere coepit protestationem, in qua, iterum nomine totius Cleri, Archiepiscopus veluti suspectus evulgabatur. Ipse autem exinde nequaquam perterritus, debitam sibi in eo actu obedientiam a reliquis omnibus Ecclesiasticis praeterquam ab iis quinque superius recensitis praestitam fuisse animadvertens jussit istos peculiariter citari ad comparendum seque personali visitationi subjiciendum sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae.

Verumtamen, cum eadem die Cursor retulerit eos invenire minime potuisse, satis tunc duxit Archiepiscopus uti opera duorum Sacerdotum, qui reluctantes amicis cohortationibus ad parendum studerent adducere, sed hisce diligentiis in irritum cessis nova citatio die 22. praefati mensis Augusti per Edictum ad Valvas Ecclesiae parochialis affixum necnon per consuetam copiam in manibus Domesticorum dimissam executa est, qua dicti quinque Ecclesiastici moniti fuere ad parendum personali visitationi pro die 24. ejusdem mensis sub poena excommunicationis alias comminatae, adeout, nisi ea die comparuissent, statim post solis occasum veluti a communione Fidelium omnino separati et ulsi haberentur.

Antequam praestituta dies 24. Aug. cessisset, appositus fuit sub memorato Edicto ad valvas Ecclesiae affixo tenor alterius protestationis, qua Domestici sive Consanquinei Citatorum allegantes eorum absentiam postulabant concedi terminum, ut certiores de praedicta citatione fieri possent, quo durante, proclamabant, ad aliquem actum contra illos sub poena nullitatis procedi non posse; sed, ista quoque protestatione ab Archiepiscopo neglecta, res tandem eo devenit, ut saepedicti Ecclesiastici se censuris illaqueatos probe agnoscentes primo ad ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium, deinde vero ad A. C. in criminalibus recursum habuerint, cumque ab isto impetrassent monitorium, quo injungebatur Archiepiscopo, ut intra tres dies *si et quatenus paruerint per personalem comparationem*,

eos absolveret ad tres menses, alioquin a simplici Confessario absolvi possent, inde factum est, ut die 17. Septembris praefati Sacerdotes, praesentato in Curia archiepiscopali dicto monitorio, absolutionem ab Archiepiscopo postulaverint; qua sibi tunc denegata, paulo post sub obtentu, quod ipsam reportasssent a Presbytero Epiphanio de Martinis, sacrosanctum missae Sacrificium palam celebrare coeperunt.

Quod quidem cum accepisset Archiepiscopus, die 21. Octobris publico edicto eos irregulares declaravit.

Verum quia interea temporis nimirum die 26. praecedentis mensis Septembris ob instantiam nomine Archiepiscopi in Urbe promotam causa fuerat ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi ad hanc s. Congregationem remissa, praetenderunt dicti Sacerdotes veluti Attentatorum vitio laborantem praefatam Archiepiscopi declarationem fore circumscribendam, cujus petitionis judicium cum a praelaudato D. Cardinale Pro-Auditore s. huic Congregationi commissum fuerit, postmodum ad preces eorumdem Ecclesiasticorum datae sunt literae Archiepiscopo demandantes: *ut non retardata interim visitatione et executione decretorum ejusdem visitationis, acta de quibus agitur, soluta per instantes competenti mercede cancellario, transmittat.*

Hisce itaque receptis literis denuo praecepit Archiepiscopus, citari praefatos Ecclesiasticos ad comparendum personaliter pro eorum visitatione personali sub poena pecuniaria; cumque huic pariter praecepto citati minime paruerint, tandem Archiepiscopus, post expeditum contra ipsos mandatum pro executione comminatae multae, acta ad s. Congregationem ex officio transmisit.

Cum igitur ex his omnibus desumpta fuerit occasio disputandi inter partes infrascripta dubia, placeat Eminentiis VV. respondere:

I. An licuerit Archiepiscopo Lancianen. die 16. Augusti anni 1733 indicere visitationem localem et personalem in Terra Castrinovi in casu?

II. An comminatio censurarum in edicto diei 22. Augusti ejusdem anni arctaverit Sacerdotes Petrum Crognale, Petrum de Fario, Julianum Crognale, Benjaminum Virgilii et Clericum Antonium Caporale, itaut citra incursum in excommunicationem potuerint resistere visitationi? et quatenus negative quoad secundam partem,

III. An censurae sustineantur in casu?

IV. An post obtentam absolutionem ab excommunicatione per Sacerdotem Epiphanium de Martinis, rite et citra incursum in irregularitatem potuerint celebrare in casu?

V. An constet de Attentatis commissis in spretum decreti Eminentissimi Pro-Auditoris Sanctissimi, itaut sit locus eorum purgationi et respective circumscriptioni sententiae declaratoriae incursus in irregularitatem per Archiepiscopum latae contra eosdem Ecclesiasticos in casu?

VI. An multa pecuniaria contra eosdem Ecclesiasticos lata die 7. mensis Decembris anni 1732 sustineatur in casu?

S. C. resp. ad 1: Affirmative et amplius;

ad 2: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius;

In reliquis: Dilata et Episcopus omnino procedat ad visitationem et S. C. certioret.

Die 11. et 27. Sept. 1734.

Leo PP. XII.

Quae quidem formidanda sententia, ut jam plane nostis, non eos solum percellit, qui personaliter residere negligunt vel inani aliquo praetextu eam effugere student, sed illos quoque, qui visitationis onus suscipere atque exequi secundum canonicas praescriptiones immerito recusant. Nunquam enim Tridentini decreto satisfacient, nisi personaliter ad oves accedere curent et instar boni Pastoris bonas foveant, errantes vero quaerant et ad ovile, qua fortiter qua suaviter clamando et agendo, tandem aliquando perducant.

Qui vero Episcopi vel residentiae vel visitationis praeceptis non ea, quae decet, sollicitudine parere nituntur, supremi Pastoris Salvatoris Nostri tremendum non evadent judicium causando, haec munera se per idoneos ministros obiisse.

Ipsismet enim, non ministris, gregum suorum cura concredita est: Ipsis peculiaris Spiritus sancti gratia: Ipsis et charismatum dona fuere promissa. Ex quo fit, ut oves proprii Pastoris multa libentius quam a Vicarii manu salubria alimenta fiducialius petant ac laetiori animo suscipiant, tanquam a manu Domini, cujus in Episcopis suis venerantur personam; quae omnia, praeter hactenus dicta, ipsa etiam rerum magistra experientia satis superque confirmat.

Die 3. Maii 1824.

(Anal. J. P. 1852 pag. 519,)

Episcopum Novarien., antequam ad Ecclesiam cathedr. solemnem ingressum facit, posse ad visitationem Ecclesias s. Gaudentii Novariae procedere non obstantibus quibuscunque. n. 3190 die 30. Julii 1689.

Ad dub.: An capellae dependentes ab Abbate Collegiatae Terrae Laureti Pennen. possint jure ordinario vel delegato visitari per Episcopum? S. C. resp.: affirmative jure Delegati. n. 3823 ad 5 die 22. Mart. 1710.

Benedictus PP. XIV.

Cum in omni rei domesticae cura nihil sit utilius, quam si ipsemet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat suaque vigilantia suorum industriam et diligentiam alat, propterea vos Fratres (Episcopos) monemus et hortamur atque etiam vobis injungimus ut Ecclesias et dioeceses vestras, nisi gravis et legitima interveniat causa, quae aliis id committi postulet, vos ipsi visitetis, vos ipsi oves vestras et pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sane ac terroris plena est certissima illa sententia, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit et pastor nescit. Multa vero ignorabit Episcopus, multa eum latebunt vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes suae dioeceseos partes se conferat et nisi per se ipsum ubique videat, ubique exploret, quibus malis medicina facienda sit et quaenam fuerint eorum causae, quave ratione occurri etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Praeterea cum ea sit humanae imbecillitatis conditio, ut in agro dominico, cujus cultura commissa est Episcopo, sensim crebres et spinae ac noxiae inutilesque herbae sucrescant, certe, nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis ejus laboribusque jam partus progressu temporis deflorescet.

Sed neque etiam satis est lustrari a Vobis dioeceses et opportunis praeceptionibus vestris curationi earum posse prospectum: restat ad illud enixe perficiendum a Vobis, ut quae

in visitationibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur. Idque potissimum per iteratas visitationes estis assecuturi. *Epistola Bened. XIV. ad episc. 3. Dec. 1740.* (Bull. r. t. XVI. p. 4.). *Epistola Leonis XII.* die 3. Maii 1824 (Collectio general. archid. Monacens. Frising. I. 118.)

Moniales debere initio visitationis episcopum sub baldachino sedentem revereri cum genuflexione et ab eo singulas accipere benedictionem. n. 1994 die 19. Jul. 1659.

In visitatione ecclesiarum civitatis et dioecesis in omnibus servanda esse ea, quae praescribuntur in Pontificali rom. l. III: Ordo ad visitandas parochias. n. 2997 ad 1 die 22. Aug. 1682.

n) Liminum ss. apost. Petri et Pauli.

Vd.: *Visit. Liminum.*

o) Mutua inter episcopos, archiep. et gubernatorem.

Vd.: *Praeses.*

p) Modus.

I. Index eorum, quae spectant ad episcopum visitantem.

1. Non modo debet visitare loca et personas, sed etiam praestare, quae sequuntur.

2. Absolvere animas fidelium defunctorum, ut in pontificali.

3. Benedicere solemniter populo visitando, ut in eodem pontificali, et cum indulgentiis.

4. Sermonem habere ad eumdem populum de visitationis causa, fine, effectibus.

5. Missam celebrare et distribuere sacram Synaxim.

6. Ministrare sacramentum confirmationis.

7. Consecrare ecclesias, altaria, calices, benedicere paramenta et alia pontificalia facere, prout est opus.

8. Invitare quoscumque ad suggerendum opportuna cum charitate et veritate.

9. Non autem sub poena excommunicationis ad revelanda, quae noverint, quod vetuit sacra congr. conc. ult. Martii 1588.

10. Ad extraneos actus non divertere, ut monet eadem sacra Congregatio.

11. Mensa frugali uti adhibita lectione, illud ex Conc. Trid. loc. cit., hoc ex decentia.

12. Cum paucissimis circumire, quorum opera celerius compleri possit visitatio.

13. Itinerarium recitare genibus flexis initio itineris a loco ad locum.

14. Orare vesperi publice in Ecclesia ante refectionem.

15. Visitare infirmos et in pauperes erogare pecuniam ad aedificationem.

16. A muneribus quibuscumque abstinere.

17. Notario suo aut secretario uti ad libitum ex declar. congreg. conc.

18. Procurationem debitam accipere hoc est, victum illius diei, quo visitat, ex concilio loc. citat.

Annotationes.

Circa 10. Extraneos actus a visitatione intellige, qui neque attinent ad locorum seu personarum visitationem ecclesiasticam, neque ad functiones supradictas pontificales.

Circa 11. Fugiat episc. hospitia laicorum et eorum convivia, ex conc. prov. Mediol. 4.

Circa 12. Expedit., ut episcopus assumat ministros, quos etiam mittere queat ad visitanda minora loca seu ad supputandas rationes dati et accepti ubi opus est; quare inter eos esse poterit oeconomus domus episcopalis,

theologus episcopi et magister caeremoniarum, cum famulo a cubiculo, praeter archidiaconum, seu 1. U. D.

II. Index praeparandorum a Visitatore pro Visitatione.

1. Edictum generale proponitur pro genarali Visitatione cum electione et publicatione coadjutorum.

2. Praemonitiones fiunt per literas ad parochos.

3. Ferat secum decreta postremae Visitationis, ut semper quaerat, an exequutioni mandata.

6. Conc. Trid. et praxim hanc compendiariam.

5. Pontificale romanum cum paramentis pontificalibus albi et nigri coloris.

6. Decreta provinciae suae et Synodi dioecesanae cum edictis generalibus etc.

7. Instructiones fabricae ecclesiasticae si adsint.

8. Indicem librorum prohibitorum.

9. Casus reservati summo pontifici et episcopo.

10. Indices locorum et personarum quae Visitationi subjacent.

11. Libellos distribuendos de doctrina christiana et alios spirituales.

12. Numismata sacra a summo pontifice benedicta, cereos, agnus dei, sacras imagines et ejusmodi ad pietatem excitandam.

13. Praemittat episcopus, si opus est, concionatores et confessarios et caeremoniarum magistros.

14. Faciat sibi indicem praecipuarum quarumdam rerum, de quibus interroget.

Gavant. Merat t. V. p. 60—61 (Ed. Venet. 1823.)

III. Index et ordo agendorum in Visitatione.

1. Recipiatur episcopus in locis insignioribus saltem processionaliter, ut in pontificali, non extra portam, ex caerem. episcopor. lib. 1. c. 2.

2. In minoribus locis cum rochetto et mozetta, osculo crucis in porta ecclesiae, incensatione a digniori ex clero visitando, induto pluviali albo.

3. Episcopus autem genufl. quidem osculatur crucem, sed stans cooperto capite incensatur.

4. Orat ante altare et apud altare, quod osculatur, benedicit populo solemniter.

5. Si hora est, celebrat missam vel audit, excipit clerum ad obedientiam cum osculo manus, in missa sermonem habet et communicat.

6. Sed facit in sermone, quae habentur in pontificali sed arbitrio suo.

7. Fit confessio et absolutio generalis cum indulgentia post sermonem, quam publicabit canonicus seu parochus ecclesiae.

8. Induitur episcopus amictu supra rochettum, stola, pluviali coloris nigri et mitra simplici, facit absolutionem defunctorum episcoporum et aliorum ut in pontificali, sive per ecclesiam sive per coemeterium procedendo cum cruce, candelabris, aqua benedicta et incenso, clero cantante psalmos et responsoria.

9. Assumpta stola et pluviali albo, accensisque intortitiis, visitat sacrosanctam Eucharistiam, quam prius et postea incensat.

10. Depositis paramentis, visitabit Baptisterum, olea sacra, sedes confessionales, reliquias sacras, tum altaria, capellas, sacras imagines, Sacristiam, coemeterium, baptisterium autem et sacras reliquias cum luminibus accensis et hae incensantur.

11. Postea aedes ecclesiasticas, Hospitalia, confraternitates et loca pia.

12. Pro confirmatione ministranda paratur pluviale et stola albi coloris, sicut etiam pro consecratione, seu

benedictionibus pontificalibus rerum sacrarum.

13. Audit confessiones et quaerelas inquirit, ut opus est de conversatione cleri et populi, de rebus spiritualibus et temporalibus, de libris et ornamentis.

Haec omnia ex pontificali romano hoc eodem ordine et paucis additis.

Annotationes.

1. Visitare deberet prius familiam suam episcopus, deinde alios ordine, quem diximus, Cathedralem, Collegiatas, parochiales ecclesias etc.

2. Praedictus tamen ordo est arbitrarius episcopo praesertim si vesperi veniat ad locum visitandum, quo casu fieri poterunt ea tantum, quae usque ad num. 5 sunt praenotata: reliqua mane sequenti.

3. Poterit etiam ad viciniora minime loca mittere coadjutores suos et convocare ad insigniorem locum vicinos populos pro confirmatione.

4. In visitatione monialium audiet eas ad cratem, non intra septa monasteria.

IV. Index observandorum in visitatione locorum.

1. Duae sunt partes visitationis locorum, descriptio eorumdem, prout sunt, et praesertim cum defectibus, ordinatio pro tollendis defectibus.

2. In ipso actu visitationis sola sufficit descriptio. Circa finem visitationis uniuscujusque ecclesiae mature fiant ordinationes et decreta, ex descriptione hausta nisi accidat in aliquibus executio ipsa, ut dicemus in propria indice §. 10. Descriptio consistit in duobus, an sit et quale sit, juxta indices, qui sequuntur.

V. Ad recipiendum episcopum solemniter a Clero in Visitatione.

Osculata cruce ab episcopo genuflexo super tapete et pulvino, quam ei offeret rector ecclesiae indutus pluviali albo supra superpelliceum, cantatur antiphona:

Sacerdos et pontifex et virtutum opifex, pastor bone in populo, si placuisti domino.

Si via longior est, adduntur cantica et hymni ex pontificali nimirum: *Benedictus Dominus Deus Israel etc.*, *Te Deum, Veni Creator.*, *Ave Maris stella, hymnus de Patrono loci.*

Tum offertur episcopo ab eodem rectore aspersorium aquae benedictae qua primo seipsum deinde alios aspergit.

Reddito aspersorio offertur eidem navicula, de qua imponit incensum in thuribulum cum benedictione, ministrante naviculam eodem rectore: a quo et incensatur triplici ductu.

Accedit episcopus ad altare majus, ubi orat et rector ecclesiae stans in cornu Epistolae altaris versus episcopum dicit:

℣ *Protector noster aspice deus.*

℟ *Respice in faciem Christi tui.*

℣ *Salvum fac servum tuum.*

℟ *Deus meus sperantem in te.*

℣ *Mitte ei domine auxilium de Sancto.*

℟ *Et de Sion tuere eum.*

℣ *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟ *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣ *Domine exaudi orationem meam.*

℟ *Et clamor meus ad te veniat.*

℣ *Dominus vobiscum.*

℟ *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, praetende societati nostrae gratiam tuam: ut per eos, in quibus habitas, tuum in

nobis sentiamus adventum. Per Christum dominum nostrum.

℟ Amen.

Ascendit episcopus ad altare, quo osculato in medio solemniter populum benedicit.

Preces pro absolutione defunctorum facienda in visitatione episcopo.

Visitator incipit Antiphonam: *Si iniquitates.*

Deinde cum clero dicit psalmum: *De profundis*; in fine: *Requiem aeternam.*

Tum dicit totam Antiphonam: *Si iniquitates observaveris domine, domine quis sustinebit.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, quod secreto completur. *Interim aspergit ter ante se aqua benedicta et imposito incenso in Thuribulum cum benedictione ter incensat eodem modo. Quo facto dicit:* Et ne nos inducas in tentationem.

℟ Sed libera nos a malo.
℣ In memoria aeterna erunt justi.
℟ Ab auditione mala non timebunt.
℣ A porta inferi.
℟ Erue domine animas eorum.
℣ Requiescant in pace.
℟ Amen.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum.

℟ Amen.

Praedicta dicuntur tantum visitante episcopo. Quae sequuntur, communia sunt Episcopo et Visitatoribus inferioribus.

Cantatur Responsorium: Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum: Tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiae.

℣ Qui venturus es judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Tu eis etc.

Et praecedente cruce cum Acolythis et candelabris accensis, aqua benedicta et incenso proceditur ad coemeterium, seu circa sepulchra ecclesiae dicendo Antiphonam et psalmum, ut supra: et in medio coemeterii seu ecclesiae cantatur Responsorium:

Libera me domine de morte aeterna in die illa tremenda.* Quando coeli movendi sunt et terra.* Dum veneris judicare saeculum per ignem. V. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.* Quando. V. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde.* Dum veneris. V. Requiem aeternam dona eis domine: et lux perpetua luceat eis. Libera me Domine de morte aeterna, in die illa tremenda.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Interim imponitur incencum in Thuribulum.* Pater noster.

Aspergit et incensat visitator de more et postea dicit: Et ne nos inducas in tentationem.

℟ Sed libera nos a malo.
℣ In memoria aeterna erit justus.
℟ Ab auditione mala non timebit.
℣ A porta inferi.
℟ Erue domine animas eorum.
℣ Requiescant in pace.
℟ Amen.
℣ Domine exaudi orationem meam.

℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum.

℟ Amen.

℣ Requiem aeternam dona eis domine.
℟ Et lux perpetua luceat eis.

Duo cantores dicunt:

℣ Requiescant in pace.
℟ Amen.

Et producto signo crucis ab omni parte super coemeterium reditur ad ecclesiam, dicente clero sine nota totum psalm., Miserere, cum: *requiem aeternam* in fine.

Ante altare majus dicet visitator in medio stans: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.
℣ Et ne nos inducas in tentationem.
℟ Sed libera nos a malo.
℣ A porta inferi.
℟ Erue domine animas eorum.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quaesumus domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut inter sanctos et electos resuscitati respirent.

Per Christum dominum nostrum.
℣ Amen.
Et prosequitur

I. Visitationem localem et material.

1) De ss. Eucharistia,
2) „ Altaribus,
3) „ Baptisterio,
4) „ Doctrina christ.
5) „ Ecclesia,
6) „ Euneribus,
7) „ Imaginibus,
8) „ Indulgentiis,
9) „ Legatis piis,
10) „ ss. Missae sacrificio,
11) „ ss. oleis,
12) „ ss. reliquiis,
13) „ Sacristia,
14) „ Sedibus confessional.
15) „ Seminariis,
16) „ Aedibus ecclesiasticis,
17) „ Hospitalibus et locis piis,
18) „ Oratoriis,
19) „ Oratoriis viarum vel capellulis,
20) „ Monasteriis monialium.

Vd.: *Visitat.* (ss. Sacram., altar. Baptist. etc.)

II. Visitationem personalem.

1) De Adminstratorib. piorum loc. et confratrum,
2) „ Beneficiis,
3) „ Cancellario,
4) „ Capitulo et canonicis,

5) De Clericis,
6) „ Communione,
7) „ Confirmatione,
8) „ Confraternit.,
9) „ Eremitis,
10) „ Foeminis piis,
11) „ Gymnasiis,
12) „ Laicis,
13) „ Matrimoniis,
14) „ Monialibus,
15) „ Officialib. cleri,
16) „ Parochis,
17) „ Poenitentia,
18) „ Presbyteris,
19) „ Regularibus,
20) „ Vicario foraneo (Decano rurali).

Vd.: *Visit.* (Administr., benef., capituli etc.)

Preces in fine visitationis pro defunctis, ut in pontif. romano.

In fine visitationis stans ante altare in cornu epistolae versus ad illud visitator dicit psalmum: De profundis etc.

Pater noster.
℣ Et ne nos etc.
℟ Sed libera etc.
℣ A porta inferi.
℟ Erue domine animas eorum.
℣ Requiescant in pace.
℟ Amen.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor etc.
℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Christum dominum nostrum.

℟ Amen.

Ad integritatem visitationis minime sufficit omnes sacerdotes simul etiam ad Synodum dioeces. convocare et ibi de singulis, quae in visitatione perquirenda sunt, eos interrogare, sed opus est per parochias discurrere et ecclesias ipsas, loca, res et personas oculari subjicere conspectioni et cognoscere, quomodo populi audiant divina et caetera ad christianitatem attinentia peragant; et ob id praecipitur singulas parochias regulariter esse lustrandas. C.: *Romana* in 6 in princ. et ibi glossa (*accedere*) quae ait: patet ergo, quod tenetur ire nec sufficit ad suam ecclesiam convocare.

Pax Jord. vol. 2. l. 7. tit. 1. n. 45 de gener. visit.

Bene verum est, quod si commode et absque difficultate accedere ad unamquamque ecclesiam non possit, forte propter nives, glacies, aquarum inundationes et similia, de pluribus locis ad unum congruum clericos et laicos convocare debet, ne ab impeditis visitatio totaliter auferatur.

Idem ibid. n. 46.

q) Obedientia praestanda.

Vd.: *Visit. Monial.; Vis. episc.* (Jus et Oblig., decr. *Pacen.*)

Theatina.

(Conc. Trid. C. 3. s. 24. de ref.)

Anno 1703 archiepiscopus Theatinus solemni ritu ingressus prima vice oppidum Vasti ad ecclesiam s. Mariae accessit et quia praepositus et clerus ecclesiae s. Petri renuit illi obedientiam praestare in dicta ecclesia s. Mariae plures exortae fuerunt controversiae super quibus prae ceteris haec duo sequentia dubia proposita fuerunt in hac sac. Congregatione die 19. Jul. 1704.:

I. An clerus ecclesiae s. Petri terrae Vasti teneatur praestare obedien-

tiam in actu visitationis in eadem propria ecclesia s. Petri? et quatenus negative,

II. An d. clerus ecclesiae s. Petri obedientiam praestare teneatur in ecclesia s. Mariae?

Et sub die 9. Aug. sequentis prodiit resolutio

Ad I.: Negative.

Ad II.: Affirmative.

Praepositus et clerus s. Petri reclamationes pro recessu a decisis seu declaratione emanatae resolutionis sub die prima Sept. 1714 insteterunt sub sequentibus dubiis

I: An sit standum vel recedendum a decisis sub die 9. Aug. 1704 super I. et II.?

II: An archiepiscopus Theatinus occasione visitationis possit recipere praestationem obedientiae a clero s. Petri terrae Vasti in quacumque ecclesia sibi benevisa?

III: An idem archiepiscopus valeat primo loco visitare in dicta terra Vasti ecclesiam sibi benevisam?

Quibus dubiis EE. VV. rescripserunt: Dilata et reformentur dubia anni 1704 audito archiepiscopo. Ideoque citato archiepiscopo juxta formam infra scriptam dubia reformata fuerunt, eo quia clerus s. Petri non controvertit obedientiam episcopo praestare in illa ecclesia, quam in suo primo et solemni ingressu visitat, sed tota controversia reducitur: an eandem exhibere debeat in ecclesia s. Mariae in aliis visitationibns, cum non probetur ecclesiam s. Mariae esse in rigoroso sensu matricem et alteram s. Petri filialem ad terminos textus in cap.: *Ad audientiam de ecclesiis aedific.*, cum utraque sit parochialis et independens, neque una in adjutorium alterius fuerit instituta et ad hunc effectum neque relevare praetendit d. clerus s. Petri, si ecclesia s. Mariae matrix esset in latiori significatu vel ratione praeeminentiae juxta textum in cap.: *Hisque de major et obed.*, vel quia pro cathedrali et primaria ecclesia habetur ex text. in cap.: *Venerabili de verb. signif.* Consuetudinem recipiendi obedientiam in ipsa ecclesia s. Petri probat ex publicis documentis visitationum et ex testimonio decurionum d. oppidi Vasti aliorumque plurium testium. Verum ulterius purgationem praetendit attentatorum et remotionem inscripti lapidis cum dubiis et resolutionibus anni 1704 hujus s. Congregationis appositi a clero s. Mariae in ejus ecclesia, praecipue cum in secundo dubio denominatio matricis superaddita legatur. Praeterea archiepiscopum in attentatis incidisse deducit eo quia pendente hac controversia die septima Jun. novissimi sub cominatione poenarum coegerit clerum s. Petri sibi praestare obedientiam in ecclesia s. Mariae, quamvis s. visitationem neque tunc perageret nec assistentibus consuetis et opportunis ad s. visitationem stipatus esset. Hinc summa EE. VV. sapientia definiet:

I. An super primo et secundo dubio sit standum vel recedendum a decisis sub die 9. Aug. 1704 quoad primum solemnem ingressum tantum archiepiscopi in terra Vasti, seu etiam quoad omnes alias visitationes ab archiepiscopo faciendas? et quatenus negative,

II. An occasione aliarum omnium visitationum capitulum et clerus s. Petri teneatur praestare obedientiam archiepiscopo in ecclesia s. Petri, seu in alia ecclesia archiepiscopo benevisa?

III. An constet de attentatis et quomodo sint purganda?

S. C. C. resp.

Ad I.: Archiepiscopum posse incipere sol. visitationem a quacunque ecclesia sibi benevisa ibique obedientiam exigere ab universo clero.

Ad 2: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad 3: Affirmative et amovendum esse lapidem et amplius.

Die 30. Jan. et 10. Apr. 1717.

r) Personaliter facienda est.

Episcopi obligatio est loca suae dioecesis personaliter visitandi omniaque suis oculis intuendi, cap.: *Conquerente* 16. de offic. ordin., cap.: *Romana* de censib. in 6.

(Ex resol. diei 8. Aug. 1772. *Faventina.*)

Vd.: *Visit. Episc.* (jus et oblig.)

s) Personae visitandae.

Episcopi jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt omnes animarum curam gerentes vel sacramenta administrantes in Ecclesiis Regularium in his, quae ad dictam curam et administrationem pertinent; Bened. XIV. Constitut. 109. incip.: *Firmandis* § 2. Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non vero delegata: *Idem ibidem* § 2. Episcopus cognoscere potest de vita et moribus Parochi regularis, iis exceptis, quae pertinent ad observantiam disciplinae regularis. *Idem ibidem* §. *9.* Delinquentem Parochum regularem corrigere potest in quo cumulativam jurisdictionem habet cum Superiore regulari et quidem cum praeponderantia; *Idem ibidem* §. *10.* Et idem ipsum etiam potest absque consensu Superioris regularis. *Idem ibidem* §. *11.*

Vd.: *Visit.* (eccles. par. et cur. reg.; cleri, benef.)

t) Quoties facienda in anno?

Vd.: *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig. praecipue decr. diei 16. Jan. 1723.)

Episcopus visitare potest toties, quoties opus fuerit, non solum Ecclesias communes dioecesis, sed etiam Capitula et Ecclesias cathedrales aliasque majores et personas illarum: *Communis* per textum expressum Concil. Trid. sess. 6. de reform. cap. 4.

Ad dub.: „An Episcopus teneatur singulis annis visitare totam dioecesim?"

S. C. die 14. Dec. 1654 respondit:

„Affirmative et si legitime impeditus fuerit, per suum Vicarium generalem vel alium visitatorem idoneum debet visitare, ita ut saltem toto biennio absolvatur.

In s. Marci Plurium 16. Jan. 1723 resolutum fuit, quod Episcopus potest per seipsum visitare dioecesim quotannis et etiam pluries infra annum sed absque procuratione.

Visitatio dioecesis quotannis est peragenda vel saltem quolibet biennio, si sit valde ampla: Idem *de Synodo dioecesana* lib. 2. cap. 9. n. 4. Immo Episcopus potest ipsam dioecesim visitare toties, quoties opus fuerit: *Idem ibid.* Unica tamen dumtaxat debetur ei procuratio pro eodem anno quo pluries dioecesim visitat, ut declaravit s. Congr. Conc. die 19. Sept. 1682, quae ad dubium: „An Episcopus, qui, si commode fieri possit, dioecesim suam quotannis visitare tenetur, possit hujusmodi visitationem facere per mensem vel circiter antequam labatur integer annus die peractae ultimae visitationis vel potius debeat exspectare, quod anni circulus integre compleatur, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum una tantum visitatio fiat? respondit: affirmative, sed non posse recipere procurationem nec victualia, nisi semel in anno." Et sic etiam in Policastr. Procurationis die 1. Junii 1737, ubi ad quaesitum: „An Episcopus non completo anno ab ultima visitatione possit iterum eamdem Ecclesiam visitare et aliam procurationem a visitandis erigere? resp.: Affirmative quoad primam partem et negative ad secundam."

Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis dioecesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus s. Congregationis decretis. *De Synodo dioeces.* lib. 7. cap. 53. §. 5.

u) Subdelegatio.

Vd.: *Visit. Ep.* (Delegat.)

Mileten.

Ad dub. 1: An Episcopus Mileten. tanquam Delegatus apostolicus possit subdelegare suum Vicarium generalem vel aliam Dignitatem ecclesiasticam in visitatione dioecesis et praecipue Ecclesiarum, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi?

Ad dub. 2: An Vicarius destinatus in dioecesi Mileten. a reverendissimo Capitulo sacrosanctae Basilicae Lateranen. possit revidere visitationes factas ab Episcopo sive ejus delegato visitatore in dd. Ecclesiis?

S. C. C. resp. ad I: Posse visitare vel per Delegatum etiam Ecclesias sitas in loco Lateranensi ad formam s. Concilii.

Ad II: Negative

Die 23. Apr. 1701.

44) Eremitarum.

In Visit. Erem. peragenda est inquiquirendum:

1) An in Ecclesiis civitatis, suburbiorum vel dioecesis permaneat aliquis eremita absque approbatione Episcopi?

2) An incedat in habitu a constitutionibus apostolicis praescripto?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

45) Examen in visitat.

Vd.: *Visitatio* (res visit.)

46) Exemptio.

Vd.: *Visit.* (omissio); *Visit. Eccl. exempt.*

47) Feminarum piarum.

Vd.: *Visit. Laicor.*

In Visit. Fem. p. peragenda est inquirendum de

1) Fundatione.
2) Legibus.
3) Habitu.
4) Convictu.
5) Sacramentis.
6) Piis exercitiis.
7) Redditu.
8) Clausura.
9) Numero.
10) Regimine.

Gavant. Merat. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

48) Finis.

(Quae ad finem Visit. sunt peragenda.)

Vd.: *Visit. Episcopi* (modus); *Visitatio* (Off. Notarii.)

Index agendorum pro fine Visitationis.

1. Dantur Rectoribus locorum singulorum propria decreta a Notario subscripta: publicanda ab iisdem Rectoribus, etiam aliis, ad quos pertinent.

2. Approbantur rationes administrationum redditae, si bene fuerint redditae, cum subscriptione Visitatoris vel Deputatorum ab eo vel Notarii: fiunt praecepta ut solvant ii, qui debent, intra certum terminum, sub poena dupli et aliis.

3. Causae criminales si longiores sunt, reserventur foro Vicarii generalis.

4. Eodem modo civiles, si finiri non queant intra dies visitationis.

5. Vicariis foraneis mandari potest, ut sibi describant in libello proprio decreta omnia, quae singillatim Clero

sui Vicariatus relicta sunt, ut procurent executionem.

6. Distribuantur pia munera, libri spirituales.

7. Et recognoscatur ratio sumptuum pro victu factorum in visitatione loci.

8. In Ecclesia stans Episcopus ante altare in cornu epistolae dicit psalm.: De profundis, Preces et Oratiouem pro Defunctis, ut in Pontificali in fine visitationis et vadit.

Gavant. Merat. t. V. pag. 71. (Ed. Venet. 1823.)

Praecipuus s. visitationis finis est sanam orthodoxamque doctrinam expulsis heresibus inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; ut post *can. placuit 11. qu. 1. cap. in singulis, de stat. Monach. et cap.: Romana §. sane decens in 6.*, docet Tridentina Synodus in sess. 24. cap. 3. de reform.

(Ex resol. diei 16. Maii 1795. *Firmana.*)

49) De Funeribus.

In Visit. de Funer. hoc modo est inquirendum:

1) An in funeribus adsint abusus, puta, quod cadavera associentur sine cruce, sine lumine et sine parocho vel cum ululatu Consanquineorum. Mulieres evellant sibi crines aut aliquid agant gentilium more?

2) An cadavera defunctorum processionaliter ad Ecclesiam ferantur ante ortum vel post occasum solis absque licentia?

3) An tradantur sepulturae ante lapsum temporis viginti ad minus horarum, postquam quem animam e corpore exhalasse pro certo habeatur; eos vero, qui repentina morte, ante lapsum 24 horarum?

4) An parochus aliive sepulturam denegent aut differant praetextu non solutae eleemosynae et an pauperes gratis sepeliantur?

Ecclesiast. c. 7. Ritu rom. de Exequ.

5) An in Ecclesia paroch. adsit sepulchrum pro parvulis decedentibus cum baptismo ante septennium, prout construi debet?

6) An in Ecclesia cathedr. adsit sepulchrum separatum pro Canonicis et aliud pro clericis?

7) An cadavera infantium decedentium sine baptismo sepeliantur prope Ecclesiam in loco non sacro ad id constituto?

8) An coemeteria, quae religiosa loca sunt, undique muro sint circumdata et in medium signum crucis elevetur?

9) An sepulturae constructae et effossae reperiantur subtus altare vel prope et illarum ora suppedanea pertingant? Hae etenim obstruendae omnino sunt, altaria interdicantur.

10) An in Ecclesiis monialium sine licentia S. C. tumulentur cadavera laicorum sive marium sive mulierum? Si hoc enim fieret, interdicatur, dummodo non sint patroni ecclesiae, qui in fundatione hoc jus sibi et haeredibus reservassent vel cum licentia S. C. et monialium sepulchrum ab antiquo tempore haberent instructum?

11) An parochus praeter quartam pro cadaveribus extra parochiam tumulandis aliquid aliud exigat ab haeredibus defuncti?

Id enim vetitum est non obstante contraria consuetudine. S. C. Ep. in civit. Vetulae 2. Junii 1690 et S. C. C. in Mantuana Januarii et 3. Aprilis 1694.

Hortentur Sacerdotes, ut sibi ipsis decedentibus suffragiorum vicem retribuant.

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. post n. 267.)

50) Gymnasior. publ.

In Visit. Gymnas. publ. peragenda est inquirendum de

1) Statutis.
2) Moribus.
3) Professione fidei a Doctoribus, quae curanda est ab Episcopo ex sacra Congr. Conc. sess. 25. c. 2.
4) Item in docentibus grammaticam, arithmetica; *ex eadem ibidem.*
5) Philosophia falsa impugnanda; ex Concil. Lateranensi.
6) Lectione sacrae scripturae; ex Concilio Tridentino, sess. 5 c. 7.

Gavant. Mer. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

51) Hospitalis.

Vd.: *Visitatio Eccles. Confrat.* (decr. *Tudertina*).

Ordinarii locorum possunt visitare hospitalia, Concil. Tridentin. sess. 2. cap. 8. de reformat. Et possunt exigere ab administrationibus rationes et computa, tam in visitatione quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis; Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. et 9. de reformation. et saepe saepius. Immo Ordinarii possunt visitare hospitalia et ab eorum Administratoribus rationes et computa exigere, non obstante quod a Testatore et lege fundationis expresse excludantur; Ordinarii possunt exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quae non sunt sub immediata Regum protectione. Sic pluries decrevit s. Congregatio Concilii: Hospitalia autem, quae sunt sub immediata Regum protectione, nequeunt ab Ordinariis visitari, Concil. Trident. c. 8. sess. 22. de reformat. Hospitale aliquod visitare volenti si opponatur exceptio, quod sub immediata Regum protectione existat, non ad saecularem Judicem sed ad ipsum Episcopum talis exceptionis cognitio et definitio pertinet; s. Congregatio Concilii apud *Lezanam* tom. 2. cap. 6. num. 11. et apud *Barbosam* in summ. apostolic. decis. verb.: Hospitale n. 7. et apud alios ibi citatos. Ad hoc tamen, ut hospitalia sub immediata protectione Regum existentia sint immunia a visitatione Ordinariorum, debent esse talia a primaeva sua fundatione nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a Rege sub immediata sui protectione, ut eximantur a jurisdictione Ordinarii; habentur ad hoc responsa et decreta s. Congregationis Concilii in una Messanen.

Ordinarii visitare, corrigere et reformare possunt hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum in casibus a jure concessis, scilicet ob negligentiam vel ob dilapidationem bonorum et ut Testatoris voluntas servetur; s. Congregatio Concilii testibus Barbos. in dict. summario num. 1. et Armendar., Marta et Lezana ab ipso ibi citatis. Hospitalia privata possunt Ordinarii visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quae ad observandam voluntatem Fundatorum pertinent, et ex decreto Conc. Trid. sess. 22. c. 9. de reform. exigere rationem ab Administratoribus ipsorum hospitalium una tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. S. Congregatio Concilii apud Barbosam l. c. n. 5. et apud Armendar. ab ipso ibi cit. Hospitalia etiam unita in quibus Ecclesiae sunt vel assidue divina officia celebrantur et bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinariis visitari. S. Congr. apud Lezanam in summa q. q. Regul. tom. 2. cap. 6.

n. 11. Barb. l. c. n. 3. Hospitalia quamvis debeant visitari ab Episcopo vigore Conc. sess. 22. c. 8. de reform. non inde tamen prohibetur, quin et Judices saeculares eadem visitare possint, si hoc eis alias legitime competit. Sac. Congr. Conc. apud Barbosam loc. cit. n. 4. et Armendar. et Lezanam ab ipso ibi cit. Hospitalia, quae administrantur a Fratribus s. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione Ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. Sacra Congr. Conc. in Avellina 12. Jan. 1630 apud Barb. l. c. n. 12. et apud alios ab ipso ibi cit.

Liparen.

(Conc. Tr. C. 89. S. 22. De Ref.)

Testamento jussit Bartholomaeus Liparensis, ut post obitum Aedes suae in hospitale verterentur: Commissarios atque Exequutores et Administratores hujus pii operis elegit iisque facultatem dedit alios successive nominandi voluitque ,,che non si ino tenuit detti miei Fideicommissarii dar conto a niuna persona di quello amministreranno etiam de negligentiis commissis et male administratis, o per altra cosa quomodocumque etiam che sarebbono richiesti a dar conto dal medesimo Prelato. ,,Morte obita a Testatore factum fuit hospitale, nulla, ut dicitur authoritate Episcopi interveniente, sine altari, sine capella, sine aere tinnulo, sine beneficio immunitatis. Hoc hospitale numquam ab Episcopis visitatum fuit, numquam Episcopi ab Administratoribus rationes exegerunt. Qui tamen nunc Ecclesiae illi praeest Episcopus et Hospitale visitare voluit et rationes ab Administratoribus vult exigere. Obstiterunt illi et re ad hoc s. Tribunal delata auditus fuit Episcopus et nunc causa proponitur, disputantibus Exequutoribus testamentariis atque Administratoribus hospitalis non posse Episcopum rationes administrationis exigere, quia in ipso limine fundationis Episcopus expresse excludatur, quae una limitatio est ex duabus, quae communiter dari solent dispositioni Tridentini, ut apud *Barbos.* de jur. eccles. univ. lib. 2. cap. 11. num. 50. et ad Concil. Trident. sess. 22. cap. 9. num. 9. Sacra haec Congregatio in responso apud *de Marinis* resol. jur. lib. 1. cap. 39. num. 8., et in *Pientina* 15. Eebr. 1607, et in *Derthusen.* 27. Maii 1634. Visitationi etiam locum non esse disputant iidem Exequutores testamentarii, quia res sit de opere pio mere laico neque ecclesiastica immunitate potiatur; adduntque demum factum negativum omnium retro Episcoporum, qui hospitale numquam visitarunt et numquam rationes ab Administratoribus exegerunt. A Promotore fiscali nihil hactenus habuimus: Duo sunt causae capita:

I. An Hospitale s. Bartholomaei Liparen. sit omnino exemptum a visitatione Episcopi? Et quatenus affirmative,

II. An acta facta a Curia episcopali Liparensi super visitatione d. hospitalis sint delenda?

S. C. resp. ad I: Hospitale non esse exemptum a jurisdictione Episcopi quoad redditionem rationis;

ad II: Provisum in primo.

Die 9. Maii, 6. Junii et 11. Julii 1750.

In Visit. Hosp. peragenda est inquirendum:

1) An adsint erectiones, statuta, et an legitimae, an honesta et licita?

2) An infirmis subministrentur corporalia et spiritualia?

3) An revideantur computa et administrationes?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

In Visit. Hosp. peragenda est inquirendum de:

1) Porta.
2) Inscriptione.
3) Cellis.
4) Distinctione sexus.
5) Tabellis onerum.
6) Suppellectilibus.
7) Inventario.
8) Statutis.
9) Fundatione.
10) Privilegiis.
11) Indulgentiis.
12) Oratione 40 horarum.
13) Lectis.
14) Genere infirmorum.
15) Ministerio.

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

52) Imaginum.

In Visit. Imag. est inquirendum:

1) An imagines SSrum exponantur in Ecclesiis adorandae priusquam ab Episcopo fuerint benedictae et approbatae?

2) An imagines SS. sint depictae in locis sordidis aut locis irreverentiae obnoxiis, an deformatae et deturbatae? Inde enim tollendae sunt vel restaurandae et, si fieri nequit, dealbandae; leg.: *Unica*, cod. *Nemin.* lic. sign. Salvator etc. S. C. Ep. in Veneta 22. Maii 1696.

Signum crucis si in pavimento sculptum inveniatur, inde tollatur, ne pedibus conculcetur, l. 1. c. *Nemin.* lic. sign. *Salvator* etc.

3) An imagines Jesu Chr., B. M. V., Apost. et Evang. reperiantur depictae cum habitu vel forma ab Ecclesia non usitata vel cum habitu regul. Si enim taliter depictae inveniantur etiam in Ecclesiis exemptis, debent deleri et reformari.

Urbanus VIII. in append. 2. constit. 51.

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad 1. t. post n. 267.)

53) Impedientes visitationem.

Vd.: *Visitator* (Num vim etc.)

Impedientes visitatorem a munere visitationis excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipiscant, textu expresso in *Clementina: Attendentes 2. de statu Monachor. in fine,* ibi: „Si quis vero visitationes ipsos in praemissis impedire praesumpserint seu aliquo praemissorum nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris.“

Quamvis haec excommunicatio sit latae sententiae non tamen incurritur statim ac fuerit visitationi illatum impedimentum, sed requiritur, quod visitator prius moneat impedientes, ut desistant ab illato impedimento; quod si moniti non desistant, statim incurrunt, ut clare habetur ex verbis dictae Clementinae: „Nisi moniti resipiscant etc. Glossa in d. Clementina *Attendentes* verb.: Impedire, *Navarr.* in Manual. cap. 27. n. 140., *Bonacina* de censuris in particulari disp. 3. qu. 2. punct. 4. n. 4., *Tambur.* de jure Abbatissar. disp. 14. quaest. 8. n. 3., *Pellizzarius* de monialibus cap. 10. quaest. 11. n. 81., *Monacell.* tom. 3. tit. 4. annot. ad excommunicat. 2. n. 3. qui dict. tom. 3. tit. 1. formul. 39. n. 4. recte advertit., quod si impedientes canonice moniti nolint ab allato impedimento desistere, potest Epis-

copus visitator ipsos excommunicatos publice denunciare absque alia sententia, ut tradunt glossa in cit.: *Clementin verb.: Impedine* et verb.: *Ipso facto.*

54) Indictio.

Antequam inchoetur visitatio, proponuntur edicta, in quibus episcopus debet denunciare diem suum iis, quos visitare intendit. Non enim visitandos imparatos invadere debet, nisi justa aliqua causa aliud prudenter suadeat; tum quia id maxime expedit, ut sic parochus seu rector ecclesiae visitandae possit populo denunciare diem adventus episcopi visitatoris, ad hoc ut se praeparent ad illum recipiendum. Joannes Andreas in cap.: *Cum sit romana, de Simon. Fuscus* de visitat. lib. 1. cap. 4. n. 4., *Barbosa* lib. 1. jur. eccles. univers. cap. 14. n. 36., *Ventrigl.* prax. tom. 1. annotat. 24. §. 1. n. 28 et alii passim.

Non licet tamen episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi jubeantur in virtute s. obedientiae crimina detegere, multoque minus propositae poena excommunicationis, sed solum ad id enixe hortari. Sic resolutum fuisse a sacra congregatione refert ex aliis *Barbosa* de offic. et potest. episcop. part. 3. allegat. 75. n. 9. et supra concil. tridentin. sess. 6. de reform. cap. 4. tom. 10. ubi ex Aldano testatur id decisum fuisse sub die 31. Apr. 1393.

Indictio visitationis omnium ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum almae urbis.

Clemens VIII. Episcopus.

Servus servorum dei.

Dilectis filiis universo clero et populo romano salutem et apostolicam benedictionem.

Speculatores domus Israel, quae est ecclesia dei viventis, mirabili ejusdam providentia constituti, qui in humilitate nostra ostendere dignatus est divitias bonitatis suae, admonemur debito creditae dispensationis officio et charitate Christi urgemur, ut ministerium nostrum, divina gratia adjutrice, implere studeamus, quare in hoc ipso apostolatus nostri initio, contemplantes ex hac sublimi specula, non sine intimo doloris sensu, calamitates, incommoda populi christiani, cum ad caeteras afflictae reipubl. partes, quantum cum Domino licet, sublevandas animum adjicimus, tum potissimum ab hac Alma et Nobis maxime dilecta Urbe nostra oculos nunquam deflectimus. Sic enim intelligimus, quam Ecclesiis omnibus pastoralem sollicitudinem deberemus, eam nos tanto impensius huic s. romanae ecclesiae debere, quanto Nobis propinquior et charitatis vinculis pluribus est conjuncta quam merito et in oculis et in corde et in visceribus Christi praecipuo quodam ac vere paterno affectu gerimus. Itaque non solum de ejus temporalibus commodis laboramus, sed multo magis ut par est, de ejusdem Urbis spiritualibus bonis augendis atque amplificandis solliciti sumus, quibus scilicet et humana felicitas solidius continetur et vera ac sempiterna beatitudo comparatur, quod certe dum facimus etiam aliarum ecclesiarum, quamvis illae locorum intervallo sint disjunctae, rectam administrationem eadem opera procuramus. Nam cum omnes unum corpus simus in Christo, membra cum suo capite copulata, eodem spiritu pietatis et recreari necesse est. Quemadmodum igitur stabilis illa catholicae fidei petra, adversus quam inferorum portae praevalere non possunt, divino concilio in hac urbe, quae prima sedes est, consurgit, hic beatissimi apostolorum prtncipis Petri cathedra col-

locata, unde omnis existit ecclesiae unitas et communio, hic orthodoxae fidei integritas et sana doctrina et verus dei cultus semper viguit ac viget atque ab hac ecclesia omnium matre et magistra tamquam ab ipso fonte in alias ecclesias promanat, sic vicissim summopere cupimus, ut omnis ex urbe auferatur iniquitas et ut clerus et populus romanus vitae innocentia, ecclesiastica disciplina, omni denique christianae pietatis exemplo caeteris praeluceat. Illudque in primis optamus ut in religiosissimis et antiquissimis urbis basilicis nulla in divinis laudibus et precibus ab ecclesiastico ordine deo persolvendis negligentia appareat, nemo opus dei negligenter faciat, ne horribili maledictione feriatur, nulla sit divini cultus perturbatio, nulla sacrorum rituum ac caeremoniarum ignoratio aut neglectus, quin potius decor domus dei in urbis ecclesiis ubique eluceat, omniaque ordinate, decenter et religiose fiant, ut fideles populi aedificentur et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est. Etenim, qui a communi populo segregati in loco excelso sunt positi, meminisse debent se a domino vocari sal terrae et lumen mundi, ut omnium virtutum sapore et luce populos condiant atque illustrent, ne peccatorum tabe putrescant neve sempiternae mortis tenebris obruantur; alioquin sanguis pereuntium animarum de eorum manibus a justo judice requiretur. Quare cum fideles omnes, tum potissimum clericos, ea sanctimonia et morum integritate praeditos esse decet, ut re ipsa de eis dici possit, quod est in divinis scripturis: Genus electum, gens sancta, regale sacerdotium, de quibus et illud quoque scriptum est: Sancti estote quoniam ego sanctus sum dicit dominus, caeterum, cum eadem sit hominum quae et agrorum natura, qui nisi crebo excolantur nullum aut perexiguum fructum faciunt magnamque spinarum copiam profundunt, contra vero si cultura et diligentia adhibitur et steriles agri saepe fructuosi evadunt et natura boni meliores et secundiores fiunt: ob eas causas jure optimo a sacris canonibus et praesertim a semota tridentino synodo tantopere commendatur episcopalis visitatio, quae veluti spiritualis quaedam cultura est populi christiani, qua divinarum rerum veneratio augetur, boni mores conservantur, pravi corriguntur, instaurantur ecclesiae, populus ad pietatem accenditur et alia complura ex visitantium zelo et prudentia ad dei gloriam et fidelium utilitatem constituuntur.

§. 1. Quae cum ita se habeant, statuimus pro nostro pastorali officio, deo bene juvante, hunc peculiarum agrum et gregem nostrum recognoscere et romanae urbis omnes, tam patriarchales quam collegiatas et parochiales ecclesias earumque capitula et personas, item monasterta, conventus et ecclesias quorumvis ordinum, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocumque nomine censentur loca pia per Nos Ipsos visitare. Ad hoc autem salutare opus pie sancteque exercendum atque exequendum fideles operarios nostros et adjutores delegimus, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus et episcopos aliquos, ut eorum consilio et adjumento, tanto fructuosius in hoc salutari visitationis officio versemur, quod certe necessario duximus suscipiendum, summi et aeterni pastoris exemplo excitati, cujus sunt illa. Ecce ego requiram oves meas et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum. Et Nobis a domino dictum videtur: Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur

iniquitatem. Et alibi sapiens Nos admonetur: diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera. Et salvator noster boni pastoris esse ait proprias oves cognoscere et vocare nominatim. Ad laudem igitur et gloriam omnipotentis dei et sanctae romanae Ecclesiae exaltationem vobis visitationem nostram indicimus, quam proximo dominco die, qui etiam sancti Basilii optimi et sanctissimi episcopi atque ecclesiae doctoris commemoratione celebris est, in sacrosancta primaria lateranensi basilica inchoabimus et statutis diebus, deo adjutore, prosequemur.

§. 2. Omnes autem per viscera Misericordiae dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, paterne hortamur et monemus, ut memores vocationis suae et tempus hujus sacrae visitationis agnoscentes, vitae ac morum emendatione et vera tam interriori quam exteriori reformatione visitationem nostram praeveniant quod certe libenter praestabunt si praeter caetera illud ad animum revocaverint, se esse clerum romanum, quem beatissimi apostolorum principes Petrus et Paulus instituerunt atque erudierunt, seque in ea urbe clericalis officii munera obire, quae tot fortissimorum martyrum sanguine in Christo plantata et irrigata est, in qua domicilium fidei et visibile ecclesiae caput a deo positum est, ut hinc omnes non solum doctrinae sed vitae et totius ecclesiasticae disciplinae exempla petant et bonus odor Christi ad vitam ex romana ecclesia ad omnes ecclesias diffundatur.

§. 3. Quia vero infirmitatem nostram agnoscimus et plane scimus, nihil Nos boni cogitare, nedum officere posse sine divino auxilio, idcirco ad coelestem opem implorandam, ut proxima sexta feria in nonnullis ecclesiis urbis, patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis sacrosancta eucharistia solemni ritu in altari proponatur et quadraginta horarum oratio celebretur.

§. 4. Universos autem Christi fideles in hac ipsa alma urbe existentes hortamur atque in domino requirimus ut sollicitudinem nostram suis orationibus sublevent et laborem adjuvent, quae ut ratae et efficaces sint in conspectu ejus, qui cor contritum et humiliatum non despicit, dignus poenitentiae fructibus eum placare studeamus, quem peccatis nostris ad iracundiam provocavimus.

§, 5. Quod quidem ut libentius et salutarius fiat, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus Romae degentibus, qui eodem ipso proximo dominico die post diligentem suorum peccatorum confessionem sacram eucharistiam sumpserint, ut haec nostra visitatio ad dei gloriam et animarum salutem feliciter eveniat, pie in quavis ecclesia oraverint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedimus atque elargimur.

§. 6. Omnes igitur simul, dilecti filii, sive ex clero sive ex populo, veterem hominem exuentes, in novitate vitae ambulemus nos sollicitudine non pigri spiritu ferventes, domino in toto corde serviamus et ejusdem misericordiam copiosam, cum ad hoc sanctae visitationis opus tum ad certas necessitates nostras fratrumque nostrorum bonis operibus et sedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romae in monte Quirinali die 8. Jun. 1592.

(Bull. r. t. III. p. 7. Ed. Luxbg.)

Indictio visitationis omnium ecclesiarum monasteriorum et locorum piorum almae urbis, necnon orationes quadraginta horarum cum indulgentiarum elargitione pro recta de visitationis directione. Et nonnullarum facultatum concessiones pro ejusdem

visitationis felicori progressu et expeditione.

Urbanus episcopus,

Servus servorum dei.
Dilectis filiis universo clero et populo romano salutem et apostolicam benedictionem.

Militantem ecclesiam, quae vel caelestis ejus sponsi commendata praeconio progreditur aurora consurgens, in evangelicae perfectionis via subsistere non decet, sed novis semper supernae gratiae fulgoribus illustratam, ad uberiorem veluti virtutum lucem ac sanctitatis decorem aequum est properare. Hac in re Nobis cogitationem defigentibus anticipaverunt vigilias oculi nostri, ac ut ecclesiastica res majora in dies ubique suscipiat incrementa, tanto magis ad Nos pertinere intelligimus quanto in hoc rerum vertice constituti apertius agnoscimus, imperscrutabili omnipotentis dei providentia Nos fuisse acceptos pascere Jacob servum suum et Israel haereditatem suam. Quoniam vero nulla ratione fieri potest, ut in agro domini christianae virtutes feliciter serventur, nisi spinae, quae suffocant sementem patris familias, inde prius evellantur: Nos ut id facilius assequamur, eumdem agrum et vineam, quam plantavit dextra ejus, diligenter repurgare nihilque eorum praetermittere decrevimus, quae corruptis moribus corrigendis sanctisque operibus, quae vel temporis injuria vel humanae naturae imbecillitate in desuetudine abierunt, restituendis opportuna esse arbitramur. Licet autem christiana respublica universa multiplici malorum genere vexetur omnibusque ejus partibus, quod maxime deplorandum est, medicina opus esse intelligamus, eam tamen almae urbis nostrae non uno nomine praecipue duximus adhibendam: quandoquidem haec est civitas supra montem posita quae totius orbis patet obtutui: haec eadem pietatis exemplum cunctis ad imitandum propositum, primaque catholicae religionis sedes tantis divina munificentia honorum praerogativis decorata, ut vere de ea dicatur: diligit dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

§. 1. Cum igitur haec ita se habeant, pro nostro pastorali munere peculiarem hunc agrum et gregem nostrum recognoscere et romanae urbis tam patriarchales quam collegiatas earumque capitula necnon parochiales caeterasqae alias ecclesias et personas, item monasteria, Conventus et ecclesias quorumvis ordinum regulares, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocumque nomine censentur, loca pia, per infrascriptos archiepiscopum et episcopos visitare statuimus. Quod quidem saluberrimum opus, etsi per Nos ipsos inchoare, prosequi et perficere vehementer optamus, nihilominus dum ad alia quam plurima eaque gravissima negotia, quorum mole assidue premimur, cogitationem convertimus aliis eam provinciam cogimur demandare. Quapropter venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaeli Zacynthensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriano Antonio Casertano, ac Alexandro nuper Hieracensi episcopis, de quorum pietate et ecclesiasticarum rerum peritia Nobis ipsi multa possumus polliceri ad hoc munus obeundum, maturo consilio delictis ad laudem et gloriam omnipotentis dei et sanctae romanae ecclesiae exaltationem visitationem hujusmodi committimus illamque vobis omnibus indicimus, quam in proxima futura dominica in albis in sacrosancta primaria lateranensi ecclesia iidem

Archiepiscopus et Episcopi inchoabunt ac statutis diebus Deo juvante prosequentur.

§. 2. Ut autem nostram visitationem ea spiritualia commoda, quae Nos divini nominis propagationi necnon animarum saluti paterna caritate studentes et cupimus et speramus, feliciter consequantur, omnes per viscera misericordiae Dei nostri, qua visitavit nos Oriens ex alto, hortamur et monemus, ut memores vocationis suae, opportuna vitae et morum emendatione eamdem visitationem praeveniant. Quod quidem eos facile et libenter praestituros confidimus, si memoria repetierint, se in ea Urbe clericalis officii munera obire, quam in montibus sanctis fundatam ac sanctissimorum Martyrum sanguine respersam et irrigatam nonnisi uberrimos pietatis et religionis fructus ad totius christiani orbis aedificationem beata foecunditate proferre decet.

§. 3. Quoniam autem non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ac nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam, Nos infirmitatem nostram humiliter agnoscentes, ad coelestem opem implorandam, volumus ut sexta feria eamdem Dominicam antecedente, in nonnullis Ecclesiis Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis per dilectum filium nostrum in eadem Urbe Vicarium in spiritualibus generalem praescribendis, sanctissimae Eucharistiae Sacramentum solemni ritu in altari proponatur ac quadraginta horarum oratio de more celebretur.

§. 4. Quae ut sollicitudinem nostram magis sublevet ac laborem illorum, qui hac in re vicariam Nobis operam praestituri, efficacius adjuvet, universos Christifideles in hac Alma Urbe commorantes hortamur, ut Deo, qui cor contritum et humiliatum non despicit, dignis poenitentiae fructibus placere studeant.

§. 5. Quod quidem, ut libentius et salutarius fiat, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus Romae degentibus, qui visitatis Ecclesiis hujusmodi seu eorum aliqua eodem die ipso proximo dominico die, post diligentem peccatorum suorum confessionem s. Eucharistiam sumpserint et ut haec nostra visitatio ad Dei gloriam et animarum salutem feliciter eveniat, pie in quavis Ecclesia oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedimus.

§. 6. Omnes igitur simul dilecti filii sive ex Clero sive ex Populo veterem hominem exuentes in noviiate spiritus ambulemus, sollicitudine non pigri spiritu ferventes Domino in toto corde serviamus, ut ejus misericordiam copiosam tum ad hoc s. visitationis opus tum ad caeteras necessitates nostras fratrumque nostrorum bonis operibus et sedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romae apud s. Petrum die 27. Mart. 1624.

(Bull. r. t. IV. p. 42. (Ed. Luxbg.)

Indictio visitationis apostolicae omnium Ecclesiarum et locorum piorum Almae Urbis necnon orationis quadraginta horarum cum indulgentiarum elargitione ad implorandam divinam opem pro recta visitationis hujusmodi directione.

Innocentius XII.

Dilectis Filiis universo Clero et Populo romano Salutem et apostolicam Benedictionem.

Agrum universalis Ecclesiae superna coelestis Patrisfamilias praeordinatione curae Nostrae demandatum omni

studio atque industria, quantum Nobis ex alto conceditur, custodire atque excolere jugiter satagentes, spiritualibus hujus Almae Urbis Nostrae, quae propioribus charitatis vinculis Nobis conjungitur, quamque Christus Dominus tot praeclaris amoris significationibus prae caeteris dilexisse visus est, augendis promovendisque bonis peculiarem apostolici muneris nostri sollicitudinem impensius adhibere non praetermittimus.

§. 1. Cum enim sancta haec Romana Ecclesia veluti civitas supra montem posita ac supra fundamentum Apostolorum aedificata omnium in se oculos undequaque convertat, ex ea potissimum non solum doctrinae sed vitae ac virtutum omnium exempla in reliquas christiani orbis Ecclesias, quarum Mater et Magistra est, oportet promanare. Quamvis itaque eam esse, miserante Domino, ejusdem Urbis Cleri et Populi pietatem reputemus, ut Christi bonus odor exinde in exteras quoque regiones diffundi possit, nihilominus quia post primi Parentis labem semper ad inferiora nos deprimit nostrae mortalitatis infirmitas et carnis fragilitate austerior paulatim observantia relaxatur, unde et de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere et in agro domini spinas et tribulos identidem germinare quotidiana experientia perdocemur: Memores Nos ideo in sublimi hoc apostolicae sedis fastigio constitutos, ut noxia evellamus atque utilia plantemus, nihil Nos salubrius aggredi posse cogitavimus, quam si jam usque a primis fere Ecclesiae temporibus traditum et ab ipsa sacrosancta Tridentina Synodo tantopere commendatum, quodque non minus sapienter constitutum quam re atque usu frugiferum compertum semper fuit ac salutare, pastoralis visitationis auxilium adhiberemus; qua quidem spirituali veluti cultura et vitiorum zizania, quae suffocant sementem Patrisfamilias, eradicentur et uberior benedicente Domino electi sanctorum operum frumenti messis exurgat.

§. 2. Ut igitur divinus in Urbe praefata cultus amplificetur, ecclesiastica floreat disciplina, boni firmentur mores, corrupti corrigantur omnisque Populus in via Domini praelucente Clero feliciter progrediatur, summi et aeterni pastoris exemplo excitati cujus illa sunt verba: Ecce ergo requiram oves meas et visitabo eas: sicut visitat Pastor gregem suum: statuimus, Deo dante, hunc peculiarem agrum et gregem nostrum recognoscere omnesque dictae urbis tam patriarchales quam collegiatas et parochiales Ecclesias earumque Capitula et personas, item monasteria, conventus et Ecclesias quorumvis ordinum, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia quocunque censentur nomine loca pia visitare.

§. 3. Porro in hujusmodi operis consortium, quippe quod tametsi per Nos ipsos illud inchoare, prosequi et perficere vehementer optaremus, nihilominus tam aliorum eorumque gravissimorum negotiorum mole, quam nostrarum virium infirmitate praepediti, absque aliorum adjutorio explere posse plane diffidimus, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus necnon Episcopos et romanae Curiae Praelatos aliquos advocabimus, ultra alios super negotiis visitationis apostolicae Ecclesiarum et locorum piorum ejusdem Urbis auctoritate apostolica dudum institutae deputatos, quorum consilio atque opera in re tam salubri atque ardua utemur.

§. 4. Ad omnipotentis itaque Dei laudem et gloriam sanctaeque roma-

nae Ecclesiae exaltationem vobis visitationem Nostram indicimus, quam a sacrosancta primaria Lateranensi Ecclesia inchoabimus ac subinde statuendis diebus, adjuvante Domino, prosequemur.

§. 5. Universos proinde et singulos per viscera misericordiae Dei Nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, monemus et obsecramus, ut memores vocationis vestrae tempus hoc acceptabile et promovendae animarum saluti destinatum agnoscentes praeparetis corda vestra Domino vitaeque ac morum emendatione necnon bonorum operum studio visitationem nostram ita praeveniatis, ut ex ea fructum centuplum exspectare possimus.

§. 6. Caeterum quia imbecillitatis Nostrae probe conscii plantare frustra ac rigare conaremur, nisi laboribus Nostris ope misericordiae suae adesse dignaretur, qui incrementum dat Deus suique super nos s. Spiritus liberali manu spargeret unctionem, idcirco ad coelestem opem concordibus votis efficacius implorandam, volumus ut proxima sexta feria in nonnullis praefatae Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis Ecclesiis per dilectum filium Nostrum in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem praescribendis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum solemni ritu in altari proponatur et quadraginta horarum oratio de more celebretur.

§. 7. Haec autem ut ferventiori Spiritus ardore majorique fructu fiant, coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, aperire et erogare decrevimus, omnibus itaque et singulis utriusque sexus Christifidelibus Romae degentibus, qui vere poenitentes et confessi proxima die Dominicae quae erit in Septuagesima, s. communione refecti fuerint piasque in quavis Ecclesia ad Deum preces effuderint, ut haec Nostra Visitatio utilis sit Ecclesiae et animarum saluti, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur.

§. 8. Agite igitur delecti filii, pastoralem sollicitudinem, quam paterna charitate vobis impendimus, et hujus nostrae visitationis labores orationibus sublevate actusque vestros ita disponite, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis sicque ipsi per omnia placere satagite, ut non modo fides sed et s. conversatio vestra annuntiari possit in universo mundo vestrique omnium mores in faciem Ecclesiarum romanum illum Clerum ac Populum ostendunt, quem beatissimus Princeps Apostolorum Petrus in christiana religione primus instituit et gentium Magister ac Doctor Paulus prae omnibus erudivit atque ita in omnibus honorificetur Deus, ut cum ad judicandum venerit et scrutabitur Hierusalem in lucernis exaltet Nos in tempore visitationis ad videndum in bonitate Electorum suorum, ad laetandum in laetitia gentis suae ac laudetur cum haereditate sua in perpetuas aeternitates.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Jan. 1693.

J. F. Card. Albanus.

(Bull. r. t. VII. p. 188. Ed. Luxbg.)

55) Indulgentiar.

In Visit. Ind. peragenda est inquirendum:

1) An publicentur absque licentia et approbatione Episcopi?

2) An adsint Brevia et concessiones authenticae?

3) An fiant mercimonia et quaestus praetextu et occasione indulgentiarum?

Monacell. t. I. append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

56) Initium.

Tempus incipiendae visitationis non est a jure determinatum; unde relinquitur arbitrio Episcopi, qui potest eligere tempus loco magis proportionatum. *Tusc.* de visitat. lib. 1. c. 2. n. 13., *Ventriglia* prax. t. 2. cap. 25. et alii.

57) Jus cui competit?

Vd.: *Visit. episcopi* (jus etc.)

Visitandi jus et potestas competit omnibus Praelatis ecclesiasticis, qui jurisdictionem ordinariam in reliquos habent, cap.: *Romana* 1. §: *Hanc, de censibus* in 6. Unde post romanum Pontificem jus et potestatem visitandi habent *Legati a latere ex officio legationis* sibi a Sede apostolica demandatae, cap.: *Cum Apostolus, de censibus.* Item *Legati Pontificii*, qui non sunt a latere, sed dicuntur nati, quibus Legatio apostolica competit ratione Dignitatis, in qua sunt constituti, cap.: *Cum instantia*, cap.: *Procurationes,* de censibus.

Item *Legati apostolici*, *qui Missi sive Nuntii apostolici nuncupantur, si visitandi onus eis sit specialiter impositum*, vel si urgens aliqua necessitas visitationem postulet, cit. cap.: *Cum instantia*, cap.: *Procurationes*, de censibus; *Tuschus* de visitation. lib. 1. cap. 2.; Item Vicarius Summi Pontificis in Territorio sibi injuncto: cap.: *Penultim. de Offic. Vicar.*, *Tuschus* cit. lib. 1. cap. 2. n. 4.

Item Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum; Leo X. in constitut. incipiente: *Supernae* edita in Concil. Lateranens. V. sess. 9. cap. 2.

Patriarchae, *Primates*, *Archiepiscopi et Episcopi jus ordinarium habent visitandi suas respective dioeceses;* cap.: *Romana* 1. de censibus in 6. Concil. Tridentin. sess. 23. de reformat. cap. 3. ita ut habeant intentionem fundatam quoad jus visitandi omnes Ecclesias cujusque suae respective dioecèsis, cap.: *Omnes Basilicae* 14. q. 7., cap.: *Romana* 1. de censibus in 6. et *Communis Doctorum.*

Item Vicarius capitularis Sede vacante id potest sive per se sive per alium: Item *Vicarius apostol.* Item *Vicarius collegiatae exemptae* et nullius dioecesis: *Rota* recent. apud Ferinac. part. 1. dec. 346., *Nicolius* verbo: Visitatio ordinaria n. 3.

Item Abbates aliique Praelati habentes proprium territorium et qualitatem Nullius; cap.: *Romana* 1. §: *Hanc, de censibus* in 6. cum similibus; et *Communis Doctorum.*

Item *Decani*, *Archidiaconi*, *Archipresbyteri plebani* et alii inferiores visitandi jus habent, *si id longa consuetudine praescripserint*; cap.: *Super eo,* et cap.: *Cum Apostolus*, de censibus, Concil. Tridentin. sess. 24. de reformat. cap. 3, ibi: „Archidiaconi autem, Decani et alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto Notario, de consensu Episcopi, deinceps per se ipsos visitare.“

Item *capitulum*, *superstite adhuc Episcopo*, potest interdum ex praescriptione vel privilegio habere jus visitandi; et tunc Visitatores a capitulo deputati debent esse approbati ab Ordinario, Concil. Trident. cit. sess. 24. de reformat. cap. 3. ibi: „Visitatores etiam, a Capitulo deputati, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur.“

Dicti Archidiaconi tamen et alii inferiores visitationis a se factae rationem reddere et acta omnia exhibere Episcopo infra mensem tenentur: Concil. Trident. loco cit. ibi: „Cui ipsi Archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere et depositiones testium ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque.“ Immo Episcopus etiam per alium potest easdem Ecclesias seorsim ab his iterum visitare.“ Concil. Tridentin. loco cit. ibi: Sed non ideo Episcopus vel eo impedito ejus visitator easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur. At vero licet Episcopus possit iterum visitare Ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen iterum punitos ab eis neque ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam; sic decisum fuisse refert Barbosa supra Conc. loco cit. n. 15. et Armendar. apud ipsum ibid.

Superiores generales Ordinum regularium provinciales et alii Praelati, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima jurisdictio, habent jus visitandi monasteria aliaque loca sibi subjecta; cap.: *In singulis* et cap.: *Ea, quae,* de statu Monachor., Concil. Tridentin. sess. 21. de reformat. cap. 8. et sess. 24. de Regularib. cap. 20. et *Commun. Doctor.* praxi quotidiana id demonstrante. Si Ecclesia seu Abbatia saecularis nullius dioecesis sita sit in aliqua dioecesi, Visitatio spectat ad Ordinarium, in cujus dioecesi est Ecclesia Nullius. Sic decisum fuisse refert *Rota* par. 2. recent. dec. 501. apud Barbosam.

58) Laicorum.

Vd.: *Visit.* (Official. Cleri; Feminar.)

In Visit. Laic. peragenda est inquirendum de:

1) Ludimagistrorum moribus.
2) Fidei professione.
3) Medicorum accessu ultra dies ad inconfessos.
4) Bibliopolis (indices librorum).
5) Examen aliorum fit juxta: *Visitandi* n. 31. 32. arbitrio Episcopi.
6) Tripudiis in diebus festis.
7) Nundinis.
8) Comoediis turpibus.
9) Legatis non solutis.
10) Quaestuariorum abusu.
11) Vagorum et peregrinorum moribus.
12) Notariorum fori laicalis imperitia.
13) Meretricum nimia licentia.
14) Cauponum publicis vitiis.
15) Viduarum et pauperum necessitatibus.

Gavant. Merat. t. V. pag. 69 (Ed. Venet. 1823.)

59) Legatorum piorum.

In Visit. Leg. p. est inquirendum:

1) An in loco visitato praeter onera et legata missarum adsint alia legata pia adimplenda?

2) An de illis habeatur et retinetur nota in cancellaria episc. ac in libris Ecclesiae seu alterius loci pii visitati?

3) An adimpleantur?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl ad I. t. post n. 267.)

60) Liminum ss. Apost. Petri et Pauli.

De visitandis, certis hic statutis temporibus, sanctorum Petri et Pauli de Urbe liminibus etc. ab Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiarum primatibus.

Sixtus PP. V.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, beatissimi Petri apostolorum principis successor, in altissima militantis Ecclesiae specula divina dispositione collocatus, ex credito sibi apostolicae servitutis officio, omnium Ecclesiarum sollicitudinem habere totiusque domini gregis, qui unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae per universum orbem terrarum diffusae sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Hujus vero tam gravis et ingentis oneris angelicis plane humeris formidandi magnitudinem ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos episcopos in partem suae sollicitudinis advocavit, qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum ut, Episcoporum opere et adjumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret et spiritualium ovium morbos intelligeret curationesque adhiberet atque, ex sui muneris officio, perdita requireret, abjecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire atque intelligere oportet, ut, omnibus cognitis et examinatis, pro ea, quae sibi a Christo Domino tributa est summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

§. 1. Ob quas sane causas, jure optimo et Spiritus sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus praedecessoribus nostris *jam ab antiquissimis temporibus institutum est et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, certis praescriptis temporibus, per se ipsos vel per certum eorum nuncium,* omni occasione seposita, beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam Urbem suo sanquine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram et totius sacerdotalis unitatis fontem, jurejurando se visitaturos pollicerentur atque ita S. R. E. matris suae complexu recreati et paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad Ecclesias suas regendas alacriores et instructiores redirent.

§. 2. *Ceterum haec tam salutaris atque necessaria constitutio*, partim antiqui humani generis hostis astutia variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, *valde refriguit*, aliis alia atque alia impedimenta praetexentibus, in grave animarum suarum periculum et quibus praesunt Ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerore commemorare non possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis jam annis, hominum peccatis ita promerentibus, Ecclesia vexatur et Christi Domini vestis dilaceratur, ex ejusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio ab ipsis episcopis pro rei gravitate ad roma-

num Pontificem relatum esset, sane illius providentia et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini evulsae essent et diabolici ignis scintillae, subito oppressae atque restinctae, in tot flammas et luctuosa incendia non erupissent.

§. 3. Haec atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi apostolatus apicem, meritis licet imparibus, Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus sed etiam de adhibendo remedio, divina gratia adjutrice, cogitare coepimus. Urget enim Nos Dei timor et acres animo nostro stimulos dies noctesque subjicit, quemadmodum in tremendo illius judicio administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant et quasi aures nostras personent sacrae illae voces comminationis et terroris plenae: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel et sanguinem ejus de manibus tuis requiram.* Et quod Petro a Domino dictum est: *Confirma fratres tuos.* Et illud Apostoli Pauli quod tanto magis ad nos pertinet, quanto majorem praeter ceteros pastoralis officii curam sortiti sumus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quocirca, eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes simulque modum et temporum spatia Ecclesiarum earumdem praesulibus, pro cujusque intervallo et locorum distantia, moderantes, *hac perpetua constitutione sancimus, decernimus et mandamus ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, per universum terrarum orbem constituti* et a Nobis deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant seu eis consecratis pallium beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini et administrationi se immisceant, *si quidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris, si absentes, in manibus antistitis, qui ad impendendum munus praedictum aut ad tradendum pallium hujusmodi a Sede apostolica delegabitur, jurent,* juxta formulam in libro Cancellariae apostolicae, quinterno appellato, nuper descriptam, *se beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli limina,* statutis in hac nostra constitutione temporibus, *personaliter ac per se ipsos visitaturos* ac Nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio deque rebus ecclesiarum, quibus praesunt, statum ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica recepturos et quam diligentissime executuros.

§. 4. *Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium* ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum capitulorum aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem; aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum sacerdotem; et si clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere de-

beant per legitimas probationes ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuncium transmittendas.

§. 5. Quin etiam principes temporales, si quid, pro eorum pietate et erga hanc apostolicam sedem observantia, romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive episcopos sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuncios et relatores, quorum opora ab eadem Sede, pro illorum dominiis, ditionibus et rebus firmandis et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, conjungendis, opportuna sincerae caritatis officia, consilia atque subsidia exspectare certo poterunt.

§. 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primates Archiepiscopi et Episcopi, *Itali videlicet vel ex italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adjacentium provinciarum Italiae ac etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt, tertio anno, Germani vero, Galli Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare germanicum et balticum ac omnium insularum maris mediterranei, quarto anno, et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores ac etiam Africani litoribus nostris adversi ac insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno, Asiatici vero* et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus et denique in quibuslibet mundi partibus, *decimo anno iter suscipiant* et, Deo concedente, perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis vel pallii traditionis aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differantur, volumus quod tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis praesulibus, qui sive morte praeventus sive alia quacumque de causa, ob non finitum tempus ei praescriptum, dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse et excurrisse intelligitur, ut, termino ipso juxta praedecessoris sui jusjurandum completo, debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

§. 7. Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac sancta sede ordinati sunt aut dictum pallium ab ea susceperunt aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum et temporum intervalla praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis constitutionis omnino teneantur. Jubemus igitur, in virtute sanctae obedientiae, supradictis omnibus antistitibus, praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam sibi suisque Ecclesiis adeo utilem ac necessariam juxta praescriptam formulam omnino conficiant.

§. 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu Ecclesiae ac etiam ab administratione, tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia

resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a sede praedicta meruerint obtinere.

§. 9. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis liminibus ejusmodi quibuscumque ecclesiarum praelatis et per quoscunque romanos pontifices ac etiam Nos et dictam sedem, ex quibusvis causis perpetuo vel ad tempus, concessis, extensis et innovatis.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 20. Dec. 1585.

(Bull. r. t. VIII. p. 641. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Ab abbatibus aliisque habentibus monasteria seu ecclesias cum jurisdictione quasi episcopali et territorio separato facienda.

Benedictus PP. XIV.

Confirmatur constitutio PP. Sixti V. eaque extenditur ad abbates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum jurisdictione quasi episcopali et territorio separato.

Quod sancta sardicensis synodus divino edocta magisterio edixit, optimum et valde congruentissimum esse, si ad caput idest ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis domini referant sacerdotes, attenta animi consideratione evolentes, ubi primum Nos, licet immeritos, dominus gratiae suae praecipuo munere in eadem sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius orbis ecclesiarum ad parvitatem nostram status et negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in s. Petro apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit. Siquidem in speculis a deo constituti et vigilantiae nostrae diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprabare cupientes noctes diesque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, ubi nomen dei praedicatur, extendat, memores illius objurgationis dominicae: „quod infirmum fuit, non consolidastis et quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis et quod abjectum est, non reduxistis et quod perierat, non quaesistis et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor et factae sunt in dovorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt; erraverunt greges mei in cunctis montibus et non erat qui requireret, ecce ego ipso super pastores requiram gregem meum de manu eorum.“ Cum ergo pastoribus talibus, per quos dominicae oves negliguntur et pereunt, sic dominus comminetur, quid Nos aliud facere oportet quam colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim major aut melior cura praepositorum, quam diligenti sollicitudine et medela salubri fovendis et conservandis ovibus providere.

§. 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus PP. V. serio animadvertens veterem et laudabilem morem, gravissimis ex causis et non sine Spiritus sancti instincto a Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris antiquitus institutum et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi certis praescriptis temporibus per se ipsos vel per certum eorum nuntium beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, qui hanc alman urbem suo sanguine consecrarunt, limina se visitaturos jurejurando pollicerentur, ut episcoporum Romam venientium opera et adjumento romanus pontifex, cui omnium ecclesiarum

sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret et spiritualium ovium morbos intelligeret curationesque opportunas adhiberet, nec quicquam omnium illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem necessario eumdem scire atque intelligere oportet, partim hominum culpa partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, a plurimis, in grave animarum suarum periculum et quibus praeerant ecclesiarum detrimentum, negligenter observari, ex intimis animi sensibus indoluit et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere et congrua adhibere remedia cogitavit.

§. 2. Itaque per suas apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus pontifex;* constituit, ut omnes patriarchae, primates, archiepiscopi per universum terrarum orbem constituti et deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus dignitate praefulgerent seu eis consecratis pallium de beati Petri corpore sumptum traderetur aut ad aliam ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini et administrationi se immiscerent, si quidem praesentes in curia, in manibus sanctae romanae ecclesiae diaconi cardinalis, ordine prioris, si vero absentes, in manibus antistitis ad impendendum munus praedictum aut ad tradendum pallium hujusmodi a sede apostolica delegati, juramento se obstringerent se beatorum apostolorum Petri et Pauli limina, statutis in iisdem literis temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos ac romanis pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica recepturos et quam diligentissime executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

§. 3. Cum autem abbatum, priorum aliorumque, qui spirituali jurisdictione quasi episcopali in suis monasteriis et ecclesiis eorumque territoriis ab omni alia episcoporum dioecesi omnimode separatis potiuntur, nulla mentio in praefatis literis Sixti facta fuerit, hinc est, quod abbates aliique, qui hujusmodi ecclesiis et monasteriis praeerant cum jurisdictione spirituali et territorio separato, nunquam beatorum apostolorum limina visitantes de iisdem ecclesiis et monasteriis et grege curae suae commisso ad romanos pontifices referrent, adeo ut hujusmodi monasteriorum et ecclesiarum, quae nullius dicuntur, status et conditio sedi apostolicae incognita esset et saepe ignorarentur mala, quibus medendum esset, et laterent bona, quae apostolica cura et studio essent fovenda et amplificanda,

§. 4. Nos igitur cupientes omnium ecclesiarum utilitati et animarum saluti, quantum in domino possumus, consulere ac providere, cum de omnibus et quod tremendum est etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem redituri simus tum etiam volentes ea, quae salubriter a praedecessoribus nostris instituta sunt, exactius diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. praedecessoris et in eis contenta quaecumque, ex certa scientia et apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus ac etiam innovamus omnibusque patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis mandamus et praecipimus, ut eas sedulo ac diligenter et omnia in eis praescripta observare ac custodire studeant et apostolicae sedis mo-

nitis ac praeceptis in re tanti momenti ea reverentia atque animi cura et promptitudine, qua par est, pareant atque obsequantur et antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae sacerdotalis religionis vigorem non minus in judicando quam in consulendo retineant scientes quid apostolicae sedi cum omnes hoc loco positi ipsam sequi desideremus apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit.

§. 5. Praeterea scientia et auctoritate praedicta hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus et mandamus, *ut omnes et quicumque abbates, priores, praepositi aliique quocunque nomine ac titulo nuncupati et quacumque dignitate, etiam cardinalatus honore insigniti, saeculares et quorumvis ordinum regulares ad monasteriorum seu ecclesiarum particulare et separatum territorium habentium regimina jam promoti et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis aut aliter quovis modo promovendi et monasteria seu ecclesias hujusmodi in titulum, commendam, administrationem aut aliter quomodolibet obtinentes vel imposterum assecuturi, qui videlicet spiritualem jurisdictionem, quasi episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in monasteriis et ecclesiis praedictis eorumque territoriis, districtibus et quasi dioecesibus ab omni alia episcoporum dioecesi omnino sejunctis et separatis, quocumque jure et titulo, vel ex origine vel praescriptione vel ex indulto et privilegio apostolico exercent, antequam eorumdem monasteriorum seu ecclesiarum possessionem adipiscantur et in eorum regimine et administratione de aliquo immisceant, siquidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. C. diaconi cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus nuntii aut legati Sedis apostolicae, si praesens fuerit, sin minus in manibus alicujus episcopi aut archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum romana tamen ecclesia ecclesiasticam communionem habentis, tamquam ejusdem apostolicae sedis delegati, jurent, juxta formulam inferius describendam, se sacras beatorum apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos visitaturos ac insuper Nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus romanis pontificibus, statutis temporibus, rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum et ecclesiarum procuratione innotitiam nostram, nostrorumque successorum perferente quaecunque ad ipsorum monasteriorum et ecclesiarum statum et ecclesiasticae disciplinae in clero et populo observantiam, ad animarum salutem, quae illorum fidei creditae sunt, et ad divinum cultum et gloriam pertinent, vicissim recepturos a sede apostolica monita et mandata, quorum censura et quae coercenda sunt, resecentur, et quae observanda sunt, sanciantur et quae bene coepta atque instituta approbatione et confirmatione nostra nostrorumque successorum ad debitum finem perducantur.*

§. 6. *Quod si legitimo impedimento detenti fuerint*, jurent, se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem et de gremio suorum monasteriorum et ecclesiarum, in dignitate ecclesiastica saeculari vel regulari constitutum, aut omnino per aliquem sacerdotem saecularem vel regularem spectatae probationis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum, per quem etiam de hujusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad sanctae romanae ecclesiae

cardinalem praefectum congregationis sacri concilii transmittendis.

§. 7. Ad hoc autem debitum visitationis suorum monasteriorum et ecclesiarum officium oportune explendum supradicti omnes abbates, praepositi, priores et quocunque alio dignitatis vel officii nomine nuncupati, tam regulares quam saeculares, Itali videlicet vel ex italicis insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi et alii adjacentium provinciarum Italiae, tertio anno, *reliqui vero in aliis provinciis, regnis et terrarum orbis partibus et regionibus existentes, tam qui nunc sunt quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur*, diligenterque pro viribus adimplere Nobisque et nostris successoribus exhibere studeant ac curent, idemque institutum tertio quoque et quinto anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia a tempore captae possessionis et suscepti monasteriorum et ecclesiarum regiminis et curae incipiant.

§. 8. Ji vero, qui de ecclesiis et monasteriis hujusmodi jam provisi, in earum pacifica possessione a biennio et amplius reperiuntur vel quibus praefinitum a Nobis superius tempus a die habitae possessionis jam effluxit intra annum, si in Italia et Insulis adjacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis praesentis constitutionis, ad Nos praefatam suarum ecclesiarum relat. et deinde singulis trienniis aut aliis praestitutis temporibus pro locorum conditione et distantia, ad Nos transmittere et sacras apostolorum basilicas visitare et nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se praesentes sistere debeant, ut S. R. E. matris suae complexu recreati et paterno humilitatis nostrae colloquio confirmati ad monasteria et ecclesias suas regendas alacriores et instructiores revertantur.

§. 9. Jubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus abbatibus, prioribus, praepositis aliisque quocunque titulo vel nomine nuncupatis vel quacunque dignitate praefulgentibus tam regularibus quam saecularibus praesentibus et futuris, *ut visitationem praedictam et insuper relationem statutis a nobis temporibus faciendam sibi suisque monasteriis et respective ecclesiis adeo utilem ac necessariam juxta praescriptam alias episcopis formam omnino conficiant*; si vero, quod absit, a Nobis praecepta et constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu ecclesiae ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suorum monasteriorum et respective ecclesiarum ab episcopo vel archiepiscopo monasterio aut ecclesiae nullius viciniori, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a sede praedicta meruerint obtinere.

§. 10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis liminibus ejusmodi aliisque peragendis, quibuscumque ecclesiarum et monasteriorum rectoribus et per quoscumque romanos pontifices ac etiam Nos et dictam sedem ex quibusvis causis perpetuo vel ad tempus concessis, extensis et innovatis, quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari aliisque contrariis quibuscumque.

§. 11. *Formula autem juramenti praestandi ab abbatibus aliisque monasteria seu ecclesias habentibus cum*

jurisdictione quasi episcopali et territorio separato talis est :

Ego N. ab hac hora fidelis et obediens ero B. Petro apostolo sanctaeque romanae ecclesiae et domino nostro, Benedicto PP. XIV. suisque successoribus canonice inrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingeratur vel injuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se aut nuntios suos seu literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicae sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E., domini nostri PP. et successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio vel facto seu tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eamdem romanam ecclesiam aliqua sinistra vel praejudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse et quanto citius potero significabo eidem domino nostro vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire.

Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Sacras BB. apostolorum memorias singulis trienniis personaliter ac per me ipsum visitabo et domino nostro successoribusque praefatis rationem reddam de commisso mihi munere deque rebus omnibus ad mei monasteri seu ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam animarumque denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero praedicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. cardinalem congregationis sac. Concilii praefectum per dictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam nec donabo neque impignorabo nec de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto romano pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrae voluntatis, constitutionis, decreti, statuti, hortationis et monitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 23. Nov. 1740.

P. Card. Prod.
D. Card. Passioneus.
Visa de Curia.
N. Antonellus.
I. B. Eugenius.

Registrata in secretaria Brevium.

Publicatum die 15. Dec. 1740.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 19.)

Si episcopus habeat coadjutorem ab ap. sede datum, sufficit, si coadjutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit, si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo et principalis sui nomine.

Synod. dioeces. Bened. XIV. l. 16. c. 6. §. 5.

Id etiam praestandum est ab episcopo titulari ut ex Fagnano aliisque probatur. *Ibid.* §. *5.*

Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia. *Decr. consist. Alexd. XII. Ibid.* §. *6.*

61. Localis et mater.

Vd.: *Visit.* (Monaster., eccles., orat., capellar.) *Visit.* (res. visit.)

Index locorum ab Episcopo visitandorum.

1. Confici curet episcopus a cancellario episcopali locorum indicem visitandorum, quem in visitatione perficiet. Vd.: *Visit. Ep.* (modus.)

2. Haec autem sunt de ejusdem immediata jurisdictione: et primo ecclesia cathedralis.

3. Ecclesiae collegiatae cum aedibus canonicorum.

4. Parochiales cum aedibus Parochorum.

5. Beneficiatae eccles.

6. Quaecumque aliae, etiam sacella, oratoria, ubi celebratur missa, et confratriae, Trid. sess. 22. c. 8.

7. Item ea oratoria, quae sunt in viis, et ubi non celebratur missa.

8. Hospitalia et loca pia, sess. 22. cap. 8. et collegia quaecumque, ibid.

9. Monasteria Monialium sub Ordinario.

Alia sunt loca cum limitatione visitanda nimirum:

10. Monachorum et regularium ecclesiae, ubi est animarum cura. Trid. sess. 7. cap. 7.

11. Monialium monasteria sub regularibus, quae clausuram habent. Trid. sess. 15. cap. 5.

12. Ecclesiae, quae sunt nullius dioecesis, a viciniori episcopo visitantur, sess. 24. cap. 5.

13. Monasteria virorum, ubi non viget regularis observantia, sess. 21. cap. 8.

14. Beneficia quaecumque et qualitercumque commendata, *sess. eadem.*

Gavant. Merat. t. 5. p. 63. (Ed. Venet. 1823.)

Index decernendorum in visitatione locali et materiali.

Peritus sacrorum canonum episcopus, decretorum synodalium et communioris usus ecclesiae catholicae quaedam statim decernet et in ipso visitationis actu exequetur, quaedam maturius, circa finem Visitationis locorum et personarum.

Decernet statim et singillatim ea, quae sequuntur:

1. Altarium demolitionem ubi facienda est.

2. Altarium confractionem, veteris Chrismatis et oleorum combustionem.

3. Sepulcrorum amotionem seu obstructionem, si loco vetito.

4. Amotionem bardellarum, sedilium et aliorum impedimentorum.

5. Item profanarum imaginum aut rerum.

6. Lacerationem corporalium, purificatoriorum et rerum indecentium sine remedio.

7. Profanationem calicum et patenarum, item ecclesiarum.

8. Clausionem portarum lateralium.

9. Lacerationem missalium, Breviariorum nimis indecentium.

10. Amotionem arborum a caemeterio et locis sacris.

11. Ramorum incisionem, qui nocent parietibus ecclesiae.

En vero, quae maturius et data opportunitate temporis sunt executioni mandanda.

1. Altarium reconcinatio et bardellarum.

2. Umbellae constructio super Altare.

3. Telaria altarium lignea.

4. Septa altarium.

5. Fenestella pro urceolis.

6. Crux, candelabra et alia hujusmodi, assignato congruo spatio temporis judicio episcopi et poena pecuniaria aut alia ad arbitrium, non autem censuris vel certe non latae sententiae nisi ex maxima eausa.

Alia denique sunt, quae reservari debent, examinanda melius adhibitis etiam in consultationem doctissimis viris, peracta tota visitatione, ne diutius immorans visitator loca plus justo gravet.

Gavant. Merat. t. V. p. 67. (Ed. Venet. 1823.)

62) De Matrimonio.

In Visit. de Matr. hoc modo est inquirendum:

1. An parochi matrimonia denuncient, antequam semotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint?

2. An parochi, antequam matrimonia denuncient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimae aetatis, confirmati, in mysteriis fidei edocti, an consanguinei?

4. An sponsi, antequam matrimonium contrahant, invicem conversentur absque interventu parentum et consanguineorum?

4. An parochus saltem bis in anno in missis paroch. populi impedimenta matrimonii denunciet?

5. An parochi exteros vel eos, qui a dioecesi diu fuerunt absentes, absque licentia episcopi in matrimonio conjungant?

6. An parochi dispensent unam vel alteram ex denunciationibus faciendis auctoritate propria absque permissione episcopi vel vicarii generalis?

7. An denunciationes fient semper diebus festis de praecepto interpollatis?

8. An parochus vel alter, qui de ejus licentia vel episcopi contrahentes matrimonio conjunxit, matrimonium describat in libro eadem die vel differat descriptionem?

9. An matrimonia contrahantur semper in ecclesia vel aliquando domi sine licentia episcopi vel Vicarii generalis?

10. An temporibus ab ecclesia prohibitis absque episcopi licentia?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

63) A Metropolitano facienda.

Utrum Metrop. dioeceses suorum suffrag. possit visitare?

Vd.: *Visitatio eccles. paroch. et curat. regul.* (decr. *Ciovien.*); *Visit. dioeces. Suffrag.*

64) De missae celebratione.

Vd.. *Visit.* (sacristiae, presbyter., parochi, ecclesiae.)

Haec visit. hoc modo est peragenda:

1. An ad sacrum faciendum admittantur exteri absque literis dimissor. seu commendatiis recognitis et approbatis ab episcopo vel ejus delegato?

2. An adsint in loco sacerdotes qui indevote, propere et irreventer sacrum celebrent?

3. An sacrista seu rector ecclesiae permittat et admittat ad celebrandum presbyteros, qui coronam et vestem clericalem decentem et ab edictis seu constitutionibus synod. praescriptam non deferunt?

4. An in missis volivis fiant quaestus et an sacerdos novellus admittat laicos ad altare ad osculum manus, nam si iste abusus inveniatur, tolli debeat, cum pacis instrumentum seu crucem ad osculum exhibere debeat et non manus et oblationes, si quae offerri contingat, hoc fiat in medio altaris sacerdote populo obverso. (S. C. C. ap. Zerol. in praxi verb.: *Missa.)*

5. An in celebratione missarum sacerdotes utantur calicibus et patenis dissauratis, planetis attritis et corrosis, albis et amictis immundis, cingulis fractis, corporalibus commaculatis ac missalibus laceratis, vino acido vel mucido et an parati sint urceoli mundi cum pelvicula saltem testacea?

6. An tabella onerum missarum in qualibet ecclesia in sacristia appensa in loco patenti retineatur?

7. An in eadem sacristia retineantur libri, non folia, quae vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratae fuerunt, per eosmet sacerdotes adnotentur missae celebratae, an servetur silentium vel potius indecentia committantur?

8. Mandet quod sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia episcopi vel vicarii admissi fuerint ad sacrum faciendum, in libro scribant se tali die celebrasse ad hoc, ut si forte falsos et fictos sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem?

9. Qui sint ministri et quae personae admittantur ad inserviendum missis?

10. An celebrentur missae de mane ante aurorам vel post meridiem?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. supl. ad I. t. post n. 267.)

65) Modus, quando visit. ab inferiore est peragenda.

Vd: *Visitatio episcopi.* (modus, incipiendo a verbis: *Praedicta dicuntur tantum visitante episcopi etc.)*

Index eorum, quae adduntur et omittuntur visitatore inferiore visitante.

1. Dantur literae patentes ab episcopo cum ea facultate, quae eidem videbitur opportuna: exemplum dabitur infra.

2. Leguntur hae patentes literae in unoquoque loco ante actum visitationis.

3. Omittuntur ea, quae ad pontificalem spectant dignitatem.

4. Stola supra cottam indutus facit absolutionem defunctorum, visitat sanctissimam Eucharistiam, olea sacra, reliquias et Baptisterium.

5. Caetera ut in: *Visit. Episc.* (modus.)

6. Visitationi finem imponet, ut l. c.

Formula literarum patentium Episcopi pro Visitatore inferiore.

Dilecto nobis in Christo N. salutem in domino. Ut executioni earum rerum, quae a Conciliis hujus provinciae ac dioecesis et a nobis decreta sunt, consulamus: Te Visitatorem in tota Dioecesi constituimus, cum facultate mandandi, quod opus fuerit pro ejusmodi executione, etiam poenis et censuris adhibitis, informationes assumendi de negligentiis et delictis, quae compereris; ac inobedientes puniendi poenitentiis, mulctis pecuniariis, adhibitis ad usum pium, arbitrio nostro applicandis: ita tamen ut si quae graviora inciderint, Nobis aut Vicario nostro Generali reserves, omnia autem in actu redigas, prout opus fuerit, et ad nos quam primum referas. Concedimus quoque, ut ad ss. sacramenta admittere possis, qui pro paschate non fuerint admissi, si justa causa admittendi visa tibi fuerit et a nobis aut vicario nostro contra mandatum non fuerit; facultatem item absolvendi ab omnibus casibus reservatis et delegandi aliis singillatim tamen: qua in re considera, quemadmodum te geres praesertim in casibus gravioribus et scandalosis et ubi restitutio requiratur: quam auctoritatem etiam in vicarios foraneos exercere possis: Mandantes omnibus vicariis, parochis aliisque, ad quos pertinet, ut te tamquam visitatorem nostrum recipiant et procurationes sumptusque debitos praebeant, prout opus fuerit. Hae vero valeant ad.... Dat.

Gavant. Merat. t. V. p. 71. et 74. (Ed. Venet. 1823.)

66) Monasterior.

Vd.: *Visit.* (eccles. par. et cur. reg.; jus etc.)

(Episcopo non licet.)

Episcopus non potest visitare Monasteria regularium eo praetextu, quod eorum superiores sint negligentes, ut respondit sacra congr. concilii die 20. Feb. 1616. apud *Piasec.* Prax. part. 2. cap. 3. art. 6. n. 32. ibi: Sac. congr. cardinal. concil. trid. interpretum censuit, non licere ordinariis locorum, monasteria Regularium eo praetextu visitare et corrigere, quod illorum superiores admoniti intra sex menses illa non visitaverint, vel correxerint, nisi eadem Monasteria vel sub commenda existant, ex decreto cap. 8. sess. 21., vel suorum ordinum capitibus non subsint, ac se in congregationes redigere neglexerint, juxta cap. 9. sess. 25. de regularibus.

Ex Decreto Innocentii X.: *Ut in parvis,* Conventus non babentes numerum sex Religiosorum *Visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni ordinarii loci* subjiciuntur.

(Ex res. die 29. Mart. 1806. *Anagnina.)*

67) Monasterior. monial. regularib. subjectarum.

Episcopo licet.

Vd.: *Clausura monial.* (Ingress. episc. occas. visitat.)

Episcopus potest visitare monasteria monialium regularibus subjectarum in iis, quae pertinent ad clausuram, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus.

Quoad talem autem visitationem debet episcopus observare decreta sacrae congregationis Concilii hac de re edita, prout referuntur ab eminentis. Petra tom. 5. comment. ad constit.

Callisti III. sect. 2. n. 143. vers.: *Resolutio,* ibi: Resolutio itidem novissima Congregationis Episcoporum et Regularium fuit in Nucerina Paganorum inter Episcopum et Moniales Ordinis Praedicatorum Monasterii exempti in dicta civitate existentis et proposita fuerunt infrascripta dubia:"

I. „An Episcopus in concernentibus observantiam clausurae, toties, quoties expedire judicaverit, possit visitare monasterium monialium s. Annae subjectarum PP. Ordinis Praedicatorum?"

II. „An possit visitare earum Ecclesiam, communicatorium et crates confessarii quoad concernentia clausuram?"

III. „An possit visitare crates et moenia exteriora monasterii, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?"

IV. „An possit indutus stola supra Rocchettum et Mozzetam solum cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram monialium absque interventu Prioris et alterius cujusvis religiosi?"

V. „An Episcopus volens possit in actu visitationis habere sermonem spiritualem monialibus tam intra quam extra septa monasterii?"

VI. „An Episcopo sit per Priorissam tradenda notula nominum monialium, educandarum et ancillarum tempore visitationis?"

VII. „An possit Episcopus occasione visitationis singulas moniales et unamquamque separatim interrogare et examinare circa observantiam clausurae?"

VIII. „An tam Regulares, quibus subjectae sunt Moniales, quam etiam Saeculares, teneantur ab Episcopo obtinere licentiam alloquendi Moniales?"

IX. „An possit Episcopus insimul cum Superiore regulari revidere computa atque recognoscere statum oeconomicum monasterii?"

X. „An censurae sustineantur in casu etc.?"

XI. „An constet de attentatis et quomodo purganda?"

XII. „An et quomodo sit providendum quoad ingressum conversarum in locum ultimo loco defunctarum in casu etc.?".

Die 7. Julii 1724 s. Congr. Episcop. et Regul. his dubiis respondit:

Ad I. usque ad X. inclusive: Affirmative.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Providebitur post revisionem status oeconomici.

Praelati omnes saeculares episcopali ac etiam Cardinalatus Dignitate praediti nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, uti est casus visitationis; et tunc comitati a paucis iisque senioribus ac religiosis viris.

68) Monialium claustrorum.

a) Ab Episcopo facienda.

Vd.: *Visit. eccles. par. et cur. regul.*

Aquilana.

(Conc. Tr. C. 5. S. 25. De Regul. et Monial.)

Dubia ad calcem hujus restrictus reserenda respiciunt visitationem ab Episcopo Aquilano faciendam in monasteriis monialium ordinis Coelestinorum et quae sunt subjecta superioribus ejusdem ordinis. Cumque jura partium hinc inde circumferantur, mei muneris esse censeo innuere tantum decreta, quae in regestis hujus sacrae Congregationis invenire potui, quaeque conducere possunt ad dictorum dubiorum resolutionem.

Sacrum Concilium *sess. 25. de regul. cap. 5.* in monasteriis monialium

etiam exemptis, et quae regularibus subjecta sunt, commisit Episcopis tanquam sedis apostolicae Delegatis, ut procurarent clausuram sanctimonialium, ubi violata fuisset, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari, et Gregorius XV. in sua constit. 18. bull. tom. 4. §. 2. addidit, ut Episcopi adversus inobedientes et contradictores procederent per censuras ecclesiasticas et alias poenas, et §. 4., quod regulares delinquentes circa clausuram monialium, licet sibi subjectarum, puniri possent et corrigi ab Episcopis tanquam sedis apostolicae Delegatis, et Alexander VII. in sua constitutione 153. Bull. tom. 6. Superioribus regularibus, quibus incumbit cura et regimen monasteriorum sanctimonialium, prohibuit ingressum in ea, nisi ex causa visitationis localis et hoc semel in anno et casu, quo necessitas urgeat, pluries eodem anno ingrediendi statuit, quod non ingrederentur nisi cum praesentia Episcopi dioecesani vel alterius personae ecclesiasticae ab eodem deputatae.

Acquisito per Episcopos jure delegato visitandi quoad clausuram monasteria monialium regularibus subjectarum exorta est controversia: *an liceret Episcopis visitare altaria, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, aut sanctissimum eucharistiae sacramentum seu tabernaculum, in quo idem conservatur, et loca, in quibus excipiuntur confessiones personarum saecularium?* Et responsum fuit: *negative*, uti habetur ex resolutione hujus s. Congregationis impressa ad calcem Constitutionis Gregorianae in responsione ad primum dubium.

Actum subinde fuit de modo et occasione explendi dictam visitationem et interroganti de praedictis episcopo Conimbriensi s. haec Congregatio die 26. Maii 1640 lib. 14. decret. pag. 384 a tergis sic respondit: „*Sacra etc. censuit Episcopum Conimbriensem uti sedis apostolicae Delegatum potuisse quoad clausuram monasterium monialium conventus de Cellis ordinis Cisterciensis regularibus ejusdem ordinis subjectum visitare, etiam assumpto secum Vicario generali et confessario earumdem monialium monialesque ipsas in iis, quae ad eandem clausuram pertinent, examini subjicere, semotis etiam suspicione violatae clausurae ac quacunque superiorum regularium negligentia ipsisque inconsultis et irrequisitis.*

Anno 1684 die 29. Februarii Episcopus Aquilanus monito procuratore generali Congregationis Coelestinorum supplicavit declarari: *an episcopus in visitatione monasteriorum monialium subditarum abbati Collis Madii Congregationis Coelestinorum teneatur vocare abbatem?* Sed cum instantia propter angustiam temporis non fuerit in dicta Congregatione proposita, non invenio in regestis, quod in posterum de ea unquam actum sit.

Die 29. Julii 1684, uti habetur lib. 34. decretorum fol. 233, instante Archiepiscopo Florentino fuerunt in sacra Congregatione proposita et resoluta dubia, quae sequuntur:

Primo: „*An Archiepiscopus seu de mandato Vicarius generalis possit visitare sanctissimnm sacramentum, olea sacra, confessionaria et sepulturas in Ecclesiis monialium regularibus subjectarum?*

Secundo: „*An valeat easdem moniales communicare?*“

Tertio: „*An possit ingredi earundem monialium clausuram cum pluviali et stola?*“

Quarto: *An omnes moniales praefatae teneantur processionaliter cum*

cruce et cum cantica „Benedictus Dominus" obviam ire Vicario ingredienti et visitare volenti clausuram?

Quinto: *An in visitatione et ingressu clausurae teneantur Vicarii generales secum ducere priorem et confessarium dictarum monialium?*

Ad haec autem dubia sic responsum fuit: *Ad primum* videlicet: *Negative*, nisi in his, quae concernunt observantiam clausurae et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium.

Ad secundum: *Affirmative*, dummodo moniales velint.

Ad tertium, quartum et quintum: *Negative.*

Anno denique 1686 die 19. Januarii, uti habetur lib. 35. decret. pag. 15, instante procuratore generali ordinis Minorum de observantia fuerunt proposita et disputata sequentia dubia:

Primo: *An Episcopus visitaturus clausuram monasteriorum monialium regularibus subjectarum teneatur ante accessum eisdem monialibus praefinire diem et horam visitationis?* Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

Secundo: „*An in Ecclesiis monialium non curatis visitare possit ss. Eucharistiae Sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, sepulturas et reliquias inibi existentes?* Et huic dubio responsum fuit: quod daretur suprainsertum decretum in causa Florentina.

Tertio: „*An in casu resistentiae monialium possit fores Ecclesiae frangere, tabernaculum violenter aperire, Ecclesiam interdicere et ss. Eucharistiae Sacramentum ad aliam Ecclesiam transferre?* Et huic dubio responsum fuit: *Negative,* nisi in casibus spectantibus ad clausuram.

Quarto: „*An Episcopo monasteriorum clausuram visitare volenti dictae moniales teneantur erigere in Ecclesia exteriori vel interiori sedem cum baldachino vel solummodo sufficiat stratum praeparare in utraque Ecclesia?* Et huic dubio responsum fuit: Sufficere praeparationem strati.

Quinto: „*An Episcopus dictam clausuram visitaturus praeter convisitatores possit pro suo libito secum ducere intus monasterium alias personas sive ecclesiasticas sive saeculares indeterminate vel in certo et praefixo numero?*" Et huic dubio responsum fuit: Servandas esse constitutiones apostolicas, hoc est bullam 28. Gregorii XIII. Bull. tom. 2.

Sexto: „*An Episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitaturum teneantur moniales omnes excipere processionaliter cum cruce et cantica: Benedictus?*" Et huic dubio responsum fuit: Negative.

Septimo: „*An dictae moniales teneantur in ipso clausurae ingressu adornare stratum ibique genuflectenti Episcopo monialis aliqua porrigere debeat crucem deosculandam?* Et huic dubio responsum fuit: Negative.

Octavo: „*An Episcopus clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dictas moniales omnes in choro interiori aut in alio loco et ad eas sermonem habere?*" Et huic dubio responsum fuit: Posse.

Nono: „*An absolute et indifferenter visitare possit cellas dictarum monialium etiam quoad non pertinentia ad clausuram?*" Et huic dubio responsum fuit: Negative.

Haec sunt praecipua, quae in regestis ad materiam facientia potui invenire iisdemque praesuppositis onus erit in praesenti EE. VV. decernere:

I. An Episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subjectarum debeantur in ingressu Ecclesiae solitae honorificentiae et praeeminentiae omnesque actus reverentiales ac associari tam in ingressu quam in egressu Ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales praedictae teneantur tradere Episcopo visitanti librum regularum et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An Episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi et visitare clausuram praedictarum monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum?

IV. An Episcopus possit visitare nedum crates et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas aliaque loca pro clausurae custodia?

V. An possit Episcopus occasione sanctae visitationis habere sermonem spiritualem praedictis monialibus tam intra quam extra septa monasterii?

VI. An possit Episcopus nedum visitare altaria et capellas Ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia aliaque onera missarum insunt, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad Ministros et Officiales Monasterii et quoad Confessarium ejusdem tantum.

Ad II: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Ad III, IV et V: Affirmative.

Ad VI: Negative.

Die 31. Julii 1723.

Ad dub.: 1. An Episcopo licitum sit in visitanda clausura stolam deferre eique moniales teneantur stratum parare omnesque in ingressu obviam ire?

2. An Episcopus toties, quoties expedire putaverit, posse etiam, inconsultis Superioribus regularibus, tam clausuram quam cellas monialium in concernentibus eandem clausuram visitare adhuc praecisive tam a suspicione, quod illa violata fuerit, quam a quacumque Superiorum regularium negligentia?

3. An dies et hora explendae visitationis praefatae clausurae ab Episcopo Monialibus ante accessum et dici et notificari debeat?

4. An ejusdem clausurae visitatio ab Episcopo sine Superiorum regularium seu alicujus Religiosi interventu fieri valeat?

5. An ultra visitationem localem licitum sit Episcopo visitationem personalem cujusvis Monialis explere atque illam interrogare in attinentibus ad clausuram tam materialem quam formularem?

6. An revisio computorum administrationis dicti monasterii facienda sit ab Episcopo una cum Superiore regulari, dum bona et redditus per religiosum Carmelitam administrantur?

7. An acta necessaria pro receptione puellarum tam pro educatione quam pro earum ingressu et professione facienda sint in cancellaria episcopi, a quo danda sit licentia pro earum ingressu et professionis emissione et ad quem spectet exploratio voluntatis earumdem puellarum?

8. An Pater Commissarius velum dare possit Monialibus professis, adhuc si vigesimum quintum annum non expleverint?

9. An, et quo sit praestandus assensus alienationi bonorum monasterii, quae fit vigore Can. *Terrulas* in casu?

S. C. resp. ad 1: Affirmative;

ad 2: Affirmative onerata conscientia Episcopi.

ad 3: Negative;

ad 4—6: Affirmative.
ad 7: Omnia spectare ad Episcopum;
ad 8: Negative;
ad 9: Spectare ad Episcopum;
Die 13. Mart. et 8. Maii 1751.

Ad dub.: An Episcopus Hieracensis visitare possit monasterium S. M. di Valverde in concernentibus clausuram?
S. C. C. resp.: Affirmative.
Anno 1692.

b) Modus.

Vd. n. a. p. 975.

Est inquirendum de:

1) Statutis.
2) Obedientia.
3) Paupertate.
4) Castitate.
5) Clausura.
6) Circuitu virorum intra septa.
7) Sacramentorum frequentia.
8) Chori disciplina.
9) Silentio in Choro.
10) De Dormitorio et Refectorio.
11) Oratione mentali.
12) Jejuniis.
13) Flagellis.
14) Officiis et laboribus communibus.
15) Lectione ad mensam.
16) Comite in loquutorio.
17) Laicis sine licentia.
18) Cratibus apertis in Quadragesima et Adventu.
19) Electione Officialium.
20) Largitione munerum.
21) Victu communi.
22) Epistolis.
23) Redditu.
24) Oneribus.
25) Satisfactione.
26) Capitulo culparum.
27) Negotiis.
28) Rationibus dati et accepti.

Examinatur unaquaeque de:

1) Nomine.
2) Cognomine.
3) Patria.
4) Professione.
5) Aetate in Monasterio.
6) Dote allata.
7) Renunciatione.
8) Choralis, an Conversa sit.
9) Officio divino vel quod ejus loco.
10) Munere et Officio.
11) Cellis separatis.
12) Exercitiis Monasterii communibus.
13) Annulis.
14) Comis.
15) Chirotecis.
16) Canibus.
17) Avibus.
18) Speculo.
19) Instrumentis musicis.
20) Crepidis saecularibus.
21) De Praelata.
22) Officialium moribus.
23) Magistra Novitiarum.
24) Vicaria.
25) A secretris.
26) Sacristiae Praefecta.
27) Janitrice.
28) Oeconoma.
29) Auditricibus.
30) Rotariis.
31) Officialibus minoribus.
33) Item de Confessario ordinario et extraordinario.

Gavant. Merat. t. V. p. 69. (Ed. Venet. 1823.)

Est inquirendum de:

1) Clausura.
2) Portis.
3) Parietibus.
4) Rotis.
5) Fenestellis Communionis et Confessionis.
6) Collocutoriis.
7) Fenestris.
8) De Ecclesia (vd.: *Visit. Ecclesiae.*)

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. Monial. claustr. hoc modo est inquirendum:

1. An muri clausurae habeant prospectum activum vel passivum in domos vel e domo saecularium?

2. An mansiones confessionarii monialium exemptarum sint penitus disjunctae a monasterio?

3. An moniales scribant epistolas extra clausuram absque licentia abatissae?

4. An moniales utantur fenestrella, ubi audiuntur confessiones, ad colloquendum cum exteris?

5. An adsit in monasterio capsa communis, in qua deponantur omnes pecuniae provenientes a monialibus particularibus?

6. An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus absque licentia in scriptis Episcopi vel Vicarii generalis?

7. An introducantur in clausuram catuli, pueri vel puellae cujuscunque aetatis?

8. An rejiciantur electae et deputatae auscultatrices, rotariae et ostiariae?

9. An retineantur ab abatissa libri bene compacti et cortulati, in quorum primo describantur dietim data et accepta, introitus, exitus, quo possit legaliter in fine officii rationem reddere Episcopo suae administrationis; in altero per modum inventarii descripta sint bona stabilia, census et credita monasterii cum indicatione rogituum instrumentorum; in tertio registrentur resolutiones capituli monialium, acceptationes puellarum ad habitum et professiones cum expressione diei, mensis et anni; quos libros si inveniat visitator non retineri, omnino provideat.

10. An in monasterio adsit locus separatus pro educandis et novitiis?

11. An omnes moniales sumant cibum in refectorio tempore mensae ex cucina et aerario communi paratum?

12. An moniales parent cibos exteris vel dona eisdem mittant aut recipiant absque licentia et scientia abbatissae et monasterii?

13. An admittantur regulares ad celebrandum Sacrificium in Ecclesia absque licentia Episcopi seu Vicarii generalis?

14. An omnes moniales saltem semel in mense confiteantur et sumant SSmum?

15. An omnes intersint choro ad recitandum hora debita divina officia et orationibus et aliis pietatis exercitiis communibus?

16. An omnes quotidie audiant s. missam?

17. Quos libros retineant et legant et an tempore mensae fiat lectio alicujus libri spiritualis et servetur silentium?

18) Visitet dormitorium seu cellas et observet, an unaquaeque monialis habeat lectum separatum?

19. An habitus monialium sit uniformis et ad praescriptum regulae?

S. C. Ep. in Caesenat. 26. Septembris 1692.

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. IV. 4. suppl. ad I. t. post n. 267.)

c) A P. Provinciale facienda.

Vd.: *Clausura Monial.* (ingress. Superior regul.)

Ad dub.: An Provincialis Carmelitarum clausuram visitans ad tramites Alexandrinae Constitutionis teneatur praeventive Episcopum certiorem reddere de die et hora explendae visitationis

et quomodo hujusmodi certioratio fieri debeat?

S. C. resp.: Affirmative juxta decretum in Lycien.

Die 13. Mart. et 8. Maii 1751.

69) Notarii officium.

Omnia, quae visitator ordinaverit, decreverit et adnotanda esse censuerit, per Secretarium sive Notarium visitationis fideliter et integre in libro referenda erunt, quia libri hujusmodi plene probant, ut dixit *Rota* cor. Dunoz. Jun. decis. 61. n. 8., Panimol. decis. 10. n. 12. et alii adducti per Romaguer ad Synod. Gerund. l. 1. t. 1. c. 1. n. 6.

Vd.: *Visit. localis et mater. person.; Visitatio* (finis; decreta etc.)

Index et Ordo describendis totius visitationis a Notario.

1. In actu visitationis scribat celeriter in foliis eo districtiori modo, quo potest et nihil omittat, praesertim decretorum, quae cursim quandoque fiunt a visitatore.

2. Relaturus deinde in librum eam dividat in duas partes, cum his titulis: Visitatio Civitatis, Dioecesis.

3. Subdividat quamlibet partem in quinque partes. In prima describatur visitatio localis. In secunda visitatio personalis. In tertia decreta omnia. In quarta rationes dati et accepti, cum redditibus locorum piorum et confratrum. In ultima acta judicaria scribantur contra delinquentes seu debitores locorum piorum et ejusdem.

4. In *visitatione locali* scribatur accessus visitatoris, quo die, mense et anno, quibus comitibus, quo modo receptus, quae singillatim egerit usque ad visitationem ipsam locorum: quae describetur ordine, quo facta est in *Visit. Episcopi* (modus).

5. Si quae decreverit et exequutus fuerit visitator, statim ex iis, quae in: *Visitatio* (localis et mater.), ibidem notet, si non executioni mandatum fuerit, referatur in 3. part.

6. *Visitatio personalis* eodem ordine, quo in: *Visit. personalis* describatur.

7. In tertia parte scribantur decreta localia et personalia ordine locorum servato in visitatione locali, addito spatio temporis et poena.

8. In quarta parte reservetur omnis ratio reddita administrationum locorum piorum, ordine, quo supra.

9. Ultima pars continebit acta judicialia, citationes, monitoria, sequestra, examinationes testium et actu judiciales sive civiles sive criminales visitationis.

10. Exemplum decretorum cuique loco visitato relicto mandabitur Rectori, ut praeter eadem decreta scribat in libro ad hoc deputato, ne folia pereant, quod accidere facile potest.

11. Deberent etiam in libello separato seu in fine cujusque loci visitationis localis procurationes notari, ad posterorum informationem.

12. Demum ea etiam notari, quae ad Sacramentum Confirmationis, benedictiones et rerum consecrationes spectant, eo loci, quo peracta sunt in eadem visitatione locali.

13. Notarius diligentior in fine visitationis civitatis seu dioecesis repraesentabit statum civitatis seu dioecesis distincte.

14. Fidelem et sinceram totius visitationis seriem et acta, ut patiatur Notarius desiderari; libris enim visitationis plena fides praestatur.

Gavant. Merat. t. 5. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

Urbanus PP. VIII.

Venerabili Fratri Octavio Caballicen. Venerabilis Frater!

Salutem et apostolicam benedictionem.

Rerum, quae Nobis cordi sunt et quibus universae, quam meditamur, reformationis pars non ultima continetur, curam fidis et diligentibus viris libenter committimus.

§. 1. De tua itaque singulari et Nobis jampridem perspecta fide et diligentia plurimum in Domino considentes, visitationis nostrae apostolicae, quam in omnibus Almae Urbis ejusque districtus Ecclesiis, monasteriis locisque sacris et piis, saecularibus et regularibus universoque clero et populo romano indiximus ac venerabilibus Fratribus Ulpiano Archiepiscopo Theatino necnon Raphaeli Zacynthien. Octavio Cabellicen. Ludovico olim Adriano, Antonio Casertan. et Alexandro nuper Hieracensi Episcopis munus una tecum commisimus et demandavimus.

§. 2. Te et Secretarium duximus deligendum, prout etiam per praesentes munus hujusmodi cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, praerogativis, privilegiis et juribus, quae tale officium obtinenti et exercenti quomodolibet competere possunt, et demandamus teque etiam Secretarium visitationis praedictae creamus, constituimus et deputamus.

§. 3. Dantes tibi plenam et liberam facultatem ejusdem visitationis decreta, statuta, ordinationes, mandata, praecepta, inhibitiones, informationes, relationes, ordinem et seriem adnotandi, describendi et in libellos seu commentarios sive etiam in publica et in authentica documenta et instrumenta redigendi caeteraque omnia et quaecumque ad idem munus spectantia gerendi et exercendi etiam si notam et expressionem requirent magis specialem et sub generali commissione hujusmodi non venirent.

§. 4. Nos enim volumus iis, quae a te de rebus in visitatione gestis et ordinatis fient et emanabunt, documentis et scripturis tua manu ac sigillo munitis plenam atque indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus, tam in judicio quam extra illud omnino haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri.

§. 5. Tu igitur in delato tibi munere ita te gere, ut fidem et diligentiam nunquam a te desiderasse laetemur.

Datum Romae apud s. Petrum die 30. Martii 1624.

(Bull. r. t. IV. p. 46. (Ed. Luxbg.)

Deputatio Secretarii ejusdem s. Visitationis apostolicae.

Venerabili Fratri Hieronymo Archiepiscopo Patracen.

Alexander Papa VII.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Rerum, quae Nobis cordi sunt et quibus universae quam meditamur reformationis pars non ultima continetur, curam fidis et diligentibus viris libenter committimus.


§. 1. De tua itaque singulari et a Nobis jam pridem perspecta fide et diligentia plurimum in Domino considentes visitationis nostrae apostolicae, quam omnibus Almae Urbis ejusque districtus Ecclesiis, monasteriis locisque sacris et piis, saecularibus et regularibus universoque clero et populo romano indiximus ac per Nosmetipsos seu nonnullos venerabiles

Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ad id coadjutores a Nobis assumptos Deo dante obire intendimus, Te Secretarium duximus eligendum prout etiam per praesentes munus Secretarii hujusmodi cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, praerogativis, privilegiis et juribus, quae tale officium obtinenti et exercenti quomodolibet competere possunt et debent, motu proprio Tibi committimus et demandamus Teque Secretarium visitationis praedictae creamus, constituimus et deputamus.

§. 2. Dantes Tibi plenam et liberam facultatem ejusdem visitationis decreta, statuta, ordinationes, informationes, relationes, ordinem et seriem adnotandi, describendi et in libellos seu commentarios sive etiam in publica et authentica documenta et instrumenta redigendi caeteraque omnia, singula et quaecumque ad idem munus spectantia gerendi et exercendi etiamsi notam et expressionem requirerent magis specialem et sub generali commissione hujusmodi non venirent. Nos enim volumus iis, quae a Te de rebus in visitatione gestis et ordinatis fient et emanabunt documentis et scripturis tua manu et signo munitis plenam atque indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus tam in judicio quam extra illud omnino neque ad id probationis alterius adminiculum requiri. Tu igitur in delato tibi munere ita te gere, ut fidem et diligentiam numquam a Te desiderasse laetemur.

Datum Romae apud s. Petrum die 22. Januarii 1656.

(Bull. r. t. VI. p. 21. (Ed. Luxbg.)



70) Officialium Cleri.

Vd.: *Visit. Laicor.*

In Visit. Off. Cleri peragenda est inquirendum de

1) Taxis.
2) Scripturis.
3) Poenis.
4) Depositarii fide et cautela.
5) Muneribus judicum.
6) Nimia mora causarum.
7) Visitatione carcerum.
8) Victu.
9) Expensis.
10) Custodia.
11) Notariorum fide.
12) Vicarii professione fidei.
13) Acceptione personarum.

Gavant. Merat. t. V. p. 69. (Ed. Venet. 1823.)

71) Olei infirmor.

In Visit. ss. Oleor. est inquirendum:

1. An retineatur in Ecclesia in fenestrella a cornu evangelii altaris majoris, intus panno serico obducta in vasculo argenteo seu saltem stanneo atque id in ampliori capsula lignea undequaque gossipio circumposito cum sera et clavi, inscripto super ostiolum: *Oleorum infirmorum.*

2. An Parochus illud deferens ad infirmos sit indutus superpelliceo et stola, an in serica bursa violacei coloris inclusum et cordulis item sericis collo appensa reverenter ferat?

3. An conferatur pueris usum rationis et malitiam peccandi non habentibus, furiosis lucido intervallo carentibus et impoenitenter decedentibus? Cap.: *Erga eum 26. qu. 7.*

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

In Visit. ss. Oleor. peragenda est inquirendum de:

1) Armario in ecclesia.
2) A latere evangelii.
3) Cum inscriptione majusculis litteris.
4) Ornatu exteriore et interiore.
5) Vase stanneo intra capsulam ex corio ambusto vel ligneam.
6) Bombacio madido oleo et sicco superius.
7) Bursa violacea.
8) Ampulla pro deferendis a Cathedrali oleis.
9) Arcula et clavi, si mittatur qui ea deferat.
10) Renovatione.
11) Combustione veterum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

72) Omissio.

Nullus praelatus romano pontifice inferior, cui jus visitandi competat potest subditis suis debitam visitationem remittere sicut neque correptionem debitam condonare, cap.: *cum venerabilis de censibus* et DD. ibid. Sic Pax Jord. vel. 2. l. 7. t. 1. n. 47. de gener. visit.

Sed nec visitationis iteratio, quotiescumque necessaria judicabitur, pacto remitti potest, nedum primaria visitatio. *Pavin., Azor Cuech.* apud *Pacem Jord.* l. c. n. 48.

Papa ex privilegio imo etiam ex generali exemptione ab ordinariis potest eximere a visitatione ordinariorum; exempti tamen non censebuntur liberi a visitatione legatorum aut delegatorum apost., cap.: *cum personae de privileg.* in 6 arg. c. *Cum instantia de Censibus.* — *Pax Jord.* ibid n. 49. Neque vigore praescriptionis possunt se tueri subjecti, quominus visitentur a suis pastoribus seu praelatis, c.: *Cum ex officio.* Iuvat nihilominus consuetudo et praescriptio circa procurationem moderandam vel in totum auferendam.

Pax Jord. ibid. n. 50.

73) Oratoriorum.

In visit. orat. peragenda est inquirendum de:

(Ut supra de ecclesia.)

1) Vexillis.
2) Cruce processionali.
3) Cappis.
4) Baculo priorum.
5) Libris precum.
6) Arcula eleemosynarum.
7) Tabella Indulgentiarum.
8) Aggregationis diplomate.
9) Inventariis bonorum.
10) Orationibus horarum.
11) An missae solemnes.
12) Officio divino majore.


Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

74) Oratorii publici.

Vd.: *Orator. publ.; Visit. capell.*

Episcopus visitare potest oratoria publica, quae habent requisita ecclesiae, etiamsi sint de pertinentiis regularium, dummodo separata sint a claustris et campestria. Sac. cong. conc. in Caesenaten. 23. Sept. 1690. et in Cortonen 20. Apr. 1697.

Episcopus visitare potest ecclesias parochiales equitum hierosolymitanorum sed quoad ea tantum, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectant: S. Pius V. constit. 134. incip.: *Exposcit.* At non posse episcopum visitare oratoria publica dictae religionis Hierosolymitanae



declaravit sac. cong. conc. in Mantuana 17. Jun. 1690, ut refert et tenet *Monacell.* p. 1 t. 5. formul. 2. n. 5. in fine.

75) Oratorii publ. Regularium. Noavarien.

Vd.: *Visit. eccl. par. et cur. regul.*

Fratres minores reformati ordinis s. Francisci, qui Novariae sunt in conventu s. Nazarii, habent Galliati, frequenti et opulento ejus dioecesis oppido, quod trium lapidum itinere a civitate distat, domum seu hospitium eique adnexum oratorium publicum s. Bernardini. Quaeruntur de episcopo Navariensi, qui sine jure atque ipsis repugnantibus ea uti suae jurisdictionis visitaverit. Hinc jus impugnant illiusque rescindenda acta petunt. Episcopus contra tum sua jura tuetur tum uti oratorium e publico privatum fiat postulat. De his triplex controversia instituitur.

De primo quaestionis capite fratres inquiunt omni jurisdictione carere episcopum in ecclesiis, conventibus aliisque conventuum membris et annexis *fratrum minorum ad text. in cap.: nimis iniquae, cap.: nimis parva de excess. Praelat., Barbos.* de offic. et potest. episc. part. 3. alleg. 105. n. 3. et *Rot.* coram Ansald. decis. 31. num. 34. et plene coram Molin. decis. 676. num. 9., sed eadem immediate sedi apostolicae subjecta esse, ut probat *Gaudent.* de visit. lib. 1. cap. 4. dub. 10. sess. 1. *Passer.* de stat. hom. tom. 3. quant. 187. et *Rota* cor. Cels. decis 17. num. 6.

Et licet exemptio haec locum non habeat in ecclesiis habentibus annexam curam animarum vel a presbyteris saecularibus administratis, juxta decr. *Concil. Trident.* in sess. 20. cap. 8. de refor. et sess. 25. cap. 1 de regular., attamen cum oratorium publicum s. Bernardini neque ecclesia parochialis sit neque per presbyteros saeculares regatur, hinc dicunt exemptum certe esse a jurisdictione et visitatione Ordinarii. *Rota* coram Kauniz. decis. 125. num. 6.

Neque obesse ajunt, quod oratorium extra claustra sit et longe distet a conventu Novariae: quia simul ac *subjective et formaliter* unitum esse eidem conventui, neccessario veluti pars et membrum conventus eadem exemptione certissime frui debet, cap.: *recolentes* §. *Ceterum* de stat. monach., *Pignat.* tom. 10. cons. 39. num. 1. *Donat.* rer. reg. tom. 1. part. 2. tract. 13. quaest. 39, num. 1. *Amostaz.* de caus. piis lib. 5. cap. 11. num. 39. *Murga* de benef. quaest. 10. art. 2. num. 160., *Card. Petr.* comment. ad const. Honorii III. sect. un· num. 53. *Rot.* cor. Molin. decis. 710. num. 38., cor. Tanar., decis. 73. num. 37. et in Burgen. Jurisdictionis et visitationis 19. Januar. 1714. §: Respectu coram clar. mem. Card. Barbadic. et sacra Cong. in Salutiarum juris visitandi 7. Aug. 1756.

Extraneam hinc asserunt constitutionem Innocent. X. incipien. *Instaurandae* vel ejusdem decretum incipient.: *Ut in parvis*, quia respiciunt tantum parvos conventus, in quibus sex saltem religiosi non degunt, et perperam referuntur ad *grancias* et *hospitia* conventui subjective unita, de quibus speciale est privilegium de exemptione, *cap. final. de capell. monach.* Maxime quia idem hospitium et oratorium visitatum fuit annis 1450. 1752. 1759. a Superiore regulari, ideoque immune dicendum certe est ab episcopi jurisdictionis 3. Jul. 1713. cor. clar. mem. Card. Barbadic.

De secundo innituntur possessioni immemorabili retinendi eam publicam ecclesiam. Multa de ea possessione allegant. Nefas esse ajunt, ut quae publico usui destinata olim fuerunt

oratoria privata sina ulla necessitate fiant, Firmana aediculae 12. Dec. 1762. Summam utilitatem praedicant et commodum populi ex administratione sacramentorum in oratorio, precesque ac postulationes oppidanorum de ea re congerunt.

De tertio autem, jure ipso, inquiunt atque ipso facto, quae male gesta sunt corruere. Ideo, quae episcopus injuria egit, rescindenda, Navarien. juris visitandi 8. Maji 1751. et in Regien. visitationis 14. Decembris 1754 ad secundum dubium.

Alia ex parte episcopus profert juris clarissimam censuram, qua ordinariis subjecti sunt omnes clerici et monachi omnesque ecclesiae sive saeculares sive regulares, ad *text. in cap.: Omnes basilicae 16. quaest. 2. cap.: Abbates 18. quaest. 2., cap.: quidam monachorum 10. et cap. monasteria 17. ead. causa et quaest. 1. 40. cod. de episc. et cler.*

Neque obstare in hanc rem privilegia regularium; quia de parvis conventibus seu domibus, in quibus saltem sex non commorantur, expresse cautum est ab Innocentio X., ut ordinarii jurisdictioni tamquam sedis apostolicae delegati subsint.

Quemadmodum nec hospitium et oratorium annexum sit conventui Novariae; tum quia non docetur de hac annexione, tum quia in constitutione Innocentii Episcopo delegato concessa est jurisdictio etiam super membris annexis.

Demum pro se allegat longaevam et centenariam possessionem ab anno 1657 quo ordinarii oratorium et hospitium visitarunt. Recentes vero visitationes factas a superioribus regularibus anno 1750, eas novissimas clanculum peractas omnino spernendas esse, cum neque superioribus regularibus competat cumulativa visitatio.

Addit quod pro hospitio permittenda non est publica eccles. *Donat.* rer. regul. tom. 1. tract. 1. de monast. aedific. Eamque fuisse hujus s. Congregationis sententiam, quam refert *Pignatel.* cons. can. tom. 10. cons. 84. n. 2.

Praesertim, quia fratres nunquam paruerunt decretis, quae in sacris visitationibus episcopi ediderunt, multaque agunt, eaque numerat, quae sine sedis apostolicae privilegio in hujusmodi oratoriis fieri non permittuntur ut pluries definivit s. Congregatio et docuit san. mem. Benedictus XIV. instit. eccles. 30. §. 11. et de Synod. dioeces. lib. 9. cap. 15.

De precibus vero incolarum vix triginta esse ait, in oppido haud minus quatuor millia hominum habente. Caetera ex scriptis petenda.

Synodus Tridentina edixit: locorum ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur et opportunis juris remediis providere, quae reparatione indigent, ut reparentur.

Innocentius X. suo decreto: *Ut in parvis* diei 10. Feb. 1653 restituit regularibus, quae aboleverat, minus frequentia coenobia, quae aliquando in parvis et dissitis oppidis opportunissima sunt, uti utriusque sexus incolae, praeter unum parochum vel alterum sacerdotem oppidanum, alios habeant paratos, qui sacrameuta et praesertim poenitentiae administrent, legem autem retinuit, qua non solum regulares in iis degentes, sed coenobia *visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni ordinarii subjecit:* Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere omnes et singulos ejusmodi conventus, ut praefertur, non suppressos cujuscumque sint ordinis tam mendicantium quam non mendicantium, Congregat. et instituti etiam Societat. Jesu, aut granciae seu

membra alterius monasterii existentes intra fines Italiae et insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur vel quandocunque actu non aluntur saltem sex religiosi itidem probatae vitae, quorum ad minus quattuor ut supra sint sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni ordinarii loci similiter ut sedis apostolicae delegati plene in omnibus praesentis pariter decreti vigore subjectos esse statuit, decrevit et declaravit.

Plurimae de his ortae sunt controversiae anno 1655, quae jubente pontifice abstulit sacra Congregatio super statu regularium. Inter eas proponebatur

I. An ecclesiae dictorum conventuum et capellae granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab episcopo visitari possint?

II. An ipsae granciae et conversi in eis degentes subsint visitationi episcopi?

III. Quid in ecclesiis seu capellis granciarum, in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint visitationi episcopi?

Responsum est

ad I.: Posse;

ad II.: Subesse;

ad III.: Item subesse.

Aliae propositae fuerunt anno 1670, quas eadam sac. Congregatio mandante et approbante pontifice finiit:

An jus visitandi ecclesias granciarum et publica oratoria ordinario competat privative quoad superiores regulares, an vero cumulative cum ipsis? Respondit: quoad ecclesias et oratoria publica jus visitandi competere ordinario scilicet jure delegato ad formam sac. Conc. Trident.

Et ad dub.: An granciae seu membra alicujus monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex religiosi, subsint jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum superioribus regularibus?

Respondit: Grancias seu membra alicujus monasterii nunquam supressa, in quibus non degunt saltem sex religiosi, subesse jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci ac superiorum regularium cumulative, videlicet Ordinario tamquam sedis apostolicae delegato ex praedicto decreto: *Ut in parvis*, regularibus autem jure ordinario.

Videndum, quid de hac quaestione dixerit *Rot.* in Firmana jurisdictionis super modo visitandi 20. Mart. 1702 §. 4., coram Molin. in Burgen. jurisdictionis seu visitationis 4. Jul. 1712. §. Quoad et 19. Jan. 1714. §. Respectu coram Barbadico.

Sacra congregatio in una Caesaenaten jurisdictionis 23. Sept. 1690. inter episcopum et monachos Cassinenses monasterii s. Mariae in monte, in qua agebatur de ecclesiis ruralibus s. Mariae de Ronta et s. Mariae in Flumine, quae curam animarum habebant annexam et monasterio erant unitae, ac de oratorio in *tenuta della Pagnarola*. Propositis de iis rebus dubiis: an decreta facta in visitatione duarum ecclesiarum parochialium, respicientia simplicem ornatum ecclesiae et non curam animarum, substineantur maxime sub poena sequestrationis fructuum bonorum monasterii? respondit: Affirmative scilicet potuisse visitare auctoritate ordinaria et consueta. De oratorio autem responsum est: Dandas esse literas remissoriales hinc inde directas episcopo viciniori ad effectum probandi an oratorium sit publicum vel privatum. Lib. decret. 40. fol. 656.

In una Cantanen. visitationis 20. Apr. 1697., in qua res erat de quadam sacra aedicula monasterii s. Ae-

gidii, quam eremitae camaldulenses dicebant ab antiquo tempore suo monasterio unitam et commendatam, ideoque exemptam a visitatione et jurisdictione episcopi.

Episcopum autem, qui eam visitaverat: *antiquitus fuisse parochialem unitam aeque principaliter alteri ecclesiae s. Joannis de Turgnia commendatae* similiter eidem monasterio et quae citra dubium semper subjecta fuerat visitationi Ordinarii; disputatis dubiis:

I. An ecclesia s. Aegidii potuerit et possit ab episcopo visitari? Et quatenus negative;

II. An decreta facta in visitatione episcopi pro sacrarum supellectilium provisione substineantur? Respondit: manutenendum esse episcopum in quasi possessione visitandi ecclesiam s. Aegidii. Lib. decret. 47. fol. 150.

Ad rem faciunt resolutiones in Lycien. visitationis et censurarum 29. Jun. 1724 et 23. Jun. 1725., Naulen. Visitationis 2. Dec. 1752. et Salutiarum juris visitandi 17. Jul. 1756.

Advertendum, quod in Firmana Aediculae 17. Mart. 1762 agebatur non de ecclesia publica ad oratorium privatum reducenda sed de profananda.

Proponitur:

I. An hospitium et oratorium s. Bernardini oppidi Galliati subsint jurisdictioni et sacrae visitationi Ordinarii? Et quatenus negative,

II. An idem oratorium reducendum sit ad usum oratorii privati tantum?

III. An actus sacrae Visitationis ultimo loco per ordinarium expletae sint circumscribendi in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Quoad oratorium affirmative, in reliquis iterum proponatur.

Ad II.: Negative et amplius.

Ad III.: Dilata.

Die 15. Dec. 1764.

76) Paramentorum.

Vd.: *Visitatio eccles.* (modus), *Visit.* (Sacristiae, de missa celebr.)

77) Parochi.

Vd.: *Visit. eccles. par. et cur. regul.* (Constitut. Bened. XIV.; *Firmandis* §. 8.)

Vd.: *Visit. Beneficiator.*, *Visitandi* (quae res praeparent, a n. 11. ad 35.) *Visitatio* (res. visit.)

In Visit. parochi peragenda est inquirendum ut in visit. beneficiat. deinde de:

1) Processionibus.
2) Festis propriis.
3) Consuetudinibus.
4) In triduo majoris hebdomadae quid?
5) Hostia reservata in calice tecto.
6) Fontis benedictione et cereo paschali.
7) Item interrogentur de residentia, missa, frequenti concione.
8) Festorum, vigiliarum, edictorum publicatione.
9) Doctrina christiana.
10) Vesperis.
11) Conventibus menstruis pro casibus conscientiae.
12) Quot parochias unusquisque habet?
13) Ministris sufficientibus.
14) An benedicat cineres, candelas, palmas?
15) Litaniis majoribus et minoribus.
16) Qua ratione?
17) Ritu in celebranda missa solemni et privata.

18) Benedictione domorum.
19) Repraesentationibus piis.

De sacramentorum administratione:

1) Circa compatres in Baptismo.
2) Obstetrices peritas.
3) Cautionem in lecto pro infantibus.
4) An ultra tres dies differatur Baptismus?
5) An domi fiat?

De poenitentiae sacramento.

1) Ante diem, vel noctu, an mulieres?
2) An alienos.
3) Cum stola.

De Communione.

1) Puerorum instructio.
2) Apparatus.
3) Concursus pro communione aegrotorum.
4) Frequentia.

De extrema unctione.

1) An renes mulierum ungantur?
2) Munus sacerdotum qualiter requiratur.
3) Visitatio infirmorum.
4) Commendatio animae.

In matrimonio.

1) Sponsalibus.
2) An consensus separatim exquiratur?
3) Cohabitatio sponsorum ante matrimonium.
4) Abusus.
5) Ritualis usus.

In aliis functionibus.

1) Concione quadragesimali.
2) Victu, aedibus concionatoris.
3) Mercede.

De funeribus.

1) Qui mos.
2) Abusus.
3) An altarium pallia adhibeantur?
4) An viduae missas audiant?
Examen fieri potest de Theoria sacramentorum, judicio episcopi.
Qui libri pro doctrina.
A laicis de parochi moribus.

Gavant. Merat. t. V. p. 68. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visit.* (doctrinae christ. (poenae.)

In visit. parochi inquirendum de:

1. An retineat quinque libros paroch. bene compactos, scil.: status animarum, baptiz., matrim., Confirm. et defunctorum?

2. An habeat archivium, in quo scripturas ad ecclesiam spectantes custodiat sub clavi?

3. An continuo resideat in parochia vel potius frequenter ab ea discedat absque licentia?

4. An diebus dominicis pueros et puellas doceat doctrinam christ. et habeat sermonem ad populum, festa et jejunia denunciet.

5. An diebus dom. et festis de praecepto sacrificium pro populo applicet?

6. An testamenta parochianorum confecerit et ubi et quomodo illa retineat et an ad Cancellariam episcopalem, ut in publicam scripturam releventur, transmiserit?

7. An retineat coadjutorem?

8. An admittat exteros et vagos sacerdotes ad sacrificium faciendum absque licentia curiae episc.?

9. An publicet Indulgentias absque approbatione episcopi vel vicarii gen.?

10. An incidat arbores frugiveras et infrugiveras in bonis ecclesiae, aut alia bona ejusdem distrahat absque beneplacito apostolico vel episcopi?

11. An Sacramenta ministret superpelliceo, stola et veste talari indutus et feriis diebus etiam non vocatus confessionali de mane insideat?

12. An domi cohabitet cum mulieribus et quae sint?

13. An habeat s. bibliam aliosque libros pertinentes ad suum officium?

14. An sacramenta et sacramentalia sub seris et clavibus custodiat?

15. An visitet Infirmos etiam non vocatus eisque debito tempore sacram poenitentiae, euchar. et extr. unctionis ministret?

16. An in sua ecclesia de mane, in meridie et de sero detur cum campana signum salutationis angel. et prima hora noctis detur signum precum: De profundis?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. insupplem. ad I. t. post n. 267.

Observanda a RR. Praefectis congregationis Emmi et Rever. D. Cardinalis Vicarii ipsorumque subordinatis de mandato SSmi et cum facultate eisdem ad hos effectus specialiter delegata.

Praefectorum ab eminentiss. et reverendiss. dictae urbis vicario in spiritualibus deputatorum eorumque subordinatorum munus erit:

Certam habere scientiam vitae ac morum tam curatorum quam aliorum clericorum.

An parochi diebus festivis et aliis in propria ecclesia celebrent et populo inter missarum solemnia aliquid de evangelio exponant et festos dies nuncient et generaliter an munus suum diligenter adimpleant?

2. At in eorum cura diligenter advigilent et de nocte vocati accedere renuant?

3. An ssmum eucharistiae sacramentum decenter retineant, ea qua decet reverentia ad infirmos deferant, et lampas coram eo decens et sordibus munda assidue ardeat?

4. An olea sacra decenter asservent et iis rite utantur?

5. An in ecclesiis baptismalibus sacer fons pure et debita diligentia asservetur?

6. An calices et patenas, corporalia et alia missae sacrificio necessaria decenter et munda retineant?

7. An Altaria decenter ornata et munda sint?

8. An ecclesiam debito tempore claudant et aperiant?

9. An sacrae reliquiae in omnibus ecclesiis decenti loco et vase sub clavibus conserventur et curent habere notulam omnium reliquiarum?

10. An parochiales ecclesiae habeant necessaria, suppellectilem, sacros libros rituales, libros Baptizatorum, Mortuorum, status animarum, communicatorum et matrimoniorum?

11. An oneribus in celebratione Missarum et anniversariorum satisfaciant?

12. An sedes ligneae, confessionalia nuncupata, sint in ecclesia bene disposita cum suis requisitis?

13. An in edocendo doctrinam pueros laborent atque etiam adultos ea, quae ad salutem necessaria sunt, scire curent, de qua Confessarios omnes in districtu suae parochiae existentes admoneat.

14. Praecipue vero parochos praedictos, ut signanter tempore annuae Confessionis praecepti paschalis, ac antequam matrimoniis contrahendis assistant singuli utriusque sexus fideles sacramenta praedicta respective postulantes rudimenta fidei necessaria caleant, ad eorum memoriam saepe saepius revocantes hoc esse parrochialis Officii munus magis principale ac strictior obligatio.

15. An saecularia tractent et habitum et tonsuram deferant?

16. An cum mulieribus cohabitent?

17. An sacristia habeat Altare pro suscipiendis paramentis ad Missarum celebrationem et armarium sacrorum indumentorum?

18. An in ecclesia, vel prope eamsit aliquis immundus locus et campanilia clave claudantur?

19. An in ea, cum divina celebrantur, aliquid quod scandalum in confabulationibus et aliis quibuscumque perturbationibus divinorum officiorum, et eleemosynarum quaestuatione occurrat?

20. An ad ipsam seu porticum aut alium locum immunem pateat aditus ex alia domo contingua?

21. Miraculorum tabellas ad Imagines in viis publicis existentes positas amoveri curent.

Et si quid miraculose actum intellexerint eminentissimo et reverendissimo Cardinali vicario referant.

Si quo in loco cruces depictas invenerint, eas amoveri faciant vel secretario congregationis denuncient.

De Laicorum Societatibus.

1. Inquirant in quibus se exercent.

2. An introitus male dispensentur.

3. An habeant inventarium bonorum ecclesiae et copiam tribuant.

4. Observent habentes Officium exorcizandi, an utantur exorcismis ab ecclesia probatis, an superstitiosa admisceant et ad id licentiam habeant.

5. An oratio quadraginta horarum unquam intermittatur, et quo decet pietatis cultu fiat.

6. An literarum magistri sint integrae vitae. An fidei professionem emiserint, pueros Dei timorem doceant et diebus festivis ad scholas doctrinae christianae ducant.

7. An medici juxta Bullam Pii V curent infirmos peccata confiteri.

8. An in hospitalibus pauperes cum charitate recipiantur et in spiritualibus recte gubernentur.

9. An in hospitiis, tabernis, cameris locandis inhonestae mulieres retineantur. — N. Bacçharius epispopus Boianen. Vicesgerens.

N. A. Canonicus Cuggio secr. — *1722.*

(Anal. J. P. II. Ser. p. 2749. Romae 1857.)

78) Personalis.

Vd.: *Visitatio episcopi.* (jus, praecipue decr. *Lancianen.)*

Vd.: *Visitat.* (capit., canon., cleri, parochi, benef. etc.)

Visit. person. hoc modo est peragenda:

Index Personarum visitandarum.

1. Habeat episcopus indicem totius cleri sui cum nominibus et cognominibus, juxta locorum distinctionem, quem complere poterit.
2. Sunt autem visitandi Abbates.
3. Canonici.
4. Plebani.
5. Parochi.
6. Beneficiati.
7. Sacerdotes.
8. Initiati sacris.
9. Clerici.
10. Moniales sub Ordinario.

11) Administratores locorum piorum.
12) Confratres.
13) Quaestores eleemosynarum.
14) Officiales curiae episcopalis.

Annotationes.

Circa 2. Intellige de Abbatibus saecularibus exemptis.

Circa 3. Visitantur canonici exempti a s. sede apostol., quod si procedat episc. extra actum visitationis generalis, eligi debent duo de capitulo, de quorum consensu procedatur, ex Trid. sess. 25. c. 6., si nimirum canonici sint exempti, alios non exemptos visitat episcopus prout voluerit: sed tamen in loco capitulari seu alio commodiore, ut s. Congr. respondit episcopo Abluen. ad octavum.

Circa 6. Fuscus notat lib. 2. cap. 7 quod *nomine beneficii* intelligitur canonicatus, praebenda, dignitas, personatus, vicaria, praestimonium, pensio ad vitam assignata pro titulo, immo, et beneficium de mensa et Terra beneficialis seu ruralis, cujusmodi Neapoli habentur quia scilicet orare oportet pro anima relinquentis, et capellania.

In declarationibus sac. Congregat. Concilii Tridentini excipiuntur a Visitatione subcollectores camerae apostolicae, licet beneficiati; in respons. ad episc. Segobiens.

Circa 11. Pia Universitatum loca non sunt obnoxia redditioni rationum ordinario ex declar. sac. Cong. neque administratores regulares tenentur reddere rationem monasteriorum, licet pia loca dicantur.

Ratio quoque sumptuum fabricae ecclesiasticae, si aliter institutione statutum sit, non est reddenda episcopo. Caeterum etsi aliis administratores reddere debeant, non tamen excludi-tur episcopus, qui cum iis unicum habet votum in eorum absolutione, alias non valet.

Haec s. Congreg. in declarat. sess. 22. cap. 9.

Circa 12 et 13. Favet Trident. expresse in dict. cap. 9. sess. 22.

Adde, posse episcopum visitare et corrigere regularem extra monasterium degentem, etiam sui Ordinis privilegii praetextu munitum, ex Trid. sess. 6. cap. 3., si tamen degerit sine licentia superioris, ut ibid. sac. Cong. ex eod. Concil. sess. 25. c. 24. de regul.

Item posse punire eum regularem tamquam desertorem sui instituti, qui sine mandato superioris in scriptis obtento repertus fuerit extra Conventus suos, etiam praetextu adeundi superiores, ex Trid. sess. 25. c. 4. nisi constet de notorio gravamine, ait F. Eman. tom. 2. quaest. 30. art. 3. qui praeced. quaest. artic. I. affert decr. ss. Cong. mitiorem in partem emanatum.

Caeterum in visitatione personarum satius erit, si episcopus solus cum notario quemque examinet, vel etiam in aliquibus sine notario, ut majori cum fiducia de absentibus loquantur emendandis.

Gavant. Merat. t. V. p. 63. (Ed. Venet. 1823.)

Index decernendorum in visitatione personali.

1. Descriptione personarum facta cum defectuum cujusque mentione ad decreta venitur.

2. Quaedam fiunt verbo vel secreto, vel publice, ut caeteri timorem habeant, judicio episcopi; cavendum tamen est, ne diminuatur auctoritas parochi vel praelatae monialium, nisi gravius de-

lictum aliter suadeat, in dubio ii defendantur ab episcopo.

3. Quaedam, quae sunt communia pluribus, si graviora sint, scripto decernantur cum oblatione, ut legantur saepius, audientibus iis, de quibus agitur.

4. Quae gravissima, quae probatione egent, accusatore non probante, ne publicentur testibus autem nolentibus deponere in scriptis, secreto fiat correctio.

5. Quaedam rite probata puniantur prout juris est, praesertim contra non residentes.

6. Nam initio severitatem, in progressu diligentiam, in fine justitiam adhibere debet Visitator. Parcius tamen decretis agat, ne nimis multa vilescant.

7. In titulis Beneficiorum illegitimis, si quos repererit, utatur dilatione ad breve tempus ut ecclesiae quam primum consulatur, nedum beneficiato fortasse excusando.

Gavant. Merat. t. V. p. 70. (Ed. Venet. 1823.)

79) Poenae imponendae.

Visitatorem non posse procedere judicialiter viam fori poenitentialis in hanc sententiam videtur saepius respondisse S. C. C. Nam a capitulo Segobiensi consulta, an et ad quae genera poenarum posset episcopus se extendere in visitatione et ad poenam ordinariam delicti procedere, resp.: Posse imponere poenas non quidem ordinarias sed eas tantum, quae morum correctionem et emmendationem respiciunt. Et Archidiacono Juvenacensi ad dub.: An episcopus in visitatione posset causas ordinarias cognoscere? resp.: causas ordinarias extra visitationem esse cognoscendas.

Fagn. c.: *Dilectus de rescript.* n. 43. et seq.

Hinc est, quod in visitatione non debeat inquiri in specie super delictis rectoris sive parochi, sed tantum de statu gener. ecclesiae nulla servata forma judicii et prout mandat decretum S. C. C. per extensum relatum a Piasec., quia puniendi finis in visitatione non intenditur sed corrigendi et salutares poenitentias injungendi.

Monacell. formul. leg. pract. t. I. t. 5. formul. 2. n. 58. p. 137.

80) De Poenitentia.

Vd.: *Visitatio confession.*, *Visit. de SS. administratione.*

In Visit. de poenit. est inquirendem:

1. An hoc sacramentum ministretur in ecclesia in sede confess. cum superpelliceo et stola?

2. An sedes confessionales habeant crates saltem ligneas seu potius laminas ferreas, spissis foraminibus terebratas ac bene undequaque haerentes, cum asserculo versatili, cujus objectu facies sacerdotis populo occultetur, necnon piam aliquam imaginem ex parte poenitentis et an sint in loco visibili?

3. An confessarii audiant confessiones extra sedem confess., praesertim mulierum et puerorum e conspectu nulla interposita crate? Nam si talis abusus inveniretur, poena suspensionis ab audiendis confessionibus esset puniendus.

4. An in sede confess. sit affixa tabella casuum reservat. et summariorum bullae in Coena D.

5. An admittantur confessarii tam saeculares quam regulares exteri et de aliena dioecesi ad audiendas confessiones sine episcopi licentia?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267.)

81) Presbyterorum.

Vd.: *Visit.* (Benefic., Clericor., de missae celebr., parochi.)

In Visit. Presbyterorum peragenda est inquirendum:

1. An et quos libros retineat et studeat?

2. An et quibus ludis det operam aut venationibus?

3. An quotidie Sacrum faciat?

4. An celebret recitato Matutino cum Laudibus, cum paramentis integris et mundis?

5. An ante celebrationem missae tabacum sumat, quoties in hebdomada confiteatur peccata et ante missam praeparationem faciat?

6. An in civitate et locis populosis celebret cum veste talari?

7. An quotidie recitet divinum officium statutis locis et in quo loco?

8. An habeat superpelliceum et biretum decens proprium?

9. An interveniat processionibus et aliis functionibus eccles. publicis locis in quibus permanet?

10. An semper incedat cum veste talari in civitate et locis parvis decenti cum corona et tonsura capillorum?

11. An intersit aut ducat choreas, in comediis fit actor et in commessationibus et conviviis tempus insumat?

12. An cohabitet cum mulieribus et quae sint?

13. An implicet se negotiis saecularibus mercaturam exercendo aut vectigalia laicorum conducendo aut negotia tamquam factor et minister eorum laicorum agendo vel procuram exercendo?

Si visitator in hac speciali visitatione adverteret, illos veritatem non dicere, posset ac eos exigere juramentum posteaquam eis audivit, ut dicit *Graff.* decis. cur. part. 2. l. 3. c. 27. n. 6. et 63.

(*Monacell.* t. I. in append. in fine et t. IV. supl. ad I. t. post n. 267.)

82) Regularium.

(Modus.)

In Visit. Regularium est inquirendum:

1. An adsint in numero sufficienti et habeant qualitates praescriptas a constitutionibus apost.?

2. An servent et servari faciant ab eorum famulis dies festos necnon censuras et interdicta ab episcopali cura emanata?

3. An admittant in eorum ecclesiis presbyteros saeculares exteros ad celebrandas missas absque episcopi aut ejus vicarii licentia? (S. C. C. in Neapol. 17. Aug. 1617.)

4. An publice exponant SSmum sine licentia Ordinarii?

5. An habeant conservatorem legitime electum ad formam constit. Gregorii XV.?

6. An eleemosinas quaerant, licet non indigeant?

7. An incedant per loca sine socio et vadant de nocte?

8. An se ingerant in administratione bonorum spectantium ad societates laicorum in eorundem ecclesiis erectas?

8. An Sacramenta infirmis ministre inscio aut invito parocho?

9. An celebrent missas horis inconsuetis vel sermones habebunt in eccle-

siis sine licentia episcopi vel miracula praedicent non authentica?

10. An accedant ad monasteria monialium absque licentia praeter formam praescript. a decretis apost.?

(Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.)

Vd.: *Visit. (monast., eccles. par. et cur. regul.)*

83) SS. Reliquiarum.

In Visit. ss. reliqu. peragenda est inquirendum de:

1) Armario.
2) Vestibus interioribus.
3) Thecis propriis.
4) Nominibus Reliquiarum.
5) Approbatione.
6) Expositione.
7) Clavibus.
8) Officiis divinis.
9) Festis.

Gavant. Merat. t. V. pag. 65. (Ed. Venet. 1823.)

Si in visitatione adinveniantur reliquiae antiquae, quae ob injuriam temporum seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluisse S. C. C. refert *Barbosa* in Summa, verbo: Reliqu. SS. n. 3 et de off. et potest. Ep. p. 3. alleg. 97. n. 11.

In Visit. ss. reliqu. inquirendum est:

1. An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deauruto et cristallo seu vitro integro contectis cum suis inscriptionibus?

2. An retineantur in armario ornato loco fixo sub sera et clavi cum epigraphe: *Reliquiae Sanctorum.*

An adsit catalogus omnium reliquiorum et an sint authenticae vel ignotae aut dubiae fidei?

4. An asportentur ad infirmos; si enim hoc fieret, prohibeatur.

5. An in illarum publica expos. accedantur lumina et si subtus altaria sunt deposita corpora integra SS., an retineatur lampas accensa?

Monacell. t. 1. in append. in fine, et t. 4. suppl. ad 1. t. post n. 267.

84) Res variae visitandae.

Vd.: *Visitat. eccles. par. et cur. regul.* (Constitut. Bened. XIV. *Firmandis.*); *Visitat.* (Utensil. sac.). *Visitandi.*

Guardien.

Ad dub. 1. An Episcopus Guardien. in visitatione s. Joannis oppidi Aquaevivae possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectantes, scillicet Baptizatorum, confirmatorum et defunctorum?

2. An dictus episcopus uti sedis apostolicae delegatus corrigere possit porochum aliosque dictae ecclesiae Ministros tam in actu visitationis quam extra?

3. An possit ut supra inquirere contra dictos parochum et Presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus et in omnibus circa morum correctionem civilibus et mixtis? Et quatenus affirmative,

4. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam Commendatarium quam Ministros?

5. An possit mandare in actu Visitationis ut Calices et decentia para-

menta ad decorem administrationis provideantur?

6. An cognitio status liberi eorum, qui Matrimonia contrahunt in dicto oppido, et literas eis dare spectet ad episcopum?

7. An facere testamentnm vulgo dictum dell' anime juxta solitum Dioecesis spectet ad episcopum?

8. An Episcopus tam in actu Visitationis quam extra procedere possit contra Laicos Commendatarium et ministros dicti oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus percutientibus clericos, in observantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis etc. et tali casu censuris ecclesiasticis uti?

S. C. C. resp.: Manutenendum esse episcopum in omnibus.

Die 28. Jan. 1736 25. Febr. 1741.

Calaguritana.

Abbas ven. monasterii B. M. de Naxera ordinis s. Benedicti congregationis Hispaniarum habet in civitate Naxera jurisdictionem ordinariam et jus visitandi Ecclesiam parochialem s. Crucis et Ecclesiam s. Michaelis earumque clericos et capellanos privative quoad Episcopum Calaguritanum; in reliquis vero habet jurisdictionem ordinariam cumulative cum eodem Episcopo, ut constat ex antiqua sententia lata usque et ab anno 1412 per Sedem Apostolicam confirmata necnon ex mandato de manutenendo obtento de anno 1616 a s. Rota coram R. P. D. Ottembergo.

Volens autem supradictus abbas de anno proxime praeterito visitare dictam parochialem Ecclesiam s. Crucis plenarie et subjective suo monasterio unitam et cujus ipse est verus parochus administrans animarum curam per Vicarios a se deputatos et divina officia per clericos et capellanos ibidem existentes, ut plenissime firmatum fuit in decis. 57, 67, 77 coram Ubald. tom. 3. et *in Nullius seu Calaguritana* Quartae funeralis de Naxera, 11. Januarii 1692 et 13. Februarii 1692 cor. bon. mem. Emerix, requisivit ad hunc effectum etiam sub poena censurarum in casu recusationis exhibitionem librorum anniversariorum, capellaniarum et operum piorum illorumque computa et instrumenta fundationum a praefatis clericis et capellanis, qui requisitos libros exhibere recusantes habuerunt recursum ad regium tribunal, ex cujus rescripto coactus fuit dictus abbas ab ulteriori progressu in visitatione desistere; additaque successive per eosdem clericos et capellanos signatura justitiae pro commissione appellationis sub die 4. Martii 1700 prodiit rescriptum: „Nihil.“ Cum vero postmodum ex decreto R. P. D. auditoris Sanctissimi hujusmodi causa remissa fuerit ad hanc sacram Congregationem, ideo proponuntur infrascripta dubia ab EE. VV. de more resolvenda:

I. An capellani Ecclesiae s. Crucis teneantur in actu visitationis exhibere libros antiquos et recentes continentes legata et bona relicta eidem ecclesiae?

II. An teneantur exhibere libros continentes anniversaria aliaque onera et opera pia in dicta ecclesia fundata?

III. An teneantur exhibere libros continentes fundationes beneficiorum et capellaniarum earumdemque fundationum instrumenta?

IV. An teneantur exhibere libros continentes computa reddituum et exituum ecclesiae eorumque solidationes?

IV. An exhibere teneantur notulam eorum, qui possident capellanias et alia beneficia in dicta ecclesia, et illorum, qui debent anniversaria aliaque opera pia adimplere?

VI. An teneantur exhibere notulam bonorum alienatorum ecclesiae et respective noviter acquisitorum atque instrumentorum et scripturarum easdem alienationes et acquisitiones respicientium?

VII. Quatenus affirmative, an censurae per abbatem de Naxera contra dd. capellanos in actu visitationis pro praemissorum exhibitione sustineatur in casu etc.?

VIII. An abbas teneatur restituere libros baptismatis et matrimoniorum in casu?

Sacra Congregatio die 4. Junii 1701 distulit propositionem, die vero 18. ejusdem mensis respondit ad I usque ad VI: affirmative; ad VII: abbatem posse uti remedio censurarum; ad VIII: negative, praeterquam quoad libros currentes ut in lib. 51. decr. pag. 306 et 338.

85) SS. Sacramenti Euch.

Visit. ss. Sacr. hoc modo est peragenda:

Observet Episcopus et Notarius describat, an sint, qualia sint, quae sequuntur:

1) Tabernaculum ligneum.
2) Conopaeum, et an plura.
3) Vestem inferiorem.
4) Corporale stratum.
5) Pyxidem.
6) Auro litamintus.
7) Velum.
8) Particulas.
9) Fragmenta.
10) Renovationem.
11) Clavem auratam.
12) Basim tabernaculi vacuam.
13) Lampadem ardentem.
14) Tabernaculum gestatorium pro Processione.
15) Pyxidem pro infirmis.
17) Bursam cum chordulis: albam pro rurali communione, ut a collo pendeat Pyxis.
18) Umbellam.
19) Laternam.
20) Intortitia.
21) Velum pro humeris longum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. SSmi est inquirendum:

1. An retineatur in tabernaculo affabre facto et extra majori ex parte deaurato et interius undequaque serico panno decentis coloris vestito; pyxide argentea orbiculata et auro intus illita cum suo cooperculo et conopaeo super corporali mundo?

2. An ostiolum tabernaculi sit firmissima sera et clavi argentea aut deaurata clausum, quam parochus apud se diligenti custodia retineat?

3. An tabernaculum sit rectum decenti conopaeo et de illis provisum omnium colorum?

4. An particulae consecratae hyeme saltem singulis quindecim, aestate octo diebus renoventur?

5. An ante altare tabernaculi diu noctuque colluceat saltem una expolita lampas?

6. An in taber. praeter pyxidem aliquid aliud quantumvis sacrum asservetur? Quod si fiat, removeatur; cap.: *Reliqui, de custod. Euchar.*

7. An delatio SSmi ad infirmos fiat cum debita associatione luminum cum baldachino seu umbella in locis parvis, pluviali in civitate et oppidis nota dignis?

8. An mulieres accedant modeste ad sumendam ss. Eucharistiam vel potius irreverenter mammis et brachiis denudatis?

9. An non Communicantes in paschate moniti fuerint et illorum nomina transmissa ad curiam episcopalem?

10. An et quoties in anno fiant processiones cum delatione SSmi et expositione publica?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

86) De Sacramentorum administratione.

Vd.: *Visit.* (Parochi, ss. Oleor., Baptism., Confirm. etc.)

87) Sacristiae.

In Visit. Sacrist. peragenda est inquirendum de

1) Armariis.
2) Arcis.
3) Lavacro ad lavandas manus.
4) Manutergio.
5) Oratoriis.
6) Tabellis precum ante et post missam.
7) Precibus ad paramenta.
8) Missalibus.
9) Calicibus.
10) Patenis.
11) Purificatoriis.
12) Corporalibus et pallis.
13) Velis.
14) Bursis.
15) Cotylis Hostiarum.
16) Amictu.
17) Albis.
18) Cingulis.
19) Stolis, Manipulis et Casulis quinque colorum.
20) Festivis.
21) Ferialibus.
22) Dalmaticis.
23) Pluvialibus.
24) Palliis.
25) Mappis variis.
26) Mappulis ad manus tergendas.
27) Aliis ad communionis usum.
28) Superpelliceis.
29) Integumentis Missalium.
30) Signaculis.
31) Pulvinaribus pro Missali.
32) Aliis pro genibus.
33) Imaginibus devotis.
34) Tabellis onerum, festorum.
35) Vigiliis.
36) Urceolis.
37) Pelviculis.
38) Campanulis.
39) Vasibus pro laicorum purificatione.
40) Supellectilibus argenteis.
41) Thuribulo cum navicula.
42) Cruce personali.
43) Vexillis.
44) Vase pro aqua cum aspergillo.
45) Tabella pacis.
46) Instrumento conficiendarum Hostiarum et Particularum.
47) Cribro pro particulis.
48) Vasibus florum fictorum.
49) Vasibus ad lavanda corporalia.
50) Piscina sacra.
51) Candelabro triangulari.
52) Candelabro Cerei paschalis.
53) Feretro.
54) Panno mortuorum.
55) Legili.
56) Libris.
57) Rituali novo.
58) Missis rejectis, non approbatis.
59) Candelabris.
60) Portis.
61) Clavibus.
62) Pavimento.
63) Fenestris tutis.
64) Parietibus.
65) Tecto.
66) Inventario praedictorum.
67) Subterraneo loco pro vino missae.

Gavant. Merat. t. V. p. 66. (Ed. Venet. 1823.)

Vd.: *Visit.* (Ecclesiae, de missae celebr.)

88) Seminarii.

In Visit. Semin. peragenda est inquirendum de

1) Statutis.
2) Moribus.
3) Magistris.
4) Rectoribus.
5) Administratoribus.
6) Redditu.
6) Numero.

Gavant. Merat. t. V. pag. 69. (Ed. Venet. 1823.)

In Visit. Semin. est inquirendum:

1. An adsint deputati electi ad formam Concilii?

2. An adsint magistri et quot, et rector?

3. An alumni sint omnes civitatis vel dioecesis et omnes sint clerici et pauperes?

4. An omnes alumni habeant requisita concilii?

5. An admissi praestiterint fidejussionem in actis curiae, impensas victus reddituri quatenus ad statum laicalem redierint?

6) An redditus fideliter administrentur?

7. An adsint regulae ab alumnis servandae?

8. An alumni interveniant Ecclesiae cathedrali diebus festis ad formam Concilii?

9. An incedent per urbem soli sine veste?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

89) Tempus.

Vd.: *Visitat. Episcopi* (dierum num.)

Ex Tridentino c. 3. s. 24. de ref. tota visitatio singulis annis vel ad summum, si dioecesis sit ampla nec praestari integre queat, major illius pars et intra biennium compleatur; et ibi DD. *Communiter.*

Nullum tamen certum aliud tempus praescribitur Episcopis ad complendam ipsam visitationem sed illorum arbitrio relinquitur; quod quidem arbitrium discretum ac moderatum esse oportet, et quando citius possunt debita tamen adhibita diligentia se expedire, ne gravent subjectos expensis. Unde S. C. ad Trid. S. 24. c. 3. ita respondit in *Gadicen.:*

„Licet liberrime ab Episcopo et aliis adimplenda sit visitatio, tamen concilium noluit certum terminum praefigere, hoc arbitrio Episcopi relinquendo, illud tamen moderatum et discretum esse debet.“

Propterea alia negotia ad visitationem non pertinentia occupare minime debet sed totis viribus in hanc curam incumbere.

Ita decretum per S. C. testentur *Armendar. Ricc.* pluribus locis et Piasecius apud Barbos., *Pax Jord.* vol. 2. l. 7. t. 1. n. 40. de gener visit.

Ex dispositione s. Concilii *sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.* habetur: *Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum singulis visitentur .... appellationibus, privilegiis, exemptionibus minime suffragantibus.* Rursus in eadem sessione cap. 8. statutum est: *Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apo-*

stolica singulis annis visitare teneantur et opportunis juris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur et cura animarum, si qua illis immineat aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, judicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.

(Ex resol. diei 11. Januarii 1783. *Nucerina.)*

90) Utensilium sacrorum.

Vd.: *Visit.* (personal.; res visit.; Ecclesiae, Sacristiae.)

Visitator, si in visitatione adinveniat altaria de jurepatronatus laicorum, non provisa de necessariis paramentis et suppellectilibus aut vetustate consumpta, fere collabentia, monere debet Patronos, ut illa restaurent et ornent ac onera eis adjuncta adimpleant infra brevem et competentem terminum alias potest illa concedere alteri patrono, qui velit ea ornare, reparare ac onera eis adjuncta adimplere: Sacra Congregatio Episcopor. et Regular. in Mutinen. 16. Januar. 1604. Sic referunt *Barbosa* in summa apostolic. decis. verb.: *Altaria* n. 6. et lib. 2. juris eccles. univers. cap. 8. n. 18., *Ventriglia* prax. tom. 2. annotat. 24. §. 1. num. 44., *Matthaeucc.* Official. Curiae cap. 55. §. 1. n. 7. et alii.

91) Vicarii apost.

Vicarius apostolicus potest visitare dioecesim et si cum ipso visitet etiam Episcopus, non potest Episcopus se ingerere in visitatione, sed solum in exercitio Pontificalium, si non sit ei interdictum: nec possunt Episcopus et Vicarius apostolicus simul ducere secum plus quam quinque personas, ut, ne clerus eo casu duplicibus expensis gravetur, statuit s. Congr. Episcop. in una Cajacen. 20. Aprilis 1601, in Consentinen. 19. Novembris 1652 et in Bisinianen. 23. Augusti 1652.

92) Vicarii capitularis.

a) Associatio in Visitatione.

Abellinen.

Certum exploratumque quum sit in unaquaque dioecesi, elapso anno a die novissimae visitationis peractae ab ultimo Episcopo defuncto, posse Vicarium capitularem legitime electum hanc ipsam visitationem per dioecesim instituere, Sede adhuc vacante, non abs re ab aliquibus dubitatum est quo modo et ritu sit a clero excipiendus hac in actione, quaeque ab eodem clero obsequia illi sint praestanda; oportet enim ut minora sunt illis, quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio volensque omnia ordinate instituere Rmus Vic. cap. Abellinen. S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Quo ritu excipiendus sit Vicarius ad valvas uniuscujusque ecclesiasticae dioecesis?

2. An omnes de Clero et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16. mense Aprilis anno 1842 S. eadem C., audita relatione a me subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: *Exquiratur votum magistri caeremoniarum.* Quo elaborato praeloque cuso, iterum propositis recensitis dubiis ab Emmo et Rmo D. Card. Carolo Acton Relatore in altero ordinario S. R. Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Emmi et Rmi P. S. Ritibus praepositi, om-

uibus" accurate libratis riteque consideratis, rescribendum censuere:

„Dilata et ad mentem. *Mens est* ut Emus Card. Praefectus cum SSmo agat de necessitate supplendi hac in re defectui Caeremonialis." Atque ita rescripsit. Die 16. Sept. 1843.

Super omnibus facta postmodum SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. P. M. per Emmum et Rmum D. Card. Carolum Mariam Pedicini Ep. Portuen. s. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarium, S. R. C. Praefectum, fideli relatione, S. S. benigne annuit et praedicto defectui supplendum esse mandavit juxta modum a Magistro Caerem. in suo voto propositum, videlicet:

„Vic. cap. procedat ad Eccl. cath. veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum vel alia insignia canonicalia, si sit Canonicus, eidemque Biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Praecedente Cruce capitulari caeterisque de Clero recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Sacellum, ubi SSmum Sacramentum asservatur atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petit Aram et brevi oratione super infimo gradu peracta sedebit in camerali sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata caeterisque in propriis subselliis consedentibus et caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum et deinde proponet causas adventus, ut habetur in Pont. Rom. (*Ordo ad visitandas Parochias*). His absolutis ab Altari descendet et in plano extra latus Epistolae stans, supra superpelliceum vel Rocchetum, si eo utatur, Amictum, Stolam et Pluviale nigrum induit eique duo Sacerdotes assistent. Interim sedes ab Altari amovebitur, cujus frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta Altare in cornu Epistolae versus ad Populum incipit Antiphonam: *Si iniquitates.* Caetera peragantur ut in Pont. Rom. loco cit."

Quam methodum S.S. firmitate sua communivit. Die 8. mense Nov. eodem anno 1843 n. 4973.

b) Jus et procurat.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig., decr. *Pacen.*); *Visit. Eccles. Colleg.* (decr. *Calagurit.*)

(Conc. Tr. C. 16. S. 24. De ref.)

Vicarius capitularis Scardonae quaesivit a s. Congregatione de Propaganda Fide: *an sibi permissum esset facere visitationem civitatis et dioecesis necnon visitationem personalem Capitularium?* Cumque examen dubii fuerit a dicta s. Congregatione ad hanc remissum, operae pretium est de praedicto dubio in praesenti habere sermonem.

De visitatione civitatis et dioecesis ab Episcopo facienda plura pluribus in locis sacri Concilii Tridentini facile videri possunt. At in eo, quod attinet ad visitationem Capituli ab eodem Episcopo faciendam, praedictum Concilium *sess. 6. cap. 4. de refor.* decrevit, quod Capitula Cathedralium et aliarum Ecclesiarum et eorum personae nullis exemptionibus aut consuetudinibus se tueri possint, quominus a suis Episcopis per seipsos solos vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari possint et valeant. Cumque olim dubitatum fuisset: *an in visitatione Capituli suae Cathedralis teneretur Episcopus sibi adjungere ali-*

quos Canonicos? ad terminos textus in cap. *Ut juxta* de offic. Ordinarii, et *Rota affirmative respondisset*, re delata ad hanc sacram Congregationem eadem censuit: *Episcopum in visitatione Capituli non teneri assumere aliquos ex Canonicis sed posse visitare vel per seipsum solum vel aliis adjunctis etiam extra Capitulum;* et resolutio fuit a Summo Pontifice Gregorio XIII. confirmata, uti fuse habetur apud *Fagnan.* in cap. *Ut juxta* a num. 37. usque ad finem de offic. Ordinarii et in cap. *Cum Venerabilis* num. 5. et seqq. de censibus.

Allegata conciliaris dispositio edita fuit sub Pio Quarto, uti habetur sess. 25. cap. 6. de reform., ubi additur quod si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus adjunctis ex gremio Capituli, nisi forte ageretur de delictis, depositionem aut degradationem requirentibus et in quibus de fuga timeretur, tunc enim Episcopus tam ad personalem detentionem quam ad summariam informationem procedere potest etiam sine adjunctis, uti collegitur *ex allegato capite 6.*, quod tamen juxta resolutiones hujus s. Congregationis sibi vindicat locum tantummodo in exemptis *Barbos.* ad cap. 6. sess. 25. n. 3. de ref. et de Canonicis cap. 28. n. 2., *Tondut.* quaest. benef. tom. 1. cap. 61. n. 2., *Solorzan.* de jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 14. num. 66., *Rot.* dec. 743. par. 1. divers. decis. 321. par. 2. divers. et in *Giennen.* Adjunctorum 13. Februarii 1702 coram bon. mem. Molines, quae est decisio 13. in Mantissa ad Card. de Luca tom. 1. lib. 3.

Ab Episcopo transitum faciendo ad *Capitulum Sede vacante*, cum illud succedat in jurisdictione, uti habetur *in cap: his qui, et cap.*: *Cum olim de majoritate et obedientia,* dicunt Doctores, posse ab illo visitationem civitatis et dioecesis expleri, *Altaser* in vindic. Eccles. jurisd. lib. 8. cap. 16. in fine, *Marescott.* variar. resolut. lib. 2. cap. 15. n. 14. et seqq., *Novar.* in summa bull. comment. 38. n. 6. part. 1., *Rota* decis. 346. num. 2. et 3. part. 1. rec. et dec. 84. seu 85. cor. Merlin., dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimae visitationis ab Episcopo factae, uti in sequendo resolutiones hujus s. Congregationis in Limana 10. Maii et in Pampilonen. 2. Februarii et 10. Decembris anni 1629 docent *Barbos.* juris eccles. universi lib. 1. cap. 32. num. 71., *Novar.* in summ. bull. par. 2. comment. 32. n. 5., *Ventrigl.* in praxi rerum eccles. par. 2. annot. 15. §. 1. num. 21. Cumque Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de reform.* decreverit, quod Episcopo mortuo Capitulum deveniat ad electionem Vicarii, ita ut sublata fuerit dispositio juris communis, quo attento, poterat Capitulum mortuo Episcopo non devenire ad electionem Vicarii, sed per seipsum jurisdictionem exercere, uti ponderat *Fagnan. in cap.: his qui n. 66. et seqq. de majoritate et obedientia*, ea, quae dicta sunt de facultate Capituli quoad visitationem civitatis et dioecesis, sibi debent vindicare locum in *Vicario capitulari,* ut in terminis visitationis dioecesis resolutum fuit ab hac s. Congregatione in *Salernitana* anno 1589 pag. 81. lib. 6. decr., in *Asculana* visitationis 8. Maii 1683 et in *Ostunen.* 28. Julii 1808 lib. 53. decr. pag. 266., ubi proposito dubio: *An et quando Vicarius capitularis possit visitare?* rescriptum fuit: *affirmative post lapsum anni;* et ab hac eadem s. Congregatione statuti fuerunt fines, intra quos Vicarii capitulares deberent se continere in exactione procurationis ipsis debitae occasione visitationis, uti habetur in *El-*

nen. 29. Martii 1648 lib. 18. decr. 446.

Haec quoad visitationem civitatis et dioecesis; *quoad visitationem vero Capituli et quoad visitationem personalem Capitularium*, excellentior haec et magis fructuosa dicitur visitatione locali et reali, uti plene habetur apud *Restum* in directorio visitationis et apud *Crispinum* in sua visitatione pastorali par. 3., cum haec respiciat vitam et mores Capitularium et de eadem sermonem facere videtur *Rota in allegata decis. 84. seu 85. coram Merlin.*, in qua postquam docuit Capitulum sede vacante posse visitare civitatem et dioecesim et omnia ejus membra, inquit, visitationem nedum consistere in accessu ad unamquamque Ecclesiam, sed in perquisitione et reformatione morum tam cleri quam populi et quoad punctum procedendi adversus Canonicos cum vel sine adjunctis, s. haec Congregatio resolvit: *debere Vicarium capitularem procedere cum adjunctis*, *si Episcopus id facere consueverat, secus autem, si hoc ab Episcopo non fiebat,* uti habetur apud *Garz.* de benef. par. 5. cap. 7. n. 23. et bene prosequuntur *Barb.* ad cap. 6. sess. 25. de ref. n. 14., *Galemart.* ad cap. 16. sess. 24. §: *Dubitatum fuit*, *Stroz.* de officio Vicarii lib. 2. q. 145., *Ludovicus a Saravia* in tract. de adjunctis impresso post Francos de Eccles. cathed. edit. Venetae anni 1698 q. 17. num. 35.

Nonnulli facultatem visitandi in Capitulo seu Vicario capitulari censent in praxi admittendam, si Ecclesia non sit de proximo providenda, *Barbos.* ad Concil. cap. 3. n. 8. sess. 24. de refor., *Marchet.* in praxi Vicar. capit. par. 1. tit. 18. n. 3. Cumque id ut plurimum pendeat a voluntate Summi Pontificis, s. haec Congregatio aliquando respondit agendum esse cum eodem antequam aliquid decernatur, ut resolutum fuit die 17. Octobris 1600; quaerebatur enim: *An Capitulum Sede vacante posset visitare civitatem et dioecesim?* et visum fuit Illmis Patribus: *non expedire, ut Capitulum habeat hujusmodi facultatem quae ei forte competit juxta graviorem Doctorum opinionem, ideo antequam aliquid decernatur agendum esse cum Sanctissimo.*

His positis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Vicarius capitularis Scardonen. facere possit visitationem civitatis et dioecesis?

II. An facere possit visitationem personalem Capitularium in casu?

S. C. C. resp. ad utrumque: Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimae visitationis ab Ordinario.

Die 13. Sept. 1721.

Ad dub.: An et quando Vic. cap. possit visitare? S. C. C. resp.: Post lapsum anni. Die 28. Julii 1708 ad 4.

Ad dub. 1: An Vicarius capit. in visitatione ultra procurationes recipere possit cibaria et equitatus et alia donaria?

2: Et quatenus fuerint percepta, an sint restituenda et quibus?

S. C. C. resp. ad 1: Negative; ad 2: Affirmative ad formam Concilii, et quibus de jure.

Die 28. Julii 1708 ad 6. et 7.

Ad dub.: An Vicario capitulari Civitatis Aquilae competat jus visitandi Abbatiam s. Joannis de Collimento de Luculo immediate subjectam s. Sedi apostolicae?

S. C. resp.: Negative et amplius.

Die 5. Julii 1710.

Potest Vicarius capitularis dioecesim visitare per se vel per alium et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates. S. Congr. Episc. in Lancianen. 10. Jun. 1629 et Pampilonen. 3. Febr. eodem anno, in Materan. 10. Dec. 1604. Cum famulatu et comitatu solito a Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de reform. praescripto S. Congr. Conc. in Limana 10. Maii 1629.

Item potest visitare Moniales non exemptas, exemptas vero non potest; *Barbos.* l. 1. juris eccl. univers. cap. 32. num. 71.

Moniales tamen exemptas potest visitare in iis, in quibus datur Episcopis facultas perpetua visitandi tanquam Sedis apostolicae Delegatis. Talis enim delegatio cum sit facta Episcopis in perpetuum, est pars jurisdictionis ordinariae et sic transit ad Vicarios capitulares; *Barbosa* de Canonic. et Dignitatibus cap. 42. num. 107. et lib. I. juris eccles. univers. cap. 32. n. 31. in fine, *Molina* de justitia tract. 5. disp. 11. n. 8. loc. cit. num. 24. et alii passim.

Vicarius capitularis potest dioecesim visitare post peractum annum a visitatione ab Episcopo facta, ut pluribus s. Congregationis decretis decisum est *ibid. lib. 2. cap. 9. §. 5.*

Illi tamen nonnisi dimidium procurationis, quae solvitur Episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, ut constat ex resolutione s. Congregationis in una Ostunen. die 7. Julii 1708. *Ibid. lib. 7. cap. 53. §. 5.*

93) Vicarii foranei.

In Visit. Vic. for. inquirendum est:

1. An in morte parochor. inventarium rerum ecclesiae conficiat et scripturas omnes et libros paroch. ab haeredibus defuncti recuperare invigilet testibus adhibitis?

2. An dispositiones et legata relicta locorum piorum Vicario generali communicet, ut exequutioni mandentur?

3. An Clericos et Sacerdotes scandalosos vel indevote missam celebrantes Episcopo denuntiet?

4. An parochos et alios curam exercentes desides et eorum munia negligentes ad Episcopum deferat, ut corrigantur?

5. An peccata publica et scandala, quae emergunt, pariter Episcopo denuntiet?

6. An exigat poenas contra facientes opera servilia sine licentia diebus festis?

7. An concedat licentias alloquendi Moniales sine scriptis et tempore officior. divin.?

8. An concedat licentias parochis et curatis se absentandi a residentia?

9. An interponat decreta in contractibus Minorum et Mulierum?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

94) Vicarii generalis.

Vd.: *Visit. Episcopi* (Subdeleg.)

Vicarius generalis jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat Episcopus: *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 24. cap. 3. n. 3. et cit. alleg. 73. num. 28. cum pluribus ibi citatis et alii passim.

Episcopus vicinior, si sit legitime impeditus, potest Ecclesias saeculares nullius dioecesis visitare per suum Vicarium generalem. Sic decisum fuisse die 17. Januarii 1505 testatur loc. cit. num. 6.

Vicarius generalis non potest sine speciali mandato dioecesim visitare, quia visitatio videtur Episcopis tantum reservata, quia per ipsos visitare tenentur singulis annis et ipsis legitime impeditis per suos Vicarios; can.: *Decernimus* 10. caus 10. qu. 1., can.: *Episc.* 11. ead. caus. et quaest. c.: *Inter caetera*, de offic. Ordinarii, cap.: *si Episcop.* 6. eod. in 6. Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 8. et sess. 24. de reformat. c. 3., Rebuff. in praxi benefic. tit. forma Vicariat. n. 100., Sbroz. lib. 2. q. 120. n. 2., Pellegrin. in praxi Vicar. p. 1. sect. 1. subs. 1. n. 46. *Barbosa*, p. 3. de off. et potest. Ep. alleg. 54. n. 102. et alii passim.

95) Visitandi quas res praeparent?

Vd.: *Visitatio* (res visitandae, parochi etc.)

Index praeparandorum a Visitandis.

1. Oratio publica, et, si fieri potest, quadraginta horarum, indicatur a Parochis, saltem in locis insignioribus.

2. Monitio populo fiat de proxima visitatione, causis, effectibus, et ritu, intra missas lectis pastoralibus literis, si datae sunt, et moneatur populus ad revelandum ea, quae correctione agant.

3. Invitetur populus ad poenitentiae sacramentum, ut de manu Episcopi sumat Eucharistiam.

4. Praeparentur ii, qui confirmandi sunt, paratis opportunis schedulis, in quibus scripta sint nomina, cognomina Confirmandorum, Compatrum et Parochiae.

5. Frequenti campanarum sono excitetur populus, maxime vero pridie visitationis.

6. Ex vicinioribus locis conveniant Confessionarii approbati ad confessiones audiendas.

7. Praeparentur hostiae et particulae, vinum, mappae, vasa ad sacrae communionis usum·

8. Ornetur Ecclesia et paretur locus pro ministrando Sacramento Confirmationis.

9. Si quae sunt benedicenda vel consecranda, opportune parentur.

10. Pro caeremoniis episcopalibus:

Umbella seu baldachinum in porta oppidorum insigniorum, a nobilioribus loci gestandum.

Crux sine hasta ab Episcopo deosculanda.

Tapes cum pulvino.

Thuribulum cum navicula.

Vas aquae benedictae cum aspersorio.

Pluviale et stola coloris albi pro Rectore Ecclesiae.

Scabellum genuale cum tapete et pulvinaribus ante altare majus.

Sedes praealta supra tres gradus et sub umbella, si fieri potest, a latere Evangelii, cum tapete supra gradus.

Gossipium pro abstergendo Chrismate sacro post Confirmationis Sacramentum, panniculi duo et vas aquae ad hunc usum ad levandum et tergendum frontem Confirmatorum.

Vas aliud pro colligendo gossipio jam adhibito.

Occursus cleri totius, confraternitatum doctrinae christianae et populi, intrante Episcopo, Litanias cantantium aut hymnos et praesertim canticum: *Benedictus*.

Sex candelabra in altari majori cum candelis circiter sex unciarum.

Duo intortitia ad varios usus.

10. In Sacristia exponatur ordine sacra supellex, ut brevi cerni possit.

12. Ibidem libri ad usum Ecclesiae destinati, Missalia, Breviaria, Antiphonaria, Ritualia.

13. Index sacrarum reliquiarum cum suis testificationibus.

14. Indulgentiarum altarisve privilegiati documenta.

15. Inventarium jurium, privilegiorum et onerum Ecclesiae; tum finium parochiae descriptio.

16. Statuta si quae sunt Ecclesiae propria et mores in divinis officiis, si differant ab aliis.

17. Inventarium sacrae supellectilis.

18. Inventarium bonorum stabilium et reddituum Ecclesiae, Decimarum et Oblationum.

19. Index beneficiorum, quae sunt infra finem parochiae.

20. Index Ecclesiarum, Oratoriorum, Capellarum cum oneribus intra eosdem fines.

21. Item Sodalitatum, Confratrum Locorumque.

22. Item Monasteriorum tam virorum quam mulierum cum titulis propriis et numero personarum.

23. Item Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Clericorum saecularium ejusdem Parochiae.

24. Item eorum, qui disciplinam ecclesiasticam, ut Clerici fiant, ingrediuntur.

25. Item eorum laicorum, qui Ecclesiae deserviunt, in divinis officiis, funeribus etc.

26. Index bonorum fortasse usurpatorum a laicis.

27. Index missarum receptarum et celebrandarum, et a quibus factum sit satis.

28. Index legatorum solutorum et solvendorum ad pias causas relictorum.

29. Prompti habeantur codices parochiales Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio conjunctorum, status animarum et Defunctorum.

30. Decreta synodalia, Edicta, Bulla in Coena Domini et casus reservati.

31. Index eorum, qui in parochia sua de haeresi suspecti sunt, blasphemi, malefici, simoniaci, usurarii, concubinarii, adulteri, notorie criminosi et qui non communicantur in Paschate. Item conjugum diversorum, excommunicatorum, interdictorum, festa violantium, aleatorum et prohibitos libros habentium.

32. Index Medicorum, Ludimagistrorum, Obstetricum, Pictorum et Sculptorum, Bibliopolarum, Notariorum, Cauponum et similium personarum, de quibus nosse debet Episcopus.

33. Et haec omnia paranda erunt respective ab omnibus visitandis.

34. Alia sunt parata a quolibet de clero, ut Ordinum instrumenta, Beneficiorum item, tum facultates datae pro audiendis Confessionibus, Concionibus habendis, Missa certo loco celebranda, habitandi cum laicis ancillave seu extra aedes ecclesiasticas, locandi aliis easdem, exponendi capsulam pro eleemosynis.

35. Tum libri personales, qui solent praescribi Ecclesiasticis, Missale, Breviarium, Kalendarium, Volumen Bibliorum, Homiliarum, Catechismus romanus et ejusmodi.

Gavant. Merat. t. V. p. 62. (Ed. Venet. 1823.)

VISITATOR.

(Num vim adhibere possit?)

Visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non potest frangere portas Ecclesiae, sed uti gladio spirituali censurarum, tenet expresse *Monac.* tom. 3. tit. 1. form. 39. n. 2. post Graffium decis. aur. par. lib. 5. cap. 27. num. 59. ubi sic praecise habet: „Visitator non debet frangere portas Ecclesiarum, si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem. Ita

Innocent. in *d. cap. 1. de Immunitat. Eccles.* „Quia bona Ecclesiarum sunt Sancta Sanctorum et Domino consecrata etc. et sic qui violentiam facit, Sacrilegium committit“: dist. 12. qu. 2. can.: *Nulli liceat*, et canon.: *Quicumque*, „sed potest uti gladio spirituali, id est excommunicatione vel interdicto; facit text. in cap.: *Dilecto,*“ de sentent. excommunicat. in 6. et ita defendere suam possessionem hoc est visitationem. Ita not. per Innoc. et Hostiens. in cap.: *Venerabili* 24. de censibus, *Barbosa* tamen supra Concil. sess. 24. de Regularibus cap. 11. num. 16. et de officio et potest. Episcop. part. 3. allegat. 74. n. 22. et lib. 1. juris eccles. univers. cap. 43. n. 139., *Tamburin.* de jur. Abbatissar. disp. 17. q. 3. n. 4., *Fuscus* de visitat. lib. 2. cap. 16. post n. 1., *Ciarlinus* controvers. lib. cap. 65. n. 12., *Ventriglia* in praxi par. 1. adnotat. 48. §: Unico n. 88. et alii volunt, quod renuentibus regularibus vel aliis exemptis visitationem et claudentibus ostium Ecclesiae vel monasterii liceat Episcopo vim inferre et ostium frangere.

SS. VITALIS ET AGRICOLA.

(Officium.)

Ad dubium Benedictin. Einsidlen.: Qualis in festo s. Caroli Borr. in 1. vesp. pro commemorat. ss. Vit. et Agricolae mm. sit dicendus versus?

S. C. resp.: *Istorum est enim* etc. cum versu: *Laetamini*; ad laud. substituetur versus: *Exultent justi* post antiphonam: *Vestri Capilli.* n. 4044 ad titul. dub. 2. die 5. Maii 1736.

VOX.

1) In Capitulo.

Vd.: *Capitulum* (vox).

2) Submissa.

(Quae sunt v. s. dicenda?)

Ad dubium: An in missa sol. dici debeant submissa voce omnia verba ab: *In nom. Patr.* usque ad introitum, insuperque: *Orate fratr., Sanctus, Nobis quoque peccator.* et *Domine non sum dignus?* Quandoquidem rubrica cap. XXVI. ita praescribit: *Alia, quae in missa priv. dicuntur voce submissa.*

S. C. resp.: *Affirmative*, dummodo intelligatur a Ministris. n. 4526 ad 14 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: An ferendus sit usus in archidioecesi Senensi existens omittendi in choro partes illas tum divini officii tum missae, quas organi sonitus supplet?

S. C. resp.: Submissa voce dicenda, quae omittuntur ob sonitum organi quando non pulsatur, integre esse dicenda. Die 22. Julii 1848 ad 4.

S. WALDETRUDIS.

Belgien.

S. Rituum Congregatio ad relationem Emi D. Cardinalis Casanate, auditis animadversionibus Rmi fidei promotoris concessit ut s. Waldetrudis describatur in martyrologio romano sub die 9. Aprilis, supplicante collegio canonissarum Montensium in Belgio. Die 6. Maii 1679.

Anal. J. P. 1865 p. 1222 n. 2098.

Belgien.

Montibus in Hannonia beatae Waldetrudis, vitae sanctimonia et miraculis clarae s. Rituum Congregatio, ad relationem Emi D. Cardinalis Casanate, auditis animadversionibus Rmi fidei promotoris, censuit suprascriptum elogium, ut jacet b. Waldetrudis ap-

ponendum et describendum esse in martyrologio romano, supplicante collegio canonissarum Montensium in Belgio et ita decrevit. Die 6. Maii 1679.

Ibid. n. 2099.

S. WENCESLAUS M.

(Officium.)

Urbis et Orbis.

SSmus D. N. Clemens X. enixis precibus sibi porrectis per Emum Cardinalem de Hassia nomine caesareae majestatis Leopoldi Romanorum Regis in imperatorem electi benigne annuit, ut ab Ecclesia universali officium s. Wenceslai martyris ducis et patroni regni Bohemiae imposterum recitetur sub ritu semiduplici ad libitum et in breviario romano inseratur sub eodem ritu recitandum die 28. Septembris ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus. Die 26. Julii 1670.

Anal. J. P. 1865 p. 1163 n. 1855.

Vd.: *Martyr.* (off. decr. 2. Maii 1801.)

S. WOLFGANGUS.

(Officium.)

Germaniae.

Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. supplicationibus caesareae majestatis per ejus apud Sanctitatem Suam oratorem extraordinarium ducem Cromaviae principem ab Erchemburgh eidem SSmo humiliter porrectis benigne annuens, re prius in sacra Rituum Congregatione communicata, concessit et indulsit, ut in tota Germania ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus, in die festo s. Wolfgangi Episcopi Ratisbonen. de eo ad libitum recitari possit officium sub ritu duplici de communi confessoris pontificis juxta rubricas breviarii romani. Die 29. Decembris 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 270.)

S. ZENO.

Pistorien. Pro officio s. Zenonis.

Officium s. Zenonis Episcopi et martyris et cathedralis Pistoriensis ecclesiae titularis ad instantiam et supplicationem canonicorum et capituli dictae Ecclesiae, de ordine et mandato sacrae Congregationis Rituum diligenter revisum et emendatum ac ab Illmo et Rmo D. Cardinali Baronio subscriptum, eadem sacra Rituum Congregatio approbavit et ut in praedicta Ecclesia cathedrali et civitate Pistorien. libere et licite recitari possit ac etiam pro majori commoditate imprimi valeat licentiam concessit. Die 11. Decembris 1604.

(Anal. J. P. 1863 p. 39. n. 139.)

S. ZOILUS CONF.

Nullum faciendum esse officium de s. Zoilo *Confessore*, cum nec in martyrologio vetustiori agatur de s. Zoilo Confessore sed tantum de s. Zoilo martyre, cujus natalis celebratur die 27. Junii. n. 2537 die 21. Mart. 1671.

ZONA CANONICORUM.

Vd.: *Tibiale Canonicor.*

Concessio zonae sericae violacei coloris pro canonicis et dignitatibus ecclesiae sancti salvatoris in Brasilia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ex parte carissimi in Christo filii nostri Joannis Portugalliae et Al-

garbiorum regis fidelissimi expositum nobis nuper fuit, quod cum in superioribus universae ferme Europae tumultibus ipse post multa pericula rerum civitatem sancti salvatoris in Brasilia incolumis appulerit, atque in ejusdem civitatis metropolitana ecclesiae dignitates, canonicos (quos vocant) aliqua per Nos et apostolicam sedem externa decoratione ornari vehementer desideret cum ad majorem Dei gloriam tum etiam quo firmior ibi restet divinae hujusmodi in se beneficentiae memoria.

§. 2. Nos piis hisce regiis votis benigne libentissimeque annuere ac memoratos dignitates, canonicos et semicanonicus specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, canonicis et simicanonicis metropolitanae ecclesiae praedictae, ut ipsi zonam sericam violacei coloris cum duobus floccis similibus supra vestem oblongam tam intra quam extra eadem ecclesiam etiam in processionibus et actibus publicis quibuscumque gestare libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ipsosque dignitates, canonicos et semicanonicos a quoquam impediri aut perturbari desuper nullatenus posse ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 21. Martii 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 304 Ed. Romae.)

(Ad tom. III. pars II. pagina 789.)

VIA FEREA.

Formula benedictionis.

Clerus vel a proximiori ecclesia vel ab aliquo alio loco ad hoc parato procedat usque ad stationem viae ferreae canendo vel recitando

Ant.: In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus et angelus Raphael commitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.

Cant. Benedictus Dominus Deus Israel etc. *ut supra p. 379.*

Ibi Episcopus vel sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus intonabit:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster *secreto.*

℣. Et ne nos etc.

℟. Sed libera etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Benedictus Dominus die quotidie.

℟. Prosperum iter faciat Deus salutarium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.

℟. Et semitas tuas edoce nos.

℣. Utinam dirigantur viae nostrae.

℟. Ad custodiendas justificationes tuas.

℣. Erunt prava in directa.

℟. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Adjutorium nost. etc. *ut p. 789.*

Post aspersionem aquae dicitur Te Deum *cum oratione*: Deus, cujus misericordiae etc.

Instructio Clementina

PRO ORATIONE XL. HORARUM.

Ex italico sermone in latinum versa

(Tom. I. p. 717.)

Instructio et Ordo servandus in Oratione Quadraginta Horarum cum expositione SS. Sacramenti pro Ecclesiae necessitate, juxta piam SS. Pontificorum mentem, de mandato Sanctitatis Suae *Clementis XII.* confirmata atque iterum promulgata.

Prosper Marefoschi, tituli S. Silvestri in capite Cardinalis, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis, etc.

§. I. Quum ab ipso tempore, quo introducta est SS. Sacramenti expositio pro 40 Horarum Oratione continua, datae fuerint plures ordinationes hujusmodi sacrae functionis decorem spectantes, quumque easdem apprime observare necnon abusus in quibusdam Ecclesiis irreptos tolli curandum sit, de speciali mandato Sanctitatis Suae, vivae vocis oraculo nobis dato, in omnibus almae Urbis Ecclesiis, tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus, sicuti et in quavis alia Ecclesia, sive saecularium sive regularium, quolibet modo privilegiata ac speciali mentione digna, in qua praedicta 40 Horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis poenis, quaecumque in hac novissima Instructione praescribuntur, inviolabiliter observare ordinamus et praecipimus.

§. II. Supra januam Ecclesiae, in qua fit expositio, et a capite vicinae viae ponatur signum SS. Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat inibi fieri SS. Sacramenti expositionem.

§. III. SS. Sacramentum exponendum erit in altari majori (exceptis tamen basilicis patriarchalibus, in quibus in alio altari exponi consuevit) cooperienturque imagines vel statuae, quae ibidem reperiuntur, item tribunae, parietes altariaque vicina, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur; verum cavetur ne inter apparatus sint historiae resve profanae.

§. IV. In altari non ponantur Sanctorum reliquiae aut statuae (non exclusis tamen angelorum statuis quae candelabrorum vicem gerunt); multo minus ponantur animarum purgatorii figurae, cujusvis sint materiae; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo in iis quae in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur.

§. V. Super altare praedictum et in eminenti situ sit tabernaculum sive thronum cum baldachino proportionato albi coloris; supra cujus pedem ponatur corporale ad reponendum ostensorium aut custodiam radiis circumfulgentem; contra vero quivis absit ornatus, ex quo SS. Sacramenti aspectus impediatur.

§. VI. Ad altare continuo ardeant viginti saltem lumina, sex nempe candelae unius librae, quarum tres ab unoquoque latere crucis, et octo candelae in superiori parte, cum aliis quatuor a partibus ostensorii, in cujus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tamen duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa Ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera: tempore autem vespertino tot in Ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant accensaque remaneant usquedum januae claudantur. Fenestrae altari expositionis vicinae, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem.

§. VII. Nemo saecularis, etsi cujusvis societatis, sacco vestitus ad altare circumire audeat ad lumina curanda aut ad aliud quid agendum; sed adesse debet sacerdos aut saltem clericus cum superpelliceo, quod super propriam vestem, regulares etiam cujuslibet religionis induent; notandum praeterea, ex decreto S. Rit. C. *Urbis 19. Augusti 1651*, a quibuscumque personis cujusvis conditionis et ordinis transeuntibus ante SS. Sacramentum expositum, in accessu et recessu, faciendam esse flexis duobus genibus reverentiam. Quod attinet ad sacerdotem Missam privatam celebrantem, sciendum dari ejusdem S. Congr. decretum *Urbis 7. Septembris 1638*, quo praescribitur, ut transiens ante altare, in quo expositum manet SS. Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein surgat caput tegendo.

§. VIII. Durante expositione, in Ecclesiae porta sive ad intra sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in veli forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur ut a via nunquam possit aspici SS. Sacramentum.

§. IX. Per vices unus aut alter sacerdos vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto pannove rubro aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi autem existit aliqua confraternitas, suis vicibus pariter assistant saltem duo confratres ad scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium atque a dictis sacerdotibus distantes et cum omni devotione in adstantium aedificationem orent, sed submissa voce, ne caeteris distractiones afferrant.

§. X. In sacristia sit horologium saltem pulveritium ad singulorum adorationis tempus dignoscendum, de quo omni diei ac noctis hora dabitur signum cum majori campana.

§. XI. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave Maria*, ad commonendum populum, solemni modo campanae pulsentur; itemque fiat mane sub aurora et durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave Maria*, pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes.

§. XII. In altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa praeter solemnem in expositione et repositione. Hisce diebus praeter conventualem (in Ecclesiis in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa SS. Sacramenti votiva *pro re gravi*, exceptis tamen omnibus Dominicis 1. aut 2. classis et omnibus diebus, in quibus,

juxta calendarium tam universale quam particulare illius Ecclesiae, in qua fit expositio, pariter fit officium 1. aut 2. classis, item excepta feria 4. Cinerum, feria 2., 3. et 4. Majoris Hebdomadae, omnibus diebus per octavas Paschae et Pentecostes, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes, atque per octavam Epiphaniae, in hisce Dominicis aliisque diebus et feriis exceptis, canetur Missa conventualis cum adjuncta oratione SS. Sacramenti *sub una conclusione*: quae omnia in omnibus Ecclesiis tum saecularium tum regularium servabuntur.

§. XIII. Die autem medio, praeter Missam conventualem, post Nonam cantari debet votiva Missa *pro pace* vel alià a Sua Sanctitate praescripta, prout in elencho 40 Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos et sub eadem regula quoad orationem.

§. XIV. Verum in Ecclesiis non collegiatis et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi in praefato die medio solemniter canenda est praedicta Missa votiva, cum oratione et sub regula supra exposita pro Missa SS. Sacramenti. Ea tamen Missa canenda est in altari ab eo, in quo fit expositio, et ab eo, in quo adsit tabernaculum cum incluso Sacramento, diverso. In ecclesiis autem, quae obligationem habent Missam conventualem cantandi, ea cantabitur in alio altari uti dictum est.

XV. Expresse jubetur ut in diebus expositionis, medio, et repositionis, cum ministris paratis Missae canantur et non aliter, etiam in Ecclesiis regularium, non obstante quocumque eorum usu aut praetensa consuetudine in contrarium.

§. XVI. In Missis autem privatis, quae durante expositione celebrantur, non pulsetur campanula ad elevationem, sed tantum in egressu detur tenue signum cum solita campanula.

§. XVII. Non celebrentur Missae *de Requiem* tempore, quo peragitur Oratio 40 Horarum, et Missae SS. Sacramenti, quae diebus rubrica permissis celebrabuntur, pariter votivae sint sine *Gloria* et *Credo*. In aliis vero Missis currentis diei, post orationes a rubrica praescriptas addatur oratio SS. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.

§. XVIII. Celebrans, SS. Sacramentum in processione delaturus, pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis alterius coloris, nam in hoc casu color Missae retineretur. Velum autem humerale erit albi coloris in quocumque casu et sacrorum ministrorum paramenta ejusdem coloris ac celebrantis, ut supra. Pariter pallium altaris, in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint paramenta Missae solemnis, quae in hoc die celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

§. XIX. Finita Missa solemni pro expositione celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus epistolae recedunt ibique celebrans manipulum (pariterque ministri) deponit, planetam exuit pluvialeque assumet; incensum postea in duobus thuribulis ponet, illud non benedicendo et cum ministris, in medio genuflexis, ter Sanctissimum adolebit. Postquam processio fuerit ordinata (quae ordinari incipiet, facta elevatione, aut prius, prout magis aut minus erit numerosa), diaconus, congruo tempore, facta super scabellum genuflexione, Sacramentum assumet illudque stans genuflexo dabit sacerdoti statimque, diacono genuflectente, celebrans, manibus ab extremitate veli humerali coopertis, illud assumet et

surget. Incoepto dein a cantoribus hymno *Pange lingua*, etc., sub baldachino procedit, submissa voce psalmos et hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

§. XX. Processio ex toto Ecclesiae clero componetur, crucifer in hac functione non subdiaconali habitu sed superpelliceo erit indutus. Intererunt, superpelliceo induti et cum cereis ardentibus in manu, octo sacerdotes qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt, post ipsos subsequentur duo acolyti cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes et durante processione campanae solemniter pulsabuntur.

§. XXI. Intra Ecclesiam fiet processio; quod si Ecclesiae angustia exigat, per plateam exire poterunt, sed non longius et priusquam ab Ecclesia egrediatur, curandum erit ut plateae via nitide fuerit mundata. Ubi vero occurrit officina, tempore processionis erit claudenda.

§. XXII. Quod si existant saecularium confraternitates, sive sacco sint induti sive non, tam eorum guardiani et officiales quam confratres omnes simul ii capitulariter progredientur ante ibi praesentem saecularem et regularem clerum, cui semper digniorem locum cedere debebunt. Imo prohibetur districte ne earum guardiani aliique officiales, sub quovis praetextu consuetudinis aliove quocumque audeant post baldachinum incedere, sub poena, etc. Revd. Primicerius (confraternitatis) vero incedat post baldachinum sine sacco, habitu praelatitio indutus et rochetto, si ei competit. Possunt tamen dicti officiales manicos baldachini portare, officium sane magni honoris, ut ait *Caeremoniale Episcoporum* lib. II. cap. 33: *Deputentur nobiles viri, barones*, etc.

§. XXIII. Quinimo dicto clero tam saeculari quam regulari praecipimus ut in propriis Ecclesiis usum contrarium non permittant, sub poenis (sequuntur poenae Romae tantum implicandae).

§. XXIV. Cum processio in Ecclesiam regressa fuerit, jamque ad infimum Altaris majoris gradum celebrans pervenerit, diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem celebrante (qui statim ipse genuflectet, velum humerale deponens), illudque infra throno reponet ac ad suum locum redibit, factis debitis reverentiis: statim vero cantores (cum mora) cantabunt *Tantum ergo*, etc. et, dum intonant *Genitori Genitoque* celebrans, cum ministris erectus, ibidem in medio et absque benedictione incensum ponet in thuribulo et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Hymno autem finito omissoque *Panem de coelo*, etc. canentur litaniae positae in libro pro 40 Horarum Oratione edito. (Quo libro jure et absque ulla immutatione utendum erit in alia quavis Sanctissimi expositione particulari.) Precibus jam dictis, celebrans (cui librum sustinebunt ministri) erectus et absque nova genuflexione, manibus junctis, cantabit *Dominus vobiscum*, cum Orationibus subsequentibus; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent orationem, post quam recedunt teguntque caput, dum e conspectu SS. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt Preces XL. Horarum.

§. XXV. Juxta S. R. C. celebrans uti non debet cubiculari sede, sed scamno (brachia non habente) cujus ornetur pars posterior rubri alteriusve decentis coloris panno et in quo simul cum ministris sedeat. Multo minus sedibus cubiculariis uti debent in Ecclesiis guardiani, deputati et officiales confraternitatum, societatum aut congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum dorso, brachia

tamen a lateribus non habente et absque ullo usu cussinorum, sicuti et absque gradino et genuflexorio coram ipsis; illud autem scamuum omnino extra presbyterium collocabitur, quando praedicti Missis aut vesperis solemnibus assistent aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra caeremonia aut quando concio erit in Ecclesia, juxta pluries declarata a S. C. R. et in particulari per Decretum generale diei 13 Martii 1688. Revd. Primicerius vero in habitu praelatatio intra praesbyterium in cornu evangelii sedebit super sede tepeto cooperta, ut supra n. XXII. dictum est.

§. XXVI. Attamen, si ob Ecclesiae formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc concedi poterit ut guardianorum scamnum collocari possit in unius lateris facie, extra terminum presbyterii.

§. XXVII. Viris et mulieribus cujuslibet status aut conditionis (exceptis regiis personis, ubi adsunt) districte prohibetur ne in presbyterio seu circuitu altaris, in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, quum praefatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est non solum in Ecclesiis, in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus ex Indulto Apostolico aut ex alia legitima facultate expositio fieri, licet per breve temqus, contingat. Rem ita fieri providebunt superiores aut sacellani, etiam adhibita scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus praeterea ac praecipimus rectoribus et superioribus cujusvis Ecclesiae tam saecularibus quam regularibus, ut durante expositione non praesumant quodlibet sedium genus cuipiam personae cujusvis sexus, gradus et conditionis et reverentiae mandare sub poena decem scutorum a rectore saeculari in pios usus applicandorum reservata tertia parte pro accusatore; pro Regularibus vero sub poena privationis vocis activae et passivae, cum aliis ad nostrum arbitrium.

§. XXVIII. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in Ecclesiis lances ad eleemosynas deponendas neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici neque laici, sicuti neque clerici, confratres, mandatarii aliaeve personae quaestuantes per Ecclesiam circuibunt Multo minus id agere poterunt pauperes, qui ab Ecclesiae janui decem cannis distantes stabunt sub poenis. Idcirco cura pariter erit superioribus et sacellanis aliisque assistentibus custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandae gratia, invigilare ne Ecclesiam ingrediantur pauperes; cum rite possint benefici extra Ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Clemens XI. in speciali edicto in quo omnibus fidelibus prohibet ne in Ecclesiis eleemosynam distribuant.

§. XXIX. Notandum orationi finem in una Ecclesia dari non licere, nisi postquam eadem in altera jam incoeperit, idque servabitur ab unaquaque Ecclesia, etsi basilica aut collegiata aut quolibet modo privilegiata.

§. XXX. Finita repositionis Missa, celebrans assumet pluviale (observando ritum respective supra descriptum pro Missa expositionis) et cum ministris coram SS. Sacramento in medio super infimum altaris gradum genuflectet. Cantores statim intonabunt litanias, quae continuabuntur usque ad *Domine, exaudi orationem meam*, inclusive. Deinde erectus celebrans cum ministris in medio, ponet incensum absque benedictione et genuflexus ter SS.

Sacramentum adolebit atque assumet velum humerale.

Incensatione peracta diaconus, cum debitis reverentiis, Sacramentum e throno levabit statimque pedibus stans genuflexo celebranti illud consignabit, ipso genuflectente diacono statim ac Sacramentum consignaverit. Caeterum observanda veniunt respective, quae supra, ubi de expositione agebatur, de caeremouiis ac ritu processions, dicta fuere, etc.

§. XXXI. Post processionem celebrante ad infimum altaris gradum regresso, diaconus genuflexus ab ipso pedibus stante recipiet Sanctissimum, coram quo celebrans immediate genuflectet velumque humerale deponet.

Diaconus autem illud in medio altaris supra corporale reponet et ad suum locum redibit. Celebrans vero, sub *Genitori Genitoque* cum ministris errectus absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent versiculum *Panem de coelo* etc. (cui adjiciendum *Alleluja* tempore paschali ac per totam octavam *Corporis Christi* in qualibet expositione) tum celebrans erectus, nec iterum genuflectens, sustinentibus librum ministris (omisso *Dominus vobiscum*, ex decreto S. R. C.), orationes, manibus junctis, cantabit; quibus finitis, genueflxus humerale velum assumet atque solus ad altare ascendens, debitis factis reverentiis, in manibus uti dictum jam fuit cum veli humeralis extremitatibus, ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur, atque Sacramento supra corporale reposito, descendet suoque loco genuflexus manebit. Statim diaconus aut sacerdos cum stola, debitis factis reverentiis, Sacramentum includet in tabernaculo, quod ad hunc finem in altari expositionis retinendum erit, hostia autem consecrata in Missa consumenda est sive in hac sive in sequenti die. His peractis proficiscuntur sicque finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

§. XXXII. Tempore, quo durabit eadam Oratio, districte interdicitur praedicare; verum si quis, ad fovendam fidelium erga SS. Sacramentum devotionem, brevem concionem post vesperas instituere velit, licentiam a Nobis aut a S. Excell. Nostro Vice-Gerente, etiam pro Ecclesiis regularium et quomodocumque privilegiatis petere debebit et non modo in expositione XL horarum sed etiam in qualibet expositione: quae licentia dari debet in scriptis. Praedicaturus autem in ordine saltem diaconali erit atque superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capito discooperto, prope altare, in quo SSmum. manet expositum, atque tandem in eo situ ut auditores non adducat ad actus irreverentiae convertendo terga ad Sacramentum.

§. XXXIII. Ecclesiae, in quibus instituetur 40 Horarum Oratio, vespere donec aderit populus ad orandum, apertae manere debebunt; quoniam tamen hac in re aliqua determinatio horae stabiliri nequit, tum ob Ecclesiarum situm tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam in aestivo et circa quintam in hiemali tempore claudi poterunt. Advertendum interea, quod etiam januis clausis continuari debet Oratio, prout dictum fuit n. X., quum dicta Oratio nunquam interrumpi potest ex decreto S. R. C.

§. XXXIV. Romae in qualibet Ecclesia, ad informationem fidelium, in apparenti loco affixus remanebit Elenchus 40 Horarum.

§. XXXV. Pariter in quavis Ecclesia, in qua expositionem institui statutum est, in sacristia continuo affixa erit praeses Instructio, ut nemo valeat

regularum ac praescriptorum in ea traditorum ignorantiam praetendere.

§. XXXVI. Extra ordinem in Elencho 40 Horarum assignatum nullus rector, curatus aut sacellanus exponere SS. Sacramentum audeat, sub quovis praetextu aut consuetudine, ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Breve Sanctitatis Suae, aut saltem absque licentia a Nobis vel a S. Excell. Vice-Gerente et a deputato 40 Horarum subscripta; qua obtenta exponetur Venerabile in altari aut in capella obducto velo et servato supradicto 20 luminum numero. Observandum item adamussim tempus quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur, sub poenis.

§. XXXVII. Tandem districte praecipitur, ut omnia supra ennunciati Ordinis inviolabiter observentur sub poenis.

Datum ex solita residentia Nostra, hac 1. die Septembris 1736.

P. Card., *Vicarius.*
Carlo Guazzucglia, *Deputatus.*
Nicolo Antonio, *Canonicus.*
Guggio, *Secretarius.*

